27-2-7

GRANADA
A
36
65

4
30-2-4

Del Col.º de la Comp.ª de Jhs de Granada

VIRI CLARISS.

# ADRIANI TVRNEBI

## REGII QVONDAM LVTETIÆ PROFESSORIS

## Opera:

*NVNC PRIMVM EX BIBLIOTHECA Amplißimi Viri:* STEPHANI ADRIANI F. TVRNEBI *Senatoris Regij, in vnum collecta, emendata, aucta & tributa in*

## Tomos III.

QVORVM ELENCHVM LECTOR POST PRÆFAtionem Operum inueniet.

*ADDITI SVNT SINGVLIS TOMIS SINGVLI INDIces Rerum & Verborum locupletißimi.*




*Cum gratia & Priuilegio Imperatorio &c.*

*ARGENTORATI,*

Sumptibus Lazari Zetzneri Bibliopolæ.

*Anno Domini M. DC.*

# AMPLISSIMO ET PRVDENTISSIMO VIRO DOM. STEPHANO TVRNEBO ADRIAN. FILIO, IN SVPREMA FRANCORVM CVRIA SENATORI REGIO: DOmino ſuo honorando

*S. P. D.*

*QVAM DOCTIS OMNIBVS GRATA SEMPER, deſideratáque fuerint opera Patris tui, Viri clariſſimi,* ADRIANI TVRNEBI, *ob doctrinæ varietatem, ingenij ſubtilitatem, elocutionis ornatum, eruditionis elegantiam, induſtriæ fideiq́; præſtantiam: ſiue ea proprio Marte ſcripta confectaq́; : ſiue ſint ab alijs Græcis Latinisq́; optimæ notæ authoribus, deſumpta atq́; illuſtrata: non inſtituti mei, Vir ampliſſime ac prudentiſſime, hoc in loco, nec etiam opis facultatisq́; eſt meæ, vel laudando perſequi: vel aliundè repetendo duntaxat, percenſere. Quis enim ignorat quantus vir ille fuerit, in omni literarum, linguarum ac diſciplinarum genere? qua ingenij diuinitate, memoriæ felicitate, iudicij acumine, ſtudio & labore indefeſſo ac planè Herculeo ſit vſus in omnibus ijs, quæ aut calamo aut viua voce tractanda ſuſcepit? Sanè nouit hoc, & probauit iampridem vniuerſa non modò Gallia: quæ gentis ſuæ, cætero quin laudatiſſimæ, vnicum ornamentum,* TVRNEBVM *hunc ſuum iudicauit ſemper: ſed omnes etiam ſub Sole nationes aliæ cultores, Itali, Hiſpani, Germani, Britanni, Luſitani & admirati ſunt hucusq́; & grata memoriæ celebratione, hodieq́; teſtantur.*

*Itaq́; vt ipſe dum vixit Parens tuus, felicis memoriæ, de re literaria, omniq́; poſteritate quàm optimè meritus eſt: eò quòd Libros Aduerſariorum Triginta, iampridem à ſe ſcriptos, publici Iuris fecit: cum nonnullis ſcriptis alijs: in quibus veterum tùm Græcorum tùm Latinorum Autorum, difficiles locos atq́; obſcuros, partim emendauit, partim explicauit, partim ſuppleuit: ita non minori laude beneficentiæ ac pietatis, videtur ornandus* IOANNES VVLCOBIVS, *Regis Galliarum Chriſtianiſſimi, in S. Conſiſtorio Conſiliarius, vir dignitate, doctrinâ, & quod antè omnia, humanitate excellentiſſimus: cuius opera, ſtudio, fideq́; contigit modò: vt maximam partem cæterorum quoq́; Scriptorum Patris Tui, ex tua locupletiſſima Bibliotheca, atq́; adeò ipſius Autographo Auctoris, nunc habeamus & emendatiorem & pleniorem: quàm vnquam anteà viſa ſit: aut lecta ab ijs, qui magno deſiderio, reliquas* TVRNEBIANAS *lucubrationes, hactenus expectarunt.*

*Proindè cùm non modò, Tibi, Vir præſtantiſſime, iam olim viſum fuerit, varia Optimi parentis opera Philoſophica & Philologica: Commentarios item plurimos ac diuerſos, cum literatiſſimis atq́; politiſſimis eius Verſionibus: eruditiſſimis Orationibus, Præfationibus, Epiſtolis atq́; Poëmatis*

*elegantiſsimis (quæ ſparſim ante hac edita) nūc colligere, omnia recognoſcere, & in vnum quodammodo corpus cogere: ſed etiam placuerit eadem ex* ARGENTINA *noſtra in publicum emittere, eaque in re & mea, & aliorum* TVRNEBI *Studioſorum hominū, induſtria, fide, labore ac ſumptibus vti: eſt ſanè, quod hoc nomine omnes vbique locorum viri docti, & ſolidæ eruditionis amantes, vnà nobiſcum gratias Tibi agant maximas: plurimumque Tibi ſe debere profiteantur.*

*Mearum ergo partium quod eſt: in præſentiarū nunc exſoluo, Vir Ampliſsime, Senator prudentiſsime: & Tres hoſce* TOMOS VARIORVM OPERVM, ADRIANI TVRNEBI, *patris tui chariſsimi, optimi ac laudatiſsimi, eo modo, quo vides, congeſtos, digeſtosque tibi Filio eius nunc offero, do, dico & conſecro: non modò, vt ſigillatim meæ erga Te gratitudinis extet monimentum aliquod publicum: ſed vt communi quaſi Teſtimonio planum fiat: quid & de Te, & de Patris tui optatiſsimi, laboribus operibusque vtiliſsimis iuxta, & elegantiſsimis* GERMANIA *noſtra iudicet atque ſentiat. Et qui aliter poſſemus vtrique? Vir ampliſsime: cum & mihi honori ſit inter alios bonos ſcriptores veteres & recentiores: CL. Viri* ADRIANI TVRNEBI *Opera in meo Bibliopoleio extare omnia: & Germanis noſtris laudi eximiæ: quod per hoc omnibus nunc conſtet, non ſuæ ſe tantum Nationis magna & illuſtria quædam Lumina facere maximi: verum etiam inclytæ Galliarum gentis præſtantiſsima ingenia, eorumque fœtus laudatiſsimos (cuiusmodi planè hæc* TVRNEBIANA *ſunt) ad perpetuam publicamque vtilitatem fouere, augere atque conſeruare: & in ea parte certare quodammodo cum ijs ipſis, quibus ſolis id competere, vulgò quis exiſtimare poſſet.*

*Sed ceſſo, vir Ampliſsime, plures enumerare cauſſas huius facti mei: cùm aliàs nemini, quàm Tibi: vt bonorum paternorum hæredi, ita etiam paternæ laudis, virtutis doctrinæq́ æmulo vnico, hæc reuerà debeantur: quæ quidem nos non ſine cura ſumptibusq́ publicè nunc omnibus vtenda atq́ fruenda exhibemus. Quod ſupereſt, Te rogo, vir Præſtantiſsime: hanc noſtrā compellationem ex ſingulari Tui obſeruantia & grati animi deuotione profectam, vt æqui boniq́ facias: & noſtram de humanioribus literis rectisq́ ſtudijs benè promerendi operam, voluntatemq́ porrò fouere, juuare atq́ conſeruare ne dedigneris. Vale feliciter præſidium & decus Galliæ tuæ. Argentorati Idibus Septembribus Anno Chriſti M. DC.*

Tuæ

Amplitudini

addictiſs.

LAZARVS ZETZNERVS
Bibliopola Argentinenſis.

## EX SCAEVOLAE SAMMARTHANI QVÆSTORIS FRANCIÆ ELOGIIS VIRORVM DOCTRINA ILLVSTRIVM.

ADRIANVM TVRNEBVM ſingulare ſui ſeculi decus produxit Andelia, Rotomagenſis agri oppidulum, tanti viri natalibus in poſterum nobile. Is autem pauca ſcripſit ſi hominis eruditionem ſpectes: totius enim Galliæ doctiſſimus merito ſuo iudicatur. Sed eius præcipua in docendo laus fuit, dum Toloſa, vbi profitebatur, Lutetiam reuocatus, & Tuſano vita functo ſucceſſor appellatus, diſcipulis, qui ab vltimis orbis terræ partibus frequentiſſimi ad illum audiendum concurrebant, reconditæ antiquitatis theſauros omnes mira quadam facundia depromit. Quanquam & ea quæ ſcripſit eiuſmodi ſunt, vt auctoris decus atque dignitatem præ ſe ferant. Nam in poëmatiis ſublimis eſt atque acutus, in oratione ſoluta terſus atque elegans. In Aduerſarijs verò tot veterum tùm Græcorum, tùm Latinorum difficiles loci, aut emendantur, aut explicantur, vt dubium fecerit, pluſne in eo ingenij, an diligentiæ admirari debeamus. Statura fuit mediocri, facie honeſta, probis moribus, accedente ad cæteras virtutes incredibili modeſtia: vt æmuli ſubinde per opprobrium illi obiicerent, quod vultum virginali pudore demiſſum gereret, cùm tamen ſub verecundo eius ore latentem generoſi ſpiritus indolem ipſi quoque experirentur. Vixit annos LIII. reliquitque moriens plures filios paternarum virtutum hæredes omnes certatim futuros, niſi fata inuidiſſent, vno tantùm ex illis ſuperſtite: quem etiamnum grauiſſimo Senatoris munere pari doctrinæ probitatiſque laude fungentem Lutetia veneratur. Diem verò ſuum obijt pridie Id. Iunias anno huius ſeculi LXV. atque in cœmeterio Scholaſticorum iuxta Siluij collegæ cineres nulla funebri pompa: ſic enim iuſſerat, ſepultus eſt.

## *EX CHRONOLOGIA GIL. GENEBRARDI ARCHIEPISCOPI AQVENSIS.*

ADRIANVS TVRNEBVS in Græcis præceptor meus, profeſſor regius, natus annos LIII. obijt Lutetiæ pridie Id. Iun. 1565. catholicus, etſi hæretici contrarium ſpargere conati ſunt.

## *EX IOACHIMI CAMERARII PROOEMIO IN LIBELLOS DE NATVRA DAEMONVM.*

Cùm iampridem ea ſit celebritas ſapientiæ, doctrinæ, eruditionis Turnebi, vt prædicatione altera nequaquam indigeat, & bonarum

artium ipſe ſit princeps, de quo hoc poſſe videor verè commemorare, quod de fratre ſuo Comicus adoleſcens ait, Nunquam ita magnificè quicquam dicam, id virtus quin ſuperet ipſius.

## *EX LEOD. A QVERCV REGII PROFESSORIS ORATIONE HABITA LVTETIAE initio ſuæ profeſsionis.*

ADRIANVS TVRNEBVS noſter amor, noſtræ gentis ornamentum, Galliarum dulce decus, ita ſe ſtudijs mancipauit, vt nunquam tam mane ad eum ingrediar, nec tam veſperi domum eius reuiſam, quin in muſæo conſpicer meditari, legere, ſcribere, auctores illuſtrare, denique nullum tempus remittere: adeo voluptati literas eſſe illi quotidie certò experior. Quapropter & indefeſſo illo ſudore, & ingenij diuinitate, & memoriæ felicitate, & iudicij acrimonia, fecit eos in diſciplinis progreſſus, vt vnus omnium quos hic ſol videt optimè & expeditiſſimè, Græcè & Latinè, intelligat, loquatur, ſcribat. Summus orator, ſummus poëta, ſummus philoſophus, & quod non minoris pendo ſummè fidus. quo fit vt non de illius quidem, vt de Homeri ſtirpe, ſeptem vrbes certent, ſed vt certatim omnes populi & principes ad illuſtrandam ſuam patriam ampliſſimis muneribus & præmiis illum accerſant, Itali, Hiſpani, Britanni, Luſitani, Germani. at benè natus & pius ille in patriam ciuis, pluris facit in germana patria paupertatem (quanquam quis eo fortunis omnibus cumulatior?) quàm in aliena diuitias.

## *EX DIONYSII LAMBINI REGII PROFESSORIS EPISTOLA AD ADRIANVM TVRNEBVM, qua ei dicat commentarium in lib. V. Lucretij.*

Cùm ad te de te ſcribere inſtituo, & doctrinam tuam ſingularem conſidero, planè obſtupeſco. Nam ſi quando eos, qui vel noſtra, vel patrum noſtrorum ætate, ingenij & doctrinæ gloria claruerunt, memoria repeto: video ſingulos in ſingulis diſciplinis atque artibus vel præſtare vel præſtitiſſe: hunc in mathematicis, illum in phyſicis: alium in philoſophia Peripatetica, alium in Platonica: illum in iure ciuili, hunc in medicina: hunc in poëtica, illum in arte dicendi: hunc in lingua Latina, illum in Græca. Te verò quibus doctrinis eruditum, quibus diſciplinis inſtitutum, quibus literis expolitum dicam? Nam ſi te in arithmeticis, geometricis, aſtrologicis, muſicis valde exercitatum eſſe prædicabo: veriſſimũ quidem tuæ laudis teſtimonium tibi dabo: ſed reliquarum artium & diſciplinarum, quibus non minus excultus, atque ornatus es, laudes tibi adimere videbor. Si te præſtantiſſimum noſtræ ætatis philoſophum eſſe contendam, nemo erit mortalium, qui me refellere queat. Sed dum tibi vnum ex multis, quæ propriè & verè



verè tua ſunt, reddo: cætera quæ æquè ſunt tua, tibi detrahere exiſtimabor. Si te Romanæ antiquitatis eſſe ſcientiſſimum, ſi ad literarum Latinarum receſſus intimos abditóſque ac penetrales focos intraſſe confirmabo: nemo mihi verum dicenti non aſſentietur: ſed aliquis fortaſſe ſententiæ meæ ignarus, dum hoc ita tibi ſeorſum ab alijs, quæ non minus ſunt tua, tribuo: exiſtimabit te à me per ſummam iniuriam alijs tuis infinitis laudibus atque ornamentis ſpoliari. Si te linguam Græcam ita callere ac tenere teſtificabor, vt ſi & ijs temporibus, & in ijs locis, in quibus hæc lingua maximè florebat, natus eſſes: nemo me, vt mentientem redarguere poterit: ſed mihi verendum eſt, ne dum tibi huius vnius laudis verus teſtis & buccinator ſum, cæteras quæ ſunt in te multò plures, & fortaſſe maiores, exiſtimer de induſtria reticere. Atqui cùm de geometricis, & geographicis ſermonem habes, totum orbem terrarum videris decempedis quibuſdam dimenſus eſſe, radióque propemodum deſcripſiſſe: cùm de aſtris loqueris, cœlum cominus ſpectaſſe, & ſtellas ipſas dinumeraſſe: cùm Ariſtotelē interpretaris, Alexandros, Themiſtios, Simplicios, atque adeo Ariſtotelem ipſum ab inferis excitare: cùm Platonem, Theophraſtum, Plutarchum, qui videntur interdum à nobis intelligi nolle, ſuſcipis explicandos, facis vt quæ de induſtria obſcurius eſſe locuti videbantur, planiſſimè atque apertiſſimè dixiſſe videantur: cùm Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Ariſtophanem, & cæteros poëtas interpretaris, totam ætatem in poëtis legendis conſumpſiſſe exiſtimaris: cùm Herodotum, Thucydidem, Polybium & alios hiſtoricos tractas, facis vt nullos præterea ſcriptores per omnem vitam peruolutaſſe videaris: cùm Demoſthenem, AEſchinem, Lyſiam, cæteros Græcos rhetores in manus ſumis, Athenienſis hominis ijſdem temporibus nati, & in eadem repub. verſati ſpeciem præbes: cùm M. Tullij ſiue orationes, ſiue libros philoſophicos, ſiue epiſtolarum volumina in manibus habes, eos qui te audiunt in eam opinionem adducis, vt M. Tullij animam in corpus tuum immigraſſe putent: ita omnes illius admirabilis & penè dicam, diuini ſcriptoris locos & implicatos explicas, & obſcuros illuſtras, & corruptos vel ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus, vel coniectura ductus, reſtituis atque emendas. Idem de poëtis Latinis liquidò confirmare poſſum. Quid dicam de tua incredibili memoria? quæ tanta eſt, vt nihil vnquam legeris, quod non tibi in animo penitus inſederit. quid de ſtudio atque diligentia? quæ tanta ſunt, vt ſi ingenio eſſes tardiſſimo, qui contrà acumine & ſolertia vincis omnes, tantos te in omni diſciplinarum genere progreſſus feciſſe, ſeu potius omnes ſcientiæ doctrinæque numeros expleuiſſe minus debeat eſſe mirandum. Sed finem faciam, ne quis cui ſis ignotus (quanquam quis eorum, qui literas vel ſummis digitis attigerunt, te ignorat?) verum tamen deſinam, ne cui videar initio tuas laudes hac epiſtola prædicare

voluiſſe, cùm longè alia mens, longè aliud conſilium meum fuerit, neque id præſtare, aut conſequi potuiſſe: quis enim poſſit? Nam ne ego hæc fingere aſſentandi cauſa videar, non vereor, cùm & ij qui tua ſcripta legerunt, & ij qui te aliquando audiuerunt, de te ſciant & ſentiant ijs, quæ quiſquam eorum, qui hodie viuunt, dicendo conſequi poſſit, nedum ego, multo & maiora & ampliora.

## EX LIB. V. EPIST. MICH. HOSPITALII FRANCIÆ CANCELLARII.

*Me tam præclari noli,* Tvrnebe, *putare*
*Muneris oblitum, quod ſemper & omnibus horis*
*Contrecto manibus, morbi ſolamen acuti,*
*Atque libens vtor tali tantóque magiſtro:*
*Vnde legens diſco veterum ſecreta librorum,*
*Aut reuoco in mentem longos deſueta per annos.*
*Quod ſi ſcripta iuuant tua me tot pondere rerum*
*Oppreſſum, tanta curarum mole, ſenémque:*
*Maxima, crede mihi, iuuenes curíſque ſolutos,*
*Maxima venturos capiet quandoque voluptas.*
*Felix ille tua potuit qui voce Latinis*
*Inſtitui, Græciſque, haud ille requiret Athenas,*
*Haud Latium Romamque: beata Lutetia tanti*
*Moribus ingenióque viri. Sed, amice, futuris*
*Conſule temporibus, ſcribendi multa laborem*
*Suſcipe, nec dubita chartis mandare, ſequentum*
*Quæ veniens ætas ſit miratura nepotum.*
*Aut magnum aliquid, quæſo (nam poſſe putamus)*
*Et veterem longo poſſeſſam tempore palmam*
*Extorque Græcis Italíſque: vt propria ſicut*
*Armorum, ſic ſit ſtudiorum gloria nobis.*

## EX LIBRO ICONVM ST. PASCHASII REGII ADVOCATI.

*Quicquid in arcano condebat auara vetuſtas*
Tvrnebvs *tacitis eruit è latebris.*

## HOS OLIM VERSVS LVSIT IN ADRIAN. TVRNEBVM IOACHIMVS BELLAIVS.

*Si decus eloquij nobis concederet Hermes,*
*Doctrinam Pallas, Carmina Pierides,*

*Non*

*Non ego facundi cuperem Demoſthenis ora,*
*Eſſe nec optarem quod fuit ipſe Plato:*
*Nec mihi Mæonidæ peteretur Muſa. quid ergo?*
*Quod triplicis laudis Turnebus vnus habet.*

## EIVSDEM IOACH. BELLAII IN NOTATIONEM NOMINIS TVRNEBI.

*Copia cui tanta eſt, tanta qui diſſerit arte,*
*Cuiq; adeò eſt vni clauſa & aperta manus,*
*Cui ſeſe natura parens, cœlúmque recludit,*
*Quique agitans molem ſpiritus intus alit,*
*Qui caua perſpexit telluris viſcera, cuique eſt*
*Cognita Erythræis eruta gemma vadis,*
*Qui volucrum ſpecies varias, hominúmq;, ferarúmq;,*
*Et nouit quicquid naſcitur Oceano,*
*Qui didicit plantas, ſtirpéſq;, herbáſq; ſalubres,*
*Et quicquid paßim dædala terra creat,*
*Cui terræ, tractúſq; maris, cui ſydera cæli,*
*Cui radius notus, circinus, & numerus,*
*Tempora qui nouit longos digeſta per annos,*
*Et ſacra, & leges, & pia iura Patrum,*
*Qui Muſas etiam noſtras, Phœbiq; receſſus,*
*Qui colit Aonij numina docta iugi,*
*Qui veteres Graios, ſacram & populatus Idumen,*
*Qui priſcam ad Gallos tranſtulit Auſoniam.*
*Deniq; qui tantis opibus ditißimus vnus,*
*Quiq; tot inſtructus dotibus ingenij,*
*Nil niſi limatum profert, atq; arte politum:*
*De facili torno quàm bene nomen habet?*

## EX CAROLI VTENHOVII ALLVSIONIBVS.

*Niteris auctorum,* Tvrnebe, *quòd inclyte prauos,*
*Et male tornatos explicuiſſe locos,*
*Quis tibi de facili neget indita nomina torno?*
*Namque malos facili corrigis arte libros.*
*Impiger explores, ſtudióq; quod omnia luſtres,*
*Nominis Hebræi monſtrat origo tui.*

CLA-

## CLARISS. ROILLETVS AD ADRIANVM TVRNEBVM.

*Linguæ parentem ſi ſuæ Demoſthenem*
*Miratæ Athenæ, fulmen vt docto euomit*
*Diſertus ore, turba ſi Quiritium*
*Mirata Marcum detonantem Tullium,*
*Græcis Latinas præferentem litteras:*
*Vnum magis te redditum & natum ſibi*
*Lutetianas par Athenas Neuſtrium*
*Suſpicere, mirari, colere. cur? ſingulos*
*Quos Roma, quos habuêre Athenæ olim ſibi,*
*Lutetia vna in vno habet ſibi duos*
*Demoſthenem Græcum, Latinum Tullium.*

ELEN-

# ELENCHVS VARIORVM OPERVM ADRIANI TVRNEBI, PROFESSORIS REGII, QVÆ CONTINENTVR

## TOMO PRIMO.

### *Commentarius in*


I. *Orationem M. Tullij Ciceronis pro Caio Rabirio perduellionis reo. fol. 1.*
II. *M. Tullij Ciceronis Orationes tres de lege Agraria contrà P. Seruiliũ Rullum Tribunum plebis. fol. 13.*
III. *Animaduerſiones in Rullianos Petri Rami Commentarios: Leodegar. à Quercu nomine editas. fol. 72.*
IIII. *M. Tullij Ciceronis Academicarum quæſtionum librum primum. fol. 82.*
V. *M. Tullij Ciceronis libros tres de Legibus: cum ſubiuncta Apologia ad librum primum. fol. 96.*
VI. *Locum Ciceronianum, in quo tractantur Ioci, ex lib. 2. de Oratore. fol. 202.*
VII. *Librum Ciceronis de Fato. fol. 218.*
VIII. *Diſputationem libro Ciceron. de Fato, aduerſus quendam qui non ſolùm Logicus eſſe, verùm etiam Dialecticus haberi vult, ſubiunctam. fol. 236.*
IX. *Reſponſio ad Audomari Talæi admonitionẽ Leodegar. à Quercu nomine edita 1556. fol. 262.*
X. *Libros M. Varronis de Lingua Latina. fol. 269.*
XI. *Librum primum Carm. Horatij. fol. 306. cui Adriani Turnebi Commentarius in locos obſcuriores Horatij: item M. Antonij Mureti & Aldi Manutij in eundem Horatium annotata ſunt addita.*
XII. *Præfationem C. Plinij Hiſtoriæ naturalis. fol. 385.*


## TOMO SECVNDO.

### *Verſiones ſelectorum quorundam librorum*


I. *Ariſtotelis, de his quæ auditu percipiuntur. fol. 1.*
II. *Theophraſti De*
- *Odoribus. fol. 5. cui additæ annotationes ſunt. fol. 18.*
- *Lapidibus. fol. 27.*
- *Igne. fol. 32. cui annotatiunculæ ſunt addita. fol. 40.*
- *Ventis. fol. 41.*

III. *Plutarchi De*
- *Fato. fol. 48.*
- *Conuiuium Septem Sapientum. fol. 52.*
- *Primo frigido. fol. 61.*
- *Procreatione animi in Timæo Platonis. fol. 67.*
- *Oraculorum defectu. fol. 76. in eundem librum annotationes. fol. 91.*
- *Fluuiorum & Montium nominibus. fol. 97.*

IIII. *Philonis Iudæi de Vita Moſis librorum III. fol. 105.*
V. *Demetrij Pepagomeni de Podagra. fol. 138.*
VI. *Arriani Periplus Ponti Euxini. fol. 146.*
VII. *Oppiani de Venatione librorum IIII. fol. 150.*
VIII. *M. Tullij Ciceronis Paradoxorum IIII. in Græcam linguam. fol. 171.*


## TOMO TERTIO.

### *Opuſcula Varia, in quibus*


I. *Libellus De*
- *Methodo. fol. 1.*
- *Calore. fol. 10.*
- *Vino. fol. 17.*


II. Orationes

II. Orationes & Præfationes.
- Oratio habita poſt I. Tuſani mortem, cùm in eius locum ſuffectus eſt. fol. 28.
- Præfatio in Thucydidem. fol. 32.
- Præfatio in Dionyſium Alexandrinum. fol. 37.
- Oratio habita cum philoſophiam profiteri cæpit. fol. 41.
- Præfatio in Timæum Platonis. fol. 46.
- Præfatio in Phædonem eiuſdem. fol. 49.

III. Epiſtolæ
- Epiſtola Latina vna ad Carolum Maximilianum Valeſium, Francorum regem Chriſtianiſſimum. fol. 53.
- Græcæ præfixæ
  - AEſchilo ad Michael. Hoſpitalium. fol. 55.
  - Sophocli ad Aimarum Ranconetum fol. 56.
  - Philoni ad Cardinalem Lotharingium. fol. 56.
  - Syneſio ad Lancilotum Carlum Epiſcopum. fol. 58.
  - Clementi de actis D. Petri ad Nicolaum Mallarium Theologum fol. 58.
- Græca ad Ioachimum Camerarium fol. 59.

IIII. Poematum ſylua. fol. 60.
V. Epiſtola & Epitaphia Turnebi. fol. 90.
VI. Oratio funebris de vita & morte Adriani Turnebi, habita Lutetiæ in Regio auditorio anno Domini 1565. menſe Decembri, per Leodegarium à Quercu. fol. 98.
VII. Proſopopæia in teterrimum Adriani Turnebi catharrum. fol. 102.
VIII. Epicedion in triſtiſſimum Adriani Turnebi Regij Philoſophiæ Profeſſoris nobiliſſimi, obitum, auctore Leodegario à Quercu. fol. 103.
IX. Adriani Turnebi Tumulus à doctis quibuſdam viris è Græco, Latino & Gallico carmine excitatus. fol. 104.
X. De Adriani Turnebi morte Dialogiſmus, auctore Michaële Ripautio Pariſienſi. fol. 110.
XI. Franciſci Picardi Nænia. fol. 111.
XII. Eiuſdem Turnebi Tumulus, per eundem Franciſcum Picardum Caletenſem. fol. 112.

CL. ADRI-



# V. CL. ADRIANI TVRNEBI PROFESSORIS REGII, COMMENTARIORVM VARIORVM QVI

*Pleriq; in opera* CICERONIS *ſcripti ſunt*

## TOMVS I.

## *M. T. CICERONIS PRO C. RABIRIO PERduellionis Reo ad Quirites Oratio.*

*et*

IN EANDEM COMMENTARIVS ADR. TVRNEBO *Authore.*

### *PRÆFATIO ADRIANI TVRNEBI AD Lectorem.*

*IAM olim hunc in orationem pro Rabirio commentarium elucubraram, ignarus à Fran. Syluio omnium Ciceronis interpretum diligentiſſimo & doctiſſimo, explicatam eſſe: quem cũ euulgare pararem, collega mei Petri Rami, hominis Philoſophiam & Eloquentiam vna profeßione complexi, prodeunt commentarij: audióque eodem tempore accuratiſſimam Syluij enarrationem extare. His ego deterritus, non ſolùm meum commentarium paulisper reprimere, verùm etiam in perpetuum ſupprimere decreueram. Tandem tamen aliquando, ne iſta opera qualiſcunq; eſt, periret, publicare eum malui, quàm ſegni & inerti ſitu in aduerſarijs meis iacentem ſinere corrumpi: cui orationis etiam argumentum ex Dione præſcripſi. Hunc igitur commentarium, ſi quam tuis ſtudijs acceßionem afferre poteſt, Lector, nunc tibi fruendum trado.*

### DE ORATIONE HAC CICERO IPSE in Oratore.

IVS omne retinendæ maieſtatis, Rabirij cauſa, continebatur: ergò in omni genere amplificationis exarſimus.

*De hoc iudicio Tranquillus in Iulio Cæſare.*

SVbornauit etiam qui C. Rabirio perduellionis diem diceret: quo præcipuo adiutore aliquot ante annos L. Saturnini ſeditioſum tribunatum ſenatus coercuerat: ac ſorte iudex in reum ductus, tàm cupidè condemnauit: vt ad populum prouocanti nihil æquè ac iudicis acerbitas profuerit. Hæc autem Tranquilli verba nonnihil à Dionis ſententia, quam mox explicabo, videntur diſcrepare.

### ORATIONIS PRO C. RABIRIO ARGVMENTVM.

*Adrian. Turnebo auctore.*

HVIVS orationis argumentum non aliunde mihi melius explicaturus eſſe videor, quàm ſi ex Dionis hiſtoria rem totam perſcribam. ita enim facillimè & atrocitas criminis, & genus cauſæ perſpici poterit. neque ferè quicquam latebit, quod ad Orationis explicationem pertineat. Titus ergò Labienus C. Rabirium ob Saturnini cædem cùm accuſaſſet, magnã ciuitati perturbationem atttulit. Nam & Saturninus trigina ſex annis ante cæſus fuerat, & quæ in bello, quod cum eo ſuſceptum eſt, conſules fecerant, ex Senatus auctoritate omnia geſſerant. Itaque ſenatus auctoritas illo iudicio non leuiter tentabatur: ex quo totus ciuitatis ſtatus conuellebatur & perturbabatur. Ac Rabirius quidem cædem ſe feciſſe perne-

gabat: verùm Tribuni modis omnibus ſenatus amplitudinem & dignitatem conuellere nitebantur, & ſibi poteſtatem omnia pro animi arbitrio & libidine agendi præmuniebant. Ita enim futurum erat, vt iis qui ſimilia tentare vellent, impunè concederetur ſenatus decreta, quæque tot antè annis acta fuiſſent, in diſquiſitionem vocare. Ergo cum pro eo ac debebat Senatus id indignè ferebat, tum verò ſenatorem Pop. Rom. innoxium ætateque prouectum ſupplicio affectum iri optimates dolebant: ſed tamen modis omnibus angebantur, quòd ciuitatis dignitas in crimen & inuidiam vocaretur, reſque publica improbiſſimis hominibus permitteretur. Ergo turbulenta factionum ſtudia, contentioneſque partium de iudicio exarſerunt: his ne concilium cogeretur, pugnantibus: illis conſeſſum iudiciū poſtulantibus. Quod vbi per Cæſaris factionem & aliorum nonnullorum vicit, ac iudicandi cauſa conuenêre (is enim cum L. Cæſare iudicabat. nec ſimplex crimen erat, ſed Rabirius perduellionis poſtulabatur) eum ſententijs ſuis condemnarunt: quanquam non à populo more & inſtitutō Romano creati, ſed, quod non licebat, à prætore ſorte ducti. Rabirius ergo prouocauit: ſed tamen apud populum etiam damnatus fuiſſet, niſi Metellus Celer augur & prætor rem impediſſet. Nam cùm multitudo nec eum audiret, nec quòd contra morem patriæ legeſque iudicium factum eſſet, vellet attendere, properè Ianiculum petit, priuſquam quicquam ſuffragio Quirites ſciſcerent: ſignumque militare detrahit, vt nihil iam eis decernere liceret. Sic detracto vexillo concio ſoluta eſt, Rabiriúſque liberatus. Etſi enim Labieno licebat reum repetere, non tamen fecit. Hactenus ex Dione. Hanc igitur Orationem trigeſimo ſexto anno poſt cædem Saturnini habuit apud pop. Ro. Cicero conſul, aut comitiis centuriatis (non enim de capite hominis vllis alijs, quàm centuriatis agi licebat) aut potius certe in concione aliqua quæ comitia anteceſſit. Cùm autem in Piſonem Cicero ſcribit, ſe in Rabirio perduellionis reo quadraginta annis ante ſe conſulem, interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinuiſſe, non eſt, vt inquit Aſconius, in eo ſubtilis annorum computatio facta, verùm ſummatim tempus comprehenſum: vt perinde acceperit, ac ſi dixiſſet, propè quadraginta annis. Iam ante damnatus à duumuiris fuerat Rabirius, Iulio Cæſare & Lucio Cæſare, à quibus ad populum prouocarat. Acerbitatem iudicis Iulij Cæſaris à quo cupidiſſimè condemnatus fuerat, Rabirio ad populum prouocanti etiam ſalutarem fuiſſe ſcribit Tranquillus. Perduellionis eſt poſtulatus Rabirius, quòd ſacroſanctum Tribunum interfeciſſe diceretur. Eſt autem perduellio genus læſæ maieſtatis omnium atrociſſimum & grauiſſimum: quo qui tenentur, ne morte quidem, cùm decedunt in reatu, crimine liberantur, cùm in alijs generibus læſæ maieſtatis liberari ſoleant.

PRO C.



# PRO C. RABIRIO PERDVELLIONIS REO AD QVIRITES ORATIO.

*ETSI, QVIRITES, NON EST MEAE CONSVETVDINIS, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſa quemq; defendam: propterea quòd cum omnibus ciuibus in eorum periculis ſemper ſatis iuſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur eſſe officij mei: propterea quòd quæ iuſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſoluendum debet videri. Nam me cùm amicitiæ vetuſtas, tùm dignitas hominis, tùm ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tùm verò vt id ſtudioſiſſimè facerem, ſalus Reipub. conſulare officium, Conſulatus denique ipſe mihi, vnà vobiſcum cum ſalute Reipub. commendatus coëgit.*

## IN EANDEM COMMENTARIVS, ADRIANO TVRNEBO AVCTORE.

ETSI) Iuſtiſſimas ſibi proponit cauſas eſſe defendendi Rabirij. Amicitiæ vetuſtas, dignitas, humanitas, perpetua vitæ conſuetudo, ſalus Reipub. officium conſulare ad defenſionem meritò impellere debent: quæ omnia in hac cauſſa ſunt: igitur meritò defendi à Cicerone Rabirius debet.

*Quirites*) In campo Martio ad populū hæc Oratio habita eſt comitijs Centuriatis, aut in concione quæ comitia anteceſſit. *Quemq; defendam*) Multos enim defendebat, eiuſque labor in ciuium defenſionibus verſabatur: accuſationes ferè non attingebat.

*Neceſſitudinis*) Sunt enim defendendi quibus cum amicitia coniuncti ſumus: neceſſitudo, amicitia & coniunctio eſt, quæ neceſſitatem quandam officij requirit. *Ratio officij mei*) Quæ mihi cauſſa ſit huius defenſionis. *Propterea quòd*) Non eſt hæc ratiocinationis propoſitio, quæ deſideratur, ſed interiecta cauſa, cur reddere rationem officij ſui velit. *Tum dignitas*) Erat enim ſenator Rabirius. auctor Dion.

*Humanitatis*) Quæ ad ſubleuandam hominum calamitatem nos impellere ſolet.

*Conſuetudo*) Qui ſemper reos defendere ſoleo, nullum ferè accuſare. *Salus Reipub.*) Quæ agitur in hac cauſa. homines enim improbi & in populari ratione ſeditioſi, auctoritatem ſenatus conuellere, qua nititur ſalus ciuitatis, conantur. Reſpexit autem ad eam ſenatus auctoritatem, quæ in tumultu Saturnini interpoſita fuerat. *Conſulare offic.*) Officium enim conſulis eſt tueri conſulare imperium, quo Saturninus interfectus fuerat. *Conſulatus*) Cuius mihi ius defendendum eſt, ne quid ei decedat. Ei enim aliquando ſumma poteſtas permittitur animaduertendi in facinoroſos.

*Non enim C. Rabirium culpa delicti, non inuidia, vitæq; turpitudo, non denique veteres iuſtæ grauesque inimicitiæ ciuium, in diſcrimen capitis vocauerunt: ſed vt illud ſummum auxilium maieſtatis atq; imperij, quod nobis à maioribus eſt traditum, de Republica tolleretur: vt nihil poſthac auctoritas Senatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum, contra peſtem ac perniciem ciuitatis valeret: idcirco in his rebus euertendis vnius hominis ſenectus, infirmitas ſolitudoq; tentata eſt. Quamobrem ſi eſt boni Conſulis, cum cuncta auxilia Reipublicæ labefactari conuelliq; videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſq; communibus, implorare ciuium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum & fortium ciuium, quales vos omnibus Reipublicæ temporibus extitiſtis, intercludere omneis ſeditionum vias, munire præſidia Reipublicæ, ſummum in Conſulibus imperium, ſummum in Senatu conſilium putare: ea qui ſecutus ſit, laude potius & honore, quàm pœna & ſupplicio dignum iudicare. Quamobrem labor in hoc defendendo præcipuè meus eſt: ſtudium verò conſeruandi hominis, commune mihi vobiſcum eſſe debebit.*

*Non enim*) Rabirius non ſuo, ſed Reipub. nomine in diſcrimen capitis vocatur, quod conſuli paruerit ad arma vocanti, & Rempub. ſaluam eſſe voluerit. *Inuidia*) odium ciuium in eum conceptum.

*Summum auxilium*) Senatuſconſultum illud ſignificat, quod extremis Reipub. temporibus fieri ſolebat: vt viderent Conſules, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. *Ea*, inquit Salluſtius, *poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atq; ciues, domi militiæq; imperium atque iudicium ſummum habere.* tale Senatuſconſultum factum erat, C. Mario & L. Valerio coſſ. contra Saturninum: vt operam darent coſſ. vti imperium maieſtasque pop. Rom. conſeruaretur. *Maieſtatis*) Maieſtatis popul. Rom. conſeruandæ, quæ continetur amplitudine & dignitate ciuitatis, conſeruandique eius imperij.

*A maioribus traditum*) Nam more Rom. vt Salluſtius ait, per ſenatum magiſtratui ea poteſtas permitti ſolebat, ita id traditum à maioribus dicit, non nuper inuentum. Illam tamen ſenatus auctoritatem in Gracchum primum vſurpatam eſſe auctores ſcribunt. *Tolleretur*) ab hominibus ſeditioſis.

*Auctoritas*) Senatuſconſultū, vt viderent coſſ. ne quid Reſpub. detrimenti caperet. *Conſulare*) Nam ex illo ſenatuſconſulto ſummum imperium & iudicium Conſul habebat, & ad arma euocare poterat.

*Bonorum*) Bonos appellare ſolet ſenatum, quiq; eius ſectam ſequuntur. cum bonis in opprimendo Saturnino conſenſit Rabirius, imperium conſulare ſecutus. *Peſtem*) contra peſtiferos & conſceleratos

ciues. *Senectus)* Senex erat Rabirius, auctor Dion. *Solitudoq́ue)* Solitudinem dixit, quòd propè ab omnibus deſertum magna popularium factione opprimebatur. *Si eſt boni)* Conſulis partes ſunt, vbi extremis conflictatur periculis Reſpub. imperio ſuo vti, nihilq; antiquius ducere Reipub. ſalute: quod tum fecère Marius & Valerius. Eſt enim, vt Cicero ait lib. 3. de Legibus, *ſuprema coſ. lex, Reipub. ſalus.*

*Auxilia)* ab hominibus ſeditioſis, vt tum à Saturnino. *Fidem)* auxilium ciuium, ad arma ciues vocare aduerſus ſceleratos: quod tum Marius fecit. *Intercludere)* obſiſtere turbulentis & ſeditioſis: ductum à re militari, cùm ante præſidijs viæ occupantur, ne hoſtibus aditus pateat.

*Præſidia)* Non ſolùm ſic vocantur cohortes locum aliquem tuentes, verùm etiam locus ipſe munitus.

*Imperium)* vt in ſontes animaduertere poſſint. *Conſilium)* vt eam poteſtatem decreto ſuo permittere conſuli poſſit. *Ea qui)* vt Rabirius fecit. *Quamobrem)* Non eſt iteratio complexionis, vt quiſpiam fortaſsè putaret, ſed concluſio alia ſingularis, quæ ex vniuerſa elicitur. Modò enim de conſule agebat, nunc de ſe conſule: modò de bonis ciuibus, nunc de his ciuibus, eſtq́ue tanquam hypotheſis ex theſi.

***Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis prouidendam, neq; à Tribuno pl. ſuſceptam, neque à Conſule defenſam, neque ad populum Romanum eſſe delatam. Agitur enim nihil aliud in hac cauſa, Quirites, quàm vt nullum ſit poſthac in Republica publicum conſilium, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem & audaciam, nullum extremis Reipublicæ temporibus perfugium & præſidium ſalutis Reipub. Quæ cùm ita ſint, primùm, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumq́; omnium fieri neceſſe eſt, ab Ioue Optimo Maximo, cæteriſq́; dijs deabuſq́; immortalibus, quorum ope & auxilio multò magis hæc Reſpublica, quàm ratione hominum & conſilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorq́; ab ijs, vt hodiernum diem & ad huius ſalutem conſeruandam, & ad Rempublicam conſtituendam illuxiſſe patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proximè ad Deorum immortalium numen accedit, oro atque obſecro, quoniam vno tempore vita C. Rabirij hominis miſerrimi atque innocentiſſimi, ſalus Reipublicæ veſtris manibus ſuffragijſq́; permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in Reipublicæ ſalute ſapientiam.***

*Poſt hominum)* poſt homines natos, poſt hominum ætatem. *Prouidendam)* ſic Terentius, *Quæ ſi non aſtu prouidentur*, dixit. *Publicum)* ne valeat ſenatus auctoritas. *Bonorum)* optimatum, & ſenatum ſequentium. *Improborum)* ſeditioſorum & turbulentorum. *Perfugium)* quod in maieſtate populi conſeruanda poſitum eſt. *Dimicatione)* periculo. *Ab Ioue)* Veteres ſæpenumerò Deos præfari ſolebant, vt docet Maro, vt bonis ominibus & precibus exordirentur, idq́ue in concionibus facere ſolebant: vt ex oratione pro Muræna poteſt intelligi: ne quis id Græcorum imitatione factum putet.

*Optimo)* beneficentiſſimo. *Maximo)* maximas opes & poteſtatem habente. *Pacem & veniam)* Antequam aliquid à Dijs petamus, votis noſtris veniam petimus: vt placati & propitij ſint. Pax enim propitiorum eſt numinum. Plautus, *Sunt hìc omnia, quæ ad Deûm pacem oportet adeſſe. Veniam petit, qui Deo iam propitio ſibi licere aliquid cupit.* Plautus in Trinummo. *Quia res quædam eſt, quam volo ego me abs te exorare.* P. *Quid id eſt? veniam iam dare geſtio.* *Conſtituendam)* conſeruandam, ſtabiliendam, cuius ſtatus labefacta ſenatus auctoritate à nonnullis popularibus hominibus conuellitur.

*Poteſtas)* vos enim ſecundùm Deos hunc ſeruare poteſtis. *Manibus)* Tabella ſuffragium in iudicio quoque perduellionis ferebatur, id eſt, manu, non voce. Cicero lib. 3. de legibus, *Vno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat, perduellionis: dedit huic quoq; iudicio Cælius tabellam.*

***Nunc quoniam T. Labiene diligentiæ meæ, temporis anguſtijs obſtitiſti, meq́; ex comparato & conſtituto ſpacio defenſionis, in ſemihoræ curriculum coegiſti, parebitur, &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris conditioni, &, quod miſerrimum, inimici poteſtati. quanquam in hac præſcriptione ſemihoræ, patroni mihi partes reliquiſti, Conſulis ademiſti: propterea quòd ad defendendum propemodum ſatis erit hoc mihi temporis, verùm ad conquerendum parum. Niſi fortè de locis religioſis, ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti, pluribus verbis tibi reſpondendum putas. quo in crimine nihil eſt vnquam abs te dictum, niſi à C. Macro obiectum eſſe crimen id C. Rabirio, in quo ego demiror meminiſſe te quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus: oblitum eſſe, quid æqui & iurati iudices iudicarint.***

*T. Labiene)* Hic trib. pleb. Cicerone conſule diem dixit Rabirio. hic eſt qui poſtea militauit in Gallia auſpicijs Cæſaris. *Temp. an)* Irrogata mulcta à magiſtratu reus apud populum trinûm nundinûm accuſabatur, prodicta die qua iudicium futurum eſſet. In mulctæ autem irrogatione Labienus reo ſemihoram ad defenſionem præſcripſerat. Ergo inſtituto Romano ante iudicium quod comitijs Centuriatis futurum erat, habita hæc oratio eſt: vt iam dubitare nullo modo debeamus.

*Spacio)* à ſpacio circi ductum eſt: mox enim curriculum ſubijcit, qui locus eſt in quo decurrunt bigæ & quadrigæ: quanquam Budæus circulum legit. *Conditioni)* Nam in irrogatione mulctæ adſcripſerat ſemihoram perorandæ rei cauſæ. ergo illam tulit conditionem reo accuſator. pro Cælio, *Quare illa conditio iudices, reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat.* *Poteſtati)* tribuno inimico.

*Quanquam)* Non tàm iniuriam facis Rabirio, quàm mihi conſuli. ſatis enim mihi temporis datum eſt ad eius cauſam orandam, ad conquerendum non ſatis. *Patroni)* defenſoris. *Conſulis)* ad conquerendum imminui imperium conſulare. *Religioſis ac de lucis)* Etſi locus religioſus efficitur in quem mortuus infertur: tamen hic latius patere puto: cùm in vrbe religioſa loca eſſent, ſepulchra non eſſent. Itaque quanquam ſacrum eſt, quod propriè Deo conſecratum eſt, ſanctus murus, religioſum ſepulchrum: tamen iſta confunduntur à *Cicerone de Aruſp. reſponſis.* Quin etiam ſuam domum conatum eſſe Clodium religioſam facere dicit. Fortaſſe in Saturnini tumultu & lucos, qui Romæ erant, violaſſe viſus erat Rabirius, & loca quædam





loca quædam ſacra: aut in agris id feciſſe. *C. Macro)* Huius in Bruto meminit, quem patronum propemodum elegantiſſimū fuiſſe ſcribit, in inueniendis componendiſque rebus accuratum. hic & in publicis cauſis obtinebat nonnullum locum: in priuatis tamen illuſtriorem. Apparet ab hoc aliquando accuſatum de violatis locis ſacris fuiſſe Rabirium, nec condemnatum. fuit hic C. Licinius Macer vir prætorius Calui oratoris pater, biennio ferè ante quàm hæc dicerentur, mortuus prætore Cicerone.

*Iurati)* Iudices enim: in leges iurabant, quæſtor non iurabat. *Iudicarint)* Non eſſe violatos lucos, nec loca ſacra à Rabirio.

***An de peculatu facto, an de tabulario incenſo, longa oratio eſt exprimenda? quo in crimine propinquus C. Rabirij iudicio clariſſimo Curtius pro virtute ſua eſt honeſtiſſimè liberatus: ipſe verò Rabirius non modò in iudicium horum criminum, ſed ne in tenuiſſimam quidem ſuſpicionem verbo eſt vnquam vocatus. An de ſororis filio diligentius reſpondendum eſt, quem ab hoc necatum eſſe dixiſti, cùm ad iudicij morā familiaris funeris excuſatio quæreretur? Quid enim eſt tàm veriſimile, quàm chariorem huic ſororis maritum, quàm ſororis filium fuiſſe? atque ita chariorem, vt alter vita crudeliſſimè priuaretur, cùm alteri ad prolationem iudicij biduum quæreretur? An de ſeruis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de ciuibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis, plura dicenda ſunt: cum tanto ſtudio C. Rabirius totius Apuliæ, ſingulari voluntate Campanæ vicinitatis ornetur: cúmque ad eius propulſandum periculum, non modò homines, ſed propè regiones ipſæ conuenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quàm ipſius vicinitatis nomen ac termini poſtulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod eſt in eadem multæ irrogatione præſcriptum: hunc nec ſuæ, nec alienæ pudicitiæ peperciſſe? Quin etiam ſuſpicor eò mihi ſemihoram à Labieno præſtitutam eſſe: vt ne plura de pudicitia dicerem. Ergò ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam deſiderant, intelligis mihi ſemihoram iſtam nimium longam fuiſſe. Illam alteram partem de nece Saturnini, nimis exiguam atque anguſtam eſſe voluiſti: quæ non Oratoris ingenium, ſed Conſulis auxilium implorat & flagitat.***

*De peculatu)* apparet in illo tumultu illáque perturbatione Apuleiæ ſeditionis factum peculatum direpto ærario fuiſſe: cui crimini affinis viſus ſit nonnullis Rabirius: quanquam alius etiam peculatus ſignificari fortaſſe poſſit: vt auri Toloſani illa tempeſtate. Cicer. lib. 3. de Natura deorum. *Cognoſce alias quæſtiones, auri Toloſani, coniurationis Iugurthinæ.*

*Tabulario)* locus erat vbi acta & tabulæ publicæ reponebantur. Cùm id igitur obijceretur Rabirio, nondum patefactum erat à quo incenſum eſſet: quod Q. Soſius ſe feciſſe poſtea confeſſus eſt. Cic. lib. 3. de Natura deorum. *Sed exeamus è theatro, veniamus in forum: ſeſſum ite precor. quid? vt iudicetur, qui tabularium incenderit. Quod facinus occultius? at ſe Q. Soſius ſplendidus eques Romanus ex agro Piceno feciſſe confeſſus eſt.*

*Exprimenda)* explicanda & exponenda: legi poteſt etiam, Exprimenda.

*C. Curtius)* Videretur ex oratione pro Rabirio Poſthumo, legendum eſſe Curius. Is enim eſſe videtur, cuius filium Rabirius adoptauit, Rabirium Poſthumum. Curtium tamen non muto.

*Pro virtute)* vt eius merebatur virtus. *Necatum)* ne maritus ſororis Rabirij Curius, de peculatu, vt reor, cauſſam diceret, ad probationem iudicij filium ſororis à Rabirio necatum obiiciebant. Qui autem funus familiare ducit, iuſtáue mortuo facit, nec in ius, nec in iudicium vocatur. Sed veriſimile non eſt, bidui cauſſa tantum facinus eſſe perpetratū: nec probabile eſt chariorem ei maritum ſororis, quàm filium fuiſſe.

***Nam de perduellionis iudicio, quod à me ſublatum eſſe criminari ſoles, meum crimen eſt, non Rabirii: quod vtinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac Republica ſuſtuliſſem: vtinam quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meæ laudis eſſet. Quid enim optari poteſt quod ego mallem, quàm me in Conſulatu meo carnificem de foro, crucem de Campo ſuſtuliſſe? Sed iſta laus primùm eſt maiorum noſtrorum, Quirites, qui expulſis regibus, nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regiæ retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt. Quamobrem vter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt? túne qui ciuibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere: qui in Campo Martio comitijs Centuriatis auſpicato in loco crucem ad ciuium ſupplicium defigi & conſtitui iubes? an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto: qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarijs ſceleris veſtigijs eſſe dico: qui caſtam concionem, ſanctum Campum, inuiolatum corpus omnium ciuium Romanorum, integrum ius libertatis, defendo ſeruari oportere?***

*Quid enim)* ironia eſt. *Alter)* filius ſororis. *Alteri)* Marito ſororis. *Legem Fabiam)* Rectè exiſtimat, vt arbitror, Alciatus hanc eſſe legem, quæ Flauia à iuriſconſultis corruptè vocatur, cùm Fabia ſcribi debeat: qua tenetur, qui ingenuum aut libertinū hominem inuitum celauerit, vinctum habuerit: qui ſeruum alienum retinuerit, vel perſuaſerit, vt à domino fugeret.

*Porciam)* Ante legem Porciam verberabantur necabanturque ciues Romani rerum capitalium damnati: hocque ſupplicium more maiorum erat. Tranquillus in Nerone: *Legitque ſe hoſtem à ſenatu iudicatum, & quæri vt puniatur more maiorum: interrogauitque quale eſſet id genus pœnæ, & cùm comperiſſet, nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus, duos pugiones, quos ſecum extulerat, arripuit.* Ne hoc ſupplicium de ciuibus Romanis ſumeretur, ne verberarentur, necarenturue cautum erat lege Porcia, quæ permittebat damnatis exilium. Salluſtius, *Tunc lex Porcia aliæq; leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt.* Ergò ſiue verberauit in magiſtratu Rabirius, in legem commiſit: ſiue id priuatus fecit, multò magis. *Apuliæ)* vbi propter ſaltus remque pecuariam magnæ ſeruorum erant familiæ in-

ſaltibus autem Apuliæ ferè greges hybernabant, vt ſcribit Varro. Illic ſaltus & paſtiones, vt opinor, habebat Rabirius. Cic. de paſtoribus Apuliæ. *Cui ad ſollicitandos paſtores Apuliam attributam eſſe erat indicatum.*

*Campanæ*) Erat, vt ex hoc loco intelligi poteſt Rabirius Campanus, & vt opinor, Neapolitanus. fundos certè in Campania habebat, domum etiam Neapoli. Cicer. ad Att. *Domum Rabirianam Neapoli, quam tu dimenſam & exædificatam animo habebas, Fonteius emit. in Campania etiam ad agrorum cultum magnæ familiæ ſeruorum erant.* Illic etiam quòd liberos verberaſſet & necaſſet, obijciebatur.

*Ornaretur*) Olim ſæpè publicè mittebantur, qui illuſtres reos laudarent: eas laudationes poſtea lege ſuſtulit in conſulatu Pompeius, vt Plutarchus ſcribit. *Sed prope*) hyperbole eſt.

*Latius excitatæ*) vltrà vicinitatis terminos ſuis excitati ſedibus ad laudandum Rabirium conuenerunt: quòd argumentum eſt eum hominibus chariſſimum fuiſſe.

*Mulctæ irrogatione*) mulctam irrogare non eſt priuati actoris, ſed magiſtratus, vt tribuni. Cicer. lib. 3. de legibus, *Cùm magiſtratus iudicaſſit, irrogaſſit ve, per populum mulctæ pœnæ certatio eſto.* Horum autem iudiciorũ ratio & forma ſic à Cic. pro domo ſua explicatur: vt ter ante magiſtratus accuſet intermiſſa die, quàm mulctam irroget aut iudicet, quarta ſit accuſatio trinundinum prodicta die, qua iudicium ſit futurum. Ita hoc ex loco pro certo affirmari poteſt ante comitia centuriata habitam hanc orationem, qua de re initio dubitabamus. *Præſcriptum*) anteſcriptum: quibus nominibus ſubiecerit, ſe pœnam capitis irrogare Rabirio. Ante enim crimina ſcribimus, deinde pœnam ſubijcimus. *Nec ſuæ*) paſſum eſſe muliebria. eos enim impudicos vocare ſolebant. *Nec alienæ*) maribus ſtuprum intuliſſe. Hæc crimina lege Statinia prohibebantur vindicabantúrque. *Præſtitutam*) præſcriptam.

*De pudicitia*) eo ſcilicet nomine malè Labienus audierat. *Nimium longam*) cùm à me iam momento temporis & verbo vno refutata ſint. *Conſulis auxilium*) cùm Marij conſulis factum imperiúmque conſulare, cuius iuſſu Saturninus eſt interfectus, à me conſule defendi debeat.

*De perduellionis*) Pleráq; nobilitas enixiſſime contenderat, ne iudiciũ iſtud de perduellione exerceretur: vt ſcribit Dion. Qua in re ſtudiũ etiam ſuum, vt opinor, conſul apertiſſimè profeſſus erat. Ita tribunus in inuidiam conſulem vocat, quòd iudicium illud ſuſtulerit, quo libertas populi iuſque ſacroſanctæ Trib. poteſtatis confirmatur. *Primus*) Perduellionis condemnati intra vel extra pomœrium virgis cædebantur, & infelici arbori ſuſpendebantur: quod cùm alijs legibus ſublatum erat, tùm etiam lege Porcia, qua verberari necaríve ciuem non licebat. *Proprium*) non mihi cum alijs commune, qui multò ante id ſuſtulerant. *Carnificem*) in foro primùm in quæſtione perduellionis iudicium exercebat: deindè ſi prouocabat reus, ter ante in concione accuſabatur: poſtremò comitijs Centuriatis ex prouocatione apud populum diſceptabatur. *Crudelitatis regn.*) huius enim de perduellione iudicij & ſupplicij auctor Tullus Hoſtilius rex fuit, auctor Liuius. *Virorum fortium*) qui leges tulerunt, ne de ciuibus Romanis ſupplicium ſumeretur: vt Porcius Cato, Sempronius Gracchus.

*Infeſtam*) acerbitati ſuppliciorum obnoxiam. Paſſiuè dixit, vt pro Plancio, *Si huius ſalus ob eam ipſam cauſſam eſſet infeſtior.* *Popularis eſt*) homines populares populo Romano chariſſimi & iucundiſſimi erant. Ergo vt gratiam & beneuolentiam populi ſibi conciliet, ſua quam Labieni facta magis popularia oſtendit. *Concione*) vt in campo Martio. *Comitijs*) Non enim de capite hominis Romani alijs comitijs quàm Centuriatis cum populo agi licebat. Comitia autem centuriata, vt Gellius ait, intra pomœrium fieri nefas erat: quia exercitum imperari extra vrbem oportebat, cùm intra vrbem imperari ius non ſit. propterea enim in campo Martio centuriata habebantur, exercitúſque præſidij cauſſa imperabatur: quia populus eſſet in ferendis ſuffragijs occupatus. *Auſpicato in loco*) Comitia auſpicato habebantur, adhibitis auguribus. crux auſpicatum locum funeſtatura erat. *Funeſtari*) violari, pollui, incæſtari. funus enim ſolet familiam funeſtare: vnde ſumptum eſt verbum: familiáque expiabatur, quæ funeſta fuerat.

*Expiandum*) funeſta enim piaculis expiantur. *Sceleris veſtigijs*) à contagione carnificis, & crucis expiandum: *Caſtam*) caſtum eſt quod violatum non eſt, quod purum eſt.

*Campum*) Martium campum ſanctum & inuiolatum. *Ius libertatis*) Nam in eo etiam libertatis ius vel maximum erat: ne carnifex ciuem attingere: ne ciuis verberaretur.

*Popularis verò Tribunis plebis, cuſtos defenſorq́; iuris & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium ciuium Ro. corpore amouit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit: Labienus homo popularis carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Ro. iniuſſu veſtro iudicaretur: hic popularis à Duumuiris iniuſſu veſtro, non iudicari de ciue Ro. ſed in dicta cauſa ciuem Ro. capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiuſquam denique hominis popularis mentionem facis: qui non modò ſupplicijs inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate violare libertatem huius populi, tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemq́; delectant: I lictor, colliga manus: quæ non modò huius libertatis, manſuetudinisq́; non ſunt, ſed ne Romuli quidem aut Numæ Pompilij: ſed Tarquinij ſuperbiſsimi atq́; crudeliſsimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentiſsimè commemoras: Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito: quæ verba, Quirites, iampridem in hac Rep. non ſolùm tenebris vetuſtatis, verùm etiam luce libertatis oppreſſa ſunt.*

*Porcia lex*) quæ ciuem verberari vetat, tollítque ſupplicium illud quod more maiorum de condemnatis rei capitalis ſumebatur. *Lictori erip.*) ne lictor ciuem vinciret & verberaret, cauit.

*Carnifici*) Carnifici etiam ſuſpendendos tradidiſti: cuius inuiſiſſimum Romanis erat nomen.

*C. Gracchus*) legem Semproniam ſignificat, qua ſine iuſſu populi Romani iudicari de capite ciuis non licebat. has duas leges ſic appellat in Verrem, *O lex Porcia, legéſque Semproniæ.*

*Duumuiris iniuſſu veſtro*) Prætor enim duumuiros forte duxerat in Rabirium ſine iuſſu populi: cùm, vt





ſcribit Dion, eos à populo creari oporteret, & illis à populo iudicium mandari. *In dicta cauſſa*) Nam cauſſam dicere non videtur, in quem iudicium contra leges exercetur, vt in Rabirium, non creatis à populo duumuiris. Sic hoc loco in dicta cauſſa mihi accipe. *Inuſitatis*) iampridem enim deſitum erat & deſuetum ſic animaduertere in ciues. *Inaudita*) propter hæc verba dicit, *I lictor, colliga manus; caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* *Libertatem*) Genus enim hoc pœnæ nimis ſeruile eſt, & lege Porcia libertas populi ab ea immunis eſt. *Tentare manſ.*) experiri ecquid manſuetiſſimi homines tantam crudelitatem eſſe tis approbaturi. *I lictor, colliga*) Valgius Ruffus ex hoc loco lictorem à ligando dictum eſſe probabat, vt eſſet ex viatorum collegio, qui ligaret vinciretque. Apud Gellium, *Lictor colliga manus:* legitur abſque I, vt & apud Liuium lib. 1. *Tarquinij*) non ſunt hæc carmina regis clementis, ſed truculenti ſæuique tyranni. *Carmina*) ſic Liuius, *Lex horrendi carminis erat:* rurſum, *Quæ longo effata carmine non eſt operæ referre.* Ita enim certa verborum formula ſignificatur, certaque verborum conceptio. *Caput obnubito*) condemnatis rerum capitalium in atrociſſimis facinoribus, vt perduellione & parricidio, caput obtegebatur, quo ſignificabant illos luce indignos. Cicero, *Ei damnato ſtatim folliculo lupino os obuolutum eſt.*

*Infelici arbori*) Idem eſt apud Liuium carmen, quod ex Regum commentarijs ſumptum eſt: *Si vincent, caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito.* Cato, inquit, Verrius, *Felices arbores dixit, quæ fructum ferunt, infelices, quæ non ferunt.* Plinius, *Infelices exiſtimantur, damnatæq́; religione, quæ neque ſeruntur vnquam, neque fructum ferunt.* Tarquinius Priſcus in Oſtentario, vt Macrobius refert, ſcribit arbores, quæ inferûm Deorum auertentiumque in tutela ſunt, infelices nominari, alaternum, ficum atram, quæq; baccam nigram nigroſque fructus ferunt: item aquifolium, pinum ſyluaticam, bruſcum, rubum, ſenteſque quibus prodigia portentaq; mala comburi iubere oporteat. arborem autem infelicem hic intellige crucem. *Arbori*) datiuus eſt, qua forma diceres, ſuſpende tibi de collo: vel ſuſpende tibi. *Tenebris*) iſta enim nobis inaudita & inuſitata ſunt. *Luce libertatis*) quæ munita eſt aduerſus hæc ſupplicia lege Porcia & Sempronia.

*An verò ſi actio iſta popularis eſſet, & ſi vllam partem æquitatis haberet, aut iuris, C. Gracchus eam reliquiſſet? ſcilicet tibi grauiorem dolorem patrui tui mors attulit, quàm C. Graccho fratris: & tibi acerbior eius patrui mors eſt, quem nunquam vidiſti, quàm illi eius fratris, qui cum concordiſsimè vixerat? & ſimilis viri tu vlciſceris patrui mortem: atq́; ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet? & par deſiderium ſui reliquit apud popul. Rom. Labienus iſte patruus veſter, quiſquis fuit: at T. Gracchus reliquerat? an pietas tua maior, quàm Gracchi? an animus, an conſilium, an opes, an auctoritas, an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent: tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cùm verò his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum interuallum tandem inter te atque illum interiectum putas? Sed moreretur prius acerbiſsima morte millies Gracchus, quàm in eius concione carnifex conſiſteret, quem non modò foro, ſed etiam cælo hoc, ac ſpiritu Cenſoriæ leges atque vrbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum à commodis veſtris: cùm iſte omnes & ſuppliciorum & verborum acerbitates non ex memoria veſtra, ac patrum veſtrorum, ſed ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquiſierit: ego omnibus meis opibus, omnibus conſiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim & reſiſterim crudelitati? Niſi fortè hanc conditionem vobis eſſe vultis, quam ſerui, ſi libertatis ſpem propoſitam non haberent, ferre nullo modo poſſent.*

*C. Gracchus*) an non Scipionem Naſicam perduellionis poſtulaſſet C. Gracchus, qui maximè popularis fuit: cum eius frater trib. plebis cæſus eſſet, ſi quæſtionem iſtam perduellionis legitimam putaſſet?

*Patrui tui*) Q. Labieni. ſignificat à Labieno non tam tribuni mortem, quàm patrui hoc iudicio vindicari. *Similis viri*) Gracchorum laudes populus libenter audiebat.

*Eloquent.*) de eloquentia Gracchi ſcribit Cic. in Bruto. *Acerbiſſ.*) ſic mors appellatur immatura, quæ ante confectam ætatem euenit: ſumptum à fructibus. *Foro*) in quo cauſſæ aguntur, & iudicia exercentur, etiam cum populo agebatur, vt in templo Caſtoris. *Cælo hoc*) aëre, Lucretius in hoc cœlo qui dicitur aër: ſic Athenis tenue cœlum dicit Cicero de Fato.

*Cenſoriæ leges*) Cenſoriæ leges erant de populi ætate, ſobole, familijs, pecunia cenſenda, de vrbis templis, viis, aquis, ærario populi, paſcuis, vectigalibus tuendis: de populo in tribus centuriaſque deſcribendo. ijſdem ergo cenſorijs legibus in vrbe carnifici domicilium habere nefas erat. Itaque more priſco in vrbe ſupplicium de ſontibus non ſumebatur. hinc illud Plauti verbum, *Extra portam Metiam currendum eſt prius. C. Quid eo? P. Lanios inde accerſam duo cum tintinnabulis. Eadem duo greges virgarum inde vlmearum adegero.* loquitur enim de carnifice. & in Caſina, *Ille ædepol videre te ardentem extra portam Metiam.* Nam Tacitus lib. 2. Annalium ait, *ſumptum eſſe more priſco extra Eſquilinam portam de nocentibus ſupplicium.* Iam in capitis ſupplicijs, quæ tum irrogabantur peregrinis & ſeruis, non ciuibus, carnifice, non lictore vtebantur.

*Alienum commodis*) non popularem. qui enim à commodo populi alienus eſt, non eſt popularis.

*Ex memoria veſtra*) non ex veſtra patrumque ætate, qua iſta & inuiſa & inaudita fuerunt.

*Atque ex regum*) à quibus inſtitutum iudicium perduellionis & ſuppliciũ fuerat. Regum autem commentarij, vt Numæ, & Tulli Hoſtilij huius iudicij auctoris ætate Ciceronis extabant. Ne quis autem, quando duumuiri hic iudicarunt, eoſdem exiſtimet duumuiros, & triumuiros capitales. Nam triumuir ordinarium magiſtratum gerebat. Duumuiri Romæ in magiſtratibus ordinarijs non erant, ſed in perduellionis cauſſæ creari, qui iudices eſſent, duo ſolebant. Alios eſſe ſic declarat Cicero, *Planeq́; duorum virorum iudicium, aut triumuirorum capitalium, aut decemuirorum litibus iudicandis duo nunquam.* *Quam ſerui*) Serui verbera non ferrent, niſi ſpem libertatis aliquam haberent: vt liberis ſeruile iſtud ſupplicium irrogari non debeat.

*Miſera eſt ignominia iudiciorum publicorum, miſera mulctatio bonorum, miſerum exilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis. Mors deniq́; ſi proponitur, in libertate*

*moriamur. Carnifex verò & obductio capitis, & nomen ipſum crucis abſit non modò à corpore ciuium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolùm euentus atq; perpeßio, ſed etiam conditio, expectatio, mentio ipſa denique indigna ciue Rom. atque homine libero eſt. An verò ſeruos noſtros horum ſuppliciorum omnium metu dominorum benignitas vna vindicta liberabit: nos à verberibus, ab vnco, à crucis deniq; terrore neque res geſtæ, neque acta ætas, neque noſtri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam T. Labiene, profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, ſed regia, meo conſilio, virtute, auctoritate eſſe depulſum. Qua tu in actione, quanquam omnia exempla maiorum, omneis leges, omnem auctoritatem Senatus, omnes religiones, atque auſpiciorum publica iura neglexiſti: tamen à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non audies. liberum tempus nobis dabitur ad iſtam diſceptationem.*

*Miſera eſt ign.)* pœnæ quas memorat legibus & moribus tum comparatæ erant, verberare necareq́ue non licebat. *Iudiciorum)* quæ à quæſitoribus exercentur: vt quæſitor erat peculatus, ambitus, falſi, adulterij. Iudicia publica ſunt cauſſæ criminales, vt vulgò loquimur. *Veſtigium lib.)* in ignominia, bonorum amiſſione, exilio, ſpecies libertatis retinetur: verberatio, capitis obductio, ſuſpendium, nullum veſtigium libertatis relinquit. *Mors)* quæ ciuibus Romanis non proponebatur, cùm lex Porcia damnatis exilium indulgeret. *Obductio)* obtectio capitis. nam caput per duellionis damnatis ex regum decretis obnubebatur, vt & parricidis. *Crucis)* quam arborem infelicem ſupra priſco & inauſpicato nomine vocauit. *Corpore)* ne ſuſpendantur ciues Romani. *Cogitatione)* ciues Romani crucem ne cogitent, videant, audiant. *Perpeſſio)* ipſum ſupplicium quod ſuffertur: paſſionem dicere Cicero non ſolet, perpeſſionem ſolet. *Conditio)* crucem cogitantis, & hominibus proponentis. *Expectatio)* oculis tale ſpectaculum expectantis. *Mentio)* auribus hominum nomen crucis ingerentis. *Vindicta)* manumiſſione, vt illud, *Vindicta poſtquam meus à prætore receſſit*: ſpeciem autem poſuit pro genere. *Liberabit)* Nam qui vindicta, cenſu, teſtamento, iuſta manumiſſione liberi fiebant, ciues Romani erant, in quos lege Porcia verberibus aut capite animaduerti non licebat: qui alijs generibus manumittebantur, aut deditiorum numero erant, aut Latini Iuliani, non ciues Romani. *Ab vnco)* qui impingebatur gutturi eorum qui ad ſupplicium trahebantur. Iuuenalis,

*Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,*
*Et latum media ſulcum deducit arena.* Propertius,
*Et benè cùm fixum mento diſcuſſerit vncum,*
*Nilerit hoc, roſtro te premet anſa ſuo.*

ita fuſtis incuruus vocabatur. *Neque res geſtæ)* id propter Rabirium dicit, qui ſenator erat, honores geſſerat, aliquid adminiſtrarat, ætatem ſenex confecerat. *Profiteor)* pro Cecinna, *Atque ita libenter confitetur, vt non ſolùm fateri, verum etiam profiteri videatur.* Profiteor igitur prædico, proloquor. *Tribunitia)* non populari. *Regia)* tyrannica, à regibus inuenta. *In actione)* in accuſatione Rabirij. *Exempla)* non enim ſic quiſquam apud maiores egit. *Leges)* Porciam & Semproniam. *Auctoritatem)* qui olim iudicarat hoſtem Saturninum, maieſtatemq́ue imperij conſeruandi permiſerat conſulibus, & nunc tuam actionem non probat. *Auſpiciorum)* ſeruatum erat de cœlo, vt reor, aut obnunciatum Labieno, cùm auſpicia mala eſſent: quæ res tamen eius actioni moram non attulit. *Liberum)* non vt nunc anguſtis ſpatijs & iniquis incluſum. ob auſpicia contempta legeſq́ue violatas ei accuſationem minari videtur.

*Nunc de Saturnini crimine, ac de clariſsimi patrui tui morte dicemus. Arguis occiſum eſſe à C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimonijs, Q. Hortenſio copioſiſsimè defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer. Vtinam hanc mihi facultatem cauſſa concederet: vt poſſem hoc prædicare: C. Rabirij manu L. Saturninum hoſtem populi Rom. interfectum. Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur: cùm indicat eſſe quoſdam ciuis imperitos, ſed non multos nunquam mihi credite, Pop. Rom. hic qui ſilet, Conſulem me feciſſet: ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto iam leuior eſt acclamatio! quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis? Libenter, inquam, confiterer, ſi verè poſſem, aut etiam ſi mihi eſſet integrum, C. Rabirij manu L. Saturninum eſſe occiſum: & id facinus pulcherrimum eſſe arbitrarer. Sed quoniam id facere non poſſum, confitebor id quod ad laudem minus valebit: ad crimen, non minus. Confiteor interficiendi Saturnini cauſſa C. Rabirium arma cepiſſe. quid eſt Labiene? quàm à me grauiorem confeßionem, aut quod in hunc maius crimen expectas? niſi verò intereſſe aliquid putas inter eum qui hominẽ occidit, & eum qui cum telo occidendi hominis cauſſa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit, arma ſumpta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt. ſi arma iure ſumpta concedis, interfectum iure concedas neceſſe eſt.*

*Saturnini crim.)* quod crimen Rabirio obijcitur: cùm tamen à Scæua ſeruo Q. Cratonis interfectus Saturninus fuerit. *Clariſſ. patrui)* ſuſpicor ironiam eſſe. Sæpè autem, vt reor, ſic patruum ſuum Labienus appellarat. *Et id Rabirius)* legendum cenſeo, At id. *Q. Hortenſio)* Hortenſius cauſſam Rabirij apud duumuiros iudices egerat. Non enim probo eos qui ante conſulem eum ad populum cauſſam egiſſe cenſent. *Integrum)* niſi iam ante oſtendiſſet Hortenſius à Rabirio non eſſe interfectum.

*Suſciperem)* faterer interfectum à Rabirio. *Facultatem)* vtinam mihi liceret, vtinam verè poſſem prædicare. *Hoſtem po.)* hoſtem enim ſenatus iudicarat. *Nihil me)* oborta acclamatio eſt populi, cui pro poteſtate magiſtratus quem gerebat, fortiter & magna fiducia reſiſtit, vltroq́ue obiurgat.

*Qui ſilet)* qui non occlamat. *Quanto iam leuior)* iterum eſt acclamatum, ſed leuius quàm anteà & exilius. ergò grauius obiurgat & compeſcit. *Continetis)* Fabius, *compeſcitis. lib. 3.*





*Si verè poſſem)* ſi ſine mendacio poſſem. *Integrum)* niſi ante negatum eſſet ab Hortenſio. *Manu)* ſæpè ſic hoc vocabulum addunt. paulo ante, C. Rabirij manu L. Saturninum hoſtem populi Romani interfectum. pro Milone, cum ſua manu ſororem eſſe interfectam fateretur. *Laudem)* decus Rabirij. *Interficiendi)* Nam lege Cornelia de Sicarijs, non tantum tenetur qui hominem interfecit, ſed etiam qui hominis interficiendi cauſſa cum telo fuit. *Niſi verò)* cum vtrunq; legibus æquè vindicetur.

*Fit S. C. vt C. Marius, L. Valerius Conſules, adhiberent Tribunos pleb. & Prætores, quos eis videretur: operamq; darent, vt imperium Pop. Rom. maieſtaſq; conſeruaretur. Adhibent omneis trib. pleb. præter Saturninum: prætores, præter Glauciam: qui Rempub. ſaluam eſſe vellent, arma capere & ſe ſequi iubent. Parent omnes: ex ædificijs, armamentarijſq; publicis arma populo Rom. C. Mario Conſule diſtribuente, dantur. Hic iam vt omittam cætera, de te ipſo, Labiene, quæro, cùm Saturninus Capitolium teneret, armatus eſſet vnà C. Glaucia, C. Sauſeius, etiam ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus: addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum patruum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus Coſſ. pòſt cunctus Senatus: atque ille Senatus, quem etiam vos ipſi, qui hos P. Conſcriptos, qui nunc ſunt, in inuidiam vocatis, quo facilius de hoc Senatu detrahere poßitis, laudare conſueuiſtis: cum equeſter ordo: at quorum Equitum Rom. Dij immortales! patruum noſtrorum, atq; eius ætatis quæ tum magnam partem Reipub. atq; omnem dignitatem iudiciorum tenebat: cùm omnes omnium ordinum homines, qui in ſalute Reipub. ſalutem ſuam repoſitam eſſe arbitrabantur, arma cœpiſſent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? de te ipſo, inquam, Labiene, quæro.*

*Fit SC.)* arma iure ſumpta in Saturninum probat ſenatusconſulti auctoritate, quo ſumma poteſtas conſulibus permiſſa eſt: vt viderent ne quid Reſpub. detrimenti caperet. cuius decreti auctoritatem primùm ſenatus vſurpauerat in C. Gracchum: ita tribuni ius iſtud ſenatui non eſſe concedendum cenſebant.

*Imperium Pop. Rom.)* Cicero in Catilinam, *Simili S. C. C. Mario & L. Valerio coſſ. permiſſa eſt Reſpub. & cætera.* Eſt igitur imperium & maieſtatem populi Romani conſeruare, eius amplitudinem, eius Rempub. conſeruare, ne quid detrimenti capiat. *Præter Glauciam)* legendum eſt, Omnes prætores præter Glauciam. Nam C Seruilius Glaucia tum prætor erat, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli.

*Qui Rempub.)* hac voce in magnis periculis ad audendum, cum properato opus erat, multitudinem incitabant conſules, quod ſpatium delectus habendi non erat. Cic. poſt reditum in Senatu, *Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quòd illo petente vos decreuiſtis: vt cuncti ex omni Italia qui Rempub. ſaluam vellent, ad me vnum hominem fractum & propè diſſipatum reſtituendum & defendendum venirent? vt qua voce ter omnino poſt Romam conditam conſul vſus eſſet pro vniuerſa Repub. apud eos ſolum qui eius vocem exaudire poſſent, & cætera.* Eadem voce in Gracchũ Naſica fuerat vſus. *Armamentarijs)* ὁπλοθῆκαι, armamentaria vocantur à Latinis, armamentorum & armorum repoſitoria. *Capitolium)* Nam foro pulſus Saturninus, Capitolium occuparat cum ſua factione. *Glaucia)* quem conſulem facere tentarat, & C. Memmium conſulatus competitorem ideo interfecerat. *Gracchus)* Is L. Equitius erat, qui pro Gracchi filio ſe gerebat: eum Saturninus in locum competitoris tribunatus comitijs palam occiſi ſubrogare tentarat: is ſeruus fuerat nequiſſimus in compedibus & ergaſtulo habitus: deinde manumiſſus libertinæ conditionis erat.

*Quoniam ita vis)* quando in illo numero fuiſſet patruum vis tuum, quod nemo tamen ſcit propter hominis obſcuritatem. *Vos ipſi)* homines populares infeſti ſenatui. *Patres conſcriptos)* hunc ſenatum.

*Omnem dignitatem)* Equeſter ordo incorruptiſſimè quinquaginta propè annos lege Sempronia iudicauit. Cic. in Verr. auctor. *Omnium ordinum)* verbi gratia, trib. ærarij, ſcribæ, fabri, publicani, æquites.

*Cùm ad arma conſules ex S. conſulto vocauiſſent: cùm armatus M. AEmilius, princeps Senatus, in comitio conſtitiſſet: qui cùm ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedum, ſed ad fugiendum impedimento fore putabat: cùm denique Q. Scæuola confectus ſenectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus ac debilis, haſtili nixus, & animi vim & infirmitatem corporis oſtenderet: cùm L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omneſq́ue qui tum erant Conſulares, pro ſalute communi arma cœpiſſent: cùm omnes prætores, cuncta nobilitas ac iuuentus accurreret: C. & L. Domitius, L. Craſſus, Q. Mutius, C. Claudius, M. Druſus: cùm omnes Octauij, Metelli, Iulij, Caßij, Catones, Pompeij, cùm L. Philippus, L. Scipio, cùm M. Lepidus, cùm Decius Brutus, cùm hic ipſe P. Seruilius, quo tu imperatore, Labiene, meruiſti: cùm hic Q. Catulus admodum tum adoleſcens: cùm hic C. Curio: cùm denique omnes clariſsimi viri cum conſulibus eſſent: quid tandem C. Rabirium facere conuenit? vtrum incluſum atque abditum latere in occulto, atq; ignauiam ſuam tenebrarum, ac parietum cuſtodijs tegere? an in Capitolium pergere, atq; ibi ſe cum tuo patruo, & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scæuola, cum bonis denique omnibus coire non modò ſalutis, verùm etiam periculi ſocietatem. Tu deniq;, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cùm ignauiæ ratio te in fugam atque in latebras impelleret: improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arceſſeret, Conſules ad patriæ ſalutem ac libertatem vocarent, quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius ſectam ſequi, cuius imperio parere potiſſimum velles?*

*Conſules)* Marius & Valerius. *M. Æmilius)* Scaurus. *Princeps)* à cenſoribus princeps ſenatus legebatur, qui ex ijs qui viuerent primus cenſor fuiſſet, aut virtute maxima ſine controuerſia præditus eſſet. Huius maxima erat in ſenatu actoritas & dignitas: diuq; obtinuit: vt primus ſententiam rogaretur.

*Comitio)* ſic locus vocabatur in foro, vbi prætor vrbanus ius dicebat, vnde homines comitiales Plauto litigioſi ſunt.

*Nam iſtorum nullus nefaſtus eſt, comitiales ſunt meri.*
*Ibi habitant: ibi eos conſpicias quàm Prætorem ſæpius.*

*Cùm vix ingredi*) propter aduerſam valetudinem pedum. *Q. Scæuola*) Cicero ad Atticum, *Multò ego ſatius hîc mihi cauendum putaui in Scæuola, qui & valetudine, & ætate erat ea, qua eſſe meminiſti.*

*Confectus ſenectute*) valde ſenex. *Præpeditus*) valetudinarius enim erat. *Membris captus*) vt oculis captus à Marone dicitur, ſumptum mutuò à Græcis, apud quos mente capti φρενόληπτοι dicuntur. cuius autem captum aliquod membrum tenetur, is eo vti non poteſt liberè, inde tranſlatum. *Haſtili*) ſic vocatur fuſtis haſtæ. *L. Metellus*) Q. Metellus non aderat. exulabat enim. *Ser. Galb.*) Sergius Galba orator, cuius meminit in Bruto Cicero, vt & reliquorum ferè omnium. *L. Craſſus*) Orator, qui in oratorijs libris apud Ciceronem loquitur. *Q. Mutius*) Scæuola P. filius alius à ſuperiore. Superior enim augur, hic pontifex fuit. *P. Seruilius*) Iſauricus. *Imperatore*) P. Seruilius in Cilicia bellum geſſit, deque ea triumphauit captis tribus magnis eius regionis vrbibus, Coryco, Olympo, Phaſelide.

*Q. Catulus*) ſuperioris, vt opinor, filius. *C. Curio*) Pater. *Ignauiam*) ſuam timiditatem. ignauia fortitudini contraria eſt. *Turpitudinem*) propter probra & dedecora, ſceleratæ & improbæ vitæ.

*Communis*) cùm optimatibus. *Societatem*) ſic ſæpè loquitur Cicero, receptuſque hic loquendi modus erat ex cognatione ſignificationis: vt enim coire coitionem, & viuere vitam dicimus, ſic coire ſocietatem, pro, ſocietatem inire. *Arceſſeret*) vocaret. *Auctoritatem*) quem auctorem ſequereris, Saturninúmne, an conſulem, an ignauiam? *Sectam*) Secta via quædam eſt & ratio, quam ſequimur. poſteà ad Philoſophorum accommodatum diſciplinas eſt.

*Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. quid pater? qui cum? quid propinqui veſtri equites Rom. quid omnis præfectura, regio, vicinitas veſtra? quid ager Picenus vniuerſus? vtrum tribunitium furorem, an conſularem auctoritatem ſecutus eſt? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo prædicas, neminem vnquam adhuc de ſeſe eſſe confeſſum: nemo eſt, inquàm, inuentus tàm profligatus, tàm perditus, tàm ab omni non modò honeſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. At fuit veſter patruus. Fuerit, & fuerit nulla deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas: vt amicitiam patriæ præponeret: idcircòne oportuit C. Rabirium deſciſcere à Repub. non comparere in illa armata multitudine bonorum? Conſulum voci atque imperio non obedire? Atqui videmus hæc in rerum natura tria fuiſſe: vt aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: virtus & honeſtas & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat.*

*Quid pater*) tuus pater fuitné cum Saturnino? *Equites Rom.*) ex equeſtri familia erat Labienus, vt opinor. *Præfectura*) Arbitror eum fuiſſe ex Reatina præfectura. Ea enim vicina Piceno eſt. Præfecturæ vocantur, inquit Verrius, *in quibus ius dicebatur, & nundinæ agebantur, ac quædam Reſpub. erat, nec tamen magiſtratus ſuos habebant: ſed in eas præfecti quotannis, qui ius dicerent, ab vrbe mittebantur.* Nos præuotias appellamus. *Ager Picenus*) tùm enim illinc multi Romam conuenerant ad comitia. Nam comitiorum tempore interfectus fuit Saturninus. *Simulatione*) aſſimulatione, ſpecie. *Relictus*) deſertus, deſtitutus.

*Veſter patruus*) Labienus enim alios fratres habebat, ideò dixit, veſter. *Deſperatione*) homines enim deſperati tumultum & ſeditionem quærunt, & bonos oderunt. *Fuerit*, inquit, *ei nulla domeſtica cauſſa, cur rebus nouis ſtuderet.* ſignificat ei rem familiarem arctam domi fuiſſe. *Domeſticis*) nullo vulnere rei familiaris: qui bona non perdiderit: qui patrimonium non comederit, quæ res à bonorum ſecta diſtrahit. Cic. pro Seſtio, *Omnes optimates ſunt, qui neq; nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.* Eſto igitur vt ij ſint, quam tu nationem appellaſti, & qui integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti. *Induxerit*) impulerit. *Deſciſcere*) deficere.

*Comparere*) non cerni, non conſpici. *Voci*) ad arma vocantium qui Rempub. ſaluam vellent.

*Cum bonis*) cum ſenatu & optimatibus, qui popularibus opponuntur. *Inſtar*) ſimilitudinem & imaginem ſignificat, vt apud Maronem: *Quantum inſtar in ipſo eſt*: id eſt, quàm ſimilis eſt. Tranquillus: *Cuius etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dedicauit.* Refertur etiam ad parem magnitudinem: *Inſtar montis equum.* *Pudor*) qui à turpibus deterret, ad honeſta vocat, & officia conſeruat, ex quo pudoris ſæpè veteres meminerunt.

*Hoc tu igitur in crimen vocas, quòd cum ijs fuerit C. Rabirius, quos amentiſſimus fuiſſet, ſi oppugnaſſet: turpiſſimus, ſi reliquiſſet? At C. Decianus, de quo tu ſæpè commemoras, quia cum hominem omnibus inſignem notis turpitudinis P. Furium accuſaret ſummo ſtudio bonorum omnium, queri eſt auſus in concione de morte Saturnini, condemnatus eſt: & Sex. Titius, quòd habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ, condemnatus eſt. Statuerunt Equites Rom. illo iudicio, improbum ciuem eſſe, & non retinendum in ciuitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi, imagine aut mortem eius honeſtaret: aut deſideria imperitorum miſericordia commoueret: aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaq; mihi mirum videtur, vnde hanc, tu Labiene, imaginem, quam habes, inueneris? Nam Sex. Titio damnato, qui iſtam habere auderet, inuentus eſt nemo. Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes, nunquam profectò iſtam imaginem, quæ domi poſita, peſtem atq; exilium Sex. Titio attuliſſet, in roſtra atque in concionem attuliſſes, nec tuas vnquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titij afflictam nauem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis. cauſam enim ſuſcepiſti antiquiorem memoria tua: quæ cauſa antè mortua eſt, quàm tu natus eſſes. qua in cauſſa tute profectò fuiſſes, ſi per ætatem eſſe potuiſſes, eam cauſſam in iudicium vocas.*





*Cum ijs*) Conſulibus & bonis. *Amentiſſ.*) Amentiæ & furoris erat Saturnium ſequi, bonos oppugnare. *C. Decianus*) hic P. Furium inquinatiſſimæ vitæ, vt ſcribit Valerius, hominem cùm pro roſtris accuſaret, quia in quadam parte actionis de morte L. Saturnini queri auſus fuerat, nec reum condemnauit, & inſuper ei pœnas adiectas perpendit. *Commemoras*) nam ſpectatæ integritatis erat Decianus, cui necem Saturnini non placuiſſe commemorat Labienus.

*In concione*) pro roſtris apud populum. *Sex. Titius*) Sex. Titius homo fuit, inquit Cicero, ſatis loquax ſanè, & ſatis acutus: ſed tam ſolutus & mollis in geſtu, vt ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi nomen Titius eſſet. *Hic*, vt inquit Valerius, *cùm eſſet innocens, & lege Agraria apud populum gratioſus, quia Saturnini imaginem domi habuerat, ſuffragijs eum tota concio oppreſſit.*

*Imaginem*) Imagines ex cera ſuorum gentilium nobiles domi habebant: hic etiam Saturnini, quem nulla propinquitate contingebat. *Condemnatus*) vocatus eſt eo nomine in iudicium, condemnatúſq; eſt ab Equitibus Romanis. *Statuerunt equi*) penes quos tum iudicia erant. Titium tamen Valerius à concione oppreſſum fuiſſe dicit. *Non retinendum*) lege Porcia damnati in exilium ibant.

*Hoſtilem*) hoſtis & perduellis more. *Honeſtaret*) ornaret.

*Imperitorum*) vulgi. *Significaret*) oſtenderet ſe eius facta imitari velle.

*Imaginem*) Imaginem L. Saturnini Labienus in concione protulerat.

*In roſtra*) ſuperioribus concionibus, cùm de iudicio ageretur, imaginem attulerat: vt concitaret populum in Rabirium. *Scopulos appuliſſ.*) ab ijs ductum qui ad ſcopulum naufragium faciunt. Tale eſt illud ex veteri poeta apud Ciceronem lib. 3. de Oratore: *Neque me patior iterum ad vnum ſcopulum & telum claſſem Achiuum offendere.* *Imprudentia*) Ignorantia. *Memoria*) ætate tua.

*Qua in cauſſa*) in qua Rabirius fuit. cum bonis, inquit, fuiſſes contra Saturninum: partes bonorum ſecutus fuiſſes. *Summi ſceleris*) perduellionis. Eorum enim eadem eſt quæ Rabirij cauſſa.

*An non intelligis, primùm quos homines, & quales viros mortuos ſummi ſceleris arguas? deindè quos ex ijs qui viuunt, eodem crimine in ſummum capitis periculum arceſſas? Nam ſi C. Rabirius fraudē capitalem admiſit, quòd arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit: Q. verò Catulum patrem huius, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, ſingularis humanitas fuit: M. Scaurum, illa grauitate, illo conſilio, illa prudentia: duos Mutios, L. Craſſum, M. Antonium, qui tum extra vrbem cum præſidio fuit: quorum in hac ciuitate longè maxima conſilia atque ingenia fuerunt, cæteros pari dignitate præditos, cuſtodes, gubernatoréſque Reipub. quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honeſtiſſimis viris atque optimis ciuibus Equitibus Ro. dicemus, qui tum vnà cum Senatu ſalutem Reipub. defenderunt? quid de tribunis ærarijs, cæterorúmque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate cœperunt?*

*Ex ijs qui viuunt*) Nam in mortuos iudicium non datur, cum etiam, qui in reatu decedunt, integro ſint ſtatu. *Capitis periculum*) mortem. *Arceſſas*) voces. *Fraudem capitalem*) capitale crimen, quod capite ſit luendum. *Deprecationem*) depulſionem. *Ætas*) Erat enim tum admodum iuuenis: quæ quidem ætas excuſationem meretur.

*Qu. verò Catulum*) Hic multo ante quàm iſta diceret Cicero, ſuperſtes iam non erat, à Mario mori coactus, ſed eius filius Qu. Catulus tum viuebat, à quo pater patriæ Cicero vocatus eſt, oppreſſa coniuratione. vtriuſque ſupra meminit. *M. Scaurum*) principem ſenatus.

*Duos Mutios*) Qu. Mutium Scæuolam augurem Lælij generum, & Qu. Mutium Scæuolam pontificem P. Filium. vtriuſque ſupra meminit. *L. Craſſum*) oratorem.

*M. Antonius*) Conſules in vrbe cum armis erant: extra vrbem M. Antonius, tùm, vt opinor, prætor cum præſidio, ſi quid foris moueretur. *Equitibus Ro.*) Egregia tum erat opinio de virtute equitum Romanorum ex iudiciorum integritate.

*Ærarijs*) Trib. ærariorum ordo Romæ erat, qui ad iudicia tandem peruenit. Trib. *Ærarij erant, quibus attributa*, inquit Varro, *pecunia erat*, vt eam militi redderent. eis pecuniam attribuebant Quæſtores vrbani.

*Sed quid ego de his omnibus, qui conſulari imperio paruerunt, loquor? de ipſorum COSS. fama quid futurum eſt? L. Flaccum hominem cùm ſemper in Rep. tùm in magiſtratibus gerendis, in ſacerdotio cæremonijsque, quibus præerat, diligentiſſimum nefarij ſceleris ac parricidij mortuum condemnabimus? adiungemus ad hanc labem, ignominiamque mortis etiam C. Marij nomen? C. Marium, quem verè patrem patriæ, parentem, inquā, veſtræ libertatis, atque huiuſce Reip. poſſumus dicere, ſceleris ac parricidij nefarij mortuum condemnabimus? Etenim ſi C. Rabirio quòd ijt ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putauit: quod tandem excogitabitur in eum ſupplicium, qui vocauit? At, ſi fides Saturnino data eſt, quod abs te ſæpiſſimè dicitur, non eam C. Rabirius, ſed C. Marius dedit: idémque violauit, ſi in fide non ſtetit. quæ fides, Labiene, qui potuit ſine Senatuſconſulto dari? adeóne hoſpes huiuſce vrbis, adeóne ignarus es diſciplinæ conſuetudiniſque noſtræ, vt hæc neſcias? vt peregrinari in aliena ciuitate, non in tua magiſtratuum gerere videare? Quid iam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt. quoniam ſenſu & vita caret? Itáne verò, tantis in laboribus C. Marius periculiſque vixiſſet; ſi nihil longius, quàm vitæ termini poſtulabant, ſpe atque animo de ſe & gloria ſua cogitaſſet?*

*L. Flaccum*) L. Valerius Flaccus Marij in conſulatu collega, flamen erat, vt reor. Sacerdotes autem religioſique mortales, ne quid ſceleratum ſuſcipiant, quòd ſacra violet, quódque ſacris piacularibus expiandum ſit, etiam atque etiam cauent.

*Sceleris*) ſcelera autem expianda ſunt. Cicero lib. 2. de Legibus, *Nam illud vitioſum Athenis, quòd Cylonio*

*ſcelere expiato.* *Parricidij*) Perduellionis. parricidij nomen ad amplificationem vſurpare ſolent: vt Cicero de Clodio, *Quid? de me quod tuliſſe te dicis, parricida, fratricida, ſororicida.*

*Ignominiámq; mor.*) Marius enim mortuus tanto ſcelere ſuſcepto ignominioſus erit.

*Patrem patriæ*) primus pater patriæ Cicero vocatus eſt hîc: ita municipem ſuum Marium vocat, quòd confecto bello Cimbrico Remp. maximo periculo liberaſſet. *Conſeruatorem patriæ vocat lib. 2. legum.*

*Difigendam*) defigere humi figere eſt. ſic deſtitutis palis dicitur à Varrone. Eſt & defigere ex eo inauſpicatum verbum. Cicero lib. 2. de legibus. *Quæque augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, dira defixerit.*

*Si fides Satur.*) cum abruptis fiſtulis obſideretur in Capitolio Saturninus, ſenatui per legatos pœnitentiæ fidem fecit: ab arcéque digreſſus cùm ducibus factionis in curiam receptus eſt. Quidam tradunt ei fidem à Mario conſule datam, quod inuidioſè erat à Labieno ſæpius dictum: ſed nullum genus fœderis cum eo contrahi poterat ſine ſenatus auctoritate, quem ſenatus hoſtem iudicarat. Pacis, fidei publicæ, induciarum cura ad ſenatum pertinebat. *Non ſtetit*) ſi ei data fides eſt.

*Sine Senatuſconſulto*) ſine decreto ſenatus. *Hoſpes*) peregrinus, ignarus.

*Peregrinari*) hoſpites enim & peregrini ignari ferè ſunt diſciplinæ & legum eius populi, apud quem peregrinantur. *Quid iam iſta*) quòd illa tempeſtate multos eſſe ſciebat, qui nec dedecus nec ignominiam ad mortuos pertinere cenſerent, omni ſenſu: vt credebant plerique, orbatos (percrebuerat enim tum ſententia Epicuri, cui ſe dociles multi ex libris Amafanij præſtiterant) animos immortales differit. Ab illa opinione dixit Cæſar apud Salluſtium, *In luctu & miſerijs mortem ærumnarum requiem, non cruciatum: eam cuncta mortalium mala diſſoluere: vltra neque curæ neque gaudio locum eſſe.* *Vita caret*) quia extincto animo deletóq; toto animante, nihil Marius ignominiam iſtam ſentiet. *Vitæ termini*) huius vitæ quam in corpore degimus. Tractatur idem argumentum in Tuſculana prima, *Quid in hac repub. tot tantóſque viros ob Rempub. interfectos cogitaſſe arbitramur? iiſdemne vt finibus nomen ſuum, quibus vita terminaretur?*

***At credo, cùm innumerabileis hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione Rempublicam liberaſſet, omnia ſua ſecum vnà moritura arbitrabatur. Non eſt ita, Quirites: neq; quiſquam noſtrûm in Reipub. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructúq; ducatur. Itaq; cùm multis alijs de cauſis virorum bonorũ mentes diuinæ mihi atq; æternæ videntur eſſe: tum maximè, quòd optimi & ſapientiſſimi cuiuſq; animus ita præſentit in poſterum: vt nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur. Quapropter, equidem & C. Marij & cæterorũ virorum ſapientiſſimorum ac fortiſſimorum ciuium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita, ad deorum religionem & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor: me pro illorum fama, gloria, memoria, non ſecus ac pro patrijs ſanis atq; delubris propugnandum putare: ac ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſſent: non minus ſtrenuè caperem, quàm illi pro communi ſalute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ, quare ſi eos qui iam de vita deceſſerunt, ornabimus: iuſtiorem nobis mortis conditionem relinquemus.***

*Hoſtium copias*) infinitas fuiſſe Teutonorum & Ambronum copias in campis Raudijs in Italia deletas à Mario Hiſtorici ſcribunt. *Obſidione*) obſeſſa enim ab illa immani multitudine videbatur reſpub. cùm in medio imperio verſarentur hoſtes, tam propè ab vrbe. *Præſentit*) poſteritas quadam præſenſione & ſpe ducitur. Cic. Tuſcul. prima, *Sed neſcio quomodo inhæret in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum, idq; in maximis ingenijs altiſſimiſque animis & exiſtit maximè, & apparet facillimè.* Idem locus apud Ciceronem eſt pro Archia poeta. *Ad deorum*) propemodum conſecrat animos fortium ciuium, idque ex Romanorum opinione. colebant enim Romani non ſolùm eos deos qui cœlites habiti erant, verum etiam eos quos in cœlo merita locarant. quod quidem indicat, inquit Cicero, *omnium animos immortales eſſe, ſed fortium bonorúmque diuinos.* Sed ſi ad deorum religionem demigrarunt, & in numero cœlitum repoſiti ſunt, ſcelus profectò nefarium fuerit, eorum famam, gloriam memoriámque violare.

*Curriculum*) à curriculis Circenſibus ductum eſt. *Circumſcripſit*) definijt. *Mortis conditionem*) meliore conditione moriemur, nec mortui ignominiæ obnoxij erimus. vtcunq; enim in aliorum manes conſuluerimus, exemplum poſteri ſequentur. quod ſi manes lædere ſcelus eſſe duxerimus, noſtræ memoriæ nominique conſulemus.

***Sed ſi illos Labiene, quos iam videre non poſſumus, negligis: ne his quidem, quos vides, conſuli putas oportere? Neminem eſſe dico ex his omnibus, qui illo die Romæ fuerit, quem tu diem in iudicium vocas, pubeſq; tum fuerit, quin arma ceperit, quin Conſules ſecutus ſit. omnes ij, quorum tu ex ætate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te capitis C. Rabirij nomine citantur. At occidit Saturninum Rabirius. vtinam feciſſet: non ſupplicium deprecarer, ſed præmium poſtularem. Etenim ſi Scæuæ ſeruo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data eſt, quòd Equiti Rom. præmium dari parfuiſſet? Et ſi C. Marius, quòd fiſtulas, quib. aqua ſuppeditabatur Iouis Opt. Max. templis ac ſedibus, præcidi imperarat, quòd in cliuo Capitolino improborum ciuium.*** *

*Non poſſ.*) ſcil. mortuos. *Ne his*) qui adhuc viuunt, eidémque crimini affines ſunt.

*Pubéſque*) ad pubertatem peruenerit, armáque ferre potuerit. Statim enim à pubertate militabant primùm, deinde Gracchus primis ſtipendijs annum decimum ſeptimum definijt, antè quam ætatem nemo militare cogeretur. *Ex ætate*) quos conijcere potes tum fuiſſe puberes, & captis armis conſules ſecutos eſſe. *At occidit*) tuetur Rabirium inficiatione Cicero, præclaram tamen eſſe facti confeſſionem ait: ſi fateri integrum eſſet. *Scæua*) Seruos ad pileum vocarat Saturninus, à ſeruo tamen interfectus eſt, cui ex ſenatuſc. data libertas eſt. *Quòd fiſtulas*) eo facinore videbatur Marius in Iouem Opt. Max. commiſiſſe: nemo tamen fuit qui illum impiè feciſſe exiſtimarit: vt propemodum propter ſceleratos ciues, qui cliuum Capitolinum occuparant, deorum templa temerare licuerit. Hæc autem periodus abſolutam ſententiam non habet.





# ADRIANI TVRNEBI COMMENTARII IN M. T. CICERONIS ORATIONES TRES DE LEGE AGRARIA, CONTRA P. SERVILIVM RVLLVM TRIBVNVM PLEBIS.

## C. V. STEPHANO PASCHASIO IN PARIS. Parlam. Cur. Aduocato OTHO TVRNEBVS S. D.

*CVM SVPERIORIBVS DIEBVS EGO, FRATRVM MEOrum ope & induſtria adiutus, in publicum dediſſem has patris mei Adr. Turnebi Annotationes, veluti ex funere eius raptas reliquias, animaduerti eas defenſore ac patrono opus habere. Quamuis enim ſatis ſuo nomine defendi videantur: tamen quia non ignoro multos eſſe, qui cùm in proprijs operibus cæcutiant: in alienis ingenioſi & perſpicaces videri velint, hos omnibus doctis formidabiles, tum hoc tempore nobis maximè metuendos putaui: cùm non dubitem, multa poſſe in hoc opere inueniri parùm ſuo palato reſpondentia: quædam etiam obſcurè dicta (ingenioſa tamen & arguta) cùm auctori non licuerit eis ſupremam manum addere. Cumq; incertus eſſem ſub cuius patrocinio eæ in manus hominum peruenire poſſent, tu vnus nobis occurriſti, cui meritò mittere & dicare debeamus, quiq; eas tuo quodammodo iure vindicare poſſis. Nam cùm & conſilijs tuis ſæpè adiuti, & patrocinio defenſi fuerimus, ingrati animi notam nos non poſſe effugere duximus, niſi te, qui tot labores & contentiones noſtra cauſa ſuſcepiſti, aliquo munere ſaltem ſalutaremus. Cumq; nihil haberemus dignum, quod oculis tuis ſubijceretur, has parentis noſtri vigilias, quas te magni ſemper feciſſe certò ſcio, tibi damus: hac ſpe potiſſimùm ducti, te, qui illi dum viueret, multa ſæpè cauiſti, nunc eo mortuo ſuis laboribus ſemper futurum aduocatum: quod vt præſtes tota Turneborum familia, quæ, vt tibi ſanguine iuncta eſt, ita tui ſemper fuit obſeruantiſſima, te orat & obteſtatur. Vale. Lutetiæ Pariſ. a. d. III. Non. April. 1576.*

## *ADRIANI TVRNEBI COMMENTARII IN ORATIONEM I. M. T. CICERONIS DE lege Agraria, contrà P. Seruilium Rullum Tribunum plebis.*

KALENDIS IANVARIIS CONSVLES MAGISTRATVM INIBANT, magnaqúe ciuium multitudine celebrante in Capitolium aſcendebant: vbi rem diuinam faciebant, mox etiam Senatum aduocabant, & habebant. Quæ omnia ſic ordine fieri ſolita, his deſcribit verſibus Ouidius, de Conſulatu Sex. Pompeij loquens,

*Ergo vbi, Iane biceps, longum reſeraueris annum,*
*Pulſus & à ſacro menſe December erit:*
*Purpura Pompeium ſummi valebit honoris,*
*Ne titulis quicquam debeat ille ſuis.*
*Cernere iam videor rumpi penè atria turba,*
*Et populum lædi deficiente loco.*
*Templaq; Tarpeiæ primum tibi ſedis adiri,*
*Et fieri faciles in tua vota Deos.*
*Colla boues niueos certæ præbere ſecuri,*
*Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.*
*Cumqúe Deos omnes tum quos impenſius æquos*
*Eſſe tibi cupias, cum Ioue Cæſar erit.*
*Curia te excipiet, patreſqúe ex more vocati,*
*Intendent aures ad tua verba ſuas.*

Eo die Seruilius Rullus Trib. plebis, qui cum collegis proximo Decembri magiſtratum inierat, de lege Agraria, quam iam promulgarat, verba in ſenatu fecit. Solebant enim antè Patres conſulere, qui ad populum aliquam legem ferre parabant, vt auctores eſſent. Eam legem Cicero, quòd Ærarium exhauriret, vectigalia proſcriberet: poſſeſſiones omnes publicas venderet: omnia belli ſubſidia & ornamenta pacis imperio Romano adimeret: quòd Decemuiros in quinquennium cum ſummo imperio omnium fortunis & capitibus imponeret, ſumma cum aſſenſione, & approbatione bonorum omnium diſſuaſit, & à Tribunitiæ largitionis metu Senatum & bonos omnes, hac oratione liberauit: quam Kalend. Ianuarijs in Capitolio habuit: vt in Piſonem ſcribit, *Ego Kalend. Ianuarij Senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumqúe largitionum metu liberaui. Ego agrum Campanum, ſi diuidi non oportuit, conſeruaui: ſi oportuit, melioribus auctoribus reſeruaui.*

*Petebatur*) In oratione ſecunda, *Quòd ſi Alexandria petebatur, cur non eoſdem curſus hoc tempore, quos L. Cotta, & L. Torquato Coſſ. cucurrerunt? cur non apertè, vt anteà? cur non item, vt cum decreto & palam regionem illam*

*petierunt!* Significat igitur, vt ex 2. Orat. apparet. Quò antea apertè tendebant, id nunc inſidiosè oppugnant: aut potius id ſibi clam poſcunt concedi, quod apertè contendentibus eſt negatum. Nam non placet tranſlationem eſſe à petitionibus gladiatorum. Cotta autem & Torquato Coſſ. Craſſus Cenſor, vt à Plutarcho ſcribitur, Ægypti regnum publicare conatus eſt, refragante vehementer eius collega Catulo: quo quidem tempore Ædilis Cæſar tentauit per partem Tribunorum, vt ſibi Ægyptus prouincia plebiſcito daretur. Quod tamen non obtinuit aduerſante optimatum factione.

*Cuniculis)* Vegetius, *Aliud genus eſt oppugnationum ſubterraneum, atq; ſecretum, quod cuniculum vocant: à leporibus, qui caſulas ſub terris fodiunt, ibiq; conduntur.* Adhibita ergò multitudine ad ſpeciem metallorum, in quibus auri argentique venas Beſſorum rimatur induſtria, magno labore terra defoditur. Nullum poteſt eſſe genus oppugnationis occultius, quàm ſuffoſſo cuniculis vrbis ſolo. Tribuni eodem modo diſſimulantes, quò pergerent Conſules, tantùm nominarant ea quæ publicabant, non ediderant, cùm in Conſulum nomine laterent: ſic incauto populo obrepebant.

*Decemuiri)* Qui lege Rulli creati fuerant. Ad agrorum aſſignationem & coloniarum deductionem perſæpè Triumuiri creabantur, nonnunquam Quinqueuiri. Rullus ſua lege Decemuiros creari iubebat. Cæſar in Conſulatu agros per XX. viros aſſignauit.

*Eoſdem Coſſ.)* Syllam & Pompeium intelligit, vt ex 2. Orat. apparet. Nam in lege Rullus quæ publicabat, & vendebat, ex horum Conſulatu definiebat. Qui Cottam & Torquatum intelligunt, vehementer errant.

*Regis Alexandrini)* Vetus liber, Regis Alexandri: vt & lib. 2. illud regnum teſtamento regis Alexandri pop. Romani eſſe factum. Reges tamen Ægypti ſæpe à Cicerone, Alexandrini reges appellantur: ſed in oratione 2. Rex ille perſpicuè Alexander vocatur: Qui, quis fuerit, quæſtionis eſt. Cenſent magnæ auctoritatis in literis viri Appionem fuiſſe. Quibus, cur non credam, hæc in cauſa ſunt. Appion ille Cyrenarum rex, qui pop. Romanum reliquit hæredem regni ſui, nunquam Ægypto imperauit, quanquam ab Ægypti regibus ortus. Deinde ante Conſulatum Pompeij & Syllæ, à quo tempore, quæ publicabat & vendebat Rullus, definierat, è vita migrarat, & eius regnum Romani poſſidebant. In hanc potius ſententiam labor, vt putem fuiſſe Ptolemæum Lathurum Alexandrum nomine, cui Auletes Ptolemæus ſucceſſerat. Nam cùm Lathurus ſocius atque amicus appellatus fuiſſet, Regno poſtea à ſuis eiectus, magna vi pecuniæ Tyri depoſita illa in fuga mortuus, exiſtimatus eſt pop. Romanum hæredem reliquiſſe. Itaq; eo mortuo, ad pecunias recuperandas Senatus legatos miſit, & ad hæreditatem adeundam. Id vt ita credam, facit Cicero Oratione 2. qui Alexandro ſcribit eum ſucceſſiſſe, qui ipſo Conſule regnum tenebat. Is autem erat Auletes: & Cæſare Ædile ſcribit Suetonius, ab Alexandrinis regem ſuum expulſum fuiſſe, qui alius quàm Lathurus eſſe non potuit: cùm, vt ſcribit Strabo, poſt eum Auletes regnarit. In nulla autem, quod ſciam, hiſtoria legitur, legatum pop. Rom. teſtamento Regnum Ægypti. Sed ita tamen inſederat ea opinio animis nonnullorum: vt ea, quod reor, cauſa fuerit publicandi Ptolemæi Cypriorum regis. Cyprus enim Regum Ægyptiorum erat: & Ptolemæus, quem Clodius publicauit, ex eorum familia poſt Lathurum in ea regnarat.

*Quibus apertiſſime)* dabitis Alexandriam Trib. & X. viris clam petentibus, cùm Tribunis & Craſſo eam apertè petentibus antè reſtiteritis.

*Siccorum)* Sobriorum: quibus madidi, temulenti, & vinolenti opponuntur. Quod & hìc Cicero oſtendit. Sed & Plautus Aſinaria, *Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè.* Sequitur enim mox contrarium, *Madidum, nihili, incontinentem atq; oſorem vxoris ſuæ.* Horatius, *----- dicimus integro*

*Sicci mane die: dicimus vuidi,*
*Cùm ſol Oceano ſubeſt.*

Mox hìc quoque eodem modo Sapienti furioſus opponitur.

*Proximo capite)* legis ſuæ. Multa enim capita, multasque ſententias complectebatur Rulli lex. Capita enim vocantur legum partes à Iuriſcoſſ.

*Impurus)* Impuri ſunt vel libidine & flagitio, vel maleficio & vitio aliquo contaminati. Pro improbo tamen ſæpè accipitur, vt tamen maior contumelia ſit. Sic hominem haud impurum apud Terentium dixit Gnatho, non improbum, interprete Nonio. Etſi Donatus non auarum intelligit. Hìc ergo impurus Heluo, eſt improbus.

*Heluo)* Heluo, inquit Pompeius, dictus, *qui immoderatè ſua bona conſumit, ab eluendo: qui aſpiratur, vt auiditas magis exprobretur.* Eluere autem, à quo Heluonem dictum putat, apud veteres erat conſumere & perdere. Quod verbum reor ductum fuiſſe ab illis, qui quòd nequiores eſſent, & ſæpiùs epularentur, ſæpè etiam lauabant. Plautus Trinummo, *Comeſum, epotum, exutum, elutum in balneis.* & Rudente, *Eho an te pœnitet, in mari quod elaui, niſi hìc in terra iterum eluam? Sc. Eluas tu an exungare circum non interduim.* Et Aſinaria, *Nam in mari repperi, hìc elaui bonis.* In epiſtolis ad Tironem, vbi vulgo excuditur, Heluo nequiſſimus ſeſtertia M. dabat, Victorius Helico legit: quæ ſi vera eſt ſcriptura, Helico ab allucinando, pro heluco dictum fuerit, id eſt, ſtupido & tardo per inflexionem: à quo Aluco Italicum nomen auis inauſpicatæ fluxiſſe videtur. Helucum tamen Tertullianus pro grauitate capitis, quam vinum facit, vſurpauit. Liberũ eundem apud Ægyptios Oſirin, Harpocration induſtria hederatũ argumentatur, quòd hederæ natura ſit caput ab Heluco defenſare. Multa autem veteres huiuſmodi nomina in o effingebant, ſtultitiam & ſtuporem hominum ſignificantia: vt Bambalio, Bucco: etiam apud Ciceronem Varo: ſic enim malim ſcribere quàm Baro, ex Lucilij verſu, *Varonum ac Rupicum ſquaroſa incondita roſtra.* Aut certè Varro: Nam Varronum nomen à Varris fluxit. Vnde & vernaculum nomen noſtrum Barra manauit, & Barro genus vaſis vinarij, Barrunculus. Varrones ſunt ruſtici homines & ſilueſtres, vt & Rupices, agreſtes. Rullus autem, vt ad rem redeam, largius erat vſus in iuuentute ſua, & aliquantum decoxerat.

*Turbet)* Turbaret hominem, qui rem eius familiarem dilapidaret & diſſiparet, vt Rullus publicam.

Patrimonium



Patrimonium autem ſignificat adeſiſſe Rullum: idque in ſuo feciſſe, quod tentet in publico. Alioqui Conturbare dicuntur, qui decoquunt: vt ad Q. Ciceronem, Ad quem ego reſcripſi nihil eſſe, quod poſthac arcæ noſtræ fiducia conturbaret. Ex eo ductum eſt, quòd & rationes & omnia miſcent, qui ſoluendo non eſſe incipiunt. Eſt & Turbare, turbari: Varro, *Præterea ſalſamenta in eas piſcinas emptitia conijciebat, cùm mare turbaret.* Et eius imitatione Virgilius, *Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.* Turbat igitur Rempublicam, qui eius conturbat rationes, & poſſeſſiones vendit.

*Nepos)* nequam, & diſſolutus, Horatius, *Diſcinctus aut perdam vt Nepos.* & Nepotini ſumptus, in Tranquillo. *Vectigalia)* veſtros agros, poſſeſſiones, ſiluas: vnde vectigalia veſtra colliguntur.

*Agros, qui diuidantur)* pecunia emptos quæ redacta fuerit ex vectigalium venditione. *Diuiduntur, inquit, Siculus Flaccus agri, limitibus inſtitutis per centurias, aſſignantur viritim.* Hic tamen diuiſionem cum aſſignatione intelligimus

*Violabatur)* cùm lege Rulli in creatione X. virûm ius ſuffragij eſſet imminutum, vt Oratione 2. oſtenditur. *Commune odium)* Conſtitutis decem tyrannis in omnium hominum fortunas & caput, cum ſumma poteſtate, & infinito imperio.

*Orbis terræ)* Non imperij tantùm Romani, ſed etiam ſociorum, nationum, tetrarcharum, regum. Ab hac loquendi ratione, & ob amplitudinem imperium Romanum orbis Romanus dicebatur: vt & à Iuriſconſultis & à Marcellino his verbis, *Cùm hoc loco fortuna orbis Romani meritò incuſaris.*

*Pacatæ)* quietæ, nullum nobis bellum molientes, vt earum agros tanquam hoſtium publicare non debeamus.

*Præſens certa pecun.)* Præſens pecunia, quæ non futura eſt, aut in diem debebitur, atque ſoluetur: ſed repræſentabitur certa. Cuius definita ſumma eſt, vt ex Iuriſconſultorum titulo, Si certum petatur, intelligitur. Numerata, quæ non eſt in nominibus: vt in Topicis, *Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ei pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata.* Paulò poſt, *Non ſi vir vxori legauit omne argentum quod ſuum eſſet, idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt: multum enim differt in arcane poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur?* Et in Verrem, *Pecuniam ſibi eſſe in nominibus, numeratam in præſentia non habere.* A pecuarijs autem Publicani pecuniam exigebant certam, quæ Scriptura dicebatur. Cicero, *Ita neq; ex portu, neq; ex decumis, neq; ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt.* Sequitur enim mox, *Cùm Publicani familias maximas, quas in ſiluis habent, quas in agris, quas in portubus atq; cuſtodijs:* vt perſpicuè Scripturam propter ſiluas dixerit. Plautus Truculento.

*Nam aduerſum legem à me ob meam ſcripturam pecudem accepit.*
*As. Plerique idem quod tu facis, faciunt, rei male gerentes,*
*Vbi non eſt, ſcripturam vnde dent incuſant publicanos.*
*Di. Malè vertit res pecuaria mihi apud vos.*

Multas autem Reſpublica ſiluas habebat, quæ interdum erant prouinciæ Conſulares, Tranquillus, *Eandem ob cauſam opera Optimatibus data eſt: vt prouinciæ futuris Coſſ. minimi negotij, id eſt, ſiluæ calleſq; decernerentur.* Quo ſanè loco Calles Tranquillus vocauit, annua loca à pecoribus & paſtoribus calcari ſolita, pecudumque ſemitas & vias, quæ à callo pecudum ſic nuncupatæ ſunt. Varro, *Quod ſi ſunt regiones vbi beſtiæ ſint multæ, debent eſſe plures. quod accidit ijs, qui per calles ſilueſtres longinquos ſolent comitari in æſtiua & hiberna.* Cicero pro Seſtio, *Italiæ Calles & paſtorum ſtabula prædari cœpiſſet.* Ergo Suetonius ſignificat ſiluas publicas, & cognitionem de re pecuaria Conſulibus Optimates decreuiſſe.

*Scantia)* Siluam Scantiam Cenſores Publicanis pecuarijs locabant. Cicero in Bruto, *Nam cùm in ſilua Scantia facta cædes eſſet, notiq; homines interfecti, inſimulareturq; familia, partim etiam liberi ſocietatis eius, &c.* Suſpicor illic fuiſſe Scantias aquas, vbi, vt inquit Plinius, *è petra flamma exibat, quæ pluuijs accenderetur.*

*Relictis poſſeſſionibus)* Locis ſterilibus, quæ quòd locari non poſſint, idcirco in tabulis cenſorijs ſcripta non erant, ſed negligebantur. Virgilius lib. 4. Georgicôn, *----- cui pauca relicti*

*Iugera ruris erant.* Sic in aſſignatione agrorum, quæ ob ſterilitatem, aut conditoris voluntatem nulli attribuebantur, relicta dicebantur. Frontinus, *De locis relictis & extracluſis controuerſia eſt.* Relicta autem loca ſunt, quæ ſiue locorum iniquitate, ſiue arbitrio conditoris relicta, limites non acceperunt, quæ quidem ſunt iuris Subſeciuorum.

*Paſcuis)* Plinius, pecunia ipſa à pecore appellabatur, Etiam nunc in Tabulis Cenſorijs paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat. Hunc ego Plinij locum, Leodegario meo indicaram, à quo alij poſtea ſunt mutuati, vt & plurima alia in huius orationis interpretatione. Quanquam non me fallit, etiam hic ſiluas intelligi tantùm poſſe, cùm in ijs paſtiones haberentur, quo nomine etiam ſaltus veniunt nemoroſi, vt Apuliæ. Non tamen illi, qui magni montes ſunt, vt Saltus Pyrenæus, id eſt, mons Pyrenæus. Saltus Graius, id eſt, Alpes Graiæ. Nec quatuor Centuriarum coniunctio, quæ Saltus dicitur Varroni, nec cubile ferarum in locis præruptis: Et Plinio, cuius verba ſunt, *Ad prærupta ducunt ſaltumq; monſtrant.* Nam ita vocauit, quod Ariſtoteles dixit σταθμόν.

*Commodum eſt)* Quoniam tibi placet, quoniam vis. Aſconius, *Veiuſtè, inquit, poſuit pro eo quem volebat.* Sic Terentius, *Amat, dabitur ei à me argentum, cùm erit commodum.* Nam meritrici dare, quando eſt commodum? Sed eſt poſitum pro eo, Quandiu libuerit.

*Subſidia belli)* Cicero libro 2. de Orat. *Si ærarij copijs & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis vtimur, vectigalibus ſeruiamus.* Pro leg. Manil. *Quibus amiſſis & pacis ornamenta & belli ſubſidia requiretis.* Hac ſententia ferè niti ſolebant Optimates aduerſus eos, qui leges Agrarias inducebant, cùm dicerent ærarij copias bellum tolerare, pacem ornare.

*Illis conſulibus)* illorum conſulatu: cùm conſules eſſent. *Ex ordine)* Ordine & deinceps, ita vt nullam prætermittat. Sic Maro, *Septem illum totos perhibent ex ordine menſes.*

*Diligens*) alioqui in re familiari indiligens & nequam. *Perſequitur*) Percenſet ordine omnes publicos agros, qui in Sicilia ſunt: ita vt in tabulis cenſorijs ſunt perſcripti, quod illic publicum eſt & populi Rom. vendit. Tranſibat ex Italia Rullus in Siciliam, quòd is ordo eſſet in tabulis cenſorijs, & quòd adiuncta eſſet Italiæ, & propè continens: vt in continentibus etiam prouincijs numeraretur. *Siciliam*, inquit Vlpianus, *magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto ab Italia diuiditur.*

*Audiſtis*) Cùm promulgata lex eſt, & cùm modò hìc ab eo recitata. Ab auctione etiam, coauctionem dixit Cicero, ſed in alia ſignificatione. Eo enim verbo intelligi voluit amplificationem precij, cùm ſcripſit in Verrem, *Ex coauctione annonæ atq; æſtimationis.*

*Ianuarium*) In hunc menſem. Legem enim proponere cœperat menſe Decembri, quo magiſtratum inierat. *Quoad*) quouſque. Nam ad Pompeium vſque iter apertè fecit, nec diſſimulauit quô progrederetur, vt antea. In quibuſdam libris ſcribitur, *Videte nunc vt fecerit:* Quod idoneam etiam ſententiam habet. Quibus in libris etiam ſuperior ambitus ſic ſine ironia legitur, quod prætermittere noluit, Quin non idcirco hæc ærarij cauſa non vendiderunt ij &c. quod, etſi receptam lectionem loco non moueo: tamen optimam ſententiam habet. *Pompeium oppugnarent*) quem decemuiratu ſummouent lege ſua. Erat autem pop. chariſſimus Pompeius, ſed & multis è ſenatu.

*Indicarunt*) de ſeipſis indicio fuerunt Tribuni, vt alijs indicibus non ſit opus ad eos conuincendos. Nam ab indice hoc profectum eſt, quæ vox falsò tamen in Plinium, quod hìc non omittam, irrepſit: cùm ita de perdicibus ſcribit, *Capiuntur quoque pugnacitate eiuſdem libidinis contra aucupis indicem exeunte in prælium duce totius gregis.* Equidem legi debere cenſeam, contra aucupis illicem: præſertim cum ab Ariſtotele θηρευτὴς ſcribatur, & ſciam aues, quas Græci παλεύτριας vocant, quibus aucupes ad alias illiciendas vtuntur, illices à Latinis dici. quo ſenſu illud Comici accipiendum eſt, *Eſca eſt meretrix, lectus illex eſt, amatores aues.*

*Attalenſium*) Attalia vrbs Lyciæ: Lydiæ eſt in Stephano, quæ antè Ἀγρόειρα, aut Ἀλλόειρα dicebatur. Alij Corycum Ciliciæ ſic appellari dicunt, vt Demetrius, ab Attalo Philadelpho eius conditore. Ab ἀτταλεύς, more Latinis vſitato, fit Attalenſis. Olympus vrbs Pamphyliæ: inde ὀλυμπηνός, inquit Stephanus, gentile formatur, Latinè Olympenus. Seruilius proconſul in Ciliciam miſſus, piratas vicit: eorũ vrbes Phaſelum, Olympum, Attaliam, Iſaurumqúe Ciliciæ arcem expugnauit: nomenqúe Iſaurici ſibi adoptauit. Illarum vrbium agros publicauerat, quas Cicero nominat, Rullus nominatim vænire iubebat, præter illa, quæ à Pompeio & Sylla Coſſ. definierat.

*Adiunxit*) addidit & populo Rom. quæſiuit. Tranſlatio ducta ab equis, qui adiunguntur, vt iugalibus funales, & ipſi inter ſe: id nos vernaculo verbo attelare Gallicè dicimus, more Latinam originem referente, vt me docuit: vir huius memoriæ doctiſſimus, & ad elegantiam literarum, ad ſtirpium, piſcium, animalium omnium, atque adeo omnis naturæ cognitionem recuperandam atque renouandam natus & imbutus, Montis Peſſuli Epiſcopus, qui me in Plinio docuit, vbi vulgo legitur, Propè Liſboum & in Danubio Mario extrahitur, eſſe emendandum, Protelis boum & in Danubio Mario extrahitur. Quæ quidem res, vt eruditiſſimus ille vir narrabat, plurimum negotij exhibuerat Beato Rheano illic ſedes Liſboi oppidi quærenti. Qui etiam error, vt dicebat, inoleuit libro XVIII. vbi ſcribitur, *Nec ſarrienda ſunt hoc modo ſata: ſed procellis binis terniſque ſic arant:* cùm emendandum ſit, Sed Protelis binis terniſqúe ſic arant. Quod apud Lucretium frequens verbum eſt.

*Agros regios*) qui Philippi, quem Flaminius vicerat, & Perſæ, quem Paulus ceperat, fuerunt.

*Mummij imperio*) qui bellum Achaicum confecit, Corinthum diruit, quòd ibi legati pop. Rom. violati fuerant. Fructuoſiſſima erat ea regio, quod ſatis indicat verſus Græcus, εἴη μοι τὰ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος, *Sit mihi quod Sicyonem inter iacet atque Corinthum.* & illud,

Οὐδέποτ' ἀμήσαντι κορινθικόν, οὔποτε πικρᾶς
Τᾶς ἀφιλοστάχυος γευσαμένῳ πενίης.
*Qui nec agros Ephyres ſecui vnquam, cui nec acerba*
*Spicæ ignara fuit cognita pauperies.*

Alioqui circa Corinthum aſper erat & ſuperciliosſus ager. Ager autem hìc à Cicerone Corinthius dicitur Corinthium territorium. *Scipionum*) ſuperioris Africani & patrui. Hi enim Hiſpaniam, victis Pœnis, pop. Rom. fecerant, quam ijs interfectis poſtea ſuperior Africanus recuperauit. Idcircoqúe de Hiſpania non triumphauit, quòd triumphari de receptis non ſoleret.

*Veterem Carthaginem*) Quam Scipio iunior non ſolùm diruit, omni murali lapide in puluerem comminuto: verùm etiam conſecrauit: vt hominibus adempto eius vſu, nunquam poſtea ædificaretur: quanquam Caius Gracchus ea re non eſt deterritus, qui in eam colonos deduxit, primaqúe Carthago extra Italiam Colonia condita eſt: Iulius etiam Cæſar Colonos Corinthi, & Carthagini collocauit.

*Oblatam religionem*) Siue quòd eius animo inceſſerit quædam religio, ac Deorum metus reuerentiaqúe, cùm ſedes illa Iunoni ſacra eſſet: qua impulſus, vt homines agros ſacrare ſolent Dijs immortalibus, ſic etiam Carthaginem conſecrauerit. Quanquam oratione ſecunda negat, propter religionem ſedium illarum ac vetuſtatis, eſſe conſecratam. Religio autem in bonam partem dicitur, Superſtitio in malam: quanquam interdum in bonam, vt & religio, pro Deorũ metu: vt in Verrem, *Tanta religione obſtricta tota prouincia eſt, tanta ſuperſtitio ex iſtius facto mentes omnium Siculorum occupauit.* Sed & ſuperſtitioſus pro diuino dicitur, futurumq; præſagiente, Sancte Apollo, qui vmbilicum terrarum certum obſides: vnde ſuperſtitioſa primum ſæua euaſit vox fera. Qui hìc Conſecrationem interpretantur deteſtationem, longè opinione falluntur.

*Inſignibus atq; infulis*) Inſignia notabilem & inſignem ſignificant cultum, & ornatum: vt quæ magiſtratus & imperij inſignia: dicuntur à Græcis ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας παράσημα. Sed & phaleræ equorum, propter cultum inſignem, ---- *poſitis inſignibus Æthon.*





*It lacrymans,* inquit Maro. Cicero etiam in amplo ornatu, Scenæ & fori inſignia vocari dicit, quæ excellunt. Etiam inſigne regni diadema eſt, & ſceptrum, veſtiſque regia. Etiam inſignia ſunt argumenta, quæ vel pinguntur, vel cælantur in clypeis, Maro, ---- *clypeóque inſigne paternum, Centum angues.* Sunt & inſignia, Criſtæ galearum. Plautus,

*Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit Corolla plectilis.*

Hic meo iudicio, inſignia vocat ornamentum imperij, cui vt ſacro non tantùm inſignem cultum, ſed etiam infulas ſacras tribuit. Quod ideo fecit, quia conſecratam dixerat Carthaginem, quam tanquam quandam infulam videri vult. Infula autem faſcia eſt, ex qua vtrinque dependent vittæ, quæ ſunt eius retinacula: Ea tribuitur ſacerdotibus. Maro,

*Nec procul AEmonides Phœbi, Triuiæq; ſacerdos,*
*Infula cui ſacra redimibat tempora vitta.*

Ferebantur & ab hoſtijs. Lucretius,

*Cui ſimul infula virgineos circundata comptus*
*Ex vtraque pari malarum parte profuſa eſt.*

Nos huius nominis veſtigia retinemus, qui genus chirothecarũ, vel manicarũ hibernarũ & viloſarum, maninfulas appellam⁹, quaſi manuũ infulas: & hibernas crepidas, pedinfulas dicimus. Infulæ etiã ferebantur à ſupplicibus. Liuius, *Prima luce Sacerdotes cum infulis ad vrbem dedendam Philippo mittunt.* Quod Polybius Græcè dixit μετὰ ςεμμάτων. Virgilius autem Vittas vertit: manibuſqúe ferebantur, ---- *ne temne quòd vltro Præferimus manibus vittas.* Quod ex Homero imitatus eſt ſcribente, ςέμματ' ἔχων ἐν χερσίν. Proinde Plautus ſcripſit, *Poſtridie in caſtra ex vrbe ad nos veniunt flentes principes: Velatis manibus orant.* Vnde etiam velamenta vocabant. Liuius, *Oratores cum infulis & velamentis ad Romanum miſerunt.* Vbi velamenta interpretor, quam appellant Græci, ἱκετηρίαν, id eſt, ramum oleagineum lana velatum. Liuius, *Velamenta ſupplicum ramos oleæ, vt Græcis mos eſt, porrigentes.* Virgilius, *Et vitta comptos voluit prætendere ramos.* Illud Ciceronis lib. 3. de orat. obſcurum vidtur, *Pamphilumq; neſcio quem ſinamus in infulis tantam rem, tanquam pueriles aliquas delicias depingere.* Quo quidem in loco putem Ciceronem in Pamphilum illudere, hominem, vt ait Plinius, omnibus literis eruditum, eundemque pictorem, qui cùm de arte dicendi ſcripſiſſet, irridetur, non vt rhetor, ſed vt pictor, qui non tàm librum ſcripſerit, quàm infulas depinxerit: vt enim reor, infulæ pingi ſolebant.

Mouſles
Pantonſles

*Cappadociáque*) quos Pompeij victoria po. Ro. adiunxerat, victo Mithridate. Macedones Cappadociam in duas partes diuiſere: maiorem, quam etiam propriè Cappadociam nominabant: & minorem, quam Pontum, alij Cappadociam ad Pontum. Auctor Strabo.

*Haſta præconis*) Haſta poſita vænum ibant quæ publicè vendebantur. Hic autem cùm inſectari dicit, vt de militari potius, quàm præconia loquitur, quanquam de præconia intelligit. Eodem modo in officijs loquutus eſt: *Nec verò bellorum ciuilium vnquam ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint & ſperabunt: quã L. Sylla cùm vibraſſet, Dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno pòſt à ſceleratiore haſta non receſſit.* Vt autem ad haſtam auctionem prædicabant præcones: ita Centumuiri ad haſtam iudicabant: ac Decemuiri litibus iudicandis, haſtam centumuiralem cogebant, id eſt, conſilium Centumuirale. Erant & in haſtarum genere, vt hoc cumuli vice addam, quæ puræ dicebantur: quas ſine ferro intelligimus: vt veſtem puram, quæ purpura non erat prætexta. Virgilius,

*Ille, vides? pura iuuenis qui nititur haſta:*

Quæ eædem, vt reor, gramineæ dicebantur, quòd ijs in gramine & campo ſe exercere ſolerent. Cicero in Verrem, *Etiamne gramineas haſtas?* Nam vt Maro gramineam palæſtram vocauit, quæ in gramine exercetur:

*Pars in gramineis exercent membra palæſtris,*

Eodem quoque modo appellari reor haſtas gramineas, quibus in gramine velitarentur.

*Cenſoribus vectigalia*) Cenſores ſarta tecta vectigalia, quæ ex agris publicis, ſiluis, portorijs colligebantur, redemptoribus, Publicanis, mancipib. locabant. Hoc poſtea munus ad Conſules, imperatorum tempore, translatum eſt. Ouidius de Sex. Pompeio conſule,

*Aut populi reditus poſitam componet ad haſtam,*
*Et minui magnæ non ſinet vrbis opes.* & de Græcino Conſule,
*Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri*
*Credet, & exacta cuncta locare fide.*

Locabant etiam, vt opinor, Viceſimam, cuius mentio eſt apud Ciceronem ad Atticum, & Iuriſconſultos: à qua Liuius aurum viceſimarium vocauit, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruabatur. Erat autem viceſima pars hæreditatum teſtamentariarum, quæ ærario tribuebatur.

*Atrijs auctionarijs*) Atria quædam erant in foro, in quibus conſeſſus præconum erat, auctioneſqúe fiebant. Cicero pro Quintio, *Tollitur ab atrijs Licinijs, atque à præconum conſeſſu in Galliam Neuius.* Et de poëtis, qui ob paupertatem præconium facere cogebantur, ſic ſcribit Iuuenalis,

*— nec fœdum alij, nec turpe putarent*
*Præcones fieri, cùm deſertis Aganippes*
*Vallibus, eſuriens migraret in atria Clio.*

Q. etiam Cicero cùm in commentario de Conſulatus petitione ſcribit, *Ab atrijs Sapalas & Seruilios,* de præconibus intelligit. *Vt autem in atrijs auctiones fiebant; ſic quoque Tubuluſtrio in atrio Sutorio Tubæ ſacrorum luſtrabantur.* Sententia eſt: Etiam nepotes adeſa re familiari & perdita: vt creditoribus ſoluant, non in triuijs neque paſſim, ſed certis & conſtitutis in locis, vt in atrijs auctionarijs, ſolent auctionari.

*Commodum ſit)* in quibus velint, vt ſupra. At Cenſores Romæ in foro, vt Oratione 2. dicit, vectigalia locabant. *Liberis populis)* Pop. liberi, qui non parent Regi: vt lib. 3. de Legib. *Nos autem qui leges damus liberis populis, quæq́ de optima Repub. ſentiremus in ſex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges, ad illum, quem probamus ciuitatis ſtatum.* Interdum ſunt liberi populi, qui ſine vectigali & tributo pop. Rom. parebant, qui ſuis viuebant legibus, ἀυτονόμους Græci vocant. Apud quos Magiſtratus Romanus ius non dicebat. Cicero in Piſonem, *Nam lege Cæſaris iuſtiſſima atq; optima, populi liberi planè & verè erant liberi: lege autem ea, quam nemo præter te & collegam tuum putauit, Omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta.* Et de prouinc. Conſularibus, *Tum inquam emiſti grandi pecunia, vt tibi de pecunijs creditis, ius in liberos populos contra Senatuſconſultum, & contra legem generi tui dicere liceret.* Hic liberos populos dicit, qui neque in prouinciæ formam redacti ſunt, vt vectigal pendant, neque Regi parent. Nam prouincijs & regnis opponit.

*Concurſatio)* peragratio, cùm eas prouincias, regna, liberos populos obibunt. Epiſtola prima famil. *Libonis*, inquit Cicero, *& Hipſci non obſcura concurſatio & contentio, omniumq́; Pompeij familiarium ſtudium.* Nam omnium domos obibant omneſque prehenſabant. Sic concurſare dixit lib. poſteriore de Diuinatione, *Venit enim iam in contentionem, vtrum ſit probabilius, deosné immortales rerum omnium præſtantia excellentes, concurſare omnium mortalium, qui vbique ſunt, non modò lectos, verùm etiam grabatos*: id eſt, obire vt ſomnia mittant & futurum præſignificent.

*Hæredit. obeund.)* Dabantur enim & voti cauſa. lib. 4. ad Atticum, *Aut votiuam legationem ſumpſiſſe propè omnium fanorum ac locorum ſacrorum.* Et lib. 2. *Atq; etiam legatio libera voti cauſa datur.* Nam voto ſuſcepto, fana ad votum diſſoluendum obibant. Cic. ad Attic. *Votiua né tibi quidem placebat: Etenim erat abſurdum, quæ ſi ſtetiſſet Reſpub. vouiſſem, ea me euerſa Repub. vota diſſoluere.* Eodem pertinere videtur Circuitio fanorum, de qua ſic lib. 3. de natur. Deorum ſcribitur, *Natio quoq; Dea putanda eſt, cui cùm fana circuimus, in agro Ardeati rem diuinam facere ſolemus.* Dabatur & hæreditatis cauſa, vt cum ſenatoribus hæreditas aliqua in prouincia teſtamento relicta erat, vt hic. Aliquando exigendi cauſa, vt pro Flacco, *An legationes ſumere liberas exigendi cauſa, ſicut & tu ipſe nuper, & multi viri boni ſæpè fecerunt, rectum eſt?* De his legationibus ſcribit lib. 3. de Legib. Cicero. *Priuati)* Senatoribus dabantur illæ legationes: ſed cum imperio, vt Decemuiri, non mittebantur, verùm priuati. *Priuatum ad negocium)* ad res ſuas, ſine vllo reipub. munere.

*Graues eorum aduentus)* Proinde in conſulatu has legationes tollere tentauit Cicero: quanquam ad Senatus commodum pertinere videbantur, feciſſetque, niſi leuiſſimus Trib. plebis impediſſet: poſtea lex Iulia quinquennio definijt. *Summo cum imperio)* quia decem Reges conſtituit: Regiam enim reuera poteſtatem Decemuiris in quinquennium tribuit, vt in Oratione 2. ſcribitur.

*Cupiditate)* cupiditas, habendi auiditas. Cicero in Verrem, *Vt homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus.* Auiditas etiam nominatur in Antonium, *Huius mendicitas auiditati coniuncta, in fortunas noſtras imminebat.* Et animus auidus Plauto, *Quorum animis auidis, atq; inſatietatibus.*

*Publicum iudicare)* Priuatis abiudicare, & pop. Romano adiudicare: publico autem priuatum opponitur. Eſt autem publicum, quod pop. Romani eſt. Itaque bona ciuitatis abuſiuè, vt Vlpianus ſcribit, publica dicta ſunt. Sola enim propriè ea publica dicenda ſunt, quæ pop. Romani ſunt.

*Sancti)* Incorrupti, & integri. Ironia eſt. Sanctum à ſanciendo ductum: Iuriſconſultis à Sagminibus, quæ ipſa potius, vt ſanctum, à ſanciendo ducuntur. A Sagminibus nonnulli magnæ auctoritatis viri, ad legem Pompeiam, vbi ſcribitur, *vt parricida virgis ſanguineis verberetur.* Sagmineis emendant. Sed Romani ſagminibus ea in re non eſſent vſi: Deinde lenis iſta verberatio fuiſſet. Ego ſanguineas virgas, ex ſanguineis fruticibus accipio, de quibus ita Plinius ſcribit, *Sunt qui ſanguineis virgis tangant ea, quæ nolint his obnoxia eſſe.* Iterum, *Nec virga ſanguinea felicior habetur.* Cortex eius interior cicatrices, quæ præſanauere, aperit. Sagmarium iumentum à ſagminibus diuerſum eſt. Eſt enim clitellarium, & doſſuarium, quod impedimenta fert, & σάγμα eius eſt origo. Id adeo moneo, quia paſſim in hiſtorijs ſaginarium pro ſagmario ſcribitur. Nam Sagmarium eſſe ſcribendum ex Suidæ collectaneis eſt notum, in quibus ſcribitur, *Σαγμάρια, τὸ λεγόμενον παρ' ἡμῖν τοῦλδον, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν, καὶ τὴν μετακομιδὴν τῶν ἐπιτηδείων*, id eſt, Sagmaria, quod apud nos Tuldon dicitur, iumenta ſunt, quæ impedimenta aut commeatum portant.

*Spoliationes)* Spoliamus inuitos, paciſcimur cum volentibus. *Nundinationem)* quas iuris nundinas, quem mercatum, quam venditionem, ductum à nundinis.

*Sylla & Pompeio)* quo capite iubebat, vt quicquid extra Italiam eſſet, quod publicum pop. Romani factum eſſet, L. Sylla & Q. Pompeio Coſſ. poſtea id omne Decemuiri venderent.

*Liberum, infinitumq́;)* Proximo capite, quo iubent, vt pergrande vectigal agris publicis imponatur. Quos enim cumque volent, publicos eſſe iudicabunt, neq; vlla præfinitio temporis eſt. Id tamen à Rullo ſcriptum & promulgatum erat, vt pro vectigalibus, quæ Decemuiri venderent, alia reponerent, ne Reſpub. hac largitione & venditione damnum acciperet, neu ærarium imminueretur.

*Pergrande vectigal)* Aruis vltra decumam, paſcuis ſcripturam grauem. Hos autem agros dicit, quos pop. Romani eſſe iudicarint Decemuiri: tametſi pop. Rom. facti non ſint, id eſt, non ſint à populo poſſeſſi, non ſint pop. adiudicati. Quoquidem capite magna Decemuiris poteſtas permittitur: vt quos velint agros pop. Rom. adiudicent, eiſque vectigal imponant: quos velint abiudicent, & liberent. Hinc prædandi magnam fore occaſionem Decemuiris ait. Eſt autem hic liberare agros, liberos & immunes reddere: vt nihil penſitent. Nam agri, qui publici erant aratoribus dati, decumas pendebant, ſi arui eſſent: ſi paſcui, ſcripturã. Italicis populis ciuitate tandem donatis, tributarij & ſtipendiarij deſierunt eſſe in Italia agri, cũ tales eſſent prouinciales Iuſtinianus. Vocantur autem tributaria & ſtipendiaria prædia, quę in prouincijs ſunt, quæ, vt idem ait, traditione alienabantur, quòd, vt reor, nexu non poſſent, nec mancipatione. Id declarant verba vel Simplicij, vel Vrbici. (Duplicem enim inſcriptionẽ reperio) Prima conditio poſſidendi hæc eſt per Italiã, vbi nullus eſt ager tributarius, ſed aut colonicus aut municipalis, aut alicuius caſtelli, aut





conciliabuli, aut ſaltus priuati: at ſi ad prouincias reſpicimus, habent agros colonicos quidam ſui iuris, habent & colonicos ſtipendiarij qui ſunt, in eodem habent & coloni ſtipendiarios. Habent autem prouinciæ & municipales agros, aut ciuitatum peregrinarum, & ſtipendiarios, quòd nexum non habent, neque poſſidendi ab alio quàm poſſidentur tam à priuatis: ſed alia conditione venerunt: Sed nec mancipatio eorum legitima poteſt eſſe. Poſſidendi enim illis quaſi fructus tollendi cauſa, & præſtandi tributi conditio conceſſa eſt. Porrò in oratione 3. liberos agros aliter Cicero dicit. Non enim eos appellat qui immunibus & tributarijs opponuntur, ſed qui ſerui non ſunt, id eſt, qui ſeruitutem non debent.

*Seueritas)* ſi agrũ publicent Decemuiri. Acerbitatem in nimia ſeueritate ponit, & ſummo iure in Partitionibus, cùm ſcribit, *Acerbitatem eſſe iuſtitiæ imitatricem.* Quod verbum à fructibus acerbis translatum eſt, vt ſit tanquam στρυφνότης. *Benignitas)* ſi liberent. Nam benignitas quædam liberalitas eſt, & indulgentia, & conceſſio, etiam interdum profuſio. Horatius, *quippe benignus erat.* Se liberales autem non præſtabunt ſine quæſtu, nec illa conceſſio gratuita erit.

*Suſpicioſæ)* Nam ſuſpicio eſt, Trib. à Siculis & ab Hiempſale pecunia corruptos, exceptionem legi adieciſſe. *Imponendo)* illo in capite, quo imponi pergrande vectigal iubet agris, qui publici iudicati fuerint. Recentoricus autem ager cùm publicus eſſet, à priuatis poſſidebatur, qui poſſeſſione ſe defendebant, non agri conditione. Recentoricum Sicilienſem dicit, qui in Sicilia ſit pop. Romani. Sic legẽ Rulli immunem & ſine vectigali erant eum poſſeſſores habituri.

*Sit fœdere)* per C. Cottam Conſulem, quòd fœdus ſine iuſſu pop. ratum & firmum non erat. Quanquam iam more erat receptum, vt à Senatu Reges Socij & amici Conſulibus agentibus, appellarentur, cumijſque à Conſulib. in Capitolio fœdus feriretur: vt ex multis Ciceronis locis perſpici poteſt.

*In Africa)* Sic appellatur à Latinis regio inter Numidiam & Cyrenas, vbi Carthago erat. Eos agros, euerſa Carthagine, pop. Romano Scipio minor adiudicarat: Hiempſal quem ſublato Hiarba Pompeius regem in Numidiæ parte conſtituerat, poſtea occuparat. Suſpicor autem eum fuiſſe agrum de quo inter Carthaginenſes & Maſiniſſam, poſt 2. Punicum bellum, contentio fuerat: quem bello 3. Punico confecto pop. Romano adiudicarit, cùm fuiſſe Carthaginenſium pronuntiaſſet P. Scip. Æmilianus. De eo agro ſic ſcribit Liuius, *Ceperat enim à Carthaginenſib. pater Maſiniſſæ Gala: Galam Syphax inde expulerat: poſtea in gratiam ſoceri Aſdrubalis Carthaginenſibus dono dederat, Carthaginenſes eo anno Maſiniſſa expulerat.*

*Fœdere)* quod populus non iuſſit. *Gratis)* ſine corruptela, ſine quæſtu. Integrum erat apud veteres Gratijs: vt apud Terentium in Phormione, *Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratijs.* Ita enim vt legatur, poſtulat verſus, cùm Gratis vulgo edatur. Et in Aſinaria Plauti, *Age nunc, reſide, caue modò ne gratijs:* Obijcit enim præconi lucri ſtudium, qui nihil ſine quæſtu faceret. Qui locus miſerè deprauatus eſt in omnib. lib. Hinc ingratijs: Terentius Eunucho, *Opus faciam vt defatiger vſq;, ingratijs vt dormiam.* Ita enim legendum eſſe oſtendit verſus octonarius, non vt vulgo Ingratus: Quo verbo in Quintiana eſt vſus Cicero, *Extorquendum eſt inuito, atque ingratijs:* ſic enim in libro vetere legi.

*Architecti)* conditores, auctores, artifices. Metaphora eſt. Architectus autem à veteribus etiã architector dicebatur: Varro apud Nonium, *Harum ædium ſumma atria confutabant Architectores.* Plautus Moſtellaria, *Nam ſibi laudaſſe ædes ait architectorem,* vbi more Græco Architectonem legunt: ſed vetuſtatem retinendam cenſeo. *Olfecerint)* odorati ſint, vt feras canes: inde enim translatio. *Prouincias)* Sic vocabantur regiones pop. Romano tributariæ. Erant & in imperio Ro. ciuitates liberæ, quæ nihil Romanis pendebant, ſuoque iure & legibus vtebantur. Socij & amici extra imperium Romanum erant, ſed fœdere & amicitia cum Romanis erant coniuncti: alioqui Socij etiã in imperio: vt Socij Italici, vnde bellũ Sociale vocatũ eſt. *Amicos)* populi aliqui ſocij & amici appellabantur, vt Reges: de Regibus Cæſar primo Commentario, *Quòd Rex appellatus eſſet à Senatu, quòd amicus, quòd munera ampliſſime miſſa.* quam rem paucis contigiſſe, & à Romanis pro maximis hominum officijs conſueuiſſe tribui docebat. Dion de populis, *καὶ οἱ Κύπριοι τὸν Κάτωνα οὐκ ἀκουσίως, ἅτε καὶ φίλοι καὶ σύμμαχοι τῶν Ῥωμαίων ἀντὶ δούλων ἔσεσθαι προσδοκήσαντες ἐσεδέξαντο,* id eſt, & Cyprij libenter Catonem receperunt, ſperantes pro ſeruis ſe ſocios & amicos pop. Ro. fore.

*Ampliſſimo)* amplitudo corporis propriè eſt. Hinc ad alia transfertur. Plinius de auunculo ſuo, *Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis grauior & ſonantior erat, id eſt, cùm eſſet corpore pleniore & pinguiore.*

*Peruenit, peruenerit)* vnum præteriti eſt, alterum ad futurum refertur, quod iam peruenit, aut in poſterum peruenerit. Iſque ſermo vſitatus eſt legibus. In Edicto vrbano Verris, *Qui ab Aulo Poſthumio, Q. Fuluio Cenſoribus, poſtue ea fecit, fecerit. Fecit, fecerit? Quis vnquam edixit iſto modo?* Reprehendit enim Cicero quod in præteritum, non tantùm in futurum Verres edixiſſet. Pro Cluentio, *Qui ne in Senatu ſententiam dixit, dixerit: qui eorum coit, coierit: conuenit, conuenerit, quo quis iudicio pub. condemnaretur: qui venenũ malum fecit, fecerit.*

*Manubijs)* Nonius de ſententia veterum Grammaticorum, in lege Agraria contra Rullũ, interpretatur prædam corpora ipſarum rerum quæ capiuntur: Manubias pecuniam ex præda vendita redactam. Quæ eadem eſt opinio Fauorini apud Gellium, cuius verba ſunt, *Præda dicitur corpora ipſarum rerum, quæ capta ſunt: Manubiæ verò appellatæ ſunt, pecunia, à Quæſtoribus ex venditione prædæ redacta:* adfertque & hunc locum, & alterum quendam ex ea orationis huius parte, quæ deſideratur. Prædam, manubias, ſectionem, Caſtra denique Cn. Pompeij ſedente imperatore Decemuiri vendent. Sed tamen Manubiæ ſunt præda imperatoris pro portione de hoſtibus capta, vt ſcribit Aſconius. Iterum idem Aſconius ait, Spolia quæſita de viuo hoſte nobili per deditionem manubias à veteribus vocari, fuiſſeque eam imperatorum prædam, ex qua quod vellent, facerent. Itaq; eius ſententiam veriorem puto, vt præda generis nomen ſit, manubiæ ſpeciei: hoc ſenſu, Quicquid apud quemq; ſit, aut ex publica, aut propria ipſorum imperatorum præda. Sunt & Manubiæ tela, quæ manꝰ ſuæ vi molitur & iaculatur Iupiter. Seneca, *Fulmina dicũt à Ioue mitti, & tres illi manubias dant.* Pompeius, *Manubiæ Iouis tres dicuntur eſſe.* Acron, *Omnes manubiæ albæ & nigræ Palladis eſſe dicuntur: Iouis, rubræ & ſanguineæ.* Illa porrò tela Iouis, vt hoc obiter adijciam, cùm triſulca pingerentur, tribus vtrinq; eminentibus cuſpidibus, quas Græci ἀκτῖνας vocant, idcirco Græcorũ more Radios vocauit Marc.

*Treis imbris torti radios, treis aquoſæ*
*Addiderant, rutili treis ignis, & alitis Auſtri.*

*Coronario*) quod conferebatur à prouincialibus in coronas ad ornamemtum triumphi. Itaque niſi decreto triumpho, Coronarium exigi non licebat. Cic. in Piſonem, *Mitto aurum coronarium, quod lex decerni & accipi vetat, niſi decreto triumpho.* Plinius, Claudius ſucceſſor eius cùm de Britannia triumpharet inter coronas aureas, vnam VII. pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania Citerior: alteram IX. quam Gallia Comata, ſicut titulus indicauit. Gellius, Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ imperatorib. ob honorem triumphi mittuntur: id vulgo dicitur aurum Coronarium. Nugantur hic nonnulli, à prouincialibus datas benè meritis Rectoribus initiò Coronas, poſteà Aurum pro coronis, homines antiquitatis ignari. De coronis triumphorum ita ſcribit in Æmilio Plutarchus, ἐφεξῆς δὲ τούτοις ἐκομίζοντο χρυσοῖ στέφανοι τετρακόσιοι τὸ πλῆθος, οὓς αἱ πόλεις ἀριστεῖα τῆς νίκης τῷ Αἰμιλίῳ μετὰ πρεσβειῶν ἔπεμψαν, id eſt, Deinceps ſequebantur aureæ coronæ quadringentæ numero, quas vrbes victoriæ præmia & ornamenta Æmilio cùm legationibus miſerant. Liuius lib. 40. *Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor.*

*In monumento*) in templis deorum immortalium, porticibus, baſilicis, ornamentiſq; publicis, quæ hoc loco monumentorum nomine veniunt. *Capite*) Capita vocantur legum partes, vulgo articulos appellamus. à capite Capitalis dicitur, vt ad Q. Fratrem de Philiſto hiſtorico, *Siculus ille capitalis creber, acutus, breuis, penè puſillus Thucydides:* quod idem videtur eſſe, quod κεφαλαιώδης, in quo crebræ quædam & breues rerum multarum ſententiæ ſunt, qui multa rerum capita multaſque ſententias breuiter perſtringat. *A Fauſto*) Cicerone prætore Fauſtus Sylla, Syllæ dictatoris filius, de reſiduis pecunijs, vt cauſam diceret apud Orchinium, magna contentione pugnatum eſt à Tribuno. Sylla enim qui diu exercitibus præfuerat, & Rempub. tenuerat, ex ærario & vectigalibus magnam vim pecuniæ ſumpſerat: cauſa tamen recepta non eſt. Cic. pro Cluentio, *Nuper apud C. Orchinium collegam meum, locus ab iudicibus Fauſto Syllæ de pecunijs reſiduis non eſt conſtitutus: non quo illi aut exlegem eſſe Syllam, aut cauſam pecuniæ publicæ contemptam, atq; abiectam putarent: ſed quòd accuſante Tribuno plebis, conditione æqua diſceptari poſſe non putauerunt* Cic. pro Cornelio, *Idem niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id quod palam iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, Senatui non placere id iudicium de Syllæ bonis fieri: quam ego cauſam longè aliter Prætor in contione defendi, cùm id dicerem, quod idem iudices poſtea ſtatuerunt, iudicium æquiore tempore fieri oportere.* Petebantur igitur à Fauſto rationes omnis eius pecuniæ publicæ, quæ ad Syllam in imperijs perueniſſet, reſiduumq; repoſcebatur. *Iurati iudices*) agente Tribuno pleb. & Reipub. cauſam ab Orchinio, eiuſque conſilio poſtulante. Iurati autem iudices dicuntur, quia in leges, antequam iudicarent, iurare conſueuerant.

*Iſti Decemuiri*) Iſti qui ſe decemuiros fore ſperant, qui turbas in Rempub. & diſſenſiones inuehere conantur: quæ ſequentur, hac ſuſcepta cauſa propter factionem Syllanorum.

*Reliquum tempus*) In futurum, in poſterum. non tantùm de ijs, qui fuerunt, ſed qui ſunt, aut erunt. Cicero, *Non de reliqua & ſperata gloria laboramus,* id eſt, *non de futura gloria.*

*Pecunia*) Prædæ, manubiarum, auri coronarij. Nam nomine pecuniæ, quod latiſſimè patet, hæc complexus eſt. *Peregrini Roma eijciuntur*) Cotta & Torquato Coſſ. Caius Papius omnes peregrinos, qui Itali non eſſent, quòd eorum nimia frequentia eſſet, moreſque importarent à Romanis inſtitutis alienos, vrbe eiecit lege lata. Auctor Dion. Eius legis meminit Cicero in officijs, quam & improbat, vt hoc loco.

*Vectigalia inuadit*) Vectigalia ab eo parta, & po. Romano quæſita. Erat autem initio propriè vectigal, vt Pompeius ait, *æs viæ*, vt alij *vecturæ.* Hìc & alijs locis, eſt portorium, decuma, ſcriptura. Differt à tributo. Nam tributum pecunia erat, quæ à ciuibus in belli ſumptum exigebatur. Plautus Epidico, *At tributus cum imperatus eſt, poteſſe pendi negant.* *Nouis vectigalibus*) quæ noua reipub. imperatorum victorijs quærentur, vt Pompeij. *Conſtructam*) magnos pecuniæ aceruos conſtructos, & congeſtos. Sic loquitur vt magnitudinem pecuniæ exprimat. Eodem modo, Nubes extructas, quæ impoſitæ ſunt aliæ alijs, dixit Lucretius,

*Fulmina gignier è craſſis alteq; putandum*
*Nubibus extructis.* iterum,
*Si non extructis foret altè nubibus æther.*

*Inuidia*) magna enim pecuniæ vis hominibus inuidioſa eſt, vt hæc decemuiris futura eſt, ſi ab eis retineatur; ſed ab eis conſumetur in agris emendis. Inuidia hic paſſiuè dicitur, qua laborabit tanta pecunia. Actiuè aliàs. quam ambiguitatem vt vitet, interdum inuidentiam dicit. Genus inuidiæ eſt, inquit Baſilius, faſcinatio: βασκανίαν appellant Græci, quo quis inuido oculo virus immitit, & ad tabem infert, præcipuè teneris: vnde illud Maronis, *Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.* Itaque pueris res turpicula, vt inquit Varro, de collo ſuſpendebatur ad inuidiæ effaſcinationem depellendam: quæ cauſa eſt, vt pars, quæ honeſtè nominari non poteſt, faſcinum vocetur: Nam βάσκανα Græcè dicuntur, quæ malum hoc amoliuntur. Quo ſenſu ab Horatio dicitur, *Minusq; languet faſcinum:* quod faſcinum depelleret ea pars, quæ obſcœna eſt, vbi faſcinum eſt: ſanè βάσκανον imitatione Græca.

*Emptionib.*) ea pecunia ementur agri, qui plebi Romanæ aſſignentur. *Tu Rulle*) qui te Decemuirum fore ſperas, emes quos voles agros ad deducendum populum ſteriles, peſtilentes, inuidioſos. Emere etiam dicebant veteres conciliare, vnde apud Terentium, *Eunuchus malè emptus, malè conciliatus* dicitur. Plautus, *Et ſororem in libertatem idem opera concilio mea.* *Quanti voles*) quanti voles vendes agros publicos: quàm magno voles po. Romano induces agros emptos, atque hìc prædabere.

*Vir optimus*) Qui nemini iniuriam facere vult. Locus in ironia eſt. Cauerat autem in lege Rullus, ne Decemuiri agros ab inuitis tangerent: hoc enim erat vſus verbo.

*Quæſtuoſum*) lucro & quæſtui futurum ei, qui agros, vel ſteriles, vel peſtilentes, vel nullo iure poſſeſſos ſit empturus. Nam à volentib. agros parui emptos magno inducet po. Ro. Iniuriam facies, ſi adimes agros

inuitis;



inuitis: quæſtum, ſi à volentib. emes *Socer tuus*) Valgius Syllana proſcriptione ditatus, de quo 3. oratione. *Æquitatem animi*) Hìc animæ æquitas, animi conſtitutio eſt, quæ ægritudine & dolore vacat, nec grauiter & iniquè fert quod euenit. Sic animus æquus à Plauto dicitur,

*Pol ſi eſt animus æquus tibi, ſatis habes qui benè vitam colas.* Iterum,
*Sin ſecus patiemur animis æquis.*

Contrà iniquo animo ferre dicitur. Qui æquitatem hìc interpretantur ſimplicem & apertã bonitatem, homines profectò ſunt minimè mali, minimeque callidi. *Cæteri*) Syllani, qui magna laborant inuidia, quòd proſcriptionib. ſint locupletati, & quòd poſſeſſiones multas nullo iure occuparunt.

*Pecunia commutent*) Inuidiam, qua laborant, pecunia libenter vendant. Eſt enim commutare inuidiam pecunia, eam pecunia à ſe abalienare & vendere, eique pecuniam præferre, ac ſic dicitur, vt in precio: Vt & mutare ære à Columella, pro ære vendere. Sed & permutare Plinio vendere eſt, *Quam Cethegus decedens è Mauritania HS XIII. permutauerat*, id eſt, emerat. Cæterùm cùm additur præpoſitio, tùm quædam permutatio intelligitur rerum: vt pro Seſtio, *Cum patriæ charitate conſtantiæ gloriam commutare.* eſt pro patriæ charitate amplecti conſtantiæ laudem, eamque patriæ præferre. Dicitur tamen in hoc genere etiam ſine præpoſitione in ſimplici apud Liuium, *Victoriæ poſſeſſionem incerta ſpe mutare:* Quod etiam in compoſito, vt reor, licet. Cæterùm dicit inuidiam poſſeſſionis, quia non mancipatione aut nexu ipſorum erant agri, ſed occupatione & vſu. *Intolerandam licentiam*) licet enim eis lege Rulli pecuniam retinere, cùm eam in ærarium referre non liceat, nec exigere.

*Pecunia coacta*) id eſt collecta: vnde coactores argentariorum, qui eorum pecunias cogebant, dicebantur. Hìc pecunia ſignata intelligitur, id eſt, nummi: quam etiam mercedem Terentius vocauit, *Qui opere ruſtico faciundo ſumptum exercirent ſuum* (ſic enim legendum eſt, pro ſarcirent, cùm præſertim ſcribat Pompeius, exercire veteres pro ſarcire dixiſſe) *Omnes produxi ac vendidi: inſcripſi ædes illico mercede: quaſi talenta ad quinquaginta coëgi.* *Referetur*) in ærarium ſcilicet.

*Quantum velit venditor*) Si tantum pecuniæ numeres, quantum venditor poſcit.

*Spoliemus*) Reges, prouincias, pop. liberos, eorum agros publicando. Spoliemus orbem terrarum, ad amplificationem dixit. Eſt autem orbis, circulus, qui κύκλος Græcè dicitur, vt σφαῖρα, globus. Cic. de nat. Deorum, *Cumq; duæ formæ præſtantes ſint, ex ſolidis globus* (ſic enim ſphæram interpretari placet) *ex planis autem circulus aut orbis qui κύκλος Græcè dicitur.* Quo fit vt lib. 6. de Republ. ſcribat, *Nouem tibi orbibus vel potius globis connexa ſunt omnia: quòd orbis in planitie potius, quàm in ſoliditate dicatur.* Cæterùm illa me Ciceronis interpretatio monet, vt in Varrone, de fructibus cupreſſi loquente, pro Galbulis globulos legendum cenſeam, præſertim cùm id ex Theophraſto conuertat, qui σφαιρία ſcripſit, quæ vox globulos ſignificat. σφαιρία etiam hiſtorici Græci vocauère, quæ Latini Scriptores Miſſilia dixerunt. Suetonius, *Diéque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit, & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac ſenatorij ordinis pronunciauit.* Nam illa miſſilia globuli erant notati alicuius rei inſcriptione: vt verbi gratia, Auis, frumenti: quique ea ſparſa adeptus erat, quod in inſcriptione notatum erat, ferebat: auem verbi gratia, aut frumentum. Pro ſpoliare autem, quod hic vſurpat Cicero, etiam veteres Texere dixerunt, Seruio interprete: Maro, -- *Dum texit Imaona Haleſus, Arcadio infelix telo dat pectus inermum:* id eſt, dum ſpoliat. Adfert & illud ex Plauto, *Ego hunc hominem detexam pallio, pro ſpoliabo.* Quò fit, vt in Amphitruone vbi legitur, *Illic homo hoc denuo volt pallium detexere*, ſcribendum putem. *Illic homo hoc me meo volt pallio detexere.* *Vectigalia*) vendamus agros & ſiluas po. Ro. omniaque vnde vectigalia coguntur. *Effundamus*) profundamus, & exhauriamus omnes ærarij copias. Profundere & effundere, & profuſio & effuſio his in rebus ſæpè ponuntur: vt & refundere, pro reddere & renumerare apud Iuriſconſultos. Effundi propriè dicitur aqua, cùm aut extra funditur, aut effluit: à qua ſimilitudine profuſi & Nepotes effundere dicuntur. *Inuidiæ aut peſtilentiæ*) Inuidioſorum aut peſtilentium agrorum poſſeſſoribus. Inuidioſos poſſident Syllani: peſtilentes fugiendi ſunt, quia vbi ratio habetur cum orco, periclitatur incolentium vita. Peſtilens autem erat ager ad vrbem. Liuius, *An æquum eſſe dedititios ſuos illa fertilitate & amœnitate perfrui, ſe militando feſſos in peſtilenti atq; arido circa vrbem ſolo luctari?*

*Quid? tum quæ erit in iſtos*) Quid tum? quæ erit iſtis agris deductio? In libro veteri legi: quomodo eſt locutus 2. oratione, *Omnibus legibus, agris publicis priuatos eſſe deductos.* Sunt autem ablatiui abſoluti, id eſt, cùm fuerint iſti agri, cùm eſſent agri publici. Plautus, *Pol pudere quàm pigere præſtat totidem literis:* id eſt, Cùm totidem ſint in vtroque literæ. Itaque cùm ſimiliter locutum Ciceronem animaduerterim, tacitus libri veteris ſcripturam & auctoritatem, præterire nolui. Eſt autem planè ſcribendum, Quid tum? non, Quid? tum vt vulgo. *Deſcriptio*) Ordinatio & deſignatio. Id enim eſt hic deſcriptio. Cicero de Senectute, *Atqui ego iſta ſum omnia dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio:* Quod Xenophon dixit, πάντα τοίνυν, ὦ Λύσανδρε, ἐγὼ πάντα διεμέτρησα καὶ διέταξα. & eodem loco Cicero, quod Xenophon dixit, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων, reddidit, Mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius à quo eſſent illa dimenſa & deſcripta.

*Deducentur Coloniæ*) Coloniæ deducentur in oppida quædam; quibus colonis agri aſſignabuntur. Erant autem coloniæ duorum generum. Quædam Latinæ, quædam Italicæ. Latinis ius erat ciuitatis, & ſuffragij, & magiſtratus capiendi: Italicis, non erat. Tandem paulò ante Strabonis ætatem, tota Italia ciuitate donata: & denique ab imperatoribus, quicunque ex imperio Romano erant, ciuitate donati ſunt, vt Iuriſconſulti ſcribunt. Eſt & apud Plautum iocantem colonia locus, *Poſt hoc quod habeo, vt commutet Coloniam.* Cæterùm coloniæ quæ deducebantur, vrbem à qua deductæ fuerant pro parente, & vetere patria agnoſcebant: earumque μητρόπολις ipſa dicebatur. Vnde manauit in noſtrum ſermonem Metropoleos & Metropolitanorum nomen. Quòd verbum ſanè vertit eleganter, Maiorem patriam, Curtius de Tyro loquens, *Cuius coloni erant Pœni, Syracuſis id ſimulacrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant*

*rant patria.* *Machinatoribus* ) iſtarum rerum molitorib. & auctoribus. Machinatorem in malam partem dixit. Sic à Comicis, machina, ſutela, fabrica, ſolet pro dolo vſurpari: propter illorum artificiorum ſolertiam & ingenium. Machinator eſt, qui machinas facit: ac propriè machinator eſt, qui μηχανικὸς dicitur, qui artis ſubtilitate machinarum varia genera molitur. Vnde Machinatio molitio illa, ac machinæ. Cicero, *Cùm machinatione quadam aliquid moueri videmus.* Hircius, *Aquæ magnam vim ex mari rotis ac machinationibus exprimere contendit.* Mechanicus etiam à Lucillio vocatus eſſe videtur Petauriſta, hoc verſu,

*Sicuti mechanici cum alto exiluêre Petauro.*

*Inermem* ) quam tuis occupes colonis, vt rerum potiaris. *Vinclis* ) vinculis, liber ſcriptus: vtrunq; placet & imminutum & integrum. *Deuinctam* ) ligatam dicit conſtrictam, non ſolùm ligatam, ſed etiam arcto vinculo aſtrictam. ſic per translationem dixit in Catilinam, *Conſtrictam iam horum omnium conſcientia teneri coniurationem tuam non vides?* id eſt, tanquam arcto vinculo adſtrictam teneri, ne quid mouere, ne quid turbare poſſit. *In Ianiculo* ) Ianiculum & Saturnia parua duo fuerant oppida illis in locis, vbi Roma condita eſt. Virgilius,

*Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*

Ianiculum autem in Tranſtyberina regione mons erat, quem ſemper comitijs centuriatis præſidio tenere ſolebant. Quod olim tot vicinis hoſtiũ oppidis initio rerum Romanarũ timerent, ne eum locum hoſtes inuaderent, & pro arce haberent: Quæ mihi cauſa fuiſſe videtur hic nominandi Ianiculi, Dion, πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων τῇ πόλει προσοικούντων, φοβούμενοι μήποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ τοὺς λόγους ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει τὸ ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντες ἅμα ψηφίσασθαι, ἀλλά τινας ἀεὶ ἐνόπλους τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν, καὶ αὐτὸ ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν, ἐφρούρουν: id eſt, cũ olim hoſtes plurimi vrbem accolerent, veriti ne quando, dum ipſi centuriata haberent comitia, occupato Ianiculo aliqui vrbem inuaderent, conſtituerent, ne omnes ſimul ſuffragium ferrent: ſed aliqui ſemper armati locum illum vicibus tenerent, quandiu comitia haberentur. Quid igitur obeſt quominus hunc locum occupes hominibus armatis colonis tuis Rulle, & vrbis ceruicibus immineas? Non enim in lege tua cauetur ne ibi coloniam conſtituas. *Beneficio* ) Beneficium eſſe videbitur veſtrum, ſi quod vobis lege licebit remittatis nec agatis. *Totam Italiam* ) Coloniæ olim in Italiam ſolùm deducebantur: Prima omnium extra Italiam eſt deducta Carthago. *Municipia* ) Oppida ciuitate Romana donata. Itaque municipibus duæ ſunt patriæ: Vna loci, Municipium: Altera iuris, Roma: vna germana, in qua nati: altera communis, in quam ſuſcepti ſunt. Cùm autem in municipia deducti erant coloni, in ius & conditionem coloniarum tranſibant. Antè enim ſui iuris, ſuæque poteſtatis erant. Deductis colonis legem accipiebant à coloniæ auctore & deductore. Atque vt municipia in colonias tranſibant, ita quoque coloniæ in iura municipij, vt Puteoli: quemadmodum oratione 2. oſtendam. Nec verò tantùm id beneficio Senatus fiebat, verùm eorum etiam interdum, qui colonias deducebant, poteſtate, vt apparet ex capite veteris legis Agrariæ, cuius initium eſt, *Quæ colonia hac lege deducta, quódue municipium, præfectura, forum, conciliabulũ conſtitutũ erit.* Nam municipium conſtituebat, cùm in eam vrbem colonos non deducebat, ſed eam ſuo iure eſſe ſinebat fortaſſe: cùm tamen in eius eſſet poteſtate illic colonos conſtituere, aut cùm oppidum illud iure municipij donabat. Eodem modo præfectura conſtituebatur, cùm ex vrbe præfectus in oppidum mittebatur. Quod erat in poteſtate curatoris Agrarij mutare, collocatis in præfectura colonis. Nam coloniarum deductio, conditionem vrbium mutabat, aut cum territorio coloniæ ager oppidi alterius attribuebatur: nam id etiam præfectura dicebatur. Fora autem vocabantur, loca in agris aut oppidis vbi negotiabantur, ac nundinæ erant, iuſque dicebatur. Ac inde forum Cornelij, forum Licinij, forum Iulij, forum Liuij appellata eſſe cenſeo ab auctoribus, qui ea conſtituerant. Erant autem infra municipia, colonias, præfecturas. Conciliabula etiam loca erant, in quibus ius dicebatur, & in concilium conueniebatur, quæ foris erant inferiora. Ius autem illic dictũ fuiſſe oſtendit lex antiqua, cuius verba ſunt, *Cùm curator hac lege non erit, tunc quicunq; magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iuri dicundo præerit, eius magiſtratus de ea re iuriſdictio, iudicisq; datio, addictio eſto.* Liuius tamen per fora & conciliabula, omnia maiora & minora oppida & loca intellexiſſe videtur, in quibus conuentus eſſent aliqui iuridici. Eius ſunt verba, *Decemuiri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in vrbe, & per omnia fora conciliabulaq; edixerunt.* iterum, *Vltra decimum lapidem per fora conciliabulaq; C. Menio priuſquam in Sardiniam prouinciam trayceret decreta.* Ac verba hæc latè patere videntur, vt Conciliabula, & Fora, Municipia & Coloniæ, & Præfecturæ dici poſſint. Sint tamen Fora quædã & Conciliabula multo minora, quæ illis nominibus affici non poſſint, vt in illa ſuperiori lege reliqua minora ſignificantur, nominatis iam antè colonijs, municipijs, præfecturis.

*In colonias* ) In quas vrbes antè coloni deducti fuerant, etiam vt deducerentur permittebant. Quod & non raro factum legimus. Nam colonos Carthaginem deduxit C. Gracchus: deduxit & dictator Cæſar. Coloniæ autem ſic deducebantur. Coloni ſub ſignis à curatoribus Agrarijs centuriati ducebantur. Deinde cùm ad coloniæ locum ventum erat, vexillo ſtatuto, aratrum circunducebatur, vt territorium Coloniæ definiretur. quod mox limitibus decumanis, cardinibus actuarijs diſtinguebatur, & in centurias diuidebatur: è quibus certus modus viritim ſortitò aſſignabatur. Quod ſi illic oppidum non eſſet, locus vrbis aratro deſignabatur, ritu Hetruſco. Atque iſta fiebant omnia auſpicatò, Coloniaque luſtrabatur ab eo, qui deducebat; & eligebantur bonis nominibus, qui hoſtias ad eam luſtrandam ducerent. Quotannis autem coloni, Coloniæ ſuæ Natalem magna religione colebant. Cicero, *Qui idem caſu Natalis erat & Brunduſinæ coloniæ & tuæ vicinæ Salutis.* Porrò aut coloniæ nouæ deducebantur, & ea quæ dixi fiebant: cùm in ea loca coloni deducebantur, in quibus non eſſent alij collocati: aut veteribus colonijs, noui coloni adſcribebantur: vt adſcribebat etiam lege ſua Rullus. Ea de re ſic in Antonium ſcribit Cicero, *Conſuluiſti me per literas de Capua tu quidem: ſed idem de Caſilino reſpondiſſem, poſſéſne vbi colonia eſſet, eò coloniam no-*

*nam iure*



*uam iure deducere. Negaui in eam coloniam, quæ eſſet auſpicatò deducta, dum eſſet incolumis coloniam nouam iure deduci: colonos nouos adſcribi poſſe reſcripſi. Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum iure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quò erat paucis antè annis deducta, vt vexillum videres, & aratrum circunduceres: cuiuſquidem vomere portam Capuæ penè perſtrinxiſti, vt florentis coloniæ territorium minueretur.*

*Non modò.* ) metum regni & dominationis denuntiat: quod affectari à Rullo & eius adſcriptoribus ſignificat: Libertatem non putabant in regno eſſe, & regnis liberos populos opponebant. Non modò, pro non modò non, dixit.

*Dignitatis* ) quæ in Senatu maxima eſt. In illa omnia propè oppida coloni lege Iulia, paucis annis poſtea deducti ſunt. Et quod Rullus facere non potuit, Cæſar Conſ. perfecit. Neque ea, quæ denuntiat Cicero, euenêre, vt ſanè verus vates his in rebus non fuiſſe, ſed vanos terrores timuiſſe videatur.

*Suſpicionibus.* ) Sed hæc ſuſpicantis & conijcientis ſunt, qui errare & falli poteſt: cùm ſuſpicio non ſemper vera ſit, ſed ſæpè falſa. Quod ſequitur, non conjectura eſt errantis, ſed indubitatæ fidei.

*Hoc templum Iouis* ) In templo Capitolino hæc oratio eſt dicta Kal. Ianuarijs. Quo die Conſules magiſtratum inibant: Capitolium aſcendebant: Senatum habebant. In Senatu Rullus cùm verba feciſſet de lege, quam promulgarat, hac oratione contradixit Cicero. Itaque in Piſonem ſcribit: *Ego Kal. Ianuarijs Senatum, & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumq; largitionum metu liberaui*: vt antè ſcripſi.

*Hanc arcem* ) Eſt translatio, ſed qua alluſum eſt ad arcem quæ illic erat. Lucretius, *Romulidarum arcis ſeruator candidus anſer.* Liuius, *C. Calphurnium prætorem vrbanum Capitolio atque arci præeſſe.* In arce Numa ab Augure inauguratus Rex fuit, vt à Liuio ſcribitur. *Fecialis qui fœdus cũ Albanis percuſſit, ſagmina ex arce ſumpſit.* Et vt Varro ſcribit, *Quotquot menſibus per ſacram viam ſacra ferebantur in arcem.* Ad quam conſuetudinem reſpexiſſe putem Horatium, cùm ſcribit, ----- *dum Capitolium Scandet cum tacita virgine, Pontifex.* Et ex arce ſolebant augures profecti, vt Varro tradit, inaugurare. Quinetiam arx ipſa, auguraculum dicebatur. Pompeius, *Auguraculum appellabant antiqui,* quam nos arcem dicimus, quòd ibi Augures publicè auſpicarentur. Erat & in caſtris propè prætorium Auguratorium, vt Hygenus de Caſtrorum metatione ſcribit. His autem ex locis perſpicuum eſt locum illum valde religioſum fuiſſe. Hûc addam à Latinis Arcem interdum vocari, quod Græcè dicitur ὁρμητήριος, quam Sedem belli dici etiam animaduerti à Suetonio in Galba, *Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod ſedem bello delegerat, repertus eſt annulus opere antiquo, ſcalptura gemmæ victoriam cum trophæo exprimente. Ac ſubinde Alexandrina nauis Dertoſam appulit armis onuſta.* Sic enim lego ex vetere libro, non vt paſſim Detorſa. Eſt enim Dertoſa nobile Hiſpaniæ oppidum.

*Capuam deduci* ) Eô poſtea Cæſar colonos deduxit, & quod Rullus facere non potuit, perfecit: vigintique hominum millibus extra ordinem agrum Campanum diuiſit. Et quod nunc tam acriter acerbeque Cicero reprehendit, in Piſonem damnare vix audet, *Ego agrum Campanum, ſi diuidi non oportuit, conſeruaui: ſi oportuit, melioribus auctoribus reſeruaui.* Et pro Seſtio, Campanos commutato nomine colonos decurioneſque fortiſſimos & optimos viros appellat. Sic euentus ea quæ Cicero denuntiabat & augurabatur, falſa eſſe oſtendit. Nec verò Capuam tantùm, ſed in vicina etiam oppida coloni lege Iulia deducti ſunt.

*Opponere* ) Quæ aliquando cum pop. Romano bella geſſerat, & bello Punico ſecundo recepto Annibale, à Romanis defecerat. *Vbertatem agrorum* ) Alienum eſt hic prædicare commemorando vbertatem Campaniæ, quod nonnulli faciunt: cùm præſertim hic de tota Campania non agatur, ſed de parte eius, id eſt, de agro Campano, qui circum Capuam erat, totius Italiæ facilè primus: quod attendiſſe non videntur. Eius campi pars Laboriæ dicebatur, omnium feraciſſima & vberrima: Græci Phlegræum campum appellauere. Finiebantur Laboriæ via ab vtroque latere conſulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuam ducit. Qua de re Plinius lib. XVIII. cap. XI. conſulendus eſt. Liuius autem ſcribit agrum Campanum Italiæ vberrimum eſſe, & Capuam dignam agro illo vrbem. Seritur toto anno panico ſemel, bis farre: & tamen vere ſegetes, quæ interquieuere, fundunt roſam odoratiorem ſatiua, vt ſcribit Plinius. Quod idem Strabo ſic Græcè ſcribit, ἱστορεῖται δ' ἔνια τῶν πεδίων σπείρεσθαι δι' ἔτους, δὶς μὲν τῇ ζέᾳ, τὸ δὲ τρίτον ἐλύμῳ: vbi far appellauit zeam perſpicuè Strabo.

*Superbiam* ) Superbi & arrogantes fuere Campani: quæ vitia loci felicitas & vbertas ipſis ingenerauit. In oratione 2. *Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine.* Superbia autem à verbo Græco ὑπέρβιος deducta eſſe videtur.

*Collocabuntur* ) id eſt, locabuntur, conſtituentur. Quod veteres locari dicebant, Ciceronis ætate collocari dicebatur. Varro, *Locus eſt, vbi quid locatum eſſe poteſt: vt nunc loquuntur, collocatum.* Veteres id dicere ſolitos apparet, apud Plautum, *Filiam habeo grandem dote caſſam, atque illocabilem, neque eam queo locare cuiquam.* *Copiam rerum* ) quos copia rerum adeò inſolentes & arrogantes reddidit, vt auderent alterum conſulem petere à maioribus noſtris. *Satellites* ) Sic appellantur imperium habentium, aut poteſtatem milites, à latere eorum non diſcedentes, & miniſtri ferro accincti. Hinc etiam aquila, Iouis Satelles dicitur, quòd ſit miniſtra auguriorum eius & fulminum: *Hic Iouis altiſoni ſubitò pinnata Satelles.* Sed & aues omnes quæ augurium faciunt: Cicero, *Tum auis illa videri poſſet interpres & ſatelles Iouis,* id eſt, Iouis miniſtra & eius auguria nuntians.

*Inſolentiam* ) Inſolentia eſt hoc loco, cùm quis rei alicui non aſſueuit, quæ ἀήθεια Græcè dicitur. Eodem modo locutus eſt in 2. oratione, Non ſolùm copia, verùm etiam inſolentia commouebantur. Aliàs arrogantia eſt. *Capua magiſtratus* ) Campani magnis cladibus affecti à Samnitibus, ſeſe po. Romano dediderunt. Non multò pòſt cùm defeciſſent, agri parte mulctati ſunt. Ademptus eſt enim eis ager Falernus, qui Campani pars fuerat. Magnis deinde ſeditionibus inter ſe conflictati præfectos accepere, & leges à L. Furio prætore, cum vtrunque periſſent ipſi, pro remedio ægris rebus inteſtina diſcordia. Poſtremò Capuæ, quæ ſecundo bello Punico ad Annibalem defecerat, receptæ Senatus ademptus eſt, adempti magiſtratus, omne adeo commune conſilium vel plebis, vel nobilitatis. Sic commune conſilium pro domo ſua dixit,

*Nullum*

*Nullum collegium, nullum concilium, nullum denique commune conſilium.* Liuius, *Capuam frequentari placuit, corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe: ſine concilio publico, ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad conſenſum inhabilem fore: præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis miſſuros.* Ita Capuam Romani in præfecturæ formam redegerunt. In præfecturis autem ius dicebatur, & nundinæ agebantur. non tamen magiſtratus erant, ſed in eas legib. præfecti quotannis, mittebantur, qui ius dicerent. Præfecturam fuiſſe & Liuij locus quem attuli, docet, & ſic oſtendit Paterculus, *In hoc conſulatu Cæſar legem tulit: vt ager Campanus plebi diuideretur, ſauſore legis Pompeio. Ita circiter XX millia ciuium eo deducta, & ius ab his reſtitutum poſt annos circiter CLII. quàm bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta fuerat.* Erant & præfecturæ in agris cùm agro oppidi, quo deducebantur, colonia non ſufficiente ex alterius propinqui oppidi territorio aliquid ſumebatur. Id enim præfectura dicebatur. Interdum etiam totus ager ſumebatur: vt Auguſtus agros Mantuæ, cùm Cremonenſium agros diuideret & aſſignaret, ſumpſit. Quod queritur Poëta dolenter ſcribens,

*Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.* Ac certè cùm ſcribit,
*Fortunate ſenex, ergò tua rura manebunt,*
*Et tibi magna ſatis, quamuis lapis omnia nudus,*
*Limoſoque palus obducat paſcua iunco;*

ſignificat, quamuis conceſſione Auguſti toto ſuo non ſit eiectus agro: ſibi tamen duntaxat, quod paluſtre eſt, & vliginoſum, quod ſterile & nudum, pro ſubſeciuo eſſe donatum.

*Inſignia)* argumenta, iudicia, ſigna. Nam ſi Senatus ſit, argumentum reip. eſt.: Si magiſtratus, ducta translatio à cultu & inſignibus magiſtratuum. nam prætexta, verbi gratia, & 12. faſces, inſignia erant Conſulis: prætexta & ſex faſces, inſignia Prætoris: quæ ſunt παράσημα & σύμβολα ἀρχῆς.

*Inane)* Inane nomen dicitur, cui nulla res ſubiecta eſt, quam ſignificet, vt Capua, ſic omnibus ornamentis ſpoliata, nihil iam propè erat. Cicero de Oratore, *Quid enim eſt tam furioſum, quam verborum vel optimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, vel ſcientia?* Sic ab eodem, verborum volubilitas inanis dicitur, cui nulla ſubeſt ſententia. Inane interdum mortuum dicitur: Cicero de Legib. *Tum ebur ex inani corpore extractum, haud ſatis caſtum donum Deo.* *Crudelitate)* Quamuis Fuluius Senatores ad palos deligatos ſecuri percuſſerit: ciues vendiderit: non tamen de Senatus ſententia id fecit, qui eis parcendum eſſe decreuerat: vt Fuluij crudelitas notari poſſit, non poſſit Senatus Romanus inclementiæ accuſari.

*Externis hoſtibus)* Qui Itali non erant: quibus tamen victis agros victoria partos, fortunaſque, quæ belli iure po. Romani erant, reddiderunt. *Veſtigium)* Signum pedis eſt impreſſum ſolo, cuius indicijs veſtigatur. Eſt & Veſtigium tanquam pes ipſe: Maro, —— *Veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituère pedis.* id eſt, nudum habent ſiniſtrum pedem. Veſtigium temporis, pro momento dici à Cicerone animaduerti: vt in Piſonem, *Atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio & temporis, arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſti.* Hìc autem eſt ſignum & indicium per translationem, vt ſæpè.

*Domicilium)* ſedem & locum. *Nouam dominationem)* nouam quandam tyrannidem, nouum quoddam regnum: vt Syllæ dominatio dicitur à Salluſtio in bello Catilinario.

*Cauendum in colonijs)* Si colonos deducimus in eas ſedes, quæ luxuriam, quæ ſuperbiam pepererint, quæ arcem huic imperio aduerſam præbeant, non video quid in colonijs deducendis caueri debeat.

*Capuæ)* quam tamen in vrbem colonos Rullus deducit ad quinque millia. Marcellus apud Liuium de Annibale, cuius exercitus per hyberna Capuæ luxuriatus erat, dicit *Capuam Annibali Cannas fuiſſe.*

*Nata inibi)* Si Campani tàm ſuperbi ſunt: vt in eorum vrbe nata videatur ipſa ſuperbia. Inibi enim eſt in eo loco De Campanorum ſuperbia ſic Liuius ſcribit, *Quod vbi Capuam eſt nuntiatum, euicit miſeratio iuſta ſociorum ſuperbiam ingenitam Campanis.* *Quemadmodum armatur)* quibus oppidis inſtruitur & munitur in nos Capua. Nam in omnia etiam Campana oppida deducebat colonias Rullus.

*Per ſeſe)* ſine aliorum oppidorum auxilio. *Omnes vrbes)* Calenum municipium, Thermum, Atellam, Neapolin, Cannas, Pompeios, Nuceriam, Puteolos. *Stellatem campum)* *Campum Stellatem,* inquit Tranquillus de Cæſare, *Maioribus conſecratum, agrumq; Campanum ad ſubſidia Reipub. vectigalem relictum diuiſit extra ſortem, ac XX. millibus ciuium, quibus terni pluréſue liberi eſſent.* Illa tamen conſecratio campi Stellatis nec deterrebat Rullum, nec poſtea Cæſarem impedijt, ne agro ſacro manus admoueret. Quem Cicero & Tranquillus campum, modò agrum generis nomine, modò campum, quæ agri ſpecies eſt plani, & montibus carentis, Liuius appellat: *Samnitum legiones, inquit, cùm partim Ap. Claudius prætor, partim L. Volumnius proconſul ſequeretur, in agrum Stellatem conuenerunt.* & mox, *Stellatibus campis ſuis ipſi legionibus mixti alienis, ab quatuor exercitibus, quatuor ducibus Romanis cæſi fuerunt.* Sed & partem agri Campani fecit lib. 9. his verbis, *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani excurſiones factæ.* Fuit autem Stellates campus propè Calenum agrum. Liuius, *Auerſúſque ab itinere per Aliſanum Calatinúmque & Calenum agrum, in campum Stellatem deſcendit.* Quo ex loco, illam planitiem locis quibuſdam editioribus ſubmiſſam & ſubiectam fuiſſe apparet. Mirum autem mihi videretur conſecrationis Tranquillum meminiſſe, Ciceronem verbum nullum feciſſe: præſertim cùm ea res ad diſſuadendum plurimum valeret. Sed Tranquillum id exiſtimo ex aliquo veteri annali eruiſſe: vt diligens erat iſtarum rerum inueſtigator: cùm tamen Ciceronis ætate nulla eſſet conſecrationis opinio. Nam ne Carthago quidem, quam conſecrarat Scipio, ſacra cenſebatur, eiuſque ſolum à Graccho profanatum fuerat.

*Vectigalium)* quæ potius amplificanda ſunt, aut certè retinenda. *Flagitium huius)* non turpitudinem & dedecus amiſſi vectigalis. Nam in turpibus, flagitij nomen plerunque ponitur: nonnunquam in periculo. Lucillius, *Qui poſcent minus, & præbebunt, rectius multò, & ſine flagitio.*

*Caput)* præcipuam patrimonij publici partem. *Pulcherrimam)* Plinius Campaniæ oram felicem





& beatam amœnitatem appellat: vt palam ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Sed hìc non de tota Campania, verùm de agro Capuæ, qui ager Campanus dicebatur: quem, vt Liuius ſcribit, *Omni fertilitate terræ ſatis conſtat primum in Italia fuiſſe.* Cicero autem Oratione 2. *Orbis terræ pulcherrimum* dicit. Igitur pulcherrima erat poſſeſſio, ſiue fructuum vbertatem, ſiue locorum amœnitatem ſpectares.

*Subſidium annonæ)* quod certiſſima agri illius eſſet fides, vt alijs fallentibus non mentiretur, ſed malis aliorum fructibus ex agris vectigalibus, annonæ pop. Rom. ſubueniret. Species enim ipſa exigebatur, vt decuma, aut octaua, aut quinta pro conditione agri & bonitate: & pop. Rom. frumentum ſemiſſibus & trientibus dabatur. Frumentum autem in Sempronijs horreis Romæ cuſtodiebatur, quæ lege Gracchi ad frumenti cuſtodiam ædificata fuerant. Poſtea P. Clodius in Tribunatu legem tulit, vt frumentum pop. quod antea ſemiſſibus & trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur. Sunt & annonæ, velut quas hodie collegia portiones appellant. Vnde Torquati ſimplares & duplares dicebantur, quòd duas, aut vnam annonam conſequerentur: vt in monaſterijs quidam duas, quidam tres habent annonas. Eſt & annona precium. Plin. *Folia diuiſere annonam, ab amplitudine hadroſphæru vocatur maioribus folijs denarijs 30.*

*Horreum belli)* Veſtis enim, tum frumentum, & ſtipendium militibus dabatur. Stipendium in opſonium erat. Vnde & ὀψώνιον à Græcis dicitur, vt apud Polybium ſæpenumerò. Et in Euangelio, ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν, id eſt, contenti eſtote veſtris ſtipendijs. Simile eſt quod de Sicilia dicebat M. Cato, *Cellam eſſe penariam Reipub. & nutricem plebis Romanæ.* Cùm autem bellum faciebant, locum aliquem pro horreo habebant, quò frumentum comportabatur. Liuius, *Chium parabant traijcere. Id erat horreum Romanis, eoq; omnes ex Italia miſſæ onerariæ curſum dirigebant.* Ager autem Campanus cùm ſuſtineret pop. Rom. exercitus, meritò horreum belli à Cicerone dicitur.

*Sub ſigno clauſtriſque)* Signo annuli multa Romani à rapina familiæ vindicabant: Plinius, *At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur à rapina.* Ita ſportæ, lagenæ, ciſtæ, loculi ſignabantur. Clauſtra hic ſunt, quæ Græci κλεῖθρα vocant, id eſt, ſeræ: interdum fores ipſæ. Certiſſimum & tutiſſimum hoc vectigal dicit, ac velut domi poſitum procul ab omni belli periculo & ſuſpicione. *Ipſe per ſeſe)* non vt nunc defendente conſule. *Dominationi)* Syllæ tyrannidi, Syllæ dominatui & regno. Sic enim dominatio & à Cicerone & Salluſtio vſurpatur. Itaque Plutarchus tyrannidem appellat, πολλὰ τῆς Σύλλα τυραννίδος ἀληθῆ μὲν καὶ δίκαια κατηγοροῦντες. *Syllæ dominatione municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta,* vt ait Florus, *vænierunt, Spoletum, Interanna, Præneſte, Florentia. tamen non vænijt ager Campanus.*

*Reſtitiſſet)* reſiſtere potuit: à Reſiſto. *Amiſſis alijs)* bello. *Remaneat)* cùm procul ab hoſte ſit, in ipſo imperij gremio poſitus. *Intermiſſis)* belli metu & periculo. *Non obſoleſcat)* Nitidus color & obſoletus opponuntur: Sic Nitere hic & obſoleſcere. Color obſoletus, eſt qui nitorem amiſit, qui decolor eſt & ſordet, qui exoleſcit: Cicero 2. Oratione, *Veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido.* Et apud Liuium, Obſoleta veſtis, ſordida eſt, qualis erat reorum. Eius verba ſunt, *Sed erat veſte obſoleta, capilloq; & barba promiſſa.* *Concioni reſeruo)* Trinundino leges promulgabantur, quo tempore eas ſuadere & diſſuadere licebat: quod aut à magiſtratibus fiebat, aut à priuatis data à magiſtratibus concione. Alioqui enim non erat eis ius agendi cum populo. Denuntiat igitur Cicero, ſe in concione legem eſſe diſſuaſurum, quod oratione proxima faciet.

*Integrum)* Veſtra in Republica poteſtas & amplitudo imminuetur, nec in Repub. quicquam poteritis. Nobis & Noſtra, in quibuſdam libris legitur. Integrum eſt interdum, non incœptum: interdum non violatum: interdum intactum: & illibatum, vt apud Lucretium, *Iuuat integros accedere fontes atq; haurire.* Interdum, vt hoc loco, non occupatum, non poſſeſſum, non vindicatum ab alio.

*Retinendum)* Duriuſculum eſt iſtud Retinendum, propter verbum Fore: quod tamen lenitur, quia ad Integrum adiunctum eſt, etſi ad Retinendum etiam pertinet. Cuius generis exempla colliguntur à Grammaticis.

*Rullus)* Etſi hìc in odium adducere Rullum conatur: tamen in oratione pro Domo, eum ampliſſimè laudat: & ne hic quidem, etſi cauſæ ſeruiens ſuæ, eum valde timendum, eſt auſus dicere: ſed alios magis metuendos. Sic eum pro Domo ornat, *Fueris ſanè Trib. plebis tam iure quàm lege, quàm fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus atq; ampliſſimus.*

*Quos multò)* Significatur Antonius Ciceronis collega, atque Catilina, multi Tribuni, qui huic Agrariæ legi fauebant, eiuſquè adſcriptores erant: quorum etiam quidam, liberos proſcriptorum ad magiſtratus vocare conabantur. Alij P. Antronio Pæto, & Cornelio Syllæ damnatis Senatorium ordinem & magiſtratuum petitionem reddebant, eoſque in integrum reſtituebant. Alij etiam nouas tabulas inducere tentabant.

*Cum omni argento & auro)* Ciceronis ætate Auri & Argenti nomine pecunia numerata, id eſt, aurum & argentum ſignatum etiam intelligebatur: vt in Topicis, *Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ei pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata.* Quæ tamen res ita ab eo ponitur, vt ex eo coniectura ſit, illo ſeculo argenti nomine potius factu quàm ſignatum intellectum fuiſſe. At ſequenti tempore, nomine auri & argenti, non pecunia, nec nummi: ſed argentum factum & infectum, & aurum cenſeri cœpere. Vlpianus, *An cui argentum omne legatum eſt, ei nummi quoque legati eſſe videantur, quæritur. Et ego puto non contineri. Non facile enim quiſquam argenti numero nummos computat.* Iterum, *Cùm aurum & argentum legatum eſt, quicquid auri argentiq; relictum eſt, legato continetur, ſiue factum, ſiue infectum ſit: pecuniam autem ſignatam placet eo legato non contineri.* Hìc igitur aliter quàm Iuriſconſultorum ætate accipitur aurum & argentum, pro pecunia ſignata: quo ſæpè modo etiam apud Terentium & Plautum.

*Neque patiar)* neque ſinam. pro Pati, illo quo dicimus corpora aliquid pati, veteres etiam fungi dixerunt. Lucretius, *Nam facere & fungi niſi corpus nulla poteſt res.*

*Expromere)* proferre, promere. ductum ab ijs, quæ promuntur: velut, verbi gratia, è cella penaria. Nam cogitationes conditæ ſunt, noſtrique ſenſus, qui cùm in apertum exeunt, promi videntur.

*Diu cogitarint)* alij libri Iamdiu. *Collegæ tui)* Legis tuæ adſcriptores: non omnes tamen. Nam Cæcilius in ſenatu ſe profeſſus eſt interceſſorem fore. Cicero pro Sylla, *Ex illo tempore L. Cæcilius multa de Repub. egit Agrariæ legi, quæ tota à me reprehenſa & abiecta eſt, interceſſorem fore profeſſus eſt, improbis largitionibus reſtitit, Senatus auctoritatem nunquam impediuit.*

*Oſtentatione)* Verba quæ frequentatiua à grammaticis vocantur, ſæpenumerò non tam frequentationem, quàm actionis deſiderium & voluntatem ſignificant. Vt Dormitare eſt interdum velle dormire: Plautus, *Te dormitare aiebas, menſa ſublata eſt:* id eſt, dicebas te dormire velle. Venditare, eſt vendere velle apud Ciceronem de Aruſpic. reſponſis, *Atq; ei ſeſe, cui totus venierat, etiam vobis inſpectantibus venditaret.* Sic captare, eſt capere velle. Sic interdum oſtentare, eſt oſtendere velle: vnde Oſtentatio, cùm quis videri vult & apparere: velut hic ſimulatio & venditatio eſt, quæ veritati opponitur. nam ſe verè popularem, Tribunus fallaciter dicit. *Populares)* Populares hic ſunt, qui à Græcis δημαγωγοὶ & δημοκόποι vocantur, qui populi gratiam captant, & eius vtilitati commodiſque ſeruiunt. Aliâs qui δημόται vocantur, qui ex eodem populo ſunt: vt apud Terentium, *O populares, ecquis me viuit hodie fortunatior?* Plautus, *Optati ciues, populares, incolæ, accolæ, aduenæ omnes.* Quæ quidem vt in palliatis dici videntur, cùm præſertim Athenienſis populus diuiſus eſſet in δήμους.

*In concionem voco)* Concionem populi non defugio, ad quam vos vltrò prouoco. Concio à conciendo dicitur, id eſt, à conuocando. Alij quaſi coitionem interpretantur, à coëundo. Pro concione etiam conuentionem veteres dixere: Varro, *Voca ad conuentionem omnes Quirites huc ad me.*

*Diſceptatore)* Iudice, arbitro. In Partitionibus, Aut diſceptator, id eſt, rei ſententiæq; moderator. Hinc Dialectica veri falſique dicitur diſceptatrix à Cicerone, id eſt, dijudicatrix. Verbum hoc Græcum propè cenſeas eſſe, διαιρεῖσθαι: niſi quod à ceptare potius deduci videtur.

*Grata atq; iucunda)* quæ popularia: ea enim grata populo dicit. *Pacem, quàm concordiam)* Vos autem tumultum & turbas quæritis. *Sollicitam)* Sollicitudinis & moleſtiæ plenam. Sollicitum propriè eſt, non quietum. Lucretius, *Sollicito motu ſemper iactatur, eoque Verberat annellum dubio procul.* Inde quod ſollicitudine quadam & anxietate eſt inquies. *Suſpicione)* qui hunc quietum Reipub. ſtatum ſollicitare & perturbare tentatis. Id propter legem Agrariam dicit, & eos qui proſcriptorum liberos ad honores vocabant, & eos, qui nouas tabulas inducebant.

*Suſpenſam)* anxiam, ſollicitam: quod ductum videtur ab ijs, qui ſuſpenduntur: qua eadem translatione Cicero dixit lib. 1. de Legibus, *Ego animi pendere ſoleo,* pro mihi moleſtum eſt: & *pendebit animi,* Terentius dixit pro angetur, cruciabitur animo. Ex Pendere, vt id etiam addam, orta Dependere, & Propendere: quorum illud interdum eſt non ſatis pendere, nec pondus æquare: hoc plus pendere, & præponderare. Plautus Aſinaria, *Ad pedes quando adligatum eſt æquum centupondium, Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atq; adductæ ad trabem, Nec dependes, nec propendes, quin malus nequamq; ſis.*

*Perturbatam veſtris)* Non tantùm his Agrarijs rogationibus, verùm etiam alijs legibus, quæ res iudicatas reſcindebant. Cicero pro Sylla, *Primum Cæcilius, quid id promulgauit, in quo res iudicatas videbatur reſcindere, vt reſtituerent, Syllam rectè reprehendit.* *Improbis)* rerum nouarum ſpem.

*Bonis)* qui ſtatum Reipub. mutari nolunt. Salluſtius, *Nam ſemper in ciuitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis inuident, malos extollunt: vetera odere, noua exoptant: odio rerum ſuarum omnia mutari ſtudent.*

*Fidem de foro)* Dion de Tribunis plebis, ἄλλος χρεῶν ἀποκοπὰς ἐσηγεῖτο: id eſt, alius nouarum Tabularum auctor erat. Atque idcirco ijs, qui tabulas nouas ſperabant, in Catilinam Cicero illudens, auctionarias ſuo beneficio minatur. Fidem, rerum creditarum ſolutionem interpretor. Cicero in Partitionibus, *In communione autem quæ pars poſita eſt, iuſtitia dicitur, eaq́ue erga Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides.* Cæſar lib. 3. belli Ciuilis, *Cùm fides tota Italia eſſet anguſtior, neq; creditæ pecuniæ ſoluerentur.* Cicero pro lege Manil. *Nam tum cùm in Aſia res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romæ ſolutione impedita fidem concidiſſe.* Plautus Epidico, *Quod credidiſti, reddo. P. Haud accuſo fidem.* Valde ſcitum eſt quod hic nonnulli protectionem interpretantur.

*Dignitatem de Repub.)* his veſtris ſeditionibus, & vectigalium ademptionibus, agrarijſq́ue legibus.

*Illuxerit)* Ductum à ſtellis, quæ noctu aliquando diſpulſa caligine, & procella diſiecta apparent, magno nautarum gaudio & commodo. Contra Virgilius dixit:

*Nam neq; erant aſtrorum ignes, nec lucidus æthra*
*Siderea polus, obſcuro ſed nubila cælo,*
*Et Lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.*

Tenebras autem vocat caliginem Reipub. & perturbationem. Aliquando etiam tenebræ ſignificant animi perturbationem æſtuantis, & caligantis, & propè amentis. Cicero, *Qui tibi æſtus, qui error, quæ tenebræ, Dij immortales, erunt?* Græci ἴλιγγον dicunt. Sed & σκοτοδινιᾶν pro caligare & hallucinari vſurpant.

*Imperium)* quale eſt Decemuirale Rulli lege. *Alteram Romam)* propter Capuam, in quam coloniam deducebat lege ſua Rullus, id dicit.

*Sedem imperij)* Nam Capuam planè imperium transferri à Rullo exiſtimari vult. Sic nonnulli Veios imperium transferre voluerunt poſt vrbem receptam. Caligula etiam poſtea decreuerat Antium migrare, eoq; imperij ſedem transferre, deinde etiam Alexandriam. Poſtremo Conſtantinus Conſtantinopolin tranſtulit. *Conſiliorum veſtrorum)* hæc vos hominibus promptis & ſeditioſis ad perturbandam Rempu. & ad dominationem parandam, largiri velle oſtendam. Cuius rei exempla non deerant. Nam Sp. Melius, & Manlius Capitolinus largiendo & demerendo plebem, venerant in ſuſpicionem regni appetendi. Idq; nobilitas Tiberio Graccho obiecerat. Homines enim pop. in inuidiam & odium vocare ſolebant, eos libertati inſidiari, regnum appetere clamantes. Claudius etiam Druſus, ſtatua ſibi cum diademate poſita ad Appij forum, Italiam per clientelas occupare tentauit.





*A popularibus)* qui ſe populares ſimulant. *Prouinciam)* Etſi prouinciarum Conſularium ordinatio lege Sempronia Senatus erat: tamen per Tribunos à pop. nonnunquam petebantur, & à ſenatu decretis Tribuni intercedebant interdum, contra legem tamen Semproniam. partim autem ambitione, partim etiam prouinciali quæſtu capti, plurimi enixiſſimè contendebant, prouinciam ſibi decerni. hinc illud in Piſonem, *Egere, foris eſſe Gabinium, ſine prouincia ſtare non poſſe.* Dicit enim eum eſſe foris, qui ſoluendo non eſt, & dicitur flagitatoribus non eſſe domi. At Hortenſius & Cicero, qui pacis & fori artibus domi illuſtres eſſent, prouinciam in Conſulatu contempſere, & decretam à Senatu depoſuêre. *Q. Scæuola etiam pontifex, prouinciam, cuius cupiditate multi boni viri peccabant, depoſuit,* inquit Aſconius, *ne ſumptui eſſet ærario.*

*Neque honorem)* verbi gratia, ſtatuam, aut monumentum honoris ergo, aut aliquid ſimile, ac ne ambo quidem iſtum Decemuiratum. In Catilinam ſimilis eſt ferè locus, *Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulo.* *Commodum)* verbi gratia curationem aliquam, aut præmium.

*Neque aliud negotium)* nec bellum aliquod pop. Rom. exteræ nationes moueant.

*In prouinciam non iturum)* Decreuit Macedoniam Ciceroni Senatus, quam prouinciam Antonio ceſſit, vt eum in officio & bonorum partibus retineret, multa in Repub. molientem prouinciæ cauſa. Ciceroni pro Macedonia mox Gallia decreta eſt, quam tamen luculenta oratione habita in concione depoſuit, reclamante pop. Rom. vt in Piſonem dicit. Idem antè fecerat Hortenſius, cui cùm bellum Creticum ſorte eueniſſet, in vrbe remanſit, & collegæ Metello eam prouinciam conceſſit.

*Per Deos immortales)* vos obteſtor, vos obſecro: Cùm autem his generibus obſecrationum & obteſtationum hominem aliquem obſtrinxerant, & veluti religione aliqua deuinxerant: vt ei non eſſet integrum non facere, quod peteretur: tamen cùm ea erat perſona, cui vtrum vellet liberum & integrum eſſe vellent, cuiq; obſeruantiam aut pietatem deberent, obteſtationem ſoluebant. Quod indicat Plauti locus in Aulularia, *Nunc te obſecro, fac mentionem cum Auunculo mater mea: Reſecroq; mater, quod dudum obſecraueram.* Eſt enim ibi Reſecrare, religione ſoluere. Nam & in comitijs reus cùm per Deos orauerat pop. vt periculo liberaretur, ne qua hæreret populo religio, à magiſtratu etiam reſecrare cogebatur. Obteſtatione autem iuſiurandi ita obligari ſolitos veteres: vt quod ab eis ita petitum foret, negare non auderent, indicat Comicus ita ſcribens,

*Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ*
*Supereſſe vitæ, ſoſpitem & ſuperſtitem:*
*Ita te obteſtor per ſenectutem tuam,*
*Perq; illam, quam tu metuis vxorem tuam.*

Reſpondet enim mox Demenetus.

*Per dium Fidium quæris, iurato mihi*
*Video neceſſe eſſe eloqui, quicquid roges:*
*Ita me obſtinatè aggreſſus, vt non audeam.*
*Profectò percunctanti quin promam omnia.*

*Colligite vos)* reſipiſcite, ad vos redite: quòd in perturbatione & inſania animi partes diſſipatæ & diſtractæ ſunt, quæ in vnum ſunt colligendæ: vt militum manus & copiæ, quæ minus valent ſparſæ & diſiectæ, quàm collectæ & coniunctæ. Cicero 4. Tuſculana, *His aut ſunt ſubtrahendi ij, in quos impetum conantur facere, dum ſe colligant.* Quid eſt autem ſeipſum colligere, niſi diſſipatas animi partes rurſum in vnum locum cogere?

*Deſerite)* qui turbas, ſeditiones, res nouas quærunt.

*Conſpirate)* Conſentite. à follibus ductum ad ignem conflandum conſpirantibus: quomodo etiam συμπνεῖν à Græcis dicitur: aut à iumentis pari ſpiritu anhelantibus in plauſtro, aut aratro ducendo.

*Cum bonis)* cum Senatu. Optimates enim vel boni popularibus opponuntur. Hi ſunt qui à Græcis ἄριστοι vocantur: vnde ἀριστοκρατίας nomen.

*Non Rex, non gens)* Gentes & nationes. liberos dicit populos regibus non parentes: vt Salluſtius, *Reges magni bello domiti, nationes feræ & populi ingentes vi ſubacti.* Quòd autem eo tempore bella omnia conquieuiſſent, vt ait Dion, Salutis augurium actum eſt, quod quidem eo die agi ſolebat, quo neque exercitus vllus mittebatur, neque pugnabatur. Huius rei etiam meminit lib 1. de Diuinat. his verbis, *Tibi P. Claudius augur, addubitato ſalutis augurio, Conſuli nunciauit bellum domeſticum triſte ac turbulentum fore.* οἰωνίσματα ὑγιείας Dion vocat. *Inteſtinum)* Internum. *Pro ſe quiſque)* quiſque pro virili.

*Incolumes)* qui ſe incolumes & ſaluos eſſe cupient. Nam incolumitas, vt Cicero ait, eſt ſalutis integra & tuta conſeruatio. Eſt tamen etiam nonnunquam tutus & ſaluus rerum ſuarum ſtatus: vt ad Quirites, *Res familiaris ſua quemque delectat. Reliquæ meæ fortunæ recuperatæ, plus mihi nunc voluptatis adferunt, quàm tunc incolumitates adferebant.* Sic enim locus ille legitur in bonis libris.

*A cupiditatibus)* Quem nec prouinciæ, nec commodi, aut honoris cupiditas à vera ſententia demoueat, quem videant nulla cupiditate impulſum, quæ de Repub. loquetur, ſentire. Atq; hîc fortaſſe perſtringit collegam ſuum, qui non erat alienus ab hac Agraria lege.

*A delictis)* Libenter enim eius auctoritatem, qui non deliquerit, ſequimur.

*Cauti in periculis)* qui delicto vacuus ſit, qui non temerarius ſit, ſed prudens & cautus. Hominem enim temerarium nemo, qui ſapiat, ſequitur.

*Contentionibus)* Qui tamen, ſi in contentionem res deducatur, bonæ cauſæ defuturus non ſit, ſed audacter ei patrocinaturus.

*Velificari)* poſſe ſe ad honores turbis, & ſeditionibus, & popularitate peruenire. A nauigatione ductum: à qua etiam illud aſpirare & curſum tenere ducitur. Nam aſpirant velis auræ, vt, Aſpirant auræ in noctem: & naues curſum tenere dicuntur, quæ quô deſtinauere perueniunt, non depulſæ via. Quem-

admodum igitur, qui mercaturæ cauſa nauigat, velificatur mercaturæ: ita quoque, qui curſum quendam honoris cauſa inſtituit, tanquam nauigationem, velificatur honori, honori vela facit, id eſt, honori nauigat ſuo. Eadem tranſlatione dixit Cælius, *Ne aut velificatus alicui dicaris, aut aliquid quod referret ſcire, recituiſſe.* Florus etiam, *Domus ſua ruina velificatus eſt plebi:* id eſt, *gratificatus.* Afranius apud Nonium, pro incurrere in alium, & vela facere dixit, *Interea verba iactare, & labris inter ſe velitari, velificarier.* Qui cenſent à temerè nauigantibus ductum, qui ſe committunt tempeſtati, ſenſum non aſſequuntur.

*Equeſtri loco)* patrem Ciceronis fullonem fuiſſe, & mancipem earum operarum, quæ ad oleam & vindemiam colligendam conducuntur, Calenus epud Dionem declamat. Eius genus à Tullo Volſco ducit Sillius Italicus. Non videtur Plinius exiſtimare, vt ex eius verbis ſuſpicari licet, equeſtri loco natum Ciceronem fuiſſe: cùm ita ſcribit lib XXXIII. *M. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen in conſulatu ſuo, et ſenatum concilians, ex eo ſe ordine profectum eſſe celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore planè hoc tertium corpus in Repub. factum eſt, cœpitq; adijci Senatui populoq; Rom. equeſter ordo.* Cùm igitur equitem ſe ferebat, gratiam Publicanorum & Equitum quærebat, cùm tamen eques fortaſſe non eſſet: vt conijcere ex illo Plinij loco licet. *Municipalis* tamen *eques* à Iuuenale dicitur. *Quæ vita via)* Quodnam vitæ inſtitutum, quænam vitæ ratio.

*Profitemini)* palam pollicemini & declaratis. Eſt enim Profiteri, palam fateri & declarare.

*Longo interuallo)* Cicero in conſulatu ſuo Senatus auctoritatem conſtituit, ac proinde conſulatum ſuum ἀριστοκρατίαν ad Atticum vocat. Nam ante eum Conſulem maximæ plebis opes cœperant eſſe: iam inde ex quo Tribunitia poteſtas fuerat Pompeio & Craſſo Coſſ. reſtituta. Salluſtius tamen imminui cœpiſſe dicit potentiam plebis, Pompeio ad bellum Marianum & Mithridaticum miſſo, paucorum autem opes creuiſſe.

# ADRIANI TVRNEBI COMMENTARIVS IN ORATIONEM II. CICERONIS, DE *lege Agraria, contrà P. Seruilium Rullum Tribunum plebis ad Populum.*

E*St hoc in more poſitum, Quirites)* Romæ magiſtratus omnes priuſquam Populum in concione alloquerentur, Deos precari ſolebant. Quod indicat Virgilius ita ſcribens, *Præfatus diuos ſolio Rex infit ab alto:* Et Liuius docet his verbis, *Conſules in roſtra aſcenderunt, & aduocata concione, cùm ſolenne carmen precationis, quod præfari, priuſquàm populum alloquantur, magiſtratus ſolent, peregiſſet conſul, ita cœpit.* Nos igitur Ciceronem, antequàm ad pop. verba faceret & hanc orationem exordiretur, ſolenne carmen precationis peregiſſe exiſtimemus. Qui autem magiſtratum adepti erant, honore inito, prima ad pop. Rom. concione, quam habebant, gratias agebant, & de ſuis maioribus ſtudijſque dicere ſolebant. Suetonius Prætorem collaudauit, quòd honore inito conſuetudinem antiquam retuliſſet de maioribus ſuis pro concione dicendi. Plutarchus in Paulo εἰωθότων δὲ τῶν ὑπατείαν λαβόντων, οἷον αὐθομολογεῖσθαί τινα χάριν, καὶ προσαγορεύειν φιλοφρόνως τὸν δῆμον ἀπὸ τοῦ βήματος: id eſt, cùm ſolerent conſulatum adepti, vel gratias agere pop. & populum blandè pro roſtris appellare. Mos ab inſtituto differt, quòd mos tacito quodam conſenſu conualeſcat: inſtitutum, quodam hominum præſcripto & lege nitatur, inſtitutum tamen pro more ſæpè dicitur. Quirites Romani vocabantur, ac ſic eos appellare in concionibus vrbanis ſolebant. Proinde cùm appellabantur milites ab imperatore Quirites, velut exauctorati & militiæ ſacramento ſoluti dimiſſiquè intelligebantur, ac non iam in militibus numerandi, ſed in vrbana plebe. Suetonius, *Sed vna voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit & flexit:* qua tamen in Cæſaris voce πολίτας, id eſt, ciues interpretatus eſt Plutarchus, vt apud Perſium accipitur, -- *Quibus vna Quiritem Vertigo facit:* id eſt, ciuem. Ac proinde donatus iure Quiritium dicitur, qui donatus eſt iure ciuium, id eſt, ciuitate. Suetonius, *Et naues mercaturæ cauſa fabricantibus, magna commoda conſtituit pro conditione cuiuſque: ciui, vacationem legis Papiæ Poppeæ: Latino, ius Quiritium: fœminis, ius quatuor liberorum, quæ conſtituta hodie ſeruantur.* Ius autem Quiritium id eſſe declarat Vlpianus in Inſtitutionibus, cùm huius conſtitutionis Claudij imperatoris meminit, his verbis, *Naue Latinus ciuitatem Romanam accipit, ſi non minorem quàm decem millia modiorum nauem fabricauerit, & Romam ſex annis frumentum portauerit, ex edicto Diui Claudij.* Quirites autem, vt paulo antè dicebam, eſſe plebem Romanam, ſic perſpicuè Lampridius docet, *Continete igitur vocem truculentam campo ac bellis neceſſariam, ne vos hodie omnes vno ore, atq; vna voce, Quirites, dimittam & incertum an Quirites: non enim digni eſtis, qui vel Romanæ plebis ſitis, ſi ius Romanum non agnoſcitis.* Arma & ſigna adimebantur militibus, qui Quirites appellabantur. *Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.* Lucanus. *Beneficio veſtro)* Mandat enim pop. magiſtratus ſuo ſuffragio. Ita qui honores adepti ſunt, beneficio populi eos ſunt conſecuti.

*Imagines)* Illorum enim in familia imagines ponebantur tantùm qui magiſtratus geſſerant, non aliorum. Ius autem imaginis habebant, qui magiſtratus duntaxat Curules geſſerant, vt Ædilitatem, Præturam, Conſulatum. Cicero in Verrem de ædilitate ſua, *Ob earum rerum laborem & ſollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam Curulem, ius imaginis ad memoriam poſteritatemq; prodendam.* Honores autem hominum, tituli erant & ornamenta imaginum. Cicero pro Seſtio de Piſone, *In qua tum imaginis ornandæ cauſa Duumuiratum gerebat.* Eſt & imago Echo. Virgilius, —— *Vociſquè offenſa reſultat imago.* Cicero, *Ea virtuti reſonat, vt imago gloriæ:* id eſt, gloria reſpondet virtuti: vt imago gratulationibus & ſignificationibus gloriæ reſpondere ſolet. Interdum eſt imago,



eſt imago, anima ſuam quandam habens vmbraticam corporis, cuius erat, ſimilitudinem: vt quod Homerus dixit εἴδωλα καμόντων. Vetus quidam apud Ciceronem poëta extulit, *Vnde animæ excitantur obſcura vmbra, aperto hoſtio, Alti Acheruntis ſalſo ſanguine imagines mortuorum.* Hic animas perſpicuè vocauit, mortuorum imagines: vbi Falſo pro Salſo vulgo malè legitur. Quod locus ille Ennij ex Creſphonte ſatis comprobat, *Neque miſeræ lauere lacrymæ ſalſum ſanguinem.* Alij ab animis imaginem illam diſtingunt: vt & in Dialogis Lucianus, & Lucretius,

*Et ſi prætere a tamen eſſe Acheruntia templa,*
*Ennius æternis exponit verſibus edens,*
*Quo neque permanent animæ, neque corpora noſtra:*
*Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.*

Sunt & imagines ſimulacra quædam fluentia ex ſummo rerum corpore: vt Democritici & Epicurei cenſent. Lucretius,

*Attinet eſſe ea, quæ rerum ſimulacra vocamus:*
*Quæ quaſi membranæ vel cortex, nominitanda eſt:*
*Quòd ſpeciem & formam ſimilem gerit eius imago:*
*Cuiuſcunque cluet de corpore fuſa vagari.*

Cicero de Democrito, *Tum cenſet imagines diuinitate præditas ineſſe vniuerſitati rerum.* Sed & imagines quaſdam in numero deorum Democritus reponebat, in aëre mundoque errantes. Cicero, *Tum principia mentéſque deos, quæ ſunt in eodem vniuerſo, deos eſſe dicit: tum animantes imagines, quæ vel prodeſſe nobis ſolent, vel nocere.* Quod ſic Plutarchus Democriti verbis expreſſit, Δημόκριτος μὲν γὰρ εὔχεσθαί φησι δεῖν, ὅπως εὐλόγχων εἰδώλων τυγχάνωμεν, καὶ τὰ σύμφιλα, καὶ τὰ χρηστὰ μᾶλλον ἡμῖν ἐκ τοῦ περιέχοντος, ἢ τὰ φαῦλα, καὶ τὰ σκαιὰ συμφέρηται. id eſt, Democritus enim ait, debere nos precari, vt fauſtæ quædam nobis imagines ſorte eueniant, & ab aëre nobis potius ſecundæ & bonæ, quàm improbæ atque diræ occurrant. De Romanorum autem imaginibus, quas in atrijs ponebant, in explicatione locorum lib. 2. de Oratore diſſerui. *Suorum)* Maiorum.

*Loco)* Non videntur eſſe indigni familia & genere maiorum, ſed optimis ſtudijs & induſtria ei reſpondere, eoſdemq; honores mereri. At apud Tibullum Meſſala maiorum locum & honores vincere nititur,

*Nam quanquam antiquæ gentis ſuperant tibi laudes,*
*Non tua maiorum contenta eſt gloria fama,*
*Nec quæris quid quæ iudex ſub imagine dicat,*
*Sed generis priſcos contendis vincere honores,*
*Quàm tibi maiores maius decus ipſe futurus.*

Locum ab ordine diſtinguit Donatus: ac locum eſſe natalium dicit, ordinem fortunæ: cùm ita ſcribit Terentius, *Conueni hodie adueniens quendam mei loci hinc atque ordinis.*

*Debitum)* à credita pecunia ductum, cuius pars ſoluta eſt, pars reliqua.

*Redundaret)* reſtaret, reliquum eſſet, reſiduum eſſet. Ductum ab humore è vaſis aut ripis ſuperfundente. Sic Cicero, Piſonis honores eius maioribus eſſe delatos, non ipſi mandatos dicit. Cicero, Redundantes multo humore & pituita ſuffuſos in lib. de Fato vocauit, quos aridis oppoſuit. Eius verba ſunt, *In alijs pituitoſos & quaſi redundantes, in alijs exſiccatos atque aridos.* Pro Poſthumo Reum redundare dixit, qui ex alia cauſa reus redit, & cuius accuſatio eſt appendix alterius cauſæ, *Non igitur reus ex ea cauſa, quæ iudicata eſt, redundat Poſthumus.* *Sanguine)* Sanguinem libentius in hominibus dicere ſolebant: ſemen in beſtijs & plantis & frugibus. Plautus, *Audiui ſæpè hoc vulgo à multis dicier, Solere Elephantem grauidam perpetuos decem eſſe annos, eius ex ſemine hæc certò eſt fames.* Sed & Semineum dicebant. Plautus Milite ad Suem alludens, *Non hic ſeminio ſuo quanque proculenam pariturus eſt.* Et in libris de re ruſtica Varro, de hominibus etiam dixit Semen. hac oratione Cicero, *Non ingenerantur hominibus mores tam à ſtirpe generis ac ſeminis.* In quo tamen videtur ad arbores reſpexiſſe. In Officijs verò, *Virtutem dicit propriam Romani generis & ſeminis.* Eodem ſanè modo quod hic ait ſanguine creatum, poëta ſanguine cretum dicit, —— *Hortamur fari, quo ſanguine cretus, Quidue ferat.* *Laude populari (* Auus Ciceronis ætatem egit in rep. municipali: in qua Gratidio legem ferenti tabellariam reſtitit, fuitque Scauro principi Senatus notus. *Pater cùm eſſet infirma valetudine, ætatem egit in literis.* Fuit tamen familiaris L. Craſſo oratori.

*Honoris veſtri luce)* quod hic honores non geſſerint, ſed in repub. municipali conſenuerint.

*De me autem)* ne videar arrogans, ſi quibus artibus & ſtudijs hanc dignitatem ſim conſequutus, dicam. Nam de ſe prædicare arrogantis eſt. In quod tamen vitium valde propenſus fuit: vt notat Plutarchus, qui in eo reprehendit περιαυτολογίαν. *Ingrati)* Silere de veſtris in me beneficijs. Hic ingratus eſt, qui beneficium non agnoſcit: aliàs, qui nec acceptus, nec iucundus eſt. Plautus, *Quia ingrata habui omnia.* Ingratitudo non dicitur, ſed ingratum: vt actio ingrati. *Moderatio)* temperamentum adhibebitur. Eſt enim moderatio modus quidam, & quoddam temperamentum: interdū etiam imperium & poteſtas: vt in Verrem, *Omnia in vnius poteſtate ac moderatione vertentur.* *Qui iudicauiſtis)* qui mihi honores detuliſtis.

*Perlongo interuallo)* poſt Marium, qui iſta etiam nobilitatis clauſtra perfregerat. *Nam ante Marium nemo,* vt ait Salluſtius, *nouus tam clarus, neque tam egregius factus erat, quin is indignus conſulatus honore, & quaſi pollutus haberetur: atque eo iam tempore plebs alios magiſtratus, conſulatum nobilitas per manus inter ſe tradebat. Nobilitas quoque pleraque Cicerone conſulatum petente, inuidia æſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eum, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret.* Hæc Salluſtius.

*Hominem nouum)* Nouos homines vocabant Romani, qui cùm clarum genus non haberent, per ſe honores erant adepti, & clari euaſerant. Sic apud Salluſtium ſe nouum hominem Marius appellat, *Comparate nunc, Quirites, cum illorum ſuperbia me hominem nouum.* Liuius id clariſſimè lib. 2. de bello Punico,

*Id fœdus inter omnes nobiles ictum, nec finem antè belli habituros, quàm conſulem verè pleibeium,* id eſt, *hominem nouum feciſſent.* Nam plebeios nobiles iam iiſdem initiatos eſſe ſacris. Inde Nouitas. Salluſtius, *Contemnunt meam nouitatem, ego illorum ignauiam.* In iiſdem hominibus non dicitur abſolutè nobilitas, quæ eorum nouitati contraria eſt, ſed noua nobilitas. Salluſtius, *Scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas eſt, quam certè peperiſſe me melius eſt, quàm acceptam corrupiſſe.*

*Præſidijs firmatum)* Militum præſidia vrbibus & arcibus imponuntur ad eas ab hoſte defendendas: vnde metaphora ducta. Sunt enim præſidia ἐφεδρεῖαι καὶ φρουραί. Obuallare autem ſimile eſt his verbis obducere, obtegere, occludere, obſepire. Obducitur enim verbi gratia cicatrix vulneri. Hoc verbum, vt interim hoc adſcribam, eſt loco motum ſecunda in Verrem, vbi paſſim excuſum legitur, *Non qui reum ſuum abduceret, ſed qui meum tempus obſideret.* vbi planè ſenſus flagitat, obduceret. Obtegitur vitium alia virtute: Occluditur taberna: Obſeptus eſt ſentibus & dumis locus: quæ omnia aliquid oppoſitum & obiectum declarant. Locus igitur obuallatus, eſt vallo obſeptus, & obductus, atq; obfirmatus: vt Romanorum caſtra. Actius, *Immane habet templum obuallatum oſſibus,* id eſt, *obſeptum.* Ac Circumuallare eſt vallo cingere, quod veteres vallo & aggere ſolebant vrbes obſidere. Idq; περιτειχίζειν, περιχαρακοῦν, & περισταυροῦν dicitur.

*Me duce)* quaſi imperator ad vallum oppugnandum duxerit, ſe duce vallum ait reſciſſum, in eadem tranſlatione permanens. *Patere)* qui tantùm patebat nobilitati. *Pauci nobiles)* Cicero in Piſonem, *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuerſa ciuitas, non prius tabella, quàm voce priorem conſulem declarauit.* Vix vnquam tanto vniuerſi populi ſtudio quiſquam conſul factus eſt: cùm prius clara voce totius populi, quàm tacita tabella prior conſul ſit declaratus. *Nouus ante me)* Nam Marius etſi magna plebis voluntate: non tamen tanto ſtudio conſulatum eſt adeptus, nec ſuo anno, ſed occaſione belli Iugurthini multis poſt præturam annis. *Sine repulſa)* Nam quidam prima petitione non adepti conſulatum erant, ſed repulſam tulerant. A repulſa, vt opinor, Repulſi ab Aruſpicibus vocabantur ciues deteriores. Quod verbum extat in oratione de Aruſpicum reſponſis: vt à Reijciendo oues Reiiculæ dicebantur.

*Quam prætores fuiſſent)* non biennio proximo poſt præturam, quo Conſulatum petere licebat, ſed multis poſt præturam annis. *Per ætatem ac per leges)* Ætas Conſularis legibus annalibus definita (eas enim hic ſignificat) erat annus quadrageſimus tertius, vt ex 5. Philippica intelligitur.

*Anno ſuo)* biennio pòſt præturam. Is enim eſt annus, quo per leges conſulatus geri poteſt.

*Repulſa non eſſe)* repulſam tuliſſe cum peterent anno ſuo, poſtea factos eſſe. *Licitum)* per leges annales anno meo, primo pòſt præturam biennio.

*Cùm primum petierim)* ſine repulſa prima petitionè conſul factus ſim. *Aliæ petitionis occaſionem interceptus)* qui ſuo anno magiſtratum non eſt adeptus, alterius anno eum petit magiſtratũ, quem alter capere debuit: ſi ipſe adipiſcitur, eo depulſo, intercipit. Simile eſt illud Terentianum, *Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.* Intercipit igitur ad alienæ petitionis occaſionem, quicum alterius petitio eſt. Qui ſuo petit anno, minus tamen certus & firmus candidatus eſt, magiſtratum tanquam interuertit. Eſt enim intercipere interea capere dum alius adipiſci vult. Donatus tamen apud Terentium illo quem protuli loco, intercipere, totum capere interpretatur: vt & apud Plautum, *Quæ mihi interbibere ſola ſi vino ſcatit Corinthienſem fontem Pyrenen poteſt.* Quod certè Plauti exemplo magis conuenit, quàm Terentij: cùm ſit planè in Aulularia totum bibere: vt & in Amphitruone intertrahere, eſt totum trahere, *Ni ego illi puteo, ſi occepſo animam omnem intertraxero.* Terentio autem magis conſentanea videtur interpretatio mea.

*Efflagitatus)* vt blandiri & eblandiri differunt, quod blandiri ſit blanditias adhibere: eblandiri, blanditijs aliquid impetrare: ita quoq; flagitare & efflagitare plerunque differunt, vt hic: quòd efflagitare ſit, flagitando tandem adipiſci & obtinere aliquid. Eadem eſt ratio orandi & exorandi, blandiendi & eblandiendi. *Tabellam indicem tacitæ libert.)* Nam Gabinia lege in magiſtratibus mandandis, pop. tabella, non voce ſuffragium ferebat, vt libera non obnoxia ſuffragia eſſent, quam libertatem ad Senatorũ etiam ſententias in Rep ordinanda transferri Salluſtius optat: his verbis, *Igitur duabus rebus confirmari poſſe Senatum puto. ſi numero auctus, per tabellam ſententiã feret: Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat.* Meminit Cicero trium aliarum præter Gabiniam Tabellariarum legum lib. 3. Offic. Tabella autem dabatur à Diribitoribus pop. ſuffragium ferenti: in qua notis erant omnia, vt opinor, candidatorum nomina ſcripta, quorum ratio habebatur. Nam non putem tot datas fuiſſe, quot eſſent competitores: vt verbi gratia decem, ſi decem eſſent competitores: aut viginti, ſi tot eſſent, qui præturã, verbi gratia, peterent. Ad eorum autem nomina quos facerent, puncta notabant: quos non facerent, non notabant. Idq; eſt quod Horatij interpretes in eum locum ſcribunt, *Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.* Antiqui enim, inquiunt, ſuffragia non ſcribebant, ſed puncto notabant: & lege Tabellaria erat cautum, vt non voce, ſed puncto ſuffragia ferrent. *Tacitæ)* mutæ, non loquentis. Actiuè enim hic accipitur. *Vocem viuam)* non ſcriptam, vt quæ in tabella puncto erat notata: ſed oratione prolatam, quæ viua vox dicitur. Scribitur etiam Vnam, quod eſt conſentientem, ſed Viuam malim, quòd non ſcripta & mortua vox fuerit, vt in tabellario ſuffragio: ſed ore miſſa, quæ viuit. *Extrema tribus)* Vltima ſuffragia, vt centuriarum vltimæ tribus. Nam Centuriatis comitijs creabantur Conſules. Tribus autem ipſæ in centurias erant ex ætate, cenſu, ordine deſcriptæ. Quod ex Liuio perſpici facillimè poteſt lib. 1. ſcribente, *Duplicatum tribuum numerum centurijs iuniorum ſeniorumq;, Comitijs autem centuriatis primùm ſortitio fiebat prærogatiuæ ac tribus, ex qua illa erat centuria.* Etiam prærogatiua ab Aſconio vocatur: vt ab eodem reliquæ tribus, iure vocatæ dicuntur: quarum centuriæ poſt prærogatiuam ordine vocabantur. Ac cùm eſſent in omnibus tribubus centuriæ omnium claſſium, ſtatim poſt prærogatiuam vocabantur centuriæ ſeniorum & iuniorum primæ claſſis, eo ordine, quo ius erat tribum quanque vocari: vnde iure vocatas arbitror. Ordo enim erat quidam tribuum. Quod & Varro in lib. de ling. Lat. indicat, & ex hac oratione intelligitur. Nec in comitijs centuriatis legimus, cùm vocarentur centuriæ primæ claſſis, quæ in omnibus erant tribubus adhibitam eſſe ſortitionem: propterea quòd ordo quidam erat tribuum, & ius quibuſdam ante alias ſuffragium ferendi





his comitijs: vt verbi gratia, Centuriæ primæ claſſis Romuliæ tribus, quæ prima Ruſticarum erat, ante centurias primæ claſſis aliarũ ferebant ſuffragium. Hic autem oſtendit ſe magna pop. voluntate & ſtudio Conſulem eſſe declaratũ, cùm legitimũ numerum Centuriarũ ſtatim expleuerit: nec ad vltima ſuffragia centuriarum ipſi deueniendũ fuerit. Hic nonnulli legũt multitudinis numero, Extremæ Trib᷒: quod etſi non reprehendo: contra tamen auctoritatem veterũ librorum faciunt. Primos autem concurſus cùm dicit, ſignificat primas centurias po. magno ſtudio & alacritate ad ſuffragium ferendum, & ipſũ Conſulem declarandũ, concurriſſe. *Voces præconũ)* ſingularum centuriarũ præcones renunciantium me eſſe deſignatũ ab eis. *Singulare)* quod alijs non contigit. *Ad animi mei fructũ)* ad animi mei delectationẽ. Id enim hic fructus eſt à fruendo. *Diurnæ neq;)* quæ nunquam me quieſcere ſinunt. Noctis enim & diei ſpatio tempus omne continetur. Cicero, *Quanquã certò ſcio, non vt Flaminiũ ſollicitari te, Attice, ſic noctéſq. diéſq.* Sic pro, Omnia iura peruertit, ſcribit in Officijs, *Omnia iura diuina & humana peruertit.* Et Plautus, pro, *Nihil mihi credas,* dixit, *Neq. diuini neq. mihi humani poſthac quicquã accreduas.* Quo ſenſu, illud eiuſdem accipiendũ cenſeo in Truculento, *Nunquã ædepol mihi quiſquã homo mortalis poſthac duarũ rerũ creduit:* id eſt, nihil diuini & humani. Vbi tamen nonnulli, Suarũ rerum emendarunt, cùm tamen illud alterũ vim ſanctioris cuiuſdã & maioris adfirmationis contineat. *Magna ratio)* à magna quadã & difficili ſumma ductũ (à qua & illud Catulli in epigrammate eo, in quo de lecticarijs (quos homines ad lecticã vocat, vt Terenti᷒ canes venaticos, canes ad venandũ, verba facit) Bithynorũ iumento, vt & Cicero indicat in Verrem ſcribens, *Nam (vt mos fuit Bithyniæ regibus) lectica octophoro ferebatur.*) à qua, inquam, illud Catulli ductum eſt, *Fugit me ratio, meus ſodalis Cinna eſt Caius.* Quomodo & in Amphit. Plautus loquutus eſt: Sententia eſt, cùm omnib. difficile ſit conſulatũ gerere, tum mihi maxime. *Errato nulla venia)* hunc locũ cenſeas imitatum eſſe Salluſtiũ in Marij concione, *Neq. me fallit, quantũ cum maximo veſtro beneficio negotij ſuſtineã: bellum parare, ſimul & ærario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere: domi foríſq. omnia curare, & ea agere inter inuidos, occurſantes, factioſos, opinione, Quirites, aſperius eſt. Adhoc alij ſi deliquere, vetus nobilitas, maiorũ fortia facta, cognatorum & affiniũ opes, multæ clientelæ, omnia hæc præſidio adſunt: mihi ſpes omnes in memet ſitæ, quas neceſſe eſt virtute & innocentia tutari.* Erratũ eſt ἀπότευγμα, cum quid non euenit ex ſententia: caſu aliquo potius quàm vitio. Rectè factũ eſt κατόρθωμα: cùm res ex ſententia ſuccedit & rectè geritur. Erratũ, cùm caſus potius ſit, quàm culpæ venia dignum. *Expreſſa)* à prelo ductum, quo vi exprimitur humor. Eſt enim exprimere tanquam premendo extorquere. Expreſſum etiã à Cicerone, quod effigie & lineamentis efformatum eſt: vt in Tuſcul. *Gloria ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata dicitur.* Et in officijs, *Germanæ iuſtitiæ ſolidam & expreſſã imaginem nos non habere ſcribitur: ſed vmbra & imaginib. nos vti.* *Dubitanti fidele)* nam in rebus dubijs conſultamus, & qui conſilium nobis dent, aduocamus. *Nobilitatis)* nobilium.

*In diſcrimen)* Si tantum in reprehenſionis periculum ipſe inciderem, nec verum de me factum & iudicium vnà improbaturi eſſent & reprehenſuri homines. Diſcrimen ſæpè eſt periculum, vt hìc. Interdum, diſtinctio: vt in Verrem, *Hic delectus, hoc diſcrimen, te prætore, fuit.* Interdum, membrana, quæ aliquid dirimit & ſeparat, vt quod διάφραγμα Græcè dicitur. Varro, *Ciccum dicebant membranam tenuem, quæ eſt vt in malo punico diſcrimen.* Diſcrimen quoq. dicitur in capillis, quo diſcernuntur & diuiduntur. vnde per metaphoram Columella in horto, arearum tramites & limites vocauit hoc verſu,

*Inde vbi iam puro diſcrimine pectita tellus.*

*Nobilitati)* nobilibus, meis in conſulatu competitoribus: cùm antea ſemper conſulatus nobilium fuiſſet. *De me factum, conſiliumq;)* qui me antetuliſtis nobilitati, & Conſulem feciſtis.

*Qua ſuperiorib. Coſſ.)* quo ſuperiorum Conſulum tempore, ſuperioribus annis. Sic Suetonius, *Inſequentibúſq; Conſulib. flamem Dialis deſtinatus, pro anno ſequenti:* ac proinde non eſt quicquam hic immorandum.

*Qui aditum huius loci)* Roſtra & concionem. Conſul Senatorius eſt, vt aiunt, iuriſconſulti, magiſtratus: Tribunus autem, plebeius. Cùm autem Conſules ex nobilitate crearentur, Senatui & paucorum potentiæ fauebant, à plebis commodis alieniores erant. Cicero autem ad beneuolentiæ conciliationem, ſe popularem Conſulem fore oſtentat. In Piſonem autem ita ſe geſſiſſe Conſulatum dicit, *vt ſemper in Roſtris Curiam, in Senatu populum defenderit: vt multitudinem cum principibus, equeſtrem ordinem cum Senatu coniunxerit.* Ac ſanè hac in concione Curiam in Roſtris defendit, cùm legem Agrariam diſſuadet, cùm tamen ſe popularem ſimulet. *Fugerunt)* cùm à po commodis abhorrerent, nec in concionem vnquam venirent: Partim etiam raròvenerunt, ſi qui à populo minus alieni erant. *Dictu facillimum)* Libentibus enim animis auditis, ſi quis ſe popularem profiteatur, vt hìc facilè huic voci locus ſit: Non item in Senatu, vbi populares inuiſi ſunt. *Kalendis Ianuarijs)* quam in Capitolio habui, quo die honorem inij. *Gratijs paucorum)* fauore paucorum, id eſt, Senatus. Vnde ὀλιγαρχία, paucorum poteſtas. Paucis opponitur multitudo, id eſt populus, plebs. Pro gratia & ſtudio fauorem poſtea dixere. Initio autem fauere in rebus diuinis dicere ſolebant, in quibus & fauentia dicebatur: Et fauorem ex eo etiam poſtea in populo ſcenicis auctoribus fauente, vſurparunt. Plautus,

*Vt conquiſitores ſinguli in ſubſellia eant per totam caueam ſpectatoribus,*
*Si cui fauitores delegatos viderint.* Iterum,
*Sat habet fauitorum ſemper qui rectè facit.*

Cicero pro Roſcio Comœdo, *Quam expectationem, quod ſtudium, quem fauorem, ſecum in ſcenam attulit Panurgus?* Poſtea etiam pro gratia & ſtudio Ciceronis ætate cœpit vſurpari. Qua in re cùm à Cicerone ponitur, id non ſine præfatione fieri ſolet: vt pro Seſtio, *Ei vero qui pendet rebus leuiſſimis, qui rumore, & (vt ipſi loquuntur) fauore populi tenetur & ducitur.* Et ad Brutum, *Eum amorem, & eum, vt hoc verbo vtar, fauorem in conſilium aduocabo.* Fauere autem, inquit Pompeius, *eſt bona fari:* quoquidem Pompeius intelligit quod Græcè dicitur εὐφημεῖν. & vt præco apud Latinos in ſacris fauere populum iubebat: ita apud Græcos præco clamabat in ſacris, εὐφημία ἔστω. Idem Pompeius ſcribit, veteres poëtas pro ſilere, eo verbo vſos eſſe.

Sic à Donato explicatur illud, *fauete, adeſte æquo animo*, pro ſilere & attendite. & apud Virgilium *Ore fauete omnes*. Et in ſacris cum iubebatur populus fauere linguis, ſilere etiam iubebatur. Horatius, *Odi profanum vulgus, & arceo: Fauete linguis.* Sic *Paſcito linguam* in ſacrificijs dicebatur, pro coërceto & contineto; id eſt, taceto. Contrà Ennius, *Fauere faucibus* dixit, pro canere de gallis gallinaceis, qui ſilentio noctis fauent faucibus ruſſis, cantu plauſuque premunt alas. Nam & *fauere linguis* etiam bona fari eſt. Igitur à ſilentio illo attentionis, & à bona ominatione fauor ad alia tandem traductus eſt.

*Verbi vim & Interpretationem*) Vis verborum eſt, quid verba valeant & ſignificent, quorum interpretatio eſt declaratio & explanatio, definitio denique. Popularis autem ſic definitur à Cicerone pro Seſtio, *Duo genera ſemper in hac ciuitate fuerunt eorum, qui verſari in repub. atque in ea ſe excellentius gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe Populares, alteri Optimates & haberi & eſſe voluerunt.* Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini iucunda volebant eſſe, Populares: qui autem ita ſe gerebant, vt ſua conſilia optimo cuiq; probarent, Optimates habebātur *Sapientia veſtra*) veſtra prudentia, & intelligentia, veſtro ingenio, vt vos prudentes & intelligentes præſtetis, ne circumueniamini ab ijs, qui cū ſint vobis inimiciſſimi, & veſtris commodis infeſtiſſimi, prædicatione & oſtentatione Populares haberi volūt. Atqui potius ipſe circūuenire populū tentabat, & popularis haberi cupiebat, cùm Senatui faueret, à plebis commodis alienior eſſet. Sic in Verrem per ironiam ſcribitur, *Scis Metellū ſapientem eſſe. Hoc vero ferri iam non poteſt, irrideri optimi viri L. Metelli ingenium, & contemni.* Significauerat enim Timarchides Metellum callidum non eſſe, non ingenioſum. *Verſatur enim*) Multi enim plurimum in orbe errant & falluntur. Ita verſatur error magnus. Interdum verſare eſt tractare, propterea quòd quæ tractamus, verſamus. Tranquillus, *Nam & nummulario non ex fide verſanti pecunias, manus amputauit.* Cicero in oratore, *Non vt in iudicijs verſaret cauſas, ſed vt in hiſtorijs bella narraret.* Eiuſdem originis cuius verſor eſt, & verſaria apud Plautum. Quæ quid ſit, quæſtionis eſt. Ego putem rudentem, vel funem eſſe, quo velū vertitur. Sic enim ſcribit, *Cape vorſoriam, recipe te ad herum.* Alio loco, *Hic ventus nunc ſecundus eſt, cape modò vorſoriam.* Interpretationem approbat meam, quod alio loco apud eundem auctorem ſcribitur, *Vtcunque in alto ventus eſt Epidice, ex imo velum vortitur.* *Inſidioſus*) qui vobis inſidiantes, voſque circumuenire cupientes, ſimulant ſe populares eſſe, cùm tamen non ſint. *Kalendis Ianuarijs*) quo die honorem iniui.

*Plenam ſollicitudinis*) Terret populum metu nouarum rerum, quibus videri vult ſtudere Tribunos plebis. Otium autem proponit & pacem, eundemq; reip. ſtatum: quarū rerum oſtentatio valde popularis eſt. Sed iſta ſunt ad inuidiam Rulli à Cicerone quæſita, ex temporum illorum conditione magis quàm Agrariæ legis vitio. *De foro fides*) vt ſuperiore oratione, fides hic ſolutio eſt creditæ pecuniæ. Nouarum enim tabularum ſpes, improbis & obæratis erat. Proinde creditæ pecuniæ non ſoluebantur.

*Noua calamitatis*) vt multi interdum calamitate belli, aut cœli, aut aliquo poſtremo caſu, coguntur cedere foro, omnibus repentè euerſi fortunis. *Suſpicione & perturb.*) Debitores, qui nouas tabulas fore ſuſpicabantur, æs alienum non diſſoluebant, eas expectantes. Nouarum autem tabularum inductio, iudiciorum eſt perturbatio, cùm creditori in debitorem ius non dicatur.

*Infirmatione rerum iudicatar.*) Id propter eos Tribunos dicere videtur, qui Antronium & Syllam ambitus condemnatos, in integrum reſtituere conabantur, infirmato iudicio.

*Dominationes*) Dominationis nomen Tyrannidi diſſimile non eſt, vt ſupra docuimus. Intelligit autem Decemuirale imperium. *Extraordinaria*) Ordinaria enim & vſitata imperia ſunt Conſulum, & Prætorum: Decemuirorum autem extraordinaria, nec legitima, nec ſolita. Sic extraordinariæ pecuniæ, quæ non ſunt in tabulas relatæ. Cic. pro Roſc. *Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet?* In Verrem, eſt quæ furto quæſita eſt: *hinc illæ extraordinariæ pecuniæ redundarunt: hinc ratio cum Q. & Cn. Poſthumis Curtijs multis nominibus.* Iterum, *Et cùm extraordinariæ pecuniæ crimen ſubterfugere velles.*

*Sed regna*) Romani à regni nomine valdè abhorrebant. Itaque poſtea regno Romæ conſtituto: tamen nunquam principes ſe reges apellauerunt, ſed Imperatores, Auguſtos, Cæſares. Regna autem dicit, quòd cum ſummo imperio Decemuiri creabantur lege Rulli. Proinde Plutarchus appellat δεκαδαρχίαν αὐτοκρατόρων ἀνδρῶν. *Dixi in ſenatu*) Kal. Ianuarijs, quo die magiſtratum inij. Locus erat in oratione ſuperiore, ſed iniuria temporis intercidit. Dicit ſe popularem fore, id eſt, defenſorem otij, pacis, libertatis: quaſi verò iſta à Rullo oppugnarentur. *Quib. nat. ſenſ. dedit*) non modò animantes.

*Tect. atq. ag*) Hyperbole eſt, ſed quam non ſine cauſa vſurpauit. Cùm enim bello agri vaſtentur, tecta vrantur; quaſi ſenſum habeant, delectari ea pace dixit, in qua non modò nihil detrimenti ſentiant, verùm etiam excolantur. *Quàm libertas*) quaſi libertatem opprimere lege ſua tentet Rullus id.

*Beſtijs experi*) Quæ interfici plerunque malunt, quàm capi: & captæ beneque habitæ, tamen libertatem quærunt, & ſi poſſunt, è cauea erumpunt. *Quàm otium*) Pax opponitur bello, eaque aduerſus externos eſt populos: Otium negotio eſt contrarium, ac tranquillitatem & quietem ſignificat, pacemque externam, & quietem domeſticam complectitur. Hic tamen ad quietem domeſticam pertinet, & vrbanam. *In otio poſſit eſſe*) Negotium otij cauſa ſuſcipiendum eſt. *Beatos* autem putat lib. 1. de Oratore *quibus viuere licet in otio cum dignitate.* & in Seſtiana, *reipub. gubernationibus propoſitum eſſe*, dicit, *otium cum dignitate.* Et in Epiſtola ad Lentulum ita ſcribit, *Sic cùm omnibus nobis in republica adminiſtranda propoſitum eſſe debeat id quod à me ſæpiſſime dictum eſt, cum dignitate otium.* *In imperio & dign.*) cùm præſertim veſtrum otium non ignobile nec inglorium ſit, ſed cum imperio & dignitate coniunctum: vos enim ampliſſimum imperium habetis. *In otio eſſe poſſ.*) qui multis bellis feliciter confectis, multis nationibus deuictis, parto & propagato imperio perfecerunt, vt otio iſto, bellis liberati, frueremur.

*Impune*) nec enim quiſquam bellum nobis inferre audet, nec otium noſtrum laceſſere: itaque non eſt nobis damno nec malo. *Pacem externam*) cum exteris nationibus. Externam autem pacem dicit, propter otium domeſticum, quod mox ſubijcit.





*Libertatem*) Quam opprimere latores iſti volunt, regnis Decemuirûm conſtituendis.

*In fidem*) Clientes propè ſuos eſſe Romanos ſignificat, ſe patronum: nam à iure patronorū hoc ductum eſt. Patroni autem erant non tantùm libertorum, ſed etiam clientum, qui in eorum fidem ſe contulerant, & ad eos ſe applicarant. Et à poſterioribus id tractum eſt, quod loquitur, non à patronis libertorum. Erant & patroni vrbium, ciuitatum, prouinciarum: ſed & qui ciuitate aliquem donarant, eius patroni habebantur. ac qui donatus fuerat, patroni nomen ſuo præponebat. Sic Dio donatus ciuitate à Metello, Q. Cæcilius Dio appellatur: Chlorus à Sext. Pompeio, Sextus Pompeius Chlorus: Olympus à Sulpicio, C. Sulpicius Olympus: & in plurimis alijs. Sic Cherea donatus ciuitate à Fannio, Caius Fannius Cherea appellatus eſt. Serui quoque libertate donati nomina vſurpabant patronorum. Quodam modo autem addidit, ne nimium ſibi ſumeret, ſi ſe patronum pop. Romani apertè diceret.

*Neque enim Quirites*) Latores legis Agrariæ diſputat populares non eſſe, nec populo conſulere: atque id ſtulto populo perſuaſit. *Promulgata*) Promulgari aliquid dicitur, cùm per præconem publicè vulgatur: vt leges olim Trinundino Rullus legem Agrariam iam promulgarat, quam ferre parabat. Poſteaquam autem lex Trinundino promulgata fuerat, cum populo agebatur, populuſque ſuffragium ferebat, quo legem vel iubebat, vel antiquabat. In promulgatione autem pop. non rogatur.

*Exhauſto ærario*) exhauſtis ærarij copijs ad coëmendos agros *Iudiciorum perturbat.*) De actis Syllæ locum accipi non placet, nec de liberis proſcriptorum, quib. aditum ad honores Sylla ademerat, ſed de nouis tabulis, quas improbi ſperabant: id enim iudicia perturbaſſet. Aliud enim eſt acta reſcindere, aliud iudicia perturbare. Vt de nouis tabulis intelligam, facit Dionis auctoritas, à me ſuprà adhibita: & Ciceronis lib. 2 Officiorum hæc verba, *Nec enim vlla res vehementius remp. continet, quàm fides, quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Nunquam vehementius actum eſt, quàm me Conſule, ne ſolueretur: armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine: quibus ita reſtiti, vt totum hoc malum de rep. tolleretur.*

*Rerum iudicatarum*) id propter Syllam & Antronium ambitus condemnatos dicit, quos Tribuni quidam reſtituere conabantur, vt dixi.

*Exitiorum ſol. eſſe exitus*) Idem 7. in Verrem actione ſcribit, *Iulius tamen Cæſar bello ciuili damnatos lege Pompeia reſtituit.* *Obſcurè moliuntur*) dominationem & libertatis oppreſſionem.

*Specie*) prætextu & obtentu. *Genus ipſum*) omnem Agrariam legem non damno, ſed hanc vitupero, quam fert Rullus. *Duos clariſſ.*) Gracchorum memoria pop. Romano iucundiſſima erat, quæ cauſa eorum hic nominandorum fuit: & vt intelligas eum ſeruire cauſæ: quos hic laudat, vituperat in Officijs, his verbis, *Tib. enim Gracchus P. filius tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at eius filij nec viui probabantur bonis, & mortui numerum obtinent iure cæſorum.* Clariſſimi vocantur, quòd clariſſimo patre nati erant, & ipſi magiſtratus geſſerant. Clariſſimi autem dicebantur Senatores. Lampridius in Alexandro, *Præfect. præt. ſuis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi & eſſent & dicerentur.* Sed & Senatorum liberi. Vlpianus, *Fœminis enim dignitatem clariſſimam mariti tribuunt: parentes verò, donec plebeijs nuptijs fuerint copulatæ.* *Ingenioſiſſ.*) quanquam tribus rebus eloquentia comparatur, natura, arte, exercitatione: tamen quòd primæ & maximæ partes ſunt ingenij & naturæ, idcirco ingenioſos pro eloquentibus Cicero interdum dixit, & ingenium pro eloquentia vſurpauit. Pro Cornel. Balbo, *Si auctoritates patronorum in iudicijs valerent, ab ampliſſimis viris L. Cornelij cauſa defenſa eſt: ſi vſus, à peritiſſimis: ſi ingenia, ab Eloquentiſſimis.* Fuerunt autem duo Gracchi valde diſerti, vt Cicero & Plutarchus ſcribunt: Caius tamen eloquentia præſtantior. Ingenioſiſſimos autem cùm dicit: non tantùm eloquentia excellentes intelligit, verùm etiam alijs ingenij dotibus & muneribus præſtantes. Ac ingenium ſine controuerſia his omnes vtriuſque linguæ ſcriptores vno ore tribuunt. Plutarchus, ὥστε πάντων δ' εὐφυεστάτους ῥωμαίων ὁμολογουμένως γεγονότας: πεπαιδεῦσθαι δοκεῖν βέλτιον, ἢ πεφυκέναι πρὸς ἀρετήν. id eſt, vt cùm omnium Romanorum ingenioſiſſimi eſſent omnium conſenſu: melius tamen inſtituti viderentur, quàm nati fuiſſe ad virtutem. Paterculus de Tiberio, *Vir alioqui vita innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus.* Et de Caio, *Idem Caium fratrem eius occupauit furor, tàm virtutibus eius omnibus, quàm huic errori ſimilem, ingenio etiam eloquentiaque longè præſtantiorem.* *A priuatis antea*) Quos publicos agros vectigales poſſidebant locupletes: vt ſcribit in Gracchis Plutarchus.

*Gracchos laudare*) Quos Senatus, & Optimatum factio peſſimè oderat, & Conſules Senatorius Magiſtratus. In ſenatus inuidiam, de morte Gracchorum ſic ſcribit auctor Rhetoricorum ad Herennium, *Te nunc alloquor, Africane, cuius mortui quoque nomen ſplendori, ac decori eſt ciuitati, tui clariſſimi nepotes ſuo ſanguine abluerunt inimicorum crudelitatem.* *Legibus*) Leges tulerunt Gracchi, Agrariam, militarem, ſocialem, annonariam, iudiciariam, de prouocatione, vt ſcribit Plutarchus: præterea de prouincijs conſularibus, & alijs quibuſdam rebus. Quibus legibus, multæ reip. partes conſtitutæ ſunt: vt verbi gratia, iudicia, plebis annona, libertas, prouinciarum ordinatio. Conſtitutum autem dicitur, quod ſtabilitum, ordinatum & confirmatum. *Conſcribere*) vnà ſcribere. Aliquando diu ante Conſules deſignabantur Tribuni, vt ex prima ad Atticum epiſtola perſpicitur. *Quid cogitarent*) quæ legis illius eſſet ſententia.

*Inſinuarem*) Inſinuare, eſt tanquam in ſinum ſe mittere, tanquam in ſinum ſubire: ac ſine accuſatiuo interdum dicitur. Virgilius,

*Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis*
*Inſinuat pauor:*

pro ſe inſinuat & ſubit & irrepit. Plautus, *Inde in amicitiam inſinuauit cum matre, Et mecum ſimul, blanditijs, muneribus, donis.* Hinc inſinuatio, genus exordij vocatur, cùm animus auditoris & tanquam ſinus clam ſubitur, & in eum irrepitur. Quod genus exordij ἔφοδος à Græcis appellatur, ſi auctori Rhetoricorum ad Herennium credimus, id eſt, acceſſus, aggreſſio. Hic legitur in ſcriptis libris, *Cum familiariter in eum ſermonem me inſinuarem.* *Ac darem*) offerrem, impertirem, me paratum oſtenderem his.

*Auctorem me atque* ) Qui aliquid introducit & ſuadet, is eſt auctor, εἰσηγητὴς Græcè, & cuius ſententiam & conſilium aliqui ſequuntur: vt pro Seſtio, *Non deerit auctor & dux bonis in legibus ferendis.* Auctor dicitur, qui eas ad populum ſuadet: vt hoc loco, & lib. 3. de Legibus, *Itaque iſti rationi neque lator eſt quiſquam inuentus, nec auctor bonus.* Et in Vatinium, *Quo auctoritatis exquirendæ cauſa cæteri Tribuni pl. principes ciuitatis prodeſſe conſueuerunt.* *Vt vllam largition.* ) Cùm conſulatus bellum quoddam cum tribunatu gerat, & à commodis plebis alienior ſit. Libri ſcripti, vt illam largitionem, habent pro, vllam.

*Inſidioſa* ) ne aut impudentem & inuerecundum me exiſtimarent, qui perſeuerarem me offerre aſpernantibus, aut inſidiatorem, qui captarem quid molirentur.

*Priuatos quoſdam* ) Id ſuſpicioſum videri vult, adhibitos eſſe priuatos à tribunis, qui conſulem celarant & excluſerant. *Ad ſuos cœtus occult.* ) Magna quoque ex tempore ſuſpicio ſumitur rei improbæ: adeò vt à tribunis in leges commiſſum ſit, quæ cœtus & conuentus nocturnos vetant. Porcius Latro, *Primum XII. Tab. cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in vrbe cœtus nocturnos agitaret.* Deinde lege Gabinia promulgatum, qui conciones illas clandeſtinas in vrbe conflauiſſet, more maiorum, capitali ſupplicio mulctaretur. Itaque Porcius cœtus nocturnos Catilinæ maximi criminis loco obijcit.

*Solitudinem* ) Non ſolùm noctu cœtus agitarunt, verùm etiam in ſolis locis procul ab hominum frequentia, ne id emanaret. *Quib. reb. quanto in met. fuer.* ) Omnem metus illius inuidiam falsò confert in Agrariam legem & Rullum, cùm potius conferri debeat in cœtus aliorum tribunorum, qui nouas tribus inducere tentabant, & proſcriptos liberos ad magiſtratus vocabant, & damnatos in integrum reſtituebant. Vetus lib. *Quibus in rebus*, habet. *Ineunt tandem* ) vt ante Conſules Tribuni deſignabantur: ita ante eos magiſtratum inibant ferè medio Decembri. Vt autem Conſules, quo die magiſtratum inibant, ſenatum habebant: ita vt reor Tribuni, quo die magiſtratum inibant, habebant concionem ad plebem.

*Expectata* ) maiorem enim ſui expectationem concitarat, quàm alij Tribuni.

*Princeps* ) Lator, alij aſcriptores. *Truculentius* ) Occaſionem calumniandi quæſiuit ex vultu, & habitu hominis. Truculentus & Trux, ſæuus & aſper dicitur: vt Truculentus Plauti docet, hoc nomen à terrendo ductũ eſt. Plautus, *Nimio minus ſæuos iã ſum, Aſtaphiũ, quam fui: iam non ſum truculentus, noli metuere.*

*Alio inceſſu* ) aliter incedebat quàm antea, aliter ingrediebatur: vt in Officijs, *Status, Inceſſus, Seſſio, Accubatio.* *Obſoletiore* ) ſordido, minùs nitido: Cic. de Oratore, *Vt abiecta atque obſoleta fugiat, lectis atque illuſtribus vtatur.* De quo verbo in priore oratione dictum eſt.

*Horrido* ) ſqualido, illuuie pleno. Eſt & Horridum, tumens. Plautus, *Papillarum horridularum opreſſiuncula.* Interdum, plenum: vt cùm Varro Horreum ab Horrido deducit.

*Capillatior* ) maiore quàm antea capillo & promiſſiore, vt cultum corporis & elegantiam videretur ſpernere, & antiquorum ſeueritatem, qui capillati & intonſi erant, imitari. Iuuenalis,

*Ille capillato diffuſum Conſule potat.* Horatius,
*Hunc & incomptis Curium capillis.*

*Barbaq; maiore* ) barbam tondere deſierat, cùm elegantes eam tum Romæ tonderent, antiqui eam promitterent. Cic. pro Seſtio, *Virum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen reipub. diceres intueri.* *Minitari reipub.* ) Non ſolùm omnibus vultus & aſpectus terrore minabatur, verùm etiam reipub. Cùm autem dicit eum reipub. minitari viſum, cauillatur, vt & hoc toto loco, ſimul ſignificat illam vultus ſeueritatem in reipub. perniciem erupturam, malis Agrarijs legibus ferendis. *Legem* ) Lex promulgabatur & proponebatur: expectabam antè quàm cum populo ageretur, vt ius, & mos maiorum poſtulat. Proinde de Legib. ſcripſit, *Promulgata & propoſita, in ærario cognita agunto.* Nam in ærario legum omnia capita proponebantur, vt populo poteſtas eſſet cognoſcendi. Etſi autem cum non agebat cum pop. Rullus, vt legem ferret, ſed vt de lege verba faceret: tamen antè eam propoſitam oportuit. *Explicat* ) exponit, pronunciat. Ineſt autem in verbo tranſlatio. Explicatur enim, verbi gratia, linteum, cùm expanditur.

*Valde bonis* ) Bona verba ſignificant, quod Græcè dicitur εὐφημεῖ. Sunt, vt hoc loco, etiam bona verba, Latina, quæ apta ſunt, & benè rem ſignificant. Cicero de Oratore, *Etiam hoc quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet, bonis is verbis, aut aliquis non bonis vtitur, non arte aliqua perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu iudicatur.* Hic autem obſcuritatem orationis illudens in Rullo notat: vt lib. 3. de Orat. reprehendit in Fuſio & Pomponio: hunc in modum, *Eaſdem res autem ſimul ac Fuſius, aut veſter æqualis Pomponius agere cœpit, non æquè quid dicant, niſi admodum attendi, intelligo: ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil vt ſit primum, nihil vt ſecundum: tantáque inſolentia ac turba verborum, vt oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat, atque vt quodammodo ſibi obſtrepere in dicendo videantur.*

*Frequentia* ) tanta multitudine, tanto cœtu. *Inſidiarum cauſa* ) Nam qui inſidioſa oratione vtuntur, intelligi minus volunt, & oculis tenebras offundunt. Ad occultationem conſilij adhiberi ſolere verborum obſcuritatem, ſic oſtendit Cicero, *Vt ille qui occultãtem conſultò, ne id, quod ageretur, intelligi poſſet, duobus tranſlatis verbis, ſimilitudine ipſa indicat, quandoquidem iſte circumuæſtit dictis, ſepit ſedulò.*

*Me deſignato* ) Poſt Tribunos deſignatos, Conſules deſignabantur: & poſt magiſtratum ab ijſdem initum, magiſtratum inibant. *Proponitur* ) Omnia legis capita perſcripta, publicè proponuntur: vt populus cognoſceret legem, antequàm eam ſuffragio iuberet, vel antiquaret.

*Librarij* ) Librarij, qui libros ſcribunt: cuius generis ſeruos locupletes & docti habebant olim. Sunt autem hic ipſorum magiſtratuum quidam ſcriptores, vt lib. 3. de Legib. *Itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt, à librarijs petimus.* Ac notarij velociſſimè ſcribebant, & notis excipiebant, quæ erant ſcripturæ compendia. Vt à libris librarij, ſic à libellis libelliones, à tabellis Tabelliones dicebantur. Et à ſcribendo veteres Scribas vocauerunt librarios & poëtas: vt ait Feſtus. Poſteà Scribæ vocati ſunt, qui rationes publicas in tabulis ſcribebant.





*Omni hoc vob. rat.* ) etiam iureiurando, ſi poſtulatis, non ſolùm argumentis. Sanctiſſimum autem hoc erat confirmationis genus, quo etiam in maximis iniurijs ſatisfaciebant. Terentius, *Iuſiurandum dabitur te eſſe indignum iniuria hac.*

*Legem cognoſcendámq;* ) Tota illa rogatio, quæ plurimis conſtabat capitibus, lex erat.

*Neq; diſſidio* ) Libri veteres, diſcidio. Nec ferè in illis aliter hæc dictio ſcribi ſolet, quaſi à diſcindo deducatur: diſſidium autem à diſſideo erit. Bellum Conſulatus cum Tribunatu ſuſceptum habere videbatur, quòd magiſtratus eſſet Senatorius, Tribunatus plebeius: & quòd hæc poteſtas Conſulibus oppoſita erat, ac pernicioſas plurimas inter ſe Coſſ. & Tribb. ſeditiones, vt ex hiſtoria cognoſcitur, excitarunt.

*Libidini* ) cupiditati. Eſt enim libido, omnis cupiditatis generale nomen.

*Diſſenſionem facit* ) Fecit, veteres libri in præterito: idq. aliquanto melius.

*In manus* ) Sic in hoc genere ſine adiectione ferè loquimur. Adiectio tamen interdum additur: cùm ſcribat Cicero, *Quicunq; calamus in meas manus venit.*

*Oratione* ) prædicatione, oſtentatione, verbis. Vt Trib. pl. verbis & ſimulatione, non re, populares ſunt.

*Atq; ego* ) in quibuſdam, Atqui ego.

*Reges ærarij* ) Nam, vt Plutarchus ſcribit, Decemuiros Rullus ſumma cum poteſtate creabat, qui omnes Italiæ, Syriæ agros, & poſſeſſiones, omnia vectigalia, etiam quæ Pompeius imperio quæſiuerat, diuenderent: qui quos commodum eſſet, in iudicium vocarent: extorres eijcerent ſedibus, vrbes conderent: pecunias ex ærario haurirent, militeſque conſcriberent, & exercitum alerent. Reges autem Cicero appellat, quòd eſſet hoc nomen Romanis perquàm inuiſum.

*Regnorum* ) vt Ægypti.

*Simulatione atque nomine* ) prætextu & obtentu.

*Confirmo* ) affirmo. Plus eſt quod ſupra dixit, Omni ratione confirmare poſſum. Erat enim paratus ſanctiſſimum addere iuſiurandum.

*Condonari certis* ) Condonare eſt interdum remittere, & veniam dare: vt apud Terentium, *Habeo alia multa quæ nunc condonabitur.* Hic autem eſt dono: vt infra, Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, prouincias, regna Decemuirûm ditioni, iudicio, poteſtatique permiſſa & condonata eſſe dico. Certos homines cùm dicit, Decemuiros intelligit. *Oſtentari* ) ſimulari agrorum aſſignationem à Trib.

*Priuatorum pec.* ) Eos intelligit, qui Decemuiri futuri ſunt.

*Præſidem libert.* ) à præſidere nomen ductum, quod eſt antè ſedere, quod qui facit, alios qui ponè ſunt tuetur & cuſtodit: vnde præſes, cuſtos, tutor, vindex. Simile eſt verbum Græcum προΐσταμαι, quod eſt antè ſtare, id eſt, defendere. ab eadem cogitatione ſunt illa Homerica περιβαίνειν & ἀμφιβαίνειν, pro defendere. Tribuni autem ad tuendam libertatem plebis creati ſunt: vt docet Cicero lib. 3. de Legibus.

*Auctoritatem veſtram* ) ſequar veſtram ſententiam. Auctor enim eſt, qui ſententiam & conſilium rebus introducit. Sequar igitur vos auctores, ſequar quod ſentietis.

*Libertati veſtræ* ) Reges X. conſtitui, qui veſtram vobis libertatem adimant. Regnum autem Romæ inuiſum erat, libertas chara.

*Sudore & ſangu.* ) Simile eſt illud, *Salmacida ſpolia ſine ſudore & ſanguine.* Magno autem maiorum labore, multiſq; eorum vulneribus partam eſſe dicit libertatem in eijciendis regibus & repellendis, conſtituendoque imperio. *Primum caput* ) nunc capita legis excutit, diſputatque & à populo Romani libertate & commodis aliena.

*Tentamini leuiter* ) Tentare experiri eſt & periclitari. Similis eſt infra locus, Qui tentauit, vt opinor, patientiam veſtram, cùm ſe nobilem eſſe diceret. Tentamini leuiter cùm dicit, ſignificat Tribunos exiſtimaſſe id populo non magno dolori futurum, cùm tamen id acerbiſſimum ei debeat eſſe.

*Diminutionem* ) Libertas enim eius diminuitur, cui ſuffragium adimitur: ac magnæ ignominiæ erat, à Cenſoribus Tribu moueri, quod eſt ſuffragio priuari. Hinc illud in Vatinium, *Quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignum putet.* Socijs etiam ciuitatem aliquando datam ſine ſuffragio legimus, tam magno id æſtimabatur, quo hac lege populus à Rullo priuatur.

*Septemdecem* ) Soſipater, Septemdecem antiqui dixerunt, quoniam obſeruabant, vt minores numeros prius ponerent. Sed iam exoleuit. Ergò Septemdecim vſitatum eſt: Septemdecem vetus. Eſtq. hic vetuſtè locutus Cicero.

*Nouẽ tribus* ) Tributis comitijs creat Decemuiros lege ſua Rullus. Ita qui maiorem è ſeptemdecim tribuum partem tuliſſet, verbi gratia nouem, Decemuir creatus eſſet.

*Curatores* ) qui populum in colonias deducerent, agroſque aſſignarent.

*Triumuiri Quinqueuiri* ) Quotcunque legis Agrariæ lator curatores ferebat, populus probabat, agros aſſignabant. Sed ſæpenumerò ea res Triumuiris committebatur, aliquando Quinqueuiris: de quib. Flaccus ſcripſit, — *plerunq; recoctus Scriba ex Quinqueuiro coruum deludet hiantem.* Et Cic. in Academicis, *Neminem Conſ. prætorem, imperatorem, neſcio an ne Quinqueuirum quidem.* In oratione de prouincijs Conſular. cùm ſcribitur, *Me ille vt Quinqueuiratum acciperem, rogauit: mendum eſſe videtur, ſcribendumque apparet, XXviratum.* Nam Cæſar XX viris deductionem coloniæ lege ſua mandauit, vt honos pluribus communicaretur, id minus dominationi ſimile videretur. γεωνόμους appellat Dion hos Triumuiros, Quinqueuiros, Decemuiros, id eſt, agri diuiſores.

*XXXV.* ) Per vniuerſum pop. Romanum, qui in XXXV. tribus coniectus erat: quarum erant vrbanæ quatuor, vna ſuburbana, XXX. ruſticæ. *Initio autem rerum Romanarum,* vt ait Varro, *ager in tres partes diuiſus eſt, à quo Tribus appellatæ, Tatienſium, Ramnium, & Lucerum.* Ab hoc quatuor quoque partes vrbis Tribus appellatas ſcribit, quintam quòd ſub Roma Romuliam. Sic reliquas ab ijs deinceps, de quibus in Tribuum libris ipſe ſcripſerat.

*Poteſtates )* Vlpiano poteſtas imperium merum eſt, quod habet gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos. Poteſtas maiorum magiſtratuum tàm vrbanorum, quàm prouincialium fuiſſe videtur. Sic Tribunitia poteſtas dicitur, quam Tribunis ademerat Sylla. Sic Tribuni conſulari poteſtate creati ſunt. *Cum poteſtate eſſe* dicit Feſtus *eum, qui à populo alicui negotio præfectus eſt. Cum imperio eſſe, cui nominatim imperium à populo datum.* Sed & imperium in ijs dicitur, qui exercitui præſunt. Hic, vt ſæpè, generalia vocabula ſunt magiſtratuum, poteſtas & imperium.

*Tum eas )* vt curationes Agrarias, & coloniarum deductiones. *Suffragio ſuo )* vt tabella ſua, ſuoque puncto, ſtudium etiam nauando & operam, alicuius Decemuiri animum promereatur, & alliciat. & ad benè de ſe merendum inuitet. Suffragium eſt in tabella ferenda, ſtudium in reliqua diligentia, & reliquo fauore Candidatis præſtando. Munit viam, qui ſibi viam parat, & aditum patefacit, eſtque translatio.

*Potiſſimum )* cui minimè venire debuiſſet: cùm is non imminuere ius populi, ſed augere eius commoda potius debeat. Itaque ab alio quouis magiſtratu id potius ortum eſſe oportuit.

*Vniuerſum )* Cùm pars eius tantùm in ſuffragium vocetur, non totus populus.

*Certa condit. iur. )* Certa conditio iuris eſſet, ſi certis Tribubus nominatim poteſtatem creandorũ Decemuirûm mandaſſet. Nunc verò Tribus ad ſortis fortunam vocat. Hic certè nonnullam calumniã Rullo Cicero adhibet. Sorti enim rem committebat, ne quam tribum præferret, neu quam iure priuaret. Omnium enim tribuum nomina in vrnam mittebat, ſeptemdecim ſorte educebat: vt à fortuna potius ius ſuum, quæ ſuffragio excluderentur, imminutum queri deberent, quàm à Rullo, qui omnes exæquabat, & operam dabat, vt ſine tumultu & turba comitia haberentur: quæ plerunque, cum triginta quinq; Trib. vocabantur, confuſiora & turbulentiora erant.

*Ad vſurpandam libertat. )* Paulus Iuriſconſultus, *Vſurpatio eſt,* inquit, *vſucapionis interruptio.* Oratores autem vſurpationem, frequentem vſum vocant. Hic prior ſignificatio quadrare videtur. Vſurpat enim libertatem, qui eam retinet, & interrumpit vſucapionem contra eam cœptam.

*Item inquit eodém q; modo )* in quibuſdam libris, Idem inquit, eodem modo.

*Pontificis maximi )* qui tributis comitijs creabatur per ſeptemdecim Tribus ſorte ductas. Pontifici autem Max. omnia priuata publicaq; ſacra ſubiecta erant lege Numæ, conſtitutuſq; erat iudex & arbiter rerũ diuinarum humanarúmque. *Creari fas non erat )* Maiores veſtros, in quibuſdam libris hic ſcribitur. Quod etiam non improbo. Pollui autem viſa eſſent ſacra, ſi ſacerdotium à promiſcua plebe mandatum fuiſſet, potius quàm cooptatione traditum. Tamen propter amplitudinem ſacerdotij eius, cui res omnes humanæ diuinæque ſubiectæ ſunt, placuit Pontificem Maximum comitijs creari. Itaque apud Liuium Pontifices Max. comitijs creantur. Errant qui pontificatum magiſtratum appellant, cùm ſacerdotium ſit. *De cæteris ſacerdotijs )* Vt comitijs Pontifices Max creabantur, ita Domitius Tribunus plebis tulit: vt reliqui Sacerdotes crearentur comitijs, non cooptarentur ſine pop. ſuffragijs à collegijs. Ante Domitiũ cooptationem collegiorum ad pop. beneficium transferre tentarat C. Licinius Craſſus: cuius vendibilem & popularem orationem religio deorum immortalium, Lælio prætore defendente, facilè vicit. Domitius autem tertio Marij conſulatu pontificibus offenſior, quòd alium quàm ſe, in patris ſui locum cooptaſſent, ius ſubrogandorum Sacerdotum à Collegijs ad populum tranſtulit. Sed legem Domitiam Sylla victor ſuſtulerat, & cooptationem collegijs reddiderat. Conſule Cicerone Labienus, Cæſaris ſuaſu & impulſu, legem Domitiam reuocauit: & ius ſufficiendorum Sacerdotum collegijs ademit, contra legem Corneliam. *Per religionem )* cùm auſpicia & ſacra Patriciorum & Nobilium viderentur.

*Minor pars )* ſeptemdecim Tribus: maior enim pars octodecim: populus vniuerſus XXXV. Tribus. Ac Concilium propriè vocatur, cùm pars populi aduocatur, non totus populus: non vt quidam malè ſcribunt Conſilium: vt cùm plebs à tribuno aduocatur, aut vt hic ſeptemdecim Tribus: quanquam etiam comitia appellantur, vt hic: & in tribunitijs actionibus, quòd plebs tantùm aduocetur, Concilium frequentius legitur. Comitia tamen etiam dicuntur.

*A Collegio )* Vt Pontificum aut Augurum cooptatio dicitur, cùm collegæ ſimul aliquid optant & deligunt, vt Cenſores Senatorem. Quod enim quidam dicunt Senatorem à Senatoribus cooptatum fuiſſe, falſum eſt: Augures, Augurem: Pontifices, Pontificem. Itaque lib. 3. de Legib. *cùm ex ijs, qui magiſtratum adepti ſunt, ſenatum faciat. ſe tollere dicit cooptationem Cenſoriam, ordinémque Senatorium ſe ad populi beneficium reuocare.* Proinde populus non dicitur cooptare. Quandoquidem nonnulli de hoc dubitant, cùm à comitijs alieniſſima cooptatio ſit, & lege Domitia pop. ſuffragium cooptatio collegiorum ſequatur.

*Tentauit vt opinor patientiam )* Experiri voluit quàm patientes eſſetis, cùm ſe impudentiſſimè nobilem mentitus eſt, qui ignobilis ſit. Atqui de Aruſpicum reſponſis, *eum rebus omnibus clariſſimum & ampliſſimum dicit.* Hic igitur cauſæ ſeruit, cùm, vt reor, familia Rullorum non eſſet ignobilis, etſi forte diu honoribus caruerat. Fuit Rullus auus Q. Fabij Maximi, qui ex eo Rullianus vocatus eſt, vir clariſſimus. Quem intelligit quinta Philippica Cicero, cùm ſcribit, *At verò apud antiquos Rulli, Decij, Coruini.* An ab eo Seruilius genus duxerit amplius, quærendum cenſeo.

*Per ceremonias )* per religionem, vt paulo antè dixit. *Quòad poſſet )* Immo verò ea res tota, beneficium populi erat, cùm eſſet neceſſe cooptare collegis, quem populus creaſſet: vt verbo, cooptatio retineretur: re, ſublata eſſet, verùm callidè Cicero excogitauit minori parti pop. eam rem permiſſam, ne contrà religionem ac fas, populus Sacerdotes creare videretur: cùm id fieret, vt minore negotio & turba res tota tranſigeretur. Nec, vt reor, Domitius, cùm legem tulit, hoc ſpectauit, aut cogitauit: ſed pop. Ro. ius eſſe voluit, vt Pontificis Max. ſic aliorum Sacerdotum creandorum: & vt nunc Rullus exemplum ſibi proponit pontificalium comitiorum, item quoque tùm ſibi propoſuerat Domitius. Quanquam Rullus exempla potius curatorum deducendis colonis creatorum, quàm Pontificum ſequi debuit: vt rectè Cicero diſſerit. *Quin ij qui )* Triumuiri, Quinqueuiri, Decemuiri.

*A pop. beneficium )* à pop. crearentur, pop. Romani beneficio deſignarentur.

Quam



*Quàm darent )* quàm colonos deduceret, agros aſſignaret. *Extorquere )* Extorquere eſt vi & tanquam torquendo aufferre: vnde tranſlatio. Nam quòd à gladiatoribus ductum id quidam putant, non eſt verum. *Quodam modo )* Immo verò in totum dedit. Nam quanquam tantùm ſeptemdecim Tribus ſuffragium ferebant: tamen cùm XXXV. in vrnam mitterentur ad ſortitionem, vniuerſo pop. permitti videbatur. *Spectarit )* Non enim veriſimile eſt, eum gratis malum eſſe voluiſſe. Proinde docet quid ſpectarit, quid ſecutus ſit Rullus: cùm pop. Romanum ſuffragijs priuauit: eum dicit Decemuiratum affectaſſe, & reliquos Decemuiros cupijſſe ſui eſſe beneficij.

*Fides erga )* in tuendo plebis iure, tuendaqúe eius libertate, cuius cuſtos eſt Tribunus pleb.

*Iubet enim comitia )* Se ſua lege Rullus comitiorum Decemuiralium rogatorem conſtituebat: quòd in ſuſpicionem vocat. *Non cupidus )* Ironia eſt. Nam & cupidum & appetentem intelligit: quod in ſuſpicionem venire debet.

*Feciſſe alios )* Res non eſt noui exempli, nec eo nomine reprehendenda.

*Volet eos denuntiare )* Apparet hic Denuntiare eſſe eos, qui inter Candidatos profeſſi ſunt, nominare: de quibus Tribus ſuffragium laturæ ſint, qui Renuntiantur: cùm deſignati ſunt: vt Denuntiare ſit ante ſuffragium, Renuntiare poſt ſuffragium. Cuipiam fortaſſe Renuntiare legendum eſſe videatur. Infra enim ſcribitur, *Quis Decemuiros, quos voluit, renuntiauit? idem Rullus.* Non tamen hic quicquam immutare auſim. Nam denũtiare aliquem dici poteſt, pro denuntiare eum eſſe petitorem & candidatum. Vt renũtiare aliquem, eſt renuntiare eum eſſe factum. Quod autem quidam dicunt eſſe, gratiæ cauſa populo commendare, falſum puto.

*Vniuerſo pop. )* XXXV tribubus, quòd illi non tam facile eſſet, quos vellet facere. *Sortietur tribus )* Nomina tribuum in ſitellam mittet, & ſeptemdecim ſorte ducet.

*Homo felix )* felicitati locus eſſe videtur, vbi & infortunio: in fortuna ſcilicet & caſu, qui plurimus eſt in ſorte. Atque hic felix eſt, qui εὐτυχὴς dicitur à Græcis. Fraudem ſorti adhibiturum Rullum ſignificat illudens & felicem vocans: eaſqúe, quas volet tribus è ſitella educturum eſſe. Diſtingui ſic etiam locus poteſt, *Idem Rullus, homo felix educet.*

*Educet )* è ſitella. Nam in ſitellam ſortes conijciebantur. Cic. lib. 1. de Natur. Deorum, *Vt igitur T. Gracchum cùm videor concionantem in Capitolio videre, de M. Octauio deferentem ſitellam, tum eum motum animi dico eſſe inanem.* Interdum etiam in vrnam mittebantur, vt in iudicijs. Hinc, ----- *Quæſitor Minos vrnam mouet.* Apud Plautum etiam ſortitio fit in Caſina, *ſortibus in ſitellam aquæ plenam miſſis.*

*Ab eodem Rullo )* qui ſcilicet fraudem adhibebit, vt quos velit educat. *Notis hominibus )* gratioſis, qui Tribum eis reficere potuerunt. Quidam enim, qui gratia valebant in ſua Tribu, eam quibus volebant, facilè dabant. Horatius, ----- *Hic multum in Fabia valet, ille Velina: Cuilibet hic faſces dabit, eripietq; Curule Cui volet importunus ebur.*

*Se primum )* non erat id in lege, vt reor, à Rullo poſitum, ſed ita futurum conijcit Cicero: vt ſe Decemuirum creet Rullus: quod per leges non licet. Se enim creauerant duo Gracchi, quod idem facturum Cicero Rullum videt.

*Neq; eæ Conſular. )* quæ à commodis plebis fortaſſe alieniores viderentur propter Senatorium magiſtratum: ſed Tribunitiæ, cùm Tribuni cuſtodes ſint & defenſores vtilitatum plebis.

*Licinia eſt )* C. Licinius Stolo Tribunus legem tulit Agrariam, ne ciuis Romanus plus D. Iugera poſſideret: qui poſtea ſua lege condemnatus eſt. *Euſdem gentis,* vt ait Varro, *C. Licinius Tribunus pleb. cùm eſſet, poſt Reges exactos annis 365. primus populum ad leges accipiendas in ſeptem iugera forenſia è comitio eduxit.* Cuius rei ità Columella meminit, *Ideoq; poſt Reges exactos Liciniana illa ſeptena iugera, quæ plebi triuiritim diuiſerat, maiores quæſtus antiquis retulere.* Erat igitur, vt reor, in hac Agraria lege caput, ne lator ſibi curationem ferret: id eſt, ne in Triumuiris agro diuidendo eſſet. Quod Liciniæ legis caput ſic pro domo refert Cicero, *Præter quàm quòd ne id quidem per legem Liciniam, vt ipſe tibi curationem ferres, facere potuiſti.*

*Altera Ebutia )* Lex Ebutia quædam duodecim Tab. capita antiquauit, de proletarijs, de aſſiduis, de Sanatibus, vadibus, ſubuadibus, de XXV aſſibus Talionibus, Furtorum quæſtionibus, cùm lance & licio. Erat etiam in lege Ebutia caput, *Ne quis ſibi, collegis, ſuiſqúe curationem aut poteſtatem ferret.* Recentior autem erat quàm Licinia. Lata eſt ab Ebutio quodam Tribuno pleb.

*Sed etiam collegas eius )* Cùm lex Licinia tantùm exciperet, Ne quis ſibi ferret. Vetuit præterea lex Ebutia ne quis ſibi, collegis, ſuiſqúe ferret.

*Etenim ſi )* Liciniæ legis & Ebutiæ æquitatem oſtendit. Æquum enim eſt, vt qui plebis commodo ſtudere videri vult, ſe ab omni ſuſpicione ſui commodi remoueat: proinde curationem ſibi non ferat. Itaque Iulius Cæſar cùm per vigintiuiros agrum Campanum diuideret, ne quid ſibi quærere videretur, diligenter cauit, ne in XXuiris eſſet. Ergò illud, *Si conſulis, eſt, ſi quis conſulit.* Neque de Rullo tantùm, vt quidam malè interpretantur, ſed de latoribus omnibus dicitur.

*Ad alios )* non ad te. Magno verſantur in errore, qui, Ad illos, hic legunt. *Nam hoc quidem vix eſt liberi )* nedum Romani, qui maximè liber eſt. *Magnificentiæ )* Magnificentia fortitudinis pars eſt, ea eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio.

*Suffragijs priuauit )* In quibuſdam lib ſcriptis, Prohibuit, legitur. *Præfuit )* Præeſſe comitijs dicitur, qui comitia habet.

*Nullo cuſtode )* Cuſtos enim ſi non adſit, fraudem faciet, & quas volet Tribus educet, alijs circunuentis. Cuſtodes ſortientibus Tribus adponebantur: adponebantur & ſuffragijs. Cicero in Piſonem, *Tu miſericors me affinem tuum, quem comitijs prærogatiuæ primum cuſtodem præfeceras.* Et alio loco, *Eſquando illa dignitate rogatores, diribitores, cuſtodeſque vidiſtis?*

*Renuntiauit )* Præcones renuntiant quem quæque tribus aut centuria fecerit. Qui comitia habet, eum

D

quem plures tribus aut centuriæ fecerint, renuntiat magiſtratum. Ac renuntiationem præconum, ſequebatur renuntiatio eorum, qui comitijs præerant. *Principem*) Primum Decemuirum. *Optima leges*) Licinia & Ebutia.

*Sine vlla exceptione*) funditus tollentur, vt nihil quicquam earum reliquum ſit. Id enim hìc ſine exceptione dicit. Legitur etiam in quibuſdam lib. ſcriptis, *Sine ſuſpicione*, vt intelligat leges optimas, quæque populo minimè ſuſpectæ eſſe debeant. Petet enim curationem Rullus.

*Idem legis ſibi ſua lege*) melius in quibuſdam ſcriptis libris, Idem lege ſibi ſua curationem petet. Id nimirum eſt, quo tolli penitus Liciniam & Ebutiam legem dixit.

*Adſcriptores legis*) Ex eius collegis, quidam legi fauebant, & ab eo de lege Agraria conſulti quædam capita adſcripſerant. Nam inde fluxit adſcriptoris ſignificatio: cum quis adijcit, quod qui facit etiam probat. At Subſcriptor eſt, qui ſubſcribit ſe probare. Hic adſcriptorem à nonnullis cauſidicum explicari equidem vehementer doleo.

*Locus primus inuidiæ*) Vetus liber, Inuidiæ, & in præſcriptione: quæ ſcriptura idoneã habet ſententiam. Primus locus inuidiæ dicetur, quòd primus Decemuir creabitur. Nam cùm ob poteſtatem ſit inuidioſus Decemuiratus futurus, tùm verò ea poteſtas inuidioſior erit ei, qui primus erit. Primus locus in præſcriptione legis: quia in legis titulo nomen Rulli futurum erat, qui legem ferebat, cùm eſſent tantùm adſcriptores alij, ac Seruilia de nomine eius eſſet vocata. Eſt igitur præſcriptio, titulus legis, in quo nomen latoris ponitur: quia præſcribitur legi. Quòd ſi, vt vulgo, legas, inuidiæ in præſcriptione legis, intelliges, propter poteſtatem Decemuiralem inuidioſam eſſe legem. Ita primum præſcriptionis, quæ inuidioſa eſt, locum Rullo conceſſum in ferenda lege, cùm alij tantũ adſcriptores eſſent. Nam poſtea poteſtas etiam inuidioſa erit, quam etiam eius collegæ adipiſcentur: & ſibi conceſſam præſcriptionem legis Decemuiratu compenſabit.

*Communi cautione*) Cautio eſt, cùm vel verbis, vel ſcriptis, vel pignoribus datis paciſcimur, interq; nos cauemus. Pro ſyngrapha ponitur à Iuriſconſul. vt, *Lecta eſt in Auditorio Papiniani præfecti prætor, huiuſmodi cautio.* Igitur communi quadam obligatione & pactione, communia erunt inter eos commoda.

*Sibi parte*) Vetus liber, Ei parte: idque haud paulò melius. *At videte*) aliter, Ac videte.

*Si aut Rullum*) non enim in eo ſatis eſt ingenij, vt id cogitare potuerit, ſed conſultorum eius & adſcriptorum cogitatum eſt.

*Viderunt*) Intellexerunt vos eam poteſtatem eſſe Pompeio delaturos: quem cùm habere collegam nollent ſuarum cupiditatum vindicem, vt eũ excluderent, abſentis ratione haberetur lege ſua cauerunt. Huic autem loco nihil deeſt: quod moneo, quia nonnulli hìc aliquid deſiderant.

*Fides*) in vos. Nam Rullus fidem non ſeruabit, voſq; fallet. *Integritas*) Innocentia & ſanctitas, non inhians prædæ, nec quæſtus cupida.

*Virtus*) fortitudo. Nam plerunque pro ea virtus dicitur: & genus pro ſpecie vſurpatur. Hæc omnia Pompeio pro lege Manilia tribuit.

*C. Pompeium*) Nomen Pompeij valde charum erat pop. Romano, Senatoribus ſubinuiſum. Itaque hìc homini populari & iucundo plebi, iniuriam lege fieri docet, vt eam in odium vocet. Transfuga eſt appellatus ab aduerſarijs Cicero, quòd cùm Optimatum partes eſſet ſecutus in prætura: Pompeium hominem popularem laudaſſet & ornaſſet in Manilia rogatione.

*Omnibus omnium gentium*) Putem explicari hunc locum debere, quòd Pompeius in Africa bellum geſſerit cum Domitio: in Hiſpania, cum Sertorio: in mari, cum piratis: in Aſia, cum Mithridate. Cui etiam alioqui bello Piratico decretũ ſit imperium ampliſſimum, ad commune omnium gentium bellum, omneſque propè ei poteſtates & magiſtratus Romani ſubiecti ſint: vt Dion ſcribit. Cic. pro lege Manil. *Vnum ſibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depopoſcit.*

*Adoleſcentia*) non adoleſcens, qui magiſtratibus gerendis nondum ſit idoneus: & legibus annalibus à magiſtratũ prohibetur.

*Legitimum*) Impedimentum aliquod legibus cautum: vt cæcitas, ſurditas, furor, ignominia. In quibus enim hæc ſunt, magiſtratus petere prohibentur.

*Non poteſtas*) Nam ſi magiſtratum alium gereret, meritò à Decemuiratu excluderetur. Tum autem confecto bello Mithridatico, exercitum victorem habebat in Aſia Pompeius.

*Reus denique*) Reo magiſtratum petere non licebat. Salluſtius, *Paulo poſt Catilina repetundarum reus prohibitus erat Conſulatum petere, quòd intra legitimos dies profiteri nequiuerit.*

*Profiteri*) Profiteri, eſt declarare ſe petitorem eſſe, nomenq; ſuum inter candidatos dare. Quod autem hìc reprehendit, vſitatum ferè erat, vt Plutarchus in Cæſare dicit: quem ex Hiſpania reuerſum, omittere triumphum ſcribit coactum eſſe, quod præſentem profiteri iuberent. Cæſarem quoq; Tranquillus ſcribit petijſſe, vt legibus ſolueretur, nec obtinuiſſe tamen. Poſtea etiam lege Pompeia, & iure magiſtratuum, abſentes à petitione honorum ſummoti ſunt. Hic ex veteri libro legendum eſſe cenſeo, *Præſentem enim profiteri.* Vulgo legitur, Præſentem eum.

*Quorum certus ordo eſt*) in Ædilitate, Prætura, Conſulatu: qui magiſtratus quotannis certo ordine creantur. Decemuiratus autem & Triumuiratus extraordinarij ſunt.

*Si adeſſet*) præſens eſſet, cùm lex ferretur. Itaque eius abſentia captata eſt. *Accepta lex*) abſente Pompeio. *Illum ſibi*) etiam abſentem. *Dignitate*) quæ hac lege violatur. *Contumelia*) quæ iniurioſa eſt in Pompeium, quem excipit, & cuius abſentis rationem haberi non vult.

*Commotos*) admurmurauit concio & commota eſt, audita Pompeij iniuria. Similis eſt locus pro lege Manilia, *Veſtra admurmuratio facit, Quirites, vt agnoſcere videamini, qui hæc fecerint.* quod concionem plauſiſſe aut clamaſſe quidam dicunt, verum non puto.

*Renouabo*) reuocabo, & repetam. vt ad Herennium, *Vt renouetur, non redintegretur oratio.*

*Regnum*)



*Regnum*) oppreſſionem veſtræ libertatis iſtos latores cogitare, cùm eius cuſtodem & vindicem excipiant. *Cupiditatis oculos*) Cupiditas hic auaritia eſt, ſtudiumq; quærendi & alienum inuadendi. auiditas etiam dicitur, πλεονεξία Græcè. Oculum autem adijcere dicitur, quomodo *Adijcere animum ad virginem* apud Terentium, id eſt, quod Græci dicunt vno verbo, ἐποφθαλμιᾶν. & duobus, Latinorum more, προσβάλλειν ὀφθαλμόν. Sed & προσβάλλειν ſine adiectione. Sic *adiectus odoris*, pro odoris appulſu dicitur à Lucretio: id eſt, προσβολὴ ὀσμῆς.

*Ex omni cuſtodia*) cuſtodem veſtræ libertatis veſtrorumq; commodorum Pompeium ſummoturos.

*Incognitam*) cuius ignoretis vitia & inſidias. Eam enim, ſi cognoſcatis qualis ſit, nunquam probabitis. Itaque qui vos docere inſtitui, negligentia mea fuerit, niſi eius vitia patefecero.

*Poſtea*) quàm acceperitis legem. Antè enim lex accipitur: deinde Curatores ex eius præſcripto creantur. *Cn. Pompeij*) viderunt vos Cn. Pompeium eſſe deſignaturos, quem opponatis aliorum vitijs & ſceleribus. *Et hoc parum*) Et, affectum indicat, vt apud Græcos εἶτα. Diceretur enim εἶτα καὶ αὐτὴ πίστις ἔτι μικρά. In quodam libro ſcripto, locus iſte totus pronunciatiuè legitur: hoc modo, Et hoc primum argumentum vobis erit & cæt.

*Eum*) Cn. Pompeium, excludi Decemuiratus petitione. *Lege Curiata*) Tributis comitijs creat Decemuiros, quos deinde ornat lege Curiata: vt imperium habeant & exercitum. Nam *comitia Curiata*, vt ait Liuius, *rem militarem continebant:* &, vt Cicero ſcribit, *ſine lege Curiata Conſuli rem militarem attingere non licebat.* Liuius etiam alio loco meminit Curiatæ legis, *quod nec iniuſſu populi mutari finibus poſſit, nec niſi dictator dictus auſpicia in exercitu habere, lex Curiata lata eſt, dictatorq; abſens dictus.* Iterum, *Atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffudit, quod ſaucia curia fuit principium, duabus inſignis cladibus, captæ vrbis, & Candinæ pacis.* Cicero lib. 1. Epiſtolarum, *Appius in ſermonibus antea dictabat, poſtea dixit etiam in ſenatu palàm, ſeſe, ſi licitum eſſet, legem Curiatam ferre: ſortiturum eſſe cum collega prouinciam: ſi Curiata lex non eſſet, ſe paraturum cum collega tibiq; ſucceſſurum.* Sub regibus propè omnia lege Curiata fiebant: cùm ea etiam quæſtores crearentur. Tacitus, *Sed quæſtores regibus etiam tum imperantibus instituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita.*

*Cui nullis comitijs*) Nam Decemuiralia comitia nulla putat: cùm maior pars populi ſuffragio priuetur à Rullo, nec iuſta comitia ſint. Iuſta autem comitia ſequitur lex Curiatis comitijs lata de imperio & exercitu, quæ Curiata dicitur à triginta curijs. Lege Curiata ad plebem tranſijt Clodius, quod familiam mutabat. Familiæ autem in ſuas curias coniectæ erant. A Dione νόμος φρατριατικὸς appellatur. Libri ſcripti, Qui nullis comitijs, habent, non, Cui. atque haud paulo melius eſt.

*Primus factus*) primus Prætor renuntiatus. Multi enim Prætores creabantur, ac magni erat honoris primum fieri, ſuiſque omnibus collegis præferri, mirum autem mihi videtur extitiſſe, qui proderent, octo fuiſſe Romæ prætores vrbanos, cùm vnum ſemper legamus.

*Quos plebs*) Errauit Rullus, meritoque reprehenditur, qui Decemuiros ſcripſerit à plebe deſignatos: populum enim dicere debuit. Nam Tributis comitijs ſuffragia fert populus, non ſola plebs.

*A plebe*) ſed à populo. Qui autem aiunt reprehendi Rullum, quòd Decemuiros per vniuerſam plebem nunc faciat, cùm primo capite per nouem tribus faceret, errant: quòd enim plebem, non populum dixerit, reprehendit. Nec id in primo capite, ſed in ſecundo dixerat.

*Conſtringit*) deuincit, obligat, adſtringit, à vinculis ductum arctis. *Relinquatur*) qui ne vnam quidem comitiorum poteſtatem pop. relinquit.

*De omnibus mag.*) libri vet. De ſingulis: vt paulo poſt, *Voluerunt vos de ſingulis magiſtratibus iudicare.*

*Bis vos ſententiam ferre*) Quatuor erant apud Romanos comitiorum genera, Curiata, Centuriata, Tributa, Calata. Nec enim mihi Felicis ſententia probatur, qui apud Gellium Calata facit Curiatorum & Centuriatorum genus: neque, vt reor, id confirmari poteſt vllius auctoris teſtimonio. Curiata, à 30. curijs, in quas vrbem Romulus diuiſerat, ſunt appellata. Itaque Romuli ætate, & aliquandiu poſtea multum potuere: poſtea ijs vti cœperunt in imperij auſpicijs poſt magiſtratum adeptum mandando, & re militari. Poſtremò curiæ ipſæ adhiberi Curiatis comitijs deſierunt, & earum loco in ferenda lege Curiata, triginta lictores ſinguli ſingularum curiarum adhibiti ſunt. Tributa comitia nomen habent à Tribubus: (nam valde errant, qui curias cum tribubus hìc confundunt, & qui per Curiatam legem Triumuiratum creari putant) quæ erant quatuor vrbanæ, vna ſuburbana, XXX ruſticæ. Nam Tribus loca & regiones vocabantur: vt *Papinia agrum Pupinienſem continebat. Sergia tribus,* vt ſcribit Cicero in Vatinium, *Pelignorum, Marſorum, Sabinorum regionem continebat.* Sic reliquæ. In Tributorum comitiorum interpretatione magnis irretiti erroribus quidam tenentur, quos refellere properanti non licet. Centuriata fiebant, populo in claſſium centurias ex ætate & cenſu deſcripto: quibus Cenſores, Conſules, Prætores creabantur: vt Ædiles & Tribuni, Tributis. Calata ſuſpicor fuiſſe: nihil enim præter coniecturam habeo, quibus neque in curias, nec in tribus, nec in centurias populus eſſet diſtributus: ſed promiſcuè & confuſè ſine vllo diſcrimine multitudo conuocata eſſet. His Flamines & ſacerdotes, qui à collegio cooptati fuerant, & pontifices, qui Tributis comitijs deſignati fuerant, inaugurabantur: teſtamenta etiam fiebant priſco iure, quæ Calatis comitijs facta dicebantur. *Hæc comitia,* Theophilus, ſi quis ei fidem habet, *bis quotannis teſtamentorum cauſa fieri ſolita,* ſcribit. Bis autem ſententiam olim ferebat, populus de quoque magiſtratu. Nam magiſtratus lege Curiata vel Centuriata deſignatus, iterum ſubibat populi iudicium comitijs Centuriatis. Quod autem nonnulli hìc aiunt, Numam creatum regem comitijs Centuriatis, errant: nondum enim erant inuenta Centuriata comitia, quorum auctor fuit Rex Seruius. Rurſus quod ſcribunt in Curiatis fuiſſe tantum ſeptemdecim tribus, falſum: Curiæ enim XXX erant, non Tribus.

*Nam Centuriata*) Vetus liber, melius. Nam cùm Centuriata lex. Centuriata lex centuriatis comitijs ferebatur: qua pop. iubebat aliquem Cenſorem creari, qui iterum comitijs Centuriatis deſignabatur. Curiata lex, comitijs Curiatis ferebatur.

*Cæteris patricijs*) præter Cenſuram, cui ferebatur Centuriata propter magiſtratus amplitudinem & diuturnitatem. Patricios magiſtratus vocat, Conſulatum, Præturam. Nam Ædilitatem, Quæſturam, Tributis comitijs mandabant: quamuis olim Quæſtores lege Curiata, vt ſcribit Tacitus, creauit Brutus. Eos magiſtratus olim ſoli patricij & nobiles capiebant, poſtea etiam plebeij. Plebeijs autem magiſtratibus Curiata lex non ferebatur, quia plebs, vt ait Liuius, *auſpicia non habebat:* cum lex Curiata etiam ad auſpicia & religionem pertineret. *Iudicabatur*) in comitijs Tributis aut Centuriatis.

*Centuriata et Tributa*) Antè lex Curiata aut Centuriata antecedebat: ſequebanturq́; comitia, quibus iterum iudicabatur. Ætate Ciceronis magiſtratus comitijs Tributis aut Centuriatis creabantur: comitia autem Curiata ſequebantur: non vt olim antecedebant, & ad religionem tantum & auſpicium pertinebant, non vt olim ad deſignationem.

*Ea quæ vos non ſinitis*) quæ vos confirmari non ſinitis Curiatis comitijs. Nam Curiatis comitijs Rullus non auſpicium tantum tribuit, ſed poteſtatem etiam Decemuirûm confirmat nullis comitijs deſignatorum, priuato ſuffragijs populo. Quidam hic, *Initis*, legunt: quòd iam populus non iniret comitia Curiata: ſed eius loco 30. lictores. Qui autem hic, *Sinitis, iubetis*, interpretantur, ſani non ſunt.

*Tributa, quæ veſtra*) Cùm maximam partem populi ſuffragio priuauit lege ſua. *Ne vnam quidem*) Nam Tributa ademit vobis: Curiata autem ingredi non ſoletis.

*Religionem*) Ironia eſt, Religionem autem dicit propter legem Curiatam, quæ ad religionem & auſpicia pertinet. Errant autem grauiter, qui auſpicia legis Curiatæ pertinere putant ad ea auſpicia, quibus magiſtratus creabantur: cùm iam creatis ferretur. Ad religionem autem & auſpicia pertinet, propter curiarum ſacra. Eaq́ue lege imperio, & rei militari auſpicabantur.

*Per nouem tribus*) quoniam non eſſent iuſtis comitijs creati, ſed maiore populi parte ſuffragijs priuata.

*Prætori imperat*) legem enim Curiatam ferre Tribunus non poterat, propter auſpicium, quod nullum plebis eſt.

*Abſurde*) Abſurdè enim iubet Rullus, qui imperet primo Prætori ferre legem Curiatam, ſin is ferre non poſſit, ei qui poſtremus factus ſit. Ineptum enim eſt à primo ad poſtremum tranſire, cùm ad ſecundum debuerit. Id tamen fecerat, vt reor, Rullus, imperans omnino Prætoribus lationem legis Curiatæ, vt ſi alij non poſſent, ſaltem poſtremus ferret. Qui peccaſſe Rullum cenſent, quòd Prætori maiori & patricio magiſtratui imperarit, & in eo à Cicerone reprehendi, aberrant à ſententia.

*Luſiſſe*) Ludere videtur qui ridicula dicit, vt qui inepta & abſurda loquitur: velut hìc Rullus de primo & poſtremo Prætore.

*Spectaſſe*) callidè & malitiosè commodum aliquod ſuum, quod ignoremus, ſecutus eſſe.

*Peruerſum*) præpoſterum ac prauum. Sic à primo ad poſtremum tranſire.

*Malitioſum*) Sæpè enim calliditas & malitia latet & obſcura eſt, neque quid ſpectet, neque quo euadat, videmus.

*Ad religionem*) quam contempſit, ſublata lege Curiata. Nam ſi ea non ferretur, voluit tamen eodem iure ac poteſtate Decemuiros eſſe, ac ſi lata eſſet. *Lege Curiata*) Nam legis Curiatæ auſpicijs permittitur in prouincia exercitum habere, & cum poteſtate eſſe, & pro imperio & poteſtate in prouincia agere quæ velis. *Eodem iure*) ea poteſtate. Liuius, *An hunc non vt qui optimo iure cenſor creatus eſſet, populus creauit.* *Nullis comitijs*) Nullis enim à Rullo comitijs creantur, priuato ſuffragijs populo.

*Quo qui optima lege*) *Vt optima lege*, inquit Feſtus, in magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quàm pleniſſimum ius eſſe poſſet, ſignificabatur, vt fuit M. Valerij, M. Fabij Voluſinæ gentis, qui primus magiſter à populo creatus eſt: poſteaquam verò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, *vt optima lege:* vtpote imminuto iure priorum magiſtrorum. Hic autem, *Vt qui optima lege* dicitur, qui lege Curiata ſine vllo vitio, & interceſſione maximam poteſtatem maximumq́ue ius conſequitur.

*Curiatam ferre*) quæ ſolet ſequi iuſta comitia, quibus ſublatis, quis locus relinquitur Curiatæ legi? cùm præſertim ſi non feratur, eodem iure eſſe velis, quo qui optima lege vnquam fuerunt.

*Si optima*) In libro ſcripto, Quod haberent lege ſi à populo. *Itaque ab his*) Quidam libri, ijq́; ab his initijs. *Naſcuntur*) Sic Rulli lege creantur, vt veſtrum ius veſtraq́; libertas imminuatur.

*Tribunitiæ poteſtatis*) Tribunitiam poteſtatem imminuit, ſublato interceſſionis iure. Vetat enim legi Curiatæ intercedi.

*Curiatam ferentibus*) de imperio ſuo ferentibus Curiatam legem: vt in Ciliciam profecturus Appius Conſul, Lentuli ſucceſſor. Quod autem legem Curiatam tollebat Rullus, excuſari poterat. Multi enim cenſebant eam non eſſe neceſſariam. Proinde in Epiſtolis Ciceronis ſic ſcribitur de Appio, *Legemq; Curiatam Conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe: ſe quoniam ex Senatuſconſulto prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in vrbem introiſſet.*

*Interceſſum*) Interceſſum cum dicit, etiam temerè interceſſum intelligit. Itaq; mox dicit, *Tantummodo ſi quis ea poteſtate temerè eſt vſus, exiſtimamus.*

*Tribunorum poteſtatem*) non quærimus tantum iuris eſſe Tribunis, vt intercedere poſſint Conſulibus in ſummo conſtitutis magiſtratu, modò id temerè non faciant.

*Curiata*) Legendum eſt fortaſſe, *Hic Tribunis plebis legi Curiatæ, quam Prætor ferat:* vel, *Hic Tribunus plebis legi Curiatæ.* Vetabat enim Rullus, vt mox dicit Cicero, intercedere. Quod ſi quis legat, *Hic Tribunus plebis lege Curiata*, ſenſus erit, Rullus lege ſua Curiata tollit interceſſionem, cùm intercedere vetet, cum ea feretur. quæ ſententia ſanè idonea eſt. *Tribunitia poteſtas*) ſublata interceſſione. *Rem militarem*) Nam, vt ex Liuio docui, lex Curiata rem militarem continet, propter auſpicium & religionem: & quia militiæ ſummum ius habituri erant Conſules: quod non habebant in vrbe. *Huic, cui*) legendum arbitror, Huic, cui vetat intercedi, poteſtatem. vel, vetat intercedere poteſtatem.





*Lex*) Curiata. *Vetet intercedere*) cùm ſine lege eandem tribuat poteſtatem, & interceſſio nihil profutura ſit.

*Neque veris comitijs*) non iuſtis comitijs conſtituti, qualia vel Tributa ſunt, vel Centuriata. Nam minor pars populi ad ſuffragium vocatur, non vniuerſus populus.

*Neque illis*) Curiatis, quæ ſimilitudinem & ſpeciem comitiorum habent: comitia tamen verè non ſunt, cùm pro triginta populi vrbani curijs, ætate Ciceronis triginta curiarum lictores adhiberentur.

*Vſurpationem*) retentionem quandam veteris conſuetudinis, ne in deſuetudinem abeat: quanquam olim curiæ ipſæ ad ſuffragium vocabantur.

*XXX. lictores*) Curiæ ſingulæ ſuum lictorem habebant. *Adumbratis*) adſimulatis. Non enim vera comitia ſunt, vt ætate regum.

*A vobis*) Vos enim ſuffragijs priuat Rullus. *Ornamentis afficiat*) quanto magis ornet?

*Auſpicij coloniarum*) Quod vſitatum erat & moribus receptum. In inuidiam vocat. Nam magiſtratibus vrbanis non dabantur pullarij, cùm publicis vterentur: ſed ijs qui cum imperio aut poteſtate in prouinciam, aut bellum ibant. Et quod nunc reprehendit, ſi Rullus prætermiſiſſet, et iam culpaſſet. Itaque Papyrius dictator ſecum pullarium habet. Liuius, *Namque Papyrius dictator à pullario monitus, cùm ad auſpicium repetendum Romam proficiſceretur.* Iterum, *Quibus Papyrius ait, Auſpicia ſecunda eſſe Tarentini pullarius nunciat.* Pullarium etiam habuit Appius Pulcher, qui pullos demergi iuſſit, quòd eſſe nollent, pulcherrimamq́ue pop. Romani claſſem contemptis auſpicijs perdidit. Pullarius autem erat, qui pullis è cauea eductis, obiectaque eis offa, auſpicabatur. Nam eo auſpicij genere Romani plurimum vtebantur.

*Tres viri*) Triumuiri, vetus liber. Vtranque lectionem tueri poſſumus: veteris tamen libri receptior eſt. In Pullarijs, quod damnaret nihil ferè cùm haberet, niſi quod nimium ornabantur Decemuiri, ex lege Sempronia reprehenſiones quæſiuit, quam nominarat Rullus, & cuius exemplum ſequi voluerat.

*Commouet*) Commouet alijs in libris. & pro, *Tales illos viros*, aliqui, *Tres illos viros*, habent.

*Æquitate*) qui tanta æquitate fuit, vt vniuerſo populo ius ſuffragij ſeruauerit, non vt tu, imminuerit.

*Prætoriam*) nam eos imperio Prætorio conſtituebat. *Regiam*) pluſquam conſularem.

*In quinquennium*) Imperium Decemuiris in quinquennium dat lege ſua Rullus, cùm omnes magiſtratus ordinarij annui ſint. Sed Decemuiratus, extraordinarius erat. Hìc autem mirum eſt, auguratum in magiſtratibus à nonnullis numerari, qui inter magiſtratum & ſacerdotium diſtinguere non poſſunt.

*Eripi*) poteſtas Decemuiralis.

*Apparitoribus*) Sic vocantur qui magiſtratui apparent: vt Viatores, Accenſi, Lictores. His, qui in prouincias ibant, Apparitores & Scribæ dari ſolebant.

*Scribis*) Sic vocantur qui ſcriptum faciunt, quos γραμματέας Græci, nos Graphiarios vocamus.

*Librarijs*) qui acta ſcribebant, libros rationum & aliarum rerum conficiebant, parebantq́ue magiſtratui & Scribis tanquam ὑπογραφεῖς quidam. *Præconibus*) Si quid prædicandum, vt edictum magiſtratus, aut auctio. Quibus rebus præco adhibebatur.

*Architectis*) ad metiendum, aſſignandum agrum, oppida condenda, in coloniarum deductione: partim enim hic fungentur vero architecti munere, partim eius, qui γεωδαίτης, id eſt, agrimenſor dicitur.

*Mulis*) clitellarijs, ad vehenda impedimenta, & ſupellectilem. Iſta autem adſcribi ſolebant magiſtratibus ex ærario vaſarij nomine. Cicero in Piſonem, *Nonne Seſtertium centies & octogies, quod quaſi vaſarij nomine in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti?*

*Centurijs*) puto legendum, *Tentorijs*. Tabernacula ex tabulis erant, Tentoria ex pellibus. Vnde ſub pellibus hyemaſſe legimus aliquando milites. Centurias autem ſi quis retinet, equidem quid à Cicerone ſignificetur, fateri malo ignorare me, quàm aliorum exemplo, partem comitatus interpretari, vt in regis noſtri comitatu centum nobiles. *Supellectili*) Inſtruebatur magiſtratus in prouinciam iturus, ſupellectile, & vaſario, vt docui. Id etiam ex vita Alexandri Seueri ſic intelligi poteſt, in qua hæc ſcribit Lampridius, *Iudices cùm promoueret, exemplo veterum*, vt & Cicero docet, *& argento & neceſſarijs inſtruebat: ita vt præſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, mulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, cocos ſingulos.*

*Haurit ex ærario*) magnam vim pecuniæ ex ærario pop. Romani ſumit: reliquum ex ſociorum fortunis ſuppeditat & ſubminiſtrat Decemuiris. Dicitur autem ſuppeditat à ſocijs, qua forma dicitur Latinè, Soluo à me, ſoluo ab illo. Plautus, *Ego quidem pro iſta re ſolui ab Trapezita meo.*

*Ianitores ex Equeſtri*) Indigniſſimum eſt equites Romanos ianitorum haberi loco: & regni ſuſpicionem habet, ſtipatores corporis conſtitui. Habent enim Prætoriam cohortem reges: nec his vocabulis in lege vſus erat Rullus: ſed, vt reor, tantùm miniſtros & adiutores attribuebat eis in annos ſingulos Equites ducentos. Verum Cicero, vt legem in inuidiam & odium vocaret, ianitores & ſtipatores nominauit.

*Formam*) forma eſt ad cuius exemplum pingitur, fingitur, ædificatur, aut opus aliquod fit. Nos vulgo protractum dicimus: vnde Cicero ſcripſit, *Videre formam, & ex ea, quale ædificium futurum ſit, cognoſcere.* Et Flaccus, *Si ſcalpra & formas non futor.* Formis enim ad calceos faciendos vtuntur.

*Inſignia veteris*) multo melius in lib. ſcriptis, Inſignia videtis *Sine veſtris ſuffragijs*) fatetur iſta vſitata eſſe & tralatitia: quæq́ue, vt dixi, ſoleant tribui vulgo magiſtratibus prouincialibus: tamen exagitat, quòd ſine ſuffragio populi, & ſine legitimis comitijs iſta tribuantur: vt qui habeat, aut regnare, aut inſanire videatur. *Intolerantiam regis*) melius liber ſcriptus, Sed intolerantiam regum. antecedit enim Priuatorum. Intolerantia eſt, cùm quis ita ſe inſolenter gerit, vt ferri non debeat. Nam paulo antè in hac re dixit, Regem non ferendum. quodquidem intolerantiam explicat.

*Pecuniæ conficiendæ*) Pecuniam facere, eſt pecuniam quærere: vt lib. 1. de Diuinat. *Qui, vt obiurgatores ſuos conuinceret, oſtenderétque etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam facere poſſe, omnem oleam, antequàm florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe dicitur.* Conficere igitur pecuniam, eſt cogere, redigere, accu-

mulare, pluſquàm facere. *Non fruendis)* non percipiendis fructibus veſtrorum vectigalium, ſed vectigalibus ipſis alienandis atque vendendis. *Deinde orbis terrarum)* Vetus liber, Deinde de orbe terrarum.

*Cognitio ſine conſil.)* Cognoſcent & iudicabunt Decemuiri: neque illis iudices erunt in conſilio, vt Prætores Romæ conſilium iudicum habent. *Prouocatione)* at Romæ ſi quis damnatus eſt, ad populum prouocat.

*Sine auxilio)* Romæ licet appellare Tribunos, ſi magiſtratus in aliquem pro imperio animaduertere velit, præſtoque eſt auxilium Tribunitium.

*Nemo iudicabit)* Summum enim eſt eis tributum imperium, cùm alioqui, qui in magiſtratu ſunt, vel Reipub. cauſa abſunt, rei fieri nequeant. *Cauſam dicere)* quòd in magiſtratu ſunt, & Reipub. cauſa abſunt. Pro, Magiſtratus his gerere licebit, vetus liber, Magiſtratus his petere, habet. Quod tametſi non probo: tamen hanc habet ſententiam: Interea dum ſunt in Decemuiratu, petere poterunt magiſtratus: vt quinquennio exacto, eos adipiſcantur, ne cauſam dicant priuati. Dicit autem cauſam, qui in iudicium vocatur, & defendere ſe cogitur. *Emere agros)* quos aſſignabunt colonis.

*Nouas)* in quas nulli dum coloni deducti ſunt, vt Capuam. *Renouare veteres)* In eas vrbes, in quas aliquando coloni deducti ſunt, rurſum deducent: vt Iulius Cæſ. Carthaginem deduxit, cùm ante eum Gracchus deduxiſſet: & poſt eum tertiò deduxit Auguſtus. *Suis colonijs)* liber vetus, Suis colonis.

*Liberos populos)* In liberos populos plerunque iniquiores erant Romani magiſtratus, eorumq; iura imminuebant: etiam Senatus aliquando libertatem, quam dederat, ademit. Cicero lib. 3. Offic. *Non igitur vtilis illa L. Philippi Q. Fi. ſententia: quas ciuitates L. Sylla pecunia accepta S. C. liberauiſſet: vt eæ rurſum vectigales eſſent, neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus.*

*Regnorum vel dandorum)* Etiam regnorum eis dandorum poteſtas erit. Sic in oratione pro Milone conqueritur regna dediſſe & ademiſſe Clodium.

*Commodum ſit)* cum volent. Cicero in Verrem, *Aut eum iudicem quem commodum erat.* Vbi Aſconius ſic annotat, *Vetuſtè poſuit pro eo, quem volebat.* Sic Terentius, *Amat, dabitur ei argentum, dum erit commodum.*

*Diſſoluant iudicia)* Iudicia publica ſunt, quæ criminalia vocamus, quæ à Quæſitoribus exercebantur Romæ. Diſſoluent autem iudicia publica, cùm ipſi de publicis quæſtionibus cognoſcere volent, adempta Prætoribus Romanis cognitione.

*De conſilijs abducant)* Ambiguè eſt locutus Nam & abducit de conſilijs, qui de iudicum decurijs aliquem abducit: quæ res iudicia diſſoluit, cùm quæſitor ad numerum iudices non habeat, nonnullis abductis. Nam Conſilia cœtus ſunt, & decuriæ iudicum. Abducit etiam de conſilijs, qui iudicibus reos adimit, vt ipſe cognoſcat, quem ſenſum potius ſequor.

*Singuli)* ſine conſilio, ſine iudicibus: cùm Prætores Romæ decurias iudicum in conſilio habeant.

*Quæſtori)* etiam iudicium delegent, & cognoſcere ipſi grauentur, mandentq; cognitionem Quæſtori ſuo. Quæſtor autem magiſtratibus dabatur. *Finitorem)* Interdum ne Quæſtori quidem mandent, ſed ſine iudicio finitorem mittant, cuius arbitrio priuatum, aut publicum agrum pronuncient. Finitores, inquit Nonius, dicebantur, quos nunc agrimenſores dicimus, ſic dicti, quod fines diuiderent. adfertque Plauti ex Pænuli prologo auctoritatem, vt id probet. *Regiam)* Eſt enim maior Regia, vt diſputat.

*Iure aliquo)* Nam nonnulli Reges omnia ſibi pro poteſtate licere putant in ſuorum bona & fortunas, etiam ſe in eos necis & vitæ poteſtatem habere putant: alij tamen ſe certo quodam iure continent.

*Regionibus tamen)* finibus ſui regni: cùm poteſtas Decemuiralis ne imperij quidem Romani, quod ampliſſimum eſt, contineatur: ſed extra imperium in alia regna, vt in Ægyptum, excurrat.

*Libera à vobis)* in liberos populos, qui ſuis legibus viuunt immunes, & in ſocios, & amicos.

*Partim ignorata)* vt verbi gratia, potuit tum ignorare pop. Romanus ſe in Cypro aliquid iuris habere, quam poſtea P. Clodius publicauit in Tribunatu & tum fortaſſe Decemuiri publicaſſent.

*Vendere omnia)* Loca publica, ſacella, montem Gaurum, Salicta ad Minturnas, viam Herculaneam, Senatus M. Tullio Decola & Cn. Cornelio Dolabella Coſſ. propter anguſtias ærarij bellis ciuilibus exhauſti, vendenda cenſuerat: nec tamen Conſules Tullius & Dolabella, propter inuidiam rei, vendere auſi fuerant. Ea vt vendant Decemuiri, lege ſua Rullus permittit. *Cornelio Coſſ.)* quo anno pro Quintio apud Aquilium iudicem dixit.

*Cur hoc tam eſt obſcurum)* Cur non appellat nominatim, quæ cenſuerat vendenda Senatus? Sed populum fallit, qui vel neſcit, vel non meminit, alioqui nunquam ferret ſacella vendi, quibus occultè minatur hoc caput legis Seruiliæ. *Cæcum)* Cæcus, eſt propriè qui non videt. Eſt etiam qui non videtur: vt hoc loco, & apud Lucretium, ----- *Corporibus cæcis natura gerit res.*

*Nominatim)* ſuis appellata nominibus: verbi gratia, Sacella, loca publica, &c. *Pudoris)* puduit enim eum illa nominare: quæ quamuis Senatus vendenda cenſuerat: Conſules tamen vendere auſi non erant.

*Altera ſceleris)* nam ſi ea nominatim perſcripſiſſet, ſceleri locus non eſſet relictus: tantùm enim ea vendere Decemuiri potuiſſent, quæ nominaſſet. Nunc hæc obſcuritas ementiendorum ſcelleratè Senatuſconſultorum occaſionem præbebit, eaq; vendenda Senatum cenſuiſſe dicent, de quibus nullum Senatuſconſultum factum ſit. *Appellare)* non audet nominare, quod pudoris eſt.

*Loca publica)* Quæ ſunt populi Rom. publica, dicuntur à Iuriſconſultis: quæ à Iuriſconſultis diſtinguntur ab ijs, quæ ſunt vniuerſitatis: vt ſunt Theatra, Stadia, Balnea publica, Porticus. Sed eam, vt opinor, diſtinctionem Cicero non ſequitur. *Sacella)* Sacella publica non ſunt: nullius enim ſunt. Nonnulli tamen contrà ius & fas ea vendicabant. Cælius in Epiſtolis, Præterea cœpi ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere. Sacellum autem exiguus ſacer Deo locus. Feſtus ait *ſacella eſſe loca Dijs ſacra ſine tecto.*

*Tribunitiam poteſtatem)* Aliud eſt Tribunatus, aliud Tribunitia poteſtas. Tribunatum relinquerat Sylla: Tribunitiam poteſtatem ſuſtulerat. Imperatores Romani Tribunitiam poteſtatem aſſumebant: Tribuni tamen non dicebantur. Poteſtas Tribunitia erat in intercedendo, prehendendo, in carcerem conijciendo,



endo, indicta cauſa interficiendo, ſi ab aliquo violati eſſent, cùm Sacroſancti haberentur. Tribunitiam poteſtatem Conſul cum Craſſo Pompeius reſtituit.

*Attigit)* nullus Tribunus vendere eſt auſus & attingere, etiam ex quo tanta eſt eis reſtituta poteſtas.

*Partim periculi)* id eſt, quorum quædam non tantum ſacra ſunt, verùm etiam aſyla & periculi perfugia. Is enim eſt loci ſenſus, vt ſatis indicat *Partim*, quod ſemel poſitum aliquid, ſubaudiendum ſignificat. Non enim omnia loca ſacra, perfugia erant periculi. Proinde ita ſcribit Tacitus, *Crebreſcebat enim Græcas per vrbes licentia atq. impunitas aſyla ſtatuendi.* Complebantur templa peſſimis ſeruitiorum: multiſque ius aſyli ademptum ſcribit. Aſylum videtur vertiſſe fanum inſpoliatum Salluſtius, his verbis: *Eóque per omne tempus belli quaſi ſacro atque inſpoliato fano debitores vſi.* *Gaurus)* mons Campaniæ vino nobilis. Eſt & vrbs illic eiuſdem nominis, ac proinde montem adiecit fortaſſe diſtinctionis cauſa.

*Salicta ad Minturnas)* Minturnæ colonia populi Rom. vt ſcribit Liuius, ad oſtium Liris fluuij, eodem tempore, quo Sinueſſa deducta. In aſſignatione agrorum Salicta Triumuiri populo Ro. retinuerant, nec colonis diuiſerant. *Herculanea)* Viam ſeptem ſtadiorum, vt Strabo ſcribit, ad Lucrinum Hercules exaggerauit, eam vocat Herculaneam. illic quoque Herculaneum oppidum erat. Nam qui ab Hercule fonte viam vocatam cenſent, nugantur. Eam vendibilem dicit propter amœnitatem Lucrini lacus & Baiarum: ac cùm viam dicit, ſignificat ea, quæ propter viam ſunt, vt & Lucrinum. Lucrinus enim lacus pop. Rom. erat: & in vectigalibus publicis primus locabatur fruendus, boni ominis gratia. *Viam Herculaneam* putat Domitius à Papinio vocari Taurubulas, dites Capreæ, virideſque reſultant Taurubulæ. *Conſules)* Tullius & Dolabella, & nonnulli fortaſſe poſtea vendere non ſunt auſi, offenſionem pop. & inuidiam metuentes. *Propter pudorem)* non audet enim ea nominare, quæ non ſunt auſi Conſules vendere.

*Eſt credendum & pertimeſc.)* Melius in ſcripto libro eſt, *Cauendum atque pertimeſcendum.*

*Corrump. tabularum)* nondum enim Cæſar auctor fuerat, vt populi & Senatus diurna acta conficerentur & publicarentur, quod in Conſulatu inſtituit. & qui magiſtratus geſſerant, domi in tablino acta cuſtodiebant. Plinius, *Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum.* Ita facile erat tabulas & Senatuſconſulta corrumpere. *Qui per eos annos)* quos lege complexus eſt Rullus. Nam facile eſſet mentiri Decemuiro, mortuo Conſule, qui ſolus mendacium refellere poſſet.

*Audacia)* in corrumpendis tabulis publicis, & fingendis Senatuſconſultis.

*Cupiditati)* auaritiæ & auiditati. Nam hæc eadem auiditas cauſa erit Senatuſconſultorum fingendorum. *Quaſi gradum)* Iacere gradum dicitur, vt iacere fundamentum. Eſtque ducta tranſlatio à gradibus, quibus in cœnacula ſcandimus. At facere gradum, eſt quod vulgo dicimus, facere paſſum. vnde illa tranſlatio in Verrem, *Imperij gradus ex Sicilia in Affricam factus eſt.*

*Qui agri, quæ loca)* Poſt venditionem Italicam ad prouincialem tranſit, qua Rullus omnia, quæ L. Sylla Q. que Pompeio Coſſ. poſteáue publica facta erant, vendi iubet. Coſſ. autem illi fuerant 25. annis antè Ciceronem. Sic autem verba legis connectito: *Qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliúdue quid extra Italiam, quod publicum populi Romani factum ſit.*

*In mancipijs)* in ſeruis. quanquam agros, loca, ædificia tantum appellauit nominatim Rullus: tamen eam vocem ſubiecit, qua omnia, quæ prætermittere videbatur, & nimis longum fuiſſet percenſere, complexus eſt, nihilque excepit. Nam Aliúdue dixit. *Auro, argento)* facto, infecto, ſignato, cælato, puro.

*Inuidioſum hoc)* Nam inuidiam & odium concitare potuit rerum tantarum alienatio, & regnorum proſcriptio. Sed inuidia non mouetur Rullus, etſi hoc inuidioſum fuiſſet.

*Longum putauit)* omnia nominare, & in nominando timuit, ne quid præteriret.

*Quicquid ergo)* hoc ſententiæ continuationem reuocantis eſt, propterea quòd quædam interpoſuerat. Sic igitur connectito, vt dixi, Aliúdue quid extra Italiam. *Publicum factum)* more Iuriſconſultorum, qui aliquid fieri dicunt accipientis, at factum eſſe ementis dicunt: vt illud, Cùm mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Publicum autem, quod populi Rom. eſt, definiunt Iuriſconſulti. *Prouincias)* populos in prouiciæ formam redactos.

*Regna)* Regnum Bithynicum, Cyprium, verbi gratia, Ægyptium, & ſi qui reges alij ſocij pop. Ro.

*Condonata)* Permittit, qui arbitrio & poteſtati ſubijcit: Condonat, qui etiam donando rem alterius facit: vt hìc, Donantur prouinciæ, & regna Decemuiris. *Quem non poſſint)* ita poterunt omnia vendere Decemuiri. *Cui liceat idem)* alia lectio eſt. Quid eſt quod liceat ei dicere, cui non liceat idem iudicare?

*Commodum erit)* id eſt, volent, vt ſupra ex Aſconio docui. *Totam denique Aſiam)* Attalus rex Pergami filius Eumenis pop. Romanum hæredem reliquit. Cuius regnum pop. Romanus in prouinciæ formam redegit, Aſiamque appellauit, eodem nomine quo totam continentem, inquit Strabo. Aſia autem, vt ſcribit Cicero pro Flacco, conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. Hic autem nobiliſſimas vrbes Aſiæ nominauit. *Recuperata)* recuperata ante hos Coſſ. fuerat, victo Ariſtonico: quod ita conqueritur apud Salluſtium Mithridates. Simulatoque impio teſtamento, filium eius Ariſtonicum, quia patrium regnum petiuerat, hoſtium more per triumphum duxere. Aſia ab ipſis obſeſſa eſt: ſed eam à Mithridate occupatam poſt hos Conſules, Sylla, Lucullus, Pompeius recuperarunt.

*Factam eſſe dicere)* quod ante hos Coſſ. factum eſt populi Romani, quia poſt hos Coſſ. eſt recuperatum, per calumniam poſt hos Coſſ. publicum eſſe factum dicere poterunt ac vendere. Ita vendent Aſiam.

*Diſceptationem)* aliter, Diſputationem. *Vt falſum iudicet)* vt iudicet poſt hos Coſſ. publicam populi Romani factam eſſe Aſiam, quæ non facta ſit, ſed recuperata.

*Volet)* lib. vetus, *Nollet.* quod ſententia poſtulat. Si nollet iudicare Aſiam po. Ro. factam poſt hos Coſſ.

*Terrorem damnationis)* tamen damnationis metu Aſiani quantamcunque pecuniam flagitabit, vt ſe redimant, ei numerabunt.

*Quid quod)* Si Aſiam non vendent, vendent certè Bithyniam, quæ poſt hos Coſſ. populi Rom. facta eſt: vt de ea dubitari non poſſit: præſertim adita hæreditate. Nicomedes enim rex Bithyniæ moriens

pop. Romanum hæredem fecerat, eiuſque regnum in prouinciæ formam redactum fuerat: cùm tamen à Nicomede, Mithridates apud Salluſtium dicat, Nuſam filium appellatum regem fuiſſe. eius verba ſunt, *Poſtremò totam Bithyniam Nicomede mortuo diripuere, cùm filius Nuſa, quem regem appellauerat, genitus haud dubiè eſſet.* Sic autem hunc locũ conſtruo: Quid? regnum Bithyniæ, quod diſputari contra Decemuiros non poteſt, in controuerſiam reuocari, quin noſtrum factum ſit poſt hos Coſſ.

*Statutum à nobis*) decreuimus noſtrum eſſe adeundo hæreditatem.

*Creuimus*) *Cernere*, inquit Vlpianus, *eſt verba cretionis dicere* ad hunc modum: *Cùm me Mæuius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo, cernóque.* Hæredes autem inſtituebantur, vel ſine cretione, vel cum cretione. Cretio eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hæreditatem necne? velut, Titius hæres eſto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus ſcieris poterisque: niſi ita creueris, exhæres eſto.

*Regnum Bithyniæ*) meritò cenſent aliquid deeſſe, qui hoc principium alterius comprehenſionis inſtituunt. Tu autem cum ſuperioribus coniungito, nihilque deerit, poſſet tamen fortaſſe legi, Quoniam hæreditatem, etſi, Quam hæreditatem, idoneum ſenſum habet.

*Statiua*) Statiua caſtra legimus plerunque: Sed hìc ſtatiua, ſunt loca recipiendis ad tempus nauibus apta. In quibus tamen tutò hyemare non poſſint, cum in portubus poſſint. Stationes etiam appellantur à Græcis ὅρμοι, vt portus λιμένες. *Mytilenæ*) vrbs clariſſima in Leſbo inſula, quæ ſola vrbs victo Mithridate à Sylla, arma retinebat, expugnata dirutaque eſt. Hìc in plurali dicitur: à Flacco in ſingulari, vt ſemper à Græcis nominatur: hoc verſu, *Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mytilenen.* Sed & à Vitruuio. Vetus quoque liber Mytilene, in ſingulari ſcribit. Romani autem eo fuerunt in Mytilenas ſeueriores, quòd Mytilenæi tanta in Romanos perfidia fuiſſent: vt Aquilium & alios plurimos vinctos, Mithridati tradiderint. Itaque dirutis mœnibus, & magna parte vrbis, etiam libertatem amiſere: quam poſtea in Theophanis gratiam per Pompeium recuperauere.

*Et natura*) quidam libri, Vrbs & ſitu & deſcriptione ædif. De Mytilene hæc ſcribit Vitruuius, *In inſula Lesbo oppidum Mytilene, magnificenter eſt ædificatum, & eleganter: ſed poſitum non prudenter. In qua cùm Auſter flat, homines ægrotant: cùm Corus, tuſſiunt: cùm Septentrio, reſtituuntur in ſalubritatem. Sed in angiportis & plateis non poſſunt conſiſtere propter vehementiam frigoris. Optimè ſitas dicit Mytilenas, loci conditionem & amœnitat emintuens, non ventorum rationem,* vt Vitruuius. *Deſcriptione*) deſignatione & comparatione.

*Incluſi*) ad agros retulit, cùm etiam ad Mytilenen pertineat. *Vt latet*) vt ſub hoc capite latitat, clamque & furtim traditur Decemuiris. *Alexandrini*) Alexandrinus rex, Ægypti rex aliquando à Cicerone vocatur. Tamen cùm Alexandri hìc reperimus, quod eſt eius regis nomen, qui teſtamento hæredem pop. Romanum feciſſe dicitur, ſic legere malim. Cæterùm hic Ptolemæus initio Rex Cyrenarum, poſtea etiam Ægypti. Cyrenaici regni, vt quidam aiunt. pop. Romanum hæredem reliquit. cuius regni ciuitates Senatus liberas eſſe iuſſit. Cicero non tantum Cyrenarum regnum, ſed etiam Alexandriæ, ab eo eſſe pop. Romano relictum ſcribit. *Nihil iudico*) Tantum quid alij dicant commemorabo, meum iudicium, meamque ſententiam non interponam. *Auctoritatem Senat.*) Ex Senatus auctoritate aditam hæreditatem ſcio, quando legationem decreuit Senatus, quæ recuperaret pecunias, quas Tyri depoſuerat Alexander. Tum enim Senatus auctoritate, ſe pop. Ro. non ſolùm pro hærede geſſit, verùm etiam hæreditatem adijt. *Tyrum*) Vrbs erat munitiſſima, & magnis olim operibus & molib⁹ ab Alexandro Macedone expugnata, & continenti coniuncta. Ea ſanctiſſimum ſanum Herculis habebat: illic, vt in tutiſſimo, vt reor, loco, pecuniæ magnam vim Alexander depoſuerat.

*L. Philippum*) qui Senatui auctor fuerat vrbibus, quas liberarat Sylla, libertatis adimendæ. Idem ſuadebat Senatui, vt Ægyptum vindicaret pop. Rom. teſtamento relictam. Fuit L. Philippus vir clarus & honoratus. Conſulatum enim geſſerat: idemque perquàm diſertus.

*Neque genere, neque*) Propter illam opinionem teſtamenti regij, Ptolemæus Auletes immani largitione principes Senatus corrupit: prefecitque, vt rex amicus pop. Rom. ſociuſque appellaretur. Quod nondum, hæc Cicerone dicente, obtinuerat. Auletem autem Cicero dicit quoſdam exiſtimaſſe non eſſe ex regio genere, moribus ſane regijs non erat, qui ſceptrum contaminaret tibicinij inſania. Vnde & Auletes appellatus eſt. Eum poſtea regno expulſum Gabinius reſtituit.

*Demigraturos*) Hinc in Ægyptum migraturos propter regionis fertilitatem. Nam eximiè ferax eſt Ægyptus, quacunque amnis Nili incrementis irrigatur: ac proinde ditiſſima eſt: atque eam eſt veritus Iulius Iulius Cæſar in prouinciæ formam redigere, confecto bello Alexandrino: ne quandoque violentiorem præſidem nacta, eſſet materia rerum nouarum: & ei Auguſtus in prouinciæ formam redactæ non Senatorem præfecit, ſed Equitem Romanum, metu rerum nouarum. Quinetiam vetuit, ne quis Senator in eam ſine permiſſu ſuo proficiſceretur: eamque vt feraciorem habilioremque annonæ vrbicæ redderet, foſſas omnes, in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit.

*Hæc tanta de re*) de regno Decemuiros ſinemus iudicare? & vtrum verum iudicabunt? Sententia enim eſt: neque eis permittendum vt iudicent, neque eos verum iudicaturos. Hoc qui mendoſum putant, ſenſum non vident. Et iudicare, & verum iudicare, vtrunque tam magnum eſt, vt non ſit eis permittendum.

*Volet eſſe popularis*) Argumentatur non eſſe permittendam eis tantæ rei diſceptationem: quia ſi regnum pop. Romano adiudicabunt, ex lege Seruilia etiam vendent. Sin regi, iniuriam pop. Romano facient: neque gratis regi adiudicabunt, ſed mercede corrupti.

*Adiudicabit*) ſuo iudicio tribuet & dabit. Sic in iudicio finium regundorum adiudicationes fiunt, cùm ſuæ cuiq; tribuuntur agri partes. *Ex ſua lege*) Adiudicationem ſequetur venditio, quæ ferenda non eſt.

*Regis eſſe*) Ptolemæi. *Abiudicabit*) Abiudicare eſt iudicio adimire. Liuius, *Læti ergo audiere patres Ardeatium po. ob iniuriam agri abiudicati deſciſſe.*





*Primum pop. Romani*) Vetus, Primum tum pop. Romani. Nunc quum Centumuiri iudicent Romæ de priuata hæreditate, Decemuiri de pop. Romani hæreditate iudicabunt? Centumuiri autem ferè de plurimis litibus, in quibus de iure priuato quæreretur, iudicabant: vt lib. 1. de Orat. ſcribit Cicero, *Eorum haſtam cogebant Decemuiri litibus iudicandis.* Aliquando etiam quæſtura functi, vt ſcribit in Auguſto Suetonius. Iudicare autem hæreditatem dixit, pro iudicare litem de hæreditate. ſic alio loco, *Eos qui res iudicant,* dixit. Forte tamen de pop. Rom. hæreditate Cicero ſcripſerat, quod omnino rectius.

*Priuatis hæreditatib.*) hæc autem publica eſt. *Quis aget*) quis pop. Romano patrocinabitur, eiuſque cauſæ actor erit? *Vbi res*) non ſanè Romæ, ſed in vltimis terris: in Ægypto.

*Gratis*) qui ſunt iſti Decemuiri, quos incorruptos & integros iudices fore ſciamus, nec pecuniam capturos ob rem iudicandam? Cicero pro Rabirio ſcribit, *In iudicio repetundarum X millia talentum obiecta eſſe Gabinio, quæ ob reſtitutionem Ptolemæi cepiſſet.* *Petebatur*) Petere dupliciter intelligitur. Nam petitur quod alicuius eſt, & petitur, quô profectio ſuſcipitur. Vnde mox, *Cur non eoſdem curſus cucurrerint?* dicit igitur, *Si Alexandriam tendebant.* *Curſus*) Curſus ſæpe nauigatio eſt. Nam nauigatione Alexandria petebatur ex Italia. Naues enim currere dicuntur, & Catoni etiam ambulare. Virgilius curſum pro nauigatione ita vſurpat, *Huc curſus fuit, Cùm ſubitò aſſurgens fluctu nimboſus Orion In vada cæca tulit.* Sententia eſt: cur non per populum agentib. Tribunis apertè eam ſibi prouinciam decerni petiuerunt, vt petierant Cotta & Torquato Coſſ. *Vt cum decreto*) vt cum plebiſcito eam petebant. Illis enim Coſſ. Iulius Cæſar extra ordinem eam prouinciam per Tribunos ſibi petierat. In quo oblitus temporis Suetonius, ſcribit Cæſarem extraordinarij imperij occaſionem nactum fuiſſe, quòd regem ſuum Alexandrini expuliſſent. Nondum enim eum expulerant, vt ex Cicerone & hiſtoria conſtat. Ac Cæſar regnum po. Rom. vindicare volebat. Verba Suetonij ſunt, *Conciliato populi fauore, tentauit per partem Tribunorum, vt ſibi Ægyptus prouincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarij imperij occaſionem, quod Alexandrini regem ſuum, ſocium atque amicum à Senatu appellatum expulerant: réſque vulgo improbabatur, nec obtinuit aduerſante optimatum factione.* Cur non cum decreto, non cum plebiſcito, cur non apertè illuc proficiſcuntur, id eſt, cur non apertè, ſed obſcurè de re Alexandrina? *Quietis his*) Demonſtrantis eſt. Nonnullos enim ſtantes in concione demonſtrat. In iiſque fortaſſe Cæſarem, qui Cottæ conſulatu, eam prouinciam plebiſcito decerni poſtularat. Quibus etiam tum fauebant legis Seruiliæ adſcriptores & latores: qui quod tum impetrare non potuerant apertè, nunc occultè petunt Rulli lege, quietis illis, quos Cicero demonſtrat.

*Regnum tenere*) per nauigationem rectam apertamque poſtulationem. Tenere autem etiam à nauibus tranſtulit, quæ locum tenere dicuntur ad quem peruenerunt. Liuius, *Cætera claſſis Geræſtum, nobilem Eubææ portum, dum a Cariſto Iſſæi redirent, tenuit.* Iterum, *Inde Caſſandream petentes, primò ad Mendin, maritimum ciuitatis eius vicum tenuere.* *Tetris tenebris*) malè in tenebris & caligine nauigatur. Nam interdiu curſus ex ſole, noctu ex aſtris regitur. Virgilius,

*Tres adeò incertos cæca caligine ſoles,*
*Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.*

Caliginem autem & tenebras ad id retulit, quòd Tribuni clàm & obſcurè, ac per caliginem petebant, ad nauigationem alludens, qua peti ſolebat Ægyptus. Illûc enim potius mari, quàm terra ibatur. Tetrum hìc interpretor vitandum, formidandum.

*Vnáque*) fortaſſe, Vna Quirites. Nam compendij nota potuit librarium fallere. Hìc tamen neſcio quid fortaſſe deſit. *Legatos noſtros*) Legatos veſtros liber ſcriptus. mox enim eſt, Propterea quòd veſtro, non ſuo nomine. & ad adiungendam pop. voluntatem, accommodatius eſt Veſtros, quàm Noſtros legi. Noſtros tamen non damno.

*Auctoritate tenui*) Nam quanquam Senatores ſunt (nam ad commodum Senatus legationes liberæ pertinebant) tamen ſi cum Decemuiris, alijſque magiſtratibus comparentur, tenui ſunt auctoritate.

*Rerum priuatarum*) ſuorum nominum & ſyngrapharum, ſuarum hæreditatum ſine vllo negotio & munere publico.

*Legationes liberas*) Liberæ vocantur, quod qui eas impetrarant, liberè poterant, quandiu vellent, abeſſe, & quodcumque ſuum negotium vellent, liberè gerere in quacunque prouincia.

*Nomen imperij*) Miſſum à populo Rom. eſſe, quem penes eſt imperium, etiamſi perſona leuis ſit, vt Senator priuatus non in magiſtratu conſtitutus. Graue autem & Leue contraria oppoſuit.

*Veſtro*) propterea quod nomine legationis veſtræ ad potentiam abutuntur. & quod tum agunt, non ſuo, ſed veſtro nomine, vt legati à vobis agunt, quo maiori ſunt terrori.

*Finitorum*) finitoribus enim viſis, ne ſui agri publicentur & aſſignentur, pertimeſcent. Nam finitores pertica agros metiebantur ad aſſignationem. Proinde Propertius ſcripſit:

*Nam tua cùm multi verſarent arua iuuenci,*
*Abſtulit excultas pertica triſtis opes.*

In veteri lib. legitur, *Cum illa finitorum iuuentute.* *Quo tandem animo*) quàm exanimatas fore creditis.

*Aliquid muneris*) præter ſumptum aduentus imperabitur fortè munus aliquod, vt verbi gratia, fortaſſe imperabuntur vehicula, aut annonæ cura, aut viæ munitio illis in locis, vbi coloniam Decemuiri condent. Nam hic munus, onus quoddam eſt cum ſumptu & erogatione.

*Expectatus vt*) Hoſpites enim antè mittere ſolent ad hoſpitem ſuum, apud quem diuerſari volunt, hoſpitium petitum, vt expectentur: Domini id non faciunt, qui terrori eſſe volunt, nec aduentum denunciant ſuum, cum ad quemcumque ſine petitione, pro ſuo iure, ſe diuertere poſſe cenſeant.

*Sedem hoſpitalem*) quòd in hoſpitij iure inſit magna quædam religio, quæ violari non debeat. Idcirco ſedis hoſpitalis publicationem, vt quiddam nefarium & iniquum poſuit. *Si dixerit*) locum in quem venerit, publicum po. Rom. eſſe. Nam populus ille ſuis eijcietur ſedibus, & patria carebit.

*Quæſtus* ) etenim magna pecunia corruptus, à pop. Rom. locum abiudicabit, nec abiudicationem illam gratis vnquam faciet. *Omnes terras Cn. Pomp.* ) bello Piratico: ſupra, Etenim quem vnum ex cunctis delegiſſetis, vt eum omnibus omnium gentium bellis terra & mari præponeretis. Bello autem Piratico mare Pompeio permiſſum eſt, terraque omnis, quæ non longius à mari quinquaginta millibus paſſuum abeſſet. *Committi & condonari* ) multa ſunt commiſſa Pompeio, non condonata tamen: at Decemuiris omnia donantur. Omnibus enim ad quæſtum & commodum ſuum abuti poterunt: omnia pro ſuis vſurpare & vindicare poterunt. *Liberandos* ) metu prædonum.

*Cui velit deferat* ) Pompeius ſuffragio po. Romani bello maritimo præpoſitus eſt. At imperium Decemuirale fraude legis Seruiliæ populo ſurripitur: cùm, vt paulò antè diſputauit, populus ſuffragio priuetur.

*Quot res &* ) loca publica, ſacella, regnum Aſiæ, Bithyniæ, Ægypti, vrbes & agros ſociorum.

*Sanguine* ) fortunis, quas inuidioſo verbo ſanguinem vocauit, quem exorbituri ſint Decemuiri. Sic Androcydes philoſophus, vt Alexandrum à vini potu propè deterreret, inuidioſo verbo *vinum ſanguinem terræ* vocauit. Plinius, *Vinum potaturus rex, memento te bibere ſanguinem terræ.* Nam cruorem & ſanguinem bibere propè nefas. *Incidant neruos* ) Nam vectigalia nerui ſunt reip. vt enim in neruis eſt robur membrorum, quibus inciſis, inutilia ſunt: ita quoq; amiſſis vectigalibus, vires amiſerit reſp. Eodem modo loquitur in Academica ad Varronem, *Zeno igitur nullo modo is erat, qui vt Theophraſtus, neruos virtutis inciderit.* pro Populi Romani, ſcriptus liber, Populo Romano, habet.

*Irrumpant in ærarium* ) quod vectigalibus venditis ſpoliatur & exhauritur. Itaque cùm vectigalia vendunt, quæ ærarium replent, perinde eſt ac ſi in ærarium impetu facto, clauſtriſq. refractis quicquid pecuniæ eſt, raperent. *Non permittit quide* ) melius liber ſcriptus, Ne permittit quidem. *Recipi* ) redigi, colligi.

*Nominatim* ) quæ in ſua lege nominatim percenſet.

*Ex ordine* ) quod ἐφεξῆς dicitur à Græcis. Virgilius. *Septem illum perhibent totos ex ordine menſes.* & Lucillius —— *Compellans gumas ex ordine noſtros.* Superiori oratione, Vendit Italiæ poſſeſſiones ex ordine omnes. Eſt igitur *Ex ordine*, ſecundum ordinem & deinceps.

*Recita* ) Recitamus, cùm de ſcripto, inquiunt Grammatici, pronunciamus. hìc tamen de ſcripto additur, quod etiam recitatio fieri poſſit ſine ſcripto, quanquam de ſcripto frequentiſſimè accipitur.

*Luctuoſam & acerbam* ) Nam etſi quæſtum præcones ex actionibus facere ſolent: tamen arbitror grauem & acerbam prædicationem huius auctionis recitaturo præconi fore. Auctionarium autem lucrum ſectantur præcones, triſteſque ſunt cùm auctiones non fiunt: vt pro Plancio de præcone Granio ſcribit Cicero, his verbis: *Conſuli P. Naſicæ præco Granius medio in foro, cùm ille edicto iuſtitio domum deſcendens rogaſſet Granium, quid triſtis eſſet, an quòd auctiones non eſſent: immo vero, inquit, quòd legiones.* Prædicatiò autem eſt, quòd Græcè dicitur κήρυγμα, ἀναγόρευσις ἀνάρρησις, clara quædam & aperta declaratio & prædicatio. Ac quòd Cicero dixit de optimo genere Oratorum, *Atque ita prædicaretur, eum donari virtutis ergo, beneuolentiæq;, quam erga populum Athenienſem haberet,* Græcè dixit Demoſthenes, καὶ ἀναγορεῦσαι ὅτι στεφανοῖ ὁ δῆμος Δημοσθένην ἀρετῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας.

*Vt in ſuis rebus* ) In recenſione rerum in Italia vendendarum cùm præco caput recitaret, parceret vectigalibus vendendis, ſtatim incidit in locum, quo iubebat Rullus Siluam Scantiam venundari. Quod cùm audiſſet Cicero, verba hæc ſubiecit, *Luxurioſum eſſe nepotem Rullum, qui à Siluis vendendis inciperet.* Verba autem præconum orationibus non ſolebant inſeri.

*Quàm vineas* ) Nam vineæ prius vendendæ, quòd ſumptuoſæ ſunt: Siluæ retinendæ, quòd ſine ſumptu & impenſa fructuoſæ ſunt. Rullus tamen tam nepos & tam nequam eſt, vt venditionum auctionem incipiat à Siluis. *Percenſuiſti* ) perſecutus es præco ordine, quæ in Italia vendat: tranſi in Siciliam.

*Maiores noſtri* ) Vetus liber, Maiores veſtri proprium vobis. quod haud paulo melius eſt ad populum captandum. Proprium vobis, proprium pop. Rom. & publicum dicit.

*Vinculum pacis* ) hìc vinculum pacis, ornamentum, monumentum, belli ſubſidium explicari non placet. Sed vinculum pacis interpretor, quòd populus, qui pop. Romano bellum fecerat, hac conditione in deditionem poſtea receptus eſſet, vt agro, aut agri parte mulctaretur. Ager enim ſic datus, vinculum erat pacis, pacemq; conciliabat & adſtringebat. Erat & belli monumentum: argumentum enim erat belli ab illo populo cùm Romanis geſti, agrorum mulctatio, aut vectigalis impoſitio. Nam à quibus in bello adiuuabantur Romani, eorum agros liberabant, fines amplificabant, vrbes contribuebant. Fines autem cùm dicit, agrum, & vt vulgo dicimus, territorium intelligit.

*Hìc mihi parumper* ) Quæ, malùm, eſt iſta acclamatio, quam nonnulli hìc ſomniant? cuius, quia cauſam non reperiunt, hic lacunas fodiunt. Senſus autem mihi videtur talis. In eo, quod mox de Pompeio dicam, quem vobis chariſſimum eſſe ſcio, iam videor vos videre commotos Nam cogitatione Cicero percipit commotionem populi, ob inſidias Pompeio à Tribunis poſitas, quas mox declarabit proximo capite, quo in venditione ad Pompeium vſque pergit: quem, vt dixit, ipſa propè præconis haſta inſectatur.

*Inſidias* ) Eas infra ſic patefacit, aliquid illi inſidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copijs, gloria detrahi poſſe. *Et mihi* ) aliter, Ac mihi. Veniam petit, quia iam ſæpius Pompeium nominarit. Sed eum profectò ſæpius appellat, quòd populo chariſſimus eſſet, nec alia melior iniri potuit ratio legis diſſuadendæ, quàm oſtendenda Pompeij contumelia.

*Prætori biennio* ) Cùm legem Maniliam de imperio Pompeij Prætor ſuaſit, qua in cauſa, cùm ab Optimatibus defeciſſe videretur, vocari cœpit Transfuga, vt ait Dion, quod & Calenus ei obijcit. Eum ita etiam appellat Salluſtius, *His maledicis, illos odiſti, leuiſſime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habes.*

*Perſonam* ) tranſtulit ab actoribus fabularum, qui perſonam aut regis, aut militis, aut alicuius ſumunt.

*In loco* ) In his roſtris, vbi eum tum abſentem bello maritimo defendi. *Familiaritate* ) non enim mihi cum illo vſus, aut amicitia erat.

*Atque ampliſſima* ) Conſulatus. atqui Conſulatus cauſa Ciceronem Pompeij dignitatem defendiſſe. Q.

Cicero



Cicero ijs verbis ſcribit, *Perſuadendúmque eſt ijs, nos ſemper cum Optimatibus de rep. ſenſiſſe, minimè populares fuiſſe, ſi quid locuti populariter, id nos eo conſilio feciſſe, vt nobis Cn. Pompeium adiungeremus: vt eum qui plurimum poſſet, aut amicum in noſtra petitione haberemus, aut certè non aduerſarium.*

*Machinam* ) Machinis enim, vt turribus ambulatorijs, teſtudinibus, & arietibus mœnia euertuntur: vnde ducta translatio. *Verumetiam tenere* ) Plus eſt tenere, quàm videre. Videmus enim quæ longo diſtant interuallo: Tenemus quæ manu iam prehendimus, & quæ tractamus.

*Phaſelitum* ) aut per ſyncopem pro Phaſelitarum dixit: aut vſus eſt genitiuo Græco φασηλιτῶν, id eſt, Phaſelitûm. Phaſelis vrbs eſt Pamphyliæ. Olympus etiam Pamphyliæ. De Attalia ſupra diximus.

*Agerenſem & Orindicum* ) illis in locis oppida nominantur à Plinio, Oroanda, & Sagaleſſos: vel potius vt in veteribus libris ſcribitur, Oronda, & Agelosos: vbi hi agri collocantur à Cicerone. Hic autem agri venduntur, ex quibus, cùm vectigalia caperentur, etiam vectigalia illis alienatis væneunt. Nam hìc nonnulli hærent, qui vectigalia non agros vendi cenſent, propterea quòd dixerit paulò antè Cicero, *Adhibeant manus vectigalibus veſtris.* quaſi verò non vendat vectigal, qui id vendit, vnde vectigal capiatur. Hos agros pop. Romani ſuſpicor locatos publicanis non fuiſſe, cùm & fructuoſi admodum non eſſent, & ijs frui propter priuatos non licuiſſet. *Seruilij* ) Iſaurici.

*Regios* ) Nicomedis, qui teſtamento reliquit Bithyniam pop. Romano.

*Publicani* ) Equites Ro. qui publicum exercent. Poſt Gracchorum ſeditiones ad Conſulatum Ciceronis, vt Plinius ſcribit, auctoritas Equitum circa Publicanos ſubſtitit. Fruitur re aliqua, qui eius fructum capit. De prouincijs Conſul. An ſi qui frui publico non potuit per hoſtem? hic tegitur ipſa lege Cenſoria. Agros Bithyniæ pop. Romanus poſſidebat, & eos Cenſores elocabant Publicanis.

*In Cherroneſo* ) Vet. liber, In Cherſoneſo. Vtrunque probo. Cherſoneſus peninſula eſt, hìc peninſula Thraciæ ſignificatur. Liuius, *Receptis omnibus ingreſſi rurſus iter, per Cherſoneſum, Helleſpontum perueniunt.* Attalus autem, vt Strabo ſcribit, bello contra Pſeudophilippum Romanos adiuuit, & Thraciæ regem Diegylin cepit, ita in Cherſoneſo agros ditioni ſuæ adiunxit, qui vltimi Attali, qui Philometor vocatus eſt, teſtamento pop. Rom. facti ſunt. Qui Cherſoneſum minorem Aſiam interpretantur, nugantur.

*Philippi* ) Philippum T. Flaminius, Perſam Paulus Æmilius vicerunt. *Perſæ* ) filij eius, qui ei ſucceſſit.

*Opimos & fert.* ) Pingues & feraces. Cicero, *Aſia verò tam eſt opima & fertilis, cùm dixit, iſta duo coniunxit.*

*Qui Appionis* ) Alexander Appion cognomento, qui cùm Cyrenis regnaret, mortuo ex vulnere capitis inter medicorum curationem Ptolemæo fratre, Ægypto potitus eſt, vt ſcribit Liuius.

*Carthaginem nouam* ) noua Carthago in Hiſpania eſt, vetus in Africa. Itaque illa etiam καινὴ πόλις à Polybio vocatur, id eſt, noua vrbs. Ea ab Aſdrubale condita fuit, à Scipionibus capta: & poſtea à Scipione Africano Maiore recuperata, ita eius ager pop. Ro. erat, vt bello captus. Non puto duas Carthagines fuiſſe in Hiſpania: nec Ptolemæi codicibus fidem habeo.

*P. Africanus* ) Minor. *Sedium illarum* ) Atqui dubitat oratione ſuperiore, num ob oblatam aliquā religionem Africanus eam conſecrarit. Sed id de quo dubitauit, hic apertè negat Illic Iuno ſanctiſſimè colebatur: vt ait Maro,

*Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam*
*Poſthabita coluiſſe Samo.*

Colebatur Saturnus, cui, etiam liberos ſuos immolabant: Æſculapius. Sed omnium religioſiſſimè Cœleſtus, qui etiam hæres, vt Vlpianus ſcribit, inſtitui poterat. *Vetuſtatis* ) ſeptingenteſimo quàm condita fuerat anno, ab Africano deleta eſt. *De conſilij ſententia* ) de ſententia X. legatorum. Solebant enim Romani, bello confecto decem legatos mittere, qui conditiones pacis dicerent: qui leges darent: reſque ordinarent. Sic Siciliæ bello confecto, Rupilius de decem legatorum ſententia leges dedit, quas Rupilias vocauerunt. Illam maiorum conſuetudinem ſic Liuius oſtendit, *Decem legati more maiorum, quorum ex conſilio T. Quintius Imperator leges pacis Philippo daret, decreti.* Proinde eodem libro, locus lacer ſic integrari & ſarciri debere videtur, *Omnibus Græciæ ciuitatibus hanc pacem approbantibus, ſoli Ætoli id decretum decem legatorum inſanius carpebant.* Cic. ad Atticum, *Sicunde potes eruere, qui decem legati Mummio fuerunt,* Polybius non nominat. Quod hic nonnulli de lege Papiria nugantur, alienum eſt à ſententia.

*Conſecrauit* ) vt proinde prophanari non debeat, nec vendi, cùm tamen hac lege vendatur. Nec tamen ea res deterruit Gracchum à deducenda Carthaginem colonia, quam in odium Africani, vt reór, qui eam conſecrarat, deduxit. Et quòd in ea vrbe Iuno ſanctiſſimè coli ſolita eſſet, Iunoniam appellauit: valde tamen loci Genio, cui ſacra erat, refragante, & iram multis ſignis oſtendente.

*Diligens* ) Diligentes ſunt homines frugi, & ad rem attenti, quos bonos & induſtrios patresfamilias vocare ſolemus. Vnde & Diligentia dicitur ad Herennium, *Non eſt iſta Diligentia, ſed auaritia.* Ideoque diligentia, eſt accurata conſeruatio ſuorum: Auaritia, iniurioſa appetitio alienorum.

*Verùm inter* ) Inter regios agros Bithyniæ, & Attalicos in Cherſoneſo, & Appionis Cyrenenſes, reliquoſque. *Paphlagonia* ) has tres prouincias, pulſo Mithridate, Pompeius cepit.

*Cappadocia* ) tamen vel eius pars Ariobarzanis erat, eſtque ei reddita. Apparet enim partem Mithridatis fuiſſe, cùm eum illic agros habuiſſe dicat.

*Non legibus datis* ) cùm illæ regiones nondum in prouinciæ formam redactæ ſint, nondum ſint pacatæ: Imperatores victis ſolent de decem legatorum ſententia leges dare. Sed Ciceronis tempore decem legati non mittebantur, ipſi Imperatores leges dabant. Ac populis plurimis in continente Aſiæ Pompeius, vt ſcribit Dion, leges dedit, quibus etiam ætate Dionis vtebantur.

*Verbis Imperatoris* ) nondum audita conditione pacis, quam eis ferat Imperator. Quid enim ſi agros eorum non publicet? quid ſi liberet? ſententia eſt, cùm illi nondum audierint, quam conditionem pacis Imperator proponat.

*Amiſſ*

*Amiſſo exercitu*) quem in minore Armenia nocturno prælio ſuperauerat Pompeius. Superatus autem Mithridates in Boſphorum ſe receperat, vbi non multo poſt rebellione filij comperta, cùm veneno tollere ſe non potuiſſet, ſe iugulandum præbuit.

*In vltimis terris*) in Boſphoro. Nam Pompeio per Syriam arma circumferente, cogitauit de bello Italiæ inferendo Mithridates, vt ſcribit Dion. *Illis paludibus*) & aduerſus Pompeij exercitum in Boſphoro, quo ſe recepit, tutus ſit præſidio montium, anguſtiarum, paludum. Mæotidis paludes in plurali: & hic Cicero dicit, & apud eum Ennius, *A ſole exoriente ſupra Mæotis paludes*, *Non eſt qui factis me æquiparare queat.* Eſt enim Mæotis lacus, non palus: Sed paſſim in lacus extremitate paludes ſunt. Lacus enim in paludes deſinunt. Vet. liber, Mæoti, & illis paludibus, ſcribit.

*Anguſtijs*) Anguſtiæ Iſthmi Boſphorani & Colchidis ac Albaniæ inter montes euadendæ erant Pompeio: quibus Mithridates defendebatur, & altitudine Caucaſi aliorumque montium. *Adhuc*) quandiu illic cum imperio eſt. *Iudicium & poteſtas*) Erat enim Imperatoris, qui bellum geſſerat, more maiorum, poteſtas leges dandi, paciſque conditiones dicendi: populos vel immunitate donandi, vel vectigalibus onerandi. Infra, *Cuius iudicium, legúmque datio, captorum agrorum ipſius virtute cognitio tollitur.* Poſtea tamen acta Senatus approbatione confirmanda erant.

*Potiſſimum*) ex omnibus Decemuiris. Locus autem iſte non eſt in interrogatione, vt falsò à nonnullis creditur. Senſus eſt, mittetur nimirum potiſſimum ad vendendos agros virtute Pompeij captos.

*Exemplum*) exemplar, formam, vt dicimus. *P. Seruilius*) Sua præſcribit omnia nomina Rullus, omneſque magiſtratus, quod arrogantiæ eſt: Pompeij tantùm nomen ſcribit, neque Magnum adſcribit, neque Imperatorem: quod contemptionis & contumeliæ. Ad familiares cùm ſcribebant, plerunque nomen ſolum ponebant ſuum, & illorum. Cicero, *Literas in concione recitaſti, quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres:* Cæſar Pulchro: *Cùm etiam es argumentatus, amoris eſſe hoc ſignum, cùm nominibus tantùm vteretur: neque adſcriberet Proconſuli, aut Tribuno pl.*

*Magno*) Pompeio Cn. Filio, Magno. bello autem Africo confecto, à Sylla Pompeius Magnus eſt appellatus: vel, vt alij dicunt, à militibus, quæ illi cognomenti origo fuit, vt ſcribitur à Plutarcho.

*Verbo*) conceſſurus ei verbo magnitudinem, quam imminuere lege ſua conatur.

*Te volo*) Iuriſconſultis, Iubeo, imperantis eſt, vt in legatis: in quib. imperando aliquid teſtamento relinquitur. *Volo* autem precarium eſt, nec legatis, ſed fideicommiſſis aptum: tamen, *Volo te curare*, arrogantis & imperantis eſt. Moderatius & lenius eſſet, *Velim cures*: quanquam etiam imperioſum.

*Sinope*) vrbs eſt Ponti: in qua, vt Amiſi, domicilium erat Mithridatis: vt pro lege Manilia Cicero ſcribit. *Auxilium*) milites, *Agros*) regios. *Adhibebit*) In conſilio non habebit, cùm de agris vendendis conſultabit? an tanta Pompeium contumelia afficiet, vt ne eum quidem conſilio adhibere dignetur? *Manubias*) *Spolia*, Aſconius inquit, *quæſita de viuo hoſte nobili per deditionem manubias veteres dicebant.* Et erat Imperatorum hæc præda, ex qua quod vellent, facerent. Idem rurſum, *Manubiæ*, inquit, *ſunt præda Imperatoris pro portione de hoſtibus capta.* Has quidam cenſent à manus vi, aut virtute habere nomen, prædamque eſſe manu captam. Alij à manibus deducunt, quaſi manubias, ab eadem origine. Proinde hìc agros etiam manu captos de hoſte manubias appellat. Manubiæ etiam tela Iouis & arma dicuntur, à manuum vi. Tres enim eius manubias memorant, minores, maiores, maximas, id eſt, tres fulminum iactus. Fulmina enim ſunt Iouis tela. Indigniſſimum autem eſt in Pompeij prouincia, vbi imperium habeat, Pompeij manubias ab alio vendi. *Inter veſtra & hoſtium*) ita loquitur, vt prouincia nondum pacata, quaſi caſtra caſtris collata ſint. *Haſta poſita*) haſtæ ſubijciebant Romani, quæ publicè vendebant: quod ea ſumma & armorum & imperij ſignificaretur.

*Contumelia*) Verùm etiam inſunt inſidiæ. Pompeio enim inſidiantur aduerſarij. Hæ ſunt inſidiæ, quibus populum commotum iri dixit. *Verùm etiam locata*) à Cenſoribus locata ſit publicanis. Vetus liber, Verum locata ſit. Non modò autem, pro Non modo non vſurpauit: vt aliàs non raro.

*Homines*) qui iſta moliuntur: & eius legis, vel auctores, vel adſcriptores, vel fautores ſunt.

*Inimicis*) Decemuiris: qui enim creabuntur, infeſti Pompeio erunt. Ita enim rem inſtituerunt.

*Exercitu, copijs*) non enim raro accidit, vt Imperatorem ſui deſererent milites. Sic à Fimbria ad Syllam in Aſia tranſiere, quod Tribunos moliri ſignificat Cicero. Atque inſidioſè hoc agitare dicit, vt Pompeium ſpolient exercitu. *Agrorum*) qui veteranis dari ſolebant. Lucanus, ---- *Quæ rura dabuntur, Quæ noſter Veteranus aret.* *Commodorum*) reliquorum præmiorum, quæ militibus ab Imperatoribus tribui ſolent. *Sperent*) nonnullos eſſe Pompeij inimicos ita annuentes, vt hoc fieri poſſe ſperent, etſi non conantur ipſi. *Qui conentur*) vt qui legem ferre conantur, & ad Decemuiratum aſpirant.

*Portenta*) Portenta dicuntur, quia aliquid portendunt, quæ quidem & rara & inuſitata ſunt: vt proinde conſilium iſtud amens inſolitum, per tranſlationem portentum vocet.

*Ædificijsq́;*) vt in vtraque Carthagine, quas hac lege vendent. *Videatur*) cùm Cenſores Romæ in foro, quinto quoque anno vectigalia, agros, paſcua locare Publicanis fruenda ſoleant.

*Rationem*) ô rationem amentem! aliter conturbare rationes Terentius dixit, â ſummis rationum perturbatis & confuſis ducta tranſlatione, *Ita conturbaſti mihi rationes omnes.*

*Refrænandam*) libidinem cùm dicit, cupiditatem, auiditatem, & auaritiam denique intelligit: refrænandam cùm dicit, effrænatam intelligit, & coërcendam. ab equis eſt ductum: quibus cùm fræni ſunt detracti, maiore impetu feruntur, nec retineri poſſunt. Itaque interdum in pugna, fræni equis detrahebantur. Liuius, *Eques etiam auctore L. Comminio Tribuno militum, qui aliquoties impetu capto perrumpere non poterat hoſtium agmen, detraxit frænos equis, atque ita concitatos calcaribus permiſit, vt ſuſtinere eos nulla vis poſſet.*

*Diſſoluta*) conſilium negligens atque nequam. *Locare*) Tantum abeſt vt alibi vſpiam vendere liceat, cùm alibi, ne locare quidem ius ſit. Locantur autem Publicanis à Cenſoribus.

*Hoc ex loco*) Liber ſcriptus, Hoc aut illo ex loco. hoc ex loco, ex roſtris. Nam ex roſtris ea locabant Cenſores.



Cenſores. *Alienari*) vet. liber, Abalienari, quod magis placet. Cicero, *Abalienatio eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.* Alienari tamen pro abalienari reperitur: neque muto, tantùm quod repererim teſtificor.

*Cappadociæ*) Procul à veſtra frequentia, qua in re Decemuiri prædabuntur, vobis arbitris remotis.

*Indemnatorum*) nullo iudicio damnatorum, ſed ab ipſo proſcriptorum. *Et ſe prædam ſu. dicer.*) Cicero lib. 2. Offic. de proſcriptione Syllæ, *Eſt enim*, inquit, *auſus dicere haſta poſita, cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè ciuium, prædam ſe ſuam vendere.* *Ex hoc loco*) ex roſtris in foro vendidit.

*Offendebat*) ſcelerata auctione. *Fugere*) nec auſus eſt alibi auctionem facere. Id videlicet Sylla timore potius fecit, quàm ciuium contemptu. Sed Cicero hoc ad commodum cauſæ ſuæ trahit.

*Arbitris*) ne vobis quidem præſentibus. Salluſtius, *Atque ibi omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuſmodi habuit.* *Sequitur omnes*) Aliud caput eſt, quo poteſtas permittitur Decemuiris iudicandi de agris omnibus extra Italiam, qui publici facti non ſunt, in controuerſiam tamen vocentur publicine an priuati ſint? Nam ſuperiori capite vendebantur agri, qui publici facti erant. Hoc capite cognoſcitur ex infinito tempore, qui publici, qui priuati. Ita agri omnes eorum ditioni & iudicio ſubijcientur. Sequitur autem dicit, perſequitur & percenſet.

*Cognitio Decemuirûm*) Neque hic quicquam deeſt, quod videri nonnullis equidem miror, qui ne quid agatur, quidem hoc capite vident. *Agro*) quem publicum iudicarint Decemuiri, imponi iubet vectigal Rulli lex. Ita Rullus pro vectigalibus quæ vendit lege ſua, alia quærit & reponit.

*Regium*) quod libera ciuitas ferre non debeat. *Diſceptatione*) Diſceptatio hìc eſt, cùm in iudicio res à patronis, vel ab actoribus diſputatur & diſceptatur.

*Conſilio*) Sine decuria vlla iudicum. Soli enim cognoſcent. Ita hìc conſilium accipitur. *Publicare*) priuatos agros, publicos pronunciare, immunes & vectigali liberos.

*Hoc capite*) quo permittitur Decemuiris cognoſcere, qui publici, qui priuati ſint agri. Excipitur ager Recentoricus, nec permittit, vt de eo cognoſcant, eumq; poſſeſſoribus relinquit.

*Neceſſitudinem*) Nam Prætore Sex. Peduceo, quæſtor in Sicilia fuerat. *Æquitatem*) Æquum enim eſt eis agrum non adimi. *Sæpè vehementer*) Vet. lib. Sæpe, non agnoſcit, nec magnoperè hìc quadrare videtur. *Vetuſtate*) quadam vſucapione, quod iam inde vſq; ex ſecundo bello Punico agrũ poſſideant, quanquam iure victoriæ pop. Romani eſſe videatur.

*Agri conditionem*) conditiones leges quædam & iura ſunt agrorum, vt publici, verbi gratia, ſunt, aut priuati: immunes aut vectigales: aſſignati, non aſſignati, quæque alia Flaccus in libro de conditionibus agrorum memorat. *Poſſeſſionibus*) agris, ſedibus, domicilijs, ac lare familiari. *At ſi eſt*) vet. liber, Ac ſi eſt. *Qui publicus eſſe*) fateatur paſſiuè dixit more antiquo. Gellius annotat Dignor & Veneror & Confiteor & Teſtor habita eſſe verba communia: ac illud ex 12. Tab. *Æris confeſſi rebuſque iudicatis XXX dies iuſti ſunto.* De ære interpretatur, de quo facta confeſſio eſt. Itaq; falsò quidam annotant locum eſſe mendoſum, cùm Fateor æquè commune ac Confiteor eſſe poſſit. *Alia ratione*) qui Rullum pecunia corruperunt, qui apud Rullum non agri conditione, ſed corruptela valuerunt. *Delectu*) ſine vllo diſcrimine.

*Notione*) cognitione, iudicio: cùm tamen potius de re hac pop. Rom. quàm Decemuiros cognoſcere oporteat. Notio aliud quàm iuriſdictio eſt. Nam iuriſdictio eſt, vt Prætoris: Notio, verbi gratia, iudicis Prætore dati. Vlpianus, *Ait Prætor, cuius de ea re iuriſdictio eſt*, melius ſcripſiſſet, *Cuius de ea re notio eſt.* Etenim notionis nomen ad eos pertinet, qui iuriſdictionem non habent: ſed habent de quauis alia cauſa notionem. *Addicentur*) tanquam Prætoris ſententia ijs adiudicabuntur. Id enim addicere eſt, vt de eis ſuo arbitratu ſtatuant pro ſuis. Vetus liber, Adijcientur, quod non æquè probo.

*Atque etiam*) Vt in publicandis agris excepit agrum Recentoricum: ita in vendendis, agrum Hiempſalis in Africa. De Numidico agro hic neſcio quis hallucinatur. *Fœdere cautum*) Conſules & Tribuni Tetrarchas & Reges non raro appellare ſolebant, & in Capitolio fœdus cum eis ferire, regna interdum dare. quod & ex oratione in Vatinium intelligitur, & ex quadam epiſtola ad Q. Fratrem, in qua ſic ſcribitur, *De Commageno quod rem totam diſcuſſeram, mirificè mihi & per ſe, & per Pompeium blanditur Appius. Videt enim hoc genere dicendi, ſi vtar in cæteris, Februarium ſterilem futurum: eumque luſi iocosè ſatis: neque ſolum illud extorſi oppidulum, quod erat poſitum in Euphrate & Zeugmate &c.* Cotta igitur Conſul in Capitolio fœdus cum Hiempſale ferierat, & agros illos in Africa ei confirmarat. Fœdus autem in Capitolio feriebatur. Cicero pro Rabirio de Ptolemæo, *Ne ei regi, qui alienus ab hoc imperio eſſet, ſed ei qui cum fœdus feriri in Capitolio viderat.* *Ora maritima*) in ora Africæ, extra regnum ſuum. Imperabat autem Hiempſal ei Numidiæ parti, quæ propinqua erat Africæ. *Ex hoc loco*) in concione ex Roſtris.

*Adiudicarit*) confecto tertio Punico bello. De eo agro inter Maſiniſſam & Carthaginienſes antè fuerat contentio. Expugnata Carthagine Carthaginienſium fuiſſe Scipio pronunciauit, & iure victoriæ pop. Rom. adiudicauit. *Cautum eſſe*) Hiempſali regi, qui eos agros occupauerat.

*Juſſeritis*) Caudinum fœdus ratum non fuit, quod pop. non iuſſiſſet, nec Numantinum, quod Mancinus fecerat ſine iuſſu pop. Romani. *Ratum*) ac proinde largitione corrupit Rullum, vt exceptionem legi adſcriberet.

*Tollitur veſtrum iudicium*) ne de agro & de fœdere iudicetis. *Excipitur*) non ſolùm ex qua parte fœdus illud agrum attingit, verùm etiam ex qua aliud Hiempſali tribuit, totum fœdus à veſtra & Decemuirorum cognitione exceptione exceptum eſt, & à Rullo, tametſi non iuſſiſtis, comprobatum.

*Decemuirale*) excepto agro Africano Hiempſalis, quem vendi non vult. Hic nihil deeſt, cùm ſecus nonnullis videatur. *Gratis non ſit*) ſed capta à Rullo pecunia. *Volitat*) paſſim obuerſatur ante oculos. Sic lib. 1. de Oratore, *Volitare in foro* dixit. *Iubæ regis*) qui tùm in Getulia in Numidiæ parte regnabat, poſteà tota potitus eſt. ei intercedebat paternum hoſpitium cum Pompeio: ſimultas cum Curione, qui trib. legem promulgarat, qua regnum eius publicarat. Itaq; bello ciuili, Cæſari acerrimus aduerſarius fuit.

*Capillatus)* ſic vocatur qui capillo eſt promiſſiore & maiore: vt ſupra, Capillatior quàm antea barbaq; maiore. Catullus,

*Tu præter omnes vne de capillatis*
*Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.* Martialis,
*Hiſpanis ego contumax capillis.*

Qui igitur cincinatum & calamiſtratum interpretantur, Latinè neſciunt. *Vix iam videtur)* cùm tam multa vendat ſua lege Rullus: tamen tanta pecunia non contentus, poteſtatem dat Decemuiris quærendi de pecunijs repetendis & reſiduis. *Ex manubijs)* hic manubias pecuniam prædatitiam Gellius interpretatur. Nam vt ait, *Manubiæ ſignificant pecuniam ex præda à Quæſtoribus vendita redactam.*

*Ex coronario)* ad ornamentum Triumphi à prouincialibus aurum coronarium ab Imperatoribus exigebatur. Dion, ἄλλοι δὲ καὶ ἐλαχίστην τινὰ ἀρχὴν ἔχοντες, καὶ ἐπινίκια διεπράττοντο σφίσιν, οἱ μὲν διὰ τοῦ Ἀντωνίου, οἱ δὲ διὰ τοῦ Καίσαρος ψηφίζεσθαι· καὶ ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ χρυσίον πολὺ παρὰ τῶν δήμων ἐς τοὺς στεφάνους ἐσέπραττον: id eſt, alij paruum aliquem magiſtratum gerentes, pars per Antonium, alij per Cæſarem triumphum ſibi decerni impetrabant: & hoc nomine magnam vim auri à populis in coronas exigebant. Nam in Triumpho multæ traducebantur aureæ coronæ. *Relatum)* non intelligo de rationibus, vt quidam: ſed de auro ipſo & argento, quod in ærarium relatum non ſit. Ærarium enim publicum eſt. Non eſt relatum in publicum, quòd à priuatis poſſidetur. *In monumento)* Nam licebat de manubijs templa, baſilicas, porticus ædificare, quod ſæpè legimus factum. Sic porticum de manubijs Cimbricis ædificauit Catulus, vt ſcribit Cicero, pro Domo. In monumentum, vetus liber.

*Id profiteri)* eius ſummam & numerum edere. Si profiteri apud Publicanum Marcianus dicit, eſt merces aut id edere, quod vectigal debet. *Clariſſimis viris)* Clariſſimi cenſentur Senatores omnes. Iudicium repetundarum pecuniarum hoc capite conſtituitur in eos omnes, qui Imperatores bella geſſerunt, aut eorum hæredes. Hæc quæſtio annis ſuperioribus tentata fuerat, ſed quietis publicæ cauſa fuerat omiſſa. Aſconius, *Quia defuerat ſuperioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & ſæpe huius rei remedia erant quæſita: in quibus hoc quoque, vt pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quemque eſſent, exigerentur.* Id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum Dictatoris filium: quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & Rempub. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex ærario pop. Romani. Eaq́ue res ſæpe erat agitata, ea ſæpe omiſſa, partim propter Syllanarum partium metum, partim quòd iniquum videbatur poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, reddere rationem.

*Horum erit nullum)* Prætores & eorum conſilia iudicare ſolita de pecunijs repetundis, iam non iudicabunt, re ad Xuiros tranſlata. *In poſterum verò)* Nec verò hæc lex conſtituitur in eos tantùm, qui antea res geſſerunt: verùm etiam in poſterum in eos, qui hoc toto quinquennio, quo in magiſtratu Decemuiri erunt, res geſſerint, & de prouincia deceſſerint.

*Vir optimus)* Ironia eſt, vt & mox, cùm dicit, Eum, quem amat. *Excipit)* ne cogatur manubias ſuas, aurumq; coronarium apud Decemuiros profiteri & referre.

*Propè nominatim)* Vetat enim Rullus haberi abſentis rationem, quod in Pompeium, qui tunc aberat, ſcriptum Cicero queritur. *Datio)* Verbum eſt Iuriſconſultis frequens: vt iudicis datio, & tutoris datio. & in veteri quadam lege, *Deq; ea re Curatoris, qui hac lege erit Iuriſdictio reciperatorumq́ue datio, addictio eſto.* Imperatores autem bello confecto, prouinciæ leges dabant, de X legatorum ſententia, more maiorum. Sed Ciceronis ætate, ea poteſtas Imperatorum tota erat: deditq; leges Aſiæ Pompeius.

*Cognitio)* captorum agrorum cognitio hic dicitur, pro cognitione de captis agris.

*Cum Imperio)* hoc ſuſpectum eſt, quaſi exercitum cum Pompeio ſint abducturi: cùm tantam pecuniæ vim & tantam poteſtatem ſint habituri. *Imperatorium)* legum datio, agrorum captorum cognitio.

*Inuidia)* In inuidiam & odium hac exceptione Pompeium vocare conantur, non ei honorem habent.

*Remittit)* hoc ab eo non poſtulat. *Benignitate)* liberalitate, ne ad eos referat manubias.

*Ornamenta)* porticus, theatra. Theatrum ſuum de manubijs, vt reor, ædificauit Pompeius.

*Appetit)* nihil præter cæteros ſibi concedi petit Pompeius. Præcipuum eſt, quod ante capitur: vt in quodam legati genere, quod per præceptionem vocatur. Inde ad alia transfertur, quæ præter cæteros alicui tribuuntur. *Portitores)* Nam Publicani qui portoria exercent, omnia ſcrutantur, & excutiunt, ne quid ſubtrahatur, quod portorium & vectigal debeat. In Vatinium, *Cùm te non cuſtodem ad continendas, ſed portitorem ad partiendas merces miſſum putares.*

*Ferre non poſſit)* Erat enim tum potentia Cn. Pompeij formidoloſa, vt Salluſtius ſcribit. Et cùm tantùm Pompeius ea tempeſtate poſſet, tantúmq; exercitum haberet, iniuriam forte non tuliſſet, quæ cauſa exceptionis fuerit. *Hoc animo ſit)* Optem eum eſſe ſemper animum Pompeij, vt & vobis pareat, & ab iniuſta dominatione & intoleranda, quæ comparatur, vos vindicet. *Veruntamen cauet)* Cuius tamen manubijs parcit Rullus, eius vectigalia inuadit, ne omni ex parte ab iniuria ſit immunis. liber vet. Verum cauet, ſine Tamen legit. *Nos Coſſ.)* poſt conſulatum meum & Antonij.

*Se frui putat)* Agros regios virtute Pompeij partos vendebat Rullus lege ſua: reliquorum vectigalium à Pompeio pop. Romano adiunctorum fructum, id eſt, pecuniam redactam, Decemuiris attribuebat.

*Parta ſit)* tranſit ad emptionem agrorum, qui colonis aſſignentur, & in quos coloni deducantur. Libri quidam veteres, Parta ſit pecunia, Quirites, Decemuiris, quanta ſit.

*In cumulum)* Tranſlatio eſt à menſura ducta: quod enim ſupra iuſtam menſuram additur, cumulus dicitur. Solent enim verbi gratia qui metiuntur triticum, hoſtorio modium æquare & deruere quod ſuperat. Id autem quod ſuperabat, cumulus erat, qui à venditoribus multis in rebus non ſolet derui. à Græcis ἐπίμετρον dicitur. Acceſſerint igitur in cumulum, eſt cumuli loco adiunctæ ſint.

*Immanes)* Ingentes, immenſæ. *Immanis,* vt Feſtus ait, *interdum ferus eſt, interdum magnus.* quanquam autem ſemper

tem ſemper



tem ſemper in priori ſignificatione in malam partem dicitur & poſteriore: interdum tamen in bonam reperitur. *Certorum)* quorundam hominum, qui ad Decemuiratum aſpirant, quibus hac lege lucrum quæritur, cùm vobis non conſulatur. *Importunam)* Immanem, diram. hoc verbum maximam vim apud Ciceronem habet. *Importunum,* inquit Feſtus, *in quo nullum auxilium, vt portus nauigantibus.* Donatus importunitatem eſſe dicit, quæ neque loci, neque temporis habet commoditatem. Inde arbitror, quicquid immane, ſæuum, dirum eſt, importunum vocari: quòd in eo omnis incommoditas inſit.

*Appellare)* vllam hominibus dicere contumeliam, homines contumelioſè nominare. Sed cùm tales ſint ij, qui Decemuiratum petunt: vt non poſſint honeſtè appellari: illorum nominibus potius ſuperſedebo, quàm à meo inſtituto recedam. Non eſt autem de collega tantùm Antonij locus intelligendus, ſed etiam de multis alijs. *Quibus hominibus)* Partim profuſis, partim auariſſimis, qui pecuniam publicam non in agris emendis collocaturi ſunt, ſed eam ſint ſuppreſſuri.

*Mihi eſſe dicendum)* quos mihi nondum ſtatui appellandos eſſe. *Luſcinos)* In Paradoxis Luſcinios, M. Manilius patrum noſtrorum memoria (ne ſemper Curios & Luſcinios loquamur) pauper tandem fuit. Luſcinus vocatur à Valerio & Gellio: quam veram ſcripturam eſſe reor. Nam qui paruis eſſent oculis, ſic appellabantur: vnde cognomina nata. Plinius de oculis, *Ab eiſdem qui altero lumine orbi naſcerentur, Coclites vocabantur: qui paruis vtriſque, Ocellæ, Luſcini, iniuriæ cognomina habuerunt.* Fabricius autem abſtinentiſſimus & continentiſſimus fuit, qui Samnitum & Pyrrhi aurum contempſit: qui bellicoſos Imperatores plus quàm pateram & ſalinum ex argento habere vetabat: qui in Cenſura P. Cornelium Ruffinum qui II. Coſ. & Dictator fuerat, mouit ſenatu, cauſamq; ſubſcripſit, quòd decem pondo argenti facti cœnæ cauſa haberet. Miror hic Ciceronem non meminiſſe Manij Curij.

*Calatinos)* Attilium Calatinum cognomento Serranum: qui ad eum accerſendum à Senatu miſſi fuerant, ſpargentem ſemina inuenerunt. *Serentem,* inquit Plinius, *inuenerunt dati honores Seranum, vnde cognomen.* Sic ab aratro ad Dictaturam Quintius Cincinnatus vocatus eſt. *Acidinos)* Significari puto L. Manlium Acidinum, qui Conſul fuit cum Q. Fuluio Flacco, & antè in Hiſpania res geſſerat, Triumuirq; in deducenda Aquileiam colonia fuerat. Is eſt cuius meminit lib. 2. de Oratore in iocis, vbi vir bonus & egregius ciuis dicitur. *Catones)* M. Porcius Cato ciuis egregius, optimus orator, & Imperator. Eius ætate deductæ coloniæ ſunt, & latæ leges Agrariæ. nunquam tamen tali ciui tanta poteſtas permiſſa eſt.

*Philippi)* L. Philippus Q. Fil. vir magno ingenio, imprimiſq; clarus: huius & in Bruto, & de Oratore ad Q. Fratrem meminit. Tribunus pleb. legem Agrariam tulit, quam facile antiquari paſſus eſt, & in eo ſe moderatum præbuit: vt 2. Officiorum ſcribitur, *Igitur tantùm abeſt, vt ea poteſtas commiſſa ſit, quæ Decemuiris hac lege conſtituitur, vt ne legem quidem eius populus acceperit.* Quod annotant quidam Q. Martios Philippos Romæ multos nobiles fuiſſe, ſtultè faciunt. Certa enim hic ſignificatur perſona. Idem eorum eſt error in Acidinis: quaſi de familia Cicero loquatur, non de certo homine.

*Lælij)* Lælius Scipionis amicus Agrariam legem ferre tentauit, ſed aduerſante locupletum factione deterritus, incepto deſtitit, ne Rempub. perturbaret: atque ex eo ſapiens, vt Plutarchus ait, vocatus eſt.

*Temperantiam)* continentiam & abſtinentiam. à quibus virtutibus longiſſimè abſunt, qui ad Decemuiratum aſpirant. *Iudicaret & venderet)* Cùm hæ ſint curationes diuerſæ, iudicatio qui ſint agri priuati, qui publici, & agrorum vectigalium abalienatio, quas mandari ijſdem non licebat. præſertim cùm ne vno quidem ſortitu de pluribus rebus ferre liceret: vt Cicero pro Domo diſputat. *Quinquennium)* vt lege Rulli. *Agros vectigales)* Agros intelligit, qui à Cenſoribus Publicanis locabantur. Vectigal enim pendebant & pop. Romani erant. Nam erant etiam agri vectigales, qui à priuatis poſſidebantur: populo tamen vectigal debebant, cùm immunes non eſſent: ſed populi Romani non erant.

*Nullo teſte)* Nam in vltimis terris auctionem eis facere licebit lege, remotis arbitris.

*Feciſſet)* tantum pecuniæ quantum vellet redegiſſet. Cicero in Epiſtolis eodem modo locutus eſt, *Circumſpectis rebus meis omnibus, rationibuſq; ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium.*

*Odorari)* olfacere, venari, aucupari, adipiſci velle Decemuiratum, qui ad Decemuiratum aſpirant. Ductum à canibus, qui odorando feras inueſtigant, vt tandem capiant.

*Partem)* Reperietis partim auariſſimos, partim profuſiſſimos eſſe: neutris autem committendum eſt, ne publicas pecunias intercipiant. Nam & auari furantur, & profuſi.

*Expeditiſſimum)* in promptu eſt, vt qui expediti & parati ad rem aliquam ſunt. *Vt emantur)* non ſolere more Maiorum deduci plebem in agros coëmptos, ſed in agros publicos.

*Agris publicis)* abſoluti ablatiui, vt ſuperiore oratione docui: id eſt, cùm eſſent agri publici. Quod dicendi genus videntur ignoraſſe quidam. *Horrido)* Rullum me putaſſe ab antiquitatis exemplis non eſſe diſceſſurum, nec quicquam innouaturum: præſertim qui ita vultu truculentus eſſet, & veſtitu ita horridus & incultus, vt in eo antiquitatis imago, & maiorum ſeueritas appareret.

*Mercatura)* iſtam nundinationem vendendi agros publicos, emendi priuatos. *Alienum)* frequenter cum præpoſitione: ſic tamen ſine ea non rarò: rarius eſt, Alienum eius dignitatis. quod Cicero de Finibus dixit, & ante eum Lucretius, ----- *alienaque pacis eorum.* *Quos agros)* cultos an incultos? paſcuos an frumentarios? *Quibus in locis)* in Italiáne, an alijs in regionibus? Non enim parum refert, quò deducantur coloni.

*Incertam)* niſi & agri definiantur & loca, plebs incerta erit: nec quid ſperet, intelliget. Cæcam expectationem vocat, ignaram & inſciam rei. *Albanus ager)* agros nominat, qui porta exeunti Capena, & Appia via iter facienti, aut ſecundum viam ferè occurrunt, aut non longè abſunt.

*Ab alia porta)* à Flumentana porta exeunti in Flaminiam, non longè ſunt omnes hi agri, præter Venafranum & Alifanum, qui ſuperioribus annumerari potius debuere, ordinemq; confundere videntur.

*Coaceruare)* Verum etiam eius aceruis operire: per ſuperlationem dixit. Quomodo autem coaceruare vſurpauit, ſic etiam accumulare dixit Plinius, *Feruentibus enim locis accumulant æſtate radices, operiuntq;*

*ne ſolis ardor exurat:* id eſt, cumulis terræ operiunt. Tale eſt illud Curtij, *Exhauriendas eſſe regiones, vt illud ſpatium aggeraretur,* id eſt, aggere compleretur. *Non definis)* Cur certos agros non proponis? Id enim hic definire: vt & pro Cœlio, *Accuſatio crimen deſiderat, rem vt definiat, hominem vt notet:* id eſt, vt rem certam obijciat. Iterum, *Hîc ego iam rem definiam, mulierem nullam nominabo, tantum in medio relinquam:* id eſt, rem ipſam ſine nomine perſonæ proponam. Itaque ſatis dici non poteſt de eorum ſtultitia, qui hæc ad dialecticas ſuas definitiones reuocanda cenſent, magna ſanè linguæ Latinæ ignorantia.

*Definio, inquit, Ital.)* Significat ſe extra Italiam Rullus non eſſe deducturum colonos (nam more maiorum in Italia Coloniæ deducebantur) ſeq́ue colonis in ſolo Italico agros aſſignaturum.

*Satis certa regio)* Ironia eſt. Non enim ſatis certus ſignificatur ager, Italia definita, quæ tam longæ ſterilitatis arenas quibuſdam locis habet, in quas plebem deduci non conueniat. *Quantulum intereſt)* Rurſum Ironia. exiguum verò interſit Maſſici montis radices, vbi feraciſſimus erat ager, an Italiam proponat ac definiat: id eſt, quaſi verò quicquam ſit diſcriminis inter locum & locum. Magnum autem diſcrimen eſſe intelligit. Qui, Alióue, mendoſum putant, id meritò faciunt. Integra enim non intelligenti mendoſa ſunt. Radicem vocat, quam Græci ὑπώρειαν. Maſſicus mons erat Campaniæ vino nobilitatus.

*Age verò definis)* locum vtrunque definis, cùm Italicum ſolum proponis. Liber vetus, Age non definis locum, habet: Quaſi Italiæ propoſitio, non ſit loci definitio. *Quidnam agri verò)* definis, ſubaudi. Caue enim putes locum eſſe mendoſum: quod nonnullis tamen videtur. *Inquit, qui arari, aut coli poſſit)* hæc in libro veteri non lego: & his loci ſententia carere poteſt, quanquam ferri poſſunt. Tantùm igitur abeſt, vt, quod quibuſdam videtur, hic quicquam deſit, vt aliquid ſupereſſe videatur.

*Veratianæ)* liber vetus, Neratianæ. quo ſane modo legendum cenſeo. Nam Romæ Neratios fuiſſe, ſatis Neratius Iuiſconſultus oſtendit. Ridicula autem illius auctionis tabula fuit. Nam cùm ſaltus ſteriles & incultos proſcriberet Neratius, vti melius venderet, ſcripſit, *iugera CC vbi oliuetum fieri poſſit.* Eam tabulam magnus ſecutus eſt riſus. *Perſtringi non)* quod non poſſit leuiter aratro tanquam radi. Perſtringitur enim dicitur, quod leuiter vulneratur, & ſcarificatur, vt ita dicam, quod eſt Græcis ἀμυχάσσειν & ἐπιξέειν. Contrà in pingui ſolo altè deſcendit ſulcus, & deprimitur vomer: cùm in exili ſolo tantùm ſumma terra perſtringatur. Nullum eſt ſolum tam exile, quod non poſſit arari.

*Saxetum)* Sic locus ſaxis abundans vocatur, qui etſi arari non poteſt: tamen aliqua hominum induſtria poteſt coli. Saxetum dicitur, vt à Catullo *Sepulchretum,* quod eſt πολυάνδριον: vt vepretum, dumetum.

*Tangam nullum)* nullum ſumam, nullum emam ab inuito. Ea dicitur ſignificatione, qua dicimus nos, alienum inuitis dominis tangere nolle, nolle attingere.

*Ab inuito)* cùm dicit ſe nemini vim allaturum, maiorem ex eo quæſtum faciet, quàm ſi vendere cogeret. Sed & plus lucrabuntur venditores. *Expedierit emptori)* Cùm expediet emptori Decemuiro emere paruo, quod vobis inducat magno: & expediet venditori malum agrum vendere, peſtilentem aut ſterilem. *Deducti optima)* Nam multi locupletes, vt ſcribit Plutarchus in Gracchis, agros publicos inuaſerant, eoſq́ue poſſidebant. Deducere autem eſt demouere de poſſeſſione: vt pro Cæcinna, *Et de fundo Cæcinna moribus deduceretur.* *Conuerſa ratio eſt)* Conuerſa ratio dicitur in contrarium mutata: vt ad Atticum, *Vide quàm conuerſa res eſt.* *Poſſeſſiones inuidioſ.)* Multi per Syllanam proſcriptionem alienas poſſeſſiones, agros, fundos occuparant, vt Craſſus, quod Plutarchus ſcribit, vt Valgius ſocer Rulli: nonnullos etiam in proſcriptorum numerum referendos curarant. Poſſeſſionum cauſa illi magna laborabant inuidia. Cicero de Craſſo, *Qui proſcriptiones locupletum, qui cædes municipiorum, qui illam Syllani temporis meſſem recordetur.* *Fortunis locupletat)* auget enim eos pecunia, qui publicos agros habent, qui ex proſcriptione eos inuidia liberat. *Latitudinem)* qui latiſſimè publicos agros poſſident, de quibus metuunt.

*Horrebant)* Publicorum agrorum & Syllanorum poſſeſſores. *Vltrò y nunc etiam rogabuntur)* Sic enim vltrò plerunque vſurpatur: Terentius, *Vltrò, ſi quam fecere, ipſi expoſtulant: & vltrò accuſant.*

*Sibi intus canit)* à Citharœdis ductum, quorum altera manus ad iugum carpit chordas ſine ſono, intuſq́ue canere dicitur, id eſt, ipſi artifici: altera carmen canit pſallitq́ue, vel digitis, vel plectro ſonum citans ad teſtudinem: quod foris eſt canere, quia ſonus ab omnibus auditur. Difficillimum erat quod Aſpendius Citharißta faciebat. Nam ſola ſiniſtra, ſine adminiculo dextræ, totum carmen, totamq; cantionem peragebat. Quemadmodum autem, qui intus canunt, carmen furantur & ſubſtrahunt: ita qui ſuo ſeruiunt commodo, qui quæſtui ſuo ſtudent, qui deniq; furantur, intus canere dicuntur. Hæc non intellecta à quibuſdam eſſe, præſertim tam diſertè explicata ab Aſconio, flagitioſæ tarditatis eſt argumentum. Deinde quod aiunt Aſpendios, in hoc genere canendi difficillimo exercitatiſſimos fuiſſe, de omnibus propè ſcribunt, quod de vno & Cicero & Aſconius ſcripſere.

*Tenebris)* tempore belli Ciuilis Syllanæq́ue proſcriptionis, quo facile fuit in tanta caligine & perturbatione Reip. agros occupare. Hirpinum autem agrū & fundos in Caſinati, Valgius Rulli ſocer occuparat.

*Syllanis oneribus)* Magna laborabant inuidia, qui occaſione Syllanæ proſcriptionis locupletati erant: ac ſæpè de poſſeſſionibus eis adimendis actum erat, Flauio Tribuno pleb. ferè ſimilem poſtea Seruiliæ ferente legem. Cicero ſcribit ad Atticum, ſe confirmaſſe oratione ſua Syllanorum hominum poſſeſſiones. Oneribus quod ait, tranſlationem habet à baiulis aut iumentis grauiora ferentibus onera, eiſq́ue ſuccumbentibus cum opprimantur. *Inuidiam)* Inuidioſis agris abalienatis & venditis. Inuidia eſt, cùm quis in hominum odio verſatur.

*Condere)* Recondere. pro Cluentio, *Qui illi pecuniæ, quam condiderat, ſpe iam atq; animo incubaret.*

*Et vos)* Et, indignantis eſt, quod Græcè dicitur εἶτα. Simile eſt pro Milone, *Et ſunt qui de via Appia querantur, taceant de Curia.* *Syllanos poſſeſſores)* qui proſcriptionibus Syllanis locupletati ſunt. Syllani autem præſidio legis nitebantur. Nam lege ſiue Valeria, ſiue Cornelia eorum bona vænierant, qui proſcripti fuerant, & qui in aduerſariorum præſidijs occiſi fuerant. Quas autem hic Syllanas poſſeſſiones Cicero oppugnat, contra Flauium Tribunum defendit & confirmauit.





*Domini)* Syllani, qui proſcriptione locupletati ſunt. *Vaſtitatem)* Alteri vaſti ſunt & deſerti, partim propter ſterilitatem, partim propter peſtilentiam.

*Continuatus)* Continuare hìc eſt, ex multis vnum, idque continens efficere: velut multis proſcriptis fundis vicinis, vnam fundi formam continuarat Valgius. In oratione tertia, *Quos in Caſinati optimos & fructuoſiſſimos continuauit.* *Stridorem vnum)* fremitum, minas, per hyperbolen: nedum actionem & legem. Plebs Syllanos peſſimè oderat. Sylla enim plebis iura imminuerat, & Tribunitiam poteſtatem ſuſtulerat, Senatus vires confirmarat. *Quoquo precio)* quanuis paruo emptus: magno tamen vobis inducetur à Decemuiris. Vt autem dicitur inducere exemplum, inducere nouum genus orationis, inducere nouam perſonam: ſic hoc loco inducere agrum dicitur, cui ablatiuus precij adiungitur. Nam qui inducere æſtimare interpretantur, errant. *Incultum)* genus agrorum vobis ement, partim ſterile, partim peſtilens: quod vtrumque vitandum eſt. Varro, *Duo imprimis ſpectaſſe videntur Italici homines colendo, poſſentne fructus pro impenſa ac labore redire, & vtrum ſaluber locus eſſet, an non? quorum ſi alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente eſt captus, atque ad agnatos & gentiles eſt deducendus.*

*Et nimirum iſtud)* Rullus Kalendis Ianuarijs in Senatu de ſua lege verba fecerat, plebemq́ue Vrbanam exhauriendam eſſe dixerat. Quod verbum in deteriorem partem rapit Cicero: proinde quaſi hoc verbo ſatis oſtenderit, ſe nolle plebem in optimis agris collocare: ſed quoquomodo ab vrbe amandare & ablegare. Plebs Vrbana dicitur, quæ in quatuor tribubus erat, Exquilina, Collina, Suburrana, Palatina. In alijs tribubus erat plebs Ruſtica.

*De aliqua ſentina)* atqui ipſe apertè plebem, Sentinam vrbis lib. 1. ad Atticum appellat: quo tamen verbo abſtinuerat Rullus. *Populo autem,* inquit, *& Pompeio (nam id quoque volebam) ſatisfaciebam emptione. qua conſtituta diligenter & ſentinam vrbis exhauriri, & Italiæ ſolitudinem frequentari poſſe arbitrabar.* Ita ei crimini quod obijcit, obnoxius vltrò eſt. Sentina locus eſt in naui, quo aqua confluit, quæ corrupta, teterrimè olet. Ea aqua nautea à Plauto appellata eſt in Aſinaria.

*Gratiæ)* qui in colonias deducuntur, ciuitatem amittunt Romanam: proinde omnia quoque ciuium iura. Cicero pro domo ſua, *Qui ciues Romani in colonias Latinas proficiſcebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant.* *Libertatis)* quam tuentur Tribuni pleb. cui inſidiantur Latores legis. *Suffragiorum)* Coloni ſuffragium Romæ non habebant. in mandandis magiſtratibus ſuffragium magni fiebat. Legimus enim Campanis, Samnitibus, Sabinis aliquando datam ſine ſuffragio ciuitatem. *Ludorum)* qui Romæ fieri quotannis ſolent.

*Feſtorum dierum)* Sic Terentius in Hecyra, *Tum tuas amicas te, & cognatas deſerere, & feſtos dies? Mea cauſa nolo,* *Siccitate)* In arenoſis Sipontinorum agris. Illic enim agros ſteriles facilè ement Decemuiri.

*Salpinorum)* Salapinorum rectum videtur à Salapia vrbe Apuliæ: de qua hæc ſcribit Vitruuius lib. 1. *Quibus autem inſidentes ſunt paludes, & non habent exitus profluentes, neque per flumina, neque per foſſas vti Pontinæ, ſtando putreſcunt, & humores graues & peſtilentes in his locis emittunt.* Item in Apulia oppidum Salapia vetus, quod Diomedes à Troia rediens conſtituit, ſiue (quemadmodum nonnulli ſcripſerunt) Elphias Rhodius, in eiuſmodi locis fuerat collocatum, ex quo incolæ quotannis ægrotando laborantes, aliquando peruenerunt ad M. Hoſtilium, ab eoque publicè petentes impetrauerunt: vt his idoneum locum ad mœnia transferenda conquireret eligeretque. Tunc is moratus non eſt, ſed ſtatim rationibus doctiſſimè quæſitis, ſecundum mare mercatus eſt poſſeſſionem loco ſalubri. Ab Senatu populoque Ro. petijt, vt liceret transferre oppidum, conſtituitque mœnia & areas diuiſit, nummoque ſeſtertio ſingulis municipibus mancipio dedit. His confectis lacum aperuit in mare, & portum è lacu municipio perfecit. Itaque nunc Salapini quatuor millibus paſſib. progreſſi ab oppido vetere, habitant in ſalubri loco.

*At dicat)* planè legendum eſt, Aut dicat, contra librorum fidem. *Tum arenam)* id propter Sipontinam ſiccitatem, & arenoſos Sipontinorum agros dicit: vt mox paludes, propter inſalubres Salapinorum & peſtilentes paludes. *Veneunt)* quidam lib. ſcriptus, Venierunt. in præterito.

*Pecunia fiet?)* Vetus lib. Quid pecuniæ fiet? quomodo hic etiam legit Adrianus Cardinalis, genuſq́ue dicendi multorum auctoritate confirmat. In Verrem tamen ita ſcribitur in ablatiuo, *Quid hoc homine faciatis? aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum animal reſeruetis?* In datiuo effertur pro Cæcinna, *Quid huic tu homini facias? nonne concedas interdum, vt excuſatione ſummæ ſtultitiæ, ſummæ improbitatis odium deprecetur.* Itaque ſi illud in Verrem, quod in ablatiuo effertur, verum eſt, nec mendoſum: vt de inſtrumento dicetur. Nam in datiuo ratio loquendi frequentiſſima eſt.

*Et referre in)* Et, videtur redundare, niſi, Et exigi prohibet, legamus. *Abalienatis)* venditis. vnde abalienatio. *Exinanitis)* exhauſtis à Decemuiris, qui eos fortunis & regnis ſpoliabunt.

*Ergo ea eſt)* Talis igitur hæc lex eſt, vt minimo publica veneant, magno priuata emantur: vt non tàm vobis conſulatur, quàm poſſeſſoribus. *Atq; in hos agros)* nunc de coloniarum deductione diſſerit in agros emptos. *Eſt plane rectius &)* Vetus lib. Eſt planè rectius, idoneo ſenſu. Eſt enim rectius locum aliquem eſſe, qui coloniam poſtulet, aliquem, qui non poſtulet. Nonnulli etiam emendant, An plane recuſet? nec id malè. *Propugnacula imperij)* Siculus Flaccus maritimas initio eſſe deductas colonias dicit ad tuendam Italiæ oram. Propugnacula ſunt, quæ Græci προμαχῶνας appellant, loca in muris, vnde propugnare licet. *Et in quæ præterea)* verba ſunt legis Seruiliæ. Proinde ſine interrogatione legi debent. Nam qui interrogant, à ſenſu aberrant. Nam non tantùm in eos agros, quos emiſſent: verum etiam alia in loca, in quibus non emiſſent, poteſtatem faciebat Rullus colonias deducendi.

*Ianiculum)* Saturnia vrbs erat, inquit Plinius, vbi nunc Roma eſt. Antipolis, quod nunc Ianiculum, in parte Romæ. Ac Ianiculum Ancus vrbi addidit, nè quando arx hoſtium eſſet. Id muro & ponte ſublicio vrbi coniunctum eſt. quinetiam vt commentario ſuperiore dixi, nequando ab hoſtib. occuparetur, initio imperij Romani comitijs Centuriatis ſemper illic præſidium erat: quæ conſuetudo tamen metu hoſtium ſublato, & propagato imperio remanſerat. In capite atque ceruicibus, cùm dicit, tranſ-

lationem ducit ab oneribus, quæ in capite, ceruice, humeris collocari, & imponi ſolent: quibus comparat montem eminentem & vrbi impendentem. *Definias*) non nomines, non proponas, non edas.

*Ad vim*) ad opprimendam libertatem po. Romani, Regni affectationem obijcit: quod Optimates popularibus obijcere ſolebant, vt Sp. Melio, Manlio, Graccho. *Numero*) numero colonorum, præſidio militum. *Vectigalibus*) Vectigalibus & copijs reip. quibus agros emeris populum Rom. opprimas, ſic occupatis & obſeſſis, præſidio tuo munitis & firmis colonijs. *In iſtam Decemuiralem*) In illam, lib. vet.

*Municipia*) Nam in municipia etiam coloni mitti ſolebant. Gracchus enim colonos dedit municipijs, vel ad ſupplendum ciuium numerum, vel ad coërcendos tumultus, qui ſubinde naſcebantur. Deducentur igitur Rulli lege in municipia coloni, in quibus nunquã collocati fuerant: illi in colonias, in quas antea deducti fuerint alij. Mirum eſt à Cicerone Placentiam coloniam, municipium vocari in Piſonem: quod factum eſſe reor, quia, vt municipia, ius ciuitatis & ſuffragij habebat.

*Italiæ*) non extra Italiam: cùm Gracchus etiam extra Italiam deduxerit. In quo culpatus eſt. Id enim maiores cùm viderent, tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Maſſiliam Phocæa, Syracuſas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto genitali ſolo, diligenter vitauerant.

*Num obſcurè*) nonne perſpicuè dominaio quæritur ijs, qui ad Decemuiratum aſpirant hac lege?

*Obſidebunt*) occupabunt, tenebunt: vt corpus locum obſidere à Cicerone dicitur. Penes quos autem omnis pecunia, & multitudo maxima hominum fuerit, ijdem totam Italiam in poteſtate habebunt.

*Interclusam*) interſeptam, circumuallatam, interceptam. *Ager Campanus*) Capua bello 2. Punico recepta, Campanus ager ademptus eſt, & Capua præfectura facta. Eum agrum diuidebat lege ſua Rullus, & Capuam colonos deducebat, & in alia Campaniæ oppida.

*Vrbem ampliſſ.*) appoſitio eſt, quæ à Grammaticis dicitur, vt equidem mirer eſſe, qui genus dictionis Rullianum potius, quàm Ciceronianum putent. *Atqui*) Atque, lib. vetus. quo ſanè modo legendum eſt. Atqui, enim hîc non quadrat.

*De commodo veſtro*) de Capua, quò deducemini, & de agro Campano, cuius diuiſio & adſignatio ad veſtrum commodum pertinere videtur, diſſeram: deinde reuertar, ac veniam ad amplitudinem & dignitatem, oſtendamque vobis turpe, & fœdum fore, ſi talem agrum diuidi ſinatis. Hic perſpicuè, Reuertor, eſt venio. Non item perſpicuè in loco de fato, etſi Sipontino, & quibuſdam videtur. Nam potuerat Cicero de Chryſippo eſſe locutus in ijs, quæ deſiderantur. Hic autem duos attingit ſuaſoriarum locos, vtile & honeſtum. *Rei dignitas*) Lib. vet. Si quem rei indignitas: ac ſanè melius: hoc ſenſu. Si quis vtilitatem ſperat, ne eam expectet. Si quis indignum & turpe putat, agrum Campanum diuidi, turpe autem docebo, largitioni reſiſtat. Non me fallit tamen, Rei dignitas, non ineptè legi fortaſſe poſſe.

*Capuam ſcribi*) quòd ineſt motus in deductione coloniæ, idcirco ſcribi Capuam dixit, pro, Scribi Capuam deducenda aut mittenda. In alia etiam Campaniæ oppida ſcribebat, vt poſtea Cicero dicet.

*Ad hunc numerum*) vt hunc numerum conficiant ſinguli Decemuiri, quingenos deducent. Ita enim quinqua millia erunt. Quingenos hic non quingentos lego. Mouet me ratio loquendi, quæ ita poſtulat, & auctoritas veteris libri, in quo quinquagenos, pro quingenos legitur. Qui dicunt hunc numerum efficere vicies quinquagies centena millia, equidem quid garriant, neſcio: hoc tantum ſcio longè eos à ſenſu abeſſe. *Conſolari*) Audito magno colonorum numero, qui Capuam mittebantur, & agri Campani diuiſione, in ſpem magnam adductus pop. erat, lætarique videbatur. Ne ſe conſolentur, ne lætentur monet Cicero. Qui hic aliquid deſiderari putant, errant.

*Integris*) bonis & innocentibus, an improbis & nocentibus potius? *Quietis*) qui rebus nouis non ſtudent. *Omnibus vobis*) Locus. Sed non erit, verum quæritur locus quinq; hominum ſeditioſorum & facinoroſorum millibus. *Veſter honos*) Conſulatus, quem mihi mandaſtis. Sic in Antonium ſcribit, *Manendum mihi ſtatuebam quaſi in vigilia conſulari & ſenatoria.* *Conniuebo*) vet. lib. Si ita commodum veſtrum fert, commonebo: id eſt, etiam adhortabor, non deterrebo. In Aldo, Commouebor. Neutrum placet. Conniuebo, probo: id eſt, velut oculis clauſis id diſſimulabo & feram.

*Bellum facere*) bellum facit vrbs, quæ bellum gerit, bellum inſtruit, quæ bellum iuuat milite, ſtipendio, commeatu, alijſque rebus. *Tamen ne*) id eſt, an cum hæc ita ſint, tamen patiemini? Hoc genere dicendi delectatur Cicero, vt paulo poſt, *Tamen ne vexari remp. contemni maieſtatem pop. Rom. patiemini?*

*Veſtro nomine*) nominis veſtri colore & prætexu, per cauſam veſtri nominis. Simulant enim ſe vobis agros aſſignare velle, opes tamen & dominationem quærunt. Opes hic cùm dicit, potentiam intelligit, vt ſæpe. *Teneant & fruantur*) Lege Licinia amplius 500. iugera poſſidere non licebat: ſed Stolo emancipato filio, legi fraudem ſuæ fecit, milleque poſſedit: ac condemnatus eſt lege Sempronia. Vt ſcribit Siculus Flaccus, non plus ducenta poſſidere licebat: ſed legi fraudem faciebant, ac alieno nomine multo maiorem modum poſſidebant: quod hic moliri dicit Cicero eos, qui ad Decemuiratum aſpirant. quærere enim eos poſſeſſionem agri Campani ſuorum ſatellitum, quos in colonias deducent, nomine.

*Coëment præterea*) agros vt lati fundia habeant. Legunt quidam, præterea dena iugera.

*Dena iugera*) præterquam quod alios coëment agros, etiam dena iugera quæ diuident, coniuncta & continuata poſſidebunt, vniuſque fundi formam continuabunt. Dena autem iugera lege Seruilia aſſignabantur colonis. *Per legem*) Caput erat in lege Seruilia de modo agri, quo ne quis maiorem poſſideret. Forte etiam cauerat, ne aſſignationes venderentur.

*Corneliam*) per Syllanam legem de agrorum aſſignatione & coloniarum deductione. L. autem Sylla dictatore ferente, comitijs Centuriatis, municipijs adempta ciuitas eſt & ager. De agro ratum fuit, de ciuitate non valuit. XLVII. legiones in eos agros deduxit.

*Agrum Præneſtinum*) quem diuiſerat Sylla, cùm Præneſtini Marium recepiſſent, quorum etiam duodecim millia crudeliſſime interfecerat.

*Iſtorum pecunijs*) nomine Pecuniæ bona intelliguntur omnia, vt hîc: etiam prædia & fundi.

*Familia-*



*Familiarum*) Hic nomine familiæ non tantum ſerui, ſed etiam ingenui, qui in alicuius domo & ſumptibus viuunt, ſignificari videntur. *Cumanorum*) Sinus erat in ora Campana amœniſſimus, villis vndique magnificis cinctus ad Puteolos, qui Crater dicebatur. de quo ita ſcribit lib. 2. ad Atticum, *Qui putas prætermittendum nobis eſſe, hoc tempore Cratera illum delicatum.* Sed villæ illæ ſumptuoſæ erant, quas & magno ædificabant, & magno tuebantur. Is ſinus erat inter Miſenum & Mineruium. à Sinueſſa quoque ad Miſenum pulcherrimæ in ſinu Cumano villæ erant.

*Sumptus*) fructibus agri Campani, qui feraciſſimus eſt. *Kalend. Ianuarij*) quo die magiſtratum iniui, & ei in Capitolio reſpondi. *A Romilia*) Vetus lib. à Romulia. Romuliam tribum appellatam cenſet Varro, quòd eſſet ſub Roma. Pomp. quòd ex eo agro cenſebantur, quem Romulus ceperat de Veientibus. Erat igitur Tribus ſuburbana Ruſticarum prima. Ex ea initium aſſignationis & diuiſionis faciebat Rullus. Et Ruſticas tribus anteponebat Vrbanis, maiorum forte exemplo, qui vt ait Varro, ruſticos Romanos vrbanis præponebant. Quod idem Columella ſcribit. Cicero reprehenſionis occaſionem nactus eſt ex contemptu plebis Vrbanæ, apud quam dicebat.

*Amputetur*) omnes Vrbanæ tribus amputentur & tollantur, quas prætermiſerit Rullus, cùm à prima Ruſticarum incepit. *Ordo tribuum*) Ordo enim poſtulabat, vt à Suburrana, Palatina Exquilina, Collina inciperet: deinde ad Romiliam, quæ, vt Varro ſcribit, quinta eſt, veniret. *Vrbanis*) his qui ex quatuor Vrbanis tribubus ſunt. *Dictum negat*) ſi hoc ſe negat in ſenatu dixiſſe.

*Ocriculana*) Ab Ocriculana, legi deberet, ſi quod eſſet huiuſmodi nomen Tribus ab Ocriculo. Libri veteris hic ſcriptura vitiata eſt: ſed tamen quæ ſuſpicionem veræ ſcripturæ oſtendat, Deſcribat ab vſura. Nam non dubito quin legendum ſit, Deſcribat ab Suburrana, quæ à Varrone prima tribus nominatur. Ea à Suburra nomen habet. *Ad Narnienſem*) vet. lib. Ad Arnienſem. quo ſanè modo legendum cenſeo. Nam Narnienſem, vt minus probem, facit, quòd antequam Nequinum vocaretur Narnia, & in pop. Romani poteſtatem veniſſet, Arnienſis tribus erat. Cuius vocabuli qui originem neſcierunt, à Narnia Narnienſem audacter Tribum nominarunt. In Liuio ſcribitur Anienſis lib. X. ab vrb. condita, *Luſtrum eo anno conditum à Publ. Sulpicio Sapho, & P. Sempronio Auerrione Cenſoribus: Tribuſque additæ duæ Anienſis ac Terentina.* Proinde quaſi ab Aniene & Terento nomina habeant. Sed in Liuio Arnienſem legi debere cenſeam, vt & lib. 9. de ſecundo bello Punico, vbi Narinenſis legitur, *Idem M. Liuius cùm ad Tribum Narinenſem, & nomen collegæ ventum eſt, vendere equum C. Claudium iuſſit.* Hanc in ordine tribuum ſuſpicor ex hoc Ciceronis loco fuiſſe vltimam.

*Conſtipari*) coarctari, condenſari, peranguſtè referciri, vt libro 1. de Orat. dixit. Qui ſimile putant, quod ſupra dixit agros coaceruare, valde errant. Illic enim agri coaceruantur, id eſt, agri pecuniæ aceruis operiuntur. Hic multitudo in agro conſtipari dicitur. Proinde quaſi ager anguſtus futurus ſit, nec multitudinem ciuium Romanorum capturus. Tantum abeſt, vt dena cuique iugera deſcribi poſſint.

*Vexari*) cui ſuæ fortunæ & opes adimuntur à Tribunis, quæ à Tribunis ſpoliatur.

*Deludi*) Vobis enim illudit, quia vobis agrum Campanum nec diuidet, nec diuidere poteſt, cùm in eo vix conſtipari poſſitis. *Quòd ſi ager*) ad dignitatem tranſit, ac indignum dicit tali fundo populum Romanum priuari. *Patrimonio*) Patrimonium, bona quæ à patre veniunt, ſignificat, vt matrimonium interdum, quæ à matre. *Fundum*) in agro plurimi fundi ſunt, vt in agro Campano eſſe poterant, quem tamen, quia totus eſſet pop. Romani, eius fundum vocat.

*Caput veſtræ*) præcipuam veſtræ pecuniæ partem. Sic enim ſæpè à Cicerone dicitur. Sic caput patrimonij publici, huius agrum vocat oratione ſuperiore.

*Pacis ornamentum*) vectigalia, vt diximus ſuperiore oratione, pacis ornamenta & belli ſubſidia dicebantur ab ijs, qui largitionibus refragabantur hominum popularium. Eodem modo dictum eſt pro lege Manilia, *Si & belli vtilitatem & pacis dignitatem ſuſtinere vultis.* *Horreum legionum, ſolatium &c.*) Subſidium annonæ, horreum belli, ſuperiore dixit oratione. quæquidem explicauimus.

*Italico bello*) bello ſociali, quod exortum eſt ob ciuitatem ſocijs negatam. Quod hic de agro Campano dicit, idem de Sicilia ſcribit in Verrem, *Nos vero experti ſumus Italico maximo difficilique bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, ſed pro ærario illo maiorum vetere ac referto fuiſſe.* *Momento fortunæ*) Nam vt eſt in oratione pro lege Manilia, *Sæpe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur, ac vectigalib. non ſolum aduentus mali, verum etiam metus ipſe adfert calamitatem.*

*Inclinatione*) mutatione, conuerſione. Sæpè Cicero mutationem ſtatus publici inclinationem temporum appellat. *Aſiæ portus*) benè portuoſa eſt Aſia. De ea Cicero pro Flacco ſic ſcribit, *Equidem exiſtimo in eiuſmodi regione atque prouincia, quæ mari cincta, portubus diſtincta, inſulis circundata eſſet.* Maximum autem pop. Romanus capiebat vectigal ex Aſiæ portorio, quanquam etiam magnum ex ſiluis & ex agris. Cicero pro lege Manilia, *Cum Publicani familias maximas, quas in ſiluis habent, quas in agris, quas in portubus atque cuſtodijs, magno periculo ſe habere arbitrentur.* Sic enim legi debere, non vt vulgo, In Salinis, indicant quæ antecedunt. meminit enim pecoris, agriculturæ, & mercaturæ. Rurſum, *Vectigalium ex portu, ex decumis & ſcriptura.* Nam pecora & ſcriptura ad paſtionem & ſiluas pertinent, non ad Salinas.

*Syriæ rura*) Syriam & Pontum pop. Rom. adiecit Pompeius. In libro veteri legitur, *Quid Syria thura*: idoneo ſenſu. Nam aromata ex Arabia in Syriam adferebantur, inde alias in terras. Nomine autem thuris intellexit ſpecies aromaticas, quas *Syram mercem* vocauit Horatius, *Vina Syra reparata merce.*

*Prædonum*) Piratarum. Sic enim ſæpè eos vocat, vt pro lege Manilia. Iniecta, à veteri libro abeſt.

*Vt domi*) Sub ſigno clauſtriſque poſitum dixit oratione ſuperiore. *Non eſt hoc vectigal nec longinquum, nec transmarinum, vt Aſianum: ſed propinquum, & propè domi poſitum.* Commendat etiam proximam Siciliam, quod propè ſuburbana ſit. Populo, inquit, Romano iucunda eſt ſuburbanitas huiuſce prouinciæ.

*Oppidorum*) ager Campanus & maritimis & mediterraneis oppidis vndiq; cingebatur. *Infeſtum*) Infeſtum paſſiuè dixit, vt initio orationis pro Plancio, *Procul, inquit, ab hoſte remotum eſt, neque belli*

*vllo laceſſitur & imminuitur.* *Calamitoſum* ) Nam quoddam cœlum, & quidam tractus, tempeſtati & grandini, obnoxium eſt. *Grandinem* autem, vt ait Donatus, *Ruſtici calamitatem vocant* à calamo comminuendo, id eſt, culmo & ſegete. Cato de re Ruſtica de prædio loquens, *Vti bonum cœlum habeat, ne calamitoſum ſiet.*

*Ceperant* ) Recepta ſecundo bello Punico Capua, Campaniſq. agro mulctatis.

*Quod & tenebant* ) vet. lib. Quod tenebant: abſque &. omnino melius. *Gracchi* ) T. & C. qui leges Agrarias tulerunt. *Religione* ) liberè, ſine vllo metu, qui nulla re deterritus eſt.

*Dimoueret* ) Demoueret, aliter legitur, pro depelleret, nec malè. *Benignitas* ) liberalitas, largitio remp. eieciſſet. Eijci enim quis & expelli è prædio & fundo dicitur, qui vi exturbatur: quo alluſum eſt.

*Quem agrum* ) Campanum agrum prætereuntes veſtrum eſſe dicere ſoletis.

*Neque erit* ) nam diuiſione, vt dixit, diſperibit: cùm ſic in partes diſtractus & diuulſus fuerit.

*At qui homines* ) Aſſignatum iri dicit ſeditioſis & facinoroſis, qui quandocunque Decemuiri ſignum dederint, ſeditionem aut bellum excitent. Terrorem incutit hominibus otium & pacem amantibus.

*Concrepuerint* ) vetus lib. Increpuerint, quo modo non rarò loquitur: vt in Catilinam, *Quicquid increpuerit, Catilinam timeri, non eſt ferendum.* Pro Murena, *Simul atque increpuit ſuſpicio tumultus.* Increpuerint igitur eſt, ſimul atque aliquo ſono & crepitu ſignum dederint: vt, verbi gratia, digitorum, aut pedum. Digitorum, vt apud Martialem, *Digiti crepantis ſigna nouit Eunuchus.* Pedum, vt apud Ciceronem, *Pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporis vmbra.* Concrepuerint ſi legas, erit ſimile illi ex tertio Officiorum, *Si vir bonus hanc habeat vim, vt ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomem eius irrepere.* Illum digitorum crepitum etiam ad contemptum adhiberi ſolitum indicat Sardanapali ſtatua, quæ eo ſtatu & habitu ita poſita erat, quaſi digitis creparet, omnia præter voluptatem minoris quàm ſonitum digitorum æſtimans. τὸ γὰρ ἐφεστὼς τῷ μνήματι ἄγαλμα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχον τὰς χεῖρας πεποίηται, ὡς ἂν ἀποληκοῦν τοῖς δακτύλοις. id eſt, impoſita monumento ſtatua, ita facta eſt, vt manus ſuper caput habeat velut digitis concrepans. Increpuerint autem magis probo, quàm concrepuerint.

*Perferri videbitis* ) ad paucos, qui potentia & diuitijs abundant, peruenire videbitis. Eum enim nomine illorum colonorum poſſidebunt. Perferri, translatio eſt ab ijs, quæ portari poſſunt, & proinde ad aliquem vſq. perferri. *Diligentiam* ) aptè. Nam diligentia dicitur in re familiari tuenda vel amplificanda.

*P. Lentulus* ) princeps Senatus. vir erat dignitate, meritis, prudentia eximius, qui à Cenſoribus in recitando Senatu primus legebatur. Liuius, *Cæterũ Cornelius morem traditũ à patribus ſequendũ aiebat, vt qui primus Cenſor ex ijs, qui viuerent, fuiſſet, eum principem legerent.* Et is T. Manlius Torquatus erat, Sempronius, cui Dij ſortem legendi dediſſent, & ius liberum eoſdem dediſſe DEOS: ſe id ſuo arbitrio facturum, lecturumque Q. Fabium Maximum: quem tum principem Romanæ ciuitatis, vel Annibale iudice dicturus eſſet. Cùm diu certatum eſſet verbis, concedente collega, lectus à Sempronio princeps in Senatu Q. Fabius Maximus Coſ. inde alius lectus Senatus. Eodem anno primum ager Campanus, vt ſcribit Liuius, *fruendus eſt locatus ex auctoritate patrum plebiſqueſcito.* Lentulus princeps Senatus fuit non multo poſt, vt reor, ſecundum bellum Punicum. Eius meminit lib. 1. de Oratore, *Prædicarémque P. Lentulum principem illum, & Tiberium Gracchum patrem, & Q. Metellum, & P. Africanum, & C. Lælium.* Princeps autem Senatus ſæpè primus in Senatu ſententiam rogabatur.

*Incurrebant* ) qui agrum Campanum ingrediebantur, qui vel toti, vel aliqua parte intra agrum Campanum erant. *Malum nuncium* ) quòd quotannis certa fide domini voto reſponderet, quòd ſemper fertilis eſſet, nunquam ſterilis, nunquam calamitoſus. *Priuatis* ) Nam non pop. Romano, cui oſtentatur, diuidetur, ſed paucis condonabitur. *At quidem* ) Vide num legendum ſit, Atqui idem, vel, Atque idem. Nam, At quidem, non videtur ſatis quadrare. *Mithridatico bello* ) Bellum Mithridaticum 40. durauit annis, quo tempore aliquando venit in poteſtatem regis: ac tum, cum in Aſia res magnas permulti amiſiſſent, Romæ ſolutione impedita, fides concidit: & Aſiæ vectigalibus non ſolùm aduentus mali tùm obfuit, verùm etiam metus ipſe, eo bello calamitatem attulit.

*Sertoriano* ) quod contra Sertorium, qui ex Marianis erat partibus, in Hiſpania Metellus & Pompeius geſſerunt. De Hiſpania ſic ad Senatum Pompeius ſcribit, *In ea res contra Sertorium gerens Hiſpaniam citeriorem, quæ non ab hoſtibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vaſtauimus præter maritimas ciuitates, quæ vltrò nobis ſunt ſumptui, onerique.* *M. Attilius* ) In Epitome Flori legitur, P. Attilius, lib. 509. *Attilius conſul in Sicilia cum fugitiuis debellauit.* Neque eſt Aquilius legendum, vt multi indoctè cenſent. Nam Aquilius multis poſtea annis fuit, qui ſecundum ſeruile bellum in Sicilia confecit. Florus lib. 609. *M. Aquilius coſ. in Sicilia bellum ſeruile concitatum confecit.* *Mutuum dedit* ) cùm tamen Sicilia populi Ro. horreum cenſeretur.

*Belli facultatibus* ) belli opes & copiæ reliqua atterunt & affligunt vectigalia, at tantùm abeſt vt affligant Campanum, vt vltro Campanum vectigal illas belli facultates & opes ſuſtentet, ne concidant. Nam abſque eo eſſet, deficientibus ſtatim alijs vectigalibus, bella ſuſtineri non poſſent: ſed eius ſemper eſt præſto ſubſidium. *Illud quidem dici poteſt* ) Non enim raro deducendæ coloniæ cauſa fuit regionis alicuius ſolitudo & vaſtitas. Cicero ad Atticum, de lege Agraria, *Qua conſtituta diligenter & ſentinam vrbis exhauriri, & Italiæ ſolitudinem frequentari poſſe arbitrabar.* C. Gracchus Tiberio fratri cauſam Agrariæ legis ferendæ dicebat fuiſſe, quòd per Hetruriam iter faciens, ſolitudinem plebis liberæ, frequentiam ſeruorum vidiſſet, agris illis à paucis occupatis. *Diuidatur* ) Propoſitum legi Agrariæ eſt, vt plebs conſtituatur in agris: ſi ager Campanus diuidatur, non conſtituetur, ſed expelletur.

*A plebe optima* ) vetus liber, A plebe, & à plebe optima. Cùm talis ſit illa plebs Campana, non eſt ſedibus eijcienda, vt in eius locum ſubſtituantur audaces & facinoroſi Decemuirûm ſatellites.

*Plebicola* ) Ironia eſt. *qui*, inquit, *plebis Romanæ amans & ſtudioſus videri vult, qui videri vult plebem colere potius quàm Senatum.* pro Seſtio, *Qui, vt credo, non libidinis cauſa, ſed vt plebicola videretur, libertinam duxit vxorem.* Qui quidem Ciceronis locus, eo feſtiuior eſt, quòd Gellius, in quem hoc dicit, plebicola cognomento vocabatur: vt ex Dione intelligi poteſt.

*Exercitati* )



*Exercitati* ) agro colendo exercitati, non vt ſatellites Decemuirûm ferro & ſeditionibus aſſueti. Qui ſunt agriculturæ aſſueti, agro moueri non debent. *Hunc agrum* ) Campanum agrum nobis reliquerunt maiores. *Campus Martius* ) publicus po. Ro. extra pomerium, quo comitijs centuriatis conueniebant.

*Bini pedes* ) quem ferè modum ſingula corpora occupant. Vnde ille iocus laſciuior & obſcœnior ad Atticum, *Sed ſoror quæ tantum habeat conſularis loci, vnum mihi ſolum pedem dat. Noli, inquam, de vno pede ſororis queri, licet etiam alterum tollas.* *Promiſcuè* ) communiter, confuſè cum alijs.

*Peruenturum* ) ex agro Campano, qui ad vos non perueniet, ſed aſſignabitur hominibus ad vim promptis, ad ſeditionem paratis, vobiſque, qui nunc poſſidetis, adimetur.

*Stellatem campum* ) Stellates campus appellatur, quòd eius eſſet ſine montibus planities, cùm in agro Campano eſſent montes. Nonnunquam tamen, vt docui ſuperiore oratione, ager appellatur: ſed tum generali vocabulo, cùm ager ſit vel campeſtris vel montoſus.

*Duodena* ) Cùm Stellates campus bonitate infinitis partibus ſit inferior Campano, multô maiorem modum attribuere viritim debuit ad colonos æquandos. *Campanus ac Stellatis* ) fortaſſe legendum, Ager Campanus à Stellati: ſed multitudo quæritur. Nam illud, *Et multitudo quæritur, non ſatis aptè cohæret.* Sententia eſt. Idcirco duodena tantùm viritim diuidit iugera, vt maiorem numerum in illa oppida deducat, & faciliùs dominationem Decemuiris comparet, quibus tantum colonorum numerum committit, quos illi ſuo beneficio deuinctos habebunt, quibus Campana occupabunt, & opprimentoppida: alioqui enim ſi bonitas ſpectetur, & fructus, duodena campi Stellatis iugera, cum denis agri Campani nullo modo comparanda ſunt. *Campus Stellates circiter duo millia paſſuum vltra Capuam erat, oram maritimam verſus*, vt ait Volaterranus.

*Municipia* ) Non enim in deſertam aliquam vrbem fiet deductio, aut noua vrbs condetur: ſed in municipia coloni, & veteres colonias, deſcribentur. Vbi colonia erat, eô noua colonia deduci non poterat: ſed coloni adſcribi poterant. *Calenum* ) Oppida ſunt Campaniæ: quorum quædam præfecturæ erant, vt Capua, Cumæ, Attella, Puteoli: ac populi ſuffragio præfecti quatuor, ſexue in ea mittebantur ad ius dicendum. Erant & præfecturæ aliæ, in quas Prætor vrbanus mittebat, qui ius dicerent.

*Oppriment* ) multitudine colonorum oppreſſum & obrutum tenebunt, ac denique omnia Campana oppida habebunt in poteſtate. Metum inijcit dominationis, quæ comparatur Decemuiris.

*Puteolos* ) Puteolos Cicero pro Cælio, Municipium appellat: Pompeius præfecturam, ſed vt ſuſpicor, antè præfectura fuerat, ac eô mittebatur magiſtratus ad ius dicendum à populo. Verùm Ciceronis ætate, municipali iure fruebantur, neque iam præfectus eô mittebatur, ſed ipſi ſuos magiſtratus habebant: at deducta colonia eſſent eis impoſiti decuriones. Eos autem, qui in ſua poteſtate ſunt αὐτόνομοι. Libertate autem iſta donati fuerant, quod emporium illud oppidum eſſet pop. Romani, ac quotannis eô Quæſtor mittebatur, cui obtigerat Aquaria prouincia. *Aduentitijs* ) Aduentitium hic eſt additium, adiectitium. Sic *aduentitias pecunias* ad Atticum vocat, *additas ærario*, quæ ærario aduenerant: vt ager hac aduentitia pecunia emeretur. *Exilium Campanæ* ) Exilium, Exules appellat, quòd facinoroſos & exilio dignos ob ſcelera deducturus ſit Capuam, non bonos ciues. Sic à Lucilio ſcriptum eſt, *carcer vix carcere dignus.* Qui autem deduci ab eo ciues Romanos in exilium interpretantur, à ſententia aberrant.

*Capua* ) Vetus lib. Capuæ: quo ſanè modo legendum cenſeo. dicit enim eos, vt in alia oppida, ſic Capuam colonos deducturos. Non malè etiam ſentiunt, qui Capuam legi poſſe cenſent.

*Communem patriam* ) Roma communis patria vocabatur. Cic. lib. 2. de Legib. *Anne eſt vna illa patria communis?* Cenſorinus, *A conditu vrbis Romæ patriæ noſtræ communis exordiar.*

*Transferre conantur* ) vt olim de transferenda Veios Roma deliberatum eſt: ita quoq; nunc iſti de transferenda Capuam cogitant. *Deleta Carthago* ) Impellente Catone, qui cùm legatus eſſet à Senatu de controuerſijs Maſiniſſæ & Carthaginenſium miſſus, longè ſecus quàm credebat, vrbem eam reperit, omnibus rebus ad inſtruendum comparandumque bellum ornatiſſimam & florentiſſimam. Itaque nunquam deſtitit ad eius excidium Senatum impellere, *atque perniciali*, vt Plinius ait, *odio Carthaginis flagrans, nepotúmque ſecuritatis anxius, cùm clamaret omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in Curiam præcocem ex ea prouincia ficum: oſtendénſque patribus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? cùm inter omnes recens eſſe conſtaret. atqui tertium, inquit, ante diem ſcitote decerptum Carthagine: tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatímque ſumptum eſt tertium Punicum bellum, quo Carthago deleta eſt:* quanquam Catone anno ſequente rapto.

*Succincta portibus* ) Byrſæ Carthaginenſium arci ſubiectos eſſe portus dicit Strabo: cùm etiam tota propè vrbs præter exiguum diſcrimen mari ambiretur. Habebat autem Carthago non tantùm naturales portus, verùm etiam vnum manu factum & effoſſum, quem ſignificauit Virgilius lib. 1. Æneid. cùm ſcripſit, *Effodiunt alij portus.* Is portus manu factus Coton dicebatur. Itaque error eſt in Pompeio, in quo ſic ſcribitur, *Catones* appellantur portus in mari interiores arte & manu facti: legi enim debet, Cotones. Strabo tamen *Cotonem inſulam dicit eſſe paruam Carthagini ſubiectam.* & ex duarum literarum immutatione, ſimilis error in eodem Pompeio, vbi ita ſcribitur, *Cartholipis genus ſimiæ, quæ vltimam partem caudæ villoſam habet.* Legendum enim exiſtimo, Cercolipis. ad quam ſimiam alluſit illo verſu Catullus —— *& trepidas lingere Cercolipas.* quo ſub vocabulo tamen latet turpitudo. Pro portib. in quibuſdam legitur Portub. vtrunque dicit Cicero. *Armata muris* ) Carthago XXII millia paſſuum muro amplexa, tota penè mari cingebatur abſq; faucibus, vt Eutropius ſcribit. Qua tribus millibus paſſuum aperiebantur, is locus murum triginta pedes latum habuit, è ſaxo quadrato, altitudine cubitorum XL. ſita erat, vt Strabo ait, *Carthago in peninſula, ambitu ſtadiorum trecentorum & ſexaginta muris cincto.* *Excurrere* ) quòd in peninſula eſſet in mare procurrente, videbatur ex Africa excurrere & egredi.

*Fructuoſiſſimis* ) Siciliæ & Sardiniæ, quas etiam diu poſſederat Carthago. *Corinthi* ) Demetriadem, Corinthum, & Chalcidem dicebat Philippus rex Macedonũ, eſſe Græciæ compedes. Corinthum cenſuit delendam

delendam eſſe Senatus, quòd in ea violati eſſent legati pop. Romani. Id ob loci opportunitatem, & hîc, & lib. 1. Officiorum dicit eſſe factum Cicero, *Nollem, inquit, Corinthum, ſed credo illos ſecutos opportunitatem loci maximè, ne poſſit aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari.* Itaque præcinente tuba à Mummio deleta eſt, ſed poſtea à Iulio Cæſare deductis colonis inſtaurata.

*In faucibus*) fauces vocare ſolent plerunque Latini anguſtias, vt hîc anguſtias Iſthmi intelligit. Liuius, *In Chaoniam per Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoniam fauces ſunt* (*ſtena vocant Græci*) *miſit.* Et de Thermopylarum anguſtijs, *Intra fauces*, inquit, *ad meridiē vergunt Ætoliæ pars maior, & Acarnania.* Qui locus admonet me, vt Catulli locum explicem, *Lymphaque in Oetæis Mallia Thermopylis.* Exiſtimo enim ſcribendum eſſe *Manlia*, aut more Græco ſcriptum eſſe Μάλλια. Manlia autem aqua, vt ſuſpicor, dicitur à Catullo, aqua Thermopylarum, in Manlij, ad quem ſcribit, honorem: ex L. Manlij nomine, qui cum Catone ad illas anguſtias per calles euaſerat, & præſidia deiecerat: quanquam non Manlius à Liuio, ſed Flaccus nominatur: ſecutus tamen ſum Plutarchum.

*Terra clauſtra*) Terra, id eſt, per terram. Nam ſi quis è Peloponeſo in reliquam Græciam terra ire vellet, aut è Græcia in Peloponeſum, per Corinthiorum fines erat tranſeundum. Thucydides, τῶν τε ἐντὸς Πελοποννήσου καὶ τῶν ἔξω, διὰ τῆς ἐκείνων παρ' ἀλλήλοις ἐπιμισγόντων. id eſt, his qui extra & intra Peloponeſum incolunt, per Corinthiorum terrā inter ſe commercia exercentib. *Duo maria*) Ionium & Ægeum. Lucanus,

*— qualiter vndas*
*Qui ſecat, & geminum gracilis mare diuidit Iſthmos,*
*Nec patitur conferre fretum, ſi terra recedat,*
*Ionium Aegeo franget mare.*

*Nauigationi diuerſa*) Alternis enim nauigatio eſt ex Italia, Dalmatia, Epiro in Græciam: & contra alternis è Græcia in Græciam reliquam, Theſſaliam, Macedoniam, Aſiam: contraque.

*Diſcrimine*) Diſcrimen appellat Iſthmum, quo ſanè modo & politiſſimus ſcriptor Curtius, quem propè hunc locum cenſeas imitatum, *Ac niſi tenue diſcrimen obijceret, maria quæ nunc diuidit, committeret.* pro, Separarentur lib. ſcriptus, Separentur, habet.

*A conſpectu imperij*) quæ Roma procul aberant: & idcirco Romanis ignaris aliquid moliri poterant: cùm Capua in conſpectu eſſet, neque clam quicquam moliri poſſet, quod non ſtatim cerneretur. Cæterùm quam hic collationem maiorum quidam prædicant, non video. Puto enim ſententiam eſſe, Carthaginem & Corinthum: quòd in conſpectu non eſſent imperij, euerſas eſſe, non item Capuam: quòd in conſpectu erat, neque ſi quid tentaret, latere poterat.

*Afflixerunt*) Affligere eſt rem ita ſolo illidere, vt ſonus aliquis edatur. Nam fligere & affligere onomatopœiam olent. *Conſultatum*) Liuius lib. 6. de ſecundo bello Punico, *De vrbe agróque reliqua conſultatio fuit: quibuſdam delendam cenſentibus vrbem prævalidam, propinquam, inimicam. Cæterum præſens vtilitas vicit.* Pro, Conſulatum, lib. vetus, Dubitatum, habet.

*Literæ, Quirites, publicæ*) acta & tabulæ publicæ, in quibus iſta perſcripta ſunt: vt in Verrem, *In tabulas publicas ad ærarium perſcribenda curauit.* Cognoſcite ex literis publicis hominis ampliſſimi diligentiam.

*Conſilium*) ſi nullus eſſet in ea vrbe vel Senatus, vel plebis concilium.

*In monumentis*) in actis & annalibus veteribus. Quod à Liuio etiam ſcribitur. *Nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italia eſſe, vrbs ſeruata eſt, vt eſſet aliqua aratorum ſedes, vrbi frequentandæ multitudo incolarum, libertinorum, & inſtitorum opificúmque retenta: ager omnis, & tecta publica pop. Ro. facta.* Cæterum habitari tantum tanquā vrbem Capuam, frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe: ſine concilio publico, ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam, ad conſenſum inhabilem fore: præfectum ad iura reddenda quotannis ab Roma miſſuros. *Suppeditare*) vti nundinis emerentur aratra ferramentaque omnia, quibus agricolæ vtuntur. *Comparandis*) comportandis, congerendis.

*Interuallum*) Quantum interſit inter maiorum ſapientiam & iſtorum dementiam. Interuallum propriè ſpatium dicitur inter vallos ad munitionem caſtrorum humi defixos.

*Aratorum*) Aratores ſunt, qui aruum colunt, ex quo & Arationes appellantur agri, quos colunt. Nam cùm ager Campanus frumentarius eſſet, & totus araretur: idcirco Aratores appellauit eos, quibus vectigali impoſito arandus eſt datus & locatus. Sic ſæpè in Verrem Aratores vocat.

*Molem*) Moles, magna quædam & ſolida conſtructio & aggeratio. ſic Moles Adriani Romæ dicebatur. Vitruuius, *Sed etiam moles, quæ conſtruuntur in mari, ſub aqua ſolideſcunt.* Cæſar de bello ciuili, *Quà fauces erant anguſtiſſimæ portus, molem atque aggerem, ab vtraque parte littoris iaciebat.* προςβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν, dicit Strabo. Nos quoque vulgo moles virides appellare ſolemus aggeres, quibus vrbes muniuntur, vno tantùm mutato elemento: boles enim virides vocamus. Significat Capuam, tanquam munitionem aliquam parari ad oppugnationem Romæ.

*Bruti*) M. Brutus, vt in Bruto ſcribitur, accuſationem factitauit: ſed is magiſtratus non petiuit. De eo igitur non loquitur, cùm à Tribuno latum fuiſſe ſignificet de colonia Capuam deducenda. M. alius Brutus fuit, quem Pompeius interfecit. Is pater fuit eius Bruti, qui Cæſarem interfecit: itaque cùm Marianus eſſet & popularis, hanc popularem coloniæ deductionem Tribunus ferre potuit. De Colonia Capuam deducenda promulgauerat etiam Gracchus, vt ſcribit Plutarchus.

*Transferre*) quā tamen de re nihil, vt opinor, cogitabant, ſed calumnias Cicero excogitat ad rem impediendam. Hæc enim Cæſarem non deterruerunt. *Nomen*) Deleuiſſent Capuam funditus.

*Corintho & Carthagini*) melius in lib. vet. Corinthi & Carthagini, vt lingua Latina poſtulat, alioqui ſolœciſmus erit fœdus, niſi, Carthagine, ſcribatur. *Magiſtratum*) Singularem numerum pro plurali dixit. Magiſtratus enim intellexit: niſi ſi quis ſummum magiſtratum intelligat, qui Suffes erat Carthagini-

ensibus,



enſibus, & Corinthijs etiam ſuus. Quod tamen non placet. *Audire poſſemus*) cùm tam procul ab oculis imperij eſſent Corinthij & Carthaginienſes. *Q. Fuluium & Q. Fabium*) Apud Liuium biennio ante conſulatum Fuluij & Fabij Capua capitur, coſſ. Cn. Fuluio Centimalo, & P. Sulpicio Galba. Nam qui ſcribunt apud Liuium eam capi coſſ. Q. Fuluio Flacco, & Appio Claudio, Liuium non ſequuntur: ſed compendium Flori: in quo Conſules legimus, cùm Proconſules fortaſſe ſcribere debeamus.

*Philippo*) quem vicit Flaminius ad Cynocephalas. *Antiocho*) rege Syriæ, quem Attilius Glabrio & L. Scipio ſuperarunt. *Perſa*) filio Philippi, quem vicit Paulus Æmilius, qui & Macedoniam in prouinciæ formam redegit. *Pſeudophilippo*) Andriſco vltimæ ſortis homine, qui Macedoniam occuparat, & à ſimilitudine Philippi, Pſeudophilippos vocabatur. de eo triumphauit Metellus.

*Ariſtonico*) Ariſtonicus Eumenis regis filius, vt Florus ſcribit, Aſiam occupauit: cùm Attali regis teſtamento legata pop. Romano, libera eſſe deberet: eum victum M. Perpenna in deditionem accepit.

*Domeſticæ*) vt Gracchorum, Saturnini, Marij, Cinnæ, & aliorum.

*Fregellanum*) *L. Opimius Prætor*, vt ait Florus, *Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit.*

*Marſicum*) Sociale, quod & Italicum dicitur: à Marſis appellatur Marſicum, qui ſe acerrimos & infeſtiſſimos hoſtes præbuere. Horatius, *Quam neque finitimi potuerunt perdere Marſi.*

*Inſtruendum*) frumento, ſtipendio, veſtibus inſtruendum. *Ornandos*) armis & veſte inſtruendos & parandos. Sic à Catone *aſini ornati* dicuntur, & à Cicerone *ornare claſſes* pro lege Manilia: & à Iuriſconſultis *iumenta ornata, & iumentorum ornamenta.* Quod quidem à Petro Victorio viro acerrimi & eruditiſſimi iudicij, pulchrè in Catonem annotatum eſt.

*Concionibus*) ius non erat Capuæ ad populum concionandi, cùm eſſet ademptum omne populi concilium. Itaque ad res nouas malis concionibus non impellebantur.

*Senatuſconſultis*) Nam etiam erat Senatus eis ademptus. *Imperijs*) ne magiſtratus quidem vlli eis erant reliqui, qui iniquis imperijs res nouas molirentur, aut turbas miſcerent.

*Miſcerent*) Perturbarent: vt Apud Maronem, *Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.*

*Concionandi*) non enim licebat cuiquam in concione verba ad po. facere. *Conſilij publici*) quia non licebat habere Senatum. *Honos publicè*) qua in vrbe non ſunt magiſtratus & honores, in ea nec ambitio, nec gloriæ cupiditas exiſtere poteſt.

*Contra peterent*) contra petere de competitoribus dicitur eundem honorem petentibus, quòd à quibuſdam Latinis competere dictum eſt. *Campanam inertiam*) Cyrus etiam victos Lydos ad inertiam & mollitiam traduxit & effœminauit. *Crudelitatis infamiam*) Liuius lib. 6. de 2. bello Punico, *Et cum emolumento quæſita etiam apud ſocios lenitatis ſpecies, incolumitate vrbis nobiliſſimæ opulentiſſimæq́, cuius ruinis omnis Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, populi ingemuiſſent.*

*Exectis*) Rectè omnino, Exectis: ſed non prætermittam, quod in veteri libro legi, Neruis vrbis omnibus eiectis. Nam eodem modo ab eo dicitur illud, Superſtitionis ſtirpes omnes eijciendæ ſunt.

*Solutam*) παραλελυμένην καὶ παρειμένην dixit: ad ea membra reſpiciens quorum reſolutis, læſis, exectis neruis, vſus & officium amittitur. *M. Bruti*) Nec times ne malam peſtem oppetas, vt Brutus, qui & Tribunus legem tulit Agrariam: & Capuam Triumuir deduxit coloniam. Is enim acerba morte bello ciuili oppetijt: & vt credo Sylla eiuſque factio colonos Capua expulit. Fuit & eodem bello ciuili etiam L. Brutus, qui traijciens in Siciliam nauibus Pompeij circumuentus, ſibi mortem conſciuit.

*Et Leocreanti*) vet. liber hic valde deprauatus eſt, in quo legitur, Et Locreanti. quid ſi legendum ſit, Capuæ illo creante ceperunt? Nam veriſimile eſt à Triumuiris eſſe creatos coloniæ Duumuiros. Aut, Ab illo creati Atellæ Creoni, aliquando legendum eſſe cenſui, approbabamque mei Leodegarij ſententiam, qui ita hunc locum emendabat: ſed perſpexi Strabonis codicem, quem ſequebamur, mendoſum eſſe, & hic Capuæ ſolius, quo coloniam Brutus deduxerat, mentionem fieri. *Impiorum*) vet. lib. imperiorum: ſed malè. acerbiſſimas eos impiorum pœnas dicit dediſſe, cùm in patriam impij etiam fuiſſent.

*L. Conſidio*) Conſidius & Salcius creati ſunt Duumuiri à Bruto, & Capuæ præpoſiti.

*Prætoribus*) Duumuiros appellare grauabantur, vt in reliquis colonijs & municipijs, ita ſuperbi & inſolentes erant. *Duumuiri*) Duumuiri magiſtratus erant municipiorum & coloniarum. Cæſar lib. 1. de bello Ciuili, *Duumuiris Municipiorum omnium imperat, vt naues conquirant.* Iterum, *Quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum depoſuerat, allatum ad ſe ab Duumuiris Corfinienſib. Domitio reddit.* Vlpianus, *Omnibus magiſtratibus, non tamen Duumuiris, ſecundum ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt, iuriſdictionem ſuam defendere pœnali iudicio.* *Conſulum nomen*) Cicero Piſonem, qui Duumuir Capuæ creatus fuerat, cùm eſt deducta lege Iulia colonia, Campanum conſulem, illudens, Pro duumuiro appellat, *Seplaſia me hercule, vt dici audiebam, te vt primum aſpexit, Campanum Conſulem repudiauit.* Sequitur enim mox, *Gabinium denique ſi vidiſſent Duumuirum veſtri illi vnguentarij, citius agnouiſſent.* Et pro Seſtio, *Capillo ita horrido, vt Capua, in qua ipſe tum imaginis ornandæ cauſa Duumuiratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur.* Hic etiam locatur, quaſi ex vili magiſtratu quærere voluerit Piſo ceratæ ſuæ imagini (imaginibus autem tituli honorum adſcribebantur) ornamentum. Quæ cùm ita ſint, equidem miror aliter locum illum in Piſonem, ab Aſconio diligentiſſimo Ciceronis interprete explicatum. Nam etſi Conſul Capuam venit Piſo: tamen Campanum Conſulem cùm dixit, Duumuirum intellexit.

*Bacillis*) Sex erant Prætorum faſces. Duumuiri autem illi, vt Prætores imitari viderentur, pro duobus bacillis (duos enim tantùm lictores habebant) duos faſces præferri ſibi imperarant. Horatius lib. 1. Sermonum irridet Duumuirum, quòd ſe pro Prætore in municipio gereret,

*Fundos Aufidio Luſco Prætore libenter*
*Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,*
*Prætextam, & latum clauum prunæque batillum.*

Vbi illum

Vbi illum arbitror pro bacillo, Satyrico more ridentem, *batillum* dixiſſe. *Hoſtiæ maiores* ) Maiores hoſtiæ ſunt, quæ lactentibus opponuntur. Cic. lib. 2. de Legib. *Quibus hoſtijs, cuique deo immolandum, cui maioribus, cui lactentibus.* Hic enim perſpicuè lactentes maioribus oppoſuit. Cenſores in luſtro condendo maiores hoſtias immolabant, ſuem, ouem, taurum: quod ſacrificium *Solitaurilia* vocabant. Apud Catonem in agro luſtrando immolantur eædem hoſtiæ lactentes: hoc modo, *Macte hiſce Solitaurilibus lactentibus eſto.* Ouidius,

*Agnáque tàm lactens, quàm gramine paſta Faliſco*
*Victima, Tarpeios inficit icta focos.*

Quod adferunt, qui maiores hoſtias vberius depaſtas interpretantur, hominum eſt non intelligentium maiores hoſtias ex ætate dici, ſed maiores cum opimis confundentium.

*Probatis* ) Vt hoſtiæ probabantur, ita qui rem diuinam facerent. quod interdum Conſuli mandabatur, vt cùm ſupplicatio decernebatur. Cic. de prouincijs Conſul. Cuius ſententia primùm duplicata eſt ſupplicatio Conſularis. Conſules etiam quo die honorem inibant, rem diuinam faciebant in Capitolio, ac opimam hoſtiam immolabant, ac candentem. Ouidius,

*At cùm Tarpeias eſſes deductus in arces:*
*Dum caderet iuſſu victima ſacra tuo.*

Ea hoſtia ex Faliſcis ferè erat, quòd Clitumnus boues reddere candidos cenſeretur. Virgilius,

*Hinc albi Clitumne greges, hinc maxima taurus*
*Victima, ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro.* Ouidius,
*Colla boues niueos certæ præbere ſecuri:*
*Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.*

Interdum rem diuinam faciebant Pontifices, interdum Prætores, interdum Cenſores.

*Ad præconem* ) Præcones adhibebantur ſacrificijs, cùm ad alia, tùm vt populum fauere linguis iuberent. Pompeius, *Fauentia,* inquit, *bonam ominationem* ſignificat. Nam præcones clamantes, populum in ſacrificijs fauere iubebant. *Ad tibicinem* ) Tibicines rei diuinæ adhibebantur & præcinebant. Virgilius, *Inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.* Erátque Romæ ſacrorum cauſa, *Tibicinum collegium.* Liuius, *Eiuſdem anni rem dictu paruam præterirem, ni ad religionem viſa eſſet pertinere:* Tibicines quia prohibiti à proximis Cenſoribus erant in æde Iouis veſci, quod traditum antiquitus erat, ægrè paſſi, Tibur vno agmine abierunt: adeo vt nemo in vrbe eſſet, qui ſacrificijs præcineret. Cumque Tibicines ab vno ſacrificante ad alium, qui etiam rem diuinam faceret, tranſirent, prouerbium factum eſt, *Tranſire tibicinis Latini modo.* Quo Cicero vtitur pro Murena. Nam Romani in ſuis ſacrificijs *Latinis tibicinibus*, non *Græcis* vtebantur. Varro etiam ad Græcum tibicinem ſacrificauit lib. 3. de re Ruſtica, *Sed non in Italia quos tibi ſacrificanti ad tibicinem Græcum, gregatim veniſſe dicebas ad extremum littus.* Etiam *tubis* vtebantur ad ſacra. Varro, *Tubiluſtrium* appellatur, quòd eo die tubæ ſacrorum in atrio ſutorio luſtrantur.

*Patres conſcripti* ) vt Romæ Senatores Patres Conſcripti vocabantur: ita Capuæ vocari volebant Decuriones. *Vt grandi* ) Melius lib. ſcriptus, Vegrandi. quo etiam modo, vt ait meus Leodegarius, emendabat Lambinus. *Ve* autem *particula,* vt ſcribit Gellius, *duplicem intellectum eúmque inter ſe diuerſum capit.* Nam & minuendæ rei, & augendæ valet. Itaque ſcribit vocabula quædam, quibus præponitur, ambigua eſſe, & vtroque verſum dici: vt *veſcum, vehemens, vegrande.* Eſt igitur vegrande, & valde grande, & valde paruum: vt verba Gellij indicant. Pompeius ait modo eſſe male grande, modò minutum & paruum: vt apud Plautum, *Quin ſi es ithrus, nimium is vegrandi gradu.* Sic enim emendandum puto. Hic ergo vegrandis macies, eſt male grandis, id eſt, valde magna. Nonnulli eodem modo, vt ſcribit Porphyrion & Acron, legunt in Horatio, —— *vepallida lecto Deſiliat mulier.*

*Præſidio* ) ſic Aldus & liber ſcriptus. Aliæ editiones ſine teſtimonio, vt reor, veterum librorum accommodatè ad ſententiam, Supercilium, ſuppoſuerunt: quo ſignificatur ſeueritas, & faſtus. *Supercilia,* inquit Plinius, *maximè indicant faſtum.* Superbia alibi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. Sed non video cur non rectè, Præſidio, legatur. Nec loco mouenda ſcriptura eſt, librorum auctoritate teſtata. Docet enim Cicero Conſidium circum ſe ſatellitium habuiſſe & præſidium Campanum. Campanum autem, pro arroganti & ſuperbo dixit, ex innata Campanis ſuperbia. Morbum tamen Campanum cùm dixit Horatius in Sermonib. oris obſcœnitatem intellexit, ex Oſcorum obſcœnitate.

*Magios* ) In Piſonem, *Audierat Decios Magios, & de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus ſi moderatio illa, quæ in noſtris ſolet eſſe Conſulibus, non fuit: at fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus, ſaltem Seplaſia dignus & Capua. Decij Magij, Marij Bloſsij, Taureæ Iubellij meminit* lib. 3. de 2. bell. Punico Liuius. De *Taurea* Iubellio etiam ſcribit lib. 6. eiuſdem belli. *Tunicatorum* ) Plebs humilis togas non habet, ſed tantum tunicas. Horatius, *Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.* Sed & ruri & in villa nemo togam ſumebat. Martialis, *O ſoles ô tunicata quies.* Nec ruſtici togati ſunt. Idem, *Ignota eſt toga, ſed datur petenti Rupta proxima veſtis è cathedra.* Sed & in multis oppidis rarus erat togæ vſus. Iuuenalis, *Contentúſque illic Veneto, duróque cucullo.* Pars magna Italiæ eſt ( ſi verum admittimus ) in qua Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

*Albana & Seplaſia* ) *Seplaſia,* inquit Aſconius, *platea erat Capuæ, in qua vnguentarij ſoliti erant negotiari.* Nam Capuam ex vltimis prope terris aromata, pigmenta, quæque ad vnguentarios pertinent, ferebantur. Plautus Rudente, *Téque oro & quæſo, ſi ſperas tibi Hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium, Eámque euenturam exagogam Capuam ſaluam & ſoſpitem.* Quæ me fabula admonet, vt locos quoſdam ex ipſa explicem: in quo etſi à propoſito digrediar: ſpero tamen me gratum facturum his, qui literis politioribus, & humanioribus delectantur. Vnus eſt iſte, Neptunus magnis populis hac nocte eum inuitauit. Credo hercle anancæo datum quod biberet. Sic Camerarius reſtituit, vir eruditiſſimus, & ita in libro antiquiſſimo ſcriptum reperi. Anancæum exiſtimo magnum fuiſſe poculum, quod in potandi certamine neceſſe eſſet ebibere:





quaſi ἀναγκαῖον. Hoc ego vocabulum apud Nonium reperi in verbo Cratera: adfert enim ex Varrone, *Ad Sybaritanam prædam, in qua ſunt tripodes crateræ anancæa populo nobilium Tarentinorum.* Locus eſt alter, qui ſic mihi legendus videtur, Vt ſine labore hanc extraxi præfiſcine. In veteri reperi præficiſcine. Nam præficiſſime, quod nonnulli ſubſtituunt, non placet. Sententia eſt, Verè ſine labore extraxi, hic non iocum facio nec faſcino. Nam præfiſcine eſt ſine inuidia, & ſine faſcino, & vt Soſipater interpretatur ἀβασκάντως. Nemo enim ferè eſt, quin ſciat faſcinum à βασκαίνω deductum. Sic & Aſinaria locutus eſt, Præfiſcine hoc nunc dixerim, nemo etiam me accuſauit (vbi proficiſcine paſſim legitur) id eſt, ſine faſcino, ſine inuidia, ſine fallacia. Nam præ hic negat. Hoc autem vocabulum addebant, cum ſine fuco & fallacijs aliquid ſe agere adfirmabant. Titinius, *Pol tu laudem addito præfiſcinè, ne puella faſcinetur.* Locus eſt alius in eadem fabula, *Ignem magnum hîc faciam. D. Quin vt humanum exuras tibi.* Vbi vulgo deprauatè legitur, Vt manum: non ſatis apto ſenſu: non enim mali ſatis optaret lenoni. Reſpexiſſe putem Comicum poëtam ad humanum ſacrificium, quod, vt ait Pompeius, *mortui cauſa fiebat*: optat enim lenoni mortem. In eadem fabula in veteri libro legi, *Equidem me at velitatione exerceo.* Nam omnia coruſca præ tremore fabulor. Vbi legendum cenſeo, Aduelitatione, quanuis alij, Ad velitationem, emendent. Nam *aduelitatio,* vt ait Pompeius, *iactatio quædam verborum eſt.* Ac non dubito quin Pompeius hunc locum explicauerit, quem adbreuiatorem eius adſcribere piguit. Monui etiam in quadam mea apologia, in eadem fabula, pro, Exigiſque harundinem: aut, vt alij libri habent, Exagitaſque harundinem, legendum: Exicaſque harundinem, more veteri, pro ſecas & execas. Sed in viam è diuerticulo redeo. Seplaſia igitur platea erat Capuæ, erat & Albana. Valerius lib. 9. *Ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cùm Seplaſia ei & Albana, caſtra eſſe cœperunt.* *Prætor* ) Duumuirum Prætorem appellabant: ac nimirum ita vocari nonnulli volebant: vt Horatij locus indicat, quem protuli.

*Enunciaſſet* ) Mihi legendum videtur, Quid denunciaſſet: aut, Quid enunciaſſet, dictum erit pro, quid dixiſſet: quod antè arcanò cum Decurionibus, & conſilio decreuiſſet: aut, quid ipſe conſilij, quid rei ſignificaſſet, quid ipſe decreuiſſet: quod potius puto.

*Proſpexerint* ) aptè. Liber tamen ſcriptus, Perſpexerunt: &, Maiores veſtros, pro, Noſtros, habet.

*Venerandos* ) Venerari eſt reuereri, obſeruare, colere, & veniam orare, vt inquit Pompeius. Deos enim cùm precabantur, veniam petebant. Cic. pro Rabirio, *Ab Ioue Opt. Max. cæteríſque dijs, deabúſque immortalibus pacem ac veniam peto, precórque ab ijs, vt hodiernum diem, & reliqua.* Ab eo Deuenerari, quod pro amoliri precibus vſurpauit Tibullus, *Somnia ter ſalſa deueneratu mola.* id eſt, depulſa, expiata. Venerari eſt optare & precari. Horatius,

*Si veneror ſtultus nihil horum: ô ſi angulus ille*
*Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.*

*A ſtirpe* ) ducta translatio eſt ab arboribus, in quibus ſtirps modò truncus eſt, & ſtipes arboris, modò radix. *Seminis* ) Sic alio loco Cicero, *Crudelitatē mortis & dedecus virtus propulſare ſolet, quæ propria Romani generis & ſeminis.* In Pœnulo quoque Plautus, *licet in omnibus libris excuſis aliter legatur: Item nos ſumus: eius ſeminis mulieres ſunt: inſulſæ admodum atque inuenuſtæ ſine munditia & ſumptu.* In eadem fabula, vt huic etiam loco cumulum aliquem addamus, legendum puto, *Græcæ ſunt hæ columnæ, ſuſtolli ſolent:* ſubſcribente huic lectioni veteri libro & adſtipulante ſententia. Alluſum autem eſt ad Græcas columnas, quarum perſtudioſi eſſe Romani incipiebant. Rurſum in eadem comœdia lego, *Quid huc adueniſti nos captatum migdilibs?* vbi magdalia vulgo ſcribunt. Afrum enim mixti generis ſignificat, quales erant Carthaginenſes, qui propter mixtum genus, bilingues erant. Maro, *Quippe domum timet ambiguam, Tyrióſque bilingues.* Proinde in eadem fabula *Anno Biſulci lingua,* dicitur, quaſi proſerpens beſtia. In eadem fabula lego, *Facies quidem ædepol Punica eſt guggaſt homo*: qui locus hodie lacunoſus eſt. Nam Stephanus Gygantes gentem dicit Libycam eſſe, quanquam in eo malè Γύζαντες ſcribitur. In Herodoto Ζύγαντες reperio, qui populi in Libya mel è floribus conficiebant, nihil bonitate cedens apum melli. Puto igitur aut zugaſt homo, aut gugaſt legi poſſe. In eadem fabula ſic verſus iſtos, qui mirum in modum deprauati ſunt in omnibus libris, lego, *Deglupta mena Sarrapis ſementium Maſtruga* ἅλς ἀγρεᾶς ἅμα, *tum autem plenior Alli vlpicíque quàm Romani remiges.* Sarrapis autem pro Serapis dicitur, qui deus erat Ægyptius. In quo verbo e dilatatur: quomodo pronuntiaſſe dicit Cottam in lib. de Oratore. r geminatur ad productionem: quod non inſolens apud Plautum. Sementis autem, vt reor, per Sementem ferebatur: eiuſque ſacerdotes ſtipem cogebant. Iam non raro ſolet Plautus Græcè loqui: vt in Perſa, *Commiſce mulſum* στρουθὲ ἀκόλουθε, *aquam appara:* vnde Struthea Colutheaque fecerunt: quæ verba, quid ſibi velint, nemo explicare poteſt. *Maſtruga* autem ( quæ ex Strabone de cultu Sardorum loquente, *penula erat ſcortea, ex Muſmonum pellib.* ) *fœda erat & male fortè olebat.* Sal fori grauiſſimè olet, & teterrimè. *Loci & à vita* ) rectè: non tamen veteris libri ſcripturam præteribo, Quæ ab ipſa natura nobis ad vitæ conſuetudinem ſuppeditantur. fortè, Ab ipſa natura loci ad vitæ conſuetudinem, librarius ſcribere voluit. Quod quidem aptiſſimum etiam eſſet.

*Fraudulenti & mendaces* ) Liuius de Annibale, *Perfidia pluſquam Punica.* & de Annone ſcribitur in Pœnulo, *Is doctè atque aſtu filias quærit ſuas: Et is omnes linguas ſcit, ſed diſſimulat ſciens Se ſcire. Pœnus planè eſt: quid verbis opu'ſt?* *Duri atque agreſtes* ) *Hæc genus acre virûm, Marſos, pubémque Sabellam, Aſſuetúmque malo Ligurem, Volſcóſque verutos Extulit.* Aſſuetum malo cùm ait Ligurem Maro, aſſuetum duritiæ & labori ſignificat. His autem de rebus plurima præclarè diſſerit in lib. de locis, aëre, & aquis Hippocrates.

*Superbi* ) *Secundas fortunas,* vt ait poëta, *decent ſuperbiæ:* ita bonitas agrorum & fructuum magnitudo, diuites & ſuperbos reddebat Campanos. *Illa nata ſunt* ) Rectè ſanè. Sed tamen non eſt diſſimulanda veteris libri auctoritas: vbi ſic legitur, Illa apta fuit arrogantia. Nam non raro ſic loqui ſolent Latini: ipſe Cicero, *Si ea cauſa,* inquit, *non ex æternis cauſis apta dicatur.* Lucretius, —— *pergam connectere rem quæ Ex hac apta fidem ducat.* Virgilius, —— *ipſos è torquibus aptos Iunge pares.* Lucilius, *Pellicula extrema ex aptum pendere onus ingens.* Quo in genere, Aptum, colligatum, connexum, ſuſpenſum, hærens ſignificat.

*Alterum Conſulem)* Scribit Liuius lib 3. ſe in quibuſdam Annalibus inueniſſe, miſſos eſſe poſt pugnam Cannenſem, à Campanis legatos Romam, qui peterent, vt alter Conſul Campanus fieret, ſi rem Romanam adiuuari Romani vellent. Quod tamen à Cælio & ab alijs ſcriptoribus ait prætermiſſum eſſe. ſic Latini aliquando alterum Conſulem petiuerant.

*Luxuries)* Polybius lib. 7. ſcribebat, vt refert Athenæus, *Campanos ob agri bonitatem diuitijs affluentes in voluptatem & luxum erupiſſe, atque ea in re Crotoniatarum & Sybaritarum celebratas delitias ſuperaſſe, ac cùm non poſſent ferre præſentem felicitatem, Annibalem vocaſſe, & à Romanis defeciſſe: quæ eædem voluptates Annibalem etiam fregerunt.*

*Etiam tum inuictum)* ad illam diem non victum, & vt ita dicam, inuicibilem: vt apud Ciceronem, *Quorum operum ego parens effectorq; ſum, hæc ſunt indiſſoluta me inuito*, id eſt, indiſſolubilia. Virgilius, *Aut illaudati neſcit Buſyridis aras*, id eſt, illaudabilis. apud eundem, *Diues inacceſſos vbi ſolis filia lucos:* id eſt, inacceſſibiles, vt ita dicam. Lucretius, ---- *quapropter locus eſt intactus inane*, id eſt, intangibilis, vt ita loquar. *Huic iſti)* Capuæ. aliâs, Huc.

*Centum decuriones)* Decuriones erant, qui decem equitibus præerant in turma. Sed cùm deducerentur, vt ſcribit Paterculus, initio militares coloniæ, ex ijs factum reor coloniarum Senatum, quòd honeſtiores eſſent. Proinde in colonijs ac municipijs ſic Senatores appellantur.

*Decem augures)* Religio in auſpicijs & ſacris poſita eſt, quibus præponuntur ſacerdotes, illis augures, his Pontifices. Liuius ſcribit Augurũ numerum imparem fuiſſe, aut pari numero inter Tribus Tatienſes, Ramnenſes, Luceres multiplicari ſolitas, quod hic obſeruatur, quòd in quinque partes, quinq; colonorum millia diuiſa erant, vt ſingula millia binos augures haberent.

*In montibus)* Septem: Capitolio, Quirinali, Auentino, Celio, Viminali, Exquilijs, Ianiculo. Maro, *Septemq; vna ſibi muro circundedit arces.* Septimontio fiebant Romæ feriæ in ſeptem montibus, Palatio, quod Palatiar dicebatur, Velia, Fagutali, Suburra, Cermalo, Oppio, & Ciſpio.

*Cœnaculis) Poſteaquam*, inquit Varro, *in ſuperiore parte domus cœnitare cœperunt, ſuperioris domus vniuerſa cœnacula dicta*, ea Græci ὑπερῷα vocant. Anguſtiæ autem loci, & infinita ciuium multitudo, coëgit Romanos ad altitudinem ædificiorum deuenire. Itaque, vt Vitruuius ſcribit, *pilis lapideis, ſtructuris teſtaceis, parietibus cementitijs altitudines extructæ, contignationibus crebris craſſatæ, & cœnaculorum ſummas vtilitates perficiunt, & deſpectationes.* Ac tantam altitudinem tectorum ſignificat Martialis, cùm dicit, *Et ſcalis habito tribus, ſed altis.* Et Iuuenalis,

*Vltimus ardebit, quem tegula ſola tuetur*
*A' pluuia, molles vbi reddunt oua columbæ.*

*Optimis vijs)* Liuius de vrbe à Gallis recepta ſic ſcribit, *Feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omiſſo ſui & alieni diſcrimine in varia ædificant.* Ea cauſa eſt, vt veteres cloacæ primo per publicum ductæ, nunc priuata paſſim ſubeant tecta, formaq; vrbis ſit occupatæ magis quàm diuiſæ ſimilis. Vici ſunt continentia ſecundum viam vtrinque ædificia. Viæ, quâ populus it: ſuntque maiores, minores ſemitæ. Nam *ſemita* quaſi *ſemi iter*, vt ait Varro, dicitur. Facere ſemitam, in eam ſententiam, in quam dicimus facere iter, dixit Plautus Curculione, *Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam*, id eſt, facias iter, incedas. Dicitur, vt via, etiam ſemita in vrbe & agris. *Vaticanum)* Vaticanus collis iuxtà Romam appellatus eſt, quòd eô potitus ſit pop. Rom. expulſis Hetruſcis vatum reſponſo. Eſt & Vaticanus in propinquo ager exilis & macri ſoli. Et Deus etiam eſt Vaticanus. *Pupiniam)* Ager eſt ſub vrbe, qui tribui nomen dedit, eius exile eſt & arenoſum ſolum. Liuius eius meminit, *Ad vrbem ex Hetruria magnis itineribus pergit, & in agro Pupinienſi ad famam intentus hoſtium conſedit.* Sic enim legendum puto, non vt vulgo, excuditur, Pipinienſi. Columella, *M. Attilius Regulus dixiſſe memoratur, fundum, ſicuti ne fœcundiſſimi quidem ſoli, cùm ſit inſalubris, ita nec effœti, ſi vel ſaluberrimus ſit, parandum: quod Attilius ætatis ſuæ agricolis, maiore cum auctoritate ſuadebat peritus vſu.* Nam Pupiniæ peſtilentis ſimul & exilis agri cultorem fuiſſe eum loquuntur hiſtoriæ.

*Opimis atque vberibus)* Virgilius lib. 2. Georgicôn agrum omnium rerum feracem cùm deſcripſiſſet, exemplum ſubiecit:

*Talem diues arat Capua, & vicina Veſeuo*
*Ora iugo.*

*Labicos)* vici erant ſub vrbe, vt ſcribit Strabo, cùm olim tamen oppida fuiſſent. Erant autem hi vici deſerti. Horatius, *Scis Lebedus quàm ſit Gabijs deſertior, atque Fidenis vicis.* Iuuenalis, ----- *Viuat Gabijs, vt vixit in agro Viuat Fidenis, & agello cedo paterno.* A Labicis via Labicana dicebatur.

*Lanuuium)* quæ tria oppida paulò frequentiora erant ſuperioribus vicis. In veteri libro, Lauinium ſcribitur: ſed, Lanuuium, malim.

*Calibus)* Campaniæ ſunt oppida, eaq; pulchra. *Non continebuntur)* à nullo contineri poterunt, quin aliquid in hanc vrbem moliantur.

*Singularis homo)* hic, Singularis eſt vnus: ac opponitur multis colonis. ſic quod Plato dixit, ἀλλ' εἷς ὅδε μονογενὴς οὐρανὸς γεγονώς, vertit Cicero: *Singularem Deus hunc mundum & vnigenam procreauit.* Singularius in eodem ſenſu vſurpatum eſt à Turpilio, *Homo vnica eſt natura ac ſingularia.* Apud Plautum tamen, *Singulariæ cathenæ* dicuntur *ſingularum librarum*, His indito cathenas ſingularias: iſtas maiores, quibus ſunt vincti, demito. Sic baliſtæ centenariæ dicuntur, quæ ſaxa centũ pondo iaciunt: & Talentariæ, quæ ſaxa mittunt pondo talenti. Lucilius, *Quid ſit? baliſtas iactas centenarias.* Siſenna, *Baliſtas quatuor talentarias.* Sic in Varrone Apros miliarios interpretantur mille librarũ: ſed Varronis librum deprauatũ emendauit Victorius, macellarioſque legit: puto legendum hunc in modum, Num pluris nunc tu è villa illic natos verres lanio vendis, quàm hic apros macellario Seius? Nam lanij pecudum carnem, macellarij ferarũ & auium. Tranquillus, *Ea quæ ad epulum pertinerent, quamuis macellarijs oblocata, etiam domeſticatim apparabat.* Et quoniam

in Varroi



in Varronis mentionem incidi, de alio eius etiam loco quid ſentiam, dicere non prætermittam, vbi de Cocleis diſſerit. In eo ſic ſcribitur, *Denique ipſæ exgruminantes ad propalam vitam diu producunt.* hîc ego ſenſum non ſatis percipio, nec genus dicendi ſatis probo. Quid igitur ſi emendemus? Denique ipſæ exruminantes ad propolam vitam diù producunt, id eſt, Cocleæ apud propolam ruminantes diù viuunt.

*Priuatus)* nam in imperio & magiſtratib. homines inſolentiores eſſe plerunque ſolent.

*Regionibus)* officij finibus. Regiones ſunt in vrbe, vt olim Romæ quatuordecim. Itaque apud Plautum ſcribitur de vrbe, *Hi loci ſunt, atque hæ regiones, quæ mihi ſunt ab hero demonſtratæ.* In agris etiam, atque adeò agri in regionibus ſunt. Terentius, *Agrum in his regionibus meliorem neque precij maioris nemo habet.* Etiam prouinciæ regiones dicuntur, vt Galliæ regionem cùm dicimus. Sunt & *regiones*, vt ait Siculus Flaccus, *intra quarum fines ſingularum coloniarum, aut municipiorum magiſtratibus ius dicendi, coërcendique eſt libera poteſtas.* A regionibus igitur, quæ termino atque fine ſuo continentur, ducta tranſlatio eſt.

*Nedum)* tantùm abeſt vt iſti, quos deducet Rullus, ſe contineant.

*Conquiſiti)* Conquirere eſt diligenter quærere: vnde conquiſitores, qui milites conquirunt, & dare nomina cogunt, nec tantùm delectum voluntariorum habent. Liuius, *Simul conquiſitoribus in ciuitates miſſis, 4. millia conſcripta delectæ iuuentutis.* Hinc conquiſitio. Liuius, *Id primum omnium egit, vt per conquiſitionem numerum equitum augeret.* Iterum, *Aſdrubal intentiſſima conquiſitione, cum ad 30. millia peditum, 3. Equitum confeciſſet.* Cicero de prouincijs Conſularibus, *Iam verò exercitus noſter ille ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collectus omnis interijt.* Proinde ſcribit Pompeius, *Conquirere eſſe coërcere & conſtringere.* Ac Plautini ſanè Conquiſitores coërcent, *Vt conquiſtores ſinguli in ſubſellia Eant per totam caueam ſpectatoribus, Si cui fautores delegatos viderint, Vt his in cauea pignus capiantur togæ.* Iterum, *Vt Conquiſtores fierent hiſtrionibus, Qui ſibi mandaſſent delegati vt plauderent, Quiue quo placerent, alter feciſſet minus: Eius ornamenta & corium vti conciderent.* Ergo hîc Conquiſiti ſunt vndique diligenter quæſiti, tanquam quadam conquiſitione & delectu.

*Conquiſituri)* non ſtatim quæſituri ſint: quod verbum de induſtria repetiuit: cùm eos conquiſitos & electos dixiſſet. *Sceleris & flagitij)* Superbia ad ſcelus impellit: luxuria ad flagitium, nequitiam, ſtupra.

*Germanique Campani)* veri & indigenæ Campani, non vt coloni adſcriptitij & inſitiui, quaſi qui ex eo ſolo tanquam ſtirpe germinarint & nati ſint. At municipium germana patria dicitur municipum, ad patriæ communis, id eſt, Romæ, in quam recepti ſunt, diſcrimen: actiuè, quòd eos germinarit & ediderit. In Oratore Ciceronis qui legunt, *Germanos ſe putant eſſe Thucydidis*, pro Thucydidas (ſenſus enim eſt, ſe meros & veros Thucydidas eſſe putant) & in Academicis, *Si pauca mutaſſes, germaniſſimus Stoicis*, pro Stoicus, homines in errorem inducunt.

*Tamen rerum omnium)* quanuis illi fortunæ aſſueuiſſent, & illis copijs in quib. nati & educati erant.

*Inſolentia)* quòd harum copiarum inſolentes ſint, quòd his copijs non aſſueuerint. atque hæc prima ſignificatio eſt. Quòd autem qui ſecundæ fortunæ non aſſueuerunt, arrogantes & ſuperbi efficiuntur, proinde inſolentia, ſuperbia & intolerantia dicitur.

*M. Bruti)* Qui Marianus erat, coloniamque Capuam deduxit, quam Senatus ſuſtulit, agro Campano pop. Romani facto. Bruti & Mamerci Conſulatu tumultum fuiſſe in vrbe ſcribit Salluſtius, in oratione Marci Trib. plebis. *Monumenta)* Signa & argumenta. Sed & ſupra dixit. Itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis. *Monumenta* apud Terent. ſunt, quæ Græci γνωρίσματα vocant, *Ciſtellam Pythia domo effer cum monumentis.*

*Actoribus)* Actores hic appellat eos Rulli collegas, qui legi Agrariæ fauebant, & ea de re cum populo agebant. Cicero de Legibus, *Aſt quid turbaſſitur in agendo, fraus actoris eſto.*

*Expleretis noua)* vetera vectigalia, vt agrum Campanum, vendebat Rullus. ſed idem vt illam ærarij lacunam expleret, imponi pergrande vectigal agris publicis iubebat. Hæc igitur vectigalia noua erunt. Supra, Cognitio Decemuirûm priuatus ſit an publicus: ſicque agro pergrande vectigal imponitur. Similis eſt in Pompeium locus lib. 2. Epiſtol. ad Atticum, *Nunc vero Sampſicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani abſtuliſſe?* hic vetus liber, *Exploraretis*, id eſt, *quæreretis*, habet.

*Veſtrum ius)* veſtram poteſtatem, ditionem, auctoritatem. Ius etiam munus eſt lib. 3. de Legibus, *Sic animaduerto pleroſque magiſtratus ignoratione iuris ſui, tantum ſapere, quantum apparitores velint*, id eſt, ignoratione ſui muneris. *Nationes)* In natione multæ ſunt vrbes: in magna regione, vt Gallia, multæ nationes. Eſt autem interdum natio genus hominum, qui, vt ait Pompeius, non aliunde venerunt, ſed ibi nati ſunt. In pecore bonus fœturæ prouentus, bona natio dicitur. *Prouincias)* regiones, quæ Romanis erant tributariæ. *Subiungeretis)* Tranſlatio à iumentis, quæ plauſtri iugo ſubiunguntur, vnde ὑποζύγια à Græcis vocantur. *Redegiſſetis)* Redigere pecuniam, colligere mutuam aut debitam eſt: Horatius, *Omnem redegit Idibus pecuniam.* Sic enim melius in veteribus lib. legitur, non vt vulgo, Relegit.

*Coëgiſſetis)* Cogere hic eſt pecunias redigere. vnde Coactores, qui mercenarij erant argentariorum, eorumque pecunias cogebant. Hinc à lena Plautina, quæ præſentem pecuniam ſibi dari poſcit, in diem promitti non vult, dicitur, *Nihili eſt coactio.* Auus quoque Veſpaſiani coactiones argentarias fecit: vt ſcribit Tranquillus. *Tamen omnes)* vetus liber, Tum omnes, idque aliquanto melius. Nam præterquam illos, quos percenſuit, pecunia ſpoliabunt: tum verò nemo priuatus erit, cui non poterunt extorquere calumnia nummos circunſcriptionibus, denunciatione periculi, aut terrore publicandorum agrorum.

*Inuidioſos agros)* Proinde quaſi Syllani agros vendere vellent, ac non vendere cogerentur, legibus agrarijs infeſti eſſe ſolerent, & quaſi non eſſent lege Rulli tuti. Sed inuidiam Rullo Cicero quærit.

*Peſtilentes)* Qualem in Trinummo Plautus his verſibus deſcribit, St. *primum Omnium olim terra cùm proſcinditur, in quinto quoque ſulco Moriuntur boues.* Ph. *Apage.* St. *Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro: tum vinum priuſquam coctum eſt, pendet putidum.* *Emptos)* quos vos ipſi à veſtris neceſſarijs emetis.

*Induceretis)* quàm magno velletis, po. Romano inferretis. [illegible] in hac ſignificatione dicitur inter-

dum à Græcis. Qui æſtimare interpretantur, Latinè non admodum ſciunt. *Ac quàm multis*) locis vobis videretur. *Militibus*) Nam militares deducebantur coloniæ eo tempore. Paterculus, *Neque facilè memoriæ mandauerim, quæ, niſi militaris, poſt hoc tempus deducta ſit.* & in M. Antonium de coloniæ deductione loquens Cicero, *Tu autem*, inquit, *inſolentia elatus, omni auſpiciorum iure turbato Caſilinum coloniam deduxiſti, quô erat paucis annis antè deducta, vt vexillum videres, & aratrum circunduceres.* Tacitus, *Non enim vt olim vniuerſæ legiones deducebantur cum Tribunis & Centurionibus, & ſui cuiuſque ordinis militibus, vt conſenſu & caritate remp. efficerent: ſed ignoti inter ſe diuerſis manipulis ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in vnum collecti, numerus magis, quàm colonia.*

*Acerrimos hoſtes*) vehementiſſimos hoſtes: vt piratas, Mithridatem.

*Improbiſſ. ciues*) Carbonem, Domitium, Brutum, Sertorium, Marianos.

*Proſcribere*) verbo vtitur inuidioſo, cùm eum proſcribi dicit, cuius vectigalia Rullus vendit. vendi enim agros regios in Ponto & Cappadocia, Pompeij virtute partos iubebat, & cui exercitum Decemuiri ſint adempturi. Eſt autem Proſcribere, palàm & apertè ſcriptum ponere, vt cùm bona alicuius proſcribuntur, palàm tabula ponitur, in qua id ſcripto editum eſt. Id προγράφειν Græcè dicitur. Plutarchus, φαύλου δὲ τῶ πολλὰ παιδὸς διὰ πλῆθος δανείων ἀπαρτίαν προγράψαντος, ταύτην μᾶλλον ἔφη τὴν προγραφὴν ἀσπάζομαι ἢ τὴν πατρῴαν. Hoc ego adſcripſi, quia in Plutarcho vitiosè ſcribitur, ἁμαρτίαν προγράψαντος. *Priuare*) Nam ab ijs ſi ignominia afficiatur, veſtro poſthac conſpectu carebit, lucem & celebritatem vrbis fugiet.

*Auro & argento violari*) vt omnia eorum ditioni & poteſtati permiſſa ſint, quæ vel corruptela nummorum violata, obtineri: vel comitijs & populi ſuffragijs, quem penes eſt ius mandandarum poteſtatum, tribui: vel vi & armis quæri poſſunt. Violari dicuntur quæ ſancta, & integra, & incorrupta ſunt cùm polluuntur. Etiam pro tingere, Homeri imitatione, à Virgilio vſurpatur, *Indum purpureo veluti violauerit oſtro Si quis ebur*: id eſt, tinxerit: quòd eorum, quæ tinguntur, natiuus candor aut color vitiatur. Homerus, ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ. *Elata manu*) per vim & impreſſionem perrumpi. Qui enim aut aliquem pulſare volunt, aut fores perfringere, manum efferunt. Quod ἀνατείνασθαι Græci dicunt, & ἀνατεῖναι χεῖρας. *Oppreſſum*) occupatum: vt apud Plautum, *Sed ſi mecum occaſionem opprimere hanc, quæ obuenit, ſtudet.* & Terentius, *Vt in ipſo articulo oppreſſit*, dixit, pro cepit & occupauit. & mox, *Per oppreſſionem vt hanc mihi eripere poſtulet*: id eſt, me opprimens in ipſo articulo, &, vt Gallicè dicere ſolemus, me ſupprendens. *Volitaretis*) concurſaretis per nationes & regna, curſitaretis per gentes. *Petere poſſetis*) non extraordinarios, ſed quorum certus eſt ordo. Non licebat per leges qui in magiſtratu erat ab eo honorem peti. Candidatum enim priuatum eſſe oportebat, & inter magiſtratus ſpatium interponebatur quo priuati erant, biennij ſaltem. Quod in vrbanis & ordinarijs magiſtratibus verum erat, non in prouincialibus. tamen hic, vt contra leges factum, criminatur. Nam ſæpè Prætores & Proconſules de Prouincia decedentes, magiſtratum ſtatim ceperunt. *Legibus omnib.*) quæ de tempore & ratione magiſtratuum petendorum & capiendorum cauent. Solui legib. dicitur, cui gratia & venia legis fit. Iure autem antiquo cautum erat, ne quis legib. ſolueretur, niſi per populum. Poſtea Senatuſconſultis etiam ſoluebantur, quibus tamen addebatur, vt de ea re ad pop. ferretur. Sed poſtremò deſitum erat ferri, ac Senatuſcon. adijci. *Sine metu iudiciorum*) Nam qui reus factus eſt, prohibetur petere. vt Catilina reus factus, Conſulatum petere non potuit: quòd intra legitimos dies profiteri non potuiſſet. At qui in magiſtratu ſunt, in iudicium vocari nequeunt, neque rei fieri.

*Adducere*) In diſquiſitionem vocare, in iudicium adducere. Nec enim qui in magiſtratu eſt cauſam dicit. *Producere*) Nam magiſtratus in concionem interdum ab alijs producebantur: at Decemuiri, vel id recuſabunt, vel etiam Roma aberunt. Cicero in Piſonem ſic magiſtratus produci ſcribit, *Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas Conſulatum tuum, cum eſſes interrogatus, quid ſentires de Conſulatu meo, grauis auctor reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere.*

*Retinere*) ap[illegible]: cùm Tribuni intercedant aliorum magiſtratuum actis, & ea impediant.

*Intemperantia*) Inſania. vt in Tuſculanis, *Hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis*, id eſt, ſtultè. & in Academica, *Intemperantis enim arbitror eſſe ſcribere, quod occultari velit*: id eſt, ſtulti & inſani. Proinde intemperiæ apud Plautũ furiæ ſunt, *Neſcio pol quæ illunc hominẽ intemperiæ tenent.* *Demiror*) valde miror. Plus enim eſt quam miror. *In cunabulis*) Cunę lectuli ſunt puerorũ, & culcitrulæ incunabula vbi reponuntur. Plautus, *Faſcijs opus eſt, puluinis, cunis, incunabulis.* *Et ſegmentatus dormiſſet paruula cunis.* pro cunabulis dixit Iuuenalis. Cunabula irrepſerunt in Plauti Pſeudolum in alienum locum. Sic enim vulgo ſcribitur, *Sed iſtic ſeruus ex Charyſto hic, qui aduenit, quid ſapit?* CH. *Vſque à cunabulis.* In peruetuſto legi, *Hircum ab alijs*: quæ lectio conſentanea eſt Plautinis facetijs. ac Sapit, ambiguum eſt, pro ſapiens & olet. Nam & pro olere ſic vſurpatur à Plinio, Certè Cicero lux doctrinarum altera, meliora, inquit, vnguenta ſunt, quæ terram, quàm quæ crocum ſapiunt, quanquam in Cicerone lib. 3. de Orat. *Quod ceram, quam quod crocum olere videatur*, hodie ſcriptum extat.

*In campo*) qui genere & natalibus Conſulatum non meritus ſit, vt nobiles & patricij: ſed qui populi ſuffragio ſit adeptus in campo Martio, vbi comitia Centuriata habebantur.

*Spoponderunt*) Nobilitas maiorum meorum non ſpopondit me optimum Conſulem fore, ſed eius rei ſolus ipſe promiſſor & ſponſor ſum. Spes eſt autem bonis procreatos & nobilibus, à maiorum ſuorum virtute non degeneraturos. Itaque pro ijs auctores generis ſpondent, maiorumque virtus. Ducta tranſlatio eſt à ſtipulationibus & pactis creditarum pecuniarum, quibus etiam ſponſores & expromiſſores dari ſtipulamur. *Appellare*) Appellantur debitores à creditoribus, cùm ab ijs pecunia flagitatur. Columella, *Quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe veriſſimè fertur.* Hic autem eſt Alphius, de quo ſcripſit Horatius, *Hæc vbi locutus fœnerator Alphius Iamiam futurus ruſticus.*

*Auctores generis*) Maiorum virtus & gloria nobis eſt commendationi & gratię, ad honorũ adeptionem:





eadem, cùm peccauimus, ad veniam & pœnæ deprecationem nobis proſunt. Vt autem Cicero auctores generis dixit, ita quoque proauctores, ea forma qua proauos ſolemus, dixit Suetonius, *Etiam Appium Cæcum cenſorem generis ſui proauctorem, libertinorum filios in Senatum adlegiſſe docuit.*

*Deprecentur*) quæ mihi à vobis veniam petant. Nam in hoc genere deprecari, eſt aliquem ab alio dari & concedi, precibus petere: vt & in oratione ad Quirit. poſt reditum, *Fratríſque mei miſerrimi atque optimi quotidianæ lachrymæ ſordéſque lugubres me à vobis deprecatæ ſunt.*

*Modò vt vita*) Vtinam modò vita ſuppetat. Terentius, *Proin tu face apud te vt ſies. P. Modò vt poſſim.* hic tamen, Vt, pro ne non Donatus accipit. *Bona fide*) ex animi ſententia, & ſine dolo. Bona enim fides dolo & fraudi opponitur. Hoc autem in genere iuriſiurandi ſancti genus eſt, quod indicat Plautus in captiuis, Heg. *Dic, bonan' fide tu mihi iſtæc verba dixiſti?* Er. *Bona.* ſequitur enim mox, Er. *An tu dubium habebis, etiam ſancte cùm iurem tibi?* Poſtremò Hegio, *ſi parua iureiurando eſt fides, viſe ad portum.*

*Non ignauo*) fortitudini contraria eſt ignauia: vt Cicero de Inuentione ſcribit, *Neque diligentia, neque vigilantia quicquam prodeſſet, ſi fortitudo ac virtus deeſſet* Vigilantia laudatur in Conſule, vt iocus ille Ciceronis ſatis ſignificat, *Vigilantem habemus Conſulem, qui in Conſulatu ſuo ſomnum non vidit.*

*Tribuno pleb. perhorreſc.*) melius in ſcripto lib. Qui Tribunum plebis, ſingulari numero: ſequitur enim mox, *Improbitati hominis reſiſtere.* Non ſum, inquit, talis conſul: qui timeam in concionem populi venire, quo aditus Trib. popularibus magis patere, quàm Conſulibus videtur: nec Rullum Tribunum pertimeſco. *Tumultuer*) trepidem, perturber: vt lib. 1. Officiorum, *Fortis verò animi eſt & conſtantis non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu deyci, vt dicitur.*

*Habitandum ſit*) ne à Tribuno in carcerem conijciar. P. Cornelium Naſicam cui cognomen Serapio fuit, & D. Iunium Brutum Coſſ. Curiatius Tribunus plebis in carcerem miſit. Eſt habitare interdum verſari, & aſſiduum eſſe, vt lib. 3. de Legibus, *Theophraſtus verò inſtitutus ab Ariſtotele, habitauit, vt ſcitis, in eo genere rerum.* vbi, Abundauit, vulgò malè legitur.

*Duci*) Duci hic eſt, à viatore in carcerem duci iuſſu magiſtratus. Eſt etiam ad ſupplicium rapi. Seneca, *Ille autem Febrium duci iubebat.* Qui me locus admonet, vt quod paulo ante hæc verba deprauatum eſt, in eodem libello emendem, & explicem. Et impoſuerat, inquit, Herculi minimo diſcrimine fabulam. Hic veteres libri, vt Beatus Renanus ſcribit, pro, Fabulam, fabros habent, quam germanam eſſe ſcripturam exiſtimo, & illius libelli ſale dignam. Nam vt fabrica pro dolo in comœdia legitur: ita qui fabros alicui imponit, fabrica hominem fallere conatur. Quod enim hic ſubſtituunt alij fibulam, alij Allobrox, abſurdum eſt & alienum. *Ego nondum*) hic integrior eſt liber ſcriptus, cuius lectionem repræſentabo. Ego enim veſtris. & paulò poſt, Non horreo. Iterum, Nec vereor. Idque ſine interrogatione. Significat enim ſe auctoritate & inſignibus Conſulatus fretum non timuiſſe in concionem venire. Hoc qui de lege Manilia intelligunt, ſtultitiæ ſuæ ſpecimen hominibus oſtendunt.

*Inſignib.*) Conſulatu, cuius inſignia ſunt lictores & prætexta. *Non horrui*) non timui in concionem venire, audacter hûc proceſſi, nihil timens Tribunum. Aliâs, Horreo, legitur.

*Hominis*) Rulli. Qui hominum hìc legunt, docent ſe ad ſcriptores deprauandos eſſe natos, non ad intelligendos. *Secunda concione*) tanta concionis approbatione, tanto populi ſtudio & aſſenſu.

*Ex quo intelligi*) cùm tàm ſecunda pop. Romani voluntate legem diſſuaſerim, ac diſturbarim, nihil eſſe tam gratum populo quàm pacem, nullamque Agrariam rogationem à populo tanti fieri, quanti otium.

*Popularis*) Immo verò popularem ſe ſimulat: cùm re vera Senatum & paucos defenderet. Ad Atticum, *Totum hunc locum quem ego variè meis orationibus in Ariſtocratia pingere ſoleo de flamma, de ferro (noſti meas ληκύθους) valde grauiter pertexuit.* Nam Ariſtocratiam appellat, Senatus imperium, quod ipſo Conſule fuit: & ληκύθους dicit verba grandia & elata, à tumore ampullarum ſumpta tranſlatione. Vnde & Horatius ſcripſit, *Proycit ampullas & ſeſquipedalia verba*: pro, magnifica verba emittit. Quam ob cauſam etiam, vt reor, apotheoſin nominat, quòd à bonis ſteterit, & egregiè remp. defenderit, Videſne Conſulatum illum noſtrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit fabam mimum futurum? Dicit enim Conſulatum, quo tantam promeritus laudem ſit, & in cœlo propè locatus, nullo loco futurum, & in nihilum rediturum, ſi Conſul fiat Afranius. ac Fabam inſcriptionem vilis & ridiculi Mimi fuiſſe arbitror, vt Tutor lib. 2. de Oratore titulus eſt Mimi. Hic ego non præteribo, mihi in ea epiſtola mox legendum videri, φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & iſtos Conſulatus non flocci ἐατέον. Nam floccifacteum quod hìc comminiſcuntur & fingunt, inſulſum eſt. Ne illud quidem omittam, quod paulo antè legitur, Mirandas ἀποιμασίας ſine vlla paſtoritia fiſtula auferebamus, eſſe quod Græcè diceretur ἄνευ συρισμῶν ἐσυριττόμεθα, id eſt, abſque ſibilo. Eſt enim ſæpè paſtorib. ſibilus pro fiſtula. *Deſignatis*) magnus enim impendebat omnibus terror propter Tribunitias promulgationes, de quibus ſuprà dixi.

*Volueratis*) melius liber ſcriptus, Volueritis. *Negocium feciſſemus*) quibus otium noſtrum moleſtiæ & damno fuiſſet. liber vetus, Quibus otioſi otium feciſſemus. Nam otio ciuitatis obſoleſcunt ac ſeneſcunt, tumultu & turba paſcuntur & florent. Simile illud Terentij, *Poſtquam poeta vetus, poetam non poteſt retrahere à ſtudio, & tranſdere hominem in otium.* *In ſuffragijs*) qui ſuffragijs veſtris ab hominibus gratiam inire poteſtis. Suffragia ſunt vocata à ſuffringendo, quòd initio fractis teſtulis ferebantur. Liuius, *Teſtulis datis Tribuni populum ſummouerunt, ſitelláque allata eſt.* Suffragijs autem priuabantur à Rullo, vt huius orationis initio diſputatum eſt. *Libertas in legibus*) libertatem autem vobis eripere conantur Tribuni plebis, & leges veſtras conuellere. *Iudicijs*) cùm tamen iudiciorum perturbationes, & rerum iudicatarum infirmationes moliantur Tribuni, vt ſupra diſſeruit. *Magiſtratus & res*) hic codex ſcriptus inquinatus eſt, nec ex eo ſenſus elici idoneus poteſt. Eius ſcriptura eſt: Magnos timores familiares: quæ tamen ſuſpectam reddit receptam lectionem. Hic non præteribo, prò, Res familiares, in quibuſdam, Res familiaris, legi numero ſingulari. *Sub ipſo otio*) ſi hunc veſtrum ſtatum ſub ipſo otio meliorem non ignoratis, quàm ſub tumultu & diſſenſione, præſertim in quo imperio, ac dignitate floretis, ac omnibus

gentibus propè imperatis. *Fortunam regitis*) Significat ſtatum illum ſtabilem & firmum eſſe, nec obnoxium fortunæ mutationi & viciſſitudini, cùm in poteſtate eorum potius ipſa fortuna ſit, quàm ipſi in eius poteſtate & arbitrio. Simile eſt illud Salluſtij, *Neque regerentur magis caſibus, quàm regerent caſus.*

*Non vt quæſitum*) Vetus liber ne hic quidem integer eſt, cuius hæc ſcriptura eſt, Si hunc ſtatum quem habetis, eſſe non ignoratis ante quæſitum, ſed vita partum, otium tenueritis. Si, Non vt quæſitum, legas, intelliges, non pecunia quæſitum eſſe illud otium, vt quæ ſolemus nummis comparare: id enim eſt quærere: ſed ſanguine maiorum eſſe partum. & vita, qui nobilib. victorijs florentiſſimum poſteris ſuis otium pepererint & conſtituerint. *Concordia*) Nam diſſenſiones Conſulum ſæpè magnas pepererunt turbas & bella ciuilia excitarunt.

*Collega*) Antonio, qui Hybrida dicebatur. Plinius, *In nullo genere æquè facilis miſtura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant, ceu ſemiferos: ad homines quoque, vt in C. Antonium Ciceronis in Conſulatu collegam, appellatione translata.* Nam is alienus non erat ab ijs, qui reb. nouis ſtudebant: ſed moderatione Ciceronis eſt factum, & indulgentia, & cuſtodia, ne reip. nocere poſſet. Poſtremò conceſſa Macedonia prouincia, eum ad Optimatum partes traduxit. Sed tamen prouinciam nondum ei conceſſerat, cùm hæc diceret: licet id quidam hic nugentur, refragante hiſtoria. Quàm diligenter collegam ſuum ſuſtinuerit & moderatus ſit, ſcribit initio orationis pro Seſtio.

*Quos in Conſulatu*) vetus liber, Quos vos in Conſulatu. fortaſſe, Quos video in Conſulatu. Hæc poſtrema pars inquinata miſerè eſt in omnib. lib. *Et animus &*) hoc referri debet non ad, Quos in Conſulatu (ac proinde, Video, aut aliquid tale deſidero) ſed ad, Et concordia: hoc modo, Quod otium & concordia cum collega, & animis &c.

*Et corporis actibus*) Illud, Actibus, valde ſuſpectum eſt & adulterinum. neque in hoc genere actum dicere Cicero ſolet. Nam quod afferunt ex oratione in Salluſtium, *Quòd aut ſi de mea vita atque actibus huic conuiciatori reſpondero, mendoſum eſt, vt bonorum librorum teſtimonio & auctoritate conſtat, in quibus, Actis legitur:* & lib. 1. de Legibus, quod extat, *Sed etiam in prauis actibus inſignis eſt humani generis ſimilitudo, irreptitium eſt & nothum*, pro, Prauitatibus. Ego hic legendum eſſe cenſeam, Et animi & corporis artibus: id eſt, omni ratione, omnibus modis. Sic Plautus dixit, *Si ægrotant in te artes animi.* & Salluſtius, *Varias eſſe animi artes.* Vetus ſcriptura eſt ne quid diſſimulem, Inimicos eſſe & corporis iactibus. *Denunciaui quid*) fortè, Ne quid turbulenti. *Conflarent*) molirentur. *Conflatur ignis*, vt à Plinio ſcriptum eſt, *ignem conflante puero.* & quia ignis conflati ope multa conficiuntur, ideo ad multa Conflare transfertur. Itaque quia ignis flatur, etiam æs, aurum, argentum flari dicitur. Vnde Triumuiri Monetales ære, argento, auro flando & feriundo. *Summum illud præſidium*) Longè firmiſſimum præſidium reipubl. in vobis collocatum eſt, ſi quo animo, hac maxima concione in rempubl. fuiſtis, eodem in futurum etiam ſitis.

*Reliquis*) poſthac, in futurum. ſic ſæpè Reliquum vſurpatur. *Honori inuiderunt meo*) Salluſtius de Ciceronis Conſulatu, *Nanque antea pleraque nobilitas inuidia æſtuabat, & quaſi pollui Conſulatum credebat, ſi eum, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret.*

## ADRIANI TVRNEBI COMMENTARIVS IN ORATIONEM III. CICERONIS, DE *lege Agraria, contrà P. Seruilium Rullum Tribunum plebis ad Populum.*

*Commodius feciſſent Trib.*) Duas conciunculas Cicero præter orationes ſuperiores de lege Agraria habuerat, quarum vna hæc extat, altera deſideratur. Eas lib. 2. ad Atticum ἀποσπασμάτια legis Agrariæ vocat, tanquam quaſdam legis Agrariæ particulas. Sed Græcè locutus eſt, quòd verbum iſtud vno exprimi Latino non poſſit. Itaque multis modis, cùm opus eſt, conuertere ſolet. Vt quod Stoici dicunt, animum noſtrum eſſe ἀπόσπασμα θεοῦ, ſic interpretatur in Tuſculanis, *Humanus animus decerptus ex mente diuina.* & de Diuinatione, *Exciperet extrinſecus ex diuinitate, vnde omnes animos hauſtos, aut acceptos, aut libatos haberemus.* Tribunos plebis hic cùm dicit, Rullum intelligit, & quoſdam eius collegas, legis Agrariæ adſcriptores & adſtipulatores. Id adeo dico, quia nonnulli de ſolo accipiunt Rullo, falluntúrque ac fallunt. Hic porro commodius facere, eſt melius facere: vt in Verrem, *commode audire, bene audire.* quod eorum culpa ſe minus commodè audire arbitrarentur: id eſt, minus bonum eſſe ſuum nomen.

*Deferunt*) quæ de me loquuntur. Deferre eſt rem ad locum aut perſonam ferre. Sic deferri Senatuſconſultum dicitur. Sic *in Italiam deferre* apud Maronem ſcribitur. Ex eo deferre nomen ad Triumuiros per tranſlationem dictum eſt, pro accuſare, & poſtremo hominem deferre, vnde Delator.

*Diſceptationis*) me coram apud vos compellare non ſunt auſi, neque rem veſtro iudicio coram permittere: quod ſemper ſuperiore memoria Tribuni facere ſoliti ſunt. *Ius ſuæ poteſtatis*) Nam propè ſuam poteſtatem imminuerunt, cùm me non ſunt auſi coram apud vos compellare, ſeque propè in ordinem coëgerunt ac circumſcripſerunt, cùm ſuperiores Tribuni diſtrictè ea etiam in Conſules ſunt vſi.

*Adhuc*) ad hoc tempus, coram mecum apud vos certare & contendere non ſunt auſi, ſed abſentem me deferunt. Contentio autem non minus eſt orationis perpetuæ quàm altercationis: cùm tamen hoc de altercatione quidam tantùm accipiant. Cic. lib. 1. Officiorum, *Et quoniam magna vis orationis eſt, eáque duplex: altera contentionis, altera ſermonis: contentio tribuatur diſceptationibus iudiciorum, concionum, ſenatus.*

*In meam*) in concionem, quam ipſe aduocaui & habeo, prodeant: quoniam in ſuam me vocare noluerunt. *Prouocati*) prouocarat enim eos ea oratione, quam in Senatu habuerat, ad concionem populi: quando



quando tamen eam concionem habuit, quæ 2. extat oratione, vel non adfuerunt, vel reſpondere non ſunt auſi. *Reuocati*) Prouocare, laceſſentis eſt: Reuocare, eius qui prouocatorem viciſſim vocat. Varro, *Qui nobis miniſtrarunt pueri diebus feſtis cicer viride, qui nos prouocare cùm audeant, nos illos reuocare timemus.* Sic ex iure manu conſertum alter vocabat, alter reuocàbat. Ad hanc vim verbi Cicero reſpexit, *Si enim prouocatorem non ſequuntur in concionem, ſequantur ſaltem reuocatorem, cùm iam ab ijs laceſſitus ſit, & delatus.*

*Strepitu*) Hic nonnulli de acclamatione multa diſſerunt: quaſi idem acclamare ſit quod ſtrepere.

*Eoſdem vultus*) in vultu ineſt argumentum & ſignum aut beneuolentiæ, aut alienationis, denique voluntatis. Eſtque quidam oris habitus, eamque partem ſignificat, quæ fronti, ſupercilijs, oculis ſubeſt. Cicero in Piſonem, *Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus.* Vultum ab oculis & fronte ſeparauit de Fato. Qui ſe profitebatur hominum mores naturaſque, ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere. Hic rurſum ab illis vultum ſeparauit. Non me fallit tamen aliquando vultus nomine ea contineri.

*Crediđiſtis*) qui fidem non habuiſtis delationi & criminationi Tribunorum pl.

*Vſuram*) vſum exigui temporis peto. Cicero in Catilinam, *Vnius vſuram horæ gladiatori iſti ad viuendum non dediſſem.* Plautus Trinummo, *Neque adeo haſce emi mihi nec vſuræ meæ.* Veteres autem multa hac forma efferebant, vt pro Curſu, Curſuram. Plautus Sticho, *Simúlque ad curſuram meditabor me ad ludos Olympiæ.* Eiuſdem generis illa apud Varronem cenſeo valde obſcura, *Ego quæ requiro ſarſuræ aſſuræ membra, de palumbis, de gallinis, dic ſodes merula.* Nam Sarſuram dixit à ſarciendo, vt locum de gallinis & palumbis ſarciret & expleret. Aſſuram, nutricationem ab eo quod eſt adeſſe & aſſiduum eſſe: velut Aſſæ nutrices dicebantur, vt Nonius ſcribit, quòd adeſſent ijs, quos nutriebant, nec vel exiguo tempore diuellebantur. Contrà veteres etiam pro nominibus in vra, in vs finxerunt: Plautus Moſtellaria, *Viden pictum, vbi ludificatur cornix volturios duos?* id eſt, picturam.

*Bonæ de me opinionis*) vt bonam quam de me concepiſtis opinionem retineatis ad exiguum tempus, dum rem peroraro voſque docuero. *Vobis probabo*) ſi quæ dixero, effecero vt probetis: ſi quæ dixero vobis, approbaro. Sic ſæpè probare vſurpatur.

*Depoſitam*) Deponere & imponere contraria ſunt. Deponuntur onera, quæ humi ponuntur: ſed & quicquid deorſum ponitur, & relinquitur. Imponuntur quibus quis oneratur. Itaque quia veteres deſperatos ante fores deponebant, ideo depoſitus pro deſperato etiam dicitur. Virg. *Ille vt depoſiti proferret fata parentis.* *Abiectam*) plus eſt abiectam, quàm depoſitam.

*Septem tyrannis*) duobus, vt reor, Lucullis, Craſſo, Metello, Hortenſio, Philippo, Catullo: qui tempore proſcriptionis Syllanæ multa prædia occuparant, quibus ne expellerentur lege Rulli, verebantur. His reuera gratificabatur, & Syllanorum poſſeſſiones confirmabat inuiſas plebi: quod ferente Flauio legem Agrariam ſatis indicauit. Ita enim ſcribit, *Ex hac ego lege, ſecunda concionis voluntate omnia illa tollebam, quæ ad priuatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mutio, L. Calphurnio Coſſ. publicus fuiſſet. Syllanorum hominum poſſeſſiones confirmabam: Volaterranos, & Aretinos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiſerat, in ſua poſſeſſione retinebam: vnam rationem non reijciebam, vt ager hac aduentitia pecunia emeretur, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur.*

*Aſſignationum*) Sic appellat quas Græci κληρουχίας dicunt, & κλήρους. κληρούχους autem, qui coloni ſunt verbo Romano, Cicero, quod probroſum erat & contumelioſum, Agripetas dixit: vt primo de nat. Deorum, *Quòd in eam pater eius Neocles Agripeta venerat:* id eſt, κληροῦχος & colonus. Interdum etiam Agrarios vocat Cicero: vt in Antonium, *Non ſollicitabit rurſum Agrarios? vt mihi mirum eſſe videatur, cur à nonnullis ſubinde Agrarij vocentur latores, & fautores legis Agrariæ* Sunt igitur aſſignationes agri cuique colono attributi & aſſignati. Sylla autem quadraginta ſeptem legionibus agros aſſignarat. Eas aſſignationes plebs, quæ Syllanis infenſa erat, & acta Syllæ non probabat, libenter colonis adimi voluiſſet, & illa coloniarum iura reſcindi. *Syllanos agros*) Agros appellat Syllanos, quos Sylla proſcripſerat, & publicarat, nec tamen diuiſerat: verum quidam occuparant, aut donatos poſſidebant.

*Poſſeſſiones*) Agrum adimi Syllanis colonis: agros adimi, quos Sylla aſſignauit. Poſſeſſiones interdum vocantur agri latè patentes, ijque vel publici, vel priuati. Hic agri aſſignati ſimpliciter vocantur.

*Glebam*) particulam. Aliquando gleba genus eſt ſepulturæ per iniectionem terræ. Cicero, *Iniecta gleba tum & ille humatus eſt, & gleba vocatur.* A gleba etiam *Glebarij* apud Varronem vocantur *boues aratores.*

*Sanciri*) id plus eſt quàm confirmari. Eſt enim ita id eis confirmari, vt tanquam ſanctum attingere nemo auſit, & inuiolatum futurum ſit. *Valgij genero*) vt facilè appareat ab eo conſuli Valgio, qui multos agros dominante Sylla occuparat, multos proſcribendos ciues curarat, aut etiam non proſcriptos poſſeſſionibus eiecerat. *Diligentiam prudentiamque*) nonne nos & negligentes & imprudentes exiſtimauit & contempſit, quos tam oſcitantes fore credidit, tam hebetes & ſtultos, vt cùm falsò me Syllanũ eſſe criminaretur: ipſe autem Syllanas aſsignationes, Syllanoſque agros certo capite defenderet: tamen id non animaduerteremus? *Legis*) Seruiliæ, quam Seruilius Rullus ferebat.

*Conſulto*) ne renouarem veteres diſſenſiones Senatus & plebis. Id ſanè ſimulat, cùm attingere illud caput noluerit, ne Syllanos offenderet, quos etiam ferente Flauio legem Agrariam defendit, eorum poſſeſſiones confirmans.

*Obductam cicatricem*) Cicatrix dicitur, quæ ſanato vulneri obducitur, id eſt, qua vulnus operitur, obtegitur, clauditur: quæ recens refricando facilè exulceratur. Ex eo obductum pro ſanato, & cui cicatrix inducta eſt, vſurpatur. Maro, — *& obductum verbis vulgare dolorem.* Obducitur autem cicatrix, id eſt, operitur: vt hic. & res obducitur, id eſt, operitur & obtegitur. Cicero, *Corpus ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur.* Et eodem modo apud Maronem dolor obductus, id eſt, tectus quadam tanquam cicatrice. *Hunc ſtatum*) Quo pauci & Syllani plus poterant in rep. minus plebs. *Confeſſus ſim*) Id profeſſus eſt ſuperiore concione, & in ſenatu. Id erat etiam pollicitus Kalend. Ianuarij.

*L. Flaccus interrex*) L. Valerius Flac. interrex factus, vt comitia Conſ. rogandis haberet, cæſis Mario &

Carbone Coſſ. Syllam Dictatorem dixit ad remp. conſtituendam componendamq;: & ei quàm ampliſſimum imperium lege ſua tribuit, cùm eius honoris vſurpatio, vt Paterculus ſcribit, per centum viginti annos intermiſſa fuiſſet. Qui quadringentos annos ex Appiano ſcribunt; vitioſos libros ſequuntur. Legis Valeriæ vt iniquæ, meminit lib. 1. de Legibus Cicero, *Nihilo credo magis illa, quã interrex noſter tulit, vt Dictator, quem vellet ciuium, indicta cauſa impunè poſſet occidere.* *Interrex* ) μισοβασιλεὺς, πενθήμερος ἀρχή. Interrex quinûm dierum imperium. Nam mortuis regibus in quinos dies creabantur, poſtea in quinos dies etiam Conſulum creandorum cauſa ex Senatu prodebantur. Cicero, *Eique quem patres produnt Conſulum rogandorum ergò.* *Ille feciſſet* ) àc proinde etiam, vt ait Cicero, quem vellet ciuium indicta cauſa impunè poſſet occidere. *Inſtitutis* ) id eſt, conſtitutis, vt ad Atticum, *At ego nouos patronos inſtituam* : id eſt, eis conſtituam nouos patronos. *Lege conſtituit* ) cùm deberet lege tyrannum potius tollere. Vt enim Tyranni leges: ſic leges Tyrannos debent tollere. *Inuidioſa*) Odij & inuidiæ plena. In odium & inuidiã omnium incurrit. *Hominis lex* ) Non tàm eam Flacci voluntate latam apparet, quàm ita poſtulantibus reip. temporibus, vt ſtatus ciuitatis componeretur. *Valeria lege* ) quæ poteſtatem Syllæ dedit proſcribendi, occidendi, quæcunq; vellet faciendi. Par autem & eadem eſt Valeriæ legis & Corneliarum iniquitas. Nam Valeria imperium mandauit extraordinarium & infinitum: leges Corneliæ illa poteſtate ſunt vſæ. Itaque legem proſcriptionis, Valeriam, vel Corneliam Cicero appellat pro Roſcio, *Qui potuerunt iſta ipſa lege, quæ de proſcriptione eſt, ſiue Valeria eſt, ſiue Cornelia (non enim noui nec ſcio) verùm iſta ipſa lege, bona Sex. Roſcij vænire qui potuerunt?* *Eripitur cùm datur.*) vt cùm agros proſcribebat Sylla, & proſcriptos dabat agros.

*Habet illis legib.* ) Lib. vetus, Sed tamen inhibet illis legibus. quo modo & excuſi nonnulli, nec fuit cur mutaretur. Exiſtimo ab ijs eſſe verbum hoc eiectum, qui genus dictionis non aſſequebantur. Dicitur autem inhibere ſpem, vt inhibere imperium. Plautus Sticho, *Vtrum fontali, An libero imperium te inhibere mauis?* Quo ſanè in loco ita verſu trochaico poſtulante, cenſeo legendum, *Quid iſtuc eſt prouinciæ? St. vtrum Fontinali an Libero.* vt Fontinalis ſit fontium deus, quemadmodum Liber vini: à quo Fontinalia ſacra appellata. Et Bacchidibus, —— *hoccine hic pacto poteſt Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus vapulet?* imperium inhibere Libero, eſt imperare vino, in vino imperium habere: & imperium inhibere, pro habere, in Bacchidum loco dixit. Illud pro Quintio deprauatum eſt, *Quòd ſi facere nolit atque inhibuerit eiuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere.* Pro quo libri ſcripti, Imbiberit, habent, quod eſt inſtiterit, perſeuerarit.

*Illis legibus* ) Nam cui ager datus eſt; ne reſcindantur acta Syllæ metuit: qui amiſit, id ſperat futurum.

*Scrupulum* ) metum & moleſtiam. Ductum à ſcrupulis, qui pedem lædunt. Scrupulus autem à ſcrupo dicitur, id eſt, lapillo, calculo: à quo ſcrupi fortaſſe duodecim, quibus ludebatur: ψῆφοι à Græcis dicuntur. Ludebant autem Græci decem calculis, non vt Latini duodecin. Inuenio tamen etiam ſcripta dici, vt γράμμα ſcrupul⁹ & ſcriptulum à nonnullis dicitur. Cicero apud Nonium, *Itaq; tibi concedo, quod in XII. ſcriptis olim, vt calculũ reducas, ſi te alicuius dati pœnitet.* Et lib. 1. de Orat. in libris manu ſcriptis ſic reperio, *Licet iſta ratione dicamus, pila benè & XII. ſcriptis ludere, proprium eſſe iuris ciuilis, quoniam vtrunq; eorum P. Mutius benè fecerit.* vulgo tamen, ſcrupis, legitur. Ac Iullius Pollux γραμμισμὸν, & ψήφων παιδιὰν perpropinqua, & propè eoſdem luſus fuiſſe dicit. Hic ego non præteribo noſtras teſſeras, vulgò datos appellari ex eo, quòd qui in ſcrupis calculum promouerat, dare dicebatur, vt in illo Ciceroniano exemplo, *Si te alicuius dati pœnitet*, & apud Quintilianum, *An vero Sceuola in luſu XII. ſcruporum, cùm prior calculum promouiſſet, eſſétque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus rediịt ad eum, quicum luſerat, iſque ita factum eſſe confeſſus eſt.* Equidem exiſtimo ſcripta duodecim appellari à lineis, in quibus calculi collocantur. Calculos autem dici, quibus luditur. nec dubito quin in Quintiliano, duodecim ſcriptorum, legendum ſit.

*Cautio hæc eſt* ) Sic Rullus eis cauet.

*C. Marium* ) Ita cauerat Rullus, ne quam in repub. diſſenſionem commoueret, ſi Syllanas poſſeſſiones moueret. Itaque quod otij & concordiæ cauſa ab eo factum erat, id Cicero in odium & inuidiam adducit. *Inuidioſum* ) plenum inuidiæ fore putauit, ſi apertè poſſeſſiones & aſſignationes Syllanas confirmaret. Id ergo clam & obſcurè fecit, vt fraus lateret.

*Dictatorem* ) ita Syllanos agros & aſſignationes confirmabat, cùm poſt eos Conſules Sylla Dictator fuerit. *Marianus* ) Ironia eſt. Syllanum enim eum potius eſſe intelligit.

*Agros* ) vetus liber, Qui poſt Marium & Carbonem Coſſ. agri: multo meliore ſcriptura. Agros enim legi non poteſt, cùm verba ſint legis Seruiliæ, vt mirer à quibuſdam hoc animaduerti non potuiſſe.

*Loca* ) *Locus eſt*, inquit Vlpianus, *non fundus, ſed portio aliqua fundi.* Fundus autem integrum aliquid eſt. Cæterum adeo opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, vt & modicus locus poſſit fundus dici, ſi fundi animo eum habuerimus. Non enim magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio. *Loci appellationem non ſolùm ad ruſtica, verùm etiam ad vrbana quoque prædia pertinere*, Labeo ſcribit.

*Poſſeſſiones* ) Sic vocantur agri latè patentes. Iuriſconſulti agrum proprietatis dicunt, poſſeſſionem vſus: vt quæ non iure proprietatis ad nos pertinent, poſſeſſiones ſint.

*Cœlum & mare* ) Iam hæc Ciceronis verba, non legis, ſunt. Cœlum, mare, terram cùm dixerant, ſummam vniuerſi erant complexi, cùm cœlum, aërem, & lucentem mundum contineat (lucentem enim mundum in Timæo etiam κόσμον vertit Cicero) tribus his partibus omnia contineri ſic docet Terentius, *O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni.* Nec vulgus tantùm ſic loquebatur, vt quidam cenſent: ſed etiam docti. Cicero de Legibus, *Idemque cum cœlum, terras, maria, rerúmque omnium naturam perſpexerit.* Dicit ergo quicquid ſit vſquam terrarum lege ſua complexum eſſe Rullum: terræ nihil reliqui feciſſe, totam occupaſſe, & percenſuiſſe. *Data* ) vt quæ à Sylla data & donata quibuſdam erant.

*Aſſignata* ) Colonis per aſſignationes attributa.

*Conceſſa* ) vt nonnullis, qui cùm agros in territorio haberent quod publicatum fuerat, aut publicum, aut alienum occuparent, & poſſiderent, tamen conceſſum fuerat.

*Eo iure ſint* ) ea iuris conditione ſint. Aliter in Verrem, *Siculi eo iure ſunt*, pro eo iure vtuntur.





*Labefactat* ) commouet aliquid videlicet & concutit, vt ſubuertat tandem poſſeſſiones Syllanas. Nam labefactare eſt mouere & tanquam labefacere. Pro leg. *Ruere illa non poſſunt, vt non hæc eodem labefactata motu concidant.* Terent. *Omnes dentes labefecit mihi*, id eſt, colaphis emouit. *Vt quæ opt. iur. priu. ſint* ) puto, Vt quæ optimo iure priuata ſunt, legendum. quanquã ferri poteſt, Sint. *Priuata* dicuntur *quæ vniuſcuiuſq; ſunt.* *Corneliæ leges* ( vt Valeria & Cornelijs leg. multò iniquior ſit Seruilia. *Iuris* ) aliquã iuris particulã habeant, qua nitantur, qui eos poſſident, vt proprietas ac dominiũ aliqua ex parte ad eos pertinere videatur.

*Propriæ poſſeſſionis* ) Nam quæ noſtra non ſunt, tamen poſſeſſione & vſu fieri noſtra queunt. Propria poſſeſſio eſt certa & firma: nec vi, nec clam, nec precario facta, & tempore legibus præſcripto parta. Proprium etiam perpetum eſt: vt apud Virgilium, —— *propria hæc ſi dona fuiſſent: &, Connubio iungam ſtabili propriámque dicabo.* Sed cùm aut de proprietatis iure quærebatur, aut vſus & poſſeſſionis, qui recuperare proprietatem volebant, aduerſarium ex iure manu conſertum vocabant: qui de poſſeſſione litigabant; ex interdicto contendebant. Ea diſtinxit Cicero lib. 1. de Oratore, *Multiſque præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manù conſertum vocarent, quod in alienas poſſeſſiones tam temerè irruiſſes.* Hoc ego adſcripſi, quia non vulgo ſatis intelligitur. Quo in Ciceronis loco non prætermittam Iuriſconſultos olim ſolitos eſſe dici præeſſe illis, quibus de iure reſpondebant. Pomponius, *Omnium tamen harum & interpretandi ſcientia, & actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſtituebatur, quis quoq. anno præeſſe priuatis.* *Diuturnitatis* ) vt diutius ijs frui poſſint, cùm propria no ſint: alioqui propriorum perpetua poſſeſſio eſt. Cic. pro Milone, *Quid? ea quæ tenetis priuata atq. veſtra, dominante homine furioſo, quod ius perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent?* *Vt priuatum?* ) vt habeant priuatum & proprium?

*Sed ita latum* ) atqui ita tuliſti, vt non tantùm priuatum, verùm etiam vt optima conditione habeant.

*Ager* ) Irpini populi appellati ſunt nomine lupi, vt ait Pompeius, quem Samnites Irpum vocant. Nam lupum ſecuti agros occupauere. Cæterum fundum cùm dixiſſet, Agrum, corrigens ſubiecit, quòd totum ferè Irpinorum territorium: id enim hic ager ſignificat, poſſideret.

*Optimo enim iure* ) Optimo iure ſunt, quorum optima conditio eſt. in venditionibus & mancipationibus agrorum, in traditionibus, ſtipulationibus, teſtamentis addi hæc adiectio etiam interdum ſolebat, *Vti opt. maximúſque eſt, quæ ſignificabat liberum præſtari prædium*, vt Paulus ſcribit, *non etiam vt ſeruitutes ei debeantur.* *Prædia* ) *Prædium*, inquit Modeſtinus, *nomen eſt generale agri poſſeſsionis.* Nam & ager & poſſeſſio huius appellationis ſpecies ſunt. *Serua* ) quàm quæ ſeruitutem itineris, viæ, actus, & aliarum rerum debent. *Ager*, inquit Proculus, *cùm vt optimus maximuſq. ſit dicitur, liber eſſe ſignificatur.*

*Seruiebant* ) quæ ſeruitutem debebant, quæ ſeruituti obnoxia erant, quæ ſerua erant. Seruata etiam dixit Cicero ſerua facta: vt pro Flacco, *Quàm chara dijs immortalibus eſſet docuit, quòd victa, quòd elocata, quòd ſeruata*: id eſt, ſerua facta. *Quàm obligata* ) vt verbi gratia oppignerata: quæ veteres etiam oppoſita dicebant. Quo in verbo ſic feſtiuè ludit Catullus,

*Furi villula noſtra non ad Auſtri*
*Flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni,*
*Nec ſæui Boreæ, aut Apeliotæ,*
*Verùm ad millia quindecim & ducenta.* Et Iuuenalis vſurpauit,
*Lancib. oppoſitis & matris imagine fracta:* id eſt, pignori poſitis.

*Obligata omnia* ) vet. lib. Obſignata. Pro obſignatis tabulis obligata, vt opinor: Obligata tamen loco non moueo. *Quæ penſitant* ) quàm agri vectigales, qui vectigal pendunt. ſed vectigalia dicere noluit; ne incideret in ſubſtantiuum.

*Crebra* ) Crabra, verius puto, vt in epiſtola ad Tironem; *De Crabra quid agatur, etſi nunc quidem nimium etiam eſt aquæ, tamen velim ſcire.* Frontinus, *Præter caput Iuliæ transfluit aqua, quæ vocatur Crabra.* Hanc Agrippa emiſit, ſeu quia vſum improbauerat, ſeu quia Tuſculanis poſſeſſoribus relinquendam credebat. Ea nanque eſt, quam omnes villæ tractus eius, per vicem in dies modulóſque certos diſpenſatam accipiunt. Ciceroni de hac aqua aliquando lis fuit. Nam pro Cornel. Balbo ita ſcribit, *Si nos de aqua noſtra Tuſculana M. Tugionem potius quàm C. Aquilium conſulebamus.* *Municipio* ) Tuſculanum Ciceronis fuerat Catuli. Sed Catulus & Cicero eum fundum, vt à municipio acceperant. Id non eſt diſſimile noſtrorum clientellarium & beneficiariorum prædiorum. *Commoueri* ) concio mutata ſententia fremuit & ſtrepuit. Quod orator vidit, cùm eam commotã eſſe dicat. Hic artifices nonnullius precij, acclamationem annotant, quam ego audire non poſſum. *Eiuſmodi cauſa* ) id eſt, ob rem huiuſmodi: cùm tueantur ipſi Syllanas poſſeſſiones, tamen id obijcere cuiquam auſint, quod impudentiæ eſt maximæ.

*Inſimulare* ) Inſimulare eſt propriè falſum crimen in aliquem confingere, & in aliquem ſimulare. Sed pro criminari etiam & accuſare frequentatur. *Eſſent data* ) quæ Sylla vel dediſſet, vel aſſignaſſet.

*Donationis* ) eos agros, quos Sylla non dedit, ſed quidam in illa reip caligine occuparunt, & poſſederunt, confirmat & ſancit. Donationem appellat, quòd agros illos eis ſua lege Rullus donet.

*Aſſignationes* ) quod enim Sylla non aſſignauit. cùm lege confirmat, poſſeſſori aſſignare videtur ipſe. Aliud autem eſt aſſignare, aliud diuidere. Diuiduntur enim agri in centurias: aſsignantur viritim.

*Conceſſiones* ) qui agros aſsignabant, quibuſdam, vt ſubſeciuis, quæ non aſsignabant. aliquos frui ſinebant. Sæpè enim legimus ſubſeciua conceſſa. Sed & veteribus poſſeſſoribus ſua interdum concedebantur, nec aſsignabantur. Vnde legimus redditum illi, tantum redditum illi ſuum. Sed & excepta quædam concedebantur. Ad illas conceſsiones reſpexiſſe videtur, quòd illi non vt aſsignata, ſed vt conceſſa poſsideant. *Quæ data donata* ) Repetuntur verba ſuperioris quadrageſimi capitis: in quo tamen ſupra legebatur, *Quæ data, aſſignata: quæ in aſſignationibus vſitata erant.* Flaccus, *Præterea inuenimus ſubſcriptiones tales, datum, aſſignatum, adſcriptum: ſic ſubiectum redditum ſuum vni aut duobus.* Sed tamen hic data erunt aſſignata, donata non aſſignata, ſed dono data.

*Vendita)* Nam cùm alia, tùm etiam agri, qui Quæſtorij dicebantur, per Quæſtores vendebantur, ac limitibus inſtitutis, laterculis quinquagenûm iug. effectis venum ibant.

*Poſſeſſa)* Hoc verbum ſupra non poſuerat interiuſque inſtiterat, quod nunc adſcribit: cùm de eo diſſerere velit. Ac videtur nonnullam adhibere calumniam Rullo. Nam rectè poſſeſſa, vt opinor, intellexerat: etſi Rectè non addiderat.

*Quo optimo priuatum)* melius in lib. ſcripto, Quo qui optimo priuatum: vt ſupra eſt locutus, vt quæ optimo iure priuata ſunt. *Si vi eiecit)* Exceptiones ſunt tres, quæ iuſtæ poſſeſſioni officiunt: de quibus interdictis Prætorijs cauetur· vt in interdictis multis alijs. Sed & in eo, quod vti poſſidetis, dicitur, cuius hæc verba ſunt apud Pompeium, *Itaque in legitimis actionibus nemo ex ijs poſſeſſionem ſuam vocare audet, ſed ad interdictum venit, vt Prætorijs verbis vtatur: vti nunc poſſidetis eum fundum, quo de agitur, quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero poſſidetis, ita poſſideatis: aduerſus ea vim fieri veto.* Quæ ferè eadem extāt etiā in Pandectis.

*Precario)* Precario poſſidemus, quod precib. petentibus conceditur vtendum tandiu, quandiu is, qui conceſſit, patitur. *Ius ciuile)* quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſc. magiſtratuum decretis, auctoritate prudentum venit. Prudentes autem iuris & interpretes, quorum interpretatio etiam ius ciuile dicitur, de poſſeſſionibus multa diſputabant, alioqui non erant de ijs legitimæ actiones, ſed Prætoriæ.

*Cauſæ poſſeſſionum)* lites & controuerſiæ poſſeſſionum. Nam ſi ſatis eſt poſſidere quomodocunque, omnes poſſeſſionum cauſæ tolluntur. Cicero, *Illa propria, hæc in cauſa & in iudicio collocata*: id eſt, in controuerſia. *Interdicta tollentur)* Nam vt Iuriſconſulti ſcribunt, interdicta formæ erant, & conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut prohibebat. quod tunc maximè fiebat: cùm de poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione inter aliquos contendebatur.

*Furtum)* non parua fraus, non exiguus dolus. Salluſtius, *Neque late, neque ſecuriſſimus, metu gentis ad furta belli peridonea.* Virgilius, *Vulcani Martiſque dolos & dulcia furta.*

*Publicati)* in ijs etiam Volaterrani, qui aſſignati non ſunt, quos ſe defendiſſe in Epiſtolis ait, *Volaterrani Syllani temporis acerbitatem ſubterfugerunt benignitate deorum immortalium: ſummóque ſtudio po. Ro. à me in meo Conſulatu defenſi ſunt.* Cùm enim Trib. plebis legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaſſent, facilè Senatui populoque Rom. perſuaſi: vt eos ciues, quibus fortuna peperciſſet, ſaluos eſſe vellent. Etiam Aretini agri publicati à Sylla non ſunt aſſignati. Syllani nonnulli dum agri quidam à Sylla publicati donarentur, aut aſſignarentur, non expectarunt, ſed vltrò inuaſerunt.

*Nec venditi)* à Quæſtoribus. Ab ijs autem venditi agri, Quæſtorij dicebantur.

*Hos priuatos facit)* agros, quos inuaſerant Syllani. *Cauſam quæro)* non debetis hæc vendi permittere, cùm à Rullo publica donari videatis. Nam ſi quid vendendum eſt, potius væneat quod Rullus condonat. Quam ſententiam quidam non ſatis percepere. Duas Hiſpanias cùm dicit, citeriorem & vlteriorem intelligit: duæ enim erant prouinciæ. *Vænire patiamini)* Hæc enim lege ſua vendit Rullus.

*Veſtra)* quæ Syllani nullo iure occuparunt, cùm publica ſint. Nam ea Sylla publicarat.

*Poſſeſſoribus)* Poſſeſſor enim dicitur, etiam qui nullo iure tenet. *Dominationem)* qui ad Decemuiratum aſpirant. *Aſſignationis rationes)* ad Syllanam aſſignationem accommodatiſſimam, & ab eā Syllæ aſſignationes confirmari. Hæc loquendi formula ex rationibus domeſticis ſumpta eſt. Nam cùm rationem conficerent domeſticam expenſi, & accepti, proinde aliquid ad ſuas rationes accommodatum, aut à ſuis rationibus alienum dicere ſolebant per tranſlationem: quod quidam non intellexere.

*Multum bonus eſt)* Ex conſuetudine Romanorum dictum, qui de aliquo interrogati, ſi malum non putarent, aut lædere nolent, bonum reſpondebant, quod & commendantes faciebant. Cic. *Dic de L. Manlio? virum bonum*, inquit, *egregiúmque ciuem eſſe arbitror.* Horatius, —— *& fortē crede, bonùmque.* Ita igitur Cicero hic ſimulans ſe nolle eum vituperare, loquitur: cùm contrà ſentiat.

*Quod habet, retinere)* agros, quos tenet: quos poſſidet. *Ipſe habeat, quod non habet)* vt optimo iure habeat, quod habet nullo. Eum enim, qui nullo iure habet, non putat habere. Sic in hoc vocabulo ludit: quod à nonnullis intellectum non eſſe mirum eſt, qui certum aut firmum deeſſe putant.

*Quàm ipſe Sylla)* qui noluit, quæ dedit, meliore eſſe iure, quàm paterna & auita, vt Rullus: qui etiam ſuæ legi adſcripſerat, ſi quid ius non eſſet: rogari enim nihilum hac lege rogatum eſſe. Hic qui deeſſe aliquid putant, & de mendo ſuſpicantur, quid Cicero dicat non aſſequuntur.

*Criminor)* verbum commune, hic perpeſſionis eſt: me criminatum eſſe Syllanum, qui pluſquam Syllæ reſiſto. *Deſertos)* ob ſterilitatem, aut peſtilentiam, aut vtrumque. *Longinquos)* In vltima Italia, procul Roma. Nam ſuburbani fundi in precio erant maximo: ac proinde ita ad Quintum ſcribit, *Nemo iſtorum eſt, quin abs te munus fundi ſuburbani inſtar expectet.* maximum & cariſſimum munus intelligens. Et in Verrem, *Quemadmodum propinquis vos veſtris prædijs maximè delectamini: ſic pop. Romano iucunda ſuburbanitas huiuſce prouinciæ.* Significans propinqua vrbi prædia pluris fuiſſe. *Habet incertos)* quos vel vt vacuos occupauit, vel ademit priuatis, nulloq; iure tenet eos. Itaque incertos vocat, quod dubia & incerta domino ſit eorum poſſeſſio, ac ne ſibi adimantur, veretur. *Incertus ager* Varroni eſt, *qui Romanúſne ſit, an Gabinus, an Hoſticus, an peregrinus, ignoratur?* *Publicos)* quos occupauit. *Caſſinati)* Ager Caſſinas eſt circum oppidum Caſſinum, quod Samnitium eſt. ſic appellatum Varro cenſet à Caſco, quod vetus eſt, quaſi Caſcinum. *Continuauit)* multos enim fundos, quos habebat Valgius vicinos, proſcribendo continentes reddiderat. Nam Syllani plurimos in tabulas proſcriptorum retulerunt, vt Chryſogonus Roſcium Amerinum. *Oculos confirmando)* In eandem ſententiam, in quam illud Maronis dictum eſt, hoc extulit, *Quantum acie poſſent oculi ſeruare ſequentem.* alij libri, *Oculos continuando*: vetus, *Oculis continuando*, quod idoneam ſententiam habet. *Regionem)* Inuidioſè dictum, cùm tantum ſpatij vicinos proſcribendo occuparit: vt cum in regione plurimi fundi ſint, regionem complexus eſſe videatur. Terentius, *Agrum in ijs regionibus meliorem neque precij maioris nemo habet.* Plautus, *Eius nunc regiones, limites, confinia determinabo.* *Sed & regiones dicuntur*, inquit Flaccus, *intra quarum fines ſingularum coloniarum, aut municipiorum*





*magiſtratibus ius dicendi, coërcendique libera eſt poteſtas.* *Formámque)* abſolueret formam, quam nullus intercurrens vicinus ager deformaret: ne illi neceſſe eſſet illud Horatianum exclamare —— *ô ſi angulus ille Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.* *Formas* autem *in agris dici* & Columella eſt auctor, & Aggenus atque Flaccus. *Qua de cauſa)* vt Syllana confirmet.

*Quorum cauſa)* Soceri ſui. *Poſſeſſorem)* ſic ſæpè appellat, qui rem poſſident, cuius verè domini non ſunt, vt lib. de Oratore, *Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, ſi potes eſſe poſſeſſor.* quanquam poſſeſſor alioqui eſt, qui iure, aut non iure aliquid poſſidet.

*Defendo)* Enumerat quæ defendat, in quibus omnibus nullus Syllanus poſſeſſor defenditur. Hîc autem defendere eſt contradicere, prohibere, reſiſtere.

*Campanum)* qui eſt circum Capuam, Capuæ territorium. non enim tam latè patet, quàm Campania.

*In poſſeſſione)* Vos poſſidetis: vt pro Cæcinna, *In poſſeſſione bonorum cùm eſſet, & Sextulam ſuam nimium exaggeraret.* *Non cedo)* reſpicere potuit fortaſſe ad ea, quæ ceduntur in iure.

*Poſſeſſiones)* Po. Romani agri latè patentes, ſiue publici, vt hic: ſiue priuati, poſſeſſiones plerunque dicuntur. *Proſcriptas)* in tabula palàm ſcriptas, vt væneant.

*Dimoueri)* Melius, Demoueri: vt deturbari, deijci, depelli de poſſeſſione. Animaduerti autem ſæpè Dimoueri pro demoueri ſcribi ſolere. Deduci etiam eodem modo de poſſeſſione dicitur: quod ſolennitate quadam iuris fiebat, cùm is, qui in poſſeſſione erat, ab aduerſario, qui poſſeſſionem petebat, de fundo, de quo agebatur, deducebatur: vt pro Cæcinna ſcribitur.

*Quæratur)* Præſertim cùm vobis agros daturi & aſſignaturi non ſint, ſed hominibus facinoroſis & ſeditioſis. *Errore)* vt aſſignationes vobis ſperetis. *Atque)* Atqui, melius.

*Campanus ager)* Eius ſpe plebs Romana valdè capiebatur, & eum ſibi diuidi optabat, cui eius rei ſpem adimit Cicero. *Pompeium)* qui chariſſimus erat pop. Romano: optimatibus tamen formidoloſus tum & inuiſus. *Libertatem)* Libertate nihil eſt charius populis liberis: ac proinde populo Rom. eius amittendæ metum inijcit.

*Audaciſſimorum)* ad cædem, facinora, ſeditionem promptiſſimorum. Etiam audacia in bonam partem ſæpè dicitur. Virgilius, —— *audax quos rumpere Pallas Sacra vetat.* & apud Salluſtium, *Duabus his artibus, audacia in bello, vbi pax euenerat, æquitate, ſeque rémque publ. curabant.* Qua in ſignificatione ab eodem ſcriptore ingenium ponitur. *Sin libertas & bella magis placent, decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus.* Ingenium quoque in promptu ab eodem habere dicitur: in quo audacia eſt, in quo fortitudo & virtus. Sed ea tempeſtate cœpere ſe quiſque magis extollere, magiſque ingenium in promtu habere. Sed & promptus, fortis, ſtrenuus, audax dicitur. Salluſtius, *Maximè vellem P. Conſc. remp. quietam eſſe, aut in periculis à promptiſſimo quoque defendi.* Eſt interdum Audacia auiditas audacter alienum inuadens. Plautus Captiuis duobus, *Immo ædepol propter auaritiam ipſius atque audaciam.* Qui me locus admonet, vt multos errores ex eadem fabula, vno in nomine tollam, Poſtquam belligerant Ætoli cum Aulidis: legendum, Cum Alidis, & in omnibus locis ſimilibus: aut certè, Alijs: quod magis probo, id eſt, cum Eleis. Nam eos idem Comicus appellat ſæpè Alios: vt mox, *Summóq; genere captum equitem Alium*: id eſt, Eleum: ac proinde primam longam habet: vt & in Argumento, *Pater captiuos commercatur Alios*: id eſt, Eleos. & in Prologo, *Cœpit captiuos commercari hic Alios.* Huic emendationi ſubſcribit vetus liber, in quo, Alidis: & adſtipulatur hiſtoria. Nam Eleos bellum cum Ætolis geſſiſſe legimus. Aulis autem Bœotiæ frigidum oppidulum nunquam tantum potuit, vt Ætolis bellum inferre poſſet. Itaque lego, Ita nunc belligerant Ætoli cum Alijs. Nam Ætolia hæc eſt, illic eſt captus in Alide, cùm vulgo legatur, Cum Aulidis, &, in Aulide.

ADRIANI

# ADRIANI TVRNEBI ANIMADVERSIONES IN RVLLIANOS PETRI RAMI COMMENTARIOS LEOD. A' QVERCV nomine editæ.

## ORNATISS. VIRO IO. MAG. GRAVISS. ET SAPIENTISS. SENATVS PARISIENSIS PRIMO PRÆSIDI, LEOdegarius à Quercu S. P. D.

*IN EA SEMPER OPINIONE FVI, QVAM VIVO NVNQVAM extorqueri mihi patiar, æquiſſime ſimul & ſapientiſſime Præſes, vt qui claſſicos auctores, qui nobis & bene dicendi, & bene viuendi ſapiendiq́; fontes aperuiſſent, modeſtiæ omnis & pudoris obliti, parum reuerenter tractarent, eodem loco, quo qui parentes violaſſent, habendos eſſe exiſtimarem. Neque enim minus nos ijs debere putandum eſt, qui intelligendi & ex virtute viuendi, viam indicarunt, quàm qui communi omnium mortalium ſorte corporibus procrearunt. Itaque cùm hiſce temporibus in hac ſchola vniuerſi terrarum orbis principe infelix neſcio quis Ramus extitiſſet, qui arbori matri ſuæ vim afferre cupiens, in eius parentes Quintilianum, Cic. & Ariſt. ita petulanter & propemodum furioſè debacchatus eſſet: vt non ſe minus ignorantem eſſe, quàm calumniatorem oſtenderet: cum doctis & probis viris quàm plurimis ſic commotus, & concitatus ſum: vt ſi me iudice, tanta temeritas animaduertenda fuiſſet, culleum aliquem literarium, cui inſutus ſilentio perpetuo multaretur, ei paraturus fuerim. Cuius ignorantiam ſimul & calumnias cum viri doctiſſ. in hac ſchola ita confutaſſent: vt aut taciturum eum in poſterum, aut magno cum iudicio dicturum ſcripturúmue exiſtimarem: ecce nobis paucis hiſce diebus ea fœdæ inſcitiæ prodigia in Cic. orationes aliquot, commentando edidit, vt publicam ſtudioſorum ſortem miſeratus, ſilentium ipſe rumpere coactus ſim. Et quia eius calumniæ ab ijs doctiſſ. viris, qui ſcripto illi reſponderunt, ſatis patefactæ ſunt: meum hîc ſtudium fuit, quàm omnis antiquitatis atque etiam grammaticæ imperitus ſit, quamq́; procul aberret à germano Cic. ſenſu, dum ineptiſſ. ſyllogiſmos nectendo, vaniſſimum neſcio quod artificium conſectatur, oſtendere. Quicquid id eſt, quod à me ad publicam vtilitatem ſuſceptum eſt, tibi, ſapientiſſ. Præſes, dedicare viſum eſt, quòd ad hanc controuerſiam diiudicandam nullus magis idoneus iudex eligi poſſit. Nam & literarum ſtudijs inſigniter faues, & ſummam in omnibus artibus doctrinam conſequutus es, eòque in iure dicundo omnium ſupremo magiſtratu fungeris: vt non modò de tam importunis in literis erroribus iudicare, verùm etiam tam effrenem calumniandi & ignoranter ſcribendi licentiam caſtigare coercereque & poſſis & debeas. Vale.*

## *ADRIANI TVRNEBI ANIMADVERSIONES IN RVLLIANOS P. RAMI COMMENTARIOS.*

EVM, PETRE RAME, QVI IN ALIOS SCRIBERE CONSVEVIT, ITA ſe comparare oportet, vt in ſcriptis aut nihil, aut admodum pauca, eáque facile ignoſcenda, peccet. Non enim de ſe debet eſſe ſecurus, qui nullius delicti veniam alijs concedit. Itaque cùm rudimentum doctrinæ tuæ poſuiſſes in optimorum auctorum reprehenſione, & iam inde ab ineunte ætate accuſationem quandam factitaſſes, exiſtimabam poſtea in libris ſcribendis ea te diligentia futurum, vt aut nihil, aut minimum eſſet, quod homines offenderet. Verùm tantum abeſt, vt ea res diligentiam & accurationem tibi addiderit, vt incuriam quandam ſupinam & inertem tibi attuliſſe videatur. Perinde quaſi expugnatis omnium eruditorum caſtris & præſidijs, arcem doctrinæ occupatis, ita munitam, vt ad te vel laceſſendum, vel dijciendum nemo aſpirare poſſit. Ergo dies, quæ aliorum ſtudia promouet, tua retro quodammodo referre videtur, cùm à te libri poſteriores prioribus magis pudendi flagitioſa errorum fœditate ſubinde publicentur. Qua quidem in re non ſolùm exiſtimationi tuæ non conſulis, cuius, vt opinor, magna tibi cura non eſt, quâlibet noto eſſe cupienti, verùm etiã duabus ampliſſimis artib⁹ eloquentiæ & philoſophiæ dehoneſtamento es: quarum titulis ſupra Cimbrica & Africana trophæa celſus ante hominum ora incedis: poſtremò etiam regi omnium maximo nonnullam ex inſcitia tua maculam aſpergis, cuius te profeſſorem prædicas. Nec mirari ſatis poſſum, quid in mentem tibi venerit, Petre Rame, vt earum artium inſcriptiones tibi vendicares, quarum aut nihil, aut certe non multum haberes. An quod à te oppugnato vtriuſq; artis principe Cicerone, & Ariſtotele, vt ait Flaccus, ſumis ſuperbiam quæſitum meritis? Quaſi vero cùm in eos ſcribis aut dicis, non maiori tibi ſis dedecori & infamiæ, quàm ijs in quos inſanus debaccharis. Illæ quidem tuæ in Ariſtotelem & Ciceronem furioſæ declamationes, quibus iam adoleſcentiæ noſtræ aures obſurduerunt, pro Mimis aut Atellanis habentur: nec fere, quod homo ſtultiſſime non ſentis, audiris, ſed ſpectaris: nec philoſopho & eloquenti, vt cenſes, ſed hiſtrioni iuuentus operam ſe dare dicit. Eos, qui à te redeunt, quid legeris cùm rogamus, accuſatorem, inquiunt, Ariſtotelis egit: egit calumniatorem Ciceronis: etiam qui te magiſtrum





ſtrum nonnullius precij, non hiſtrionem ineptiſſimum cenſent: tamen odio aſſiduo tuarum in Ariſtotelem & Cic. concionum enecti cùm interrogantur, quibus in rebus lectiones tuæ verſentur, nobis Vergilianum illud reſpondent,

*Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam.*

Tu vnquam tam amens tuique ignarus, Petre Rame, fuiſti, vt Philoſophiæ & eloquentiæ dignitati parem te facultatem habere exiſtimares? Tu tam nullius frontis fuiſti, tu tam inſolens & arrogans, vt earum titulis triumphatorem ſuperbum, in medium te inferre auderes? Tantam artium illarum amplitudinem non capiunt anguſtiæ ingenij tui, illam intolerantiam & impotentiam tuam animi noſtri aſpernantur: ſed in iſtam fraudem planè capitalem te præcipitem dedit ignorantia tua: ea tibi perſuaſit, vt Philoſophiam & eloquentiam potius imbecillitate ingenij tui, quàm ipſarum magnitudine metireris, vt cùm eas adeptum te putares, eos ſpiritus & titulos ſumeres, quos nemo ferre poſſet. Omnem enim eloquentiam & philoſophiam eſſe poſitam credidiſti in artificio quodam inſulſo, quod dies noctesque conſectaris: in neſcio qua analyſi, in empiria, hiſtoria, epagoge, crypſi, quibus dij male faxint. Hæc ferè ſumma philoſophiæ tuæ & eloquentiæ eſt, quæ vel triduo perdiſci tota ab occupatiſſimo poſſit. Næ nihil magnoperè gloriandum aut prædicandum habent eloquentia & philoſophia, ſi minutis iſtis præceptiunculis continentur, ſi tam arctis finibus includuntur. Viles iſtas nugas & ſpinas artificij tui, magnificentia vocabulorum ornare voluiſti, vt te aliquem eſſe putaremus, qui quidem eam demum eſſe veram eloquentiæ & philoſophiæ coniunctionem exiſtimaſti de nugaci artificio ineptè cornicari. Id ſi ita eſt, equidem facilè vtrique renuntiarim, cùm præſertim in eo genere doctrinæ & inſtitutionis, nihil inſit quod aut ad rerum cognitionem, aut ſcriptorum optimorum intelligentiam, aut ad orationis vbertatem conferre quicquam poſſit. At etiam in eo magnificè gloriari ſoles, eam à te rationem dicendi excogitatam eſſe: hoc tuum inuentum eſſe præclaræ coniunctionis earum rerum, quas profeſſores ſemper diſiunxiſſent. quaſi verò non multo ante, Germani aliquot ita in hac vrbe docuerint, quorum interpretationibus iſto artificij tectorio orationes omnes Ciceronis illitas videmus. Inter quos & te hoc mihi intereſſe videtur, quòd illi vt parcius iſtud aſpergebant, ita minus inepti erant: tu in re futili modum nullum tenuiſti. Huius autem rei ferè duas animaduerti rationes: vnam veterem, & à Latinis expetitam, quæ meo iudicio ſimpliciſſima eſt, qualem in Ciceronis artibus videmus: alteram nouã, vt in Hermogene, quæ pluſculum ſubtilitatis & moleſtiæ habet. Igitur in explicandis orationibus latinis, qui modicè iſta ex Cicerone annotant, equidem laudandos exiſtimo: qui iſtam ſubtilitatem Hermogenianam hominib. latinis ignotam & inuſitatam, verbis græcis in orationibus latinis perſequuntur: ſani mihi non videntur, qui inter Latinos Græculi videri volunt, vſitataſque vias relinquunt, vt ignotas ſectentur, falſamque ſibi admirationem quærunt ex inſcitia auditoris. Tu artificium quoddam ſemigræcum & bilingue miſcuiſti, & ad has moleſtias, plurimas philoſophiæ tuæ, quam appellas, ſpinas addidiſti: hinc aurea analyſis illa, hinc ſyllogiſmi, qui te auctore ſic inuaſerunt in orationes, vt in eis nulla iam enthymemata compareant: hinc illa, quæ tu nudiuſtertius ignorabas, heri didiciſti. (quando enim ante has orationes ex te audita fuerant?) empiria, epagoge, hiſtoria, & diuina illa crypſis, quam ex hyperboreis vſque fugitiuam nobis retraxiſti. & ſi eam laudem cum Rullo communicas, quem in tribunatu eius opera vſum eſſe ſcribis. Ad has nugas ſi quid poſthac addes, nobis facilius erit orationes ſexcentas ſcribere, quàm exordium vnum ad friuolam artem tuam excutere. Et tamen in his nugis mirificus tibi videris artifex, ei prope ſimilis, qui ex diſtanti ſpatio per foramen acus cicer inſerebat, vt me iudice, parem merearis mercedem. Alios omnes præ te deſpicis: collegas tuos contemnis: cùm illorum collegio ex tua cooptatione dedecus eſſe quæſitum videatur: quorum alij cùm ſe modeſtiſſimè interpretes linguæ Latinæ, alij Græcæ inſcribant: alij profeſſores philoſophiæ Ariſtotelicæ: vt vnus eos omnes non æquare, ſed ſuperare, videreris: philoſophiam & eloquentiam occupaſti, vt vniuerſa videreris habere, quæ alij vix ſingula tenerent: non diſſimilis mediusfidius ſeruorum Æſopicorum, qui quid ſcirent interrogati, omnia ſe ſcire dixerunt. Neſcis à Socrate, Philoſophe noſter, illam profeſſionem tantæ ſcientiæ & cognitionis, vt ſophiſtarum propriam ſemper exagitari & vexari? Itaque ſi verum vocabulum tibi inſcripſiſſes, ſophiſtam te appellauiſſes. Veterem enim ſophiſticem Philoſtratus nihil aliud eſſe ſcribit, quàm rhetoricã philoſophantem: etſi ab illorum priſcorum ſophiſtarum elegantia & eruditione plurimum abes, nec tantùm nominis pondus infirmæ tuæ vires ſuſtinere queunt, nulla præſertim ſubnixæ doctrina. Vnum mihi videris ex illis imitari, faſtum arrogantiæ non ferendæ, vt cùm vix, quemadmodum mox docebo, vltra prima elementa promoueris, omnium te diſertiſſimum & in Mineruæ gremio educatum exiſtimari velis: cùm in philoſophia propter inſolentiã diſputationum, & locorum, qui in ea tractantur, grauiſſimis de rebus vix quicquã intelligas, eam & tecum natam, & tecum interiturã exiſtimes: & tamen velut in cæca nocte ambulans offendis, nec ſentis te in eorum incidere veſtigia, quos Plato, philoſophorum princeps, quem admiraris magis quã intelligis, ſemper illudit. Tua enim iſta profeſſio quid aliud pollicetur, quã quod veteres ſophiſtæ de ſe prædicabant? Cùm autem ais in præclara epiſtola te, hominibus magna contentione repugnantibus, docere in tuis commentarijs eloquentiã & philoſophiã vſu copulatas eſſe: non intelligis eodem in loco te partim calumniæ, partim ignorantiæ condemnatum iri? Quis enim vnquã tibi eas vſu coniunctas negauit? Tu quod tibi commodum eſt, ab alijs dictum eſſe turpiſſimo mendacio confingis, cùm hodie nemo ſit paulo humanior, quin ex Cic. Oratore ad Quintum fratrem id ſciat: quod tu quaſi & nobis & à veteribus ignoratum, furuncule impudentiſſime, pro tuo venditare audes. Nec id in tua agebatur cauſſa. memoriã ipſius Senatus atteſtor: nam tibi obijciebatur, quòd profeſſionum officia confunderes: pro Philoſophis Poëtas & Oratores explicares: in quo cùm hæreres, & in manifeſto tenereris crimine, excogitaſti extempore te in poetis philoſophiæ vſum docere: cùm referretur ab aduerſario vſum ante artem doceri non debere, nec exercitationem philoſophiæ Ariſtoteleæ quæ maiorum inſtituto legi deberet, ante

Ariſtotelem doceri conuenire, ſed cognitas philoſophi præceptiones commentatione demum & meditatione excolendas eſſe: tu & diſertiſſimus patronus tuus obmutuiſtis, cum id tot hominum conſcientia conſtrictum teneri ſcias: cum Oratione Petri Gallandij, in te diſputatum intelligas: ſi negas, teſtatum literiſq; mandatũ proferre poſſimus: tamen ne ad circumſcribendam iuuentutem iſtud nefarie ementiri audebis? tamen ne verã cauſam ſubticebis? falſam inſimulationem ab impudentiſſima calumnia profectam induces? De calumnia ſatis. Ad inſcitiam reuertor. Neſcis Rame, neſcis quæ ſit iſta philoſophiæ & eloquentię coniunctio, qua ſemper oculos iuuentutis præſtringere conaris. Primũ enim qui poteſt oſtendi, in conſularibus his in Rullũ Orationibus? quis enim in ijs philoſophiæ locus tandem reperiri poteſt, niſi forte tu is es, qui ex Anaxagoræ ſententia omnia in re quaq; eſſe cenſeas? Equidem hic requiro prudentiam tuã, qui parum idoneum delegeris librum, in quo tu id oſtenderes: ac vide quam conuerſa ratio ſit, ſi diſputare velim ſeiunctã à philoſophia eloquentiã, Orationes alias prolaturus non ſim: ac non dubitem, quin aliquanto ad veriſimilitudinem probabilior diſputatio mea futura ſit, quã tua. Coniunctionem illam ex aliquo Platonis ſermone, aut alijs Ciceronis libris commodius probaſſes. Nam ſi quod eloquentiæ genus à philoſophia penitus diſtractũ & auulſum eſſe poteſt, in ijs Orationibus maxime contenderim eſſe, quas pro luculento & illuſtri nobis exemplo eius rei eſſe voluiſti: niſi forte coniunctionem ex eo interpretaris, quod obſeruatiunculas aliquot artificij tui in eis notaris. Quibus in rebus ſi eam eſſe poſitam arbitraris, non video cur eloquentia potius cum philoſophia, quàm infantia copulata ſit: cum præſertim in agricolarum ſermone, nautarum locutione, puerorum balbutie, iſta ſoleas, quod nos ex tuis docuiſti libris, omnia obſeruare. Sed mihi ſemper perſuaſum fuit, te illud ipſum, quod toto decennio ſcribendo & docendo ebullis, cuiuſmodi ſit ignorare: nec profecto mirum, cùm te ſemper videamus earum eſſe rerum vel profeſſorem vel reprehenſorem, quas neſcias. Marcus quidem Tullius, qui iſtam copulationem te docuit, de dialecticis obſeruatiunculis eã nunquam intelligendam eſſe putauit: cum præſertim ſciret à nonnullis dialecticam, quam tu non partem, ſed totam philoſophiam eſſe vis (Quam enim aliam philoſophiã profiteris, qui te philoſophiæ profeſſorem inſcribis,) non in parte, ſed in inſtrumento quodam & ſupellectili philoſophiæ numerari. Sic enim in Oratore ad Brutum ſcribit, *Nec verò Dialecticis modò ſit inſtructus, ſed habeat omnes philoſophiæ notos & tractatos locos: nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitijs, nihil de officijs, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus, quæ ſæpe cadunt in cauſas, ſed ieiunius aguntur: nihil, inquam, ſine ea ſcientia, quam dixi, grauiter, amplè, copioſe dici & explicari poteſt.* niſi forte in Orationibus Lyſiæ & eorum cauſidicorum, quos Cicero lib. 3. de Oratore à Philoſophia ſeparat, iſtæ tuæ ratiocinationes obſeruari & notari non potuerunt, quæ vltro in omnem dictionem non accerſitæ incurrunt. Quòd ſi in philoſophiæ partibus Dialectica numeranda eſt, tamen abſque eius adiumento & cognitione cauſas forenſes Orator agere, de Repub. ſententiam dicere, & in omni ſuo munere fortaſſe præclare conſiſtere poterit, vt philoſophię coniunctionem cum eloquentia in ea tantum parte obſerues, qua dictio oratoria, facilimè carere poſſit: in ea non doceas ſine qua eſſe non poſſit. Nec hic mihi credas velim, ſed Ciceroni, ita libro primo de Oratore ſcribenti: *Sed ſi me audierit, quoniam philoſophia in treis parteis diſtributa eſt, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiæ noſtræ: tertium vero quod ſemper Oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus: quare hic locus de vita & moribus totus eſt oratori perdiſcendus: Cætera ſi non didicerit, tamen poterit, ſi quando volet, ornare dicendo, cum erunt ad eum delata & tradita.* Viden eloquentiam iſtius tuæ dialecticæ indocilem, tamen ſuum locum præclare tueri poſſe? Viden eius auxilio ſi omnium Oratorum principi potius, quàm fanatico impoſtori fidem habeamus, plerumq; nihil indigere? Ergo qua ex parte docenda fuit illa coniunctio, vel ignoraſti turpiter, vel toto decennio malitioſe ad iuuentutem fallendam tacuiſti: qua ex parte docenda non fuit reclamantibus bonis & doctis omnibus, & hoc genus philoſophiæ tuæ admirantibus & irridentibus, nec veſania quotidianarum declamationum, nec petulantia nefariorum ſcriptorum obtinere potuiſti. Quis enim ferat philoſophiam ſic in ordinem cogi, ſic contaminari, vt eius nomine circunferantur iſtæ artificij tui tricæ & næniæ? adulterinum iſtum & ſuppoſititium partum non agnoſcit: ſe maiora quædam & grauiora gignere non ignorat: ad hæc humilia ſi ſeſe abijceret, tantam rerum magnificentiam & decus ſuis complecti monumentis non potuiſſet: quin etiam tibi iſtud ætatis hæc, quæ imberbem vix deceant, pro ſerijs tractare indecorum eſt. Nam in minuto iſto artificio nihil ex doctrina olet, ſed ex ſuperuacanea quadam obſeruatione, quæ indolem adoleſcentis fortaſſe commendatura ſit, hominem barbatum hæc odioſe conſectantem, hominum ludibrio ſit expoſitura. Quare ſi ſapies, neque philoſophiæ, nec tibi dedecoris notam iſtam poſthac inures, (niſi fortè ſerio nugari, eſſe philoſophari putas) vt illa diabolaris artificij profeſſionem contineri, & in eo à te omnem operam, omne ſtudium conſumi homines intelligant. itaque vt ſcias quàm à me genus hoc ſtudij contemnatur. Statui in his meis animaduerſionibus, quanquam in tua iſta arte perſæpè peccas, tamen omnem eiuſmodi reprehenſionem prætermittere, ne de nugis à me tecum diſputatio eſſe ſuſcepta videatur: in quibus nec te refellere glorioſum ſit, nec tibi vinci erubeſcendum: nihil inquam huiuſmodi leges, niſi ſi quando artificio tuo ſenſum Ciceronis peruertere viſus ſis. Tum enim reprehenſionem prætermittere non fuit conſilium. Te nihil in his Orationibus intelligere: te latine neſcire: te omnis antiquitatis rudem eſſe ſi oſtendero, ſatis à me manibus Ariſtotelis & Ciceronis parentatum fuerit, quos violaſti: ſatis arrogantia tua fracta ſit, qua omnes contempſiſti. In alios tuos libros ſcribere nolui, quòd eis iam pridem mœſtus parens funus duxiſſes: quanquam eos quotannis ab inferis nobis rediuiuos excitare, & in vitam reuocare conaris: ſatis mihi fuerit ſi Rullianos commentarios acerbo fato damnatos, ad orcum demiſero: ne in breuiarium illud quidem rerum Romanarum multis locis mendoſum & falſum, quod Orationibus præpoſuiſti, niſi duo iſta dicere decreui, vnum quod leges agrarias huc ſpectare credidiſti, vt fortunarum omnium Romæ æquatio fieret, falſum prorſus eſſe:



ſus eſſe: neque enim cuiquam legis agrariæ rogatori eius rei in mentem venit, neq; populus Rom. id vnquam appetiuit. Tu ex quibuſdam Græciæ Rebuſpub. & doctorum de Repub. hominum libris huc ſatis inconſultè traduxiſti. Alterum etiam falſum eſſe, quòd actionum omnium tribunitiarum legem agrariã finem eſſe poſuiſti: cùm ei rei, vt vis, à conſtituta tribunitia poteſtate, rogationes omnes præſtruerentur atq; præmunirentur. Cuius rei nullum, vt opinor, auctorem locupletem laudare poſſes, vt mihi ſatis ſit id verbo refellere, quod à te tanquam pro tuo iure ſumptum, nullius hiſtorici teſtimonio confirmatum eſt. Reliqua, quæ plurima ſunt, à me tibi condonabuntur, vt quod de Sp. Torio affers; quòd omnes ex Appiano falſum eſſe perſpicuè comperient, vt quod exceptionem ais eſſe agri Recentorici & Numidici, cum agrum Africanum dicere debueris: Hæc, inquam, & alia plurima tibi condonabuntur. Malo enim, vt maturius ad interpretationem tuam accedam, in quam paulo ſeuerius inquirere decreui, hæc antegreſſa prætermittere. Ex ijs autem quæ reprehendo, vt ſpero, ſatis homines intelligent, ecquid titulis, quos pro tuo iure rex regum ſumpſiſti, reſpondeas.

*Media pars)* Media, inquis, pars orationis deeſt. Cur obſecro, Rame, potius quàm dimidia? Idemne tibi eſt medium quod dimidium? hæc Gallica eloquentia eſt, non Romana.

*Quæ res aperte)* Cotta & Torquatus Coſſ. palàm magna contentione publicare conati erant regnum Ægypti, quod nunc cuniculis quibuſdam facere Rullus molitur. *Petere* autem, quod hic vis dupliciter tranſlatum, à gladiatoribus, & re militari, cur tibi potius concedam quàm in Oratione 2. vbi idem verbum vſurpatur ſine tranſlatione in eadem iſta re? ô ſcriptorem Lynceum.

*Poſt eoſdem Coſſ.)* Cottam & Torquatum falsò intelligis, qui regnum publicare tentarant, cùm Syllam & Pompeium, à quorum conſulatu definierat Rullus quæ publicabat & vendi iubebat, vt ex ſecunda Oratione perſpici poteſt, intelligere debueris.

*Siccorum)* Siccos prudentes hic explicas, ſerioq; ex Heracliti ſententia philoſopharis, ſiccum ſplendorem prudentiæ cauſam eſſe. Ego iſta philoſophari non noui, ſiccoſque ſobrios intelligo, qui madidis & vinolentis opponuntur. Plautus Aſinaria: Ar. *Ab ſceleſta, ego præter alios meum virum fui rata Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maxime.* Pa. *At nunc de hinc ſcito illum ante omnes minimi mortales precij, Madidum, nihili, incontinentem atque oſorem vxoris ſuæ.* Horatius, *Forum putealq; Libonis Mandabo ſiccis* ---

Verum hoc in te, vt omnia fere, mirandum non eſt, qui vel è lecto ſtultitia & inſcitia madidus accedis ad ſcribendum.

*Vectigalia)* Hic ſyllogiſmum ineptè contexis hunc in modum. Si vectigal Rullus proſcriberet, ferri non poſſet: Nunc certiſſimum proſcribit. dicit enim. Si quid inuentum ab eo eſſet quod quanquam publicum, lateret, nec vectigal penderet: id tamen ſi proſcriberet, ferri non debere: Nunc ab eo proſcribi quæ in paſcuis cenſorum inuenerit. Viden' quàm diuerſus à ſententia abeas artifex noſter ſyllogiſmodedale ridicule? *Attalenſium)* Scribis Attiliam vrbem eſſe in Pamphilio littore. Cur potius quàm Attaliam, vt Stephanus? alioqui eius ciues Attilenſes dicerentur.

*Conſecrauit)* Non eſt hic conſecrare, diris execrationibus locum deuouere, ſed quod profanum erat, ſacrum certo carmine reddere. Sacra autem vendi non poſſunt, cùm hominibus eorum vſus ſit ademptus. Quod autem ait, ad oblatam religionem, ſic accipio, ſe ei genium fortè aliquem loci tum oſtendiſſe: cuius ſpecies fortaſſe religionem ei obtulerit, locumq; conſecrare impulerit. Itaque eò coloniam deducenti Graccho, locumq; profananti, etiam ſpecies ſeſe obtulit: auctor Plutarchus. ſpecies quoque poſtea Iulio Cæſari illis in locis obuerſata eſt.

*Inſignibus atque)* Inſignia, qui vexilla hic interpretaris, erras, nec vides cur hac metaphora vtatur. Ego ſic cenſeo, cùm ſacerdotes infulis velentur & hoſtiæ, his eſſe eum vocabulis vſum, quod religionis & agri conſecrati meminiſſet. Inſignium autem cum latè ſignificatio pateat, hic cultum inſigniorem & ornamenta ſignificat, vt aliorum, ſic etiam ſacerdotum. Cicero etiam in Oratore in amplo ſcenæ & fori ornatu inſignia vocari dicit, non quod ſola ornent, ſed quod excellant.

*Vt in atrijs auctionarijs)* Hunc locum de venditione occulta indoctè interpretaris: & compita quædam & triuia auctionaria fuiſſe ſcribis. vellem teſtimonia adſcripſiſſes. Ego verò locum prorſus aliter intelligo, ac Romæ in foro atria quædam fuiſſe affirmo, vbi auctiones fierent: quæ auctionaria atria hic vocantur. Cicero pro Quintio, *Tollitur ab atrijs Licinijs atque à præconum conſeſſu, in Galliam Næuius:* Iuuenalis de poëtis, qui propter paupertatem præconium facere cogebantur: --- *Eſuriens migraret in atria Clio.* Q. Cicero de petitione conſulatus: *Qui ex curia Curios & Annios, ab Atrijs Sapalas & Caruilios, ex equeſtri ordine Pompilios & Vectios ſibi amiciſſimos compararit.* In triuijs & compitis auctionem factam quis vnquam ſcripſit? Itaq; nec ſimilitudo eſt, ſed diſſimilitudo: nec cum mox ſcribit, Sic permittit, eſt ſimilitudinis, ſed potius diſſimilitudinis redditio.

*Imponit prægrande)* De illis intellige agris, qui pop. Rom. cenſebantur, à pop. Rom. tamen non poſſidebantur: quales erant agri Hyempſalis in Africa poteſtatem autem permittebat Rullus Decemuiris iudicandi, qui agri publici eſſent, qui non eſſent, publicis prægrande vectigal imponendi. Publicare igitur eſt pop. Rom. adiudicare, adiudicatis autem Pop. vectigal imponebatur. Liberare eſt immunitatem vectigalis dare. Non placet diſcrimen quod inter hæc adfers, qui publicare cenſes, eſſe vectigal imponere.

*Summo cum imperio)* Summum imperium à mero plurimum diſtat, nec vllus vnquam Ciceronis ætate merum imperium vel dixit, vel audiuit. Neq; pop. Rom. liber merum imperium ferre potuiſſet. Quòd autem ais prætori & conſuli imperium ſine prouocatione in prouincia fuiſſe, in re militari verum eſt: alioqui in prouincia prætor ſine prouocatione, rei capitalis ciuem condemnare non eſſet auſus.

*Peruenit peruenerit)* Non redundat alterum, vt ſtultè & indoctè cenſes, ſed vnum præteriti eſt, alterum futuri illius quod exactum nonnulli vocant.

*Auro coronario)* Imperatoribus ad triumphi ornatum à prouincialibus conferri coronæ ſolebant. Pli-

nius, *Claudius ſucceſſor eius cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas vnam VII. pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior: alteram nouem, quam Gallia comata, ſicut titulus indicauit.* Cic. in Piſon. *Mitto aurum coronarium quod lex & decerni & accipi vetat, niſi decreto triumpho.* Id te non vidiſſe qui totam in Cicerone ætatem te conſumpſiſſe profiteris, nónne admiratione dignum eſt? Quod enim adfers, planè falſum eſt.

*Ne in Ianiculo*) Id ait, quia eum locum ſemper præſidio muniebant Romani Comitijs centuriatis: quod obtinuerat ex eo, quia aliquando occupatum fuerat ab hoſtibus maximo vrbis periculo. id te non vidiſſe equidem non miror.

*Æquitatem*) Æquitatem vis eſſe ſimplicem & apertam bonitatem, quo ex genere eſt, ex æquo & bono. In quo erras: æquitas enim hic ſignificat affectionem animi ægritudine vacantem, & dolore, & aliquid non iniquè ferentem: vt æquum animum dicere ſolemus, & æquo animo ferre.

*Templum*) Quod ex Ouidio affers pro Gellio eſt, cùm auguſta templa Ouidius ſcribat: quod vocabulũ (vt Suetonius declarat) ad auguria pertinet. conſule Suetonium quid auguſtum ſit, tũ te erraſſe intelliges.

*Iouis Opt. Max.*) Calendis Ianuarijs habita eſt hæc oratio in templo Capitolino. eo enim die honorem Coſſ. inibant & Capitolinum Iouem ſalutabant, remq; diuinam faciebant. illic Rullus in ſenatu verba fecit de lege, quam promulgarat: Cicero Conſ. contra dixit. id videris non aduertiſſe.

*Capuam*) Ideo Capuam colonos etiam deducebat lege ſua Rullus, quòd agrum Campanum diuideret & aſſignaret. Cæſar poſtea quod Rullus tentauerat, perfecit, Capuæq; colonos collocauit. Cicero pro Sextio de Capua, *Et hoc tempore ijdem homines nomine commutato, coloni decurionéſq; fortiſſimi atque optimi viri,* &c. Mallem hoc annotaſſes quàm frigidum artificium.

*Conſilium commune*) Hic iudicia & iuriſdictionem interpretaris, quod mihi parum probatur: quod non tantum iuriſdictionem complectatur, verùm etiam latius conſilium commune pateat. Capuæ autem ius dicebatur non à Campanis ſed à Romanis, cùm præfectura eſſet ante deductam eò coloniam à Cæſare.

*Signo Clauſtris*) Annulo Romani ferè omnia ſignabant, vt à rapina vindicarentur. Plinius, *At nunc cibi quoq; ac potus annulo vindicantur à rapina.* Clauſtra ſeræ ſunt, eaq; quibus aliquid claudimus. Clauſtra literarum, quæ tu hic refers, legere deſidero. minora fere ſignabantur: vt lagenæ, ſportæ, loculi. conclauia & horrea clauſtra habebant, quanquam etiam ipſæ interdum ſeræ ſignabantur.

*Reſtitiſſet*) Quem tu hominem eum eſſe cenſeas, qui verbum hoc à reſto deducit, & ſuperfuiſſet, interpretatur? cùm perſpicuè agrum Campanum illis temporibus à nullo defenſum, per ſe tamen reſtitiſſe, id eſt, ſe defendiſſe aduerſus dominationem Syllæ & largitionem Gracchi, ſignificet. Ergo à reſiſto, quod eſt, obſiſto, deducitur. *Obſoleſcat*) Nitere & obſoleſcere contraria ſunt; eſtq; color obſoletus non nitidus, ſed fuſcus, ſordidus & exoleſcens: itaq; metaphora eſt. quod annotator troporum & figurarum non vidiſti. Sic. 2. in Rullum, *veſtitu obſoletiore.*

*Diſceptator*) Non eſt, vt putas, dialecticorum proprium hoc vocabulum; cùm Romani antequam dialectica eis nota eſſet, hoc verbo vterentur: ſed litium, iudiciorum, controuerſiarum. vnde ad dialecticam tandem traductum. Diſceptator hic iudex eſt.

*Fidem de foro*) Cenſen' futurum vnquam, vt qui ampliſſimo & ſuperbiſſimo titulo ſe eloquentiæ & philoſophiæ profeſſores inſcribunt, & regum reges, fidem hic ſecuritatem explicarent? nunquam tantum flagitij in eos cadere poſſe credidi. Ego fidem pecuniarum creditarum ſolutionem interpretor. Cicero in Partit. *Creditis in rebus fides.* Cæſ. lib. 3 de bello ciuili, *His rebus confectis, cùm fides tota Italia eſſet anguſtior, neq; creditæ pecuniæ ſoluerentur:* debitores in conſulatu Ciceronis in nonnullam ſpem nouarum tabularum venerant. In 2. in Rull. *Sublata erat de foro fides.* & in Catilinarijs ſæpius.

*Non rex, non gens*) Quòd eo tempore omnia conquieuiſſent bella, ſalutis augurium Cicerone Coſ. actũ eſt, vt Dion ſcribit. Cuius etiam rei lib. 1. de diuinatione meminit: *Tibi P. Claudius augur Conſuli nunciauit, addubitato ſalutis augurio, bellum domeſticum triſte ac turbulentum fore.* Id annotare obiter placuit.

*Velificari*) Ductum cenſet diſertus & philoſophus, à temere nauigantibus. Cur obſecro potius quam ſimpliciter, à nauigatione & velificatione? Nam hoc in verbo nihil temeritatis agnoſco. vt autem qui nauigat mercaturæ cauſa, velificatur mercaturæ: ſic quoq; qui tanquam curſum & nauigationem quandam inſtituit in Repub. honoris cauſa, velificatur honori.

*Equeſtri loco*) Equeſter ordo, inquis, cenſus erat non nobilitatis: & cui cenſus erat quadrigentorũ millium, eques erat. Iſte temporis & antiquitatis ignoratione errat. primùm enim qui equo publico merebant, equites dicebantur: deinde iudicum appellatione Gracchi eum ordinem primi omnium inſtituere ſeparari in contumeliam ſenatus: aliquandiuq; poſtea vario ſeditionum euentu, in publicanis equitum nomen ſubſtitit. Cicero demum ſtabiliuit equeſtre nomen, in conſulatu ſuo ei ſenatum conciliàns, & ex eo ſe ordine profectum celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens. Cicerone autem hæc dicente, lex Roſcia nondum erat lata de quadringentis millibus, nec Tyberij de iure annulorum edictum. Deinde nónne nobiles erant equites Rom. Pomponius Atticus, & Mecœnas, multæq; familiæ plebeiæ? Mirificam quandam ſubijcis huic orationi ſingularis artificij analyſin. Huc enim illud Ariſtotelis (quia & quamobrem) quàm aptè & ſcitè traducis? non tamen ſatis prudenter homo tectis vrbanis & focis aſſuetus, Ianuario menſe ruſticatum excurris. quod nihil auſos eſſe contradicere agrarios ais, ex Plutarcho planè falſum eſt, qui nonnullos ex ijs contradixiſſe ait, multos tamen deterritos eſſe: nec ex eo quòd Cicero ait, Laceſſo vos, ſignificat non contradicturos, ſed maximam cauſæ obtinendæ fiduciam oſtendit. Cur in ſenatu obtinuerit Cicero, cauſam vis eſſe præcipuam auctoritatem conſularem, ea tamen cauſa Cæſari legem agrariã poſtea ferenti non defuit, cũ in ſenatu tamen non obtinuerit. Præcipua ergò cauſa fuit, quam prætermiſiſti, Senatus ipſius vtilitas ob Syllanas poſſeſſiones: Reip. commodũ in vectigalibus conſtitutũ, & ab omni agraria lege bonorum ſemper alienior voluntas. Mirũ autem mihi videtur quòd exercitu quodã figurarũ & troporũ fugatos tribunos exiſtimas, idq; in victoriæ cauſis numeras: vt certe non ſine cauſa tantũ ſtudij & operæ in his ponere videaris, cùm vna repetitiuncula tantã victoriam afferre poſſit.



re poſſit. Sed cur obſecro te, Rame, tàm ſerò inſtrumentum illud Logicum & Rethoricum ἐμπειρίας, ἱστορίας, ἐπαγωγῆς à te expromitur? Cur in his orationibus primùm, cur antea nunquam? Id ſi neceſſarium bono interpreti eſt, cur toto decennio à te decepti ſumus, quandiu has voces non audiuimus? vt arbitror, cum obſoleſcere videres, ineptias artificij tui, aliquo nouitatis aucupio iuuentutem fallere, vt retineres, cogitaſti. Quid autem me iuuare poteſt illa tua figurarum, troporum, argumentorum enumeratio & percenſio? Eróne eruditior, ſi ſciero, quot tranſlationes in vna oratiuncula ſint? Nimium nobis oneris imponis, ſi in omnibus libris id nobis eſſe faciendum cenſes: ſi ſemper ad calculos libros omnes eſſe nobis legendos putas, equidem ſcire nolim quot ſint tranſlationes in Plinio, quot in Cæſare, quot in Cicerone, quot in Salluſtio. Cur enim potius quàm quot vocabula, quàm quot periodi? Auctores, Rame, non ſolent iſta adnumerare, quæ tu nimium curioſè & minutè percenſes.

*Eſt hoc in more*) Hunc in locum ſic Attica eloquentia & philoſophia commentatur, Offenſionis popularis metu longa inſinuatio texitur. Cenſetisné eum attendiſſe Ciceronis verba, qui in more iſtud poſitum fuiſſe dicit: vt exordiri aliter prima concione nefas fuerit? quod & eum Tranquillus docere certè potuit, qui ita ſcribit, *Prætorem collaudauit, quod honore inito conſuetudinem antiquam retuliſſet, de maioribus ſuis pro concione memorandi.* vbi fortaſſe prima concione legendum eſt.

*Imagines*) Ait antiquorum reprehenſor, Qui magiſtratum adepti erant, eorum imagines in atrio ponebantur: itaq; per Metonymiam imagines conſequuti ſunt magiſtratus, & honores adepti. Sapit iſte pleno pectore. Non qui magiſtratum adeptus erat, ius imaginis habebat, vt quæſturam, aut tribunatum: ſed qui curulem magiſtratum conſequutus erat, vt ædilitatem, præturam, conſulatum. Cic. in Verrem, *Ob earum rerum laborem & ſollicitudinem, fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam poſteritatemq; prodendam.* Caue iſti nugatori hic credas metonymiam eſſe, non minus antiquitatis, quàm ſui ignaro.

*Non extrema tribus*) Hic non ſententiam interpretaris, ſed annotas. 35. tribus Romæ fuiſſe. Quaſi vero tributis Comitijs non centuriatis conſules declararentur. Sententia eſt, Ciceronem omnium centuriarum & ordinum vna voce conſulem creatum, nullamq; ſuffragiorum fuiſſe varietatem, quæ aliquando in alijs comitijs ita contingere ſolet: vt vna tribu candidatum candidatus ſuperet.

*Quæ cum omnibus*) Hic deeſſe quiddam cenſet Ramus, ſed meo iudicio pace diſerti & philoſophi (duas enim tantas perſonas in vno homine offendere pergraue eſt) nihil quicquam deeſt.

*Qua ſuperioribus Coſſ.*) Legendum eſſe putat noſter Ramus cum ſuperioribus. Eáne, obſecro vos, eloquentia eſt, an infantia potius? Quis enim vnquam qui quidem latinè loqueretur, idem cum alio dixit? Equidem legere malim: Qua ſuperiores conſules, quàm locutionem non latinam adfingere Ciceroni, aut repetere malim vtendum fuit.

*Inſidioſas ſimulat*) Hic ſophiſmata Ramus interpretatur. Cur, non video: ſignificat enim tantum ad inſidiandum populo eos ſe vocabulo & oratione populares eſſe ſimulare. Infra, ne forte ſedulitas mea, aut inſidioſa, aut impudens videretur.

*Regna quæri videbantur*) Regnum hìc accipe, inquit Ramus, pro tyrannide. Cur accipiam inquam? an non ſatis etiam ſine tyrannide nomen regium inuiſum Romanis erat? Cicero, *Sed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, poſtea non tàm regni, quàm regis vitijs repudiatum eſt.* Nomen dominationis potius tyrannidem ſignificat, vt cum dominationem Syllæ dicit Salluſtius.

*In Imperio & dignitate*) Hic neſcio quid nugatur Ramus, verum ſenſum non videt. Cicerò autem pop. Rom. propter amplitudinem imperij & dignitatem honeſtiſſimum eſſe dicit ocium, quod virtute maiorum, qui imperium pepererant & propagarant conſtitutũ ſit: id enim ocium in imperio & dignitate dicit.

*Promulgata*) Promulgare dicit Ramus eſſe, legem populo proponere trinundino, eumque rogare, an eam iubeat. Ego verò promulgare eſſe puto legem antiquam feratur trinundino publicare & populo recitare. Promulgata autem lege, poſtea cum populo agebatur, nec in promulgatione rogabatur populus, an iuberet, nec promulgatio legis, rogatio eſt, vt iſte malè interpretatur: iſta diſtinxit Cicero de legibus, *Promulgata, propoſita in ærario, cognita agunto.*

*Iudiciorum perturbat*) De liberis proſcriptorum intelligit Ramus, cum generaliter loquatur Cicero de ciuitatum exitijs & calamitatibus extremis, quod etiam intelligi poteſt ex eo quod adfert ex ſeptima act. in Verrem.

*Barba maiore*) Tempore Ciceronis, inquit Ramus, Romani Barbam radebant. Immò tondebant potius. quod hic locus indicat cùm promiſſiore & intonſa barba ad ſeueritatem Rullum fuiſſe dicat, cùm radere barbam, tum propè ignominioſum eſſet.

*Cooptaretur*) In populi comitijs, Rame, & ſuffragijs cooptatio non dicitur, ſed in collegijs: ſic collegium augurum augurem cooptabat, ſic cenſores ſenatorem.

*Eos denunciare*) verbum eſſe comitiale comitialis Ramus ait, ac ſuo more explicat: Ego renunciare legendum puto, vt renunciari conſules dicuntur. Infra, quis Decemuiros quos voluit renunciaui? Idem Rullus.

*Educet*) Intellige, inquit Ramus, ex vrna: Ego verò pace tua non intelligam. Vrnas enim in ſuffragijs non legi: in iudicijs legi. Tu verò, Rame, intellige ex ciſta. Hinc illud, *Pontes diſturbat, ciſtas disijcit.*

*Conſulares*) Quàm ingenioſus eſt in his legibus explicandis Ramus, cùm conſulares leges dicat Cicero à conſulibus latas, qui vulgo minus populares erant, quàm tribuni. Sic mox, quàm ingenioſe legem Ebutiam & Liciniam à Solonis lege deducit, cùm tamen earum latores de Solone nihil cogitauerint, aliaque ſit hic curatio, alia in Solonis lege.

*Adſcriptores*) Adſcriptores quid in mentem tibi venit Rame, cauſidicos hic interpretari, cùm ſint Rulli collegæ illi, qui legem approbabant.

*Cuſtodes*) Non tantùm tribus ſortienti & centurias, cuſtodes erant, verùm etiam multo magis cùm tri-

bus & centuriæ ſuffragium ferebant. id ex Cicerone apparet ſic ſcribente: *Tu miſericors, me affinem tuum quem comitijs prærogatiuæ primum custodem præfeceras, &c.* *Renunciauit*) Vis præconum proprium videri: at hic renunciat Rullus; & in Oratore Scipio Malaginenſis renunciat ex centuria ſua: neuter, vt mihi quidem videtur præco: quanquam non ignoro præcones renunciare ſolitos.

*Viderunt*) Hic deeſſe aliquid Ramus putat: Credo quòd locus ad eius artificium non reſpondet. Ego verò, vt hic ad ſenſum nihil, ita in Ramo ad ſenſum communem & prudentiam multa deſidero.

*Cognoſcite*) Quot ſint in hac tribuaria comitialique ratione flagitia tua, Rame, longum eſſet memorare. me quidem tui pudet, pigetque, qui nomen regium, quod profeſſioni tuæ præſcribis, fœdiſſimè cæca tua ignorantia contaminas. Igitur, vt Flaccus ait, *Diſce docendus adhuc.* Comitia centuriata, populo in centurias claſſium diuiſo fiebant, quibus cenſores, conſules, prætores creabantur: Tributa, quæ vnde nomen habeant, homo noſtræ memoriæ impudentiſſime & indoctiſſime, ignorare te fateris, à tribubus ſunt appellata, quibus comitijs creabantur tribuni, ædiles, quæſtores. Tribus autem in vrbe quatuor erant, vna ſuburbana, triginta ruſticæ. Id te docebat Gellius, ſi verba eius, quæ refers pſittaci more, intellexiſſes. Ait enim ea facta fuiſſe ex regionibus, & locis: verbi gratia, Sergia tribus apud Cic. Pelignorum, Marſorum, Sabinorum regionem complectitur. Tu & quid tribus eſſet ignoraſti, & quæ tributa comitia: & implicatus ignorantiæ tuæ tenebris, in curiatis tribus ſuffragium tuliſſe dicis. Curiata autem Romuli ætate, & poſtea aliquandiu multum potuère: poſtea ad ſpeciem tantum retenta ſunt, cum omnes magiſtratus tributis & centuriatis crearentur. Itaque Ciceronis ætate curiata populus non inibat. Eorum etiam hæc ratio, Triginta curiæ Romæ erant: tres enim tribus Romulus in triginta curias diuiſerat, in quas aliquot genera & familias contribuerat, ac curiales ſacra quædam communia habebant. Ergo conuentus ex illarum curiarum deſcriptione, in quas vrbanus populus coniectus erat, vocati ſunt à curijs curiata comitia. Cumque curiæ ſolius eſſent populi vrbani, poſteaquam accreuère populo tot ruſticæ tribus, deſita ſunt fieri, quòd iniquum eſſet reliquum pop. ſuffragio priuari. Iſtis de rebus diſertiſſime magiſter, tu nihil vnquam ſuſpicatus es *Primum curiata lege*) Comitijs tributis Rame, Decemuiros Rullus creabat: Deinde vt maior eorum poteſtas eſſet, eos ornabat lege curiata, quæ rem militarem continebat, vt ait Liuius: vt Cicero, ſine qua rem militarem attingere conſuli non licebat. Id non videris percepiſſe.

*Prætore*) Annotat Ramus, Romæ octo prætores vrbanos fuiſſe: id eius domi natum eſt. Ego vnum prætorem vrbanum fuiſſe ſcio: alios nunquam vrbanos appellatos legi. *Plebs deſignauerit*) Reprehendi, Rame, vocabulum Cicero, quo Rullus eſt vſus, quod quidem non attendiſti. Plebem enim dixit, cum à plebe tribuni plebis creari ſoleant: à populo decemuiri, non à plebe. *Curiata*) Quæ nunc ſequuntur, olim antecedebant. Hæc à te, Rame, ignorata ſunt: Curiatorum autem auſpicia non ea erant, vt cenſes, quibus creabantur magiſtratus, cum creationem ſequerentur: ſed quæ ad auſpicium rei, verbi gratia, militaris pertinebant. *Non ſinitis*) Annotas, eſſe iubetis: nec vides, & ſi refragantur libri, legendum eſſe, non initis. Non enim po. ingrediebatur illa comitia Ciceronis ætate, ſed loco triginta curiarum adhibebantur 30. lictores. *Abſurda*) Tribunus, prætori, magiſtratui maiori non poterat imperare: ſic Ramus. id tamen non in eam ſententiam dixit Cicero: ſed abſurdum eſſe, quod legem curiatam ferri velit à prætore, qui primus ſit factus: ſin is non poſſet, ab eo, qui poſtremus. neque enim videre ſe poſſe ait, cur hoc ſic caueat: itaque mox peruerſum id dicit.

*Si hoc fieri*) Adſcribit Ramus, hic Trib. curiata lege tribunitiam interceſſionem tollit: nec vidit mendoſam eſſe literam, eamque ita corrigendam, Hic tribunis plebis legi curiatæ, quam prætor.

*Huic cum vetat intercedendi*) Hanc quoque literam quæ nullum ſenſum habet amplectitur, cum perſpicuè ſit legendum: Hic qui vetat intercedi, vel intercedere, poteſtatem.

*Per triginta lictores*) Non, vt putas, conſuetudo illa quæ Ciceronis erat ætate, à Romulo profecta eſt, quo regnante Po. Curiata comitia inibat. Id enim poſtea mutatum eſt, locoque 30. curiarum, 30. lictores curiarum ad imaginem quandam & retentionem vſurpationemque vetuſtatis adhibebantur.

*Pullarios*) Non hic reprehendit Rullum præcipue quòd decemuiris det pullarios, ſed reprehenſio potiſſimum quæſita eſt ex lege Sempronia, cuius eo capite Rullus meminerat: quod non ſatis attendiſti Rame. *Architectis*) Quis non miretur, Rame, architectum explicari deſignatorem hoſpitiorum?

*Centurijs*) Vt intelligatis nihil eſſe tam impeditum, quod non expediat Ramus, tam nodoſum, quod non enodet, audite centuriarum explicationem: Centuriæ hic ſignificant comitatus partem, vt in comitatu regis centum nobiles. Quanti eſt aulicum eſſe? vide tamen num potius legendum ſit, tentorijs: cum præſertim tabernacula ex tabulis eſſent, tentoria ex pellibus. Paulò etiam antè inſignis eſt eius error de prætoris ornatu loquentis ex Iuuenale, à quo non cultus prætoris proprius, ſed triumphantis refertur. Quo etiá loco præclarè ab eo explicatur verſus Ouidij de Prætore, qui verba libera prætoris interpretatur de poteſtate prætoris ius nouum condentis, vetus abrogantis: cum perſpicuè eo in loco Ouidius prætorem ius dicere poſſe eo die ſcribat.

*Herculanea*) Ab Hercule fonte nomen eſſe datum viæ putat Ramus: quod falſum eſt. Fons enim octauo ab vrbe lapide erat, via ad Lucrinum ſeptem, vt Strabo ait, ſtadiorum: itaque propter delitias Lucrini Lacus, vendibilem eam vocauit. Nomen ab Hercule habet, vt Herculaneum oppidum. Domitius eam viam appellari putat à Papinio Taurubulem hoc verſu, *Dites capreæ viridéſque reſultant Taurubulæ.* quod tamen fortaſſe verum non eſt. *Per eos annos*) Hic interrogas, an quia conſulibus referentibus ſenatuſconſulta fierent, an quia aſſeruarent: cum pronunciare debueris, Cum acta ſenatus nondum conficerentur, nec publicarentur. Quod in conſulatu Cæſar inſtituit: vt ſenatuſconſulta corrumpendi maxima occaſio eſſet decemuiris.

*Quaſi gradum*) Aliud eſt gradum facere, aliud iacere: nam gradum facit, qui ambulat: vt eum qui claudicans verecundabatur in publicum exire, mater vt prodiret, admonuit, vt quoties gradum faceret, toties ei ſuarum virtutum in mentem veniret. Qua ex ſignificatione nata metaphora eſt illa, 4. act. in Verr.





*Imperij gradus ex Sicilia in Africam factus eſt.* Alia ſignificatiò eſt cùm gradum iacere dicimus, vt iacere aggerem, iacere fundamentum. Dicitur enim de illis gradibus quibus ſcandimus.

*Volet*) Conſtat ſententia ſi, volet legas, ne quid temerè mutes: moxque nihil deeſt, tantum pro, quam hæreditatem legendum videtur, quoniam hæreditatem.

*Et verum iudicabit*) Equidem miror locum iſtum tibi mendoſum videri, Rame, qui quidem integerrimus eſt, ſi rectè exiſtimes.

*Iubet vænire*) Hic exiſtimas non agros, ſed eorum vectigal vendi. Quem tu facis oratorem Ciceronem, qui pro vectigali agrum loquatur? Agrorum, Rame, & hic & in prima oratione alienationem dicit.

*In Cherroneſo*) Cherroneſum hic interpretaris in procurſu minoris Aſiæ in mediterraneum mare. quod loqueris, neſcis: Thraciæ enim Cherroneſum ſignificat, in qua extra regnum ſuum agros Attalus habuit, vt Hyempſal in Africa extra Numidiam. Nam Attalus contra Pſeudophilippum regem Macedoniæ ſocia cum Romanis arma coniunxerat. Diegylum regem ceperat ducto in Thraciam exercitu, agroſque ditioni ſuæ victoria parta adiecerat.

*De conſilij ſententia*) Hunc locum interpretaris de lege Papyria, quæ iniuſſu populi aliquid conſecrari vetat. Hic nullum iuſſum populi, nulla comitia uideo, neque dum, vt reor, Papyria lex lata erat: ſed ait ab Africano de conſilio legatorum, qui bello confecto ad res ordinandas mittebantur, Carthaginem eſſe conſecratam *Sequitur*) Exiſtimas neſcio quid deeſſe, veruntamen ſi rectè conſtruas, conſtabit ſententia, hunc in modum: Cognitio decemuirûm ſequitur omnes agros extra Italiam: id eſt, ordine percenſet & perſequitur. *Atque etiam eſt*) Annotas exceptionem eſſe de agro Numidico, quaſi vero Numidia, quæ regem Hyempſalem habebat, à Maſſiniſſa ortum pop. Ro. cenſeretur. Agen' Rame de agro quem habebat Hyempſal in Africa, qui populi Rom. erat factus euerſa Carthagine? Sed ideo hic peccaſti, quòd ignoraſti Africam propriè eam regionem vocari, quæ inter Cyrenas eſt ſita, & Numidiam, cui regioni Carthaginienſes imperauerant.

*Capillatus*) Ea tempeſtate multi fuere Numidiæ reges, vt Hyempſal, Iuba, Maſtaneſoſus etiam in Vatinium nominatur: ac Iuba, vt opinor, etiam hæres Hyempſalis fuit, Hyempſaliſq; pars ei accreuit, & forte Maſtaneſoſi. Hic autem conſtituere non poſſum, cur capillatum, cincinatum, & calamiſtratum interpreteris: cum capillatus is vocetur, cuius promiſſior ſit capillus, quod vel ex hac oratione ſcire potuiſti: *Capillatior quàm antè barbáque maiore.* & ex Catullo,

*Tu præter omnes vne de capillatis,*
*Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.*

Ea tempeſtate Numidæ & Hiſpani promiſſiore coma erant.

*Relatum*) De rationibus hic accipis, cum de auro ipſo perſpicuè intelligendum ſit: vt mox, profiteri, malè interpretaris referre ad magiſtratum: cùm iſta diuerſa ſint, & profiteri, ſit numerum & ſummam edere, referre eis tradere. *Alione*) Hic deeſſe aliquid Ramus putat: ac ſane deeſt ei, qui non intelligit: Ego verò locum integrum puto hoc ſenſu, Exiguum, ſcilicet diſcrimen eſt, vel Italiam definire, vt Rullus fecit: vel Maſſico monti ſubiectos agros, qui feliciſſimi ſunt? Reprehendit enim quòd laxe nimium & generaliter definierit, cùm magnum diſcrimen ſit inter Italiæ agros. itaque locus ironiam habet, quod te hominem in tropis & figuris ita tritum, ignoraſſe miror.

*Age vero*) Locus iſte tibi mutilus eſt, mihi integer. Sic enim intelligo, Quidnam agri vero definis? Definio, inquit Rullus, agrum omnem qui arari & coli poſſit. Fefellit artificem artificium ſuum. Non enim vult hic agrum definiri, ſed loci qualitatem quæri, quo factum eſt, vt ei in mentem non venerit verbum repetere. Eſt & inſignis eius hoc loco error, qui argumentum à definitione putat, quòd agrum definire Cicero dicat, in aliam ſententiam: eſt enim rem certam & definitam nominare.

*Sed ſibi intus canit*) Neſcis Rame, quid ſit intus canere. Tantum verba Aſconij male intellecta refers, vt ex eo quod addis intelligi poteſt. Vis enim intus canere eſſe tam leniter ſiniſtra chordas carpere, vt ipſi citharædi ſoli exaudiant, vel qui proxime adſiſtunt. Atqui ſiniſtra quæ chordas carpit, nullum ſonum edit: cumque in cantu non minus elaboret quàm dextra, canere illa quidem dicebatur, non tamen foris, id eſt, non audientibus, vt dextra: ſed intus, id eſt, ipſi artifici. id te docere poſſunt noſtræ citharæ & lyræ, in quibus ſiniſtra, quæ in iugo chordas tangit, intus canit tacito quodam & interiori carmine: dextra quæ ad teſtudinem pſallit, foris canit ſonumque citat. Nouum erat autem planeque inauditum Aſpendij cithariſtæ artificium, qui totam cantionem ſiniſtra ſola ad iugum modulatè peragebat.

*Inducetur*) Non eſt æſtimare tantum, Rame, inducere, ſed doloſè id facere ex illius verbi ſignificatione, quæ latiſſimè patet, & ad fraudem ſæpè pertinet.

*At dicat*) Cæcus iſte legendum hic non videt, Aut dicat: nec animaduertit, paulò ante legendum eſſe, Salapinorum, non Salpinorum. Nam intentus auceps iſte ſyllogiſmis captandis, & artificio nugaci, in auctoribus nihil cernit.

*Arenam*) Ne hic quidem ſenſum vidit, cùm arenam dixerit propter arenoſos Sipontinorum agros, paludes propter regionem Salapinorum. Nam Salapia ad paludem ſita erat, peſtilenti loco. Vitruuius: Quibus (ait) inſidentes ſunt paludes & non habent exitus profluentes, neque per flumina, neque per foſſas, vti Pontinæ, ſtando putreſcunt & humores graues, & peſtilentes in his locis emittunt. Item in Apulia oppidum Salapia vetus, quod Diomedes à Troia rediens conſtituit, &c.

*Atquein*) Annotas ſententiam propoſitionis mutilatam eſſe: ſi eam probabili coniectura reſtituere tentaſſes, maiorem gratiam à iuuentute inijſſes, quàm ineptas rationes colligendo. Legendum videtur, poſtulet? an planè recuſet: vel, eſt qui planè recuſet?

*Ad hunc numerum quingentos*) Artificium iſtud tuum nihil adiuuare ad intelligendos ſcriptores, immò verò potius plurimum obeſſe tu te vnus ſatis docere potes, qui in eis nihil vides. putas numeros eſſe cor-

ruptos, efficique vicies quinquagies centena millia: cùm perſpicuè Cic. dicat quinque millia colonorum deducturos Capuam decemuiros, ita vt ſinguli decemuiri quingentos deducant. Si me audies, Rame, neque poſthac leges, neque ſcribes, ſed in diſciplinam te magiſtro dabis.

*Conſolari )* Hic deeſſe aliquid putas, nihil tamen deeſt: lætari enim videbatur in ſpem adductus populus bonitate agri Campani, illa coloniæ deductione audita & colonorum numero.

*Familiarum magnitud.)* Hic familia non tantùm multitudinem ſeruorum, vt putas, ſignificat: verùm etiam ingenuorum, qui in alicuius domo & ſumptibus viuunt. Nec prædia Cumana & Puteolana tantum ædificia erant, ſed ſumptuoſæ villæ.

*Otriculana )* Ocriculana legi debet, Rame, quæ ab Ocriculo nomen habebat, qui etiam error in Plinio eſt, ſed ex Stephano alijſque emendandus. Eam tribum putas ex hoc loco primam, ſed tibi ſemper procliuius argumenta eruere ratiocinationum alicuius, quàm veri ſenſus fuit. Sic modò cur à Romilia Rullus incœperit, non vidiſti: quod ab eo factum fuerat, quòd tribuum ruſticarum prima videretur, cùm ſuburbana eſſet, omnemque regionem comprehenderet vrbi vicinam. Hic autem tribus duas propinquas nominat, non primam & vltimam, vt tu ſtultiſſimè iudicas, quæ eædem fortaſſe etiam erant minimæ. Nequinum autem & Ocriculum, vnde tribuum illarum nomina, propinqua erant. Eſt autem ſenſus, agrum Campanum vni tribui vix ſuffecturum. Cum autem Arnienſem tribum nominas, ecquem huius rei auctorem, niſi ineptum neſcio quem Alexandrum habes?

*Et multitudo )* Locum eſſe mendoſum non vides: legendum enim eſt, ſed multitudo. nec ſenſum perſpicis: dicit enim plurimum intereſſe inter agrum Campanum & Stellatem campum, vt ſi ſingulis agri Campani diuidat, iugera dena debeat campi Stellatis, non duodena. Ita enim paulum intereſſet: Sed multo maiorem modum diuidere: id autem ait ab eo factum, vt multitudo eſſet maior colonorum ad occupanda vicina oppida. ſic mox quoque, Capuam à decemuiris legendum eſt, quod non vidiſti. non ita multo poſt emendare etiam potuiſti, Capuæ Atelle Creoni. Creon enim illis in locis à Strabone ponitur. ea autem in loca Brutus colonias deduxerat.

*Hoſtiæ maiores)* Ex neſcio quo ſcriptore Alexandro, cui profectò nimium tribuis, maiores hoſtias eſſe ſcribis, lectas & vberius depaſtas. Hæc ſunt verba eloquentiæ tuæ, quod certè falſum eſt, maioreſque dicuntur ex ætate, opponunturque lactentibus. Cic. lib. 2. de legibus: *Quibus hoſtijs, cuiq; deo immolandum, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis.* Cenſores maiores hoſtias Suouetaurilibus immolabant. Apud Catonem in agro luſtrando lactantes immolantur hoc modo: *Macte hiſce Suouetaurilibus lactentibus eſto.* Duumuiri autem, quòd à te declaratum oportuit, ſummi erant in colonijs magiſtratus: &, vt opinor, in municipijs. Cæſar libro primo de bello ciuili: *Quod aurum adduxerat Domitius, atque in publicum depoſuerat, allatum ad ſe à duumuiris Corfinienſibus, Domitio reddidit.* Vlpianus: *Omnibus magiſtratibus non tamen duumuiris ſecundum ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam defendere pænali iudicio.*

*Iam vero)* Locum iſtum eſſe mendoſum, & in bonis libris aſteriſco notatum non vides artifex noſter: equidem aſſentior viro docto Lambino, qui hic eſſe legendum cenſet vegrandi macie. Quid enim ſenſus habere poteſt illud, vt grandi?

*Iam vero)* Significari vis colonos de ſuo prætore ſollicitos fuiſſe: ego verò duumuirum illis terrori fuiſſe: dicit enim tunicatum populum illo duumuiri faſtu & vultu territatum fuiſſe. Mox etiam ſcribis, Quid enuntiaſſet, pro, quid denuntiaſſet? vt dialectica quæ alios ad verum inueniendum adiuuat, tibi ad falſum ſemper ſcribendum data eſſe videatur.

*Pupiniam)* Vt tuis in commentarijs facilius quod nolimus inuenimus, quàm quod velimus! Hic adeo de Vaticano nihil quærebamus, de quo nimium ſcribis: de Pupinia flagitabamus, de qua ſiles. Ager autem fuit ad vrbem exilis, & peſtilentis ſoli. Columella de Attilio Regulo, *Nam Pupiniæ peſtilentis ſimul & exilis agricultorem fuiſſe eum hiſtoriæ loquuntur.* meminit & Varro de re ruſtica.

*Germani)* Annotas germanum pro ſimili: quod non temerè, vt opinor, apud Ciceronem reperies. Nam exempla quæ adfers ſunt perſpicuè falſa, cum in bonis libris ita poſtulante ſententia legatur: Germanos Thucydidas, & Germaniſſimus ſtoicus. illud quoque (quod ex Partitionibus adferunt) memoriam literaturæ germanam, falſum eſt & adulteratum: cùm ex bonis libris legi debeat geminæ.

*Actoribus)* Quis non hoc loco, Rame, te non ſolùm illiteratum, verùm etiam fanaticum putet? qui actorem villicum interpretaris, qua in re fefellit te ampliſſimus ille linguæ latinæ Theſaurus: ex quo, & Nizolio conſarcinas ineptos commentarios. Veruntamen ſtatuere non poſſum quæ te vecordia, quæ te mala mens impulerit, vt de villico hic agi putares. Diſce igitur, & minerual doctori ſolue. Legiſtine apud Ciceronem tuum, agere cum populo? &, aſt qui turbaſſit in agendo, fraus actoris eſto? ita nunc mihi actores intellige eos Rulli collegas in tribunatu, qui cum eo legem agrariam ferre decreuerant, quod eſt cum populo agere. Mallem etiam hic explicaſſes quid ſit, expleretis noua, quàm capita percenſeres. Sed nos ſemper artificio quodam fallis & eludis, quod quanti vis nobis miſeris inducis, efficiſque vt quo de agitur neſciſſe, quod non eſt, ſomniaſſe videamur. Illud quod in commentarijs quærebam, mox in Cicerone reperi: cui profectò eloquenti tantùm, aliquanto plus fidei, quàm tibi eloquenti & philoſopho tribuo. Scribit enim mox, Omnes vobis pecunias ad veſtrum nutum penderent: quæ loci ſuperioris explicatio eſt. *Improbitati hominis)* Hic hominum legendum ſuſpicaris, ac non dubito quin id facias de conſilij ſententia tuorum in dialectica locorum. Quid tamen ſi Rullum intelligat? qui aduerſarius Pompeio fortaſſe fuerat, cum reliqua nobilitate in Maniliana rogatione, ſi tuam interpretationem ſequamur. exiſtimo tamen Ciceronem antequam conſulatum iniſſet, reſtitiſſe Rullo legem agrariam ferenti.

*Summum )* Quænam huius orationis obſecro te, Rame, concluſio eſt ſi tibi credimus, qui effici cenſes, Quare ego ſum popularis? quàm longè te à Ciceronis ſententia tranſuerſum aufert iſtud artificium tuum! Certum habeo neminem, qui tum in concione ſteterit, ita Ciceronis verba hæc accepiſſe: nec mirum, tuis enim ſacris rudis ille populus initiatus non erat. Suſpicabantur, vt & nos idiotæ, clauſulam orationis ad

nis ad



nis ad otium, pacem, tranquillitatem ſpectare: tu ad popularitatem, vt ſe popularem eſſe, conſtituat Cicero: perinde ac ſi omnia in eo poſita ſint. Eius generis ſunt infinita in tuis inſulſis commentarijs, in quibus dum ſyllogiſmos texis, ſenſum retexis & corrumpis: & dum concluſiones tuas quæris, ſubinde nobis —— *pro virgine ceruam Suppbnis.* Quàm in analyſi huius orationis tibi places, in illis Ariſtotelis principijs, Quia & Quamobrem! quàm accommodatè, quàm aptè huc à te transferuntur! Ille ſcilicet in eam ſententiam iſta dixerat? aut iſta Cicero cogitarat, cum hæc diceret? Quid autem hoc loco cognitio euentus prodeſt? Eritne deterior oratio, ſi victos à Cicerone Agrarios neſciero? Equidem pro Milone ſcio omnia ingenij auxilia Ciceronem aduocaſſe, & tum maximè oratorem viſum eſſe, nec cauſam obtinuiſſe: cum tamen nullam hodie orationem magis admiremur reo damnato. Non poſſum non grauiter ferre ea quæ ab Ariſtotele diuinitus excogitata ſunt, ad certiſſimæ & exploratiſſimæ ſcientiæ fidem informandam, ad ea transferri à te, in quibus præclarè agitur, ſi vmbra quædam probabilitatis hærere videatur. Scilicet philoſophus ille iſta cum ſcriberet, ad Demoſthenis orationes nobis adiumenta comparabat? Aut in eius Analyticis vllum ex orationibus exemplum profertur, ac non ex geometricis demonſtrationibus omnia depromuntur, quarum certiſſima fides & ſpectatiſſima philoſopho propemodum omnem de demonſtrationibus diſputationem ſuppeditauit? Quæ eſt iſta peruerſitas tuæ naturæ, vt optimis aliorum inuentis, ſic præpoſterè abutaris, vt capiti calceum aſſuas, pedibus capitium induas? Nos quidem non ignoramus à te nihil vitæ humanæ ſalutare inueniri poſſe, nec à te quicquam flagitamus: tantùm, ne aliorum reperta iſta diritate & prauitate ingenij tui corrumpas, precamur. Hic iſtud, Quia & Quamobrem, ne nobis occinas, quæ alia in re locum habent, neque ante hanc diem tibi in mentem venerat ea in orationibus conquirere. Mox quatuor acclamationes annotas, ſed aures meæ ita hebetes ſunt & ſurdæ, vt nullam exaudiant. Alijs fremit & ſtrepit, & commouetur concio, nunquam hac tota oratione acclamat: ſed in ſtrepitu nihil rhetoricum & figuratum eſt, vt in acclamatione: eſtque tibi ſatius multo ſenſum quã figurã perdere. Sequitur inuicta bello manus figurarum & troporum, quæ, vt vis, tribunos terga vertere coëgit: cohors enim metaphorarum, centuriæ aliquot metonymiarum, aliquot manipuli ironiarum, qui potuiſſent à tribunis ſuſtineri? ac diligens imperator in huius exercitus recenſione videris, nihil enim prætermittis. Si maiorem figurarum & troporum manum veniſſet in mentem tribunis parare, victores iſta tua ratione diſceſſiſſent: tibi ſatis non fuerat literatis notis ſemel iſta indicaſſe, niſi iſto odio & tædio iterum nos onerares, quod idem in argumentis facis, *Non miſſura cutẽ niſi plena cruoris hirudo.* Semel nunquã moleſtus eſſe vis, ſed ineptijs iterandis lectores enecas. Mihi quidem etiam ipſe videor ineptus eſſe, qui leuibus iſtis de rebus tecum, contrà quam initio propoſueram & facere debueram, nunc diſputem.

## IN TERTIAM.

*Tribuni plebis)* Vis ſynecdochen eſſe: in quo erras, quia non Rullus tantùm, verùm etiam eius multi collegæ adſcriptores legis agrariæ Ciceronem criminati erant. Hic verò, philoſophe noſter, vt ſyllogiſmum nobis exactè texis? Si tribuni potius præſentem Ciceronem accuſaſſent, commodius feciſſent. Abſentem non præſentem accuſarunt. Nam ex arte ſumendum erat, Commodè autem non fecerunt: aut propoſitionis formulam aliter concipere debuiſti, vt ad præcepta ratiocinatio reſponderet: Si rectè feciſſent, præſentem potius accuſaſſent. Illud etiam mirum mihi videtur, quod complexionem vis eſſe, In meam concionem prodeant: Iſto modo licet nullum dicas enthymema eſſe apud Oratores, cum ſemper locus ſit alterius loco ſupponendi, vt tu hic facis, qui pro, veniant in concionem, non igitur commodè fecerunt, ſubijcis. Obſecro te cum hæc ſuppoſitio longius à ſententia ſoleat auocare, quid aliud adfert artificium tuum, quàm vt ineptias ſuperuacaneas quæramus, nec oratores tamen intelligamus.

*Omnium legum)* Hic annotas de Dictatore: Cum poſt annos quadringentos hic magiſtratus Romæ non fuiſſet. Interrogo te, Rame, à dictatura Fabij Max. ad Syllam, iſné numerus annorum conuenit? Quid, quod poſtea creati ſunt? mendoſis Appiani codicibus non debuiſti fidem adiungere: tutius Paterculum eſſes ſequutus, qui ita de Sylla ſcribit, *Quippe Dictator creatus, cuius honoris vſurpatio per annos CXX intermiſſa, &c.* *Agros, ædificia)* Lubentius iſta Rulli verba feceris, in quo tibi aſſentior, modò agri, non agros legas, ne ſit ſolœciſmus. *Vt habeant)* Hic deeſſe aliquid putas, vt firmum, certum. Ego tibi, Rame, confirmo mentem deeſſe. Habere enim dicit, qui optimo iure poſſidet: non habere, qui nullo iure poſſidet. *Quàm ipſe Sylla)* Mendum notas, quod nullum eſt: nam iniquiorem Rulli legem Cornelijs legibus ait, cum dubias Syllanorum poſſeſſiones confirmet: cui rei Cicero reſiſtit, vt Syllanus haberi non debeat. Mirum autem mihi videtur, quòd ſtrepitum concionis in hac oratione acclamationem voces; vt cum Cicero ſcribit, Video quoſdam ſtrepitu ſignificare. Equidem hic nullam acclamationis ſignificationem agnoſco. Iam vero commotionem concionis acclamationem vocare, quis te docuit, vt cum ſcribit, Video vos Quirites, ſicuti res ipſa cogit, commoueri. Certe in iſto acclamationis vocabulo, apud te aliquid latet, quod cuiuſmodi ſit, intelligere non poſſumus.

Hanc, Petre Rame, non ſolùm Commentariorũ tuorum, verùm etiã philoſophiæ & eloquentię tuæ analyſin habeto: quã cũ adoleſcentia noſtra legerit, eã impudentię tuę & erroris ſui pœnitebit. Quòd quem eloquentem crediderat, ſtulte loquacem: quem philoſophum, ignarũ literarũ comperiet. Satis enim pauca iſta quæ annotaui te patefaciunt, ſatis indicant vnã in te artem eſſe egregiã impudentiæ, quã fret⁹ audes in conuentu, audes in libris tibi præſcriptiones vindicare, quas nemo qui frontis aliquid habeat, aut qui ſanus ſit, vſurpet: vt omnes propemodũ qui verecundiores ſunt in tuis iſtis ſuperbis titulis, tuã vicem erubeſcere ſoleat. Nunc omnes, vt ſpero, intelligent ea te vſurpaſſe, quorũ haberes nihil: vt nihil ab actorib⁹ fabularũ differre videaris, qui viles homunculi in proſceniũ ſæpe reges prodeunt, ſæpe imperatores: vt tu nobis perſonat⁹ prodis orator, & philoſophus, duarũ ampliſſimarũ artium actor omniũ ineptiſſimus. Sed cũ his errorib⁹ conuicta teneatur impudentia tua, quã pœnam te commeritũ eſſe putas, qui hominem te multo pudentiorem & doctiorem, quòd nugax iſtud artificiũ tuum cũ artifice damnet, falſa calumnia nihil dialectices ineſſe in oratorib⁹ dixiſſe inſimulaſti, eſſe repetundarũ damnandũ lite æſtimata indicaſti?

Etſi re-

Etſi repetundarum crimen ignoraſſe, cùm iſta loquutus es, videris, quod in hoc genere locum habere nullum poteſt. Veruntamen quam te commeritum pœnam eſſe putas? Nullam dices. Optimè. Noſtris enim iudicijs nulla quæſtio eſt impudentiæ, & his moribus non ſolùm tuta eſt, verùm etiam honorata. Ego, Petre Rame, nullum tibi iudicij periculum denuncio. Satis mihi ſit te, quanquam impudentem, his animaduerſionibus lectis: tacita tamen conſcientia inſcitiæ tuæ miſerè intus angi, hominum oculos fugere, ſolitudinem quærere, iudicijs noſtræ iuuentutis ignorantiam tuam notari, impudentiam improbari. Hæc autem intolerantiæ & inſolentiæ tuæ tanquam quædam medicina iuuentuti neceſſaria magis fuerit, quàm vtilis tibi, quod inueteratum morbum & putrem magis hominibus indicatura ſit, quàm in te ſanatura. Nam ſi doctiſſimorum virorum cognitio, à quibus damnatus es, ſi ſenatuſconſultorum auctoritas, ſi regis edicta ad mentem ſanam te traducere non potuerunt, quid in eo me facturum ſperem quem tot iudiciorum damnatione ad importunitatem audaciæ & amplificationem impudentiæ abuti videam, vt non tàm à iudicibus damnatus, quàm iudices cum legibus omnibus damnaſſe videatur? Te hominem depoſitum, & à medicis deſperatum eſſe ſciebam: iuuentuti tamen pro mea virili ſuccurrendum eſſe mihi putaui: quam cùm in errorem culpa tua præcipitem ferri viderem, imprudentia labentem negligere non debui.

# M. TVLLII CICERONIS ACADEMICARVM QVÆSTIONVM LIBER I.

## CICERO VARRONI S. P. D.

*ETSI MVNVS FLAGITARE, QVANVIS QVIS OSTENDERIT, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego expectatione promiſſi tui moueor, vt admoneam te, non vt flagitem. Miſi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. noſti enim profectò os adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui, metuo, ne te fortè flagitent. ego autem mandaui, vt rogarent. Expectabam omnino iamdiu, meq́ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, vt poſſem te remunerari quamſimillimo munere: ſed cum tu tardius faceres, id eſt, vt ego interpretor, diligentius, teneri non potui, quin coniunctionem ſtudiorum, amoriſq́ noſtri, quo poſſem literarum genere declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum eſſet vnà Pomponius: tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumpſi Philonis. Puto forè, vt cum legeris, mirere id nos locutos eſſe inter nos quod nunquam locuti ſumus: ſed noſti morem dialogorum. Poſt hæc autem, mi Varro, quamplurima, ſi videbitur, & de nobis, & inter nos, ſero fortaſſe, ſed ſuperiorum temporum fortuna Reipublicæ cauſam ſuſtineat: hæc ipſi præſtare debemus: atq́ vtinam quietis temporibus, atque aliquo ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu ciuitatis hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus. quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes honeſtas nobis & curas, & actiones darent. nunc autem quid eſt, ſine his cur viuere velimus? mihi verò cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coràm, & ſæpius. Migrationem & emptionem feliciter euenire volo, tuúmque in ea re conſilium probo. Cura vt valeas.*

## *ACADEMICARVM QVÆSTIONVM LIB. PRIMVS.*

*IN CVMANO NVPER CVM MECVM ATTICVS NOSTER ESSET, nunciatum eſt nobis à M. Varrone, veniſſe eum Roma pridie veſperi, &, niſi de via feſſus eſſet, continuo ad nos venturum fuiſſe. quod cum audiuiſſemus, nullam moram interponendam putauimus, quin videremus hominem nobiſcum & ſtudijs ijſdem, & vetuſtate amicitiæ coniunctum. itaque confeſtim ad eum ire perreximus, paulúmque cum eius villa abeſſemus, ipſum ad nos venientem vidimus: atque illum complexi, vt mos amicorum eſt, ſatis eum longo interuallo ad ſuam villam reduximus. Hîc pauca primo, atque ea percunctantibus nobis, & ſi quid forte Roma noui: Atticus, Omitte iſta, quæ nec percunctari, nec audire ſine moleſtia poſſumus, quæſo, inquit, & quære potius, ecquid ipſe noui. ſilent enim diutius muſæ Varronis, quàm ſolebant: nec tamen iſtum ceſſare, ſed celare quæ ſcribat, exiſtimo. Minime verò, inquit ille. intemperantis enim eſſe arbitror, ſcribere quod occultari velit. Sed habeo opus magnum in manibus, quòd iampridem ad hunc eum ipſum (me autem dicebat) quædam inſtitui, quæ & ſunt magna ſanè, & limantur à me politius. Et ego iſta quidem, inquam, Varro, iam diu expectans, non audeo tamen flagitare. audiui enim è Libone noſtro, cuius noſti ſtudium*



*ſtudium (nihil enim eiuſmodi celare poſſumus) non ea te intermittere, ſed accuratius tractare, nec de manibus vnquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus nunquam in mentem venit à te requirere: ſed nunc, poſteaquā ſum ingreſſus res eas, quas tecum ſimul didici, mandare monumentis, philoſopiámque veterem illam à Socrate ortam Latinis literis illuſtrare: quæro quid ſit, cur, cùm multa ſcribas, genus hoc prætermittas: præſertim cum & ipſe in eo excellas, & id ſtudium, totáque ea res longè cæteris & ſtudijs & artibus antecedat.*

# IN EVNDEM COMMENTARIVS ADRIANO TVRNEBO AVCTORE.

L*ibros Academicos* (ſic enim appellat Cic.) exiſtimo vocatos eſſe, quod ijs noua Academia defendatur: quod genus philoſophandi, vt Socraticum maximè & elegans, minimeque arrogans Cicero ſequebatur. diſputationem autem fingit habitam in Cumano Varronis. Plinius ſcriptos eſſe ait in Academia Ciceronis: cuius locum adſcribam: *Digna, inquit, memoratu villa eſt ab Auerno lacu Puteolos tendentibus impoſita littori, celebrata porticu & nemore: quam & vocabat M. Cic. Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiuſdem nominis: in qua & monumentum ſibi inſtaurauerat, ceu verò non & in toto terrarum orbe feciſſet.* Huius in parte prima exiguo poſt obitum ipſius Antiſtio vetere poſſidente, eruperunt fontes calidi, perquam ſalubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius. Trium autem ſequentium lib. diſputatio fortaſſe non eſt in Cumano Varronis habita. id intelligi poteſt ex loco, quem Nonius ex 3. libro affert, *Et vt nos nunc ſedemus ad Lucrinum, piſciculóſque exultantes videmus.*

*In Cumano*) In Cumano tamen habitam epiſtola ad Varronem declarat: & illuc vſque ager Cumanus pertinebat.

*Pridie veſperi*) pridie quàm hæc habita eſt diſputatio.

*Longo interuallo*) cum pluſculum temporis in ſalutatione conſumpſiſſemus, eum ſatis longo temporis interuallo in ſuam villam reducebamus. Interuallum enim temporis intellige.

*Et ſi quid forte*) ſi quid noui ipſe afferret Roma. Ecquid Manutius legit, cum præſertim ſequatur. *Et quære potius, ecquid ipſe noui.* in Bruto, *Quid vos, inquam, Brute & Attice nunc? quid tandem noui?*

*Intemperantis*) ſtulti & propè inſani. Plautus, *Neſcio quæ illunc hominem intemperiæ tenent.* Eſt enim intemperantia à tota mente & à ratione defectio.

*Sed habeo opus*) Intelligit fortaſſe libros, qui de lingua Latina inſcribuntur, quorum partes, vt tres primos libros priuatim Septimio, aliquot alios Ciceroni, alios Marcello nuncupauerat, opus tamen totum, vt reor, Ciceroni dicarat, quod in multos excreuerat libros. Citatur enim à Cariſio Varro ad Ciceronem lib. 22.

*Eum ipſum*) eruditum & diſertum hominem. *Iamdiu expectans*) nam biennio ante Ciceroni denunciarat magnam & grauem προσφώνησιν.

*Libone*) Scribonius Libo Varroni perneceſſarius erat, vir ſanè doctus & hiſtoriæ ſcriptor: Lyburnicæ autem & Achaicæ claſſi in bello ciuili præfuit. ei libros etiam nuncuparat Varro. citatur enim à Macrobio Varro ad Libonem.

*Noſti ſtudium*) quàm literarum & doctrinæ ſit ſtudioſus, quamque ſagaciter iſta odoretur & inueſtiget.

*Celare poſſumus*) dum ſemper tractamus, alijs prodimus.

*Veterem illam à Socrate ortam*) Socrates philoſophiæ moralis auctor fuit, de qua Cicero ſcribebat. Se etiam alias Socraticum dicere ſolet, cum ſe Academicum profitetur, quòd Socratis exemplo noua Academia nihil affirmaret: vt in Officijs, *Sed tamen noſtra legens non multum à Peripateticis diſſidentia, quoniam vtrique & Socratici & Platonici eſſe volumus. Nam Peripatetici Platonici ſunt: Academici Socratici.*

*Genus hoc prætermittas*) de philoſophia nihil ſcribas.

*Tum ille: Rem à me ſæpè deliberatam & multum agitatam requiris. itaque non hæſitans reſpondebo, ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promptu, quod iſta ipſa de re multum, vt dixi, & diu cogitaui. Nam quum philoſophiam viderem diligentiſſime literis Græcis explicatam, exiſtimaui, ſi qui de noſtris eius ſtudio tenerentur, ſi eſſent Græcis doctrinis eruditi, Græca potius quàm noſtra lecturos: ſin à Græcorum artibus & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi non poſſunt. itaque ea ſcribere nolui, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent. Vides autem eadem ipſe. didiciſti enim non poſſe nos Amafanij aut Rabirij ſimiles eſſe, qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis, vulgari ſermone diſputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique eſſe artem, nec dicendi, nec diſſerendi putant: nos autem præceptis dialecticorum, & oratorum etiam, quoniam vtranque vim virtutem eſſe noſtri putant, ſic parentes, vt legibus, verbis, quanquam nouis, cogimur vti, quæ docti, vt dixi, à Græcis petere mallent: indocti à nobis ne accipiunt quidem, vt fruſtra omnus ſuſcipiatur labor.*

*Amafanij aut Rabirij*) quorum philoſophia quod obſcurum nihil habeat, in vulgus probata eſt. C. autem Ama-

tem Amafanius ſententiam Epicuri Latinis literis mandarat ſine omni orationis elegantia, nulla vel diſ- cendi, vel diſſerendi arte adhibita. Eum & Catium Cicero malos verborum interpretes appellat. Horat. quoque interpretem Catium ſignificat, cùm ſcribit: *Vnde & quo Catius? non eſt mihi tempus auenti Ponere ſigna nouis præceptis.* meminit Amafanij & in Tuſc. 4.

*Definiunt*) nullam rationem & viam tradendarum artium ſequuntur. Epicurei autem nec rhetoricam, nec dialecticam probabant.

*Nihil apta*) nulla rationis concluſione vtuntur, quæ in diſputationibus dialecticorum interrogatione efficitur, quam aptam, i. concinnam eſſe vult: in quo ineſt etiam expediti & aſtricti ſignificatio: vt apud Liuium, *Profectus apto exercitu:* ſic Horatius, *Et auitus apto cum lare fundus:* Catullus, *Aptis ſarcinulis, & expeditis: & verbis aptus* Thucydides apud Cic.

*Vtranque vim virtutem*) Varro Antiochi diſcipulus erat, qui librum ediderat de concordia Stoicorum & Peripateticorum. Peripatetici autem & Academici ijdem prorſus erant. ergò cùm eandem diſciplinam Stoicorum & Academicorum eſſe cenſeret inſtituto magiſtri ſui Varro, quæ Stoici dicunt, qui artes diſſerendi & dicendi virtutes putant, attribuit Academicis, cum ab Academicis omnia Stoici, vt cenſet, mutuentur. Virtutes autem eſſe cenſent, non tantùm quia intelligentiam ornent, verùm etiam, quòd ad benè & beatè viuendum conferant. Cicero libro tertio de Finibus, de dialectica & phyſica idem docet his verbis, *Ad eáſque virtutes de quibus diſputatum eſt, dialecticam etiam adiungunt & phyſicam, eáſque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quòd habeat rationem, ne cui falſò aſſentiamur, néue vnquam captioſa probabilitate fallamur, eáque quæ de bonis & malis diceremus, vt tenere tuerique poſſimus. nam ſinè hac arte quemuis arbitramur à vero abduci fallíque poſſe, & cætera.* Itaq; virtutes complectitur dialectica, ἀπροπτωσίαν, ἀνεικαιότητα, ἀνελεγξίαν, ἀματαιότητα, vt aiunt Stoici.

*Verbis quanquam nouis*) verba nouare cogimur, quod non eſt Epicureis perinde neceſſe, cùm de rebus ante oculos poſitis diſſerant, & in eo vulgari ſermone vtantur.

***Iam verò Phyſica, ſi Epicurum, id eſt, ſi Democritum probarem, poſſem ſcribere ita planè vt Amafanius. Quid eſt enim magnum, quum cauſas rerum efficientium ſuſtuleris, de corpuſculorum (ita enim appellat atomos) concurſione fortuita loqui? Noſtra tu phyſica noſti, quæ contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit & format effectio. (adhibenda enim Geometria eſt: quoniam quibuſnam quiſquam enunciare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere?) hæc ipſa de vita & moribus, de expetendis fugiendiſq; rebus. illi enim ſimpliciter pecudis & hominis idem bonum eſſe cenſent. Apud noſtros enim non ignoras quæ ſit, & quanta ſubtilitas. ſiue enim Zenonem ſequare, magnum eſt efficere vt quis intelligat, quid ſit illud verum & ſimplex bonum, quod non poteſt ab honeſtate ſeiungi. Quod bonum quale ſit, negat omnino Epicurus ſine voluptatibus ſenſum mouentibus nec ſuſpicari. Si verò Academiam veterem perſequamur, quam nos, vt ſcis, probamus, quàm erit illa acutè explicanda nobis, quàm argutè, quàm obſcurè etiam contra Stoicos diſſerendum?***

*Amafanius*) qui phyſica Epicuri Latinè ſcripſerat, & vt opinor, moralia.

*Cauſas rerum*) Materiam enim tantum ponit, effectionem tollit & formam Epicurus. cauſas rerum efficientium, id eſt, vim rerum efficientium, cauſas efficientes.

*Appellat*) Amafanius atomos corpuſcula vertit. ſunt autem corpuſcula indiuidua: cum tamen indiuiduum corpus eſſe geometræ negent. *Effectione*) cauſa efficiente.

*Adhibenda*) Scis quàm noſtra ſint obſcura phyſica: propterea quòd adhibenda geometria eſt, cuius figuræ & numeri non ſatis explicari verbis Latinis poſſunt. Plato autem in Timæo Triangula ſcalena & iſoſcelea principia & elementa rerum ponit, ex quibus teſſeram, pyramidem, octahedrum, icoſahedrum & dodecahedrum reliquorum elementorum figuras componit, & animum ex harmonicis comparationibus & numeris componit. Nomen autem geometriæ etiam Arithmeticam hic complectitur.

*Quoniam quibuſnam*) in geometria quomodo quicquam Latinè enunciare & effari poterimus, & vt enunciauerimus, quomodo tandem ad intelligendum noſtros ciues adducemus?

*Hæc ipſa de vita*) qualia apud nos ſunt noſti, quæ de morali philoſophia traduntur.

*Pecudis*) voluptatem. *Zenonem*) Stoicos, qui non multum in rebus bonis diſſident à veteribus Academicis, vt inter eos verborum potius, quàm rerum contentio eſſe videatur. Nam omnia Zeno mutuatus erat ab Academia, etſi nonnulla corrigebat. Igitur eoſdem propè putat ex Antiochi ſententia, cùm Antiochum etiam Cicero germanum prope Stoicum exiſtimet.

*Simplex*) non è tribus conflatum generibus, animi, corporis & fortunæ, ſed in ſola virtute poſitum.

*Ab honeſtate*) Nam ab honeſtate, corporis commoda & fortunæ emolumenta ſeiungi poſſunt.

*Nec ſuſpicari*) id eſt, ſe ne ſuſpicari quidem. Cicero de Finibus, *Cum ipſam eam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere ne ſuſpicari quidem ſe vllum bonum ſeiunctum ab illo Ariſtippeo genere voluptatis.* iterum, *Interdum ita laudat, ve quid præterea ſit bonum, neget ſe poſſe ne ſuſpicari quidem.*

*Senſum*) Sunt enim etiam Epicuro voluptates in ſtabilitate poſitæ, quæ ſenſum non mouent, ſed indolentia quadam conſtant. *Si verò Academiam*) legendum, ſiue Academiam.

*Quàm argutè*) præter quam quod erit acutè & ſubtiliter explicanda ſententia veteris Academiæ, tum etiam erit diſputatio tractanda, quæ plurimum & moleſtiæ & obſcuritatis habet, de rerum expetendarum & fugiendarum generibus, de bonorum & malorum finibus aduerſus Stoicos. quàm erit illa, Academia ſcilicet, id eſt, Academiæ ratio.

***Totum igitur illud Philoſophiæ ſtudium, mihi quidem ipſe ſumo, & ad vitæ conſtantiam quantum poſſum, & ad delectationem animi: nec vllum arbitror, vt apud Platonem eſt, maius aut melius à dijs datum munus homini: ſed meos amicos, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto, id eſt, ad Græcos ire iubeo: vt***



***iubeo: vt ea à fontibus potius hauriant, quàm riuulos conſectentur. Quæ autem nemo adhuc docuerat, nec erat vnde ſtudioſi ſcire poſſent, ea quantum potui (nihil enim magnoperè meorum miror) feci, vt eſſent nota noſtris. A Græcis enim peti non poterant, ac poſt L. AElij noſtri occaſum, ne à Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus noſtris, quæ Menippũ imitati, non interpretati quadam hilaritate conſperſimus, multa admixta ex intima philoſophia, multa dicta dialecticè: quæ quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum inuitati in laudationibus, in ijs ipſis antiquitatum proœmijs philoſophiæ, ſcribere voluimus, ſi modo conſequuti ſumus. Tum ego, ſunt, inquam, iſta Varro. Nam vos in noſtra vrbe peregrinantes, errantéſq; tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxerunt, vt poſſemus aliquando qui & vbi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticã, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorũ, tu omnium diuinarum humanarumq; rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Plurimum quidem & poëtis noſtris, omninoq; Latinis & literis & verbis luminis attuliſti, atque ipſe varium & elegans omni ferè numero poema feciſti, philoſophiamq; multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad edocendum parum. Cauſam autem probabilem tu quidem affers. aut enim Græca legere mallent, qui erunt eruditi: aut ne hæc quidem, qui illa neſciunt. Sed da mihi nunc, ſatiſne probas? Imò verò & hæc, qui illa non potuerunt, & qui Græca poterunt, non contemnant ſua. Quid enim cauſæ eſt, cur poëtas Latinos Græcis literis eruditi legant, philoſophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuuius, Accius, multi alij, qui non verba, ſed vim Græcorum expreſſerunt poëtarum? Quanto magis philoſophi delectabunt, ſi vt illi AEſchylum, Sophoclem, Empedoclem, Euripidem: ſic hi Platonem imitentur, Ariſtotelem, Theophraſtum? Oratores quidem laudari video, ſi qui è noſtris Hyperidem ſint, aut Demoſthenem imitati.***

*Conſtantiam quant.*) grauitatem inconſtantiæ & leuitati contrariam, quod à Romanis hominibus maximum vitium putabatur. Vt apud Platon. eſt in Timæo, ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν, id eſt, Cicerone interprete, Quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus, quò bono nullum optabilius, nullum præſtantius neq; datũ eſt mortalium generi deorum conceſſu atq; munere, neq; dabitur. *L. Ælij*) L. Ælium Stilonem cognomento & præconium Varronis præceptorem ſignificat. Malè hic Lælius vulgò dicitur.

*Veteribus*) Vetus enim erat illud ſatyræ genus, & Græcanicum, nouum à Lucillio inuentum. Quintilianus lib. 10. *Alterum & illud eſt prius ſatyræ genus, quod non ſola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus.* Sic, vt ſcribit Ariſtoteles, Chæremon poema Hippocentaurũ ex omni propè verſuum genere miſcuerat. Menippeas autem ſatyras Varro ſcripſit ad exemplum Menippi Cynici. Earum multi tituli à Gellio citantur, & multo plures à Nonio.

*Antiquitatum*) Etiam de Antiquitatibus libros Varro ſcripſerat, quos ipſe de lingua Latina citat. citaturq; à Chariſio Antiquitatum humanarum lib. XII. *Videri poteſt hic neſcio quid deeſſe: ſenſus tamen aliquis elici poteſt, vt dicat laudationes ſe inſtituiſſe in nonnullis ſatyris, in quibus ſit philoſophatus, & in Antiquitatum libris proœmia philoſophiæ ſcripſiſſe.* Erant autem fortaſſe libri antiquitatum, libri rerum diuinarum & humanarum: cum præſertim Chariſius antiquitates humanas citet.

*Tui libri*) ſcripſerat enim de vita pop. Rom. Varro, & rerum diuinarum & humanarum 41. libros ad C. Cæſarem pontificem. *Ætatem*) annos vrbis conditæ. Ætatem quoque patriæ poſtea in tertio de re Ruſtica ſcripſit. Nam in hoc nunc denique, inquit, eſt, vt dici poſſit, non, cum ſcripſit Ennius,

*Septingenti ſunt paulo plus aut minus anni,*
*Auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.*

*Sedem regionum*) Nam Roma in regiones quatuordecim diuiſa erat. Tacitus lib. 15. *Quippe in regiones 14. Roma diuiditur* *Locorum*) vt ædium, verbi gratia, ſacrarum, locorum religioſorum, locorum publicorum. locus in regione eſt. Loca quoq; vrbis multa memorat de lingua Latina. Apud D. Auguſtinum, ſedium legitur, non ſedem.

*Poëtis noſtris*) in libris de poëtis Latinis, in quæſtionibus Plautinis, in quæſtionibus Epiſtolicis.

*Omni fere numero*) omni ferè genere verſus. nam mixtum erat carminum varietate, vt Quintilianus ait.

*Ad impellendum ſatis*) Eadem quorundam de Socrate opinio eſſe potuit. Xenophon, εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσι προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δ' ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανόν, id eſt, Si qui Socratem exiſtimant præſtantiſſimum fuiſſe ad homines ad virtutem impellendos, verum non ſatis idoneum qui ad eam promoueret. *Sed da mihi nunc*) Legendum cenſeo, ſed eam mihi nunc ſatiſne probas? Eſt illa quidem probabilis cauſa, mihi tamen non ſatis probata. Vel da, more Virgilij dixit pro dic,

*Sed tamen iſte deus qui ſit da Tytire nobis.*

*Qui non verba*) Alij aliqui poëtæ qui ſententiam interpretantur, non, vt Pacuuius, Accius, Ennius, faciunt, verba explicant, quos de Finibus ſcribit fabellas Græcas ad verbum de Græcis expreſſiſſe, etſi interdum longiuſcule recedebant à verbis, vt Ennius, &c.

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας Συμπληγάδας
Μηδ' ἐν νάπαισι πηλίου πεσεῖν ποτὲ
Τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας.
Γελίᾳ μετῆλθον· οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ
Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας,
Ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.

*Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus*
*Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:*
*Neue inde nauis inchoandæ exordium*
*Cepiſſet, quæ nunc nominatur nomine*
*Argo, qua vecti Argiui delecti viri*
*Petebant illam pellem inauratam arietis*
*Colchis imperio regis Peliæ per dolum.*
*Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem,*
*Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia.*

Et Accius in Phœniſſis, pro

Ω τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν,
Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα·
Ὡς δυστυχῆ Θήβαισι τῇ τόθ' ἡμέρᾳ ἀκτῖν' ἐφῆκας.

*Sol qui micantem, candido curru, atque equis*
*Flammam citatis feruido ardore explicas:*
*Quàm natum aduerſo augurio, & inimico omine*
*Thebis radiatum lumen oſtendis tuum.*

Interdum tamen non longè à verbis recedebant. Ennius Medea exule.

*Antiqua herilis fida cuſtos corporis*
*Quid ſic extra ædes exanimata eliminas?* pro
Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς, &c.

rurſum illud Ennij in eadem fabula,

*Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?*
*Domum paternámne, ánne ad Peliæ filias?* pro,
Νῦν ποῖ τράπωμαι· πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας.

*Empedoclem)* qui de rerum natura ſcripſerat. Videri poteſt huc irrepſiſſe hoc nomen, cum de poëtis tragicis tantum loqui videatur. neq; Empedocles, vt opinor, in Latinum conuerſus eſſet. tantum enim quoſdam fortaſſe locos imitatus erat Lucretius: nec in libro ſcripto reperi.

*Ego autem (dicam enim vt res eſt) dum me ambitio, dum honores, dum cauſæ, dum Reipub. non ſolum cura, ſed quædam etiam procuratio multis officijs implicatum & conſtrictum tenebat, hæc incluſa habebam, & ne obſoleſcerent renouabam quum licebat, legendo. Nunc verò & fortunæ grauiſſimo perculſus vulnere, & adminiſtratione Reipub. liberatus, doloris medicinam à philoſophia peto, & otij oblectationem hanc honeſtiſſimam iudico. Aut enim huic ætati hoc maxime aptum eſt, aut ijs rebus ſi quas dignas laude geſſimus, hoc in primis conſentaneum, aut etiam ad noſtros ciues erudiendos nihil vtilius aut ſi hæc ita non ſunt, nihil aliud video quod agere poſſimus. Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis, ſic philoſophiam Latinis literis perſequitur, nihil vt ijs de rebus Græcia deſideret, & eandem quidem ſententiam ſequitur, quàm tu. Nam Ariſtum Athenis audiui aliquandiu, cuius tu fratrem Antiochum. Quamobrem da quæſo te huic etiam generi literarum. Tum ille, iſthuc quidem conſiderabo, nec vero ſine te. Sed de teipſo, quid eſt, inquit, quod audiui? Quanam, inquam, de re? Relictam à te veterem iam, inquit, tractari autem nouam. Quid ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit noſtro familiari remigrare in domum veterem è noua, quàm nobis in nouam è vetere? Certè enim recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maxime: quanquam Antiochi magiſter Philo magnus vir, vt tu exiſtimas ipſe, negaret in libris (quod coràm etiam ex ipſo audiebamus) duas Academias eſſe, errorémque eorum qui ita putarunt, coarguit. Eſt, inquit, vt dicis: ſed ignorare te non arbitror, quæ contra Philonem Antiochus ſcripſit. Imo vero & iſtam, & totam veterem Academiam aqua abſumptam diu, renouari à te, niſi moleſtum eſt, velim. Et ſimul aſſidamus, inquam, ſi videtur. Sanè iſtud quidem, inquit. Sum enim admodum infirmus, ſed videamus idem ne Attico placeat fieri à me quòd te velle video. Mihi vero, ille. Quid eſt enim quod malim, quàm ex Antiocho iampridem audita recordari: ſimul videre, ſatiſne ea commode dici poſſint Latinè? Quæ quum eſſent dicta, in conſpectu conſedimus omnes. Tum Varro ita exorſus eſt.*

*Non ſolum cura)* cum in Repub. gerenda meum quoddam munus, meæ quædam partes & adminiſtratio erat: nunc vt mea quædam ſit Reipub. cura, nulla tamen procuratio eſt, cùm omnia vnius ditione & poteſtate teneantur: ſic procurationem dicit lib. 3. de Legib. *Sed quæro quid reapſe ſit turpius quàm ſine procuratione ſenator.* *Conſtrictum)* ductum ab illis qui vinculis conſtricti ſunt. *Obſoleſcerent)* vetuſtate in deſuetudinem & obliuionem mihi abirent, ſumptum ab ijs quæ nitorem & ſplendorem vetuſtate amittunt: quæ obſoleta dicuntur. *Legendo)* Nullam enim tum literam, niſi forenſem facere poteram.

*Fortunæ)* mortua Tullia, quæ in matrimonio Dolabellæ ex partu deceſſerat. *Adminiſtrat)* cùm Cæſaris vnius ditioni & imperio ciuitas pareat. *Doloris)* quam ex filia amiſſa capio. *Otij)* quia Reipub. adminiſtratione liberatus ſum. *Brutus)* Iam enim ad Ciceronem librum de virtute ſcripſerat. *Græcia deſideret)* Legendũ cenſeã, à Græcia deſideres, id eſt, vt non deſideres Græcorũ philoſophorũ vllos libros.

*Sententiam)*



*Sententiam)* veterem Academiam ſequitur. *Ariſtum)* Plutarchus in Bruto Ariſtonem vocat Antiochi fratrem & Cicero 5. Tuſculana, niſi mendoſi codices ſunt: hic tamen & in Lucullo Ariſtum.

*Veterem)* Academiam, quam ſequebaris, cum Antiochum audiebas.

*In domum)* Nam Antiochus Philonis auditor fuerat, diuq; nouã Academiam & defenderat & coluerat.

*Philo)* Philo libros duos ſcripſerat, quibus vnam tantum eſſe Academiam contendebat: Antiochus in magiſtrum librum edidit nomine Soſum.

*Immo verò)* Ciceronis verba ſunt, non Varronis. *Aqua abſumptam diu)* quæ velut diluuione quãdam hauſta eſt, ita loquitur, quaſi iamdiu obſoleuerit à noua obſcurata. Tranſlatio eſt à locis depreſſis quoiuſmodi erat Academia, vbi Plato docebat. ſunt enim obnoxia diluuioni. Cicero ad Q. Fratrem, *Romæ & maxime Appia ad Martis, mira alluuies.* Craſſipedis ambulatio ablata, horti tabernæ plurimæ magna vis aquæ vſque ad piſcinam publicam. Hic alij emendant, *Aqua abſum tam diu,* quod nondum ſatis probo.

*Infirmus)* Hinc illud, *Niſi de via feſſus eſſet.* *Ex Antiocho)* Atticus audierat Antiochum, à quo penè ex Epicuri conuulſus hortulis fuerat, vt lib. 1. de Leg. ipſe dicit.

*Socrates mihi videtur (id quod conſtat inter omnes) primus à rebus occultis & ab ipſa natura inuolutis, in quibus omnibus ante eum philoſophi occupati fuerunt, auocauiſſe philoſophiam, & ad vitam communem abduxiſſe, vt de virtutibus & vitijs, omninoq; de bonis rebus & malis quæreret: cæleſtia autem vel procul eſſe à naturæ cognitione cenſeret: vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene viuendum conferre. Hic in omnibus ferè ſermonibus, qui ab ijs qui illum audierunt perſcripti variè & copioſè ſunt, ita diſputet, vt nihil affirmet ipſe, refellat alios, nihil ſe ſcire dicat niſi id ipſum. eoq; præſtare cæteris, quod illi quæ neſciunt ſcire ſe putent, ipſe ſe nihil ſcire id vnum ſciat, ob eamq; rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum: quod hæc eſſet vna omnis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire quod neſciat. Quæ quum diceret conſtanter, & in ea ſententia permaneret, omnis eius oratio tum in virtute laudanda, & in hominibus omnibus ad virtutis ſtudium exhortandis conſumebatur, vt ex Socraticorum libris, maximeq; Platonis, intelligi poteſt. Platonis autem auctoritate, qui varius, & multiplex, & copioſus fuit, vna & conſentiens duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum, & Peripateticorũ, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speuſippum ſororis filium Plato philoſophiæ quaſi hæredem reliquiſſet, duos autem præſtantiſſimo ſtudio, atq; doctrina Xenocratem Chalcedonium, & Ariſtotelem Stagiritem, qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lycio: illi autem qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant, & ſermones habere ſoliti, è loci vocabulo, nomen habuerunt. Sed vtrique Platonis vbertate completi, certam quandam diſciplinæ formulam compoſuerunt, & eam quidem plenam ac refertam. Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla affirmatione adhibita conſuetudinem differendi reliquerunt. Ita facta eſt differendi (quod minime Socrates probabat) ars quædam philoſophiæ, & rerum ordo, & deſcriptio diſciplinæ. Quæ quidem erat primo duobus, vt dixi, nominibus vna. Nihil enim inter Peripateticos, & illam veterem Academiam differebat.*

*Socrates)* Primus philoſophiæ moralis auctor Socrates fuit, cum ante eum in rerum naturalium inueſtigatione ſe philoſophi occuparent, quarum rerum inquiſitionem & obſcurã, & ad bene viuendum non neceſſariam omiſit. Cicero in proœm. Tuſcul. 4.

*Rebus occultis)* Nihil enim obſcurius eſt, nihil occultius, quàm naturæ cognitio.

*Cæleſtia)* in quibus multo maxima & obſcuriſſima naturæ pars verſatur. *Perſcripti)* à Platone, Æſchine, Xenophonte.

*Refellat alios)* cùm ætas illa magnum ſophiſtarum prouentum tuliſſet, omnia ſe ſcire prædicantium, & falſa ſcientiæ perſuaſione iuuentutem imbuentium, contrariam inſtitit viam Socrates, ſe nihil ſcire profeſſus, vtq; errore homines liberaret, nihil affirmauit, ſed alios refutauit, ἐλεγκτικὸν λόγον, vt inquit Plutar, ὥσπερ καθαρτικὸν ἔχων φάρμακον, id eſt, oratione refutatrice, tanquam purgante medicamento vtens. Idque erat quod Socrati à deo imperatum fuerat, vt alijs obſtetricaretur, vt ſcribitur in Thetet.

*Niſi idipſum)* quod nihil ſciat. *Ab Apolline)* Id apud Platonem in Apologia dicit Socrates. Oraculum autem illud Chærephonti Socratis ſodali editum fuerat.

*Platonis autem auctoritate)* Duæ ſectæ auctorem habuere Platonem Academici veteres & Peripatetici. ſic enim auctoritas hic accipitur.

*Xenocratem)* qui Speuſippo mox ſucceſſit in Academia, cum is diu non tenuiſſet.

*Lycio)* Lycium, Cynoſarges, Academia Athenis gymnaſia erant extra vrbem, vbi iuuentus corpora exercebat. *Inſtituto)* more Platonis, vt Plato. illic enim Plato docuerat. Cicero in Bruto, *Is tamen inſtituto Lælij Panætium audierat,* id eſt, vt Lælius.

*Diſciplinæ)* Certam quandam philoſophandi rationem in moribus, oratione, & natura deſcripſerunt, quam mox explicabit. id autem nec Socrates, nec Plato fecerant. Formulam dixit à formulis actionum & ſtipulationum ducta metaphora.

*Facta eſt differendi)* Illud Differendi, tollendum videtur eſſe, officit enim ſenſui.

*Abundantia quadam ingenij præſtabat, vt mihi videtur quidem Ariſtoteles. Sed idem fons erat vtriſque, & eadem rerum expetendarum, fugiendarumq; partitio. Sed quid ago? inquit, aut ſumne ſanus, qui hæc vos doceo? Nam & ſi non ſus Mineruam, vt aiunt, tamen ineptè quiſquis Mineruam docet. Tum Atticus, Tu vero, inquit, perge Varro. Valde enim amo noſtra atq; noſtros, meq; iſta delectant quum Latine dicuntur, & iſto modo. Quid me, inquam, putas, qui philoſophiam iam profeſſus ſim, populo noſtro exhibiturum? Pergamus igitur inquit, quoniam placet. Fuit ergo iam à Platone au-*

*cepta philoſophandi ratio triplex: Vna, de vita & moribus: altera, de natura & rebus occultis: tertia, de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione prauúmue, quid conſentiens, quid repugnans iudicando. Ac primam partem illam benè viuendi à natura petebant, eiq́ parendum eſſe dicebant, neque vlla alia in re, niſi in natura, quærendum eſſe illud ſummum bonum, quo omnia referentur. Conſtituebantq́ extremum eſſe rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum eſſe omnia è natura, & animo, & corpore, & vita. Corporis autem alia ponebant eſſe in toto, alia in partibus. Valetudinem, vires, pulchritudinem in toto: in partibus autem ſenſus integros, & præſtantiam aliquam partium ſingularum, vt in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impreſſionem. Animi autem quæ eſſent ad comprehendendam ingenij virtutem idonea, eaq́ ab ijs in naturam, & mores diuidebantur. Naturæ celeritatem ad diſcendum, & memoriam dabant, quorum vtrunq́ mentis eſſet proprium, & ingenij. Morum autem putabant ſtudia eſſe, & quaſi conſuetudinem, quam partim exercitationis aſſiduitate, partim ratione formabant, in quibus erat philoſophia ipſa: in qua quod inchoatum eſt, neq́ perfectum, progreſſio quædam ad virtutem appellatur: quod autem abſolutum, id eſt, virtus quaſi perfectio naturæ, omniumq́ rerum; quas in animis ponunt, vna res optima: ergo hæc animorum.*

*Idem fons*) idem auctor, eadem origo. *Fugiendarumq́*) Nam ex philoſophia morali ſectæ philoſophorum diſtinguuntur potiſſimum, vt cum in ea nihil inter eos differret, eadem ſecta fuiſſe videatur.

*Mineruam*) doctos & eruditos docet. *Noſtra atq́ noſtros*) Latina & Latinos. *Quid me inquam*) delectari, cum audio iſta Latinè dici? adiuuor enim ad id quod profeſſus ſum me ſcripturum.

*Iam accepta à Platone*) Nam & ſi non eſt apud Platonem ars philoſophiæ, nec rerum ordo, nec deſcriptio diſciplinæ: tamen omnes philoſophiæ partes iam apud eum reperiebantur.

*A natura*) vt omnes ferè philoſophi, qui à nautura ſummum bonum eſſe ducendum putant.

*Extremum*) finem bonorum. *E natura*) ſecundum naturam. id enim è ſignificat in hoc genere.

*Vita*) fortunæ bonis ad vitam degendam neceſſarijs. *Valetudinem*) Hæc à Cicerone explicantur pluribus libro quinto de Finibus.

*Impreſſionem*) τύπον vel τύπωσιν dicit, vt lingua nec balba, nec blæſa ſit, ſed formam & impreſſionem diſertam & eloquentem verbis reddat, explanateq; loquatur. Atque hinc fortaſſe intelligi poteſt qui dicantur à iuriſconſultis Atypi. huc etiã pertinet preſſe loqui. *Ad comprehendendam*) ad complectendam virtutem animorum, quæ animi virtutem continerent. *In naturam*) quæ ſuapte natura ingenerantur, nec voluntariæ ſunt, vt Cic. lib. 5. de Finibus ait. *Mores*) quæ voluntariæ virtutes ſunt.

*Celeritatem ad diſcendum*) εὐμάθειαν, quam docilitatem lib. 5. de Finibus vocat.

*Mentis*) nam virtutes voluntariæ, quæ morales dicuntur, in mente non ſunt, ſed in ea animi parte quæ perturbationibus obnoxia eſt. Zeno tamen, vt infrà dicet, eas etiam in ratione ponit. Sunt & aliæ voluntariæ morum virtutes, quæ in ratione ſunt: vt ſcientia, prudentia, ars, ſapientia. Mores enim hic latius accipimus. *Ingenij*) Nam qui docilitate & memoria præſtant, ingenioſi dicuntur.

*Studia*) exercitationem & aſſiduitatem cum diſciplina, qua parari virtutis habitum volebant. Huc pertinet illa quæſtio à Platone in Menone diſputata, quibus rebus virtus pararetur, naturáne, an arte, an exercitatione. ſed exercitatio virtutis moralis potiſſimum videtur: ratio & doctrina eius, quæ mentem exornat: vt prudentiæ, ſcientiæ, artis, quas ad mores etiam hic refert.

*Ratione*) doctrina & diſciplina. id enim ſæpè ratio ſignificat, vt virtus moralis ſtudio & doctrina pariatur. ea enim fuit, vt ex hoc loco apparet, veteris Academiæ ſententia, non tamen Platonis, vt ex Menone perſpici poteſt, vbi cenſet, diuino quodam munere hominibus tribui.

*Philoſophia*) philoſophia moralis: ita enim ſæpè nomen philoſophiæ vſurpatur.

*Progreſſio*) προκοπή, qua de re extat libellus Plutarchi. nam Stoici in ea re hærebant, cũ omnes qui nondũ perfectã virtutem conſecuti erant, à virtute tantundem abeſſe cenſerent, in quo meritò reprehenduntur.

*Vitæ autem (id enim erat tertium) adiuncta eſſe dicebant, quæ ad virtutis vſum valerent. Iam virtus animi, bonis & corporis cernitur in quibuſdam, quæ non tàm naturæ, quam beatæ vitæ adiuncta ſunt. Hominem eſſe cenſebant, quaſi partem quandam ciuitatis & vniuerſi generis humani, eumq́ coniunctũ cum hominibus humana quadam ſocietate. Ac de ſummo quidem atq́ naturali bono ſic agunt: cætera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, vt diuitias, vt opes, vt gloriam, vt gratiam. Ita tripartita ab ijs inducitur ratio bonorum. Atque hæc illa ſunt tria genera, quæ putant plerique Peripateticos dicere. Id quidem non falſo. eſt enim hæc partitio illorum. Illud imprudenter, ſi alios eſſe Academicos, qui tum appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. Communis hæc ratio, & vtriſq́ hic bonorum finis videbatur, adipiſci quæ eſſent in prima natura, quæq́ ipſa per ſeſe expetenda, aut omnia, aut maxima. Ea ſunt autem maxima, quæ in ipſo animo, atque in ipſa virtute verſantur. Itaq́ omnis illa antiqua philoſophia ſenſit in vna virtute eſſe poſitam beatam vitam: nec tamen beatiſſimam, niſi adiungerentur & corporis, & cætera quæ ſupra dicta ſunt, ad virtutis vſum idonea. Et hac deſcriptione, agendi quoq́ aliquid in vita, & officij ipſius initium reperiebatur, quod erat in conſeruatione earum rerum, quas natura præſcriberet. Hinc gignebatur fuga deſidiæ, voluptatumq́ contemptio: ex quo laborum dolorumq́ ſuſceptio multorum magnorumq́ recti honeſtiq́ cauſa, & earum rerum quæ erant congruentes cum deſcriptione naturæ. Vnde & amicitia exiſtebat, & iuſtitia, atq́ æquitas: hæcq́ & voluptatibus, & multis vitæ commodis anteponebantur. Hæc quidem fuit apud eos morum inſtitutio, & eius artis, quam primam poſui, forma atq́ deſcriptio.*



Vita)



*Vitæ*) Vita rerum fortuitarum quæ ad vſum virtutis valeant, modicam ſuppeditationem & naturę congruentem complectitur: ne quis diuitias, opes, gloriam eſſe putet. itaq; mox iſta ad augendum & tuendum naturæ bonum pertinere dicet, non in naturæ bonis eſſe. Eodem modo loquitur lib. 1. de Leg. cum ſcribit, *vita modica & apta virtute perfrui*, id eſt, modicè bonis ſuppeditata: quanquam alibi aliter explicaui.

*Iam virtus animi*) quædam ſunt animi bona, non tàm naturæ quàm beatæ vitæ adiuncta, vt auguſta illa ſapientia, & præſtans alicuius rei ſcientia. Nam his naturæ bona ſuperantur, vt memoria & docilitas, omniſque adeo moralis virtus. Itidem in bonis corporis, naturæ bonum eſt celeritas pedum, robur corporis: propemodum tamen ſupra naturam iſta in Lada & Milone Crotoniata fuerunt, vt eo nomine beati magis fuerint, quàm bonis naturæ prædit.

*Ciuitatis*) Stoicis mundus communis eſt deorum & hominum ciuitas: & Socrates ſe mundanum eſſe reſpondit, interrogatus cuias eſſet. Sic veteres Academici homines eſſe cenſent κοσμοπολίτας. In eo tamen Stoicos irridet Cicero libro quarto de Finibus, *At quanta conantur: mundum hunc omnem oppidum eſſe noſtrum.* Incendit igitur eos qui audiunt. Vitam quantam rem agas, vt qui Circeis habitet, totum hunc mundum ſuum municipium eſſe exiſtimet. *Vt diuitias*) nam hæc bona naturalia non ſunt.

*Vt opes*) potentiam. *Omnia*) animi, corporis fortunæ. *Maxima*) virtutes.

*Beatiſſimam*) Illis enim vita beata gradus habet, vt in virtute beata vita ſit, in virtute & alijs bonis beatiſſima.

*Ex hac deſcriptione*) ex illa deſcriptione rerum expetendarum, & his bonorum finibus naſcuntur officia Academicis, quæ quidem philoſophi quidam, vt Cicero docet in Officijs, *propoſitis bonorum & malorum finibus, peruertunt, vt Epicurei.*

*Hinc gignebatur*) vt ea conſequeremur & conſeruaremus quæ natura præſcribit, & honeſtum.

*Forma*) Formæ appellantur delineationes & exemplaria futuri operis. Cicero ad Atticum, *Formam igitur mihi totius Reipub. ſi iam es Romæ, aut cùm eris, velim mittas.* & alio loco, *Videre formam, & ex ea quale ædificium futurum ſit cognoſcere.* Eodem modo hic formam dixit. Eſt & ſutoris forma quam muſtricolam vocant. Horatius, *Si ſcalpra & formas non ſutor.*

*De natura autem (id enim ſequebatur) ita dicebant, vt eam diuiderent in res duas: vt altera eſſet efficiens, altera autem quaſi huic ſe præbens, eaq́ efficeretur aliquid. In eo quod efficeret, vim eſſe cenſebant: in eo autem quod efficeretur, materiam quandam in vtroq́ tamen vtrunque. Neq́ enim materiam ipſam cohærere potuiſſe, ſi nulla vi contineretur, neq́ vim ſine aliqua materia. nihil eſt enim, quod non alicubi eſſe cogatur. Sed quod ex vtroque, id iam corpus, & quaſi qualitatem quandam, nominabant. Dabitis enim profectò, vt in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, à quibus hæc iam diu tractantur, vtamur verbis interdum inauditis. Nos vero, inquit Atticus. Quinetiam Græcis licebit vtare quum voles, ſi te Latina forte deficient. Bene ſanè facis. Sed enitar, vt Latine loquar, niſi in huiuſcemodi verbis, vt Philoſophiam, aut Rhetoricam, aut Phyſicam, aut Dialecticã appellem, quibus vt alijs multis, conſuetudo iam vtitur pro Latinis. Qualitates igitur appellaui, quas ποιότητας Græci vocant, quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum, atq́ id in multis: Dialecticorum verò verba nulla ſunt publica, ſuis vtuntur. Et id quidem commune omniũ ferè eſt artium. Aut enim noua ſunt rerum nouarũ facienda nomina, aut ex alijs transferenda. Quod ſi Græci faciunt, qui in ijs rebus tot iam ſecula verſantur, quanto id magis nobis concedendum eſt, qui hæc nunc primum tractare conamur? Tu vero, inquam, Varro bene etiam meriturus mihi videris de tuis ciuibus, ſi eos non modò copia rerum auxeris, vt effeciſti, ſed etiam verborum. Audebimus ergo, inquit, nouis verbis vti te auctore, ſi neceſſe eſt.*

*Efficiens*) forma. *Se præbens*) Materia. Legendum autem cenſeam. Ex qua efficeretur. Alij ea qua, legere malunt. *Cohærere*) conſtare. *Sine aliqua*) neque forma eſſe ſine materia poteſt.

*Alicubi*) Nam Platoni & Platonicis materia locus eſt. id ex Timæo intelligi poteſt.

*Et quaſi qualitatem*) ποιότης, id eſt, qualitas, vulgi non eſt, ſed philoſophorum verbum. In hac vero ſignificatione Stoicorum proprium, quorum, vt opinor, vocabulis etiam Academici vtebantur. Stoicis autem cùm qualitates corporatæ ſint, idcirco, vt opinor, materiam corporatam qualitatem vocabant: quanquam non tàm ſæpè ποιότητα, quàm πεποιωμένην dicere ſolebant. Alexander Aphrodiſieus contra Stoicos diſſerens, λέγω δὲ περὶ τῶν ἐνεργείᾳ σωμάτων, καὶ ὥς φασιν αὐτοὶ πεποιωμένων, εἴη ἂν καὶ ἡ ψυχὴ αἰσθητή. οὐ γὰρ δὴ ἄποιόν γε σῶμα αὐτὴν ἐροῦσιν. ἔσται γὰρ ὕλη: id eſt, Loquor autem de corporibus quæ reipſa ſunt, & vt ipſi loquuntur, qualitate affecta ſunt, animus ſenſu percipietur. non enim eum corpus eſſe dicent qualitate vacans. eſſet enim materia, niſi ſi qualitatem Cicero per metonymiã hic vocet qualia, id eſt, τὰ πεποιομένα, quod potius reor. Stoica etiam nonnulla prope Academicis hic attribuit.

*Atque id in multis*) Nam alia etiam multa vocabula philoſophi nouarunt. *Suis*) proprijs, quibus vulgus non vtitur.

*Earum igitur qualitatum ſunt aliæ principes, aliæ ex ijs ortæ. Principes ſunt vnius modi, & ſimplices: ex ijs autem ortæ, variæ ſunt & quaſi multiformes. Itaque aër quoque (vtimur enim pro Latino) ignis & aqua, & terra, prima ſunt. Ex ijs autem ortæ animantium formæ, earumq́ rerum quæ gignuntur è terra. Ergo illa initia, & vt è Græco vertam, elementa dicuntur: è quibus aër, & ignis mouendi vim habent & efficiendi: reliquæ partes accipiendi, & quaſi patiendi, aquam dico & terram. Quintum genus è quo eſſent aſtra, menteſque ſingulares, eorum quatuor, quæ ſupra dixi, diſſimile Ariſtoteles quoddam eſſe rebatur. Sed ſubiectam putant omnibus ſine vlla ſpecie, atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando vſitatius hoc verbum & tritius) materiam quandam, ex qua omnia expreſſa, atq́ effecta ſint, quæ tota omnia accipere poſſint, omnibuſq́ modis mutare, atque ex omni parte,*

*eóque etiam interire etiam non in nihilum, ſed in ſuas partes, quæ infinitè ſecari atque diuidi poßint, quum ſit nihil omnino in rerum natura minimum, quod diuidi nequeat. Quæ autem moueantur, omnia interuallis moueri, quæ interualla etiam infinitè diuidi poßint. Et quum ita moueatur illa vis, quam qualitatem eſſe dicimus, & quum ſit vltrò citróque verſetur, & materiam ipſam totam penitus commutari putant, & ita effici quæ appellant qualia, è quibus in omni natura cohærente, & continuata cum omnibus ſuis partibus, effectum eſſe mundum, extra quem nulla pars materiæ ſit, nullumq́ corpus.*

*Earum igitur qualitatum*) Prima quædam corpora ſunt, vt elementa: alia ex iis orta, vt reliqua. Stoicis qualitates formæ ſunt, vt dixi, rerum corpore non carentes: quorum vocabulo vtitur Plutarchus: περὶ στωϊκῶν ἐναντιωμάτων. καίτοι πᾶν ταχὺ τὴν ὕλην ἀργὸν ἐξ ἑαυτῆς καὶ ἀκίνητον ὑποκεῖσθαι ταῖς ποιότησιν ἀποφαίνουσι. τὰς δὲ ποιότητας πνεύματα, ἔνιοι δὲ καὶ τόνους ἀερώδεις, οἷς ἂν ἐγγένονται μέρεσιν εἰδοποιεῖν ἕκαστα καὶ σχηματίζειν: id eſt, Quanquam vbiq; materiam ipſam ignauam ſuapte natura, & immobilem qualitatibus ſubiici prædicant: qualitates autem ſpiritus, nonnulli vigorem aerium quibuſcunque ingeneretur partibus, eas formare & fingere. *Vnius modi*) vt aer vnius modi & generis, & aqua & reliqua. *Gignuntur è terra*) i. ſtirpium & herbarum: ſic ſæpè loquitur lib. 2. de Natura deorum.

*Multif.*) πολυειδεῖς, vt in vocabulo nouato & prope poëtico, quaſi addidit.

*Illa initia*) Ariſtoteles & Plato initia ab elementis diſtinguunt, vt initia ſint materia & forma: elementa ignis, aqua, terra. hic nulla diſtinctio eſt.

*Accipiendi*) i. ferendi. de Nat. deorum, *Quod effugiat aliquid accipiendi extrinſecus*, i. quaſi ferendi & patiendi neceſſitatem. *Aer & ignis*) Qualitates principes Ariſtoteli efficiunt, calor & frigus: patiuntur, humor & ſiccitas. proinde Ariſtoteli aer patitur, propterea quod humidus eſt: aqua magis agit quàm patitur, quia frigida. Stoici contra cenſent: aeri primum frigus ineſſe. ſed id videri poteſt ita deſcripſiſſe ex agilitate & mobilitate? quæ maior eſt in igne & aere.

*Quintum genus*) Eandem de quinta natura, Platonis quam Ariſtotelis ſententiam fuiſſe ſcribit Proculus in Timæum his verbis, τί γὰρ διαφέρει πέμπτον στοιχεῖον καλεῖν, ἢ πέμπτον κόσμον καὶ σχῆμα πέμπτον, ὡς ὁ Πλάτων ἐκάλεσε: id eſt, Quid enim intereſt quintum elementum vocare, aut quintum mundum & figuram quintam, vt Plato vocauit? *E quo eſſent aſtra*) Cœlum quintum elementum vocat Ariſtoteles.

*Menteſque ſingulares*) animi ſingulorum. huius rei in prima Tuſcul. meminit. Ariſtoteles autem lib. 2. de Procreatione animalium cenſet omnem animi poteſtatem etiam in mutis animantibus corporis eſſe cuiuſdam participem nobilioris quàm elementa: idque eo præſtantius eſſe, quo animus ſit præſtantior. Quo quidem in loco Ariſtoteles vehiculum ætherium attingit à Platone animis attributum. Id cum legiſſet apud Ariſtotelem Galenus, ſcripſit eum cogi animum fateri corporatum. D. quoque Auguſtinus Ariſtotelis ſententia animum materiatum & corporatum dicit eſſe. Ariſtoteles tamen corpus illud attributum animo, animum eſſe fortaſſe non diceret. *Sed ſubiectam*) Nam illis materia prima omni forma & qualitate caret: id eſt, quod aiunt, ὕλη ἄποιός ἐστι. *Expreſſa atque effecta*) Legendum puto efficta, vt ſuperius, Quam fingit & format effectio. *Tota omnia accipere poſſit*) elementa & materia omnia quæcunque gignuntur accipiunt, omniumque rerum formas induunt. aut quicquid gignitur, elementa & materiam accipit, eaque formis mutat & nouat. Alij poſſit & mutari legunt, ac de materia intelligunt, quæ à Platone in Timæo, idcirco ὑποδοχὴ καὶ πανδεχὲς vocatur, quod omnium receptaculum ſit.

*Mutare*) nouare, alijs atque alijs ſubinde aduenientibus formis. *Non in nihilum*) quia materiam habent, non poſſunt in nihilum interire, verùm in materiam, licet non primam, reſoluuntur, ſed forma alia nouatam, vt in elementa quæ ipſorum partes ſunt. *Quæ infinitè*) Id corporibus omnibus conuenit, vt in infinita poteſtate ſecari poſſint, vt Academici & Peripatetici, adeoque Geometræ omnes cenſent, repugnantibus Epicureis, qui corpuſcula quædam indiuidua ponunt rerum primordia.

*Interuallis*) Motus ſpatia habet, quæ eodem modo, vt corpora infinitè diuidi poſſunt, vt Ariſtoteles ſcribit: cumque tempus numerus ſit motus primi globi cœleſtis, eodem modo eius partes infinitè ſecari poſſunt. *Moueatur illa vis*) Vt enim forma materiam mouet, ita viciſſim ab ea mota mouetur. Plato, σείεσθαι μὲν ὑπ' ἐκείνων αὐτήν, κινουμένην δ' αὖ πάλιν ἐκεῖνα σείειν. i. concuti quidem ab illis eam, motam autem viciſſim illa concutere. Vel potius cum moueatur, fuerit, cùm agat in materiam, & in ea mouenda verſetur. *Qualia*) τὰ ποιὰ vel πεποιωμένα. *Natura cohær.*) Mundus ex partibus coagmentatus eſt coniunctis & continentibus inter ſe, non diſiunctis, nec diſtractis, vt natura vna continuata contineri poſſit. Cic. lib. 2. de Nat. deorum, *Quæque conuerſione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt vnamque naturam.* *Nulla pars*) in Timæo, *Earum autem quatuor rerum, quas ſupra dixi, ſic in omni mundo partes omnes collocatæ ſunt: vt nulla pars huiuſce generis excederet extra: atque in hoc vniuerſo ineſſent genera illa vniuerſa.*

*Parteis autem eſſe mundi omnia, quæ inſint in eo, quæ natura ſentiente teneantur, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna. nihil enim valentius eſſe à quo intereat: quam vim animum dicunt eſſe mundi, eandemque eſſe mentem, ſapientiámque perfectam, quem deum appellant, omniumq́ rerum, quæ ſunt rei ſubiectæ, quaſi prouidentiam quandam procurantem cæleſtia maximè, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines. Quam interdum eandem neceßitatem appellant, quia nihil aliter poßit, atq́ ab ea conſtitutum ſit, euenire, quaſi fatalem & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni. Interdum quidem eandem fortunam, quòd efficiat multa improuiſa hæc nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemq́ cauſarum. Tertia deinde philoſophiæ pars, quæ erat in ratione, & in diſſerendo, ſic tractabatur ab vtriſque. Quanquam oriretur à ſenſibus, tamen non eſſe iudicium veritatis in ſenſibus. Mentem volebant eſſe rerum iudicem: ſolam cenſebant idoneã cui crederetur, quia ſola cerneret id quod ſemper eſſet ſimplex, & vnius modi, & tale quale. Hanc illi ideam appellabant, iam à Platone ita appellatam: nos rectè ſpeciem poſſumus dicere.*





*Natura ſentiente*) Nam alijs quibuſdam philoſophis vis eſſe videtur ſenſus & rationis expers, natura autem illa ſentiens fuerit animus mundi, qui à Plat. dicitur. Cic. lib. 2. de Nat deor. *Secunda autem quæ docet res omnes ſubiectas eſſe naturæ ſentienti.* Hæc ſententia etiam Stoic. fuit, qui vim diuinam in ratione eſſe poſitam, & vniuerſæ naturæ animo atque mente cenſuerunt: legem etiam naturalem vocarunt, & legem perpetuam & æternam.

*Sempiterna*) mundi natura, vt proinde mundus ſempiternus ſit.

*Quam vim*) naturæ ſentientis. *Animum mundi*) Nam Plato in Timæo, *mundum animantium perfectiſſimum eorũ cenſet, qui ſub aſpectum cadunt.* *Deum appellant*) Non eſt Plat. ſummus deus mundi animus: deus tamen eſt, cum etiam ab eo mundus deus nominetur: velut in Athlantico, τῷ δὲ πρὶν μὲν ποτε ἔργῳ, νῦν δὲ λόγοις ἄρτι θεῷ γεγονότι. loquitur enim de mundo. *Quaſi prudentiam*) πρόνοιαν ſignificat, quæ non tantum ſit ſupremi dei, verum etiam animi mundi, qui cœleſtia maxime procurat: in quibus nulla mutatio eſt, ſed conſtans & ratus ordo. Atq; hæc etiam à Stoicis dicuntur. Cic. lib. 2. de Nat. deor. *Talis igitur mens mundi cùm ſit, ob eámq́ cauſam vel prudentia, vel prouidentia appellari rectè poſſit, &c.* *Quæ pertin.*) In terris maior viciſſitudo eſt & perturbatio, prouidentia tamen cum in orbe terrarum omnia reguntur, tum quæ ad homines pertinent maxime. *Neceſſitatem*) fatum. Duobus autem modis fatum à Platone dicitur, vt Plutarchus ait, vi & eſſentia. In poſteriore autem ſignificatione animus eſt mundi, tres in partes diſtributus, globum inerrantem, globum errantem, & plagam cœlo ſubiectam. Verba Plutarchi ſunt: ἡ δὲ κατ' οὐσίαν εἱμαρμένη ἔοικεν εἶναι σύμπασα ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ τριχῆ διανεμηθεῖσα, εἴς τε τὴν ἀπλανῆ μοῖραν, καὶ εἰς τὴν πλανᾶσθαι νομιζομένην, καὶ εἰς τρίτην τὴν ὑπουράνιον τὴν περὶ γῆν ὑπάρχουσαν. id eſt, Fatum autẽ quod in natura eſt, eſſe videtur totus mundi animus trifariam diſtributus, in partem inerrantem, & in eam quæ errare cenſetur, & in tertiam plagam cœlo ſubiectam, terræ adiunctam. Iſta autem inſignem habent apud Platonicos diſtinctionem præſertim animus mundi & deus, quæ tamen Stoicis ſunt eadem.

*Fortunam*) Cic. in Topicis, *Cum enim nihil ſine cauſa fiat, hoc ipſum eſt fortuna, euentus obſcura cauſa, quæ latenter efficitur.* Sed neſcio quo modo vis adfertur vocabulis, & eorum notiones conturbantur. Ita enim efficitur, vt cum fatum & fortuna plurimum differant: vnum tamen idemque eſſe videantur. Itaque Alexander Stoicos qui idem de fortuna dicunt, ſic reprehendit; τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσιν οἱ τὴν τύχην καὶ τὸ αὐτόματον ὁριζόμενοι, αἰτίαν ἄδηλον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ, ἢ τύχης τι σημαινόμενον ἴδιον εἰσάγουσί τε καὶ νομοθετοῦσιν. id eſt, Quid enim aliud faciunt qui fortunam, & caſum definiunt cauſam humano ingenio obſcuram, quàm quod fortunæ nouam quandam ſignificationem introducunt & ſanciunt?

*In ratione*) In oratione legendum fortaſſis eſſe videatur. *Quanquam*) Veri diſceptatio & diiudicatio dialectices propria eſt. ad veri autem notionem duo comparata ſunt, quæ κριτήρια dicuntur, ſenſus & mens. Plato tamen ſenſui quàm minimum tribuit, ac propè nihil: plurimum menti. *Oriretur*) Nam quandiu in hoc corpore incluſus eſt animus, ſenſuum miniſterio & ſeruitio vtitur ad rerum cognitionem, qui tamen ea tantum percipiunt, quæ nunquam verè ſunt, ſed eſſe videntur. *Id quod ſemper*) Plato in Timæo, *Quid eſt quod ſemper ſit, neq́ vllum habeat ortũ: & quod gignatur, nec vnquã ſit? quorum alterũ intelligentia & ratione comprehenditur, quod vnum atq́ idem ſemper eſt: alterum quod affert opinionem ſenſus rationis expers, quod totum opinabile eſt, id gignitur & interit, nec vnquam eſſe verè poteſt.* Mens igitur rerum ſpecies quæ ſimplices ſunt & vniuſmodi (nihil enim in eis compoſitum, multiplex, varium, vt in iis quæ creata ſunt) percipit.

*Senſus autem omnes hebetes, & tardos eſſe arbitrabantur: nec percipere vllo modo res eas, quæ ſubiectæ ſenſibus viderentur, quæ eſſent aut ita paruæ, vt ſub ſenſum cadere non poſſent: aut ita mobiles & concitatæ, vt nihil vnquam vnum eſſet conſtans eidem quidem, quia continenter laberentur & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. Scientiam autem nuſquam eſſe cenſebant, niſi in animi motionibus, atque rationibus. Qua de cauſa definitiones rerum probabant, & has ad omnia de quibus diſceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, id eſt, qua de cauſa quæque eſſent ita nominata, quam etymologiam appellabant. Poſt argumentis & quaſi rerum notis ducibus vtebantur ad probandum, & concludendum id quod explanari volebant, in qua tradebatur omnis dialecticæ diſciplina, id eſt orationis ratione concluſæ. Huic quaſi ex altera parte oratoria vis adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ ad perſuadendum accommodatæ. Hæc erat illis prima à Platone tradita, cuius quas acceperim diſputationes, ſi vultis, exponam. Nos vero volumus, inquam, vt pro Attico etiam reſpondeam. Et rectè, inquit, reſpondes. Præclarè enim explicatur Peripateticorum, & Academiæ veteris auctoritas.*

*Aut ita mobiles*) in Theæteto & Timæo id à Platone pluribus tractatur: atque hac in re, vt Laertius ait, Heracliti ſententiam ſequebatur, omnia mobilia & fluxa eſſe profluentis more cenſentis. Plat. in Timæo: φεύγει γὰρ οὐχ ὑπομένον τὴν τοῦ τόδε, καὶ τὴν τούτου, καὶ τὴν τῷδε, καὶ πᾶσαν ὅση μόνιμα ὡς ὄντα αὐτὰ ἐνδείκνυται φάσις: id eſt, Fugit enim non expectans hoc & huius & huic, & omnem quæcunque ſtabilia quaſi ſint indicat ſignificationem.

*Eidem*) vt nihil vnum cuiquam ineſſet conſtanter & fideliter.

*Laberentur*) Cic. in oratore ad Brutum, *Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi grauiſſimus auctor & magiſter Plato: eáſque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione & intelligentia contineri: cætera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe vno & eodem ſtatu.* *Opinabilem*) Quod enim rationis eſt expers, quodque in ſenſu conſidit, opinabile eſt, vt ait Plato. opinionem enim creat, non firmam ſcientiam.

*Motionibus*) animi agitationibus. nam in cogitando animus Platoni mouetur. Alij notionibus legunt, quæ explicantur definitionibus & etymologijs, vt rationes argumentatione.

*Definitiones*) ſemper enim Platoni in omni inſtitutione proficiſci placet à definitione.

*Verborum*) qua de re plurima Plato diſſerit in Cratylo. Notatio autem vim & notionem verbi declarat.

*Rerum notis*) quaſi ſignis & indicijs. metaphora eſt. *Adprobandum*) in probationibus & concluſionibus, quas ratiocinationes vocant.

*Ratione*) ratiocinatione. nam συλλογισμὸν Stoici λόγον vocare ſolebant, & eorum more alij. Dialectica autē poſita eſt in probationibus & concluſionibus: illæ argumenta habent, hæ argumenta in ratiocinationes includunt. *Oratoria vis dicendi*) dicendi expungendum eſt, vt gloſſema. Id autem ab Ariſtotele ad Theodecten dicitur, ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφός ἐστι τῇ διαλεκτικῇ, quod hic interpretatur, quaſi ex altera parte adhiberi: in Oratore ad Brutum, quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ. Nec ea videtur Platonis, ſed Ariſtotelis ſententia fuiſſe. Plato enim oratoribus iniquior, vim dicendi vſu quodam comparari, non artificio conſtare putat. Ariſtoteles eum perſtringens, arte informari poſſe docet: nec vt Plato obſoniorum apparationi, ſed dialecticæ reſpondere cenſet, vocabulumque Platonis vſurpat, ἀντίστροφον, quod Cicero melius multo interpretatur, quàm Græci interpretes: quod intelligi poteſt ex Platone ſic ſcribente: τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ψυχῇ, πολιτικὴν καλῶ. τὴν δὲ ἐπὶ σώματι, μίαν μὲν οὕτως ὀνομάσαι οὐκ ἔχω σοι. μιᾶς δὲ οὔσης τῆς τοῦ σώματος θεραπείας, δύο μόρια λέγω, τὴν μὲν γυμναστικήν, τὴν δὲ ἰατρικήν. τῆς δὲ πολιτικῆς, ἀντὶ μὲν γυμναστικῆς τὴν νομοθετικήν, ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην: id eſt, Vnam in animo, ciuilem voco: alteram in corpore, quam vnam ſic nominare non poſſum. vnius autem corporis cultus duas partes dico, vnam exercitatricem, alteram medicinam. Ciuilis autem prudentiæ pro exercitatione legiſlatricem, medicinæ è regione reſpondentem iuſtitiam. Sic enim iſta partitur, vt tanquam ex altera parte ſimilia ſimilibus quadam ratione obiaceant, non aliter quàm in plauſtro obuerſantur rotæ. vel quòd ſibi ſic mutuo reſpondeant, vt quæ appellantur in canticis antiſtropha, velut ſtrophe & antiſtrophe. Iterū, ὃ μὲν οὖν ἐγώ φημι τὴν ῥητορικὴν εἶναι, ἀκήκοας, ἀντίστροφον ὀψοποιίας ἐν ψυχῇ, ὡς ἐκεῖνο ἐν σώματι. id eſt, Quid igitur dicam eſſe rhetoricam, audiſti è regione reſpondentem obſoniorum apparationi in animo, vt illam in corpore. Itaque ſententiam Ariſtotelis Cic. magis percepit & expreſſit, quàm interpretes Græci. Huius me rei admonuit Georgius Bucananus.

*Perpetua*) orationis continentis. Dialecticorum enim oratio in interrogationibus poſita eſt & diſputationibus: quod veteribus magis credendum eſt, qui dialecticos & oratores viderunt, quam quibuſdam huius ætatis ab illis diſſentientibus, & notiones vocabulorum conturbantibus: cum hodie nec dialecticum, nec oratorem habeamus, & alioqui ſatis ipſum nomen dialectices id oſtendat, cuius eadem eſt quæ dialogi origo. Itaq; verſatur in interrogando & reſpondendo: quod & à Platone lib. 8. de Rep. & ab Ariſtotele initio Rhetorices ad Theodecten dicitur. *Prima*) ratio, in qua poſteriores aliquid mutauerunt, vt mox dicet. *Diſputationes*) quæ in diſputationem vocentur, & contentionem, de quibus diſſenſio ſit.

*Auctoritas*) quarum rerum auctores fuerunt, quæque eorum fuerit ſententia.

*Ariſtoteles primus ſpecies, quas paulò antè dixi, labefactauit, quas mirificè Plato erat amplexatus, vt in his quiddā diuinum eſſe diceret. Theophraſtus autem vir & oratione ſuauis, & ita moderatus, vt præ ſe probitatem quandam & ingenuitatē ferat, vehementius etiā fregit quodammodo auctoritatem veteris diſciplinæ. Spoliauit enim virtutē ſuo decore, imbecillámq; reddit, quòd negauit in ea ſola poſitū eſſe beatè viuere. Nam Strato eius auditor, quanquā fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omnino ſemouendus eſt. qui quū maxime neceſſariā partem philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute, & in moribus reliquiſſet, totumq; ſe ad inueſtigationē naturæ contuliſſet, in ea ipſa plurimū diſcedit à ſuis. Speuſippus autem, & Xenocrates, qui primi Platonis rationem, auctoritatemq; ſuſceperant, & poſt eos Polemo & Crates, vnaq; Crantor, in Academia congregati, diligenter eis quæ à ſuperioribus acceperant, vtebantur. Iam Polemonem audiuerant aſſiduè Zeno & Arceſilas.*

*Ariſtoteles*) in his quæ inſcripſit μετὰ τὰ φυσικά. Plato autem ſpecies induxerat ad diſputationū definitiones, vt ait Ariſtoteles. Itaque ea de cauſa à Cicerone idea dialecticæ hic attributa eſt.

*Theophraſtus*) qui ante Tyrtamus dicebatur: deinde ab orationis diuinitate Theophraſtus vocatus eſt: quod tamen Senecæ non placet ita ſcribenti, *In hac ſententia licet ponas Ariſtotelem & Theophraſtum eius diſcipulum, non vt Græcis viſum eſt diuini: tamen et dulcis eloquij virum, & nitidi ſine labore.* *Et ita moderatus*) & vita moratus, quidam legunt. *Fregit*) in lib. de beata vita, vt Cic. ait in 5. Tuſcul. & in Calliſthene, in quo illam laudauit ſententiam, *Vitam regit fortuna, non ſapientia*: τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽, οὐκ εὐβουλία.

*Strato*) Lampſacenus, phyſicus appellatus, quod in ea philoſophiæ parte diligenter verſatus eſſet. Seneca, *Straton ex eadem ſchola eſt, qui hanc partem philoſophiæ maxime coluit, & rerum naturæ inquiſitor fuit.*

*Auctoritatem*) ſententiam, vt paulo ante, Fregit quodammodo auctoritatem veteris diſciplinæ.

*Sed Zeno quum Arceſilam anteiret ætate, valdéque ſubtiliter diſſereret, & peracutè moueretur, corrigere conatus eſt diſciplinam. Eam quoque (ſi videtur) correctionem explicabo, ſicut ſolebat Antiochus. Mihi vero, inquam videtur, quod vides idem ſignificare Pomponium. Zeno igitur nullo modo is erat, qui vt Theophraſtus, neruos virtutis inciderit, ſed contrà qui omnia quæque ad beatam vitam pertinerent, in vna virtute poneret: nec quicquam aliud numeraret in bonis, idqúe appellaret honeſtum, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & vnum bonum: cætera autem & ſi nec bona, nec mala eſſent: tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ eſſe contraria. Iis ipſis alia interiecta & media numerabat. Quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat contráque contraria. Neutra autem in medijs relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino eſſe momenti. Sed quæ eſſent ſumenda, ex ijs alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris. Quæ pluris, ea præpoſita appellabat: reiecta autem, quæ minoris. Atque, vt hæc non tàm rebus, quàm vocabulis commutauerat: ſic inter rectè factum, atque peccatum, officium, & contra officium, media locabat quædam, rectè facta ſola in bonis actionibus ponens: prauè, id eſt peccata, in malis. Officia autem, & ſeruata prætermiſſáque, media putabat, vt dixi.*

Et peracutè



*Et peracutè moueretur*) valde ſolers & acutus eſſet in excogitando: ſic lib. primo de Orator. *Nam & animi & ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandúmque ſint vberes.* ſubtilis enim & acutus erat diſputator Zeno. *Diſciplinam*) veterem. *Inciderit*) Alij legunt, Incideret: omnia autem in virtute Zeno ponebat, eamq; ſolam in rebus expetendis boniſq; numerabat.

*Omnia quæque*) Alij quæ legunt. Scripti libri quæque habent pro quæcunque, vt pro Seſtio, *Hæc qui defendunt optimates ſunt cuiuſque ſint ordinis.* i. cuiuſcunq; ſint ordinis. *Simplex*) non duplex, aut multiplex, ſed vniuſmodi. non enim ex multis conflatum eſſe putabat. ſed in vna virtute poſitum. *Alia ſecundum naturā*) alia commoda, alia incommoda ponebat. *Interiecta*) in quibus nihil neq; commodi, neq; incommodi eſſet. *Neutra autem*) vt digitū extendere vel contrahere, pares aut impares in capite pilos habere.

*Sumenda*) non expetenda, vt ſuperiores, ſed ſumenda cenſebat. *Præpoſita*) προηγμένα.

*Reiecta*) ἀποπροηγμένα, quæ omnia fuſiſſimè in libris de Finibus explicantur, & à Diogene Laertio.

*Non tàm rebus*) quia commoda quàm bona, incommoda quàm mala appellare malebat.

*Inter rectè factum*) κατόρθωμα, quod officium perfectum eſt, vt iuſte depoſitum reddere.

*Officium*) quæ inchoata quædam eſt virtutis actio, & commune officium, vt depoſitum reddere. Cicero in Officijs, *Perfectum officium rectum opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα. hoc autem commune officium vocant: atque ſic definiunt, vt rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant: medium autem officium id eſſe dicunt, quod cur factum ſit ratio probabilis reddi poſſit. Sunt autem perfecta officia ſapientis, reliqua aliorum.* id libro quoque tertio de Finibus explicatur.

*Quúmque ſuperiores non omnem virtutem in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura, aut more perfectas: hic omnes in ratione ponebat. Quúmque illi ea genera virtutum, quæ ſupra dixi, ſeiungi poſſe arbitrarentur: hic nec id vllo modo fieri poſſe diſſerebat, nec virtutis modò, vt ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum, nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper vteretur. Quúmque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturáque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent, ſed ea contraherent, in anguſtúmque deducerent: hic omnibus his quaſi morbis voluit carere ſapientem. Quúmque eas perturbationes antiqui naturales eſſe dicerent, & rationis expertes, aliaq; in parte animi cupiditatē, alia rationem collocarent, ne ijs quidē aſſentiebatur. Nam & perturbationes voluntarias eſſe putabat, opinioniſq; iudicio ſuſcipi, & omnium perturbationum arbitrabatur matrem eſſe, immoderatam quandam intemperantiam. Hæc ferè de moribus.*

*Naturæ aut more*) Quæ enim natura perfectæ ſunt ab illis in ratione ponuntur, vt docilitas, memoria: quæ more, ferè in ea animi parte, quæ per ſe rationis eſt expers, perturbationibuſque agitatur: quanquam rationi paret. *In ratione*) Nam Zenoni virtus nihil aliud eſt, quàm perfecta ratio, vel quàm conſtans & perpetua ratio vitæ. Has definitiones à Stoicis lib. 1. Legum Cicero mutuatus eſt. Quinetiam Zeno perturbationes in opinione & iudicio poſuit.

*Poſſe arbitrarentur*) Neque enim quiſquam Academicorum & Peripateticorum, vt cenſet Cicero, affirmauit, qui virtutem vnam haberet, eum omnes habere. Id adeò vitæ docent exempla. Nam ferè prudentia timidior eſt, & philoſophi libentius in lectulo, quàm prælio moriuntur: multoſque abſtinentiſſimos & innocentiſſimos videmus, qui vt iniuriam non faciunt, ita cùm infertur alijs, minimè propulſant. Stoici non putant ſeiungi poſſe. Laertius, τὰς ἀρετάς φασιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν· id eſt, Virtutes aiunt ſeipſas mutuo ſequi, vt qui vnam habeat. Eorum ſententiæ etiam aſtipulatur Alexander Ariſtotelis interpres, diſſeritque ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, libro ſecundo de Animo.

*Vſum*) qui virtutis laudem omnem verſari in actione cenſent. *Nec tamen cuiquam*) Laertius, τὸν ἐνάρετόν φασι θεωρητικόν τε εἶναι καὶ ποιητικὸν τῶν πρακτέων. id eſt, Eum qui virtute præditus ſit, aiunt rerum agendarum non ſolùm prudentem, verùm etiam actorem. *Condoleſcere*) Quatuor attingit generales perturbationes, ægritudinem, cupiditatem, metum, lætitiam. *Contraherent*) Nam in perturbationum mediocritate ſitam eſſe virtutem cenſent. *Antiqui*) Academici & Peripatetici, quos etiam lib. 1. de Legibus veteres appellat. *Rationis*) Eas enim collocant in ea animi parte, quæ ratione vacat.

*Opinioniſque iudicio*) Meritò à Galeno in libris de decretis Hippocratis & Platonis, Stoicorū de perturbationibus ſententia exagitatur & vexatur exiſtimantiū eas rationis & iudicij eſſe, cùm motiones quædam ſint partis à ratione auerſæ. Sed & eam opinionem ante Galenum Poſidonius Stoicus damnarat, & Platonis auctoritatem approbarat. Galenus autem ſic Stoicorū ſententiam explicat, Χρύσιππος μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν ἀποδεικνύναι πειρᾶται κρίσεις τινὰς εἶναι τοῦ λογιστικοῦ τὰ πάθη· Ζήνων δ᾽ οὐ τὰς κρίσεις αὐτὰς ἀλλὰ τὰς ἐπιγινομένας αὐταῖς συστολὰς καὶ λύσεις ἐπάρσεις τε καὶ τὰς πτώσεις τῆς ψυχῆς ἐνόμιζεν εἶναι τὰ πάθη· ὁ Ποσειδώνιος δ᾽ ἀμφοτέροις διενεχθεὶς, ἐπαινεῖ τε ἅμα καὶ προσίεται τὸ Πλάτωνος δόγμα, καὶ ἀντιλέγει τοῖς περὶ Χρύσιππον οὔτε κρίσεις εἶναι τὰ πάθη δεικνύων, οὔτ᾽ ἐπιγινόμενα κρίσεσιν, ἀλλὰ κινήσεις τινὰς ἑτέρων δυνάμεων ἀλόγων. id eſt, Itaq; Chryſippus in primo de Perturbationibus oſtendere nititur perturbationes iudicia quædam eſſe rationis: Zeno autem non iudicia, ſed iudicijs adiunctas contractiones & ſolutiones, elationes & collapſiones animi exiſtimabat perturbationes eſſe: at Poſidonius ab vtroq; diſcrepans laudat & approbat Platonis ſententiā. Chryſippumq; oppugnat, oſtendēs perturbationes neq; iudicia eſſe, neq; quæ iudicio ſuperueniunt, ſed commotiones quaſdam alterius poteſtatis ratione carentis. Cum autē Stoici iudicia quædā eſſe rationis exiſtiment perturbationes, idcirco nullas eſſe in brutis, quod ratione careant, dicunt. Cic. 4. Tuſculana, quorum omnes morbi & perturbationes ex aſpernatione rationis eueniunt. itaq; in hominibus ſolum exiſtunt. nam beſtiæ ſimile quiddā faciunt, ſed in perturbationes non incidunt. Hic autem, vt ex Galeno apparet, Cic. magis Chryſippi, quàm Zenonis ſententiā explicat, fortaſſe quia nihil aut non multū ei differre videbatur.

*De naturis autē ſic ſentiebat. Primū vt in quatuor initijs rerū illis quintam hanc naturā, ex qua ſuperiores ſenſus, & mentē effici rebantur, non adhiberet: ſtatuebat enim ignem eſſe ipſam naturā, quæ quicque gigneret,*

*gigneret, & mentem atque ſenſus: diſcrepabat etiam ab iiſdem, quòd nullo modo arbitrabatur quicquam effici poſſe ab ea, quæ expers eſſet corporis. Cuius generis Xenocrates, & ſuperiores etiam animum eſſe dixerunt. Nec vero aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe non corpus. Plurima autem in illa tertia philoſophiæ parte mutauit. In qua primum de ſenſibus ipſis quædam dixit noua, quos iunctos eſſe cenſuit, è quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, quam ille* φαντασίαν, *nos viſum appellemus licet: & teneamus hoc verbum quidem. erit enim vtendum in reliquo ſermone ſæpius. Sed ad hæc quæ viſa ſunt, & quaſi accepta ſenſibus, aſſenſionem adiungit animorum, quam eſſe vult in nobis poſitam, & voluntariam.*

*Quintam*) quatuor tantum elementa Zeno ponit, quintam autem naturam non agnoſcit. cœlum enim igneum eſſe putat.

*Ignem eſſe*) Cic. lib. 2. de Nat. deorum. Zeno igitur naturam ita definit, vt eam dicat ignem artificioſum eſſe ad gignendum progredientem via.

*Mentem atque ſenſus*) Mens enim, ſenſus, animus, Stoicis ſpiritus eſt calidus, qui refrigeratione animatur, & ex natura in animum commutatur concepta quadam acie & firmitate. Plutarchus, τὴν ψυχὴν οἱ Στωϊκοὶ πνεῦμα θερμὸν ἔλεγον: id eſt, animum Stoici ſpiritum eſſe calidum dicebant. Alio loco, γίνεσθαι μὲν γάρ φησι τὴν ψυχὴν ὅταν τὸ βρέφος ἀποτεχθῇ, καθάπερ στομώσει τῇ περιψύξει τοῦ πνεύματος μεταβαλόντος: id eſt, Gigni enim ait animum cum fœtus foras editus eſt, ſpiritu ipſo perfrigeratione tanquam quadam aciei firmitate commutato.

*Ab ea quæ expers eſſet*) natura ſcilicet. alijs natura quæ vis eſt efficiens, corpore vacat, Zenoni corporata eſt, ignis ſcilicet: proinde & animus qui ex ea gignitur: nec ſolùm natura, ſed qualitates etiam omnes illis corporatæ ſunt, extatque in Stoicos hac de re libellus Galeno aſcriptus: & hic ab Alexandro grauiter oppugnantur. Quo autem proceſſerint eorum nugæ, ex Plutarcho operæ precium eſt cognoſcere. ἄτοπον γὰρ δὴ μάλα τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς κακίας, πρὸς δὲ ταύταις τὰς τέχνας καὶ τὰς μνήμας πάσας, ἔτι δὲ φαντασίας, καὶ πάθη, καὶ ὁρμὰς, καὶ συγκαταθέσεις, σώματα ποιουμένους ἐν μηδενὶ φάναι κεῖσθαι, μηδὲ ὑπάρχειν, τόπον δὲ τούτοις ἕνα τὸν ἐν τῇ καρδίᾳ στιγμιαῖον ἀπολιπεῖν, ὅπου τὸ ἡγεμονικόν. i. Ineptum enim valde eſt cum virtutes, vitia, ad hæc artes omneſq; recordationes, præterea viſa, perturbationes, appetitiones, aſſenſiones corpora faciant, ea nulla in re dicere collocata eſſe & inhærere: locum autem eis vnum relinquere in corde puncti inſtar, vbi animi principatus eſt. Mox ait ab his Plutarchus non ſolùm corpora exiſtimari, verùm etiam animalia.

*Animum eſſe*) corporis expertem. *Senſibus*) in quibus iudicium veri veteres eſſe nolebant, ſed in mente: cum Zeno iudicium veri in eorum comprehenſionibus poſuerit.

*Iunctos*) Actio ſentiendi, quam etiam ſenſum Stoici dicunt, ex quadam impulſione viſorum conſtat & componitur, vt cenſet Zeno. ſic alio loco, Iunctum ex multis partibus Cicero dicit.

*Oblata*) obiecta. *Viſum*) Hoc nomen impoſuit ab acerrimo ſenſu oculorum. Huius autem viſi & comprehenſionis veteres non meminerant.

*Aſſenſionem*) συγκατάθεσιν. *In nobis poſitam*) Veteres enim nonnulli, vt Cicero docet in lib. de Fato, cenſuerant aſſenſiones vi & neceſſitate fieri.

*Viſis non omnibus adiungebat fidem, ſed his ſolum quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur. Id autem viſum, cum ipſum per ſe cerneretur, comprehenſibile. feretis hæc? Nos vero, inquit. quonam enim modo* καταληπτὸν *diceres? ſed cum acceptum iam, & approbatum eſſet, comprehenſionem appellabat, ſimilem iis rebus quæ manu prenderentur, ex quo etiam nomen hoc duxerat: at cum eo verbo antè nemo tali in re vſus eſſet, plurimiſque idem nouis verbis (noua enim dicebat) vſus eſt. Quod autem erat ſenſu comprehenſum, id ipſum ſenſum appellabat. Et ſi ita erat comprehenſum, vt conuelli ratione non poſſet, ſcientiam: ſin aliter, inſcientiam nominabat, ex qua exiſteret etiam opinio, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo incognitóque communis. Sed inter ſcientiam & inſcientiam, comprehenſionem illam, quam dixi, collocabat, eámque neque in rectis, neque in prauis numerabat, ſed ſoli credendum eſſe dicebat: è quo ſenſibus etiam fidem tribuebat, quod, vt ſupra dixi, comprehenſio facta ſenſibus, & vera eſſe & fidelis videbatur. non quod omnia quæ eſſent in re, comprehenderet: ſed quia nihil quod cadere in eam poſſet, relinqueret, quódque natura quaſi normam ſcientiæ & principium ſui dediſſet, vnde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur, è quibus non principia ſolùm, ſed latiores quædam ad rationem inueniendam viæ reperiuntur. Errorem autem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & ſuſpicionem, & vno nomine omnia quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis, à virtute ſapientiáque remouebat. Atque in iis ferè commutatio conſiſtit omnis, diſſenſióque Zenonis à ſuperioribus.*

*Non adiungebat*) non aſſentiebatur. *Declarationem*) ſignificationem & notam. in hac re omne certamen Academicis nouis cum Zenone fuit, natæque ſunt odioſæ diſputationes, quæ veram philoſophiam perturbauerunt.

*Prenderentur*) Nam manus proprium eſt comprehendere, à cuius comprehenſione vocabulum duxerat Zeno, quòd ſenſibus percepta ſic tenerentur, vt quæ manu prehenſa ſunt.

*Senſum*) Stoicis ſenſus eſt ſpiritus à parte animi in qua principatus eſt ad ſenſus perueniens, & ſenſuum comprehenſio, quam hic Cicero ſenſum in neutro genere dicit, & ſenſuum actio. auctor Laertius.

*Ex qua*) inſcientia. *Cum falſo*) Opinamur enim in falſis & ijs quæ non ſunt nobis cognita. Itaque ſapiens Zenoni non opinatur, & ab eo in rebus malis opinio numeratur.

*In rectis*) Scientiam enim Zeno in laude ponit, opinionem & inſcientiam in vitio, comprehenſionem inter vtranque collocat, neque in rebus bonis aut malis numerat.





*Senſibus fidem*) cùm veteres menti tribuerent. *In re comprehenderet*) Non enim ſenſuum comprehenſio vim totam rei ſine prætermiſſione complectitur, cum exteriora tantum lineamenta attingat, eaque quæ ſub ſenſum quenq; cadunt, vt ſub aſpectum colores, ſub auditum ſoni. *Cadere in eam*) comprehenſionem. *Principium ſui*) comprehenſionem ſenſibus factam. *Notiones*) notitiæ. *Non principia*) quæ comprehenſiones ſunt. *Sed latiores*) notitiæ quædã & præceptiones vniuerſæ, quæ ex comprehenſionibus oriuntur. ſunt enim hæ intelligentiæ fundamenta quædã ſcientiæ. ἐννοίας καὶ προλήψεις. Stoici vocant.

*Errorem*) Non eſt, vt cenſet Zeno, ſapientis errare, temerè aſſentiri, ignorare, opinari, ſuſpicari; nec iſta in ſapientem cadunt. *Aliena*) ſic alienaque pacis eorum, dixit Lucretius.

*Quæ quum dixiſſet: Et breuiter ſanè miniméque obſcurè expoſita eſt, inquam, à te Varro, & veteris Academiæ ratio, & Stoicorum. verum autem eſſe arbitror, vt Antiocho noſtro familiari placebat, correctionem veteris Academiæ potius, quàm aliquam nouam diſciplinam putandam. Tunc Varro, Tuæ ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorũ ratione nunc deſciſcis. & ea quæ ab Arceſila nouata ſunt, probes, docere quod, & qua de cauſa diſsidium factum ſit, vt videamus ſatiſne iſta ſit iuſta defectio. Tum ego, cum Zenone, inquam, vt accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinacia aut ſtudio vincendi (vt mihi quidem videtur) ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres, qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, & (vt Democritus) in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circunfuſa eſſe dixerunt.*

*Antiquorum*) veterum Academicorum & Peripateticorum.

*Nouata*) innouata ab Arceſila, qui auctor Academiæ nouæ fuit, nihilque comprehendi, nihil ſciri poſſe cenſuit. Nunquam autem eſſet iſta noua Academia nata, niſi Zeno ſuperuacanea & odioſa ſubtilitate veterem philoſophiam correxiſſet. nam cum eo certamen omne ſibi Arceſilas inſtituerat. Itaque meritò vtraque ſecta à poſteritate damnata exoleuit & extabuit, florente nunc Academia vetere & Lycio.

*Socratem*) qui apud Platonem nihil ferè affirmat, refellit alios.

*Veluti amantes*) illam Socratis dubitationem ante Socratem natum iam approbantes & amplexantes. Alij emendant, Velut iam ante Socratem: vt Socratem non huius rei auctorem laudet, ſed ſuperiores phyſicos: quam tamen lectionem non probo. *Democritum*) Omnium doctorum eſſe ſententiam in Theæteto Plato ſcribit, Protagoræ, Heracliti, Empedoclis, Epicharmi: Democritum nunquam Plato ſuis in libris nominat. eum enim oderat, eiuſque libros abolere tentauerat.

*Anguſtos*) arctos eſſe & minutos ſenſus, vt tantam rerum magnitudinem & amplitudinem capere non poſſint. A ſenſibus autem oritur cognitio. *Imbecillos*) infirmas mentes, quæ falſo plerunque ſuccumbant. *Breuia curricula vitæ*) Cum rerũ cognitio multo diuturnioris temporis indigeat. eo nomine de breuitate vitæ cum rerum natura Theophraſtus expoſtulat. *In profundo*) Cicero in Lucullo, *Naturam accuſa, quæ in profundo veritatem, vt ait Democritus, penitus abſtruſerit.* Simile eſt illud Senecæ, *Vix ad fundum veniretur, in quo veritas poſita eſt, quam nunc in ſumma terra, & leui manu quærimus.* verba ſunt Democriti, αἰτίην οὐδὲν ἴσμεν. ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια: id eſt, ex cauſa nihil nouimus. Nam in profundo veritas.

*Itaque Arceſilas negabat eſſe quicquam quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic omnia latere cenſebant in occulto, neque eſſe quicquam quod cerni, aut intelligi poſſit. Quibus de cauſis nihil oportere, neque profiteri, neque affirmare quenquam, neque aſſertione approbare, cohiberéque ſemper, & ab omni lapſu continere temeritatem, quæ tum eſſet inſignis, quum aut falſa, aut incognita res approbaretur, neque hoc quicquam eſſe turpius, quàm cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationemque præcurrere. Huic rationi quod erat conſentaneum, faciebat, vt contra omnium ſententias dies iam pleroſque deduceret, vt quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum inuenirentur, facilius ab vtraque parte aſſertio ſuſtineretur. Hanc Academiam nouam appellant, quæ mihi vetus videtur: ſiquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, & in vtramque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur. Sed tamen illa, quam expoſui, vetus: hæc noua nominetur, quæ vſque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arceſila fuit, in eadem Arceſilæ ratione permanſit. Carneades autem nullius philoſophiæ partis ignarus, & (vt cognoui ex iis, qui illum audierant, maximéque ex Epicureo Zenone: qui quum ab eo plurimum diſſentiret, vnum tamen præter cæteros mirabatur) incredibili quadam fuit facultate.*

*Sibi reliquiſſet*) Hoc enim vnum ſe ſcire Socrates prædicabat, quòd nihil ſciret. *Intelligi*) ratione & intelligentia cognoſci, vt cerni, percipi ſenſu. ſunt enim κριτήρια duo ſenſus & intelligentia.

*Aſſertione*) Approbationem & aſſenſionem tollebat Arceſilas, quam ponebat Zeno, contrariamque inducebat retentionem, quam ἐποχὴν appellabat. Aſſertio autem eſt affirmatio, ductum ab ijs qui in aſſertione hominem vel liberum vel ſeruum affirmabant & vindicabant.

*Deduceret*) Ductum à filo, quod deduci propriè dicitur: vt illud, *Et tenui deducta poemata filo.*

*Nouam*) immò verò ne Academia quidem erat, niſi vocabula, cùm reuera eſſet Pyrrhonis ſtultiſſima ſecta, vt Numenius ait. Itaque à Timone Pyrrhonio Arceſilas Pyrrhonius appellatur & Scepticus.

*Quartus ab Arceſila*) Audiuit enim Hegeſinũ, Hegeſinus Euandrum, Euander Lacydem diſcipulũ Arceſilæ. auctor Cicer. in Lucullo. Euandrũ tamen auditorem Ariſtippi fuiſſe, Ariſtippũ Lacydis ſcribit Euſeb.

*Zenone*) Zeno Sidonius philoſophus Epicureus, quẽ Athenis Cicer. auctore ipſo Philone ſæpè audiebat. Eum Philo Epicureorum coryphæum ſolebat appellare. Hic autem Cicero, vt opinor, ſcribebat Carneadem acerrimum Stoicorũ oppugnatorem fuiſſe, & reliquorũ Academicorum ſeriem attexebat.

# IN M. TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS LIB. III. COMMENTARII.

ADRIANO TVRNEBO AVCTORE.

## AMPLISS. CARDINALI ODONI CASTILIONAEO ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.

*POSTEAQVAM, CARD. AMPLISS. ILLVD DE ME IVDICIum feciſti, quo nunquam ſanè dignum eſſe me putaui, vt Toloſam ampliſſimo tuo ciuitatiſq; illius omnibus & iuris, & humanitatis artibus florentiſſimæ, honorario auctoratum ad profeſſionem literarum mittendum cenſeres: etſi aſſiduitate & officio non ſatis: voluntate tamen & obſeruantia, vt debui, nunquam ex eo deſtiti me vnum è clientela tua familiáque numerare. Semper abhorruit ingenium meum ab iſta officioſorum hominum concurſatione limina optimatum quotidianis ſalutationibus terentium, quòd eæ ſint animi plebeij anguſtiæ, vt tantæ amplitudinis conſpectum non capiant: & velut infirmi oculi ſolis ſplendorem refugiunt, ita quoque veſtra claritate acies noſtra præſtringitur, iſtámque pœnam vltro nobis dum conſciſcimus, ne vos ſæpè videamus, officij raritate decus veſtrum commendamus, ne paſſim ad vilitatem vulgetur. Sic nitor purpuræ, ſi ſæpè geſtetur, obſoleſcit: & reges Medorum maieſtati ſuæ addiderunt, excluſis admiſſionibus. Nec ignoras profectò te religioſius ab illis adiri, qui te rarò viſunt, quàm qui quotidie togati atria tua calcant. Sed tamen ſi iſtam fortè apparitionem deſideras, adijce propius oculos: vt quoſdam corpore præſto eſſe cernis, animo peregrinantes & abſentes, ita fortaſſe alios intelliges eſſe, qui cùm corpore coràm non adſint, animis de tua ſemper dignitate & præſtantia cogitent: qui ſi pro eo ac debent, virtutes ac dignitatem tuam æſtimant, quæ ſola laus tibi potiſſimum quærenda eſt, iſtas animi, non corporis partes eſſe putabis: cùm præſertim corpus externum cultum potius, quàm virtutis ornamentum ſoleat intueri. Hoc genus officij niſi ſequar, obſecro te quo tandem pacto animi ingrati notam effugiam, tantis à te meritis prouocatus? Scio noſtris moribus nullam eſſe ingrati actionem, nec ferè noſtris hominibus peccata videri, de quibus nec recuperator, nec quæſitor cognoſcit: ſed aliam ſibi vitæ legem boni conſtituunt, qui non hominum opinione, ſed veritate & religione ius colunt, qui etiam interdum ea, quæ legibus non vindicantur, turpiora cenſent, in ijſque gratiæ obliuionem præcipuè numerant, præſertim aduerſus eos quibus notum eſſe beneficium eſt. Sed cùm mea in te obſeruantia tuorum in me promeritorum memoriam & dignitatis tuæ amplitudinem nunquam ex animo meo ſinit excidere: tùm verò mihi hos commentarios ſcribenti ſemper occurriſti, cui & hanc, & aliam omnem operam debere me putarem: & de formidoloſo bello cogitanti, in quo tu Henrici regis auguſtiſſ. & inuictiſſ. auſpicia ductúmque ſecutus es, deſiderium tui obuerſatur dies noctéſque de tua ſalute ſolicito. Hos autem commentarios non tàm expectandum fuit, vt tibi dicarem, quàm vt pro tuo iure vindicares: cùm omnia noſtra iure mancipij nexique tua ſint, aut ſi quod aliud eſt ius quod perpetuã auctoritatem poſſeſſionémq; magis tribuat. Scripti autem ſunt in iura nec mercenaria, nec quæſtuoſa, cùm præſertim nihil eſſe ſceleratius hæ leges cenſeant, quàm iuſtitiæ mercedem vllam quærere: nec litigioſos controuerſoſq; homines reddunt, vt illa quæ tantum calumniarum, circumſcriptionum, litium ſeuerunt inter homines, vt ipſa propè terrarum ſola inteſtinis forenſibúſque bellis perturbata hodie conflictentur: & gentes illæ quæ ſuis quàm alienis legibus viuere maluerunt, noſtrorum malorum documento, vberrimum prudentiæ ſuæ fructum lætæ percipere ſe intelligant. Quo tibi hæc acceptiora fore gratioráque exiſtimo, qui vt omnes virtutes ſine precio expetendas ſemper duxiſti: ita quoque earum præſtantiſſimam indignè ad quæſtum calumniámque à nonnullis proſtitui non iniuria ſæpè conqueri ſoles. Vale.*

## IN M. T. CICERONIS LIBROS DE LEGIBVS, ARGVMENTVM ADRIANI Turnebi.

EDITIS DE REPVB. LIBRIS, CICERO PLATONIS EXEMPLO DE LEgibus ſcribere inſtituit, & ſuæ Reipub. quam ex populi poſtate, & optimatum auctoritate temperarat, (eam enim temperationem probat lib. III. de Legibus) leges dare conſentaneas. Cuius diſputationis principium repetit ex Stoicorum philoſophia, non ex ratione populari: quorum inſtituto emendationem vitiorum, commendationemque virtutum lege contineri tradit: totamque legis vim & poteſtatem libri primi explicatione complectitur. Nam lex vltima ex Stoicorum commentarijs, non Iuriſconſultorum libellis, qui ad eius vim nunquam aſpirarant, ab eo deſcribitur, mens Dei opt. max. omnia ratione iubentis & vetantis, à qua hominum vera lex proficiſcitur, quæ





eſt ratio ſapientis apta ad iubendum & vetandum. Atque hoc primi libri argumentum eſt, quod articulatim diſtinguitur, vt capitibus certis ſcholam quanque comprehendere Stoici ſolebant. Vim autem illius legis, de qua libro primo diſſerit, ſic idem quoque libro tertio de Repub. deſcribebat: *Eſt quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna: quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat: quæ nec probos fruſtra iubet aut vetat, nec improbos iubendo aut vetando mouet. Huic legi nec propagari fas, nec derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari poteſt: nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus: neq; eſt quærendus explanator aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore vna lex & ſempiterna & immutabilis continebit, vnuſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus. Ille legis huius inuentor, diſceptator, ſator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, & naturam hominis aſpernabitur: atq; hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia effugerit. Sed & huius legis vim ſic apud Sophoclem Antigone exprimit.*

Οὐ γάρ τι μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω Θεῶν Δίκη,
Οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους·
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ Θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν·
Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀείποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν, ἐξ ὅτου φάνη.

*Non mi iſtud etenim edixerat Saturnius,*
*Nec familiaris inferûm Themis Deûm,*
*Statuêre leges haſce qui mortalibus,*
*Edicta tantum nec valere credidi*
*Tua, vt Deorum inſcripta poſſes & rata*
*Mortalis vnquam fata præter egredi.*
*Hæc nanq; primùm nunc heriqúe non vigent,*
*Sed vſque: nec quis, nata quàm pridem, tenet.*

Quòd ſi quis exiſtimat libri primi diſputationem è Platonis libris eſſe ſumptam, ei Qu. Ciceronis auctoritatem opponemus, qui in hac diſputatione Platonem nullo modo agnoſcit. Quid autem eum locum adſcribere vetat, præſertim noſtræ ſententiæ approbatorem & aſtipulatorem? Sic igitur ſcribitur initio lib. 2. Habes legis procœmium: ſic enim hoc appellat Plato. *Q. Habeo verò, frater, & in hoc admodum delector, quod in alijs rebus alijsq; ſententijs verſaris, atq; ille. nihil enim tàm diſſimile eſt, quàm vel ea quæ antè dixiſti, vel hoc ipſum legis exordium: vnum illud mihi videris imitari, orationis genus.* Hîc igitur meritò culpari non poſſumus, quin antè Quintus reprehendatur, qui huius erroris, ſi quis eſt, dux nobis & auctor fuit: & Quinti ſententia, qui iſta in Platone conquirunt, vehementer errant. Secundus liber conſtitutionem religionis & ſacerdotum continet: tertius magiſtratuum deſcriptionem: ſequentibus libris, qui temporis iniuria interciderunt, de iure pop. Rom. diſputabat, vt ex tertio extremo intelligi poteſt, in quo ita ſcribit, Ac de iure naturæ cogitare per nos atque dicere debemus: de iure pop. Rom. quæ relicta ſunt & tradita. Afferuntur & à Macrobio ex lib. 5. de Legibus iſta, *Vis ne igitur, quoniam ſol paululum à meridie iam deuexus videtur, neque dum ſatis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur, deſcendamus ad Lirim, eaq; quæ reſtant in illis alnorum vmbraculis perſequamur? Scripſit autem Cicero hos libros ante bella ciuilia, P. Clodio iam occiſo, velut ex lib. 2. intelligi poteſt.* Atque vt coniicio abſolutis de Repub. libris hos aggreſſus eſt ſcribere, non tamen, vt reor, eos edidit, quòd fortaſſe ſummam eis manum non impoſuiſſet, neque eos perpoliſſet: ſed eo iam interfecto publicati ſunt. Itaq; eorum, libro poſteriore de Diuinatione, non meminit. In quodam autem exemplari manu ſcripto ſic horum librorum inſcriptionem reperi, M. TVLLII CICERONIS LIBER DE IVRE CIVILI ET LEGIBVS: veriorem tamen titulum DE LEGIBVS cenſeo, vel auctore Cicerone, qui ſe Platonis exemplo de legibus ſcribere profitetur, quanquam de iure ciuili hic etiam differebatur. Scripſerat & librum de Iure ciuili in artem redigendo, vt auctor eſt Gellius, quem librum à Quintiliano etiam ſignificari putem, non hos tantum, cùm ait M. Tullium aliquid de iure ciuili componere cepiſſe.

# M. TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS LIBER I.

## Et in eundem commentarius, Adriano Turnebo auctore.

ATTICVS.

LVCVS QVIDEM ILLE ET HAEC ARPINATIVM QVERCVS *agnoſcitur, ſæpè à me lectus in Mario. Si manet illa quercus, hæc eſt profectò. etenim eſt ſanè vetus.* QVINTVS, *Manet verò, Attice noſter, & ſemper manebit. ſata eſt enim ingenio. nullius autem agricolæ cultu ſtirps tàm diuturna, quàm poëtæ verſu ſeminari poteſt. A. Quo tandem modo Quinte? aut quale eſt iſtud quod poëtæ ſerunt? mihi enim videris fratrem laudando ſuffragari tibi.*

*Lucus quidem*) Videtur deeſſe procœmium. procœmijs enim ſe Ariſtotelis inſtituto, qui in ἐξωτερικοῖς præfari ſolebat, vti conſueuiſſe in epiſtolis ad Atticum declarat. Atticus autem ſermonem exorditur, eum agnoſcens lucum, eamq; quercum, quem in Mario Cicero deſcripſerat. *Tum enim primùm in Arpinatem agrum venerat, vt ex ſecundo libro conijci facile poteſt. Equidem qui nunc potiſſimum huc venerim, ſatiari non queo.* Lucus longinquior erat, quercus propinquior: hæc in agro Arpinati, ille fortaſſe extra territorium Arpinatium. Solebant autem priſco ritu rura, & municipia, vt credo, præcellentem aliquam arborem dijs dicare, potiſſimumq; quercum, eamq; ſpolijs interdum & exuuijs hoſtium ornare: qualis hæc Arpinatium, vt opinor, fuit. Ad eam conſuetudinem reſpexit Lucanus, ita ſcribens:

*Qualis frugifero quercus ſublimis in agro*
*Exuuias veteres populi, ſacrataq; geſtans*
*Dona ducum.*

ſequitur enim mox,

*Sola tamen colitur.*

aut ob Marium certè ea ab Arpinatibus colebatur. Agnoſcit autem Atticus quæ in poëmate Ciceronis antè cognouerat. à Luco deducitur Lucar, quæ pecunia erat initio è lucis redacta, quæ ludis & hiſtrionibus impendebatur. Poſtea quæcunque pecunia, quæ ludis & hiſtrionibus impendebatur, eo nomine vocata eſt: θεωρικὰ χρήματα, vt exiſtimo, Græci vocant. Tacitus, *De modo lucaris, & aduerſus laſciuiam fautorum multa decernuntur.*

*Sæpè à me lectus*) Ita non rarò ad longinquius referre ſolet Cicero, vt ad lucum hìc potius retulit, quàm ad annoſam & patulis diffuſam ramis quercum, vnde Mario factum auſpicium fuerat.

*In Mario*) Marius, Ciceronis poëma, quo res à Mario municipe ſuo geſtas adoleſcens explicarat ad gloriam ſuæ germanæ patriæ. Marianam porrò quercum, quam hic celebrat, in poëmate à Mario appellarat: vel ob augurium, quod inde Mario adoleſcenti factum fuit, cùm, vt Plutarchus auctor eſt, nidum aquilæ, in quo ſeptem pulli erant, reperit. Vel, ob augurium, quod Marius vrbe pulſus in quercu illic fortaſſe notauit, & ſi hoc contra fidem hiſtoriæ eſt. nec enim ſe Arpinum recepit: non tamen contra ius & licentiam poëtarum. Cicero lib. 1. de Diuinatione, *Quid eſt illo auſpicio diuinius, quod apud te in Mario eſt, vt vtar potiſſimum te auctore?*

*Hìc Iouis altiſoni ſubito pinnata ſatelles*
*Arboris è trunco, ſerpentis ſaucia morſu*
*Ipſa feris ſubigit transfigens vnguibus anguem*
*Semanimum, & varia grauiter ceruice micantem.*
*Quem ſe torquentem lanians, roſtroq; cruentans,*
*Iam ſatiata animos & duros vlta dolores,*
*Abijcit efflantem, & laceratum affligit in vnda,*
*Seq; obitu à ſolis nitidos conuertit ad ortus.*
*Hanc vbi præpetibus pennis lapſuq; volantem*
*Conſpexit Marius, diuini numinis augur,*
*Fauſtaq; ſigna ſuæ laudis reditusq; notauit.*
*Partibus intonuit cœli pater ipſe ſiniſtris:*
*Sic aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen.*

Vel denique ob aliud aliquod auſpicium, quando poëmate amiſſo perdifficilis eſt coniectura. Hoc autem conſtat, C. Marium augurij peritiſſimum fuiſſe: & in poëmate ideo auſpicia ei facta Ciceronem fortaſſe finxiſſe, vt intelligenti.

*Manet*) Si non natura, at commemoratione & fama: quanquam Atticus aliorſum dixerat, & de ſuperſtite arbore intellexerat, quod de celebritate arboris in poëmate deſcriptæ Quintus accipit.

*Ingenio*) non manu, vt ab agricolis ſeruntur. *Fratrem laudando*) Nempe quòd Quintus etiam Cicero poëta eſſet. Cic. lib. 2. epiſt. ad Q. Fratrem, *Συνδείπνους Σοφοκλέους, quam à te actam fabellam video eſſe feſtiue, nullo modo probaui.* Et ibidem, *Ego te libenter, vt rogaſti, quibus rebus vis adiuuabo, & tibi verſus, quos rogas,* γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, *mittam.* Et lib. 3. *Quatuor tragœdias 16. diebus abſoluiſſe te cum ſcribas, tu quicquam ab alio mutuaris? & κλέος quæris, cùm Electram & Troadem ſcripſeris? ceſſator eſſe noli: & illud* γνῶθι σεαυτόν, *noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verumetiam vt bona noſtra norimus.*

Suffragari



*Suffragari tibi*) Laudi tuæ inſeruire, qui æternitate donari putes ea, de quibus poëtæ memorant. A ſuffragationibus & ſuffragijs comitiorum ductum. nomina autem habuerunt à ſuffringendo, vt reor, cùm tabellæ quædam eſſent tanquam ſuffractæ, in Græcia etiam teſtulæ.

*Q. Sit ita ſanè. veruntamen dum Latine loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, eaque, vt ait Scæuola, de fratris mei Mario, Caneſcet ſeclis innumerabilibus. niſi fortè Athenæ tuæ ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut quod Homericus Vlyſſes Deli ſe proceram & tenerem palmam vidiſſe dixit, hodie monſtrant eandem. multaq; alia multis locis diutius commemoratione manent, quàm natura ſtare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit Nuncia fulua Iouis miranda viſa figura, nunc ſit hæc. ſed cùm eam tempeſtas, vetuſtasue conſumpſerit: tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent.*

*Mariana dicatur*) in ſcriptis libris, Dicitur, vt m[illegible] *Quam* Marianam quercum vocant.

*Vt ait Scæuola*) Cicero ſumpta virili toga à patre [illegible] Scæuolam augurem deductus eſt, vt ſcribit in Lælio: eo mortuo ſe contulit ad pontificem, eiq; opera[illegible]dedit, quo tempore, vt reor, etiam Marium ſcripſit: & Scæuola in poëma Ciceronis, ingenium eius admiratus, vt ſuſpicor, ſcripſit epigramma. Nam principes Romani verſus ludere interdum ſolebant, vt Scæuola, Hortenſius, Caluus.

*Caneſcet*) durabit, ſuperſtes erit. Sic inueterare vſurpatur. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Nec vna cum ſeculis ætatibusq; hominum inueterare potuiſſet.*

*Niſi fortè Athenæ*) id eſt, quaſi verò Athenis non hominum commemoratione & opinione potius, quàm natura ſtirps illa oleæ inueterarit & durarit. Oleam autem illam intelligit, quam in certamine Pallas edidit, vt Athenis nomen imponeret: quæ Plinij quoq; ætate ſuperſtes cenſebatur eſſe. Plin. lib. 16. Athenis quoq; olea durare creditur in certamine edita à Minerua. Eam in arce natam fuiſſe Varro lib. 1. de Re ruſtica docet. *Hoc nomine, inquit, etiam Athenis in arcem non inigi, præterquàm ſemel ad neceſſarium ſacrificium, ne arbor olea, quæ primùm ibi dicitur nata, à capra tangi poſſit.* Eius etiam oleæ meminit in Stirpiũ hiſtoria Theophraſtus. Erant & oleæ Palladi ſacræ, ex ea, vt reor, natæ in arce primùm, quæ propagatione plures ſuccreuerunt, μορίαι vocatæ, vel quòd viritim earum oleum diuideretur, vel à morte Halirrothij Neptuni filij, qui cùm eas ferro ſuccidere tentaret, ſecurim ſibi inflixit: earum autem oleum præmij vice, his qui Panathenæa vicerant, donabatur. Hæ poſtea ex acropoli, quam Varro & Cicero arcem vocant, in Academiam tranſlatæ ſunt. Ariſtoph. ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κατιών, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις.

*Homericus Vlyſſes*) Locus eſt Odyſſ. ζ. de Nauſicaa, quam teneræ & proceræ palmæ Vlyſſes comparat.

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.
*Sic teneram Deli ſacras ad Apollinis aras*
*Palmæ conſpexi ſurgentem è ceſpite plantam.*

vbi Cicero νέον teneram vertit, ἀνερχόμενον proceram. Errant autem qui hìc ἔρνος ramum interpretantur. non omittam pro, *Quod Homericus Vlyſſes*, legi etiam poſſe, *Quam Homericus Vlyſſes.* Eam autem palmam eſſe arbitror Apollinis & Dianæ natalibus nobilem, quam Plinius ait Deli ab ætate Apollinis conſpici: cuius Homerus quoque in hymno Apollinis meminit,

Ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε
λειμῶνι μαλακῷ.
*Vlnis amplexa eſt palmam, genibus quoq; prato*
*Innixa eſt tenero.*

Meminit huius & Theognis: ſed & Callimachus, ἀπὸ δ' ἔκλιθη ἔμπαλιν ὤμοις φοίνικος ποτὶ πρέμνον. Catullus, *Quem mater prope Deliam Depoſiuit oliuam*, ſcribit. Sed ita ſe res habet. ſolent grauidæ dum parturiunt, aliquid apprehendere, vt nixus iuuetur: ſic Latona manu altera palmam, altera oliuam apprehendit. Ælianus, ὅτι ἀναθῆλαι λόγος ἐστὶ Δήλιος φυτὰ ἐν Δήλῳ ἐλαίαν καὶ φοίνικα, ὧν ἁψαμένην τὴν Λητὼ αὐτίκα ἀποκυῆσαι, πρὸς οὐ δυναμένην τοῦτο δρᾶσαι, id eſt, narrant Delij in Delo oleam & palmam enatas eſſe, quibus prehenſis ſtatim Latonam peperiſſe, cùm ante non potuiſſet. etiam Tegyris, vbi aliquando oraculum fuerat, riui erant duo palma & olea, iuxta quos nonnullorum opinione Latona enixa fuerat, vt refert Plutarchus.

*Nuncia fulua*) Id eſt, aquila: verſus eſt ex Cicer. Mario. Nuncia autem Iouis hic dicitur, non quia miniſtra ſit fulminis, & armigera Iouis, vt quidam cenſent, ſed quia nunciat Iouis voluntatem & auguria. Cicero de Natura Deorum, *Hæ ſunt igitur aues internunciæ Iouis, quæ paſcantur nec ne, quid refert?* eodem modo paulo ante ſatelles Iouis aquila dicebatur in verſibus, quos è Mario Ciceronis protuli: & libro poſteriore de Diuinatione eodem modo hoc ſcribitur, *Tum igitur eſſet auſpicium, ſi modo eſſet ei liberum ſe oſtendiſſe:* tum auis illa videri poſſet interpres & ſatelles Iouis. Iouem enim cenſebant auguria mittere, ac proinde augurem lib. 3. dicet Iouis conſiliarium eſſe. Ob aliquod autem proſperum aquilæ augurium fortaſſe Marius in ſecundo ſuo conſulatu Romanis legionibus dicauit aquilam.

*Fulua*) Fuluus color eſt è viridi & ruffo, vt arenæ, aquilæ, quam, vt hic Cicero, etiam fuluam dicit Maro. ſed & color nigricans fuluus interdum dicitur, imò & niger à Silio,

*Nigra viro membra & fului iuga celſa trahebant*
*Cornipedes.*

niſi quis putet legendum eſſe, *Furui.* Fuluæ igitur ferè ſunt aquilæ omnes: & ſi quædam dicitur melanaëtos, quam valeriam Latini, quòd, vt reor, viribus valens ſit, appellarunt, quam propriè Fuluiam Gaza dicendam putauit. *Tempeſtas*) non addit aut cum exciſa fuerit, quòd cùm ſacra, vt exiſtimo, eſſet, timendum non eſſet, ne ferro cæderetur.

*A. Non dubito id quidem, ſed hæc iam non ex te, Quinte, quæro: verum ex ipſo poëta, tuine verſus hanc quercum ſeuerint, an ita factum de Mario, vt ſcribis, acceperis?* MARCVS, *Reſpondebo tibi equidem, ſed non antè quàm mihi tu ipſe reſponderis, Attice: certe non longè à tuis ædibus inambulans poſt exceſſum ſuum Romulus Proculo Iulio dixerit, ſe Deum eſſe, & Quirinum vocari, templumq́ ſibi dedicari in eo loco iuſſerit? & verúmne ſit, Athenis non longè item à tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo ſuſtulerit? ſic enim eſt traditum.* *A. Quorſum tandem, aut cur iſta quæris?* *M. Nihil ſanè, niſi ne nimis diligenter inquiras in ea quæ iſto modo memoriæ ſint prodita.* *A. Atqui multa quæruntur in Mario, fictáne an vera ſint: & à nonnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine, veritas à te poſtulatur.*

*An ita factum*) Vtrùm ex hiſtoriæ fide, an poëtarum licentia ſcripſeris, vt commentum tuum ſit, nec id Mario euenerit.

*Certe non longe*) Vetus ſcriptura, *Certen longe*, puto *Certe non longe*, verum eſſe. Habitauit autem Atticus in colle Quirinali, in Pamphiliana domo ab auunculo hæreditate relicta, vt ſcribit Nepos, & prope templum Quirini domus Attici erat, vt ſcribitur à Victore: & lib. 12. epiſtolarum ad Atticum de ſtatua Cæſari in templo Quirini poſita ſcribitur, *De Cæſare vicino ſcripſeram ad te, quia cognoram ex tuis literis: eum σύνναον Quirini malo quàm Salutis.* Certè hic interrogantis eſt. nam in interrogatione eſt oratio, cùm infra ſequatur, *Quorſum tandem, aut cur iſta quæris?* ſic ferè ab Imperatore Auguſto quendam parricidij accuſatum ſcribit interrogatum Tranquillus, *Certè patrem tuum non occidiſti?* Certè autem valet, Vtrumné, vel quod mox dicit, Verúmne.

*Verum ne ſit*) Subaudiendum Quod, aut Vt: huiuſmodi autem eclipſin annotat Linacer. vel legendum *Vtrumne Athenis.* alij *Et Athenis* legunt abſque *Verumne.*

*Romulus*) Vide Liuium lib. 1. ab Vrbe condita. *Quirinum*) Sæpe qui in Deorum numerum referebantur, nomen mutabant, vt ait Lactantius: etiam inde vſq; ab Homero opinio fuit alijs res vocabulis apud Deos eſſe, alijs apud homines: hinc illud Homeri,

Ξάνθον μὶν καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον. &,
Χαλκίδα μὶν καλέουσι Θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Sic Romulus poſteaquàm in Deos relatus eſt, Quirinus vocatus eſt: Ino, mater Matuta: Palæon, Portunus: Herſilia, Ora. Ouidius, *Mutat, Oramq́ vocat, quæ nunc Dea iuncta Quirino.* Itaq; Cic. in Offic. cùm ſcribit, *Pace vel Quirini vel Romuli dixerim, ſignificat, pace eius dixerim ſiue homo eſt, ſiue Deus.* vt autem Proculus perfidioſe peierauit ſe Romulum vidiſſe poſt ipſius exceſſum: ſic Liuius Geminius peierauit in ſenatu ſe Druſillam in cœlum aſcendentem vidiſſe. In quem hoc ſcribit Seneca in Ἀποκολοκυντώσει (ſic enim ex Dione inſcribi debet libellus ille) *Quærite ab eo qui Druſillam euntem in cœlum vidit: idem Claudium vidiſſe ſe dicet iter facientem non paſſibus æquis.* Qui autem ex his Ouidij verſibus

*Siue quòd haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis,*
*Bellicus à telo venit ad aſtra Deus,*

coniiciunt ab Ouidio ſignificari Martem Quirinum vocari, errant. id enim de Romulo dicit, non de Marte, quem Deum bellicoſum in cælum veniſſe ſcribit.

*Aquilo ſuſtulerit*) Boreas, inquit Sophoclis interpres, affinitatem cum Athenienſibus iunxit, rapta Orithyia Erechthei filia, ex qua Zeten, Calain, & Cleopatram ſuſtulit. Eam ad Iliſſum raptam ſcribit Pauſanias ludentem, & propter illam affinitatem Boream Athenienſibus bello Medico opem tuliſſe, multasq; triremes Barbarorum merſiſſe mari. Dionyſius quoq; his verſibus,

Οὗ διὰ θεσπεσίου φέρεται ῥόος Ἰλίσοιο
Ἔνθεν καὶ Βορέης ποτ' ἀνήρπασεν Ὠρείθυιαν.

Euſtathius Boream regem fuiſſe Thraciæ dicit, quem poëtæ eſſe ventum fabulati ſunt. Duo ſunt exempla, vnum è religione Romana, alterum ex Attica, cùm Pomponius Romanus eſſet, & pro Athenienſi haberetur. Hanc etiam fabulam in principio Phædri commemorat Plato: quo ex dialogo Pomponij antiquam domum Athenis ad Iliſſum fuiſſe coniicimus, cùm ad Iliſſum rapta ſit: in aliam autem domum iam immigrarat, vel Cicero ex Areopago eam raptam fuiſſe ſenſit, quod etiam Plato in Phædro ſcribit.

*Quorſum tandem*) Non reſpondet ad rogatum, cùm de religione interrogatus ſit: alioqui non admodum religioſus erat, cùm Epicureus eſſet.

*Inquiras in ea*) Ab inquiſitoribus ductum. Simile eſt illud Lactantij, *Tantaq́ eſt auctoritas vetuſtatis, vt in eam inquirere ſcelus eſſe dicatur.* In alijs *Anquiras.* *In Mario*) Poëmate tuo.

*Recenti memoria*) vt verū ſcire poſſis, nec tibi fingendū ſit, vt in reb' à noſtra memoria remotis facimus.

*In Arpinati*) In municipe tuo, cuius res ſcire potuiſti. Qui de vicinitate Arpini hoc intelligunt, valde errant. cæterùm in ſcripto libro *Vel ſeueritas à te poſtulatur* inuenio, bono etiam ſenſu, id eſt, nonnulli ſeuerā quandā hiſtoriæ fidem à te poſtulant: *Veritatē* tamen probo, cùm ſequatur, *Me cupio* non mendacē putari.

*M. Et me hercule ego me cupio non mendacem putari: ſed tamen nonnulli iſti, Tite noſter, faciunt imperitè, qui in iſto opuſculo non vt à poëta, ſed vt à teſte veritatem exigant. nec dubito quin ijdem & cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitum putent.* *Q. Intelligo te frater, alias in hiſtoria leges obſeruandas putare, alias in poëmate.* *M. Quippe, cùm in illa ad veritatem quæq́ referantur, in hoc ad delectationem pleraq́: quanquam & apud Herodotum patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ.*

*Opuſculo*) In Mario. In lib. ſcripto manu legitur *Periculo:* quæ ſcriptura ſi cui probatur, de exilio Marij intelligat.





*Egeria*) quæ quidem ijs quæ ſcripſi incredibiliora ſunt. Colloqui ſe noctu cum Egeria Numa Romanis perſuaſerat, eiuſque monitis ſe facere omnia, vt Liuius ſcribit. Et Ennius de eius cum rege Numa colloquio in Annalibus ſcribit,

*Olli reſpondet ſuauis ſonus Egeriai.*

Egeriam autem, quòd egerendo partui præeſſet, matronæ Romanæ colebant: & Fluoniam, quòd fluorem ſanguinis in partu ſiſteret.

*Apicem*) Pileum Liuius ſcribit: atque hic apex pileus eſt altus in figuram metæ faſtigiatus, quam Græci κυρβασίαν appellabant. Dionyſius, καὶ τοὺς καλυμμένους ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς, εἰς σχῆμα συνηγμένους κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες προσαγορεύουσι κυρβασίας. Apicis etiam meminit Feſtus ſic, Offendices eſſe ait Titius nodos, quibus apex retineatur & remittatur. Apex etiam ſummitas eſt pilei: propriè in ſummo Flaminis pileo virga lanata: quod cum Albæ primus ferre inſtituiſſet Aſcanius, alludens Virgilius ſcripſit,

*Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli*
*Fundere lumen apex.*

Nomen autem habet ab Apere, quod eſt comprehendere.

*Quippe*) Hoc etiam à Quinto dici poteſt, id eſt ſanè, certè: eſtque reſpondentis & affirmantis. Veteres libri habent, Quippe cùm illa ad veritatem, Quinte, referantur: etiam bono ſenſu. *Patrem hiſtoriæ*) Qui princeps hiſtoriæ ſuam orationem, ſuumque ornatum tribuit. Nam qui ante eum ſcripſerunt, rudes & inornati fuerunt. Itaque cùm hiſtoriæ ſtilum deſcribit Cic. ſemper orationem Herodoti adumbrat. Id adeo ex Ariſtotele intelligi poteſt: cuius hæc verba ſunt, ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις, ἡ ἀρχαία ἐστίν· Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἐστὶν ἀπόδειξις. Eius enim dictionem tractam eſſe dicit Ariſtoteles: quod genus dicendi cùm Cicero in hiſtoria omnium optimum ex Herodoti ſcriptione cenſeret, de hiſtoricorum oratione ſic lib. 2. de Oratore ſcribit, *Verborum autem ratio & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis perſequendum eſt:* vbi perſpicuè εἰρομένην λέξιν, qualis eſt Herodoti oratio, qui princeps hiſtoriam ornauit, vt meritò hiſtoricæ orationis parens ſit, tractam orationem vertit. Idque magis perſpicietur ex Oratore, in quo ita ſcribit de hiſtoria, *Sed in his tracta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio.* Interpretatur enim λέξιν κατεστραμμένην & εἰρομένην. Itaque ex Ariſtotele intelligentia quoque peti debet orationis ſponte fuſæ, quæ εἰρομένη eſt: & conuerſæ atque mutatæ, quibus de rebus quid vaticinentur interpretes, plerique nouere.

*Fabulæ*) Herodotum quoque falſi & mendacij inſimulat Plutarchus, qui in eius etiam improbitatem librum edidit. Deſiderat & in Herodoto fidem Lucianus. Theopompus ſcripſit epitomen Herodoti, Philippi patris Alexandri, & Græcorum res. In eo etiam deſideratur fides: accuſat eum vt nimis acrem hominum reprehenſorem Lucianus, cùm in hiſtoria accuſationem quandam factitaſſe & exercuiſſe videatur, vt eius liber non tàm hiſtoria, quàm accuſatio eſſe cenſeretur. hinc illud Ciceronis ad Atticum *Theopompino genere aut etiam aſperiore multo pangentur.* Diſcipulus Iſocr. fuit, vt & Ephorus.

*A. Teneo quam optabam occaſionem, neque omittam.* *M. Quam tandem, Tite?* *A. Poſtulatur à te iandiu, vel flagitatur potius hiſtoria. ſic enim putant, te illam tractante, effici poſſe, vt in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque vt audias quid ego ipſe ſentiam, non ſolùm mihi videris eorum ſtudijs, qui tuis literis delectantur, ſed etiam patriæ debere hoc munus, vt ea quæ ſalua per te eſt, per te eundem ſit ornata. Abeſt enim hiſtoria literis noſtris, vt & ipſe intelligo, & ex te perſæpè audio. potes autem tu profectò ſatisfacere in ea: quippe cùm ſit opus, vt tibi quidem videri ſolet, vnum hoc oratorium maximè. Quamobrem aggredere, quæſumus, & ſume ad hanc rem tempus, quæ eſt à noſtris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam poſt Annales Pontificum Maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius, ſi aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias: quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quàm iſti omnes? Fannio autem ætate coniunctus Antipater, paulò inflauit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore ac palæſtra: ſed tamen admonere reliquos potuit, vt accuratius ſcriberent. Ecce autem ſucceſſere huic belli, Clodius, Aſellio: nihil ad Cælium, ſed potius ad antiquorum languorem & inſcitiam.*

*Teneo quam opt.*) Intelligi ſatis ex his quæ ſequuntur exiſtimo, & ex lib. 2. de Orat. Ciceroni in animo fuiſſe hiſtoriam ſcribere. Nam ſub perſona Antonij cùm hoc opus oratorium maximè dicit, ſuam voluntatem ſatis ſignificat: vt & lib. 1. ſcribere ſe de Iure ciuili ſatis indicat velle, cùm quomodo in artem redigi debeat, attingit: vt tum vel librum de Iure ciuili in artem redigendo, qui à Gellio nominatur: vel hos de Legibus, in quibus etiam de Iure ciuili ſcribebat, vt ex primo libro, & extremo tertio intelligi poteſt, iam cogitaret.

*Flagitatur*) Quaſi debeat: nam qui nomina exigunt, & debitam pecuniam petunt, flagitatores vocantur. Plautus Muſtell. *Quaſi flagitator adſtat vſque ad oſtium.* Sic pro Quintio, *Tamen quia poſtulat, non flagitat, prætaribo.*

*Etiam genere*) Nam in eloquentia iam pares eis ſumus.

*Oratorium maximè*) Cicero in lib. 2. de Orat. dixerat: *Videtiſne quantum munus ſit oratoris hiſtoria?*

*Pontificum Maximorum*) Annales Maximos intelligit, qui à Pontificibus perſcribebantur. Cic lib. 2 de Orat. *Erat enim hiſtoria nihil niſi Annalium confectio: cuius rei memoriæque publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarum vſque ad P. Mutium Pontif. Maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis P. Max. efferebátque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi: iique etiam nunc Annales Maximi nominantur.* Nam vt ait Macrobius, *Pontificibus erat permiſſa poteſtas, memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos Annales appellabant Maximos, quaſi à Pontificibus Max. factos.* Iam hic *iucundius* in libro

ſcripto habetur: ac iucunditas in puritate ſermonis, abſque ornatu oratorio eſſe poteſt, in cognitione antiquitatis, in more maiorum, vita, verbis priſcis. Tale quiddam de XII. Tab. & Pontificum libris ſcribit Cicero in dialogo de Oratore his verbis: *Mira quædam in cognoſcendo ſuauitas & delectatio: nam ſi quem aliena ſtudia delectent, plurima eſt in omni Iure ciuili, & in Pontificum libris, & in XII. Tab. antiquitatis effigies, quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum quædam genera maiorum conſuetudinem vitámque declarant:* Horatius,

*Pontificum libros annoſa volumina vatum*
*Dictitet Albano muſas in monte locutas.*

Non enim hæc tantùm accipienda cenſeam de Pontificio iure, verùmetiam de Annalibus. Fortaſſe autem cùm omnes ſcirent Annales tenuiter & exiliter ſcriptos eſſe, id Cicero prætermiſit vt notum. Alij *Nudius* legunt, id eſt, inornatius: inornatè enim & nudè ſcripti erant.

*Catonem*) Qui libros Originum ſcripſerat: nec tamen titulum operis, vt ait Feſtus, implebat. Eum plurimum laudare Cicero ſolebat, vt ex Bruto apparet.

*Fabium*) Fabius Pictor hiſtoricus Latinus, vt ex hoc loco apparet, cuius hodie neſcio quid extare dicitur, ſi modò eius eſt. Eius meminit Cic. in Bru. Refert etiam Dionyſius lib. 1. Quintum Fabium Annales Græcos ſcripſiſſe: ſed & Cicero his verbis, *Hiſque adiungatur etiam Æneæ ſomnium, quod in Numerij Fabij Pictoris Græcis Annalibus eiuſmodi eſt.* An autem alius ſit, an idem Græcè & Latinè ſcripſerit, quærendum relinquo. Fabium qui Annales Latinos ſcripſit, vocat Dionyſius Maximum.

*Fannium*) Hic ſcriptor Annalium fuit: cuius Cicero in Bruto meminit. Eius Annales in epitomen Brutus redegit.

*Venonium*) Hic quoque hiſtoriam Latinè condidit. Cic. lib. XII. ad Atticum, *At moleſtè fero Venonij hiſtoriam me non habere.*

*Ætate coniunctus*) Vt in Bruto, *Horum ætatibus adiuncti duo Fannij.* Iterum, *Itaque cum Hortenſio magis mihi arbitrabar rem eſſe, quòd & dicendi ardore eram propior, & ætate coniunctior.* Proinde hic libentius legerim, *Fannio autem ætate coniunctus: vel, Fannij ætate coniunctus* dicitur, cum ſequens proximè. Non deeſt qui legat Fannij ætati coniunctus.

*Antipater*) Cælius Antipater hiſtoricus Latinus, Craſſi familiaris & magiſter, vires & ſonum hiſtoriæ addidit, verborum tamen collocatione, tractuque orationis æquabili, qui proprius hiſtoriæ eſt, caruit. Cic. in Bruto, & in libro de Orat. eius meminit. Brutus Antipatri hiſtoriam in epitomen redegit: Cælius autem Punicum bellum ſcripſerat.

*Inflauit*) Metaphora à tibicinibus. Cic. in Acad. *Simul ac inflauit tibicen, à perito carmen agnoſcitur,* Virgilius, *Inflauit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.* Inflare autem tibiam, eſt in tibiam flare.

*Belli*) id eſt inepti ac mali ſcriptores, ironia eſt. Sic lib. 2. de Orat. *Audiamus, inquit, pulchellum puerum Craſſus.* Alij *Bello* legunt, id eſt rudi ſcriptori Cælio, repugnantibus tamen libris ſcriptis.

*Clodius*) Clodius Quadrigarius, & Sempronius Aſellio, Annalium ſcriptores, quorum non rarò Gellius meminit. Aſellio autem ſub P. Scipione, vt ait Gellius, Trib. militum ad Numantiam fuerat, eaſque res quibus interfuerat, literis mandarat. Hos hiſtoricos negat eſſe cum Cælio comparandos: cuius etſi vires habet, & fortis eſt oratio, tamen artem luctandi præ ſe non fert, id eſt, per tranſlationem nullam oſtendit peritiam & artem faciendæ orationis.

*Nam quid Atium numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum (nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, ſed ex librariolis Latinis) in orationibus autem multas ineptias, elatio ſummam impudentiam. Siſenna eius amicus omnes adhuc noſtros ſcriptores, niſi fortè qui nondum ediderunt, de quibus exiſtimare non poſſumus, facilè ſuperauit. is tamen neque orator in numero veſtro vnquam eſt habitus, & in hiſtoria puerile quiddam conſectatur: vt vnum Clitarchum, neque quenquam præterea de Græcis legiſſe videatur: eum tamen velle duntaxat imitari, quem ſi aſſequi poſſet, aliquantum ab optimo tamen abeſſet. Quare tuum eſt munus: hoc à te expectatur: niſi quid Quinto videtur ſecus. Q. Mihi verò nihil: & ſæpè de iſto conlocuti ſumus: ſed eſt quædam inter nos parua diſſenſio. A. Quæ tandem? Q. A quibus temporibus ſcribendi capiat exordium. Ego enim ab vltimis cenſeo: quoniam illa ſic ſcripta ſunt, vt ne legantur quidem. ipſe autem æqualem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, vt ea complectatur quibus ipſe interfuit. A. Ego verò huic potius aſſentior. ſunt enim maximæ res in hac memoria atque ætate noſtra. tum autem hominis amiciſſimi Cn. Pompeij laudes illuſtrabit. incurret etiam in illum & memorabilem annum ſuum. quæ ab iſto malo prædicari, quàm, vt aiunt, de Remo & Romulo.*

*Nam quid Atium*) Cicero in Bruto Atium hiſtoricum citat, quin & Feſtus Pompeius, in verbo Metelli.

*Ex librariolis Latinis*) Ex vilibus & inornatis Latinorum libellis. Librarioli venditores & viles ſcribæ libellorum: id ad contemptum ſcriptorum Latinorum ait, ne librarios quidem dicere dignatus, vt in extremo tertio. *Itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt: à librarijs petimus.*

*In orationibus*) In concionibus, quas intexit hiſtoriæ ſuæ.

*Impudentiam*) Impudentiſſimè ſe ſolet oſtentare Atius. In ſcriptis libris reperi *Imprudentiam*, nec id abſque ſenſu.

*Siſenna*) Lucius Siſenna bellum Marſicum ſcripſerat, prætorius fuit, vt è Corneliana & Aſconio intelligitur: ſæpè eius hiſtoria citatur à Nonio. Varro librum quendam eius nomine, Siſennam vel de Hiſtoria inſcripſerat, vt eſt à Gellio relatum. Deceſſit in Creta cùm illic præeſſet exercitui. Miror autem à Cicerone omiſſum Valerium Antiatem, Licinium Macrum, Ælium Tuberonem, Gellium: etiam Lucius Cincius Romanam hiſtoriam ciuis Romanus Græcè ſcripſerat. ſed hic in Græcis numerandus erat.

*Nondum ediderunt*) nondum ediderat Saluſtius, nondum Luceius, à quo res ſuas celebrari cupiebat.





*Exiſtimare*) iudicare non poſſumus.

*Clitarchum*) Clitarchus rerum Alexandri ſcriptor, & expeditionum comes fuit. Huius fidem infamari, ingenium probari ſcribit Quintilianus.

*Ab vltimis cenſeo*) A primis originibus Vrbis conditæ.

*Æqualem ætatis ſuæ*) Res ſcribere vult noſtra memoria & ætate geſtas. Sic in Bruto, Sed ordinem ſequens in memoriam notam & æqualem neceſſariò incurro. Hoc autem Ciceronis conſilium ſic apud Dionem per ſummam calumniam exagitat Calenus: προσθέμενος γὰρ ἅπαντα τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι. καὶ γὰρ σοφιστὴς, καὶ ποιητὴς, καὶ φιλόσοφος, καὶ ῥήτωρ, καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται. ἔπειτα οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο, ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν, ἀρχὴν μετὰ τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται, id eſt, Cum enim inſtituerit res geſtas ciuitatis noſtræ literis mandare (nam rhetorem, poëtam, philoſophum, oratorem, rerum ſcriptorem eſſe ſe ſimulat) non tamen ab Vrbe condita, vt alij qui hiſtoriã ſcribunt, ſed à conſulatu ſuo primordium duxit, vt retrorſum regrediens, ſcribendi initium conſulatum ſuum habeat, finem Romuli regnum. Atque hæc ita dicuntur à Caleno quaſi hiſtoria iam à Cicerone conſcripta, nondum tamen edita eſſet. Coæuum autem Cic. in Vatinium non dixit: Cocos enim illic ſcribere oportet.

*Pompeij*) Atqui Cicero librum quendam, quem tamen non edidit, & in Pompeium, & alios optimates ſcripſerat: eius meminit lib. 2. ad Atticum: *Itaque ἀνέκδοτα, quæ tibi vni legamus, Theopompino genere, aut etiam aſperiore pangentur:* atque id Calenus obijcit ei apud Dionem his verbis: ποτὲ συγγράμματα ἃ κατὰ τῶν φίλων συγγράφεις: ἐφ᾽ οἷς οὕτως αὐτῷ ἀδικοῦντι σύνοιδα, ὥστε μηδὲ δημοσιεύειν αὐτὰ τολμᾶν, id eſt, Et quos in amicos libros conſcribis, quo nomine tuæ tibi conſcius culpæ, ne eos quidem publicare audes.

*Incurret etiam*) De ſuo conſulatu Cicero commentarium Græcè iam ſcripſerat, quem librum ait totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes diſcipulorum eius arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſiſſe. ſcripſerat & Atticus commentarium de conſulatu Ciceronis. ſed aliud eſt hiſtoriam, aliud commentarium ſcribere, & tanquam breuiarium conficere.

*Illum & memorabilem*) Sic vetus liber: legendum cenſeo *illummet*, vno verbo vt in Lucullo, *Age, adſta, mane, audi, iteradum eademmet iſta mihi.* Alij *in illum memorabilem* legunt ex puncto *Et*.

*De Remo*) Quam de rebus obſoletis ac priſcis, & vetuſtatè vltimæ originis habentibus, & à noſtra memoria remotiſſimis, iſtum non tàm ſcribere quàm vaticinari: iſtudque prouerbij ſpeciem habere videtur.

*M. Intelligo equidem à me iſtum laborem iandiu poſtulari, Attice: quem non recuſarem, ſi mihi vllum tribueretur vacuum tempus & liberum. neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta ſuſcipi poteſt. Vtrunque opus eſt, & cura vacare, & negocio. A. Quid? ad cætera quæ ſcripſiſti, plura quàm quiſquam è noſtris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit conceſſum? M. Subſiciua quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior: vt ſi qui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodentur quæ ſcribimus. Hiſtoria verò nec inſtitui poteſt, niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolui: & ego animi pendere ſoleo, cùm ſemel quid orſus traducor alio: neque tam facilè interrupta contexo, quàm abſoluo inſtituta. A. Legationem aliquam nimirum iſta oratio poſtulat, aut eiuſmodi quampiam ceſſionem liberam, atque ocioſam. M. Ego verò ætatis potius vacationi confidebam: cùm præſertim non recuſarem, quo minus more patrio ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderem: ſenectutiſq́; non inertis grato atque honeſto fungerer munere. ſic enim mihi liceret, & iſti rei quam deſideras, & multis vberioribus atque maioribus operæ quantum vellem dare.*

*Vacuum tempus*) Vacuum tempus eſt, cùm occupati non ſumus: liberum, cùm nec occupati ſumus, nec cura aliqua impediti.

*Subſiciua*) Hæc vetus ſcriptura eſt. Ab aſſignationibus agrorum ductum, cùm centuria non implebatur: aut cùm agri ſteriles erant, vt paluſtres, & macri, qui aſſignari non poſſent, & relinquebantur, aut reddebantur veteribus poſſeſſoribus. Frontinus, *Subſiciuum eſt quod à ſubſecante linea nomen accepit. Subſiciuorum duo genera, vnum, quod in extremis aſſignatorum finium centuriam explere non potuit: alterum, quod in medijs aſſignationibus & integris centurijs interuenit.* Varro etiã cùm iugerũ non impletur, ſcribit: *Ab hoc principio menſores nonnunquam dicunt in ſubſiciuum eſſe vnciam agri.* Sic ſubſiciua tempora quæ ſubſecantur, & iuſtis negotijs ſuperſunt. Subſeciuum autem dicitur, & ſubſiciuum frequentius, cùm veteres ſubſicare vt ſubſecare dicere ſolerent. Nam & exico pro execo apud Plautum in bonis libris reperi hoc verſu,

*Quin tu in paludem is exicáſque harundinem.*

Hæc origo erroris fuit. Cùm enim homines vnde ſubſiciuum diceretur ignorarent: literas traiecere, & ſubſiciuum primò, mox etiam ſucciſiuum fecere. Itaque in Tranquilli libris manu ſcriptis ſubſiciuum in Domitiano reperi, & ter in Gellio, qui à Badio excuſus eſt anno Domini M. D. XVII. in libris etiam Plinij & Ciceronis qui formis non ſunt excuſi, inueni integrum vocabulum. Itaque qui ſucciſiuum defendunt pertinaciter, quid aliud conſequuntur, quàm quòd inſcitiam ſuam per hominum doctorum ora traducunt?

*Ad ruſticandum*) vt cùm exeundi Roma poteſtas eſt ludorum diebus, diebus feſtis, & rebus prolatis.

*Quæ ſcribimus*) Scriptiones inſtituimus quas paucis diebus abſoluamus, eaſque accommodamus ad dies ruſticationis.

*Orſus traducor*) Cùm interrumpere ſcripturam inſtitutam cogor, moleſtum mihi eſt. Nam animi pendere cruciari eſt. Terentius, *Clitipho cum ſpe pendebit animi.* Ductum à ſeruis qui ad trabem pendentes vapulabant, à corpore ad animum verbo tranſlato. Plautus,

*Ad pedes quando alligatus es æquum centupondium*

*Vbi manus manicæ complexæ ſunt atque adductæ ad trabem,*
*Nec dependes nec propendes, quin malus nequámque ſis.*

Iam Interrumpere, Contexere, Ordiri, à tela traducta ſunt: telam enim ordiri & exordiri veteres dicebant: hinc ad telam aranei alludens dixit Maro,

*Atque vt araneoli tenuem formauimus orſum.*

*Legationem*) Legationes nonnunquam Senatores impetrabant, ſine vllo munere & procuratione Reipubl. vt perſequerentur hæreditates & ſuas ſyngraphas in prouincijs, illicque negotiarentur: & vt liberè ab vrbe abeſſe poſſent. Earum legationum ante conſulatum Ciceronis tempus erat infinitum, Cicero ad annum redegit: poſtea Cæſar quinquennium lege Iulia indulſit. Itaque errant qui ante conſulatum Cic. quinquennales fuiſſe ſcribunt. Libera autem legatio dicebatur, quòd liberè in quam vellent prouinciam, in quam vellent vrbem proficiſcerentur: vbi etiam ante Ciceronis legem, quantum volebant liberè manebant. Impetrabantur & legationes votiuæ, cùm vota quæ vouerant, vt verbi gratia, ſi ſtetiſſet Reſpub. ſoluebant: tum autem fana & ſacra loca circuibant.

*Ceſſionem*) Ceſſio eſt cùm vrbe & publico cedimus, & rus ſecedimus. Ductum videri poteſt à ceſſione quæ fit in iure. Huius meminit in Topic. Cic. Atque hæc veterum librorum ſcriptura eſt: alij *ceſſationem* legunt.

*Ætatis potius*) Oratores ætate ingraueſcente, depoſitò cauſarum forenſium onere, domi, quo ſuam etiam tum dignitatem tuerentur, ius reſpondere ſolebant. Sic lib. 1. de Orato. ſub Craſſi perſona, Iuris interpretationem ſe non ſolùm ad vſum forenſem, ſed etiam ad decus & ornamentum ſenectutis ſibi comparaſſe dicit. *Vacationi*) Quia ſenibus militiæ vacatio datur & aliorum munerum: vt in alijs rebus eodem modo vſurpari debeat, verbi gratia, in cauſis agendis. Sexagenarijs autem à muneribus ciuilibus ætatis vacatio dabatur: quinquagenarijs, à militaribus. Seneca, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo, ſenatorem non citat.* Cornelius Nepos, *Incidit Cæſarianum ciuile bellum, cùm haberet annos ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, neque quoquam ſe mouit ex vrbe.* Cicero autem cùm hos libros ſcripſit, non longè à ſexagenario aberat.

*In ſolio*) In ſolio ſedentes iura reſpondebant Iuriſconſulti priſci. Cicero lib. 2. de Orat. *An iuri ciuili eſt paternum. ſed dicet, te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe.*

*A. Atqui vereor ne iſtam cauſam nemo noſcat, tibique ſemper dicendum ſit: & eo magis quòd te ipſe mutaſti, & aliud dicendi inſtituiſti genus: vt quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu cecinerat, ipſaſq; tardiores fecerat tibias: ſic tu à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebas, quotidie relaxes aliquid: vt iam oratio tua non multum à philoſophorum lenitate abſit. quod ſuſtinere cùm vel ſumma ſenectus poſſe videatur, nullam tibi à cauſis vacationem video dari. Q. At me hercule ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari, ſi te ad ius reſpondendum dediſſes. quamobrem cùm placebit, experiundum tibi id cenſeo. M. Siquidem, Quinte, nullum eſſet in experiundo periculum: ſed vereor ne, dum minuere velim laborem, augeam: atque ad illam cauſarum operam, ad quam ego nunquam niſi paratus & meditatus accedo, adiungatur hæc Iuris interpretatio, quæ non tàm mihi moleſta ſit propter laborem, quàm quòd dicendi cogitationem auferat: ſine qua ad nullam maiorem vnquam cauſam ſum auſus accedere, A. Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſiciuis, vt ais, temporibus, & conſcribis de Iure ciuili ſubtilius, quàm cæteri? nam à primo tempore ætatis iuri ſtudere te memini, cùm ipſe etiam ad Scæuolam ventitarem: neque vnquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, vt Ius ciuile contemneres. M. In longum ſermonem me vocas, Attice: quem tamen, niſi Quintus aliud quid nos agere mauult, ſuſcipiam: & quoniam vacui ſumus, dicam. Q. Ego verò libenter audierim. quid enim agam potius? aut in quo melius hunc conſumam diem? M. Quin igitur ad illa ſpatia noſtra, ſedéſque pergimus, vbi cùm ſatis erit ambulatum, requieſcemus? nec profectò nobis delectatio deerit aliud ex alio quærentibus. A. Nos verò, & hæc quidem adire, ſi placet, per ripam & vmbram. Sed iam ordire explicare quæſo, de Iure ciuili quid ſentias.*

*Roſcius*) Cantica in proſcenio ab hiſtrionibus ad tibiam canebantur, & ſaltabantur. Roſcio comœdo, & Æſopo tragœdo operam ad formandum geſtum, diſtinguendamque varietate orationem, Cic. dedit: etiam librum Roſcius edidit de comparatione hiſtrioniæ & eloquentiæ. quòd hiſtrionibus operam daret, ſic exagitat Calenus: οὐ μὰ Δία οὐχ ὥσπερ ὀρχηστὴ, οἱ τὰς ποικιλίας τῶν ἐνθυμημάτων διδάσκοντες ἐν τοῖς σχήμασι. Roſcius autem iam ſenex, cùm in ſcena canticum ad tibiam caneret, iubebat tibicinem, non vt antea, citatos & acutos incinere modos, ſed tardos ſenectutiſque geſtui aptos, ac ipſe remiſſiore voce vtebatur. Cicero lib. 1. de Orat. *Solet idem Roſcius dicere, ſe, quò plus ætatis ſibi accederet, eò tardiores tibicinis modos, & cantus remiſſiores eſſe facturum.*

*In cantu cecinerat*) Remiſſe ſcilicet, id eſt, remiſſo & ſenili voci & lateri apto cantu vſus fuerat, verſus in canticis canens ad tibiam. Ex illo Ciceronis de Oratore loco nonnullis hic aliquid deeſſe videtur: ſed quomodo in ſenectute ceciniſſet, ijs quibus hoc dicebatur, notum erat, & id verbum, *Quemadmodum* ſatis indicat. Numeri autem verſus ſunt hic, & in Perſio, *Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber.* Quod eo fit, quia in verſu dimenſa ſunt ſpatia & percuſſiones. Numerus enim eſt quicquid habet certa & definita interualla: vnde pedes ſunt numeri: & ſaltare quis in numerum dicitur. at modus, cantus eſt, vt, Modos fecit Flaccus: Ciceroque ſæpè numeros & modos coniungit.

*A contentionibus*) Cicero in prima iuuentute omnia ſine remiſſione & varietate, vi ſumma vocis & totius corporis contentione dicebat, vt in Bruto ſcribit. Poſtea cùm iterum operam dediſſet Moloni contentio nimia vocis cecidit, & quaſi eius deferbuit oratio. Paulo ante bellum ciuile ſemper aliquid





relaxabat: ac proinde de ſe ſic in Bruto ſcribit: *Quòd quo tempore ætas noſtra perfuncta rebus ampliſſimis, tanquam in portum confugere deberet, non inertiæ neque deſidiæ, ſed otij moderati atque honeſti: cumq; ipſa oratio iam noſtra caneſceret, haberetque ſuam quandam maturitatem & quaſi ſenectutem, tum arma ſunt ea ſumpta, & cætera.* Cæterùm contendere & relaxare contraria ſunt. tranſlatio eſſe ducta videri poteſt à fidibus contentis & incontentis. *Lenitate*) *Lenis enim eſt & mollis oratio philoſophorum: nihil habet iratum, nihil atrox, nihil inuidum, nihil mirabile: ſermóque potius eſt quàm oratio*, vt ſcribitur in Oratore ad Brutum.

*Dediſſes*) Sic in Bruto, *Qui quanquam nemini ſe ad docendum dabat.* & mox, *Nec vnquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe.* *Cogitationem*) Cogitatio eſt inter ſcribendi laborem & extemporalem fortunam media, vt Quintilianus ait, cùm ſcilicet orationem non ſcribimus, ſed antequam tamen dicamus, apud nos rem diligenter cogitamus atque meditamur.

*Ad Scæuolam*) Cicero in Bruto, *Ego autem iuris ciuilis ſtudio, multum operæ dabam Q. Scæuolæ P. filio, qui quanquam nemini ad docendum ſe dabat: tamen conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat.* Erat autem hic Q. Mutius pontifex, non augur, vt quidam falsò cenſent, P. Mutij pontificis filius. Ante etiam Q. Mutio auguri operam dederat, ſtatim ſumpta virili toga ad eum à patre deductus. Valde autem errant qui cenſent huius fuiſſe filium Q. Mutium, de quo modò loquebar.

*Ventitarem*) Hic ventitare eſt quod Græcè dicitur φοιτᾶν. Diſcipuli enim ad præceptorem ventitare hic dicuntur: ſic itare vſurpatur, vt in edicto cenſorio, *Maiores noſtri quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt.*

*Spatia noſtra*) Id eſt ambulationem, Cicero in Oratore ad Brutum, *Et fateor me oratorem ſi modo ſum, aut etiam quicunque ſum, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſe.* Hic enim ſpatia dicit ambulationes Academiæ, de quibus Plinius, *Celebratæ ſunt primum in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum triginta, vnius radice ramos antecedente.* Hoc ideo addidi, quia quidam hic cum inani dentem illidere vellent, offenderunt ſolido, ac neſciuerunt cur ſpatia Academiæ Cicero dixiſſet, ſed vocem iſtam à Cicerone temerè iactam putauerunt.

*Aliud ex alio quær.*) Modò ſedentibus, modò ambulantibus, vt grata viciſſitudo eſt: vel modò hoc, modò illud diſputantibus, quod potius puto. *Nos verò*) Volumus ſcilicet.

*Et hæc quidem adire per ripam & vmbram*) Vetus ſcriptura hæc eſt, id eſt ad ſpatia ire per ripam opacam cùm ſit æſtus. nec per ripam tantùm opacam adibitur, verùm etiam diſputabitur mox in ripæ opacæ ambulatione: vt infrà, *Inter has proceriſſimas populos in viridi opacáque ripa inambulantes, tum autem reſidentes quæramus.* Alij hac adire, id eſt hac via ad ſpatia ire, quod etiam valde placet. Ripam autem fluminis Liris intelligit.

*M. Egóne? ſummos fuiſſe in ciuitate noſtra viros, qui id interpretari populo, & reſponſitare ſoliti ſunt: ſed eos magna profeſſos, in paruis eſſe verſatos. quid enim eſt tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quàm eſt munus hoc eorum qui conſuluntur? quàm eſt populo neceſſarium? Nec verò eos qui ei muneri præfuerunt, vniuerſi iuris fuiſſe expertes exiſtimo: ſed hoc ciuile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo præſtare voluerunt: id autem incognitũ eſt, in vſu neceſſarium? Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? vt libellos conficiam de ſtillicidiorum ac de parietum iure? aut ſtipulationum & iudiciorum formulas componam? quæ & ſcripta à multis ſunt diligenter, & ſunt humiliora, quàm illa quæ à nobis expectari puto.*

*Egone*) Terentius, *Potin eſt hic tacere?* P. *Egóne?* Lib. 2. Hac dè re quæro quid ſentias. M. *Egóne?* ſic loqui ſolent, qui ad reſpondendum parati ſunt.

*Summos*) Pomponius ſcribit Romæ plurimos & ampliſſimos viros ius reſponſitare ſolitos eſſe: & Romani, vt ait Cicero, clariſſimorum virorum auctoritate leges & iura tecta eſſe voluerunt. hoc tamen munus, vt ait Pomponius, initio Pontificum erat, & ex collegio Pontificum conſtituebatur, qui quoque anno præeſſet priuatis. is autem ius reſpondebat, & actiones inſtituebat, ſuoq; conſilio homines inſtruebat: id enim intelligit Pomponius: quo etiam modo illud à Cicerone ſcriptum eſt lib. 1. de Orat. *Multiſque præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu conſertum vocarent.* Nobis enim præeſt qui non tantùm rebus noſtris intereſt, verumetiam qui auctoritate ſua & conſilio tanquam quid agamus imperat. mox ſcribet, *Qui ei muneri præfuerunt.*

*Ciuitatis*) Ius ciuitatis maximum & ampliſſimum eſt. At iuriſconſulti de rebus priuatorum reſpondebant, quod exiguum eſt. Appellatur autem interpretatio Prudentum, vt ait Pomponius, communi nomine Ius ciuile, cùm tamen tantùm Iuris ciuilis pars ſit.

*Quam eſt populo*) Legendum puto, *Qui conſuluntur cum eſt populo neceſſarium?*

*Ciuile*) quod poſitum eſt in interpretatione Prudentum, vt Pomponius ait. Eſt enim tantùm Iuris pars.

*Præſtare*) Quantum populo neceſſarium eſſe iudicauerunt. In ſcripto, *populum præſtare* legitur, quod melius eſt: id eſt, de quibus populum teneri & obligatum eſſe voluerunt.

*Incognitum eſt*) Quaſi verò ignoretur vſitatum iſtud Ius ciuile, & non plurima de eo ſcripta extent? In ſcripto lib. *Id autem incogniti eſt.* indocilis enim eſt vſus diſciplina. Alij legunt, *Id autem cognitum eſt, in vſu neceſſarium.* vt ius illud Iuriſconſultorum vtilitate commendatum eſſe dicat. cognitum enim eſt neceſſarium eſſe. Vſus autem non docet eſſe neceſſarium ius illud, de quo philoſophi diſputant.

*De ſtillicidiorum*) Hæc à Iuriſconſultis in Seruitutibus prædiorum tractantur.

*Stipulationum*) *Stipulatio*, inquit Pomponius, *eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturúmue ſe id quod interrogatus eſt, reſpondet.* Plautus in Penulo,

*P. Roga me viginti minas,*
*Vt me effecturum tibi quod promiſi, ſcias.*
*Roga. C. obſecro hercle. P. Geſtio promittere.*

*C. Dabis ne argenti mi hodie viginti minas?*
*P. Dabo, moleſtus nunc iam tu ne ſis mihi.*

Stipulationum autem harum non pauciores erant formulæ ferè, quàm res de quibus concipiebantur: eas in venalibus vendendis diligenter Manilius Iuriſconſultus perſcripſerat. Varro lib. 2. de Re ruſtica, ſtipulationis formulam ponit: *Emptor ſtipulatur priſca formulà ſic, Illaſce oues, quà de re agitur, ſanas rectè eſſe, vt pecus ouillum quod rectè ſanum eſt, extra luſcam, ſurdam, minam, id eſt, ventre glabro, neque de pecore morboſo eſſe, haberéque rectè licere: hæc ſic rectè fieri ſpondes?*

*Iudiciorum formulas.*) Certas intelligit actionum formulas, ex quarum præſcripto experiundum erat. Pomponius, *Deinde ex his legibus eodem ferè tempore actiones compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent: quas actiones ne populus prout vellet, inſtitueret, & certas & ſolennes eſſe voluerunt: & appellatur hæc pars iuris, Legis actiones.* Eas Flauius Appij libertus publicauit. Quàm autem variæ eſſent ſtipulationum & iudiciorum formulæ, ex Topicis intelligi poteſt, vbi ſcribitur, *At ſi ſtipulationum & iudiciorum formulas partiare, non eſt vitioſum in re infinita prætermittere aliquid.*

*A. Atqui ſi quæres, ego quid expectem, quoniam ſcriptum eſt à te de Optimo reipublicæ ſtatu, conſequens eſſe videtur, vt ſcribas tu idẽ de Legibus. ſic enim feciſſe video Platonẽ illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis. M. Viſne igitur, vt ille cum Crete Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtiuo, quemadmodum deſcribit, die, in Cupreſſetis Gnoſsiorum, & ſpatijs ſyluestribus crebrò inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis Rerumpublicarum, ac de optimis Legibus diſputat: ſic nos inter has proceriſsimas populos in viridi opacáque ripa inambulantes, tum autem reſidentes, quæramus ijſdem de rebus aliquid vberius quàm forenſis vſus deſiderat? A. Ego verò iſta audire cupio. M. Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M. Et rectè quidem: nam ſic habetote, nullo in genere diſputando honeſtè pateſieri, quid ſit homini naturâ tributũ: quantam vim rerũ optimarum mens humana contineat: cuius muneris colendi efficiendíque cauſa nati & in lucem editi ſimus: quæ ſit coniunctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos. his enim explicatis, fons legum & iuris inueniri poteſt. A. Non ergo à Prætoris edicto, vt plerique nunc: neque à XII. Tabulis, vt ſuperiores: ſed penitus ex intima philoſophia hauriendam iuris diſciplinam putas. M. Non enim id quæris, hoc ſermone, Pomponi, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quaque conſultatione reſpondeamus. ſit iſta res magna, ſicut eſt, quæ quondã à multis claris viris, nunc ab vno ſumma auctoritate & ſcientia ſuſtinetur. ſed noris iſta, complectenda in hac diſputatione tota cauſa eſt vniuerſi iuris ac legum: vt hoc ciuile quod dicimus, in paruum quendam & anguſtum locum concludatur naturæ. Natura enim iuris explicanda nobis eſt. eáque ab hominis repetenda natura: conſiderandæ leges, quibus ciuitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ compoſita ſunt & deſcripta iura & iuſſa populorum: in quibus ne noſtri quidem populi latebunt, quæ vocantur Iura ciuilia. Q. Altè verò, &, vt oportet, à capite, frater, repetis quod quærimus: & qui aliter Ius ciuile tradunt, non tàm iuſtitiæ, quàm litigandi tradunt vias. M. Non ita eſt, Quinte: ac potius ignoratio iuris litigioſa eſt, quàm ſcientia. Sed hæc poſterius, nunc iuris principia videamus.*

*Platonem*) Platonem maximè admirabatur Cicero, adeo vt quendam philoſophorum deum quodam loco vocet: Atticus autem Epicureus erat. Ita nunc exemplo Platonis de Legibus Cicero ſcribit: quæ tamen de lege diſſeret, ea eſſe Stoica docebo paulo pòſt multis clariſque argumentis. Intelligo enim in maximo errore nonnullos verſari, qui hanc de lege diſputationem Platonicam eſſe cenſeant.

*Viſne igitur*) Locus ex primo νομοθεσίας Platonis. Ita Cicero hoſpitem qui diſputat, Platonem eſſe intelligit. *Æſtiuo*) Scribit enim Plato, ὡς εἰκὸς πνίγους ὄντος.

*Cupreſſetis*) Apud Platonem eſt, κἀμμὴν ἔστι γε, ὦ ξένε, προϊόντι κυπαρίττων τε ἐν τοῖς ἄλσεσιν ὕψη.

*Spatijs ſyluestribus*) in vijs & ſpatijs ſyluestribus. Qui ſcribit apud Platonem Cretam deſcribi τραχυτέραν καὶ πεδινωτέραν, & πεδινωτέραν interpretatur agreſtiorem, Platonem corrumpit, & verba non intelligit. ſcribit enim Plato, ἢ πεδινωτέραν, id eſt, vt ita dicam, quàm campeſtriorem.

*Inſiſtens*) Sæpè non ambulans: quanquam inter eundum apud Platonem diſputatur, tamen crebrò etiam inſiſtitur. Nam in Platone eſt, τὴν διατριβὴν λέγοντάς τε καὶ ἀκούοντας ἅμα, κατὰ τὴν πορείαν ποιήσασθαι.

*Inſtitutis rerumpub.*) Vt Lacædemoniorum, verbi gratia, & Cretum. non enim hîc reip. ſed rerumpub. dicit. De duabus autem illis rebuſpub. multa diſſerit: diſſerit etiam de generibus rerumpub. regni, dominationis, optimatum, paucorum, populi.

*Diſputando honeſtè*) Ex veſtigijs veteris huius ſcripturæ legendum puto, *Diſputationis ſic pateſieri.* Alij contra fidem veterum librorum, *Magis honeſta pateſieri*, nimis audacter & licenter legunt. Attingit autem capita diſputationis huius primi lib. rationem & cogitationem tributas natura homini intelligo: vim rerum optimarum, inchoatas intelligentias & ſemina virtutum: munus cuius colendi cauſa nati ſumus, iuſtitiam, & vt alij alijs participemus. Qui hæc aliter interpretantur, facilè refelluntur Ciceronis verbis, quæ in interpretatione vſurpaui.

*Natura*) Hoc argumentum eſt omnium librorum de Legibus, etiam eorum qui amiſſi ſunt.

*Non ergo*) Veteres Iuriſconſulti ciuilis Iuris interpretationem à Duodecim tabulis incipiebant, vt Sextus Ælius: cùm autem poſtea Prætores edicta, quòd ius honorarium dicitur, propoſuiſſent, poſteriores ab his cœperunt. Sic Domitius Vlpianus LXXXIII. libros ad edictum compoſuit, paulus LXXX.

*Vt plerique nunc*) Poſteaquam ex edictis perpetuis ius cœperunt dicere Prætores.

*Caueamus*) Demus operã ne conſultores noſtri apud prætorẽ ab aduerſarijs fallantur capianturq́; nam id ius hîc ſignificat, vt pro Muræna, Quando ego te in iure conſpicio. Ius enim locus eſt vbi ius dicitur. Cauere eſt Iuriſconſultorũ propriũ, Cic. in Topicis, *Cùm tu mihi meiſq; multa cauiſſes.* Cauet Iuriſconſultus





in iure, cùm præſto eſt clienti ſuo apud prætorem, eúmque ne capiatur & fallatur ab aduerſario, inſtruit. De conſultationibus etiam domi aut in foro interrogatus, reſpondet: atque hæc Iuriſconſultorum officia ſunt. *Conſultatione*) Quæſtio eſt de qua conſulitur Iuriſconſultus. Theſin hoc nomine explicet in Partitionibus, vt hypotheſin cauſam vocat, in conſuetudinem Romanorum iſta traducens, cùm Iuriſconſulti ius expendant vniuerſum, oratores ſingulorum cauſas agant.

*Nunc ab vno*) Intelligo Seruium Sulpitium, peritiſſimum Iuriſconſultum, quem in Bruto mirum in modum laudat. *Sed noris iſta*) Sic veteres libri, idq; attentionis eſt. Horatius, *Noris nos*, inquit, *docti ſumus.*

*Conſiderandæ*) Ius publicum intelligit, quod in religione & magiſtratibus poſitum eſt, de quibus lib 2. & 3. diſſerit. *Iura et*) Intexuerat etiam multa de inſtitutis aliarum ciuitatum: & extremo lib. 3. ſe de iure populi Romani dicturum pollicetur, quo Ius ciuile, quòd priuatum eſt, etiam continetur.

*A capite*) Agnoſcit Q. qui rationem Stoicam amplectebatur, exordium diſputationis, vnde oportebat repetitum eſſe. Qui aliunde repetunt, eos ſerere lites cenſet.

*Scientia*) Hæc pro Iuriſconſultis Cic. dicit, quos notauerat Quintus.

*Ius ciuile*) Vt qui à prætoris edicto, aut à duodecim Tabulis repetunt.

*Igitur doctiſsimis viris proficiſci placuit à lege, haud ſcio an rectè: ſi modo, vt idem definiunt, Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibétque contraria. Eadem ratio cùm eſt in hominis mente confirmata & confecta, lex eſt. Itaq; arbitrantur prudentiam eſſe legem, cuius ea vis ſit, vt rectè facere iubeat, vetet delinquere: eamq; rem illi Græco putant nomine à ſuum cuiq; tribuendo appellatam: ego noſtro à legendo. nam vt illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrunq; legis eſt. Quod ſi ita rectè dicitur, vt mihi quidem plerunq; videri ſolet, à lege ducendum eſt iuris exordium: ea eſt enim naturæ vis, ea mens ratioq́; prudentis, ea iuris atq; iniuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio, populariter interdum loqui neceſſe erit, & eam legem, quæ ſcripto ſancit quod vult, aut iubendo, aut vetando, vt vulgus, appellare. Conſtituendi verò iuris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quæ ſeculis omnibus antè nata eſt, quàm ſcripta lex vlla, aut quàm omnino ciuitas conſtituta. Q. Commodius verò, & ad rationem inſtituti ſermonis aptius.*

*Doctiſſimis*) Sic philoſophos appellare ſolet, vt lib. 3. de Orat. *Cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant?* *Haud ſcio an rectè*) Id eſt, rectè vt opinor, vt de Finibus, *Quem haud ſcio an rectè dixerim principem philoſophorum.*

*Lex eſt ratio ſumma*) Tota iſta de lege diſputatio ex libris Chryſippi de Legibus ſumpta eſt. Stoici autem legem ſummam eſſe cenſent mentem rationemque diuinam, recta prauaque ſancientem, ex qua lex humana ritè laudata ſit, quæ nihil aliud eſt quàm mens & ratio ſapientis ad rectè facta vocans, & à peccatis auocans. Iſtam autem fuiſſe eorum ſententiam de lege, ex Laërtio ſic intelligi poteſt: οὐδὲν ἐνεργοῦντας ὧν ἀπαγορεύειν εἴωθεν ὁ κοινὸς νόμος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς τῷ Διῒ καθηγεμόνι τούτῳ τῆς τῶν ὅλων διοικήσεως ὄντι, id eſt, Nihil eorum quæ lex communis vetat agentes, quæ per omnia peruadit, quæ eadem eſt ac Iupiter deſcriptionis vniuerſorum & adminiſtrationis imperator. Sed & ex Ario Didymo, cuius verba hæc ſunt, καὶ ὁ κόσμος οἱονεὶ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν ἡγεμονίας ἐχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων· κοινωνίας δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος, id eſt, Mundus tanquam ciuitas eſt, quæ ex dijs & hominibus conſtat: è quibus dij imperiũ habent, homines ſubiecti ſunt. Societatẽ autem inter ipſos eſſe ex commercio rationis, quæ natura lex eſt. Igitur tametſi exemplo Plat. de Legibus diſſerit: tamen iſta haurit ex Stoicorũ fontibus. Etiã ex libro de Legib. Chryſippi definitio à Iuriſconſulto affertur id planè confirmans, ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων· δεῖ δ' αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα εἶναι δικαίων τε καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζῴων· προστακτικὸν μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸν δὲ τῶν οὐ ποιητέων. id eſt, Lex eſt omnium regina humanarum & diuinarum rerum. Eam autem oportet honeſtorum ac turpium præſidem, principem ac imperatricem eſſe, atque eo ipſo iuris & iniuriæ, & ciuilium natura animalium regulam, iubentem quæ agenda, & vetantem quæ non facienda. Denique ex ipſo Cicerone id intelligi poteſt, qui ita ſcribit lib. 1. de Natura deorum: *Zeno autem, vt iam ad veſtros, Balbe, veniam, naturalem legem diuinam eſſe cenſet, eámque vim obtinere, recta imperantem prohibentémque contraria.* Iterum de Chryſippo, *Denique etiam legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ & magiſtra officiorum ſit, Iouem dicit eſſe.* Hæc ſi Platonis ſunt, magnam Platoni facit iniuriam Cicero, qui ei adempta Zenoni & Chryſippo tribuat.

*Inſita & natura*) In illa rerum parente natura vniuerſi gubernatrice, atque adeo in ſummo & præpotente deo. Stoicis enim deus & natura idem ſunt. Itaque lib. 2. in eiuſdem legis definitione in naturæ locum deum ſubſtituet, ſic ſcribens: *Ita principem illam legem & vltimam, mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei.* Denique fatum, natura, deus, prouidentia Stoicis idem ſunt. Plutarchus, ὅτι δὲ ἡ κοινὴ φύσις, καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος, εἱμαρμένη, καὶ πρόνοια, καὶ Ζεύς ἐστιν, οὐδὲ τοὺς ἀντίποδας λέληθεν, id eſt, Communem autem naturã & communem naturæ rationem, fatum, prouidentiam, Iouem eſſe, ne Antipodas quidem latet. Etiam lex & deus eiſdem idem ſunt, vt ex lib. de Natura deorũ intelligi poteſt. Hîc ignoratione naturæ quidam grauiſſimè peccant, & à ſententia longè aberrant.

*Confirmata & confecta*) Ratio enim in homine inchoata eſt & infirma, rectique & iniqui in hominibus intelligentia non ſatis eſt enodata, nec ſatis firma & perfecta: ſed confirmata eſt & confecta in mente ſapientis ratio, eaque lex eſt. Nam inter deos & homines intereſt, quòd in dijs ſponte naturæ abſoluta ratio eſt, in hominibus infirmior eſt: conualeſcit autem doctrina, præceptione, inſtitutione, vſu etiã ſine præceptione. Infra enim ſcribet ipſam per ſe naturam longius progredi, quæ etiam nullo docente profecta ab ijs, quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipſa per ſe perficitq; rationem.

*Eámq; rem illi*) Legem Græci νόμον παρὰ τὸ νέμειν, à tribuendo vocant: legis enim & æquitatis eſt ſuum cuique tribuere. Plato autem alludens νόμον quaſi νοῦ eſſe putat in duodecimo legum.

*A legendo*) A deligendo, vt in lege inſit delectus & prudentia rerum agendarum: alij putant, quòd legenda cognoſcendaque populo proponeretur.

*Vt mihi quidem*) Ita loquitur vt Academicus, nihil magnoperè affirmans. Itaque paulo antè dixerat, *Haud ſcio an rectè, infirmo quodam aſſenſu.*

*Iuris atque iniuriæ*) Chryſippus quoque legem eſſe dixit κανόνα δικαίων τε καὶ ἀδίκων.

*In populari*) Nos aliquando nomen legis de lege populari intelligemus & vſurpabimus, à qua populari lege qui non eſſet in philoſophia verſatus, iuris primordium eſſe repetendum putaſſet.

*Commodius*) Melius. Aſſentitur Quintus, cùm hæc Stoica agnoſcat.

*M. Viſne ergo ipſius iuris ortum à fonte repetamus: quo inuento, non erit dubium, quò ſint hæc referenda quæ quærimus? Q. Ego verò ita faciendum eſſe cenſeo. A. Me quoque aſcribito fratris ſententiæ. M. Quoniam igitur eius reipublicæ quam optimam eſſe docuit in illis ſex libris Scipio, tenendus eſt nobis & ſeruandus ſtatus, omneſq́; leges accommodandæ ad illud ciuitatis genus: ſerendi etiam mores, nec ſcriptis omnia ſancienda: repetam ſtirpem iuris à natura, qua duce nobis omnis eſt diſputatio explicanda. A. Rectiſſimè, & quidem iſta duce errari nullo pacto poteſt. M. Dáſne igitur hoc nobis Pomponi (nam Quinti noui ſententiam) deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, mente, numine, ſiue quod eſt aliud verbum, quo planius ſignificem quod volo naturam omnem regi? nam ſi hoc non probas, ab eo nobis cauſa ordienda eſt potiſſimum. A. Do ſanè, ſi poſtulas: etenim propter hunc concentum auium, ſtrepitúmque fluminum, non vereor condiſcipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cauendum eſt. ſolent enim, id quod virorum bonorum eſt, admodum iraſci: nec verò ferent, ſi audierint, te primum caput libri optimi prodidiſſe, in quo ſcripſit,* Nihil curare deum, nec ſui, nec alieni.

*A fonte*) Quod à capite ducere etiam dici ſolet: nam caput eſt fons: eſt etiam oſtium fluminis. Cæſar, *Multíſque capitibus in Oceanum influit.* Ad fontem autem illum & originem iuris iura & leges referenda erunt. *Scipio*) Cuius ore Ciceronis de optimo reipub. ſtatu ſententia in libris de Repub. explicabatur.

*Serendi*) Non omnia legis imperio cauenda ſunt, ſed de virtute & vitio in diſputatione multa ponenda; & de diſciplina, & de origine naturaque iuris, quæ res bonos mores ſeret.

*Iſta duce*) Cum alij philoſophi omnes plurimum naturæ tribuunt, tum verò vel maximè Epicurei, quorum ſententiam ſequebatur Atticus.

*Das ne hoc igitur*) Pomponius Atticus ſectam Epicuri ſequebatur. Epicurus autem non ſolùm prouidentiam tollebat, ſed vt colligit Cicero, deos etiam propè negabat.

*Nam Quinti noui*) Quintus Cicero lib. 1. de Diuinat. multis argumentis diuinationem & prouidentiam, vt Stoicus, probat.

*Abeo*) Locus philoſophiæ vberrimus & pernecesſarius de Prouidentia nobis tractandus hic eſſet, ſi hoc non concederes; qui tamen priuatim ſuam propriamque ſcholam habet. In hac autem de Lege diſputatione, prouidentia, vt alijs libris à philoſophis probata, pro confeſſa ponitur. Scripſerat enim verbi gratia Chryſippus, vt de Legibus, ita quoque περὶ προνοίας, id eſt, de prouidentia. Hic autem A DEO qui legunt, & à bonis libris recedunt, & ſententiam corrumpunt.

*Cauſa*) hæc diſputatio, hæc quæſtio. *Fluminum*) Liris & Fibreni, qui in aſperis illis Arpinatium locis ſtrepebant. *Ne quis cond.*) Secum Pomponius quoſdam ex amicis & familiaribus eandem ſententiam ſequentes adduxerat. vt Saufeium.

*Virorum bonorum*) Quod non reprehendo: nam bonorum animi ſunt irritabiles. Itaque non damno quos iraſci dico: ſed & boni aliam in partem dicuntur Epicurei, ſcilicet ſimplices & minimè mali. Cicero 3. Tuſcul. *Et queruntur quidam Epicurei viri optimi (nam nullum genus eſt minus malitioſum) me ſtudioſè dicere contra Epicurum.* Et prima Tuſculana, *In quo magis eſt nobis elaborandum, quòd multi iam eſſe libri Latini dicuntur ſcripti inconſideratè, ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis.* Itaque iocus fortaſſis eſt ex ambiguo: eoſque oſtendit cùm ratione non poſſint, iracundia pro ſecta propugnare ſolere.

*Primum caput libri opt.*) Epicurus librum quendam κυρίας δόξας inſcripſit, cuius prima hæc eſt ſententia, quam & Cic. in libro de Diuinat. citat. *Quanquam video nonnullis videri Epicurum, ne in offenſionem Atheni enſium caderet, verbis reliquiſſe deos, re ſuſtuliſſe. Itaque in illis ſelectis eius breuibúſque ſententijs, quas appellatis κυρίας δόξας, hæc vt opinor, prima ſententia eſt, Quod beatum & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* Id ſic ſcripſerat Epicurus, τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Epicurum non nominauit, quòd ſatis Attico notus eſſet auctor ſententiæ: & cùm inter ſe Epicurei, DIXIT, dicebant, per excellentiam Epicurum intelligebant.

*A. Perge quæſo: nam id quod tibi conceſſi, quorſum pertineat expecto. M. Non faciam longius, huc enim pertinet. Animal hoc, prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, quem vocamus Hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſummo Deo. Solum eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis: cùm cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem, non dicam in homine, ſed in omni cælo atque terra, ratione diuinius? quæ cùm adoleuit atque perfecta eſt, nominatur ritè Sapientia. Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eáque & in homine & in Deo, prima homini cum deo rationis ſocietas: inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt: quæ cùm ſit lex, lege quoque conſociati homines cum dijs putandi ſumus. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio iuris eſt: quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & ciuitatis eiuſdem habendi ſunt: ſi verò iiſdem imperijs & poteſtatibus parent, multo etiam magis. Parent autem huic cæleſti deſcriptioni, mentique diuinæ, & præpotenti deo: vt iam vniuerſus hic mundus, vna ciuitas communis deorum atque hominum exiſtimanda ſit. Et quod in ciuitatibus*





*tatibus ratione quadam, de qua dicitur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoq́; præclarius, vt homines Deorum agnatione & gente teneantur.*

*Animal hoc*) Hic locus à Lactantio citatur lib. 2. cap. 12. Item lib. 4. cap. 4.

*Multiplex*) Multiplex eſt callidus, varius, qui multa callet: vt ſimplex contra, incallidus nec aſtutus.

*A ſummo Deo*) ab Ioue præpotente, vt cenſent Stoici: nam apud Platonem ſummus Deus homines non generat, ſed genij.

*Rationis*) Fons & origo iuris, vt Stoici cenſent, in ratione eſt: & qui rationis participes ſunt, etiam iure & lege ſociati ſunt, vt Dij & homines. Cum beſtijs autem nulla nobis intercedit iuris communio, vt exiſtimant: quia ratione carent. Iuriſconſulti tamen ius quoddam naturale eſſe dicunt, cuius peritia non homines tantùm, verùm etiam bruta cenſentur. Platonici etiam & Pythagorici contendunt nos cum beſtijs iure ſociatos eſſe, quòd in beſtias animi humani immigrent, nec beſtiæ ratione careant. Itaque Porphyrius in lib. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, vt doceat animalium viſceribus nos veſci non debere, nititur oſtendere in brutis eſſe rationem: eius verba ſubſcribam, ἐς οὖν τὸν περὶ δικαιοσύνης λόγον μεταβαίνοντες, ἐπείπερ ταύτην πρὸς τὰ ὅμοια δεῖν μόνα παρατείνειν εἰρήκασιν οἱ ἀντιλέγοντες, καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἄλογα διαγράφουσι τῶν ζώων, φέρε ἡμεῖς τὴν ἀληθῆ τε ὁμοῦ καὶ πυθαγόρειον δόξαν παραστήσωμεν, πᾶσαν ψυχὴν, ᾗ μέτεστιν αἰσθήσεως καὶ μνήμης, λογικὴν ἀποδεικνύντες· τούτου γὰρ ἀποδειχθέντος, εἰκότως ἂν καὶ κατὰ τούτους πρὸς πᾶν ζῶον παρατενοῦμεν. ἐροῦμεν δὲ τὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἀπομνημονεύοντες· διττοῦ γὰρ λόγου κατὰ τοὺς ἀπὸ τῆς στοᾶς ὄντος, τοῦ μὲν ἐνδιαθέτου, τοῦ δὲ προφορικοῦ· καὶ πάλιν τοῦ μὲν ἡμαρτημένου, τοῦ δὲ κατορθωμένου, πότερου ἀποστεροῦσι τὰ ζῶα, διαρθρῶσαι προσῆκον, & reliqua. Qui igitur iſta à Platone repetere conantur, nugatores ſunt. In hac de Lege diſputatione Cicero, vt ait Quintus lib. 2. imitatur orationem Platonis, in alijs tamen rebus & ſententijs verſatur.

*Et cogitationis*) Cogitatio eſt quædam rerum in animo agitatio & comparatio. ea autem rationis eſt, & lib. 2. de Natura Deorum, ratio eſſe dicitur his verbis, *Quæ libido, quæ auaritia, quod facinus, aut ſuſcipitur, niſi conſilio capto, aut ſine animi motu & cogitatione, id eſt, ratione perficitur?* Iterum, *Illud autem quod vincit hæc omnia, rationem dico, & ſi placet pluribus verbis, mentem, conſilium, cogitationem, prudentiam, vbi inuenimus?* Itaq; ratio & cogitatio idem ſunt.

*Cælo atq; terra*) Nam in cælo atq; terra etiam Stoici cenſent eſſe rationem, atq; adeo in toto mundo. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Nihil autem eſt mente & ratione melius: ergo hæc mundo deeſſe non poſſunt.*

*Rite ſapientia*) Nam in ſolo ſapiente perfecta eſt ratio, in alijs inchoata: quique rationem ad ſummum perduxit, ſapiens eſt: ſuntq; iſta Stoica omnia. In Dijs autem ſemper perfecta ratio eſt, in hominibus inchoata, perficitur tamen tandem.

*Rationis ſocietas*) Idem in compendio ſententiarum Stoicarum ſcribit Arius, κόσμον πόλιν εἶναι ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσαν· κοινωνίαν δ᾽ ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος, quem locum ſuprà conuerti. Id etiam Cicero lib. 2. de Natura Deorum declarat his verbis: *Sequitur vt eadem ſit in iis quæ humano in genere ratio, eadem veritas vtrobiq́; ſit, eademq́; lex, quæ eſt recti præceptio, praui depulſio: ex quo intelligitur prudentiam quoq; & mentem à Dijs ad homines perueniſſe.*

*Recta ratio*) Ratio duplex eſt Stoicis, vt ait Porphyrius, λόγος προφορικὸς & ἐνδιάθετος, id eſt, ratio quæ in pronunciatione eſt & in cogitatione. Rurſus eſt eodem auctore apud eos λόγος κατορθωμένος & ἡμαρτημένος, id eſt, ratio recta & vitioſa. dicitur etiam λόγος ὀρθός. qua ex partitione contra Stoicos Porphyrius etiam argumentatur. hæc qui repetunt è Gorgia Platonis, riſum captant.

*Ciuitatis eiuſdem habendi*) Hæc Stoica ſunt, vt ex lib. 4. de Finibus intelligitur, vbi ſcribitur de Stoicis: *At quanta conantur, mundum hunc omnem oppidum eſſe noſtrum? Incendit igitur eos qui audiunt. Vides quantam rem agas? vt Circeis qui habitet, hunc omnem mundum ſuum municipium eſſe putet.* Id verò multo clarius & illuſtrius lib. 2. de Natura Deorum Stoicus Balbus diſſerit his verbis: *Atqui neceſſe eſt cùm Dij ſint, vt profectò ſunt, animantes eſſe, nec ſolùm animantes, ſed etiam rationis compotes, inter ſeqúe quaſi ciuili conciliatione & ſocietate coniunctos, vnum mundum, vt communem Rempub. atq; vrbem aliquam regentes.* Rurſum, *Eſt enim mundus quaſi communis Deorum atq; hominum domus, aut vrbs vtrorumque.* Nunquámne igitur iſti expergiſcentur qui hæc ſomniant eſſe Platonica?

*Si verò*) Si non parent tantùm rationi, qua inter ſe Dij & homines conſociantur iure, ſed etiam ſummo Deo vt magiſtratui, & eius rationi vt ſummæ legi.

*Imperijs & poteſtatibus*) Deo ſummo tanquam magiſtratui, eiuſqúe rationi & numini. nam eius imperio & poteſtati, vt magiſtratui obediunt. *Imperia ſunt*, inquit Feſtus, *cùm quis præeſt exercitui: poteſtates, cùm quis negotio à populo præficitur.* Vlpiano *poteſtas eſt merum imperium.* Mitti etiam cum imperio & poteſtate in prouincias aliqui dicebantur. Imperia & poteſtates ſunt magiſtratus, quos penes ditio eſt ſummæ Reipublicæ. Hic præpotens Deus intelligitur & eius ſumma ratio. Qua de re lib. 2. agemus.

*Deſcriptioni*) Summæ & vltimæ legi eius, id eſt, rationi & numini illius Dei, cui reliqui Dij & homines parent. Eſt autem hic deſcriptio, vt vulgo loquimur, ordinatio & conſtitutio.

*Præpotenti*) Ioui optimo max. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Illum verò & Iouem, & dominatorem rerum & omnia motu regentem*, & vt idem Ennius, *patrem diuumq́; hominumqúe, & præſentem & præpotentem Deum.*

*Agnationibus familiarum*) Serie generis per perſonas virilis ſexus: nam mulieres etſi in agnatis ſunt, non diſtinguunt familias, ſed viri. ſic fit vt quidam patritij ſint, quidam plebeij.

*Deorum agnatione*) Qui vt reliqui cælites, à ſummo Deo generati ſunt: eumqúe communem parentem habent, vt Deorum fratres & conſanguinei dici queant. Qui autem agnati ſunt, etiam eiuſdem ſunt gentis. Agnatos Cicero in Timæo cùm dixit, fratres intellexit. nam quod Plato ſcripſit, Ζεὺς Ἥρα τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν· ἔτι τε τοὺς τούτων ἄλλους ἐκγόνους, vertit, Deinceps Iouem atq; Iunonem, reliquoſq; quos fratres inter ſe & agnatos vſurpari atque appellari videmus, & eorum, vt veteri

verbo vtar, proſapiam. Nam fratres & agnatos pro eiſdem poſuit, vt vſurpari & appellari pro eodem. Pomponius Mella agnatos appellauit nepotes & pronepotes, neptes & proneptes. Eius hæc verba ſunt: *Tamen quia ſingulis aliquot ſimul coniuges & plures ob id liberi agnatiq́ ſunt, nuſquam pauci.* Tria autem fuerunt antiquis cognationis genera, vt ait Bud. agnatio, gens, ſtirps: ac Stirps quidem familia erat. Sic lib. 2. dicet ſe natum ſtirpe antiquiſſima. Gens multas familias continebat, ac vt quidam volunt, inter nobiles erat, qui capitis nullam erant diminutionem paſſi: quos adiuuat Liuius, qui patritios ſolos gentem dicit habere. Agnatio in virilis ſtirpis cognatione poſita erat, vt dicunt: ea tamen etiam fœminæ continebantur. Proinde cùm duæ Claudiorum familiæ eſſent: vna patritia, Pulchrorum: altera plebeia, Marcellorum, vt Tranquillus ſcribit, ageretúrque vt lib. 1. de Orat. relatum eſt, de hæreditate liberti inter eos, Marcelli bona ab liberti filio ad ſe ſtirpe: nullum enim gentis ius habebant plebeij: Claudij patritij eiuſdem hominis hæreditatem ad ſe gente redijſſe dicebant. Gentiles autem Deorum immortalium homines eſſe, ſic Cicero in Timæo ſcribit, *In quibus qui tales creantur, vt Deorum immortalium quaſi gentiles eſſe debeant, diuini generis appellentur, teneantq́ omnium animantium principatum:* quod tamen Plato dixit, καθ' ὅσον μὲν αὐτῶν εἶναι προσήκει ἀθανάτοις ὁμώνυμον, ad animum immortalem id referens. Epict. apud Arria. dicit nos eſſe συγγενεῖς θεῷ, id eſt, Deo cognatos.

*Nam cùm de natura omni quæritur, diſputari ſolent nimirum iſta, ſicut diſputantur: perpetuis curſibus, conuerſionibus cœleſtibus extitiſſe quandam maturitatem ſerendi generis humani, quod ſparſum in terras atque ſatum, diuino auctum ſit animorum munere: cumq́ alia quibus cohærent, homines è mortali genere ſumpſerint, quæ fragilia eſſent & caduca, animum tamen eſſe ingeneratum à Deo. ex quo verè vel agnatio nobis cum cæleſtibus, vel gens, vel ſtirps appellari poteſt. Itaq́ ex tot generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei, ipſiſq́ in hominibus nulla gens eſt neq́ tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem habere Deum deceat: tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur illud, vt is ſe agnoſcat Deum, qui vnde ortus ſit, quaſi recordetur & agnoſcat.*

*Nam cùm de natura omni quæritur, diſputari ſolent nimirum iſta, ſicut diſputantur)* Ita legendum ex veteribus libris. Huius rei ſic meminit Lactantius lib. 2. cap. 12. *Aiunt certis conuerſionibus, & aſtrorum motibus, maturitatem quandam extitiſſe animalium ſerendorum: itaq́ terram nouam ſemen genitale retinentem, folliculos quoſdam ex ſe in vterorum ſimilitudinem protuliſſe:* de quibus Lucretius, *Creſcebant vteri in terram radicibus apti. eoſque cùm maturaſſent, natura cogente ruptos animalia tenera profudiſſe: deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoq́ alimento animantes eſſe nutritos.* Huius etiam rei mentio eſt apud Diodorum & Euſebium de Præparatione Euangelica. Non abſimile eſt hoc figmentum poëticum Oppiani.

Ἀλλά τις ἀτρεκέως ἰκέλην μακάρεσσι γενέθλην
Ἀνθρώπους ἀνέφυσε, χερείονα δ' ὤπασεν ἀλκήν.
Εἴτ' οὖν Ἰαπετοῖο γόνος πολυμήτα Προμηθεύς,
Ἀντωπὸν μακάρεσσι κάμεν γένος, ὕδατι γαῖαν
Ξυνώσας, κραδίην δὲ θεῶν ἔχρισεν ἀλοιφῇ·
Εἴτ' ἄρα καὶ λύθροιο θεορρύτου ἐκ γενόμεσθα Τιτήνων.

*Nempe aliquis ſimilem diuis gentem extulit almis*
*Mortales, tamen his vires dedit ille minores:*
*Siue adeo Iapeti proles verſuta Prometheus*
*Excudit ſimulachra Deûm telluris & vndæ*
*Mixtu, diuino quorum vnguine corda perunxit:*
*Siue etiam diuiniſluo nos ſanguine creti Titanum ſumus.*

Plato autem in Timæo, à minoribus Dijs fabricata corpora, animos verò à ſummo Deo ſatos ſcribit. Ergo ita ſe res habet, cùm de rerum natura diſſeritur ab ijs philoſophis, qui cenſent mundum ortum habuiſſe, vt à Stoicis, qui exuſtiones longinquis temporibus euenire cenſent, de hominum ortu ſic, vt Cicero ait, diſputatur. Zeno autem Cittieus, vt Cenſorinus ait, Stoicæ ſectæ conditor, principium humano generi ex nouo mundo conſtitutum putauit, primosq; homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, Dei prouidentia genitos. nam Stoicis ignis Iupiter eſt. *Aſpice hoc ſublime candens, quem inuocant omnes Iouem*, ex Ennio Cicero affert, vt ignem eſſe doceat. Longis autem temporum interuallis cenſent exuſtiones euenire, ac tum ſolum Iouem eſſe omni rerum natura deleta, etiam alijs Dijs, vt Plutarchus ſcribit in libro de Orac. defectu. huius rei ſic Seneca meminit: *Qualis eſt Iouis cum reſoluto mundo & Dijs in vnum confuſis, pauliſper ceſſante natura, acquieſcit ſibi cogitationibus ſuis traditus.* Ergo poſt illam exuſtionem redintegrato & inſtaurato mundo, tandem maturitas quædam exiſtit ſerendi humani generis. Satum humani generis ad Stoicorum rationem reſpiciens, ſic attingit lib. 1. de Natura Deorum: *Semina Deorum decidiſſe de cœlo putamus in terras, & ſic homines patrum ſimiles extitiſſe? Vellem diceretis: Deorum cognationem agnoſcerem non inuitus.* Quiddam etiam ſimile in libro de Senectute perſtringit his verbis, *Sed credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent qui terras tuerentur.* Stoici quoque animum noſtrum quoddam Dei ἀπόσπασμα, id iſt, delibationem eſſe dicebant, quæ ſententia etiam tribuitur Pythagoricis, vt in lib. de Senectute his verbis, *Audiebam Pythagoram Pythagoreoſque incolas pene noſtros, qui eſſent Italici philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos haberemus.* Cicero de Diuinat. *Naturale, quod animus arriperet aut exciperet extrinſecus ex diuinitate, vnde omnes animos hauſtos, aut acceptos, aut libatos haberemus.*

*Perpetuis curſibus)* Continuis & perennibus, nunquam intermittentibus.





*Maturitatem)* Tempeſtiuitatem & opportunitatem. Cicero de Diuin. *Nec hoc quidem quæro, cur hæc arbor vna ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad ſignum floris accommodet.* Alio loco, *Ab eoq́ luna illuminata grauiditates partus afferat, maturitateſq́ gignendi.* Rurſum, *Maturitates, temporum varietates, mutationeſq́ cognouimus.* Initio autem mundi nondum erat is rerum habitus & temperamentum, vt ſtatim tempeſtiuum eſſet homines generari. Qui *Materiam* legunt, à bonis libris recedunt: qui autem ſcribunt apud Platonem, materiam corporum humanorum eſſe cœleſtem, id geometrarum more ſibi concedi poſtulant, quod fortaſſe probare non poſſent.

*Sparſum in terras)* ſignificare videtur cœli ſatu corpora generata, deciduo inde rerum omnium ſemine, vt à Plinio ſcribitur. Pro *Atq́ ſatum*, libri ſcripti, *Atq́ factum* habent.

*Diuino auctum)* Animum corpori mortali ingeneratum à Deo eſſe: ſic auctum ſe filiolo ſcribit, ſibi natum filium ſignificans, epiſtola prima ad Atticum. & cautes nullis ſenſibus auctas, Catullus dicit, ſurda ſaxa & ſenſibus orbata. Simile eſt illud eiuſdem. *Teq́ bona Iupiter auctet ope.*

*Agnatio)* quòd eiuſdem ſummi Dei nos & Dij filij ſimus: nam is eſt parens hominumq; Deûmque.

*Vel gens)* quòd duæ ſint tanquam nobiles familiæ ab vno auctore & capite Deo propagatæ, vna Deorũ, altera hominum. Nam gens multas familias complectitur. Hic in libris ſcriptis legitur *Genus.*

*Vel ſtirps)* Si tanquam vna Deorum & hominum familia ſit ab vno auctore generis ſummo Deo proſeminata. Ius arctius eſt agnationis, quàm vel gentis vel ſtirpis. Gens multas familias complectitur: Stirps familia eſt: ſtirps propinquior eſt, quàm gens. quo etiam modo Pulchrorum & Marcellorum fortaſſe verius explicari controuerſia poteſt.

*Itaq́ ex tot)* Sic & lib. 1. de Diuinat. Velleius. *Solus enim vidit primum eſſe Deos: quòd in omnium animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura. Quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus, id eſt anteceptam animo rei quandam informationem: ſine qua nec intelligi quicquam nec ſciri poſſit?* Veteres autem philoſophi ſimile ſimili cognoſci cenſuerunt: vt cùm Deum cognoſcamus, illius naturæ diſſimiles non ſimus. Sic, vt nonnulli cenſent, ex diuidua & indiuidua natura Plato animum temperat, vt omnia cognoſcat.

*Vt is ſe agnoſcat)* Sic legendum arbitror: itaq; excudendum curaui, hoc ſenſu, vt ſi quis ortum ſuum recordetur, ſe propè Deum eſſe agnoſcat. ſi ſine ſe legas, ex ortu animi diuino Deum agnoſci intelliges.

*Iam verò virtus eadem in homine ac Deo eſt: neq́ alio vllo ingenio præterea. eſt autem virtus nihil aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Quod cùm ita ſit, quæ tandem eſſe poteſt propior certiorúe cognatio? Itaq́ ad hominum commoditates & vſus tantam rerum vbertatem Natura largita eſt: vt ea quæ gignuntur, donata conſultò nobis, non fortuitò nata videantur: nec ſolùm ea quæ frugibus atq́ baccis terræ fœtu profunduntur, ſed etiam pecudes: quòd perſpicuum ſit, partim eſſe ad vſum hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum procreatas. Artes verò innumerabiles repertæ ſunt docente natura, quam imitata ratio, res ad vitam neceſſarias ſolertia conſecuta eſt. ipſum autem hominem eadem Natura non ſolùm celeritate mentis ornauit, ſed etiam ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuncios: & rerum plurimarum obſcuras nec ſatis intelligentias enodauit, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ.*

*Virtus eadem)* Platonici hìc Stoicos reprehendunt. multo enim omnia iſta eſſe dicunt in Deo abſolutiora, vt ſpeciei diſcrimen ſit, in animi natura, in virtute aliiſque omnibus. hæc enim in hominibus degenerare multoq; ſummiſſiora eſſe cenſent: Stoici planè eadem.

*Ingenio)* Natura vlla, vlla alia animante.

*Eſt autem virtus)* Hæc virtutis definitio Stoicorum eſt. aiunt enim igniculos nobis quoſdam virtutum natura inſitos eſſe: qui cùm adulti ſunt, perfectam virtutem efficiunt. haud ergò temerè virtutem perfectam in ſe naturam appellat, cùm & ipſa & ſummum quoque bonum ab illis primigenijs ſeminibus proficiſcantur. In Dijs ſtatim perfecta natura eſt, in hominibus non item, ſed tandem confirmatur & perficitur. Proinde lib. 2. de Natura Deorum dicitur à Stoico Balbo, *Nec verò hominis natura perfecta eſt, & efficitur tamen in ea virtus.* Perfectio autem naturæ hìc eſt rationis abſolutio.

*Similitudo)* Cum Deo intercedere nobis ſimilitudinem dicit, vt intelligamus nos cum Deo iure eſſe ſociatos. Porphyrius de Stoicis, ἐς οὖν τὸν περὶ δικαιοσύνης λόγον μεταβαίνοντες, ἐπείπερ ταύτην πρὸς τὰ ὅμοια δεῖν μόνα παρατείνειν εἰρήκασιν οἱ ἀντιλέγοντες, id eſt, Vt transeamus ad diſputationem de iuſtitia, quando eam ad ſimilia tantum porrigi oportere, qui contradicunt, cenſent.

*Itaque ad)* Propter illam cognationem & gentilitatem hominibus potiſſimum natura, id eſt, Deus, conſultum eſſe voluit, illiſque omnia largita eſt: ita ex tanta rerum vbertate hominibus conſultò donata, argumentum cognationis ſumitur. Tractatur hìc de prouidentia locus lib. 2. de Natura Deorum, in quo ita ſcribitur, *Principio ipſe mundus Deorum hominumq́ cauſa factus eſt, quæq́ in eo ſunt, ea parata ad fructum hominum & inuenta ſunt.* Itaque lib. 1. Epicureus in Stoicum ſic loquitur: *An hæc ferè, vt dicitis, hominum cauſa conſtituta ſunt?* Sed & lib. 1. Offic. idem Cic. dicit, & Stoicis hæc adſcribit, huiuſq; de iuſtitia diſputationis capita ſic perſtringit: *Atque, vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari: homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alijs alij prodeſſe poſſent.* Hæc ſi Stoica non ſunt, cur Stoicis adiudicat, à Platone abiudicat quem non appellat? In Timæo apud Platonem, hominis cauſa non procreantur omnia.

*Terræ fœtu)* Balbus Stoicus lib. 2. de Natura Deorum, *Terra verò fœta frugibus, & vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarúmne an hominum cauſa gignere videtur?* De pecudum genere, equis vtimur, fruimur quibuſdam, vt lac & lanam ſuppeditantibus, quibuſdam etiam veſcimur. Cic. 1. Tuſculana, *Tum multitudinem pecudum, partim ad veſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim*

*ad corpora veſtienda.* Et lib. 2. de Natura Deorum, *Quid enim oues aliud afferunt, niſi vt earum villis confectis atque contextis homines veſtiantur?*

*Docente natura*) Natura enim exordia quædam artium nobis oſtendit, vt ædificationis in hirundinibus, texendorum retium in araneis. Igitur ſolers eius imitatrix ratio res ſine quibus ſalui & incolumes eſſe non poſſumus, conſecuta eſt. ſed potius cenſeo nobis inſita eſſe artium ſemina dono naturæ, quæ rationis imitatione & rerum comparatione tandem artes pariant. Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Quanta verò illa ſunt, quæ vos Academici infirmatis & tollitis, quod & ſenſibus & animo, ea quæ extra ſunt, percipimus atque comprehendimus?* Ex quibus collatis inter ſe & comparatis, artes quoque effecimus, partim ad vſum vitæ, partim ad oblectationem neceſſarias.

*Ac nuntios*) Cicero, *Senſus autem interpretes ac nuncij rerum, in capite tanquam in arce mirificè ad vſus neceſſarios & facti & collocati ſunt, & cætera.* Satellites autem dicit tanquam miniſtros quoſdam & apparitores.

*Nec ſatis intelligentias*) Intelligentias hic vocat notiones mente perceptas, ex Stoicorum ſententia, id eſt, conformationes inſignitas in animo & impreſſas. Cic. in Topic. Notionem quoque, Stoicos ſequens, appellat, quam Græci, vt ait, ἔννοιαν & πρόληψιν dicunt: eamq; ait eſſe inſitam & ante perceptam cuiuſque formæ cognitionem, enodationis indigentem. Id enim eſt quod hic ait, non ſatis enodatas eſſe primas intelligentias. enodationis enim indigent. magis enim enucleandæ ſunt definitionibus, præceptis, vſu vitæ, ac cognitione philoſophiæ. Itaq; huc illud ex 3. Offic. pertinet: *Explica atq; excute intelligentiam tuam, vt videas quæ ſit in ea ſpecie forma & notio viri boni.* rurſum, *Si quis voluerit animi ſui complicatam rationem euoluere.* Ergo illud in Topic. hinc explicandum eſt, non ſatis intellectum, *Definitio adhibetur, quæ quaſi inuolutum euoluit id de quo quæritur.* Nam ad complicatas & inuolutas illas notiones referendum eſt. Stoici autem communes intelligentias, & inſitas præceptiones, principia philoſophiæ eſſe putauerunt: eas vocarunt κοινὰς ἐννοίας, καὶ ἐμφύτους προλήψεις. Extat Plutarchi liber περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, in quo contra Stoicos diſſerit, quòd cùm communes intelligentias principia philoſophiæ profiteantur eſſe, eorum tamen philoſophia communibus notionibus maximè repugnare refragariq; videatur. Falsò autem quidam affirmant πρόληψιν apud Platonem inueniri, cuius vocabuli primus auctor Epicurus fuit. Recordatio autem illa Platonis in Phædone & Menone nihil ad hunc locum pertinet, præſertim cùm nihil de animorum migratione in corpora hic diſputatum ſit. Scribitur etiam hic *Enudauit.*

*Figuramq; corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. nam cùm cæteras animantes abiecisſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli, quaſi cognationis domiciliq; priſtini conſpectum excitauit, tum ſpeciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. nam & oculi nimis arguti quemadmodum animo affecti ſimus loquuntur: & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores: cuius vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesq; reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix eſt, humanæ maximè ſocietatis. neq; enim omnia ſunt huius diſputationis ac temporis: & hunc locum ſatis, vt mihi videtur, in his libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum eſſe voluit, generauit, & ornauit Deus, perſpicuum ſit illud, ne omnia differantur, ipſam per ſe naturam longius progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab ijs, quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipſa per ſe rationem & perficit.*

*Figuram*) Balbus Stoicus lib. 2. de Natura Deorum, *Faciliusq; intelligetur à Dijs immortalibus hominibus eſſe prouiſum, ſi erit tota hominis fabricatio perſpecta, omniſq; humanæ naturæ figura atque perfectio.* Atq; hunc locum ſanè latiſſimè explicat.

*Solum hominem erexit*) Balbus lib. 2 de Natura Deorum de hominibus ita loquitur: *Quæ primùm eos humo excitatos, celſos & erectos conſtituit, vt Deorum cognitionem cœlum intuentes capere poſſent.* Sic Anaxagoras, cùm ab eo quæreretur, cuius rei cauſa natus eſſet, reſpondit, *Solis ac cœli videndi*, quod irridet Lactantius. Summa in homine, his quæ in mundo ſumma ſunt, reſpondent: in ſtirpibus ſumma reſpondent imis: pecora tanquam interiecta ſunt, non ſatis erecta. Galenus autem nō ſatis piè ex piſce οὐρανοσκόπῳ hæc irridet.

*Oculi arguti*) Nimis mobiles & agiles, geſtientes & propè loquaces, vt digiti arguti. Totus autem iſte locus egregiè lib. 1. Commentariorum Xenophontis tractatur, & lib. 2. de Natura Deorum.

*Cuius vim Græci norunt*) Nonnulli hunc locum exagitant, neque Græcis vernaculam deeſſe dictionem, quæ vultum declaret, aiunt, ac πρόσωπον idem declarare affirmant, quorum opinionem Iulius quoq; Pollux, Onomaſtici 2. confirmat, τὸ δὲ ὑπὸ τῷ μετώπῳ πρόσωπον, ὃ μόνον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων οὕτω καλοῦμεν. ἐπὶ γὰρ τῶν ζώων προτομήν· ὥσπερ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ῥύγχος καὶ ῥάμφος, id eſt, Quod autem fronti ſubiacet πρόσωπον, id eſt, vultum, quod duntaxat in hominibus ſic dicimus. Etenim in animalibus os, vt & in auibus rictū & roſtrum. Sed & Seruius lib. 12 Æneidos, vultum à Græcis πρόσωπον vocari fatetur. Quid quòd Cicero ipſe πρόσωπον vultum conuertit in tertia Tuſculana, cùm ita ſcribit: *Hic eſt enim ille vultus ſemper idem, quem dicitur Xanthippe prædicare ſolita in viro ſuo Socrate fuiſſe, eodem ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo & reuertentem.* Dictum enim Xantippes ſic Græcè refertur ab Æliano, ἔλεγεν ἡ Ξανθίππη μυρίων μεταβολῶν τὴν πόλιν κατασχουσῶν, ἐν πάσαις ὅμοιον τὸ Σωκράτους πρόσωπον καὶ προϊόντος ἐκ τῆς οἰκίας, καὶ ἐπανιόντος ἀεὶ θεάσασθαι. Sed Græcis cùm vocabulum non deſit, vis tamen notationis deeſt, in qua ineſt indicium voluntatis. Significat enim vultus oris habitum, qui index eſt animi & voluntatis, quæ vis non eſt in vocabulo Græco. Ridiculum eſt quod ex loco Fabij malè intellecto quidam cenſent vultum ſignificare frontem, ſupercilia, oculos, cùm iſta Fabius velit vultus eſſe partem. Deinde id alienum eſt maximè ab huius loci ſententia, in quo vultus ea eſt oris pars, quæ ſubeſt fronti, ſuperciliis, oculis. nam hic perſpicuè oculos à vultu ſeparat: & in lib. de Fato, cū ita ſcribit, *Qui ſe profitebatur hominum mores, naturaſq; ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere.*

*Moderationem vocis*) Quam noſtro arbitratu regimus & moderamur & flectimus. Eam enim variè vel

intendimus.



intendimus, vel remittimus, eaque vocis eſt moderatio. Sic Cicero de oculis, *Tum oculorum eſt magna moderatio.* nam vt imago ipſius animi vultus, ſic indices oculi. *Conciliatrix*) Ex oratione quoq; Ariſtoteles argumentatur homines ad cœtus & ſocietates colendas eſſe natos. Balbus lib. 2. de Natura deorū, de oratione dicit, *Hæc nos iuris, legū, vrbium ſocietate deuinxit: hæc à vita immani & fera ſegregauit.* Ad hunc locum non pertinet quod nonnulli afferunt flexanimam eſſe, & omnium reginam rerum orationem. nam hic in genere de ſermone & oratione agitur, qua inter nos colloquimur, non de eloquentia.

*Quod principium*) Quòd enim præclara quadam conditione generatus à deo ſit, quòd mentis celeritate auctus, quòd nuncijs & interpretibus ſenſibus donatus, quòd tanta corporis habilitate præditus, & ad cæli conſpectum excitatus, ex eo ortu hominis & ornatu, tanquam principio, reliqua duci voluit. Hoc enim eſt primum caput & principium huius diſputationis: alia, vt ad iuſtitiam, verbi cauſa, colendam nos eſſe natos, ſequuntur. Illa enim ſocietas rationis & communio cum dijs immortalibus, fons eſt & origo huius de lege diſputationis. Inepti ſunt qui *Principium* ad hominem referunt, & principium finem interpretantur, & *Reliquas res* accipiunt ea quæ ſunt hominis cauſa creata, cum *Principium* ad *generauit & ornauit*, referendum ſit hoc modo, Nunc quoniam hominem generauit & ornauit deus, quod principium reliquarum rerum eſſe voluit, i. reliquarum rerum quas in ſequenti oratione complectar.

*Perſpicuum ſit illud*) Pro perſpicuo notoque ponatur, quod alio loco diſſeretur.

*Genera cognouit*) Species & formas rerum cognouit ex præcepta notione, quam imbecillam confirmat & inchoatam abſoluit: quæ quidem eſt confirmatio & perfectio rationis atque naturæ in homine. Deus enim hominibus rationem donauit, quæ inchoata eſt, poſtea confirmatur & perficitur. Inchoatam intelligentiam in Partitionibus vocat inchoatam præceptionem. *Et vter*, inquit, *ad communem verbi vim, & ad eam præceptionem quam inchoatam habebunt in animis ij, qui audient, magis & propius acceſſerit, is vincat neceſſe eſt.*

*A. Dij immortales, quàm tu longè iuris principia repetis: atque ita, vt ego non modo ad illa non properem, quæ expectabam à te de Iure ciuili: ſed facilè patiar, te hunc diem vel totum in iſto ſermone conſumere. ſunt etiam hæc maiora, quæ aliorum cauſa fortaſſe complecteris, quam ipſa illa quorum hæc cauſa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breuiter attinguntur: ſed omnium quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius, quàm planè intelligi, nos ad iuſtitiam eſſe natos: neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. Id iam patebit, ſi hominum inter ipſos ſocietatem coniunctionémque perſpexeris. nihil eſt enim vnum vni tàm ſimile, tàm par, quàm omnes inter noſmet ipſos ſumus. Quòd ſi deprauatio conſuetudinum, ſi opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret & flecteret, quocunque cœpiſſet, ſui nemo ipſe tàm ſimilis eſſet, quàm omnes ſunt omnium. Itaque quæcunque eſt hominis definitio vna in omnes valet. quod argumenti ſatis eſt, nullam diſſimilitudinem eſſe in genere: quæ ſi eſſet, non omneis vna definitio contineret. Etenim ratio, qua vna præſtamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, diſſerimus, conficimus aliquid, concludimus, certè eſt communis, doctrina differens, diſcendi quidem facultate par. Nam & ſenſibus eadem omnia comprehenduntur, & ea quæ mouent ſenſus, itidem mouent omnium: quæq; in animis imprimuntur, de quibus antè dixi, inchoatæ intelligentiæ, ſimiliter in omnibus imprimuntur, interpréſque eſt mentis oratio, verbis diſcrepans, ſententijs congruens. Nec eſt quiſquam gentis vllius, qui ducem nactus, ad virtutem peruenire non poſſit.*

*Hominum doctorum*) Philoſophorum, vt ſuprà: *Igitur doctiſſimis viris proficiſci placuit à lege.* non enim tales Iuriſconſultos exiſtimat. *Nihil eſt profectò*) Aliud huius diſputationis caput, Homines ad iuſtitiam eſſe natos, & ad participandum alium ab alio: atque id eſt quod dixerat, in hac quæſtione pateſieri cuius muneris colendi & efficiendi cauſa nati ſimus. Nam quod aiunt nonnulli, vt ſecundum naturam viuamus, id verò hoc loco non dicit. Hunc locum citat Lactantius lib. 6. cap. 25. & in lib. de Ira dei, cap. 14.

*Ad iuſtitiam nos*) Hominem ait Lactant. colendi dei gratia eſſe natum: ac colere deum eſſe, officijs & bonis actionibus tueri & conſeruare iuſtitiam. Viden, vt hic philoſophus idem quod Chriſtianus ſentit?

*Nec opinione*) A philoſophis diſputabatur, à naturáne, an ab opinione ius eſſet profectum: hinc in Top. Cic. ſcribit, *Vt ſi quæratur, à naturáne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum & pactione.* Atque adeo idem de toto genere virtutis quærebatur, vt in Topicis, *Ecquidnam honeſtum ſit, ecquid æquum reuera, an hæc tantum opinione ſint.* Iſta ab vtilitate, & proinde ab opinione profecta Epicurei cenſebant, in quos diſputabit. Hæc ad Platonem referenda cenſent nonnulli, quòd in libris de Repub. Plato diſſerat, Iuſtitiam hominis naturæ congruere: verùm Cicero non carptim hinc & inde ſumit, ſed perpetuum quendam ordinem diſputationis texit, nouorum philoſophorum more, vt poſtea ſcribet, nihil hìc de Platone cogitans: rationeſque, vt docebo, quibus nos ad iuſtitiam eſſe natos probat, Stoicæ ſunt.

*Id iam*) Nos ad iuſtitiam eſſe natos, hìc docet: paulo pòſt, non opinione, ſed natura ius eſſe conſtitutum docebit. *Societatem coniunct.*) Nam in ſocietate hominum tuenda, tribuendoque ſuum cuique, iuſtitia poſita eſt. Stoici autem à coniunctione & conciliatione principium iuſtitiæ duci dicebant. Porphyrius, τὴν δὲ οἰκείωσιν ἀρχὴν τίθενται δικαιοσύνης οἱ ἀπὸ Ζήνωνος, id eſt, coniunctionem autem principium iuſtitiæ eſſe ſtatuunt Zenonis ſectatores. Id M. Tull. diſſerit initio Offic. de ortu iuſtitiæ ſic loquens, *Eadémque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ ſocietatem.* At nulla nobis intercedit coniunctio cum beſtijs. Plutarchus de Stoicorum ſententia, οὐδὲν γὰρ ἡμῖν πρὸς τὰ ἄλογα δίκαιον, id eſt, nullum nobis cum beluis intercedit ius. Nulla enim cum eis nobis eſt coniunctio, eiſque veſci ſine iniuria poſſumus. Cic. de Finibus, *Et quomodo hominum inter homines iuris vincula eſſe putant, ſic homini nihil iuris eſſe cum beſtijs.* Præclarè enim Chryſippus, *Cætera eſſe nata cauſa hominum & deorum: eos autem communitatis ſuæ: vt beſtijs homines vti ad vtilitatem ſuam poſſint ſine iniuria.* *Tam ſimile, tàm par.*) Porphyrius in lib. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, ſcribit Stoicos iuſtitiā exiſtimare ad ſimilia tantum, non ad diſſimilia bruta pertinere: quem locum paulò

antè citaui. *Quòd ſi deprauatio*) Docet vnde diſſimilitudo inter homines eſſe videatur, alioqui ſimillimos: eam ex conſuetudine & opinione eſſe, non ex natura ſcribit. Sed & in tertia Tuſcul. è fontibus Stoicorum hauriens de eadem re ita diſſerit, *Quod ſi tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eademque duce vitæ curſum conficere poſſemus, haud erat ſanè quòd quiſquam rationem & doctrinam requireret: nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibúſque deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atq; in lucem editi & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate & ſumma opinionum peruerſitate verſamur, vt pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur, & cætera.*

*Argumentamur*) Id eſt aliquid probamus, vt ex contrario Refellimus intelligi poteſt.

*Conficimus*) Id eſt efficimus & complectimur. *Concludimus*) Id eſt ratiocinamur, ratiocinationes, quas concluſiones non rarò Cicero appellat, conficimus.

*Doctrina differens*) Hominibus ad percipiendum & diſcendum vis ac facultas ingenij ſimilis eademq; conceſſa eſt: doctrina tamen excolitur & augetur ratio. Hinc facultas ingenij eruditorum & idiotarum differre videtur. *Nam & ſenſibus*) Inſtrumenta duo cognoſcendi & iudicandi, quæ κριτήρια dicuntur, Chryſippo, vt Laërtius prodit, erant, ſenſus & anticipatio, id eſt πρόληψις, quæ hic attingit Cicero. Hinc autem probat rationem in hominibus eſſe eandem & ſimilem. proficiſcitur enim ὁ ἐνδιάθετος λόγος, id eſt, interior ratio aut à ſenſu, aut à præceptione: ſed & ὁ προφορικὸς, qui in oratione eſt, idem eſt, ſed verbis diſcrepat: quòd alia lingua Galli, alia Græci vtuntur. *Interpreſque mentis*) Oratio docendi inſtrumentum, & conciliatrix humanæ ſocietatis hoc autem ad λόγον προφορικὸν pertinet. *Ducem nactus*) Nactus præceptorem, nactus doctorem. *Ratione enim & doctrina virtus indiget* vt ſcribitur tertia Tuſculana.

*Nec ſolùm in rectis, ſed etiam in prauitatibus inſignis eſt humani generis ſimilitudo. nam & voluptate capiuntur omnes: quæ etſi eſt illecebra turpitudinis: tamen habet quiddam ſimile naturalis boni. lenitate enim & ſuauitate delectans, ſic ab errore mentis tanquam ſalutare aliquid aſciſcitur. Similiq; inſcitia mors fugitur, quaſi diſſolutio naturæ: vita expetitur, quia nos in quo nati ſumus, continet. Dolor in maximis malis ducitur, cùm ſua aſperitate, tùm quod naturæ interitus videtur ſequi. Propterq; honeſtatis & gloriæ ſimilitudinem, beati, qui honorati ſunt, videntur: miſeri autem, qui ſunt inglorij. Moleſtiæ, lætitiæ, cupiditates, timores ſimiliter omnium mentes peruagantur. Nec ſi opiniones aliæ ſunt apud alios, idcirco qui canem & felem, vt deos colunt, non eadem ſuperſtitione, qua cæteræ gentes conflictantur. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficij memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aſpernatur? non odit? Quibus ex rebus cùm omne genus hominum ſociatum inter ſe eſſe intelligatur, illud extremum eſt, quod rectè viuendi ratio meliores efficit. quæ ſi approbatis, pergam ad reliqua: ſin quid requiritis, id explicemus prius. A. Nos verò nihil, vt pro vtroque reſpondeam.*

*In prauitatibus*) Stoicis omnes perturbationes vitioſæ ſunt & prauæ, non item Peripateticis & Platonicis. Eas naſci Stoici cenſent ex opinionis errore, id eſt, vt in Tuſcul. ait Cicero, ex opinatis bonis & malis. Nec verò ex opinione tantùm & iudicio naſci cenſent eas Stoici, verùm etiam opiniones & iudicia eſſe dicunt. Laërtius, δοκεῖ δ' αὐτοῖς τὰ πάθη κρίσεις εἶναι, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ παθῶν. Iidem non numerant in rebus fugiendis & expetendis ea quæ vel ad corpus pertinent, vt vita, mors, dolor, luctus: vel quæ externa ſunt, vt honor, gloria: atque has eſſe cauſas cenſent perturbationum, ægrotationum, offenſionum. Nam ex perturbationibus etiam offenſiones ægrotationeſque naſcuntur, cùm opinatio vehemens eſt de re non fugienda tanquam fugienda, qualis in multis metus mortis aut doloris: aut de re non expetenda tanquam valde expetenda, qualis ambitio eſt. Sed corporis commoda & externa, legenda & ſumenda dicunt, non expetenda: incommoda, reijcienda, non fugienda.

*Illecebra turpitudinis*) Ea enim tanquam ilice turpitudo vtitur: à Platone ſic δέλεαρ κακῶν in Timæo dicitur. *Ab errore*) Errat enim mens in eo expetendo quod non eſt expetendum. nihil enim expetendum eſt præter honeſtum, vt cenſent Stoici: alia legenda ſunt.

*Mors fugitur*) Mortem non eſſe timendam Stoicè diſſerit prima Tuſcul. Stoici enim nihil in rebus fugiendis præter turpitudinem numerant: nec mortem fugiendam cenſent, ſed reijciendam. Non ſunt igitur hæc Platonica. *Dolor*) Quam in rem ſecunda Tuſculana diſſeritur.

*Honorati*) Res externæ in rebus expetendis & fugiendis à Stoicis nõ cenſentur: cenſentur à Platonicis.

*Moleſtiæ*) Hæ quatuor generales ſunt perturbationes, quibus multæ ſubijciuntur formæ. omnis autem perturbatio Stoicis vitioſa eſt. Atque hic nihil eſt confuſum, vt quidam cenſent, ſi quid agatur quis attendat. *Opiniones aliæ*) Non dicit homines vniuerſos habere deos velle, ſed ait omnes ſuperſtitione laborare. nam de vitijs hic loquitur. *Qui canem & felem*) Ægyptij abſurda pleraq; pro numinibus venerabantur: ſed & beſtias ex quibus vtilitatem aliquam caperent, conſecrabant, vt felem, canem, ibin, ichneumonem. Vide Diodorum & Herodotum lib. 2. Hinc Iuuenalis ſcripſit,

*Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens*
*Aegyptus portenta colat?*

*Comitatem*) Hæ virtutes ad conciliandos hominum animos maximè valent & ad retinendos, quæ cauſa fuit cur earum meminerit. Nam & apparent maximè, & omnium ſtatim approbationem merentur. Comitas eſt facilitas & humanitas, cui aliquando grauitatem & ſeueritatem, hic ſuperbiam opponit: benignitatem, liberalitatem & beneficentiam dicit, cui opponit maleficos & crudeles. Gratum animum vocat, quam, cùm Latinè non loquimur, gratitudinem dicimus: vt ingratum animum vocat, quam ingratitudinem Barbarè dicimus Reſpondet autem liberalitati gratus animus in referenda gratia.

*Extremum*) Ex hominum coniunctione & ſimilitudine nos ad iuſtitiam eſſe natos diſputauit, quod

eſt, animis



eſt, animis noſtris inſitam eſſe iuſtitiam: ſed ea naturæ impulſio illique iuſtitiæ igniculi exiles ſunt, niſi excitentur accendanturque diſciplina, inſtitutione & præceptione, vt philoſophiæ doctrina. Cicero, *Quòd ſi tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eademque duce vitæ curſum conficere poſſemus, haud erat ſanè quòd quiſquam rationem & doctrinam requireret.* Igitur vt bene dicendi ratio eſt rhetorica: ita rectè viuendi ratio eſt philoſophia. Senſum non vident qui hic *rationem* legem interpretantur.

*Si approbatis*) Nam in philoſophia diſputari ſolet, naturáne, an doctrina, an vſu virtus pariatur. Vt igitur in loco controuerſo ait, ſi approbent, ſe ad reliqua perrecturum.

*M. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandúmque inter omnes, iuſtos natura nos eſſe factos. Atque hoc in omni hac diſputatione ſic intelligi volo, quod dicam, naturam eſſe: tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exoriantúrque & confirmentur vitia contraria. Quod ſi quo modo eſt natura, ſic iudicio homines, humani, vt ait poëta, nihil à ſe alienum putarent: coleretur ius æquè ab omnibus. quibus enim ratio natura data eſt, iſdem etiam recta ratio data eſt. ergo & lex, quæ eſt recta ratio in iubendo & vetando. ſi lex, ius quoque. at omnibus ratio: ius igitur datum eſt omnibus. Recteq; Socrates execrari eum ſolebat, qui primus vtilitatem à natura ſeiunxiſſet. id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium. Vnde enim illa Pythagorica vox,* *

De amicitia locus. * *Ex quo perſpicitur, cùm hanc beneuolentiam tam latè longéque diffuſam vir ſapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud effici, quod quibuſdam incredibile videatur, ſit autem neceſſarium, vt nihilo ſeſe plus quàm alterum diligat. Quid enim eſt quod differat, cùm ſint cuncta paria? quòd ſi intereſſe quippiam tantulum modo potuerit, amicitiæ iam nomen occiderit. cuius eſt ea vis, vt ſimul atque ſibi aliquid quàm alteri maluerit, nulla ſit. Quæ præmuniuntur omnia reliquo ſermoni diſputationique noſtræ, quo facilius ius in natura eſſe poſitum intelligi poſſit. de quo cùm perpauca dixero, tùm ad Ius ciuile veniam, ex quo hæc omnis eſt nata oratio.*

*Sequitur igitur*) Stoici cùm de Lege diſſerunt, iſta ordine capita ſic diſtincta partitaque tractant: quorum inſtitutum hic ſequitur. Nati ſumus ad iuſtitiam colendam: iuſtitiam autem colimus, vt alij ab alijs participemus. Cicero lib. 1. Offic. *Atque, vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari, vt ipſi inter ſe alijs alij prodeſſe poſſint: in hoc naturam ducem debemus ſequi, & communes vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines ſocietatem.* Ex his Ciceronis verbis ſatis arbitror intelligi quid ſit Participare alium ab alio.

*Communicandúmque*) Vt inter omnes ſit quædam communicatio & ſocietas vtilitatum, quæ res ſocietatem ciuilem conciliat & tuetur. Cicero de Finibus, *Nihil eſt quod latius pateat, quàm coniunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas & communicatio vtilitatum.* Ex iſta autem participatione & communicatione ſumus apti natura ad cœtus & ciuitates. *Naturam eſſe*) Id quod dico, natura eſt, non corruptela, nec conſuetudo, id eſt de natura loquor, non conſuetudine, nec de vitijs quæ ſuccreuerunt. Itaque hic Natura, eſt quod natura inſitum eſt nobis, & quod naturale eſt. Eodem ferè modo locutus eſt lib. 3 de Finibus, *Ius autem quod ita dici appellarique poſſit, id eſſe naturam.* Si *natura eſſe* legeretur, attingeretur illa locutio Græcorum, ὅτι τὸ δίκαιον ἐστι φύσει. *Igniculi*) Igniculos vocat ſcintillas quaſdam. ſic vertit quod Græcè dicitur σπινθὴρ, ζώπυρον, ἔναυσμα. Cic. in Tuſcu. *Nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibúſque deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat.*

*Quòd ſi*) Locus eſt ex ἑαυτὸν τιμωρουμ. Terentij. id eſt, ſi homines non ſua tantùm curarent, ſed aliorum negocia ad ſe pertinere putarent, & pro ſuis haberent, neque ſe tantùm ſibi natos, ſed etiam alijs exiſtimarent, humana ſocietas non violaretur. Cicero lib. 1. Offic. *Eſt enim difficilis cura rerum alienarum.* Quanquam Terentianus Chremes nihil humani à ſe alienum putat.

*Rectéque Socrates*) Cicero lib. 3 Offic. *Itaque accepimus Socratem execrari ſolitum eos, qui hæc natura cohærentia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, vt quidquid honeſtum eſſet, id vtile eſſe cenſerent: nec vtile quicquam, quod non honeſtum.* Plutarchus lib. 4. συμποσιακῶν, ὁ Μαρκίων ἔφη δοκεῖν αὐτῷ τῇ Σωκράτους ἐνέχεσθαι κατάρᾳ μὴ μόνον τοὺς τὸ λυσιτελὲς ἀπὸ τοῦ καλοῦ χωρίζοντας, i. Marcio dixit ſibi videri obnoxios eſſe Socratis execrationi, non ſolùm eos qui vtile ab honeſto ſeparant, & cæt. *à natura* dicit ab eo quod natura, non opinione vtile eſt: quod idem protinus honeſtum eſt.

*Tam longè latéque*) Qua omnes inter ſe homines conciliatione naturæ coniuncti ſunt.

*Vt nihilo ſe plus*) Idem locus ſic à Cicerone tractatur lib. 1. Offic. *Nihil autem eſt amabilius, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædem voluntates, in iis fit vt æquè quiſque altero delectetur ac ſeipſo, efficitúrque id quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus.* Hic inſerunt nonnulli quædam verba Græca ſtultè noluit enim Cicero, vt reor, hic eſſe bilinguis.

*Vir ſapiens*) Hoc Stoicum eſt, atque adeo ex eorum Paradoxis: id eſt enim quod Cicero ait, *Id videri quibuſdam incredibile.* Cic. lib. 1. de Natura deorum, *Quanto Stoici melius, qui à vobis reprehenduntur: cenſent autem ſapientes ſapientibus etiã ignotis eſſe amicos?* Cicero lib. 3. de Finibus, *Quanquam autem in amicitia alij dicant, æquè charam eſſe ſapienti rationem amici ac ſuam, alij autem ſibi cuique chariorem ſuam, & cætera.* Quo ex loco intelligimus hac de re inter Stoicos diſſenſionem fuiſſe. Cicero tamen ſequitur eos, qui ſapienti dicunt æquè charam amici perſonam eſſe ac ſuam. Cæterùm inter alios beneuolentia eſſe poteſt, inter bonos & ſapientes ſolos amicitia. Laërtius, λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις διὰ τὴν ὁμοιότητα, id eſt, Dicunt autem & amicitiam in ſolis bonis eſſe propter ſimilitudinem.

*Præmuniuntur*) Id eſt præparantur. ſic ad Atticum, *Illud præfulci, & præmuni, vt ſimus annui.*

*Q. Tu verò iam perpauca ſcilicet. ex his enim quæ dixiſti, Attico videtur, mihi quidem certè ex natura ortum eſſe ius. A. An mihi aliter videri poſſit? cùm hæc iam perfecta ſint; primum quaſi muneribus*

*deorum nos eſſe inſtructos & ornatos: ſecundò autem vnam eſſe hominum inter ipſos viuendi parem communemq́ rationem: deindè omnes inter ſe naturali quadam indulgentia & beneuolentia, tùm etiam ſocietate iuris contineri. Quæ cùm vera eſſe, rectè, vt arbitror, conceſſerimus, quî iam licet nobis à natura leges & iura ſeiungere? M. Rectè dicis, & res ſe ſic habet: verum philoſophorum more, non veterum quidem illorum, ſed eorum qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiæ, quæ fusè olim diſputabantur ac liberè, ea nunc articulatim diſtinctèq́ dicuntur. nec enim ſatisfieri cenſent huic loco, qui nunc eſt in manibus, niſi ſeparatim hoc ipſum naturæ eſſe ius diſputarint. A. Et ſcilicet tua libertas diſſerendi amiſſa eſt: aut tu is es, qui in diſputando non tuum iudicium ſequare, ſed auctoritati aliorum pareas? M. Non ſemper ita: ſed iter huius ſermonis quod ſit vides. ad reipublicæ firmandas, & ad ſtabiliendas vires, ſanandos populos, omnis noſtra pergit oratio. Quocirca vereor committere, vt non benè prouiſa & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen vt omnibus probentur. nam id fieri non poteſt: ſed vt eis, qui omnia recta atque honeſta per ſe expetenda dixerunt: & aut nihil omnino in bonis numerandum, niſi quod per ſeipſum laudabile eſſet: aut certè nullum habendum magnum bonum, niſi quod verè laudari ſua ſponte poſſet. His omnibus ( ſiue in Academia vetere cum Speuſippo, Xenocrate, Polemone manſerunt: ſiue Ariſtotelem & Theophraſtum cum illis re congruentes, genere docendi paulùm differentes, ſecuti ſunt: ſiue vt Zenoni viſum eſt, rebus non commutatis immutauerunt vocabula: ſiue etiam Ariſtonis difficilem atque arduam, ſed iam tamen fractam & conuictam ſectam ſecuti ſunt, vt virtutibus exceptis atq́ vitijs, cætera in ſumma æqualitate ponerent ) his omnibus hæc quæ dixi probantur.*

*Ex ijs enim* ) Effeciſti vt Atticus, qui Epicureus eſt, à natura ius eſſe ortum exiſtimet, vt de me qui Stoicorum ſententiam ſequor, minimè dubitandum ſit. Nam Epicurei ab opinione & vtilitate iura nata dicunt. Veteris libri hoc loco non eſt ſatis plana ſcriptura. *Videretur* tamen ſcriptum in eo fuiſſe ex veſtigijs ſuſpicor. *Muneribus* ) Summam repetit ſuperioris diſputationis. Munera deorum quibus inſtructi & ornati ſumus, ſunt, ratio & cogitatio. Parem autem cùm dicit viuendi communemque rationem. tractationem attingit illius loci, in quo ex ſimilitudine & conciliatione nos ad iuſtitiam eſſe natos probabat. Cùm autem indulgentia quadam & beneuolentia homines inter ſe contineri ſcribit, attingit nos ad iuſtitiam eſſe natos, vt alius ab alio participemus, & inter omnes communicemus.

*Veterum* ) Ineptum ſit Thaletem, Democritum, Heraclitum, Anaxagoram intelligere, qui & phyſici appellabantur, & de philoſophia morali, cuius auctor & inuentor Socrates fuit, non diſputabant. Veteres igitur philoſophos intelligo Academicos veteres & Peripateticos: Cicero lib. 5. de Finibus, *Aut prima natura, vt antiquis, quos eoſdem Academicos & Peripateticos nominamus.* iterum *Ergo inſtituto veterũ, quo etiam Stoici vtuntur, hinc capiamus exordiũ.* Hic perſpicuè à veteribus, id eſt ab Academicis & Peripateticis Stoicos, *vt nouos diſtinguit.* Rurſus hoc libro, *Quippe cùm antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet quo iuuaremur in vita.* Iterùm de Zenone, *Nunc verò cùm decus quod antiqui ſummum bonum eſſe dixerant, id eſt, Academici veteres & Peripatetici.* Noui autẽ philoſophi erant Academici noui & Stoici, qui ſuperioribus ſectis ſuccreuerant. Stoicos autem hic imitatur, atque hic locus nos in viam deducit, ne erremus. Quorum enim è fontibus hæc hauriat, ex hoc loco cognoſcimus.

*Sed eorum* ) Iam hæc profligata quæſtio eſt, & ad exitum perducta, cùm à natura ius ortum eſſe Atticus & Quintus fateantur. Veruntamen cùm Stoici quos imitatur, hanc de Lege ſcholam certis capitibus complecti ſoleant: quorum poſtremum eſt, quod tamen ex ſuperioribus ſatis effici videtur, ius natura eſſe: illud quoque eorum inſtituto Cicero attexit. Veteribus autem philoſophis ſatis erat qua de re agebatur docere: à reliquis, vt Stoicis, articulatim & diſtinctè certis capitibus omnis de re quaque diſputatio comprehendebatur, quæ tractanda erant omnia. Sic Balbus Stoicus lib. 2. de Natura deorum, quæſtionem de Natura deorum & diſputationem quatuor capitibus complectitur his verbis, *Omnino diuidunt noſtri totam iſtam de dijs immortalibus quæſtionem in partes quatuor, primum docent eſſe deos: deinde quales ſint: tum mundum ab ijs adminiſtrari: poſtremò conſulere eos rebus humanis.* hanc diſputandi rationem intellexit cùm ita ſcripſit lib. 2. de Orat. *Hiſce autem ipſis de rebus, vt ita loquatur, vt ij qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, locuti ſunt ſine vlla ſerie diſputationum.* *Naturæ eſſe ius* dicit, non opinionis, vbi legi fortaſſe etiam poſſit, *Natura.*

*Officinas* ) Sapientiæ officinas inſtruere, eſt tanquam certo quodam & ſuo inſtrumento ſuaque ſupellectili ſcholam quanque & diſputationem, quaſi officinam collocupletare. ſcio hunc locum à quibuſdam aliter accipi, qui meo iudicio hic valde hallucinantur. *Fuſe* ) Diffusè, diſpersè, non diſtinctè.

*Tua libertas* ) Quaſi alienum potius quàm tuum iudicium ſequi ſoleas, præſertim Academicus.

*Non ſemper ita* ) Non ſic ſemper me certis addico legibus, ſed cùm ad ſalutem rerum publicarum & ſtabilitatem noſtra pergat oratio, principia quæ ſequentibus præfulciuntur, nunquam nimis reliquæ diſputationi præmunita fuerint. Itaque vt confirmatiora ſint & ſtabiliora, hic etiam diſſeram ius natura eſſe. Quod aiunt nonnulli hic conſiderandas hominum opiniones, non intelligo.

*Nihil omnino in bonis* ) vt Stoici: nullum habendum, vt Academici veteres & Peripatetici. Hi autem omnes recta & honeſta per ſe expetenda cenſent.

*Zenoni* ) qui nihil bonum præter virtutem, nihil malum præter vitium cenſebat: reliqua quæ etiam bona Peripatetici dicunt & Academici, commoda vocabat: quæ mala, incommoda. hoc vocabula potius immutare eſt, quàm rem, vt exiſtimat Cic. Nam quæ alij etiam bona putant, vt Academici. hic commoda, non bona dicit: cùm alij hæc etiam expetenda ſcribant, hic ſumenda dicit, non expetenda.

*Ariſtonis* ) Ariſto Chius, cuius in Zenonis vita Diogenes Laërtius meminit, reiecta præceptoris Zenonis opinione, nihil bonum præter virtutem: nihil malum præter vitium dixit. ac in rebus medijs, ea momenta, quæ Zeno poſuit, nulla eſſe iudicauit. Quin & ſummum bonum eſſe dixit, in rebus medijs





neutram in partem moueri, quam ἀδιαφορίαν vocabat. *Sed iam tamen fractam* ) Cicero lib. 2. de Finibus, *Quæ prima natura appetit, Ariſtoni & Pyrrhoni viſa ſunt pro nihilo, vt inter optimè valere & grauiſſimè ægrotare, nihil dicerent intereſſe: contra quos rectè iandiu deſitum eſt diſputari.*

*Probantur* ) Non malè fortaſſe, *Probentur*, cùm præſertim pendere oratio videatur ex particula vt, quæ antecedit, *Sed vt eis.* his autem philoſophorum ſectis probata eſſe cupit, quæ principia poſuit.

*Sibi autem indulgentes & corpori deſeruientes, atque omnia quæ ſequantur in vita, quæq́ fugiant, voluptatibus & doloribus ponderantes, etiam ſi vera dicunt ( nihil enim opus eſt hoc loco litibus ) in hortulis ſuis iubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate reipublicæ, cuius partem nec norunt vllam, nec vnquam noſſe voluerunt, pauliſper faceſſant rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arceſila & Carneade recentem, exoremus vt ſileat. Nam ſi inuaſerit in hæc, quæ ſatis ſcitè nobis inſtructa & compoſita videntur, miras edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, ſubmouere non audeo. * Nam & in ijs ſine illius ſuffimentis expiati ſumus. at verò ſcelerum in homines, atque impietatum, nulla expiatio eſt. itaque pœnas luunt, non tàm iudicijs, quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariàm nulla ſunt: vbi ſunt tamen, perſæpè falſa ſunt, vt eos agitent inſectenturq́ furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſq́ cruciatu. Quòd ſi homines ab iniuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſolicitudo vexaret impios ſublato ſuppliciorum metu? quorum tamen nemo tàm audax vnquam fuit, quin aut abnueret à ſe commiſſum eſſe facinus, aut iuſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionemq́ facinoris à naturæ iure aliquo quæreret: quæ ſi appellare audent impij, quo tandem ſtudio colentur à bonis?*

*Sibi autem indulgentes* ) Epicureos ſignificat, quibus non laborat vt hæc probet: eorũ hæc placita ſunt, vt Cicero ait, Sapientem omnia ſua cauſa facere: Rempub. capeſſere hominem bene ſanum non oportere: Nihil eſſe præſtabilius otioſa vita, & conferta & plena voluptatibus. Porrò Epicurus Athenis in hortis ſuis philoſophatus eſt, cuius exemplum ſecuti ſectatores, in hortulis, quos eis Epicurus teſtamento legarat, diſputabant. Cicero, *Sed tamen Epicuri hortus tantum habuit licentiæ*, id eſt, *Epicuri ſecta.* Iterum, *Mihi quidem etiam Democritus vir magnus imprimis, cuius fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigauit, nutare videtur in natura deorum.*

*Iubeamus dicere* ) Procul à repub. ne his opinionibus inficiantur animi ciuium.

*Norunt vllam* ) Nec reipub. partem vllam norunt Epicurei, nec eam capeſſunt: ſed & Epicurus ſuos à repub. deterret. Cic. de Epicureorum decretis, Rempub. capeſſere hominem bene ſanum non debere. Plutarchus, Ἐπίκουρος δὲ καὶ Μητρόδωρος τοῦτο ποιοῦσι, τοὺς μὲν συνήθεις ἀποτρέποντες τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν, τοῖς δὲ πράττουσιν ἀπεχθανόμενοι, id eſt, Epicurus autem & Metrodorus id faciunt, qui ſuos familiares à repub. gerenda deterrent, & eam adminiſtrantibus infeſti ſunt. Epicuri verba ſunt. ὁ σοφὸς οὐ πολιτεύσεται, id eſt, ſapiens rempub. non capeſſet. Id non ait, quia Epicurus rempub. non adminiſtrarit, nec hoc tribuit Epicuri ignorantiæ, vt quidam putant. Iure autem Epicureos remouet ab hac de Legibus quæſtione, qui nec rempub. norunt, nec noſſe volunt.

*Arceſila* ) Socrates ad ea quæ quis dixiſſet diſſerebat, nihil affirmabat, quam poſtea rationem Arceſilas recentis Academiæ auctor renouauit. is autem omne certamen ſibi cum Zenone inſtituit, vt ſcribit Cic. in Academica ad Varronem. Solitum autem eſſe Carneadem contra iſta diſſerere, cognoſci poteſt ex lib. 1. de Nat. deorũ, quo in loco, & lib. 2. de Natura Deorum, multæ attinguntur ſententiæ Stoicorum hoc libro pluribus explicatæ. *Sunt autem*, inquit, *alij philoſophi & ij quidem magni atque nobiles, qui deorũ mente & ratione omnem mundum adminiſtrari regique cenſeant. Neque vero id ſolùm, ſed etiam ab eiſdem hominum vitæ conſuli & prouideri. Nam & fruges & reliqua quæ terra pariat, & tempeſtates ac temporum varietates, cælique mutationes, quibus omnia quæ terra gignat, maturata pubeſcant, à dijs immortalibus tribui humano generi putant, multáque quæ dicentur in his libris colligunt, quæ talia ſunt, vt ipſa dij immortales ad vſum hominum fabricati penè videantur.* Contra quos Carneades ita multa diſſeruit, vt excitaret homines non ſocordes ad veri inueſtigandi cupiditatem. Sed & idem Porphyrius declarat. Cùm enim poſuiſſet Stoicorum diſciplinæ placere, noſtra & deorum cauſa nos eſſe generatos, reliqua autem omnia noſtra cauſa, ſubiungit, ὅτῳ δὴ ταῦτα δοκεῖ τι τοῦ πιθανοῦ, καὶ θεῷ πρέποντος μετέχειν, σκοπείτω τί πρὸς ἐκεῖνον ἐρεῖ τὸν λόγον, ὃν Καρνεάδης ἔλεγε, & cætera, id eſt, Cui iſta probabile aliquid & deo decorum habere videntur, is conſideret quid ad eam dicet rationem, quam Carneades afferebat. Ita harum rerum perturbatricem Academiam ait, quæ Stoicorum decretis continentur. Noua autem Academia nihil affirmabat, ſed rem propoſitam in vtranque partem verſabat ſemper dubitabunda & incerta: veriſimilium conſectatrix: aliorum rationes aduerſa ſubuertens argumentatione. Ideoque hanc vt ſileat, neque repugnet, exorare cupit.

*Videntur, miras* ) In ſcripto libro, *Viderentur, inferet ruinam.* *Submouere* ) Vt ſummouit Epicureos: videretur enim diffidere nimium rationibus ſuis, & iniuriam faceret ei ſectæ quam libenter ſequitur.

*Nam & in ijs* ) Hoc capite argumentatur ius natura eſſe: facta tamen hic nonnulla labes eſt. nam principium deeſt. Quod ad hunc locum attinet, perdifficile eſt augurari, qua de re loquatur. Suſpicor tamen ferè eum de conſcientia agere, cuius tacito iudicio ius natura eſſe confirmatur, quòd ſe

*Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis*
*Gratia prætoris mendacis vicerit vrnam.*

Alluſum autem eſt ad ſacerdotes qui noxias & fraudes expiant, vt lib. 2. dicitur: *Sacrum commiſſum quod neque expiari poterit, impiè commiſſum eſt: quod expiari poterit, publici ſacerdotes expianto.* Rurſum, *Publicus autem ſacerdos, imprudentiam conſilio expiatam metu liberet: audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet.* Suffimentis autem in expiationibus vtebantur: ſed & Suffimenta, vt ait Feſtus, dicebant veteres, quæ faciebant ex faba milioque molito, mulſo ſparſo: ea dijs eo tempore dabantur,

quo vuæ calcatæ prælo premebantur. A funere etiam redeuntes aqua aſperſi ſupergrediebantur ignem, quod genus purgationis ſuffitio dicebatur. alia memorantur à Iuuenale ſuffimenta,

*— cuperent luſtrari ſi qua darentur*
*Sulfura cum thedis, & ſi foret humida laurus.* & à Propertio,
*Dein quemcunque locum externæ tetigere puellæ:*
*Suffijt & pura limina terſit aqua.*

Cùm autem illius ſuffimenta dicit, Epicurum, vt opinor, intelligit, qui ſe prædicabat homines mortis & deorum metu tanquam expiaſſe, id eſt, liberaſſe: qua in re ſe nihil egere dicit eius ſuffimentis, id eſt, monitis, cùm meliora habeat. Sic enim ſcribit in Tuſculanis, *Quæ quidem cogitans ſoleo ſæpè mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, eiúſque inuentori ac principi gratias agunt, eúmque venerantur, vt deum. Liberatos enim ſe per eum dicunt grauiſſimis dominis, terrore ſempiterno, & diurno & nocturno metu.* Eáque fortaſſe cauſa huius loci mutilandi fuit, quòd neſcio quid de inferis & religione audacius hîc Cicero loquebatur.

*Nuſquàm erant*) Olim in imperio Romano propè iudicia publica exerceri non ſolebant: poſtea Legibus latis de quæſtionibus facta ſunt. Quoddam autem aliquando Romæ tale tempus fuiſſe ex Bruto intelligi poteſt, vbi ita ſcribitur: *Hic optimis illis temporibus eſt patronus habitus, eóque forum tenente plura fieri iudicia cœperunt. Nam & quæſtiones publicæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerant. L. enim Piſo trib. pl. legem primus de pecunijs repetundis Cenſorino & Manilio coſſ. tulit, &c.*

*Hodie multifariam*) Id eſt, multis locis, vt lib. 2. de Orat. *Vt enim ſi aurum cui, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem.* Et apud M. Varronem lib. 1. de Re ruſtica, aliquotfariam aliquot locis ſignificat, *In eo,* inquit, *agro aliquotfariam in ſingula iugera dena cullea vini fiunt.*

*Vt eos*) Homines non vſque adeo iudicijs pœnas luunt, vt propterea angore conſcientiæ vexari cruciarique debeant: vt aliunde tanta illa conſcientiæ formido naſcatur, non ex iudicij metu, vt Epicurei exiſtimabant. Qui *Quam vt* legunt, ſententiam corrumpunt.

*Furiæ, non ardentibus*) Cic. pro Roſcio, *Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumerò videtis, eos qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerint, agitari & perterreri furiarum thedis ardentibus: ſua quenque fraus & ſuus terror vexat, ſuum quenque ſcelus agitat, amentiaq; afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæq; animi terrent.* Et in Piſonem, *Nolite putare P. C. vt in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum thedis ardentibus ſua quenque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat: hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.*

*In fabulis*) In tragœdijs. Nam comœdiæ & tragœdiæ, fabulæ à Latinis vocantur. In tragœdia furiæ inſectantur Oreſtem, Alcmæonem, Athamantem. *Fraudíſque*) Criminis, ſceleris, maleficij. eſt interdum fraus, noxa & incommodum, offenſio. Cic. in Tim. *Nec fraus valentior quàm conſilium meum.*

*Quòd ſi*) Hæc contra Epicureos ait, qui ius & æquum natura eſſe negant, & à vitijs non ob innatam turpitudinem, ſed ob pœnæ metum homines arceri: & virtutem non ob honeſtatem, ſed ob vtilitatem expeti dicunt. Cic. de Finibus, *Sunt enim leuia & perinfirma quæ dicebantur à te, cùm animi conſcientia improbos excruciari, tùm etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu ne afficiantur aliquando.*

*Appellare*) Verbi gratia, dicere ſolent, ſe iure interfeciſſe inſidiatorem, ſe vim vi repuliſſe iure naturæ, ſe ab homine læſos fuiſſe. Appellare, nominare eſt. Cicero, *Iſtorum enim verborum amore, quæ perraro appellantur ab Epicuro, ſapientiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ, præſtantiſſimis ingenijs homines ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt.* Appellare, ad auxilium aduocare: vt appellare tribunos, & hic.

*Quòd ſi pœna, ſi metus ſupplicij, non ipſa turpitudo deterret ab iniurioſa facinoroſaq; vita, nemo eſt iniuſtus: at incauti potius habendi ſunt improbi: tum autem qui non ipſo honeſto mouemur, vt boni viri ſimus, ſed vtilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi teſtem & iudicem? Quid in deſerto quo loco nactus quem multo auro ſpoliare poſſit imbecillum atque ſolum? Noſter quidem hic natura iuſtus vir ac bonus etiam conloquetur, iuuabit, in viam deducet: is verò qui nihil alterius cauſa faciet, & metietur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus. Quòd ſi negabit ſe illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam ob eam cauſam negabit, quòd id natura turpe iudicet, ſed quòd metuat ne emanet, id eſt, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modò docti, etiam agreſtes erubeſcant! Iam verò illud ſtultiſſimum, exiſtimare omnia iuſta eſſe quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis aut legibus. Etiámne ſi quæ leges eſſent tyrannorum? ſi triginta illi Athenis leges imponere voluiſſent, aut ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco ea legis iuſſa haberentur? Nihilo credo magis illa, quam interrex noſter tulit, vt Dictator quem vellet ciuium indicta cauſa impunè poſſet occidere. Eſt enim vnum ius, quo deuincta eſt hominum ſocietas & quod lex conſtituit vna: quæ lex eſt recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is eſt iniuſtus, ſiue illa eſt ſcripta vſpiam, ſiue nuſquam.*

*Quòd ſi pœna*) Epicurei virtutes ſuo nomine negant expetendas, ſed quia efficientes ſunt voluptatum: nec iuſtitiam natura, ſed opinione conſtare prædicant, & inuenta metu iura dicunt. Horatius,

*Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe,*
*Tempora ſi faſtóſque velis euoluere mundi.*
*Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,*
*Diuidit vt bona diuerſis, fugienda petendis.*

*Incauti*) Vt callidi ſunt qui diligenter ſua commoda emolumentaque conſectantur: ita incauti erunt habendi, qui in contraria incommoda & detrimenta incurrent, poſtremò in legum pœnas: ita iuſtitia calliditas



calliditas fuerit, iniuria & iniuſtitia incauta imprudentia. Cic. lib. 2. de Finibus contra Epicureos, *Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi, non bonum illum virum, qui quicquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniáque formidet: ſed omnia callidè referentem ad vtilitatem, acutum, verſutum, veteratorem: facilè vt excogitet, quomodo occultè ſine teſte, ſine vllo conſcio fallat.* Si vera eſt igitur Epicureorum ſententia & iuſtitia calliditas fuerit, & iniuſtitia incauta quædam imprudentia. Nam qui ita ſibi cauebit ne in pœnas incidat malumque habeat, iuſtus erit: qui in pœnam incurret, incautus erit.

*Callidi*) Omnia Epicurei ad ſuum commodum, fructum, vtilitatem, voluptatem referunt, vt docet Cic. lib. 1. & 2. de Finibus. *Ne malum habeat*) In epiſtolis ad Att. ludens in Epicureos idē diſſerit hunc in modum, *Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi φυσικὴν eſſe τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim ſi hæc non eſt, nulla poteſt homini eſſe ad hominem naturæ adiunctio: qua ſublata, vitæ ſocietas tollitur. Benè eueniat, inquit Carneades ſpurce. Sed tamen pudentius quàm Lucius noſter & Patron, qui cùm omnia ad ſe referant, quicquam alterius cauſa fieri putant? cùm ea re bonum virum eſſe dicant ne malum habeat, non quòd id natura rectum ſit, non intelligunt ſe de callido homine loqui, non de viro bono.* Veteres libri hic *Simus* ſcriptum habent, non *Sumus* & ſuprà *aut incauti*, quæ etiam lectiones probari poſſunt.

*Iam vero illud*) Conſentaneum eſt ijs qui ius opinione niti, non natura conſtare putant, quæ Epicureorum ſententia eſt, vt omnia quæ ſita ſunt in populorum legibus, iuſta eſſe credant. In eos igitur hic diſputat, qui ius nihil aliud eſſe cenſent, quàm quod lege cautum eſt: vt hominum inſtitutis, non natura conſtare videatur. hic locus vberius à Platone in Minoë tractatur.

*Scita*) Liber ſcriptus, *Sita.*

*Triginta illi Athenis*) Athenienſes à Lacedæmonijs bello diuturno profligati, & ad extremum graui obſidione ad deditionem compulſi: triginta rectores accipere coacti ſunt: qui ſeſe tandem tyrannos fecerunt, ac Athenienſium libertatem oppreſſerunt. Salluſtius, *Lacedæmonij Athenienſibus deuictis triginta viros impoſuere, qui rempub. eorum tractarent, & cætera.* Hiſtoria eſt etiam apud Xenophontem.

*Vt dictator*) Eam opinor legem intelligit, qua ſummum in ciues imperium citrà prouocationem dictatori permittebatur: vt indicta etiam cauſa in eos animaduerteret. nam quibus Coſſ. creatus ſit dictator, hiſtorici ferè non produnt, vt tum interregnum fuiſſe videatur. Feſtus, *Vt optima lege* in creando populi magiſtro, qui dictator eſt, ſolitum fuiſſe aliquando dici tradit, qua quàm pleniſſimum ius ſignificabatur. Poſteaquam verò prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſſe dici, *Vt optima lege*, vtpote imminuto iure magiſtrorum populi. Vel eam potius intelligit, (atque hoc verius puto) quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. Cic. in Rull. Omnium legum iniquiſſimam diſſimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata.

*Quòd ſi iuſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus inſtitutiſque populorum: & ſi, vt ijdem dicunt, vtilitate omnia metienda ſunt, negliget leges, eáſque perrumpet ſi poterit, is qui ſibi eam rem fructuoſam putabit fore. Ita fit, vt nulla ſit omnino iuſtitia ſine natura: & ea quæ propter vtilitatem conſtituitur, vtilitate illa conuellitur. Atque ſi natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollantur. Vbi enim liberalitas? vbi patriæ charitas? vbi pietas? vbi aut benè merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit exiſtere? Nam hæc naſcuntur ex eo quòd natura propenſi ſumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris eſt. Neque ſolùm in homines obſequia, ſed etiam in deos ceremoniæ, religionéſque tolluntur: quas non metu, ſed ea coniunctione, quæ eſt homini cum deo, conſeruandas puto. Quòd ſi populorum iuſſis, ſi principum decretis, ſi ſententijs iudicum, iura conſtituerentur, ius eſſet latrocinari, ius adulterare, ius teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragijs, aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententijs atque iuſſis, vt eorum ſuffragijs rerum natura vertatur, cur non ſanciunt, vt quæ mala pernicioſaq; ſunt, habeantur pro bonis & ſalutaribus? aut cur cùm ius ex iniuria lex facere poſſit, bonum eadem facere non poſſit ex malo? atqui nos legem bonam à mala nulla alia niſi naturæ norma diuidere poſſimus: nec ſolùm ius & iniuria natura dijudicatur, ſed omnino omnia honeſta ac turpia. nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaq; in animis noſtris inchoauit, vt honeſta in virtute ponantur, in vitijs turpia. Hæc autem in opinione exiſtimare, non in natura poſita, verè dementis eſt. nam nec arboris, nec equi virtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione ſita eſt, ſed in natura. quod ſi ita eſt, honeſta quoq; & turpia natura dijudicanda ſunt.*

*Obtemperatio*) Græcis nomina verbalia ſuorum verborum caſus regunt, quo hîc modo locutus eſt Cic. vt ſi Græcè diceret, πειθάρχησις τοῖς ἐγγράφοις νόμοις, aut ἀπειθία. ſic Ioſephus dixit, τὴν ἐθελούσιον ἡμῶν τοῖς νόμοις ἀκολουθίαν.

*Vt ijdem dicunt*) Epicureos notat, quorum duo capita comparat & collidit, ius ab inſtitutis ortum eſſe, & ab vtilitate profectum: nam vtilitate perrumpentur leges & inſtituta. Qui de Traſymacho hic loquuntur, omiſſo Epicuro, à ſenſu aberrant.

*Vtilitate*) Cicero lib. 3. de Finibus, *Minimè verò probatur huic diſciplinæ, de qua loquor, aut amicitiam, aut iuſtitiam vtilitates adſciſci aut probari.* Horatius Epicureus de vtilitate dicit, *Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.* eædem enim vtilitates poterunt eas labefactare atque peruertere.

*Si natura confirmatura*) Si à natura ſtirps iuris remoueatur, & vtilitati adſcribatur, ſecuturam ait non tantùm iuris euerſionem, verùm etiam virtutum omnium, præſertim earum, quæ hominum ſocietatem tuentur. Earum enim, vt iuris, ſi origo in vtilitate ponatur, ſubuerſio manifeſta conſequitur. Diſputat apud Plutarchum Chryſippus, Si voluptas in bonis numeretur, non ſolùm iuſtitiam, ſed etiam virtutes omnes interituras eſſe.

*Liberalitas*) Cicero libro 3. Offic. contra Epicureos, *Iuſtitia vacillat, vel iacet potius, omnéſque*

*ea virtutes*

*ea virtutes quæ in communitate cernuntur, & in ſocietate generis humani. Nec enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non pluſquam amicitia, ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem vtilitatémue referantur.*

*Propenſi*) Ex ea coniunctione & conciliatione naturæ qua inter nos conſociati ſumus. eſt autem hæc οἰκείωσις, vt docui, de Stoicorum ſententia, principium iuris.

*Quas non metu*) Vt vulgus, quod deum veneratur, pacem ac veniam poſcens metu potius quàm pietate, & Epicurei metu legum, ne impietatis dent pœnas: ſed pietate quæ conciliatur coniunctione ea quæ hominibus cum dijs intercedit, cùm vtrique ſint rationis participes & vnius ciuitatis ciues, vt Stoici cenſent. Cic. de Natura deor. contra Epicureos ex opinione Stoicorum ita ſcribit, *Eſt enim pietas iuſtitia aduerſum deos: cum quibus quid poteſt eſſe nobis iuris, cùm homini nulla ſit cum deo communitas?*

*Populorum iuſſis*) proprie. Nam populus iubere dicebatur, Senatus decernere, quem nomine principum intelligit, vt in lib. de Oratore, *Cum igitur vehementius inueheretur in cauſam principum conſul Philippus.* Iudices ſententiam ferre.

*Stultorum*) Stoicorum more loquitur, qui ſtultos vocant omnes præter ſapientem. nam & veram legem ſapientis rationem dixit.

*Suffragijs*) Reſpexit ad ſuffragia comitiorum, quibus leges ſciſcebantur.

*Vertatur*) Vt quod iniuſtum eſt iuſtum fiat. Ius autem duplex ponebat Epicurus: commune, quod omnibus vnum & idem eſt, ab vtilitate communi profectum: proprium, quod quæque ciuitas legibus & inſtitutis ſibi conſtituit, & ſcripto ſanxit, & moribus recepit. Auctor huius rei Laërtius. Cicero in has Epicuri ſententias diſſerit.

*Quæ mala*) Si facere poſſunt ex iniuſto iuſtum, cur non faciunt è malo bonum? è pernicioſo ſalutare?

*Norma*) Non poſſumus diſtinguere bonam legem à mala, opinione & inſtituto, vt Epicurei, ſed ſola natura. nam ſi naturæ conſentanea eſt, bona eſt: ſin ſecus, mala.

*Communis intelligentia*) Ea eſt prima quædam animi notio & præceptio, quæ in animis noſtris inchoauit ſenſum honeſti: κοινὰς ἐννοίας vocant Stoici, de quibus extat Commentarius Plutarchi in Stoicos. Communis autem notio Stoicis principium eſt ſcientiæ & κριτήριον: dicitur etiam πρόληψις, quæ eſt ἔννοια φυσικὴ τῶ καθόλου, id eſt, notio naturalis vniuerſarum rerum.

*Eaque*) Legendum eſt ex veteri libro, *Notas res efficit eas, quæ.* alij *eáſque* legunt. vel, *eáque* ſi legatur, intelligentia intelligetur, neque quicquam mutabitur.

*Inchoauit*) Notionem quandam exorſa eſt, non perfectam nec abſolutam: vnde inchoatæ intelligentiæ vocantur. nam inchoatum perfecto à Cic. in Topicis opponitur.

*Nec equi virtus*) Sic Plato lib. 1. de Rep. βλαπτόμενοι δὲ ἵπποι, βελτίους ἢ χείρους γίνονται: χείρους. ἆρα εἰς τὴν τῶν κυνῶν ἀρετὴν ἢ εἰς τὴν τῶν ἵππων. Idem & Stoici dicebant. Laert. ἀρετὴ δὲ ἡ μέν τις κοινῶς παντὶ τελείωσις, id eſt, virtus quædam communiter dicitur cuiuſque abſolutio. ſic cuiuſque perfectio & abſolutio eius virtus cenſetur, vt in equo velocitas, aut vehendi ſeſſoris habilitas: in arbore baccarum & fructuum copia bonorum: ſed tum abutimur nomine, quia propriè virtus dicitur in ijs in quibus eſt ratio, vt in homine & deo.

*Nam ſi opinione vniuerſa virtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, & vt ita dicam, catum non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua re externa iudicet? Eſt enim virtus perfecta ratio: quod certè in natura eſt: igitur omnis honeſtas eodem modo. Nam vt vera & falſa, vt conſequentia & contraria ſua ſponte, non aliena, iudicantur: ſic conſtans & perpetua ratio vitæ, quæ eſt virtus, itémque inconſtantia, quod eſt vitium, ſua natura probatur. Nos ingenia iuuenum non item ad ingenia: natura virtutes & vitia quæ exiſtunt, ab ingenijs iudicabantur? an ea non aliter? honeſta, & turpia non ad naturam referri neceſſe erit? Quod laudabile bonum eſt, in ſe habeat quod laudetur neceſſe eſt. ipſum enim bonum non eſt opinionibus, ſed natura. nam ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent. quo quid dici poteſt ſtultius? Quare cùm & bonum & malum natura iudicetur, & ea ſint principia naturæ, certè honeſta quoque & turpia ſimili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda ſunt.*

*Partes*) Id eſt ſpecies. nam formam generis, quo facilius intelligatur, Cicero in Topic. ait ſe interdum partem ſolere appellare. Virtus autem vniuerſa, ipſum genus eſt, id eſt generalis virtus.

*Catum*) Catum Varro acutum, non ſapientem interpretatur, vt *cata ſigna* apud Ennium. & *Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus:* & apud Lucilium, *Cata dicta.* Hic tamen eſt prudens, ſapiens, peritus, contrà quàm Varroni videatur. Plutarchus ἔμπειρον interpretatur, id eſt, peritum. Eſt autem Sabinum vocabulum. vtitur eo Plautus initio Pen. *Quas tu ſapienter docte, cordate & cate.*

*Perfecta ratio*) Zeno virtutes omnes in ratione ponebat. Cicero in Academica ad Varronem, *Cúmque ſuperiores non omnem virtutem in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat.* Itaque ſuprà cùm definiebat virtutem in ſe perfectam, & ad ſummum perductam naturam, Naturam accipio & interpretor rationem. Ratio autem perfecta deo innata eſt, & virtus, vt ijdem philoſophi ſentiunt, non homini. Cicero, *Quartus eſt gradus & altiſſimus eorum, qui natura boni, ſapientéſque gignuntur, quibus à principio innaſcitur ratio recta conſtánſque, quæ ſupra hominem putanda eſt, deóque tribuenda.* In ratione Stoicos virtutem poſuiſſe ex Plutarch. etiam perſpicuum eſſe poteſt in lib. de Virtute morali, ſic ex Stoicorum ſententia de virtute diſſerente: κοινῶς δὲ πάντες οὗτοι τὴν ἀρετὴν τοῦ ἡγεμονικοῦ τῆς ψυχῆς διάθεσίν τινὰ καὶ δύναμιν γεγενημένην ὑπὸ λόγου, μᾶλλον δὲ λόγον οὖσαν αὐτὴν ὁμολογούμενον, καὶ βέβαιον, καὶ ἀμετάπτωτον ὑποτίθενται, id eſt, Communiter autem omnes iſti virtutem conſtitutionem quandam, & vim eius animi partis in qua principatus ineſt, ratione comparatam, atque adeo rationem potius conſentientem, ſtabilem, immutabilem exiſtimant eſſe. *Sua ſponte*) Sua vi, ſuo nomine, per ſe.

*Conſtans & perpetua*) Sic in 4. Tuſcul. virtutem animi affectionem conſtantem & conuenientem definit: quæ definitio à conſtantia, id eſt ὁμαλότης deducta eſt, cui inconſtantia aduerſa eſt: eſtque vt ſuperior, Stoica.



Stoica. *Inconſtantia*) Inconſtantiam, vt in Tuſcul. hic vocat defectionem à recta mente, auerſam à rationis præſcriptione: quæ vitiorum & perturbationum origo eſt, vt conſtantia virtutum.

*Nos ingenia iuuenum*) Hæc ſcriptura veterum & bonorum codicum eſt: alia quædam commentitia eſt, quam prætermitto. Ingenia iuuenum, non ex aliorum ingenijs ſpectare ſolemus, ſed ex ſua cuiuſque indole & natura: quod item in virtute & vitijs faciendum eſt, quæ natura exiſtunt: nec ab ingenijs, id eſt, opinione hominum & iudicio iudicanda ſunt, ſed ſua ſponte & natura.

*Ad ing.*) Ingenia ex ingeniorum aliorum comparatione non ſunt exiſtimanda: aut potius ex opinione noſtra non iudicantur, ſed ſua natura. Locus autem in interrogatione eſt, habetque, ſi integer eſt, eam ſententiam, quam explanaui.

*An ea*) An non virtutes & vitia ſua ſponte iudicanda ſunt, non aliter quàm ingenia iuuenum? Vt ingenia ad naturam: ſic virtutes referendæ ſunt. *Non* aliter, ſubaudi, iudicanda ſunt.

*Quod lau.*) Vt bonum natura iudicatur: ita laudabile bonum quod honeſtum eſt, eadem natura iudicabitur: alioqui cùm beatitudo à virtute proficiſcatur, opinione non natura beati homines eſſent. Stoicis autem omne bonum laudabile eſt. Cicero lib. 3. de Finibus, *Quod eſt bonum, omne laudabile eſt: quod autem laudabile eſt, omne eſt honeſtum: bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt. Peripateticis & Academicis non omne bonum laudabile eſt.*

*Sint principia naturæ*) Duo rerum principia ſtatuebat Pythagoras, bonum & malum: ſed non in eam ſententiam hic accipio, verùm omnis laudis, virtutis, officij, honeſtatis, contrariorumq; hæc principia eſſe, eaq; naturæ, non opinionis nec iudicij.

*Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumq; diſſenſio: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus: illa, quæ alijs ſic, alijs ſecus, nec iiſdem ſemper vno modo videntur, ficta eſſe dicimus, quod eſt longè aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena deprauat, non multitudinis conſenſus abducit: at verò animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab ijs quos modò enumeraui, qui teneros & rudes cùm acceperunt, inficiunt, & flectunt vt volunt: vel ab ea quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditijs corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis. Sequitur vt concluſa mihi iam hæc ſit omnis oratio, id quod ante oculos ex ijs eſt quæ dicta ſunt, & ius, & omne honeſtum ſua ſponte eſſe expetendum. Etenim omnes viri boni ipſam æquitatem, & ius ipſum amant: nec eſt viri boni errare, & diligere quod per ſe non ſit diligendum. per ſe igitur ius eſt expetendum & colendum. quod ſi ius eſt, etiam iuſtitia: ſic in ea reliquæ quoq; virtutes per ſe colendæ ſunt.*

*Sed perturbat*) Perſequitur id fuſius in prooemio tertiæ Tuſcul. ex Stoicorum ſententia. Epicurei certiſſimam ſenſuum eſſe fidem putant, & ex eorum delectatione & voluptate ſummum bonum interpretantur, quòd ſenſus corrumpi non poſſint, ratio poſſit. Itaque quod honeſtum alij dicunt & iuſtum, id opinione, nō natura prædicant eſſe: quòd aliud alijs eſſe videatur, & ab eo deſciſcatur quod Stoici honeſtum eſſe natura dicant, & cuius cenſeant nobis inſita eſſe ſemina. Sed ea corruptela, vt Cicero ait, & deprauatio non ex natura eſt, ſed ex opinionum varietate. Cùm autem voluptas ad ſenſum referatur, honeſtum ad rationem pertineat, dubium eſſe non poteſt, quin hæc pro Stoicis contra Epicureos dicantur: vt mirum eſſe mihi videatur, cur quidam ſecus ſentiant.

*Non poeta*) Id queritur dolentiſſimè in prooemio tertiæ Tuſcul. ab ijs omnibus ita varijs nos imbui erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Quod ex Stoicorum decretis ſumpſit, attingiturq; à Laërtio in Zenone his verbis: διαστρέφεσθαι δὲ τὸ λογικὸν ζῶον ποτὲ μὲν διὰ τὰς τῶν ἔξωθεν πραγματειῶν πιθανότητας· ποτὲ δὲ διὰ τὴν κατήχησιν τῶν συνόντων· ἐπεὶ ἡ φύσις ἀφορμὰς δίδωσιν ἀδιαστρόφους, id eſt, Deprauari autem animal hoc particeps rationis interdum negociorum externorum impulſione & inductione, interdum eorum qui vnà ſunt doctrina & magiſterio. natura enim principia tribuit, non deprauata.

*Non multitudinis conſenſus*) Cicero, *Cum vero eodem quaſi maximus quidam magiſter, populus acceſſit, atque omnis vndiq; ad vitia conſentiens multitudo: tum planè inficimur opinionum prauitate, atque à natura deſciſcimus.*

*Rudes*) Teneri flectuntur, rudes inficiuntur. Rudis enim lana, tincta nondum eſt.

*In omni ſenſu*) Nā ex omnibus ſenſibus voluptas percipitur: quod tamen Platoni nō videtur in Timæo.

*Imitatrix*) Habet enim quiddam ſimile naturalis boni. Lenitate enim & ſuauitate, vt antè dixit, delectans, ſic ab errore mentis tanquam ſalutare aliquid adſciſcitur.

*Scabie*) Titillatione & pruritu, cuiuſmodi ſcabioſis ſeſe fricantibus gignitur, vnde à ſcabendo ſcabies nomen habet. Simile eſt illud Satyrici poëtæ,

*Hæc tetigit Gradiue tuos vrtica nepotes.*

*Sequitur*) Vltimum huius diſputationis caput, Ius ſua ſponte expetendum eſſe. In quo etiam contra Epicureos diſſeret, qui iſta per ſe expetenda non cenſent. Nam Torquatus lib. 1. de Finib. virtutes diſputat vtilitatum & voluptatum cauſa, non ſua ſponte expetendas eſſe.

*Viri boni*) Nam à iuſtitia viri boni dicuntur. Cicero in Offic. *Cuius partes ſunt duæ, iuſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, ex qua viri boni nominantur:* & in Partitionibus, *In communione autem quæ pars poſita eſt, iuſtitia dicitur, eaq; erga Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides.*

*Iuſtitia*) A qua ius proficiſcitur, quod nihil aliud eſt, quàm quod iuſtitia præſcribit.

*Sic in ea*) Hæc vetus & bonorum librorum ſcriptura eſt, eſtq; hæc ſententia planè Stoica. nam Stoici in vna virtute etiam reliquas ineſſe cerniq; cenſent. Sunt enim virtutes ipſæ inter ſe colligatæ & implicatæ, & qui vnam habet, reliquas habet.

*Quid liberalitas? gratuitáne eſt, an mercenaria? ſi ſine præmio benignus eſt, gratuita: ſi cum mercede, conducta. nec eſt dubium quin is qui liberalis benignuſúe dicitur, officium, non fructum ſequatur.*

*Ergo item iuſtitia nihil exprimit præmij, nihil precij: per ſe igitur expetitur, eademq́ omnium virtutum cauſa atque ſententia eſt. Atque etiam ſi emolumentis, non ſuapte ſponte virtus expenditur, vna erit virtus, quæ malitia rectiſſimè dicetur. Vt enim quiſque maximè ad ſuum commodum refert quæcunq́ agit, ita minimè eſt vir bonus: vt qui virtutem præmio metiuntur, nullam virtutem niſi malitiam putent. Vbi enim beneficus, ſi nemo alterius cauſa benignè facit? vbi gratus, ſi non eum ipſi cernunt grati, cui referunt gratiam? vbi illa ſancta amicitia, ſi nō ipſe amicus per ſe amatur, toto pectore, vt dicitur? qui etiam deſerendus & abijciendus eſt, deſperatis emolumentis & fructibus, quo quid poteſt dici immanius? Quòd ſi amicitia per ſe colenda eſt, ſocietas quoq; hominum, & æqualitas, & iuſtitia per ſe expetenda: quod ni ita eſt, omnino iuſtitia nulla eſt. id enim iniuſtiſſimum ipſum eſt, iuſtitiæ mercedem quærere. Quid verò de modeſtia? quid de temperantia? quid de continentia? quid de verecundia, pudore, pudicitiaq́ dicemus? infamiæné metu non eſſe petulantes? an legum, & iudiciorum? Innocentes ergò & verecundi ſunt, vt benè audiant, & vt rumorem bonum colligant: erubeſcunt pudici etiam loqui de pudicitia.*

*Gratuita)* Si virtutes vtilitate expetuntur, non ſua ſponte, tolluntur omnes, in primis tamen quæ in ſocietate hominum & communitate verſantur, vt liberalitas, comitas, iuſtitia, vt lib. 3. Offic. à Cic. ſcribitur, *Gratuita eſt liberalitas, quæ tantùm officij gratia benignè facit.* Sic Saluſtius, *Vbi malos præmia ſequuntur, haud facile quiſquam gratuitò bonus eſt.* *Mercenaria)* Mercenaria eſt, quæ mercedem & præmium flagitat, vt homines conducti, à quibus tranſlatio ducta eſt.

*Si ſine præmio)* Citatur hic locus à Lactantio lib. 6. vbi Ciceronem quoq; reprehendit, qui huius præcepti oblitus, in Offic. liberalitatem propè mercenariam faciat. Hunc etiam locum vberrimè tractat Seneca lib. 4. de Beneficijs, vbi beneficium dare, & inuicem gratiam referre per ſe expetenda contra Epicureos confirmat. Præmium autem lucrum eſt & merces, vt hic, & in lib. de Senectute, *Ecquid erit præmij?*

*Officium)* Virtutis cauſa, non fructus & emolumenti benignè facit.

*Exprimit)* Nullam exigit mercedem. Exprimit autem præmium, qui præmium ſibi dari cogit: eadem autem in iuſtitia eſt ratio, quæ in liberalitate: vtraq; enim in ſocietate vitæ poſita eſt.

*Cauſa atq; ſententia)* Eodem modo de alijs virtutibus iudicandum & ſentiendum eſt, à cauſis eſt ductum, quas ſententia ſolet ſequi.

*Emolumentis)* Vtilitatibus, fructibus, commodis, ab emolendo. Emolumenta enim erant propriè quæ emolebantur, vt fruges. hinc illud Perſij, *& granaria fas eſt Emole.*

*Quæ malitia)* Malitia vitij certi nomen eſt, nimirùm doli, calliditatis ac verſutiæ: vitioſitas omnium vitiorum. Cic. lib. 3. de Natura Deorum, *Eſt enim malitia, verſuta & fallax nocendi ratio.* Sic ſuprà in eandem ſententiam, *Tum autem qui non ipſo honeſto mouemur, vt boni viri ſimus, ſed vtilitate aliqua atq; fructu, callidi ſimus non boni.* Vt autem probitati improbitas aduerſatur, virtuti vitium & vitioſitas: ſic bonitati malitia. ſecus tamen videri nonnullis miror. Nam Bonitas ſimplex quædam & ingenua probitas eſt, à fraude abhorrens, & vir Bonus dicitur, qui non eſt fraudulentus, doloſus, fallax.

*Beneficus)* In gratia ineunda Beneficus dicitur, in referenda Gratus.

*Ipſi cernunt grati)* Si ſua potius cauſa, quàm eius cui referunt gratiam, grati ſunt.

*Vbi illa ſancta amicitia)* Amicitiam quoque in dialogo eiuſdem nominis diſſerit contra Epicureos non ab indigentia aut inopia natam eſſe, aut ad vtilitates percipiendas, ſed à natura profectam. Eam autem ſanctam dicit, quam violare nefas ſit. Cic. de Finib. lib. 2. hæc eadem pluribus in Epicureos diſſerit, quem librum qui legerit, in quos hic Cicero diſputet, facilè cognoſcet. Eo in lib. hæc de Amicitia ſcribuntur, *Amicitiæ verò locus vbi eſſe poteſt, aut quis amicus eſſe cuiquam, quem non ipſum amet propter ipſum?* iterum, *At verò ſi fructibus & emolumentis & vtilitatibus amicitias colemus, ſi nulla charitas erit quæ faciat amicitiam ipſam ſua ſponte, vi ſua, ex ſe, & propter ſe expetendam, dubium eſt quin fundos & inſulas amicis anteponamus?* lib. 1. de Natura Deorum Cic. contra Epicureos diſſerit talem amicitiam mercaturam eſſe vtilitatum ſuarum: & Seneca amicitiam, quam Epicurei conſtituunt, negotiationem eſſe dicit.

*Æqualitas)* Cùm æquali iure viuitur ab omnibus, nemoq; alterum opprimit: alioqui ius & ſocietas ciuilis etiā nulla fuerit, niſi leges omnibus irrogatæ ſint æqualiter, & pari iure viuatur. Cic. de Amic. *Qui ita ſe gerunt, ita viuunt, vt eorū probetur fides, integritas, æqualitas, liberalitas, nec ſit in eis vlla cupiditas, libido, audacia.*

*Modeſtia)* Per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat auctoritatem, inquit Cicero de Inuentione: Cornificius ad Herennium, *Modeſtia*, inquit, *eſt in animo continens moderatio cupiditatem.* hic igitur virtus eſt quæ modum quendam & moderationem conſeruat. Temperantia animi eſt in libidinem & alios non rectos impetus firma & moderata dominatio. Continentia, eſt qua libidinem continemus, voluptatiq; reſiſtimus: interdum qua alieno abſtinemus, in victu & cultu abſtinentes ſumus. Cic. *Quem nulla conditio pecuniæ ab ſumma integritate continentiaq́ deduxerit.* Hæc enim virtus efficit, ne alieni appetentes & cupidi ſimus. In lib. de Inuentione definitur, Virtus per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur: illicq; temperantia genus eſt, partes eius, continentia, clementia, modeſtia. Verecundia, reuerentia quædam eſt aduerſus homines: cuius proprium eſt, neminem offendere, vt iuſtitiæ, neminem violare. Pudor dedecoris & turpitudinis metus, ruborem afferens. ſuntq; hæc omnia finitima & prope eadem virtutum genera, quæ referuntur ad quartam virtutem moralem, quæ temperantia ferè vocatur. Temperantiam autem patroni & aſſertores voluptatis Epicurei retinere conabantur. Cicer. lib. 3. Offic. *Etiam temperantiam inducunt, non facillimè illi quidem, ſed tamen quomodo poſſunt. Dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri: veruntamen patrocinio voluptatis temperantia euertitur.* Cicero, *Nam qui poteſt temperantiam laudare, qui is ponat ſummum bonum in voluptate? Eſt enim temperantia libidinum inimica: libidines autem conſectatrices voluptatis.*





*Non eſſe petulantes)* Superioribus omnibus petulantiam opponit, quæ eſt hominum immodeſtorum, intemperantium, incontinentium, inuerecundorum, impudentium, poſtremò impudicorum. Sic de Finibus lib. 2. hunc locum tractat, *Iam ſi pudor, ſi modeſtia, ſi pudicitia, ſi vno verbo temperantia pœnæ aut infamiæ metu coërcebuntur, non ſanctitate ſua ſe tuebuntur, quod adulterium, quod ſtuprum, quæ libido ſe non proripiet ac proijciet, aut occultatione propoſita, aut impunitate, aut licentia?*

*Innocentes)* Modeſti, temperantes, continentes neminem lædunt, nemini nocent, alieno abſtinent manus. Saluſtius innocentiam, abſtinentiam intellexit, cùm ita ſcripſit: *Sed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat.*

*Erubeſcunt)* Quod pudoris eſt. Pudici autem ſunt, qui florem ætatis fruendum abutendumq; alijs non permittunt. Nam impudici ſunt, qui muliebria patiuntur. Id ex illa Saluſtij dictione intelligi poteſt, *Scio fuiſſe nonnullos qui ita exiſtimarent, iuuentutem quæ domum Catilinæ frequentabat, parū honeſtè pudicitiam habuiſſe.* Et mox, *Quid enim? poſſumus eos qui à ſtupro arcentur, infamiæ metu, pudicos dicere?* Lex autem Scatinia in impudicos erat lata. In libro ſcripto ſic legitur, *Pudici etiam loqui de pudicitia.* Suſpicor lacunam eſſe, locumq; de Pudicitia deeſſe, vt ſuprà de Amicitia locus ſcribebatur. Ac fortaſſe huius loci mutilandi cauſa fuit, quod aliquid obſcœnius hìc Cicero dicebat.

*Ac me nimirum iſtorum philoſophorum pudet, qui nullum vitium vitare niſi iudicio ipſo notatum putant. Quid enim? poſſumus eos qui à ſtupro arcentur, infamiæ metu, pudicos dicere, cum ipſa infamia propter rei turpitudinem conſequatur? nam quid aut laudare Tite, aut vituperare potes, ſi ab eo natura receſſeris, quod aut laudandum aut vituperandum putes? An corporis prauitates ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipſis vitijs facillimè percipi poteſt. Quid enim fœdius auaritia? quid immanius libidine? quid contemptius timiditate? quid abiectius tarditate & ſtultitia dici poteſt? Quid ergò? eos qui ſingulis vitijs excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos, miſeros eſſe dicimus, an propter vim, turpitudinemq́ vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt. Poſtremò ſi propter alias res virtus expetitur, melius eſſe aliquid quàm virtutem neceſſe eſt. Pecuniámne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ & cùm adſunt, perparua ſunt: & quandiu affutura ſint, certum ſciri nullo modo poteſt. An, id quod turpiſſimum dictu eſt, voluptatem? at in ea quidem ſpernenda & repudianda, virtus vel maximè cernitur.*

*Nullum)* Id eſt neminem vitia vitare, niſi quæ infamia aut pœna notata ſunt. Iudicium dicit, quia proximè de pudicitia verba fecerat, quam qui parum honeſtè habebat, lege Scatinia in iudicium vocari poterat: Qui Thraſymachum & Calliclem intelligunt, in philoſophis numerant, quos in philoſophis nunquam Cicero habuiſſet: nec attendunt eum propè contra præſentes dicere: cùm ſe non illorum, ſed iſtorum philoſophorum pudere ſcribit. Serum nimis erat in priſcos declamare: tot autem Epicureos, qui Græciam & Italiam referſerant, prætermittere.

*Infamiæ metu)* Hæc in Epicureos omnia, qui vitia non ob innatam turpitudinem, ſed ob legum, & iudiciorum, & infamiæ metum, non perpetrari dicunt.

*Laudare Tite)* Sic ex veteribus libris emendauimus, vt ad Pomponium Epicureum ſermo conuertatur.

*Corporis prauitates)* A corporis deformitate, qua nihil oculis occurrit fœdius, quoq; magis offendantur, turpitudinem ad animum tranſtulerunt philoſophi, vt à pulchritudine corporis honeſtatem. Cic. lib. 3. Offic. *An eſt vllum maius malum turpitudine: quæ ſi in deformitate corporis habeat aliquid offenſionis, quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet videri?* & lib. 1. Offic. *Nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, conuenientiam partium ſentit: quam ſimilitudinem natura ratioq́ ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſilijs factisq́ conſeruandum putat.* mox ſequitur, *Quibus ex rebus conflatur & efficitur id quod quærimus honeſtum.*

*Perinſignes)* Signo & vitio corporis notabiles: vnde Inſignes & Inſigniti dicuntur interdum, quibus aliquid deprauatum eſt in corpore & deforme. lib. 3. de Legibus; *Inſignis ad deformitatem puer.* Plautus,

*Ea mihi inſignitos pueros pariat poſtea:*
*Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brochum.*

*Offenſionis)* Id eſt offendent & lædent. Horatius,

*Quæ lædunt oculos feſtinas demere: ſi quod*
*Eſt animum, differs curandi tempus in annum.*

*Auaritia)* Saluſtius, *Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quàm nemo ſapiens concupiuit. ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumq́ virilem effœminat: itaq; fœdiſſima & homine indigniſſima eſt.* Quatuor autem virtutibus totidem opponit vitia, auaritiam iuſtitiæ, libidinem temperantiæ, fortitudini timiditatem, tarditatem & ſtultitiam prudentiæ.

*Libidine)* Cupiditate & intemperantia.

*Tarditate)* Mentis ſtupore.

*Cruciatus)* Vt cenſent Epicurei, non ob turpitudinem.

*In virtutem)* Cicero lib. 3. de Natura Deorum, *Q. Catullus huius collegæ & familiaris noſtri pater dilexit municipem tuum Roſcium, in quem etiam illud eſt eius*; id eſt, *de quo, in cuius laudem. In* virtutem igitur, id eſt, de virtute.

*Pecuniámne igitur)* Diſſerit nulla corporis bona aut fortunæ commoda, virtuti, id eſt bonis animi, anteponenda eſſe.

*Voluptatem)* Cicero in Paradoxis; *Illud arctè tenent accurateq́ defendunt; Voluptatem eſſe ſummum bonum: quæ quidem mihi vox pecudum videtur eſſe, non hominum.* hæc igitur in Epicureos diſſeruntur.

*Videtisne quanta ſeries rerum ſententiarumq; ſit? atq; vt ex alio alia nectantur? quin labebar longius, niſi me retinuiſſem. Q. Quo tandem? libenter enim frater, ad iſtam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quò referuntur, & cuius aſciſcendi cauſa facienda omnia, controuerſam rem & plenam diſſenſionis inter doctiſsimos, ſed aliquando tamen iudicandam. A. Quî iſtud fieri poteſt, L. Gellio mortuo? Q. Quid tandem id ad rem? A. Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium familiarem tuum, cum pro conſule ex prætura in Græciam veniſſet, Athenis philoſophos, qui tum erant, in locum vnum conuocaſſe, ipſisq; magnopere auctorem fuiſſe, vt aliquando controuerſiarum aliquem facerent modum: quòd ſi eſſent eo animo, vt nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem conuenire: & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid conuenire. M. Ioculare iſtud quidem, Pomponi, & à multis ſæpe deriſum: ſed ego planè vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum. A. Quo tandem iſtud modo? M. Quia de re vna ſolùm diſsident, de cæteris mirificè congruunt. A. Ain' tandem, de vna re eſt ſolùm diſſenſio? M. Quæ quidem ad rem pertineat, vna: quippe cùm antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet quo iuuaremur in vita, bonum eſſe decreuerint: hic niſi quod honeſtum eſſet, nihil putarit bonum. A. Paruam verò controuerſiam dicis, ac non eam quæ dirimat omnia. M. Probè quidem ſentis, ſi re ac non verbis diſsiderent.*

*Series)* Cùm virtutem omnem propter ſe expetendam dixiſſet, aut ſi propter alias res virtus expeteretur, ea melius aliquid eſſe, deinceps ſequebatur de Finibus bonorum & malorum diſputatio, in quam tacitè ſenſimq; prolabebatur, niſi ſe retinuiſſet. Stoici autem in philoſophia ſua ſolebant mirũ in modum ſeriem rerum & ſententiarum aptam & connexam prædicare, vt & hic Cic. eorum exemplo. Cic. lib. 3. de Finibus, *Quid non ſic aliud ex alio nectitur, vt non ſi vnam literam moueris, labent omnia? nec tamen quicquam eſt, quod moueri poſſit.* & lib. quarto, *Vt enim ſit apud illos, id quod eſt à te laudatum, ordo rerum conſeruatus, & omnia inter ſe apta & connexa.* Sic nihil eſſe poſſe dicebant Stoici ſua philoſophia aptius, coagmentatius, compoſitius. Hic autem locus de Finibus bonorum non eſt huius diſputationis. Itaque errant qui cenſent eſſe ſeptimum argumentum de Fine bonorum. Digreſſio enim quædam eſt, non propria huius de Lege ſcholæ. *Prolaberer)* Id eſt quod modo dixit, Longius labebar. eſt enim prolabi, longius labi.

*Plenam diſſ.)* Nam iſta de Finibus diſſenſio ſectas philoſophorum potiſſimùm diſtinxit.

*Iudicandam)* Id eſt diiudicandam, quod in libris de Finibus fecit Ex hoc loco colligimus hos libros ante libros de Finibus eſſe ſcriptos, &, vt opinor, ante bellum Ciuile, abſolutis iam libris de Repub.

*Gellio)* L. Gellij Cic. in Bruto meminit: quem non vendibilem oratorem, multarum tamen rerum peritum fuiſſe dicit: eumque illic familiarem ſuum vocat. Meminit & huius Plutarchus in Cicerone, quem ait Ciceroni ob patefactam coniurationem, ciuicam coronam decreuiſſe. Sed & pro Seſtio à Cic. vir clariſſimus & fortiſſimus conſul dicitur. Conſul autem fuerat anno ab vrbe condita VCLXXXI. cum Q. Lentulo, cum quo etiam cenſor fuit, vt ab Aſconio ſcribitur.

*Phædro)* Phædrus philoſophus Epicureus fuit, quem cum Attico Cicero audiuit. Cic. lib. 1. de Finib. *Niſi tu Phædrum, inquam, mentitum, aut Zenonem putas, quorum vtrunq; audiui, cùm mihi nihil ſanè præter ſedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri ſententiæ ſatis notæ ſunt: atq; eos quos nominaui cum Attico noſtro frequenter audiui: cùm miraretur ille quidem vtrunque, Phædrum autem etiam amaret.*

*Pro conſule)* Miſſus enim in prouinciam fuerat loco conſulis: tametſi non ex conſulatu. Cicero pro lege Manilia, *Quid tã inuſitatum, quàm vt cũ duo conſules clariſſimi fortiſſimiq; eſſent, eques Romanus ad bellum maximũ formidoloſiſſimumq; pro conſule mitteretur? miſſus eſt. quo quidem tempore cùm eſſet non nemo in ſenatu qui diceret non oportere mitti hominem priuatum pro conſule, L. Philippus dixiſſe dicitur non ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere.* Proconſul autem & Pro conſule differunt, quod quidam ignorarunt, qui idem eſſe putauerunt, vt Proprætor & Pro prætore. Nam Proconſul tum erat qui conſulatum geſſerat, & ex conſulatu prouinciam obtinebat: & Proprætor qui ex prætura. Pro conſule, qui loco conſulis, etiam ſi nec conſulatum geſſiſſet, & priuatus eſſet. Sic priuatus Pompeius pro conſule mittitur, non proconſul: & L. Gellius ex prætura mittitur pro conſule in conſularem prouinciam: nondum enim conſulatum geſſerat: & Piſo apud Saluſtium quæſtor mittitur pro Prætore in Hiſpaniam. verba Saluſtij ſunt, *Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus eſt, adiuuante Craſſo.* L. autem Gellius cùm hæc ſcriberentur mortuus erat. *Ex prætura)* Magiſtratus Romæ annum ſui magiſtrarus eo tempore ferè agebant, quo exacto in prouinciam ibant, atque id eſt ex prætura, aut ex conſulatu in prouinciam ire.

*Auctorem)* Suaſorem, hortatorem. de hoc verbo libro tertio dicam. *Operam)* Paratum ſe dixit vel arbitrum vel iudicem cùm vellent. *Poſſet conuenire)* Si inter eos de arbitro conueniret, ſi compromiſſum in arbitrum aliquem facerent, aut arbitrum à magiſtratu peterent. Ridiculum hoc erat, quod putaret vt lites, ſic controuerſiam de Finibus honoraria arbitri opera diſceptari & componi poſſe.

*Inter antiquam Acad.)* Veteris Academiæ fuerunt Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor: nouæ, Arceſilas, Lacydes, Carneades, Cicero. Cic autem lib. 4. de Finib. contra Catonem diſſerens, oſtendit inter Zenonem & Peripateticos, qui profecto & Academici ijdem ſunt, nihil præter verborum nouitatem intereſſe.

*Arbitrum eſſe datum)* Prætor in iudicio finium regundorum dat arbitrum, qui fines regat. eum arbitrum nos tanquam commiſſarium dicere ſolemus. ad eum hic reſpexit Cicero. Sic Plinius Taurum innumerarum gentium arbitrum dicit, ſignificans ab eo fines gentium innumerarum finiri & terminari tanquam arbitro.

*Quum antiqui omnes)* Antiqui Academici bonum, quod ſecundum naturam eſſet, poſuerunt: & benè viuere, naturæ conuenienter viuere. At Zeno nihil bonum niſi honeſtum ſtatuit. Cicero autem lib. 4. de Finibus à Peripateticis, qui omnino in eadem, in qua Academici hæreſi ſunt, Stoicos verbis non re diſſentire oſtendit.





tire oſtendit. Et lib. 2. de Finibus, *Ergo nata eſt ſententia veterum Academicorum & Peripateticorum, vt finem bonorum dicerent, ſecundum naturam viuere, id eſt, virtute adhibita frui primis à natura datis.* Et paulo pòſt, *Ariſtippo ſimplex voluptas, Stoicis conſentire naturæ: quod eſſe volunt è virtute, id eſt, honeſtate viuere: quod ita interpretantur, viuere cum intelligentia earum rerum, quæ naturæ conuenirent, eligentem ea quæ eſſent ſecundum naturam, reijcientemq; contraria.* Et mox, *Vna ſimplex, cuius Zeno auctor, poſita in decore tota, id eſt, in honeſtate.*

*Nihil putarit bonum)* Sic rectè: in veteri tamen libro ſine negatione legitur, *Niſi quod Honeſtum eſſet, putauit bonum,* ac ſic interdum ſcriptores loquuntur. Columella, *Quo magis etiam propter hos caſus niſi validiſſima, quæ non comprehendatur hyeme, nouaq; progenie repleatur numerus, id eſt, ſolum vel non niſi.* Solinus, *Et carinis ita tenaciter adcorporatur, vt niſi abraſa parte ligni ſeparetur, id eſt, non niſi.*

*Non verbis)* Vt cùm commoda dicere malunt Stoici quàm bona, incommoda quàm mala: cùm legenda & ſumenda dicunt commoda fortunæ & corporis, non expetenda: cùm incommoda non ſumenda, non autem fugienda.

*A. Ergo aſſentiris Anthiocho familiari meo (magiſtro enim non audeo dicere) quo cum vixi, & qui me ex noſtris penè conuellit hortulis, deduxitq; in Academiam perpauculis paſsibus. M. Vir iſte fuit ille quidem prudens & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihiq;, vt ſcis, familiaris: cui tamen ego aſſentiar in omnibus necne, mox videro: hoc dico controuerſiam totam iſtam poſſe ſedari. A. Quî iſtud tandem vides? M. Quia ſi, vt Chius Ariſto dixit, ſolum bonum eſſe diceret quod honeſtum eſſet, malumq; quod turpe, cæteras res omnes planè pares, ac ne minimum quidem vtrum adeſſent an abeſſent intereſſe, valde à Xenocrate & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet, eſſetq; inter eos de re maxima, & de omni viuendi ratione diſſenſio: nunc verò cùm decus, quod antiqui ſummum bonum eſſe dixerant, hic ſolum bonum dicat: itemq; dedecus, illi ſummum malum, hic ſolum: diuitias, valetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: ſentit idem quod Xenocrates, quod Ariſtoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, ſed verborum diſcordia, controuerſia nata eſt de finibus: in qua quoniam vſucapionem XII. Tabulæ intra quinque pedes eſſe noluerunt, depaſci veterem poſſeſsionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus, nec Manilia lege ſinguli, ſed ex his tres arbitri fines regemus.*

*Antiocho)* Hic Philonis diſcipulus relicta noua Academia, in veterem remigrauit, ac librum de Peripateticorum & Stoicorum concordia edidit. Cic. lib. 1. de Natura deorum *Si,* inquit, *liber Antiochi, qui ab eo nuper ad hunc Balbum miſſus eſt, vera loquitur, nihil eſt quòd Piſonem familiarem tuum deſideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere videntur, verbis diſcrepare.* Huius auditor Pomponius, alioqui Epicureus, aliquando fuit: ac propemodum ſe ab eo ex Epicuri hortulis in Academiæ ſpatia pertractum ait.

*Magiſtro enim)* Propter condiſcipulos Epicureos, qui iſtud acerbè ferrent, ſi eum magiſtrum agnoſceret, & Epicuri ſectam relinqueret, id dicit.

*Perpauculis paſſibus)* Nam in ſpatijs Academiæ Academici inambulantes diſputabant. Hinc illud Horatij,

*Atq; inter ſyluas Academi quærere verum.*

*Prudens)* Doctus & eruditus. Cornificius ad Herennium, *Dicitur item prudentia ſcientia cuiuſdam artificij.* ita hominem in philoſophia doctum prudentem hic mihi vocare videtur. ſic iuriſprudentes nominantur. Antiochum etiam in Bruto philoſophum prudentiſſimum vocat.

*In omnibus)* Vt enim fortaſſe ei aſſentiatur in fine bonorum: multis tamen in rebus ab eo diſſentit, cùm Stoicus multo potius, quàm Academicus eſſet. erat enim Antiochus, vt inquit Cic. in Lucullo, ſi perpauca mutauiſſes, germaniſſimus Stoicus. quanquam ne in fine quidem cum Stoicis conueniebat Antiocho. Cicero, *Zeno in vna virtute poſitam beatam vitam putat: quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, ſed non beatiſſimam.* Familiarem ſibi fuiſſe dicit Antiochum Cic. quia Athenis ſex menſes cum Antiocho in philoſophia conſumpſit, vt in Bruto ſcribit. *Mox videro)* Sic loquuntur qui quid in aliud tempus differunt. Mox enim videro eſt, vt ſi diceretur, Aliàs videro.

*Familia)* Ducta tranſlatio ab illis qui ab vno generis auctore & capite deſcendunt. ſunt enim ex eius familia, vt Academici veteres & Peripatetici deſcendunt à Platone.

*Decus)* Id eſt honeſtatem, cui ſummum locum inter tria bonorum genera tribuebant: ſic eam ſummum bonum putabant Academici veteres & Peripatetici, id eſt trium maximum.

*Dedecus, illi)* Legendum videtur, *Dedecus quod illi.* Academici & Peripatetici turpitudinem è tribus mali generibus ſummum putant. Turpitudinem autem hic dedecus vocat.

*Commodas)* Stoici nihil præter virtutem bonũ: nihil præter vitium malũ exiſtimant: reliqua quæ corporis & fortunæ bona malaque dicimus, commoda & incommoda appellant: quæ Ariſto Chius Zenonis diſcipulus, planè indifferentia ponebat: ac ſummum bonum ſtatuebat, in his rebus neutram in partem moueri.

*Quoniam vſucapionem)* Hunc locum Alciat. ita ex Aggenio Vrbico & Iulio Nypſo declarat: *Lege duodecim Tabu. cautum erat, vt inter vicinorum prædia conſtitutis finibus, quinque pedum ſpatium relinqueretur, quà ire, agere, vterque dominus poſſet, itémque vt circumuerti aratrum poſſet.* Id ſpatium vſucapi eadem lege prohibebatur: deinde poſt decemuiros lata eſt lex Manilia, vel Mamilia, vt in libris ſcriptis reperio: quæ, quoties de his quinque pedibus controuerſia eſſet, eligi arbitrum agrimenſorem aut finitorem iuſſit, qui fines eos regeret & conſtitueret. Vltra verò quinque pedes, quoniam lis non finalis, ſed proprietatis eſt, Prætor adeundus erat. locus autem eſt ex ambiguo, de finibus agrorum & bonorum.

*Intra quinque pedes)* *Inter quinque pedes eſſe voluerunt,* ſcripti libri habent: Alciatus *Noluerunt* probat, legis auctoritate adductus, cuius hæc verba ſunt de controuerſijs agrorum: *De rigore controuerſia eſt fini-*

*ma conditionis, quoties inter duos pluréſue terminos ordinatos, ſiue qua alia ſigna ſecundum legem Maniliam, vel Mamiliam, vt reperio, intra quinque pedes agitur.* Sed intra quinque pedes eſt controuerſia, cùm de illis quinque finalibus pedibus lis eſt: Inter quinque pedes, cùm de poſſeſſione, prædio, agro, inter quinque pedes, id eſt inter limites clauſo, lis eſt. Nam nunc agitur de poſſeſſione & fundo Academiæ, quem Zeno vſucapere conatur. Biennio enim lege duodecim Tab. fundus vſucapiebatur: nullo tempore vſucapiebantur limites quinûm pedum: etiam ſi quis, verbi gratia, limitem viginti annis araſſet & ſeuiſſet. Quod afferunt de Solonis lege, hunc locum non illuſtrat. *Intra* & *voluerunt* ſi legas, id eodem ſenſu accipi poterit.

*Eſſe voluer.*) Iter enim qua ad culturas acceditur, non capitur vſu, ſed id quod in vſu biennio fuit, vt Aggenius ait, vt, verbi gratia, fundus & poſſeſſio.

*Depaſci vet.*) Academiæ agro velut vſucapto frui Zenonem non ſinemus. Nam planè ſentit idem quod Academici veteres, eorumque ſententiam vſurpat, mutatis tantùm vocabulis loquitur alio modo. Poſſeſſiones ſunt agri latè patentes vel publici, vel priuati. Hìc qui depaſci abſumi depaſcendo interpretantur, ſenſum non vident. qui enim agrum poſſidet, in agrum pecus ſuum immittere poteſt, in alienum agrum non poteſt: inde translatio ducta. *Manilia*) Veteres libri *Mamilia*: Manilia autem lex arbitros dabat ſingulos. Ea à Mamilio coloniæ deductore, vt reor, lata fuit, aut conſule. Non eſt Iuriſconſulti leges ferre: quod hic nonnulli videntur exiſtimaſſe.

*Ex ijs*) Legibus quas nunc ſcribimus: vel recentiores intelligit leges de agrorum conditionibus, quales legi in veteri libro Roſciam, Peduceam, Alienam, Fabiam. ſuperior ſenſus mihi magis probatur. Nam quod nonnulli ſcribunt, legem Mamiliam Cic. ætate obſoletam nec obſeruatam fuiſſe, falſum eſt, cum etiam ætate Frontini obſeruaretur. Hic autem Arbitri ſunt, quos dicimus Commiſſarios.

*Q. Quámnam igitur ſententiam dicimus? M. Requiri placere terminos quos Socrates pegerit, ijsq; parere. Q. Præclarè, frater, iam nunc à te verba vſurpantur ciuilis Iuris & legum: quo de genere expecto diſputationem tuam. nam iſta quidem magna dijudicatio eſt, vt ex te ipſo ſæpè cognoui. Sed certè ita res ſe habent, vt ex natura viuere, ſummum bonum ſit, id eſt, vita modica & apta virtute perfrui: aut naturam ſequi, & eius quaſi lege viuere, id eſt, nihil quantum in ipſo ſit prætermittere, quo minus ea quæ natura poſtulet, conſequatur: quòd inter hæc velit virtute tanquam lege viuere. Quapropter hoc dijudicari neſcio an vnquam, ſed hoc ſermone certè non poteſt: ſiquidem id quod ſuſcepimus, perfecturi ſumus. A. At ego hûc declinabam nec inuitus. Q. Licebit aliàs, nunc id agamus quod cœpimus, cùm præſertim ad id nihil pertineat hæc de ſummo malo bonóque diſſenſio. M. Prudentiſſimè, Quinte, dicis. nam quæ à me adhuc dicta ſunt, * te Lycurgi leges, neque Solonis, neque Charondæ, neque Zaleuci, nec noſtras XII. Tabulas, nec plebiſcita deſidero: ſed te exiſtimo cùm populis, tùm etiam ſingulis hodierno ſermone leges viuendi & diſciplinam daturum eſſe.*

*Sententiam dicimus*) Arbitri in controuerſia finium regundorum inſpectis limitibus & terminis ſententiam dicebant.

*Quos Socra.*) Componit litem de finibus, vt bonorum fines ſint, quos Socrates, moralis philoſophiæ auctor, poſuit, viuere, vt opinor, ſecundum naturam. In controuerſia finium regundorum termini requiruntur. Paulus, *Eos terminos quantum ad Domini quæſtionem attinet, obſeruari oportet fundorum, quos demonſtrabitis, &c.* Termini quos Socrates pegit, poſſeſſionem Academicorum terminabunt, qui ab eo ſtatim exorti ſunt: oſtendentque à Zenone aliorum verborum obtentu vſurpatam Academicorum poſſeſſionem. *Pegerit*) Sic libri veteres, id eſt, fixerit, à pango, quod, vt ait Priſcianus, pegi facit, & pepigi. Pacuuius, *Tonſillam pegi læuo in littore.* Qui à paciſcor deducunt, & ab origine, & à ſententia aberrant. nam hic de pactione non agitur, ſed de terminorum poſitione.

*Iam nunc*) Etiam antequam ad ipſum ius ciuile veneris. *Dijudicatio*) Diſceptatio. magni ſit operis rem eam & cauſam dijudicare & diſceptare.

*Ita res ſe habent*) legitur etiam *habet.* Hæc fortaſſe dicuntur à Marco, reſque diſceptatur breui ſententia, quæ longiore eſſet oratione diſputanda: quanquam poſſunt à Quinto dici.

*Ex natura*) Id eſt ſecundum naturam, quod à Socrate acceptum tenuerunt Academici, & probarunt Stoici, quibus finis eſt conſentire naturæ, vt vtrorumque eadem ſit ſententia. Dicitur eodem modo, E natura viuere, E virtute viuere, pro ſecundum naturam, ſecundum virtutem.

*Vita modica*) Cic. lib. 2. de Finib. ſecundum naturam viuere interpretatur eſſe virtute adhibita frui primis à natura datis. Lib. autem 2. Offic. ſic ſcribit, *Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, conuenienter naturæ viuere, id habet hanc, vt opinor, ſententiam, cum virtute congruere ſemper, cætera autem quæ ſecundum naturam eſſent, ita legere ſi ea virtuti non repugnarent.* Lib. 2. de Finib. conuenienter naturæ viuere dicit eſſe è virtute, id eſt, honeſtè viuere. Quod Stoici ita interpretabantur: viuere cum intelligentia earum rerum, quæ naturæ conuenirent, eligentem ea quæ ſecundum naturam eſſent, reijcientemque contraria. Laërtius, ὁ Ζήνων τέλος εἶπε, τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν, id eſt, Zeno finem dixit conuenienter naturæ viuere, quod eſt è virtute viuere. Rurſum Laërtius, πάλιν δ᾽ ἴσον ἐστὶ τὸ κατὰ ἀρετὴν ζῆν τῷ κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, i. Rurſus ex virtute viuere, eſt viuere intelligentē ea quæ naturæ congruunt. Ita interpretatio Stoica cùm virtuti adiungat fructum earum rerum, quæ naturæ conueniunt, ab Academicorum ſententia nihil diſcrepat. Stoici tamen hæc externa & corporis commoda ſumenda, legenda, eligenda dicunt, non expetenda: contrariaque reijcienda, non fugienda, quo antea modo etiam ipſe loquebatur de morte & vita, cum hanc errore homines expetere diceret, illam fugere. Academici autem ea in rebus expetendis & fugiendis numerant. Vitam hic appellat emolumenta & commoda, quæ ſecundum naturam ſunt, & quibus ad vitam degendam eſt opus. Nam ſic vita & hic, & in prima Academica accipitur his verbis, *Conſtituebántque extremum eſſe rerum expetendarum & finem bonorum, adeptum eſſe omnia è natura, & animo & corpore & vita:* id enim eſt adeptum eſſe omnia quæ ſecundum naturam ſunt animi, corporis, fortunæ bona. Modicā addit, quòd earum rerū modus naturalis ſit, & quòd beati etiā eſſe poſſimus ſine diuitijs, opibus, honoribus, gratia. Hæc enim à natura recedunt. Cicero in Academicis, *Ac de ſummo quidem ac naturali bono ſic agunt: cætera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, vt diuitias, vt opes, vt gloriam, vt gratiam.* Hanc interpretationem qui reprehendit, & deteriorem affert, falſò patrocinatur, verū opprimit. Vitam aptam virtute vult, ex virtute ſcilicet pendentē, vt 5. Tuſcul. *Non ſanè optabilis quidē iſta, inquit, rudentib. apta fortuna.* Aut potius bonis modicè ſuppeditatā, vt apud Horat.



*Et auitus apto cum lare fundus.* & apud Catullum,

*Aptis ſarcinulis & expeditis.*

ſignificat enim, vt opinor, Horat. paruum & concinnum larem: & Catullus, curtas & aſtrictas ſarcinas. In codice ſcripto hic reperi, *Et aperta Virtute.* Quidam *Aptam virtuti* legunt: quod non probo.

*Quod inter hæc*) Quæ vita naturaque poſtulat. Superior definitio Academicam interpretationem magis refert, & ad eam propius accedit: hæc poſterior magis Stoicam reddit, vt ex verbis Laërtij & Cic. quæ paulò antè adhibui, intelligi poteſt. Id eò dico, quia non deſunt qui ſecus ſentiant, quos errare puto: & conſentaneum eſſet, vt Academici qui antiqui ſunt, antecederent potius: Stoici qui noui, ſequerentur. Ego duas definitiones, quarum vis atque ſententia vna & eadem ſit à Cicerone poſitas exiſtimem, quæ tamen referant Academiam & Zenonis ſectam.

*Dijudicari*) Haud ſcio an vnquam diſceptari, & dijudicari hæc controuerſia poſſit, & vt poſſit, nunc certè non poteſt. Iuſtam enim diſputationem ea res poſtulat.

*Neque Charondæ*) Charondas Thaletis Mileſij diſcipulus, vt quidam cenſent, quos reprehendit Ariſtoteles, Catanenſis Catanenſibus ciuibus ſuis & Chalcidicis Siciliæ & Italiæ ciuitatibus leges tulit. eum Thuriū à Thurijs ciuitate Italiæ Valerius appellat: errant qui in Valerio pro Thurio Tyriū emendant. huius legibus etiā Mazaceni vſi ſunt, vt ait Strabo. Zaleucus Locris epizephyrijs Italiæ populis leges ſcripſit.

*Plebiſcita*) Quibus lege Horatia, quam Hortenſius poſtea Dictator rurſum tulit, etiam patres teneri cœperunt. Liuius lib. 3. de lege Horatia, *Omnium primum cùm veluti in controuerſo iure eſſet, tenerentúrne patres plebiſcitis, legem centuriatis comitijs tulere, vt quod Tribuni plebis iuſſiſſent, populus teneret.* Plinius, *Q. Hortenſius Dictator cùm plebs ſeceſſiſſet in Ianiculum, legem in eſculeto tulit, vt quod ea iuſſiſſet, omnes Quirites teneret:* quod factum eſt, vt ex Floro conſtat, paulò ante aduentum Pyrrhi in Italiam. Itaque cauendus eſt eorum error, qui cenſent collegam Valerij Hortenſium fuiſſe, cùm Horatius fuerit, qui multò ante Hortenſium legem eam tulerat.

*M. Eſt huius verò diſputationis, Quinte, proprium id quod expectas, atque vtinam eſſet etiam facultatis meæ. ſed profectò ita ſe res habet, vt quoniam vitiorum emendatricem legem eſſe oportet, commendatricemq; virtutum, ab ea viuendi doctrina ducatur. Ita ſit mater bonarum omnium rerum Sapientia, à cuius amore, Græco verbo* φιλοσοφία *nomen inuenit. qua nihil à dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominū vitæ datum eſt. hæc enim vna nos cùm cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimū docuit, vt noſmetipſos noſceremus: cuius præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, vt ea non homini cuipiā, ſed Delphico deo tribueretur. nam qui ſe ipſe norit, primùm aliquid ſe habere ſentiet diuinum, ingeniumque in ſe ſuum ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoq; munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet, & ſentiet: & cum ſe ipſe perſpexerit, totúmque tentarit, intelliget quemadmodum à natura ſubornatus in vitam venerit, quantáque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendámque ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore. Nam cùm animus cognitis perceptiſqúe virtutibus, à corporis obſequio indulgentiáque diſceſſerit, voluptatémque ſicut labem aliquam decoris oppreſſerit, omnémque mortis doloriſqúe timorem effugerit, ſocietatemqúe charitatis coierit cum ſuis, omnéſque natura coniunctos ſuos duxerit, cultúmque deorum, & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, ſic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda contraria, quæ virtus ex prouidendo eſt appellata Prudentia: quid eo dici aut cogitari poterit beatius? Idemqúe cùm cælum, terras, maria, rerúmque omnium naturam perſpexerit, eáque vnde generata, quò reditura, quando, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternúmque ſit, viderit, ipſumqúe ea moderantem & regentem penè prehenderit, ſeſeqúe non vnis circundatum mœnibus popularem alicuius definiti loci, ſed ciuem totius mundi quaſi vnius vrbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conſpectu & cognitione naturæ, Dij immortales, quàm ſe ipſe noſcet quod Apollo præcepit Pythius. quàm contemnet! quàm deſpiciet! quàm pro nihilo putabit ea quæ vulgo dicuntur ampliſſima!*

*Facultatis*) Vtinam id efficere & præſtare poſſem: vtinam poſſem & populis, & ſingulis leges viuendi & diſciplinam dare.

*Sed profectò*) Liber primus concluditur philoſophiæ laude. Caue autem exiſtimes hic diſſeri legem & philoſophiam idem eſſe: & philoſophiam naturalem eſſe, proinde & legem. longè alia Ciceronis mens eſt. Nam cùm omnia quæ diſputauit à philoſophia proficiſcantur, meritò hic eam ornauit.

*Emendatricem*) Hæc propria ſunt & ſua legis officia. Siquidem duæ res, vt ait Solon, Remp. continent, præmium, & pœna. Qua forſitan opinione ductus Democritus duos poſuit deos, Pœnam & Beneficium. Quadrat hic illud Euripideum.

— πᾶσι γὰρ κοινὸν τόδε,
ἰδίᾳ θ᾽ ἑκάστῳ, καὶ πόλει, τὸν μὲν κακὸν
κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν.

*Commune ſiquidem hoc omnibus, tum ſingulis,*
*Tum ciuitati, vti malus mali ferat*
*Aliquid, probus verò fruatur vt bonis.*

*Abea)* Id eſt à lege doctrina vitæ ducitur, vt planè proprium ſit huius diſputationis viuendi, leges & diſciplinam dare. *Ita ſit mater)* A qua cùm alia omnia quæ laudis ſunt & virtutis, tùm verò lex illa virtutum commendatrix, & vitiorum emendatrix proficiſcitur, & quæ de ea à me hic diſputata ſunt. Eſt enim lex ſapientis ratio ad iubendum & prohibendum accommodata. Ita à ſapientia oritur lex.

*A dys imm.)* Plato in Timæo, ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὐκ ἦλθεν οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. Cicero Platonis interpres, Quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus: quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi deorum conceſſu atque munere, neque dabitur.

*Noſceremus)* Sapientum ſententiæ Delphis in Apollinis templo ſculpebantur, & tanquam oracula deo attribuebantur. Hæc enim Chilonis eſt Lacedæmonij. Plin. lib. 7. *Rurſus mortales oraculorum ſocietatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta eius Delphis conſecrando, quæ ſunt hæc, Noſſe ſe quenque: &, Nihil nimium cupere: Comitem æris alieni atque litis eſſe miſeriam.* Non deſunt qui Delphici oraculi vocem dicant. Cuidam enim, quo ad beatitudinem itinere perueniret, conſulenti: Si te, reſpondit deus, noueris: quos ſequi Cicero videtur. Noſce autem teipſum, ita prima Tuſcul. explicat: *Eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt ſe quiſque noſcat. Non enim, credo, id præcipit, vt membra noſtra & ſtaturam figurámue noſcamus: neque nos corpora ſumus, neque ego hæc dicens corpori tuo dico. Quum igitur Noſce te dicit, hoc dicit, noſce animum tuum.*

*Delphico deo)* Cic. in prima Tuſc. *Hunc igitur noſſe, niſi diuinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cuiuſdam animi præceptum, ſic vt deo tributum ſit, hoc eſt ſeipſum poſſe cognoſcere.*

*Ingeniumque)* Animum ſuum in corpore tanquam delubro ſignum conſecratum. Nam animus nobis à deo, vt ſuprà diſſeruit, ingeneratus eſt, ſed & in Paradoxis ait, *Tu cùm tibi ſiue deus, ſiue mater, vt ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ſic te ipſe abijcies atque proſternes, vt nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes intereſſe?*

*Tentòque munere)* Animo, qui corpori à deo ingeneratus eſt.

*Subornatus)* Supra, *Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum eſſe voluit, generauit & ornauit deus.* hoc in verbo ineſt tacitum neſcio quid & clandeſtinum, id eſt intus velut inſtruxit, & quodam modo ornauit: aliàs in malam partem accipitur, vt cùm ſubornatos teſtes dicimus.

*A natura)* A deo. Deus enim & natura Stoicis idem, vt lib. ſecundo oſtendam, & ex legis definitione intelligi poteſt.

*Adumbratus)* Vmbra quadam depictas: ab adumbrationibus pictorum, quæ rudibus lineamentis conſtant, ductum, quas σκιαγραφίας & σκαριφισμοὺς vocant, & poſtea coloribus exornant. Adumbratæ autem illæ intelligentiæ omnis ſcientiæ & philoſophiæ principia ſunt, & earum ope ad ſapientiam perueniri poteſt. *Illuſtratus)* Quibus tanquam illuminatis ope ſapientiæ. ſunt enim alioqui, vt ſuprà dictum eſt, obſcuræ. Aliàs legitur, *quibus illuſtratis.* Non eſt autem, vt quidam ſentiunt, idem inchoata intelligentia, & enodata. Nam inchoata enodata non eſt: Cic. in Topic. de intelligentia, *Ea eſt*, inquit, *inſita & antè percepta cuiuſq; formæ cognitio enodationis indigens.* Sed hoc falſi ſunt, quia ſuprà pro *nec ſatis enodauit*, legerunt *neceſſarias enodauit.* Nam non ſunt abſolutè enodatæ illæ intelligentiæ, ſed non ſatis enodatæ.

*Nam cùm animus)* Qui ſapientiæ compotes ſunt, ij beati ſunt. Sapientia autem rerum diuinarum & humanarum cognitionem complectitur: eius ſtudium philoſophia eſt: cuius pars vna eſt de vita & moribus, quæ Ethice: altera de natura & rebus occultis, quæ Phyſice: tertia de diſſerendo, & quid verum, quid falſum, quid conſentaneum, quid repugnans iudicando, quæ Dialectice vocatur, quas omnes partes hìc attingit.

*Obſequio)* Quatuor virtutes morales attingit, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam.

*Societatémque charit.)* Se charitate & amicitia cum hominibus coniunctum putarit, quos omnes ſuos populares & neceſſarios duxerit. Qui *ſocietatem carnis* hic legunt, negare non poſſumus, quin Theologicè loquantur. Iuſtitiam autem ducunt à ſocietate & coniunctione Stoici.

*Religionem)* Non ſuperſtitionem, ſed puram veramque religionem. Eſt autem religio pars iuſtitiæ.

*Cœlum, terras)* Quæ quidem ſunt ipſius naturæ. his autem tribus partibus ſummam rerum & ipſam vniuerſitatem ſignificabant. Terentius, *O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni.*

*Perſpexerit)* Cognouerit, contemplatus erit. alij *proſpexerit* legunt, ſed malè, vt opinor.

*Vnde generata)* Ad deflagrationem reſpexit. Nam hæc omnia cenſent Stoici tandem aliquando exuſtum iri. Itaque non eſt hùc aduocandus Ariſtoteles, qui cœlum, terram, mare, neque exordium habuiſſe, neque finem habitura credit.

*Generata)* Ignis Stoicis principium eſt & ſemen omnium rerum: vnde omnia generantur, & quò reuertuntur.

*Quando)* Rata quædam & definita cenſent exuſtionis tempora: non tamen ſunt ea hominibus cognita.

*Quomodo)* Per exuſtionem ſcilicet in ignem abitura.

*Æternum)* Stoicis æterna eſt materia, & deus, quem per materiam peruadere, & eam informare cenſent: atque adeò ignis ipſe rerum ſemen. animos etiam humanos æternos & immortales Cicero exiſtimat: qua de re inter Stoicos eſt variatum. nam alij, vt ait Ariſtocles, exiſtimant, animos mortuorum manere, alij in animum mundi confundi, alij mortales eſſe, nec tamen ſtatim, quàm è corpore exceſſerint interire, ſed aliquandiu ſuperſtites eſſe: ſapientum autem animos ad exuſtionem vſque viuaces eſſe. tum enim eos & reliquos deos præter præpotentem interire.

*Moderantem)* Præpotentem deum, qui ſummæ rerum præeſt, cuique reliqui cælites parent.

*Vnis cir-*



*Vnis circundatum)* Vnius loci certi & oppidi ſe municipem aut ciuem non cenſuerit. Cic. in Paradoxis, *Exilium autem illis, quibus quaſi circunſcriptus eſt habitandi locus, non ijs qui omnem orbem terrarum vnam vrbem eſſe ducunt. Hæc Stoicorum erat ſententia, vt antè memoratum eſt, idem etiam Academicis ſentientibus.* Cic. in Academicis, *Hominẽ eſſe cenſebant quaſi partem quandam ciuitatis & vniuerſi generis humani, eumq; eſſe coniunctum cum hominibus humana quadam ſocietate.* *Magnificentia)* Amplitudine & excellentia.

*Atque hæc omnia quaſi ſepimento aliquo vallabit diſſerendi ratione, veri & falſi iudicandi ſcientia, & arte quadam intelligendi quid quanque rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium. Cumq; ſe ad ciuilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolùm illa ſubtili diſputatione ſibi vtendum putabit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta ſalutis & laudis aptè ad perſuadendum edat ſuis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos, factaq; & conſulta fortium & ſapientum cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere. quæ cùm tot res tantæq; ſint, quæ in homine ineſſe perſpiciantur, ab ijs qui ſe ipſi velint noſſe, earum parens eſt educatrixq; Sapientia. A. Laudata quidem à te grauiter & verè: ſed quorſus hoc pertinet? M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam ſumus, quæ tanta eſſe volumus. non enim erunt, niſi ea fuerint, vnde illa manant, ampliſſima. Deinde facio & libenter, &, vt ſpero rectè, quod eam, cuius ſtudio teneor, quæq; me quicunque ſum, effecit, non poſſum ſilentio præterire. A. Enimuero facis & meritò & ipſe, fuitq; id, vt dicis, in hoc ſermone faciendum.*

*Sepimento)* Stoicorum more, qui philoſophiam agro feraci comparabant, cuius ſepem Dialecticen eſſe dicebant: fructum, Ethicen: terram aut arbores, Phyſicen, auctore Laërtio, cuius hæc verba ſunt, ἢ ἀγρῷ παμφόρῳ, τὸ μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν τὸ λογικόν, & cætera. Phylo quoq; Dialecticen περίβολον quodam loco appellat. *Iudicandi)* Stoici nullam eſſe inueniendi artem putant, iudicandi vias diligenter perſequebantur. Itaque inuentionis nulla hic mentio eſt. *Quid quanq;)* Iudicium veri & falſi in enunciationibus eſt ſimplicibus, nec ſolùm in ijs, verumetiam in connexis & repugnantibus, de quibus hic agit pertinent autem ad ratiocinationes. *Illa ſubtil. diſp.)* Dialecticorum oratione. Atque hæc diſtinctio Zenonis eſt Stoici. Cic. lib. 2. de Finibus, *Rhetoricè igitur, inquam, nos mauis quàm dialecticè diſputare. Quaſi verò, inquit, perpetua oratio rhetorum ſolùm, non etiam philoſophorum ſit. Zenonis eſt, inquam, hoc Stoici, omnem vim loquendi, vt iam antè Ariſtoteles, in duas tributam eſſe partes dicere: rhetoricam palmæ, dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat, quòd latius loquerentur rhetores, dialectici autem compreſſius.* *Diſputatione)* Diſputationem perpetuæ orationi hic opponit. Propria enim eſt diſputatio dialecticorum, vt perpetua oratio oratorũ: & dialecticus diſputator dici poteſt: διάλεξις, diſputatio: διαλεκτικὴ prudentia diſputandi. ſed & dialogi eadẽ eſt origo, qui dialecticorum & philoſophorum, vt Lucianus ait, proprius erat, veterumque illorum philoſophorum qui dialectici habiti ſunt & appellati, oratio in interrogatione & reſponſione erat poſita: ſic Diodorus, qui dialecticus vocatus eſt: ſic Stoici qui dialectici appellati ſunt, diſputarunt. Nam, vt ſcribit Alexnder, ἡ διαλεκτικὴ λόγους ποιεῖται ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει· ἀπὸ γὰρ τούτου καὶ ὅλον τὸ ὄνομα αὐτῇ. id eſt, dialectica diſſerit interrogando & reſpondendo. Ex eo enim nomẽ adepta eſt. Eo genere diſputandi ſunt vſi omnes qui vnquã dialectici vocati ſunt: atque vſum illum publicum & vſitata exempla Ariſtoteles & Zeno ſecuti ſunt cum ita dialecticam & rhetoricam diſtinxerunt. Oratores enim, vt Demoſthenes, Hyperides, Lyſias, perpetua oratione vtebantur: & vt ornatiſſima ſit oratio Plat. nemo tamen vnquam eum ῥήτορα vocauit. Proinde veteres dialecticam definiebant, τέχνην λόγων, δι' ἧς ἀνασκευάζομέν τι ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως τῶν προσδιαλεγομένων ἢ κατασκευάζομεν, id eſt, artem diſputandi, per quam confirmamus aliquid aut refellimus per interrogationem & reſponſionem eius quocum diſſerimus. Qua quidem ex definitione proprium dialectices dialogum, non perpetuam orationem intelligimus. Itaque Zeno Eleates primus dialectices auctor, dialogorum etiam item inuentor fuit. *Perpetua orat.)* Dictione oratorum, quæ perpetua eſt, id eſt, quæ non eſt interrogatione & reſponſione, vt dialecticorum oratio, interpellata.

*Regat)* Tumultum, & populi ſeditionem concionando ſedet: vt Maro ait, *Ille regit dictis animos & pectora mulcet.* atque id ad deliberationem pertinet. *Stabiliat)* Legum aliquarum ſit auctor & ſuaſor.

*Caſtiget)* Vnum accuſationis eſt, alterum defenſionis. *Laudet clar.)* Ad demonſtratiuum genus pertinet. Romæ clari viri mortui laudabantur, ſed & laudabantur in iudicijs, in ſenatu.

*Præcepta)* Libros etiam conficiet, & publicabit præcepta philoſophiæ moralis continentes: quem in numerum aggregari poteſt hæc de Legibus diſputatio. *Hortari)* Philoſophia moralis aut in officio poſita eſt, de quo Cic. extant præcepta: aut in motu animi ſedando vel gignendo, vt in cohortationibus ad defendendam remp. ad gloriã, ad laudem: rurſus in oratione iracundiam reſtinguente, metum eripiente, exultantem lætitiam comprimente, ægritudinem abſtergente, auctor Cic. in Topicis & Partitionibus. hic cohortatio eſt ad laudem, & contraria dehortatio: præterea conſolatio afflictorum; quæ eſt ſedatio perturbationis. *Factaq;)* Etiam hiſtoriæ monumentis facta fortium, conſilia ſapientum mandabit: & in hiſtoria improbos ignominia notabit.

*Acturi ſumus)* Laudo ſapientiam, vt & ex eius laude, legibus quas ab ea eductas edam, honos & laus accreſcat: & vti gratus ſim in eam quæ me quantuſcunque & quicunque ſum, effecit. Hic neſcio quid de philoſophia nonnulli nugantur, eam naturalem homini eſſe hic probari dicentes, & alia quædam afferentes, quorum hic nullum veſtigium reperio. Concluditur enim laude philoſopiæ hic liber, propter eas cauſas quas commemorat. *Enimuero facis &)* Meritò philoſophia laudatur, quæ omni laude digna eſt, à te verò iuſtiſſima de cauſa, qui eius ſtudio teneris, & quæ te eum qui es effecit.

IN M. T.

# IN M. T. CICERONIS LIBRVM SECVNDVM DE LEGIBVS ARGVMENTVM ADRIANI TVRNEBI.

CIVITATIS IVS, AVT AD RES ET RATIONES HOMINVM, AVT AD religiones & ceremonias deorum, comparatum eſt. Hoc diuinum, illud humanum dicimus. Sed cùm diuini potior ſit & antiquior cura ( deum enim vt colamus in lucem editi ſumus, religionemque ac pietatem natura nobis inſeuit ) Cicero meritò à religionis conſtitutione incepit, & eam in hunc librum contulit. Cuius diſputationem ab vltima lege, quæ mens dei eſt, ratione cogentis, & vetantis: & ab humana, quæ ratio eſt ſapientis, legi diuinæ conſentiens, vt à capite arceſſit. Nam ab his, vt fontibus, iura noſtra fluunt, eoque referri debent. Addit deinde Platonis more, legis procemium: ei legem de religione ſubiungit, quam à Numæ Pontificumque Rom. decretis educit. Poſtremò huius ſuaſionem & explicationem reddit.

## *M. TVLLII CICERONIS DE LEGIBVS LIBER II.*

Et in eundem commentarius, Adriano Turnebo auctore.

ATTICVS.

*SED VISNE, QVONIAM ET SATIS IAM AMBVLATVM eſt, tibi aliud dicendi initium ſumendum eſt, locum mutemus? & in inſula, quæ eſt in Fibreno ( nam opinor illi alteri flumini nomen eſſe ) ſermoni reliquo demus operam ſedentes?* MARCVS. *Sanè quidem. nam illo loco libentiſſimè ſoleo vti, ſiue quid mecum ipſe cogito, ſiue aliquid ſcribo aut lego. A. Equidem qui nunc potiſſimum huc venerim, ſatiari non queo: magnificaſq́ue villas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. ductus verò aquarum, quos iſti nilos & euripos vocant, quis non, cùm hæc videat, irriſerit? Itaque vt tu paulo antè de lege & de iure diſſerens, ad naturam referebas omnia: ſic in ipſis rebus, quæ ad requietem animi delectationemq́ue quæruntur, natura dominatur. Quare admirabar ( nihil enim his in locis, niſi ſaxa & montes cogitabam: idq́ue vt facerem, & orationibus inducebar tuis, & verſibus ) ſed mirabar, vt dixi, te tàm valde hoc loco delectari: nunc contrà miror, te, cùm Roma abſis, vſquam potius eſſe. M. Ego verò, cùm licet plureis dies abeſſe, præſertim hoc tempore anni, & amœnitatem & ſalubritatem hanc ſequor: raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque cauſa delectat, quæ te non attingit ita. A. Quæ tandem iſta cauſa eſt? M. Quia ſi verum dicimus, hæc eſt mea, & huius fratris mei germana patria. hinc enim orti ſtirpe antiquiſſima ſumus: hîc gens, hîc ſacra, hîc maiorum multa veſtigia. Quid plura? hanc vides villam, vt nunc quidem eſt lautius ædificatam patris noſtri ſtudio: qui cùm eſſet infirma valetudine, hic ferè ætatem egit in literis: ſed hoc ipſo in loco cùm auus viueret, & antiquo more parua eſſet villa, vt illa Curiana in Sabinis, me ſcito eſſe natum. Quare ineſt neſcio quid, & latet in animo ac ſenſu meo, quo me plus hic locus fortaſſe delectet: ſiquidem etiam ille ſapientiſſimus vir Ithacam vt videret, immortalitatem ſcribitur repudiaſſe.*

*In Fibreno* ) Arpinatem Ciceronis villam duo fluuij alluebant, Fibrenus & Liris, eamque amœniſſimam reddebant & ſaluberrimam. meminit vtriuſque fluuij Silius lib. 8.

*Ac qui Fibreno miſcentem flumina Lirim*
*Sulphureum, tacitiſq́ue vadis ad littora lapſum*
*Accolit Arpinas accita pube Venafro.*

Vetus liber partim *Fibrinum*, partim *Fibrenum* habet. prior ſcriptura ſi vera eſſet, opinor à fibris duceretur: ſic fibrina lana à fibris animalibus dicebatur: fibros autem & lutras illis in locis fuiſſe ex Varr. intelligimus. *Fibrenum* tamen malo. *Cogito* ) Aliqua de re mecum commentor, quam ſcribere parem.

*Potiſſimum* ) Adulta æſtate, quo tempore omnia alijs in locis areſcunt, cùm hîc vernent, & læta pubeant omnia, his irrigua fluminibus. *Magnificaſq́ue vil.* ) Vt Luculli, Hortenſij, Philippi, magnifico & egregio opere extructas, &, vt Saluſtius ait, vrbium in morem ædificatas. *Pauimenta* ) Pauimenta è teſſellis vel cruſtis marmoreis, quorum magno ſtudio Romani tenebantur, vt non ſolùm domi, ſed etiam in villis haberent. C. etiam Cæſar in expeditionibus teſſellata & ſectilia pauimenta circuntulit.

*Laqueata tecta* ) Eleganti lacunari ornata tecta, quod pingebatur inaurabaturque. Horatius,

*Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar.* & Lucret.
*Nec cytharæ reboant laqueata aurataq́ue templa.*

*Nilos & Euripos* ) Luxuriam quorundam, vt Luculli, Hortenſij, Philippi, notat & inceſſit, qui in villas aquæ ductus maximis impenſis perduxerant. Nili autem & Euripi erant aquæ ductus & aluei operis ſumptuoſi, qui aquam fluuiorum in morem deductam conciperent: quodque fluuiorum &





freti anguſti, quale Euboicum erat, ſimilitudinem haberent, ideo delicati illi ſplendidis nominibus nilos & euripos vocabant. De euripo ſic Auſon.

*Quid memorem pario contectum marmore fontem*
*Euripi feruere freto?*

Heſychius interpretatur λείπους δοχὰς ὑδάτων, id eſt, receptacula vel conceptacula aquarum. Circundatus erat euripus circo Romano. Tertullianus, *Frigebat dæmonum concilium ſine ſua matre magna: ea itaque illic præſidet euripo. Cæſar*, vt Tranquillus ſcribit, *ſpatio circi ab vtraque parte producto in gyrum, euripum addidit*. Euripi etiam meminit Plinius lib. 8. *Primus eum & quinq́ue crocodilos Romæ ædilitatis ſuæ ludis, M. Scaurus temporario euripo oſtendit.* Et Spartianus in Heliogabalo, *Euripis vino plenis nauales circenſes exhibuit.* Et de nilo Cicero in epiſt. ad Q. Fratrem ita ſcribit, *De Arcano Cæſaris opus eſt, vel mehercule etiam elegantioris alicuius: imagines enim iſtæ, & palæſtra, & piſcina, & nilus multorum Philotimorum eſt, non Diphilorum.* Nilos igitur & euripos negat Fibreno & Liri comparandos eſſe. Quidam pro nilis Tubos ſcribunt, aduerſantibus veteribus libris, cùm etiam alioqui tubi non ſint aquæ ductus, ſed aquæ ductuum formæ & canales: nec in tubis eſſet fluminis ſimilitudo. Lucullus autem, Hortenſius & alij perfoſſis montibus, & alueo terræ impreſſo, in piſcinas ſuas flumina maritima induxerant, quæ nunc nilos & euripos Cicero vocat.

*Niſi ſaxa &* ) Totus enim ille tractus erat aſperior. Cic. ad Attic. *Nam Arpinum quid ego te inuitem,*

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔτι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

*Et verſibus* ) Vt Mario poëmate tuo. *Plures dies* ) Nam Arpinum longiuſculè Roma aberat.

*Hoc tempore* ) Æſtate. *Amœnitatem & ſal.* ) Cic. in epiſt. ad Q. Fratrem, *Ego ex magnis caloribus, non enim meminimus maiores, in Arpinati ſumma cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus.*

*Quia ſi verum dicimus* ) Municipes pro germanis Romanis non habebantur: itaq; Saluſtius Ciceronem irreptitium ciuem appellat, accitum & paulo antè inſitum vrbi: & de Aruſpicum reſponſis, ſic Cicero ſcribit: *Quia cùm ab hoc eodem impuriſſimo parricida rogarer, cuius eſſem ciuitatis.* Et in Antonium, *Videte quàm deſpiciamur omnes, qui ſumus è municipijs, id eſt omnes plane: quotus enim quiſque non eſt?* & ex oratione pro Sylla, pro peregrinis, propè habitos intelligimus. Ciceronis verba ſunt, *Cùm Tarquinium & Numam, & me tertium peregrinum regem eſſe dixiſti, mitto iam de rege quærere: illud quæro, peregrinum cur me eſſe dixeris.* Rurſum, *Hoc dico*, inquit, *te eſſe ex municipio. Fateor, & addo etiam ex eo municipio, vnde iterum iam ſalus huic vrbi imperioq́ue miſſa eſt. Sed ſcire ex te peruelim, quamobrem qui ex municipijs veniant, peregrini tibi eſſe videantur.* Scribit autem Liuius lib. 10. L. Genutio, Ser. Cornelio coſſ. Arpinatibus & Trebulanis ciuitatem fuiſſe datam: Ideo Arpinum municipium vocat Cicero, cùm tamen præfecturam fuiſſe dicat Pompeius.

*Germana* ) Vera, in qua geniti ſumus: nam Roma communis patria eſt municipum. Ita municipibus patria eſt duplex, germana & communis.

*Orti ſtirpe antiq.* ) Ferunt Ciceronem Arpini natum matre Eluia, patre Equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere. Nam in Volſcis Tullus nobiliſſimè regnarat: eum tamen Tullium Silius nominat, cùm ait,

*Tullius æratas raptabat in agmina turmas*
*Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto,*
*Indole proh quanta iuuenis, quantúmque daturus*
*Auſoniæ populis ventura in ſecula ciuem,*
*Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos*
*Implebit terras voce, & furialia bella*
*Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet*
*Par decus eloquij cuiquam ſperare nepotum.*

*Gens* ) Hinc ortus noſtri generis, hincque gentiles noſtri Cicerones. Vetus liber *genus*, quod & malim.

*Sacra* ) Nam familiæ ſua priuata ſacra habebant. Cic. *Quid ſacra Clodiæ gentis, cur intereunt quod in te eſt?*

*Lautius* ) Id eſt elegantius. Malim tamen *Latius*. nam nec lauta admodum erat villa, & ſequitur, *Cum antiquo more parua eſſet villa:*

*Illa Curi* ) *Curius Dentatus*, vt ait Colum. *domitis Sabinis, accepta, quæ viritim diuidebantur, captiui agri ſeptem iugera, non minus induſtriè coluit, quàm fortiter armis quæſiuerat.* Et alio in loco, *Curium prodit proſpero ductu parta victoria, ob eximiam virtutem deferente populo præmij nomine quinquaginta ſoli iugera ſupra triumphalem conſularémque fortunam putauiſſe.* Plin. Nouocomenſis tamen hunc quaterna dena populo iugera diuiſiſſe, & totidem ſibi conſtituiſſe ſcribit: deinde quingentis ob merita publicè donatum fuiſſe. Cæterùm hæc Curij villa, de qua loquitur, iuxta Catonis agros fuit, quam ſæpenumerò Cato inuiſebat, & agelli modulum ædicularumque frugalitatem ac tenuitatem mirabatur, vt Plutarchus ſcribit: quod & Cicero declarat in lib. de Senect. *Ergo in hac vita Manius Curius cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis: cuius quidem villam ego contemplans: abeſt enim non longè à mea: admirari ſatis non poſſum vel hominis ipſius continentiam, vel temporum diſciplinam.*

*Itacham vt vid.* ) Cic. lib. 1. de Orat. *Cuius rei tanta vis ac natura eſt, vt Itacham illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret.* Homerus Odyſſ. α.

Αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι
Θάλγε, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.
*Mollibus at ſemper dictis & lenibus ambit*

*Demulcens, Ithaces ſit vt immemor: ille ſed vſque*
*Vel modo de patria ſalientem cernere terra*
*Vt fumum poſſit, exoptat morte paciſci.*

*A. Ego verò tibi iſtam iuſtam cauſam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. quin ipſe verè dicam, ſum ipſi villæ amicior modo factus, atque huic omni ſolo, in quo tu ortus & procreatus es. mouemur enim, neſcio quo pacto, locis ipſis, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur, adſunt veſtigia. Me quidem ipſæ illæ noſtræ Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitiſq́; antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum virorum, vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſeq́; eorum etiam ſepulchra contemplor. Quare iſtum, vbi tu es natus, plus amabo poſthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula penè mea tibi oſtendiſſe. A. Et quidem me cognoſſe admodum gaudeo. Sed illud tamen quale eſt, quod paulo antè dixiſti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam eſſe veſtram? nunquid vos duas habetis patrias? an ne eſt vna illa patria communis? niſi fortè ſapienti illi Catoni fuit patria non Roma, ſed Tuſculum. M. Ego mehercule & illi, & omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: vnam naturæ, alteram ciuitatis: vt ille Cato, cùm eſſet Tuſculi natus, in populi Rom. ciuitatem ſuſceptus eſt. ita cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris: vt veſtri Attici, priuſquam Theſeus eos demigrare ex agris, & in ἄςυ quod appellatur, omneis conferre ſe iuſſit, & Sunij erant ijdem & Attici, ſic nos & eam patriam ducimus, vbi nati, & illam, qua excepti ſumus. Sed neceſſe eſt charitate eam præſtare, qua R. p. nomen vniuerſæ ciuitatis eſt: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus. Dulcis autem non multo ſecus eſt ea quæ genuit, quàm illa quæ excepit. Itaque ego hanc meam eſſe patriam prorſus nunquam negabo, dum illa ſit maior, & hæc in ea contineatur, quæ ius habet ciuitatis, & vnam illam ciuitatem putat.*

*Mouemur enim)* Cic. lib. 5. de Finibus, *Naturáne nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam, vt cùm ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum eſſe verſatos, magis moueamur, quàm ſi eorum ipſorum aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquod legamus? velut ego nunc moueor, & deinceps quæ ſequuntur.*

*Operibus)* Qualia erant propylæa illa à Pericle extructa, hecatompedon, & alia.

*Exquiſitiſq́;)* Vt tabulis pictis, ſignis & ſtatuis, quæ omnia perſcribuntur diligentiſſimè à Pauſania.

*Incunabula)* Cunæ, culcitræ ſunt infantium: incunabula lectuli in quibus cunæ reponuntur. Plautus, *Opus eſt cunis, incunabulis.* Ea forma dicuntur, qua digitabulum, ignitabulum, natabulum.

*Hunc locum)* Senſus eſt: cùm ais hanc villam, quæ in agro Arpinati eſt, patriam eſſe tuam, ſcilicet municipium Arpinum, cuius eſt hic ager, tuam patriam fateris. Atqui non Arpinum patria eſt tibi, ſed Roma.

*Patria comm.)* Romam omnes municipes, qui in ciuitatem recepti erant, & ius ciuitatis habebant, patriam communem vocabant. Modeſtinus, *Roma communis patria noſtra eſt.* Cenſorinus, *A conditu vrbis Romæ patriæ noſtræ communis exordiar.* Communi autem patriæ quæ eadem patria ciuitatis & iuris ab eo dicitur, opponitur patria germana, & patria naturæ, & patria loci.

*Municipibus)* Vlpianus ad municipalem, Municipes eſſe dicit, muneris participes, receptos in ciuitatem, vt munera nobiſcum facerent: abuſiuè ſuæ cuiuſque ciuitatis ciues. Feſtus ait, municipia tandem omnia ciuitate donata eſſe. Sunt igitur hic municipia oppida iure ciuitatis Romanæ donata. Ita municipes ciues Romani erant.

*Vnam naturæ)* Municipium, in quo ſunt nati.

*Alteram iuris)* Romam, in quam ſunt ſuſcepti communicata municipijs ciuitate.

*Theſeus eos demigrare)* Plutarchus in vita Theſei, μετὰ δὲ τὴν Αἰγέως τελευτὴν, μέγα καὶ θαυμαστὸν ἔργον εἰς νοῦν βαλλόμενος, συνῴκισε τοὺς τὴν ἀττικὴν κατοικοῦντας εἰς ἓν ἄςυ, καὶ μιᾶς πόλεως ἕνα δῆμον ἀπέφηνε, τέως σποράδας ὄντας καὶ δυσανακλήτους πρὸς τὸ κοινὸν πάντων συμφέρον. Id eſt, Poſt autem Ægei mortem, immenſum & mirandum opus animo capeſſens, Atticæ incolas, qui adhuc ſparſim habitabant, vixq; ad conuentus communis vtilitatis conuocabantur, in vnam vrbē conduxit, & vnius ciuitatis vnū populū effecit. Et Thucydides lib. 2. ἐπειδὴ δὲ Θησεὺς ἐβασίλευσε, γενόμενος μετὰ τοῦ ξυνετοῦ καὶ δυνατὸς, τάτε ἄλλα διεκόσμησε τὴν χώραν, καὶ καταλύσας τῶν ἄλλων πόλεων τάτε βουλευτήρια καὶ τὰς ἀρχὰς, ἐς τὴν νῦν πόλιν οὖσαν, ἓν βουλευτήριον ἀποδείξας καὶ πρυτανεῖον, ξυνῴκισε πάντας. Id eſt, Poſt vbi Theſeus regnum adeptus eſt, vir prudens iuxta & potens, cum cæteris in rebus regionem excoluit, & digeſſit, tum verò ſolutis aliorum oppidorum conciliabulis & magiſtratibus, in eam, quæ nunc eſt, vrbem, inſtituta curia & prytaneo, omnes coëgit. Sed & Accius Athenas quadrurbem vocauit, quòd ex quatuor vrbibus, Braurone, Eleuſine, Piræo, Sunio, in vnum domicilia contuliſſent. Strabo quoque ſcribit, Κέκροπα πρῶτον εἰς δυοκαίδεκα πόλεις ξυνοικίσαι τὸ πλῆθος, ὧν ὀνόματα, Κεκροπία, Τετράπολις, Επακρία, Δεκέλεια, Ελευσὶς, Αφίδνα, λέγουσι καὶ πληθυντικῶς Αφίδνας, Θορικὸς, Βραύρων, Κύθηρος, Σφῆττος, Κηφισία, Φάληρος· πάλιν δὲ ὕστερον εἰς μίαν πόλιν συναγαγεῖν λέγεται τὴν νῦν τὰς δώδεκα Θησεύς. id eſt, Cecropem primùm in duodecim vrbes multitudinem ad habitandum contuliſſe: quarum nomina, Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleuſis, Aphydna, dicunt etiam pluraliter Aphydnas: Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Ciphesia, Phalerus. Poſtea autem in vnam vrbem, quæ nunc eſt, ferunt Theſeum duodecim illas contuliſſe. Antequam igitur Theſeus multitudinem vnum in locum contuliſſet, qui Sunij naſcebatur, & Sunius & Atticus cenſebatur, omneſque adeo qui in Attica orti erant: verum poſtea tantum Atticus habebatur, qui Athenis erat natus.

*In ἄςυ)* Id eſt, Athenas. Terentius in palliata comœdia, *An in aſtu venit?*

*Et quaſi conſecrare)* Sumptum ab illis, qui bona ſua fortunaſque dijs conſecrabant, quod lege ſua Cicero





emendat: in qua cauet ne quis agrum conſecret, & vt auri, argenti, eboris ſacrandi modus ſit. Sic, vt apud Liuium eſt, nonnullorum cum bonis caput etiam conſecrabatur. Liuius lib. 3. *Caput eius Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris liberi liberaq́; venum irent.*

*Maior)* Maior patria hic patria communis eſt, vt Roma, ita minor erit patria municipium. Interdum maior patria eſt, quæ à veteribus Græciæ ſcriptoribus vocatur μητρόπολις, id eſt, vrbs quæ deduxit colonias. Curtius de Tyrijs, *Syracuſis id ſimulachrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria.* Dicitur etiam origo, Saluſtius in Iugurthino bello, *Pars originibus ſuis præſidio, alia decori fuere.*

*A. Rectè igitur Magnus ille noſter, me audiente, poſuit in iudicio, cùm pro Ambio tecum ſimul diceret, Rempublicam noſtram iuſtiſſimas huic municipio gratias agere poſſe, quod ex eo duo ſui conſeruatores extitiſſent: vt iam videar adduci, hanc quoque, quæ te procreauit, eſſe patriam tuam. Sed ventum in inſulam eſt, hac verò nihil amœnius. vt enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diuiſus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideq́; dilapſus, citò in vnum confluit, & tantum complectitur, quod ſatis ſit modicæ palæſtræ, loci. quo effecto, tanquam id habuerit operis ac muneris, vt hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandum, ſtatim præcipitat in Lirem, & quaſi in familiam patritiam venerit, amittit nomen obſcurius, Liremq́; multo gelidiorem facit. nec enim vllum hoc frigidius flumen attigi, cùm ad multa acceſſerim, vt vix pede tentare id poſſim, quod in Phædro Platonis facit Socrates. M. Eſt verò ita: ſed tamen huic amœnitati, quam ex Quinto ſæpe audio, Thebanus Epirotes tuus ille nihil, opinor, conceſſerit.* QVINTVS. *Eſt ita vt dicis. caue enim putes Attici noſtri Emathio platanisq́; illis quicquam eſſe præclarius. Sed ſi videtur, conſidamus hîc in vmbra, atq; ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſi ſumus, reuertamur. M. Præclarè exigis, Quinte: at ego effugiſſe arbitrabar, & tibi horum nihil deberi poteſt. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.*

*Poſuit)* Id eſt, dixit. infrà, *Et quod in omnibus ſepultis nunc communiter ponitur, vt humati dicantur:* id eſt, *quod in omnibus dicere ſolemus.*

*Pro Ambio)* Sic veteres libri: alij ſe legiſſe in ſcriptis exemplaribus, *pro Balbo*, qui ab vtroq; defenſus eſt, affirmant. Poſſet etiam fortaſſe legi, *pro Gabinio*, quem ab vtroq; defenſum conſtat: leuiſq; mutatio & traiectio foret. Occaſio enim tum fuit Pompeio laudandi Ciceronis, quòd inimicitias quas cum Gabinio grauiſſimas exercuerat, depoſuiſſet: non deeſt qui *Oppio* legat. alij *Ampio*, alij *Appio*. quid verum ſit, non eſt facilis coniecturæ.

*Conſeruatores)* Marius & Cicero.

*Roſtro)* Quaſi addidit, vt tranſlationem temperaret paulo audaciorem.

*Modicæ palæſtræ)* Græcorum more palæſtras in villis Romani Ciceronis ætate habere cœperunt. Varro, *Nec putant ſe habere villam niſi multis vocabulis retineant Græcis: quin vocent particulatim loca* προκοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, περίστυλον, ὀρνιθῶνα, περιστερεῶνα, ὀπωροθήκην. Eſt autem hîc palæſtra, locus ambulationes habens, vt vbi ſe iuuentus in Græcia exercebat & luctabatur, palæſtræ erant porticibus circumædificatæ.

*In familiam patritiam)* Qui in adoptionem arrogabatur, familiæ prioris nomen relinquebat, & à patris naturalis poteſtate in adoptiui manum & nomen tranſibat: idq; multo magis ſi ex obſcura familia in nobilem tranſiret. Sic T. Pomponius Atticus à Cæcilio auunculo adoptatus, T. Cæcilius Pomponianus Atticus eſt vocatus. Sic qui donabantur libertate, patronorum nomen ſumebant. Cicero ad Atticum, *De Eutychide gratum, qui vetere prænomine nouo nomine T. erit Cæcilius: ſed in claris tamen poſtea priſtinum nomen plerunq; rurſus inualeſcebat: ſic T. Pomponius poſtea vocatus eſt, non T. Cæcilius.*

*Nomen obſcurius)* Nam poſt confluentem non iam Fibrenus, ſed Liris tantùm dicitur.

*Facit Socrates)* Socrates in Phædro Platonis, in fontem, qui iuxta Ilyſſum erat, pede demiſſo, frigus aquæ tactu explorat.

*Thebanus)* Thebanus nomen erat fundi Attici in Epiro, in quo gymnaſium erat Amaltheum.

*Emathio)* Sic in omnibus codicibus excuſis, in ſcripto *Emathyro*: nec vt arbitror emendatè: ſed *Amalthea*, aut *Amaltheo* legendum. Sic enim vocabatur amœniſſimum in Pomponij villa gymnaſium, ab Amalthea capra. Sic in Tuſculano Ciceronis gymnaſia duo erant, Lyceum & Academia. Cicero lib. 1. ad Atticum, *Ego enim te arbitror, cæſis apud Amaltheam tuam victimis, ſtatim eſſe ad Sicyonem oppugnandum profectum.* Rurſus in eodem lib. *Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo poſuiſti, contenti erimus.* Et paulò pòſt, *Velim ad me ſcribas, cuiuſmodi ſit ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσία, & quæ poëmata, quaſq; hiſtorias de ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas.* Alij pro *Thebanus Tite, Fundus* legunt: & Amaltheum nomen fundi accipiunt.

*Nihil deberi)* Repræſentanda tibi eſt huius nominis ſolutio. non enim tibi deberi vis. Cicero ad Attic. *Itaq; oratio iuuentuti noſtræ deberi non poteſt: quam tibi, etiam ſi non deſideras, tamen mittam citò.*

*M. Ab Ioue muſarum primordia, ſicut in Aratio carmine orſi ſumus. Q. Quorſum iſtuc? M. Quia nunc itidem ab eodem, & à cæteris Dijs immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optimè verò, frater, & fieri ſic decet. M. Videamus igitur rurſum prius quàm aggrediamur ad leges ſingulas, vim naturamq́; legis: ne, cùm referenda ſint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore ſermonis: ignoremuſq́; vim ſermonis eius, quo iura nobis definienda ſint. Q. Sanè quidem hercle, & eſt iſta recta docendi via. M. Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq; hominum ingenijs excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum: ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mundum regeret, imperandi prohibendiq́; ſapientia. Ita principem legem illam & vltimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè eſt laudata. eſt enim ratio menſq́ue ſapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties*

*iam iſte locus à te tactus eſt: ſed antequam ad populares leges venias, vim iſtius cæleſtis legis explana, ſi placet, ne æſtus nos conſuetudinis abſorbeat, & ad ſermonis morem vſitati trahat. M. A paruis enim Quinte, didicimus,* Si in ius vocet, atque eat, *eiuſmodi alias leges nominare: ſed verò intelligi ſic oportet, & hæc & alia iuſſa ac vetita populorum, vim non habere ad recte facta vocandi, & à peccatis auocandi, quæ vis non modò ſenior eſt, quàm ætas populorum & ciuitatum, ſed æqualis illius cælum atque terras tuentis & regentis Dei. Neque enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt: nec ratio diuina non hanc vim in rectis prauiſq; ſanciendis habet. Nec quia nuſquam erat ſcriptum, vt contra omnes hoſtium copias in ponte vnus adſiſteret, à tergoq; pontem interſcindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem geſſiſſe tantam, fortitudinis lege atque imperio putabimus. Nec ſi regnante L. Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans: quæ non tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed tum cum orta eſt. orta eſt autem ſimul cum mente diuina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis. Q. Aſſentior, frater, vt quod eſt rectum, verum quoque ſit: neque cum literis, quibus ſcita ſcribuntur, aut oriatur, aut occidat.*

*Ab Ioue Muſ.)* Quod Virgilius dixit, *Ab Ioue principium Muſæ.* Cicero autem Arati Solenſis φαινόμενα in Latinum tranſtulit: quorum principium eſt,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄῤῥητον.

Id eſt, ab Ioue incipiamus, quem nunquam mittamus indictum & tacitum. Veteres porrò omnibus rebus agendis Deos præfari ſolebant. Plato, Θεὸν δὴ πρὸς τὴν τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα· ὁ δ' ἀκούσειέ τε καὶ ὑπακούσας, ἵλεως εὐμενής τε ἡμῖν ἔλθοι, συνδιακοσμήσων τήν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους, id eſt, Deum ad ciuitatis conſtitutionem inuocemus: ille vero nos audiat, exoratuſqúe propitius ac beneuolus adſit, vnà nobiſcum ciuitatem ac leges conſtituturus.

*Agendi)* Agere dicit, quia qui leges & rogationes ferebant, cum populo agere dicebantur, ad quas actiones reſpexit. cùm enim leges ferre inſtituat, tanquam cum populo agere parat.

*Recta docendi)* Vt omnis inſtitutio à definitione proficiſcatur. *Sapientiſſimorum)* Philoſophorum, Stoicorum præſertim: ſic libro primo doctiſſimos homines dicebat.

*Neque hominum)* Vt Legiſlatorum.

*Ita principem legem)* Duas, vt initio diximus, leges ponit, Diuinam & Humanam. vnam in mente numinis ſummi, alteram in mente ſapientis.

*Vetantis)* Eadem ferè in Antonium legis definitio poſita eſt, & à legibus ſcriptis diſtinctio, his verbis, *Eſt enim lex nihil aliud, niſi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Caſſius, cùm eſt in Syriam profectus, alienam prouinciam, ſi homines legibus ſcriptis vterentur: his verò oppreſſis, ſuam, lege naturæ.*

*Dij humano)* Dederunt enim hominibus rationem, quæ adulta & perfecta lex eſt.

*Laudata)* Quæ meritam comparat humanæ legi commendationem: nam legis humanæ laus ex diuina redundat. Atenim in Officijs eas commiſcere & eaſdem putare videtur, cum ait, *Atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina & humana: cui qui parere velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam viuere volent) nunquam committet, vt alienum appetat: & id quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat.* Quod ideò fecit, quoniam eadem vtriuſque voluntas eſt, & eadem ſententia, cùm humana à diuina proficiſcatur.

*Populares leg.)* Interdum enim populariter loquetur, & legem eam appellabit vt vulgus, quæ ſcripto aliquid ſancit iubendo aut vetando: & quas leges edet, populares erunt. ſententia igitur eſt, antequam venias ad tuarum legum editionem.

*Ne æſtus)* Vt æſtu nonnunquam in mari nauigia abſorbentur, aut etiam de recto curſu auferuntur. Inde enim tranſlatum id eſt. Cicero de Oratore, *Repentè te quaſi quidam æſtus ingenij tui procul à terra abripuit, atq; in altum à conſpectu penè omnium abſtraxit.* Id eſt igitur, ne conſuetudo nos fallat popularium legum.

*A paruis Q.)* Nam pueri olim Romæ duodecim tabulas diſcebant. Infra, *Diſcebamus enim pueri Duodecim vt carmen neceſſarium, quas iam nemo diſcit.*

*Se in ius vocet)* Verſiculus eſt ex duodecim tabulis. Id ex Rhetoricis ad Herennium intelligi poteſt, vbi ſic ſcribitur, *Lege ius eſt id quod populi iuſſu ſancitum eſt, quod genus, vt in ius eas cum voceris.* Simile eſt item alterius duodecim tabularum legis initium apud Gellium, *Si in ius vocat, ſi morbus æuitáſue vitium eſſet, qui in ius vocabit iumentum dato: ſi nolet, arceram ne ſternito.* Iubet iſte verſiculus, vt qui in ius ab aliquo vocatur, ſtatim ſine cunctatione & recuſatione eat. Nam Atque ſtatim ſignificat, Plautus,

*Poſtquam hic id, quod volui, tranſegi, atque ego conſpicor*
*Nauim ex Rhodo qua eſt aduectus heri filius,*

Id eſt illicò, ſtatim. iterum,

*Dum circumſpecto, atq; ego tum lembum conſpicor.*

Id eſt ſtatim.

*Regentis Dei)* Quem ſummum Iouem Stoici appellant, ſolumqúe Deorum omnium eſſe immortalem putant, alijs omnibus in exuſtione pereuntibus. eius autem mentem & rationem legem eſſe aiunt.

*Nec quia)* Tam late lex patet, quàm omnia officia & recte facta. itaq; per omnes pertinet virtutes.

*Adſiſteret)* Staret, ſe comminus eis opponeret.





*Coclitem illum)* Hiſtoria narratur à Liuio lib. 2. ab vrbe condita. *Sextus Tarquinius)* Liuius ab vrbe condita lib. 1.

*Rerum natura)* Naturam omnium auctorem & parentem ratione & via Stoici progredi cenſent: eamqúe Deum ipſum eſſe exiſtimant. Ergo hic naturam vocat ſummi numinis rationem, cui parent ſola terrarum, cui reliqui obediunt cælites, & in quem, vt ſupra dixi, de Chryſippi ſententia & Cleanthis, conſumuntur in exuſtione pereuntes. Sic naturam lib. 1. dixit, *Lex eſt ſumma ratio inſita in natura.* Eam autem Stoicorum eſſe ſententiam, naturamq; eis Deum eſſe ex Plutarcho & Cicerone agnoſcas licet. Nam quod de Deo Plutarchus, id de natura Cicero ſcripſit. Plutarchus, οἱ στωϊκοὶ κοινότερον Θεὸν ἀποφαίνονται, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον. Cicero de natura Deorum, velut eorum verborum interpres: *Zeno igitur naturam,* inquit, *ita definit, vt eam dicat ignem eſſe artificioſum, ad gignendum progredientem via.*

*Vera lex)* Philo, νόμος δὲ ἀψευδὴς, ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις, ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθείς, id eſt, Vera autem lex, recta eſt ratio, non ab hoc aut illo mortali mortalis in chartula, aut lapide inanima inanimis notata, ſed ab immortali natura in mente immortali impreſſa & inſignita.

*Verum quoque)* Verè legis nomen & poteſtatem obtineat, non autem iuſſa & vetita populorum. Rectum autem dicit id quod perfectum eſt, quod abſolutè iuſtum & ſyncerum. hoc enim nomen in perfectione officij ponit, vt ſcribit lib. 1. Officiorum. Sententia eſt, quod omnes numeros iuſtitiæ, & æquitatis, & virtutis habet, id demum veræ legis nomen obtinet, non iſtæ leges populares.

*M. Ergo vt illa diuina mens, ſumma lex eſt, item cum in homine eſt perfectum in mente ſapientis. Quæ ſunt autem variè, & ad tempus deſcripta populis, fauore magis, quàm re legum nomen tenent. Omnem enim legem, quæ quidem rectè lex appellari poſſit, eſſe laudabilem, quibuſdam talibus argumentis docent. Conſtat profectò ad ſalutem ciuium, ciuitatumqúe incolumitatem, vitamq; hominum & quietam & beatam, inuentas eſſe leges: eosq; qui primum eiuſmodi ſcita ſanxerint, populis oſtendiſſe ſe ea ſcripturos atque laturos, quibus illi adſcriptis ſuſceptiſq; homines honeſti beatiq; viuerent. quæ cùm ita compoſita ſanctaq; eſſent, eas leges videlicet nominarent. Ex quo intelligi par eſt eos qui pernicioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint, cùm contra fecerint quàm polliciti profeſſique ſint, quiduis potius tuliſſe quàm leges: vt perſpicuum eſſe poſſit, in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim & ſententiam iuſti & iuris legendi. Quæro igitur à te, Quinte, ſicut illi ſolent, Quo ſi ciuitas careat, ob eā ipſam cauſam, quòd eo careat, pro nihilo habenda ſit, id eſt né numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens ciuitas, eſt ne ob ipſum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non poteſt. M. Neceſſe eſt igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorſus aſſentior. M. Quid quòd multa pernicioſè, multa peſtiferè ſciſcuntur in populis, quæ nō magis legis nomen attingunt, quàm ſi latores aliqua conceſſu ſuo ſanxerint? nam neque medicorum præcepta dici verè poſſent, ſi quæ inſcij imperitiq; pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint: neq; in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam ſi pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergo eſt lex iuſtorum iniuſtorumq; diſtinctio, ad illam antiquiſſimam & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Q. Præclarè intelligo: nec verò iam aliam eſſe vllam legem puto non modò habendam, ſed ne appellandam quidem.*

*Item cum)* Itidem in mente ſapientis vera & ſumma lex eſt, cum in homine eſt perfectum, id eſt, cum ad abſolutionem & perfectionem homines peruenerunt, in quibus inchoata ſunt iſta, vt in ſapiente perfecta, quemadmodum in Ioue. Exiſtimant autem eandem in homine & Deo rationem & virtutem eſſe Stoici. Proculus in Timæum, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς στοᾶς καὶ τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναι θεῶν καὶ ἀνθρώπων εἰρήκασι, πολλοῦ δέοντες τῆς τοῦ Πλάτωνος ὁσιότητος εἶναι ζηλωταὶ, καὶ τῆς Σωκρατικῆς μετριότητος, id eſt, Stoici autem eandem eſſe virtutem hominum & Deorum dixerunt, in quo multum abſunt ab eo, vt Platonis religionem & ſanctimoniam, & Socratis modeſtiam imitentur. Idem eis à Plutarcho obijcitur his verbis, ἀρετῇ τε γὰρ οὐχ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος, ὠφελεῖσθαί τε ὁμοίως ὑπὸ ἀλλήλων τὸν Δία καὶ τὸν Δίωνα, id eſt, Virtute enim non eſſe ſuperiorem Dione Iouem, & eodem modo alterum ab altero inuicem iuuari Dionem & Iouem. Scribitur etiam hunc in modum locus iſte, *Item cum in Homine eſt perfecta,* quod erit, cùm diuina mens & ratio eſt perfecta in homine: quam ſcripturam etiam valdè probo. alij legunt, *Quod in Homine eſt perfectum.* quod etiam laudo.

*Fauore)* Suffragio & aſſenſu & opinione hominum.

*Docent)* Philoſophi, & Stoici. Hic diſputat legem numerandam in rebus bonis, quod proprium eſt virtutis. nam ſolam virtutem in rebus bonis numerant Stoici. vt cùm ſæpenumerò populorum leges à virtute recedant, in legibus habendæ non ſint.

*Laudabilem)* Eſſe cum virtute coniunctam, cuius propria laus eſt.

*Conſtat profe.)* Laudabiles eſſe leges ex fine docet, vt ſi à laude recedatur, iam leges non ſint nominandæ.

*Incolumitatem)* Interpretatur Cicero Incolumitatem, ſalutis tutam & integram conſeruationem. Interdum tamen res ſecundas ſignificat. Cicero; *Reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm tunc incolumitates afferebant.* *Sanxerint)* Primos legiſlatores.

*Adſcriptis)* Legiſlator ſcribit, deinde fert: populus approbando adſcribit, quòd legem legi, caput capiti approbando adijciat, aut adſcribi iubeat.

*Compoſita)* Deſcripta, in literas relata.

*Videlicet nomin.)* Populus ea iuſſa & ſcita leges nominaret.

*Nomine legis)* Si notationem verbi ſequamur, intelligemus ſententiam ineſſe iuris legendi, id eſt, deli-

gendi, vt in lege delectus, quemadmodum dixit libro primo, inſit. Sententiam dicit, ſenſum, argumentum, poteſtatem, ſignificationem. Iuſtum more Græco dixit, τὸ δίκαιον, vt & Terentius, *Tua iuſta, pro tua iura.*

*Illi ſolent)* Stoici: ab ijs enim iſta de ſumma lege propè ſumpſit omnia. atque hoc genus diſputandi iam dialecticum magis eſt, cùm interrogatione & reſponſione conſtet.

*Sciſcuntur)* Dicit de populi ſcitis & rogationibus, quæ in comitijs, verbi gratia, ferebantur: quæ rogationes tantum abeſt vt bonæ ſint & ſalutares, vt interdum pernicioſæ ſint & peſtiferæ: vt ideo plurimum à lege recedant. non enim tantùm bonæ non ſunt, ſed etiam peſſimæ.

*Latores)* Si quis pro ſuo iure & auctoritate ſine populi ſuffragio aliquid ſanciret hoc ſibi concedens iuris, hanc ſibi poteſtatem vſurpans. ſine populi autem ſuffragio lex eſſe non poteſt.

*Nam neque medic.)* Hoc ex dialogo Platonis de Leg. ſumptum eſt.

*Cuicuimodi)* Id eſt cuiuſcunque modi, quod pro cuiuſcuiuſmodi, id eſt, cuiuſcunqeumodi à Cicerone vſurpatum in oratione pro Roſcio annotat Priſcianus, *Vereor enim*, inquit Cicero, *cuicuimodi es Roſci, ne ita hunc videar ſeruare, vt tibi non pepercerim.*

*Expreſſa naturam)* Simulachrum antiquiſſimæ & in rerum natura, id eſt Deo, inſitæ legis hominum lex eſt. Simulachrum autem ad exemplar exprimitur & effingitur, vt lex humana ad diuinam: inde ſumpta tranſlatio eſt. Naturam autem hic cùm dicit, Deum intelligit, qui idem Stoicis lex eſt, vt docui lib. ſuperiore ex lib. 1. de Natura Deorum.

*Ad quam dirig.)* Illæ hominum leges ad antiquiſſimam expreſſæ ſunt, quæ bonos præmio, malos pœna afficiunt: ſin minus, ad eam non ſunt expreſſæ.

*M. Igitur Tutias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego verò ne Liuias quidem. M. Et rectè, quæ præſertim vno verſiculo ſenatus, puncto temporis ſublatæ ſint: lex autem illa, cuius vim explicaui, neque tolli, neque abrogari poteſt. Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ nunquam abrogentur? M. Certè, ſi modo acceptæ à duobus vobis erunt: ſed vt vir doctiſſimus fecit Plato atque idem grauiſſimus philoſophorum omnium, qui princeps de Repub. conſcripſit, idemq́ ſeparatim de legibus eius, id mihi credo eſſe faciendum, vt prius quàm ipſam legem recitem, de eius legis laude dicam. quod idem & Zaleucum & Charondam feciſſe video: cùm quidem illi non ſtudij & delectationis, ſed Reipublicæ cauſa leges ciuitatibus ſuis ſcripſerint: quos imitatus Plato, videlicet hoc quoque legis putauit eſſe, perſuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. Q. Quid quod Zaleucum iſtum negat vllum fuiſſe Timæus? M. At Theophraſtus auctor, haud deterior mea quidem ſententia, meliorem multi nominant, commemorant verò ipſius ciues, noſtri clientes Locri: ſed ſiue fuit, ſiue non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum eſt. Sit igitur hoc iam principio perſuaſum ciuibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos: eaq́ quæ gerantur, eorum geri vi, ditione atque numine: eoſdemq́ optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionis, intueri: piorumq́ & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes haud ſanè adhorrebunt ab vtili & à vera ſententia. Quid eſt enim verius, quàm neminem eſſe oportere tam ſtultè arrogantem, vt in ſe rationem & mentem putet ineſſe, in cælo mundoq́ non putet? aut vt ea quæ vix ſumma ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet?*

*Igitur Tutias) Sulpitias* fortaſſe legendum. Sulpitius enim Tribunus pleb. de imperio contra Mithridatem Mario mandando legem tulit. *Lucias* legerem, frumentariamq; Luc. Philippi legem intelligerem, quam facilè antiquari paſſus eſt, aliasque nonnullas, ſi à prænominibus leges nominarentur. Quiſpiam fortaſſe *Mutias* legendum cenſeat. Lex enim Mutia in oratione pro Cornelio à Cicerone vituperatur. Eius verba ſunt, *Legem Liciniam & Mutiam de ciuibus regundis video conſtare inter omnes, quam duo Coſſ. omnium quos vidimus ſapientiſſimi tuliſſent, non modò inutilem, ſed & pernicioſam Reipublicæ fuiſſe.* Verùm omnino magis adducor vt *Sempronias* legendum putem, vt leges Gracchorum ſignificentur. nam tribunitias leges nominare videtur: & temporis ratio eum ordinem flagitat, cùm antiquiores Saturnino Gracchi fuerint, Saturninus Druſo. Non me fallit tamen Tutios Romæ fuiſſe, è quibus Tutia veſtalis fuit, quæ cribro aquam geſtauit. Melius tamen Tucia ſcribitur, cùm Τυκία à Dionyſio vocetur, Apuleiæ leges erant, quas Apuleius Saturninus Trib. pleb. de agris populo viritim diuidendis tulit. Fortaſſe *Titias* ſcripſerat Cicero. nam Titius Tribunus plebis ſeditioſus legem Agrariam tulerat.

*Nullas)* Nullo loco habendas, leges non cenſendas.

*Ne Liuias quidem)* M. Liuius Druſus Trib. pleb. fautor primùm Senatus, ſocios & populos Italicos ad Senatus cauſam defendendam ſpe ciuitatis Romanæ ſolicitauit: Agrarias deindè leges per vim, & contra auſpicia, & frumentarias offenſo Senatu, ac poſtremò iudicialem legem tulit. Itaq; Philippus Coſ. obtinuit à Senatu, vt omnes eius leges vno Senatuſconſulto tollerentur. Decretum eſt enim contra auſpicia eſſe latas.

*Verſiculo)* Breuiſſimo ſenatus decreto. Quum pronunciatum eſt contra auſpicia, referente Philippo Coſ. latas videri.

*Laude dicam)* Quot homines, tot ſententiæ. Zaleuco, Charondæ, Platoni, Poſidonio, Ciceroni procœmia legum placebant, quæ Senecæ vehementer diſplicent. eius verba proferam, *In hac re diſſentio à Poſidonio, pro eo quòd Platonis legibus adiecta principia ſint. legem enim breuem eſſe oportet, quo faciliùs ab imperitis teneatur. velut emiſſa diuinitus vox ſit: iubeat, non diſputet. nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. mone, dic quid me velis feciſſe. non diſco, ſed pareo.*

*Zaleucum)* Qui Locris leges ſcripſit, vt Charondas Thurijs, quorum meminit Valerius lib. 6. cap. 5. & Diodorus Bibliothecæ lib. 12.





*Quos imitatus Pl.)* Plato ferè omnibus legibus exordium, quo legis æquitatem ſuadet, præponit. Sic enim ipſe legum 4. vocat.

*Timæus)* Timæus hiſtoricus acerbiſſimus in omnes conuitiator fuit. Ariſtotelē omni genere contumeliæ vexauit, eoque progreſſus veſaniæ eſt maledicendo, vt pro Timæo, à reprehendendo Epitimæus diceretur. Is acriter Theophraſtum reprehenderat, quòd Locrorum legiſlatorem Zaleucum fuiſſe ſcripſiſſet: quem nullum omninò fuiſſe contendebat. Cic. lib. 6. ad Att. *Quis Zaleucum leges Locris conſcripſiſſe non dixit? Num igitur iacet Theophraſtus, ſi id à Timæo tuo familiari reprehenſum eſt?* Sed Theophraſti ſententiam & auctoritatem Cicero pluris, quàm Timæi facit.

*Multi nominant)* Multi Theophraſtum meliorem auctorem & fide digniorem, quàm Timæum cenſent. Alii legunt *Haud deterior, mea quidem ſententia melior, multi nominant.* *Clientes)* Tota illa ora à Vibone Brunduſium vſque in fide & clientela Ciceronis erat. Cicero pro Plancio, *Iter à Vibone Brunduſium terra petere contendi, cùm omnia illa municipia, quæ ſunt à Vibone Brunduſium, in fide mea, iudices, eſſent.*

*Sit igitur iam)* In eandem ferè ſententiam procœmium quoddam legum Zaleuci hodieque apud Stobæum reperitur, τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν, πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι, καὶ νομίζειν θεοὺς εἶναι, καὶ ἀναβλέποντας εἰς οὐρανὸν, καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ τάξιν. Id eſt, Ciuibus vrbis omnibus & regionis primum perſuaſum eſſe, deos eſſe in cælum ſuſpicientibus & mundum, eorumque deſcriptionem & ordinem intuentibus. Quando autem procœmiorum Charondæ meminit, apud Stobæum etiam hoc procœmium eius extat, cuius ſententia hûc facit, τοὺς βουλομένους καὶ πράττοντάς τι, ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. τὸ γὰρ ἄριστον ὥσπερ ἡ παροιμία φησί, τὸν θεὸν ἡμῖν αἴτιον πάντων τούτων. Id eſt, Qui conſulunt aliqua de re, & qui aliquid agunt, à dijs principium ducere oportet. Optimum enim eſt, vt prouerbium ait, deum horum omnium auctorem eſſe. quæ verba Stobæus ſumpſit è lib. 12. Bibliothecæ Diodori.

*Vi, dit.)* i. poteſtate. Sic lib. 1. *Deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, mente, numine, ſiue quod aliud verbum eſt, quo planius ſignificem quod volo.* Vult ciuibus perſuaſum eſſe, non ſolùm deos eſſe, verùm etiam eorum numine omnia geri: eoſque hominibus conſulere, quod prouidentiæ eſt: hæc autem lib. 1. attigit.

*Quid in ſe admitt.)* Deos non ignorate quid agamus, ſed omnium noſtrarum actionum teſtes & arbitros eſſe. Quid admittat dicit, facinora, ſcelera, & maleficia intelligens, quæ admitti & committi dicuntur.

*Qua mente)* Piine homines ſint an impij: & impijs meritas irrogare pœnas, pijs pietatis mercedem perſoluere. *His enim rebus)* Animi ciuium hac opinione & perſuaſione imbuti: atque hoc eſt quod libro primo dixerat, Serendos eſſe mores. his enim principijs, quæ legibus præſcribit, ſatum quendam bonorum morum inſtituit, vt ciues à bonis legibus non abhorreant.

*In cælo mundoq́)* Probat deum eſſe argumento Stoicorum. Nam ſi in homine ineſt ratio, multò magis in mundo: ratio autem illa & mens deus eſt. eamq; mentem Poſidonius Stoicus per omnes mundi partes peruadere & pertinere exiſtimabat. Stoicorum autem argumenta, quibus deum probant, & lib. 2. de Diuinat. Balbus apud Ciceronem copioſè complexus eſt: & Cicero quoque breuiter multa pro Milone perſtrinxit: *Nec verò*, inquit, *quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam vim cæleſtem exiſtimat numénue diuinum, quem neque imperij veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec cæli & ſignorum motus, nec viciſſitudines rerum atque ordines mouent, neq; id quod maximū eſt, maiorum ſapientia, qui ceremonias, qui ſacra, qui auſpicia et ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & nobis ſuis poſteris prodiderunt. Eſt, eſt profectò illa vis, neque in his corporibus, neque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam quod vigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu.*

*Quem verò aſtrorum ordines, quem dierum noctiumque viciſſitudines, quem menſium temperatio quemque ea quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum eſſe cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet? Cúmque omnia quæ rationem habent, præſtent ijs, quæ ſint rationis expertia, nefáſque ſit dicere vllam rem præſtare naturæ omniū rerum, rationem ineſſe in ea confitendū eſt. Vtiles eſſe autem has opiniones quis neget? cùm intelligat quàm multa firmentur iureiurando, quantæ ſalutis ſint fœderum religiones, quàm multos diuini ſupplicij metus à ſcelere reuocarit, quámque ſancta ſit ſocietas ciuium inter ipſos, Dijs immortalibus interpoſitis tum iudicibus, tum teſtibus. Habes legis procœmium: ſic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo verò, frater, & in hoc admodum delector, quòd in alijs rebus aliíſque ſententijs verſaris atq; ille. nihil enim tàm diſſimile eſt, quàm vel ea quæ antè dixiſti, vel hoc ipſum legis exordiū: vnum illud mihi videris imitari, orationis genus. M. Vellem fortaſſe. quis enim id poteſt, aut vnquam poterit imitari? Nam ſententias interpretari perfacile eſt: quod quidem ego facerem, niſi plane eſſe vellem meus. quid enim negocij eſt, eadem propè verbis ijſdem conuerſa dicere? Q. Prorſus aſſentior: verùm vt modò tute dixiſti, te eſſe malo tuum. Sed iam exprome, ſi placet, iſtas leges de religione.*

*Aſtrorum ord.)* Siderum deſcriptio. his autem ex rebus, quas enumerat, & deum eſſe intelligimus, & eius ditione & prouidentia omnia geri, nobiſque optimè conſuli.

*Viciſſitudines)* Succeſſiones. ſuccedunt enim vicibus dies noctibus, & noctes diebus.

*Temperatio)* Moderatio, qualitas. cùm alij frigidi ſint, alij calidi, alij moderati. temperationem enim huiuſmodi qualitatem dicit.

*Gratum eſſe)* Ex memoria beneficiorum aduerſus deos pium & religioſum. Hæc argumenta etiam apud Lucianum in Ioue tragœdo à Stoico memorantur.

*Cumq́ omnia)* Hoc etiam argumentum à Balbo Stoico lib. 2. de Natura deorum refertur.

*Quæ rationem habent)* Rationale & irrationale non dicit Cicero, à quibus non abhorrent Seneca & Quintilianus, ſed circumloqui ſolet. *Naturæ omnium)* Id eſt, mundo & vniuerſitati.

*Iureiurando)* Qud concipitur interpoſita dei auctoritate & maieſtate: iureiurando pacta multa & promiſſa firmantur. Cic. 3. Offic. *Nullū enim vinculum ad aſtringendā fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt.*

*Quantæ ſalut.*) Quàm ſalutares ſint: ſic loquitur Saluſtius ſæpè: vt in oratione Lepidi, *At ille eò proceſſit, vt nihil glorioſum niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta exiſtimet.* Et in oratione Philippi, *Exercitum opprimendæ libertatis habet.* Et in Catilinar. *Poſt vbi imperium Regium, quod initio conſeruandæ libertatis atque augendæ Reip. fuerat.* in quibus tamen Græco more cauſa deſiderari videtur. Fœdera magna religione & ceremonia faciebant feciales & pater patratus, eiſque iuſiurandum religioſiſſimum interponebant cum execratione Iouem lapidem iurantes.

*Tum iudicibus*) Iudices ſunt dij & fœderum, & aliarum rerum multarum, ob interpoſitam verbi gratia execrationem, in quibus qui peccant, ab ijs vt iudicibus ſupplicijs & pœnis afficiuntur: in iureiurando autem fiunt teſtes. Plautus, Id vt ſcias, Iouem ſupremum teſtem laudo Hegio. Cic. 3. Offic. *Quod autem affirmatè quaſi deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.*

*Tam diſſimile*) Non iniuria: ſunt enim iſta à Stoicis omnia, tametſi diſſimulat, vt ſuus videatur.

*Quæ ante dixiſti*) Lib. primo de lege: atque hic locus perſpicuè ſententiam meam confirmat, atque oſtendit in libro primo nihil eſſe Platonicum.

*Vellem fortaſſe*) Optarem fortaſſe eum imitari, ſed voluntati par non eſt facultas. Nam volumus & optamus etiam quæ conſequi non poſſumus.

*Sententias*) Locos & ſententias è Plat. conuertere nullius eſſet negotij.

*Prorſus Aſſ.*) Aſſentior nihil eſſe negotij ſententias interpretari, ſi quis ita Platonem imitari vellet.

*M. Expromam equidem vt potero: & quoniam & locus, & ſermo familiaris eſt, legum leges voce proponam. Q. Quidnam id eſt? M. Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita priſca vt in veteribus ex ijs ſacratiſque legibus: & tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quàm hic ſermo eſt. Eum morem igitur cum breuitate (ſi potero) conſequar. Leges autem à me edentur non perfectæ, nam eſſet infinitum: ſed ipſæ ſummæ rerum atque ſententiæ. Q. Ita verò neceſſe eſt. quare audiamus.*

*Et locus &*) Quoniam & in villa mea, & cum familiaribus diſputo hiſce de rebus familiariter: nam in concione apud populum non ita loquerer, neque verba tam priſca vſurparem. quanquam hic priſca verba ſolennia erant. Cicero, *Si trib. pl. verbis non minus priſcis & pene ſolennibus bona ciuis cuiuſpiam conſecrarit, non valebit, &c.*

*Ex ijs*) In ijs quæ ex numero legum veteres ſunt & ſacratæ. Legendum aliquando putaui, *ſaxis*, aliquando *oſcis*. Sic enim appellatas fuiſſe leges ſacratas, Feſtus ait: aliquando *regijs* etiam legendum exiſtimaui. vtcunque potui è ſcriptura non ſatis emendata ſenſum exprompſi, & vt reperi excudendum curaui. alij legunt *In veteribus his.*

*Sacrat.*) Quidam ſacratas leges eas dicunt, quas plebs iurata in ſacro monte ſciuit. Liuius lib. 2. ab vrbe condita, *Sunt qui duos tantùm in ſacro monte creatos Tribunos eſſe dicant: ibique ſacratam legem latam per ſeceſſionem plebis.* Quidam eas, quibus ſancitum eſt, vt ſi quis aduerſus eas fecerit, ſacer alicui deorum ſit, vt verbi gratia Cereri, erantque de plebis libertate. Proinde ſacroſancta quædam in ijs legibus poteſtas erat, vt eas violari nefas omnino eſſet, idque capite expiaretur. Volſci vt maiori animo bellum capeſſerent, omniſque vacatio tolleretur, lege ſacrata delectum habuerunt. Liuius lib. 4. *Nec vltra terror belli eſt dilatus, lege ſacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat delectu habito. Sacrabantur leges aut conſecratione & obteſtatione, aut pœnarum ſanctione.* Cic. pro Cor. Balbo, *Deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt aut genere ipſo, vt obteſtatione & conſecratione legis, aut pœna, cùm caput eius qui contrà facit, conſecratur.*

*Ipſæ ſummæ*) Summa capita perſtringentur, quorum quodque multas leges complecti poſſet.

*M. Ad Diuos adeunto caſtè: pietatem adhibento: opes amouento. Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. Separatim nemo habeſſit deos, neue nouos: ſed ne aduenas, niſi publicè aſcitos, priuatim colunto. Constructa à patribus delubra in vrbibus habento: lucos in agris habento, & larum ſedes: ritus familiæ, patrúmque ſeruanto. Diuos, & ollos qui cæleſtes ſemper habiti, colunto: & ollos quos endo cælo merita vocauerint, Herculem, Liberum, Aeſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum: Aſt olla propter quæ datur homini aſcenſus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem: earúmque laudum delubra ſunto. Nec vlla vitiorum ſacra ſolennia obeunto.*

*Adeunto caſtè*) Caſtimoniam corporis & animi lex requirit, ſed in corpore potius obſeruabatur. Ita ad ſacrificium pura ſacerdotum veſtimenta eſſe oportebat. i. non obſita, non fulgurita, non funeſta, non habentia maculam. ſic aqua corpus abluebant, & denarias interdum ceremonias obſeruabant, & tricenarias, decemque continuis diebus vel triginta certis quibuſdam rebus abſtinebant: ſic puri menſtruo dicebantur, qui ſacrorum cauſa toto menſe in ceremonijs erant, id eſt, puri erant certis rebus carendo. ſic ſecubabant, & caſtimoniam in poculis & vaſis quadam ſuperſtitione obſeruabant. Columella, *His autem omnibus placuit eum, qui rerum harum officium ſuſceperit, caſtum eſſe continentémque oportere: quoniam totum in eo ſit, ne contrectentur vaſcula vel cibi, niſi aut ab impube, aut abſtinentiſſimo rebus venereis.* itaque impuri à rebus ſacris remouebantur & arcebantur, lexque Numæ erat ne pellex aram Iunonis tangeret.

*Pietatem adhib.*) Religionem, compoſitum ius faſque animi ſanctoſque receſſus Mentis.

*Vindex*) Non iudex, ſed deus ipſe, vt eius metu magis, ne contrà faciant, deterreantur.

*Habeſſit*) i. habuerit. Alij quondam in Lararijs nouos ſibi deos priuatim conſecrabant & colebant, vt Æmilius Alburnum: quidam alienigenas aſciſcebant & venerabantur: vt ſi quis Sabazium aut Alabandum. Vtrunque lex vetat: quia confuſionem habet religionum, ſi quis ſuos vel nouos vel alienigenas deos colat. Huius rei ſic in Apologetico meminit Tertul. *Vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur, vt Æmilius de deo ſuo Alburno fecit. Sic Tiberius de* CHRISTO *ad Senatum cum ſuffragij prærogatiua retulit, nec impetrauit.* Refert idem auctor, Piſone & Gabinio Coſſ. aras Iſidis, Serapidis, & Harpocratis Romæ euerſas fuiſſe.



*Aſcitos*) Vt aſcitus eſt Æſculapius Epidauro, & Peſſinunte accerſita eſt Mater deûm.

*Conſtructa à patr.*) Nefarium cenſet, quod quidam populi, vt Perſæ, exiſtimauerunt eſſe veriſſimum, & religioſiſſimum, deos quorum mundus templum eſſet, delubris non eſſe includendos. Itaque templa à patribus conſtructa haberi præcipit.

*Lucos*) Syluæ erant ferè in conſpectu villæ fundique incæduæ dijs conſecratæ, quas ferro temerare nefas erat. Plinius de arboribus, *Hæc fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulacra, quàm lucos & in ijs ſilentia ipſa adoramus.* erant etiam in vrbe luci, non tantùm in agris.

*Larum ſed.*) Lares ſignificat familiares & penates. Plautus, *Dij penates meûm parentum, familiæ Lar pater.* Nam penates etiam erant ciuitatis & Lares. Lararium autem eorum ſedes dicebatur: cum ſedes hic ſit vbi ſedet ſignum ſtatutumque eſt, & tanquam eius ſacrarium. vt hoc rurſus libro, *Vexati noſtri Lares familiares, in eorum ſedibus exædificatum templum licentiæ.* Lares, deos domeſticos interpretatur Tertullianus in Apologetico. Colebantur & in compitis lares, ſed & in conſpectu villarum & fundorum: qua de religione hæc lex intelligitur.

*Ritus*) Quo ritu & ceremonia Laribus ſacra facere familia ſolita eſt, & in ijs ſacris quæ priuata dicebantur.

*Qui cæleſtes ſemper*) Eos intelligit qui diui ſemper fuerunt, non per ἀποθέωσιν facti ſunt: cuiuſmodi qui Conſentes & Selecti vocantur, & maiorum tanquam gentium dij, duodecim vt opinor, ſex mares, & totidem fœminæ. Quanquam Lactantius omnes gentilium deos homines fuiſſe veriſſimè probat: eoſque vel ob potentiam, vel ob vtilitatem, quam mortalibus præſtiterunt, deos eſſe factos. quod etiam in 2. de Nat. deorum ait Cicero.

*Et ollos*) Cicero 2. de Natura deorum, *Suſcepit autem vita hominum & conſuetudo communis, vt beneficijs excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent: hinc Hercules, Caſtor & Pollux, hinc Æſculapius, hinc & Liber, &c.* Hos indigetes antiqui vocabant.

*Endo cælo*) Endo pro in, veteres vſurpabant: ſic endoitium pro initio, & endoploranto pro imploranto, & endo procinctu pro in procinctu dicebant.

*Aſt olla*) Aſt aduerſantis non eſt, verùm copulantis. Earum autem laudum omnium, id eſt, rerum laudandarum & virtutum, Romæ delubra erant.

*Pietatem*) pietati ædes ab Acilio conſecrata eſt, eo loco, vbi quondam mulier habitauit, quæ patrem incluſum carcere mammis ſuis clàm aluit.

*Nec vlla*) *Nucula*, vetus ſcriptura eſt, quo fortaſſe modo veteres locuti ſunt: cum ab ijs etiam Ningulus pro nullus dictum eſſe annotetur.

*Ferijs iurgia amouento: eáſque in famulis, operibus patratis, habento. Itaque vt ita cadant in annuis anfractibus deſcriptum eſto. Certáſque fruges, certáſque baccas ſacerdotes publicè libanto, hoc certis ſacrificijs ac diebus. Itémque alios ad dies vbertatem lactis fœturæqúe ſeruanto. Id quod ne committi poſſit, ad eam rem ratione curſus annuos ſacerdotes finiunto. Quæqúe quoique Diuo decoræ, gratæqúe ſint hoſtiæ, prouidento. Diuiſqúe alijs ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto.*

*Ferijs iurgia*) Plato lib. 12. legum, cùm dixiſſet. μηδένα κακηγορείτω μηδείς, id eſt, ne quis cui conuitium dicito: ſubdit, ὧν μὲν δὴ χάριν, ἐν μὲν ἱερῷ τοπαράπαν οὐδεὶς τοιοῦτον φθέγξηται μηδέποτε μηδὲν, μηδ' ἐν ποτὶ δημοτελέσι θυσίαις, μηδ' αὖ ἐν ἄθλοις, μηδ' ἐν ἀγορᾷ, μηδ' ἐν δικαστηρίῳ, μηδ' ἐν ξυλλόγῳ κοινῷ μηδενί. i. Quas ob res prorſus in templo nullus quicquam huiuſcemodi vnquam obloquatur, ne in publicis item ſacris, nec rurſus in ludis, aut foro rerum venalium, aut iure, aut denique in publico conuentu. Sed & Cicero ita ſe lib. 1. de Diuinat. explicat, *Rebuſqúe diuinis, quæ publicè fierent, vt fauerent linguis, imperabatur: inque ferijs imperandis, vt litibus & iurgijs ſe abſtinerent: quod ad omina pertinet.*

Et Ouidius,

*Proſpera lux oritur, linguis animiſque fauete:*
*Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.*
*Lite vacent aures, inſanáque protinus abſint*
*Iurgia: differ opus liuida turba tuum.*

*In famulis*) Familiam ſeruorum ſuorum feriari ſinant abſolutis operibus ruſticis: vt Compitalibus, cùm rem diuinam in compito aut foco faciebant: vt Saturnalibus: vt cum daps pollucebatur vtraque ſemente: vt alijs denique ferijs. nefas enim eſt tum familiam operoſam habere. habet eas in famulis, qui famulis indulget ferias: ſimile eſt dicendi genus, legum funeris ergo habere.

*Itque vt*) Ita deſcribantur in faſtis feriæ, & obſeruentur, vt anniuerſario tempore & ſtato recurrant, & ad ruſticorum operum perfectionem conferantur.

*Annuis anfractib.*) In anni curriculis & faſtis. Sic in VI. de Rep. *Nam cùm ætas tua ſeptenos octies ſolis anfractus reditúſque conuerterit*, id eſt, *annos.*

*Certaſque frug.*) Antiqui certis frugibus in ſacrificijs vtebantur, vt ferè adoreo farre, ex quo libum perſæpè, ſtruem, aut molam conficiebant: quæ etiam tanquam προθύματα in quibuſdam ſacris erant. Adde quod Plinius ſcribit, Numam inſtituiſſe deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet: idque vno modo conſecutum, ſtatuendo non eſſe aptum ad

rem diuinam, niſi toſtum: & eum fornacalia inſtituiſſe farris torrendi ferias. Quin Ioui Prodigiali mola ſalſa ex farre,& thure ſolum litabatur. Sed & veteres cùm perceperant fruges,antequàm eis veſcerentur, dijs libare inſtituerant: Tibulllus etiam ſcribit,

*Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,*
*Libatum agricolæ ponitur ante deum.*
*Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona*
*Spicea, quæ templi pendeat ante fores.*

Sacris etiam quibuſdam puls fritilla adhibebatur & fabata: ſed & faba refriua. Pro *Libanto liberanto* veteres libri habent. *Libare* tamen prorſus legendum cenſeo. *Alios ad)* Ad alias ferias, in quibus lacte vel lactentibus hoſtijs opus eſt. *Vbertatem)* Nam lacte Cereri libabatur. Virgil. *Cui tu lacte fauos, & molli dilue Baccho.* Nec fœtus ilicò ſacris idoneus erat, verum ouis die ſeptimo, ſuis decimo. Vnde ſacres, inquit Varro, vocabantur. Hoc autem lex præcipit, vt ſuo tempore ſacrificijs eorum copia ſuppetat.

*Id quodne)* In quo ne peccari poſſit, vtque iſtarum rerum ſuppetat vbertas. Id committi dicitur, in quo delinquitur. ſic ſacrum commiſſum, cum in religionem & ſacra peccatum eſt.

*Ratione)* Sic puto legendum. Tollatur, inquit, licentia intercalationis, & ritè annua ſpatia definiantur: aut *Rationem*, vt alij libri habent, more antiquo dixerit, pro *ratione*, vt ætatem,& apud Plautum in veteribus libris, Præterea pacem aduenio. *Ratione* tamen omninò magis probo.

*Quæque quoique Diuo)* Singulis dijs ſuæ quondam erant hoſtiæ, Cerere porca, Baccho caper, Neptuno taurus: nec aliena hoſtia deus placabatur. Idcirco Ioui tauro, verre, ariete facere non licebat. Iam alijs dijs hoſtiæ lactentes, alijs maiores: alijs fœminæ, alijs mares immolabantur.

*Decoræ)* i. dignæ, aptæ, idoneæ. Plaut. in Rudente, *Tum hoc mihi indecorè, iniquè, immodeſtè datis dij.*

*Diuiſque alijs ſac.)* Nam Pontifex omnibus religionibus ac ceremonijs publicis priuatiſque, nec non ſacris, ac rebus omnino diuinis præeſt. Flamen autem vnius dei eſt ſacerdos, vt Dialis, Vulcanalis, Quirinalis. Erant præterea alij ſacerdotes nec Flamines, nec Pontifices, vt Salij, & alij. Sed & ſacerdotes erant illis dijs, quibus ſuus Flamen: Tacitus, *Cùm ſe templis & effigie numinum per flamines & ſacerdotes coli vellet.* Ordo autem is erat ſacerdotum, vt omnium maximus rex eſſet, deinde Dialis, poſt hunc Martialis, mox Quirinalis, quinto loco Pontifex. Max. qui iudex & arbiter habebatur rerũ diuinarum & humanarũ. Hic ex interpretatione Ciceronis legendũ videtur. *Diuiſq; ollis:* ſed & ſupra nonnulli legunt: *Itémq; ollos addies.* ac tum ſacerdotes nomen generale erit, & ad Pontifices & flamines pertinebit. quod equidem probo.

*Virginéſque Veſtales in vrbe cuſtodiunto ignem fori publici ſempiternum. Quóque hæc priuatim & publicè modo ritúque fiant, diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus. Eorum autem duo genera ſunto: vnum, quod præſit ceremonijs & ſacris: alterum, quod interpretetur fatidicorum & vatum effata incognita, quum ſenatus populúſque aſciuerit. Interpretes autem Iouis optimi maximi publici Augures ſignis & auſpicijs poſtea vidento: diſciplinam tenento. Sacerdotes vineta virgetáque & ſalutem populi auguranto: quíque agent rem duelli, quíque popularem, auſpicium præmonento: olliq; obtemperanto. Diuorúmque iras prouidento, ijsq; apparento: cælique fulgura regionibus ratis temperanto: Vrbémque & agros & templa liberata & effata habento. Quæque Augur iniuſta, nefaſta, vitioſa, diráue defixerit, irrita infectáque ſunto. Quíque non paruerit, capitale eſto.*

*Ignem foci)* Focus domiciliorum ſacer eſt Veſtæ, & in eo res diuina Laribus plerunque fiebat: eodem modo ciuitatem ſuum habere focum voluerunt, in quo perpetuus ignis à virginibus ſeruaretur. Infra, *Cúmque Veſta quaſi focum vrbis, vt Græco nomine eſt appellata, quod nos propè idem Græcum interpretatum nomen habemus, complexa ſit. Sex autem erant Veſtales, quarum vna dicebatur maxima, quæ & ætate & dignitate præſtabat.* Valerius, *Maximæ verò virginis Æmiliæ diſciplinam, extincto igne, tutam ab omni reprehenſione Veſtæ numen præſtitit.* Sueton. *Demandauerat virgini Veſtali maximæ.*

*Quoque hæc priuatim)* Ne quis ſine ſacerdotibus religioni publicæ priuatæque ſatisfacere ſe poſſe putet: itaque ſacrificandi ritum ignarus diſcat, & ſacerdotem conſulat. *Eorum autem duo)* Alij ſacerdotes placandis dijs præſunt, vt Pontifices: alij prædictionibus interpretandis, quas effata vocat, vt Decemuiri, qui quoties Senatus decreuerat, libros Sibyllinos adibant, & Sibyllæ effata interpretabantur. Sunt etiam effata, nouiſſimæ preces Augurum, quas poſt fines auſpiciorum effabantur.

*Aſciuerit)* Id eſt, ſciuerit, decreuerit: compoſitum pro ſimplici antiquo more.

*Interpretes au.)* Vt Decemuiri effata Sibyllæ: ita Iouis ſententiá interpretantur Augures, quos lib. 3. Ioui conſiliarios & adminiſtros eſſe datos ait. Cicero de auguribus lib. 2. de Natura deorum, *Quorum enim interpretes ſunt, eos ipſos eſſe certè neceſſe eſt. deorum autem interpretes ſunt.* & Maro, *Tertius ille hominum diuúmque interpres Aſilas.* Iupiter autem auſpicia mittit & ſigna, quæ augures interpretantur. Cic. de Diuinat. Requirens Iupiter ne cornicem à læua, coruum à dextra canere iuſſiſſet.

*Poſtea)* Deinde etiam augures ex ſignis diſciplinæ ſuæ videant & augurentur. Nam præter placationem deorum & interpretationem effatorum, auſpicia & auguria etiam debent accedere.

*Diſciplin.)* Auguralem ſcientiam, quæ Ciceronis ætate exoleuerat, nullaq; in collegio Augurum erat.

*Sacerdotes)* Sententia eſt, Sacerdotes augurio capto diuos exorent, vt nouelleta & virgulta, viteſque fauſtè ſuccreſcant, à deiſque ſalutem augurio precibuſque populo impetrent. Sic Cato in lib. de re Ruſtica, *Mars pater precor te, vti morbos viſos inuiſoſque, viduertatem vaſtitudinémque, calamitates intemperiáſque prohibeſſis, defendas, auerruncéſque: vti tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandire, benéque euenire ſinas.* Virgetorum nomine arbores & frutices ſignificantur, vt apud Maronem nomine virgultorum,

*Nunc te Bacche canam, nec non ſylueſtria tecum*
*Virgulta.*

Salutis



Salutis autem augurium erat huiuſmodi, vt ſi deus annueret, populo ſalutem peterent. Perinde ac ſi nefas eſſet, vel ſalutem petere, niſi explorata per auguria numinis voluntate. Meminit in hiſtorijs Dio. Suetonius in Auguſto, *Nonnulla etiam ex antiquis ceremonijs paulatim abolita reſtituit, vt Salutis augurium, Diale flaminium.* Feſtus, *Quia augurum decretum eſt, quod in ſalutis augurio Prætores maiores & minores appellantur, non ad ætatem, ſed ad vim imperij pertinere.* Cicero, *Tibi P. Claudius Augur conſuli nunciauit, addubitato Salutis augurio, bellum domeſticum triſte ac turbulentum fore.* *Quiq; agent)* Qui quid domi militiæque acturi erant antè auſpicabantur. *Auſpicium)* Eos antè verè doceant Augures vel pullarij, qualia ſint auſpicia. Nam apud Liuium lib. 10. ab V. C. *Pullarius ementitus auſpicium, tripudium ſoliſtimum nunciauit conſuli.* Satis autem erat ad rem gerendam ſilentium eſſe. nam aliud eſt ſiniſtrum auſpicium, aliud ſilenium. ſiniſtrum auſpicium hortatur ad agendum, ſilentium vitio caret, & ad agendum non impedit. Silentioq; ſurgere dicebatur, qui quo minus rem gereret, non impediebatur auſpicio. Cic. *Peritum autem eſſe neceſſe eſt eum, qui ſilentium quid ſit intelligat. id enim ſilentium dicimus in auſpicijs, quod omni vitio caret. hoc intelligere perfecti auguris eſt.* Sacerdotes autem dixit, quia non per augures tantùm, ſed etiam per alios ſacerdotes interdum iſta adminiſtrabantur. *Diuorumq; iras)* Prouidento num irati dij ſint: quòd neque domi, neque militiæ, quicquam agendum ſit, auerſo & irato numine.

*Apparento)* Id eſt parento, vt nihil geratur deo irato: ſic ſupra Aſciuerit, pro ſciuerit, more priſco. Interdum etiam per exta voluntatem deorum ante res gerendas explorabant, idque res conſulere & impetrare vocabant. Cicero, *Cúmque magna vis videretur eſſe & in impetrandis conſulendíſque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis: atque id impetritum appellabant.* Valerius, *Cùm inquirendum, vel extis, vel ſortibus, impetrito.* malè in eo legitur *Impertito.* Cicero, *Sed tamen eo conceſſo, quî euenit, vt is qui impetrire velit, conuenientem hoſtiam rebus ſuis immolet?* malè in Cicerone legitur *Impertire.* integra eſt in Plauto dictio, *Auguratum eſt, impetritum eſt, quæuis admittunt aues.*

*Cælique fulg.)* Thuſcorum literæ in ſedecim partes cælum diuiſere, ex quibus octo ab exortu ſiniſtras dixere: totidem è regione, dextras. ab illis proſpera, ab his infauſta fulgura mittuntur. Ad Augures autem, de quibus hic agitur, id etiam pertinet. Cic. lib. 3. de Legibus. de augure, *Cælique partes ſibi definitas eſſe traditas.* In templis etiam augurum partes ſunt quatuor, ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem. In fulguribus autem ea aruſpices & augures conſiderabant, quæ Lucretius attigit his verſibus,

*Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram ſe*
*Verterit hinc partem, quo pacto per loca ſepta*
*Inſinuarit, & hinc dominatus vt extulerit ſe.*

*Ratis)* Definitis & certis. *Temperanto)* Diſtinguunto.

*Vrbemque & agros)* Vrbana auſpicia definiuntur pomerio: & ex arce in vrbe ſæpè augures auguriũ agebant. Ijdem quinq; agrorum genera ex auſpicijs diſtinguebant, Romanũ, Gabinum, Peregrinum, Hoſticum, Incertum. Vrbem igitur & agros eis ad auſpicandum dat: præterea templa effata tribuit. Templa autem quemadmodum auſpicandi cauſa finire ſolerent, ita Varro ſcribit, *In arce enim ſic: Teſca à me ita ſunto, quoad ego ea velim, cum nuncupauero: olla tera, arbor, quiſquis eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectum quauis eſto in ſiniſtrum.* deinde ſubijcit, *In hoc templo faciundo arbores conſtitui fines apparet, & intra eas regiones, quà oculi conſpiciant.* *Templa liberata &)* Templa regiones ſunt aut agri, certo carmine ab Augure lituo finiti & notati, vnde in omnes cæli partes ad augurium captandum liber erat aſpectus. *Liberata,* inquit Feſtus, antiqui pro effata, i. locuta, dixere: hic tamen pro liberis & patentibus accipi poteſt. Feſt. Pomp. item minora templa eſſe ait, cùm ab auguribus loca aliqua tabulis aut linteis, ne vno amplius oſtio pateant, certis verbis definita ſunt. In templis autem liber quoquouerſum aſpectus erat, vt interdum augures ea quorum altitudo auſpicijs obeſſet, demoliri iuberent. Ideoque ſummiſſiorem alijs ædem Honoris C. Marius fecit, ne ſi fortè officeret publicis auſpicijs, Augures eam demoliri cogerent. De effatis ſic Varro, *Hinc effata dicuntur, quòd Augures finem auſpiciorum cæleſtium extra vrbem agris ſunt effati.*

*Quæq; Aug.)* Omnia iſta verba, hoc loco ferè id declarant quod vitio & contra auſpicia factum eſt.

*Iniuſta)* Non iure nec rite facta.

*Nefaſta)* Inauſpicata: à ne faſtis diebus, qui erant non ſolùm contrarij faſtis, verùm etiam religioſi & omine aliquo infames. In quo tamen reprehendit conſuetudinem Gellius.

*Vitioſa)* Quæ contra auſpicia, in quo vitium ponitur. Cic. de Diuinat. *Claſſes magnas perdiderunt quod vitio nauigaſſent.* vitio autem ſilentium opponitur in auſpicijs.

*Dira)* Deteſtanda, abominanda, à dirarum obnunciatione ducto verbo, quibus nihil magis horrebant.

*Defixerit)* Verbum male ominoſum dirumque, quod, vt opinor, à ſagis quibuſdam ductum eſt, carmine & veneficio, vel nomina hominum vel ſpeciem defigentium ad noxam. Ouidius,

*Sagaq; Phœnicea defixit nomina cera,*
*Et medium tenues in iecur vrget aues.*

Seneca de beneficijs, *Execraris enim illum, & caput ſanctum dira imprecatione defigis.* Plinius, *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* *Irrita infectaque)* Vitiatur enim & tollitur quod contra auſpicia factum Augur cenſuit. Libri ſcripti hic *Infeſta* non *Infecta* habent. Infeſtum autem hic eſt non feſtum, infauſtum, dirum, vt inceſtum non caſtum. itaque *Infeſtum* quàm *Infectum* malim.

*Capitale)* aliter *Capital*, vetuſtè. Plautus, *Nunquam ædepol fugiet, tametſi capital fecerit.*

*Fæderum, pacis, belli, induciarum, oratorum, feciales iudices ſunto: bella diſceptanto. Prodigia, portenta, ad Hetruſcos & Haruſpices, ſi ſenatus iuſſit, deferunto: Hetruriáque principes diſciplinam doceto. Quibus diuis creuerint, procuranto: ijdémque fulgura atque obſtita pianto. Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla quæ pro populo ritè fient. Néue quem initianto, niſi vt aſſolet, Cereri, Græcè*

ri, Græcè

*ri, Græco ſacro. Sacrum commiſſum, quod neque expiari poterit, impiè commiſſum eſto: quod expiari poterit, publici ſacerdotes expianto.*

*Feciales iudices*) Collegium fecialium his rebus, quas lex memorat, præerat, vt Liuius & Dionyſius explicant. Dionyſius autẽ eos dici poſſe Græcè putat εἰρηνοδίκας, & à Numa inſtitutos dicit, ſumpto ab Equicolis exemplo, apud quos, vt Valerius ſcribit, primus Sertor Reſius ius feciale inſtituit. Libri ſcripti, *Iudices n̄ ſunto* habent. vt ſuſpicer ſcribendum eſſe *Duo ſunto.* adducor auctoritate Liuij, qui ita lib. 9. ſcribit, *Vbi ſi ex fœdere acta res eſſet, præterquàm duorum fecialium nomina non extarent.* Quam autem hìc auctoritatem iuſque tribuit fecialibus Cic. olim fuerat, ſed eius ætate exoleuerat. Varro, *Itaque bella & tarde, & nulla licentia ſuſcipiebant, & quòd bellum nullum, niſi pium putabant geri oportere, priuſquam indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas ſciebant, feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant*: hìc tamen non vt in Liuio duo feciales, ſed quatuor à Varrone adhibentur. alio loco adhibet viginti: eius verba ſunt, Si cuius legati violati eſſent, qui id feciſſent, quamuis nobiles eſſent, vt dederentur ciuitati ſtatuerunt, fecialeſque viginti, qui de his rebus cognoſcerent, iudicarent & ſtatuerent, conſtituerunt. quo ſanè loco collegium fecialium intelligere videtur, quod XX. ſacerdotibus conſtabat. Ciceronis tempore tantùm per eos fœdus fiebat. Varro, Feciales quòd fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iuſtum conciperetur bellum, & inde deſitum, & vt fœdere fides pacis conſtitueretur. ex his mittebant antequàm conciperetur, qui res repeterent, & per hos etiam nunc fit fœdus. hìc Varro quòd iam per feciales res non repeterentur, nec bellum indiceretur, deſitum eſſe dicit bella pia & iuſta indici. Probo etiam vſitatam ſcripturam, *Iudices ſunto.* *Oratorum*) Legatorum, qui ad res repetendas mittuntur. Varro, *Feciales legatos mittebant quatuor, quos oratores vocabant.*

*Bella diſceptando*) Ius fecialium eſſe ait Dionyſius, etiam diſceptare iuſtóne & pio bello res repeti poſſint.

*Prodigia, portenta*) Nam ſæpenumerò vel accerſebantur Aruſpices portentorum cauſa, vel ad eos deferebantur. Valerius, *Portentorum depulſa, Hetruſca diſciplina explicari voluerunt.* Lucanus,

*Hæc propter placuit Thuſcos de more vetuſto*
*Acciri vates.*

Scriptus liber, *Ad Hetruſcos & Haruſpices,* habet: vt præter Hetruſcos, alios etiam aruſpices Romanis fuiſſe intelligamus. nam erat aruſpicum collegium. vel poſitum exiſtimemus nomen ſpeciei & generis. ſic enim Cicero loquitur lib. 2. de Nat. deor. *Atqui & noſtrorum augurum & Hetruſcorum & aruſpicum diſciplinam P. Scipione, C. Figulo. Coſſ. res ipſa probauit.* mox ſubijcit, *Aruſpices introducti reſponderunt.* & continuò, *An vos Thuſci ac barbari.* vt planè cum Hetruſcos & aruſpices dicit, eoſdem intelligat, nomenque ſpeciei & generis ponat. Cicero de Diuinatione, *Cúmque magna vis videretur eſſe & in impetrandis conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis in aruſpicum diſciplina, omnem hanc ex Hetruria diſciplinam adhibebant.* Tacitus, *Retulit deinde ad ſenatum ſuper collegio aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: ſæpè aduerſis Reip. temporibus accitis, quorū monitu redintegratas ceremonias, & in poſterum rectius habitas: primoréſque Hetruriæ ſponte, aut patrum Romanorum impulſu retinuiſſe ſcientiam, & in familias propagaſſe.* Iuſſit autem eſt iuſſerit, vt apud Maronem,

*Cætera quæ iuſſo.* Simile eſt illud Ennij apud Ciceronem,
*O Tite ſi quid ego adiuro, id eſt, adiuuero.*

*Hetruriáque principes*) Cic. lib. 1. de Diuin. *Hetruria autem de cælo tacta ſcientiſſimè animaduertit, eadémque interpretatur quid quibuſque oſtendatur monſtris atque portentis. Quocirca benè apud maiores noſtros Senatus, tum cùm florebat imperium, decreuit, vt de principum filijs ſex ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam traderentur.* Valerius tamen ait, decem principum filios dari ſolitos Hetruriæ populis, ad percipiendam ſacrorum diſciplinam. Sunt autem duodecim Hetruſcorum populi, quorum principes Lucumones vocabantur olim. Senſus tamen eſt huius loci, vt quibus de rebus conſulti fuerint Hetruſci, ex diſciplina ſua doceant principes, id eſt, Senatum: vt libro primo, Principum decreta dixit. *Creuerint*) Id eſt, decreuerint Hetruſci, conſtituerint. Varro de lingua Latina, apud Plautum, *Cum ego antea te amaui, & mihi amicam eſſe creui:* valet, conſtitui. Itaque hæres, cum conſtituit ſe hæredem eſſe, dicitur cernere, & cum id fecerit, creuiſſe. Apud eundem, *Ita omnibus relictis mihi frequentem operam dediſtis:* valet, aſſiduam. Itaque qui adeſt, adſiduus: ferre quem oportet, is frequens appellari ſolet. Itaque illud, eædem mulierculæ dicunt,

*Iſto quidem nos pretio*
*Facilè eſt tibi frequentare vtileſq; habere,*
*Ita lepidè ac nitidè in prandio accepiſti: apparet dicere,*
*Facile eſt tibi curare vt adſimus, cùm tam benè nos accipias.*

Hæc omnia adſcripſi, vt Varroni lacero & mutilo hìc opem ferrem, in quo ex Ciſtellaria ſic locum hunc reſtituendum eſſe exiſtimo. *Procurando*) Sacrificium quod fit ad depulſionem & expiationem monſtrorum & portentorum, procuratio dicitur: & ea gratia rem diuinam facere, eſt monſtra procurare.

*Fulgura*) Sic Aruns Hetruſcus apud Lucanum fulmen colligit & componit, locumque conſecrat, quod bidental dicitur.

*Aruns, inquit, diſperſos fulminis ignes*
*Colligit, & terræ mœſto cum murmure condit,*
*Datq; locis nomen.*

*Obſtita*) Obſtitum Cloatius & Ælius Stilo eſſe aiunt violatum tactumque de cælo, quæ ſignificatio hìc conuenit. Cincius eum qui deo deæque obſtiterit, i. qui viderit quod videri nefas eſt. Eſt & obſtitum obliquum & mendoſum. Lucretius, *Omnia mendosè fieri atque obſtita neceſſe eſt.* Sic Feſtus legit, non vt in excuſis libris, obſtipa. *Pianto*) Expianto & procuranto. Varro, *Si imprudens fecit, piaculari hoſtia facta piatur.*





*Præter olla*) Præter ſacrificium Bonæ deæ, quod noctu pro populo fiebat. Cic. *Credo enim te audiuiſſe cum apud Cæſarem pro populo fieret, veniſſe eo muliebri veſtitu virum.* Hoc autem ſacrum Damium dicebatur, ex contrario, quòd minimè eſſet δημόσιον, id eſt publicum: & Bona Dea Δαμία, & eius ſacerdos Δαμιάς. Publica porrò ſacra pro populo, pagis, curijs fiunt: priuata pro ſingulis hominibus, familijs, gentibus. Quidam ſcribunt etiam à Romulo peruigilationes nocturnas ſublatas lege lata fuiſſe.

*Initianto niſi*) Vel, vt receptum eſt, vel non, vt in Græcia, noctu, ſed interdiu. Tolluntur autem initia Samothracum, bacchanalium, & alia hac lege. Initia vocantur ab initijs vitæ, inuentis à Cerere legibus & frugibus, in quarum rerum memoriam fiebant, cùm antè ferino ritu homines vitam ſibi propagarent.

*Græco ſacro*) Græca ſacra, inquit Feſtus, Cereris feſta ſunt ex Græcia tranſlata, quæ ob inuentionem Proſerpinæ matronæ colebant. Cic. pro Cornel. Balbo, *Sacra Cereris, Iudices, ſumma maiores noſtri religione confici ceremoniaq; voluerunt: quæ cum eſſent adſumpta de Græcis, & per Græcas ſunt ſemper curata ſacerdotes, & Græca omnia appellata.* Rurſus in Verrem, *Inque iis ſacris, quæ maiores noſtri ab exteris nationibus adſcita atque accerſita coluerunt, quæ ſacra vt erant re vera, ſic appellari Græca voluerunt.* Varro, *Et nos dicimus decemuiros Græco ritu ſacra, non Romano facere.*

*Sacrum commiſſum*) Peccatur in ſacra dieſque feſtos, prudenter vel imprudenter: prudentia impia eſt, nec expiari poteſt. contemptum enim habet religionis & ſcelus. imprudentia expiatur. Varro, *Contrarij horum vocantur nefaſti, per quos dies nefas fari prætorem, do, dico, addico.* Itaque non poteſt agi, quòd neceſſe eſt aliquo vti verbo cùm lege quid peragitur. *Quod ſi tum imprudens id verbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed vitio, vt magiſtratus. prætor qui tum fatus eſt, ſi imprudens fecit, piaculari hoſtia facta piatur: ſi prudens dixit, Q. Mutius haud ambigebat eum expiari vt impium non poſſe.* Hunc enim locum ſic apud Varronem lego. Macrobius, *Præter mulctam verò affirmabant eum qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere: prudentem expiari non poſſe Scæuola pontifex aſſeuerabat.*

*Ludis publicis, quod ſine curriculo & ſine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, & fidibus, & tibijs moderanto, eamq; cum Diuum honore iungunto. Ex patrijs ritibus optima colunto. Præter Idææ matris famulos, eoſq; iuſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Sacrum Sacróve commendatum qui clepſit rapſitq;, parricida eſto. Periurij pœna diuina exitium: humana, dedecus. Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.*

*Ludis publicis*) Id eſt in ludis publicis theatralibus. Ludos autem publicos more Romano circo & cauea diuidit: qua in re extra curricula circenſi & pugilationem luctationemque quæ circi ſunt, ac probat: in theatralibus & ſcenicis ludicris, quæ ſunt caueæ, moderationem adhibendam muſicæ cenſet, ne illius corruptela animi effœminentur & deprauentur. Sic Græci diuidunt ludos in gymnicos & muſicos. in gymnicis eſt luctatio & pugilatio, & curricula: in muſicis comœdiæ & tragœdiæ, & alia. Legem autem hanc à Platone ſumpſit. *Idææ matris*) Sic appellabatur mater magna, ab Ida monte. Lucretius,

*Idæam vocitant matrem, Phrygiáſque cateruas*
*Dant comites.*

Stipem lex ſummouet, quoniam ſuperſtitione animos implet & exhaurit domos. Olim nanq; Iſidis ſacerdotes, alijque diuinatione quadam & ceremonia non exiguum æs colligebant, & prauam religionem inducebant, quod genus homines Æruſcatores ferè vocabant: in huiuſmodi homines Plato 10. de Legibus animaduertit. Idæam autem matrem ex Peſſinunte aduectam Naſica hoſpitio excepit. Megalenſibus eius famuli Galli ſtipem cogebant. Huius ſtipis ſic Varro meminit, *Id apparet, quòd vt alias, tum inſtitutum etiam nunc, dijs cum theſauris aſſes dant, ſtipem dicunt.* Lucret. eadem de re,

*Aere atque argento ſternunt iter, omnia circùm*
*Largifica ſtipe ditantes.*

Tertullianus, *Certè, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt. ſtipes quotus quiſque iam iactat? non ſufficimus & hominibus & dijs veſtris mendicantibus opem ferre.* Ouidius,

*Dic, inquam, parua cur ſtipe quærat opes?*
*Contulit æs populus, de quo delubra Metellus*
*Fecit, ait: dandæ mos ſtipis inde manet.*

*Iuſtis diebus*) Diebus illis, quibus eſt eis ius cogendæ ſtipis.

*Sacrum*) Lex quoque apud Platonem libro nono in ſacrilegos extat. Parricidam verò ſacrilegum vocat, ad ſceleris amplificationem. Sic in lege Numæ ad deteſtationem homicidij ſcribitur, *Si quis hominem liberum ſciens dolo neci duit, parricida eſto.* Sic pro domo, *Tuliſſe te dicis parricida, fratricida, ſororicida.* ea enim verba congeſſit ad amplificationem, quæ ex ſcelere parricidij, fratricidij, ſororicidij in ſingulis ineſt.

*Sacro*) Nam templis ſuas interdum pecunias commendabant. Plautus, *Nunc hoc mihi factum optimum eſt, vt te auferam aula in Fideifanum.*

*Clepſit rapſitque*) Id eſt, clepſerit & rapuerit, vt ſupra iuſſit pro iuſſerit, ſuntque ἀρχαϊσμοί. Eiuſdem generis eſt illud Terentij in Eunucho,

*Quod ſcis neſcis, neque de Eunucho neque de vitio virginis:*
*Hac re omni te turba euoluis, illi gratum feceris,*

id eſt, *neſciueris & euolueris.* nam male euolues excuſum eſt. Vetus liber hic *cleperit* habet, ſed malè, vt reor.

*Periuri*) Periuri & exitium à dijs immortalibus expectare debent, & infamiam & ignominiam à magiſtratibus & ciuibus. Gellius refert eos qui neglecto iureiurando, quo obligati erant, ad Annibalem reuerſi non fuerant, infames ignominioſoſque vulgo fuiſſe, denique à cenſoribus omnium notarum damnis & ignominijs affectos. Sanctè enim & inuiolatè iuſiurandum Romani colebant. & olim qui iuratus falſum teſtimonium dixerat, de ſaxo Tarpeio deijciebatur.

*Inceſtum*) Vt inceſtum Veſtalium virginum, quæ viuæ humi defodiebantur. Liuius, *Eo anno Minutia virgo Veſtalis ſuſpecta primò propter mundiorem iuſto cultum, inſimulata deinde apud pontifices ab indice ſeruo, cùm decreto eorum iuſſa eſſet ſacris abſtinere, familiámq; in poteſtate habere, facto iudicio viua ſub terram ad portam Collinam dextra via ſtrata defoſſa eſt ſcelerato campo: credo ab inceſto id ei loco nomen factum.*

*Impius ne audeto placare donis iram Deorum. Cautè vota reddunto. Pœna violati iuris eſto. Quocirca ne quis agrum conſecrato. Auri, argenti, eboris ſacrandi modus eſto. Sacra priuata perpetua manento. Deorum Manium iura ſancta ſunto. Hos letho datos Diuos habento. Sumptum in ollos luctúmque minuunto.*

*Placare donis*) Ne rem diuinam facere auſit. Tum enim venia paxque deorum expoſcitur, & propitij redduntur. nam qui rem diuinam facit, deo donat, & qui munus aliquod templo donat. Hæc lex ex Platone eſt. *Cautè vota*) Vt ſi ludos vouerint aut templa, quod multis bellis factum hiſtoriæ loquuntur, ſic Horatius,

*me tabula ſacer*
*Votiua paries indicat humida*
*Suſpendiſſe potenti*
*Veſtimenta maris deo.*

Cautè autem eſt, Diligenter vota reddunto, quibus ſe obligarint

*Violati iuris*) Violatæ religionis pœna ſit: pœnis afficiatur, qui contra iura religionis fecerit. Sic infrà interpretatur hunc locum.

*Agrum*) Agri conſecrati ſunt aut ſacri, cuiuſmodi quæ hodie vocamus prædia eccleſiaſtica & ſacra. Clodius domum Ciceronis conſecrauit: L. Ninnius omnia bona P. Clodij conſecrauit: imperatores ſæpè agros captos conſecrarunt, etiam vrbes, vt Carthaginem Africanus. Interdum Cereri caput cum bonis ſacrabatur. Lex Papyria vetuit ne cuius ædes iniuſſu populi conſecrarentur. nunc ne agri conſecrentur, cauet Cicero, à Platone ſumpta lege.

*Sacra priuata*) Nam Iuriſconſulti rationes quaſdam interimendorum ſacrorum inuenerant. Ideo id ſancit. Cic. pro Muræna, *Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt.*

*Deorum Ma.*) Auguſtin. lib. 9. de Ciuitate Dei, *Platonicos ait, animos hominum dæmonas eſſe arbitrari, & ex hominibus fieri Lares, ſi meriti ſunt boni: Lemures ſeu Laruas, ſi mali: Manes autem deos dici, cùm incertum eſt, bonorum eos ſeu malorum eſſe meritorum. Hic tamen deos Manes, animos humanos corpore liberatos* Cic. appellat, vt ſepulchris inſcribebatur. D. M. Nam veterum opinio mortuorum animos conſecrauit, eiſque parentauit denicalibus ferijs, quas nunc lex & ſepulturæ iura ſancit.

*Letho datos*) i. morte obita. Nam, ollus letho datus eſt, antiqui pro, ille mortem obijt, vſurpabant. Varro, *Alterum apparet in funeribus indictiuis cùm dicitur, ollus letho datus eſt,* quod Græcus dicit λήθῃ. id eſt, obliuioni.

*A. Concluſa quidem eſt à te magna lex ſanè quam breui: &, vt mihi quidem videtur, non multum diſcrepat iſta conſtitutio religionum à legibus Numæ, noſtriſque moribus. M. An cenſes, cùm in illis de Republ. libris perſuadere videatur Aphricanus, omnium Rerumpublicarum noſtram veterem illam fuiſſe optimam, non neceſſe eſſe optimæ Reipublicæ leges dare conſentaneas? A. Imò prorſus ita cenſeo. M. Ergo adeo expectatæ leges, quæ genus illud optimum Reipublicæ contineant: & ſi quæ fortè à me hodie rogabuntur, quæ non ſint in noſtra Repub. nec fuerint: tamen erant ferè in more maiorum, qui tum, vt lex valebat. A. Suade igitur ſi placet, iſtam ipſam legem, vt ego, vti rogas, poſſim dicere. M. An tandem, Attice, non es dicturus aliter? A. Prorſus maiorem quidem rem nullam ſciſcam aliter: in minoribus, ſi voles, remittam hoc tibi. atque mea quidem ſententia eſt. M. At ne longum fiat, videte. A. Vtinam quidem. quid enim agere malumus?*

*Legibus*) Numæ leges hodieque quædam in auctoribus reperiuntur, *vt Pellex Aram Iunonis ne tangito: ſi tanget, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædito.* &, *Si quis hominem liberũ ſciens dolo neci duit, parricida eſto.*

*Numæ*) Qui religionem & ceremonias Romanæ Reip. conſtituerat. populi tamen Romani religio, vt Cicero ſcribit, cùm in ſacra & auſpicia diuiſa eſſet, adiunctúmque eſſet tertium, ſi quid prædictionis cauſa ex portentis & monſtris Sibyllæ interpretes aruſpiceſque monuiſſent, Romulus auſpicia, Numa ſacra conſtituerat.

*Illis de Repub.*) Sic enim Aphricanus. lib. 1. de Repub. loquitur, vt citatum reperi. *Exponam quoque ad exemplum noſtræ Reip. accommodabóque ad eam, ſi potero, omnem illam orationem, quæ eſt mihi habenda de optimo ciuitatis ſtatu.*

*Veterem*) Nam Ciceronis ætate immutata erat, & vt Saluſtius ſcribit, ex pulcherrima, peſſima ac flagitioſiſſima facta erat.

*Conſentaneas*) An non cenſes neceſſe eſſe hîc nos dare leges conſentaneas veteri reip. Romanæ, quæ optima erat, cùm leges ad optimum accommodemus ciuitatis ſtatum?

*Rogabuntur*) Quaſi ad populum legem ferat. Nam id eſt rogare, ex eo quod populi ſententia rogabatur.

*Suade*) Vt leges quæ ferebantur, ſuadebantur: ſic legem Maniliam Cicero ſuaſit. Lex enim quæ promulgata fuerat, cùm dies ferundæ venerat, in concione à præcone recitabatur: deinde priuati eam ſuadebant: mox à latore ſitella deferebatur, ac ſortes æquabantur, tribuumque ſortitio fiebat: poſtremò in ſuas tribus populus ad ſuffragium ferendum diſcedebat.

*Vti rogas*) In ſuffragio ferendo rem probanti tabella dabatur, cui inſcriptum erat, *Vti rogas.* Cicero ad Att. *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ miniſtrabantur ita, vt nulla daretur, Vti rogas.* Liuius, *Ab hac oratione, in*



*tione, in ſuffragium miſſi: vti rogas, bellum iuſſerunt.* *Poſſim dicere*) Dicit hîc non orator, ſed qui in ſuffragium mittitur, legemq; approbat & ſancit.

*Remittam*) iſtum tibi laborem ſuadendi in minoribus remittam.

*Sententia eſt*) Sic loqui ſolet qui quid vehementer affirmat, negatq; ſe alia conditione eſſe facturum. Simile eſt illud Terentij, *Dicam impingam tibi grandem, dixi Demipho.* ſignificat enim Phormio ſe id prorſus facturum.

*Longum*) Videte ne dum omnia ſuaderi vultis, vobis odioſus & moleſtus ſim prolixitate.

*M. Caſtè iubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis, ſed hoc oportet intelligi, cùm multùm animus corpori præſtet, obſeruetúrq; vt caſta corpora adhibeantur, multo eſſe in animis id ſeruandum magis. nam inceſtum vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes, nec diuturnitate vaneſcere, nec manibus vllis elui poteſt. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet: ſignificat probitatem gratam eſſe Deo, ſumptum eſſe remouendum. Quid eſt enim, cùm paupertatem diuitijs etiam inter homines eſſe æqualem velimus, cur eam ſumptu ad ſacra adhibito, Deorum aditu arceamus? præſertim cum ipſi Deo nihil minus gratum futurum ſit, quàm non omnibus patere ad ſe placandam & colendam viam. Quod autem non iudex, ſed Deus ipſe vindex conſtituitur, præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur. Suóſque Deos aut nouos, aut alienigenas coli, confuſionem habet religionum, & ignotas ceremonias, non à ſacerdotibus, non à patribus acceptos. Deos ita placet coli, ſi huic legi paruerint ipſi.*

*Adire ad Deos*) Ingredi templa vt Deos precemur & colamus, aut rem diuinam faciamus.

*Caſta*) Pura, non polluta, integra, incontaminata.

*Nam inceſtum*) Inceſtum eſt, quod caſtum non eſt, vt infeſtum, quod feſtum non eſt, &, vt Seruius ait, omnis pollutio. Virgilius,

*Præterea iacet exanimum tibi corpus amici*
*(Heu neſcis) totamq; inceſtat funere claſſem.*

In libro veteri ſcriptum eſt, *Nam illud* pro *Nam inceſtum*, quæ ſcriptura ſi cui probatur, ita Cicero dixerit, ne quid fœdi loqueretur.

*Aſperſione aquæ*) Huc illud Perſij pertinet, *Et noctem flumine purgas,* Et Tranquilli in Auguſto, *Pauloq; poſt egreſſum, illam expergefactam quaſi à concubitu mariti purificaſſe ſe.* Antiqui autem ſuperis ſacra facturi, ablutione corporis ſe purgabant: inferis verò, aſperſione. Quin vt caſtius operarentur, aliquot antè diebus ſecubabant: & ſi ante libidine polluti erant, aliquot dierum caſtimonia, corporis labem elui credebant. Etiam tricenarias interdum ceremonias, vt ſuprà dixi, interdum vicenarias obſeruabant, & ſe cibis quibuſdam abſtinebant.

*Manibus*) Quantumuis te manibus eluas. Quidam hîc *Amnibus* legunt, quibus ſuffragatur illud Maronis, *Donec me flumine viuo Abluero.* Manibus tamen mutandum non cenſeo.

*Quod autem*) Tanta in ſacrificando priſcorum frugalitas fuit, vt Samijs vaſis, & capedunculis fictilibus libarent. Quin Romulus lacte ſemper, non vino libauit. Et L. Papyrius aduerſus Samnites dimicaturus, votum fecit, ſi viciſſet, tantùm Ioui pocillum vini. Meritò ergo lex à ſacris opes remouet, ne à ſacrificijs pauperes reijciantur: vt vel lacte, vel mola ſalſa intelligant ſe litare poſſe tenuiores: ac nulli ſit vitio, Deos colere quoquo modo poſſit.

*Paupertatem*) Id eſt, pauperes diuitibus volumus eſſe æquales, eademq; iuris & legum æqualitate vti in ciuitate.

*Placandum*) Placatur Deus cùm propitius redditur votis, precibus ſacris.

*Præſentis*) Nam qui peccat, ſi homo iudex conſtitutus ſit, iudicis conſcientiam effugere ſe poſſe ſperat, qui tamen Deum arbitrum latere non poterit.

*Suoſque*) Priuatos & proprios, qui non colantur publicè, nec publicè recepti ſint. Deos autem ſuos diuidit in nouos & alienigenas.

*Confuſionem hab.*) Perturbationem religionum ea res affert. alijs enim ceremonijs vtebantur Ægyptij, alijs Romani. ſi quis igitur ſacra Iſidis Romæ ſuſcepiſſet, confuſionem religionum Romanarum & Ægyptiarum ſuſceptis Ægyptiacis ſacris induxiſſet.

*Acceptos*) Suos colere, non quos à Senatu & ſacerdotibus acceperint. legitur etiam *Non patribus, non ſacerdotibus acceptos.*

*Paruerint*) Ciues legem meam probarint. Legunt alij, *Parueritis.*

*Patrum delubra eſſe in vrbibus cenſeo, nec ſequor Magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera: quorumqúe hic mundus omnis templum eſſet & domus. melius Græci atque noſtri, qui vt augerent pietatem in Deos, eaſdem illos vrbes quas nos incolere voluerunt. affert enim hæc opinio religionem vtilem ciuitatibus: ſiquidem & illud benè dictum eſt à Pythagora doctiſſimo viro, Tùm maximè & pietatem & religionem verſari in animis, cùm rebus diuinis operam daremus: & quòd Thales, qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit, Homines exiſtimare oportere, omnia quæ cernerent, Deorum eſſe plena. fore enim omnes caſtiores, velutiqúe in fanis eſſent, maximè religioſos. Eſt enim quadam opinione ſpecies Deorum in oculis, non ſolùm in mentibus. Eademqúe rationem luci habent in agris. Neque ea quæ à maioribus prodita eſt, cùm dominis, tùm famulis poſita in fundi villæqúe conſpectu religio Larum repudianda eſt. Iam ritus familiæ patrumq; ſeruari, id eſt, quoniam antiquitatis proximè accedit ad Deos, à Dijs quaſi traditam religionem tueri.*

*Magos Perſarum*) Hac de re conſulendus Herodotus eſt. Magi autem apud Perſas, philoſophi ſunt ac ſacerdotes, quorum auctor Zoroaſter fuit. Perſæ porrò nec aras, nec ſimulachra, nec delubra ædificabant: ſed celſiſſimis quibuſq; in iugis victimas immolabant.

*Templa Græciæ*) Id Æſchylus in Perſis conqueritur.

Οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ᾽, οὐ θεῶν βρέτη
Ἠδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς,
Βωμοὶ δ᾽ ἄιστοι, δαιμόνων δ᾽ ἱδρύματα
Πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

Et Cicero etiam ſignificat lib. 1. de Natura Deorũ: *Non eum qui ſuſtulerit omnem funditus religionem, nec manibus vt Xerxes, ſed rationibus Deorum immortalium templa & aras euerterit.*

*A Pythagora*) Hanc Pythagoræ ſententiam Plutarchus in libello de ſuperſtitione ſic refert, καὶ ὅλως ὑποδείκνυσι τὸν Πυθαγόρου λόγον φλύαρον εἰπόντος, ὅτι βέλτιστοι γινόμεθα πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζοντες. Omninóque Pythagoræ ſententiam ineptam oſtendit, cenſentis tum demum nos optimos eſſe cùm rebus diuinis operam daremus. Et in libro de Defectu oraculorum, ὥστε κατὰ κράτος ἐξελέγχεσθαι τὸν Πυθαγόραν εἰπόντα, βελτίστους γίνεσθαι ἑαυτῶν ἀνθρώπους, ὅταν πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζωσι, Vt modis omnibus Pythagoras conuincatur, qui pietatem in hominibus maximè verſari dicit, cùm ad Deos accederent. Seneca, *Pythagoras ait alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque ſimulachra ex vicino cernentibus, & alicuius oraculi operientibus vocem.*

*Et quod Thales,*) Scilicet dixit. Hanc Thaletis opinionem ſic explicat Themiſtius in librum primum de Animo, ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα τις δόξα παρὰ τὰς εἰρημένας περὶ ψυχῆς, ἐν παντὶ τῷ ὄντι μεμίχθαι λέγουσα τὴν ψυχήν, καὶ διὰ παντὸς διήκειν τοῦ κόσμου, καὶ πᾶν αὐτοῦ μόριον ἔμψυχον εἶναι· διὰ γὰρ ταύτην τὴν δόξαν καὶ Θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι. ὁμοίως δὲ ἔοικε καὶ τό,

Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ᾽ ἀνθρώπων ἀγοραί.

Id eſt, Eſt & alia quædam de animo præter eas quas memorauimus opinio, quæ omnibus naturis immixtum eſſe animum tradit, perq; mundum omnem pertinere, cuius partes omnes animatæ ſint: quæ quidem Thalem impulit, vt exiſtimaret omnia Deorum plena eſſe. Eiuſdem generis eſt & illud,

*Iuppiter omne replet triuium, fora cuncta referta*
*Sunt Ioue,*

*Infanis*) Iſta partim è veteribus libris, partim animi coniectura ſic reſtitui.

*In oculis*) Opinione enim quadam hominum non tantùm Deus mente percipitur, verumetiam oculis eius ſpecies quodammodo vſurpatur, vt proinde templa & ſimulachra haberi debeant.

*Eandem rationem*) Quam delubra in vrbibus, vt augeatur pietas in Deos.

*Religio Larum*) *Parum* in veteri, ſed *Larum* ex lege emendaui, cùm *Patrum* vitiosè in excuſis legeretur. Compitalibus autem rem diuinam Laribus faciebant, quibus tot pilæ quot capita ſeruorum erant, & tot effigies quot eſſent liberi in familia, à patribus familias poni ſolebant. Cato de Villico, Rem diuinam, niſi compitalibus in compito, aut in foco ne faciat. Seruius autem Tullius, vt Plinius ſcribit, primus compitalia & ludos Laribus inſtituit. Romæ autem compitalitios ludos facere ſolebant, vt Cicero ſcribit, magiſtri vicorum.

*Ritus familiæ*) In ſacrificijs priuatis & compitalitijs, quo ritu & modo familia ſolita ſit rem diuinam facere, atque adeo in omnibus ſacris priuatis.

*Quod autem ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem & cæteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos immortales eſſe, ſed fortium bonorumq; diuinos. Benè verò, quòd mens, pietas, virtus, fides, conſecratur manu. quarum omnium Romæ dedicata publicè templa ſunt: vt illa qui habeant, habent autem omnes boni, Deos ipſos in animis ſuis collocatos putent. Nam illud vitioſum Athenis, quod Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Crete ſuadente, fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ. Virtutes enim, non vitia conſecrare decet: araq; vetus ſtat in Palatio Febris: & altera Exquilijs Malæ Fortunæ, deteſtatq; omnia eiuſmodi repudianda ſunt. Quod ſi fingenda nomina vice poëtæ, potius vincendi, atq; potiundi ſtataſſandi cognomina, quæ Statoris, & inuicti Iouis, rerumq; expetendarum nomina, vt Salutis, Honoris, Opis, Victoriæ. quoniamq; expectatione rerum bonarum erigitur animus, rectè etiã Spes à Calatino conſecrata eſt. Fortunaq; ſit vel huiuſce diei. nam valet in omnes dies: vel Reſpiciens, ad opem ferendam: vel Fors, in quo incerti caſus ſignificantur magis: vel Primigenia à gignendo comes.*

*Herculem*) Romulus ſacra Herculis ab Euandro inſtituta ſuſcepit, & Herculi ritu Græco ſacra fieri voluit, fautor immortalitatis virtute partæ, ad quam eum ſua fata ducebant, vt ait Liuius. Athenienſes autem, vt Ariſtides ſcribit, primi omnium Herculem colere conſecrareq; cœperunt.

*Fortium bonorumq;*) Cicero de Natura Deorum lib. 3. *Nonne mauis illud credere quod probari poteſt, animos præclarorum hominum, quales iſti Tyndaridæ fuerunt, diuinos eſſe & æternos?* Et lib. 6. de Repub. *Omnibus qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo perpetuo fruantur.*

*Benè verò, quod*) Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Tum autem res ipſa, in qua vis ineſt maior aliqua ſic appellatur, vt ea ipſa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro: antè autem ab Attilio Calatino erat Fides conſecrata. Vides virtutis templum, vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, vt ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen inuenit.* Attilius autem Glabrio Pietati ædem conſtruxit.

*Conſecratur manu*)



*Conſecratur manu*) Vel quòd in conſecratione templorum manu poſtis tenebatur. Liuius lib. 2. de dedicatione Capitolini templi, *Poſtem iam tenenti conſuli fœdum inter precationem Deûm nuncium incutiunt.* Cicero pro domo, *Poſtem teneri oportere in dedicatione templi videor audiſſe*: vel quòd templa manu, id eſt, *opere manu facto ponebantur*, quod verius puto: cuiuſmodi illud Maronis eſt,

*Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis.*

*Nam illud vitioſum*) Ante hæc verba quiddam deeſſe perſpicuum eſt, quod ex Lactantio patet. Is enim lib. 1. cap. 20. ſic ait, *Magnum Cicero, audaxq; conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicit, quod Cupidinum & Amorum ſimulachra in gymnaſiis conſecraſſet.* adulatus eſt videlicet Attico, & hominem irriſit familiarem. Deinde ſubdit, *Virtutes enim oportere, non vitia conſecrari.* Quæ manifeſtum eſt ex hoc Ciceronis loco citari.

*Cylonio ſcelere*) Hiſtoriam ita ſcribit Thucydides lib. 1. Cylon quidam Athenienſis fuit Olympionices, vetuſta nobilitate, magnaq; potentia, ipſi Delphis oraculum conſulenti reſpondit Deus, vti maximis Iouis ferijs Athenarum arcem occuparet. Is poſtquam Olympia, quæ in Peloponneſo celebrantur, aduenere, arcem inuaſit. Quod vbi cognitum eſt, Athenienſes ex agris populariter in eum ad opem vrbi ferendam concurrerunt, ac ſedentes iuxtà obſederunt. Cæterùm qui cum Cylone obſeſſi erant, & ab annona, & ab aqua miſerè conflictabantur. Cylon igitur eiuſque frater clàm fugam faciunt: reliqui ad aram quæ in arce erat, ſupplices conſident: quos ſedibus extractos Athenienſium cuſtodes, vt in æde iamiamq; animam acturos viderunt, ne quid ſceleris admitterent, extra abductos obtruncarunt. ſed & quoſdam, qui ad Eumenidum aras conſederant, in tranſitu iugularunt. Inde piaculares, Deæq; ſacri ipſi poſteriq; eorum vocati ſunt. Igitur & Athenienſes illos exegerunt, & Lacedæmonius poſtea Cleomenes cùm Athenienſibus per ſeditionem, viuoſque non ſolùm pepulere, ſed & ſublata mortuorum oſſa abiecere. Cæterùm Epimenides Athenas ſcelere Cylonio expiauit. 44. Olympiade. Huius rei ſic meminit primo leg. Plato, τῇδε γὰρ ἴσως ἀκήκοας, ὡς Ἐπιμενίδης γέγονεν ἀνὴρ θεῖος, ὃς ἦν ἡμῖν οἰκεῖος· ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ᾽ ὑμᾶς, κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ μαντείαν, θυσίας ἐθύσατό τινας, ἃς ὁ θεὸς ἀνεῖλεν, &c. Sic etenim fortè inaudiſti, Epimenidem, qui ex noſtra familia fuit, virum fuiſſe diuinum. eum verò decem ante res Perſicas annis, ad vos profectũ, ex Dei oraculo ſacra quædam obiiſſe. Fuiſſe porrò apud Athenienſes Contumeliæ & Impudentiæ aras, Zenobius in prouerbio, Dea Impudentia, ſic declarat, φησὶ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ νόμων, ὕβρεως καὶ ἀναιδείας παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εἶναι βωμούς, id eſt, Theophraſtus in libro de leg. apud Athenienſes Contumeliæ & Impudentiæ aras eſſe prodit. Luſtrauit autem non ſolùm Athenas, verumetiam alias multas vrbes Epimenides, ſi Pauſaniæ fides habenda eſt.

*Araque vetus*) Romani non virtutes ſolùm, verumetiam vitia colebant, dum illa placata volunt, vt ait Plinius lib. 2. *Ideoq; etiam publicè Febris fanum in Palatio dicatum eſt: Orbonæ* (ea Dea orbis liberis præeſt, vt Arnobius ait) *ad ædem Larium ara: & Malæ fortunæ exquilijs.* Cicero lib. 2. de Natura Deorum, *Quo ex genere Cupidinis & Voluptatis & Libentinæ Veneris vocabula conſecrata ſunt vitioſarum rerum, neque naturalium.* Idem lib. 3. de Natura Deorum, *Febris enim fanum in palatio ad ædem larum, & ædem Malæ fortunæ exquilijs conſecratam videmus.*

*Deteſtatq;*) Ea vetus ſcriptura eſt. fortaſſe legendum eſt, *Deteſtataq; omnia* perpeſſionis ſignificatione, vt apud Horatium,

*Parentibuſque abominatus Annibal.* Iterum,
*bellaque matribus*
*Deteſtata.*

Nam in loco tam vitioſo aliud comminiſci non poſſum. Quidam delendum putant vt irreptitium: quod tamen temerè faciendum non cenſeam.

*Stataſſandi*) Hic coniectore Oedipo opus fuerit, qui Sphingi interpres fuit. Nam quis vnquam fando hoc verbi audiuit? Equidem legendum cenſeam, *Caſta ſunt Dijs*, vel *Statas ſunt Dijs*, vt nomina illis decora intelligamus, quæ à potiundo vel vincendo ducuntur. A potiundo, vt omnipotens, bellipotens, maris potens. Nam poſſe, & potiri eandem propè vim habent.

*Cognominaq;*) Statori Ioui ædem vouit Romulus, auctor Liuius. Cæterùm à Romulo, vt Liuius ſcribit, fanum tantùm, id eſt locus templo effatus, iam ſacratum fuerat: Accilio demum conſule, bis Repub. voti damnata Ioui ſtatori ædes facta eſt. Iupiter inuictus Romæ colebatur. Ouid. lib. 6. Faſt.

*Salutis*) Earum omnium rerum expetendarum Romæ templa erant.

*Huiuſce diei*) Catulus, vt Plutarchus in Mario ſcribit, bello Cimbrico ædem vouit Fortunæ huiuſce diei. Eius verba ſunt, εὔξατο δὲ καὶ Κάτλος ὁμοίως ἀνασχὼν τὰς χεῖρας καθιερώσειν τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης. Vouit Catulus etiam ſublatis manibus ſe conſecraturum Fortunam illius diei. Quòd ſi valet in omnes dies fortunæ poteſtas, non poteſt reprehendi conſecratio fortunæ huiuſce diei.

*Vel Reſpiciens*) Reſpicientis fortunæ ædes Romæ fuit iuxta templum Iouis victoris. Reſpiciens dicitur, quæ nos reſpicit, vt opem ferat. Ad reſpicientem fortunam venuſtè ſic in Captiuis alluſit Plautus,

*Æ. Reſpice. ER. Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc me iubes.*

*Fors*) Fortis fortunæ ædes fuit trans Tyberim, vt Donatus ait, eiuſque diem feſtum colebant, qui ſine arte viuebant: ei etiam grates agebant, quibus aliquid ſucceſſerat. Terentius,

*O Fortuna, O Fors fortuna,* Columell.
*Et celebres Fortis fortunæ dicite laudes.*

Eo igitur vocabulo ſignificatur magna vis fortunæ & incerti caſus. Plutarchus, τὴν δὲ πρὸς τῷ ποταμῷ τύχην, ἣν φόρτεμ καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἰσχυρὰν ἢ ἀριστευτικὴν ἢ ἀνδρείαν, ὡς τὸ νικητικὸν κράτος ἁπάντων ἔχουσαν, καὶ τὸν γε νεὼν αὐτῆς ἐν τοῖς ὑπὸ Καίσαρος τῷ δήμῳ καταλειφθεῖσι κήποις ᾠκοδόμησαν. Liuius ſcribit Caruilium conſulem ædem fortis Fortunæ de manubijs faciendam locaſſe.

*Primigenia*) Romæ in colle Quirinali ædem fuiſſe Primigeniæ fortunæ relatum eſt. Plutarchus in Ca-

pitolio ſcribit Primigeniæ fortunæ à Seruio delubrum conſecratum, ἐν Καπιτωλίῳ τὸ τῆς πριμιγενείας λεγομένης, ὃ πρωτογόνον τις ἂν ἑρμηνεύσειεν, ἱδρύσατο οὖν τύχης ἱερόν.

*A gignen. comes)* quę nos prima gignit, & genitos tanquam comitatur. ſic enim legendum puto ex veteri libro, & Plutarchi interpretatione.

*Tum feriarum feſtorumq́ dierum ratio, in liberis quietem habet litium & iurgiorum: in ſeruis operum & laborum: quas compoſitio anni conferre debet ad perfectionem operum ruſticorum. Quod tempus, vt ſacrificiorum libamenta ſeruentur, fætuſque pecorum, quæ dicta in lege ſunt, diligenter habenda ratio intercalandi eſt: quod inſtitutum peritè à Numa, poſteriorum Pontificum negligentia diſſolutum eſt. Iam illud ex inſtitutis Pontificum & Haruſpicum non mutandum eſt, quibus hoſtijs immolandum cuiquæ Deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Plures autem Deorum omnium, & ſinguli ſingulorum ſacerdotes, & reſpondendi iuris, & confitendarum religionum facultatem afferunt.*

*Tum feriarum)* Feſti dies latius quàm feriæ patent: cùm ludi feſti dies ſint, non tamen feriæ. Itaq; ſpeciei genus adiunxit, cùm de ferijs tamen tantum intelligat, de quibus lex cauet.

*Litium)* vt conuitijs, iurgijs, litibus, maledictis ſeſe abſtineant: ſed nec ferijs diebuſque feſtis ius dicebatur.

*Quod tempus)* Diligenter habenda ratio intercalandi anni. Intercalatio enim in ſacris ad duo confert: tum vt feriæ anniuerſario & ſuo tempore redeant, tum vt libamenta, quæ ferijs quibuſq; offerenda ſunt, ſuo tempore habeantur. Nam per imperitiam intercalandi, & libidinem Pontificum æſtiuæ interdum feriæ, hyemales fiebant: & hybernæ, æſtiuæ: nec tum propria reperiri libamenta poterant. Qua de re conſulito Macrobium lib. 1. cap. 13. & 14. Anno autem nondum correcto à Iulio Cæſare (hæc enim ante bellum ciuile ſcripta ſunt poſt lib. de Repub.) alternis annis menſis intercalaris interponebatur, vt lunæ curſus, qui menſes metiebatur, cum ſole congrueret. hic quidam *Ad quod tempus* legunt, quod non perinde probo.

*Libamenta)* vetus liber *Liberamenta* habet, vt liberata & ſepoſita intelligamus, vt ſuprà, publicè liberanto: *Libamenta* tamen & *Libanto* malim.

*A Numa)* Nam Valerius Antias Numam primum auctorem intercalationis fuiſſe ſacrorum cauſa ait: Iunius Seruium regem: Tuditanus decemuiros. Aſtipulatur Cicero Antiati, vt Liuius, qui quidem ita ſcribit, *Atque omnium primum ad curſum Lunæ in 12. menſes deſcribit annum: quem quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntq́ dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendo ita diſpenſauit, vt vigeſimo quarto quoque anno ad metam eandem ſolis, vnde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatijs dies congruerent.* Numa etiam Ianum geminum dedicarat, cuius effigies digitis ita compoſitis erat, vt 365. dierum notas haberet.

*Cui maioribus)* vt Neptuno taurus, maior hoſtia immolatur: Robigo, lactens catellus: Suouetaurilia etiam lactentia apud Catonem fiunt. Matrideum, fœmina, vt porca: Libero patri mas, vt hircus. Arnobius, *Quæ eſt enim cauſa* (requiram vt eadem rurſus) *vt ille tauris deus, hœdis alius honeretur aut ouibus, hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis, hic virginibus buculis, capris ille cornutis, hic ſterilibus vacculis, at ille ingentibus ſcrophis, hic albentibus, ille atris, alter fœminei generis, alter verò animantibus maſculinis?* Maior hoſtia lactenti opponitur, quæ adoleuit, vt homines maiores & minores ab ætate dici ſolent.

*Cui maribus)* Arnobius ait maribus mares hoſtias, fœminis fœminas immolatas fuiſſe.

*Reſpondendi iuris)* Iuris Pontificij reſpondendi munus ad Pontifices ſolos pertinebat: ijdem etiam de iure ciuili reſpondebant, nec ſoli tamen: ſed & Pontifices de religione & ceremonijs, & alij ſacerdotes de iure ſuarum ceremoniarum & ſacrorum ſinguli reſpondebant. Plures autem, propter pontifices dicit: ſingulos, propter flamines.

*Confitendar.)* Illa deſcriptio ſacerdotum ad confeſſionem religionum impellet.

*Cumq́ Veſta quaſi focum vrbis, vt Græco nomine eſt appellata, quod nos propriè idem Græcum interpretatum nomen tenemus, complexa ſit, ei colendæ virgines præſint, vt aduigiletur faciliùs ad cuſtodiam ignis, & ſentiant mulieres in natura fœminarum, omnem caſtitatem peti. Quod ſequitur verò, non ſolùm ad religionem pertinet, ſed etiam ad ciuitatis ſtatum, vt ſine his, qui ſacris publicè præſunt, religioni priuatæ ſatisfacere non poßint. Continet enim Rempub. conſilio & auctoritate optimatum ſemper populum indigere. Deſcriptioq́ ſacerdotum nullum iuſtæ religionis genus prætermittit. nã ſunt ad placandos Deos alij conſtituti, qui ſacris præſunt ſolennibus: ad interpretanda alij prædicta vatum, neq́ multorum, ne eſſet infinitum: neq́ vt ea ipſa quæ ſuſcepta publicè eſſent, quiſquam extra collegium noſſet.*

*Cumq́ Veſta)* Veſta à Græcis ἑστία dicitur: quæ dictio ἐσχάραν quoque, id eſt focum ſignificat. Idem ferè Cicero lib. 2. de Natura Deorum. Nam Veſtæ, inquit, nomen à Græcis: ea eſt enim quæ ab illis ἑστία dicitur. Vis autem eius ad aras & focos pertinet. Itaque in ea Dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt.

*Focum)* Vt enim focus eſt priuatus, ita focum quendam vrbis eſſe voluerunt: ideoq; Dionyſius vocat ἑστίαν κοινὴν τῆς πόλεως.

*Nomen)* Veſta enim à Græco verbo eſt ἑστία, aſpiratione in vau mutata, quod in lingua Latina rarum non eſt.

*Virgines)* Quatuor initiò erant Veſtales, poſtea ſex. inextinctum cuſtodiebant ignem Romæ, vt æternus in Græciæ prytaneis ſeruabatur. Is tamen quotannis menſe Martio Romæ accendi ſolebat. Macrobius, *Huius etiam die prima, ignem nouum Veſtæ aris accendebant, vt incipiente anno, cura denuo ſeruandi nouati ignis inciperet.*





*Caſtitatem peti)* Caſtitas enim Veſtalium exemplo eſt etiam alijs mulieribus vt pudicitiam tueri velint. In libro ſcripto eſt *Omnem caſtitatem pati*: quæ ſcriptura, ſi cui fortè probatur, hunc ſenſum habebit, naturam fœminarum non tantum caſtitatis matronalis, ſed etiam virginalis, capacem eſſe.

*Statum)* Nam ita Reip. ſtatum conſtituit & temperat, vt populus in poteſtate optimatum ſit, cùm ſemper legibus ſuis confirmet auctoritatem ſenatus & optimatum: vt lib. 3. *Sed præſto eſt huius vitij temperatio, quòd ſenatus lege noſtra confirmatur auctoritas.* Iterum: *Nam ita ſe res habet; vt ſi ſenatus dominus ſit publici conſilij, quodq́ is decreuerit, defendant omnes, & ſi ordines reliqui principis ordinis conſilio Remp. gubernari velint, poſſit ex temperatione iuris, cùm poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus & concors ciuitatis ſtatus.* Optimates autem & patritij ſacerdotia gerebant.

*Religioni)* Priuato ſacro & familiari. Itaque quo modo & ritu priuatim ſacris operandum ſit, conſulendi ſacerdotes ſunt.

*Continet enim Remp.)* Statum ciuitatis id maximè continet. Pontifices autem & ſacerdotes ex optimatibus ſunt & principibus ciuitatis, cùm ex ſenatoribus creentur: & lege Romuli ſacra & auſpicia tantum erant penes patricios, quanquam poſtea plebeijs promiſcua facta, ſenatoribus tamen & optimatibus.

*Placandos)* Vt pontifices & flamines, qui rem diuinam faciebant.

*Interpretanda alij præd.)* vt Decemuiri libris Sibyllinis præfecti, qui poſtea XV. fuerunt. Horatius, *Quindecim Dianæ preces virorum Curet.*

*Neque multorum)* Multa ſunt enim diuinandi genera, quæ nunquam pop. Rom. probauit: vt Chiromantia, Lecanomantia, Pyromantia, Geomantia, aliaque huiuſmodi. Prædictiones autem vatum nemo extra collegium verbi gratia, Decemuirûm nouerat. Sic extra collegium augurum nemo auſpicia interpretabatur. Cic. in Antonium, *Sed augur verecundus ſine collegis de auſpicijs non interpretatur.*

*Maximum autem & præſtantiſſimum in Repub. ius eſt augurum, & cum auctoritate coniunctum. Neque verò, quia ſum ipſe augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperijs & ſummis poteſtatibus comitiatus & concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid grauius, quàm rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus augur* Alium *dixerit? quid magnificentius, quàm poſſe decernere vt magiſtratu ſe abdicent conſules? quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid leges non iure rogatas tollere? vt etiam decreto collegij: vt Liuias Conſilio Philippi conſulis & auguris? nihil domi, nihil militiæ per magiſtratus geſtum ſine eorum auctoritate poſſe cuiquam probari?*

*Ius)* Poteſtas & munus augurum, qui initio tres fuere, vt tres antiquæ tribus, Rhamnenſes, Titienſes, Luceres ſuum quæque augurem haberent. poſtea numero multiplicati ſunt, ita tamen vt ſemper impares eſſent.

*Sum augur)* Cic. ab exilio reuerſus, nominatione Hortenſij in augurum collegium cooptatus fuit.

*Imperijs)* à ſummis magiſtratibus, vt conſulibus. *Inſtituta)* Incepta & inchoata.

*Comitiatus)* Verbo priſco comitia. Meſſala apud Gellium, *Coſ. ab omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem auocare poteſt: prætor & comitiatum & concionem vſquequaque auocare poteſt, niſi à Coſ.*

*Concilia)* Lælius Felix apud Gellium ſic ait, *Is qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet.* In omnibus autem concilijs & comitijs augur præſto erat magiſtratui, omniaque iſta augurató fiebant. Varro, *Augur conſuli adeſt tùm cùm exercitus imperatur ac præit, quid eum oporteat dicere: conſul auguri imperare ſolet, vt in licium vocet, non accenſo aut præconi.* ſed & impediebat augur rem nunciatione.

*Alium dixerit)* Subaudi diem. Augur dirimebat comitia, alio die nuncians. Itaque hic libentius, *Alio die* legerim. Cicero 2. Philipp. *Confecto negotio bonus augur, Lælium diceres, Alio die, inquit rurſus, Si nihil eſt, cùm augur his verbis nunciat, quibus nunciaſti, confitere te, cùm Alio die dixeris, ſobrium non fuiſſe.* Simile videri poteſt illud Plauti in Penul.

*Et res, rtas omnes ex tollo ex hoc die in alium diem.*

*Se abdicent)* Cicero lib. 2. de Nat. deor. de Tiberio Graccho, *Poſt autem è prouincia literas ad collegium miſit, ſe cùm legeret libros, recordatum eſſe vitio ſibi captum tabernaculum fuiſſe in hortis Scipionis: quod cùm pomœrium poſtea intraſſet habendi ſenatus cauſa, in redeundo, cùm idem pomœrium tranſiſſet, auſpicari eſſet oblitus. itaque vitio creatos conſules eſſe. Augures rem ad ſenatum: ſenatus vt abdicarent Coſſ. abdicauerunt.* Sic apud Liuium, *Tribuni quidam vitio creati magiſtratu ſe abdicant, ſed & dictator.*

*Agendi)* Nam augurató id fiebat. Itaque cùm ſecunda auſpicia, vel ſilentium erat, ius erat agendi: ſin vitium interueniſſet, vt ſi Iupiter fulſiſſet aut tonuiſſet, ius non erat.

*Vel etiam)* Hic pro *Etiam*, nomen alicuius legis, quæ decreto collegij augurum abrogata fuerit, deſiderari videtur. Haud ſcio an *Sulpitiam* optimè legamus: vel *Etiam* coniunctio ſit, intelligamuſque collegij decreto etiam leges tolli. deeſſe tamen nomen omnino aliquod potius putem, quòd in *Etiam* deprauatum ſit. fortaſſe non malè *Titiam* hîc reponas. Nam Titius trib. pl. ſeditioſus legem Agrariam tulerat, auctor Valerius Maximus.

*Liuias)* Philippus Coſſ. inimicus Liu. Druſo, obtinuit à Senatu, vt leges eius omnes vno S C. tollerentur: decretum eſt enim contra auſpicia eſſe latas, neque ijs teneri populum. Aſconius auctor.

*Nihil domi)* In vrbe. pro *Militiæ*, vetus liber habet, *Familiæ*, quod mihi non probatur.

*A. Age, iam iſta video fateórque eſſe magna: ſed eſt in collegio veſtro inter Marcellum & Appium optimos augures magna diſſenſio. Nam eorum ego in libros incidi, cùm alteri placeat, auſpicia iſta ad vtilitatem eſſe Reip. compoſita, alteri diſciplina veſtra quaſi diuinare videatur poſſe. hac tu de re quæro quid ſentias. M. Egóne? diuinationem quam Græci* μαντικὴν *apellant, eſſe cenſeo, & huius hanc*

*ipſam partem quæ eſt in auibus cæteriſque ſignis diſciplinæ noſtræ: quòd cùm ſummos deos eſſe concedamus, eorúmque mente mundum regi, & eorundem benignitatem hominum conſulere generi, & poſſe nobis ſigna rerum futurarum oſtendere, non video cur eſſe diuinationem negem. Sunt autem ea quæ poſui, ex quibus id quod volumus efficitur & cogitur. Iam verò permultorum exemplorum & noſtra plena eſt Reſp. & omnia regna, omnéſque populi, cunctæque gentes, augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidiſſe. Neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopſi, neque Amphiarai, neq; Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuiſſet: neque tot nationes id ad hoc tempus retinuiſſent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeq; Piſidarum, niſi vetuſtas ea certa eſſe docuiſſet. Nec verò Romulus noſter auſpicatò vrbem condidiſſet: neque Accij Nauij nomen memoria floreret tam diu, niſi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixiſſent. ſed dubium non eſt, quin hæc diſciplina & ars augurum euanuerit iam & vetuſtate, & negligentia. Ita neque illi aſſentior, qui hanc ſcientiam negat vnquam in noſtro collegio fuiſſe: nequi illi, qui eſſe etiam nunc putat. Quæ mihi videtur apud maiores fuiſſe duplex, vt ad Reipub. tempus nonnunquam, ad agendi conſilium ſæpiſſimè pertineret. A. Credo hercle ita eſſe, iſtiq; rationi potiſſimum aſſentior: ſed redde cætera. M. Reddam verò, & ſi potero breui.*

*Inter Marcell. &*) Appius Pulcher de Augurali diſciplina ad Ciceronem ſcripſerat· Cicero in epiſtolis, *Quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximéque illo libro Augurali, quem ad me amantiſſimè ſcriptum ſuauiſſimum miſiſti.* Idem manes elicere & conſulere ſolebat. Cicero, *Inde ea quæ meus amicus Appius νεκρομαντεῖα faciebat.* & apud Lucanum lib. 5. oraculum Delphicum conſulit, quod conſuli iam deſierat, & ad cortinam inuitam mittit Pythiam. Eum, cùm augurij conſultiſſimus eſſet, collegæ irridebant, Piſidamque & Soranum augurem eſſe dicebant. hic autem cum Marcello in auguratu Collega Ciceronis fuit. Cic. libro ſecundo de Diuin. *Equidem aſſentior C. Marcello potius, quàm Appio Claudio, qui ambo mei collegæ fuerunt: exiſtimóque ius augurum & ſi diuinationis opinione principio conſtitutum ſit: tamen poſtea Reipub. cauſa reſeruatum ac retentum.* Marcellus etiam vt Appius de augurali diſciplina ſcripſerat, vt ex hoc loco apparet.

*Alteri*) Marcello, qui nullam credebat vnquam diuinandi ſcientiam in collegio augurum fuiſſe: veruntamen magnas eo in collegio vtilitates Reip. conſtitutas eſſe, obiecta religionis opinione popularibus, & obnuntiatione diremptis ſæpè comitijs. Eodem modo Cic. aruſpicinam ſcribit lib. 2. de Diuinat. Reip. cauſa & communis religionis eſſe colendam: ac libro eodem aſſentitur potius Marcello, quàm Appio: hic contra. *Alteri diſc.*) Appio videatur ineſſe diſciplina diuinãdi in auguralibus ſignis & auſpicijs.

*Quid ſentias*) Epicurus omnem diuinationem ſuſtulit. proinde Epicureus Atticus de diuinatione ambigit & dubitat. *Diuinationem*) Cuius multæ ſunt ſpecies. Diuinationis autem diuiſio ex libro primo de Diuinatione cognoſci poteſt. Cùm autem tam obfirmatè hic aſſeueret diuinationem, ita tamen contra eam libro poſteriore de Diuinatione diſſeret, vt eam funditus tollere videatur.

*Cæteriſque ſig.*) Signa obſeruabantur, è cælo, ex auibus, tripudijs, quadrupedibus, & diris.

*Quod cum*) Argumenta ſunt Stoica quibus diuinatio probatur: ea à Cicerone in libris de Diuin. prolixius explicantur. *Efficitur*) Ex quibus philoſophi argumentari & concludere ſolent diuinationem eſſe.

*Neque enim Pol*) Quidam *Polletis* hic legunt, qui ſequi Suidam videntur, qui Polleta quendam ſcripſiſſe ἐνόδιον οἰώνισμα, quaſi tu viatorium augurium dicas, prodit. Et rurſum quendam eiuſdem nominis, qui οἰωνοσκοπικά, id eſt, auguralia, conſcripſerit. Ciceronem tamen Polyidi ſcripſiſſe contenderim, etiam ſuffragante veteri libro. Huius ſiquidem Homerus, vt optimi vatis, Iliad. ν. meminit.

Ην δέ τις Εὐχήνωρ Πολυΐδου μάντιος υἱός,
Αφνειός τ᾽ ἀγαθός τε κορινθόθι οἰκία ναίων,
Ος ῥ᾽ εὖ εἰδὼς κῆρ ὀλοὴν ἐπὶ νηὸς ἔβαινε.
Πολλάκι γάρ οἱ ἔειπε γέρων ἀγαθὸς Πολύϊδος,
Νούσῳ ὑπ᾽ ἀργαλέῃ φθίσθαι οἷς ἐν μεγάροισιν,
Η μετ᾽ ἀχαιῶν νηυσὶν ὑπὸ τρώεσσι δαμῆναι.
*Quidam erat Euchenor Polyido vate creatus,*
*Strenuus ac diues, qui Ephyræ poſſederat ædes.*
*Triſtifici is gnarus fati conſcenderat æquor*
*Sæpè ſagax nam dixit ei ſenior Polyidus,*
*Vel fore vti morbis occumbat in ædibus æger,*
*Vel cadat ad Danaûm Troiano Marte carinas.*

Enimuero huius vt hoc libro, ſic in 1. de Diuinat. Cicero etiam meminit: *Quid Polyidum Corinthium? nonne Homerus & alijs multa, & filio ad Troiam proficiſcenti mortem prædixiſſe commemorat?* Et Lucian. ἀλλὰ τὸ μέρος τοῦτο πᾶν λήθῃ παραδέδωκας, οὐδαμοῦ τῆς ποιήσεως ἢ Κάλχαντα, ἢ τὸν Τήλεφον, ἢ τὸν Πολυΐδον, ἢ τὸν Φινέα μιμησάμενος. i. Verùm hanc quidem totam partem obliuioni tradidiſti, in nullo poëſeos loco vel Calchantem, vel Telephum, vel Polyidum, vel Phineum imitatus.

*Melampod.*) Melampus diuinationis prudentiſſimus fuit. Hinc Parœmia, Symbolum Melampode vel Pollete eget. Nam hi in coniectandis futuris ſagaciſſimi fuerunt.. Melampus autem ex eo vocatus fuit, quòd cùm expoſitus fuiſſet à matre & in denſis arboribus depoſitus, eius pedes extra opacum extantes atri redditi ſint ſolis calore. Is, cùm catuli draconis, quem interfectum ſepelierat, circumlinxiſſent eius aures, ad diuinationem inſtinctus fuit, & vates optimus habitus eſt.

*Mopſi*) Mopſus vates egregius, Ampyci ex Chloride filius, vt ait interpres Apollonij: à quo prouerbium, *Mopſo certior.* de eo ita ſcribit Apollonius;





Ηλυθε δ᾽ αὖ Μόψος Τιταρήσιος, ὃν περὶ πάντων
Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν, id eſt,
*Venit & Ampycides Mopſus, Latonius vltra*
*Omnes edocuit quem præpetis omina pennæ.*

Hunc & Amphilochum Argiuorum reges fuiſſe ſcribit Cic. lib. 1. de Diuin. Amphiaraus, Calchas & Helenus omnibus noti ſunt.

*Arabum, Phrygum*) Cic. lib. 1. de Diuinat. *Phryges autem, & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio, auium ſignificationibus plurimum obtemperant: quod idem factitatum in Vmbria ſcimus.* Hi omnes populi, præter Arabes, inter ſe in Aſia ſatis propinqui ſunt. Lycaonas autem vocat eos, qui Lycaoniam incolunt, quæ regio Ciliciæ, Piſidiæ, Galatiæ, & Cappadociæ finitima eſt. Phryges autem augurij inuentores fuerunt.

*Nec verò Romul.*) Extant hodieque verſus Ennij in primo de Diuinatione, quibus augurium Romuli in condenda vrbe deſcribitur:

*Curantes magna cum cura, concupientes*
*Regni, dant operam ſimul auſpicio augurioq;.*
*Hinc Remus auſpicio ſe deuouet, atque ſecundam*
*Solus autem ſeruat: at Romulus pulcher in alto*
*Quærit Auentino ſeruans genus altiuolantum.*
*Certabant vrbem Romámne Remámne vocarent:*
*Omnis cura viris vter eſſe induperator.*

*Accij Nauij*) In veteri libro *Attij Nauij*, quod malo. Dionyſius Attium Neuium vocat: alij Atium etiam ſcribunt. Huius & Liuius lib. 1. & Cic. de Diuinatione meminerunt.

*Diſciplina*) Cic. eadem de re lib. 2. de Natura deorum, *Sed negligentia nobilitatis augurij diſciplina omiſſa, veritas auſpiciorum ſpreta eſt, ſpecies tantum retenta.*

*Itaque neque il.*) Marcellus negabat diuinandi ſcientiam in augurum collegio vnquam fuiſſe: Appius etiam ætate ſua eſſe affirmabat, cùm tamen exoleuiſſet, & ignoraretur.

*Ad tempus*) Nam ad tempus Reip. ſemper comparatum augurum collegium exiſtimabat Marcellus, non ad agendi conſiliũ, quòd ſeruando de cælo auſpicandoq; dies vitiare, & concilia & comitia dirimere ſolerent ex Reipub. vſu, & religionem animis obijcere. Nam ſic tempus à Cic. ſæpè vſurpatur: vt pro Domo, *Neque ille tot ſuſpicionibus certorum hominum & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixè mihi polliceretur.* Itẽ, *Qui cum me non repentinũ aliquod meũ tempus, ſed veteres multò antè ſuſcepti & prouiſi labores.*

*Agendi conſilium*) Ad explorandam ſignis & auſpicijs voluntatem deorum in rebus agendis, conſilióque ex ſcientia augurali, & diuinatione imperijs & poteſtatibus dando. Itaque ſi ad agendi conſilium pertinebat, erat in ea diuinandi quædam diſciplina.

*Sequitur enim de iure belli: in quo & ſuſcipiendo, & gerendo, et deponendo, ius vt plurimũ valeret & fides, horúmque vt publici interpretes eſſent, lege ſancimus. Iam de haruſpicum religione, de expiationibus & procurationibus, ſatis ſuperqúe in ipſa lege dictum puto. A. Aſſentior, quoniam omnis hæc in religione verſatur oratio. M. At verò quod ſequitur, quo modo, aut tu aſſentiare, aut egò reprehendam, ſanè quæro, Tite. A. Quid tandem id eſt? M. De nocturnis ſacrificijs mulierum. A. Egò verò aſſentior, excepto præſertim in ipſa lege, ſolenni ſacrificio ac publico. M. Quid ergò aget Iacchus Eumolpidæqúe noſtri, & auguſta illa myſteria, ſiquidem ſacra nocturna tollimus? non enim pop. Ro. ſed omnibus bonis, firmiſqúe populis leges damus. A. Excipis, credo, illa, quibus ipſi initiati ſumus. M. Egò verò excipiam. nam mihi cùm multa eximia diuinaqúe videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vita hominum attuliſſe, tum nihil melius illis myſterijs, quibus ex agreſti immaniqúe vita exculti ad humanitatem & mitigati ſumus, initiáque vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus. Neque ſolùm cum lætitia viuendi rationem accepimus, ſed etiam cum ſpe meliore moriendi. Quid autem mihi diſpliceat, in nocentes poetæ indicant comici. qua licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogit itam libidinem intulit, quò ne imprudentiam quidem oculorum adijci fas fuit? A. Tu verò iſtam Romæ legem rogato, nobis noſtras ne ademeris. M. Ad noſtra igitur reuertor, quibus profectò diligentiſſimè ſanciendum eſt, vt mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat, initienturq; eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere ſeueritatem maiorum Senatus vetus auctoritas de bacchanalibus, & conſulũ exercitu adhibito, quæſtio animaduerſioq; declarat. Atq; omnia nocturna, ne nos duriores fortè videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua ſuſtulit. nouos verò Deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes ſic Ariſtophanes facetiſſimus poeta veteris comædiæ vexat. vt apud eum Sabazius, & quidã alij Dij de peregrinis iudicati è ciuitate eijciantur. Publicus autem ſacerdos imprudentiam conſilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus fœdam atq; impiam iudicet.*

*Sequitur de iure*) Ius fecialiũ ſignificat ab Anco conſtitutum, vt vult Liuius, cùm iam tamen à Numa antè collegium fecialium inſtitutum eſſet, ſi Dionyſio credimus. *Ius vt*) Vt iuſta piaque bella ſuſcipiantur, non ex libidine, neque rebus non repetitis. *Aruſpicum*) In impetrandis conſulendiſque rebus per exta, dijſque placandis; in interpretandis prodigijs & monſtris procurandis; in obſtitis & fulguribus expiandis. *Expiationem*) De piacularibus ſacris & hoſtijs, quando erratum, aut peccatum eſt, aut violatum quid, aut pollutum, aut fulmine quid tactum.

*De procuratione*) De procurandis ſacrificio aliquo monſtris. ad monſtra enim procuratio pertinet.

*In religione)* Cui parendum potius quàm contradicendum eſt: quod alioqui ab Epicureo non admodum religioſo dicitur.

*Excepto ſacrificio)* Bonæ deæ, quod pro populo fiebat à Veſtalibus noctu.

*Iacchus Eumolpidæq́;)* Eumolpus Eleuſinius Muſæi poetæ filius, Orphei diſcipulus, verſificator fuit. Hic initiandi ritum inuenit, & de ſacris Cereris & myſterijs conſcripſit. Ab eo Eumolpidæ, myſteriorum illorum ſacerdotes vocantur. Per Iacchum verò initia intelligit, in quibus etiam Iacchus, id eſt, Liber colebatur, Cic. lib. 2. de Natura deorum, *Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem noſtri maiores auguſte ſanctéque Liberum cum Cerere & Libera conſecrauerunt: quod quale ſit, ex myſterijs intelligi poteſt.* atque erat initiatorum vox, ἴακχ᾽ ὦ ἴακχε, vt eſt apud Ariſtophanem in Ranis. alij interpretantur ἴακχον hymnum in Liberum patrem & canticum. Ac ſanè illud canticum illamque vocem initiatorum Cicero intelligere videtur. Interpres Ariſtophanis ἰκὰς, inquit, dies vnus myſteriorum erat in quo ἴακχον canebant.

*Noſtri)* Sic liber ſcriptus. quod ſi probatur, etiam Cicero initiatus fuit: quod ſuſpicari quis ex prima Tuſculana poſſet, vbi ait, *Reminiſcere, quoniam es initiatus, quæ tradantur myſterijs, tum denique quàm hoc late pateat intelliges. Nam quæ tradantur myſterijs, niſi initiatus ſcire non potuiſſet: ſed & de ſe Atticus & Cicerone mox dicere videtur, Excipis, credo, illa quibus ipſi initiati ſumus. Quinetiam Romæ initiari Cereri ſolebant, non tamen noctu. Nam Romani myſteria Cereris ſuſceperant.* Cicero in Verrem, *Téque Ceres & Libera, quarum ſacra, ſicut opiniones hominum & religiones ferunt, longè maximis atque occultiſſimis ceremonijs continentur: à quibus initia vitæ atque victus, legum, morum, conſuetudinis, humanitatis exempla hominibus & ciuitatibus data ac diſpertita eſſe dicuntur: quarum ſacra populus Romanus à Græcis accepta & aſcita, tanta religione & publicè & priuatim tuetur.* Alij emendant *veſtri*. *Bonis)* Non enim regnis, ſed populis dat leges. Firmos dicit, quòd bene moratos eſſe populos non ſit ſatis, niſi etiam conſtans ſit & ſtabilis in bonis moribus & legibus permanſio.

*Illis myſter.)* Θεσμοφόρεια ſunt Cereris legiferæ ſacra, quæ Latini Cereris initia dicunt, in memoriam legum & frugum à Cerere inuentarum, celebrata. Callimachus,

> Κάλλιον ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε,
> Κάλλιον ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτα
> Ἀσταχύων ἀπέκοψεν. id eſt,
> *Pulchrius vt placido firmauit fœdere iuris*
> *Vrbes, vt culmos & ſpicea munera falce*
> *Deſecuit.*

*Eximmini)* Quia antè frumenta legeſque à Cerere inuentas, in quorum memoriam celebrabantur, homines ritu ferarum degebant.

*Cum ſpe m. l.)* Credebant enim Athenienſes melius eſſe initiatis apud inferos, eoſque larga & perenni luce frui, & choros ducere: reliquos autem in cœno volutari, vt ex Ariſtophanis Ranis intelligi poteſt, & ex Diog. Laer. ſic ſcribente, ἀξιούντων Ἀθηναίων μυηθῆναι αὐτὸν, καὶ λεγόντων, ὡς ἐν ᾅδου προεδρείας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι· γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος μὲν καὶ Ἐπαμεινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται. Id eſt, cùm poſtularent Athenienſes vt initiaretur, dicerentque apud inferos initiatis loci prærogatiuam eſſe: ridiculum, inquit, dictu, Ageſilaum & Epaminondam in cœno verſaturos eſſe, homines autem tenues, neſcio quos, initiatos in beatorum inſulis futuros.

*Innocentes)* In ſontes, in eos quos ſtupra aut adulteria Cereris vigilijs commiſiſſe dicunt.

*Poetæ indicant)* Quorum ſæpè comœdiæ argumenta habent ſtupratarum Cereris peruigilationibus puellarum. Plautus Aulular. *Qui illam ſtuprauit nocte Cereris vigilijs.*

*Qua licentia)* nocturnarum peruigilationum. Clodium autem notat, qui in opertum bonæ Deæ ingreſſus eſt, quod homini non licebat.

*Adijci fas)* Opinio erat oculos amitti ab ijs, qui ea ſacra vidiſſent. Cic. de Aruſpicum reſponſis, *Aut quòd oculos, vt opinio illius religionis eſt, non perdidiſti.*

*Nobis)* Athenienſibus. *Initientúrque)* Interdiu, non vt Athenis, noctu. Proinde initia Athenienſium laudat, quæ etiam Romani acceperant: ne noctu fiant præcipit, mulierum pudicitiæ metuens.

*Bacchanalibus)* Sp. Poſthumio & Martio Philippo Coſſ. Bacchanalia ſacrum Græcum & nocturnum ſcelerumque omnium ſeminarium, inueſtigata, ac multorum pœna ſublata ſunt. auctor Liuius belli Maced. lib. 9. *Perpetua)* Citra exceptionem. Nos autem excepimus ſacrum Bonæ Deæ. Lex enim perpetua, eſt lex generalis, & vt loquimur, vniuerſalis.

*Peruigilationes)* Id eſt, nocturna ſacra, vigilias. Ad huiuſmodi ſacra ſic Plautus alluſit in Curgulione, *Quid tu? Venerin' peruigilare te vouiſti Phædrome?*

*Sabazius)* Comœdia in qua Ariſtophanes Sabazium eijcit, nunc non extat. Cæterùm Sabazius à Phrygibus Liber pater dicitur, à σαβάζειν quod eſt bacchari. Ad hæc σάβοι, loca ei dicata, fanaticique eius ſacerdotes nuncupabantur. De Sabazio ſic Cic. lib. 3. de Natu. deor. ſcribit, *Tertium Dionyſium Caprio patre, eúmque regem Aſiæ præfuiſſe dicunt, cui Sabazea ſunt inſtituta.* Eſt & Arabibus ſuus Sabus, cui decimas thuris dicant. Non deerat Sabinis ſuus quoque Deus Sabus. Silius,

> — *pars Sanctum voce canebant*
> *Auctorem generis, pars laudes ore canebant*
> *Sabe tuas, &c.*

Eiecerunt etiam Romani ſacra Sabazij: Valerius, *Idem, qui Sabazij Iouis cultu mores Romanos inficere conati ſunt, domos ſuas repetere coegit.* erant, ne id omittam, Romanis etiam ſacra nocturna, ſed non mulierum.

*Publicus)* Id eſt, ſacrum commiſſum, quod expiari poſſit, expiet, vt ſi quid in ſacra admiſſum ſit imprudentia. *In admittend.)* Si quis peregrina ſacra induxerit, aut ſuſceperit, infandaſque religiones, vt impius habeatur, nec vnquam à ſacerdote expietur.





*Fœdam)* Iulius quoque Paulus Sentent. lib. 5. *Qui nouas*, inquit, *& vſu, vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum mouentur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.*

*Iam ludi publici quoniam ſunt cauea circóque diuiſi, ſint corporum certationes curſu, & pugilatione, luctatione, curriculiſque equorum vſque ad certam victoriam circo conſtitutis: cauea, cantu, voce ac fidibus & tibijs, dum modo ea moderata ſint, vt lege præſcribitur. Aſſentior enim Platoni, nihil tàm facilè in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi ſonos: quorum dici vix poteſt, quanta ſit vis in vtranque partem. nanque & incitat languentes, & languefacit excitatos: & tum remittit animos, tum contrahit. Ciuitatumq́; hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conſeruare modum. quarum mores lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine corruptelaq́; deprauati, vt quidam putant: aut cùm ſeueritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tùm fuit in auribus animiſq́; mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſſimus vir Græciæ longéque doctiſſimus: valdè hanc labem veretur. Negat enim mutari poſſe muſicas leges ſine immutatione legum publicarum: ego autem nec tàm valdè id timendum, nec planè contemnendum puto. Illa quidem quæ ſolebant quondam compleri ſeueritate iucunda Liuianis & Næuianis modis, nunc vt eadem exultent, ceruices oculoſq́; pariter cum modorum flexionibus torqueant. Grauiter olim iſta vindicabat vetus illa Græcia, longè prouidens quàm ſenſim pernicies illapſa ciuium animos malis ſtudijs, maliſque doctrinis repentè totas ciuitates euerteret. Siquidem illa ſeuera Lacedæmon neruos iuſſit, quos plures quam ſeptem haberet, in Timothei fidibus demi. Deinceps in lege eſt, vt de ritibus patrijs colantur optimi: de quo cùm conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimum religiones tenerent, oraculum editum eſt, eas quæ eſſent in more maiorum. Quò cùm iterum veniſſent, maiorumq́; morem dixiſſent ſæpè eſſe mutatum, quæſiſſentq́; quem morem potiſſimum ſequerentur è varijs: reſpondit, optimum. Et profectò ita eſt, vt id habendum ſit antiquiſſimum, & Deo proximum, quod ſit optimum. Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies propriam Idææ matris excepimus. implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. Sacrilego pœna eſt, neque ei ſoli, qui ſacrum abſtulerit: ſed etiam ei, qui ſacro commendatum. quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solos in delubro pecuniam dicitur. Athenienſis Cliſthenes Iunoni Samiæ, ciuis egregius, cùm rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Sed iam de periurijs, de inceſto nihil ſanè hoc quidem loco diſputandum eſt.*

*Iam ludi publici)* Ludi more Romano, vel in theatro, cuius ea pars eſt cauea, vnde populus ſpectat. Lucre.

> *Nanq; ibi conſeſſum caueai ſubter, & omnem*
> *Scenalem ſpeciem patrum matrumq́; deorumq́;*
> *Inficiunt.*

vel in circo fiebant: Liuius, *Ludi quoque ſcenici, noua res bellicoſo populo* (nam circi modo ſpectaculum fuerat) *inter alia cæleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur.* Verùm lex Scenicos ac Muſicos adhibito modo quodam temperat: muſicamque, vt Plato, cum Diuorum honore iungit.

*Corporum)* Significat ludos quos Græci gymnicos appellant. De ludis autem & ſpectaculis Romanorum & Varro ſcripſerat, & hodie extat Tertulliani liber. *Curriculiſq; equor.)* Ludis Circenſibus equorum curricula, id eſt curſus dabantur. victoria autem currentibus quadrigis & bigis non erat antequam ſeptena confeciſſent ſpatia, & ſepties metam luſtraſſent. Propertius,

> *Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,*
> *Septima quàm metam triuerit arte rota.*

ait autem, vt reor, certationes in curriculis equorum vſque ad certam victoriam perducendas, vt victoria eorum ſit finis. hic fortaſſe legi poſſet *Conſtitutæ*, vt ad certationes referretur.

*Cauea)* In theatro ſcenici & muſici: certationes, inquit, ſint cantu, voce, fidibus & tibijs. actio autem comœdiarum & tragœdiarum ad muſicam pertinet. Terentius, —*in medio omnibus Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.* Pollux, τῶν δὲ ἀγώνων οἱ μὲν γυμναστικοί, οἱ δὲ καλούμενοι σκηνικοί, ὀνομασθεῖεν δ᾽ ἂν διονυσιακοί τε καὶ μουσικοί, id eſt, Ludorum quidam gymnaſtici, alij ſcenici. vocari autem poſſunt liberales & muſici. Itaque ludi ſcenici & muſici ijdem ſunt: & muſicorum nomine hic Cicero actionem etiam fabularum, quæ docentur, complectitur.

*Cantu)* Eſt cantus in voce, in neruis, in tibijs: Cenſorinus quæ de muſica ſcribit hîc adſcribam vt non omnino aliena: *Nec verò incredibile eſt*, inquit, *ad noſtros natales muſicam pertinere. hæc enim ſiue in voce tantummodo eſt*, vt Socrates ait, *ſiue*, vt Ariſtoxinus, *in voce & corporis motu: ſiue in his & præterea in animi motu*, vt putat Theophraſtus, *certè multum obtinet diuinitatis, & animis permouendis plurimum valet. Nam niſi grata eſſet immortalibus dijs, qui ex anima conſtant diuina, profectò ludi ſcenici placandorum deorum cauſa inſtituti non eſſent: nec tibicen omnibus ſupplicationibus in ſacris ædibus adhiberetur: non cum tibicine triumphus ageretur Marti: non Apollini cithara, non muſis tibiæ, cæteráque id generis attributa eſſent: non tibicinibus, per quos numina placantur, eſſet permiſſum aut ludos publicè facere, aut veſci in Capitolio, aut Quinquatribus minuſculis, id eſt, idibus Iunijs vrbes veſtitu quo vellent, perſonatis temulentiſq́; peruagari.*

*Aſſentior enim Plat.)* Plato in lib. de Rep. & de leg. adeò prolixè de Muſica diſputat, vt in ea putet maxima Rerumpub. momenta verti: cumq; iuuenes gymnaſtica & muſica erudiri primùm velit, illam corporis eſſe, hanc animi ponit. ac cuius hæc cunquemodi fuerit, perinde iuuenum etiam mores futuros. Ita hanc legem à Platone ſumptam intelligimus: cuius tamen nimiam hac in re diligentiam & cautionem leuiter reprehendit lib. 3. cùm ait, *Idque haud paulo eſt verius, quàm quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatum ſtatus.*

*Molles)* Dulces & iucundos Nonius hìc interpretatur, ſi cui fortè eius ſententia probari poteſt. molles tamen potius & teneros dicit animos, vel quòd ineſt in animis omnibus mollitia & teneritas quædam: quod ex Platone apparet, quem imitatur ita ſcribentem lib. 3. de Repub. ὐδὲ γὰρ ἐργάζεται ἔφη, ἄλλο γε, ἢ κατὰ μικρὸν εἰσοικισαμένη ἠρέμα ὑπορρεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα. vel quòd iuuenũ & adoleſcentum animos ſignificet qui teneri ſunt. Saluſtius, *Sed maximè iuuenum vel adoleſcentum familiaritates appetebat: eorum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur.*

*In vtranque partem)* Ad incitandum, ad languefaciendum, ad remittendum & contrahendum. plurimùm ad leniendos concitandoſque affectus muſica valet. *Pythagoras*, vt ait Quintilianus, *concitatos ad vim pudicæ domui afferendam iuuenes, iuſſa mutare in ſpondeum modos tibicina, compoſuit.* commouet igitur & concitat languentes, & commotos concitatoſque componit. exhilarat triſtes, & qui hilares ſunt, eos reddit ſeueros & triſtes. id enim hic eſt animos remittere & contrahere.

*Mores lapſi)* Nam in ciuitatibus pro ratione morum, varij quoque muſices modi exorti ſunt. Hinc melos Æolium, ſimplex eſt: Aſium, varium: Lydium, querulum: Ionium, floridum & molle: Phrygium, religioſum: Dorium, bellicoſum. Simplicem autem probat muſicam Plato & antiquam: nihilque in ea innouari permittit.

*Negat enim)* Plato libro quarto de Rep. refert Damonem dixiſſe, Muſicæ modos in Rep. mutari non poſſe, quin protinus maximarum legum ſequatur immutatio. Videri autem poſſet, quando νόμοι & populi ſcita & muſicos modos ſignificant, quas hic leges muſicas Cicero vocat, perſuaſum id fuiſſe Platoni ex ſocietate & communione vocabuli. Id autem verendum magis Platoni, quàm Ciceroni fuit, cùm quanta ex modis mollibus & delicatis labes & corruptela in animis Græcorum facta eſſet, Plato videret: Romæ autem ſtudia muſicæ nunquam tantopere viguiſſent.

*Seueritate)* Seuero quodam carmine & cantu, non effœminato & molli.

*Liuianis & Næuianis)* Vt Plato Ægyptios laudat, apud quos neque pictura, neque choreæ, nec muſica immutabatur, ſed Iſidis poemata ſemper canebantur: ſic Cic. quoque modos antiquos probat, quales à Liuio Andronico & Næuio, antiquis poetis compoſiti erant. Ij enim cantica ſcripſerant, quæ in ludis publicis & ſupplicationibus quandoque cani ſolebant. De Andronico ſic Liu. lib. 7. ſcribit, *Liuius poſt aliquot annos, qui ab Satyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cùm ſæpius reuocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cùm ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis vſus impediebat.* & lib. 7. de bello Punico, *Decreuere item pontifices, vt virgines tum nouenæ per vrbem euntes carmen canerent. id cùm in Iouis Statoris æde diſcerent conditum ab Liuio carmen, tacta de cælo ædes in Auentino Iunonis reginæ.* Et lib. 1. belli Macedonici, *Carmen ſicut patrum memoria Liuius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.* Cæterùm aut poetæ ipſi ſuo carmini cantum compoſuerant, quod exiſtimo, aut alij modos addiderant.

*Modis)* Cantibus & modulationibus. Modi à numeris differunt, quòd numeri ſunt in productione & breuitate: modi in elatione & demiſſione, id eſt, in modulatione. Itaque *facere modos* apud Terentium eſt canere. *Eadem exultent)* Eadem ſaltent.

*Cum modorum)* Geſtus agant, caputque flectant, cum cantuum flexionibus, & flexionibus vocum. vocantur autem flexiones illæ πλάσματα, vt ex Plinio doceri poteſt: & Ariſtophanes in Nebulis ᾀσματοκάμπτας à modorum & cantuum flexionibus vocat.

*Vetus illa)* Non item vindicabat iſta ætate Ciceronis, cùm effœminatiſſima & fracta muſica vteretur.

*In Timothei)* Timotheus Mileſius fidicen, decimam & vndecimam chordam lyræ adiecit, & priſcam muſicam mollitia effœminauit. Vixit Euripidis & Philippi Macedonis ætate. Athenæus libro Dipnoſoph. decimo quarto, paulo aliter hanc hiſtoriam refert: nimirum Timotheum Mileſium pleriſque organum magadem neruorum conſtructione, quàm deceret, numeroſius habere viſum: eumque idcirco apud Lacedæmonios in iudicium vocatum, quòd priſcam muſicam labefactaret: cumque quidam ſuperuacaneas eius chordas abſcindere pararet, oſtendiſſe quendam illic Apolloniſcum, cui eadem conſtructione, parique neruorum numero lyra eſſet: ipſumque ita dimiſſum. Produnt etiam Ephoros Terpandrum multaſſe, quòd in cithara præter neceſſitatem, vnam chordam intendiſſet: ſed & eius citharam ad rei memoriam, in paxillo ſuſpenſam fuiſſe. Idem etiam Phryni factum ab Ephoris eſſe Plutarchus auctor eſt in libello περὶ πρεσβυτῆς. *Appollinem Pythium)* Id non Athenienſibus tantùm, verùm etiam multis frequenter Pythiam reſpondiſſe tradit Xenophon in commentarijs, τὰ μὲν τοίνυν πρὸς τοὺς θεοὺς φανερὸς ἦν καὶ ποιῶν καὶ λέγων, ᾗπερ ἡ Πυθία ὑποκρίνεται, τοῖς ἐρωτῶσι πῶς δεῖ ποιεῖν ἢ περὶ θυσίας ἢ περὶ προγόνων θεραπείας, ἢ περὶ ἄλλου τινὸς τῶν τοιούτων. ἡ γὰρ Πυθία ἀναιρεῖ νόμῳ πόλεως ποιοῦντας, εὐσεβῶς ἂν ποιεῖν, i. Pietatẽ aduerſus deos palam & re & verbis eam præ ſe ferebat, quã Pythia reſpondere ſolet interrogantibus, quã potiſſimũ ceremonia & ritu vel ſacra facere, vel maiores colere conueniat, vel aliud aliquid ſimile agere. Reſpondet enim Pythia, Si ritu & inſtituto ciuitatis faciant, piè facturos eſſe. Ab eadem mente eſt illud Heſiodi, ὥς κε πόλις ῥέζῃσι. νόμος ἀρχαῖος ἄριστος. id eo cauet, vt ſi, quod euenire ſolet, varij ritus & religiones oriantur, ad optimam cerimoniam optimumque cultum redeatur.

*Antiquiſſimum)* Præſtantiſſimum & optimum. ſic Græci πρεσβύτατον interdum vſurpant.

*Apud ſolos)* Ita Ciliciæ vrbs iuxta Iſſum vocatur. Solebant autẽ veteres ſuas templis diuitias committere, quaſi & religione, & deûm fide ſeruarentur. Herodianus cùm Romæ templum Pacis, Commodo regnante, arſiſſet, multos ex opulentis egenos eſſe factos refert. In eos autem qui rem ſacro commendatam abſtuliſſent, cùm ſacrilegij pœna olim conſtituta eſſet, Antoninus poſteà voluit, vt duntaxat furti pœna animaduerteretur. Hìc alij *Apud ſolem* legunt, id eſt, in delubro Solis.

*Athenienſis Cliſthe)* Huius Chliſthenis meminit Herodot. lib. 5. quem Athenis eiectum cum piaculari- bus fuiſſe à Cleomene prodit. Meminit & Ariſtoteles III. Politic. Ab eo rempub. Athenienſem expulſis tyrannis, optimè conſtitutam fuiſſe ſcribit Iſocrates in Areopagitico.

Iunoni



*Iunoni Samiæ)* Religioſiſſimè Sami colebatur Iuno. Maro, *Poſthabita coluiſſe Samo.* De æde Iunonis quæ Sami Dorica erat, Theodorus volumen ediderat.

*Donis impij ne placare audeant Deos, Platonem audiant: qui vetantur dubitare qua ſit mente futurus Deus, cùm vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit. Diligentia votorum ſatis in lege dicta eſt, ac voti ſponſio, qua obligamur Deo. Pœna verò violatæ religionis, iuſtam recuſationem non habet. Quid ego hìc ſceleratorum vtar exemplis, quorum plenæ Tragœdiæ? quæ ante oculos ſunt, ea potius attingantur. & ſi hæc commemoratio, vereor, ne ſuprà hominis fortunam eſſe videatur: tamen quoniam ſermo mihi eſt apud eos, nihil reticebo: volámque hoc, quod loquar, Dijs immortalibus gratum potius videri quàm graue. Omnia tum perditorum ciuium ſcelere diſceſſu meo religionum iura polluta ſunt: vexati noſtri lares familiares, in eorum ſedibus exædificatum templum Licentiæ, pulſus à delubris is qui illa ſeruarat: circunſpicite celeriter animo (nihil enim attinet quenquam nominari) qui ſint rerum exitus conſecuti. Nos qui illam cuſtodem vrbis, omnibus ereptis noſtris rebus ac perditis, violari ab impijs paſſi non ſumus, eamq́ ex noſtra domo, in ipſius patris domum detulimus, iudicia Senatus, Italiæ, gentium denique omnium conſeruatæ patriæ conſecuti ſumus. quo quid accidere potuit homini præclarius? Quorum ſcelere religiones tum proſtratæ afflictæq́ ſunt, partim ex illis diſtracti ac diſſipati iacent: qui verò ex ijs & horum ſcelerum principes fuerant, & præter cæteros in omni religione impij, non ſolum vita cruciati, atque dedecore, verùm etiam ſepultura, & iuſtis exequiarum caruerunt. Q. Equidem iſta agnoſco frater, & meritas dijs gratias ago. ſed nimis ſæpè ſecus aliquanto videmus euadere. M. Non enim, Quinte, rectè exiſtimamus, quæ pœna diuina ſit: nos opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus: morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offenſione iudicij, hominum miſerias ponderamus, quæ fateor humana eſſe, & multis bonis viris accidiſſe. Sceleris eſt pœna triſtis, & præter eos euentus qui ſequuntur, per ſe ipſa maxima eſt. Vidimus, qui niſi odiſſent patriam, nunquam nobis inimici fuiſſent, ardentes cùm cupiditate, tùm metu, tùm conſcientia: quid agerent omnes modò timentes, viciſſim contemnentes religiones, iudicia prærupta ab iiſdem, corrupta hominum non Deorum? Reprimam iam & non inſequar longius, eòque minus, quo plus pœnarum habeo, quàm petiui. tantum ponam erui duplicem pœnam eſſe diuinam, quòd conſtaret ex vexandis viuorum animis, & ea fama mortuorum, vt eorum exitium & iudicio viuorum & gaudio comprobetur.*

*Ne placare)* Muneribus, re diuina, ſacris: nam ſacris placamus deos, & eorum pacem expoſcimus.

*Platonem audiant)* Plato lib. 4. de Leg. τῷ δὲ κακῷ τἀναντία πέφυκεν, ἀκάθαρτος γὰρ τὴν ψυχὴν ὅ γε κακὸς, καθαρὸς δὲ ὁ γ' ἐναντίος. παρὰ δὲ μιαροῦ δῶρα οὔτ' ἄνδρ' ἀγαθὸν οὔτε θεὸν ἐστί ποτε τό γε ὀρθὸν δέχεσθαι. Id eſt, Improbo autem contrà accidit. animo ſiquidem impurus eſt improbus: purus contrarius. ab improbo autem & impio nec virum bonum, nec deum vnquam ſe donari velle æquum eſt. Hìc igitur ſacrificia impiorum improbat, atque adeò eos à ſacris arcet, ne muneribus & ſacrificijs ſperent ſe deum corrumpere poſſe & placatum reddere. *Diligentia)* Vt cautè & diligenter vota redderent, quorum rei eſſent ex ſponſione quâ ſe deo obligaſſent. *Violatæ relig.)* Nam violati iuris pœnam conſtituit in lege, id eſt, vt hic interpretatur, violatæ religionis, quando lex tota de religionis iure concepta eſt. Non enim ſontibus & impijs, qui pœnas hominum iudicijs non dederint, impune ſcelus in deos fore docet: nam fraudis & impietatis cruciatu ſemper vexabuntur. *Scelerat.)* Impiorum. ſcelus enim ſæpè in impietate ponitur.

*Plenæ Tragœd.)* Aiax Oileus ob temeratum fanum Mineruæ pœnas luit morte, & Aiax Telamonius ad Troiam militaturus deorum ſpreto auxilio impiam ſuperbiam capitalem ſenſit.

*Supra hominis)* Vereor tamen ne inſolentius me efferre videar in hac re, & ſupra hominem me extollere, qui in mea cauſa violatam religionem impijs noxæ fuiſſe commemoraturus ſum, & meam pietatem dijs cordi fuiſſe ex nobili & glorioſo reditu oſtenſurus.

*Apud eos)* Sic libri veteres habent, quod eſt, apud deos, de quorum violata religione agit, & quos paulò antè appellauit, cùm dixit, Ne placare impij audeant deos. hic alij emendant *apud deos.* qui apud deos loquitur, verum diſſimulare non debet, arrogantiæ metu. mihi etiam placet Æmari Ranconeti viri clariſſimi emendatio, vt *apud vos* legatur, quemadmodum ſuprà dixit, *Quoniam & ſermo & locus familiaris eſt.*

*Gratum)* Deprecatur deorum inuidiam, quæ inſolentes ſequi ſolet. Sic Græci deprecandæ cauſa inuidiæ dicere ſolent, τὴν Ἀδράστειαν προσκυνῶ. nam olim opinio erat deos infenſos eſſe ijs qui ſe efferrent, quique inſoleſcerent: arrogantiæque vindex Ἀδράστεια & Νέμεσις cenſebatur.

*Diſceſſu)* Exilium dicere non vult, ſed diſceſſum appellat.

*Iura polluta)* Iſtud oratoriè dicit. Nec enim Clodius tam impiè in omnes religiones commiſit.

*Lares familiar.)* Sunt enim etiam Lares publici. Tertullianus lares familiares domeſticos deos interpretatur: eius verba ſunt, *Domeſticos deos, quos lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis.* illis lararium erat ſacrum & focus. non erant autem lares alij dij quàm publici, ſed ſimulachra erant, verbi gratia, Iouis & Saturni, aliorumq; deorũ, quæ domi venerabantur, vt ex Tertulliano apparet. *Exædificatum)* Non tantùm inchoatũ eſt, verùm etiam abſolutum. Plautus Trinumo. *Qui exædificaret ſuam inchoatam ignauiam.*

*Templum Licen.)* Plutarch. in Cic. ὁ δὲ Κλώδιος ἐξελάσας τὸν Κικέρωνα, κατέπρησε μὲν αὐτοῦ τὰς ἐπαύλεις, κατέπρησε δὲ τὴν οἰκίαν, καὶ τῷ τόπῳ ναὸν ἐλευθερίας ἐπῳκοδόμησεν, i. At Clodius Ciceronis, quem exterminarat, & villás inflammauit, & ædes incendit, illicque Libertati templum conſtruxit. Huius deæ nomen Licentiæ vocabulo hìc dedecorat, vt pro Domo, *Tu in ciuis domo ſimulachrum non Libertatis publicæ, ſed Licentiæ collocaſti.* *Nominari)* Nihil attinet nominari Clodium, verbi gratia, aut Gabinium.

*Illam cuſtodem vrb.)* Ex his quæ Plutarchus ſcripſit, locus eſt hic declarandus, ταῦτα ἔδοξε Κικέρωνι, καὶ τὸ μὲν ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς, ὃ πολὺν χρόνον ἔχων ἐπὶ τῆς οἰκίας ἱδρυμένον ἐτίμα διαφερόντως, εἰς Καπιτώλιον κομίσας

λιον κομίσας ἀνέθηκεν ἐπιγράψας, Ἀθηνᾷ Ῥώμης φύλακι. id eſt, Ea Ciceroni probabantur: ac protinus Palladis ſimulachrum, quod iandiu domi locatum ſupra modum colebat, in Capitolium delatum dicauit, ſubſcripſitque, Palladi Romæ cuſtodi. Palladis enim conſilio & ope conſeruatam à ſe vrbem oppreſſa Catilinæ coniuratione ſæpè Cicero dixerat: idq; in poematis etiam celebrarat, deæque ſe charum ſcripſerat. Saluſtius, *Quem Minerua artes omnes edocuit: Iupiter Opt. Max. in conſilium deorum admiſit.* Cuſtodis vrbis Mineruæ, ſic ad Atti. meminit, *Tamen illa quam ſcribis cuſtos vrbis, me præclaræ inſcriptionis memorem eſſe cogeret.* Iulius obſequens, *Turbinis vi ſimulachrum, quòd M. Cicero ante cellam Mineruæ pridie quàm plebiſcito in exilium iret, poſuerat, diſſipatum membris pronum iacuit, fractis humeris, brachijs, capite, dirum ipſi Ciceroni portendit.*

*Patris domum*) In templum Iouis Capitolini, vbi etiam cella erat Iunonis & Mineruæ.

*Iudicia*) Cùm ab exilio reuocati ſumus. *Proſtratæ*) Iura religionum polluta, vexati noſtri Lares familiares, euerſa noſtra domo & proſtrata.

*Distracti*) A ſuis diſiuncti gregalibus ſuaque coniurata ſocietate, in exilium videlicet miſſi, vt Gabinius, quem Cæſar poſteà reſtituit.

*Vita cruciati*) Quos ſua vita ſuique mores cruciarint & vlti ſint, cùm fraudum cruciatu & angore conſcientiæ vexarentur: id autem de Clodio intelligit.

*Iuſtis exequiis*) Id ob Clodij cadauer ait, quod ſine imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, ſemiuſtulatum, dilaniandum propè canibus relictum eſt: vt in orat. pro Milone ſcribit.

*Euadere*) i. euenire: alium ſæpenumero euentum & exitum videmus. *Opinionibus*) Morte, dolore corporis, offenſione iudicij miſerias æſtimantis.

*Offenſione*) Condemnatione. ſic offenſio prælij pro lege Manilia, eſt amiſſio victoriæ, quam Græci vocant ἧτταν. *Humana*) In homines expetere ſolere, hominibus accidere ſolere. nam humana interdum dicuntur, quæ hominibus eueniunt, & in hominem cadunt, vt cùm Cicero humana ferenda eſſe dicit. *Sceleris*) Impietatis, vt ſuprà ſceleratus impius erat. genus pro ſpecie eſt.

*Ardentes*) Ardere cupiditate rectiſſimè dicitur, non perinde ardere metu: ſed interdum ſic auctores loquuntur, vt verbum quod pluribus accommodandum eſt, appoſitè proximo conueniat, non item reliquis. In libro ſcripto eſt, *Tum cupiditatum metu, tùm conſcientia.* fortaſſe legendum, *Tum cupiditatum æſtu, tum conſcientia.* mox enim de metu ſcribet, *Quid agerent omnes modò timentes: vt hîc de metu fruſtra ſcribatur.*

*Eos euentus*) Offenſiones iudiciorum, mortem, cruciatum, damna.

*Quid agerent omn.*) Quicquid increpuerat pertimeſcentes, & ab omnibus ſibi metuentes: modo viciſſim mutata mente ne deos quidem formidantes: tanta in ijs mentis perturbatio & conſternatio erat.

*Iudicia*) Iudicium de violata religione Bonæ Deæ ſignificat, quo corruptis iudicibus Clodius abſolutus fuerat. Hic fortaſſe non malè legeretur, *Corruptela hominum, non deorum.* Corrupit enim homines Clodius, non deos: cùm angore conſcientiæ, fraudis cruciatu, cupiditatis & metus perturbatione, quæ pœna diuina eſt, ſemper vexatus ſit. *Corrupta* tamen eundem ſenſum efficeret.

*Iam & non*) Puto *Iam me, & non* legendum eſſe. *Pœnam erui*) Vetus hæc ſcriptura eſt: legendum cenſeo, *Tantum pœnam erui.* i. tantùm dicam educi & colligi duplicem pœnam eſſe diuinam.

*Vexandis*) Quòd & in viuis animi crucientur conſcientia maleficiorum & furijs: & apud inferos pœnas eos pendere fama ſit. *Eorum exitium*) Vt iudicent & gaudeant viui, perditos & ſceleratos exitijs omnibus & meritis pœnis à dijs affici.

*Agri autem ne conſecrentur, Platoni prorſus aſſentior, qui, ſi modò interpretari potuero, his ferè verbis vtitur: Terra igitur, vt focus domiciliorum, ſacra Deorum omnium eſt. quocirca ne quis iterum idem conſecrato. Aurum autem & argentum in vrbibus, & priuatim, & in fanis inuidioſa res eſt. Tum ebur ex inani corpore extractum, haud ſatis caſtum donum Deo. Iam æs & ferrum duelli inſtrumenta, non fani. Ligneum autem quodque voluerit, vno è ligno dedicato: itemq; lapideum, in delubris communibus. Textile ne operoſius quàm mulieris opus menſtruum. Color autem albus præcipuè decorus Deo eſt, cùm in cæteris, tùm maximè in textili. Tincta verò abſint, niſi à bellicis inſignibus. Diuiniſſima autem dona, aues & formæ ab vno pictore vno abſolutæ die. Itemq; cætera huius exempli dona ſunto. Hæc illi placent: ſed ego cætera non tam riſtrictè præfinio, vel hominum vitijs, vel ſubſidijs temporum victus. Terræ cultum ſegniorem ſuſpicor fore, ſi ad eam tuendam ferróque ſubijciendam, ſuperſtitionis aliquid acceſſerit.*

*Vt focus domiciliorum*) Sic ex veteribus libris & ex Platone emendaui, cùm antè legeretur, *Sacrum domicilium.* Nam focus ſacer eſt Laribus & Veſtæ. Platonis verba ſunt lib. 12. de Leg. γῆ μὲν οὖν ἑστία τε τῆς οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν.

*Inuidioſa res*) Quæ ad inuidendum finitimos impellit populos, & ad bellum ſpe prædæ nonnunquam inferendum: ſed & ciues & exteros ad ſpolianda fana & diripienda. Strabo de templo Delphico, ἐπίφθονός δ' ὢν ὁ πλοῦτος, δυσφύλακτός ἐστι, κἂν ἱερὸς ᾖ, id eſt, Inuidioſæ diuitiæ difficilem habent cuſtodiam etiam ſacræ. Itaque opes oraculi Delphici Phocenſes depopulati depeculatique ſunt. Apud Platonem, In aliis vrbibus legitur.

*Ebur*) Ex quo pulcherrima fieri ſolebant in Græcia ſimulachra deorum & fanorum ornamenta.

*Ex inani*) Ex inanimo corpore elephantis: id enim hic eſt inane. Ouidius, *Ardet in extructo corpus inane rogo.* alij hic *inanimo* legunt. nos veteres libros ſecuti ſumus, quorum auctoritati plurimum meritò deferimus. *Caſtum*) Quicquid enim ex cadauere eſt, funeſtum & inquinatum cenſebant: ſic ne lana quidem Pythagoras veſtiebatur.

*Iam æs*) Aliena igitur à fanis ſunt, in quibus deorum veniam & pacem petimus.

*Ligneum*) Signum è materia parabili & prompta, qualis lignea & lapidea.





*Quodque*) Ex Platone, *Quod qui* legendum eſt. Qui enim pro Quis ſæpe dicitur V. antecedente & S. ſequente. *Delubris*) Sunt enim etiam priuata quædam delubra & ſacella.

*Albus*) Albus enim color fauſtus eſt, infecta omnia ſunt impura. Sic cum rem diuinam faciebant, albati erant, & diebus feſtis. proinde ſcripſit Ouidius,

*Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.*

*Tum in textili*) Vt in tela quæ dicabitur, aut panno.

*Bellicis*) Nam pingi ſolebant clypei varijs argumentis, & ſigna militaria.

*Et formæ*) ἀγάλματα Plato. formas igitur appellat imagines in tabulis pictis. *Exempli*) Huiuſmodi ſint, huius generis.

*Sed ego cætera*) Aſſentior Platoni, terram non eſſe conſecrandam: cætera de quibus cauet, non tam reſtrictè præfinio.

*Vitijs*) Quæ tantam ſeueritatem ferre nullo modo poſſent.

*Vel temporum*) Cùm harum rerum hodie maior copia ſuppetat, vt facilior ſit comparatio, minuſque ſumptuoſa.

*Ferroq; ſubijciendam*) Vomere arandam & ligone paſtinandam. Nam ſi receptum ſit, terram ſacram eſſe, eam ferro violare non audebunt, niſi ſuſceptis ſacris piacularibus. Sic Athenienſes in ſepulturis ſolum frugibus expiatum viuis reddebant. Iam agri ſacri non colebantur, & Amphictyones grauiſſimè Locros mulctarunt, quòd agrum ſacrum coluiſſent.

*A. Habeo iſta: nunc de ſacris perpetuis, & de manium iure reſtat. M. O miram memoriam Pomponi tuam! at mihi iſta exciderant. A. Ita credo, ſed tamen hoc magis eas res & memini, & expecto, quod & ad Pontificium ius, & ad ciuile pertinent. M. Vera & apertiſſima ſunt iſtis de rebus & reſponſa & ſcripta multa: & ego in hoc omni ſermone noſtro, quod ad cunq; legis genus me diſputatio noſtra deduxerit, tractabo quoad potero, eius ipſius generis ius ciuile noſtrum: ſed ita, locus vt ipſe notus ſit, ex quo ducatur quæq; ars iuris: vt non difficile ſit, qui paulum modo ingenio poſſit moueri, quæcunq; noua cauſa conſultatione acciderit, eius tenere ius, cùm ſcias à quo ſit capite repetendum. Sed Iuriſconſulti, ſiue erroris obijciendi cauſa, quo plura & difficiliora ſcire videantur: ſiue, quod ſimilius veri eſt, ignoratione docendi (nam non ſolùm ſcire aliquid artis eſt, ſed quædam ars etiam docendi) ſæpè quod poſitum eſt in vna cognitione, id in infinita diſpertiuntur: velut in hoc ipſo genere, quàm magnum illud Scæuolæ faciunt Pontifices ambo, & ijdem iuris peritiſſimi? Sæpè, inquit, Publij filius, ex patre audiui, Pontificem bonum neminem eſſe, niſi qui ius ciuile cognoſſet. Totúmne? quid ita? quid enim ad Pontificem de iure parietum, aut aquarum, aut vllo omnino? ergo quod cum religione coniunctum eſt. id autem quantulum eſt? de ſacris credo, de votis, de ferijs, de ſepulchris, & ſi quid eiuſmodi eſt. Cur igitur hæc tanta facimus, cum cætera perparua ſint? De ſacris autem, qui locus patet latius, hæc ſit vna ſententia, vt conſeruentur, & deinceps familijs prodantur: &, vt in lege poſui, perpetua ſint ſacra. Hoc poſito, hæc iura Pontificũ auctoritate conſecuta ſunt, vt, ne morte patrisfamilias ſacrorum memoria occideret, ijs eſſent ea adiuncta, ad quos eiuſdem morte pecunia venerit. Hoc vno poſito, quod eſt ad cognitionem diſciplinæ ſatis, innumerabilia naſcuntur, quibus implentur Iuriſconſultorum libri. quæruntur enim qui aſtringantur ſacris. Hæredum cauſa iuſtiſſima eſt, nulla eſt enim perſona quæ ad vicem eius, qui è vita emigrarit, propius accedat. Deinde qui morte teſtamentóue eius tantundem capiat, quantum omnes hæredes: id quoq; ordine. eſt enim ad id quod propoſitum eſt accommodatum. Tertio loco, ſi nemo ſit hæres, qui de bonis, quæ eius fuerint, cùm moritur, vſuceperit plurimum. Quarto, ſi nemo ſit, qui vllam rem ceperit, de creditoribus eius qui plurimum ſeruet. Extrema illa perſona eſt, vt is qui ei qui mortuus ſit, pecuniam debuerit, neminiq; eam ſoluerit, proinde habeatur, quaſi eam pecuniam ceperit. Hæc nos à Scæuola didicimus, nõ ita deſcripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant: tribus modis ſacris aſtringi, hæreditate, aut ſi maiorem partem pecuniæ capiat, aut ſi maior pars pecuniæ legata eſt, ſi inde quippiam ceperit. Sed Pontificem ſequamur. Videtis igitur omnia pendere ex vno illo, quòd Pontifices pecuniam ſacris coniungi volunt: iiſdemq; ferias, & ceremonias adſcribendas putant.*

*Ita credo*) Sane quidem ita exiſtimo: ſed tamen non meliore ſum memoria qui commemini. animum enim aduertit meum coniunctio vtriuſq; iuris, non bonitas memoriæ.

*Ad Pontificium*) Pontificium ius ad religionem pertinet: Ius ciuile ad res & rationes ſingulorum. Sacra autem priuata cùm coniuncta ſint cum pecunia & hæreditate, proinde etiam ad ius ciuile pertinent. ſic iura Deorum manium ad ius ciuile etiam pertinent, non tantùm ad pontificium; propter iura ſepulchrorum, & alia quædam.

*Reſponſa*) Iuriſconſultorum & Pontificum. Multa de his reſponderunt conſulti, iuriſconſulti & pontifices: multa etiam ſcriptis mandarunt.

*In omni ſermone*) In hac tota de Legibus diſputatione.

*Legis genus*) Vetus ſcriptura *Legimus genus.* puto ſcriptum fuiſſe *Legitimum genus.* quanquam *Legis genus* etiam probo. *Ciuile noſtrum*) Romanum.

*Sed ita*) Nec tamen vt Iuriſconſulti id verboſè faciam, perſequendo partes & ſpecies varias & multiplices: ſed eatenus complectar, vt intelligi poſſit, quo ex capite, & ex qua vniuerſa ſententia vis iuris qua de re cunque agetur, accerſi debeat, quod proprium eſt methodi: vt in ſacris priuatis caput erit, vt ijs ea ſint adiuncta ad quos morte patrisfamilias pecunia peruenerit. Locus enim hic eſt, caput vniuerſum, & ſententia vniuerſa.

*Quæque ars*) *Quæque pars* fortaſſe legendum eſt, quæ quidem ſententia eſt clariſſimi viri Æmari Ranconeti, cui ſuffragatur vetus ſcriptura, *Quæque rars.* pars autem eſt ſpecies & caſus, vt Iuriſconſulti loquuntur.

*Qui domo ing.*) Hæc vetus ſcriptura eſt, ſed legendum cenſeam, *Qui modo ingenio poſſit moueri.* Sumptum eſt ab animi agitatione, ex quo tardos appellamus parum ingenioſos. Cicero lib. 1. de Orat. *Nam & animi atq; ingenij celeres quidam motus eſſe debent.* Senſus eſt, qui aliquid ingenij habeat.

*Cauſa*) Cauſæ in foro tractantur ab Oratoribus: conſultationes à iuriſconſultis explicantur.

*Capite*) A qua ſententia, & à quo loco, & vt ita loquar, à qua maxima.

*Ignoratione doc.*) Ignoratione dialectices confusè docebant, vt apud eos Iuris ciuilis vſus potius quàm ars eſſet. Ita ex docendi ratione & methodo Seruium Sulpitium multo ſuperioribus præſtantiorem fuiſſe in Bruto docet.

*In vna cognit.*) Iuriſconſultos reprehendit, qui perſæpè rem ſimplicem, & quæ vno capite comprehendi poteſt, quo hodie etiam tenentur errore, in infinita diuidunt, & per ſingula, ſpecieſque varias artem docent. quod etiam eis obijcit lib. 3. de Oratore, *Video enim,* inquit, *in Catonis & Bruti libris nominatim ferè referri quid alicui de iure viro aut mulieri reſponderint, credo, vt putaremus; in hominibus, non in re, conſultationis aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe.*

*Scæuolæ faciunt*) Duo Scæuolæ fuerunt pontifices, Publius Mucius pater, & Quintus Mucius Publij filius, cui Cicero operam dedit.

*Sæpe inquit, Pub.*) Cùm facillimum ſit ius priuatorum ſacrorum, ſi Pontifices veteres ſequaris, adiunctione Iuris ciuilis id eſt à Scæuolis conturbatum & prope labefactatum. ex quo conficit non eſſe magnopere neceſſarium ius ciuile Pontifici, cùm tamen ſine iure ciuili Scæuolæ negarent huic loco ſatisfieri poſſe. *Aut vllo*) Puto legendum *Aut luminum.* Iura enim parietum, aquarum, ſtillicidiorum, luminum, coniuncta ſunt. Illud verò *Vllo omnino* non ſatis aſſequor, præſertim cùm ſequatur, *Ergo quod cum religione coniunctum eſt.*

*Coniunctum eſt*) Ergo iuris illius ciuilis cognitio tantùm ad pontifices pertinet, quod cum ſacris & religione coniunctum eſt, qua de re ſic in Bruto Cicero ſcribit, *Cùm ex eo ius noſtrum pontificium, qua ex parte cum iure ciuili coniunctum eſſet, vellem cognoſcere.*

*De ſacris*) Enumerat quæ cùm iure ciuili coniuncta ſint, quæ ſanè nec magna, nec difficilia ſunt.

*De ferijs*) Vt de ferijs priuatis & familiaribus. *Tanta*) Cur tam magnam putamus hanc iuris ciuilis cum pontificio coniunctionem, cùm in his ferè quæ enumeraui, quæ ſanè magna non ſunt, verſetur: & ſi quid præterea eſt, perparuum ſit?

*Cum cætera*) Præter ſacra, vota, ferias, ſepulchra. hic quidam *Certe* legunt, hoc ſenſu. Hæc quæ enumeraui tanta facere non debetis, cùm certè perparua ſint: quod tamen non probo.

*De ſacris*) De ſacris priuatis hoc loco diſſerit, quæ pecuniam ſequebantur, nec hominum morte interibant, ſed hæredibus iiſue ad quos pecunia perueniſſet, adiuncta erant. Ad ea ſacra pertinere illud Plauti arbitror, in Captiuis,

*Sine ſacris hæreditatem ſum adeptus offertiſſimam.* Et in Trinumo.
*Cœna hæc annona eſt, ſine ſacris hæreditas.*

*Qui locus pat.*) Quàm vel vota, vel ſepulchra, vel feriæ. *Sententia*) Caput generale, vniuerſumque ius.

*Pecunia venerit*) Pecunia hìc bona tàm mouentia, quàm ſoli ſignificat, vt apud Iuriſconſultos.

*Hoc vno poſi.*) Hoc poſito, quod auctoritate pontificum ſecutum eſt, & vim legis interpretatur, ſacra priuata perpetua ſancientis: idque, vt opinor, etiam poſitum in legibus 12. Tab. fuerat, cùm ſecutam deinde pontificum auctoritatem dicat, qui legem interpretati ſunt, ſacris cum pecunia coniungendis.

*Quæruntur en.*) A Iuriſconſultis. Sic ſupra, in bonis & veteribus libris, *Qui* vetantur dubitare qua ſit mente futurus Deus: alij *Quærunt* hic legendum cenſent.

*Hæredum*) Legitimorum, ſcriptorum, nuncupatorum. Iuſtiſſimum autem eſt hæredes aſtringi ſacris.

*Ad vicem*) Ad locum & munus, vt eadem prope perſona videatur. *Morte teſt.*) Vt donatione, aut legato. Licebat autem ex duodecim Tabul. quantum quis vellet legare.

*Id quoque ord.*) Id quoque rectè à Iuriſconſul. dicitur, vt quod de hærede dixerunt.

*Vſuceperit*) Anno vel biennio poſſederit, cùm emiſſet, aut ex alia cauſa dominium quæſiſſet.

*De creditoribus*) Si obærati cuiuſpiam, qui ſacro obnoxius ſit, bona creditoribus addicta fuerint, qui ex bonis plurimum habuerit, ſacris adſtringetur. Sed & debitorum bona vt venirent petere à prætore creditores ſolebant, cui auctioni præficiebant eum qui magiſter dicebatur.

*Proinde habeatur*) Id eſt, ſacris obnoxius ſit, quibus obſtrictus erat eius creditor.

*A Scæuola*) Q. Scæuola Publ. filio. *Ab antiquis*) Pontificibus, vt Coruncano.

*Maiorem*) Vt qui, verbi gratia, ex donationis cauſa. qui enim maiorem partem ceperit, adſtringetur.

*Si inde*) Omnes qui inde aliquid ceperint, adſtringentur ſacris.

*Pontificem ſeq.*) Q. Scæuolam, qui ſe propter iuris ciuilis ſcientiam melius iſta explicare cenſet, quàm Pontifices veteres, quibus ignorantiam iuris ciuilis obijcit.

*Pontifices*) Nam ſuprà dixit, *Hoc poſito hæc iura Pontificum auctoritate conſecuta ſunt, vt, ne morte patriſfamilias ſacrorum memoria occideret, ijs eſſent ea adiuncta ad quos eiuſdem morte pecunia venerit.*

*Atque etiam dant hoc Scæuolæ, quod eſt partitio, vt ſi in teſtamento deducta ſcripta non ſit, ipſique minus ceperint, quàm omnibus hæredibus relinquatur, ſacris ne alligentur. In donatione, hoc idem ſecus interpretantur. Et quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipſius poteſtate eſſet, approbauit, ratum eſt: quod eo inſciente factum eſt, ſi id is non approbat, ratum non eſt. His propoſitis, quæſtiunculæ*

multæ



*multæ naſcuntur, quas qui non intelligat, ſi ad caput referat, per ſe ipſe facilè perſpiciat. Veluti ſi minus quis cepiſſet, ne ſacris alligaretur, ac poſt de eius hæredibus aliquis exegiſſet pro ſua parte, id quod ab eo, cuius ipſe hæres eſſet, prætermiſſum fuiſſet: eaque pecunia non minor eſſet facta, cum ſuperiore exactione, quàm hæredibus omnibus eſſet relicta, qui eam pecuniam exegiſſet ſolum, ſine cohæredibus, ſacris alligari.*

*Etiam dant*) De ſuo afferunt, ab antiquis non traditum Pont.

*Quod eſt partitio*) Vel quod ex partitionibus eorũ eſt, docentium non vniuerſa nec perpetua ſententia, quibus modis quis liberari poſſet moleſtia ſacrorum: vel potius quod eſt partitio quædam bonorum defuncti inter hæredes & legatarios, vnde legatarij partiarij vocantur. Vlpianus, *Partis autem & pro parte ſtipulationes propriè dicuntur, quæ de lucro & de damno communicando ſolent interponi inter hæredem & legatarium partiarium, id eſt, cum quo partitus eſt hæres.* Æmarus Ranconetus, hìc legendum cenſet *Partitionis caput,* vt mox infrà.

*Deducta ſcripta non*) Hæc veterum librorum eſt ſcriptura, quam ſequor: quid enim aliud facere poſſum? & deductam hic deductionem interpretor: ſic remiſſam pró remiſſione dicit diuus Cyprianus, & miſſam eodem modo in re diuina, pro miſſione vſurpamus. Nam quod *Ite miſſa eſt*, pronuntiamus, quo olim cathecumeni dimittebantur, id eſt, quod à Græcis dicebatur ἀφεσις λαοῖς. ſic intritam etiam dicebant, vel pars ſubauditur, vt dicitur tertia deducta pro deductione tertiæ partis. Iuriſconſulti autem veteres non ſolùm calumnia quadam & calliditate, rationem liberandę ſacris pecuniæ excogitarant, verùm etiam interimendorum ſacrorum. Cicero pro Muræna, *Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt.* Quidam etiam hic non malè emendant *Deducta centum ſcripta non ſint.* nam hic quiddam deeſſe videtur, cùm, vt apparet ex ſequentibus, ſenſus ſit, vt centum nummos deducant, ſi in teſtamento ſcripta ſit ea deductio (quando, vt opinor, ex ingenio Iuriſconſultorum iam id ſolebat addi teſtamentis, cùm aliquem ſacris nolebat aſtrictum eſſe teſtator) alterum etiam ſubſidium erat, ſi deductio in teſtamento non eſſet ſcripta, vt minus caperet qui liberari vellet, quàm relictum eſſet omnibus hæredibus. hæc iuriſconſulti callidè & acutè excogitarant.

*In donatione*) In qua nec deductionem ſolennem centum nummorum, nec ſi minus capias, prodeſſe putant, niſi nominatim donationem paterfamilias approbarit.

*Quod paterfamil.*) Filiusfamilias ſine patris voluntate donare non poteſt, qua ceſſante, inhibetur donatio: ac ne cuilibet quidem, etſi liberam peculij adminiſtrationem habeat, peculium donare poteſt. Itaque ſi liberationem ſacrorum donauerit, eamq; rem remiſerit, vel cohæredi futuro, vel legatario quadam donatione, niſi teſtator id approbarit, ratum non eſt.

*In eius eſſet poteſt.*) Filiusfamilias in poteſtate patris eſt, & eius etiam liberi.

*Si ad caput referat*) Veteres libri *Qui intelligat, non ſi ad caput referat,* hoc ſenſu, leues quædam quæſtiunculæ oriuntur, quas ſi intelligens ſis & ingenioſus, etiam ſi caput, vnde ius oritur, teneas: tamen per te ſine Iuriſconſultorum ope & ſubtilitate non facilè diluas. Iuriſconſulti autem partes & ſpecies potius quàm caput ponere ſolent, etiam in ijs quæ vna conſultatione & cognitione continentur: ſed & à ſententia & capite, quod ſacra priuata continet, hac in re recedebant, vt in proxima quæſtione. alia ſcriptura eſt, *Quas qui non intelligat, ſi ad caput:* quam lectionem multi malunt ſequi. Caput vocat ſententiam perpetuam, ex qua ius pendet, vt ſacrum ſemper pecuniam ſequi. quod caput qui teneat, in quæſtiunculis non hæreat.

*Veluti ſi quis*) Vt ſi paterfamilias hæredibus quicuncem, legatario ſeptuncem reliquiſſet: legatarius autẽ non totũ legatũ, ne ſacris alligaretur, cepiſſet: ſed vncias, verbi gratia, tres prætermiſiſſet, quatuor exegiſſet: ac deinde is è vita, inſtitutis duobus hæredibus, migraſſet, quorum vnus rei à teſtatore prætermiſſæ ratam portionem exegiſſet, id eſt, ſeſcunciã: hic vtiq; ſolus abſque cohærede ſacro alligaretur, quoniã addita quatuor vncijs, quæ antè exactæ fuerant, vncia & ſemuncia, pecunia non minor eſſet facta, quàm omnibus hæredibus eſſet relicta. relictæ enim eis fuerant tantùm V. vnciæ à teſtatore: at legatarij hæres quatuor vncijs ſeſcunciam addit, quam pro ſua parte exigit, vt maior pecunia ſit quàm relicta eſt omnibus hæredibus.

*Superiore exactione*) Quam is cuius hæres fuit, fecerat: qui, verbi gratia, quatuor vncias exegerat.

*Quinetiam cauent, vt cui plus legatum ſit, quàm ſine religione capere liceat, is per æs & libram hæredes teſtamenti ſoluat: propterea quod eo loco res eſt ita ſoluta hæreditate, quaſi ea pecunia legata non eſſet. Hoc ego loco, multiſque alijs, quæro à vobis, Scæuolæ Pontifices maximi, & homines meo quidem iudicio acutiſſimi, quid ſit, quod ad ius pontificium ciuile adpetatis. Ciuilis enim iuris ſcientia pontificium quodam modo tollitis. Nam ſacra cum pecunia, Pontificum auctoritate, nulla lege coniuncta ſunt. Itaque ſi vos tantummodo Pontifices eſſetis, pontificalis maneret auctoritas: ſed quod ijdem iuris ciuilis eſtis peritiſſimi, hac ſcientia illa eluditis. Placuit P. Scæuolæ, & Coruncano Pontificibus maximis, itemq; cæteris, eos qui tantundem caperent, quantum omnes hæredes, ſacris alligari. Habeo ius pontificium: quid huc acceſſit ex iure ciuili? partitionis caput, ſcriptum cautè, vt centum nummi deducerentur. Inuenta eſt ratio, cur pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur. Quod ſi hoc, qui teſtamentum faciebat, cauere noluiſſet, admonet Iuriſconſultus hic quidem ipſe Mucius Pontifex idem, vt minus capiat, quàm omnibus hæredibus relinquatur. Super dicebant, qui quid cepiſſet, aſtringi: rurſus ſacris liberantur. Hoc verò nihil ad Pontificium ius, & è medio eſt iure ciuili, vt per æs & libram hæredes teſtamenti ſoluant: & eodem loco res ſit, quaſi ea pecunia legata non eſſet, ſi is cui legatum eſt, ſtipulatus eſt id ipſum quod legatum eſt, vt ea pecunia ex ſtipulatione debeatur, ſitq; ea non* *

*Cauent*) Iuriſconſultus enim cauere dicitur, cùm alicui conſulit.

*Sine religione*) Si legatum tam magnum ſit, vt religioni, id eſt, ſacris priuatis ſit alligatum.

*Æs & libram*) Teſtamentum, vt ait Iuſtinianus, aut in pace fiebat, quod Calatis comitijs vocabatur: aut cùm in prælium eſſent exituri, quod Procinctũ dicebatur: aut per æs & libram, id eſt, emancipationem, nimirum imaginariam venditionem, quæ fiebat præſentibus quinq; teſtibus, libripende, & eo qui familiæ emptor dicebatur. Itidem adoptio per æs & libram interdum fiebat: Suetonius in Auguſto, *Caium & Lucium adoptauit domi per aſſem & libram emptos à patre Agrippa, teneroſque adhuc ad curam Reipub. admouit.* Id etiam in nexu & venditione fiebat, & eadem iuris ſolennitate omnia iſta etiam ſoluebantur. Sententia igitur eſt: Cùm libera quondam eſſent legata, ſi legatarius plus accepiſſet, quàm ſine ſacrorum obligatione capere poſſet, cùm legata ab hærede præſtanda ſint, ſoluto per æs & libram hærede, & ſtipulatione interpoſita, iam non vt legata, quum ab hærede non præſtentur, ſed vt ſtipulata capiet, & ſacrorum onere liberabitur. *Ciuile ad*) Cuius quadam ſubtilitate ius pontificium euertitis. nam cùm pontifices velint eum ſacris alligatum eſſe, qui tantundem capiat, quantum omnes hæredes: vos calumniam quandam iuris ciuilis adhibuiſtis, & legatarium onere ſacrorum liberaſtis.

*Pontificum auctor.*) Nam lex tantùm ne ſacra intereant cauet, Pontifices ea cum pecunia coniunxerunt: ſed cùm Scæuolæ pecuniam onere ſacrorum liberent ſolertia & calliditate iuris ciuilis, nimirum ius Pontificium euertunt. *Pontifices*) Non etiam Iuriſconſulti.

*Hac ſcien.*) Scientia iuris ciuilis ius pontificium eluditis. legi fortaſſe poſſet, *Illam*, quod ad auctoritatem referretur. *Scæuolæ*) Patri Quinti Mucij Scæuolæ.

*Coruncano*) T. Coruncanus primus Romæ ius profiteri cœpit. huius nullum ſcriptum extabat, ſed reſponſa multa, vt auctor eſt Pomponius.

*Qui tantundem cape.*) Quæ iuriſconſulti Scæuolæ, qui & pontifex fuit, ſententia fuit, vt antè dixit.

*Partitionis caput*) Ex partitione Scæuolarum caput cuius paulo antè meminit: vel potius, vt antè explicaui, in partiario legatario hoc excogitarunt. caput enim partitionis dicit, quod ad partiarium legatarium pertinet. *Deducerentur*) A teſtatore, qui cautum eſſe legatario vellet, ne ſacris alligaretur.

*Cauere noluiſſet*) Quod ſi deductionem centum nummorum ſcribere in teſtamento noluiſſet, ad liberandum legatarium, tamen legatario opem Scæuola fert.

*Super*) Legendum eſt *Superiores*. Pontifices enim ſuperiores cenſebant, ſi maior pars pecuniæ legata eſſet, qui quidpiam cepiſſet, ſacris obligari: quæ Pontificum auctoritas à Scæuola eluditur.

*Et e medio iure*) Nam ius ciuile in nexis & mancipijs libram & æs adhibebat, quod huc Scæuolæ transferunt.

* *doctum hominem ſanè, cuius fuit Accius perfamiliaris: ſed menſem credo extremum anni, vt veteres Februarium, ſic hic decembrem ſequebatur. Hoſtia autem maxima parentare, pietatis adiunctum putabat. Iam tanta religio eſt ſepulchrorum, vt extra ſacra & gentem inferri fas negent eſſe: idq; apud maiores noſtros. A. Torquatus in gente Popilia iudicauit. Nec verò tàm Denicales, quæ à nece appellatæ ſunt, quia reſidentur mortui, quàm cæterorum cœleſtium quieti dies, feriæ nominarentur, niſi maiores eos, qui ex hac vita migraſſent, in Deorum numero eſſe voluiſſent. eas in eos dies conferre ius, quibus nec ipſius, neque publicæ feriæ ſint: totaq; huius iuris compoſitio pontificalis magnam religionem ceremoniamq; declarat. Neq; neceſſe eſt ediſſeri à nobis, quis finis funeſtæ familiæ: quod genus ſacrificij Lare veruecibus fiat: quemadmodum os reiectum terræ obtegatur, quæq; in porca contracta iura ſint: quo tempore incipiat ſepulchrum eſſe, & religione teneatur.*

*Doctum*) Hic deſunt nonnulla de votis, vt ſuſpicor, cùm præſertim ita poſuerit, de ſacris, de votis, de ferijs, de ſepulchris: nunc enim de ferijs agit.

*Doctum hominem*) Decimum Brutum intelligit, qui Accij poetæ perfamiliaris fuit. Cicero pro Archia, *Decimus quidem Brutus ſummus vir & imperator, Accij amiciſſimi ſui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit ſuorum.* Veteres autem extremo anni menſe dijs Manibus parentare ſolebant, qui februarius erat: verùm poſteaquàm februarius ſecundus anni menſis factus eſt, obtinuit vt eodem tamen menſe res diuina eis fieret. Veruntamen Brutus inſtituti veteris memor, non februarium, ſed decembrem vltimum menſem ſequebatur, in Deorum Manium parentationibus. Hunc Ciceronis locum, ſic in Problem. attingit Plutarchus, *διὰ τί τῶν ἄλλων ῥωμαίων ἐν τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, Δέκιμος Βροῦτος, ὡς Κικέρων ἱστόρηκεν, ἐν τῷ δεκεμβρίῳ τοῦτο ἔπραττεν*, id eſt, Cur cum cæteri Romani februario mortuis parentarent, Decimus Brutus, vt Cicero ſcribit, id decembri faciebat?

*Veteres februarium*) Qui erat anni vltimus olim menſis, poſtea ſecundus eſt factus. Ouidius,

*Qui ſequitur Ianum veteris fuit vltimus anni,*
*Tu quoque ſacrorum Termine finis eras.*
*Primus erat Iani menſis, quia ianua prima eſt:*
*Qui ſacer eſt imis Manibus, imus erat.*
*Poſtmodo creduntur ſpatio diſtantia longo*
*Tempora bis quini continuaſſe viri.*

Februario autem parentalia & feralia reſidebantur, & ſepulchris epulæ inferebantur: eaſq; ferias nunc ſignificat Cicero, quæ publicæ erant. Ouidius.

*Hanc quia iuſſa ferunt dixere feralia lucem:*
*Vltima placandis Manibus illa dies.*

*Hoſtia autem max.*) Verbi gratia, iuuenco, aut oue, aut porca. Virgilius,

*Hinc albi Clitumne greges & maxima taurus*
*Victima.*





Feſtus etiam ſcribit, maximam hoſtiam ouilli pecoris appellatam fuiſſe ab antiquis, non ab amplitudine corporis, ſed ab animo placidiore. Manibus litari poteſt ſalſis frugibus & mica ſalis: veruntamen maxima hoſtia parentare, vt oue, aut iuuenco pietatis eſſe Brutus putabat.

*Pietatis adiunctum*) Quomodo attributa rerum & perſonarum dicere ſolemus: ita hoc loco Adiunctum pietatis dixit, pro pietatis adiunctione & adiectione. Sed genus hoc dicendi ſanè quodam modo inſolens eſt, verùm eodem modo ſcribit Cicero, *Illud, cuius id conſequens ſit, non poſſe eſſe verum.*

*Iam tanta eſt relig.*) Quondam gentes ac familiæ ſua ſepulchra habebant. Caius lib. 11. Digeſt. *Familiaria*, inquit, *ſepulchra dicuntur, quæ quis ſibi familiæq; conſtituit: hæreditaria autem, quæ ſibi hæredibuſq; ſuis conſtituit.* *Extra ſacra*) Sua enim familiæ ſacra habebant: eaque certis in locis, vt ſuprà, Hic ſacra, hic gens.

*Popilia*) In Popilijs qui à Lena, cognomento Lenates dicebantur.

*Denicales*) Sic hunc locum primus omnium quod ſciam, reſtituit Æmarus Ranconetus vir clariſſimus & eruditiſſimus. *Denicales*, inquit Feſtus, *feriæ colebantur, cùm hominis mortui cauſa, familia purgabatur.* Gellius, *Niſi harunce quæ cauſa erit, funus familiare, feriæ Denicales, Calendæq;, quæ non eius rei cauſa in eum diem collatæ ſint.* Sunt autem hæ feriæ priuatæ, vt feralia & parentalia, de quibus ſuprà egimus, publicæ. Feſtus, *Priuatæ feriæ vocantur ſacrorum propriorum, velut dies natales, & operationes denicales.*

*Nece*) Feſtus à verbo Græco *νεκρὸν* deducit. *Quia reſidentur*) Id eſt quia feriamur mortuis. Reſidere enim feriari eſt, à quiete feriarum ducto vocabulo. Plaut. Captiuis. *Ita venter guttúrque reſident eſuriales ferias.* ſed & ſedere idem quoque declarat. Varro, *Liberalia dicta, quòd per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes Liberi.* Quinetiam poſſidere ferias, ab eadem eſt origine. Plautus Epidico, *Tuas poſſidebit mulier faxo ferias.* *Quam cæterorum*) Denicales non æquè, ac cæterorum cælitum quieti dies, feriæ nominarentur, niſi dij manes eſſent.

*Eas in*) Sunt enim priuatæ Denicales feriæ nec ſtatæ, ſed hominis mortui cauſa ſuſceptæ, quæ in eos conferendæ ſunt dies, quibus nec priuatæ eiuſdem familiæ feriæ ſint, nec vllæ publicæ.

*Funeſtæ familiæ*) Funeſta familia, funera polluta, Virgilius,

*Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,*
*(Heu neſcis) totámque inceſtat funere claſſem.*

Ea certo ſacrificio expiabatur & purgabatur. Humato igitur mortuo, & piaculis factis, funeſta eſſe deſinit familia.

*Lare veruecib.*) Vetus liber, *Sacrificare verberibus*, vitioſa planè ſcriptura, vt & recepta, legendum aliquando cenſui, *Farre & verbenis*. Nam farra torrida, in februis fuiſſe ſcribit Ouidius: & verbenis, vt Plinius ait, *Iouis menſa verrebatur, domúſque purgabantur & luſtrabantur.* Exuerras autem ſignificare mihi videtur. ſic vocabatur purgatio domus, ex qua efferebatur mortuus; quæ fiebat per euerriatorem, certo genere ſcoparum adhibito. Videtur tamen ſcriptum fuiſſe, *Sacrificij aræ verberibus fiat.* Nam vt Luperci obuios verberabant ad vrbem purgandam, ita quoque ad familiæ purgationem hac ceremonia ſacrum fortaſſe fiebat. Aſconius ſcribit Licinium quendam fuiſſe de plebe ſacrificulum, qui ſolitus eſſet familias purgare, quem etiam Cic. popam, id eſt, ſacrificulum appellat.

*Os reiectum terræ*) Vſto iam cadauere, lectiſque oſſibus, interdum os excipiebatur, donec domus purgaretur: intereaque homo inhumatus dicebatur, & familia funeſta. Varro lib. 4. de lingua Latina, *Terra, vt putant, eadem & humus.* Ideo Ennium, *In terram cadentes, dicere, cubitis pinſabant humum. Et quòd terra ſit humus, ideo is humatus mortuus, qui terra obrutus: ab eo, qui Romanus combuſtus eſt, ſi in ſepulchrum eius obiecta gleba non eſt, aut ſi os exceptum ad mortui familiam purgandam, donec in purgando, humo non eſt opertum, vt Pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia funeſta manet.* Quinetiam membrum interdum abſcindebatur mortuo, ad quod ſeruatum iuſta fierent reliquo corpore combuſto, vt eſt auctor Feſtus. Os igitur reiectum terræ, os eſt redditum terræ, quod fuerat exceptum, non cum alijs conditum in vrna.

*Quæque in porca contracta*) Sic legendum ex veteribus libris. Id eſt, quibus ſuſcipienda porca ſit, quibus non. Porca autem præſa, purgandæ familiæ cauſa Cereri immolabatur. ſed & præcidanea interdum, cùm præſertim dicat Feſtus, ita porcam vocari quæ Cereri mactabatur ab eo qui mortuo iuſta non feciſſet, id eſt, glebam non inieciſſet. quia mos erat eis id facere, priuſquàm nouas fruges guſtarent. Hæc quoque Varronis verba ſunt, *Quòd humatus non ſit, hæredi porca præcidanea ſuſcipienda Telluri & Cereri: aliter familia pura non eſt.*

*Incipiat ſepulchrum*) Non antè incipit ſepulchrum eſſe, quàm eſt iniecta gleba, vt mox dicet, nec antè religione tenetur: aut quàm corpus vſtum eſt, reliquiæque conditæ.

*Ac mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus illud fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur. eodémque ritu in eo ſepulchro, quod ad Fontis aras, regem noſtrum Numam conditum accepimus: gentémque Corneliam vſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe vſam. C. Marij ſitas reliquias apud Anienem diſſipari iuſſit Sylla victor, acerbiore odio incitatus, quàm ſi tàm ſapiens fuiſſet, quàm fuit vehemens: quod haud ſcio, an timens ſuo corpori poſſet accidere, primus è patritijs Cornelijs igni voluit cremari. Declarat etenim Ennius de Aphricano, Hic eſt ille ſitus. Verè: nam Siti dicuntur ij, qui conditi ſunt, nec tamen eorum antè ſepulchrum eſt, quàm iuſta facta, & corpus incenſum eſt. Et quod nunc communiter in omnibus ſepultis ponitur, vt humati dicantur, id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eumq; morem ius pontificale confirmat. nam prius quàm in os iniecta gleba eſt, locus ille, vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus eſt, & ſepulchrum vocatur, ac tum deniq; multa religioſa iura complectitur. Itaq; in eo qui in naui necatus, deinde in mare proiectus eſſet, decreuit P. Mucius, familiam puram, quòd os ſupra terram non extare portam*

*hæredi eſſet: contrà cenſet habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pati: ſi in mari mortuus eſſet, eadem, præter piaculum & ferias.*

*Apud Xenophontem Cyrus*) Sic enim apud Xenophontem humari ſe præcipit Cyrus, τὸ δ' ἐμὸν σῶμα ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτ' ἐν χρυσῷ, μήτ' ἐν ἀργύρῳ, μηδ' ἐν ἄλλῳ μηδενὶ θῆτε. ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ τῇ γῇ μιχθῆναι, ἣ πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ τἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει. id eſt, Meum autem corpus, filij, cùm è vita migraro, neque in auro, neque in argento, neque alio quopiam loculo condatis: verùm terræ quamprimum reddatis. quid enim præſtabilius ac beatius, quàm cum humo miſceri, quæ omnia pulchra, omnia bona parit & educat? Apparet vtrunque genus ſepulturæ Xenophontis ætate in vſu fuiſſe, ſed à Xenophonte humationem præferri. Sic Crito in Phædone Socratem interrogat, quomodo ſepeliri vellet, id eſt, vríne an humari? & Socrates in Phædone vtrunque genus complectitur, cùm dicit, καὶ μὴ ὁρῶν μου τὸ σῶμα ἢ καιόμενον, ἢ κατορυττόμενον ἀγανακτῇ. id eſt, Ne ægrè ferat Crito corpus meum vri aut humari cernens. Humationem etiam Cicero vſtioni anteponere ferè videtur.

*Vtitur*) vetus liber *Itit.* fortaſſe ſcripſerat ſepelitur. *Operimento*) A matre terra operitur.

*Ad Fontis aras*) In Ianiculo Numa, Liuio, Plutarcho & Plinio teſtibus, cum ſuis libris in arcis lapideis ſepultus eſt. Illic aut ad fontem aræ quædam, vt opinor, erant. vt apud Ciceronem lib. 2. de Diuinatione, fontis delubrum eſt. Itaque & fontis, inquit, delubrum Marſo ex Corſica dedicauit: aut cùm Numa ad portam Capenam, quâ Camœnarum fons & lucus erat, cum Ægeria colloqui ſolitus eſſet. qua de re ſic ſcribit Iuuenalis.

*Subſtitit ad veteres arcus, madidámque Capenam:*
*Hic vbi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.*
*Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur*
*Iudæis, quorum cophinus fœnúmque ſupellex.*
*Omnis enim populo mercedem pendere iuſſa eſt*
*Arbor, & eiectis mendicat ſylua camœnis.*

In memoriam eius rei propè ſepulchrum eius in Ianiculo aræ fonti excitatæ & ſacratæ fuerant. Fortaſſe legi poſſet, *Quod ad fontes erat.* Non enim iam erat ætate Ciceronis, ſed multo antè refoſſum ſepulchrum fuerat à ſcriba agrum ſuum in Ianiculo repaſtinante, ſed hæc coniectura eſt. Vetus etiam ſcriptura contemnenda non eſt, *Quod procul à fontis ara.*

*C. Marij*) Plinius, *Ipſum cremare apud Rom. non fuit veteris inſtituti: terra condebantur. At poſtquàm longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſeruare ritus: ſicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus: idq; voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marij cadauere. Sed nec apud Romanos infantes pueri, quibus nondũ dentes erant, cremabantur.* Plin. *Infans priuſquã ei gignantur dentes, non cremabatur.* Iuuenal. —— *vel terra clauditur infans Et minor igne rogi.* Cadauera etiam fulmine icta, humo iniecta condebantur, eaq; cremari nefas erat. *Reliquias*) Sic loquitur, quia vſtus fuerat Marius, non humatus.

*Anienem*) Lucanus, *Tollentémque caput gelidas Anienis ad vndas Agricolæ fracto Marium videre ſepulchro.*

*Quam ſi tam ſapiens*) Id eſt, quàm incitatus fuiſſet, ſi tam ſapiens fuiſſet, quàm fuit vehemens.

*Suo corpori poſſet*) Vt Caue facias, pro Caue ne facias dicitur: ſic timens accidere poſſet, pro timens ne accidere poſſet, hic dixit. *Poſſe* legendum cenſet vir clariſſimus Æmarus Ranconetus: quomodo Varro dixit, *Ambigebat Q. Mucius, eum expiari vt impium non poſſe.* *Primus è patritijs*) Erant enim & Cornelij plebeij. *Declarat etenim Ennius*) Probat Ennij verſu, gentem Corneliam ſolitam eſſe humari, ex Aphricano, quem humo conditum & ſitum dixit. Vnde Siticines dicebantur, qui apud ſitos, id eſt, vita functos & ſepultos canebant, vt Gellius ait. Itaque quod Cicero ſubijcit, *Nec tamen eorum antè ſepulchrum eſt, quam iuſta facta & corpus incenſum eſt: ſuſpectum habeo, quando nec incenſo corpore adhuc ſepulchrum eſt, & de ijs qui non cremabantur differit.* Vetus ſcriptura eſt, *Et corpus ceſus eſt*, altera, *Orſus eſt.* Fortaſſe legendum eſt *Corpus ceſſum eſt*, id eſt ceſſione quadam ſepulchri factum & ſepulchro relictum. tùm enim ſepulchrum eſſe incipit, locuſq; religioſus efficitur: aut ætate Ciceronis etiam ſiti dicebantur quomodocunq; ſepulti.

*Hic eſt ille ſitus*) Epigrammata ſcripſerat in Aphricanum Ennius: ex vno hoc affertur à Seneca, —— *cui nemo ciuis nec hoſtis Quiuit pro factis reddere operæ precium.* Hac particula verſum eum, cuius hic principium ponit, abſoluerat, vt opinor, Ennius, *Hic eſt ille ſitus, cui nemo ciuis nec hoſtis*: ex altero, in quo Aphricanus ipſe loquens inducebatur,

*Ab ſole exoriente ſupra Mæotis paludes,*
*Nemo eſt, qui factis me exuperare queat.*

& illud item ex eodem, vt arbitror.

*Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt,*
*Mi ſoli cæli maxima porta patet.*

Africanus etiam illud de ſe apud Ciceronem loquitur, *Deſine Roma tuos hoſtes, Nanque tibi monumenta mei peperêre labores.*

*Et quod nunc comm.*) Nam ſepultus, Plinio teſte, quoquomodo conditus dicitur: humatus verò, humo contectus: nunc tamen Cic. ait omnes quoquomodo ſepultos, humatos communiter dici.

*Ponitur vt*) *Penitus humati* ſcriptum erat, emendaui. *Ponitur, vt humati.* quomodocunque ſepulti ſint, humati hodie dicuntur, etiam ſi antè vſti.

*Priuſquam in os iniecta*) Os illud intelligit quod ad familiam purgandam excipiebatur. Iniectio autem glebæ ſepulturæ genus eſt ſine vſtione, quòd terra iniecta fiebat tã præſente cadauere, quã abſente. Virgil.

*Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram*
*Inijce.*





Græci χῶμα ἐπιβάλλειν, & χοῦν ἐπαμήσασθαι dicunt. Veteres libri, *In eos iniecta*, non malo etiam ſenſu. Cùm igitur oſſi excepto gleba inijciatur, ex eo intelligimus ſine vſtione olim ſolita funerari cadauera: & os illud ſeruabatur ad vſurpationem veteris ſepulturæ.

*Et ſepulchrum vocatur*) *Et gleba vocatur*, in veteri libro. Nam ex iniecta gleba hoc genus ſepulturæ gleba vocabatur, vt opinor.

*Religioſa*) Religioſum ſepulchrum dicitur, & religioſus locus eſt, in quo mortuus humatus aut ſepultus eſt.

*Itaque in eo*) Iuſtis factis, conditis reliquijs, & iniecta in os gleba, locus religioſus eſſe incipit, & familia pura: qui autem cadaueri iuſta non feciſſet, aut non humaſſet, porcam ſuſcipere cogebatur, vt diximus. Qui ergo in naui mortuus eſt, dein in profundum proiectus cùm ille prorſus conditus ſit & ſepultus, familiam funeſtam non eſſe putabat Mucius: contrà cenſebat ſi os eſſet ſupra terram, & denicales ferias triduum habendas, & porcam immolandam: at eum qui in mari mortuus ſit, ſepultum cenſet, familiamque puram nec porcam aut ferias ſuſcipiendas putat. Hæc igitur Scæuolæ decreta confirmant eos eſſe ſepultos, qui vſti non ſint. Nam iniectioni glebæ reſpondere cenſet Mucius operimentum aquæ.

*Non extare porcam*) Veteris libri excuſa ſcriptura eſt. Legendum cenſeo *Familiam puram, quòd os ſuprà terram non extra porcam hæredi eſſet.* os ſupra terram neceſſitatem affert immolandæ porcæ ad purgationem familiæ: at tùm os non eſt ſupra terram, cùm totum cadauer in mare proiectum ſit: vt proinde pura hæredi familia ſit ſine porca. ita ratio erit ex contrario. aut legendum eſt *Quod os ſupra terram non eſt, extra porcam hæredi eſſe*, id eſt ſine immolatione porcæ familiam puram eſſe. Cùm multis locis miſerum in modum lacer & deformis eſt his in libris Cicero, tùm hoc vel maximè loco, cui medicinam adhibere perdifficile eſt. Si *Extra portam* legas, vt in veteri, intelliges id ex conſuetudine veterum, qui nec ſepeliebant, nec vrabant in vrbe.

*Contra cenſet*) Si os ſupra terram ſit: vt ſi os ex mortuo ſeruatum ſit, aut pars aliqua. Hìc autem pro *Contrà cenſet*, quidam *Cotta cenſet* legunt, quibus nullo modo aſſentior. Sed & quidam legunt *Quod os ſupra terram non extaret, porcam hæredi eſſe*, quam ſcripturam probarem, ſi ſenſum abſolueret, aut voluntati Scæuolæ conſentanea eſſet, qui, vt opinor, exiſtimauit non ſuſcipiendam ei porcam, cuius familia pura eſſet, cùm porca ad purgationem familiæ immolari ſoleret.

*Porco*) Antiquo more. Sic lupum fœminam Ennium dixiſſe ſcribit Quintilianus, & Cato ſcribit, *Porco fœmina priuſquàm haſce fruges condant.*

*A. Video quæ ſint in Pontificio iure, ſed quæro ecquidnam ſit in legibus. M. Pauca ſanè, Tite, & uti arbitror, non ignota vobis: ſed ea non tàm ad religionem ſpectant, quàm ad ius ſepulchrum.* Hominem mortuũ, *inquit lex in XII.* in vrbe ne ſepelito, néue vrito. *Credo, vel propter ignis periculũ. Quod autem addit*, Néue vrito, *indicat non qui vratur ſepeliri, ſed qui humetur. A. Quid qui poſt Duodecim in vrbe ſepulti ſunt clari viri? M. Credo, Tite, fuiſſe, aut eos quibus hoc ante hanc legem virtutis cauſa tributum eſt, vt Publicolæ, vt Tuberto, quod eorum poſteri iure tenuerunt: aut eos, ſi qui hoc, vt Fabricius, virtutis cauſa ſoluti legibus conſecuti ſunt. ſed in vrbe ſepeliri lex vetat: ſic decretum à Pontificum collegio, non eſſe ius in loco publico fieri ſepulchrum. Noſtis extra portam Collinam ædem Honoris, aram in eo loco fuiſſe memoriæ proditum eſt. ad eam cùm lamina eſſet inuenta. & in ea ſcriptum, Minæ Honoris, ea cauſa fuit, ædis huius dedicandæ. ſed cùm multa in eo loco ſepulchra fuiſſent, exarata ſunt. ſtatuit enim collegium, locum publicum non potuiſſe priuata religione obligari. Iam cætera in XII. minuendi ſumptus ſunt, lamentationeſq; funeris, tranſlata de Solonis ferè legibus.* Hoc plus, *inquit*, ne facito. Rogum aſcia ne polito. *Noſtis quæ ſequuntur. diſcebamus enim pueri XII. vt carmen neceſſarium, quas iam nemo diſcit. Extenuato igitur ſumptu tribus ricinijs, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Mulieres genas ne radunto: néue leſſum funeris ergô habento. *Hoc veteres interpretes, Sex. AElius, L. Acilius non ſatis intelligere ſe dixerunt: ſed ſuſpicari, veſtimenti aliquod genus funebris. L. AElius leſſum quaſi lugubrem eiulationem, vt vox ipſa ſignificat: quod eo magis iudico verum eſſe, quia lex Solonis idipſum vetat. Hæc laudabilia, & locupletibus ferè cum plebe communia, quod quidem maximè è natura eſt, tolli fortunæ diſcrimen in morte.*

*In legibus*) In Duodecim Tabulis.

*Ius ſepulchrorum*) Ne violentur, ne vſucapiantur, & reliqua.

*Hominem mortuum*) Veterum ſepulchra in agris erant, & Vlpiano teſte, D. Adrianus aureorum quadraginta pœnam ſtatuit in eum, qui in ciuitate ſepulchrum feciſſet, eamque fiſco inferri iuſſit. Iulius quoque Paulus lib. Sentent. 1. ita ſcribit, *Corpus in ciuitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra ciuitatis: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Hæc autem XII. Tab. lex à Solone ſumpta eſt.

*Vel propter*) Cùm propter alia id ita cautum arbitror, ne funeſtarentur ſacra ciuitatis: tùm vel maximè propter ignis periculum à rogis. quidam hic legunt *Credo videlicet.*

*In vrbe ſepulti*) Initio quiſque in ſuis ædibus ſepeliebatur: hanc ob cauſam Lares coluerunt. Id deinde lege XII. Tabul. prohibitum fuit, quæ vetuit, ne quis in vrbe ſepeliretur. Cineres tamen virorum triumphalium, imperatorum, ſummorum ducum, virginum Veſtalium in foro condi licebat. Plutarchus in Quæſtionibus Romanis, etiam ius fuiſſe hominis triumphalis oſſa in vrbem inferri, & ſepeliri ait: quod idem imperatoribus eximijs & viris præſtantiſſimis conceſſum fuiſſe ſcribit: eorumque etiam poſteros ius idem vſurpaſſe, vt in foro ſepelirentur. Ita ſepultum Valerium, & ſolutum legibus fuiſſe Fabricium, eorumque poſteros id ita tenuiſſe, vt illato in forum cadaueri facem ſupponerent: deinde extra vrbem efferrent, ſatis habentes ſine inuidia in ſpeciem id ſibi vindicare.

*Publicolæ*) Hi ante tempora decemuirorum fuere, qui duodecim tabulas ſcripſerunt.

*Tuberto* ) P. Poſthumius Tubertus fuit, qui primo conſulatu collega Valerij publicolæ fuit: ſecundo collegam habuit Agrippam Menenium Lanatum, vt ſcribſit Dionyſius.

*Soluti* ) Quibus gratia legis facta eſt, quibuſque permiſſum eſt aduerſus legem, vt in vrbe ſepelirentur.

*In loco publico* ) Vt in vrbe. Vlpianus Digeſt. de religione & ſumptu funerum, *Si in locum publicis vſibus deſtinatum intulerit quis mortuum, Prætor in eum iudicium dat, &c.* Quod oſtendit in loco publico ſepelire non licuiſſe. ſepulchra enim iuris priuati ſunt.

*Cum lamina* ) Nam ex ara & lamina locum eſſe publicum coniecerunt & ſacrum. Nam & lamella ærea aſſimilis ſtellæ locis inaugurandis præfigebatur, & ſubſilles quædam erant lamellæ ſacrificijs neceſſariæ.

*Exarata* ) Id factum eſt vt oſtenderetur locum religione non teneri, quod nefas fuiſſet, ſi locus religioſus fuiſſet. Qui locum in quo cineres patris erant ararat, in eum dictum eſſe mordaciter legimus, Id eſſe ſepulchrum patris colere.

*Mina Honoris* ) Puto, *Lamina Honoris.* *Locum publicum* ) Locus vbi quis humatus eſt, religioſus fiebat: at locus publicus priuata religione obligari non debet. *Minuendi ſumptus* ) Quæ ad minuendum ſumptum pertinent, vt ſupra, *Quantæ ſalutis ſint fœderum religiones: aut ſubaudiendum cauſa, more Græco.*

*Hoc plus ne facito* ) Id ad minuendam pompam impenſaſque funeris in lege XII. Tabularum poſitum eſt. Id eſt, ne plus in funere, quàm quod à me cauetur, his legibus facias. *Hoc plus ne facito rogum,* quidam legunt, malè, vt opinor. *Rogum aſcia ne polito.* ) Aſcia dolabræ genus poliendis lignis aptum. Ne autem ex politis fiat lignis pyra lex cauet. Sic ἀσκέπαρνον ϑᾶκον dixit Sophocles, impolitum ſedile, non exaſciatum, aſcia non politum. Alij de ſepulchris intelligunt, nec, vt opinor, rectè. Nam quibuſdam in locis hodieque ſepulchra ſub aſcia dedicata viſuntur, hac inſcriptione,

VIVI SIBI PONEND. CVRAVER.
ET SVB ASCIA DEDICAVERVNT.

Solebant & rogi à quibuſdam pingi. Plinius, Ne quis miretur & rogos pingi. *Tribus ricinijs* ) Ricinium, inquit Feſtus, omne veſtimentum quadratum. Hi qui Duodecim interpretati ſunt, dixere togam qua mulieres vtebantur, prætextam clauo purpureo. Ricinium autem dictum putat, quòd eo vterentur duplici, ab eo quòd dimidiam partem retrorſum iaciebant, à reijciendo. Solon quoque, vt Plutarchus ſcribit, mulieres cum tribus duntaxat veſtibus ad pompam funebrem exire voluit: nimirum vt lamentatio & ſumptus tolleretur. Plutarchi verba ſunt, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τειῶν. proinde locum hunc de veſtimentis muliebribus intelligo: cui interpretationi ſuffragatur Varro apud Noniũ his verbis, *Vt dum ſupra terram eſſent, ricinijs lugerent: funere ipſo, pullis pallis amictæ.* Rurſus Varro, *Et cùm mulieres in aduerſis rebus ac luctibus, omnem veſtitum delicatiorem & luxurioſum poſtea inſtitutum ponunt, ricinia ſumunt.* Sunt igitur ricinia veſtimenta mulierum lugubria. *Recinium* multi ſcribunt, quibus aſtipulatur etymologia Feſti.

*Et vinculis purpu.* ) Vetus liber, *Et vincla purpuræ,* putaui aliquando legendum, *Tunicula purpurea,* qua cadauera, vt opinor, cùm efferebantur, veſtiebantur. Liuius, *Purpura viri vtemur, magiſtratibus in colonijs municipijſq; togæ prætextæ habendæ ius eſt: nec id vt viui ſolùm habeant tantùm inſigne, ſed etiam vt cum eo crementur mortui.* Alioqui vincla faſcias intelligemus. Quid ſi & clauis purpuræ? præſertim cùm clauo purpureo prætextum ricinium fuiſſe ſcribat Feſtus. hoc omnino verius puto.

*Decem tibicinibus* ) In nobilium olim funeribus tuba, in pauperum & plebeiorum tibia canebant. M. tamen Æmilius Lepidus princeps Senatus, vt ſine linteis, ſine purpura & tibicine funus ſibi fieret, filijs præcepit. Decem autem tibicinibus in funere plures non erant. Ouid. lib. 6. Faſtorum,

*Adde quòd ædilis pompa qui funeris irent.*
*Artifices ſolos iuſſerat eſſe decem.*

ita Ouidius hanc legem ædilibus attribuere videtur, quæ tamen decemuiralis erat.

*Genas ne radunto* ) Id eſt, ne lanianto, ne laceranto. Solon, inquit Plutarch. ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν, i. lacerationes plangentiũ ſuſtulit. Plin. lib. 2. *Infra oculos malæ homini tantùm, quas priſci genas vocabant, XII. Tab. interdicto radi à fœminis eas vetante.* Olim autẽ ante rogum humanus ſanguis effundebatur, vel captiuorum, vt apud Homerum in rogo Patrocli: vel gladiatorum, vnde Buſtuarij gladiatores à Romanis vocati. quorum ſi copia deeſſet, fœminæ genas laniantes cruorem effundebant: quod lex vetat, quæ ait, *Mulier faciem ne carpito.* Nam ſic à quibuſdam verba legis concipiuntur, malè tamen, vt reor.

*Neue leſſum* ) Cic. 2. Tuſcul. *Et hic nimirum eſt fletus, quem XII. Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt.* Leſſus autem eiulationem ſignificat, voxque eſt fictitia, per onomatopœiam. Plautus, *Thetis quoque etiam lamentando leſſum fecit filio.* Leſſum autem habere, ea dicitur forma, qua ferias habere, habere comitia, vt cùm hera familiæ lamentationẽ toti imperat aut præficam adhibet, quæ & ipſa lamentetur, & cæteris det modum plangendi. *Sex. Æli.* ) XII. Tabul. interpres, qui Actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellatur ius Ælianum: ſcripſit & librum Tripertita inſcriptum, in quo iuris incunabula docet. Eum Ennius catum vocat. *Acilius* ) Citatur à Feſto vt iuris interpres. Cic. de Senectute Acilium ſcribit ſapientem appellatum fuiſſe, quia prudens in iure ciuili habebatur. In altero manu ſcripto legitur, *Attilius.* P. Attilium Pompon. iuris interpretem nominat. *Acilium* tamen hic malim. *Lælius* ) Scribendum *L. Ælius,* cognomento Stilo & Præconinus, grammaticus optimus, Varronis magiſter, cuius meminit Feſtus, Tranquillus, Varro. *Vox ipſa* ) Vocis ipſius fictio & onomatopœia.

*E natura* ) Id eſt, ſecundum naturam.

***Cætera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim ſuſtulerunt.*** Homini, *inquit,* mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus faciat. ***Excipit bellicam peregrinamq; mortem. Hæc præterea ſunt in legibus, de vnctura, quæ ſeruilis vnctura tollitur, omniſque circumpotatio: quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur, niſi fuiſſent. ne ſumptuoſa reſperſio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur. Illa iam ſignificatio eſt, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quòd coronam virtute partam, & ei qui periſſet,***

***periſſet,***



***periſſet, & eius parenti, ſine fraude eſſe lex impoſitam iubet. Credóque, quòd erat factitatum, vt vni plura fierent, lectique plures inferentur, id quoque ne fieret, lege ſanctum eſt: quæ in lege cùm eſſet,*** Neue aurum addito, quàm humanè excipit altera lex, Quoi auro dentes vincti eſſent, aſt im cum illo ſepelire vreréue, ſe fraude eſto. ***Et ſimul illud videtote, aliud habitum eſſe, ſepelire & vrere. Duæ ſunt præterea leges de ſepulchris: quarum altera priuatorum ædificijs, altera ipſis ſepulchris cauet. Nam quòd rogum buſtúmue nouum vetat propius ſexaginta pedes adijci ædes alienas inuito domino, incendium veretur acerbum: quòd autem forum, id eſt, veſtibulum ſepulchri buſtúmue vſucapi vetat, tuetur ius ſepulchrorum. Hæc habemus in Duodecim, ſanè ſecundum naturam, quæ norma legis eſt: reliqua ſunt in more, funus vt indicatur ſi quid ludorum, dominúſq; funeris vtatur accenſo, atque lictoribus, honoratorum virorum laudes in concione memorentur, eáſq; etiam cantus ad tibicinem proſequatur, cui nomen Næniæ, quo vocabulo etiam Græcis cantus lugubres nominantur.***

*Funebria* ) Vetus liber, *Funeribus à quibus.* *Homini mortuo* ) Lex præcipit, vt quo in loco quis vſtus fuerit, ibidem ſtatim ſepeliatur, quod Buſtum appellat Feſtus: vt cùm alibi quis vritur, alibi ſepelitur, Vſtrinam: aut vt oſſa lecta ſine exequijs terræ mandentur. Id autem vetat ne duplicentur impenſæ, ſi vſto cadauere oſſa legantur, deinde alijs exequijs ſepeliantur. Excipit tamen eos qui vel peregrè, vel militiæ perierunt, ac vſti ſunt: quorum reliquias maiorum ſepulchris inferri pium eſt.

*Quo poſt funus* ) Legat vt in vrna condat. non vt alias exequias paret.

*De vnctura* ) Tollit vncturam, qua cadauera à pollinctorum familia, ex quo ſeruilem eam appellat, vngebantur. Nam & à iuriſconſulto ſcribitur, *Si libitinarius ſeruum pollinctorem habuerit:* lex tamen XII. Tabul. non obſeruabatur, præſertim cùm tam ſæpè pollinctorum Plautus meminerit.

*Circumpotatio* ) Conuiuium funebre interpretantur, quod Græci περίδειπνον & τάφον vocant, & Latini, vt quidam cenſent, ſilicernium. In eo, vt opinor, inuitatio quædam in orbem fiebat obba. Tertullianus, *Quo differt ab epulo Iouis ſilicerniũ? à ſimpulo obba? ab aruſpice pollinctor?* Cœnã funeræ vocat Perſius, —— *ſed cœnam funeris hæres Negliget iratus.* quem tamen locum etiam exponunt de epulis quæ rogo inferebantur: de quibus Plinius ita ſcribit, *Notatam in ijs rapaciſſimã & ſemper famelicam alitem nihil eſculenti vnquam rapere è funerum ferculis.* ſed & nono die ſacrificium fiebat nouendiale, conuiuiúmque dabatur, eóque die parentalia concludebantur. Sed circumpotatio dicebatur fortaſſe, quòd, antequam cadauer efferretur, vt ordo verborum Ciceronis indicat, in orbem biberetur, quod Græci περιστοβεῖν τὴν κύλικα dicebant. Sed & feralibus ad ſepulchra epulæ ferebantur, quæ erant publicæ feriæ, vt diximus.

*Ne ſumptuoſa reſperſio* ) Vnguentis rogum aſpergebant alijſque liquoribus, vt vino. vinum olim quoque reſperſum dicebatur, quo ſepulchrum reſpergebatur. Lex etiam XII. Tab. inquit Plinius, erat, *Vino rogum ne reſpergito.* quæ hic à Cicerone ſignificatur. Feſtus quoq; ait, XII. Tab. cautum fuiſſe, ne murrhata potio mortuo inijceretur.

*Longæ coronæ* ) Quæ ſepulchris imponebantur, vt docet Plinius, & in funere ferebantur: eius verba ſunt, *Et iam tunc coronæ deorum honos erant, & larum publicorum priuatorúmq;, ac ſepulchrorum ac maniũ.* Longas lemniſcatas & tænias habentes interpretantur. Ego autem longas, magnas & grandes. maiores enim fiebant quam quibus vti in conſuetudine ſolebant. Sic magnæ erant donaticæ, quibus victores in ludis donabantur, quæ magnificentiæ cauſa inſtitutæ erant ſupra modum aptum capitibus, qua amplitudine fiebant cùm lares ornabantur. Sed & Æſculapio magnas coronas fieri ſolitas ſcribit Ariſtides, eius verba ſunt, ἐδόκουν ςέφανον πέμπειν τῷ θεῷ τῶν μακρῶν, οἵοι εἰσὶν οὓς ἰδίᾳ τῷ Ἀσκληπιῷ κομίζουσι. id eſt, Videbar coronam mittere deo longam, quales Æſculapio offerunt.

*Acerræ* ) Acerræ, auctore Pompeio, aræ erant ante mortuum poni ſolitæ, in quibus odores incendebant: quanquam alij arculam thurariam interpretantur.

*Illa iam ſignifi.* ) Lex quæ ciuicam coronam aut obſidionalem imponi permittit ei, qui eam ſit virtute meritus, ſignificat ſatis ornamenta virtutis non ad viuos tantùm, ſed etiam ad mortuos pertinere. Hanc tamen legem de Coronis ludicro circenſium quæſitis Plinius interpretatur, cuius hæc verba ſunt; *Semper tamen auctoritas vel ludicro quæſitarum fuit. Namque ad certamina in circum per ludos & ipſi deſcendebant, & ſeruos ſuos quoque mittebant.* Inde illa XII. Tabul. lex, *Qui coronam parit, ipſe pecuniáue eius, virtutis ne arguitor: quam ſerui equiue meruiſſent, pecunia partam lege dici nemo dubitauit. Quis ergo honos? vt ipſi mortuo, parentibúſque eius, dum intus poſitus eſſet, foríſue ferretur, ſine fraude eſſet impoſita.*

*Vt vni plura* ) Vel funera plura vni fierent: vel, quod exiſtimo, in funere plura fierent quàm oporteret, & ius fineret, ſicut ſuprà ſcriptum eſt, *Hoc plus ne facito.*

*Lectiq; plures* ) Interdum plures in funere lecti ſternebantur, vt maior eſſet pompa. Seruius lib. 5 Æneid. ait, quondam populum honoris cauſa in funere geſtaſſe faces, ac poſtea funebres lectos. hinc adeò in funere Syllæ ſexies mille, in funere Marcelli, quadringentos prælatos in pompa lectos legimus. Libri veteres *Inferrentur* habent: excuſi multi *Sternerentur.*

*Quoi auro* ) Quidam ſibi dentes eburneos inſerebant, & auro vinciebant. Martialis,

*Sic dentata ſibi videtur Aeglè*
*Emptis oſſibus Indicoq; cornu.*

Lucianus, τέτταρας ἔτι λοιποὺς ὀδόντας ἐχούσης, χρυσίῳ καὶ τούτους ἐνδεδεμένους. id eſt, Quæ quatuor modo reliquos dentes haberet, eoſq; auro vinctos. *Aſt im* ) Im, antiquo more eum dicit. Nam planè ineptum eſt quod quidam hic aſticum locum Athenis fuiſſe comminiſcuntur. *Se fraude* ) Antiquo more, pro ſine fraude. *Se,* Pompeius inquit, pro ſine inueniuntur poſuiſſe antiqui. alij *Sine fraude* legunt, integro ſermone & vſitatiore. *Priuatorum ædific.* ) Propius quæ rogum aut buſtum adijci propter ignis periculum non permittit. *Buſtúmue* ) Id eſt ſepulchrum: Infrà, *Si quis buſtum: nam id puto appellari τύμβον.*

*Veretur*

*Veretur acerbum*) Graue & calamitoſum. ſic Acerbum non rarò vſurpatur.

*Quod autem fo.*) *Eorum*, vetus liber, *Forum* tamen legendum eſt ex Feſto Pompeio. *Forum enim, inquit, antiqui appellabant, quod nunc veſtibulum dici ſolet.* Lex igitur vetat, ne vel ſepulchrum, vel ſepulchri forum, id eſt veſtibulum, vſucapiatur. *In more*) Non in lege, ſed in conſuetudine.

*Funus vt*) Indictiuum funus eſt, quod per præconem indicitur. Erant ſiquidem ſimpludearia funera, quibus neutrum genus intereſſet ludorum: & indictiua, quibus adhibebantur non ſolùm ludi, ſed etiam deſultores, quæ maxima erant. Varro, *Itaque ex ædibus efferri indictiuo funere præco eos dicit, qui è tabernis efferuntur.* Ad indictiuum funus reſpexit Cicero, cùm ita pro Domo ſcripſit, *Qui etiam de meipſo, cum tua rogatione funere elatam remp. eſſe dicerent, tamen id funus, etſi miſerum atque acerbum fuiſſet, iure indictum eſſe dicebant: quòd de me ciue ac de rep. bene meritò tuliſſes, funeſtum funus te indixiſſe reip. quod ſaluis auſpicijs tuliſſes, iure egiſſe dicebant.* *Si quid ludorum*) Si ludi ſint, vt ad eos populus conueniat.

*Domúſque funeris*) *Dominúſque funeris* Manutius legit, cui aſſentior. Cic. in Vatinium ſic dominum epuli dixit: *Cum tot hominum milia accumberent, cum ipſe epuli dominus Q. Arrius albatus eſſet.* Nonius etiam Marcellus dominum dicit interdum eſſe conuiuatorem, &, vt dicit, conuiuij exhibitorem: quo ſenſu & dominium vſurpari ex Lucilio oſtendit, *Primùm dominia atque ſodalitia omnia tolluntur.*

*Accenſo*) Miniſtri ſunt magiſtratuum accenſi, qui populum vocabant, ab acciendo vocati, vt alij cenſent, quòd initio ad cenſum populum vocarent. Varrò, *Qui exercitum imperaturus erit accenſo dicit hoc, Calphurni voca inlicium omnes Quirites huc ad me.* accenſus dicit ſic, *omnes Quirites inlicium viſite huc ad iudices.*

*Lictoribus*) Ad prehendendum, tenendum, abducendum, plectendum lictoribus vtebantur magiſtratus, qui lictores habebant. conceditur domino funeris lictor, vt in multitudine coercere poſſit inſolentiores & ferociores. Nam qui ludos faciebant propemodum in magiſtratu quodam conſtituti videbantur: hiſque ius prætextæ ferendæ erat, vt magiſtratibus. Cicero in Piſonem, *Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuiſſet, ludos facere & prætextatum volitare paſſus es.*

*Honoratorum viror.*) Laudationes funebres ſignificat, quibus clari & honorati viri pro Roſtris ornabantur in funere: qui etiam honos fœminis iam tribuebatur Ciceronis ætate.

*Næniæ*) Nænia, carmen eſt quod in funere laudandi gratia cantabatur ab hominibus ad tibiam. Varro, *Ibi à muliere, quæ optima voce eſſet, perquam laudari, deinde næniam cantari ſolitam ad tibias & fides.* Horatius, *Ceæ retractes munera Næniæ.* Eſt & Nænia apud Arnobium, inteſtini porrectio, per quam proluuies editur ſuccis perexſiccata vitalibus. Erat etiam dea, cuius templum erat extra viminalem portam. Ortum vocabulum eſt, vt ait Feſtus, à dictione νέατον, id eſt extremum, vel quod νήτη ſit chordarum vltima.

*Græci cantus lug.*) Lugubres cantus à Græcis ἰάλεμοι vocantur, non Næniæ, quod ſciam, quæ dictio merè Latina eſt. Veteres libri habent *Gracchos cantus lugubres nominatur*. legendum puto, *Graccho*, vt C. Gracchum hoc vſum eſſe verbo ſignificet.

*Q. Gaudeo noſtra iura ad naturam accommodari, maiorúmque ſapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, vt cæteri ſumptus, ſic etiam ſepulchrorum modum rectè requiri. quos enim ad ſumptus progreſſa iam iſta res ſit, in C. Figuli ſepulchro vides. Q. Credo minimam olim iſtius rei fuiſſe cupiditatem, alioqui multa extarent ampla maiorum. M. Noſtræ quidem legis interpretes, quo capite iubentur ſumptus & luctum remouere à Deorum manium iure, intelligunt in primis ſepulchrorum magnificentiā eſſe minuendam. Nec hæc à ſapientiſſimis legum ſcriptoribus neglecta ſunt. nam & Athenis iam illo more à Cecrope, vt aiunt, permanſit hoc ius terra humandi. quàm cùm proximi fecerant, obductaq; terra erat, frugibus obſerebatur: vt ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribueretur: ſolum autem frugibus expiatum vt viuis redderetur. Sequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati: apud quas de mortui laude, cùm quid veri erat, prædicatum: nam mentiri nefas habebatur: at iuſta coniecta erant. Poſteaquam vt ſcribit Phalereus, ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent, Solonis lege ſublata ſunt. quam legem eiſdem propè verbis noſtri Decemuiri in decimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus ricinijs & pleraque illa, Solonis ſunt: de lamentis verò expreſſa verbis ſunt: Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergò habento.*

*Sed credo*) Veterum librorum ſcriptura valdè inquinata eſt: ea eſt, *Sed recedo, quæro.* Recepta ſcriptura idoneum ſenſum habet, meliorque mihi videtur.

*C. Figuli*) Cuius ſepulchrum magnificentiſſimum & ampliſſimum erat. Valerius Figulum bis conſulem fuiſſe ſcribit, cuius filius iuriſconſultus cùm in petitione conſulatus repulſam tuliſſet, poſtridie conſulentes ciues de iure dimiſit, dicens, *Conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis.* Caius autem Marcius Figulus conſul fuerat cum P. Cornelio Scipione Naſica. Iterum conſul factus, quòd cum collega vitio eſſet creatus, magiſtratu abdicare ſe coactus eſt. *A deorum*) A defunctorũ funerib⁹ & exequijs. eos enim deos manes vocabant. *Legum ſcriptoribus*) Vt à Platone, & Demetrio Phalereo. Solon enim de eo nihil cauerat.

*Iam illo more*) Quo tum regebatur ciuitas nondum ſcriptis legibus. *A Cecrope*) Cecrops natione Ægyptius Athenas venit, illicque regnauit: biformem fuiſſe in fabulas relatum eſt. Is vt Arnobius ex Antiocho refert, Athenis in Mineruio ſepultus fuit: ac mos humandi ab illo ad Draconem & Solonem, qui leges Athenienſibus ſcripſerunt permanſit. atque, vt refert Ælianus, corpora humare Athenienſes ſolebant in occaſum conuerſa, quo argumento contra Megarenſes Lacedæmonijs iudicibus Solonem vſum refert. Thucydidis ætate cadauera cremabant Athenienſes: ſic enim lib. 2. ſcribit, ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον. *Hoc ius terra*) Iſta ratio ſepulturæ. ſic emendaui ex libris veteribus, cùm pro *hoc ius*, in excuſis eſſet, *corpus*. quod ſi cui probatur, non magnoperè repugnabo. *Quàm cùm proximi*) Abeſt neſcio quid, rem videlicet aut ſepulturam, niſi *Quod* legas. aut pro *Fecerant*, *iecerant*, quod verius puto, idque eſt ἐπιβάλλειν γῆν, id eſt, iacere vel inijcere terram.





*Obducta*) Terra cadauere erat opertum. *Obſerebatur*) Frugum ſatu expiatum ſolum profanum reddebatur, ne qua religio ineſſet. Iaciebantur & fruges interdum honoris cauſa, vt Valerius oſtendit de Curtio, ita ſcribens, *Super quem vniuerſi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt.* Liuius, *Donaque ac fruges ſuper eum à multitudine virorum ac mulierum congeſtas.*

*De mortui*) Græci ſolebant mortuos in conuiuio funebri laudare etiam qui improbi fuerant. hinc apud eos prouerbium eſt, οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ᾽ ἐν περιδείπνῳ, id eſt, Ne in funebri quidem cœna lauderis. Priſci tamen Athenienſes falſis laudibus tum mortuos non ſolebant ornare, vt Cicero ait.

*Cum quid*) Vetus hæc ſcriptura eſt. Puto legendum, *Cum quid veri erat prædicabatur.* Nam mentiri nefas habebatur. At iuſta, coniecta erant, id eſt, iuſta exequiarum & funeris minimi ſumptus erant & ceremoniæ. Nam conijci dicuntur, quæ vtcunque tumultuaria fiunt opera, ſine ordine. Cicero pro Roſcio, *Hæc ſunt coniecta, illæ in ordinem confectæ.* inde Coniectanea. Tum igitur non erat magna pompa funebris; ſed vt Phalereus ſcribit, à quo iſta ſumit, poſtea funera ſumptuoſa & lamentabilia eſſe cœperunt.

*In decimam tabul.*) Libri veteres, *In vndecimam tabulam:* duodecim enim erant.

*Expreſſa verbis*) Expreſſa ad verbum iſta, Mulieres genas &c.

*De ſepulchris autem nihil eſt apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, néve alienum inferat, pœnaq; eſt, ſi quis buſtum (nam id puto appellari τύμβον) aut monimentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit. Sed poſt aliquanto, propter has amplitudines ſepulchrorum, quas in Ceramico videmus, lege ſanctum eſt, ne quis ſepulchrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos quos vocant, licebat imponi: nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis: nec ab alio, niſi qui publicè ad eam rem conſtitutus eſſet, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quò lamentatio minueretur. Habet enim luctum concurſus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quenquam vetat in funus aliorum. Sed ait rurſus idem Demetrius, increbruiſſe eam funerum ſepulchrorumq; magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ eſt, quam conſuetudinem lege minuit ipſe. Fuit enim hic vir, vt ſcitis, non ſolùm eruditiſſimus, ſed etiam ciuis è Repub. maximè, tuendæq; ciuitatis peritiſſimus. Iſte igitur ſumptum minuit non ſolùm pœna, ſed etiam tempore. ante lucem enim iuſſit efferri. Sepulchris autem nouis finiuit modum. nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, ni columellam tribus cubitis ne altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat.*

*De ſepulchris*) Apud Iuriſconſultos ſepulchri violati actio, infamiam irrogat. Si quis autem corpora extraxerit, aut oſſa eruerit, ſummo ſupplicio afficitur. *Nihil eſt apud*) Nam de ſepulchrorum modo nihil cauit. *Alienum inferat*) Cadauer. *Buſtum*) Buſtum dicitur vbi corpus vſtum & ſepultum eſt. Vt autem buſtum ab vrendo, item τύμβος ἀπὸ τοῦ τύφεσθαι, quod eſt vri, deducitur: quanquam vtrunque etiam pro ſepulchro ſimpliciter dicitur, vt hic. Sic à Catullo buſtum vſurpatur. *Cùm teres excelſo coacervatum aggere buſtum.* Feſtus, *Nunc buſta ſepulchra vocamus.* *Monimentum*) Quicquid mortui cauſa factum eſt, etſi ibi ſepultus non eſt. *Monimentum*, inquit Feſtus, *eſt quod & mortui cauſa ædificatum eſt, & quicquid ob memoriam alicuius factum eſt, vt fana, porticus, ſcripta carmina. Sed monimentum quanuis mortui cauſa ſit factum, non tamen ſignificat ibi ſepultum.* Hic quidam buſtum ad vſta cadauera referunt, monimentum ad ſepulta. Sæpè etiam monumentum à ſepulchro nihil differt, vt hic fortaſſe. aut hic ſepulchrum eſt cui vel corpus illatum eſt vel reliquiæ: monimentum cui nihil illatum, etſi mortui cauſa factum eſt.

*Columnam*) Quæ erigitur in monimentis & ſepulchris.

*Ceramico*) Ceramici duo erant Athenis: vnus in vrbe, alter extra vrbem, vbi bello interfectos publicè ſepeliebant, & orationes funebres dicebant. Erant autem illic hinc inde columellæ ſuper eos, qui publicè ſepulti fuerant, excitatæ cùm inſcriptionibus, quæ vbi quiſque perijſſet, indicabant.

*Opere tectorio*) Opus tectorium eſt inductio quædam ad poliendum, vt & albarium opus.

*Hermas hos quos vocant*) Athenienſes. Hermæ autem ſunt Mercurij ſtatuæ truncæ, quæ etiam ſepulchris imponebantur. earum ſtatuarum plurimus erat Athenis vſus. Sic quoque dicuntur, vt quidam cenſent, lapides quadrati qui ſepulchris imponebantur, quod & probo. Nam cubica interdum figura Mercurius formabatur. Galenus de eo, καὶ ἡ βάσις τὸ πάντων σχημάτων ἑδραιότατον καὶ ἀμεταπτωτότατον ἔχει τὸν κύβον. ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν τούτῳ τῷ σχήματι κοσμοῦσιν, id eſt, Baſis Mercurij omnium figurarum firmiſſimam & ſtabiliſſimam habet teſſeram. interdum etiam deum ipſum eadem figura ornant.

*Publicis ſepult.*) Qui bello occubuerant Athenis publicè in Ceramico funerabantur, laudabanturq; ab eo, cui negotium hoc mandatum eſſet. vt Pericli apud Thucydidem, & poſtea Demoſtheni, cuius etiam ἐπιτάφιος λόγος adhuc extat.

*Pittacus*) Mityleneus, qui in ſeptem ſapientibus eſt numeratus. leges autem, vt refert Laertius, Mityleneis ſcripſit, in quibus hoc, quod Cicero ſcribit, cauit.

*Increbruiſſe*) Sic vetus & optimus liber. Dicitur autẽ ab Increbeſco increbui, ab Increbreſco, increbrui.

*E rep.*) Verſatus in reip. adminiſtratione: non è ſchola tantùm, ſed etiam è republica. Cicero pro Rabirio Poſthumo, Demetrium & ex rep. Athenis, quam optimè geſſerat, & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus eſt. Eſt igitur hic ciuis è Rep. perinde ac ſi diceretur, vir politicus.

*Iuſſit efferri*) Minor vt eſſet celebritas & pompa in tenebris. Efferebantur autem extra vrbem cadauera, cùm in vrbe ſepelire non liceret. *Nouis*) Quæ poſtea fierent: nam in poſterum lex ſancitur.

*Columellam*) Columellæ in ſepulchris excitabantur. στήλας Græci & στηλίδας vocant. Menſæ, lapides quadrati ſunt in menſæ formam. Sic Plutarchus ait in Iſocratis ſepulchro τράπεζαν φησὶν εἶναι ἔχουσαν ποιητάς τε καὶ τοὺς διδασκάλους αὐτοῦ. id eſt, Menſam fuiſſe in qua poetæ eſſent & eius magiſtri. Labellum dicit, quod Græci πύελον vocant, lapidem in parui labri formam concauum.

*Hæc igitur Athenienſes tui. ſed videamus Platonem, qui iuſta funerum reijcit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De ſepulchris autem dicit hæc: Vetat ex agro culto, eóue qui coli poſſit, vllam partem ſumi ſepulchro: ſed quæ natura agri tantummodo efficere poſſit, vt mortuorũ corpora ſine detrimento viuorum recipiat, ea potiſſimũ vt compleatur. quæ autem terra fruges ferre, & vt mater cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, néue viuus, néue mortuus. Extrui autem vetat ſepulchrum altius, quàm quod quinque diebus homines V. abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui inciſam, ne plus quatuor herois verſibus, quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem ſummi viri de ſepulchris: à quo iterũ funerum ſumptus præfinitur ex cenſibus, à minis quinque vſque ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua poſt mortem tranquillitate bonorũ, pœnis impiorum. Habetis igitur explicatum omnem, vt arbitror, religionis locum. Q. Nos verò, frater, & copioſè quidem, ſed perge cætera. M. Pergam equidem: & quoniam libitum eſt vobis me ad hæc impellere, hodierno ſermone conficiam, ſpero, hoc præſertim die. video enim Platonem idem feciſſe, omnémque orationem eius de legibus peroratam eſſe vno æſtiuo die. Sic igitur faciam, & dicam de magiſtratibus. Id enim eſt profecto quod conſtituta religione, Remp. contineat maximè. A. Tu verò dic, & iſtam rationem, quam cœpiſti, tene.*

*Videamus Platonem*) Interpretes eos ἐξηγητὰς Plato vocat. quæ iuſta dicit, Plato θεῖα νόμιμα appellare videtur. Locus autem quem citat, eſt in XII. legum, vnde quæ ſequuntur ſumpſit omnia.

*Quem nos morem*) Nam & apud nos Pontifices religionis interpretes iſta decernunt.

*Ex agro culto*) Quæ Plato dixit ἐργάσιμα, interpretatus eſt agrum cultum, vel qui coli poſſit.

*Compleatur*) In ea potiſſimum homines ſepeliantur. *Quam quod quinque*) Ex Platone legendum eſt, *Quam quod quinque homines quinque diebus.* Extruere ſepulchrum dicit, quod Plato ſcripſit χῶμα χωννύναι.

*Excitari*) Excitantur columellæ, imponuntur menſæ & labella: etſi apud Platonem diſcrimen iſtud nõ eſt, qui tantùm λίθινα ἐπιστήματα dicit.

*Longos*) Iſidorus non omnino malus auctor, ita hac de re ſcribit, *Hexametros Latinos primùm feciſſe ſe Ennius tradit, eóſque longos vocat.* Gellius lib. 18. cap. vlt. *In longis verſibus, qui hexametri vocantur, &c.*

*A quinque minis*) Hominibus primæ claſſis impendi ſepeliendis quinque minas permittit Plato: ſecundæ claſſis, tres: tertiæ claſſis, duas: quartæ, vnam.

*Eadem illa*) Quæ etiam in Phædone & alijs locis diſſerit multis.

*Perge cætera*) Explicare ſcilicet. *Hoc præſertim*) Solſtitiali, qui longiſſimus eſt. Vt enim Plato vno die perorauit omnem de Legibus diſputationem, ita vno die abſoluam.

# IN MARCI TVLLII CICERONIS LIBRVM TERTIVM DE LEGIBVS

## ARGVMENTVM.

CONSTITVTO RELIGIONVM IVRE, DEINCEPS CIVITATIS GVBERnatores rectoreſque deſcribit. Nam quum nihil reip. ἀναρχία ſit exitialius, quæ florentiſſimas nationes, imperiaque potentiſſima interdum ſubuertit: ſecundum deos nihil prius ducere legiſlator debet, quàm vt rectè ac ordine magiſtratuum deſcriptionem componat. Primùm ergo in legis exordio magiſtratum definit, eiq; ciues, vt pareant, hortatur. Deindè legem de magiſtratuum deſcriptione, poteſtate, imperio, ſancit. Subiungit, vt libro ſecundo, eius interpretationem & æquitatem: quod legiſlatorem Plato facere iubet. Poſtremò præparationem addit ad libros ſequentes, qui deſiderantur.

# *M. TVLLII CICERONIS*

## *DE LEGIBVS LIBER III.*

Et in eundem commentarius, Adriano Turnebo auctore.

MARCVS.

*SEQVAR IGITVR, VT INSTITVI, DIVINVM ILLVM virum, quem quadam admiratione commotus, ſæpius fortaſſe laudo quàm neceſſe eſt.* ATTICVS. *Platonem videlicet dicis. M. Iſtum ipſum, Attice. A. Tu verò eum nec nimis valde vnquam, nec nimis ſæpè laudaueris. Nam hoc mihi etiam noſtri illi, qui neminem niſi ſuum laudari volunt, concedunt, vt eum arbitratu meo diligam. M. Benè hercle faciunt. quid enim eſt elegantia tua dignius? cuius & vita & oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate. A. Sanè gaudeo quòd te interpellaui, quandoquidem tam præclarum mihi dediſti iudicij tui teſtimonium. Sed perge vt cœperas. M. Laudemus igitur prius legem ipſam veris & proprijs generis ſui laudibus. A. Sanè quidem, ſicut de religionum lege feciſti. M. Videtis igitur, magiſtratus hanc eſſe vim, vt præſit, præſcribatq; recta & vtilia & coniuncta cũ legibus. Vt enim magiſtratibus leges: ita populo præſunt magiſtratus, vereq; dici poteſt, magiſtratum, legem eſſe loquentem: legem autem, mutum magiſtratum. Nihil porrò tàm aptum eſt ad ius, conditionemque naturæ, quod cùm dico, legem à me dici intelligi volo, quàm imperium: ſine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominum vita iuſſis ſupremæ legis obtemperat. Atque vt ad hæc citeriora veniam & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperij primùm ad homines iuſtiſſimos & ſapientiſſimos deferebatur. Idq; in Repub. noſtra maximè valuit, quoad ei regalis poteſtas præfuit. Deinde etiam deinceps poſteris prodebatur: quod & in ijs etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia poteſtas non placuit, non ij nemini, ſed non ſemper vni parere voluerunt.*



*Sequar igitur*) Inſtituto Platonis legi prooemium prætexam, vt libro ſecundo feci. Diuinum autem dicere ſæpè Latini ſolent, eximium virum & præſtantem, & qui laudem humana maiorem meretur.

*Etiam noſtri illi*) Epicureos ſignificat, qui cæteros philoſophos præ vno Epicuro contemnebant: ſolumque eum germanæ philoſophiæ inuentorem prædicabant, atq; illud frequentabant,

*E tenebris tantis tam clarum extollere lumen,*
*Qui primus potuiſti, illuſtrans commoda vitæ,*
*Te ſequimur Graiæ gentis decus.*

*Elegantia*) Quæ nulla in alijs Epicureis eſt. elegantia cultus eſt vitæ & ornatus hoc loco bonis artibus & humanioribus literis informatæ. In Epicuri philoſophia fortaſſe grauitas quædã ineſt, incompta tamen & inelegans: in Platone præter grauitatem etiam elegantia, conſentanea elegantiæ & humanitati Attici.

*Cum humanitate*) Harum virtutum diſparium difficilis erat in eodem coniunctio & ſocietas. eandem etiam laudem Bruto tribuit: *Quid enim*, inquit, *tam diſtans, quàm à ſeueritate comitas? quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior?*

*Cui teſtimonium*) Cùm me rectè facere dixiſti, quòd Platonem legerem. *Legem ipſam*) Quam de magiſtratibus rogaturi ſumus.

*Et ſui generis*) Quæ propriæ laudes ſint legis huius de magiſtratibus, non communes, quæq; in alias leges non conueniant.

*Vt præſit*) Eodem ferè modo Ariſtoteles lib. 4. Politic. ἀρχὰς definit, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι, id eſt, Magiſtratus ſunt quibus eſt permiſſa poteſtas de aliquibus rebus conſulendi, iudicandi, iubendi, huiuſque vel maximè. Nam iubere imperioſum magis eſt.

*Vt enim magiſtratibus*) Hæc magiſtratus deſcriptio ex Platone ducta eſt. Is etenim ait, τοὺς δ' ἄρχοντας λεγομένους, νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα, οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα, ἀλλ' ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλλον εἶναι παρὰ τοῦτο, σωτηρίαν τε πόλει καὶ τοὐναντίον. ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἂν ἀρχόμενος ᾖ καὶ ἄκυρος νόμος, φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν· ἐν ᾗ δὲ ἂν δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δ' ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν καὶ πάνθ' ὅσα θεοὶ πόλεσιν ἔδοσαν ἀγαθὰ γιγνόμενα καθορῶ, id eſt, Qui autem magiſtratus dicuntur, nunc legum miniſtros vocaui, nõ vt nominum innouator eſſem, ſed quod omnium maximè in hoc ciuitatis ſalutem aut contrà damnum verti putem. Nam in qua vrbe obnoxia & infirma lex eſt, labem illi propinquam prouideo: in qua verò lex magiſtratuum domina, magiſtratus autem ſerui legis ſunt, ſalutem illi, & quæcunq; vnquam ciuitatibus dij bona elargiti ſunt, proſpicio. Placet huc etiam Ciceronis de lege verba ex oratione pro Cluentio adſcribere, *Mens*, inquit, *& animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita in legibus eſt. Vt corpora noſtra ſine mente: ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus & neruis, ac ſanguine & membris vti non poteſt. Legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, Iudices. Legum deniq; idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.*

*Magiſtratum*) Imitatum eſſe prope cenſeas Ciceronem Simonidis ſententiam de poëſi, quàm Plutarchus his verbis refert, πλὴν ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσαγορεύει, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν, id eſt, Veruntamen Simonides picturam poeſin mutam appellabat, poëſin picturam loquentem.

*Conditionemq; naturæ*) Quòd humanæ leges ex quadam pactione & conditione inter homines primùm videntur natæ, idcirco naturæ legem, naturæ conditionem appellat. Eſt autem conditio pactio & conuentio, id eſt, συνθήκη. Cicero in Topicis, *Vt ſi quæratur à naturáne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum & pactione.*

*Quam imperium*) Omnia enim à quibus imperium abeſt, pereunt. Hinc Sophocleum illud,

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν,
Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν, ἥδε σὺν μάχῃ δορὸς
Τροπὰς καταρρήγνυσι· τῶν δ' ὀρθουμένων
Σώζει τὰ πολλὰ σώμαθ' ἡ πειθαρχία.

*Anarchia etenim haud peſtilentius eſt malum:*
*Hæc perdit vrbes, atq; profligat domos,*
*Vaſtaſq; reddit, & in tumultu martio*
*Fugitiua vertit terga: ſed parentium*
*Incolume ſeruat corpus obedientia.*

*Sine quo nec dom.*) Nullus conſiſtere cœtus, nullaq; ſocietas poteſt: gradatim à familia ad communem deorum & hominum ciuitatem, mundum aſcendit.

*Nam & hic Deo*) Deo præpotenti paret mundus, eiuſque ſupremæ legi.

*Citeriora*) Propinquiora & propius nos attingentia, id eſt, terris tanquam viciniora: quòd de cœleſti deſcriptione & Deo egiſſet, quæ paulò longinquiora ſunt & remotiora. ſic in libris de Repub. *Quare ſi placet deduc orationem tuam de cœlo ad hæc citima.*

*Quod genus imperij*) Initio rerum, imperij ſumma penes reges, vt docet Trogus, fuit: aſſentitur & Ariſtotel. lib. πολιτικῶν. 1. αἰσυμνήτας autem, qui ſuffragio eligerentur, primos fuiſſe reges ſignificare Cic. videtur: aut, quod multo verius, quales Heroicis erant temporibus, quos beneficia ad honoris faſtigium prouehebant. Eundem locum ſic lib. 2. Offic. Cicero tractat. *Mihi quidem non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros, iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cùm prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Deinceps regna poſteris per manus à patribus tradita ſunt.*

*Ad iuſtiſſ.*) Qui ius æquabile inter omnes conſeruarent, & prudentia in rerum delectu prouiſioneq; & ſapientia valerent. Cicero lib. 2. Offic. *Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto verò, vt ijdem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.*

*Deinceps*) Cùm initio ſuffragijs reges eſſent delecti, poſtea ad poſteros hæreditariũ tranſmiſere regnũ.

*Non ijs nem.*) Habent enim qui regi non parent, verbi gratia, magiſtratus annuos, vt Coſſ.

*Nos autem quoniam leges damus liberis populis, quæq; de optima Repub. ſentiremus, in ſex libris antèdiximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum quem probamus ciuitatis ſtatum. Magiſtratibus igitur opus eſt, ſine quorum prudentia ac diligentia eſſe ciuitas non poteſt, quorumq; deſcriptione omnis Reipub. moderatio continetur. Neque ſolùm ijs præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ciuibus obtemperandi modus. Nam & qui benè imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt: & qui modeſtè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe. Itaque oportet & eum qui paret, ſperare ſe aliquo tempore imperaturum: & illum qui imperat, cogitare breui tempore ſibi eſſe parendum. Nec verò ſolùm vt obtemperent obediantq; magiſtratibus, ſed etiam vt eos colant diligantq; præſcribimus: vt Charondas in ſuis facit legibus: noſter verò Plato Titanum è genere ſtatuit eos, qui vt illi cœleſtibus, ſic hi aduerſentur Magiſtratibus. Quæ cùm ita ſint, ad ipſas iam leges veniamus, ſi placet. A. Mihi verò & iſtud, & ordo iſte rerum placet.*

*Liberis pop.*) Liberis ſcilicet populis, non regnis leges dat his libris.

*Ciuitatis ſtat.*) Qui temperatione ea conſtabat, vt in Senatu auctoritas eſſet, in populo maieſtas.

*Prudentia*) Prudentia in conſulendo eſt & prouidendo, diligentia in agendo magiſtratumq; gerendo.

*Deſcriptione*) Temperatio & moderatio ciuitatis ex magiſtratuum deſcriptione efficitur. nam abſq; ea foret, perturbatio eſſet in ciuitate & confuſio: omnia in ciuitate eſſent intemperata & immoderata, ex ijs quoq; intelligitur quod genus ſit Reipub.

*Obtemperandi modus*) Ne ſuperbè imperent, cùm & antè paruerint, & priuati ſint propediem futuri: & vt eis ciues modeſtè pareant, cùm parem honorem adepturi ſint: quod initio ſtatim legum ſancit, cùm iuſta imperia præcipit, quibus ciues modeſtè & ſine recuſatione pareant.

*Nam &*) Sic & diuin. Plato, δεῖ δὴ πάντ' ἄνδρα διανοεῖσθαι περὶ ἁπάντων ἀνθρώπων, ὡς ὁ μὴ δουλεύσας οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου, καὶ καλλωπίζεσθαι χρὴ τῷ καλῶς δουλεῦσαι μᾶλλον, ἢ τῷ καλῶς ἄρξαι· πρῶτον μὲν, τοῖς νόμοις, ὡς ταύτην τοῖς θεοῖς οὖσαν δουλείαν· ἔπειτα τοῖς πρεσβυτέροις τε καὶ ἐντίμως βεβιωκόσιν, id eſt, Enimuero omnes de omnibus ita cogitare hominibus oportet: eum qui non ſeruierit, dignum laude dominum nunquam fore: ac magis cuipiam gloriandum quod benè ſeruierit, quàm quòd benè imperarit: primum legibus, quaſi idem hoc ſit, quod Deo ſeruire, deinde ſenioribus, & his qui honeſtè vitam egerint. Ariſtot. Politic. 3. ἀλλὰ μὴν ἐπαινεῖταί γε τὸ δύνασθαι ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, καὶ πολίτου δοκίμου ἡ ἀρετὴ εἶναι τὸ δύνασθαι καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι καλῶς, id eſt, Veruntamen illud vtique laudatur, poſſe honeſtè imperare & parere. Ac ciuis eſt virtus ſpectati, poſſe honeſtè imperare & parere. Iaſon ergo qui apud Tragicos ſeſe ſine imperio viuere poſſe negat, ablegandus eſt.

*Vt Charondas*) Charondæ de colendis magiſtratibus verba hodieq; apud Stobæũ extant: ea adſcribam, χρὴ δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας εὔνοιαν διαφυλάττειν, καθάπερ πατράσι, πειθοῦντας καὶ σεβομένους, id eſt, Erga magiſtratus perinde ac erga parentes beneuolentiam ſeruare oporteret obtemperando & colendo.

*Titanum à genere*) Titanum è genere Plato eos cenſet, qui aduerſentur magiſtratibus, vt Titanes olim cœleſtibus & immortalibus dijs aduerſati ſunt: quo ſignificat eos qui magiſtratibus aduerſantur, impios eſſe & θεομάχους. locus eſt apud Platonem lib. 3. de Legibus, τὴν λεγομένην παλαιὰν Τιτανικὴν φύσιν ἐπιδεικνῦσι καὶ μιμουμένοις, id eſt, priſcam illam Titanicam naturam præ ſe ferentibus & imitantibus. id de perfidis Plato dicit & impijs, qui fidem & iuſiurandum, & Deos negligunt, qui quidem ad eam impietatem & ſcelus viam ſibi munierunt magiſtratuum contemptione, legum deſpicientia, parentum negligentia.

*M. Iuſta imperia ſunto, ijſque ciues modeſtè, ac ſine recuſatione parento. Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem multa, vinculis, verberibuſue coerceto: ni par, maiorúe poteſtas, populuſue prohibeſſit, ad quos prouocatio eſto. Cùm magiſtratus iudicaſſit irrogaſſitue, per populum multæ pœnæ certatio eſto. Militiæ, ab eo qui imperabit, prouocatio ne eſto. Quodq; is qui bellum geret imperaſſit, ius ratumq; eſto. Minores magiſtratus partiti iuris plures in plera ſunto. Militiæ, quibus iuſſi erunt, imperanto. Eorumque tribuni ſunto. Domi pecuniam publicam cuſtodiunto. Vincula ſontium ſeruanto. Capitalia vindicanto*



*vindicanto. AEs, argentum, aurumúe publicè ſignanto. Lites contractas iudicanto. Quodcunq; Senatus creuerit, agunto. Suntóq; AEdiles curatores vrbis, annonæ, ludorumq; ſolennium. olliſque ad honoris amplioris gradum, is primus aſcenſus eſto.*

*Iuſta imperia*) Hoc caput magiſtratibus imperandi, & ciuibus obtemperandi modum præſcribit. Iuſta ſunt imperia magiſtratuum, quæ coniuncta ſunt cum legibus: contrarium eſt illud Saluſtij, *Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniuſta, ſuperba, crudelia barbaros nequiuiſſe pati.*

*Magiſtratus nec.*) Magiſtratus aut vocationem habent, vt Coſſ. cæteriq; qui imperium habent: aut prehenſionem, vt trib. pleb. & qui viatorem habent: aut nec vocationem nec prehenſionem, vt quæſtor ac cæteri, quibus nec eſt lictor nec viator. hæc lex de magiſtratibus ijs intelligenda, quibus ius eſt coercendi. Quod ait, *Verberibuſue coerceto*, id abrogatum lege Porcia fuit, qua exilium damnatis permittebatur, ac verberaſſe aut necaſſe ciuem, impium cenſebatur. Saluſt. *Sed per Deos immortales, cur non in ſententiam addidiſti, vti prius verberibus in eos animaduerteretur?* an quia lex Porcia vetat? aut aliæ leges item condemnatis ciuibus non animam eripi, ſed exilium permitti iubent? Pro *Et noxium* in libro veteri *Et innoxium*, legitur, malè, vt arbitror. *Multa*) Pecunia.

*Ni par maiór*) Collega aut maior poteſtas prohibere & intercedere poteſt: & ad populum prouocatio lege Valeria obtinuit, ne quod eſſet imperium ſine prouocatione.

*Prohibeſſit*) Id eſt, prohibuerit, antique. vt mox, iudicaſſit, pro iudicauerit, & irrogaſſit, pro irrogauerit.

*Iudicaſſit*) Condemnauerit, vt apud Liuium, *Perduellionem tibi iudico.* & alio loco, *Quo ad pecuniæ vel capitis iudicaſſit priuato.* Magiſtratus autem, vt, verbi gratia, tribuni cùm capitis aut pecuniæ anquirebant, cùm mulctam aut pœnam irrogabant, prodicta die ter antè accuſabant, deinde ex prouocatione mulcta certabatur apud populum.

*Multæ pœnæ*) Aut integro ſermone dixit, priſcè: quod imminuto dicitur multæ certatio, cùm à multa nomen habeat pecunia, quam magiſtratus, vt inquit Varro, dicit vt exigatur, quomodo etiam Valerius dixit, *Arma ancylia*: aut multam in pecunia intelligit, pœnam in ſupplicio: vt pœna ad iudicium, multa ad irrogationem pertineat, quod verius puto.

*Certatio*) Cùm magiſtratus vt tribunus pleb. mulctam dixiſſet, illa poſtea apud populum diſceptabatur, & eius ſuffragijs vel confirmabatur, vel abrogabatur, idq; multæ certatio dicebatur. Liuius, *Confeſtim Caruilij trib. pleb. omiſſa multæ certatione, rei capitalis diem Poſthumio dixerunt.*

*Militiæ, ab eo.*) Exercitui præerat aut Conſul, aut Dictator, aut Prætor, aut Proconſul, quibus tum citra prouocationem concedebatur imperium.

*Minores magiſtratus*) Minores magiſtratus ſunt, qui minoribus auſpicijs creabantur: cuiuſmodi erant quæſtores, tribuni militum & triumuiri monetales, quatuor viri curatores viarum, decemuiri litibus iudicandis, triumuiri capitales. Plera dixit antiquè, Pacuuius, *Plera pars peſſundatur.*

*Partiti iuris*) Nam ijs qui cum imperio ſunt, & exercitui præſunt, vniuerſum ius & poteſtas tribuitur. Ius hoc loco, munus eſt, vt & hoc libro tertio: *Sic animaduerto pleroſque in magiſtratibus ignoratione iuris ſui tantum ſapere, quantum apparitores velint, id eſt, muneris & officij ſui.*

*Eorumq; tribuni ſunto*) Id eſt, ex minoribus magiſtratus. Tribuni ſignificantur militares, qui vel in exercitu creabantur, ac Rufuli dicebantur: vel Romæ, & Comitiati appellabantur.

*Domi pecuniam pub.*) Minores magiſtratus multis præficiuntur muneribus: quidam cuſtodiæ pecuniæ publicæ, qui quæſtores dicebantur. Quæſtores enim ærario & pecuniæ publicæ præerant, vt Pomponius ſcribit, qui hac lege ſignificantur. Dio de minoribus magiſtratibus ita ſcribit, *Iſti viginti viri è 26. viris ſunt, triumuiri capitales, & triumuiri auro, ære, argento flando, feriundo: & quatuor viri curatores viarum vrbis: & decemuiri, qui haſtam centumuiralem cogebant. nam duumuiri curatores viarum extra vrbem, & quatuor viri, qui in Campaniam mittebantur, ſublati erant.*

*Capitalia vindican.*) Triumuiros capitales ſignificat, qui & vincula ſeruabant & in ſontes animaduertebant: vt ſeruos, fures, peregrinos, infimæ ſortis homines. de quibus ſic Saluſtius ſcribit, *In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere.* Et Plaut. *Quid faciam, nunc ſi treuiri me in carcerem compegerint?*

*Æs, argentum, aur.*) Hi triumuiri erant, qui argento, auro, æri flando, feriundo præerant, de quibus ſic Cicero ad Trebatium, *Treuiros vites cenſeo: audio capitales eſſe. mallem auro, ære, argento eſſent.*

*Lites contractas*) Vt decemuiri qui haſtam centumuiralem cogebant, & iudicijs centumuiralibus præerant. Pomponius, *Deinde cùm eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, decemuiri litibus iudicandis conſtituti ſunt.* quæ equidem miror à quibuſdam non numerari in magiſtratibus: qui Dionis & Pomponij auctoritate refelluntur.

*Quodcunq;*) Quicquid eis aliud Senatus iniunxerit, agunto. Libri duo ſcripti habent, *Quod Quodcunq;* Creuerit autem eſt, Decreuerit, antiquo more.

*Curatores*) Ædiles opera publica & ludos curabant, & annonæ præerant.

*Ludorumq;*) Cicero in Verrem, *Nunc ſum deſignatus ædilis: habeo rationem quid à populo Romano acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero Liberæq; faciendos: mihi Floram matrem populi Romani plebiq; Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione, Ioui, Iunoni, Mineruæq; eſſe faciundos: mihi ſacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam eſſe commiſſam.* Ludos autem ſolennes dicit, quia funebrium & votiuorum curatores non erant. annui enim & ſolennes non erant, vt ludi florales, Megalenſes, Romani.

*Ad honoris*) Nam ædilitas primus erat curulis magiſtratus & patricius.

*Cenſores populi æuitates, ſoboles, familias, pecuniaſq; cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium,*

*vectigalia tuento: populiq́ parteis in tribus diſtribuunto. exin pecunias, æuitates, ordines partiunto. Equitum, peditumq́ prolem deſcribunto. Cælibes eſſe prohibento. Mores populi regunto. Probrum in Senatu ne relinquunto. Bini ſunto. Magiſtratum quinquennium habento. Reliqui magiſtratus annui ſunto. Eaq́ poteſtas ſemper eſto. Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicariué iubeat, Prætor eſto. Is iuris ciuilis cuſtos eſto. Huic poteſtate pari quotcunq́ Senatus creuerit, populuſué iuſſit, tot ſunto. Regio imperio duo ſunto: ijq́ præeundo, iudicando, conſulendo, prætores, iudices, conſules appellantur. Militiæ ſummum ius habento: nemini parento. Ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Eundem magiſtratum, ni interfuerint 10. anni, ne quis capito. AEuitatem annali lege ſeruanto. Aſt quando duellum grauius, diſcordiæ ciuium eſcuntones, ne amplius ſex menſes, ſi Senatus creuerit: idem iuris quod duo Conſules teneto: iſq́ aue ſiniſtra dictus, populi magiſter eſto. Equitem cumque qui regat, habeto, pari iure cum eo, quicunq́ erit iuris diſceptator. Aſt quando conſulis eſt magiſtratuſué populi, nec reliqui magiſtratus ne ſunto. Auſpicia patrum ſunto: olliq́ ex ſe produnto, qui comitiatu creare conſules rite poßit.*

*Cenſores populi æuitates*) Æuitates, id eſt, ætates iuniorum & ſeniorum priſco vocabulo. Nam cenſores ætatem quæ militaris eſſet, quæ magiſtratibus gerendis apta foret, vel ſuffragijs ferendis, vel publicis muneribus & ciuilibus obeundis cenſebant: certi enim his rebus anni præfiniebantur. ſed & ciues, in iuniores & ſeniores per centurias diuidebant.

*Soboles*) Prolem etiam annotabant cuiuſq; & ſeruos cenſumque, vt deſcriberentur munia & tributa, & pro facultatibus æquabiliter tolerarentur. atque dicare in cenſu, erat in cenſu pro ſuo aliquid apud Cenſorem edere & profiteri. Cicero pro Flacco, *A thac prædia in cenſu dicauiſti.* quomodo & Varro vtitur. *Et quæ bona cenſui obnoxia erant & noſtra, cenſui cenſendo dicebantur.* Cicero, *Illud quæro, ſintné iſta prædia cenſui cenſendo?*

*Templa*) Nam cenſores ſarta tecta exigebant.

*Vectigalia*) Cenſores vectigalia locare ſolebant.

*Populi partes*) Popul. Roman. in quatuor vrbanas tribus, & 31. ruſticas deſcriptus erat. omneſq; populi Roman. partes in has triginta quinque tribus diſtributæ erant.

*Exin pecunias*) Non ſolùm in tribus populum deſcribant, verumetiam in claſſes ex cenſu: claſſeſq; rurſus in centurias iuniorum & ſeniorum ex ætate: quod à Seruio Tullio primum inſtitutum eſt. Ipſæ autem tribus in claſſes erant & centurias deſcriptæ. nam in vna tribu erant, verbi gratia, homines omnium claſſium & centuriarum: & in ordines, ſenatorium, equeſtrem, ordinem publicanorum, libertinorum, reliquos.

*Peditumq́*) Prolem eorum quos locauerunt in claſſibus & centurijs, quæ in equites, pediteſq; diuidebantur.

*Cælibes eſſe*) Plato à triceſimo anno ad triceſimum quintum vxorem ducendam ait: quod ſi quis neglexerit, eum pecunia mulctandum & ignominia notandum cenſet. Lycurgus quoq; probro notat eum qui vxorem ducere noluerit. Quin apud Romanos pœna in cœlibatum conſtituta erat. Nam vxorium pependiſſe dicebatur, qui, quòd vxorem non habuiſſet, æs populo dederat. Sed & Auguſtus legem de maritandis ordinibus tulit, & orationem Metellus habuerat. Lex quam nunc ſancit Cicero, Romæque obſeruabatur, antiquata eſt, vt Sozomenus ſcribit, & abrogata à Conſtantino imperatore.

*Probrum in Sen.*) Famoſos ſenatores & probroſos è Senatu eijciebant.

*Eaq́ poteſtas*) Nam ſæpè cenſoria poteſtas Romæ intermiſſa eſt, quod ne fiat, nunc lege cauet.

*Iuris ciu. cuſt.*) Prætor vrbanus ius dicebat, edicta proponebat, quibus ſi quid in iure non ſatis cautum eſſet, ſupplebat, quædam mutabat, abrogabat, nouabat, emendabat, explicabat: ſæpè etiam recuperatores dabat, & iudices. Iuris autem diſceptator, eſt iudex. Mox pro, *Qui priuata iudicet*, in libris ſcripis eſt, *Qui priuato iudicet*, id eſt, ciui.

*Quotcunq́ Senatus*) Id ait, quia prætorum numerus certus non erat. Nam capta Sicilia, Sardinia, Hiſpania, Gallia Narbonenſi, auctus eſt prætorum numerus: conſtitutiſq; quæſtionibus publicis, Sylla quatuor adiecit, Iulius Cæſar duos: quorum numerum mox Auguſtus, deinde Claudius auxit.

*Regio imperio*) Liuius, *Quæro*, inquit, *de te Quinte Fabi, cùm ſummum imperium dictatoris ſit, pareantq́ ei conſules, regia poteſtas, prætoresq́ ijſdem auſpicijs quibus conſules creati, &c.*

*Iique præeundo,*) Conſules vocatos fuiſſe prætores Feſtus ita indicat: *Prætoria porta in caſtris appellatur, qua exercitus in prælium educitur: quia initio prætores erant qui nunc conſules, & ij bella adminiſtrabant, quorũ tabernaculum quoque dicebatur prætorium.* Saluſtius in homine prætorio conſulare imperium dixit: ſed is antè conſul fuerat, & probri cauſa Senatu motus, vt ordinem recuperaret, præturam alteram gerebat: eius verba ſunt, *Ita ille patricius ex gente clariſſima Corneliorum, qui conſulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factiſq́ ſuis exitum vitæ inuenit.* Iudices autem eos & prætores eſſe dictos probat item Liui. lib. 3. ab vrb. cond. his verbis, *Iudicem enim Coſſ. appellari: quæ refellitur interpretatio, quòd his temporibus nondum conſulem iudicem, ſed prætorem appellari mos erat.* Varro, *Omnes Quirites inlicium viſite huc ad iudices, id eſt, conſules,*

*Salus populi ſup.*) Aut quòd in ſummis Reipub. periculis negocium conſuli mandabatur, vt videret, ne quid Reſpub. detrimenti caperet. quo verſiculo ſupremum imminere diſcrimen ſignificabatur. Saluſtius, *Itaque quòd plerunque in atroci negocio ſolet, Senatus decreuit, darent operam conſules ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque ciues: domi militiæq́ ſummum imperium atque iudicium ſummum habere.* Aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum conſuli ius eſt: aut quod nihil antiquius quàm ſalutem ciuitatis habere debet. prior ſenſus verior eſt.

*Eum magiſtratum*) Fabius Maximus legem tulerat, ne intra decem annos eandem poteſtatem quis gereret: ſed



reret: ſed & plebiſcito id cautum fuerat. Liuius, *Item alijs plebiſcitis cautum, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet.* Liuius iterum, *Legem recitari iuſſit, qua intra decem annos eundem Coſſ. refici non liceret.* Proinde ſecundum conſulatum ante tempus C. Marium Plutarchus adeptum eſſe ſcribit.

*Æuitatem*) Æuitas hic eſt ætas. interdum ſenectus, vt in XII. Tab. *Si morbus æuitáſue vitium eſſet.* Ætas conſularis quadrageſimus tertius erat annus, prætoria biennio antè, ædilitia etiã biennio ante prætoriam.

*Annali lege*) Annalis lex ætatem quã magiſtratus peti poſſent præfiniebat. Eam Ouid. in Faſtis ſignificat, cum ait,

*Iura dabat populo ſenior, finitáque certis*
*Legibus eſt ætas vnde petatur honos.*

eam tulit, vt ſcribit Liuius, L. Iulius trib. pleb. vnde Annalis ipſe, familiaque vocari cœpit. dicitur & Annaria lex, vt Feſtus ſcribit.

*Ciuium eſtunto*) Veteres libri, *Ciuiũ eſcuntoneſne*, puto legendũ eſſe, *Et ſeditiones*, vel potius, *Et conciones.*

*Aue ſiniſtra*) Siniſtræ aues proſperæ ſunt & auſpicatæ. nam ſiniſtrum quaſi ſiniſtimum dicitur, nimirum auſpicium quod ſinat. ſinunt autem aues hæ plerunque, quæ ab ortu, quæ pars mundi ſiniſtra in auſpicijs eſt, volant. Varro, *Quòd quæ ſiniſtra ſunt bona auſpicia exiſtimantur: à quo dicitur comitia aliúdue quid ſit aui ſiniſtra quæ nunc eſt.* Cicer. *Quanquam non ignoro quæ bona ſint, ſiniſtra nos dicere. ſed certè noſtri ſiniſtrum nominauerunt, externique dextrum, quia plerunque id melius videbatur.* Siniſtra igitur auis eſt proſperior, etiam ſi à dextra volet. nam quædam à dextra ratum faciebant. Cicero, *Cur autem alijs à læua: alijs à dextra datum eſt auibus, vt ratum auſpicium facere poſſint?*

*Duo conſules*) Suidas de dictatore, ὃς, inquit, παρὰ Ῥωμαίοις ὁ δισύπατος καλεῖται, id eſt, Qui apud Romanos duplex conſul vocatur. Dictatorem ob eas tantùm cauſas dici vult Cicero, quas enumerat: cùm eum tamen Romæ creatum aliquando etiam legamus ludorum cauſa, comitiorum, claui figendi, & feriarum. Dictator autem dicebatur, quòd pro imperio dictaret & imperaret quæ ex vſu eſſent reipub. Suidas, ὃς καθ' Ἑλλάδα γλῶτταν κληθείη ἂν εἰσηγητὴς τῶν λυσιτελῶν. id eſt, Qui Græca lingua dici poſſit auctor eorum quæ ex vſu ſint. *Populi magiſter eſto*) *Magiſter equitum*, inquit Varro, *dicitur, quòd ſumma poteſtas eius in equites & accenſos, vt eſt ſumma in populum dictatoris: à quo is quoque magiſter populi eſt appellatus.* Seneca, *Præterea notat eum quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtorijs ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum. Hodieque id extat in auguralibus libris, & teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur, magiſter equitum eſt.*

*Equitem cúmque*) Parem ſancit magiſtri equitum poteſtatem imperio prætorio. Nam quod eſt comparatus conſ. prætor, id eſt, dictatori magiſter equitum: qui, vt ait Polybius, γίνεται οἱονεὶ διάδοχος τοῦ δικτάτορος, ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς. id eſt, Tanquam vicarius eſt dictatoris in dictatoris negotijs & impedimentis. Ius autem vt prætor dicebat, Cicero de Antonio magiſtro equitum: Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hæreditatem poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? Cumque vel dixit vetuſtè, vt Horatius, *Mihi cúmque ſalue rite vocanti.* Sic apud Plautum quoque vſurpatum reperias, vel coniungendum eſt Cum, verbo Habeto, vt ſit tanquam Cohabeto: vt apud Horatium eſſe poteſt, Conuocanti: quod verius puto. Hic omittendum non videtur, in veteribus libris *Æquitatem cumque* legi non *Equitem.* Quam lectionem non probo.

*Aſt quando conſulis*) Significari puto, nec conſulari vnquam imperio, nec dictatoris poteſtate tolli reliquos debere magiſtratus, ne fortè id ſibi iuris ſumant, contrà quàm Romæ fieri ſolebat, vbi dictatore creato, reliqui magiſtratus ceſſabant, præter trib. pleb. Polybius de dictatore, οὗ κατασταθέντος παραχρῆμα διαλύεσθαι συμβαίνει πάσας τὰς ἀρχὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ, πλὴν τῶν δημάρχων. id eſt, Quo creato ſtatim Romæ omnes magiſtratu abeunt præter trib. plebis. Sententia eſt, cùm vel conſules, vel dictatores ciuitati præſunt, aliorum magiſtratuum imperia ne tollant neu abrogent, vt ſoli rerum potiantur.

*Auſpicia pat.*) Auſpicia quibus ad magiſtratus auſpicatò creandos opus erat, patriciorum, non plebis erant: eaq; duplicia, aut maiora, aut minora. Liuius lib. 6. *Penes quos igitur ſunt auſpicia more maiorum? nempe penes patres. Nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicatò creatur: nobis adeò propria ſunt auſpicia, vt non ſolùm quos populus creat patricios magiſtratus, non aliter quàm auſpicatò creet: ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicatò interregem prodamus, & priuatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent.* Iterum, *Irent, crearent conſules ex plebe, transferrent auſpicia quo nefas eſſet: potuiſſe patres plebiſcito pelli honoribus ſuis, num etiam in deos immortales inauſpicatam legem valuiſſe?*

*Ollique ex ſe produnto*) Hic comitiatu, vt apud Gellium, eſt comitijs. quanquam libri veteres Comitatu habent locis omnibus. Hæc autem lex de interrege intelligenda eſt, qui non populi ſuffragio, ſed patrum decreto auſpicatò prodebatur, vt comitia haberet & magiſtratus crearet. Interregem Græci ſcriptores, qui res Romanas attigerunt, μεσοβασιλέα vocauerunt: de quo apud Suidam ſcribitur.

*Imperia, poteſtates, legationes, cùm Senatus creuerit, populúſve iuſſit, ex vrbe exeunto. Duella iuſta iuſtè gerunto. Socijs parcunto. Se & ſeruos continento. Populi ſui gloriam augento. Domum cum laude redeunto. Rei ſuæ ergò ne quis legatus eſto. Plebes quos pro ſe, contra vim, auxilij ergò, X. creaßit, Tribuni eius ſunto. Quódque ij prohibeßint, quódque plebem rogaßint, ratum eſto. Sanctique ſunto: néve plebem orbam Tribunis relinquunto. Omnes magiſtratus auſpicium iudiciumq́ habento: ex quis Senatus eſto. Eius decreta rata ſunto. Aſt ni poteſtas par maiórve prohibeßit. S. C. perſcripta ſeruanto. Is ordo vitio vacato. Cæteris ſpecimen eſto. Creatio magiſtratuum & iudicia populi, iuſſa, vetita cùm ſuffragio conſciſcentur, optimatibus nota, plebi libera ſunto. Aſt quid erit quod extra magiſtratus coeratore vſus ſit, qui coeret, populus creato, eiq́ ius coerandi dato. Cum populo patribusq́ agendi ius eſto, conſuli, prætori, magiſtro populi equitúmque, eique quem produnt patres conſulum rogandorum ergò: Tribuniſque quos ſibi plebes rogaßit, ius eſto cum patribus agendi. Iidem ad plebem quod cenſuerint*

*ferunto. Quæ cum populo, quæque in patribus agentur, modica ſunto. Senatori qui nec aderit, aut cauſa, aut culpa eſto. Loco Senator, & modo orato: cauſas populi teneto.*

*Imperia*) Imperia ſunt, cum quis præeſt exercitui: poteſtates, cùm quis à populo negocio alicui præficitur, ſic Feſtus. Sit igitur hìc imperium, in ijs qui exercitus habent, poteſtas etiam in alijs magiſtratibus. nam poteſtas plerunque magiſtratus eſt. Cic. de Inuentione, *Priuatus, an cum poteſtate ſit, id eſt, an ſit in magiſtratu.* *Iuſſit*) Id eſt, Iuſſerit, more antiquo, vt iam ſæpè.

*Iuſta*) Iuſta bella ſunt, quæ & pia dicebantur, quæ indicebantur rebus repetitis, non ex libidine ſumebantur, qua de re nonnihil diximus libro ſecundo. Cùm autem iuſta bella ſuſcepta ſunt, ſunt etiam iuſtè gerenda, non perfidioſè, non fœdifragè, non acerbè, non ad internecionem, ſed ita vt ius feciale poſtulabat. De iuſtis bellis etiam hic adſcribam quod à Cicerone ſcribitur lib. 1. Offic. *Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali Pop. Rom. iure perſcripta eſt, ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè ſit quàm indictum.*

*Et ſeruos*) Seruorum enim ſuorum culpam præſtare debet magiſtratus, ſi ſocios ac prouinciales ſpolient, aut eorum per ſeruos fortunas & bona ipſi diripiant. hæc lex ad iudicium pecuniarum repetundarum pertinet. Hìc quidam legendum cenſent, *Se & ſuos.*

*Rei ſuæ ergo*) Liberas tollit legationes, de quibus paulò pòſt pluribus diſſeret.

*Plebes quos*) Tribunorum collegium denario numero conſtabat: hi aut intercedebant, aut plebiſcita rogabant: quibus initio patres non tenebantur: poſtea tamen Q. Hortenſius legem tulit, vt eo iure quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.

*Creaſſit*) Id eſt, Creauerit, antiquo more.

*Sanctique ſunto*) Sacroſancta & inuiolata tribunitia poteſtas erat. Liu. *Ipſis quoque trib. vt ſacroſancti viderentur, cuius rei propè iam memoria aboleuerat, relatis quibuſdam ex magno interuallo ceremonijs, renouarunt: & tum religione inuiolatos eos, tum legem etiam fecerunt ſanciendo, vt qui trib. pl. ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris liberi liberæque venum irent.*

*Néve plebem orb.*) Marcus Duellius legem rogauit, vt qui plebem ſine tribun. reliquiſſent, quique magiſtratum ſine prouocatione creaſſent, tergo ac capite punirentur. Id ſancitur ne nimia ſit conſulum poteſtas, quibus opponuntur tribuni.

*Omnes magiſtratus*) Tribuit hæc lex omnibus magiſtratibus auſpicium, id eſt, vt auſpicari poſſint, ſeruareque de cælo ad vitianda aliorum comitia, legeſque & conciones turbulentas impediendas, populique iudicia. hoc auſpicium ſuſtulerat lex Clodia, qua cauebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo quis ageret, de cælo ſeruaret. Quid autem ſit ſeruare de cælo, quod in orationibus Ciceronis frequens eſt, nec intelligitur ſatis, ex Dione hic explicabo. is enim dicit auſpicium illud quo de cælo ſeruabatur, omnium maximum fuiſſe, ſemelque vno die vſurpari tantùm ſolitum eſſe, cùm alijs auſpicijs eodem die ſæpius opera daretur: cumque alia auſpicia vel addicerent, vel abdicerent, iſtud tale fuiſſe vt ſemper comitia Po. impediret, ſiue ſecunda ſigna darentur, ſiue dira. Itaque qui impedire comitia volebant, proſcribere ſolebant, ſe eo die quo haberi debebant, de cælo ſeruaturos eſſe. Hanc diuinationem vocat Dio, τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντείαν, Cicero, ſeruare de cælo, dicere ſolet. Huius autem legis hanc eſſe ſententiam apparet ex Ciceronis interpretatione, cuius verba ſunt, *Auſpicia, vt multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ.*

*Iudiciúmque*) Vt homines ad iudicium populi vocare poſſint, & eis ad populum diem dicere: ſic hanc legem interpretatur Cicero, cuius verba ſunt, *Iudicia, vt eſſet populi poteſtas, ad quam prouocaretur.*

*Quis Senatus*) Hac lege tollitur cooptatio cenſoria, & ſenatoris dignitas, beneficium populi, non cenſorum efficitur, cùm ex his qui vel in honoribus ſunt, vel honores geſſerunt ſenatus efficiatur. Nam Romæ olim cenſores ſenatum legebant, & ſenatores cooptabant.

*Aſt ni poteſtas*) Veteres libri, *Eſt poteſtas.* malè, vt exiſtimo. *Par maiórve*) Intercedendi, ne ſenatuſconſultum fieret, ius erat ijs ſolis qui eadem aut maiore poteſtate erant, quàm qui ſenatuſconſultum facere vellent, nec eo ſecius tamen interdum perſcribebatur auctoritas, nec ea tamen ſenatuſconſultum erat iuſtum & legitimum. Cælius ad Ciceronem, *Si quis huic S.C. interceſſerit, ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & ea de re ad ſenatum populúmque referri.* & mox, *Si quis huic S.C. interceſſiſſet, ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re placere ad hunc ordinem referri.* nunc autem hac lege præſcribitur ſenatuſconſultorum conſeruatio. Romæ ſenatuſconſulta ad ærarium delata ſeruabantur. Quidam hic legunt *Aſt cum par maiorue.* nam etſi interceſſum fuerat, tamen ſenatuſconſultum perſcribebatur, vt & hic modo oſtendi, & indicat etiam ille Ciceronis locus ex epiſtola ad Lentulum: De his rebus pridie quàm hæc ſcripſi, Senatus auctoritas grauiſſima interceſſerat: cui cùm Caninius & Cato interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta.

*Creatio magiſt.*) Hæc lex de ſuffragijs tabellaria eſt, tueturque ſuffragiorum libertatem in mandandis magiſtratibus, iudicando de reo, legibus iubendis & vetandis.

*Cum ſuffragio conſciſc.*) Sic libri veteres. Eſtque conſciſcere hac in re verbum priſcum. Liu. lib. 1. *Puro pióque duello quærendas cenſeo: itáque conſentio conſciſcóque,* legendum autem exiſtimo *Cum ſuffragia conſciſcentur optimatibus.*

*Aſt quid erit quod*) Coerarius quid hic ſignificet, vt planè fatear, ignoro: ſed ex veſtigijs veteris ſcripturæ legendum exiſtimo, *Aſt quid erit quod extra magiſtratus coeratore vſus ſit, qui coeret populus creato, eique ius coerandi dato.* Coeratorem autem priſci curatorem, & coerare curare dicebant. Itaque in veteribus inſcriptionibus reperitur, *De ſuo coerauerunt,* pro curauerunt. Sententia legis eſt, *Si extra magiſtratus aliqua curatione opus ſit, curatorem populus creato.* Sic, vt appellat Varro, *Viocuri,* id eſt, curatores viarum, creabantur. Sic 1. ad Attic. epiſt. *Thermus eſt curator viæ Flaminiæ.* Id adeo cauet, quia ſæpè ſenatus iſtas curationes mandare ſolitus erat, vt curam rei frumentariæ mandauit Pompeio. *Aſt* hic valet. At ſi, Quod ſi: eſt & interdum, vt Pompeius ait, *At,* interdum, *Aut.*

*Cum populo)*



*Cum populo*) Agere cùm populo, inquit Gellius, eſt rogare quid populum, quod ſuffragijs ſuis vel vetet vel iubeat. Agere cum patribus eſt ad ſenatum referre. More maiorum Dictator, Coſ. Trib. pleb. Interrex & Præfectus vrbis, duntaxat cum patribus agere poterant.

*Rogandorum*) Rogare eſt rogatis ſuffragijs creare. Cicero de Diuin. *Nonne & augurum & aruſpicum comprobat diſciplinam? qui cum tabernaculum vitio cepiſſet imprudens, quòd inauſpicatò pomœrium tranſgreſſus eſſet, comitia rogandis conſulibus habuit.* Mox, *Quos ſibi plebes rogaſſit,* id eſt, creauerit.

*Iidem ad plebem*) De Senatus decretis ſæpè ad plebem (nam populum conuocare nõ poterant) trib. ferre ſolebant, ſed & alij quoq; magiſtratus ad populum. Celius de ſenatuſconſulto, *Si quid de ea re ad populum plebémue opus eſſet, vt Seruius Sulpit. M. Marcellus Coſſ. prætt. tribb. q; pleb. quibus eorum videretur, ad P. pleb. ve ferrent: quòd ij non tuliſſent, vti quicunque deincepſe eſſent, ad P. plebemue ferrent.* Aſconius, *Itaque in omnibus ſenatuſconſultis, quibus aliquem ſolui legibus placebat, adijci erat ſolitum, vt de ea re ad populum ferretur.* Sed hìc cenſeam liberum permitti ius ferendarum rogationum ad plebem tribuniſplebis. quod ius eis ademerat Sylla, imminuta tribunitia poteſtate.

*Modica ſunto*) Non turbulenta, non ſeditioſa, ſed quieta, modeſta, ſedata: lexq; hæc de actore ſancitur.

*Senatori qui nec*) Nec pro non antiquo more, quod annotauit Pompeius. Sic furtum nec manifeſtum, & nec opinatò vſurpantur, & apud Plautum, *Nec rectè dicere.* Cæterùm ei qui in ſenatum non veniſſet, cùm adeſſe deberet, mulcta dicebatur, & pignora capiebantur. Exempla ſunt apud Ciceronem.

*Loco*) Loco dicit rogatus, modo non infinitus: vt aliqui qui dicendo diem eximere ſolebant, quadam potius ambitione quam reip. vtilitate. quo autem loco quis cal. Ian. rogatus ſententiam fuerat, toto anno dicebat. Tranquillus, *Ac poſt nouam affinitatem Pompeium primum rogare ſententiam cœpit, cum Craſſum ſoleret: eſſétque conſuetudo vt quem ordinem interrogandi ſemtentias coſ. cal. Ianuarijs inſtituiſſet, eum toto anno conſeruaret.*

*Vis in populo abeſto. Par maiórue poteſtas plus valeto. Aſt quid turbaſſitur in agendo, fraus actoris eſto. Interceſſor rei malæ, ſalutaris ciuis eſto. Qui agent, auſpicia ſeruanto. Auguri parento. Promulgata, propoſita in ærario, cognita agunto. Nec plus quàm de ſingulis rebus conſulunto. Rem populum docento: doceri à magiſtratibus priuatiſq; patiuntor. Priuilegia ne irroganto. De capite ciuis niſi per maximum comitiatum, olloſq; quos cenſores in partibus populi locaſſint, ne ferunto. Donum ne capiunto, neue danto, néue petenda, néue gerenda, néue geſta poteſtate. Quod quis earum rerum migraſſit, noxiæ pœna par eſto. Cenſores fide legem cuſtodiunto. Priuati ad eos acta referunto. nec eo magis lege liberi ſunto. Lex recitata eſt: diſce rem, & tabellam iubebo dari.*

*Vis in populo*) Si quando cum populo agetur, nihil per vim agatur, & plus valeat magiſtratus interceſſio, eique pareatur. *Par Maiórue*) Quibus eſt intercedendi ius.

*Turbaſſitur*) Id eſt, ſi quid dum cum populo agetur, magiſtratu intercedente, turbatum fuerit, fraus actoris eſto. Nam turbaſſitur præteritum antiquum eſt à Turbaſſit, priſco præterito actiuo formatum, vt à Iuſſit, quod eſt, Iuſſerit, Iuſſitur apud Catonem: eius hæc verba ſunt, *Parietes omnes, vti iuſſitur, calce & cementis,* id eſt, vt iuſſum fuerit.

*Qui agent*) Tripudio ſoliſtimo auſpicabantur aut de cælo, antè quàm cum populo agerent. idq; noctu faciebant. Varro, *Vbi noctu in templum cenſor auſpicauerit, atq; de cælo nunciatum erit, præconi ſic imperato.* ſic militiæ plerunq; augurabantur, & propter ducis tabernaculum augurale erat, vbi augurari & auſpicari ſolebant. Tacitus, *Nocte cepta egreſſus augurali.* Agentibus autem cum populo præſto augur erat, & magiſtratus aliquem in auſpicio eſſe iubebat.

*Promulgata*) Lex iure lata non erat, quæ non antè promulgata fuiſſet trinundino.

*Propoſita in*) Poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi otioſè. *In ærario*) Antè in æde Cereris, poſteà in ærario leges ſeruari cœperunt, vbi Cic. eas propoſitas eſſe vult, poteſtas vt ſit populo cognoſcendi.

*Agunto*) Cum populo. Cicero hac de re pro Flacco ſic ſcribit, *Nullam enim illi noſtri ſapientiſſimi & ſanctiſſimi viri vim concionis eſſe voluerunt. Quæ ſanciret plebs, aut quæ populus iuberet, ſummota concione, diſtributis partibus tributim, & centuriatim deſcriptis ordinibus, claſſibus, ætatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata & cognita, iuberi vetariq; voluerunt.*

*Nec plus quàm*) De multis rebus coniunctis vna rogatione ad populum ferri non poterat. Cic. pro domo, *Quæ eſt alia vis, quæ ſententia Ceciliæ legis & Didiæ, niſi hæc, ne populo neceſſe ſit in coniunctis rebus compluribus, aut id quod nolit accipere, aut id quod velit repudiare?* Id autem, vt opinor, erat per Saturam ferre. Feſtus, *In ſanctione legum adſcribitur, néue per Saturam abrogato aut derogato.*

*Rem pop.*) Rem in concione docento. *Doceri*) Sic Maniliam legem Cicero ſuaſit: ſic priuati data à magiſtratu concione pro Roſtris populum docebant. Cic. lib. 4. ad Atticum, *Cùm ſubito ille in concionem aſcendit, quam Appius ei dedit.* Et in Vatin. *In illo inquam augurato templo ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendæ cauſa, cæteri trib. pleb. principes ciuitatis producere conſueuerunt.* Ac qui leges ferebant, latores: qui ſuadebant in concione, auctores dicebantur: vt infrà, *Itaque iſti rationi neq; lator quiſquam eſt inuentus, neque auctor bonus.* proinde in Vatinium ſcripſit Cicero, *Auctoritatis exquirendæ cauſa.*

*Priuilegia*) Leges ſunt in priuos, id eſt, ſingulos homines latæ. Cic. pro domo, *Vetant leges ſacratæ, vetant 12. Tabul. leges priuatis hominibus irrogari: id enim priuilegium eſt.*

*De capite ciuis*) Huius legis Cic. in oratione pro Sext. ſic meminit, *Cur cum de capite ciuis & de bonis proſcripti ferretur: cùm & ſacratis legibus, & 12. Tab. ſancitum eſſet, néue de capite ciuis niſi comitijs centuriatis rogari, nulla vox eſt audita conſulum?* Maxima autem comitia, centuriata appellat: partes populi, claſſes & centurias. Hæc lex eſt de iudicio populi.

*Donum*) Hæc lex & ambitum & ſordidam magiſtratuum auaritiá tollit. Igitur ad ambitũ & pecunias repetundas pertinet. Quin & Cintius, muneralé legem tulerat, qua cauerat, ne cui liceret munus accipere.

*Quod quis*) Si quis quid horum violarit, tranſilierit, contraque fecerit. Cic. lib. 1. de Diuinat. *Credo, ne communia iura migrare videatur.*

*Cenſores fide leg.*) Cenſores hac lege conſtituuntur νομοφύλακες. Quod addit, *Priuati ad eos acta referunto,* morem antiquum Græciæ ſignificat, quo qui magiſtratu adierant, apud magiſtratum priuati, magiſtratus geſti rationem reddebant: quod εὐθύνεσθαι Græci dicunt.

*Fide*) Scripti libri, Cenſoris fide habent. legendum cenſeam *Cenſorum fide,* vt legum cuſtodia cenſorum fidei commiſſa ſit: id eſt, vt leges à cenſoribus cuſtodiantur. qui etiam ſenſus erit, ſi *Cenſoris fide* legas.

*Nec eo magis*) Cùm rationes retulerint, & de ipſis cenſores præiudicarint, nihilominus liceat eos in iudicium vocare, & apud magiſtratus accuſare. *Lex recitata eſt*) Vt in concione primùm à præcone ſolebat lex, ſcriba ſubijciente, recitari: mox docendo ſuaderi, poſtremò tabella populo dari, cùm in ſuffragium mittebatur, ab eo qui legem ferebat, populumque diſcedere iubebat: quod verbum, inquit Aſconius, ſignificabat, vt in ſuam quiſque tribum diſcederet, in qua ſuffragium erat laturus. Ita hic legum rogationes imitatur. Cæterùm lege recitata priuati dicebant, qui legem ſuadebant, deinde ſitella deferebatur ad tribuum ſortitionem, quo in ſuffragium ordine mitterentur: ſitella delata æquabantur ſortes, quæ ducendæ erant in ſortitione tribuum, mox ſortio fiebat, poſtremò populus in ſuffragium ibat.

*Tabellam*) Nam qui legem ferebat, tabellam dari populo iubebat.

*Q. Quam breui, frater, in conſpectu poſita eſt à te omnium magiſtratuum deſcriptio: ſed ea penè noſtræ ciuitatis, etſi à te paulum allatum eſt noui. M. Rectiſſimè, Quinte, animaduertis. hæc eſt enim quam Scipio laudat in libris illis, & quam maximè probat, temperationem Reipub. quæ effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione magiſtratuum. Nam ſic habetote, magiſtratibus, iiſq; qui præſint, contineri Rempub. & ex eorum compoſitione quod cuiuſque Reipub. genus ſit, intelligi. Quæ res cùm ſapientiſſimè moderatiſſimeq; conſtituta eſſet à maioribus noſtris, nihil habui, ſanè non multum, quod putarem nouandum in legibus. A. Reddes igitur nobis, vt in religionis lege feciſti admonitu & rogatu meo, ſic de magiſtratibus, vt diſputes quibus de cauſſis maximè placeat iſta deſcriptio. M. Faciã, Attice, vt vis, & locum iſtum totum, vt à doctiſſimis Græciæ quæſitum diſputatúmque eſt, explicabo: & vt inſtitui, noſtra iura attingam. A. Iſtud maximè expecto diſſerendi genus. M. Atqui pleraque ſunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit, cùm de optima Repub. quæreretur: ſed huius loci de magiſtratibus, ſunt propria quædam à Theophraſto primùm, deinde à Dione Stoico quæſita ſubtilius. A. Ain tandem? etiam à Stoicis iſta tractata ſunt? M. Non ſanè, niſi ab eo quem modò nominaui, & poſteà à magno homine, & in primis erudito Panætio. Nam veteres verbo tenus acutè illi quidem, ſed non ad hunc vſum popularem atq; ciuilem de Repub. diſſerebant.*

*Noſtræ ciuitatis*) Qualis ferè deſcriptio magiſtratuũ Romanorum: nonnihil tamen immutauit: vt cùm legationes liberas ſuſtulit, cum reliquis magiſtratibus ſuum ius creato dictatore reliquit, cùm legum cuſtodiam cenſorum fidei commiſit, cùm cenſoriam poteſtatem quæ aliquando Romæ intermiſſa eſt, ſemper eſſe voluit.

*Quam Scipio*) In libris de Rep. ciuitatem Romanam inter ſecundum & tertium Punicum bellum legibus & inſtitutis optimè moratam temperatamque fuiſſe docuerat, vt ex ſummis, medijs, & infimis ordinibus tanquam ſonis moderàta ratione ciuitas concineret. Temperatio autem illa & moderatio Reip. Romanæ perdiligenter explicatur à Polybio lib. 6. hiſtoriarum.

*Temperationem*) Moderatam quandam Reip. mixturam. Non enim ſimplex erat, ſed ex omnibus temperata generibus.

*Quod cuiuſque Reip.*) Nam ex ijs qui præſunt rerumpub. genera cognoſcimus: vt tyrannidem, monarchiam, oligarchiam, ariſtocratiam, democratiam.

*Nouandum*) Mutandum & innouandum.

*Deſcriptio*) Ordinatio, conſtitutio, & compoſitio magiſtratuum. *Doctiſſimis*) A philoſophis.

*Iura attingam*) Sic lib. 2. *Et ego in hoc omni ſermone noſtro, quod ad cunque legis genus me diſputatio noſtra deduxerit, tractabo quoad potero eius ipſius generis ius ciuile noſtrum.* Igitur Romana iura & inſtituta cum philoſophorum diſputatione miſcebit, vt mox, in Conſule & tribuno. Et lib. 4. cùm de iure & poteſtate magiſtratuum diſſerebat, quod erat iuris Romani.

*Theophraſto*) De Theophraſto ſic libro quinto de Finibus ſcribit, *Omnium ferè ciuitatum non Græciæ ſolùm, ſed etiam Barbariæ ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas: à Theophraſto leges etiam cognouimus. Quumq; vterq; eorum docuiſſet qualem in rep. principem eſſe conueniret, pluribus præterea cùm ſcripſiſſet, qui eſſet optimus reip. ſtatus: hoc amplius Theophraſtus, quæ eſſent in rep. inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus eſſet moderandum vtcunque res poſtularet.*

*A Dione*) Legendum puto, *A Diogene Stoico,* qui Babylonius vocatus eſt, cuius Antipater diſcipulus fuit, vt Antipatri Panætius. Cicero libro ſecundo de Diuin. *Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, vt prædicere poſſint duntaxat quali quiſque natura.* Et tertio Offic. *In huiuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & graui Stoico.*

*A Stoicis*) Quorum philoſophia omnis à Rebuſp. abhorrere videbatur, quòd ciuem nullum niſi ſapientem putarent, nullam ciuitatem niſi è ſapientum cœtu conſtantem. *Verbo tenus*) Veteres Stoici de Repub. verbo diſſerebant. quam enim fingebant nulla erat, ac ne eſſe quidem poterat.

***Ab hac familia magis iſta manarunt Platone principe: poſt Ariſtoteles illuſtrauit omnem hunc ciuilem in diſputando locum: Heraclideſque Ponticus profectus ab eodem Platone: Theophraſtus verò inſtitutus ab Ariſtotele abundauit, vt ſcitis, in eo genere rerum: ab eodemque Ariſtotele doctus Dicæarchus, huic rationi ſtudioq; non defuit. Poſt à Theophraſto Phalereus ille Demetrius, de quo feci ſuprà mentionem,***



***mentionem, mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum ocióque non modò in ſolem atque in puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciémque produxit. Nam & mediocriter doctos, magnos in Repu. viros, & doctiſſimos homines non nimis in Rep. verſatos, multos commemorare poſſumus: qui verò vtraq; re excelleret, vt & doctrinæ ſtudijs, & regenda ciuitate princeps eſſet, quis facile præter hunc inueniri poteſt? A. Puto poſſe, & quidem aliquem de tribus nobis: ſed perge vt cœperas.***

*Ab hac familia*) A Peripateticis & Academicis, vt ait Cicero libro 4. de Finib. copioſè tractatus eſt locus ciuilis, quem πολιτικὸν, dicimus. Libro 3 quoq; de Orat. eos appellatos eſſe dicit Philoſophos πολιτικούς. Igitur ab ijs philoſophis Academicis & Peripateticis iſta profecta ſunt. *Ab hac* dixit, quòd paulò antè Theophraſti mentionem feciſſet. non deeſt qui legendum cenſeat, *Ad hanc familiam.*

*Heraclides*) Hic ex Heraclea Ponti vrbe fuit, Platonis diſcipulus & familiaris, à quo etiam profectionem in Siciliam parante, ſcholis eſt præfectus. Hic Draconem cicurauit adeò, vt & vna veſcentem, & in eodem cubili recubantem haberet. eius hodieque quoddam breuiarium extat de quibuſdam rebuſpub.

*Dicæarchus*) Ex Meſſana vrbe Siciliæ fuit, Ariſtotelis auditor, philoſophus, rhetor, & geometres. de Spartanorum repub. ac legibus ſcripſit. Scripſit & τριπολιτικὸν de Repub. Corinthiorum, Pelinæorum, & Athenienſium. *Abund.*) Habitauit V. L. i. plurimum ſcripſit his de rebus, plurimum diſſeruit: quod Græci dicunt ἐνεφιλοχώρησε vel ἐφιλοχώρησεν. eodem modo dixit Cicero in Oratore ad Brutum, *Alioqui quonam modo ille in bonis hærebit & habitabit ſuis?* non eſt diſſimile illud Plauti, *Maiorem partem in ore habitas meo.* Itaque *Habitauit* malim quàm *Abundauit.*

*Ex vmbr.*) Budæus ductum à σκιαμαχία, i. vmbratili pugna exiſtimat. Sententia eſt, Ciuilem doctrinam & diſputationes de Repub. non ſolùm ſub tecto ſcholiſque philoſophorum exercuit, verùm & ad iuſtum prælium deſcendit, ac diſciplinam ciuilem è ſchola & ocio philoſophico in concertationes forenſes & Reip. gerendæ contentiones, Demetrius Phalereus produxit. nam remp. Athenienſem non ſolùm diu adminiſtrauit, verumetiam emendauit & ordinauit. qua de re commentarios etiam, vt Strabo refert, reliquerat, in quibus fortaſſe & hoc quod hic Cicero ſcribit, diſputabat, & illud quod lib. 2. de ſepulturis commemorauit, ſcripſerat. Ductum potius cenſeam à gymnaſiorum ambulationibus, quæ arborum vmbraculis erant opacæ, vt in Academia & Lyceo Nam lib. 5. de Legibus ita vmbraculum Cicero vſurparat, cuius, auctore Macrobio, hæc verba ſunt, *Eaque quæ reſtant in illis aliorum vmbraculis perſequamur.* Cæterùm in Bruto eadem de Phalereo loquens translatione vtitur. Proceſſerat enim in ſolem & puluerem; non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis.

*In ſolem*) Vt in agmine milites ſolem & puluerem patiuntur: ſed & qui ſe in campo exercent.

*Non nimis*) Non admodum: paucos commemorare poſſumus qui & in reip. adminiſtratione, & philoſophiæ doctrina excelluerint. *Vt & doctr.*) Cicero libenter, & propè impudenter laudẽ captat: quanquã hic minus immodeſtè id facit, quàm in Officijs, vbi præ ſe Demetriũ contemnit. *Aliquem*) Te M. Tulli.

*M. Quæſitum igitur ab illis eſt, placeretne vnum in ciuitate eſſe magiſtratum, cui reliqui parerent; quod exactis regibus, intelligo placuiſſe noſtris maioribus: ſed quoniam regale ciuitatis genus probatum quondam, poſteà non tàm regni, quàm regis vitijs repudiatum eſt, nomen tantùm videbitur regis repudiatum, res manebit, ſi vnus omnibus reliquis magiſtratibus imperabit. Quare nec Ephori Lacedæmone ſine cauſa à Theopompo oppoſiti regibus, nec apud nos conſulibus Tribuni. Nam illud quidem ipſum; quod in iure poſitum eſt, habet Conſul, vt ei reliqui magiſtratus omnes pareant, excepto tribuno, qui poſt extitit, ne id quod fuerat, eſſet. Hoc enim primum minuit conſulare ius, quod extitit ipſe qui eo non teneretur. deinde quod attulit auxilium reliquis non modò magiſtratibus, ſed etiam priuatis Conſ. non parentibus. Q. Magnum dicis malum. nam iſta poteſtate nata, grauitas optimatium cecidit, conualuitq; ius multitudinis. M. Non eſt ita, Quinte: nõ enim ius illud ſolùm ſuperbius populo, ſed violentius viari neceſſe erat, quò poſteà quàm modica & ſapiens temperatio acceſſit, conuerſa lex in omnes eſt. * Domum cum laude redeunto. Nihil enim præter laudem bonis atque innocentibus, neque ex hoſtibus, neque à ſocijs reportandum.*

*Intelligo placuiſſe*) Nam ante tribunitiam poteſtatem conſules planè regium imperium habebnat Romæ. *Quare nec Ephori*) Theopompus Lacedæmoniorum rex poteſtati regum Ephoros oppoſuit, eoſdem propemodum ac qui Romæ tribuni erant. quo nomine expoſtulanti vxori querentique quòd regalem poteſtatem liberis imminutam eſſet relicturus, Sanè quidem, inquit, verùm ſecuriorem & diuturniorem. Ephororum autem poteſtas eò progreſſa eſt, vt etiam regem capitis condemnarent, ſed eam tamen, vt nimis tyrannicam poſteà Cleomenes ſuſtulit, & regibus priſtinam poteſtatem reſtituit. Quinque numero erant: nomen habent, διὰ τὸ ἐφορᾶν. De his vide Ariſtotelem lib. 2. de Repub.

*Quod in iure poſitum*) Nam conſul regio imperio eſt, eique magiſtratus omnes præter tribunum parent. Ius dicit imperium, dominium, poteſtatem magiſtratus conſularis.

*Ne id quod fuerat*) Ne regia poteſtas, quæ vrbe exacta eſt, in Coſſ. remaneret.

*Priuatis Coſſ.*) Nam priuati aduerſus vim Coſſ. ſæpè tribunos appellabant, idque eſt quod in lege poſuit; *Plebes quos pro ſe contra vim auxilij ergò decem creaſſit.*

*Ius multitudinis*) Nam tribunitia poteſtate effectum eſt, vt aliquando Romæ maiores eſſent plebis, quàm ſenatus opes. Saluſtius, *Nam poſtquam Cn. Pompeio & M. Craſſo Coſſ. tribunitia poteſtas reſtituta eſt, homines adoleſcentes ſummam poteſtatem nacti, quibus ætas animusq; ferox erat, cœpere ſenatum criminando, exagitare plebem.* Quintus autem natura ferocior & acerbior, optimatiumq; & nobilitatis fautor, tribunatui infeſtus eſt & iniquus. *Grauitas*) Auctoritas ſenatus.

*Ius illud*) Conſulare imperium, conſularis dominatus, qui omni ex parte regius eſſet, ſi ei tribuni parerent. *Temperatio*) Temperamentum, moderatio, quæ eſt quæſita oppoſita Coſſ. poteſtate tribunitia.

*Conuerſa*

*Conuerſa lex in omnes*) Ante tribunitiam poteſtatem optimates, vt qui ſoli conſules fierent, & conſulem ſui ordinis fautorem haberent, legibus ſuperiores regnabant, plebs illis obnoxia agitabat: creatis verò tribunis nimia illorum potentia imminuta eſt æquatis opibus vtriuſque partis: omneſque teneri legibus cœperunt, cùm tribunitiæ rogationes, plebiſque ſcita pro lege eſſent. tum igitur demum dici debuit quod à Liuio ſcribitur, *Imperia legum potentiora fuiſſe, quàm hominum.* Deinceps autem multa deeſſe, perfacile eſt ex lege colligere.

*Iam illud apertum profectò eſt, nihil eſſe turpius, quàm quenquam legari, niſi Reipub. cauſa. Omitto quemadmodum iſti ſe gerant atque geſſerint qui legatione hæreditates, aut ſyngraphas ſuas perſequuntur. in hominibus eſt hoc fortaſſe vitium. Sed quæro quid reapſe ſit turpius, quàm ſine procuratione Senator? Legatus ſine mandatis? ſine vllo Reipub. munere? Quod quidem genus legationis ego Conſul, quanquam ad commodum ſenatus pertinere videatur: tamen approbante ſenatu frequentiſſimo, niſi mihi leuiſſ. trib. pleb. tum interceſſiſſet, ſuſtuliſſem. minui tamen tempus, & quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate ſublata. Sed iam ſi placet, de prouincijs diſcedatur, in vrbemq; redeatur. A. Nobis placet: ſed ijs qui in prouincijs ſunt, minimè placet. M. At verò, Tite, ſi parebunt his legibus, nihil erit ijs vrbe, nihil domo ſua dulcius: nec laborioſius, moleſtiúſque prouincia.*

*Iam illud apertum*) Liberas reprehendit legationes, quas ſenatores plerunq; impetrabant: eas ferè petebant, quibus in prouincia negocium eſſet, vt illic & gratia maiore, & poteſtate, & ſumptu minore res ſuas perſequerentur: erant autem magno ſumptui & oneri prouincialibus. Cic. in Rullum, *Hæreditatum obeundarum cauſa quibus vos legationes dediſtis, qui & priuati & priuatum ad negocium exierunt, non maximis opibus, neque ſumma auctoritate præditi, tamen auditis profectò quàm graues eorum aduentus ſocijs veſtris eſſe ſoleant.* Liberæ legationes dicebantur, quòd ab vrbe abeſſe liceret: & vbicunque quis vellet, liberè eſſe.

*Legari*) Legatum mitti. *Hæreditates*) Homines enim prouinciales, ſed & ciues qui in prouincia rem habebant, aliquando teſtamento Senatorem Romanum aliqua ex parte hæredem ſcribebant. Sic in Minutij Baſilij falſo teſtamento hæredes adſcripti ſunt Craſſus & Hortenſius.

*Syngraphas perſeq.*) Nomina appellant, & vſuras exigunt ex ſyngraphis. Syngrapha autem eſt quam appellamus vulgò in Gallia obligationem. dixit & ſyngraphum maſculino genere Plautus, *Agedum iſtum oſtende quem conſcripſiſti ſyngraphum.* *Quid reapſe*) Id eſt re ipſa. Seneca in epiſt. *Eoſdem libros cum Grammaticus explicuit, primum verbum reapſe dici à Cicerone in commentarium refert.* Superiora ſunt hominum vitia, hæc quæ nunc commemoro, rei ipſius, id eſt, liberæ legationis. *Procurat. ſenat.*) Cùm eſſe aliqua adminiſtratio & procuratio publicorum negotiorum potius, quàm priuatorum ſenatori debeat. ſenatorem dicit, quòd ſenatoribus hæ legationes concedebantur, non ad rem pub. ſed priuatam gerendam.

*Quod quidem genus*) Cicero liberas legationes in Conſulatu repreſſit, & annuas fecit: poſtea lex Iulia etiam quinquennales indulſit. Cicero ad Atticum, *Habent, vt opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi poteſt: bella eſt autem huius iuris quinquennij licentia.*

*Leuiſſ. trib.*) Metellus nepos, vt opinor, aut Beſtia, aut alius tribunus.

*Sed iam ſi placet*) Ilocalariter dictum. Noſtra, inquit, oratio à negocijs magiſtratibuſque prouincialibus ad res vrbanas, & magiſtratus Romanos reuertatur. aliorſum vertit qui reſpondet. atqui magiſtratus, quos de prouincia inuitos tua lex auellit, non libenter in vrbem redibunt, relicto quæſtu prouinciali. Nam prouinciarum cupiditate Romani ardebant, & adeſa re, effuſiſque ac perditis fortunis, vnum multis hoc ſubſidium erat, adeptio prouinciæ, quam ſpoliarent & diriperent: & Gabinius cum foris eſſet (foris autem eſſe dicebantur, qui, quòd ſoluendo non eſſent, flagitanti creditori non eſſe domi dicebantur) & egeret, vnam in prouincia rerum ſuarum ſpem collocarat. Cicero in Piſonem, *Egere, foris eſſe Gabinium: ſine prouincia ſtare non poſſe.* Itaque vt ſcribit Tacitus, *Statum reip. ad imperatorem Auguſtum translatum prouinciæ, non tulerant iniquo animo, ſuſpecto ſenatus populique imperio, ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum, inualido legum auxilio.* *Si parebunt*) Quæ iubent vt ſocijs parcant, ſe & ſuos contineant, populi ſui gloriam augeant, quæ muneris ſunt laborioſi & permoleſti, non quæſtus neque lucri.

*Sed ſequitur lex quæ ſancit eam Tribunorum plebis poteſtatem, quæ in Repub. noſtra eſt, de qua diſſeri nihil neceſſe eſt. Q. At mehercule ego frater quæro de iſta poteſtate quid ſentias. Nam mihi quidem peſtifera videtur. quippe quæ in ſeditione, & ad ſeditionem nata ſit. cuius primum ortum ſi recordari volumus, inter arma ciuium, & occupatis & obſeſſis vrbis locis, procreatum videmus. deinde cùm eſſet citò legatus tanquam ex XII. Tabulis, inſignis ad deformitatem puer, breui tempore creatus, multo quoque tetrior & fœdior natus eſt. Quem enim ille non edidit? qui primùm (vt impio dignum fuit) patribus omnem honorem eripuit: omnia infima ſummis paria fecit, turbauit, miſcuit: cùm afflixiſſet principum grauitatem, nunquam tamen conquieuit. Atq; vt Cn. Flaminium, atq; ea quæ iam priſca videntur, propter vetuſtatē relinquam, quid iuris bonis viris T. Gracchi Tribunatus reliquit? & ſi quinquennio antè D. Brutum, & P. Scipionem Conſules (quos & quantos viros) homo omnium infimus & ſordidiſſimus Trib. pleb. C. Curiatus in vincula coniecit, quod antè factum non erat. C. verò Gracchus ruinis & ijs ſicis, quas ipſe ſe proieciſſe in forum dixit, quibus digladiarentur inter ſe ciues. nónne omnem Reipubl. ſtatum permutauit? Quid iam de Saturnini ſupplicio reliquiſq; dicam? quos ne depellere quidem à ſe ſine ferro potuit Reſpub. Cur autem aut vetera, aut aliena proferamus potius, quàm & noſtra & recentia? Quis vnquam tam audax, tam inimicus nobis fuiſſet, vt cogitaret vnquam de ſtatu noſtro labefactando, niſi mucronem aliquem tribunitium exacuiſſet in nos? Quem cùm homines ſcelerati ac perditi non modò nulla in domo, ſed nulla in gente reperirent: gentes ſibi in tenebris Reipub. perturbandas putauerunt: quod nobis quidem egregium & ad immortalitatem memoriæ glorioſum, neminem in nos mer-*

*nos mer-*



*nos mercede vlla Trib. potuiſſe reperiri, niſi cui ne eſſe quidem licuiſſet Tribuno. Sed ille quas ſtrages edidit? eas videlicet quas ſine ratione, ac ſine vlla ſpe bona furor edere potuit impuræ beluæ multorū inflammatus furoribus. Quamobrem in iſta quidē re vehementer Syllam probo, qui Tribunis plebis ſua lege iniuriæ faciendæ poteſtatē ademerit, auxilij ferendi reliquerit. Pompeiumq; noſtrum in cæteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummiſq; effero laudibus: de Tribunitia poteſtate taceo. nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.*

*Inter arma ciuium*) Plebs propter nexos ob æs alienum, cùm in montem ſacrum trans Anienem tria ab vrbe milia paſſ. ſeceſſiſſet, reconciliari non potuit, niſi datis Tribunis. Piſo in Auentinum ſeceſſionem fuiſſe factam dicit, quem Cicero ſequitur. Creati ſunt tribuni lege ſacrata. legem autem ſacrarunt, ſanctiſſimè per ſacra iurando, omnique execratione caput ſuum diris deuouendo, ſi contra legem & poteſtatem tribunitiam facerent. inde ſacrata lex nomen habet, & tribuni ſacroſancti cenſebantur.

*Deinde cùm eſſet*) Non tam de ſecunda Tribunorum pleb. conſtitutione fortaſſe loquitur, quæ ob ſcelus Appij decemuiri occupato à plebe primùm Auentino, deinde monte ſacro, facta fuit, ac miſſis legatis, & interpoſita fide publica, datiſque decem Tribunis, plebs in gratiam cum patribus redijt: quā de prima, in qua citò legatū creatum fuiſſe dicit, alludens, niſi me fallit animus, ad legatos, qui temporibus Reip. flagitantibus plerumq; ſubito aliquo decreto mittebantur, vt tum ſubitò creati ſunt tribuni. Quis tamen iſtam ſcripturam veram præſtare auſit, cùm in altero manu ſcripto codice (Duos enim habui) repererim, *Octo legatus*? Si locus eſt in deprauatis coniecturæ, neq; aliquid tentare nefas eſt, mihi iſta ſedulò rimanti, animumq; variè verſanti, venit in mentē legi poſſe ex veſtigijs ſcripturæ, & hiſtoriæ fide, *Deinde cum eſſet ſtolò Gaius.* nam Caius Licinius Stolo tribunus plebis auctor fuit vt conſulū vtiq; alter ex plebe fieret quod hic conqueritur Quintus. *Ex duodecim Tab.*) Ad quoddam XII. Tab. caput alluſum eſt, in quo de pueris agebatur, qui deprauatis & deformibus membris naſcuntur. eos enim inſignes & inſignitos Latini vocabant. Plautus Milite,

*Ea mihi inſignitos pueros pariet poſteà.*
*Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brochum.*

Cùm autem monſtroſos partus interfici Romulus voluiſſet, cauerant, vt reor, decemuiri nè parentes in deformes partus, atque adeò ad deformitatem inſignes ſæuirent. *Multoq; tetrior*) Vetus ſcriptura varia eſt, *Multoq; cretior, & multoq; tretior:* vnde *tetrior* factum putem, quod non improbo: mihi tamen iſta conſideranti in mentem venit ſcriptum fuiſſe, *Multo concretior & fœdior natus eſt*: vt concretus deformem, turpem, fœdatum, contaminatum & inquinatum ſignificet, velut in illo Ciceronis verſu, *Cùm clarum ſpeciem concreto lumine luna Abdidit.* Legitur etiam *Multo quoque tetrior.*

*Quem enim ille. Trib. pleb.*) Omnes improbi tribuni pl. ab eo propemodum editi dici poſſunt, qui patres omni honore ſpoliauit, communicato plebi conſulatu, cùm ſuis factis & exemplis eos ad audendum impuliſſe videatur. is fuit Licinius Stolo.

*Qui primum*) Non intelligit Canuleium, qui legem de promiſcuis patrum plebiſque nuptijs tulit, quod XII. Tab. vetabatur: ſed Licinium Stolonem, qui non multis pòſt annis Tribunus fuit, ac rogationem tulit, vt etiam ex corpore plebis conſules fierent: quod offenſis patrum animis magna tandem contentione obtinuit. Florus, *Quartam ſeditionem excitauit honorum cupido, vt de plebe quoque magiſtratus crearentur. Fabius Ambuſtus duarum pater, alteram Sulpitio patricij ſanguinis dederat, alteram plebeio Stoloni. Quodam tempore, quòd lictoriæ virgæ ſonum ignotum penatibus ſuis expauerat, à ſorore ſatis impotenter irriſa, iniuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum, honorum & magiſtratuum conſortium quanuis inuito ſenatu extorſit.*

*Impio*) Quia auſpiciorum religio, quæ patrum erat, contaminari videbatur, communicato cum plebe conſulatu: aut promiſcuis nuptijs ſacra gentium polluebantur, ſi de Canuleio intelligeretur, quod mihi non placet. aut impium dicit, quòd cùm pietas in parentes ſit, patres, id eſt, ſenatores, qui tanquam parentes ſunt, contumelia affecerat. *Principum*) Id eſt, ſenatus.

*Atque vt Cn. Flaminium*) C. Flaminius trib. plebis legem de agro Gallico & Piceno viritim diuidendo tulit. Is conſul ad Thraſymenum exercitu ab Annibale deleto occubuit. C. non Cn. à Polybio, Cicerone, Liuio vocatur. Itaque hic ſcribendum cenſeo. *Iuris*) Auctoritatis, poteſtatis.

*Bonis viris*) Optimatibus, ſenatoribus. Infrà, *Et à nobili homine lata L. Caſſio, ſed pace familiæ dixerim, diſſidente à bonis, id eſt, à ſenatu.*

*C. Curiatus*) L. Cornelium Naſicam, cui Serapioni cognomen fuit, & D. Iunium Brutum Curiatius trib. plebis, quòd non impetraret, vt ſibi denos quos vellet milites eximeret, in carcerem mitti iuſſit. Ab alijs non *Curiatus, ſed Curiatius* appellatur, quod verius puto.

*Ruinis & emiſſitijs*) Cum genera telorum ſignificare videatur, quibus homines digladiarentur, pro *Ruinis, Runis* eſſe legendum aliquando putaui. Eſt enim Runa genus teli. Vnde Ennius, *Runata recedit*, dixit. *Ruinis* tamen retineo, pro exitijs & euerſione, præſertim cùm ruinarum etiam ruderibus homines inter ſe dimicare poſſint. Mox legitur, *Et ijſſiſis* in veteribus libris, ex quo factum *Emiſſiſis*: fortaſſe legendum *Ruinis & ijs ſicis.* Intelligit autem leges Agrarias & frumentarias C. Gracchi, ex quibus contentiones & pugnæ inter plebem & optimates natæ ſunt.

*Domo*) Nam gens vna multas domos & familias habet.

*Gentes ſibi*) Iura gentilitatis ſignificat, quæ violauit Clodius, cum ex genere patricio in adoptionem C. Fonteio homini plebeio iuniori maior natu lege Curiata ſe dedit, cùm de cælo tamen à Bibulo ſeruatum eſſet, vt vitio ſit adoptatus & contra leges. porrò magiſtratus plebeios hi duntaxat gerere poterant, qui ex plebe erant.

*In tenebris*) In diſſenſione ciuium & diſſidio magiſtratuum. *Licuiſſet tribuno*) Cùm lex Curiata, qua adoptatus eſt, lata ſit vitio, nulloque iure vel pontificio, vel ciuili ſit adoptatus.

*Vehementer*

*Vehementer Syllam*) Cornel. Sylla dictator Tribunorum plebis poteſtatem minuit, & legum ferendarum illis ius ademit, interceſſionem reliquit: prohibuitq; ne his qui Trib. fuiſſent, alios poſteà magiſtratus gerere liceret.

*Pompeiumq́, noſtrum*) Pompeius ex Hiſpania reuerſus, & Coſſ. cum Craſſo creatus, tribunitiam poteſtatem plebi reſtituit.

*Reprehendere libet*) Propter Pompeium amicum noſtrum, cuius ego nullum factum reprehendere poſſum.

*M. Vitia quidem Tribunatus præclarè, Quinte, perſpicis: ſed eſt iniqua in omni re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio, vitiorúmque ſelectio. Nam iſto quidem modò vel Conſulatus vituperabilis eſt, ſi Conſulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in iſta ipſa poteſtate ineſſe quiddam mali, ſed bonum quod eſt quæſitum in ea, ſine iſto malo non haberemus. Nimia poteſtas eſt Trib. plebis. quis negat? ſed vis populi multo vehementior multóque ſæuior, quæ ducem quòd habet, interdum lenior eſt, quàm ſi nullum haberet. dux enim ſuo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem ſui non habet. At aliquando incenditur? & quidem ſæpè ſedatur. quod enim eſt tam deſperatum collegium, in quo nemo è X. ſana mente ſit? Quin per ipſum Tiberium Gracchum non ſolùm nectus, verùm etiam ſublatus interceſſor fuerat? Quid enim illum aliud perculit, niſi quòd poteſtatem intercedendi collegæ abrogauit? Sed tu ſapientiam maiorum in hoc vide. conceſſa plebi à patribus iſta poteſtate arma ceciderunt: reſtincta ſeditio eſt: inuentum eſt temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari ſe putarint. in quo vno fuit ciuitatis ſalus. At duo Gracchi fuerunt? & præter eos, quamuis enumeres multos, licet. Cum deni creantur, nullos in omni memoria reperies perinicioſos Tribunos: leues, etiam non bonos fortaſſe plures. inuidia quidẽ ſummus ordo caret, plebs de ſuo iure periculoſas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamen ſic data eſt, vt multis præclariſsimis addiceretur, vt auctoritati principum cederet. Noſtra autem cauſa, quæ, optime & dulciſsime frater, incidit in Tribunitiã poteſtatem, nihil habuit contentionis cum Tribunatu. non enim plebs incitata noſtris rebus inuidit: ſed vincula ſoluta ſunt, & ſeruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. neq; nobis cum illa tum peſte certamen fuit, ſed cum grauiſsimo Reip. tempore, cui ſi non ceſsiſſem, non diuturnum beneficij mei patria fructum tuliſſet. Atque hoc rei exitus indicauit. quis enim non modò liber, ſed etiam ſeruus libertate dignus fuit, cui noſtra ſalus chara non eſſet? Quòd ſi is caſus fuiſſet rerum, quas pro ſalute Reipub. geſsimus, vt non omnibus gratus eſſet, & ſi nos multitudinis vis furentis inflammata inuidia pepuliſſet: ſi Tribunus aliquis ſic in me populum, ſicut Gracchus in Lænatem, Saturninus in Metellum incitaſſet: ferremus, ò Quinte frater, conſolarentúrque nos non tàm philoſophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent: quàm clariſsimi viri, qui illa vrbe pulſi, carere ingrata ciuitate, quàm manere in improba maluerunt. Pompeium verò quòd vna iſta in re non ita valdè probas, vix ſatis mihi illud videris attendere, non ſolùm ei quid eſſet optimum videndum fuiſſe, ſed etiam quid neceſſarium. ſenſit enim deberi non poſſe huic ciuitati illam poteſtatem. quippe quam tantopere populus noſter ignotam expetiſſet, quî poſſet carere cognita? Sapientis autem ciuis fuit, cauſam nec pernicioſam, & ita popularẽ, vt non poſſet obſiſti, pernicioſè populari ciui non relinquere. Scis ſolere, frater, in huiuſmodi ſermone vt tranſiri aliò poſsit, dici admodum. A. Prorſus eſt ita. Q. Haud equidem aſſentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perſeueras tu quidem, & in tua vetere ſententia permanes. Q. Nunc mehercule. A. Ego ſanè à Quinto noſtro diſſentio: ſed ea quæ reſtant audiamus.*

*In omni re accuſanda*) Res omnis æſtimanda eſt ex bonorum & malorum compenſatione, vtra præponderent. non enim temerè quicquam reperias, cui non inſit aliquid mali. Itaque prætermiſſis bonis malorum commemoratio & enumeratio iniqua eſt.

*Poteſtate*) Tribunitia. aliud autem eſt tribunatus, aliud tribunitia poteſtas. tribunatum Sylla reliquerat, tribunitiam poteſtatem ſuſtulerat: & imperatores poſteà Romani tribunitiam poteſtatem ſumpſerunt, tribunatum non ſumpſerunt.

*Quod eſt*) Ciuitatis ſalus ex ordinum concordia.

*Ducem quòd habet*) Vt trib. pleb. vindicem libertatis, & patronum plebis.

*Suo periculo*) Si quas actiones ſuſcipiat ſeditioſas, intelligit ſibi id periculoſum fore.

*Incenditur*) Tribunitia poteſtas interdum inflammatur vehementius & furioſius in ſenatum: tamen ſi vnus è decem ſana mente ſit, eius interceſſio furentes aliorum conatus repreſſerit.

*Collegium*) Decem erant tribuni, qui omnes vt inſana & furioſa mente eſſent, vix fieri poterat.

*Quin per ipſum Tiberium*) Tiberius Gracchus cùm inuitis equitibus ac Senatoribus legem Agariam ferret, M. Octauio collegæ cauſam aduerſæ partis defendenti, tribunatum ſuffragio populi abrogauit. hanc hiſtoriam & Plutarchus in Graccho refert, & Cicero lib. 1. de Natura deorum attingit his verbis, *Vt igitur T. Gracchum cùm videor concionantem in capitolio videre de M. Octauio deferentem ſitellam, tum eum motum animi dico eſſe inanem.* Obſeruatum autem Iulius Obſequens ait, *Neminem qui magiſtratum collegæ abrogauiſſet, annum ſuperuixiſſe.* Ex his Brutus fuit, Tib. Gracchus, P. Tarquinius. Pro *Nectus*, quod in veteribus libris eſt, *Vetitus* quidam legunt: eſtque hypophora.

*Verum etiam ſubla.*) Abrogata poteſtate tribunitia. nectus erit tanquam peremptus & prohibitus. ſic Enecas comici non raró vſurpant pro Moleſtus es & crucias. non ſolùm peremit interceſſionem Gracchus, cùm intercedenti collegæ non paruit: verùm etiam ſuſtulit interceſſorem, ei abrogata tribunitia





poteſtate. Simile ferè eſt illud Ciceronis, *Auis fame enecta in offam pultis inuadit.* *Perculit*) Euertit, ſubuertit: ſic apud Plautum Epidico, *Perij, auſtrum perculi.* vel cum aſpiratione, *Hauſtrum perculi*, id eſt, euerti vas hauſtorium aquæ plenum. Hæc lectio librorum eſt vetuſtiſſimorum, quam lex carminis confirmat, & interpretatio ea, quam adſcripſi, quam homini huius memoriæ doctiſſimo Domino Gulielmo Peliſſerio Monſpeſſuli epiſcopo acceptam fero. Auſtrum autem veteres & Hauſtrum dicebant, aſpiratè & tenuiter. *Sapientia maiori*) Legendum puto, *Sed tu Sapientiam maiorum in hoc vide.*

*Inuentum eſt temperamentum*) Inuenta moderatio eſt & temperatio, qua ſe credidit plebs parem eſſe ſenatui. oppoſita enim conſulibus tribunitia poteſtate, imperium conſulum regium moderatione quadam temperatum eſt.

*Ciuitatis ſalus*) In illa æquatione quæ ſeditionem omnem reſtinxit, concordiam peperit.

*Nullos in omni*) Pernicioſum Trib. pleb. nulla vnquam ætate propè reperias fuiſſe: ſed leuem, aut non bonum poſſis, quales Gracchi & Saturnini fuerunt. & vt hoc ſit in iſta poteſtate mali, hoc boni quæſitum eſt, quod de ſenatus inuidia detractum eſt. Nam antè tribunitiam poteſtatem inuidioſa erat ſenatus potentia. *Re, non verbo*) Datis trib. qui plebis libertatem tuerentur.

*Multis præclariſſ.*) Multis eſt obnoxius maximis tribunatus, vt pareat ſenatui. Nam de interceſſione tribunorum ſæpe ſtatim referebatur, graueſq; in eos & acres ſententiæ dicebantur. Cæſar, *Refertur confeſtim de interceſſione tribunorum. dicuntur ſententiæ graues. Et ſenatuſconſultis eorum actiones populares ſæpè prohibebantur.* Salluſtius, *Neu quis de his poſteà ad ſenatum referat, néue cum populo agat. qui aliter fecerit, ſenatum exiſtimare, eum contra Rempub. & ſalutem omnium facturũ.* Vel potius dicit, tribunatum honeſtiſſimis & præclariſſimis viris plerunq; mandari ſolitum, & ſenatus, bonorumq́; ſtudioſis, auctoritatiq; principum parentibus. Principes ſunt ſenatores, in quibus vnus etiam à ſenatoribus primus lectus, Princeps ſenatus dicebatur. Auguſtus hoc nomen vt moderatiſſimum (neque enim regem ſe dicere & ferre auſus eſt) ſumpſit. Tacitus, *Qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa, nomine principis ſub imperium accepit.* poſterior ſententia vera eſt.

*Cum tribunatu*) Nam Cicero nunquam plebis libertatem, aut commoda oppugnauit, quæ trib. tueri debent: nec vt in oppreſſorem libertatis Ciceronem plebs coorta eſt & concitata, ſed ſeruitia & vincula.

*Vincula ſoluta ſunt*) Clodius, vt Ciceronem vrbe expelleret, carceres refregit, cuſtodias, ſeruos, gladiatores, omneſq; ſicarios aduerſus eum armauit: in hanc ſententiam hac de re ſæpè loquitur Cicero, cùm intelligendum ſit colluuionem & fecem vrbis à Clodio in eum incitatam fuiſſe. Vincula autem vinctos per metonymiam intelligit, qui in cuſtodia habebantur. Sic ſeruitia pro ſeruis mox vſurpat: ſic cuſtodiæ dici ſolent: ſic crimina quodam loco Tacitus vſurpauit: ſic *Carcer vix carcere dignus* dixit Lucilius.

*Terrore militari*) Erat enim ad portas cum imperio & exercitu Cæſar: cuius arma Ciceroni Clodius intentabat. *Peſte*) Id eſt, Clodio.

*Grauiſſimo tempore*) Cùm omnia commoueri viderentur, & proſcriptio, cædes, direptio denunciaretur. Tempus enim hic ſignificat conditionem illam Reipub. & ſtatum turbulentum, qui tum erat.

*Fructum tuliſſet*) Salua eſſe patria diu non potuiſſet, quàm Conſ. ſeruaueram. *Exitus rei*) Cum tantis poſtea omnium ordinum ſtudijs reuocatus ſum, ea res indicauit cum grauiſſimo tempore mihi certamen fuiſſe, non cum plebe.

*Pepuliſſet tribunitia*) *Pepuliſſet: Si tribunus aliquis in me Populum*, legendum exiſtimaui.

*Gracchus in Lænatem*) P. Popilius Lænas cùm Prætor Tib. Gracchi amicos in exilium egiſſet, vi C. Gracchi expulſus, poſtea L. Beſtiæ rogatione reſtitutus eſt. Citatur à Feſto oratio Gracchi in Lænatem.

*Saturninus in Metellum*) Apuleius Saturninus cùm legem Agrariam per vim tuliſſet, Metello Numidico, qui in eam iurare noluerat, diem dixit: cùm autem ab optimatibus Metellus defenderetur, ne tamen ſeditionis auctor eſſet, in exilium abijt.

*Non tam philoſoph.*) Quorum de ferendo exilio extant ſcholæ: & qui animi ægritudines philoſophiæ monitis æquo animo ferre docent. *Qui vrbe pulſi*) Vt Ariſtides & Themiſtocles.

*Deberi*) Eius tanquam ſolutionem differri non poſſe intellexit, ſed repræſentandam eſſe ſenſit. ſic Deberi ſuprà dixit, *Et tibi horum deberi nihil poteſt.*

*Dici admodum*) In dialogis qui reſpondet, cùm diſputanti aſſentitur, dicere ad modum ſolet, vt vna re pertractata aliò tranſiri poſſit. Proinde tu frater admodum dicito, mihiq; aſſentitor. ſciebat autem pertinacem Quintum, & ab eo tribunitiam poteſtatem ſæpe vituperari audierat.

*Haud equidem aſſ.*) Ad modum non dicam nec aſſentiar, tu tamen ad reliqua perge.

*Nunc*) Non me his rationibus de vetere mea ſententia deduxiſti, in eaq; adhuc perſeuero.

*M. Deinceps igitur omnibus Magiſtratibus auſpicia & iudicia dantur. iudicia, vt eſſet populi poteſtas, ad quã prouocaretur: auſpicia, vt multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ. ſæpè enim populi impetum iniuſtum auſpicijs Dij immortales repreſſerunt. Ex his autem qui magiſtratum ceperunt quod Senatus efficitur, populare eſt ſanè, neminem in ſummum locum, niſi per populum venire, ſublata cooptatione cenſoria. Sed præſto eſt huius vitij temperatio, quòd ſenatus lege noſtra confirmatur auctoritas. Sequitur enim, Eius decreta rata ſunto. Nam ita ſe res habet, vt ſi Senatus dominus ſit publici conſilij, quodq́; is creuerit, defendant omnes: & ſi ordines reliqui principis ordinis conſilio Rempub. gubernari velint, poſſit ex temperatione iuris, cùm poteſtas in populo, auctoritas in Senatu ſit, teneri ille moderatus & concors ciuitatis ſtatus: præſertim ſi proximæ legi parebitur. nam proximum eſt, Is ordo vitio careto: cæteris ſpecimen eſto. Q. Præclara verò frater, iſta lex eſt, & latè patet, vt vitio careat ordo, & Cenſorem quærat interpretem. A. Ille verò & ſi eſt totus tuus ordo, grauiſſimamq́; memoriam retinet Conſulatus tui, pace tua dixerim, non modò Cenſores, ſed etiam iudices omnes poteſt defatigare. M. Omitte iſta Attice. non enim de hoc Senatu, nec his de hominibus qui nunc ſunt, ſed de futuris, ſi*

*qui fortè his legibus parere voluerint, hæc habetur oratio. Nam cùm omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem vnquam vitij particeps. Id autem difficile factu eſt, niſi educatione quadam & diſciplina, de qua dicemus aliquid fortaſſe, ſi quid fuerit loci aut temporis.*

*Iudicia)* Non comitia. etſi comitijs populus de candidatis iudicat. Cicero in Rullum, *Ita cùm maiores binis comitijs voluerint vos de ſingulis magiſtratibus iudicare.* ſed poteſtas diem ad populum dicendi.

*Vt eſſet)* Ad populum prouocat magiſtratus, cùm ad populi iudicium aliquem vocat, vt ad ſummum iudicem: cùm ad populum diem dicit. quo hic ſenſu Prouocare accipiendum cenſeo.

*Auſpicia)* Haberi comitia rogandis magiſtratibus, niſi auſpicato non poſſunt, aduerſaq; auſpicia diem dirimunt & moram obijciunt. Sed auſpicia hic in aliam ſententiam dicit, vt omnibus comitialibus faſtiſque diebus, liceat magiſtratibus de cœlo ſeruare: quod ſemper comitia impediebat, aut ſaltem in auſpicio ie eſſe. Minor tamen magiſtratus maiore habente comitia de cœlo ſeruare vetabatur, ſed neque cenſores conſulibus aut prætoribus turbabant aut retinebant auſpicia: verùm cenſores inter ſe, prætoresq; & conſules inter ſe vitiabant & obtinebant.

*Inutiles comitia)* Conuentus & comitia. Sic Meſſala, *Conſul ab omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem auocare poteſt.* Libri veteres, *Comitatus* habent.

*Auſpicijs)* Cùm ſeruatum eſt de cœlo, & obnunciatum.

*Popularem)* Emendaui, *Populare eſt*, cùm *Popularem* legeretur. Caput enim hoc legis populare eſt, cùm dignitas ſenatoria beneficium populi efficiatur.

*Cooptatione cenſoria)* Cenſores, quæſtores, equites illuſtres, & viros inſignes in ſenatum cooptabant. Hanc cooptationem lege Cicero tollit, cùm ex magiſtratibus ſenatum efficit. Nam cooptatio dicebatur, cùm ſine ſuffragio populi, vel ſacerdotes ſacerdotem, vel pontifices pontificem, vel cenſores ſenatorem legebant. Cooptatio enim eſt, cum collegæ ſimul optant & eligunt.

*Temperatio)* Moderatio & temperamentum popularis legis, & tanquam quædam emendatio.

*Decreta rata)* Nam ſenatuſconſulta partem iuris ciuilis conſtituebant, eiſq; plebs ac Quirites, vt patres plebiſcitis, lege Hortenſia, tenebantur. *Dominus publici)* Vt eſſe debet.

*Quodq; is creuerit)* Eiuſque decreta rata ſint. Creuerit autem pro Decreuerit, dixit antiquo more.

*Ordines reliqui)* Inferiores ordines ſenatus conſilio, qui princeps eſt ordo, Rempub. gubernari velint.

*Temperatione)* Temperamento & moderatione. *Poteſtas in pop.)* De poteſtate populi & ſenatus auctoritate, vide Budæi annotationes. Cicero autem in libris de Repub. Rempublicam definiebat rem eſſe populi, quam illic ex ariſtocratiæ & democratiæ temperamento, qualis antiqua Romanorum fuit, optimam exiſtimabat.

*Cenſorem quærat)* Iſtam legem oſtendit nihil egere Quintus interpretatione Ciceronis, ſed cenſoris animaduerſione & notatione, vt probroſi ordine moueantur, honeſti retineantur. Iſta enim eſt cenſoris interpretatio, quid ſit eſſe ſenatum alijs ſpecimen. quos enim ordine remouerit cenſor, oſtendet alijs ſpecimen non fuiſſe: quos retinuerit in ſenatu, oſtendet fuiſſe. *Quærit* etiam legi poteſt. Emendaui, *Lex eſt, & late patet*, ex veteribus libris. cùm in alijs codicibus legatur *Sed & altera.* *Tuus totus)* Etſi tu ei ordini chariſſimus es.

*Conſulatus tui)* Nam in conſulatu Cicero ſenatus potentiam defenderat & conſtituerat: & cum ſenatu equeſtrem ordinem coniunxerat. Infrà, *Eamq; optimam Rempub. duco, quam hic Coſ. conſtituerat, quæ ſit in poteſtate optimorum.*

*Pace tua)* Quia non libenter eos vituperari audimus, qui nobis benè volunt.

*Defatigare)* Tantum abeſt vt animaduerſionibus cenſorijs corrigi poſſit, vt omnes iudices defatigaturus ſit.

*A. Locus certè non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus verò largitur longitudo diei. Ego autem etiam ſi prætericris, repetam à te iſtum de educatione & de diſciplina locum. M. Tu verò & iſtum, Attice, & ſi quem alium præterij. Cæteris ſpecimen eſto. quod ſi eſt, tenemus omnia. Vt enim cupiditatibus principum & vitijs infici ſolet tota ciuitas: ſic emendari & corrigi continentia. Vir magnus & nobis omnibus amicus L. Lucullus efferebatur, quaſi commodiſſimè reſpondiſſet, cùm eſſet obiecta magnificentia villæ Tuſculanæ, duos ſe habere vicinos, ſuperiorem Equitem Rom. inferiorem libertinum, quorum cùm eſſent magnificæ villæ, concedi ſibi oportere, quod ijs qui inferioris ordinis eſſent, liceret. Non vides, Luculle, à te idipſum natũ, vt illi cuperent? quibus id ſi tu non faceres, non liceret. quis enim ferret iſtos, cùm videret eorum villas ſignis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam ſacris & religioſis? quis non frangeret eorum libidines, niſi illi ipſi qui eas frangere deberent, eiſdem teneretur? Nec enim tantum mali eſt peccare principes (quanquam eſt magnum hoc per ſe malum) quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principum exiſtunt. nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunq; ſummi ciuitatis viri fuerint, talem ciuitatem fuiſſe: quæcunq; mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecutam. idq; haud paulò eſt verius, quàm quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis, mutari ciuitatum ſtatus: ego autem nobilium vita victuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo pernicioſius de Repub. merentur vitioſi principes, quod non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem, neque ſolùm obſunt quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt: pluſq; exemplo, quàm peccato nocent. Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coanguſtari etiam poteſt. pauci enim atque admodum pauci honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere poſſunt. Sed hæc & nunc ſatis, & in illis libris tractata ſunt diligentius. quare ad reliqua veniamus.*





*Diei)* Æſtiui & ſolſtitialis. *Iſtum de educatione)* Multa de hac re Plato in lib. de Repub. & de Leg diſſerit: & Ariſtoteles in Politicis. Sunt enim educatione & diſciplina animi ad virtutem informandi, neque ſine diſciplina fructus eſt vllus bonarum legum. Lex enim à vitijs deterret, diſciplina ad virtutem inſtituit. Ex hoc autem loco perſpicuum eſt libros aliquot Ciceronis de Leg. deſiderari.

*Specimen eſto)* Virtutis exemplum & probitatis.

*Continentia)* Hic continentia cupiditati & auiditati contraria eſt, cùm manus noſtras ab alieno continemus.

*L. Lucullus)* Magnificas habuit duas villas Lucullus, Neapolitanam, & Tuſculanam, auctor Plutarchus. Gabinius Trib. pleb. pictam in concione ſæpè oſtendit Tuſculanam villam Luculli, ad inuidiam Lucullo conflandam.

*Superiorem)* Supra villam ſuam: inferiorem, infra villam.

*Libertinum)* Libertini olim non tantùm erant, qui ex iuſtà ſeruitute manumiſſi fuerant, verùm etiam ab illis oriundi. Tranquillus, *Ac ſic quoque reprehenſionem verens, etiam Appium Cæcum cenſorem generis ſui proauctorem libertinorum filios in ſenatum adlegiſſe docuit: ignarus temporibus Appij & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipſos qui manumitterentur, ſex ex his ingenuos procreatos.* Libertini tamen Ciceronis ætate erant, qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi fuerant.

*Signis & tab.)* Statuis & pictis tabulis, raptis partim ex foris locisq; publicis vrbium: partim ex delubris, in quibus iſta conſecrata fuerant. quod quidem cupiditatis eſt, quæ eſt auiditas & rapacitas.

*Eiſdem tenerentur)* Libri veteres, *Cupiditatis eiuſdem tenerentur*, habent: quomodo teneri furti dicimus. ſic apud Plautum cum genitiuo caſu iungitur.

*Imitatores)* Iuuenalis eodem modo dixit,

> —— *velocius ac citius ...*
> *Corrumpunt vitiorum ex... domeſtica, magnis*
> *Cum ſubeant animos auctor...*

*Replicare)* Reuoluere & explicare memoriam temporum & hiſtoriam. eſt Replicare quod plicatum erat explicare, vt librum. Cicero pro Sylla: *Vt ne replices annalium memoriam, ex domeſticis imaginibus inuenies.*

*Qualeſcunq; ſummi ciuitatis)* Atqui ſententia hæc Platonis eſt, vel Cicerone teſte, cuius hæc verba ſunt: *Erant præterea hæc animaduertenda in ciuitate, quæ ſunt apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus, quales in Republica Principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues.* Plato autem ſic ſcribit, μηδεὶς ὑμᾶς πειθέτω. ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν καὶ τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ, μηδὲ νῦν γε ἄλλῃ γίνεσθαι, μηδ' αὖθίς ποτε γενήσεσθαι, id eſt, Ne quis vobis, ô amici, perſuadeat aliter vnquam ocius & facilius mutaturam leges ciuitatem, quàm principum auſpicio & exemplo: nec vos nunc ſecus fieri, aut in poſterum aliquando futurum putetis. Quod tamen dicit Platonem ſcripſiſſe diuinitus, è Xenophonte ad verbum traduxiſſe videtur, qui ſic lib. 6. de diſciplina Cyri ſcribit, ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται. *Concipiunt)* Vitijs imbuuntur, vitia comprehendunt.

*Infundunt)* Exemplo reliquos ciues inficiunt & corrumpunt.

*Dilatata)* Nam de toto ordine ſenatorio pronuntiata eſt. *Coanguſtari)* Etiam iſtud in paucis principibus verum eſt, non tantùm in toto ordine. *In illis libris)* In libris de Republica.

*Proximum eſt autem de ſuffragijs, quæ iubeo nota eſſe optimatibus, populo libera. A. Ita mehercule attendi, nec ſatis intellexi quid ſibi lex, aut quid verba iſta vellent. M. Dicam Attice, & verſabor in re difficili, ac multum & ſæpe quæſita: ſuffragia in magiſtratu mandando, aut de reo iudicando, atq; in lege aut rogatione, clàm an palàm ferre melius eſſet. A. An etiã id dubium eſt? Q. Vereor ne à te rurſus diſſentiam. M. Non facies, Quinte: nam ego in iſta ſum ſententia, qua te fuiſſe ſemper ſcio, nihil vt fuerit in ſuffragijs voce melius, ſed obtineri an poſſit videndum eſt. Q. Frater, bona tua venia dixerim, iſta ſententia maximè & fallit imperitos, & obeſt ſæpiſſime Reipub. cùm aliquid verum & rectum eſſe dicitur: ſed obtineri, id eſt, obſiſti poſſe populo negatur. Primùm enim obſiſtitur cùm agitur ſeuerè. deindè vi opprimi in bona cauſa eſt melius, quàm malæ cedere. Qui autem non ſentit omnem optimatium auctoritatem tabellariam legem abſtuliſſe: quam populus liber nunquam deſiderauit, idem oppreſſus dominatu ac potentia principum flagitauit. Itaq; grauiora iudicia de potentiſſimis hominibus extant vocis, quàm tabellæ. Quamobrem ſuffragandi nimia libido in non bonis cauſis eripienda fuit potentibus: non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus, quid quiſq; ſentiret, tabella vitioſum occultaret ſuffragium. Itaque iſti rationi neq; lator quiſquam eſt inuentus, nec auctor vnquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariæ: quarum prima de magiſtratibus mandandis, ea eſt Gabinia, lata ab homine ignoto & ſordido. Secuta biennio pòſt Caſſia eſt, de populi iudicio. ea à nobili homine lata L. Caſſio, ſed (pace familiæ dixerim) diſſidente à bonis, atq; omnes rumuſculos populari ratione aucupante. Carbonis eſt tertia, de iubendis legibus ac vetandis, ſeditioſi atq; improbi ciuis: cui ne reditus quidem ad bonos, ſalutem à bonis potuit afferre. Vno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragiũ, quod ipſe Caſſius exceperat, perduellionis. dedit huic quoq; iudicio Cælius tabellam, docuitq; quoad vixit, ſe vt opprimeret C. Popilium, nocuiſſe etiam Reipub. Et auus quidem noſter ſingulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cuius in matrimonio ſororem, auiam noſtram, habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in ſimpulo, vt dicitur, Gratidius: quos poſt filius eius Marius in AEgeo excitauit mari, ac noſtro quidem. Quæ cum res eſſet ad ſe delata, Scaurus Coſſ. Vtinam, inquit, M. Cicero iſto animo atq; virtute in ſumma Repub. nobiſcum verſari, quàm in municipali maluiſſes. Quamobrem quoniam non recognoſcimus nunc leges populi Rom. ſed aut repetimus ereptas, aut nouas ſcribimus: non quid hoc*

*populo obtineri poſſit, ſed quid optimum ſit, tibi dicendum puto. Nam Caſſiæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur: tu ſi tabellariam tuleris, ipſe præſtabis. nec enim mihi placet, nec Attico noſtro, quantum è vultu eius intelligo. A. Mihi verò nihil vnquam populare placuit: eamqúe optimam Rempub. eſſe duco, quam hic Coſ. conſtituerat, quæ ſit in poteſtate optimorum.*

*Populo libera*) Libera ſunt quando non voce, ſed tabella feruntur. optimatibus ſunt nota hac lege, quia quibuſdam tabellæ oſtenduntur, cùm legibus Romanis, id tamen vetitum eſſet.

*Aut lege aut*) Lex eſt quod pop. Rom. ſenatorio magiſtratu, vt conſule rogante conſtituebat. Rogatio autem latius patet quàm lex, & plebiſcitum etiam ſignificat: nimirum quod plebs plebeio magiſtratu, vt tribuno interrogante, ſciſcebat.

*Clam an palam*) Cum voce ſuffragia feruntur, auctoritas optimatium eorumq́; qui magiſtratibus functi ſunt, plus valet, cùm pauperiores & tenuiores eorum ſententiæ palàm refragari non auſint: at cùm tabella ſuffragia feruntur, ſine vllo metu liberè populus ſuffragari poteſt. Saluſt. idem in ſenatu fieri vult, *Igitur, inquit, duabus rebus confirmari poſſe ſenatum puto, ſi numero auctus, per tabellam ſententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat. Tiberius quadam in cauſa ſententiam palam ferre voluit, vt neceſſitas alijs eiuſdem ſententiæ ſequendæ eſſet.* Tacitus, *Ad quod exarſit adeò, vt rupta taciturnitate proclamaret, ſe quoq; in ea cauſa laturum ſententiam palam & iuratum, quo cæteris eadem neceſſitas fieret.*

*Diſſentiam*) Vt iam feci in tribunitia poteſtate. fautor nobilitatis & optimatium Quintus erat.

*Obtineri an poſſit*) Tantum enim in Repub. contendendum eſt, quantum obtineri poſſit. fruſtra autem nitendo nihil præter odium quærere, dementiæ ſit.

*Tabellariam legem*) Nam ea lege conualuit ius & libertas multitudinis: cùm autem ſuffragia voce ferebantur, auctoritas optimatium multum poterat & gratia. Cicero pro Plancio, *Populo grata eſt tabella, quæ frontes operit, hominum mentes tegit, datq́; eam libertatem, vt quod velint, faciant.*

*Vocis quàm tabellæ*) Grauiora de reis iudicia populi erant cum voce, quàm cum tabella ſuffragium ferebatur. non enim iſta condemnandi libidine, optimatium & nobilitatis verecundia populus vtebatur: & poſt tabellariam legem magnificum erat vocis ſuffragium, potius quàm tabellæ. Cicero in Rullum, *Sed tamen magnificentius atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quòd meis comitijs non tabellam indicem tacitæ libertatis, ſed vocem viuam præ vobis indicem veſtrarum erga me voluntatum ac ſtudiorum tuliſtis.* Nam interdum populus candidatum, qui de Repub. optimè meritus eſſet, magno certatim ſtudio & effuſa lætitia vel conſulem, vel ædilem, vel prætorem voce declarabat.

*Nimia libido*) Qua nimirum abutebantur, populo voce ſuffragium ferente, vt proinde populus flagitare cœperit legem Tabellariam, vt liberè ſuffragium ferret.

*Non latebra*) Non occultandum tabella ſuffragium.

*Neq; lator*) Lator qui legem fert vt Trib. auctor cuius ſuaſu conſilioq́; facit, quique legem ad populum ſuadet: vt lator Caſſius, auctor Scipio fuit.

*Gabinia eſt*) Lex Gabinia tabellam duntaxat in magiſtratibus creandis dabat. Caſſia verò cautum erat, vt populus cùm iudicaret, niſi in Perduellionis crimine, in quo vocem reliquit, tabella ſententiam ferret. Carbonia legum lationi & abrogationi tabellam dedit. Cælia, Perduellionis iudicio, quod à Caſſio exceptum fuerat. Cicero de amicitia, *Videtis in tabella iam antè quanta ſit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem poſt Caſſia. Videre iam videor populum à Senatu diſiunctum, & multitudinis arbitrio res maximas agi.*

*Biennio poſt*) Caſſius Longinus Trib. pleb. Lepido & Mancino Coſſ. legem tulit, vt populus non voce, ſed tabella ſuffragium ferret, quæ diu ſancta & incorrupta manſit.

*Pace familiæ dixerim*) Quæ ſeuera ſemper fuit, & à populari leuitate aliena. Cicero in Verrem, *L. Caſſius ex familia tum ad cæteras res, tum ad iudicandum ſeueriſſima.*

*Rumuſculos*) Quancunque gloriolam & famam popularitate quadam captante.

*Carbonis eſt tertia*) C. Carbo qui hanc legem tulit, perpetua in populari ratione leuitate fuit. Ideoqúe morte voluntaria ſe à ſeueritate iudicum vendicauit. Is & Trib. pleb. ſeditioſus fuit, & P. Africano vim attuliſſe exiſtimatus eſt, & L. Craſſo accuſante cantharidas ſumpſiſſe dicitur.

*Ne reditus quidem*) Ad optimates, à quibus in Tribunatu diſſenſerat, reditus, cùm Opimium defendit. Cicero de Oratore, *Non ſi Opimium defendiſti Carbo, idcirco te iſti bonum ciuem putabunt: ſimulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuum eſt, quod T. Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quod P. Africani necis ſocius fuiſti, quod eam legem in tribunatu tuliſti, quòd ſemper à bonis diſſenſiſti.*

*A bonis*) A ſenatoribus qui iudicabant. Nam deſperatione cauſæ cantharidas ſumpſiſſe dicitur.

*Perduellionis*) Vlpianus, *Qui perduellionis, inquit, reus eſt, hoſtili animo aduerſus Rempub. vel principem animatus eſt.* Nam perduellis hoſtis vocatur. eſtq́; perduellio atrociſſimum genus læſæ maieſtatis apud Vlpianum. Olim in atrociſſimis facinoribus poni ſolebat, vt in Horatio, interfecta ſorore, perduellionis & hoſtilitatis crimen fuit. Idque eſt quod Liuius ait, *Lex horrendi carminis erat, Duumuiri perduellionem indicent, grauitatem facinoris nomine ſignificante hoſtili penè manu perpetrati.* ſic à nonnullis in Manlij cauſa Liuius ait ſcriptum eſſe duumuiros creatos fuiſſe qui capitis anquirerent: paucaque omnino ſunt huius generis iudicia facta. Ciceronis ætate crimen perduellionis erat, cùm quis contra libertatem populi quid fecerat, cùm contra legem Porciam, quæ cædi, & ſecuri feriri ciues non ſinebat, quis ciuem virgis ceciderat, aut interfecerat, aut Trib. plebis patronum & vindicem libertatis violarat aut interfecerat. ſic in Poſthumi cauſa ob atrocitatem facti occiſo ſacro ſancto Tribuno, iudicium perduellionis fuit. Hoc iudicium iam inde à regibus duumuiri exercebant, quos poſt reges exactos populus creabat, quandocunque tale crimen incidebat, non prætor ſortiebatur, vti ait Dio: quod contra morem patriæ factum Dio dicit in Rabirij cauſa. à duumuiris autem prouocatio erat ad populum. ac Cicero pro Poſthumo iudicium illud





duumuirûm non tam reijcit, vt obſoletum & contra morem patriæ, quàm quòd neget vbi ſenatus decreuit, vt conſules videant ne quid reſpub. detrimenti capiat, eſſe locum ei iudicio. De perduellione ita ſcribit Soſipater, *Per pro perquàm, valde, vt Perduellio per quam duellio & pluſquàm hoſtis, vt Rabirius qui perduellionem feciſſe dicebatur, id eſt, contra rempub. ſenſiſſe: quod iudicij genus in eadem oratione M. Tullius ab Horatio ſumptum ait, dictumq́; quòd per tempus belli ſit factum, cùm is in ſororem ſuam gladio vſus eſſet.*

*Docuitque*) Ex veteribus libris in quibus *C. Populum* legitur, emendaui *C. Popilium*, quem vt apud populum atrociſſimo iudicio perduellionis opprimeret, & tabellariam legem tulit, & multa alia in tribunatu improbè & ſeditioſè fecit Cælius.

*Popilium*) C. Popilius in exilium actus Nuceriæ ciuem ſe dicauit, vt ſcribit Cicero pro Cornelio Balbo.

*Auus*) M. Cicero M. Ciceronis oratoris auus, cuius lib. 2. de Oratore mentio eſt his verbis, *Vt illud M. Cicero ſenex huius viri optimi noſtri familiaris pater, noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum venalium, vt quiſque optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſſimum.*

*Mario Gratidio*) Veteres libri M. Gratidio, vt in Bruto, *Doctus autem Græcis literis propinquus noſter factus ad dicendum M. Gratidius M. Antonij perſamiliaris.* Vocabatur autem M. Marius Gratidius, vel vt in V. L. Cratidius. *Excitabat enim*) Hoc ſpeciem ænigmatis & prouerbij habet. ſignificat autem patrem Gratidium turbellas in parua & municipali rep. excitaſſe, filium verò in maxima rep. Romana, maximos tumultus. Simpulum auctore Feſto, vas paruum eſt, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificijs libabatur: vnde & mulieres rebus diuinis deditæ Simpulatrices vocantur. Sic vocatur tanquam ſimplum, vt quod nunc templum dicimus, veteribus tempulum erat. vnde apud Plautum Aulularia ſcribitur, *Nam ſi ignis viuet, tu extinguere extempulo,* pro extemplo. Itaque fortaſſe ſimpularia funera dici debent, quæ ſimpludearia apud Feſtum ſcribuntur. Varro à ſumendo deducit ſimpulum. Perottus idem poculi genus putat Sympinium, & mulieres rebus diuinis deditas Sympinatrices appellat, ita, vt opinor, in Feſto legens, ac etymon Græcum ſequens. apud Nonium *Simpuuium* ſcribitur. Cicero de Repub. *Oratio extat Lælij, quam omnes habemus in manibus, quàm ſimpuuia pontificum dijs immortalibus grata ſint, Samiæqúe, vt is ſcribit, capedines.* Nam ſic locum hunc legit V.C. Æmarus Ranconetus. Simpuuium quoque à Plinio & Iuuenale vocatur. Varro autem ſimpulum ait vas eſſe minutatim fundens, in cuius locum ſucceſſerit in conuiuijs ἐπίχυσις. *Vnde,* inquit, *veteres res minutas nulliúſque precij Simpularias appellabant.*

*Marius*) Marcus Marius Gratidianus M. Marij Gratidij filius, à Fimbria poſteà adoptatus, in prætura re nummaria conſtituta, tam charus populo fuit, vt omnibus vicis ei ſtatuæ ponerentur, & thure cereiſque coleretur: ei Catilina Sylla vrbe potito caput ſecuit, & per vrbem caput circuntulit. Gratidianus igitur fuit in rep. gerenda leuis & popularis.

*Ægæo*) In vaſto mari, id eſt, in rep. Romana, non municipali, vt eius pater. Nam Ægæum in Mediterraneo mari vaſtiſſimum eſt, hinc illud Horatij, *Ægæum nauta ſecet mare.* & Cicero de Finibus, *Et vt interit magnitudine maris Ægæi ſtilla muriæ.* Mare autem illud Ægæum atrox & ſæuum tempeſtatibus erat. Philoſtratus, φασὶ γὰρ ἡμᾶς ἀφύσειν ἐς τὸν αἰγαῖον αὐτόν. δεινὴ δὲ, οἶμαι, ἡ θάλαττα. Id eſt, dicunt enim nos in Ægæum mare vela facturos. atrox autem eſt, vt reor, illud mare.

*Ac noſtro quidem*) Nam Ægæum mare Græcum eſt, Tyrrhenum Romanum. Alluſum eſt ad mediterraneum mare quod noſtrum dicitur. Mela, *Id omne quà venit quàque diſpergitur vno vocabulo noſtrum mare dicitur.* Quidam exordium alterius conuerſionis eſſe volunt, leguntqúe, *Ac noſtro quidam cum res eſſet.* legendum tamen puto, *Quæ cum res,* non vt obtinuit, *Qui cum res.* In mari autem noſtro cùm ait, id eſt, Tyrrheno, & infero, allegoricè Rempub. intelligit.

*Scaurus*) Qui poſteà princeps ſenatus fuit.

*Municipali*) In rep. Romana potius, quàm in Arpinati rep.

*Recognoſcimus*) Non recenſemus, non enumeramus. Non percenſemus, inquit, nec enumeramus quas leges Po. Romanus habeat, ſed optimas leges conſtituere conamur.

*Nam Caſſiæ*) Adiuuante ſuadentéque Scipione Æmiliano illam tabellariam legem Caſſius tulerat. Cicero in Bruto, *Tum L. Caſſius multum potuit non eloquentia, ſed dicendo tamen, homo non liberalitate, vt alij, ſed ipſa triſtitia & ſeueritate popularis. Cuius quidem legi tabellariæ M. Antius Briſo Trib. pl. diu reſtitit, M. Lepido Coſſ. adiuuante. Eáque res P. Africano vituperationi fuit, quòd eius auctoritate de ſententia deductus Briſo putabatur.*

*Tuus*) Qui in tuis de Rep. libris loquitur.

*Si tabellariam*) Præſtandum tibi factum tuum fuerit, ſi in his libris legem de ſuffragijs per tabellam ferendis ſcripſeris.

*Quam hic conſul*) Cicero lib. 1. ad Atticum, *Reipub. ſtatum illum, quem tu meo conſilio, ego diuino confirmatum putabam, qui bonorum omnium conſenſione & auctoritate conſulatus mei fixus & fundatus videbatur, niſi quis nos Deus reſpexerit, elapſum ſcito eſſe de manibus vno hoc iudicio.* Proinde conſulatum ſuum Ariſtocratiam videtur etiam appellare in epiſtolis ad Atticum: *Totum hunc, inquit, locum, quem in Ariſtocratia ego variè meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, pingere ſoleo, de flamma, de ferro.*

*Optimorum*) Id eſt, ſenatus.

*M. Vos equidem, vt video, legem antiquaſtis ſine tabella: ſed ego, etſi ſatis dixit pro ſe in illis libris Scipio, tamen libertatem iſtam largior populo, vt & auctoritate valeat, & vtatur bonis. ſic enim à me recitata lex eſt de ſuffragijs, Optimatibus nota, plebi libera ſunto. Quæ lex hanc ſententiam continet, vt omnes leges tollat, quæ poſtea latæ ſunt, quæ tegunt omni ratione ſuffragium: Ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes etiam lex Maria fecit anguſtos: quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis, vt ſunt fere, non reprehendo: ſin valuerint tantam leges, vt ne ſit ambitus: habeat ſanè populus tabellam, quaſi vindicem libertatis: dummodo hæc optimo cuique & grauiſſimo ciui oſtendatur, vltróque offeratur: vt in co ſit ipſo libertas, in quo populo poteſtas honeſtè bonis gratificandi datur. Eóque nunc ſit illud quod à te*

*modò, Quinte, dictum eſt, vt minus multos tabella condemnet, quàm ſolebat vox: quia populo licere ſatis eſt. hoc retento, reliqua voluntas auctoritati aut gratiæ traditur. Itaque vt omittam largitione corrupta ſuffragia, non vides, ſi quando ambitus ſileat, quæri in ſuffragijs, quid optimi viri ſentiant? Quamobrem lege noſtra libertatis ſpecies datur, bonorũ auctoritas retinetur, contentionis cauſa tollitur.*

*Vos quidem vt*) Legem tabellariam non tabella, ſed voce antiquaſtis. Tabellæ dabantur in ſuffragio ferendo, in quibus vel, Vti rogas, ſcriptum erat: vel Antiquo. Vel potius, Vos non expectato populi ſuffragio, non expectatis comitijs legem meam antiquaſtis: idque verius puto.

*In illis libris Scipio*) Etſi in libris de rep. legem tabellariam defendit à Caſſio latam, non tamen tantum libertatis populo largior, quantum Africanus: ſed tabellas ſuffragiorum & libertatem relinquo, dum populus eas bonis oſtendat.

*Poſtea latæ*) Poſt leges tabellarias: verbi gratia, ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet.

*Ne quis inſpiciat*) Hæ leges cautum eſſe volebant ſuffragiorum libertati. alterius ergo tabellam inſpicere non licebat, nec alterum rogare, vt ſuffragaretur cuipiam, nec appellare & conuenire iſta de re. Hæ leges, vt tabellariæ, latæ ſunt aduerſus ambitionem & gratiam optimatium.

*Pontes etiam*) C. Marius Trib. plebis legem de ſuffragijs, vt Plutarchus ait, repugnante Cotta Coſſ. & pleraque nobilitate tulit: ea pontes anguſtos faciebat, ne quis illic præter eum qui ſuffragium ferret conſiſtere poſſet ad appellandum rogandumque. Suffragia porrò per pontem ferri ſolita, ex prouerbio, *Sexagenarios de ponte deijci*, notum eſt: hinc & ſenes Depontani dicebantur, quòd à ſuffragijs & negocijs publicis liberi erant. Hûc pertinet illud de Cæpione, *Pontes diſturbat, ciſtas deijcit*.

*Sin valuerint tamen*) Quod noſtræ profectò efficient, vt nihil iſtis legibus opus ſit, ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet.

*Vindicem libert.*) Quæ eum quaſi in libertatem aſſerat & vindicet liberè ſuffragaturum: ad vſurpationem libertatis populus tabellam habeat.

*Quo populo*) Ijs enim oſtendent, quibus gratum facere velint, & quibus ſuum ſuffragium probatum eſſe cupiant. ita populi libertas in gratificando bonis poſita erit. libertas enim eſt in tabella, quæ bonis oſtendetur. *In quo* legitur in libris ſcriptis, non *In qua*. quam ſcripturam ſequor.

*Eoq; nunc ſit illud*) Ita nunc mea lege in reis iudicandis, minus multi tabella condemnabuntur, quàm condemnabantur voce, quoniam Quintus modò querebatur populum tabella abuti ad condemnationem bonorum. *Licere*) Ius eſſe ſatis eſt liberè tabella damnandi.

*Reliqua voluntas*) De reliquo libenter populus gratificabitur bonis modo tabellæ ius habeat, cùm eam oſtendere bonis cogatur.

*Quid opt. vir.*) Iuſtiſſima Ciceronis eſt lex, quæ tabellarium plebi ſuffragium permittit, ſed eſſe notum optimatibus vult, cùm præſertim in comitijs quærere inter ſe ſoleant homines, qui in ſuffragium eunt, quid optimi viri ſentiant. quod quidem ab ijs fit, cùm largitio in comitijs non verſatur, nec corrupti ſunt, ſed comitia quieta & tranquilla ſunt ſine vllo ambitu. tum enim bonorum ſuffragium populus incorruptus libenter ſequitur, & quærit quid boni ſentiant, & cui faueant.

*Species libertatis*) Non vera libertas, ſed eius quædam aſſimulatio & ludibrium hac lege tabellaria conſtituitur, cùm ſuffragium bonis oſtendatur. *Contentionis cauſa*) Nam propter paucorum ambitionem tabellam libertatis vindicem magna contentione & rixa populus flagitauerat.

*Sequitur, quibus ius ſit cum populo agendi, aut cum Senatu: deinde grauis, &, vt arbitror, præclara lex: Quæ cum populo, quæque in patribus agentur, modica ſunto, id eſt, modeſta, atque ſedata. Actor enim moderatur & fingit non modò mentem ac voluntates, ſed penè vultus eorum apud quos agit: quod in Senatu non difficile eſt. eſt enim Senator is, cuius non ad actorem referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari velit. Huic iuſſa tria ſunt: Vt adſit. nam grauitatem res habet, cùm frequens ordo eſt: Vt loco dicat, id eſt, rogatus: Vt modo, ne ſit infinitus. Nam breuitas non modò Senatoris, ſed etiam Oratoris magna laus eſt in ſententia. Nec eſt vnquam longa oratione vtendum, niſi aut peccante Senatu, quod fit ambitione ſæpiſſimè, nullo magiſtratu adiuuante, tolli diem vtile eſt: aut cùm tanta cauſa eſt, vt opus ſit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendũ. quorum generum in vtroq; magnus noſter Cato eſt. Quòdque addit, Cauſas populi teneto, eſt Senatori neceſſarium noſſe Remp. id quod latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reſpub. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſq; ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla maiorum. Videtis iam genus hoc omne, ſcientiæ, diligentiæ, memoriæ eſſe: ſine quo paratus eſſe Senator nullo pacto poteſt.*

*Modica ſunto*) Ne quis cum populo & cum patribus agens ſeditiones excitet oratione aut turbas.

*Actor*) Id eſt totum in actore poſitum, qui non ſolùm verbis animos afficit & mentes regit, verùm etiam propè vultum format & fingit eorum quibuſcum agit. *Moderatur*) Regit.

*Quod in ſenat.*) Modica & ſedata eſſe, quæ cum patribus agentur, non eſt difficile: quæ cum populo agentur, eſt difficilius.

*Non ad actorem*) Quia ſenator qui audit, non ita ſe comparat, vt populi more ex ore dicentis pendeat, & ab eo habitum animi & affectum ſumat, ſed ex ſua ſententia & prudentia ſpectari & exiſtimari vult, qui de eo, de quo relatum eſt quid ſentiat, dicere cupit. Legitur etiam *Spectare*.

*Rogatus*) Rogatus ſententiam à Coſſ. vel ab eo qui ſenatum habet.

*Modo*) Nam multi interdum modum non tenebant, præſertim cùm liceret ei, qui rogatus ſententiam eſſet, vt antè quicquid vellet alterius rei diceret, & quoad vellet.

*In ſententia*) Vt in deliberationibus ſenatus.

*Peccante ſenatu*) Quorundam ambitio nonnunquam eblanditur Senatuſconſulta improba





corruptis ſenatorum ſententijs: quod cùm futurum videmus, ne Senatuſconſultum fiat, diem dicendo tollere debemus: dicitur & diem eximere dicendo. Cicero, *Tum Clodius rogatus, diem dicendo eximere cœpit.* quæ verior ſententia eſt: vel dicit, quod minus probo, nonnullos per ambitionem cùm minimè neceſſe eſt, neque ſenatus peccat, tamen dicendo diem eximere. Nam ambitio interdum ſtudium quoddam eſt, & quædam voluntas & cupiditas elatior. Saluſtius, *Hyemem in caſtris, non per oppida, neq; ex ambitione mea egi.* *Noſter Cato eſt*) Vt cùm Cæſar ex Hiſpania reuerſus, vt liceret ſibi conſulatum per alium petere poſtulabat, Cato diem orando ſuſtulit. ſunt & alia exempla apud Plutarchum.

*Cato eſt*) Superſtite Catone ante bella ciuilia hæc ſcripta ſunt.

*Eſt ſenatori*) Veteres libri ab excuſis diſcrepant, cùm in eis legatur, *Veſti ſenatoris*: puto, *Id eſt ſenatori neceſſarium*.

*Noſſe rem*) Vt de ea in ſenatus deliberationibus ſententiam dicere poſſit.

*Quid habeat militum*) Hæc ſunt ferè quæ in artibus rhetores deliberaturo de repub. cognoſcenda præcipiunt.

*Socios*) Inter ſocios & amicos intereſt, quidam tamen ijdem & ſocij & amici erant Po. Ro.

*Deinceps ſunt cum populo actiones, in quibus primum & maximum, Vis abeſto. nihil eſt enim exitioſius ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuile eſt & humanum, quàm compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. Parere iubet interceſſori: quo nihil præſtantius. impediri enim bonam rem melius, quàm concedi malæ. Quod verò actoris iubeo eſſe fraudem, id totum dixi ex Craßi ſapientißimi hominis ſententia: quem eſt Senatus ſecutus, cum decreuiſſet, C. Claudio Conſule de C. Carbonis ſeditione referente inuito eo qui cum populo ageret, ſeditionem non poſſe fieri. quippe cui liceat concilium ſimul atque interceſſum, turbariq; cœptum ſit, dimittere. Quod qui permouet, cum agi nihil poteſt, vim quærit, cuius inpunitatem amittit hac lege. Sequitur illud, Interceßor rei malæ, ſalutaris ciuis eſto. Quis non ſtudioſè Reipub. ſubuenerit, hac tam præclara legis voce laudatus? Sunt poſita deinceps, quæ habemus etiam in publicis inſtitutis atq; legibus: Auſpicia ſeruanto, Auguri parento. Eſt autem boni auguris, meminiſſe maximis Reipubl. temporibus præſto eſſe debere, Iouique Opt. Maxim. ſe conſiliarium atque adminiſtrum datum, vt ſibi eos quos in auſpicio eſſe iuſſerit, cælique partes ſibi definitas eſſe traditas, è quibus ſæpè reip. ferre opem poßit.*

*Parere iubet*) Interceſſionem excitato tumultu & ſeditione non tollere, ſed ei placidè parere.

*Concedi malè*) *Concedi malæ* veteres libri habent, vt ſuprà: *Deinde vi opprimi in bona cauſa eſt melius, quàm malæ cedere.* ſententia eſt, Satius eſt pati bonam actionem & rogationem impediri ab interceſſore, quàm concedi & permitti aliquid ſeditioni populi & turbis: quàm turbas & tumultum excitari in concione.

*Fraudem*) Culpam & pœnam actoris eſſe, ſi tumultus oriatur.

*Carbonis ſeditio*) Veteres libri CN. habent, non *Caij*. Craſſus Caium Carbonem adoleſcentulus perculit, qui ſeditioſus in Trib. fuerat, rogationemque tulerat vt eundem Tribu. quoties vellet, fieri liceret. Cn. Carbo quem Lilybei Pompeius occidit, ciuis etiam improbiſſimus fuit. Cn. itaque Carbonem intelligo, qui vt Valerius ſcribit lib. tertio cap. 7. infeſtiſſimus L. Craſſo oratori fuit. ne Caium legamus, tempus facit. C. Claudius cum M. Perpenna conſul fuit paulo ante bellum Marſicum.

*Cum decreuiſſet*) In ſententia dixiſſet Craſſus.

*Concilium*) Cœtum plebis & conuentum: nam comitia totius populi ſunt. Sic Cornelius, vt Aſconius ſcribit, ſtatim dimiſit concilium: eius verba ſunt, *Et cùm illos conſul, qui ſibi manum intentabant, prehendi à lictore iuſſiſſet, fracti eius faſces cuncti, lapideſque etiam ex vltima concione in conſ. iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus, concilium dimiſit.* nam qui cum populo agit, ipſe etiam concilium dimittit.

*Qui permouet*) Quod concilium cœtumque plebis moueri cœptum qui permouet, ſeditionem & vim quærit. *Cum agi*) Quia interceſſio impedit actionem. eſt autem interceſſum.

*Salutaris*) Optimus ciuis. *Subuenerit*) Intercedendo.

*Auſpicia ſeruanto*) Qui agent.

*Maximis reip. temporib.*) Vt impetum populi iniuſtum auſpicijs interpretandis reprimat, & inutiles comitiatus probabili mora impediat. Huc pertinent quæ ſcripſit libro 2. *Quid maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperijs & ſummis poteſtatibus comitiatus & concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid grauius, quàm rem ſuſceptam dirimi, ſi vnus augur Alio die dixerit? Quid magnificentius, quàm poſſe decernere, vt magiſtratu ſe abdicent conſules? Quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare?*

*Conſiliarium*) Sic familiares appellamus, qui & nobis conſilia dant, & noſtrorum ſunt conſiliorum participes: vt augur Iouis, qui auſpicia & auguria mittit, conſilia nouit.

*Adminiſtrum*) Adminiſter enim augur auſpiciorum eſt & ſignorum, quæ Iupiter mittit, ea interpretando.

*Vt ſibi*) Conſiliarios & adminiſtros eſſe datos.

*Quos in auſpicio*) Auguralis locutio qua vtebantur augures cùm aliquem auſpicari iubebant, Cic. lib. 2. de Diuinatione, *Q. Fabi te mihi in auſpicio eſſe volo.* Reſpondet, audiui. Nam qui auſpicatur, is in auſpicio eſt. Cicero, *Iurabo Cn. noſtrum collegam Balbi, Antij mihi narraſſe in auſpicio fuiſſe.* ita in agendo cùm auſpicabantur, augur aliquem adhibebat, qui in auſpicio eſſet.

*Cæli partes*) Cæli plagas, in anticum, poſticum, dextrum, læuum, diſtributas.

*Deinde de promulgatione, de ſingulis rebus agendis, de priuatis magiſtratibúſve audiendis. Tum leges præclariſſimæ de XII. Tabulis tralatæ duæ, quarum altera priuilegia tollit: altera de capite ciuis rogari, niſi maximo comitiatu, vetat, nondum inuentis ſeditioſis Trib. pleb. Negocialis quidem admirandum, tantum maiores in poſterum prouidiſſe. in priuatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim pri-*

*uilegium: quo quid eſt iniuſtius? cùm legis hæc vis ſit, ſcitum eſſe & iuſſum in omnes: ferri de ſingulis, niſi Centuriatis comitijs noluerunt. deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilij, quàm fusè in tribus conuocatus. Quo verius in cauſa noſtra vir magni ingenij, ſummæque prudentiæ L. Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. præter enim quàm quòd comitia illa eſſent armis geſta ſeruilibus, præterea neque tributa capitis, comitia rata eſſe poſſe, neque vlla priuilegia. quocirca nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet legibus. Sed viſum eſt & vobis, & clariſſimis viris, melius, de quo ſerui & latrones ſciuiſſe ſe aliquid dicerent, de hoc eodem, cunctam Italiam quid ſentiret, oſtendere. Sequuntur de vi, de captis pecunijs, & de ambitu leges: quæ cùm magis iudicijs, quàm verbis ſanciendæ ſint, adiungitur, Noxiæ pœna par eſto: vt in ſuo vitio quiſque plectatur, vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia ſanciatur.*

*Promulgat*) Legum. *De ſingulis*) Cum populo.

*Priuatis magiſtra.*) In ſuadenda rogatione.

*Maximo comitiatu*) Maximis comitijs quæ Centuriata vocantur, vbi his in libris Comitiatus excuſum eſt, ſemper in lib. ſcriptis Comitatus legitur, nec meo iudicio omnino malè.

*Nondum inuentis ſeditioſ.*) Locus iſte miſerè contaminatus eſt, & propè deſperatus. Veteres lib. *Nondum nitis:* ſed & mox *Negotialis,* habent. *Inuentis* optimè emendatum reor, cùm alio loco ſimilem ſcripturam repererim, vbi pro certo, *Inuentis* erat legendum. pro *Negotialis* quid ſcribendũ ſit equidem neſcio. veniebat in mentem *Negotiolis,* quod non omnino alienum eſt, vt dicat tanta diligentia maiores fuiſſe, vt nihil in legibus ſcribendis prætermiſerint, ſed omnibus etiam minimis negotijs prouiderint & proſpexerint. Commendat autem hic maiorum prudentiam, qui etſi nondum quiſquam vſque adeo furioſus tribunus extiterat, qui ciuem ex vrbe, vt poſtea Clodius Ciceronem, manu facta eijcere tentaret, tamen quaſi eo prorupturam aliquando magiſtratuum audaciam prouiderent, legibus ne id fieret, longe antè cauerunt. Quod ſequitur, in V. L. *Scitum eſt iuſſum,* puto *Scitum eſſe & iuſſum* eſſe legendum: vt pro Balbo, *Scita ac iuſſa noſtra comprobat.* legit Budæus, *Cum legis hæc vis ſit, iuſſum & ſcitum in omnes, ferri de ſingulis, niſi &c.* Alij libri, *Satum eſt iuſſum.*

*In priuatos homines*) Vt Clodius Ciceroni priuilegium irrogauit, cùm ita tulit, Velitis iubeatis Quirites, vt M. Tullius in ciuitate ne ſit. Id & ſacratis legibus & XII. Tabulis erat vetitum. Cicero pro Domo, *Vetant leges ſacratæ, vetant XII. Tab. leges priuatis hominibus irrogari: id eſt enim priuilegium.* Libo tribunuſpl. rogationem in Sergium Galbam priuilegij ſimilem etiam tulit, vt Cicero in Bruto ſcribit.

*Priuilegium*) Priuilegia quoque Vlpianus tollere videtur, qui in T. de Legibus, *Iura,* inquit, *non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Et Demoſthen. in orat. contra Timocratem. μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. i. Ne legem priui hominis ergo ferre, niſi & eandem in omnes Athenienſes liceto, non minus ſex hominum millibus ſuffragio clam lato ſciſcentibus. Eſt autem priuilegium Ciceroni, cùm in aliquem priuatum rogatio fertur. receptum tamen videtur fuiſſe Ciceronis ætate ferri priuilegia, quod nunc prohibet. Nam & in Clodium priuilegium latum fuit, ſi in Opertum Bonæ deæ acceſſiſſet.

*Ferri*) Hoc ad iudicia populi pertinet, ne de capite ciuis, niſi centuriatis comitijs, agatur: ne quis apud populum, niſi centuriatis comitijs, rei capitalis reus fiat.

*Cenſu*) Nam deſcriptio claſſium ex cenſu facta erat.

*Ordinibus*) Senatus, equitum, plebis, tribunorum ærariorum, ſcribarum, libertinorum &c.

*Ætatibus*) Nam claſſes in centurias iuniorum & ſeniorum diuiſæ erant.

*Fuſe in tribus*) Quàm tributis comitijs, in quibus ordinum, cenſus, ætatum confuſio eſt, cum ex vrbis & regionis partibus, quæ tribus vocantur, comitia habeantur.

*Ingenij*) Vir eloquentiſſimus. *L. Cotta dicebat*) Cicero pro Sextio, *Cum princeps rogatus ſententiam L. Cotta dixit, id quod digniſſimum rep. fuit, nihil de me actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non poſſe quenquam de ciuitate tolli ſine iudicio: de capite non modò ferri, ſed ne iudicari quidem poſſe, niſi centuriatis comitijs.*

*Neque tributa*) Cum tributis comitijs à colluuione plebeculæ atque adeò ſeruitij & latronum Cic. pulſus ſit.

*Nobis opus eſſe lege*) Reditum meum lege non eſſe muniendum, nec me reuocandum eſſe lege lata.

*Legibus*) Secundum leges. *Patroni*) Latrones emendaui: ſic *Parum* in veteribus libris ſcripum erat pro *Larum.* Seruilibus autem armis ſæpè ſe pulſum dicit, & conſtituto in foro latrocinio.

*De vi*) Hoc nec eſt in libro ſcripto, nec in lege extat. Nam poſt caput de priuilegijs & iudicio populi, mox ſequitur, *Donum ne capiunto,* quod ad pecunias captas pertinet, vt, *Neve danto,* ad ambitum. Proinde *De vi* expungendum eſt.

*Noxiæ*) Id eſt, vis capite puniatur: auaritia captarum pecuniarum mulcta: ambitus ignominia.

*Vis capite*) Si quis agendo cum populo ſeditionem excitauerit, vel potius ſi quis manum fecerit, homines armatos coegerit, cum telo fuerit hominis occidendi cauſa, domum oppugnauerit, aliquem adortus fuerit, aut interfecerit.

*Auaritia*) Si quis magiſtratus pecuniam ceperit. *Honoris cupiditate*) Ambitus.

*Extremæ leges non ſunt nobis vſitatæ. reipub. neceſſariæ. legum cuſtodiam nullam habemus. itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt. à librarijs petimus: publicis literis conſignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos nomophylaces creantur. nec ij ſolum literas (nam id quidem etiam apud maiores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſeruabant, ad legeſque reuocabant. Hæc detur cura Cenſoribus: quandoquidem eos in repub. ſemper volumus eſſe. Apud eoſdem, qui in magiſtratu abierint, edant & exponant quid in magiſtratu geſſerint: deq; ijs Cenſores præiudicent.*



*iudicent. Hoc in Græcia fit, publicè conſtitutis accuſatoribus, qui quidem graues eſſe non poſſent, niſi ſint voluntarij. Quocirca melius eſt, rationes referri, cauſamq; exponi Cenſoribus, integram tamen legi, accuſatori, iudicioq; ſeruari.*

*Extremæ leges*) De Cenſoribus.

*Quas apparitores*) Qui leges, cùm eis opus magiſtratibus eſt, à librarijs petunt: vel potius à librarijs, qui etiam magiſtratibus apparebant. Cic. in Antonium, *Alteras Bruti rectè & ordine ſcriptas videri: quod quid eſt aliud, quàm librarium Bruti laudare? Librarij autem leges deſcribebant.* Cic. in Rullum, *Concurrunt iuſſu meo plures vno tempore librarij, deſcriptam legem ad me adferunt.*

*Nomoph.*) Νομοφύλακες, inquit Pollux, ἐστεφάνωνται στροφίῳ λευκῷ· τοῖς δὲ προέδροις ἐν ἐκκλησίαις συγκαθίζουσιν, ἔνια διακωλύοντες ἐπιχειροτονεῖν, ὅσα μὴ συμφέρει. Id eſt, Nomophylaces, i. cuſtodes legum, ſtrophio candido redemiti ſunt: in concionibus præſidibus aſſident, intercedentes ſiquid quod è rep. non ſit, ſciſcatur. Hi numero XII. erant, legumque cuſtodiam habebant, ac magiſtratus omnia ex legum præſcripto agere cogebant, hominumque facta ad leges reuocabant. Sic Rhadamantus in vrbe, Talos in agris, vt ſcribit Plat. Minois νομοφύλακες fuerunt. De Nomophylacibus ſic Columella lib. 12. ſcribit, *Quod etiam in bene moratis ciuitatibus ſemper eſt obſeruatum, quarum primoribus atque optimatibus non ſatis viſum eſt, bonas leges habere, niſi cuſtodes earum diligentiſſimos ciues creaſſent, quos Græci* νομοφύλακας *appellant. horum erat officium, eos qui legibus parerent, laudibus proſequi, nec minus honoribus: eos autem qui non parerent, pœna mulctare.*

*Maiores noſtros*) Liu. lib. 4. de cenſura, *Cui ſcribarum miniſterium, cuſtodiaq; & tabularum cura, cui arbitrium formulæ cenſendi ſubijceretur.* *Cenſores*) Cenſoriæ animaduerſiones & notæ non verè iudicia, ſed præiudicia quædam erant. Itaq; qui notatus fuerit, poſteà in iudicium hac lege vocatur: vbi niſi condemnetur, animaduerſio ignominioſa ſit. Cic. item libro quarto de Repub. ſic ſcribit, *Cenſoris iudicium nihil ferè damnato adfert præter ruborem. Itaque quòd omnis ea iudicatio verſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa ignominia dicta eſt.*

*Publice conſtitutis*) Quemadmodum publicè conſtituebantur Athenis qui in publicis ſepulturis diceret: ita quoque qui eos accuſaret, qui magiſtratum geſſiſſent in reddendis rationibus. Accuſabantur autem apud collegium λογιστῶν, populuſque accuſatores conſtituebat. ſed graues, vt cenſet Cicero, eſſe non poſſunt, niſi voluntate ad accuſandum deſcendant. Solebat id plerunque Athenis fieri, vt publicè accuſatores conſtituerentur, quod Demoſthenes in Ariſtogitonem ſic oſtendit, ἐγὼ γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὁρῶν ὑμᾶς καταπλήττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν, ἠχθόμην. Id eſt, Equidem cùm viderem me in concionibus à vobis conſtitui & deligi ad hunc accuſandum, moleſtè ferebam. Valerius, *Athenis Ephialtes accuſare publicè iuſſus, & inter cæteros Demoſtrati nomen deferre coactus eſt.* Budæus tamen cenſet hîc Cic. dicere voluntarios accuſatores Athenis fuiſſe. Apud logiſtas autem triginta diebus rationes & acta rerum in magiſtratu geſtarum magiſtratibus depoſitis reddebantur: & ἀλογίου δίκη dicebatur, cùm quis in iudicium vocabatur, quòd magiſtratu finito rationes non retuliſſet. *Voluntarij*) Qui ſponte ad accuſandum deſcendit, grauior eſt accuſator, quàm qui publicè conſtituitur. *Legi*) Qua iudicium conſtituitur.

*Sed ſatis iam diſputatum eſt de Magiſtratibus, niſi fortè quid deſideratis. A. Si nos tacemus, locus ipſe te non admonet, quid tibi ſit deinde dicendum? M. Mihine? de iudicijs arbitror, Pomponi: id eſt enim iunctum magiſtratibus. A. Quid? de iure pop. Rom. quemadmodum inſtituiſti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco eſt, quod requiras? A. Egóne? quod ignorari ab his qui in Repub. verſantur, turpiſſimum puto. Nam, vt modò à te dictum eſt, leges à librarijs lego. ſic animaduerto pleroſque in magiſtratibus ignoratione iuris ſui tantum ſapere, quantum apparitores velint. Quamobrem ſi de ſacrorum alienatione dicendum putaſti, quoniam de religione leges propoſueras: faciendum tibi eſt, vt magiſtratibus lege conſtitutis, de poteſtate, tum iure diſputes. M. Faciam breuiter, ſi conſequi potuero. nam pluribus verbis ſcripſit ad patrem tuum M. Iunius ſodalis, peritè, meo quidem iudicio, & diligenter. At de iure naturæ cogitare per nos atque dicere debemus, de iure populi Romani quæ relicta ſunt & tradita. A. Sic profectò cenſeo, & id ipſum quod dicis, expecto.*

*Quid tibi ſit deinde*) De iure & poteſtate & munere cuiuſque magiſtratus, quod eſt ex iure pop. Rom.

*A librarijs*) Vt leges ſint quas librarij magiſtratuum apparitores velint, cum publicè nulla earum cuſtodia ſit. non publicè conſeruari, ſed conſcribi ſolitas à librarijs leg. & ab illis peti, ex iſto orationis quoque II. in Rullum loco, quem modo citaui, notum eſt, *Aliquando tandem me deſignato, lex in publicum proponitur. concurrunt iuſſu meo plures vno tempore librarij, deſcriptam legem ad me afferunt.*

*Quantum apparitores*) A quibus munus ſui magiſtratus, rationem & officium diſcunt. hæc enim hîc Iuris verbo cenſentur. *Sacrorum alienatione*) Libro ſecundo hunc locum tractauit.

*Poteſtate tum*) Quidam *Poteſtatum iure* legunt, id eſt, magiſtratuum.

*M. Iunius*) Huius commentarios, qui, vt reor, de iure & poteſtate magiſtratuum erant, citat Varro his verbis. *Hoc modo inueni in M. Iunij commentarijs.* Hic eſt qui Gracchanus, vt opinor, nominabatur. Plinius, *Iunius certè qui ab eius amicitia Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: quod ad equeſtrem ordinem attinet, antea troſſulos vocabant, nunc equites vocant.*

*Sodalis*) Cui familiaritas & ſodalitas cum Attici patre intercedebat, niſi ſi quis hîc ſodalem dici putat propter amicitiam Gracchi. illud alterum verius puto.

*Cogitare per nos*) Cum de iure naturæ diſſerimus, vt ferè tribus ſuperioribus libris fecimus multis locis, quid è natura ſit ipſi ex inchoatis intelligentijs per nos cogitare debemus: cum de iure pop. Rom. agitur, vt proximo libro, in quo de iure & poteſtate magiſtratuum diſſeram, quæ ſcripta & tradita inuenimus, literis mandanda ſunt.

# ADRIANI TVRNEBI APOLOGIA *ADVERSVS QVORVNDAM CALVMNIAS, AD LIBRVM PRIMVM CICERONIS DE Legibus.*

## LANCILOTO CARLO REGIENSI EPISCOPO ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.

*QVIDAM ME APVD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM TVVM, antiſtes ampliſsime, accuſarunt, & multorum criminum ſubſcriptionem in me ediderunt: ego verò & innocentia fretus, & aduocatione tua, cuius mihi patrocinium non defuturum pollicitus ſum, non de exulando, ſed de reſpondendo cogitaui. Cùm autem ſoleant patroni cauſam à reis cognoſcere, quod facere coràm non potui, vt cauſam tibi exponerem, commentarium tibi confeci, quo ad omnia reſpondi. ei ſi quæ ex interioribus tuis literis depromere plerunque ſoles, addideris, magna victoriæ fiducia accedet. Equidem & tuo præſidio & bonitate cauſæ fretus, non recuſo quominus cauſa dicta, in conſilium iudices mittantur. Vale.*

# ADRIANI TVRNEBI APOLOGIA ADVERSVS QVORVNDAM CALVMNIAS, AD LIbrum primum Ciceronis de Legibus.

## *CICERO LIBRO I. DE LEGIBVS STOICOSNE imitatus eſt?*

CVM SCRIPSISSEM MIHI VIDERI DISPVTATIONEM LIBRI I. de Legib. à Stoicis eſſe profectam, in multorum reprehenſiones incidi, magna contentione contra me declamantium, & quædam perſtringendi mei cauſa ſcribentium. Nunc videamus ſátiſne illis iuſta reprehendendæ noſtræ ſententiæ, nobis eius affirmandæ & defendendæ cauſa eſſe videatur. Nam neceſſe profectò eſt alterutros in magno errore verſari, ac mihi vel illis idem vſuuenire quod ebrijs, qui è triclinio perditis ſenſibus ſublimes auferuntur, nec vbi locorũ ſint, ſentiunt. Primùm eorum argumenta refellam, deinde mea conſtituã. Aiunt à Cicerone ſcribi lib. 3. de legib. nihil à veteribus Stoicis ad hunc vſum popularem & ciuilem de repub. eſſe diſputatum. Quod equidem fateor: ſed iſtud nihil ad id, de quo nunc agitur, apertaque calumnia eſt: præſertim cùm illic dicat Cicero locum de magiſtratibus à Stoicis veteribus non eſſe tractatum, nec de illa legis diſputatione, quam lib. 1. explicat, id ſcribat. Quis autem tam impudens erit, qui de legibus eos ſcripſiſſe neget, cùm Chryſippus in lib. de legibus à iureconſutis & Plutarcho citetur? Quid quod illa de lege diſputatio minimè popularis eſt, vt fatetur ipſe Cicero? Quod ſi veteres Stoici huic loco defuiſſent, quod certè falſum eſt, tamen à recentioribus, vt Diogene Stoico & Panætio, iſta prætermiſſa non fuerant. eos autem qui minus hic, quæſo, ſequi potuit quàm Panætium in Officijs?

Illud etiam afferunt, Quintum lib. 2. dicere, ſibi videri fratrem Platonis orationem imitari: quod & alienum eſt, & ab ipſis malè intellectum. Etenim qui genus dicendi imitatur, non protinus idem rem & ſententiam ſequitur. Mihi autem nunquam venit in mentem dicere, lib. primo Ciceronem orationem Stoicorum imitari, quorum dicendi genus improbabat: ſed eorum ſententias ab ipſo Latinè expreſſas eſſe. Genus autem orationis quærere in attributionibus illis locorum & perſonarum, hominum eſt nec intelligentium, nec eruditorũ. Nam vt ea in re ſit aliquid imitationis, tamen ad orationis genus non pertinet.

Iam quod interpretantur Quintum dicere, Ciceronem in alijs rebus & ſententijs verſari, quòd leges ipſas à Romanis inſtitutis & moribus ſumpſerit, eum diuinũ faciunt, qui de eo de quo nullam adhuc ſyllabam audierat, auguretur. Cùm enim iſta loquitur Quintus, nondum legem Marcus ediderat. Nunc ita mea conſtituam, vt initio eorum firmamento vtar, qui à me diſſentiunt. Qui enim clarius & illuſtrius docere poſſum, lib. 1. diſputationem à Platone non eſſe profectam, quàm ſi locum illum proferam? Q. *Habeo verò frater, & in hoc admodum delector, quòd in alijs rebus, aliiſque ſententijs verſaris atque ille. Nihil enim tam diſſimile eſt, quàm vel ea quæ ante dixiſti, vel hoc ipſum legis exordium.* Vbi igitur poteſt conſiſtere Platonis imitatio, cùm tantam diſſimilitudinem Quintus eſſe dicat? In quibus autem eſt ea diſſimilitudo? In ijs, inquit Quintus, quæ antè dixiſti. In quo vel planè cœcus ſum, vel diſputatio de lege ſignificatur. Id cùm tam dilucidè & diſertè dicatur, tamen ſententiam conuellentes, de ſequentibus intelligunt. Sátiſne igitur argumenti in illa Quinti ſententia erat, cur exiſtimarem à Platone non eſſe profectam illam de lege diſputationem? Sed nec Platonicos, nec Ariſtotelicos eſt imitatus. qui poteſt id probari? nempe ex eo quod libro primo ſcribit: *Verum philoſophorum more non veterum quidem illorum, ſed eorum qui quaſi officinas ſapientiæ inſtruxerunt, quæ fuſè olim diſputabantur & liberè, ea nunc articulatim diſtinctéque dicuntur.* Hic quos

imitetur



imitetur ſignificat in huius ſcholæ capitibus, negatq́; ſe veterum more diſputare philoſophorum, ſed aliorum inſtituto. Veteres autem quos alios accipere poſſumus, quàm Peripateticos & Academicos veteres? nolo interpretationi meæ fidem habeas, audi Ciceronem in Academica prima ad Varronem de Peripateticorum & Academicorum philoſophia ſic loquentem: *Itaque omnis illa antiqua philoſophia ſenſit in vna virtute poſitam beatam vitam, nec tamen beatiſſimam.* Viden' ab eo antiquos philoſophos appellari, quos hic veteres dicit? Cur autem obſecro antiquos eos appellat? an non quia noua Stoicorum poſtea ſecta ſuccreuerit? Zeno enim relicta veteri diſciplina, multa in philoſophia nouauit: cui mox ſe Arceſilas oppoſuit. Alij etiam Stoicorum diſciplinam Academiæ veteris correctionem exiſtimabant, vt ait Cicero. Sed & hoc libro, qui ſint veteres, oſtenditur, cùm ita ſcribitur de Peripateticis & Academicis: *Quippe cùm antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet, quo iuuaremur in vita.* Iterum: *Nunc verò cùm decus quod antiqui ſummum bonum eſſe dixerant.* Id etiam ſatis apparet ex eo quod de dialectica in oratore ad Brutum ſcribit his verbis: *Nam & ipſe Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi, & poſtea qui dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt. Ergo eum cenſeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed vel illa antiqua, vel hac Chryſippi diſciplina inſtitutus, &c.* Satiſné intelligitur quos veteres philoſophos, quos nouos appellet? Ex his, vt opinor, perſpicuum eſt, Ciceronem ſibi non propoſuiſſe nec Platonis, nec Academicorum veterum, nec Peripateticorum lib. primo imitationem. Academiam autem nouam exoratam & placatam eſſe cupit, quanquam ſubmouere non audet. contra Epicureos hic etiam diſſerit apertè. Quos igitur tandem philoſophos ſequitur, cùm à doctiſſimorum hominum diſputationibus, vt dicit, iſta ſumat? nullos præter Stoicos eſſe reliquos video. Solitos autem eſſe Stoicos articulatim & diſtinctè de ſchola quaque diſſerere, ex lib. 2. de Natura deorum intelligas licet. *Omnino*, inquit, *diuidunt noſtri totam iſtam de dijs immortalibus quæſtionem in partes quatuor: primùm, docent eſſe deos: deindè, quales ſint: tùm, mundum ab ijs adminiſtrari: poſtremò, conſulere eos rebus humanis.* Vt igitur illic quæſtionem de natura deorum certis capitibus & ſententijs complexus eſt Stoicus Balbus: ita quoque hic Cicero more nouorum philoſophorum, id eſt, Stoicorum, certa ſupellectile legis officinam inſtruxit. Ciceronem etiam animaduerto ſumere omnia propè ſolere ex Stoicorum & Academicorum nouorum diſputationibus: ex reliquis, pauca quædam aſpergere. Ea enim vel eius ætate, vel paulò antè, philoſophiæ genera potiſſimum percrebruerant. Accedebat tertia Epicureorum ſecta, quam ſemper exagitat. Itaque ſi libri illorum philoſophorum hodie extarent, plurima ex illis ad verbum deſcripta à Cicerone agnoſceremus: quorum multa tamen etiam nunc veſtigia in auctoribus reperimus. Poſtremò cùm omnis libri primi ſermo in definitione legis conſtituenda occupatus ſit, ſi legis definitionem eſſe Stoicam vinco, valdè pertinax ſit, qui à Platone ſumptam eſſe putet. Iſtud quidem in commentario à me ſatis probatum eſt ex Laertio, Ario Dydimo, ex Chryſippi definitione, quam iuriſconſulti afferunt: nunc id etiam ex ipſo Cicerone docebo. Is igitur ita ſcribit libro primo de Natura deorum: *Zeno autem, vt iam ad veſtros, Balbe, veniam, naturalem legem diuinam eſſe cenſet, eámque vim obtinere recta imperantem prohibentémque contraria.* Confer hæc & quæ primo libro de Legibus diſſeruntur, intelliges ab eodem fonte vtraque manaſſe. Rurſus Cicero eodem libro de Chryſippo: *Idémque etiam legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ & magiſtra officiorum ſit, Iouem dicit eſſe.* Idem diſſerit libro primo de Legibus & initio libri ſecundi. Quem locupletiorem quærimus auctorem in Ciceronis interpretatione ipſo Cicerone? Ergò benè operam ponunt, qui vndique hæc ex Platone inueſtigare conantur, quæ alia profectò in ſylua erant indaganda & captanda: qui ea ſecutum Ciceronem volunt, de quibus nihil cogitabat: qui multa etiam prorſus aliena ex Platone huc adhibent. Sed me reprimam. nam hic aliorum vulnera tangere non decreui, ſed calumniam depellere. Satis in præſentia hac de re, quanquam in ſequentibus etiam nonnulla diſſerentur.

## De Rep. Romana.

Scripſi rempub. Romanam ex populi poteſtate, & ſenatus auctoritate temperatam fuiſſe: in quo reprehendor ab hominibus regium quoddam genus, timocraticum, & ariſtocraticum in repub. Romana fuiſſe contendentibus. Magnas hominibus obijciunt ſtatim initio tenebras, cum ſic in oratione Latina Græcè loquuntur, vt ipſi potius interprete egere videantur. Sed tamen cur à me hic potius peccatum eſt, quàm à Cicerone, cuius verba vſurpaui? Sic enim ſcribit lib. 3. de Legibus: *Nam ita ſe res habet, vt ſi ſenatus dominus ſit publici conſilij, quódque is decreuerit defendant omnes: & ſi ordines reliqui principis ordinis conſilio rempub. gubernari velint, poſſit ex temperatione iuris, cùm poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus & concors ciuitatis ſtatus.* Si qua igitur ea in re culpa hæret, eam ipſe præſtet Cicero, qui me in hanc frandem impulit. Quanquam nulla eſt, ſed in illis ignorantia, qui hæc reprehendunt. Ipſi illi Romani cùm ſenatui populoque Romano aliquid placere dicebant, in ſua ſcilicet Republica peregrini & hoſpites erant. nec enim conſulis, id eſt, regis, mentionem faciebant. Sciant igitur me Romanè locutum, & ſenatus auctoritate populique poteſtate rempublicam Romanam complexum eſſe. Quid quòd cùm ſenatum dicimus, etiam conſulem & reliquos magiſtratus intelligimus? Iſtis autem hominibus conſul ſenator eſſe non videtur, qui tamen apertè refelluntur Ciceronis auctoritate ſic lib. 3. ſcribentis de magiſtratibus, *E quis ſenatus eſto.* Cicero ædilis deſignatus à Mamertinis tecto non inuitatus ſenatorem pop. Rom. publicè hoſpitio non inuitatum queritur. Quid opus eſt in re nota morari? Quem autem Polybij locum proferunt, eum non ignoraui, ſed citaui libro tertio: tamen ſcriptorum Romanorum more loqui malui. Nec officit locus de Republica, vbi ex medijs, imis, ſummis ordinibus moderatio ciuitatis concinit. Conſulatus enim ordinis nomen non erat, ſed conſules ſenatorij erant ordinis: nec id Cicero de populo, ſenatu, & conſule intellexit, vt male interpretantur, ſed de omnibus quotquot erant in republica ordinibus. erant enim multi, verbi gratia, ſcribarum, aratorum, pecuariorum, mercatorum, publicanorum, libertinorum, ingenuorum, diuitum;

diuitum;

diuitum, pauperum, plebis denique & ſenatus. Omnes ij aut medij, aut imi, aut ſummi: vt in modis & numeris quiddam medium, imum, ſummum eſt, quibus omnium vocum varietates & interualla definiuntur, vt hic ordinum omnium diſcrimina. alioqui neceſſe eſt fateantur, cum plebs ordinis imi nomen ſit, ſenatum & conſules medios ordines & ſummos eſſe, ſed horum vter ſummus, vter medius dicant velim. Senatus Ciceroni ſummus eſt ordo & princeps, lib. 3. de Leg. & principes cum dicebant, Senatum intelligebant. Cic. *Cum igitur vehementius inueheretur in cauſam principum conſul Philippus.* Ergo medius erit conſulatus, quod exiſtimare non videntur, cum regium ſit conſulum imperium. Quod ſi conſulatus in ordinibus numeratur, cur non numeratur prætura? cur non tribunatus? Ad hæc ſi à Senatu ſeparatur conſul, ſeparari à plebe tribunus debebit. Ita non è tribus, ſed quatuor imperijs reſpublica conſtabit. Quid? cum Cicero ſcribit, *ſi ordines reliqui principis ordinis conſilio rempub. gubernari velint? cum principem ordinem ſenatum appellet, reliquóſne ordines, conſules & plebem intelligit?* equidem neminem eſſe tàm amentem puto qui id dicat. atqui iſtorum ratio eam interpretationem approbet & ſuſcipiat neceſſe eſt. Quanquam autem multi erant ordines, tamen reſpub. duorum imperio continebatur, plebis & ſenatus. qua de re ſic Salluſtius ſcribit: *In duas partes ego ciuitatem diuiſam arbitror, ſicut à maioribus accepi, in patres & plebem: antea in patribus ſumma auctoritas erat, vis multo maxima in plebe.* & alio loco: *Namque (vti paucis verum abſoluam) poſt illa tempora quicunque rempub. agitauere, ſub honeſtis nominibus, alij ſicuti iura populi defenderent, pars quo ſenatus auctoritas maxima foret, bonum publicum ſimulantes pro ſua potentia certabant. Satin' docui in illis duabus partibus ſummam reipub. fuiſſe? an cuiuſquam præterea ſcriptoris auctoritas in re tam nota deſiderari poteſt?* Quod autem aduerſarij adferunt ex Fabio inchoaſſe quædam Ciceronem de iure ciuili, id non de libris de Legib. ſed potius de libro quem inſcripſerat de Iure ciuili in artem redigendo intelligendum eſt, cuius meminit Gel. lib. 1.

## Mariana.

Plutarchus nullam arborem nominat. quid? non potuit eam ſerere poeta? deinde iſta quæ prodigioſa ſunt fidemque ſuperant, hiſtorici breuiter referunt, & plerunque refellunt: at poetæ hos locos de induſtria quærunt & ornant. In altero augurio Cicero nullam quercum nominat: ſed antè fortaſſe nominarat, & inde aquila fortaſſe euolarat, ac in arboris trunco ſe collocarat, & Marium egreſſum vrbe etiam Arpini Cicero forte conſtituerat, quanquam aliter traditur. Sed nihil præter coniecturam habemus. rectè qui coniecerit, vatem eum perhibebo optimum denique neutrum ſit. quidni enim potuerit tertium augurium Mario euenire? Sed ſi Cicero tot auguria ſuo poemati intexuit (nec enim veriſimile eſt ab eo prætermiſſum illud de pullis aquilæ, inſigne præſertim) verendum eſt, ne vt inepti olim pictoris cupreſſus, ita huius poetæ auguria aquilarum irrideantur, præſertim cùm opuſculum eſſet.

## Et à nonnullis.

Hic, vt verum fatear, cauſa reprehendendi mei fuit, ſed reprehenſoribus nulla eſt erroris venia. quis enim defendat Ciceronem dicere mentiendum de Mario non eſſe, quod Arpinum Romæ vicinum ſit? nam nec ita vicinum erat: & longè alia ſententia eſt, nihilque ei deeſt. ſi enim non placet vel ſeueritas, vt in libris ſcriptis legitur, ſic lege: *Et à nonnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine, veritas à te poſtulatur, hoc ſenſu: nonnulli veritatem hiſtoriæ à te in hoc etiam poemate exigunt, vt in recenti memoria, in qua figmentis locus eſſe non debuerit, vt in veteribus rebus & ab ætate noſtra remotis, & in Arpinati homine, cuius res ignorare non potueris, Arpinas cum ſis.* Quod ſi vel ſeueritas legas, vnde eſt illud deprauatum, ſed veritas: idem ferè ſenſus erit, vt dicat nonnullos a Cicerone in Mario exigere ſeueritatem fidei hiſtoricæ. Longè autem animo falluntur qui putent Platonicæ orationis genus Ciceronem imitatum, quia Orithyæ meminerit, cùm perſpicuè hæc omnia labantur ad hiſtoriam, de qua mox diſputare aliquid conſtituerat.

## Iucundius.

Hæc lectio veterum eſt librorum, quam loco mouere nolui: nudius tamen non ſolùm legi, verumetiam explicaui. In quo igitur reprehendor? equidem nunc reprehendendum me putarem, ſi eam lectionem diſſimulaſſem, cum ſenſum idoneum habeat. Nemo enim tum erat, qui ignoraret annales maximos exiliter & tenuiter ſcriptos eſſe: quod vt confeſſum & notū hìc tacere potuit, iucunditatem tamen fortaſſe non tacuit. Illa enim annalium confectio exornationem hiſtoriæ non profitebatur, ſed delectationem tamen maximam lectoribus afferebat ex cognitione vetuſtatis, maiorum more, vita, verbis priſcis. Tale quiddam de XII. Tabulis, & pontificum libris ſcribit in dialogo de Oratore: *Mira quædam in cognoſcendo ſuauitas & delectatio. Nam ſi quem aliena ſtudia delectent, plurima eſt in omni iure ciuili, & in pontificum libris, & in XII. Tabulis antiquitatis effigies, quòd & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum quædam genera maiorum conſuetudinem vitámque declarant.* Cùm autem paulo poſt libri ab hominibus doctiſſimis huius memoriæ emendati, belli, non bello habeant, & in libris ſcriptis ita reperiatur, & Clodium Aſellionemque minime Cicero dicat cum Cælio comparandos, nihil cauſæ fuit cur de hoc Ciceronem contumelioſè potius loqui facerent, quàm de illis qui ad antiquorum languorem & inſcitiam ſcripſerant.

## Subſeciua.

Cùm ita in libris manu ſcriptis reperiſſem, & huius lectionis hominem huius ætatis doctiſſimum approbatorem & adſtipulatorem haberem, vel potius auctorem, extitere qui publicè docerent verbum eſſe commentitium & à me fictum contra grammaticorum præceptiones, quæ poſtularent ſubſectiuum: credo quòd porrum ſectiuum legiſſent. Idem etiam mendacij me accuſabant, quod ex Frontino attuleram, apud eum eſſe negantes. ſed dijs gratia, locum tandem inuenere, & in commentarium retulere. Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Liberati ſunt magna erroris parte, lucemque diſpicere aliquam cœperunt. ſed ne penitus ſententiam tamen mutaſſe viderentur, verbosè & pertinaciter ſucciſiuum defen-

dere cœpe-



dere cœperunt, & à recentioribus, vt Frontino & Vrbico ſubſiciuum, quia negare non poterant Latinum eſſe, innouatum eſſe impudenter finxerunt. His tamen auctoribus ab aſſignationibus agrorum ductam metaphoram crediderunt, quod ante oppugnarant. Mirum autem mihi videtur Frontinū ab ijs in recentioribus numerari, Suetonium in veteribus: cùm Frontinus ſub Auguſto Nerua aquæductuum curator fuerit, Suetonius Adriani imperatoris epiſtolarum magiſter: vt cùm Tranquilli locus de agris loquatur, & ille, vt volunt, ætate Frontini ſermo eſſet, in Tranquillo ſubſeciuum fortaſſe legendum ſit. quam coniecturam adiuuat Gellius, qui Adriano imperatore vixit, cuius in noctibus Atticis quas Iodocus Badius edidit anno Domini 1517. ter ſubſiciuum legitur per tranſlationem, nec ferè aliter ſcribi ſolet in veteribus libris manu ſcriptis: quæ quidem hominibus indoctis erroris cauſa fuit. Nam quæ eſſet huius vocabuli origo cùm ignorarent, literas traiecere, & ſubciſiuum primùm fecere. mox etiam ſucciſiuum, quod ſubciſiuum eorū aures offenderet. Id vt meritò ſuſpicemur, cauſam attulit Badius, qui in poſterioribus editionibus ab hominibus iſtorum ſimilibus perſuaſus, vocabulum deprauauit, & ſucciſiuum edidit. Verùm ita ſe res habet: Veteres ſubſico & ſubſeco dicebant, hinc ſubſeciuum & ſubſiciuum. Similis imperitia locum Plauti in Rudente vitiauit. Nam cùm legatur in optimis libris: *Quin tu in paludem is, execaſq; harundinem,* id eſt, execas, mutarunt nullo nullo ſenſu, alij exagitas, alij exigis. In eandem ætatem Plinium aggredo, vt qui Traiano imperatore incendio Veſuuij perierit, vt eum eodem ſermone vſum cenſeamus. Ipſum etiam Quintilianum qui Domitiani ætate vixit. Sed quæ tandem cauſa vocabuli nouandi fuiſſet, cedo? cùm nec res tum noua eſſet, & ſuum, vt vis, vocabulum haberet: quæ duæ cauſæ in artibus ferè verba noua gignere ſolent. Cùm autem illis in locis quos aduerſarij afferunt, homines doctiſſimi ſubſeciuum repererint, idq; ſcriptis teſtatum reliquerint, ego bis hoc in libro inuenerim, ſemel plana ſcriptura, iterum ab hominibus iſtorum ſimilibus eraſa ſyllaba ſi, & ſuprà ſcripta ci, ſi poſtliminio veterem ſcripturam reſtitui doctorum huius ætatis approbatione, Frontini auctoritate, Gellij, Siculi Flacci, Kiggeni teſtimonio fretus, eſtné diligentia mea hic vituperanda, an potius iſtorum inſcitia damnanda? per me ſucciſiuum dicatur licet: non tamen ab aſſignatione, qua in re ſubſeciuum dicitur, vnde ſubſeciua tempora per tranſlationem, quæ iuſtis negotijs ſuperſunt: aut auctorem producant, qui in eo ſucciſiuum dixerit. Sed tamen vt dixi, vocem non damno (eſt enim fortaſſe Latina) omnibus tamen illis in locis ſubſeciuum malim, quod ab inſigni aliqua re tranſlationem eſſe ductam putem, quam in bonis auctoribus reperiam. Deniq; quæ iſti afferunt, controuerſa ſunt omnia, cum alia ab hominibus doctis in veteribus libris ſcriptura reperiatur: quæ dicimus, certa, teſtata, ab iſtis probata. Sed ſolent iſti pertinaciſſimè falſa vocabula tueri, & Ciceroni adfingere, vt & hoc loco ſucciſiuū, & in oratione in Vatinium cœuum. quod, ſat ſcio, nunquā ex ore Ciceronis exiit. Natus eſt error quod libri ſcripti partim cacos habent, partim cœcos, vt fortaſſe cocos legendum ſit, cum ſordidū quiddam & humile Vatinio obijciat. Cæterùm cùm vacationē ætatis dicit, ad ſexagenarios retulit, qui in ſenatum non citabantur, vacationemq; habebant, à qua ætate non longè aberrat. Seneca, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo ſenatorem non citat.* Cornelius Nepos, *Incidit Cæſarianum ciuile bellum: cùm haberet annos ſexaginta, vſus eſt ætatis vacatione, neq; quô quam ſe mouit ex vrbe.*

## Spatia.

Locum ex Oratore Ciceronis attuli, quem ad illuſtrandam huius vocabuli ſignificationem nihil attinere cenſent: ego pertinere contendo. Nam quanquam tropus eſt, tamen in eo ſatis lucet prima ſignificatio. Quid enim ſequitur? *Illa enim ſunt curricula multiplicium variorumq; ſermonum. Satin' apertè, ſatin' dilucidè ambulationum ſpatia ſignificantur?* Quid quod alluſum eſt ad ipſas Academiæ ambulationes, de quibus ſic Plinius? *Celebratæ ſunt primùm in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum 36. vnius radice ramos antecedente.* Crediderunt temerè vocē iſtam Ciceronem iecisse, captato tropo, cui res ſubiecta non eſſet. In illis autē ſpatiorum vmbraculis arboribus opacorū Academici plerunq; inambulantes, de philoſophia commentabantur. Infrà, *Deduxitq; in Academia perpauculis paſſibus:* & in poëmate, -- *inque Academia vmbrifera,* -- *ſcribitur propter ambulationum, vt opinor, arbores,* aut, vt Horatius dixit, *ſyluas Academi.* Sed vt hic falsò ſum accuſatus, ita certum eis crimen obijciam. Velim enim mihi dicant, quis eos docuerit Q. Mutiū augurem, P. Sceuolæ pontificis filium fuiſſe? Q. enim Mutius P. filius augur non erat, ſed pontifex. Cicero lib. 2. de Legibus de Publio & P. filio: *Quàm magnum illud Sceuolæ faciunt, pontifices ambo & ijdem iuris peritiſſimi?* duo erant eodem tempore Quinti Mutij Romæ, augur & pontifex. Vtrumq; nominat Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo. Sed de eorum erroribus dicere non conſtitui: aliàs locus erit. Hic interim dicam mihi legendum videri paulo poſt, *Quam eſt munus eorum qui conſuluntur, cum eſt populo neceſſarium?* &, *Præſtare populum,* quod in libris ſcriptis reperitur, probabiliorem habere melioremque ſententiam huiuſmodi, in ijs de quibus populum teneri voluerunt, & quæ in vſu ſunt. Mox, *Id autem cognitum eſt in vſu neceſſarium,* legendum cenſeo, hoc ſenſu, ius ciuile quod iuriſconſulti tractant, vſus vitæ neceſſarium docuit. Huc aliquot verba de ſuo quidam inculcant, ſanè inconſideratè.

## Lex eſt ratio ſumma.

Quidni verò cum Cicerone affirmem hæc à Stoicis eſſe deprompta? definitionem Zenonis & Chryſippi ex lib. 1. de Natura Deorum modo protuli, quæ iſtos, vt opinor, ignorantiæ condemnat. neſciunt profectò in quo & quatenus Cicero Platonem imitetur. Audiant etiam quid Plutarchus ſcribat hac de re, de Stoicorum ſententia, εἰ οὐκ ἄλλό τι νόμος ἐστὶν, ἢ ὁ τοῦ σοφοῦ λόγος, dicítne nihil aliud legem eſſe, quàm ſapientis rationem? quod hìc toties clamat Cicero. Iterum de Chryſippo, τούτων οἴεται Χρύσιππος οὔτε μικρὸν, οὔτε μέγα παρὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον εἶ(ναι), καὶ νόμον, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν, id eſt, horum nihil nec magnum, nec paruum cenſet Chryſippus euenire præter Iouis rationem, legem, iuſtitiam, prouidentiam: quæ omnia, vt opinor idem declarant. An non obſecro ſatis intelligitur, vnde iſta hauſerit Cicero? Ego verò non tantùm legis definitionem eſſe Stoicam hìc confirmo, verùmetiam virtutis. quomodo enim definitur hoc libro? hunc in modum: *Eſt enim virtus perfecta ratio.* ſed ſciò, hoc clamabunt eſſe Peripateticorum & Academicorum, ſed Ciceronem audiant de Zenone ſic ſcribentem: *Cumq; ſuperiores non omnem virtutem in ratione eſſe dicerent,*

*ſed quaſdam virtutes natura, aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat*. Hinc expedire ſe non poterunt: hîc tenentur. Obijcient ab Academicis etiam virtutem rationis abſolutionem definiri. Ego Academicos dicam Antiocho auctore, qui eorum & Stoicorum ſectam conciliare tentauit, & vtrorumq; decreta conturbauit, Stoica quædam vſurpaſſe. *Erat enim*, inquit Cicero, *Antiochus, ſi perpauca mutauiſſet, germaniſſimus Stoicus.* Magnis verò in tenebris verſantur, quòd in hac legis definitione quid natura ſit, neſciunt: cum ſit Deus qui mundum vniuerſum regit, vt lib. 2. ex Plutarcho & Cicerone dilucidè docui: idq; ſatis declarat lib. 2. definitio, in qua nomen Dei ponitur, vt hic naturæ: *Ita principem illam legem & vltimam, mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei.* Id etiam docet Diogenes Laertius, qui communem legem dicit eſſe de Zenonis ſententia, Iouem ipſum. quod & de Chryſippo Cicero lib. 1. de Natura Deorũ dixit: ſed & Plutarchus id confirmat de Stoicis his verbis, ὅτι δὲ ἡ κοινὴ φύσις, καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη, καὶ πρόνοια καὶ Ζεὺς ἐστιν, οὐδὲ τοὺς ἀντίποδας λέληθεν, id eſt, communẽ autem naturam, & communẽ naturæ rationem, fatum, prouidentiam, Iouem eſſe, ne Antipodas quidem latet. Quod ſi iſta eſſent à Platone petenda, cur obſecro lib. 1. de Natura Deorum Cicero Zenoni & Chryſippo tribuit? hinc apparet quantùm iſti in literis videant, quanta ſuffuſione laborent. Cenſent autem imitaturum Ciceronem Stoicos nunquam fuiſſe. Cur igitur eos imitatur in Officijs? in Tuſculanis quæſt. in Paradoxis, in libris de Natura Deorum, de Diuinatione? cur nullus eius de philoſophia liber extat, in quo non plurima Stoicæ ſint diſciplinæ veſtigia impreſſa? Tres celeberrimæ erant philoſophorum ſectæ vel Ciceronis ætate, vel paulo ante eam: Stoicorum, Academicorum nouorum, & Epicureorum. Hinc omnia propè de philoſophia haurit, ex alijs pauca quædam aſpergit. Itaq; eorum vocabula potius Latinè interpretatur, quàm vel Platonis, vel Ariſtotelis. Huius rei fidem faciunt Dialectica quæ vſurpat, in quibus Platonicum aut Ariſtotelicum nihil propè agnoſcas: Stoica omnia. Exiſtimabunt autem homines docti, vtrumnè accommodatiora ſint, quæ ad hunc locum ſcripſi, an quæ illi magna profectò induſtria ex Platone conquiſierunt, ab iſtis alieniora. Iam quæ mox de ratione ſequuntur, merè Stoica ſunt omnia. Audi enim Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum Stoicè diſſerentem, qui locus etiam ad legis definitionem pertinet. *Atqui neceſſe eſt, cùm ſint Dij, ſi modo ſint, vt profectò ſunt, animantes eſſe: nec ſolùm animantes eſſe, ſed etiam rationis compotes: interq; quaſi ciuili conciliatione & ſocietate coniunctos, vnum mundum, vt communem Rempub. atq; vrbem aliquam regentes. Sequitur vt eadem ſit in ijs quæ humano in genere ratio, eadem veritas vtrobiq; ſit, eademqúe lex, quæ eſt recti præceptio, praui depulſio, ex quo intelligitur prudentiam quoq; & mentem à Dijs ad homines perueniſſe.* Audi quæ alio loco eiuſdem libri ſcribit, & Stoica agnoſces: *Nil autem eſt mente & ratione melius.* ergo hæc mundo deeſſe non poſſunt. Eadem hic ſunt omnia, vt nemo negare poſſit eiuſdem eſſe diſciplinæ. Rationem in homine perfectam non eſſe, ſed adoleſcere, & perfici attende. *Nec verò hominis natura perfecta eſt, & efficitur tamen in ea virtus.* Denique ſecundum de Natura Deorum legant, errorem ſuum agnoſcent. Recta etiam ratio, quam hîc Cicero tantopere celebrat, res planè Stoica eſt. Diogenes Laërtius, φύσει τε τὸ δίκαιον εἶναι καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον, καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, id eſt, Natura, non inſtituto ius eſſe, vt & legem, & rectam rationem. quod & Plutarchi & aliorum teſtimonijs etiam confirmare poſſem. Iam verò quod paulò poſt ait, Deos & homines eiuſdem ciuitatis habendos eſſe, perſpicuè docui eſſe Stoicum, & ex Ario Didymo, cuius locum protuli, & ex eo quod citaui ex lib. 2. de Natura Deorum. Quinetiam quod infra ait hominem totiùs mundi quaſi vnius vrbis ciuem eſſe Stoicum planè eſt, in eoq; Stoici nonnunquam irridebantur. Cicero lib. 4. de Finibus, *At quantá conantur, mundum hunc omnem oppidum eſſe noſtrum. incendit igitur eos qui audiunt. Vides quantam rem agas? vt Circeis qui habitet, hunc omnem mundum ſuum municipium eſſe exiſtimet.* Tractatur idem locus in tertio de Finibus, & à Seneca Stoico hunc in modum: *Ideo magno animo nos non vnius vrbis mœnibus cluſimus, ſed in totius òrbis commercium emiſimus, patriamq; nobis mundum profeſſi ſumus, vt liceret latiorem campum virtuti dare.* Etſi autem idem Socrates dixit, quod in commentario meo retuli: tamen ſatis apparet hic Ciceronem non hominis dictum, ſed certum philoſophiæ locum eſſe ſecutum. Hæc autem in Platone quærere, eſt, vt Comicus ait, venari apros in medio mari. Sorites autem quem annotant, eos admonere profectò debuit, neſcio quid Stoicum fortaſſe latere, cùm Stoici eo genere argumentationis tantopere tenerentur, & ſuis interdum armis à nouis Academicis oppugnarentur. Itaque Cicero ſcribit ſoritem & pſeudomenon Stoicos plagas contra ſe texuiſſe.

## Imperijs & poteſtatibus.

Hic reprehendor: ſecutus tamen ſum & Ciceronem, & Pompeium. Cicero libro tertio de Legibus, *Imperia, poteſtates, legationes cùm ſenatus creuerit, populúſue iuſſit, ex vrbe exeunto.* Pompeius, *Imperia ſunt, cùm quis præeſt exercitui: poteſtates, cùm quis negocio à populo perficitur.* Itaque mitti cum imperio, mitti cum poteſtate ſæpè legimus. Hæc non ſunt, vt arbitror, aliena: nec ignoraui has voces magiſtratum ſignificare. cùm præſertim numen & imperium Dei tanquam magiſtratus interpreter, vltimamq; legem Iouis præpotentis, cui parent Dij reliqui, & homines. Hic porrò etiam locum Stoicum attingit, Deorum & hominum cauſa mundum eſſe factum. Valdè autem errant qui hic ſapientiam & legem idem eſſe putent, quod ſecus eſt. Dicit enim in ſapiente, de quo Stoici diſſerere ſolebant, perfectam eſſe rationem, non in alijs hominibus.

## Quantam maturitatem.

Materiam hîc noſtri cenſores legunt, repugnantibus libris veteribus, & Lactantij auctoritate, quam protuli. Sic etiam loqui Ciceronem docui: *Cur arandi maturitatem ad ſignum floris accommodet?* alio loco, *Ab eoq; Luna illuminata grauiditates & partus afferat, maturitateſqúe gignendi.* Alio loco, *Maturitates, temporum varietates, mutationeſqúe cognouimus.* Significat autem ſtatim initio mundi non eum fuiſſe rerum habitum, vt maturum & tempeſtiuum eſſet homines gigni, ſed longinquis & perpetuis conuerſionibus maturitatem eius rei extitiſſe. Hic etiam, ſi Dijs placet, Platonis ſomniant imitationem. Ineptè profectò. Res enim in Timæo alia tota eſt. Hoc autem Stoicum planè eſt. qui poteſt id oſtendi? nempè





ex eo quod Cenſorius ſcribit, cuius verba proferam: *Zeno Cittieus Stoicæ ſectæ conditor principium humano generi ex nouo mundo conſtitutum putauit, primoſq; homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, Dei prouidentia genitos.* Sed & Stoici animum noſtrum mundi quem animatum & Deum ponunt, ἀπόσπασμα, id eſt, partem ex eo carptam & delibatam eſſe volunt. Cotta quoque, qui in libris de Natura Deorum contra Epicureum & Stoicum diſſerit, Epicureum refutans, ſic ad Stoicorum ſententiam alludit: *Semina Deorum decidiſſe de cœlo putamus in terras, & ſic homines patrum ſimiles extitiſſe?* Vellem diceretis, Deorum cognationem agnoſcerem non inuitus. Quis enim, præter iſtos, neſcit ſentire Stoicos longis temporum interuallis exuſtiones mundi euenire, ac tum ſolum Iouem eſſe, omni rerum natura ad tempus deleta? Id ſi quis ignorat, ex Seneca diſcat: *Qualis eſt Iouis cùm reſoluto mundo & Dijs in vnum confuſis, paulìſper ceſſante natura, acquieſcit ſibi cogitationibus ſuis traditus.* Idq; eſt quod Chryſippus apud Plutarchum dicit, Iouem ſemper creſcere, quoad in ſe omnia conſumpſerit. Poſt autem illam exuſtionem, redintegrato & inſtaurato mundo, perennibus cœli conuerſionibus Cicero ait Stoicos tradidiſſe, maturitatẽ quandam extitiſſe ſerendi humani generis.

Nunc maxime vellem me docerent iſti, qui tam diligenter Platonem euoluerunt, vbinam apud eum legerint hominum materiam, id eſt corpora, eſſe cœleſtem: deinde vbinam Plato dicat, quod hic Cicero ſcribit, humanum genus in terras eſſe ſparſum & ſatum. Apud Platonem quidem Deus animos in terram alios, alios in lunã, alios in reliquas mundi partes ſpargens quaſi ſerit, demones corpora fingunt: cæterùm humanum genus, vt hic nullo modo ſeritur, ſed fingitur. Iam quæ deinceps diſputat, Ad hominum commoditates & vſus procreata eſſe omnia, Stoica profectò eſſe intelliget, qui ſecundum de Natura Deorum legerit. Sed & libro primo Epicureus ſic in Stoicum diſputat, *An hæc ferè, vt dicitis, hominum cauſa à Deo conſtituta ſunt?* Quum autem virtutem eandem in homine eſſe dicit & Deo, vtique Stoicè loquitur, vt ex Proculo docui, qui niſi me fallit animus, Platonem legerat. Id etiam ſatis apud Plutarchum Chryſippus declarat, ὥσπερ τῷ Διὶ προσήκει σεμνύνεσθαι ἐπ' αὐτῷ τε καὶ τῷ βίῳ, καὶ μέγα φρονεῖν, καὶ εἰ δεῖ οὕτως εἰπεῖν, ὑψαυχεῖν καὶ κομᾶν, καὶ μεγαληγορεῖν, ἀξίως βιοῦντι μεγαληγορίας· οὕτω τοῖς ἀγαθοῖς πᾶσι ταῦτα προσήκει, κατὰ οὐδὲν προεχομένοις ὑπὸ τοῦ Διός, id eſt, quemadmodum Iouem gloriari decet in ſe ſuaq; vita, & magnos ſpiritus gerere, atq; ſi ita dicendum eſt, ceruices tollere, & ſe efferre, & magnificè loqui, qui vitam magnificentia verborũ & prædicatione dignam agat: ita quoq; bonis omnibus eſt faciendum, cum ab Ioue nihil quicquam ſuperentur. Viden' facultate & abſolutione parem & eandem in bonis & Ioue virtutem à Stoicis exiſtimari, contrà quàm ſentiant Academici? Nec quod afferunt, rationis abſolutionem definitionem eſſe virtutis Academicam, verum eſt. Nam etſi hoc ſcriptum à Cicerone eſt lib. 5. de Finibus: tamen ab eo idcirco relatum eſt, quia Peripatetici & Academici iam à Stoicis, auctore Antiocho, vt dixi, multa mutuabantur, & pro ſuis vſurpabant, in quo à ſuis interdum decretis recedebant, vt hoc loco. Nunquam enim virtutes omnes in ratione ponendas eſſe putauerunt illarum familiarum auctores, ſed Zeno Stoicæ ſectæ conditor. Cicero: *Cùmq; ſuperiores non omnem virtutem in ratione eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat.* Nec verò tantùm virtutes in ratione collocabat, verùm etiam perturbationes, quibus vacare beſtias dicebat, quòd conſilij & rationis expertes eſſent, vt in illis perturbationis aliquid ſimile videretur, perturbatio tamen non eſſet. Cicero, *Itaq; in hominibus ſolum exiſtunt: atq; beſtiæ ſimile quiddam faciunt, ſed in perturbationes non incidunt.* Quæ autem ſequuntur deinceps, eſſe Stoica intelliget, qui librum ſecundum de Natura Deorum legerit, vnde eſt illud, *Principio ipſe mundus Deorum hominumq; cauſa factus eſt, quæq; in eo ſunt, ea parata ad fructum hominum & inuenta ſunt. Eſt enim mundus quaſi communis Deorum & hominum domus, aut vrbs vtrorumq;. Soli enim ratione vtentes iure ac lege viuunt.* Deinde paulò pòſt, *Terra verò fœta frugibus & vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarumné an hominum cauſa gignere videtur?* Librũ deniq; lege: animaduertes omnia iſtis congruere, & ab eadem eſſe doctrina. Cùm autem Cicero virtutem perfectam & ad ſummum perductam definit, tàm Stoicus eſt, quàm qui maximè. Nam Dei naturam perfectam Stoici cenſent, hominis inchoatam, quæ ſi perfecta ſit, eadem qua Deus virtute prædita ſit; hinc illud, *Nec verò hominis natura perfecta eſt, & efficitur tamen in homine virtus.* Cæterum maximè vellem locum mihi apud Platonem indicarent, vbi Plato intelligentiam πρόληψιν vocet. quod vocabulum profectò Platonis ætate recentius eſt. Iſta autem à Platone petere, eſt fontes Nili quærere. Quis enim tam expers eſt literarum Græcarum, quin iſta ſciat eſſe Stoica? Stoici enim omnis propè cognitionis & philoſophiæ fundamentum putauerunt communes intelligentias, id eſt, κοινὰς ἐννοίας, & quod idem eſt, inſitas præceptiones, id eſt, ἐμφύτους προλήψεις, vt ipſi vocabant. extatq; Plutarchi liber contra Stoicos de Communibus intelligentijs, in quo diſſerit eos à ſuis principijs aberraſſe, & contra communes intelligentias philoſophatos eſſe, eoſq; ſuo ſibi gladio iugulat. Illa autem Platonis recordatio tota diſſimilis eſt, quam non hîc, ſed Tuſculana prima imitatur. Quod ſi quis apud Platonem κοινὴν ἔννοιαν aut πρόληψιν oſtendere poſſit, nil cauſæ dicam quin hìc Cicero Platonem imitetur, κοιναὶ ἔννοιαι repetiuntur apud Ariſtotelis interpretes, ſed id à Stoicis manauit. Nec ſi quid ſimile eſt vel apud Ariſtotelem, vel apud Platonem, protinus eos imitatur, cum quos ſequatur, verba quæ interpretatur, ſatis oſtendant. Quòd ſi hic Platonis ſequitur recordationem, apertè ſecum pugnat. Non enim debuit humanum genus in terram ſatum inducere, ſed animorum migrationem in corpora referre, quæ animi principium & finem excludit, cum ſuperior ſementis principium nouerit. Nam vbi Plato de recordatione diſſerit, ortus & interitus expertem animũ apertè oſtendit.

Πρόληψιν autem Stoicum eſſe verbum docet Laertius in vita Zenonis. Eo etiam Epicurei vtebantur, vt ſcribit Cicero & Laertius: primuſq; omnium, vt Cicero ſcribit lib. 1. de Natura Deorum, hoc vocabulum Epicurus vſurpauit.

## Vultus.

Hic in quo obſecro me reprehendis? primùm non mihi, ſed nonnullis videri dico, Græcis vocabulum non deeſſe: deindè Pollucis auctoritatem profero & Seruij? poſtremò dico in vocabulo Latino notationem ineſſe, quæ oris habitum ſignificet, indicem animi & voluntatis. Hæc, niſi me fallit animus, extra culpam ſunt. Quod autem leuiter reprehendis, quia protomen os dixerim, da melius ſi potes, quan-

quam id exemplo Plinij feci, ita ſcribentis, *Facies homini tantùm, cæteris os aut roſtra.*

Si vultum dixiſſem, quanto magis reprehendiſſes? atqui patrocinium non deeſſet, nec exemplum:

*Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.*

illud etiam eiuſdem poëtæ multò inſolentius:

*Méne ſalis placidi vultum fluctuſq́; quietos*
*Ignorare iubes?*

Sed ſi vultum eſſe πρόσωπον defendere vellem, auctoritas credo deeſſet? Narra mihi, Xantippéne Socratis vxor, Latinè ſciebat? opinor non dices. Atqui eius hoc verbum refert Tuſculana tertia Cicero: *Hic eſt enim ille vultus ſemper idem, quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in viro ſuo fuiſſe Socrate, eodem ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo, & reuertentem.* Nunc interrogo te, quomodo iſtud Græcè dici poteſt. tibi moleſtus non ero, ex auctoribus Græcis depromam. ἔλεγεν ἡ Ξανθίππη μυρίων μεταβολῶν τὴν πόλιν καταλαχουσῶν, ἐν πάσαις ὅμοιον τὸ Σωκράτους πρόσωπον καὶ προϊόντος ἐκ τῆς οἰκίας, καὶ ἐπανιόντος ἀεὶ θεάσασθαι. Videſné Ciceronem πρόσωπον vertiſſe vultum? At quantò hic verius te accuſare poſſum, qui vultum, non habitum oris, ſed partem faciei eſſe dicas, quæ oculos, ſupercilia, frontem complectitur? Non enim ſi Fabius quem producis, de tribus iſtis tantum partibus agit, idcirco in ijs eſt totus vultus, ſed in ijs maxima eius vis & moderatio. Iam locus ex oratione in Piſonem, quem profers, perſpicuè contra te facit. Cùm enim totum denique vultum dicit, ſignificat totum in oculis, fronte, ſupercilijs non eſſe. Iſto exemplo contendet alius, oculos in vultu non eſſe, quia hic ſcribat Cicero de oculis & de vultu: & lib. 3. de Oratore dicat, *Imago animi vultus eſt, indices oculi: alius & frontem & oculos in vultus parte numerari non debere prædicabit,* quòd Cicero ſcribat in lib. de Fato, *mores naturaſque, ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere.* quod profectò hominum eſſet malè auctores interpretantium. Amabo te, cum iſta ſcribit Terentius, *-- & vultu Soſia Adeò modeſto, adeò venuſto, vt nihil ſupra.* vultnè modeſtiam & venuſtatem puellarum ſignificare in fronte, ſupercilijs, oculis tantùm eſſe? non opinor, dices. Quid Virgilius cum dicit,

*— non vultus, non color vnus,*

mutationem frontis, oculorum, ſuperciliorum dicit, an totius oris habitum eſſe mutatum? Tranquillus cùm ſcribit imperatorem Veſpaſianum fuiſſe vultu nitentis (tenere enim me non potui, quin hoc etiam adſcriberem, etſi illepidius) veruntamen cum id ſcibit, intelligitné de fronte, ſupercilijs, oculis? Cur hic igitur tam flagitioſa & iniqua calumnia, non ſolum declamationum, verùm etiam commentariorum vexatus ſum?

## Principium.

Equidem hic improba calumnia circunuenior. Non enim hominem principium eſſe dixi: liber in medio eſt, quem teſtificor: ſed ad hunc, vt opinor, locum accommodatè, illam hominis originem diuinam: illam ſocietatem rationis & communionem cum Dijs immortalibus, fontem & originem huius de lege diſputationis eſſe. Nam ex illa ſocietate rationis & conciliatione naſcitur iuris inter Deos & homines communio, cuius nulla nobis cum belluis eſt ſocietas, quia rationis ſunt expertes. hinc illud de Finibus, *Et quomodo hominum inter homines iuris vincula eſſe putant, ſic homini nihil iuris eſſe cum beſtijs.* Præclarè enim Chryſippus, *Cætera nata eſſe cauſa hominum & Deorum: eos autem communitatis & ſocietatis ſuæ: vt beſtijs homines vti ad vtilitatem ſuam poſſint ſine iniuria.* Plutarchus etiam de Stoicorum ſententia ſcripſit. Οὐδὲν γὰρ ἡμῖν πρὸς τὰ ἄλογα οἰκεῖόν ἐστι· cuius rei magna religio obijcitur Platonico migrationem animorum etiam in pecudum corpora affirmanti, vt ei cum beſtijs iuris ſocietas intercedat. Ita fit vt aptè & accommodatè iuris & legis principium interpretatus ſim, diuinum hominis ortum à Deo ſati, & ornamentum ratione decorati, quæ ei cum Dijs communis eſt. hoc enim iacit fundamentum reliquæ diſputationis, id eſt, totius de lege orationis inſequentis. *Quid enim ante dixit? Nunc iuris principia videamus:* & paulò pòſt, *Viſne ergo ipſius iuris ortum à fonte repetamus?* alio loco, *Natura enim iuris nobis explicanda eſt, eaq́; ab hominis repetenda natura.* Ergo hic fons eſt, hæc origo iuris. Stoici enim à communi natura & Ioue, quicum nobis eſt communis ratio, iuſtitiæ primordia ducebant. Chryſippus in tertio de Natura Deorum: Οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν, οὐδ᾽ ἄλλην γένεσιν ἢ, τὴν ἐκ τοῦ Διὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομεν ἐρεῖν τι περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, id eſt, Non enim inueniri poteſt aliud principium iuſtitiæ nec alia origo, quàm ab Ioue & communi natura. hinc enim rerum talium primordium ducendum eſt, ſi quid de bonis & malis dicere paramus. Sed & bonorum ortum à mundi deſcriptione & adminiſtratione ducebant, ipſaq́; communi natura. Chryſippus: Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδ᾽ οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν λόγον καὶ κακῶν, οὐδ᾽ ἐπὶ τὰς ἀρετὰς, οὐδ᾽ ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ᾽ ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως, id eſt, Non enim aliter, neque commodius ad bonorum & malorum rationem perueniri poteſt, nec ad virtutes, nec ad felicitatem, quàm à communi natura & mundi adminiſtratione.

Igitur ab huius generis principio nunc ſuam diſputationem repetit. Nunc interpretationem aduerſariorum videamus. Hominem volunt eſſe principium, id eſt, finem reliquarum rerum. Primùm de vocabulo, mox de re. Nego Ciceronem ſolere finem principium appellare. In libris de Finibus tot modis τέλος explicat: finem, extremum, vltimum, ſummum dicit, nunquã, quod ſciam, principium: nec iniuria. Principium enim & finis contraria ſunt. Cicero de Natura Deorum, *Quid eſt cuius principiũ aliquod ſit, nihil ſit extremum?* Pro Cluentio, *Principijs cognitis multò facilius extrema intelligetis.* Pro Cælio, *Cuius criminis ego neq; principium inuenire, neq; exitum euoluere poſſum. Iſti tamen caput pedes faciunt radicem cacumen.* Malè autem Ciceronem intelligunt. non enim dicit hominem eſſe principium reliquarum rerũ, vt malè conſtruunt: ſed diuinum hominis ortum & ornamentum, hoc modo: quoniam Deus hominem generauit & ornauit, quod principium reliquarũ rerum eſſe voluit. Ne reliquas quidem res intelligunt. vide quot vno in loco

flagitia.



flagitia. Accipiunt enim omnia quæ hominum cauſa procreata ſunt, cùm inſequentem de iure orationem intelligat. veruntamen eſt quod gaudeam: tandem aliquando hic Stoici ſunt. eorum enim ſententiam ex libro ſecundo de Natura deorum proferunt: hominum cauſa tantam molitionem eſſe factam. Id quoque in libris de Finibus, vt modo citaui, Chryſippus dicebat. Scribitur etiam in Officijs: *Atque placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad vſum hominum omnia creari: homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alijs alij prodeſſe poſſint.* Hæc ſi Platonica ſunt, cur Cicero neque in libris de Finibus, nec in Officijs Platonem appellat, ſed Chryſippum & Stoicos nominat? Longè aliam procreandarum rerum cauſam Plato in Timæo affert. Ergo huius loci ſententia eſt, Cum ratione homines cum dijs conſociati ſint, in qua notio iuris ineſt, eaque ratio ſit in dijs perfecta, in hominibus inchoata (ne iſtud hic diſſerere cogar, quod ad προκοπὴν pertinet) perſpicuum ſit rationem abſolui poſſe, atque in ea ius & legem perfici. Hic autem de Platonis imitatione nugari, inſanire eſt. Non enim carptim hinc & inde ſumit, ſed ordinem & ſeriem perpetuæ cuiuſdam diſputationis ſequitur, nouorum philoſophorum inſtituto, qui hæc articulatim & diſtinctè diſſerebant. Itaque proximum caput, nos ad iuſtitiam eſſe natos, mox etiam quod ſequitur, natura, non opinione conſtare ius, Stoica, non Platonica ſunt. Etſi enim Plato diſſerit in libris de Republica iuſtitiam naturæ hominis congruere: tamen, vti dixi, nec carptim iſta hinc & inde ſumit Cicero, & rationes quibus hoc probat, non ſunt Platonis, ſed Stoicorum. Vis enim argumenti poſita eſt in hominum coniunctione & ſocietate: qui locus ſic de Finibus à Stoico Catone tractatur, *Sic inter nos ad ciuilem communitatem coniuncti & conſociati ſumus: quod ni ita ſe haberet, nec iuſticiæ vllus eſſet, nec bonitati locus, &c.* In Officijs etiam naturam ſcribit hominem vi rationis conciliare homini ad orationis & vitæ ſocietatem, impellereque vt hominum cœtus celebrare & obire velit, idque principium iuſtitiæ eſſe. Quæ autem etiam huc congerit omnia, ex libris de Finibus perſpicuum eſt, Stoica eſſe, non Platonica, nec Ariſtotelea. Sed & quod parem, id eſt, eandem ingenij facultatem probat in omnibus ex ſenſibus & inchoatis intelligentijs, planè Stoicum eſſe docui ex Laertio. Nos porrò ad iuſtitiam natos eſſe, id ipſum eſt quod ait in Officijs, *Homines hominum cauſa eſſe generatos:* & quod ſuprà dicebat, *Cuius muneris colendi & efficiendi cauſa nati ſumus: non, vt malè interpretantur, vt viuamus ſecundum naturam.* Nam etſi is bonorum finis eſt: tamen quum id Cicero dixit, ad hunc locum perſpicuè reſpexit. Inductio autem illa longior affectuum in bonis libris plana & dilucida eſt, nihilque fortaſſe mendoſum habet. Nec paulò poſt dicit homines vniuerſos deos habere velle, ſed omnes ſuperſtitione eadem laborare. Nam de prauitatibus loquitur. Deos autem habere religionis, non ſuperſtitionis exiſtimabat.

## Quibus ex rebus.

Hic permirum mihi videtur, quòd quidam à me diſſentiant. Nam cùm ex hominum coniunctione probauerit nos ad iuſtitiam eſſe natos) quod quidem eſt noſtris animis natura inſitam eſſe iuſtitiam) niſi fallor nunc, ait eam naturæ impulſionem adiuuari diſciplina, & philoſophiæ doctrina. Natura enim inchoata eſt, & aliquo eget adiumento, vt abſoluatur. Id de lege naturali intelligunt, malè, vt opinor. Nam etſi lex emendatrix eſt vitiorum, commendatrixque virtutum, & ab ea viuendi doctrina ducitur, quod toties diſputat: tamen aliud ſpectauit, quod non diſſerit, ratione viuendi & diſciplina meliores effici. toties Seneca philoſophiæ præcepta eſſe neceſſaria diſſerit: & infrà Cicero prædicat inchoatas intelligentias philoſophia duce illuſtrari. Philoſophia autem moralis, quæ doctrina vitæ eſt, virtutum ſemina & igniculos, id eſt, adumbratas virtutis intelligentias confirmat & auget. Mox autem, quorſum ad iuſtitiam nati ſumus, quærit. Nempe vt communitatem quandam vitæ alij alijs participantes colamus: quod in Officijs dixit, *Vt homines ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſint.* Hæc autem Stoica eſſe perſpiciunt omnes, qui Officia, qui tertium de Finibus legerunt. Quod autem ſequitur, *Eſſe naturam,* dicit pro eſſe naturale, vt libro tertio de Finibus, *Ius autem, quod ita dici appellarique poſſit, id eſſe naturam.* Itaque mox hic opponit conſuetudinem. Si natura eſſe legatur, attingetur illa Græcorum in hac re locutio, ὅτι δίκαιόν ἐστι φύσει, id eſt, ius eſſe natura. Quod de igniculis dicit, Stoicum eſt, vt ex Tuſculana tertia patet, qui locus etiam confirmat ſuperiorem meam explanationem, naturam egere adminiculis doctrinæ. *Quod ſi tales nos natura genuiſſet, vt eam ipſam intueri & perſpicere, eadémque duce vitæ curſum conficere poſſemus, haud erat ſanè, quòd quiſquam rationem & doctrinam requireret. nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibúſque deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat.* Igniculi autem virtutis ſunt, vt modò dicebam, inchoatæ virtutis intelligentiæ. ac nimirum vertit quod Stoici ζώπυρον, & ἔναυσμα, & σπινθῆρα dicebant. In commentario autem meo cùm citatur Terentius, eſt error, qui in calce corrigitur, quoniam hoc etiam quidam reprehendendum ſibi putauerunt.

## Socrates.

Quam neruos contendunt nonnulli, vt ex voce Socratis hæc eſſe Platonica doceant: in quo mendacij Q. Ciceronem inſimulant, qui in alijs rebus & ſententijs Ciceronem verſari dicit. Vox vna imitationem non facit, non magis quàm hirundo vna ver: alioqui ſit Pythagoricus: quando Pythagoræ hic meminit. Græca quæ hic interſerunt nonnulli, in nullis bonis libris reperiuntur: nec, vt puto, hic Cicero bilinguis eſſe voluit: & potuit hic alia fortaſſe vox Pythagoræ adſcribi, vt ea, quam ex Officijs attuli. Quæ autem ſequuntur de amicitia, tam perſpicuè indicat Cicero eſſe Stoica, vt in eorum Paradoxis numeret. Id enim eſt quòd ſcribit, quibuſdam incredibile videri, ſit autem neceſſarium. Hic locus de ſapientis amicitia attingitur à Plutarcho contra Stoicos in libro περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, & à Cicerone libro tertio de Finibus: *Quanquam autem in amicitia alij dicant, æque charam eſſe ſapienti rationem amici ac ſuam, alij autem ſibi cuique chariorem ſuam, tum id quoque poſteriores fatentur, alienum eſſe à iuſtitia, ad quam nati eſſe videamur, detrahere quid de aliquo quod ſibi aſſumat.* Ita cùm diſſentirent inter ſe Stoici, priorem rationem

vt veriorem Cicero ſequitur. Apertius autem id Cicero indicat libro primo de Natura deorum. *Quanto Stoici melius, qui à vobis reprehenduntur: cenſent autem ſapientes ſapientibus etiam ignotis eſſe amicos?* De huiuſmodi autem ſapiente Plato, & Ariſtoteles non admodum diſſerere videntur: ſed Stoici aſſiduè, qui ex omni æuo ſapientes fuiſſe duos pronunciarunt, Vlyſſem & Herculem. Idem Diogenes Laertius oſtendit ſic ſcribens in Zenone: Λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις διὰ τὴν ὁμοιότητα. φασὶ δὲ αὐτοῖς κοινωνίαν τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς φίλοις ὡς ἑαυτοῖς, δι' αὐτόν τε αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται. id eſt, Prædicant & amicitiam in ſolis bonis eſſe propter ſimilitudinem. Dicunt autem eis ſocietatem & communionem eſſe rerum ad vitam pertinentium, cùm vtamur amicis, vt nobis: & per ſe optandum amicum pronunciant.

## Philoſophorum more.

Cum antea docuerim Ciceronem antiquam philoſophiam appellare, Peripateticam & Academicam: nouam, Stoicam quæ eis ſuccreuerit, & cùm Academiæ nouæ nomen in hanc coniecturam inducere reprehenſores noſtros potuerit, equidem miror quid ſit quòd à me hic diſſentiant. loci ſententiam obſcuram eſſe fatentur, & interpretationi diffidunt ſuæ: nec iniuria. Quis enim de Thalete, Heraclito, Democrito, Anaxagora, id accipiendũ cenſeat, qui ſapiat, quos de rerum natura ſcripſiſſe, de philoſophia morali nihil reliquiſſe, ac ne diſputaſſe quidem conſtat? Eius enim primus auctor & parens Socrates appellatur. Cùm autem putant argumentũ eſſe de ſententijs philoſophorum, & recentiores habita iudiciorum alienorum ratione diſputaſſe dicunt: cùm officinas ſapientiæ inſtruere interpretantur, diſtinctè quaque de re varias opiniones propoſito ſuo vel contrarias refellere, vel conſentaneas aſſumere, ſimiles cæcis videntur, manibus iter prætentantibus: ſubinde tamen offendentibus. Quis enim non videt ex Attici aſſenſione, iura & leges à natura non eſſe ſeiungenda: profitetur tamen ſe, ius natura eſſe, quod ſatis iam conſtabat, ſeparatim eſſe probaturum. Quid enim ſubijcit? *Nec enim*, inquit, *ſatis fieri cenſent huic loco, niſi ſeparatim hoc ipſum ius natura eſſe diſputetur.* (Sic enim legere malim, quàm naturæ, quia Græcè dicitur, ὅτι δίκαιόν ἐστι φύσει, ἀλλ' οὐ θέσει) Id autem ſe facere prædicat, quod ea principia quæ diſputationi ſequenti præmunit, confirmatiora & exploratiora futura ſint, ſi id ſeparatim doceat. Nec tamen ait ſe omnibus philoſophorum diſciplinis iſta approbare velle. Epicureos enim negligit: Academicos nouos, qui contra Stoicorum decreta diſputare ſolebant, exorat vt ſileant. Solitos autem eſſe Academicos nouos contra has Stoicorum rationes diſſerere, ex primo de Natura deorum intelligitur, vbi ita de Stoicis Cicero loquitur: *Sunt autem alij philoſophi, & ij quidem magni atque nobiles, qui deorum mente & ratione omnem mundum adminiſtrari & regi cenſeant. Neque verò id ſolùm, ſed etiam ab eiſdem hominum vitæ conſuli & prouideri. Nam & fruges, & reliqua quæ terra pariat, & tempeſtates ac temporum varietates, cœlique mutationes, quibus omnia quæ terra gignat, maturata pubeſcant, à dijs immortalibus tribui humano generi putant, multáque quæ dicentur in his libris colligunt: quæ talia ſunt, vt ea ipſa dij immortales ad vſum hominum fabricati penè videantur. Contra quos Carneades ita multa diſſeruit, vt excitaret homines non ſocordes ad veri inueſtigandi cupiditatem.* Ita digitum ad fontem nobis intendit, ſi eius verba audire, quàm pertinaciter altercari malimus. Quum autem aduerſarij noſtri aiunt à Cicerone Epicureos hic vt delicatos & ignaros deſpici: Academicos vt acres diſputatores formidari, Ciceronis ſententiam non aſſequuntur. Ait enim ſe non laborare vt iuris principia quæ poſuit, probentur Epicureis, qui minimè eis aſſentiebantur, qui voluptatis cauſa omnia faciebant, nec de Republica diſputabant, nec homini cordato ad eam accedendum putabant. Plutarchus, Ἐπίκουρος δὲ καὶ Μητρόδωρος τοῦτο ποιοῦσι, τοὺς μὲν συνήθεις ἀποτρέποντες τοῦ τὰ κοινὰ πράττειν, τοῖς δὲ πράττουσιν ἀπεχθανόμενοι. id eſt, Epicurus autem & Metrodorus id faciunt, qui familiares à Repub. gerenda deterrent, & eam adminiſtrantibus infeſti ſunt. Epicuri verba ſunt, ὁ σοφὸς οὐ πολιτεύσεται. id eſt, ſapiens Rempub. non capeſſet. Academicos autem qui omnia iſta ſolebant Stoicorum decreta de iuris origine euertere, exorat vt ſileant, vt ex loco quem modò citaui, perſpici poteſt. Atque is huius loci ſenſus eſt, ad quem nunquam aduerſarij noſtri aſpirarunt. Officinas autem ſapientiæ inſtruere eſt, tanquam certo quodam & ſuo inſtrumento ſcholam quanque philoſophiæ & diſputationem quaſi officinam collocupletare. quod faciebant Stoici, qui certa capita, vt ſuprà docui, cuique diſputationi attribuebant. Itaque ius natura eſſe, quanquam ex his quæ dicta ſunt ſatis conſtat: tamen vt inſtructa ſit hæc quæſtio toto ſuo inſtrumento, etiam ab eo diſſeretur ſeparatim.

## Interrex.

Quid hìc aduerſarij criminantur, cùm ſententiam meam ſequantur? Nam quanquam duas interpretationes poſui: tamen mihi potior viſa eſt, quam tuentur, legemque interregis Flacci retuli. Eſt quod gaudeam, eos quùm reprehendere volunt, laudatores eſſe. Sed tamen ſi quid hic in me hærere culpæ putant, & eo nomine me ſibi debere, fidem non accuſabunt: cum fœnore perſoluam. Velim enim mihi dicant, quùm Cicero paulò antè dicit, Iudicia quondam nuſquam fuiſſe, idne intelligit de aurea ætate, vt ipſi exponunt? atqui aurea ætate nihil delinquebatur, vt iudicijs opus non eſſet. hic autem Cicero ſignificat non crimina, ſed iudicia defuiſſe: vt planè explicatio illa falſa ſit. Sic igitur habeant, olim in imperio Romano propè iudicia publica exerceri ſolita non eſſe: poſtea legibus latis de quæſtionibus facta eſſe. Quoddam autem aliquando Romæ tale tempus fuiſſe ex Bruto intelligi poteſt, vbi ita ſcribitur: *Hic optimus illis temporibus eſt patronus habitus, eóque forum tenente plura fieri iudicia cœperunt. Nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerant. L. enim Piſo trib. pl. legem primus de pecunijs repetundis Cenſorino & Manilio. coſſ. tulit, &c.* Cæterùm locus Feſti de ſuffimentis à me relatus, non ita accipiendus eſt quaſi alia etiam expiationis genera Romani non habuerint, vt aduerſarij intelligunt. nam & à funere redeuntes ignem ſupergrediebantur aqua aſperſi, quod purgationis genus ſuffitio vocabatur: & ſuffimenta alia à Iuuenale memorantur.





*— cuperent luſtrari, ſi qua darentur*
*Sulphura cum thedis, & ſi foret humida laurus.* & à Propertio;
*Dein quencunque locum externæ tetigere puellæ*
*Suffiit, & pura limina terſit aqua.*

Totum autem hunc locum equidem miror non animaduertiſſe aduerſarios noſtros contra Epicureos eſſe diſputatum, qui improbos metu iudicij & mali, à ſcelerata deterreri vita dicebant, atque ius in opinione & vtilitate ponebant. proinde ſic in Epicurum ſcribitur libro ſecundo de Finibus: *In magnis interdum verſatur anguſtijs, vt hominum conſcientia remota, nihil tam turpe ſit, quod voluptatis cauſa non videatur eſſe facturus.* Iterum, *Sunt enim leuia & perinfirma quæ dicebantur à te, cùm animi conſcientia improbos excruciari, tum etiam pœnæ timore, qua aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi, non bonum illum virum, qui quicquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniáque reformidet: ſed omnia callidè referentem ad vtilitatem, acutum, verſutum, veteratorem, facilè vt excogitet quomodo occultè ſine teſte, ſine vllo conſcio fallat.* Diſputat etiam Chryſippus apud Plutarchum, ſi voluptas in bonis numeretur, non ſolùm iuſtitiam, ſed omnes etiam virtutes interituras: vnde ſequetur euerſio iuris. nec verò Cicero ſe facere Epicureis iniuriã cenſet, cùm eos ab hac de Repub. quæſtione remouet, quòd & à Repub. abhorreant, nec de ea philoſophari ſoleant. Quum autem illius ſuffimenta dicit, Epicurum, vt opinor, intelligit, qui ſe prædicabat homines mortis & deorum metu tanquam expiaſſe, id eſt, liberaſſe: qua in re ſe nihil egere dicit eius ſuffimentis, id eſt, monitis, quum meliora habeat. Sic enim ſcribit in Tuſculanis, *Quæ quidem cogitans ſoleo ſæpè mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, eiúſque inuentori ac principi gratias agunt, eúmque venerantur vt deum. Liberatos enim ſe per eum dicunt grauiſſimis dominis, terrore ſempiterno, & diurno & nocturno metu.* Eaque fortaſſe cauſa huius loci mutilandi fuit, quòd neſcio quid de inferis & religione audacius hìc Cicero loquebatur: vt infra quoque locus de pudicitia imminutus eſſe videtur, propterea quòd obſcænius aliquid fortaſſe dixerat. Mox quod non ſatis attenderam, ſed multò minus animaduerterunt obtrectatores noſtri, quibus Quàm duarum particularum vicem gerit, Quàm quod: dicit homines non tàm luere pœnas iudicijs, vt propterea angore conſcientiæ vexari & agitari debeant, quod Epicurei dicebant: vt aliunde quàm à iudicij & legum metu, illa conſcientiæ tanta formido naſcatur: legendumque, Vt eos agitent inſectenturque.

## Vt ijdem dicunt.

Obſoletum profectò fuiſſet & frigidum contra Thraſymachum diſputare, tot autem Epicureos, qui Italiam totam & Græciam referſerant, prætermittere, quorum ſententia eſt ab vtilitate ius ortum eſſe: Horatius, *Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.* Contra eorum ſententiam ſic Stoici diſſerebant: *Minimè verò probatur, huic diſciplinæ, de qua loquor, aut amicitiam, aut iuſtitiam propter vtilitates adſciſci aut probari. Eædem enim voluptates poterunt eas labefactare atque peruertere: etenim nec iuſtitiæ, nec amicitiæ omnino eſſe poterunt, niſi ipſæ per ſe expetantur.* Diogenes Laertius ſic Epicuri de iuſtitia ſententiam explicat, quam in Ciceronis verbis agnoſces. Οὐκ ἦν τι δικαιοσύνη καθ' ἑαυτό, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς καθ' ὁπηλίκους δήποτε ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἢ βλάπτεσθαι. ἡ ἀδικία οὐ καθ' ἑαυτὴν κακόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. id eſt, Nihil per ſe iuſtitia eſt, verùm in mutuo cœtu quantocunque in loco conditio quædam & fœdus initum eſt, ne quis læderet, ne quis læderetur. Iniuſtitia non eſt ſuapte vi malum, ſed ex ſuſpicionis metu, ſi quis non lateat, talium facinorum vindices. Reliqua quoque deinceps argumenta Stoica ſunt, vt docui in commentario.

## Sed perturbat nos.

Quidni verò hìc Epicureos nominem? quum præſertim contra eos ſolerent Stoici hoc loco diſputare: Iura à natura, non ab opinione, nec vtilitate profecta eſſe? Epicureos autem certam ſenſuum fidem cenſuiſſe, eos exiſtimaſſe incorruptè & integrè iudicare, quis inficiabitur? Hunc autem locum eſſe Stoicum de ſeminibus virtutum & eorum corruptela, tertia Tuſculana docet. Epicurei etiam, vt tu hoc ſcias, hic contra Stoicos diſputabant, vt ex Horatio intelligi poteſt.

*Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt;*
*Tempora ſi faſtóſque velis euoluere mundi.*
*Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum;*
*Diuidit vt bona diuerſis, fugienda petendis.*

Quin etiam hæc in Epicureos diſputari, ſequentia clariſſimè oſtendunt.

## Philoſophorum.

Hic rurſus à me quidam diſſentiunt. Thraſymachum enim & Calliclem intelligunt, quos, vt opinor, philoſophos nec vocaſſet Cicero, nec vocandos putaſſet, & nimis ſerum erat contra eos diſputare. Sed in viam tandem aliquando redeunt: Epicureos enim, quod antè negarant pertinaciter, adijciunt, quos ſolos iſta oratio petit. Diſſerit enim Torquatus libro primo de Finibus, per ſe non optabiles eſſe virtutes, ſed quòd voluptatum & vtilitatum ſint efficientes. Iuſtitiam verò etiam coli, quòd nemini nocendo tranquillet animos, efficiatque ne maleficiorum conſcientia, vitæ infamia, legum pœna, ciuium odio angamur. qui locus, ni fallor, nunc tractatur. iſti hæc apud Platonem piſcantur. Sic amicitiam ab inopia & imbecillitate profectam prædicabant Epicurei, quòd eum quæreremus amicum, qui præſidio & adiumento nobis eſſet. Ita hanc *amicitiam* lib. primo de Natura deorum, *mercaturam vtilitatum ſuarum* Cicero vocat contra Epicureos diſſerens: & in Lælio contra eandem ſententiam diſputat: Seneca etiam epiſt. 9. *amicitiam* quam Epicurei deſcribunt, *negociationem eſſe dicit, quæ ad commodum accedit, quæ quid conſequutura ſit, ſpectat.* Illicque de Stoicorum ſententia amicitiam per ſe expetendam eſſe tradit.

Caue igitur hos ſecteris, qui nubes & inania captant, & hinc inde à Platone emendicant, quæ ſerie perpetua diſputationis huius & ſcholæ ſuis inſtructæ capitibus à Stoicis Cicero duxerat.

## Perinſignes.

Non ignoraui à ſigno ductum eſſe vocabulum, quod inſimulas, & in bonum malumq; accipi, ſed quod agebatur dixi, inſignes appellari vitioſi & deprauati corporis, à nota & ſigno corporis: latius tamen multò patere id non ignoraui. ita vt crederem mihi perſuaſit Plautus:

— *Ea mihi inſignitos pueros pariat poſtea:*
*Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut petum, aut brochum.*

& libro tertio de Legibus cum ſcribitur tanquã ex duodecim tabulis, inſignis ad deformitatem puer, apparet inſignes pueros in duodecim pro vitioſis & deformibus dictos fuiſſe. Nec verò à quolibet ſigno inſignis deformitas & prauitas dicitur, ſed ab ipſo corporis vitio, ab ipſa prauitate. Quid igitur hîc erraui, ſi non vniuerſã vim vocabuli pueris notã indicaui, ſed abſtruſiorẽ quæ latebat erui? Inſignes enim deformitates dicuntur vitio & ſigno corporis notabiles: & cũ dicitur inſignis latro, aut homo omnibus notis turpitudinis inſignis, ab illis corporis vitijs ad animũ tranſlatio fit: quod ne aduerſarij quidẽ noſtri intellexiſſe videntur.

## Videtíſne.

Septimum deinceps aduerſarij noſtri putant argumentum eſſe de fine bonorum: in quo errant. Nec enim huius eſt loci & diſputationis, ſed connexione quadam & ſerie eô Cic. prolabitur. Itaque dicit paulò poſt, nihil ad hunc locum hanc de bonorum malorumq; finibus diſſenſionem pertinere. Solebant autem Stoici in philoſophia ſua ordinem rerum & aptam connexamq; ſeriem commendare, ſicq; aliud ex alio aptum ſequi dicere, vt nihil compoſitius, nihil coagmentatius, nihil compactius inueniri poſſe prædicarent. Cic. lib. tertio de Finibus: *Quid non ſic aliud ex alio nectitur, vt non ſi vnam literam moueris, labent omnia? nec tamen quicquam eſt quod moueri poſſit.* & libro quarto, *Vt enim ſit apud illos, id quod eſt à te laudatum, ordo rerum conſeruatus, & omnia inter ſe apta & connexa, &c.* Quæ quidem perſpicuè oſtendunt iſta Stoica fuiſſe. Seriem autem illam & ordinem diſputationum ſignificauit libro ſecundo de Oratore, cum iſta ſcripſit: *Hiſce autem ipſis de rebus vt ita loquatur, vt ij qui iura, qui leges, qui ciuitates conſtituerunt, ſimpliciter & ſplendidè, ſine vlla ſerie diſputationum, & ſine ieiuna concertatione verborum.* Exiſtimare autem hîc Cic. argumentari legem ſecundum naturam eſſe quòd finis bonorum ſit ſecundum naturam viuere, hominum eſt digreſſiones ignorantium, & eloquentiæ philoſophiæq; profeſſionem dedecorantiũ. L. autem Gellius, cuius paulò poſt meminit, conſul fuerat cum Q. Lentulo, An. ab vrbe condita 681. proinde pro Seſtio vir clariſſimus appellatur & fortiſſimus conſul. Itaq; in Græciam mitti ex conſulatu potuit, aut aliquot annis poſt conſulatum. Quòd paulò poſt ſequitur, ſic in libris manu exaratis, & excuſis ad veterũ exemplarium fidem, legitur: *Hic niſi quod honeſtum eſſet, putarit bonũ.* In quo niſi pro non niſi vel ſolũ accipitur, vt apud Columellam. *Quo manis etiã propter hos caſus niſi validiſſima, quæ non comprehendatur hyeme, nouaq; progenie repleatur numerus:* id eſt ſolũ, vel non niſi validiſſima. alij de ſuo addiderunt nihil, eodẽ planè ſenſu, & magis vſitato genere dicendi.

## Inter quinque pedes.

Etſi quodammodo ad exemplum legis Solonis iſtud erat ſcriptum in XII. Tab. vt ait Caius: tamen alia res erat, relinquebaturque finis quinque pedum inter agros confines: ac de fine controuerſia erat, cùm intra quinque pedes agebatur, vt Frontinus ſcribit: nec ſpacium quod intra quinque pedes erat, vſu capi poterat, ſed quod inter quinque pedes erat, id eſt, ager inter limites. Etenim quemadmodum cùm dicimus inter hæc, & inter os & offam, medium tempus intelligimus, & veteres cùm dicebant inter hoſtiam cæſam & exta porrecta, interiectum tempus ſignificabant, ita quoque cum voluerunt inter quinque pedes eſſe vſucapionem, finem vſu capi noluerunt, agrum inter quinque pedes, id eſt, inter limites clauſum vſu capi voluerunt. Rectè igitur obtrectatores noſtri hîc legunt, ſi modo ſunt, ac non typographus, quod dixeram in veteribus libris reperiri, malueram tamen iuriſconſulto Alciato fidem habere: ſed locum tamen non intelligunt. Cùm autem inter quinque pedes ſcribit, agrum ſignificari ſatis apparet ex eo, quod ſubijcit, *Depaſci veterem poſſeſſionem Academiæ non ſinemus*, id eſt, Academiæ agro velut vſu capto frui Zenonem: non, vt volunt aduerſarij, conſumi. Qui enim aliquid poſſidet, eô ſuum poteſt immittere pecus, in alienum non poteſt. Quòd autem mox interpretantur legem Mamiliam obſeruatam non fuiſſe, ſed alias obſeruatas Ciceronis ætate, errant. Nam etiam Frontini ſeculo in vſu erat, & hic de ea Cicero, vt recepta & vſitata, loquitur. Actionem legis Mamiliæ ſic complexus eſt Frontinus: *Controuerſia eſt finitimæ conditionis, quoties inter duos pluréſue terminos ordinatos, ſiue quæ alia ſigna ſecundum legem Mamiliam intra quinque pedes agetur.* Erant autem legis Mamiliæ plura, vt reor, capita, ad agrorum & coloniarum conditiones pertinentia. Quæ de ea & alij aliquot in libro vetere repererim, ſubſcribam, vt hominibus antiquitatis amantibus conſulam.

## LEX MAMILIA, ROSCIA, PEDVCEA, ALIENA, Fauia KL. III.

Quæ colonia hac lege deducta, quòdue municipium, præfectura, forum, conciliabulum conſtitutum erit, qui ager intra fines eorũ erit, qui termini in eo agro ſtatuti erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is cuius is ager erit, terminum reſtituendũ curato, vtq; recte factum eſſe velit, idq; magiſtratus, qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo, iuri dicundo preerit, facito vt fiat. Kl. IIII. Qui limites decumani, qui hac lege deducti erunt, quæcunque foſſæ, limites in eo agro erunt, qui ager hac lege datus aſſignatus erit, ne quis eos limites decumanos, ne obſeptos, néue quid in eis immolitum, néue quid ibi poſitum habeto, néue eos arato, néue eas foſſas obturato, néue quis ſepito, quo minus ſuo itinere aqua ire fluere poſſit. Si quis aduerſus ea quid fecerit, in res ſingulas, quotieſcunq; fecerit, II IIII, colonis municipibúſue eius in quorum agro id factum erit, dare damnas eſto. pecuniæ qui volet petitio hac lege eſto. Kl. V. Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, fora, conciliabula conſtituerit, in eo agro, qui



agro, qui ager intra fines eius coloniæ, municipij, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumaniq; vt fiant, terminatique ſtatuantur curato: quique fines ita ſtatuerit, ſi fines eorum ſunt, dum ne extra agrum colonicum territorium fines ducat: quique termini hac lege ſtatuti erunt, ne quiſquam eos eijcito, néue commoueto ſciens, dolo malo. Si quis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos quos eiecerit, locóue mouerit ſciens, dolo malo II XXV. in publicum eorum quorũ intra fines is ager erit, dare damnas eſto: deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iuriſdictio reciperatorumq; datio addictio eſto: cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magiſtratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo, iuri dicundo præerit, eius magiſtratus de ea re iuriſdictio, iudiciſque datio addictio eſto: inque eam rem is, qui hac lege iudicium dederit, teſtibus publicè duntaxat in res ſingulas II X. denunciandi poteſtatem facito, ita vt è republica fideque ſua videbitur. & ſi is, vnde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo déue bonis eius, primo quoque die exigito, eiuſque pecuniæ, quod receptum erit, partem dimidiam ei, cuius vnius opera maximè condemnatus erat, partem dimidiam in publicum redigito: ex quo loco terminus aberit, ſi quis in eum locum terminum reſtituere volet, ſine ſua fraude liceto facere, neue dare quid cui is ob eam rem hac lege damnas eſto.

## Pegerit.

Cum apud Priſcianum legiſſem pango pegi facere & pepigi, & in eo legiſſem auctoritatẽ Pacuuij, *Tonſillam pegi læuo in litore*, quam in libris ſcriptis lectionem reperi, damnare nolui: præſertim cùm legum & iuris Ciceronem vſurpare verba viderem: quæ plerunque antiquiora ſunt. Eſt autem pangere, figere, ponere. quid autem ad hunc locum pertineat paciſcor, aduerſarij viderint.

## Vita modica.

Equidem non dubito quin interpretatio mea longè veriſſima ſit, aduerſariorum ineptiſſima. Quòd autem vita res ad vitam degendam neceſſarias ſignificet, & fortunæ commoda, diſcere ex Cicerone potuerunt, ſic in Academica prima ſcribente, *Conſtituebantq; extremum eſſe rerum expetendarum & finem bonorum, adeptum eſſe omnia e natura, & animo, & corpore, & vita.* Viden' hic vitam res externas & fortunæ emolumenta ſignificare? Iterum, *Vita autem* (nam id erat tertium) *adiuncta eſſe dicebant, quæ ad virtutis vſum valerent.* Quis enim neſcit fortunæ bona ad virtutis vſum valere, quæ tanquam inſtrumenta ſunt rerum agendarum & officiorum? Sed cur modicam ait, fortaſſè rogabis. dicis enim temperatam eſſe, eiuſque rei explicationem adfers quod ſequitur, eam eſſe virtuti aptam: in quo valdè erras. Ita enim non dirimeretur controuerſia, ſed foueretur: & Stoicus vt vis in hac definitione eſſet, cùm quærat terminos quos pegerit Socrates. Sed ita ſe res habet: Vtraque definitio verbis alia eſt, ſententia vna & eadem. Vitam autem modicam dicit, modicam rerum externarum ſuppeditationem & naturalem, ſignificans ſine diuitijs, ſine opibus, ſine gloria & honoribus homines beatos eſſe poſſe, quòd hæc naturalia non ſint. Cicero in Academica prima: *Ac de ſummo quidem atque naturali bono ſic agunt: cætera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, vt diuitias, vt opes, vt gloriam, vt gratiam.* Idque eſt quod mox dicit, apta virtute perfrui, quod eſt virtute perfrui bonis modicè ſuppeditata, vt docui in commentario ad primã Academicam; quod in hoc de legibus loco non ſatis intellexeram. Simile eſt illud Horatij,

— *Et auitus apto Cum lare fundus.* Et illud Catulli,
*Aptis ſarcinulis & expeditis.*

ſignificat enim, vt opinor, Horatius paruum & concinnum larem: Catullus curtam & adſtrictam ſarcinam. Cic. *Ita porrò verbis aptus & preſſus, vt neſcias vtrum res oratione, an verba rebus illuſtrentur.* Significat enim breuem eſſe Thucydidem, & adſtrictum, minimeq; verbis redundantem. Itaq; non debet legi Apta virtuti, ſed vt in omnibus bonis libris, *Apta virtute.* Mox etiam valdè peccas, dum ſenſum amittere mauis, quàm ſyllogiſmum, qui cenſeas octauum eſſe argumentum ad probandum legem eſſe naturalem, quia ſit philoſophia naturalis: quod à vero longiſſimè abeſt. Cic. enim huic de lege diſputationi acceſſionem & perorationem addit laudationem philoſophiæ, id eſt, amoris ſapientiæ, à qua ſapientia lex (eſt enim ea ſapientis ratio) orta eſt. quòd ſperat, vt ait, ampliſſima fore ea de quibus aget, ſi fuerit philoſophia, vnde illa manant, ampliſſima. Mox etiam peccas, qui Hortenſium appelles collegam Valerij, quum is fuerit M. Horatius, quod ab omnibus vno ore dicitur. Hortenſius dictator te fefellit, qui idem etiam tulit. Plinius, *Q. Hortenſius dictator, quum plebs ſeceſſiſſet in Ianiculum, legem in Eſculeto tulit, vt quod ea iuſſiſſet, omnes Quirites teneret.* Id etiam à Gellio relatum eſt. Lex quam Arſa Terentillus promulgauit, alia erat, neq; huc pertinet. Nec mox dicit legẽ nihil aliud quàm philoſophiam eſſe: ſed à lege duci viuendi doctrinam, ipſam autem à ſapientiá: quæ cauſa philoſophiæ hic laudandæ & ornandæ fuit. Nec hic lex philoſophia & ſapientia idem ſunt, vt malè interpretaris. Nec hic docet philiſophiam eſſe naturalem, quod in ratiocinatione aſſumi vis, ſed laudem philoſophiæ inſtituit, in qua etiam iuris quædam principia attingit, quæ ſupra quum de origine hominis diſſereret, poſuit. Vides quoties hic erras. Nec idẽ eſt enodata intelligentia, & inchoata, vt tu vis. Inchoata enim eſt prima illa & rudis intelligentia animis impreſſa, quæ non ſatis explicata eſt. ea poſtea cum vſu vitæ, præceptis philoſophiæ, definitionibus euoluitur: (eſt enim inuoluta) tum tanquã enodata dicitur. Hinc illud Cic. *Ea eſt inſita & ante percepta cuiuſq; formæ cognitio enodationis indigens.* Definit enim πρόληψιν & ἔννοιαν, quæ eſt inchoata intelligentia, nondum tamẽ enodata, vt perſpicuè declarat. Nam ſi natura nobis intelligentias enodaret, doctrina nihil eſſet opus, eſſemuſq; natura philoſophi ſine præceptione vllá: nec fundamentum haberemus ſcientiæ, ſed ſcientiam ipſam adepti eſſemus. In eam autem fraudem te induxit vitioſa & mendoſa ſcriptura, quam ſecutus es. Neceſſarias enim intelligentias enodauit, legiſti. Id adeò docere te potuit verbum, quo hic vtitur. Vt enim abſoluta pictura non eſt, quæ tantum adumbrata eſt, ſed quæ ſuis eſt coloribus perpolita, eodẽ quoq;, vt reor, modo inchoatæ intelligentiæ abſolutæ nondum ſunt, ſed tanquam primordia quædã ſunt cognitionis primis lineamentis picta, quæ poſtea philoſophia duce abſoluuntur & illuſtrantur, vt ait. Itaq; Quibus illuſtratis legendũ eſt, vt in bonis libris, non illuſtra-

non illuſtratus: propterea quòd natura nobis inſitæ ſunt communes intelligentiæ, quæ duce philoſophia poſtea illuſtrantur. Cæterùm quum iſta velis eſſe Platonica, maximè vellem doceres vbi inchoatas & communes intelligentias Plato vocet, vt ego ex Stoicis iſta proferre poſſum. *Quum autem ſtatim legis, Societatem carnis eiecerit, pro Societatem charitatis coierit*, ſatis ſignificas te quid Cicero intelligat, nullo modo ſuſpicari. Mox quum dialecticam, vt vis, ex iudicio definiat, ſuſpicari potuiſti, id eum Stoicorum inſtituto feciſſe, qui artem inueniendi nullam exiſtimabant. ſed & cùm ſepimentum mox dicit, equidem delector, quòd neſcio quid Stoicum agnoſcere videris, vt & paulo pòſt in diſtinctione rhetorices & dialectices: etſi grauiſſimè fers diſtinctionem illam à tuis decretis abhorrere: quæ ſi non haberes ſemper in ore, & auribus hominum inculcares, profectò taceres. Sed mihi hic decretum non eſt in te inquirere, tantum purgare me volui, quanquam id facere non potui, quin nonnulla tua attingerem flagitia in oculos incurrentia: quæ ſi prætermiſiſſem, non tàm te homines nihil vidiſſe, quàm me cæcum fuiſſe clamaſſent. Sunt in meis commentarijs, fateor, nonnulla animaduerſione & cenſura digna: ac ſi quando mihi ocium ſit, ea fortaſſis emendabo. Ab iſtis autem emendari ferendum non eſt, qui vlceribus ſcatent. Prouerbium Græcum eſt, Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, quod in nullos melius, quàm in iſtos conuenire poteſt. Obtrectatorum autem iſtorum reprehenſio me poſthac diligentiorem & cautiorem reddet, vt & eos fortaſſe iſta calumniæ depulſio, æquiores. Hoc vnum addam, Qui paratus eſt in alium ſcribere, videat ne quid in ſe ſcribi ab alio poſſit.

# ADRIANI TVRNEBI PHILOSOPHIÆ PROFSSORIS REG. EXPLICATIO LOCI CICERONIANI, IN QVO TRACTANTUR IOCI, LIB. II. DE ORAT.

## *V. CL. ET DOCTISS. P. DANESIO DELPHINI GALLIARVM PRAECEPTORI,*

ADRIANVS TVRNEBVS
S. P. D.

*CALLIMACHVS GRAMMATICVS, QVOD TE OMNIVM minimè latet, Daneſi doctiſſ. dicere ſolebat, magnum librum, magnum eſſe malum: ac mihi ſanè videntur ij magno & ſolido malo atque damno homines mulctare, qui immenſas conſtruunt atque exaggerant librorum moles, quique æſtimationem ingenij ſui conſtare volunt amplitudine codicis, quem peragrare non paucioribus luſtris oporteat, quàm Homerico Vlyſſi mare enauigandum fuit. Ergo hic meus libellus, vt nulla commendatione ingenij gratiam ſit promeriturus, certè hoc conſequetur, vt breuitate offenſionem vitet. Breuitatis autem eo magis mihi ratio habenda fuit, quòd hoc quicquid eſt ad te mittere decreueram, cuius tempora qui moretur, in publica peccauerit commoda, & vel à grauiſſimis tuis ſtudijs te auocauerit, vel non cogitauerit tibi Delphini Galliarum commiſſam eſſe inſtitutionem. Quanquam autem hoc argumentum cuipiam fortaſſe leuius videri poſſit, nec amplitudine tua dignum: tamen cùm in ſermone virorum conſularium verſatum eſſe cognoſcerem, & vitæ moleſtias remiſſione quadam liberali, & iocis ingenuis omni hominum ordini leniendas exiſtimarem, putaui me nihil alienum à dignitate tua facturum eſſe, ſi hoc tibi nuncuparem, quod Ciceronem hominem conſularem literis mandare non puduit: præſertim cùm ſeria tua & grauia ſtudia, vt opinor, libenter in faceti ſermonis humanitate interquieſcant, nec aliud quicquam ſit, quod illud ſeueræ camœnæ ſenium melius abſtergat. Neque verò à me opera ſuſcepta eſt, aut quòd ingenium meum mihi plus æquo probaretur, aut quòd de interpretis doctiſſ. nomine ac laude quicquam decerptum vellem, ſed vt experirer ecquid in loco & arguto & obſcuro ipſe præſtare poſſem. Quòd ſi interpretationem meam tibi placere intellexero, poſthac vbi mihi plus animi & otij fuerit, fortaſſe eiuſdem generis annotationibus totos tres Dialogos aſpergam, extabitque perpetuæ meæ erga te obſeruantiæ monimentum, cuius nunc ſpecimen quoddam primordiumque cernis. Vale.*

LOCVS



# LOCVS IN QVO TRACTANTVR IOCI, LIBR. II. DE ORATORE, AB ADRIANO TVRNEBO EXPLICATVS.

### *A PHILIPPO INTERROGATVS quid latraret.*

DEPECVLATOREM PHILIPPVM FVISSE CATVLVS NOTAVIT ET ærarij furem. ſolent autem canes noctu fures allatrare. Sic Cato priuatorum furtorum fures dixit in neruo ætatem agere: fures publicos, id eſt, depeculatores, in auro atque purpura. Cato etiam Vticenſis apud Saluſtium *fures ærarij* appellat. Aut certè furem & ſpoliatorem prouincialium. non enim hîc cenſeam alia Philippo furta obijci. Philippus autem in tribunatu popularis fuerat, legemque tulerat Agrariam, quam facilè tamen antiquari paſſus eſt: quinetiam eò tum progreſſus erat, dum Agrariam legem ferret, in inuidiam optimatum, vt diceret, vix duo millia hominum eſſe in ciuitate, qui rem haberent. Idem, vt reor, ex prætura prouinciam ſortitus, parum ſecunda fama eam adminiſtrarat, nec ſatis abſtinentem ſe præſtiterat. eo etiam tempore factus eſt peculatus Romæ, & tabularium incenſum, quod vtrunque obiectum eſt Rabirio: idem etiam Philippus in conſulatu aduerſarius optimatum factioni fuit. Ergo in quadā contentione Catulus hoc dicto eum percuſſit optimatibus infeſtum. Latrare quod dixit, à canibus ſumpſit: quod etiam verbum ab antiquis pro poſtulare & poſcere vſurpatum inuenitur: Lucretius,

*— nonne videre*
*Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi vt cui*
*Corpore ſeiunctus dolor abſit, menſque fruatur*
*Iucundo ſenſu.*

Illud autem veteris Poëtæ quod à Varrone relatum eſt, *Animus cum pectore latrat*, ex Homero conuerſum videtur, apud quem ſcriptum extat, κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.

### Quam bona dicta teneat.

Verſus eſt trochaicus integer, & hemiſtichium. Itaque legi debet, *à ſapienti*, vt verſus conſtet. Citatur hæc Enniana ſententia à Symmacho in epiſtolis: quanquam Socratica potius eſt. nam Socratis verbum iſtud refertur: Σωκράτης ἔλεγεν ὅτι ῥᾷον ἄν τις διάπυρον ἄνθρακα ἐπὶ τῆς γλώττης κατάσχοι, ἢ λόγον ἀπόρρητον. id eſt, Socrates dicebat facilius homines ardentem carbonem in lingua retenturos, quàm quod arcanò commiſſum ſit. Os autem ſi ardeat, id eſt, in ore ſi ſit flamma, qui nolit vri & lædi, os non occludat, ſed quàm maximè hiante flammam expuat. Ennius autem bona dicta, bonas ſententias intellexerat, quas ſapiens tenere ſe non poteſt quin loquatur: at homines faceti idem de dicacibus vſurpare ſolebant, & aliter verſum interpretari. Ab eadem mente Ennius docta dicta appellauit: *Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis.* & Catullus, *Pauca nunciate meæ puellæ Non bona dicta* cùm ſcripſit, maledicta ſignificauit. Sunt etiam alia ſignificatione dicta, dicacitates, & verba ſalſa. Plautus, *Dico vnum ridiculum dictum de dictis melioribus, Qui ſolebam menſtruales epulas antè adipiſcier.* In quem ſenſum verſum Ennianum faceti homines, vt dixi, accipiebant. Sed dicta in breuitate ponuntur, cauillationes, vt Cicero dixit, in perpetuitate: quod verbum à Plauto vſurpatur in Truculento, *Iſthæc ridicularia, Cauillationes vis opinor dicere, Ita vt pauxillulum à cauillis differant.* Sed & cauillator in eadem fabula dicitur, & in Milite, *Cauillator facetus, vel commodus conuiua item ero.*

### Cum Brutus duos lectores excitaſſet.

Huius rei pro Cluentio Cicero meminit qui volet locum legat. Senatus autem ferè alienior erat à deductione populi in colonias, & agrorum aſſignatione, quòd ea res vectigalia minueret. Lex tamen de colonia Narbonenſi ſuaſore Craſſo accepta & perlata eſt, Coſſ. que Porcio & Martio deducta colonia eſt Narbo Martius, quam & ipſe Craſſus triumuir deduxit. Cic. *Voluit adoleſcens in Colonia Narbonenſi cauſa popularis aliquid attingere, eamque Coloniam, vt fecit, ipſe deducere.* Sic etiam in quodam iurgio perſtrinxit Brutus Craſſum, vt Venerem Palatinam eum appellaret.

### Seruilia.

Quam Seruilius Cepio tulerat de transferendis ab equitibus ad ſenatum iudicijs. hac autem in ſuaſione Craſſus ſenatum laudabat, vt in altera vituperabat. Legem Seruiliam ſuaſit Craſſus, trib. Scæuola in Roſtris ſedente. de ea Craſſi oratione ſic in Bruto ſcribitur, *Mihi quidem à pueritia quaſi magiſtra fuit, inquam, illa in legem Cepionis oratio, in qua auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur, & inuidia concitatur in iudicum & accuſatorum factionem: contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aſperè, multa facetè dicta ſunt: plura ea de re dicta quàm ſcripta, quod ex quibuſdam capitibus expoſitis intelligi poteſt.*

### Puberem.

Patri cum filio pubere in balneis lauari non licebat, nec ſocero cum genero. Cic. *Noſtro quidem more cum parentibus puberes filij, cum ſoceris generi non lauantur: id tamen poſtea deſitum quod verecundiæ cauſa obtinuerat.* Valerius, *Aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero lauabatur. Balneæ autem publicæ ſunt, aut ſi priuatæ, tamen qui volunt, mercede in ijs lauantur.* Varro, *Eodemque bina coniuncta ædificia lauandi cauſa, vnum vbi viri, alterum vbi mulieres lauarentur. Itaque numero multitudinis efferuntur. At balneum priuatum eſt, quod ſibi quiſque domi, vbi lauaretur, pararat. Id priſci Lauatrinā* (ſic enim in Varrone legendum eſt) *appellare conſueuerant.*

Lotum.

## Lotum.

Veteres libri Locutum, id eſt, ſe diſputaſſe tecum & ſermocinatum eſſe. Si lotum legas, de balneis intelligetur, quod lauiſſe etiam dicere potuit. Terentius, *Hæc adornant vt lauet*. Plautus, *Piſces ego credo, qui vſque dum viuunt, lauant, Minus diu lauare quam hæc lauat Phroneſium:* vbi Varro Lauari legit, & Plautum leuiter reprehendit, qui contra analogiam locutus ſit. In balneis autem lauamus, vt ait idem, & lauamur.

## Iunia.

Popilia omnium prima Romæ in funere laudationem meruit, cùm antè honoratis tantùm viris ea tribueretur. ac Ciceroni diſplicet libro ſecundo de Legibus, laudatio mulierum, cùm legem tantùm de viris hanc ſanciat: *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantor.* quanquam Plutarchus iam inde vſque à Camilli ætate honeſtis matronis eam fuiſſe dicit tributam ob collatum ornamentorum ſuorum aurum in Apollinis crateram: cùm Liuius tamen ſcribat, tantum eis conceſſum, vt ſacrorum & ludorum cauſa pilentis carpentiſque vterentur. Paulo poſt Popiliam, idem honos eſt tributus Iuniæ, quæ ex Brutorum erat familia. Ducebantur autem in forum funera laudationis cauſa: quod quomodo fieret, ex Polybio ſubijcere placet: Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς, κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργὴς, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. πέριξ δὲ παντὸς τοῦ δήμου στάντος, ἀναβὰς ἐπὶ τοὺς ἐμβόλους, ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται, καὶ τύχῃ παρὼν, οὗτος. εἰ δὲ μὴ, τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει, λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῇν πράξεις. μετὰ δὲ ταῦτα θάψαντες, καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα, τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ξύλινα ναΐδια περιτιθέντες. ἡ δὲ εἰκὼν πρόσωπόν ἐστιν εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον, καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν. ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας ἔν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως. ἐπάν τε τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανὴς, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφοράν. &c. id eſt, Cùm apud eos illuſtris vir aliquis ex hac migrauit vita, in funere cum reliquo ornatu in forum fertur ad roſtra quæ vocantur, interdum ſtans ante omnium oculos, raró recubans. Circunfuſa autem populi corona, in roſtra aſcendit filius, ſi quem puberem reliquerit, qui fortè adſit: ſin minus, propinquus aliquis, & de mortui virtutibus dicit, rebuſque quas is proſperè geſſerit. eo deinde ſepulto, iuſtiſque factis, mortui imaginem in illuſtriſſimo domus loco ponunt in cellula lignea conditam. Imago autem perſona eſt ad ſimilitudinem egregiè expreſſa, & forma, & lineamentis. has imagines & in publicis ferijs aperiunt, ornantque magnificè: & cùm ex familia clarus aliquis moritur, in funus producunt. Cùm autem Tribunalia iudiciorum eſſent non parietibus ſepta, ſed cancellis incluſa, ex illis pompa à Craſſo videri potuit.

## Imminenti.

Acri & vehementi, vt videretur in aduerſarium Brutum incitatus ferri: vt apud Curtium, *At Alexander Dario imminens*: & apud Senecam, *Imminet alieno qui auide in aliorum bona rapitur.*

## Imagines.

Quæ ceræ erant, ſequique gentilia funera ſolebant, eas in atrijs habebant in armarijs collocatas (nam ναΐδια quæ Polybius dicit, armaria Plinius vocauit) vt maiorum virtutem recordarentur & imitarentur. Saluſtius, *Nam ſæpe audiui Q. Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere, cùm maiorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi: ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregijs viris in pectore creſcere.* Ceras vocat Iuuenalis: *Totæque per atria ceræ.*

## Solium tibi paternum.

In excipiendis rutis & cæſis, quæ in mancipatione prædiorum excipi ſolent, non retinuiſſe ſellam patris, in qua ille ius reſpondere ſolebat (hic enim recipere eſt excipere) Cicero lib. I. de legibus, *Præſertim cùm non recuſarem quo minus more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem.* Ita qui ſolium vendiderit, ius non reſpondebit. Nonius hic *ſolum* legit, velut in verſu Ennij apud Ciceronem ſcribitur, *Auſpicio regni ſtabilita ſcamna ſolúmque.* in Pompeio vtrumque eſt: *Sola enim*, inquit, *appellantur ſedilia in quibus non plures ſingulis ſedere poſſunt; ideóque Solia ſternere dicuntur, qui ſelliſternium habent: & ſolaria vocantur, Babylonica quibus eadem ſternuntur: quæ, vt ait Verrius, omnia dicta ſunt à ſolo: aluei quoque lauandi gratia inſtituti, quò ſinguli deſcendunt, Solia dicuntur: quæ à ſedendo potius quàm à ſolo.* ſic cenſeo in Pompeio legendum eſſe.

## Contra collegam in cenſura.

De Craſſi & Domitij cenſura ſcribit libri noni cap. I. Valerius, & Plinius initio libri XVII. hunc in modum: *Craſſus orator fuit in primis Romani nominis: domus ei magnifica, ſed aliquanto præſtantior in eodem palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit; multò verò pulcherrima omnium conſenſu ætate ea in colle Viminali C. Aquilij equitis Romani clarioris illa etiam, quàm iuris ciuilis ſcientia, cùm tamen obiecta Craſſo ſua eſt. Nobiliſſimarum ergo gentium ambo Craſſus & Domitius, cenſuram poſt conſulatum ſimul geſſere, anno conditæ vrbis* DCLXII. *frequentem iurgijs propter diſſimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, vt erat vehemens natura, præterea accenſus odio, quod ex æmulatione auidiſſimum eſt, grauiter increpuit tanti cenſorem habitare, pro domo eius millia nummorum identidem promittens: & Craſſus, vt præſens ingenio ſemper, & faceto lepore ſolers, concedere ſe reſpondit, exceptis ſex arboribus. at ne vno quidem denario, ſi adimerentur, emptum volente Domitio: Craſſus, vtrúmne ipſe ego ſum, inquit, quæſo Domiti, exemplo grauis, & ab ipſa mea cenſura notandus, qui in domo, quæ mihi hereditate obuenit, comiter habitem: an tu qui ſex arbores tanti æſtimes?* In Plinio ſumma æſtimationis non ponitur, cùm millia nummorũ tantum ſcribat. Valerius ſcribit à Domitio Craſſi domum æſtimatam in illo iurgio ſexagies ſeſtert. fuiſſe, mox interrogatum à Craſſo fuiſſe, quanto minoris eam æſtimaturus eſſet, decem arbuſculis detractis, Domitium tricies ſeſtert. dixiſſe. Refertur & à Tranquillo illud Craſſi in Domitium: *Non eſſe mirandum quòd æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum.* Memorant etiam ſcriptores Craſſum, quòd mortuam in piſcina murænam atratus tanquam filiolam luxiſſet, à Domitio eſſe reprehenſum: Craſſum autem in eius increpaſſe duritiam & inhumanitatem, qui elatis tribus vxoribus, ne ploraſſet quidem. Huius

autem



autem Craſſi cum Domitio contentionis ſic in Bruto meminit Cicero: *Ipſa illa cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium paulo plenius. nulla eſt enim altercatio clamoribus vnquam habita maioribus.*

## Collectam.

Græci συμβολὴν appellant, id quod confertur in cœnam à conuiuis, quo verbo Plautus vtitur cum ſcribit iocans: *Paratæ ſunt ſcapulis meis ſymbolæ.* Sic collatiuum prandium dicunt Latini, quod Græci ἔρανον: & collatiuum ventrem eleganti tranſlatione dixit Plautus. Vocant etiam Græci ἔρανοι & συμβολὴν, pecuniam quæ exigitur à conuiuis. Proinde in Terentio, *Quid Pamphilus? cœnauit, ſymbolam dedit*, legendum cenſeo, non vt vulgò, ſymbolum. Tale illud Diogenis, ἔρανον ποτ' αἰτούμενος πρὸς τὸν ἐρανάρχην, ἔφη, Τοὺς ἄλλους ἐράνιζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας, id eſt, Cùm ab eo collectam aliquando exigeret collatiui prandij dominus, *Ab alijs*, inquit, *collectam exige, ab Hectore manus abſtine.* in quo deprauauit de induſtria verſum Homericum, & ἐράνιζε pro ἐνάριζε dixit: ἔρανον hunc collectam Cicero vocauit. Collectrix etiam apud Plautum eſt, quæ religionis cauſa ſtipem colligit: *Precantrici, collectrici, ariolæ atq; aruſpicæ.*

## Fœnum.

Significauit alios videri Craſſo comparatos pecudes eſſe, proinde fœno paſcendos: Craſſum autem diuinum planè hominem, vt ambroſia paſcendus ſit, qui cibus eſt Deorum.

## Guſtaris.

Guſtus cùm alia ſignificat, tùm interdum id quòd venditores guſtandi & explorandi cauſa dant emptoribus vini, quod γεῦμα dicitur à Græcis: vt cùm quid oſtenditur, ſpecimen à Latinis, à Græcis δεῖγμα vocatur: à quo per tranſlationem dixit Seneca, *Dedit enim nobis guſtum, ad quem reſpondebit.* A qua etiam tranſlatione illud Ciceronis profectum eſt, *Et deguſtabis genus exercitationum mearum.* Significat enim Paradoxa guſtum Bruto fore earum exercitationum quibus vti ſolet. Eſt & guſtus interdum primus prandij miſſus. Martialis, *Guſtu protinus has edes in ipſo, Has prima feret, alterá ue cœna.* Sed & guſtare multò minus eſt quàm vel ientare, vel prandere: quo ſanè hic modo intelligendum eſt. Videte autem quàm facilis & lubricus ſit memoriæ lapſus in citandis alienis ſcriptis, cùm Cicero ipſe in ſuis obliuioſus eſſe videatur. nam cùm perſpicuum ſit hæc diſſeri à Iulio: tamen in Epiſtola ad Volumnium, totum de Iocis locum ab Antonio diſputatum ſcribit. Eius verba ſunt, *Pugna ſi me amas, niſi acuta* ἀμφιβολία, *niſi elegans* ὑπερβολὴ, *niſi* παράγραμμα *bellum, niſi ridiculum* παρὰ προσδοκίαν, *niſi cætera quæ ſunt à me in ſecundo libro de Oratore per Antonij perſonam diſputata de ridiculis*, ἔντεχνα *& arguta apparebunt, vt ſacramento contendas mea non eſſe.*

## Quid ſit, alterum vnde ſit.

Huiuſmodi riſus cauſam & originem refert Gregorius diui Baſilij frater: διαχέονται γάρ πως καὶ διαλύονται δι' ἡδονῆς οἱ τοῦ σώματος πόροι τῶν ἔκ τινος ἡδείας ἀκοῆς διαχυθέντων· οὕτω μοι νόησον ἐκ τῆς ἐναντίας διαθέσεως πλέον τοῦ συνήθους εὐρυνομένων τῶν πόρων, εἰσέλκεσθαι τι πνεῦμα δι' αὐτῶν ἐπὶ τὸ βάθος· κἀκεῖθεν πάλιν ἐξωθεῖσθαι παρὰ τῆς φύσεως διὰ τοῦ κατὰ στόμα πόρου, πάντων τῶν σπλάγχνων, καὶ μάλιστά γε τοῦ ἥπατος, ὥς φασι, διά τινος κλόνου, καὶ σφραδασμώδους κινήσεως τὸ τοιοῦτον πνεῦμα συνεξωθοῦντος· ὅθεν εὐκολίαν τινὰ τῇ διεξόδῳ τοῦ πνεύματος μηχανωμένη ἡ φύσις ἀνευρύνει τὸν περὶ τὸ στόμα πόρον ἑκατέρωθεν περὶ τὸ ἆσθμα τὰς παρειὰς διαστέλλουσα. ὄνομα δὲ τῷ γινομένῳ γέλως ἐστὶ, id eſt, Aperiuntur enim & diſſoluuntur per voluptatem in corpore foramina eorum, qui ex iucundo auditu hilaritate diffunduntur. ſic mihi cogitato, ex hoc contrario affectu plus ſolito dilatatis foraminibus, per ea ſpiritum aliquem in profundum trahi, illincq; rurſum à natura extrudi per oris foramen, omnibus viſceribus, ſed inprimis tamen iecore, vt narrant, agitatione quadam & concuſſione ſpiritum huiuſmodi ſimul exturbante. Itaq; commoditatem commeandi ſpiritui moliens natura, oris foramen aperit, vtrinq; anhelitui genas diducens. nomen autem ei rei riſus eſt. Cicero autem, qui huius rei rationem obſcuram eſſe ſciret, ad Democritum ſolertem naturæ inueſtigatorem homines remittit.

## Scelere iuncta.

Iuncta ſcelere, id eſt in qua eſt ſcelus. Cicero in Bruto. *Sed eſt etiam L. Craſſi in conſulatu pro Q. Cepione defenſione iuncta, non breuis, vt laudatio: vt oratio autem, breuis. ſic coniunctus etiam dicitur*, vt in hoc libro, *Dicendi vis egregia ſumma feſtiuitate & venuſtate coniuncta*: iterum, *Celeritas & breuitas reſpondendi & laceſſendi ſubtili venuſtate atq; vrbanitate coniuncta, id eſt, in qua ſit vrbanitas & venuſtas.*

## In Memmium.

L. & C. Memmij acerrimi fuerunt accuſatores: Caius verò etiam in tribunatu infeſtiſſimus potentiæ nobilitatis fuit, vt Saluſtius ſcribit: quo libentius optimatum, vt opinor, fautor Craſſus fabellam iſtam in eum confinxit, quem hominem mordacem & acrem etiam Largij lacertum in rixa morſu appetiſſe dixit. Terracina autem propter viam Appiam, quæ celeberrima erat, hoſpites & diuerſores Romanos plerunq; habebat.

## Per tuam nobilitatem.

Locus ex oratione Craſſi in Domitium collegam. erat autem Domitiorum familia nobiliſſima. Paterculus, *Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quæ iam, & vt clariſſima, ita arctata numero felicitas, vbi antè hunc nobiliſſimæ ſimplicitatis iuuenem Cn. Domitium, fuere ſinguli omnino parentibus geniti; ſed omnes ad conſulatum ſacerdotiaque, ad triumphi autem penè omnes peruenerunt inſignia.* Nobilitas autem ſuperbum reddebat Domitium, & in nobilitatem dici, plebi gratum erat.

## Vultus & Vocis.

Vultum enim & vocem Domitij Craſſus imitatus eſt, vt paulo poſt etiam geſtum. Sed quoniam hìc de voce agitur, equidem locum iſtum ſine corollario non dimittam, ac enitar Ciceronis locum perobſcurum explicare, in quo, lib. I. de Oratore, de Græcorum conſuetudine in exercenda voce ſcribitur: Quæri enim video quid ſibi illa verba velint: *Hoc nos ſi facere velimus, antè condemnentur hi, quorum cauſam receperimus, quàm toties quoties præſcribitur, pæanem aut munionem citarimus.* Petrus Victorius, cuius ego diligentiæ &

doctrinæ plurimum meritiſſimò defero, refert, etſi aliena fide, quibuſdam in libris reperiri munychionem: ego in veteri reperi, muniorem: quæ vtraq; ſcriptura, etſi deprauata eſt: tamen ad coniecturam mouendam fortaſſe non inutilis eſt. Ego igitur ex ijs veſtigijs legendum cenſeo, minuritionē. exiſtimo enim Ciceronem verba Græca conuertere voluiſſe, παιανίζειν & μινυρίζειν, vt pæan ſit cantio (nam pro pede hic non cenſeam accipi) quæ clara exultanti contentaq; voce citatur, id eſt, canitur: minuritio, cantio quæ tenui, leniore, remiſſioreque. proinde minuritiones interpretatur Pompeius, minorũ auium cantus. Apud Ariſtophanem μινυρίζειν canere eſt. λύχνους ἔχοντες, μινυρίζοντες μέλη. & apud Plutarchum, ποιηταῖς δὲ καὶ λυρικοῖς μινυρίζουσιν, ὥσπερ ἄρα, χελιδόνας ᾄδοντας. Illud etiam Perſij, *Liquido cum plaſmate guttur Mobile colluerit*, quia ad vocem pertinet, nec ab interpretibus intelligi videtur, explicabo. Aiunt enim plaſma genus eſſe potionis ad vocis commendationem, vt liquidior exeat, ſimiliq; errore πλάσμα apud Quintilianum declarant. Ego cùm plaſma pro potione nunquã legerim, putem eſſe quandam vocis fictionem & flexionem, quæ quod liquida exeat, colluere guttur videatur. Huius rei fidem faciunt quæ ex Theophraſto ſubſcribam, cuius verba ſunt, cùm de tibijs loquitur, τὴν δὲ τομὴν ὡραίαν εἶναι, πρὸ Ἀντιγενίδου μὲν, ἡνίκα ηὔλουν ἀπλάστως, ὑπ' ἀρκτοῦρον. Plinius, *Cædi ſolebant* [illegible] *vſque ad Antigenidam* (in Plinio malè Antigenem vulgò legimus) *tibicinem, cùm adhuc ſimplici muſica vterentur, ſub Arcturo*. Simplicem muſicam dicit, cum adhuc ſine plaſmate & delicata varietate canerent. Iterum Theophraſtus, ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν πλάσιν μετέβησαν, ἡ τομὴ μετεκινήθη. & mox, τοῦτο δὲ ἀναγκαῖον τοῖς μετὰ πλάσματος αὐλοῦσι. quæ ſic Plinius conuertit, Poſtquã varietas acceſſit, & cantus quoq; luxuria, cædi ante ſolſtitia cœptæ, & fieri vtiles in trimatu, apertioribus earum ligulis ad flectendos ſonos. Plutarchus etiam id declarat: πρόσεστι δὲ ὑπόκρισις πρέπουσα τοῖς ἤθεσι τῶν ὑποκειμένων προσώπων καὶ φωνῆς πλάσμα, id eſt, Ineſt & actio moribus ſubiectarum perſonarum congruens, & vocis flexio. Ac Quintil. *Lectio ſit virilis & cum ſuauitate quadam grauis, non tamen in canticum diſſoluta, nec plaſmate, vt nunc à plerisq; fit, effœminata*, cùm ſcribit, inclinatione & flexione delicatam intelligit. Itaq; modorum flexiones & vocis apud Ciceronem ſunt, quæ Perſius & Quintil. vocant πλάσματα.

## Senium eſt cum audio.

Senium hoc loco tædium ſignificat, quod ſenectus, quæ mala ætas dicitur, moleſtiæ ſit & tædio ſententia eſt. *Iſta cùm tua facta audio, tædium & moleſtia magna mihi eſt.* Sic ſenium Næuius vſurpauit: *Operæ conductor, cautor, curſor, ſenium ſonticum*: & Lucilius,

*In numero quorum nunc primus Trebellius multum*
*Lucius marcebat, febris, ſenium, vomitus, pus.*

Plautus Truculento, *Id illi morbo & ſenio eſt.* Legendum autem eſt, Senium eſſe cum audio, vt in veteribus libris.

## Mimorum.

Sic eos appellat, qui mores & affectus perſonarum exprimunt: nec mimos tantum dixit, vt hoc libro poſtea, & in Antonium fecit, & alij ſcriptores vocant, ſed ethologos addidit, ne ambiguè loqueretur, ac fabula ſignificari videretur, quam Mimum Græci, Latini Planipedem vocant, quales erant Mimi Publij & Laberij. quanquam Cicero pro Cœlio mimum huiuſmodi, fabulam, id eſt, comœdiam appellare non vult: *Mimi ergo*, inquit, *eſt iam exitus, non fabulæ.* Pantomimorum hic non meminit. exorti enim poſtea ſunt imperante Auguſto: erantq; ſaltatores, qui geſtu hiſtorias & fabulas ita exprimebant, vt ſub oculos ſubijcerent: ad quam ſaltationem reſpexit Horatius cum ſcripſit,

*Paſtorem ſaltaret vti Cyclopa rogabat.* & Iuuenalis,
*Chironomon Ledam molli ſaltante Batyllo.*

hoc genus ſaltationis quale fuerit, à Luciano deſcribitur elegantiſſimo libello, in quo pantomimos manibus loqui ſcribitur: adijcitur etiam Italos pantomimum ſaltatorem appellare ſolere. οὐκ ἀπεικότως δὲ, inquit, καὶ οἱ Ἰταλιῶται τὸν ὀρχηστὴν παντόμιμον καλοῦσι.

## Granium.

Præconem, cuius multa dicta verſibus erat complexus Lucilius,

*Conijcere in verſus dictum præconis volebam*
*Grani:*

apud Gellium ex Lucilio legitur, vbi tamen vitioſè ſcribitur Graij. Is aſperioribus ſæpè facetijs Druſi Naſicæ, Antonij & Craſſi voluntatem impunè perſtrinxerat, vt ſcribit Cicero pro Plancio.

## Vni enim locum video.

Iocus eſt ſumptus ex communi illorum temporum conſuetudine loquendi, qua aliquot conuiuis vocatis, ei quem præterea inuitatum vellent, locum ſupereſſe dicebant. Plautus in Sticho, *Ædepol tibi etiam opinor, vni locum conſpicor, vbi accubes.* Id ſcurriliter ad vitium oculi conuertit Appius.

## Manus laua.

Depeculatorem appellat & furem, qui ſordidis & turpibus furtis eſſet ditatus. furum enim manus inquinatas eſſe dicebant, vt de fure balneatio Catullus: *Nam dextra patet inquinatiore.* Græci eum dicunt manibus puris non eſſe, qui cædem perpetrauit. Herodotus, ἀπικνέεται ἐς τὰς Σάρδις ἀνὴρ συμφορῇ ἐχόμενος, καὶ οὐ καθαρὸς χεῖρας ἐών, id eſt, Venit Sardis vir calamitoſus, & manibus impurus.

## Puer abige muſcas.

Propinqui & amici, qui gratioſi erant aut clari, deducere ſolebant candidatos qui prenſatum ibant, vt petitio & gratiam & auctoritatem maiorem haberet. Igitur cum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam eſſet complexus, Vargula ſcurriliter luſit, iubens abigi muſcas. Muſcam nullam fœminæ, pro nulla fœmina dixit venuſtè Plautus ex vulgi ſermone, hunc in modum: *Quas tu mulieres mihi narras? vbi muſca nulla fœmina eſt in ædibus.*

Neronianum.



## Neronianum.

Illius, vt reor, Neronis qui res aduerſus Annibalem geſſit, eſtq; exemplum hoc, vt pleraq; huius loci priſca, ſumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. dictum autem hoc & de furace accipi poteſt, vt à Nerone vſurpatũ fuerat, qui omnia reſignet & recludat: & de ſeruo frugi, cuius fidei omnia herus committat, cui nihil annulo obſignet, nihil claudat ſera. In quodam lib. ſcripto legitur Næuianum, vt à Næuio poëta ſumptum, quod fortaſſe verius.

## Sp. Caruilio.

Puto hunc eſſe qui primus apud Romanos vxorem dimiſit. vir fuit illuſtris, qui ex equeſtri loco natus ad ſummam peruenit dignitatem, vt Paterculus ſcribit: Conſul autem fuit cum Fabio Maximo, auctor Cicero de Senectute.

## Gradum facias.

Id eſt, facias, vt vulgo loquimur, paſſum, vt in Verrem, *Imperij gradus ex Sicilia in Africam factus eſt*, per tranſlationem dicitur.

## Caluino.

C. Sextius Caluinus, vt ait Cicero in Bruto, ingenio & ſermone eleganti, ſed valetudine incommoda fuit, etſi cùm remiſerant dolores pedum, non deerat in cauſis. Is igitur ex podagra plerunq; claudicabat.

## Num claudicat.

Sic loquebantur veteres, cùm in re vel homine nihil eſſe vitij ſignificare volebant. Ita enim ſine omni vitio & imminutione, integritatem & abſolutionem intelligebant. Nam claudicare pro vitioſum eſſe & non rectum dicebant. Cicero, *In quacunq; enim vna planè claudicaret, orator eſſe non poſſet.* Iterum, *Actio paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptijs claudicabat*: Lucretius, *Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum.* Glaucia ergo vir improbiſſimus & ſimillimus Athenienſis Hyperboli, ridiculus tamen, ſignificauit improbum eſſe Caluinum, qui non tantùm pede, ſed etiam animo claudus eſſet.

## Næuio.

Dictum eſt Africani, vt opinor, ſuperioris in Næuium, à quo fuerat accuſatus, quòd præda bello Antiochi capta ærarium fraudaſſet: alij tamen à Petilio accuſatum fuiſſe ſcribunt. Locus annominationem habet. nominatur à Liuio oratio P. Africani, in M. Næuium, in qua, vt opinor, hoc dixerat. potuit & à minore Africano in alium Næuium id etiam dici.

## Ad literam immutati.

Ad literam imitati, libri veteres habent: quod, & ſi non damno, cùm in paronomaſia; quæ annominatio dicitur, & in eo quod παρὰ γράμμα dicitur, ſimilitudinem & imitationem eſſe oporteat: ac verbum ad literam imitatum παρὰ γράμμα perſpicuè explicet: quo etiam pertinet παραγραμματισμὸς, vt Ὡς ἀνέπλασε Πλάτων πεπλασμένα θαύματ' εἰδώς. cumq; alliterationem appellet Pontanus, & ſæpè in Virgilio obſeruet: immutati tamen cur potius retineam, facit, quod hanc figuram verborumq; conformationem in Oratore appellet immutatione literæ quæſitam venuſtatem: & lib. 3. de Oratore, paulum immutatum verbum atq; deflexũ: & paulo poſt, paruam verbi mutationem in litera poſitam παρονομασίαν eſſe ſcribat.

## Caput magnum.

Ambiguum eſt: nam ſignificatur & magnitudo partis, & amplitudo hominis. Publius autem iſte Licinius Varus, bello 2. Punico ædilis cum Veturio fuit, vt Liuius ſcribit. poſtea etiam præturam eodem bello adeptus eſt, in qua tulit ad populum, vt ludi Apollinares in ſtatum diem in perpetuum vouerentur.

## Caluus ſatis eſt quod.

Hic caluum eſſe nomen proprium non cenſeam, ſed appellatiuum. iocus ex eo eſt, vel quòd veteres caluos fallaces cenſebant, vel quòd calui mimi, vt Nonius ait, omnibus erant fruſtratui. vnde caluor, quod eſt fruſtror, decipio. Plautus in Caſina, *Nam vbi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur.* & in duodecim Tab. vt affert Feſtus, cum explicat quid ſit, *Pedem ſtruit: Si caluitur pedemúe ſtruit, manum endo iacito.* ſic in Feſto legit V. C. Æmarus Ranconetus. ac ſine dubio ſic emendandum eſt, cum lex fallenti & fugitanti manum inijci licere velit. Caluos autem mimos intelligo, qui capite ſunt raſo, vt in comœdia lenonem qui agebant hiſtriones, recaluaſtri erant, aut calui, vt ſcribit Pollux, & Cicero pro Roſcio comœdo indicat, *Qui idcirco*, inquit, *capite & ſupercilijs ſemper eſt raſis, ne vllum pilum boni viri habere dicatur.* Sequitur enim mox, *Nam Ballionem illum improbiſſimum & periuriſſimũ lenonem cùm agit, agit Chæream.* Chærea autem, cùm illas perſonas plerunq; ageret, idcirco capite erat & ſupercilijs raſis. Ita autem caluum interdum accipi Plautus oſtendit, *vt ego hodie raſo capite caluus capiam pileum.* Satis eſt igitur quod dicit parum, eſt ambiguum, id eſt enim quod parum loquitur, vel quod parum orator eſt. nam dicere parum, pro oratorem non eſſe, dicere ſolebant. Cicero in Bruto: *Nam T. Aufidius qui vixit ad ſummam ſenectutem, volebat ſimilis eſſe horum, eratq; & bonus vir, & innocens, ſed dicebat parum.* Poſtea in contemptum & deriſum etiam calui venere, vt in Perſio --- *cum tibi calue Pinguis aqualiculus protenſo ſeſquipede extet.* Et in epigrammate Græco, μωρὸν ὄρᾷς φαλακρόν.

Et ludens quoq; ac irridens ſæuus princeps Caius, à caluo ad caluum duci imperauit. Qui de Licinio Caluo oratore & poëta intelligunt, peccant ignoratione temporis. ſi quis tamen caluum nomen proprium, quod verum non puto, cenſeat, eandem ſeruare poterit ambiguitatem. Satis eſt quòd parum loquatur, & parum ſit eloquens, ne nos fallat verbis, homo præſertim ineptus & moleſtus.

## Sannio.

Sanna, inquit vetus Perſij interpres, dicitur os diſtortum cum vultu: quod facimus cum alios irridemus: vnde Sanniones dicti ſunt, quòd non rectum vultum habent. Hic tamen doctiſſimus Budæus animaduertit, mimorum quoddam genus ſignificari. Verum, vt reor, ſanna & ſannio ab homine ſtulto & inepto Sanna originem ſumpſere, qui tam fatuus fuit, vt Cratinus Comicus ſannam pro ſtulto vſurpauerit:

quemadmodum relatum eſt ab Euſtathio: quo etiam auctore deduci poteſt vtrunque à Sannis populis Aſiæ, quos conſuetudo Græcorum erat eius ætate Tzanos vocare, qui moribus erant barbaris & incultis, ac proinde inſulſis & inſcitis. Affert & aliam originem à verbo ζαίνειν. ſcribit enim, ἴσως δὲ καὶ ὁ σάννας ἢ σάννος ἐξ αὐτοῦ παρῆκται, ὃς ὅτι εὐήθη σημαίνει ἀλλαχοῦ ἐγράφη, id eſt, Fortaſſe autem ab eo verbo ſannas aut ſannus deducitur, quem ſtultum ſignificare alibi ſcriptum eſt. Nonius Marcellus ſubſcribit ſecundæ deductioni, in quo ſic legendum cenſeo, *Sanniones dicuntur à Sannis, qui ſunt in dictis fatui, & in moribus, & in ſcenis, quos μωροὺς vocant Græci.* non enim de ſanna, ſed de Sannis populis id eum dixiſſe potius putem. Itaque, vt eſt apud Euſtathium, ζάννας & σάννος τὸν μωρὸν μᾶλλον ἢ τὸν εὐήθη σημαίνουσιν, id eſt, potius fatuum & ſtultũ, quàm ſtupidum & ſimplicem ſignificant. Sed vt hanc Nonij explicationem non improbo, ita illam approbare non poſſum, (dicam enim, etſi ab his iocis alienior eſt locus) qua Vermiculatum, tertio Dialogo, miniatũ interpretatur in illo Lucilij verſu,

*Arte, pauimento atque emblemate vermiculato.*

Nondum enim illa ætate vermiculus pro minio aut rubro dicebatur: Sed vermiculatum dicebatur minutiſſima & elegantiſſima varietate cælatum, translatione ducta à vermiculis, qui lignum erodentes, effigies & ſpecies inſigni varietate notant. Theophraſt. πλὴν ὑπὸ τὸν φλοιὸν ὑποδυόμενοι σκώληκες, ἐπιπολῆς ἐγγράφουσι τὸ στέλεχος, οἷς καὶ σφραγῖσι χρῶνταί τινες, id eſt, Niſi quòd ſub corticem ſubeuntes vermiculi, ſummũ inſcribunt caudicem, quibus etiam nonnulli ad ſigilla vtuntur. Ariſtoph. Θεσμοφόρ.

Ἐδίδαξε θριπήδεστ᾽ ἔχειν σφραγίδια, id eſt, *docuit vermiculata habere ſigilla.*

## Eum cum in campum veniſſet.

In campo Martio iuuentus Romana cùm alijs ludis, tùm pila ſe exercebat, cuius ſtudioſus erat Titius, vt libro 3. *Delectantur, vt Titius pila, Brulla talis. frangere autem brachium* ambiguè dixit Veſpa Terentius, *vel ſuum, vel ſigni ſacri.* Sic feſtiuè & facetè iocatur Plautus in Milite: *Elephanto in India, Quo pacto pugno præfregiſti brachium.* M. *Quid brachiũ?* A. *Illud dicere volui femur.* Apparet iſtum Titiũ quadam religionis opinione imbutum fuiſſe, qua ſimulachra damnabat, aut certè non ſatis pium fuiſſe, qui ſigna ſacra frangeret. Veſpa proprium nomen non eſt meo iudicio, ſed appellatiuum, ſignificatq; veſpillonem. Pompeius, *Veſpæ dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis volucribus, ſed quia veſpertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Itaque, vt reor, hìc dicitur Veſpa Terentius, vt in Miloniana, popa Licinius, id eſt, ſacrificulus. ſi cui tamen Veſpa proprium nomen eſſe videatur, non vehementer contrà pugnabo, tantum quid ſentiam teſtificor.

## Quid Decius nuculam,

*P. Decius fuit*, vt in Bruto ſcribitur, *non infans ille quidem, ſed vt vita, ſic oratione turbulentus.* Is in tribunatu Opimium Gracchi interfectorem accuſauit, poſtea in iudicium vocatus eſt, quòd pecunias accepiſſet, vt in Partitionibus ſcribitur. Confixus eſt, qui ſauciatus eſt ſagittis aut telis, & qui petitus eſt contumelijs verborum & probris: item, qui tanquam clauo fixus hæret. Afranius, *Quo nunc cometas, vbi confixus deſides?* Virgilius,

*hìc confixum ferrea texit*

*Telorum ſeges, & iaculis increuit acutis.*

Siſanna, Galli aut materibus, aut lanceis configunt. Cæterùm *confixum facere* pro configere dixit, vt miſſum facere eſt mittere. Terentius eodem modo dixit: *Faxo tali eum mactatum infortunio*, pro mactabo. Virgilius, *Nunc te mea dextera bello Defenſum dabit*, id eſt, defendet. Igitur ambiguè, vt ſuſpicor, ad maledicta Decij viri acerrimi retulit, & ad telorum vulnera: tamen difficilis eſt coniectura, cùm Lucilij poëma non extet. Cuiuſdam autem Nuculæ in Antonium Cicero meminit, ſed non huius. Ambigua porrò à veteribus vſurpata perſæpe nobis obſcuriſſima ſunt, qui & tanto temporis interuallo diſtamus, & lingua & moribus ab iſs differimus, vt illud Ciceronis in Iſauricũ, *Miror quid ſit, quod pater tuus homo conſtantiſſimus te nobis varium reliquit.* hoc enim Ciceronem iecíſſe dicunt in inconſtantem & varis ore ſparſis maculoſum. Mihi tamen videtur ſecus. arbitror enim ei inconſtantiam obijci & flagra cùm ſeruilem in modum à patre loris cæſus fuiſſet. Hanc explicationem meã adiuuat & quod de eodem Iſaurico à Quintiliano refertur his verbis, *Vt M. Cælius prætor, cùm ſellam eius curulem Conſul Iſauricus fregiſſet, alteram poſuit loris intentam: dicebatur autem conſul à patre aliquando cæſus flagris: & quod varius ita Latinè accipitur:* Plautus, *Ne & hìc varientur virgis & loris domi*, id eſt, cædantur. proinde idem Comicus in Epidico cùm dicit, *Quid agis? perpetuon' valuiſti?* Th. *Variè.* Ep. *qui variè valent, Caprigenum hominum non placet mihi, neq; pantherinum genus.* illuſit in ſeruos, quibus loris tergum redditur varium, vt pantherinum. Eſt & apud Cælium Apitium nucula & nucella pars, quæ genus edulij facit, vt & callum porcinum: quò ſi quis alluſum putet, nomen nuculæ etiam ambiguum fuerit, vt proprium hominis, & appellatio cibi. Verùm non auſim præſtare iam tum ætate Lucilij, ne Ciceronis quidem, nuculam appellatam fuiſſe partem illam, quæ edulij genus apud Apitium facit, nec eò Lucilium reſpexiſſe putem.

## Non eſſe ſextantis.

Iocus eſt ex ambiguo. dicitur enim non eſſe ſextantis, quod pluris eſt, id eſt, quod eſt magni precij: & non eſſe ſextantis etiam dicitur, quod minoris eſt, id eſt, quod nullius propè precij. Nam non putem diduci & diſtrahi verbum debere, vt ſextantis dicatur, quo ferè modo interpretantur. Sic illuſit hominem nihili Granius, cùm eum laudare videretur. precium enim in hominibus dicebant orta conſuetudine ab emptione ſeruorum.

## Iudicatum duci.

Id eſt, condemnatũ. Plautus, *Malè cubandum eſt, iudicatum me vxor abducit domũ.* & apud Gellium, *Æris confeſſi & debiti iudicatis triginta dies ſunt dati.* Sententia eſt, qui damnatũ pecuniæ duci videt à creditore.

Quanti



## Quanti addictus.

Verſus eſt trochaicus catalecticus: *Quanti addictus? mille numûm, nihil addo, ducas licet.* Ille qui rogabat, videbatur iudicatum ſoluta ſumma aut promiſſa vindex liberaturus. præter expectationem igitur, ducas licet, creditori dixit, ſignificans ſe illi nullam facere moram. Addidit etiam ambiguum cùm dixit, nihil addo, quod eſt nihil præterea rogo. tantùm enim ſcire volebam, quanti eſſet addictus, nec peto vt à prætore pluris addicatur mea cauſa. nihil enim mihi debet, nec quicquam addo ſummæ. De addictis ita lex duodecim Tabularum cauebat, *Æris confeſſi rebuſq; iure iudicatis 30. dies iuſti ſunto. poſt dein manus iniectio eſto: in ius ducito, ni iudicatum facit. aſt qui ei endo iure im addicit, ſecum ducito: vincito aut neruo aut compedibus: 15. pondo, ne minore, aut ſi volet maiore vincito: ſi volet, ſuo viuito. ni ſuo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: ſi volet, plus dato.* Eos etiam ex duodecim Tabulis ius erat trans Tiberim venundandi aut interficiendi. Ex his autem perſpicuum eſt de addicto locum illum Terentij accipi debere, malè explicatum ab eius interprete, *Cum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet, In neruum potius ibit*, id eſt, patietur ſe addici, & addictum vinciri. Poſtea tamen qui ſoluendo non erant, operas pro pecunia dabant, ſublata illa legis ſæuitia. Poſtremo etiam Sylla dictatore, diſſoluti ſunt qui nexi erant, ſi bonam copiam eiurarent. Varro, *Liber, qui ſuas operas in ſeruitutem pro pecunia quam debebat dabat, dum ſolueret, nexus dicebatur, vt ab ære obæratus. hoc C. Popilio auctore, Sylla, dictatore ſublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam eiurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti.* De addictorum autem conditione Quintilianus & in Inſtitutionibus ſcribit & in declamationibus, ad hunc modum. *Quid enim lex dicit? addictus donec ſoluerit ſeruiat; vt opinor, non ſeruus ſit. Plurimum autem refert, an ſerui re merito dicamus, & eos qui in piratas inciderint, & eos qui ab hoſte ſint capti. id quod ingenuis natura dedit, nulla fortunæ iniuria adimi poteſt. Id quamuis nulli non veſtrûm exiſtimem eſſe manifeſtum, quibuſdam tamen confeſſis argumentis oſtendere volo, ante omnia ſeruus hìc habet nomen, eſt in cenſu, & tribu, &c.*

## Doctrina quædam ſubtilior.

Dialecticorum qui Stoici erant, quorum nonnulli omnia verba etiã eſſe ambigua exiſtimabant. hac de re ſic ad Herennium ſcribitur. *Sunt qui arbitrantur ad hanc cauſam tractandam vehementer pertinere cognitionem amphibologiarum, eam quæ à Dialecticis profertur. nos verò arbitramur non modò nullo adiumento eſſe, ſed potius maximo impedimento. omnes enim illi amphibologias aucupantur, eas etiam quæ ex parte altera ſententiam nullam poſſunt interpretari. Itaq; & alieni ſermonis moleſti interpellatores, & ſcripti tum odioſi tum obſcuri interpretes ſunt: & dum cautè & expeditè loqui volunt, infantiſſimi reperiuntur. Ita dum metuunt in dicendo ne quid ambiguum dicant, nomen ſuum pronunciare non poſſunt.* Verùm horum pueriles opiniones rectiſſimis rationibus, cùm voles, refellemus. Ambigui autem genera ab Ariſtoteles aut in verbo, aut oratione ponuntur: in verbo, à caſu aut conſilio: à conſilio, aut quòd ab vno deſcendunt, aut quòd ad vnum referuntur. Sed de Stoicis Cicero intelligit, quorum Dialectica vtebatur.

## Nobiliorem.

Fuluium Nobiliorem (eum accuſauerat Cato, eiq; vt probrum obiecerat, quòd poëtas in prouinciam duxiſſet) Mobiliorem Cato appellauit, eius leuitatem notans, quod maximum apud Romanos crimen erat, ſtudioſos grauitatis & conſtantiæ. Sic Ephorum Iſocrates, cum altera mercede remiſſum à patre, δίφορον, id eſt, biferum dixit, annominatione vſus, & tranſlatione à biferis arboribus ſumpta, quale quoddam genus ficus eſt.

## Deambulatum.

Reprehendebat, quòd malè eſſet Latinè loquutus, cùm ambulatum dicere debuiſſet. plerunq; tamen compoſita idem quod ſimplicia ſignificant, vt deambulare pro ambulare Cato dixerat Latinè.

## Et aduerſus & auerſus.

Obijcit obſcœnitatem oris, cùm aduerſum dicit, & muliebria, cùm aduerſum: ne quis ſcortatorem aut adulterum cogitet, quos Latini non vocant impudicos. Nam impudicitia eſt in patiendo. Simile quiddam Arceſilæ refertur in hominem caſtum illum quidem & integrũ, voce tamen infracta, & capillo compoſito, & oculis illecebroſis, Nihil intereſſe quibus membris homines cinædi ſint, poſterioribus, an prioribus.

## Vt Statius Scauro.

Statius nomen ſeruile erat, ac qui id obiecit Scauro principi ſenatus, vix liber erat, quanquam pro ciue ſe gerebat. Seruile autem nomen fuiſſe docet reſponſum equitis præpinguis, qui equum ſtrigoſum habebat · quod huiuſmodi eſt, *Ego me curo, equum Statius meus ſeruus.* ac fortaſſe de Cæcilio Statio poëta comico accipiendum, vt alio loco: *Itaq; mihi libet exclamare, vt Statius in Synephebis.* Gellius, *Cæcilius quoq; ille comœdiarum poëta inclytus, ſeruus fuit, & propterea nomen habuit Statius.* Is fortè, aut potius alius eiuſdem nominis libertinus, Scauro ſtomachanti, paupertatem patris obiecerat, qui, quamuis patritius & nobilis, carbonariam tamen exercuiſſet. Ex eo natam ferunt legem Liciniam & Mutiam, auctore Scauro, Coſſ. latoribus, de regundis ciuibus, quæ bellum Italicum magna ex parte concitauit, quod qui vix liber eſſet & ciuis, aut ne ciuis quidem, tam ſuperbè principem ſenatus appellaſſet. Huic vſurpationi non admodum diſſimilis eſt παρῳδία, cùm verſum paulum immutamus, aut ad verſus poëtæ nobilis ſimilitudinem verſum condimus, vt ad imitationem verſuum Homeri Hegemon Thaſius poëma totum (vnde parodus poëta appellatus eſt) & Matron apud Athenæum, cuius ex his verſibus quid παρῳδία ſit, facillimè intelligi poterit.

Καὶ συκίον εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν
Κείμενον ἐν λαχάνοις, ὃ δ᾽ ἐπ᾽ ἐννέα κεῖτο τραπέζας.

Sunt enim ad illos Homericos expreſſi,

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὃ δ᾽ ἐπ᾽ ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

Verſus autem quos vſurpauit Statius trochaici ſunt, quos ſic cenſeo ſcribendos ex libris ſcriptis, *St, tacete, quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater, Tanta confidentia eſtis? Aufer iſtam enim ſuperbiam.* St, ſilentij

nota eſt: Aufer pro apage dicitur. Iſtá priore eſt breui, vt ſæpè apud Comicos, in *Enim* m liqueſcit, ſonumq́; amittit, vt apud Terentiũ, *Enimuero Daue*, vt *Enim ſu*, ſit tribrachys. In veteribus libris Satius ſcribitur, non Statius, quod nomen propriũ erit hominis, qui cùm ciuis non eſſet, ciuitatē tamen vſurpabat. ex quo hic nònnulli leui mutatione Socius ſcribendum eſſe cenſent, quòd cum ſocij ius ciuitatis peterent, & plurimi pro ciuib⁹ ſe gererēt, ab vno eorũ ſic eſſet compellatus Scaurus, quæ cauſa fuerit legis Liciniæ & Mutiæ ferendæ. id ſequetur cui probabitur.

## Sentin' ſenem.

Antonius orator cenſor factus de ambitu cauſam dixit, accuſatus à M. Duronio. Cœlius, cuius filius erat intemperantior in libidines ( eum enim hic delicatum vocat ) pecuniam quandam à ſe profectam dicebat, qua corrupta eſſent ab Antonio ſuffragia: dixit Antonius ab adoleſcente in meretriculas inſumptam, emuncto patre, vt in comœdijs adoleſcentes facere ſolent. Tangere enim hic fallere & circumuenire eſt. Plautus, *Quia amare cernit, tangere hominem vult bolo.* ſic ferire dicebant, vt Terentius: *Ferietur alio munere Geta.* M. autem Antonius & L. Flaccus cenſores hunc Duronium, poſtea ſenatu mouerunt, quòd legem de coercendis conuiuiorum ſumptibus latam, Trib. plebis abrogauerat.

## Prouerbia.

Prouerbium eſt, *Agas aſellum, ſi bouem agere non queas:* quod tum de Claudio Aſello, quo cum gerebat inimicitias, vſurpauit Scipio. Græcè ſic effertur, εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε γ' οὖν ὄνον. quo monemur, vt ſi bubulci eſſe non poſſimus, nec queamus vel plauſtrum vel aratrum agere, aſinarij ſimus ſaltem. Significauit ab imperatoribus eum inopia meliorum ductum fuiſſe, nec tam ductum militem ab imperatore, quàm aſinum ab agaſone actum eſſe. nonnulli hic Agaſo aſellum, legunt eodem ſenſu, quòd ab aſinarijs potius, quàm ab imperatoribus ductus ſit: ſed, niſi fallor, prouerbium quod protuli, veriſſimum ſenſum aperit.

## Tutor mimus.

Titulus eſt fabulæ Mimicæ.

## Num moleſtus.

Quanquam ſermo in interrogatione eſt: tamen apparet à Cicerone ſcriptum fuiſſe, Non, alioqui non eſſet locus ioco: dicebantque *Non* in interrogatione etiam, vt in negatione. Quod autem percontator dixerat interrogando, quaſi inficiando dictum accepit Craſſus, verba, non ſententiam ſequutus.

## De L. Manlio.

Comitijs centuriatis Coſſ. & Prætores creabantur. Conſul autem factus eſt L. Manlius Acidinus cum Q. Fuluio Flacco, anno ab vrbe condita D.LXXIIII. quanquam alij etiam fortè Acidini ante conſulatũ ſunt adepti. de quib. iocus fortè accipi poſſit. In comitijs autē rogatores dicebantur conſules, qui comitia habebant: ſed & illi qui in centuria aliqua ſuffragia rogabant & renunciabant conſuli comitia habenti, interrogante præcone, vt tũ Scipio Maluginenſis in ſua centuria fuit. Meminit etiã Liuius M. Cornelij Maluginenſis lib. 4. ab V. con. qui conſul fuit cum L. Papyrio Craſſo, multis ante huius ætatem ſeculis, ſi de eo Manlio quem dixi, iocum interpreteris. Ac voce tum ſuffragia, non tabella ferebantur, nondum latis legibus tabellarijs. Rogatores autem renunciatores centuriarum fuiſſe, ita docet Cicero lib. 2. de Diuinatione: *Quos cùm Tib. Gracchus propter mortem repentinam eius qui in prærogatiua referenda ſubitò concidiſſet, in ſenatum introduxiſſet, non iuſtum rogatorem comitiorum fuiſſe dixerunt. Primùm vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuiſſet. is enim erat mortuus.* Sed & conſul renunciabat, vt Cic. Muræná ſe renunciaſſe dixit. Præco etiam populo renunciabat quē centuria quæq; relata & renunciata à rogatoribus Conſuli conſulē faceret. Cùm ergo Maluginenſis à præcone rogaretur, vt de candidato L. Manlio diceret, quid ipſi⁹ centuria cenſuiſſet, ille tanquã non de renunciatione interrogatus eſſet, ſed de Manlij moribus, reſpondit, Virum bonum & egregiũ ciuē eſſe reor. quod eo feſtiuius eſt, quia non tantùm de hominũ moribus, ſed & de candidatis ea verba vulgò vſurpare ſolebant. Seneca, *Et ſic illum amicũ vocaſti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus.* Simile eſt illud Cic. *Cùm inſtaret accuſator vt diceret ſi poſſet de Sexto Annali, qui teſtis productus fuerat, verſum de ſexto Annali Ennij pronunciauit: Quis potis ingentes oras euoluere belli?* Virum bonũ, inquit: inconſequens eſt oratio, aut legendũ eſt, Inquiſſe, quod refugiendũ non eſt, præſertim cùm inquiſti paulò antè dixerit, & multo inſolentius ſit quod grammatici falsò legunt in loco ſuperiore aucupari verba oportebit, inquio. Non me fallit quibuſdã videri mendoſã huius loci ſcripturam, quòd dicant rogatoris nõ eſſe renunciare, qui tamen cùm nihil afferant quod non facilè dilui poſſit, probã hanc ſcripturam cenſebimus, nec mutabimus.

## Ex animi tui ſententia.

Cenſorium erat apud Romanos vxorem non duxiſſe, ac vxoriũ pependiſſe dicebatur, qui quòd vxorem non duxiſſet, mulctatus fuerat. Cenſor igitur Cato ( cum Flacco enim cenſurã geſſit ) Naſicam in cenſu interrogat, an vxorem duxerit? ex animi autē tui ſententia valet, iura bona fide, dic bona fide. Liuius, *Ex animi tui ſententia tu ex edicto C. Claudij, Tiberij Sempronij cenſorum, in prouinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris. atque ea iuriſiurandi verba ſolennia erant.* Gellius id declarat, iocumq́; de alio refert, qui ob hoc intempeſtiuũ dictũ, in ærarios relatus ſit. Cenſor, inquit, agebat de vxorib⁹ ſolenne iuſiurandũ: verba ita erant concepta: *Et tu ex animi tui ſententia vxorē habes? habeo equidem, inquit, vxorē, ſed non hercle ex animi tui ſententia. tum cenſor eum, quod intempeſtiuè laſciuiſſet, in ærarios retulit, cauſamq́; hanc ioci ſcurrilis apud ſe dicti ſubſcripſit.* loco poſteriore, ex animi tui ſententia eſt, ex voto tuo, qualē vis. Cæterũ nõ omittã quod & à Victorio annotatũ eſt, reſponſum Naſicæ legi hunc in modũ in libris veteribus, *Non hercule*, inquit, *ex animi mei ſententia, quòd vxorē fortè haberet, à qua libenter diſceſſiſſet, cùm Romæ tum nõ ita frequens repudiandi vxores conſuetudo eſſet, paulo antè à Caruilio introducta.* Cæterùm vt hoc ex loco apparet, aut in familia Porcia quidã erat, quod potius reor, Naſicæ cognomento, vt in Cornelia: aut hic Naſica adoptione in Porciam familiam venerat. Vetus liber L. Pontius Naſica habet.

## Immutata oratione.

Sic allegoriam conuertit, quæ non in verbo, ſed oratione poſita eſt: lib. 3. de Orat. traductionem & immutationē vocat, quã Græci ὑπαλλαγὴν appellãt. hæc immutatio orationis, permutatio ad Heren. dicitur.





## Olim ruſca.

Legem Annalem Ruſca tulit, ſed, vt opinor, non pertulit, cùm eam aliquanto pòſt tulerit L. Iulius trib. plebis, qui ex ea Annalis appellatus eſt. Liuius, *Eo anno rogatio primum lata eſt ab L. Iulio trib. plebis, quot annos nati quemq; magiſtratum peterent caperéntque: inde cognomen familiæ inditum, vt Annales appellarentur.* fieri etiam poteſt, vt aliud quàm Liuius, alij hiſtorici tradiderint. Liuius enim videtur ſignificare à M. Pinario Ruſcà nullo modo latam, qui ante tribunatum Iulij præturam geſſerat, & Sardinia præfuerat, cùm à Iulio primùm latam ſcribit. Liuius autem eum non Ruſcam, ſed Poſcam vocat.

## Turmales.

Tranſlatio eſt à turmalibus equitibus ad equeſtres ſtatuas, quas turmales appellauit. ſic Paterculus turmam ſtatuarum equeſtriũ dixit. ſunt etiã ſtatuę pedeſtres, vt quē cenſet Cic. Sulpitio ponendã, Scipio haud quaquã pro magno ducebat ſe cum alijs imperatoribus honore æquari, qui ſupergreſſus eſſet aliorũ imperatorũ laudem, eximijsq; à ſuis ciuibus honoribus ornatus fuiſſet, ac ſtatuã quam Corinthij deferebant, contempſit, ſeq; in ordinē cogi interpretatus eſt, qui propè turmalis, aut turmaliũ decurio redderetur.

## Immutantur autem verba.

Inuerſio genus ironiæ eſt, cùm contrarium intelligitur, & cùm non recta ſignificatio, ſed inuerſa accipitur: permutatio ex cõtrario ad Herenniũ appellatur. velut hic qui pulchellus dicitur, deformis auditur: qui diſertus, indiſertus. Sic enim inuerſionem infrà in ironia declarat. Inuerſa verba Lucretio ſunt tropo mutata, & proinde obſcura. Nã inflexio & immutatio gignit obſcuritatem. Lucretij verſus eſt, *Inuerſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.* Terentius inuerſa verba, euerſas ceruices tuas cùm dicit, verba ſignificat inflexa, tropoq́; mutata, quibus amatores plerunq; vti ſolent, cũ aut amicã alloquuntur, aut de ea loquuntur. Vitam enim appellant, coloſtrã, cor, delicias. quæ cùm temerè effutiant aliudq́; agentes, veretur ſeruus, ne ijs prodat amorem ſuum Cteſipho: quanquam non me fallit, aliter Terentium hic ab interpretibus explicari.

## M. Perpennam.

M. Perpenna, anno ante Philippum, cuius conſulatu hæc habita diſputatio eſt, conſul fuerat: apud eum aliquando iudicem à prætore datum hæc cauſa acta eſt. Aculeo materteram Ciceronis vxorem habebat: M. Gratidianus Gratidij, cuius ſoror auo Ciceronis nupſerat, filius à Fimbria adoptatus, cum Aculeone litem, vt opinor, habebat de hæreditate, aut legitima ſucceſſione: Craſſus Aculeonem, quem ex omnibus plurimum amabat, defendit, Lamia Gratidianum.

## Pulchellum puerum.

Cauillatio erat, quòd puerum pulchellum dixiſſet, tanquam de eo loqueretur qui in delicijs haberi, & amari poſſet ob pulchritudinem, cùm tamen deformiſſimus eſſet. Sic in epiſtolis ad Atticum de Clodio: *Surgit pulchellus puer.* Hic, quando de pulchritudine agitur, commemorabo quid de quodam Plutarchi loco, qui ad eam pertinet, & eruditos nonnihil exercet, ſentiam. Nam vbi de educatione liberorum ita ſcribit, οἱ τινὲς Ἀρχίδαμον τὸν βασιλέα ἑαυτῶν ἐζημίωσαν χρήμασιν, ὅτι μικρὰν τὸ μέγεθος γυναῖκα γάμῳ λαβεῖν ὑπέμεινεν, ἐπειπόντες ὡς οὐ βασιλέας ἀλλὰ βασιλίδας παρέχειν αὐτοῖς διανοοῖτο. quid cum βασιλίδας dicit intelligat, obſcurum eſt. Interpres reginas conuertit, frigido ſenſu & inepto. non enim ex ſexu vel vituperatio, vel diminutio hic quæritur, cùm de corpore agatur. Ego cum locum illum aliquando explicarem, βασιλείδας ex ſcripto codice emendaui hoc ſenſu, Quòd regios liberos & regulos potius, quam reges eis præbere cogitaret. Nam Lacædemonij, qui formæ dignitati & proceritati plurimum tribuebant, præclara quadam & eminenti ſtatura & eximia corporis maieſtate regem eſſe volebant: quæ qui non haberet, ſucceſſorem potius & filium regis, quàm verè regem exiſtimabant, cùm præſertim decus illud regale deeſſet: ex paruis autem mulierculis paruos naſci non eſt obſcurum. Huius interpretationis nondum me pœnitet, etſi eam quibuſdam diſplicere intellexi, præſertim cùm auctoritate Athenæi nitatur, ſic ſcribentis, διὸ καὶ φασὶ περὶ Ἀρχιδάμου τοῦ βασιλέως, γυναικὸς αὐτῷ καλῆς φαινομένης, ἑτέρας δὲ αἰσχρᾶς καὶ πλουσίας, ὡς ἀπέκλινεν ἐπὶ τὴν πλουσίαν, ζημιῶσαι τοὺς ἐφόρους αὐτὸν ἐπιλέγοντας, ὅτι βασιλίσκους ἀντὶ βασιλέων τοῖς Σπαρτιάταις γεννᾶν προαιρεῖται. id eſt, Quòd regulos pro regibus Spartanis procreare vellet. Hic autem Mantia, vt ad rem redeam, Ælius appellatur, non Heluius, à Valerio, libertini filius, Formijs natus, qui in vltima ſenectute, cùm Libonem apud Cenſores accuſaſſet, acerrimè Pompeium perſtrinxit.

## L. Scribonio.

Magnas inter ſe ſimultates & odia exercuerunt Galba orator & Scribonius Libo, adeò vt tribunus tandem Libo in eum rogationem ferret priuilegij ſimilē, quòd Luſitanorum magnã manũ perfidioſè intereміſſet, tribunitiæ actioni Catone ſubſcribente. qua de re in Bruto ſcribitur. In quadã igitur altercatione, ac forte in concione, Galba de Libone conquerēs, & in eũ inuehens, poſtremo iudices ferebat: quod ſolent homines facere in magna cauſæ fiducia aduerſariũ prouocantes, cùm aut iudicē ei ferunt, aut ab eo petunt. Plautus, *Cedo iudicem, ni dolo malo inſtipulatus ſis.* Terentius, *Cedo quemuis arbitrũ: Te plura in hac re peccare oſtendam.* ſæpè autē ſic Romani iudices ſumebant, quos prætor non dabat. ferebat autē, id eſt, offerebat, & dabat ei Galba familiares ſuos. Sic infra, *Cùm ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mutiũ iudicem tuliſſet.* & pro Roſc. Comœd. *Quem ego ſi ferrē iudicem, refugere nõ deberet.* Tum igitur nominabat eos Galba quibuſcũ eſſet epulari ſolitus. Suum & alienum contrariè relata ſunt. Cubiculũ alienum dicit obijciens ei adulteria.

## Villam in Tyburte.

Villæ Tyburtinę in maximo erant precio, adeo vt doleat Catullo ſuũ fundũ Sabinũ poti⁹ quàm Tybur dici,

*O funde noſter ſeu Sabine ſeu Tyburs:*
*Nam te eſſe Tyburtem autumant, quibus non eſt*
*Cordi Catullum lædere: at quibus cordi eſt,*

### *Quouis Sabinum pignore eſſe contendunt.*

id etiam ex lib. 1. carminum Horatij perſpici poteſt. Illic villam habebat magnificentiſſimam & elegantiſſimam, ideoque inuidioſam Metellus. Varro, *Cum Metelli & Luculli villis peſſimo publico ædificatis certant.* Ergo Glaucia vir improbiſſimus obijcit illi inuidioſè villam Tyburtinam, vt & infrà Cæſar, *Ego vero, inquam, à porta exquilina video villam tuam.* L. Caſſius M. Æmilium Porcinam accuſauit crimine nimis ſublime extructæ villæ in Allienſi. Gabinius tribunus pleb. pictã in concionibus ſæpè explicauit Luculli villã, vt eum in inuidiam vocaret. Idem Metellus in Palatio habitabat, vbi, vt ex oratione pro Cælio intelligi poteſt, Metellorum domus fuit: cumq; cors villæ ſit, non domus, in qua impluuium dicitur potius, illum dicit cortem habere in Palatio: ei obijciens crimen affectati regni. Cortem enim hominum intelligit. Palatio autem occupato Romã ſe rè habere potuiſſet in poteſtate. Itaq; periculoſis temporibus ei præſidium imponebatur. Cic. in Catilinam: Nihil te nocturnum præſidium Palatij. In Metellũ autem Numidicum iſtud dictũ eſt, qui exulare maluit, quàm in Saturnini leges iurare. Glaucia Saturnini factionem ſequebatur.

### Caſſandram.

Iſta ſe vaticinatũ eſſe dicebat, ſed neminẽ crediidiſſe. nec enim Troiani fidẽ habebant Caſſandræ vati. Prop.

*Vera loquor, ſed nulla fides. neque enim Ilia quondam*
*Verax Pergameis Mænas habenda viris.*

quod & à Marone ſcribitur, Eam Aiax Oilei filius capta Troia in templo Mineruæ conſtuprauit: vt multi poëtæ canunt: quod tamen Homerus non ſcribit, aliamque affert naufragij Græcorum cauſam, vt auctor eſt Strabo. Obijcit autem iſtam obſcœnitatem Titio Antonius propter mollitiem fracti & ſoluti geſtus & viro indigni: adeò vt ex eius nomine ſaltatio quædã mollis & delicata Titius diceretur. in Sextum Titium virum turbulentum & ſeditioſum ſe teſtimonium accuratiſſimè dixiſſe, narrat hoc libro. 2. Antonius.

### Piſo.

Piſo Galliã prouinciam prætor obtinuerat, exacto prouinciæ tempore, à Gallis repetundarum accuſatus fuerat. tum Gallus quidam productus teſtis magnam vim pecuniæ Piſonis præfecto Magio (quid autem præfectus ſit, paulo poſt explicabo) datã dixerat: quod cùm refutare niteretur, Scaurus Piſonis patronus tenuitate Magij, Gallus omne quod quæſierat Magius prædis & rapinis, eum abliguriſſe, & in ventrem condidiſſe dixit, non aliter quàm ſi nudus nuces legeret. Cùm autẽ ſuos in prouincia magiſtratus continere deberent in officio, meritò furta Magij Piſoni obijciebantur, cui præſtandũ eſſet quicquid Magius deliquiſſet. P. Magij meminit in Bruto Cic. quem & trib. plebis fuiſſe, & ſatis in dicendo copioſum ſcribit.

### M. Cicero ſenex.

Is auus Cic. oratoris fuit, qui in municipali republica M. Gratidio legem Tabellariã ferenti reſtitit: pater autem Cic. Cæſ. Craſſo, Antonio, familiaris fuit, ſed & patruus. Itaq; qui de patre Cic. intelligunt, peccãt.

### Syrorum venalium.

Venalitiarij magnam vim ſeruorum, Syrorum Romam aduehebant. hinc illud Cic. *Nemo queritur Syrum neſcio quem de grege nouitiorum factum eſſe conſulem.* Nam prædones Cilices oram Syriæ infeſtã habebant, & prædas illinc agebant, captaq; corpora Delum deportabant ad mercatum, vnde Romani emebant. Qui autem Syri optimè loquebantur Græcè, diu ſeruierant in Græcia, veteratoreſq; & nequam euaſerant, nec nouitij erant: ſed quod ſeruituti diuturnæ, quæ improbos & callidos reddit, attribuendũ fuit, id in Græcorum mores conferebat Cic. auus, qui infeſtus Græcis fuiſſe videtur non multo ſecus, ac Cato cenſorius.

### Pictum gallum.

Tabernæ erant circa forum, inquit Fabius: & ſcutum illud ſigni cauſa poſitum. Marianum autem ſcutũ Cymbricum vocat, propterea quod Cymbris nuper à Mario victis, in memoriam victoriæ dominus tabernæ ſcutũ ſuſpenderat, ſic pictũ pro tabernæ ſigno. Solebant etiã ad pompã triumphi ornandam multa huiuſmodi ſcuta traduci, & in foro poni. Liui. *Dictator ex ſenatuſconſulto triumphauit: cuius triumpho longè maximã ſpeciẽ captiua arma præbuere. Tantũ magnificentiæ viſum in ijs, vt aurata ſcuta dominis argentariorũ ad forũ ornandum diuiderentur. inde natũ initiũ dicitur fori ornandi ab ædilibus.* Scutũ igitur pendebat in taberna pro ſigno, in quo Gallus linguã eijciebat. i. exerebat. ſic enim in contumeliã & deformitatẽ eũ fœdè pinxerant: fortaſſe etiã quòd in hiſtoria ſcriptũ ſcirent, Gallũ qui cum Torquato pugnaſſet, linguã exeruiſſe. Liuius, *Armatũ adornatumq; aduerſus Gallũ ſtolidè lætũ, & (quoniã id quoq; memoria dignũ antiquis viſum eſt) linguam etiã ab irriſu exerentẽ, producunt.* Buccas autẽ fluentes dicit pendentes & ſolutas, vt in Gabiniũ, *Madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce & temulenta.* Plinius hunc iocũ non Iulio, ſed Craſſo tribuit, nec ſcutũ, ſed tabulam nominat. Sic enim ſcribit, *Hinc ille Craſſi oratoris lepos agentis ſub veteribus, cùm teſtis compellatus inſtaret: Dic ergo Craſſe, qualẽ me reris? Talẽ, inquit, oſtendens in tabula pictũ infacetiſſimè Gallũ exerentem linguã.*

### Sub nodis.

Hermolaus ex illo Plinij loco legendũ exiſtimat. Sub veteribus nodis diſtortum. Ego, ſi quid mutandũ ſit, legendũ cenſeã, Sub nouis diſtortũ. vt enim locus erat in foro qui ſub veteribus, ſic qui ſub nouis dicebatur, à tabernis: ſed nihil mutandũ exiſtimo, ac Sub nodis interpretor, ſub vinculis, vt: *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?*

### Teſtio penario.

Vetus liber Sextio Panario. Simile eſt illud in Veſpaſianum qui vultu nitentis erat. *Dicam cùm ventrem exonerare deſieris.* Nucem autem dentibus frangentes, os torquemus: & quòd dentibus nuces frangimus, ideo Plautus dentes nucifrangibula ludens vocauit.

### Ad fornicem Fabij.

De homine prælongo interpretatur Fabius hunc in modum: Quale refert Cic. de Memmio homine prælongo, caput eum ad fornicẽ Fabij offendiſſe. ſed cenſeã potius accipi debere de animi vitio, vt C. Memmiũ infeſtũ patribus tam magnũ ſibi videri dicat, vt ad fornicẽ Fabij, qui altiſſimus erat, caput demittat. ſic enim reprehenduntur magni eius ſpiritus, & notatur inſolentia hominis ſeſe efferentis ſupra modum. vt ita intel-



ligam, faciunt & verba Ciceronis ſcribentis ipſum Memmium ita ſibi videri magnum, & hiſtoria.

### Si Quintum.

C. enim Metellus quartus erat è liberis Macedonici Metelli, ſed ita hebes & tardus, vt non plus ingenij propè quàm aſinus haberet, eiuſque mater ſubinde tardiores liberos procrearat, nec alioqui Metelli admodum ingenioſi erant, vt cùm conſulatus adipiſcerentur, potius fato quodam, quàm nobili aliquo facinore, aut arte conſequi viderentur. hinc illud Næuij, *Fatò Metelli Romæ fiunt conſules.* ſic de hebeti & tardo Philonida comicus Theopompus, *Ονος μὲν ὀξᾶθ' ὁ Μελίτου Φιλωνίδης, Ονῳ μιγείσης μητρὸς ἔβλαστεν πόλει.* hic tamen C. Metellus magnos honores geſſit, cenſoriuſque fuit. quatuor filij Metelli Macedonici fuerunt, Q. Metellus Balearicus, L. Metellus Diadematus (malè lib. 7. Plinij, & apud Ciceronem in oratione ad Quirites poſt reditum, Dalmaticus legitur) M. Metellus, & C. Metellus.

### Compilari quàm vænire.

Gellius lib. 4. cap. octauo, refert quoſdam ſcribere id Fabritium, non Ruffino, ſed alijs mirantibus, quòd hominem inimicum & auarum conſulem feciſſet, reſpondiſſe. hunc autem P. Cornelium Ruffinum, à quo genus Sylla dictator ducebat, conſtat bello Pyrrhi inter celeberrimos duces fuiſſe, quem poſtea, cùm iam 2. Coſſ. & dictator fuiſſet, Fabritius Lucinus, & Quintus Æmilius Papus cenſores, ſenatu mouerunt, cauſamque ſubſcripſerunt, quòd eum comperiſſent argenti facti cœnæ cauſa decem pondo habere, apud Fabium lib. 12. ſcribitur, Malui à ciue me ſpoliari, quàm ab hoſte vænire.

### Luſtrum illud infelix.

Locus ſumptus eſt ex vndecimo Satyrarũ Lucilij, vt intelligi poteſt ex his verſibus, quos refert Gellius:

*Scipiadæ magno improbus obijciebat Aſellus,*
*Luſtrum illo cenſore malum infelixque fuiſſe.*

### Ex ærarijs.

Nam Scipio Claudio Aſello equum cenſor ademerat, ſed Mummius eius collega eum ex ærarijs non multò poſt exemerat, equumque ei reddiderat. hinc autem ſatis conſtat eos quibus equus publicus adimebatur, ærarios factos etiam fuiſſe. Scipioni poſtea Aſellus trib. pleb. diem ad populum dixit, vt ſcribit Gellius. Hunc Aſellum ab vxore veneno ſublatum fuiſſe ſcribit Valerius.

### Luſtrum condidit.

Cenſu peracto, immolatiſq; ſue, oue, tauro, luſtrum conditum dicebatur, quòd in cenſendo finis eſſet factus: non autem ſemper acto cenſu luſtrum condebatur. nam ſi quid dirum, & ominoſum, aut ſiniſtrum accidiſſet, luſtrum condi nefas erat. Liuius, *Cenſus actus eo anno: luſtrum, propter Capitolium captum, conſulem occiſum, condi religioſum fuit.* Itaq; cenſus is, quo luſtrum condebatur, ab Vlpiano cenſus luſtralis appellatur. ſignificat igitur Scipio, ciuitati propè opus eſſe expiatione, quòd cùm Aſellus exemptus ſit ex ærarijs, quod ominoſum & dirum videri vult, conditum tamen luſtrum ſit. inde enim infelix luſtrum & calamitoſum fuiſſe, multumq; mali poſtea reip. eueniſſe. Verba Africani de Mummio, quæ à Valerio ſcribuntur, hîc adſcribam: *Cum haberet, inquit, cenſuræ conſortem, Mummium, vt nobilem, ita eneruis vitæ, pro Roſtris dixit, ſe ex maieſtate reip. omnia geſturum, ſi ſibi ciues, vel dediſſent collegam, vel non dediſſent.*

### Taurum immolauit.

Non victimarij, ſed cenſores ipſi hoſtiam immolabant. Athenæus, *καὶ παρὰ ῥωμαίοις δὲ οἱ τιμηταί, μεγίστη δὲ αὕτη ἡ ἀρχή, τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες καὶ ἐστεφανομένοι, πελέκει τὰ ἱερεῖα κατέβαλλον.* id eſt, Sed & apud Romanos cenſores, qui maximus magiſtratus eſt, prætexta induti & coronati, ſecuri hoſtias proſternebant. Sortiri autem ſolebant cenſores, vter luſtrum conderet, quod tum ſortitò euenit Scipionis collegæ. alter enim condebat. Liuius, *Eo anno luſtrum conditum eſt. Cenſores erant. Q. Fuluius Flaccus, L. Poſthumius Albinus: Poſthumius condidit.* Mirum autem mihi videtur ab Athenæo cenſoribus tributam eſſe veſtem prætextam, cùm purpurea vterentur, vt triumphantes auro diſtincta. ea enim veſtis erat triumphalis: Polybius, *οὗτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους. ἐὰν δὲ τιμητής, πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκώς, ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους.* id eſt, Hi veſtes ſumunt, ſi conſul aut prætor fuerit, prætextas: ſi cenſor, purpureas: ſi triumphauerit, aut aliquid tale geſſerit, auro pictas.

### Cum contraria dicas.

Genus illud ſuperius dicit, quo per inuerſionem quis iocatur, à quo ironiã hîc diſtinguit, quam diſſimulationem appellat, ac mox etiam diſſimulantiam: ea plurimum vſus eſt Socrates in ſermonibus, præſertim cum Sophiſtis diſputans. Nam de ſeipſo detrahens, plurimum tribuebat ijs, quos volebat refellere.

### Noſter Scæuola.

Q. Mutius tanta abſtinentia & moderatione prætor Aſiam rexit: vt in eius honorem Aſiani Mutia inſtituerint feſta, & ſenatus deinceps in eam prouinciam ituris magiſtratibus exemplum atq; formam officij Scæuolam decreto ſuo propoſuerit. Cùm igitur eam prouinciam eſſet ſortitus, Septimuleius quæſtum prouincialem captans, præfecturam ab eo petiuit. magiſtratus autem, qui prouincias adminiſtrabant, ſibi præfectos legebant, qui ſocialibus auxilijs præeſſent, ſi bellum gerendum eſſet. Polybius, *ἀθροισθέντων δὲ καὶ τῶν συμμάχων ὁμοῦ τοῖς ῥωμαίοις, τὴν μὲν οἰκονομίαν καὶ τὸν χειρισμὸν ποιοῦνται τούτων αὐτῶν, οἱ καθεσταμένοι μὲν ὑπὸ τῶν ὑπάτων ἄρχοντες, προσαγορευόμενοι δὲ πραίφεκτοι, δώδεκα τὸν ἀριθμὸν ὄντες.* id eſt, Poſteaquam cùm Romanis ſocij conuenerunt, eorum adminiſtratio curaq; ad eos pertinet, qui a conſulibus ijs præponuntur, vocanturq; præfecti, qui numero ad duodecim ſunt. Quemadmodũ autem conſules ſuos habebãt præfectos: ita prætores quoq;, qui in prouincias mittebãtur. ſic paulo antè Magiũ præfectũ Piſonis prætoris fuiſſe dixit. De Septimuleio, cui aurũ pro capite C. Gracchi repenſũ fuit, Plutarch. & Valerius cõſulendi ſunt.

### Cuiuis tempori

Simile quiddam de Aſinio Pollione refert Fabius hunc in modum: *Vt de Pollione Aſinio ſerijs iociſq; pariter accommodato dictum eſt, eſſe eum omnium horarum.* P. autem Mummius lepidus & facetus cùm eſſet, homo cuiuis

cuiuis tempori à Publicio dictus eſt, quòd in otio, in negotio: in rebus lætis, in aſperis, iucundus hominibus eſſet, & cuicunque tempori aptus.

## Pauli pugna.

Prælium illud intelligo quo conflixit cum Perſe rege Macedoniæ Paulus Æmilius. Africanus igitur minor Cenſor, honeſto vocabulo diligentiam dixit, cùm ignauiam & timiditatem centurionis notaret. Eſt autē diligentia, cùm diligenter noſtra cuſtodimus & conſeruamus: opponiturq; auaritiæ & profuſioni, vt ad Herennium, *Non eſt iſta diligentia, ſed auaritia: ideo quod diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorū: auaritia iniurioſa appetitio alienorum.* Iterum, *Vt ſi quis hominem prodigū & luxurioſum illudens, parcū & diligentem appellet.*

## Nunquam recepiſſem.

Sic in libro de Senectute à Cicerone etiam dictum Fabij refertur: res tamen paulo aliter à Liuio explicatur: *Et de M. Liuio præfecto arcis Tarentinæ haud minore certamine actum eſt, alijs ſententijs notantibus præfectum, quòd eius ſocordia Tarentum proditum hoſti eſſet: alijs præmia decernentibus, quòd per quinquennium arcem tutatus eſſet, maximéque quòd vnius eius opera receptum Tarentum foret, medijs ad cenſores, non ad ſenatum notionem de eo pertinere dicentibus, cuius ſententiæ & Fabius fuit: adiecit tamen, fateri ſe opera Liuij Tarentum receptum, quòd amici eius vulgò in ſenatu iactaſſent. neque enim recipiendum fuiſſe, niſi amiſſum foret. Recipitur autem vrbs quæ noſtra fuit, ſed cùm in hoſtis poteſtatem venerit, poſtea recuperatur.* Liuius, *Et vrbem recipi, non capi, & receptam legibus antiquis, & libertate ſtabiliore.*

## Homo fatuus.

Proinde quaſi qui in paupertate vixerit, diues factus mori non debuerit, ideoque ſtultè fecerit. legendum videtur Emortuus. nam aut verſus eſt iambicus trimeter, ac *Homo fatuus*, finis verſus eſt, reliquum iambicus trimeter: aut ſi *Mortuus legas*, quod equidem malim (nec enim temerè immutare quicquam velim, nec mihi tantum iuris ſumpſerim) iambicus abſolutus non erit, deeritq; verbum duarum ſyllabarum.

## Similis mediusfidius.

Abſurdè dictū, quaſi ſemper vxor ſimilis marito ſit. *Quid eſt tibi,* finis iambici videtur, reliquū iambicus eſt trimeter, in quo fidius, vel diſſyllabum eſt, vt conſtet verſus, vel in *dius*, s, liqueſcit, vt *Diu ſi*, ſit dactylus.

## Ad aquas.

Aquas in plurali cùm dicunt, aquas calidas & medicatas intelligunt, vt Baianas & Puteolanas: ægri autem valetudinis cauſa ad aquas Baianas ibant. Horatius,

*— nam mihi Baias*
*Muſa ſuperuacuas Antonius, & tamen illis*
*Me facit inuiſum, gelida cùm perluor vnda*
*Per medium frigus: ſanè myrteta relinqui,*
*Dictáque ceſſantem neruis elidere morbum*
*Sulphura contemni vicus gemit, inuidus ægris,*
*Qui caput & ſtomachum ſupponere fontibus audent*
*Cluſinis, Gabióſque petunt, & frigida rura.*

Sic aquas in plurali accipi, vt dixi, indicat ille Ciceronis locus pro Plancio, Deſtiti ſtomachari, & me vnum ex ijs feci, qui ad aquas veniſſent: & ad Tironem, *Puto vtrunque ad aquas.* Liuius, *Cn. Cornelius Coſſ. ex Albano monte reuertens concidit, & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingraueſcente morbo Cumis deceſſit.* Varro, *Sic & aquæ calidæ, à loco, & aquis quæ ibi ſcatent, cùm vt colerentur veniſſent in vſum noſtris, cùm aliæ ad alium morbum idoneæ eſſent: hæ cùm plures eſſent, vt Puteolis, & in Tuſcis, quibus vtebantur, multitudinis potius quàm ſingulari vocabulo appellarunt.* Quidam igitur lento contabeſcens morbo, ad aquas recreatus tandem eſſe videbatur, reuerſus paulo poſt obijt. Id abſurdum videri vult cauillator, quòd ad aquas potius, vbi valetudinis cauſa tandiu deſederat, mori debuerit. Conſtaret verſus iambicus, ſi legeretur Emortuus. ſed, vt reor, integrum non adhibuit, aut potius *Ad aquas fuit,* finis eſt verſus: *Nunquam,* principium alterius. De piſcatore intelligi iocum minimè placet.

## Tuum negotium agere.

Quòd & in patrocinijs aliorum ita occupatus eſſet, & in adminiſtranda Rep. nihil vacui temporis habere videretur quod ſuis negotijs impertiret. Agere ſuum negotium dicitur, qui res ſuas agit. Cicero in Officijs, *Sunt etiam qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur iniuriam.* 2. de Oratore, *Quid igitur, inquam, quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages?* Sed ridiculè, quod de re familiari dicitur, Mancia ad iudicium crimenq; retulit. ſtatim autem quàm deſignatus cenſor Antonius fuit, à Duronio de ambitu poſtulatus eſt, quòd eum magiſtratum corruptis tribubus eſſet adeptus.

## Tardum.

Quintilianus ſic accipit, vt ab aſperioribus ad leuiora intellectum deflecti dicat. Nefarium enim eſſe ciuem, & quouis ſupplicio dignum deprehenſum in adulterio, aut miſerum, cum impune interfici poſſet, qui interrogabat, audire volebat: ille tardum reſpondit, qui non fugiſſet, ne deprehenderetur. Etiam falsè. qui omiſſis negotijs pluſculum temporis impendent voluptati & immorantur, tardi dicuntur. Plautus Caſſina, *Tardus eſſe ilico cœpi.* Deprenſum dixit, quod is inficias ire crimen non poteſt, nec iam arguitur ſuſpicione, ſed manifeſtus eſt. Tale eſt illud Horatij, *— deprenſi non bella eſt fama Treboni.* Cælius, *Seruius Ocella nemini perſuaſiſſet ſe mœchum eſſe, niſi triduo bis deprenſus eſſet.*

## Metelli.

Metellum hunc eſſe puto Numidicum, qui Numidiam ſortitus prouinciam bello Iugurthino, delectum, vt Saluſtius ſcribit, Romæ habuit: in quo petenti militiæ vacationem Cæſari, morbumq; oculorum [illegible] iuranti,



iuranti, Tu igitur, inquit; niquit, nihil vides (quaſi ſola cæcitas excuſanda eſſet, nec ſatis eſſet morbus oculorum ad vacationem) Imo verò, inquit ille, à porta Exquilina video villam tuam Tyburtinam. in quo ei obiecit inuidioſè villam nimis magnificam nimiſque altè ædificatam, & quid ageretur, diſſimulauit, atq; ita reſpondit, quaſi tantùm interrogaretur, quantùm videret, non quàm iuſta excuſatio eſſet.

## Ægilia mea.

In Nonio legitur Decilla mea: quæ ſi vera eſſet lectio, de Decio intelligeretur, à quò poſtea tribuno pl. vocatus eſt in iudicium Opimius. Probroſè autem vt fœminam Ægiliam, non Ægilium appellat, velut quadam παρῳδίᾳ verſus alicuius poëtæ. ac *Mihi venis*, eſſe videtur finis verſus prioris: *Cum tua colu & lana*, initium alterius. aut legendum, *Cum tua colu & lana venis.* Eraſmus, Venis cum tua lana & colu. Argutè autem reſpondet Ægilius ex eodem, vt reor, poëta: ſed vt verſus conſtet, legendum eſſe videtur Cedere pro accedere, more priſco. Plautus, *Cedit miles, æs petit.* Ennius apud Cic. *Cedunt de cælo ter quatuor corpora ſancta.* Alij, Vetat accedere, legunt: atque ita vitio verſus medentur. legi etiam poteſt, quod verius puto, Vetuit accedere, vt *vetuit*, diſſyllabum ſit, quod rarum non eſt in Comicis.

## Siculi.

Idem apud Arrium. Pacuuiū quendam eſſe queſtū alij narrant, de funeſta ficu, quā in horto haberet, tres ſuas vxores ſe ſuſpendiſſe, Arriumq; tum id quod apud Cic. eſt, reſpondiſſe. Apud Fabiū eſt, Vt inſerā, apud Cic. Serā. Hic indulgebo mihi & quando de ficu ſermo eſt, quod à multis quæri video, explicabo. Nā quid ſit apud Pliniū Ficus ſcanſilis, dubitari intelligo. Eius verba proferā. *Denſiores enim, inquit, folio ita fieri, magiſq; prorogere fructū, & minus amittere: ficumq; ſic etiā ſcanſilem fieri.* Ego ſcanſilē putē, quæ ita prouenit, itaq; aſſurgit, vt ſcandi facile poſſit. vt ita ſentiā, adducor auctoritate Theophraſti ſic ſcribentis de ficu, οὐ γὰρ ἀποβάλλειν ἀνάπαλιν φυτευθεῖσαν ἔτι δὲ βατωτέραν γίνεσθαι. i. Non enim amittere in contrariū ſatam: præterea q; ſcanſilē magis fieri. Ne illud quidē diſcutere prætermittam, quod de ficus morbis ab eodē ſcriptore memoratur, nec tamē commodè intelligi poteſt. Verba eius ſubſcribam, *Scabies, inquit, gignitur roribus lentis poſt Vergilias. Nā ſi rariores fuere, perfundunt arborē, non ſcalpunt ſcabie. Cæterùm ſi cadunt, ſiue imbres nimij fuere. alio modo ficus laborat, radicibus madidis.* Neminē eſſe puto quin, ſi verba ſequatur, in interpretatione hæreat. Sed mihi iſta cū Theophraſto conferenti venit in mentē, ſic emendari debere. Cæterùm fici cadunt, ſi imbres nimij fuere. Theophraſtus, ἡ δὲ ψώρα μάλιστα γίνεται, ὅταν ὕδωρ ἐπὶ πλειάδι γένηται μὴ πολύ· ἐὰν δὲ πολὺ, ἀποκλύζεται. συμβαίνει δὲ τότε τὰ ἐρινὰ ἀπορρεῖν καὶ τοὺς ὀλύνθους. i. Scabies autē potiſſimū oritur, exigua poſt Vergilias pluuia: ſin multa ſit, eluitur. Sed tū euenit, vt groſſi & fici cadant. Eleganter autē Plinius, cū arboris elui ſcabiē ſignificare vellet, arborē ſcabie ſcalpi dixit, quòd ſcalpēdo ſcabies de corporib. deradi ſoleat. Inſigne eſt etiā in proxima Plinij comprehenſione mendū, quod ſilentio nō præteribo, cùm ad eum locū venerim. Ita enim ſcribit, *Vitibus præter vermiculationē & ſiderationē, morbus peculiaris articulatio, trib. de cauſis.* Ego pro articulatione hirculationē legendū eſſe contendo, præſertim cùm Theophraſtus, quē imitandū ſibi proponit, ita ſcribat, ἡ δὲ ἄμπελος τραγᾷ, i. Vitis autē hirculatur. Hirculatio autē eſt, cū vites in palmites tantū luxuriant, fructū tamē non ferunt. Huic loco cumulus etiā erit, ex verbo ſero, quod hic vſurpatur, poëtā Pacuuiū nouaſſe vocabulū ſerile, vt σπαρτὸν exprimeret, quod à σπείρω, i. ſero, deducitur. *Nec vlla ſubſcus cohibet compagē aluei: Sed ſutilino & ſparteis ſerilibus,* i. funiculis ſparteis, qui à Græcis σπάρτα vocantur, vt ab Homero, καὶ σπάρτα λέλυνται.

## Miſeranda.

Digna miſeratione, quæ tam inepta eſſet, & cauſæ obeſſet.

## A moroſo dicuntur.

Moroſam iſtam & ſtomachoſam naturam ac ridiculam ſic reprehendit in conſule Piſone lib. I. ad Atticum, *Tamen cauillator illo genere moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis quàm facetijs ridiculus.* & de eodem in Bruto, *Habuit à natura genus quoddam acuminis, quòd etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis verbis verſutum & ſolers, ſed ſæpè ſtomachoſum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum.*

## Quid ploras pater?

Finis eſt iambici verſus: quod ſequitur alterius initium. potius autem condemnatum flere, quàm cantare oportet. *Mirum ni,* dictio eſt comica, quæ ſtomachoſè pronunciatur & cum indignatione. Plautus Trinummo, *Mirum ni tu illuc tecum diuitias feras.* ſtomachoſè etiam Mirum quin, dicebatur. Plautus Aulularia, *Mirum quin tua me cauſa faciat Iupiter Philippum regem aut Darium, triuenefica.*

## Caue.

Idem refertur de Diogene percuſſo à quodam aſſerem ferente.

## Prætor Scipio.

Qui Siciliā obtinebat: prætor autē in prouincia recuperatores dabat & patronos, quanquā interdum ijs, cuium negotium erat, deligendi patroni poteſtas fiebat. Liuius, *Canuleio prætori, qui Hiſpaniam ſortitus erat, negotium datum eſt, vt in ſingulos, à quibus Hiſpani pecunias peterent, recuperatores ex ordine Senatorio daret, patronoſq; quos vellent ſumendi poteſtatem faceret.* Prætor igitur Scipio ei patronum dabat hominem Siculum, apud quem diuerſabatur.

## In eius tab.

Quotidie rationem expenſi & accepti veteres Romani ferè conficiebant, ac negligens cenſebatur qui tabulas nō conficeret: ſed cùm rei plerunq; ex ſuis tabulis damnarentur, tandē illa conſuetudo deſijt. Ergo Scaurus literas, quas repererat in tabulis Rutilij, ad ſuſpicionē criminis interpretabatur, quòd iſtud obſcuris notis Rutilius ſcripſiſſet, ſignificantibus à ſequeſtrib. & diuiſoribus, cæteriſq; campeſtribus operis diuiſā per tribus pecuniā Rutilij fide ſumptam. Rutilius dicebat antè factum fuiſſe, nec ſtatim, ſed poſtea in tabulas relatum, & in commentarijs rationum domeſticarum caput illud eſſe perſcriptum ſerius. Reliqua ex interprete cognoſcere licet. C. autem Cannius, quem dicit Ruffo aduocatum adfuiſſe, is eſt quem lib. 3. Officiorum à Pythio argentario in hortorum emptione deceptū ſcribit. Homo autem erat nec infacetus & ſatis literatus. ita ex hoc perſpicitur loco, & illo ſuperiore in Memmium, con-

ſuetudinem

ſuetudinem tum fuiſſe interdum notis ſcribendi, quòd poſtea fuiſſe repertum nonnulli ſcribunt.

## Niſi res & virtus.

Nam diſcrepantia ſunt, Nihil abeſſe, & Rem & virtutem abeſſe. quibus autem diuitiæ ſuppetunt & virtus, beati fortunatique cenſentur, nihilque eis deeſſe videtur.

## Ab Albutio.

T. Albutius Græcus videri volebat, & eo nomine, vt refert Lucilius, à Scæuola illudebatur. verſus ſunt Lucilij,

*Græcum te Albuti, quàm Romanum atque Sabinum,*
*Municipem Ponti, Tritanni centurionum.*

ſic enim in lib. de Finibus ſcribi debet. Inde ſuſcepit, & alijs fortaſſe de cauſis, inimicitias cum Scæuola, reſque tandem ad accuſationem peruenit. Ergo in ea Albutius aduerſus Scæuolam erat vſus tabulis domeſticis Granij præconis, aut auctionarijs, quibus videbatur aliquid probaſſe: verùmtamen abſolutus Scæuola fuerat gaudente Granio, nec intelligente contra ſuas tabulas, quod turpe erat, iudicatum fuiſſe. Iure igitur ab Albino, aut vt alij libri habent, Albio, reprehenſus eſt Granius, quòd abſolutione Scæuolæ gauderet, nec timeret ne in ſuſpicionem falſi veniret, cùm abſoluto Scæuola, eius tabularum damnata fides videretur. Itaque ab Albutio legi debet, non, vt vulgò, ſine præpoſitione. Scæuola etiam Albutium de pecunijs repetundis accuſauit.

## Mulſum frigidum.

Lenia & dulcia iuuant & fouent arterias: ſed frigida lædunt, vt mulſum frigidum: cùm tamen alioqui mulſum eas leniturum eſſet. Dulcibus potionibus veteres delectabantur, vt paſſo, murrhina, defruto, mellina, mulſo, eaſque calidas bibere ſolebant: ac proinde cauponæ in quibus vænibant, thermopolia vocabantur. Plautus Pſeudolo enumeratis dulcibus potionibus, *Quin in corde inſtruere quondam cæpit thermopolium*: vbi alij malè Hermopolium legunt, alij Hœnopolium multo magis deprauata voce. Sed illam eſſe veram, quam protuli lectionem, ex alijs Plauti locis, quos adſcribam, cognitu perfacile eſt. Plautus Trinummo, *Satin' in thermopolio condalium oblitus es, poſtquam thermopotaſti gutturem?* id eſt, poſtquam calida potione guttur proluiſti. & Curculione, *Quos ſemper videas bibentes eſſe in thermopolio: Vbi quid ſurripuere, operto capitulo caldum bibunt.* qui locus planè, niſi me fallit animus, oſtendit à caldo potu thermopolium appellatum fuiſſe. Sed & id aliquanto clarius ex Rudente cognoſci poteſt, vbi ita ſcribitur: *Ne thermopolium quidem vllum inſtruit: Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.* Indicat enim perſpicuè in thermopolijs vendi ſolitam eſſe potionem dulcem & caldam. Illis autem omnibus in locis partim integra eſt lectio, partim hermopolium ſcribitur, partim œnopolium: ſed veram quam ſcripſi & emendatam eſſe ſatis patere arbitror.

## Reo beſtiæ.

C. Mamilius, vt ſcribit Saluſtius, trib. plebis rogationem ad Pop. promulgauit, quam & pertulit, vti quæreretur in eos, quorum conſilio Iugurtha ſenatus decreta neglexiſſet, quique ab eo in legationibus aut imperijs pecunias accepiſſent, qui elephantos, quique perfugas tradidiſſent, item qui de pace aut bello cum hoſtibus pactiones feciſſent: qua lege tres quæſitores creati aſperè eam quæſtionem exercuerunt, L. que Calphurnium Beſtiam virũ conſularem, qui bello Iugurthino ex conſulatu Numidiam prouinciam ſortitus erat, condemnarunt, alioſq; aliquot conſulares. M. autem Æmilius Scaurus eo bello legatus Beſtiæ fuerat, & in periculo tum ei aderat. at C. Memmius, qui antè trib. pleb. fuerat, ac nobilitati infeſtiſſimus erat, Beſtiam accuſabat. Illius Mamiliæ rogationis ſic in Bruto meminit Cicero: *Nam rogatione Mamilia, Iugurthinæ coniurationis inuidia cum pro ſeſe dixiſſet, oppreſſus eſt.* Iterum, *Eius collega L. Beſtia bonis initijs orſus tribunatus (nam P. Popilium vi C. Gracchi expulſum ſua rogatione reſtituit, vir acer & non indiſertus) triſtes exitus habuit conſulatus. Nam inuidioſa lege Mamilia C. Galbam ſacerdotem, & quatuor conſulares L. Beſtiam, C. Catonem, Sp. Albinum, ciuémque præſtantiſſimum L. Opimium Gracchi interfectorem à Pop. abſolutum, cùm is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani iudices ſuſtulerunt.* Duci autem in forum eſſe ſolita nobiliorum funera, antè docuimus. Scaurus quòd teſtamento hæres factus non eſſet à Phrygione, cuius bona tamen inuaſerat, magna laborabat infamia.

## De lege Toria.

*Sp. Torius*, vt inquit in Bruto Cicero, *valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitioſa & inutili lege vectigali leuauit.* Appianus hoc aliter ſcribit, nec ei cum Cicerone conuenit. ait enim à Torio vectigal agro publico eſſe impoſitum, quod plebi viritim diuideretur: ab alio deinde trib. vectigal eſſe ſublatum. ſed Ciceroni fidem habeamus in legibus & inſtitutis patriæ ſuæ, non peregrino nec hoſpiti. Lege igitur Toria agri publici, qui antè attributi fuerant ciuibus vectigales, publicè poſſideri cœpere & publicanis elocari, quod minus vtile erat, quàm ſi poſſeſſores vectigal pependiſſent. nihilominus tamen Lucilius lege recenti & populo inuiſa, in agros ſuum pecus immittebat, fortaſſe non paſcuos, certè non petito à publicanis paſcendi iure. nam pecuarij quique greges habebant, certam in ſingula pecudum capita pecuniam pendebant publicanis pro paſtione, quæ pecunia ſcriptura vocabatur. Plautus Truculento, *Nam aduerſum legem à me ob meam ſcripturam, pecudem accepit. A. Ferè idem quod tu facis, faciunt rem malegerentes: Vbi non eſt ſcripturam vnde dent, incuſant publicanos.*

## Liberum puto.

Id eſt, nullius eſſe puto, dominum habere non exiſtimo. Videri etiam cuipiam fortaſſe poſſet ductum à pecudibus, quæ dijs conſecrabantur, vocabanturque ἄνετα & ἄφετα ζῶα, quæ ſine cuſtode liberè paſcebantur. Suetonius in Iulio, *Proximis diebus equorum greges quos in traijciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſime pabulo abſtinere, vbertimque flere.* Lucilius autem in bonis libris ſcribitur, non Lucullus.





## Gracchum perculit.

Euertit & interfecit. hoc verbum libro primo eſt reponendum, cuius in locum perpuliſti irrepſit. Sic enim legendum eſt: Et Cn. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcentulus perculiſti.

## Eiero inquit, iniquus eſt.

Reijcio, inquit, iudicem iniquum. nam eierare eſt tanquam iureiurando teſtari ſe recuſare, quod ἐξόμνυσθαι dicitur Græcè: atque apparet illis verbis Iudices reiici olim ſolitos eſſe. Cicero in Verrem, *Negociatores putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum eiurare, vbi negotientur.* & in Antonium, *Sic me iniquum eiurabant, de me querebantur: diffidebant etiam Seruilio: meminerant eius ſententijs confixum Antonium.* Pompeius, *Eiuratio,* inquit, *ſignificat id quod deſideretur, non poſſe præſtari.* Plautus, *Eiurauit militiam.* Eodem modo eiurare magiſtratum, eſt deponere. ferre autem iudicem cùm dicimus, iudicis nomen pro arbitro vſurpamus, vt & Terentius oſtendit, in quo ſcribitur, *Cedo quemuis arbitrum.* & Cicero pro Muræna, Iudicem pro arbitro poſitum fuiſſe ex formulis iuriſconſultorum ludens indicat, in quibus iudex ſiue arbiter ſcribebatur. eius verba ſunt. *Iam illud quidem mihi mirum videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe: vtrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrũ, rem an litem dici oporteret. Eiero autem & eiuro iudicem dicitur, quod id iureiurando fieri ſoleret.* Q. Cicero de petitione conſulatus, *Vocem denique audiuimus iurantis, ſe Romæ iudicio æquo cum homine Græco certare non poſſe.* Cùm autem Naſica eieraſſet iniquum Scæuolam, ſecuta eſt admurmuratio omnium: propter eximiam de Scæuola æquitatis & probitatis opinionem, præter expectationem tamen rurſum eum omnibus Naſica iniquum eierauit, quòd in conſulatu cauſam publicam deſeruiſſet, nec eam armis aduerſus Tiberium Gracchum defendiſſet, patribuſq; eius opem implorantibus negaſſet, ſe quicquam vi eſſe acturum. hic pro Flacco Flauius in ſcripto libro legitur.

## Toto capite.

Non ſupercilijs tantum, quibus annuere interdum ſolemus (Homerus, ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων) ſed toto capite, maximam ſignificans aſſenſionem, vt Craſſo gratum faceret, eius gratiam captans, & ſe ei beneuolum deditumq; oſtenderet. id eſt enim, vt Craſſo ſe daret. Plautus, *Amica dabam me, vt me amaret.*

## Et iocus eſt familiaris.

Melius in libris veteribus ſcribitur, *Eſt iocus, eſt familia, ſapiens ſi algebis, tremes.* Ita enim ſenarius erit integer, cuius ſenſus erit: quantumuis vrbanus facetuſq; ſis, quantumuis bono loco natus: tamen iſta non facient, quin ſi algeas, tremas: quod præter expectationem eſt dictum, cùm præſidia non defutura expectaremus homini ingenioſo & bona nato familia: poteſt etiam explicari, eſt familia, paterfamilias es, ac liberorum & ſeruorum familiam habes.

## Tu tuis dignus.

Vt malo genere natus es: ita malus es & improbus, in quo generi reſpondes tuo.

## De donis & muneribus.

Caius Cincius vir ætatis Lucilianæ, vt Macrobius ſcribit, Legem Fanniam ſuaſit, in qua oratione, ſeculo obiecit ſuo, quod porcum Troianum menſis inferret, multaq; tum in luxum diſſeruit. Idem legem tulit Muneralem, qua cauebatur ne quis ob cauſam orandam munus aut donum caperet. de ea loquitur Plautus cùm ſcribit, *Neque Muneralem legem, neque Lenoniam, rogata nec ne fuerit, flocci æſtumo.* Eam legem admodum ſenex ſuaſit Fabius Maximus. Verba huius legis quæſtionem attulerunt: quid donum à munere differat. Labeo genus eſſe donum ait à donando dictum, ſpeciem munus. Nam munus eſſe donum cum cauſa, vt puta natalitium, nuptiarum: Martianus, contrà, qui in hoc ventum eſſe dicit, vt non quodcunque munus idem donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur. In quo latius muneris nomen accepit, vt & dona complectatur & munera, quibus in ciuitate moribus, aut legibus, aut magiſtratus imperio, ciues funguntur. Quòd autem attinet ad huius legis verba, cenſeo ſententiam Labeonis veram eſſe, vt donum generale ſit, munus ſpecies: cùm quid officij cauſa datur: quale patronorum fuerit honorarium. Legis Cinciæ meminit Tacitus his verbis, *Eius opprimendi gratia repetitum credebatur Senatuſconſultum, pœnaq; legis Cinciæ, aduerſus eos qui precio cauſas orauiſſent.*

## Quid fers Ciniciole?

Contumelia ineſt in diminutione & contemptio, quam etiam voce adiuuerat.

## Vt emas Cai.

Ducta eſt hæc ſententia ab ijs, qui cùm nolunt vicinis commodare vaſa vtenda, reſpondent, Eme, ſi vti vis: quam ad dona & munera patrociniorum, quibus ditatus erat Cento, traduxit Cincius, illius perſtringens operam venalem. ſeſe enim ait laturum, ne quis ei quid donet. Quibuſdam in libris legitur C. Centro, non Cento.

## Se exercentibus.

Exercere ſolebat ſe iuuentus Romana in campo Martio, à qua exercitatione factum eſt, vt qui apud Romanos exercitationes militares docebant, Campi doctores vocarentur. Scitum eſt à Plauto, qui Græcè παιδοτρίβης dicitur, magiſtrum exercitorem appellari in Trinummo, *Magiſter mihi exercitor animus hinc eſt.*

## Laborare.

Mihi ſic recubanti iucundum eſt quieſcere: ſed idem libenter me exercitatione delectarem, niſi ea res laborioſa eſſet. proinde optarem laborem non eſſe hac quiete moleſtiorem, vellemq; hoc eſſet laborare: ſed fieri non poteſt, vt quies ſit labor. Itaq; optabat, quod fieri non poterat.

### Lentè.

Leniter & ſine vlla ira. nam lentitudinem iræ vacuitatem & nimiam lenitatem vocat quarta Tuſculana, quam Peripatetici appellant ἀοργησίαν. eius verba ſunt, *Eamq́ quam nos lenitatem dicimus, vitioſo lentitudinis nomine appellant.* & ſupra cum ſcribebat, *Huic generi quaſi contrariũ eſt ridiculi genus patientis ac lenti, genus ridiculi intelligebat, in quo quis non commoueretur nec iraſceretur, cùm tamen iræ locus eſſet.*

### Lepidus Cenſor.

M. Æmilius Lepidus pontifex M. cum M. Fuluio Nobiliore, qui de Ætolis triumpharat, cenſuram geſſit, vt Liuius ſcribit.

### Optimus colonus.

Cato, *Bonum,* inquit, *virum cùm laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumq́ colonum, ampliſſimè laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur.*

# M. TVLLII CICERONIS LIBER DE FATO.

## *IN EVNDEM COMMENTARIVS Adriano Turnebo auctore.*

Q*VIA PERTINET AD MORES, QVOS* ἨΘΗ *GRÆCI VOcant (nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus: ſed decet augentem linguam Latinam nominare moralem) explicanda vis eſt ratioq́ enunciationum, quæ Græci* ἀξιώματα *vocant, quæ de re futura quum aliquid dicunt, deq́ eo quod poſſit fieri aut non poſſit, quàm vim habeant, obſcura quæſtio eſt, quam* περὶ δυνατῶν *appellant, totaq́ eſt* λογική*, quam rationem diſſerendi voco. Quod autem in alijs libris feci, qui ſunt de natura Deorum, itemq́ in ijs quos de diuinatione edidi, vt in vtranque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id à quoque probaretur, quod cuique maximè probabile videretur, in hac diſputatione de Fato, caſus quidam ne facerem impediuit. Nam quum eſſem in Puteolano, Hirtiuſqúe noſter Conſul deſignatus iiſdem in locis, vir nobis amiciſſimus, & ijs ſtudijs in quibus nos à pueritia viximus, deditus, multum vnà eramus, maximè nos quidem exquirentes ea conſilia, quæ ad pacem & ad concordiam ciuium pertinerent. Quum enim omnes poſt interitum Cæſaris nouarum perturbationum cauſſæ quæri viderentur, hiſque eſſe occurrendum putaremus, omnis ferè noſtra in his deliberationibus conſumebatur oratio: idq́ & ſæpè alias, & quodam liberiore, quàm ſolebam, & magis vacuo ab interuentoribus die, quum ille ad me veniſſet, primò illa quæ erant quotidiana, & quaſi legitima nobis de pace & de ocio.*

*Quia pertinet*) Perſcriptis iam tribus à Cicerone de natura Deorum libris, abſolutaq; de Diuinatione duobus libris diſputatione, nunc quæſtionẽ de Fato adiungit, vt totus ille philoſophiæ locus pertractatus ſit. Pertinet autem, vt ait, ad partem illam philoſophiæ, quæ hominum mores ſtudiáque conformat. Erant autem duæ apud Philoſophos affines & propinquæ ſcholæ, de quibus magnis contentionibus altercabantur: vna περὶ εἱμαρμένης, id eſt, de Fato, quæ ad mores pertinebat: altera περὶ δυνατῶν, id eſt, de eo quod fieri poteſt, aut non poteſt, quæ ad dialecticam ſpectabat. vtraque quæſtio eum ad ſcribendum impulit. Eſt autem hæc continuatio ſine principio, vt totus liber lacerus & mutilus & lacinioſus paſſim eſt. Neq; enim mihi perſuadere poſſim, *Quia,* primordium libri apud Ciceronem eſſe, ſuſpicionem auget, quod in libris ſcriptis ſic reperi: *Quia pertinet ad mores, quos* ἤθος *illi vocant:* vt aliquid anteceſſiſſe veriſimile ſit. Nam ad abſolutionem ſententiæ aliquid deeſt: verbi gratia. De fato nobis ſcribendum eſt, quia pertinet ad mores. Reperi apud Macrobium locum quendam feſtiuum ex hoc de Fato libro, quem ſubſcribere viſum eſt. Nam cùm eſſet apud ſe ad lacum Auernum Scipio, vnaq; Pontius, allatus eſt forte Scipioni acipenſer, qui admodum rarò capitur, ſed eſt piſcis, vt ferunt, in primis nobilis. Cùm autem Scipio vnum & alterum ex ijs, qui eum ſalutatum venerant, inuitaſſet, pluresqúe etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas: acipenſer iſte paucorum hominum eſt. Pertinet autem hæc quæſtio ad mores, quia ſi fatum eſt, cùm in noſtra poteſtate nihil relinquatur, nullus vel laudi, vel vituperationi locus erit: neque nobis vlla libera ſuſceptio, aut voluntarium officium ſupererit, nulla præceptio proderit.

*Moralem*) Nomen iſtud vt nouum & inſolens reformidat. tum enim primum nouabatur.

*Explicanda*) Libri ſcripti habent pendente ſententia, *Explicandaq́.*

*Vis ratioq́ enunciationum*) Qua de re parum inter Chryſippum & Diodorum conueniebat, quemadmodum Cicero ſcribit in epiſtola quadam ad Varronẽ: Περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. quapropter ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire: ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt te venire. Nunc vide, vtra te





κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία ne, an hæc quam noſter Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, ocioſi cùm erimus, loquemur. Hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν eſt. Locus autem intelligendus eſt de ijs enunciationibus, quæ de futuro aliquid, cuius neceſſarius euentus eſſe non videtur, pronunciant, vt, Sedebis, non ſedebis: & in proximo exemplo, De ijs rebus loquemur: vt ſi quis locum propius perſpiciat, is ſtatim nihil à Cicerone commiſſum intelligat. De ijs autem pronunciatis ſic iudicabat Diodorus, vt id ſolum fieri poſſe diceret, quod aut eſſet verum, aut futurum eſſet verum, vt quicquid futurum eſſet, id fieri neceſſe eſſet: quicquid futurũ non eſſet, id fieri non poſſet: Chryſippus autem ab eo diſſentiens, quæ non eſſent futura, poſſe tamen fieri dicebat.

*Ἀξιώματα*) Vocabulum Stoicum. Stoicorum enim dialectica Ciceronis ætate florebat. Ariſtoteles ἀπόφανσιν appellat.

*Quam vim habeant*) Vtrùmne quod futurum dicunt, ſit neceſſarium, vt vult Diodorus: an fieri poſſit, vt non eueniat, vt cenſet Chryſippus.

*Totáque eſt* λογική) Id eſt, tota iſtius περὶ δυνατῶν quæſtionis explicatio dialectica quædam eſt. Locus etiam iſte ab Ariſtotele in libro de interpretatione tractatur. idcirco autem iſtam περὶ δυνατῶν controuerſiam adhibet, quia ad fati confirmationem ſumptum Stoicorum erat, Omnem enunciationem veram vel falſam eſſe: quod in futuro non ita enucleatè dilucideq; cernitur.

*Quod autem*) Diſputatio iſta Academica eſt contra propoſitum, inſtituto Arceſilæ, vt in Tuſculanis diſputationibus. Academici autem certamen cum Stoicis potiſſimũ ſuſceperant, quorũ illa tempeſtate philoſophia percrebruerat. Hoc libro Cicero contrà eos diſſerit, & firmamenta, quibus fatum eſſe probant, euertit. Nec verò eius in eam partem accipienda argumentatio eſt, quaſi fatum non eſſe affirmet: quod quidem longè ab Academicorũ dubitatione abeſt: verũ ex ijs quæ Stoici adferunt, ad liquidum non probari. Quod ſi quis iſti ſermoni interfuiſſet Stoicæ rationis peritus & æmulus, diſputationem inſtituiſſet, vt fecit in libris de natura Deorum, & de Diuinatione: in quibus perpetua in vtranque partem explicatur oratio. Hirtius autem qui quæſtionem ad quam audiret poſuerat, inſtitutionis alioqui Stoicæ non admodum fortaſſe gnarus, aut certè non æmulus, ex fatali calamitate, vt opinor, Reipub. Romanæ in eum ſermonem deuenerat, vt diceret fato geri & euenire propemodum omnia ſibi videri, & de fato, quid Cicero ſentiret, audire ſe velle. contra quam ſententiam Cicero diſputat.

*De natura Deorum*) Id meritò excuſat: quia cùm hæc de Fato diſputatio ad eundem locum philoſophiæ pertineat, aliter tractari non debuit.

*Quod cuique max.*) Nam ſimilitudinem veri & probabilitatem ſequebantur Academici, qui certò quicquam ſciri prorſus negabant.

*In Puteolano*) Id eſt, fundo, quem in agro Puteolano habebam. Hæc igitur diſputatio in Puteolano Ciceronis habita eſt, vt in Varronis Cumano Academicæ diſputationes diſceptatæ. Alias etiam villas, Formianam, Pompeianam, Tuſculanam poſſidebat.

*Hirtius*) Conſul deſignatus cum Panſa. Eius literatura t, non c, poſtulat, cùm ab hirto deducatur, proinde à Dione & Xiphilino Ἵρτιος vocatur.

*Iis ſtudijs*) Ne ineptum eſſe videatur, cum eo habitum eſſe de philoſophia ſermonem, qui ab ea abhorreret & alienus eſſet.

*Idq́ & ſæpè alias*) Scilicet fecimus. quod loquendi genus non raró ſolet in particula, *Idque,* vſurpari.

*Interuentoribus*) Qui interueniunt nobis aliquid agentibus interuentores vocantur: qui domum noſtram frequenter adueniunt, aduentores. Hinc meretricula apud Plautum, *Ne quis,* inquit, *aduentor grauior abeat, quàm adueniat.*

*Quaſi legitima*) Vſitata nobis velut legis cuiuſdam præſcripto. Nam propter tranſlationem, *Quaſi,* addidit.

*Quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, vt ſpero, reliquiſti, ſed certè philoſophiam illis anteposuiſti, poſſúmne aliquid audire? Tu verò, inquam, vel audire, vel dicere. nec enim quod rectè exiſtimas, oratoria illa ſtudia deſerui, quibus etiam te incendi, quanquam flagrantiſſimum acceperam: nec ea quæ nunc tracto minuunt, ſed augent potius illam facultatem. nam cum hoc genere philoſophiæ quod nos ſequimur, magnam habet orator ſocietatem. ſubtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei viciſſim reddit vbertatem orationis, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam vtriuſque ſtudij noſtra poſſeſſio eſt, hodie vtro frui malis, optio ſit tua. Tum Hirtius, Gratiſſimum, inquit, & tuorum omnium ſimile. Nihil enim vnquam abnuit voluntas tua meo ſtudio. Sed quoniam mihi rhetorica veſtra ſunt nota, teq́ in ijs & audiuimus ſæpè, & audiemus: atque hanc Academicorum contra propoſitum diſputandi conſuetudinem indicant te ſuſcepiſſe Tuſculanæ diſputationes, ponere aliquid ad quod audiam, ſi tibi non eſt moleſtum, volo. An mihi, inquam, poteſt quicquam eſſe moleſtum, quod tibi gratum futurum ſit? ſed ita audies, vt Romanum hominem, vt timidè ingredientem ad hoc genus diſputandi, vt longo interuallo hæc ſtudia repetentem. Ita, inquit, audiam te diſputantem, vt ea lego quæ ſcripſiſti, proinde ordire.*

*Quibus acceptis*) auditis. *Exercitationes*) Quotidianis enim penè commentationibus declamandi ſe exercebat, & ad præturam Græcè ſemper declamarat. Latine verò ſenior quoque, & quidem, Hirtio & Panſa coſſ. Declamandi aſſiduitatem declarat prima Tuſculana: *Vt enim antea declamitabam cauſas, quod nemo me diutius fecit, ſic hæc mihi nunc ſenilis eſt declamatio.*

*Aliquid audire*) Aliquam tuam ſcholam & diſputationem de philoſophia. Auditor igitur Hirtius erit, non diſputator.

*Vel audire*) Vt lubet vel me dicentem audies, vel ipſe declamabis. nam apud eum Hirtius & Panſa declamitabant, quos grandes prætextatos appellare ſolebat. Hirtium & Dolabellam diſcipulos ſuos in epiſtola quadam ad Papyrium Pætum vocat. Hirtium ego & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros. Puto enim te audiuiſſe, ſi forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare.

*Genere philoſophiæ*) Cum Academia noua, quæ contra id quod ſe quiſque ſentire dicat, diſputare ſolet. Libro tertio de Oratore tradit oratori coniunctiſſimam eſſe philoſophiam Academicam & Ariſtoteleam, reliquas ei non neceſſarias: ſed ſi eximiam ſpeciem facultatis adamet, aut Carneadeam aut Ariſtoteleam vim eſſe comprehendendam.

*Subtilitatem*) Subtiliter & acutè ab Academia noua diſſerere diſcit, cuius mira ſolertia & ſubtilitas erat in excogitandis rationibus & argumentis contra cuiuſq; ſententiam.

*Poſſeſſio*) Quoniam Academici & Oratores ſumus. *Vtro frui*) Conditio tibi ſit optare vel declamantem, vel de philoſophia diſputantem audire.

*Gratiſſimum*) Mihi facis, vel mihi eſt. *Rhetorica*) In neutro genere, vt Dialectica, Mathematica, Phyſica dicere ſæpenumero ſolet.

*Contra propoſitum*) Nam cum certi nihil eſſe dicerent Academici, quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſet, aſpernarenturque omne animi & ſenſuum iudicium, reliquum erat vt contra aliorum ſententias diſputarent. Ita ſublata perceptione contra propoſitum iam inde ab Arceſila diſputare cœperant.

*Tuſculanæ*) Diſputationes potius quàm quæſtiones inſcribi debent, vt ex hoc loco perſpici poteſt, vel Tuſculanæ potius ſimpliciter, vt à Nonio ſemper citantur.

*Ad quod audiam*) Sic prima Tuſculana, *Ex quo efficitur æternitas, niſi quid habes ad hæc.*

*Romanum hominem*) Nam Græcorum philoſophorum iſtæ diſputationes erant, non hominum Romanorum, qui non tantoperè in philoſophia verſari erant.

*Proinde ordire*) Plurima hic deeſſe nemo non videt. Abeſt enim propoſitio Hirtij, multaq; Stoicorum firmamenta fatum probantia: quæ tamen quia hodieque apud Plutarchum extant, plurimumque Ciceroni ſic trunco ac mutilo lucis afferre poſſunt, à me ſubſcribentur. In aduerſario genere, inquit prima ac præcipua captio videtur eſſe, *Nihil abſque cauſa fieri, ſed omnia fieri accedentibus cauſis*: altera, *Mundum adminiſtrari natura, ipſum ſibi conſentientem & conſpirantem*: tertia teſtimonium quoddam potius videtur eſſe. Aduocatur enim primùm diuinatio, quæ cùm hominum opinione floret, tùm in Deo Opt. Max. re vera viget. deinde in ijs quæ eueniunt, ſapientum hominum approbatio, omnia rectè ordineq; fieri prædicantium: poſtremo peruagatum illud, Pronunciatum omne verum vel falſum eſſe. Iſta enim capita diſputationis Stoicæ erant, quæ vt captioſa Plutarchus cenſet, ita à Cicerone hic refutantur.

*Conſideramus Hirti, quorum in alijs, vt in Antipatro poëta, vt in Brumali die natis, vt in Simul ægrotantibus fratribus, vt in Vrina, vt in Vnguibus, vt in reliquis eiuſmodi, naturæ contagio valet, quam ego non tollo, vis eſt nulla fatalis: in alijs autem fortuita quædam eſſe poſſunt, vt in illo naufrago, vt in Icadio, vt in Daphyta. quædam etiam Poſidonius, pace magiſtri dixerim, comminiſci videtur. Sunt, inquam, quidem abſurda. quid enim? ſi Daphytæ fatum fuit, de equo cadere, atque ita perire, ex hócne equo? qui quum equus non eſſet, nomen habebat alienum? aut Philippus haſce in capulo quadrigulas vitare mouebatur? quaſi verò capulo ſit occiſus. Quid autem magnum, naufragum illum ſine nomine in riuo eſſe lapſum? quanquam huic quidem hic ſcribit prædictum, in aqua eſſe pereundum. Ne hercule Icadij quidem prædonis video fatum vllum. nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex ſpelunca ſaxum in crura eius incidiſſe? puto enim etiam ſi Icadius tum in ſpelunca non fuiſſet: ſaxum tamen illud caſurum fuiſſe. nam aut nihil eſt omnino fortuitum, aut hoc ipſum potuit euenire fortuna. Quæro igitur, atque hoc latè patebit, ſi fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis eſſet, & fortè, temere, caſu, aut pleraque fierent, aut omnia, num aliter ac nunc eueniunt, euenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum ſine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunámue referatur?*

*Conſideramus Hirti*) Veteres libri, Conſtamuſiei, ex quo illud, Conſideramus Hirti, factum eſt, nec propter tantam loci labem emendatio ex facili fuerit. Hic autem Cicero refutat Stoicorum argumentum, quod ex continuatione coniunctioneq; naturæ, quam Συμπάθειαν vocant, ad fatum probandum ad ferebant. ſic enim ratiocinabantur, *Partes omnes mundi naturali cognatione teneri inter ſe conſpirantes & copulatas: proinde ſeriem eſſe cauſarum perpetuam, vi ſeſe quoquouerſum diffundente & propagante quadam contagione, & parte parti reſpondente.* Cicero lib. 2. de Diuinatione, *Qua ex coniunctione naturæ, & quaſi concentu atque conſenſu, quam Συμπάθειαν Græci appellant, conuenire poteſt, fiſſum iecoris cum lucello meo.*

*Antipatro*) Plinius, *Antipater*, inquit, *Sidonius poëta omnibus annis vno die tantum natali corripiebatur febre, & eo conſumptus eſt ſatis longa ſenecta.* Idem ſcribitur à Valerio.

*In Brumali die*) id eſt bruma. Plinius lib. 2. *Floret ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis arentis herba pulegij.* Cicero de Diuinatione, *Pulegium aridum floreſcere ipſo brumali die*, quod ad contagionem libro ſecundo de Diuinatione Cicero refert. Exemplum autem quoddam à Poſidonio fuerat inductum, in quo valuiſſe dicebat vim ſyderis brumalis, euentu in illis hominibus teſtatam, quòd, verbi gratia, frigidis morbis obnoxij fuerint.

*Ægrotantibus fratribus*) *Quos idcirco*, vt Auguſtin. lib. 5. de Ciuitate Dei ſcribit, *geminos eſſe coniecerat Hippocrates, cum id ex conſtitutione & affectione cœli fataliter euenire Poſidonius poſtea interpretatus ſit in libris, vt reor, de natura.*





*In Vrina, in Vnguibus*) Medici ex quibuſdam rebus & aduenientes & ingraueſcentes morbos prouident, & multas valetudinis ſecundæ & aduerſæ ſignificationes & indicia habent, ex vrinaq; multa augurantur: interdum & ex vnguibus. Celſus, *Illa quoque*, inquit, *mortis indicia ſunt, vngues digitiq; pallidi, frigidus ſpiritus.* Quæ ſigna Stoici ad conſenſionem naturæ ſeriemq; cauſarum conſertarum referenda cenſebant.

*Naturæ contagio*) Συμπάθεια, id eſt, conſenſio conuenientiaq; naturæ, quæ tanquam contactu afficit. Negat autem ex contagione naturæ, quam concedit, fatum probari.

*In alijs*) In ijs exemplis quæ nec ad contagionem naturæ, nec ad artem & diſciplinam referri poſſunt, ſed quæ caſu & forte fortuna euenerunt.

*Illo naufrago*) Poſidonius homini cuidam, cuius nomen ne ipſe quidem poſuerat, prædictum fuiſſe ſcripſerat, in aqua eſſe pereundum: is autem naufragium fecit, & in riuo poſtea lapſus eſt: aut cùm ei naufragium letumq; ex aqua prædictum eſſet, in riuo lapſus eſt.

*Icadio*) Icadium ſæuiſſimum piratam fuiſſe (piratam enim hic prædonem Cicero vocat) ſcribit Sextus Pompeius. Εἰκάδιον, niſi fallor, Suidas vocat. In eius crura ex ſpelunca ſaxum incidit, cùm tamen vitam maritimam coleret.

*Daphyta*) Qui, vt Valerius ſcribit, cùm profeſſione ſophiſta eſſet, Delphis ad ludibrium Apollinem conſuluit, an equum inuenire poſſet, quem omnino nullum habebat: edita ſors eſt eum inuenturũ equum, quo periret. Itaque cùm in regem Attalum incidiſſet, ſæpè contumelijs à ſe laceſſitum, eius iuſſu de ſaxo, cui nomen equo erat, præcipitatus eſt.

Strabo grammaticum fuiſſe ſcribit, & in monte Thorace ſuffixum in cruce, quod reges Pergami contumelioſis verſibus inceſſeret: vnde natum prouerbium, *Caue Thoracem.* Refert & hoc in reges maledicum eius epigramma:

Πορφύρεοι μώλωπες, ἀπορρινήματα γάζης
Λυσιμάχου, Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης.

*Pace magiſtri*) Nam Poſidonium audierat. Lib. 1. de Natura Deorum, *Et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poſſidonius, à quibus inſtituti ſumus.*

*Sunt quidem*) legendum videtur, *Sunt quædam abſurda.* *De equo*) In monte Thorace, qui Magneſiæ impendet, ſaxum, vnde præcipitatus eſt Daphytas, equus vocabatur. Daphydes à Valerio & Suida vocatur.

*Quadrigulas*) *Apollinis oraculo*, vt Valerius ait, *Philippus rex Macedonum monitus fuit, vt à quadrigæ violentia ſalutem ſuam cuſtodiret.* Itaque toto regno currus diſiungi iuſſerat, eumq; locum, qui in Bœotia Quadriga dicitur, ſemper vitauit: nec tamen denuntiatum periculum euitare potuit. Nam Pauſanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. Hic autem quadrigæ non ſolùm quatuor equos ſine curru iunctos ſignificant, ſed etiam currum, vt Valerius interpretatur. Oraculi verba fuerunt, ἅρμα φυλάττεσθαι. locus, quem Philippus in Bœotia ſemper vitabat, ἅρμα dicebatur.

*Sine nomine*) cuius nomen Poſidonius non poſuit, vt fortaſſe commentitium ſit ad libidinem exemplũ, quanquam ex eo fatum nihil affirmatur. Nam cùm eſſet prædictum eum in aqua periturum, ſortem fides non eſt ſecuta, cùm in riuo tantum ſit lapſus: imò verò quod naufragus enatauerit, in aqua perire non debuit. *Prædonis*) piratæ.

*Prædictum*) Nam ex prædictis & diuinatione fatum probari ſolet, vt contrà ex fato diuinatio. Igitur in exemplo nulla videtur fati comprobatio, cùm diuinatio nulla anteceſſerit: & alioqui enumerarit inter ea quæ præſagio fidem facerent aliquam fati.

*Saxum*) Non lapidis caſu, ſed ſaxi ruina & vaſtæ molis ei crura fracta comminutaq; fuiſſe dicit.

*Latè patebit*) non ad hoc tantum exemplum pertinebit.

*Quid ergo*) Complexio eſt, qua quod in partitione ſuperiore Cicero poſuerat, conficit, exempla à Poſidonio adducta ad naturam aut fortunã omnino referri poſſe. eſtq; locus integerrimus, quod tamen nonnullis non videtur.

*Sed Poſidonium, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus, ad Chryſippi laqueos reuertamur. Cui primum quidem de ipſa rerum contagione reſpondeamus, reliqua poſtea perſequemur. Inter locorum naturas quantum interſit videmus, alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes: in alijs eſſe pituitoſos, & quaſi redundantes, in alijs exiccatos atque aridos: multaq; ſunt alia quæ inter locum & locum plurimùm differant. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, itaq; pingues Thebani, & valentes: tamen neque illud tenue cælum efficiet, vt aut Zenonem quis, aut Arceſilam, aut Theophraſtum audiat: neque craſſum, vt Nemæa potius, quàm Iſthmo victoriam petat. Diiungi longius. Quid enim loci natura afferre poteſt. vt in porticu Pompeij potius, quam in campo ambulemus? tecum quàm cùm alio? Idibus potius quàm Calendis? Vt igitur ad quaſdam res natura loci pertinet, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum valeat, ſi vis, ad quaſdam res: ad omnes certè non valebit. At etenim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, vt alios dulcia, alios ſubamara delectent: alij libidinoſi, alij iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint, alij talibus vitijs abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantùm natura à natura diſtat, quid mirum eſt, has diſſimilitudines ex differentibus cauſſis eſſe factas? Hæc diſſerens, qua de re agatur, & in quo cauſſa conſiſtat, non videt. non enim ſi alij ad alia propenſiores ſint propter cauſſas naturales & antecedentes, idcirco etiam noſtrarum voluntatum atque appetitionum ſunt cauſſæ naturales & antecedentes. nam nihil eſſet in noſtra poteſtate, ſi ita res ſe haberet: nunc verò fatemur acuti hebetésne, valentes imbecillíne ſimus, non eſſe id in nobis.*

*Cum bona gratia*) Leui iſta refutatione in eum contenti ſumus, ne, ſi infeſtius acriuſq; [illegible], in eum

iniquiores eſſe videamur, quem non offendere, cui parcere, magiſtro præſertim, debemus.

*Laqueos*) captioſas & fallaces concluſiones. nam hæc argumenta libello de Fato Plutarchus etiam σοφίσματα vocat.

*De ipſa rerum contagione*) De qua iam Poſidonio reſpondimus: ſed quia à Chryſippo idem argumentum adfertur, diluendum eſt, reliqua deinceps firmamenta euertemus. Contagionem vocat rerum conuenientiam ex coniunctione naturæ & quodam tanquam contactu, cùm ipſa rerum natura continuata ſit & cohærens. συμπάθειαν appellare ſolent. Id enim eſt quod Plutarchus ex Stoicorum ſententia in libello de Fato ſcripſit, mundum ſibi cenſentire & conſpirare. Eodem autem ad diuinationis confirmationem argumento Stoici vti ſolebant. In quibuſdam libris, *Cognatione*, legitur.

*Alios eſſe ſalubres*) vt Crotonem vrbem.

*Peſtilentes*) vt Sardiniam.

*Redundantes*) ſuperfluentes nimiaque pituita ſuffuſos: quales qui lacuſtria & paluſtria incolunt. Varios autem habitus locorum Hippocrates diligenter in libello de Aëre locis & aquis notauit.

*Tenue cœlum*) aër tenuis & liquidus, quia tenue etiam ſolum eſt, vt ſcribit Thucydides, ex quo ſubtilis aſpiratio. De ſalubritate & temperie cœli Attici Plato in Timæo ita ſcribit: ταύτην οὖν δὴ τότε ξύμπασαν τὴν διακόσμησιν καὶ σύνταξιν ἡ θεὸς προτέρους ὑμᾶς διακοσμήσασα κατῴκισεν, ἐκλεξαμένη τόπον ἐν ᾧ γεγένησθε, τὴν εὐκρασίαν τῶν ὡρῶν ἐν αὐτῷ κατιδοῦσα, ὅτι φρονιμωτάτους ἄνδρας οἴσει. Cœlum autem aër plerunque dicitur. Plinius, *Nanque & hoc cœlum appellauêre maiores, quod alio nomine aera.*

*Craſſum Thebis*) Hinc Horatianum illud,

*Bœotum in craſſo iurares aëre natum.*

In aëre autem craſſo ſtupidi & obtuſi plerunque ſunt qui naſcuntur: quod tamen perpetuum non eſt: & Iuuenalis ſcribit,

*Magnos ſæpè viros, & magna exempla daturos*
*Veruecum in patria, craſſoq́; ſub aëre naſci.*

*Pingues Thebani*) tardi & hebetes. Cic. quod ipſi Antiocho pingue videbatur Horatius,

*Pingue pecus domino facias, & cætera, præter*
*Ingenium.*

Proinde veteres in Bœotorum ſtuporem cauillantes, *Suem Bœoticam* dicebant.

*Et valentes*) robuſti, fortes. infra, In qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio eſt. In cœlo autem craſſo & concreto corpora & proceriora, & firmiora adoleſcunt.

*Tenue cœlum*) Quanuis ſit egregia habilitas ingeniorum in tenui cœlo ad percipiendam philoſophiam, & ex eo procliuitas & propenſio: loci tamen contagio à voluntate diſiuncta eſt hunc vel illum audiendi.

*Arceſilam*) Ἀρκεσίλαος Græcè vocatur, qui Dorico more à Latinis Arceſilas appellatur: vt Ἀκουσίλαος à Cicerone in libris de Oratore Acuſilas vocatur. Zeno princeps Stoicæ diſciplinæ fuit: Arceſilas auctor Academiæ nouæ: Theophraſtus Peripateticus auditor Ariſtotelis fuit. Hos tres nominat, quod eodem tempore philoſophiam Athenis docuerunt, quanquam Theophraſtus Zenonem, Zeno Arceſilam anteibat ætate.

*Neque craſſum*) in quo valentiores naſci ſolent, & ad certationes corporum aptiores.

*Nemea*) Ex Nemæo potius, quàm Iſthmio certamine.

*Adferre poteſt*) impellere.

*In porticu Pompeij*) Ambulationem iuxta theatrum ſuum Pompeius centum columnis ſuſpenſam extruxerat, amœnam proceritate aſſitarum platanorum. Propertius,

*Scilicet vmbroſis ſordet Pompeia columnis*
*Porticus, aulæis nobilis Attalicis.* Ouidius,
*Tu modo Pompeia lentus ſpatiare ſub vmbra,*
*Cum ſoli Herculei terga leonis adit.*

*In campo*) Martio. Cic. Vt M. Lepidus cum cæteris in Campo ſe exercentibus in herba ipſe recubuiſſet, *Vellem hoc eſſet*, inquit, *laborare.* illis in locis ſe plerunq; ocioſi ambulando delectabant.

*Idibus*) medio menſe potius quàm primo.

*Vt igitur*) Totus iſte locus in Chryſippum, non in Poſidonium confertur, quem iam cum bona, vt dixit, gratia dimiſit. Contagionem affectionis aſtrorum, vt loci & cœli, ad quaſdam res pertinere fatetur: ad voluntarias impulſiones negat Nam Chryſippus in tractanda contagione, qua fatum comprobabat, aſtrorum affectionem & cœli conſtitutionem, vnde Mathematici prædicta ſua ducunt, multum poſſe argumentatus fuerat.

*Affectio aſtrorum*) ποιὰ σχέσις καὶ διάθεσις, id eſt, eorum inter ſe comparatio, ex aſpectu triquetro, quadrato, ſextili, alijſque id genus, quæ ſolent Mathematici in genituris obſeruare.

*Ad omnes non valebit*) ad motus voluntarios, qui liberi ſunt & arbitrarij, non obnoxij neque coacti.

*Quid mirum has diſſimil.*) Hæc argumentatio non efficit quod vult Chryſippus, quia iſta naturales cauſas habent, quibus obnoxiam docere deberet eſſe voluntatem.

*Qua de re agatur*) quid in controuerſiam veniat, & de quo ambigatur: verbum iuriſconſultorum. Cicero, *Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocant, mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, qua de re agitur vocari.* Non videt igitur quid agatur & de quo dubitetur Chryſippus. Quæritur enim, an vt multarum rerum naturales cauſæ ſunt, ſic noſtrarum appetitionum cauſæ ſint antecedentes & naturales.

*Cauſa conſiſtat*) quæſtio & controuerſia verſetur.

Anteces-



*Antecedentes*) προκαταρκτικὰ αἴτια ſignificat, quæ etiam προηγούμενα dicuntur, differuntque ab ijs quæ συνεκτικὰ dicuntur, id eſt, continentes cauſæ, cohibentes in ſe efficientiam naturalem: ſuntque vocabula Stoica, quæ à Stoicis medici mutuati ſunt. Ab ijs autem cauſis voluntas & appetitio immunis eſt, cuius libera eſt & ſoluta ſuſceptio.

*In noſtra poteſtate*) quod ἐφ' ἡμῖν Stoici appellant. Libertatem enim voluntatis Fati aſſertores nonnulli, vt Chryſippus & plerique Stoici retinent, qui fatum non ex neceſſarijs & principalibus cauſis nectunt, ſed ex ijs quæ præcurſionem afferunt, & anteceſſionem, ſine quibus res effici non poſſit. Cicero, *Alia autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe adiumenta, & ſi non neceſſaria: vt amori congreſſio cauſam attulerit, amor flagitio.* Ex hoc genere cauſarum ex æternitate pendentium fatum à Stoicis nectitur.

*In nobis*) in noſtra poteſtate.

***Qui autem ex eo cogi putat, vt ne ſedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis eſſe, is non videt quæ res quamque rem conſequatur. Vt enim & ingenioſi & tardi ita naſcantur antecedentibus cauſſis, itemque valentes & imbecilli, non ſequitur tamen, vt etiam ſedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam principalibus cauſſis definitum & conſtitutum ſit. Stilponem Megaricum philoſophum, acutum ſanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe. Neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem: vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis veſtigium viderit. Quid? Socratem nónne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturáſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere? ſtupidum eſſe Socratem dixit & bardum: quòd iugula concaua non haberet, obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat, addidit etiam mulieroſum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe.***

*Cogi*) confici. Cicero de Legibus, *Sunt autem ea quæ poſui, ex quibus id quod volumus efficitur & cogitur.*

*Vt ne ſedeamus quidem*) Quod voluntariam cauſam habet, non naturalem, cùm ab appetitione & ſuſceptione animi libera proficiſcatur, non à neceſſaria impulſione.

*Quæ res quanque rem conſ.*) Dialecticis imbutus non eſt, nec ſatis prudenter argumentatur: vt qui non videat quid ex quoque efficiatur.

*Principalibus*) κυρίοις καὶ συνεκτικοῖς αἰτίοις, vt Stoici loquuntur, quæ quidem efficienter rem aliquam antecedunt. Aliud eſt principiale, quo Lucretius vtitur. nam à principio deducitur. *Principiale aliquod tempus, cladémque futuram.*

*Stilponem*) Veteres libri Stilphonem habent, vt apud Terentium, *Stilphonem, inquam, noueras?* atque ita hîc ſcribendum puto. Nam quanquam Στίλπων Græcè dicitur: tamen more Latinis vſitato aſpiratur anhelaturque Stilpho: ſic γρῦπες à Latinis dicuntur gryphes, τρόπαιον trophæum, ἀριμπαῖοι apud Herodotum à Mela Arymphæi. Hic autem Stilbo à Cicerone in Academicis dicitur, qui non ſolùm Megarenſis fuit, verùm etiam ſecta Megaricus. Nam Megarici quidam philoſophi ab Euclide ſunt appellati, qui poſtea ἐριστικοὶ & διαλεκτικοὶ vocati ſunt. Hic neſcio quis Megareon legit: quod etſi non improbo, tamen vt in veteribus libris reperi, Megaricum lego.

*Acutum*) Acutus enim diſputator fuit ſubtiliſq; dialecticus. *Ebrioſum*) procliuem & propenſum ad ebrietatem, quæ etiam in mulieroſo procliuitas eſt: hinc mulieroſitas & ebrioſitas, Cicero 4. Tuſculana.

*Socratem*) Idem à Cicerone 4. Tuſculana ſcribitur, & ab Alexandro Aphrodiſienſi his verbis, Εἰπόντος γοῦν Ζωπύρου τοῦ φυσιογνώμονος περὶ Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου ἄτοπά τινα καὶ πλεῖστον ἀφεστῶτα τῆς προαιρέσεως αὐτοῦ, τῆς κατὰ τὸν βίον. καὶ ἐπὶ τούτοις ὑπὸ τῶν περὶ τὸν Σωκράτην καταγελωμένου, οὐδὲν εἶπεν ὁ Σωκράτης ἐψεῦσθαι τὸν Ζώπυρον. ἦν γὰρ ἂν τοιοῦτος ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, εἰ μὴ διὰ τὴν ἐκ φιλοσοφίας ἄσκησιν ἀμείνων ἐγένετο, id eſt, Cum igitur Zopyrus phyſiognomon de Socrate philoſopho improba quędam & ab eius inſtituta vita plurimum abhorrentia dixiſſet, ab eiſque qui vnà cum Socrate erant, eo nomine deriſus eſſet, nihil illum falli Socrates dixit, quòd talis per naturam futurus fuerit, niſi diſciplina philoſophiæ & commentatione naturam edomuiſſet. Docet autem etiam in quibuſdam quæ antegreſſas habent cauſas, nullam tamen ineſſe neceſſitatem fatalem, cùm ratione & conſilio & diſciplina ſtudio regi temperarique poſſint, atque adeo in totum tolli.

*Notarit*) probro coràm affecerit, vitijs eius in conuentu notatis.

*Phyſiognomon*) qui hominum mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere ſolet. Iis enim ex partibus potiſſimum augurantur mores atq; naturam phyſiognomones, & qui metopoſcopi vocantur. Tranquillus in Tito, *Quo quidem tempore aiunt metopoſcopum à Narciſſo Claudij, liberto adhibitum vt Batannicum inſpiceret.*

*Bardum*) ſtultum & ingenio tardum. Sex. Pompeius & Nonius explicant à vocabulo Græco βάρδιστος.

*Iugula*) Duo enim homini vtrinque ſolent ad claues eſſe iugula ferè caua: iugula in alio genere animantium non ſunt. Plinius, *Terreſtrium ſolus homo bipes, vni iuguli, humeri: cæteris armi.* Eſt autem dexter iugulus & ſiniſter. hinc illud de Adriano imperatore refertur, Ἐδόκει δὲ ὄναρ πρὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐν τῇ αἰθρίᾳ καὶ διὰ πολλῆς εἰς τὴν ἀριστερὰν αὐτοῦ κλεῖν ἐμπεσεῖν, ἔπειτα καὶ ἐπὶ τὴν δεξιὰν παρελθεῖν.

*Obſtructas*) vt interſeptus eſſet ſpiritus, nec ei liber commeatus pateret: eaque eſſet in eo cauſa tarditatis.

*Alcibiades*) aut quod puerorum amator eſſet Socrates, aut quod nullum in eo veſtigium libidinis Alcibiades ſenſiſſet, à quo ſic aliquando ſurrexiſſet, vt ſi cum parente cubuiſſet.

***Sed hæc ex naturalibus cauſſis vitia naſci poſſunt: extirpari autem & funditus tolli, vt is ipſe qui ad ea propenſus fuerit, à tantis vitijs auocetur, non eſt id poſitum in naturalibus cauſſis, ſed in voluntate, ſtudio, diſciplina: quæ tolluntur omnia, ſi vis & natura fati ex diuinationis ratione firmabi-***

*tur. Etenim ſi eſt diuinatio, quibuſdam à perceptis artis proficiſcitur? Percepta appello, quæ dicuntur Græcè* θεωρήματα. *Non enim credo nullo percepto aut cæteros artifices verſari in ſuo munere, aut eos qui diuinatione vtantur, futura prædicere. Sunt igitur Aſtrologorum percepta huiuſmodi: Si quis, verbi cauſſa, oriente canicula natus eſt, is in mari non morietur. Vigila Chryſippe, ne tuam cauſſam, in qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio eſt, deſeras. Si enim verum eſt quod ita connectitur, Si quis oriente canicula natus eſt, in mari non morietur: illud quoque verum eſt, Si Fabius oriente canicula natus eſt, Fabius in mari non morietur. Pugnant ergò hæc inter ſe, Fabium oriente canicula natum eſſe, & Fabium in mari moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, natum eſſe eum canicula oriente, hæc quoque pugnant, Et eſſe Fabium, & in mari eſſe moriturum. Ergo hæc quoque coniunctio eſt ex repugnantibus, Et eſt Fabius, & in mari Fabius morietur: quod vt propoſitum eſt, ne fieri quidem poteſt: Ergo illud, Morietur in mari Fabius, ex eo genere eſt quod fieri non poteſt. Omne ergo quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poteſt.*

*Tolli, vt is ipſe)* Propenſio quæ à naturalibus cauſis proficiſcitur, procliuitas naturæ eſt: auocatio ab ea ſtudio & diſciplina fit, cum etiam voluntatis inductione emendetur: tantum abeſt, vt voluntas naturalibus cauſis obnoxia ſit.

*Quæ tolluntur omnia)* Poſito fato & ex diuinatione conſtituto, nullus relinquetur locus voluntati, ſtudio, diſciplinæ. Diuinatio enim non erit, niſi quæcunque futura prædicentur, neceſſariò eueniant.

*Ex diuinationis ratione)* Alterum caput, quo Stoici confirmant fatum: Diuinatio eſt, igitur fatum: iſtudque reciprocatur, ſi fatum eſt, eſſe diuinatio videtur. Huius firmamenti Plutarchus in libello de Fato meminit. locus autem tam de oraculis deorum, quã de Mathematicorũ prædictionibus intelligi debet. Diuinatio autem conſtat ex earum cauſarum notatione & obſeruatione, quarum ſerie fatum connectitur.

*Percepta)* Sic veteres libri, magiſque vim & ſignificationem vocabuli Græci perceptum. quàm præceptum attingere videtur. Sunt igitur percepta, obſeruata, notata, ſpectata præcepta: alioqui apud Ciceronem ad comprehenſionem hoc verbum pertinet, quam Græci κατάληψιν appellant. θεώρημα porro vocabulum eſt Mathematicum, vt ex Euclide intelligi poteſt, vt & πρόβλημα. addidit vocabulum Græcum ad ambiguitatem tollendam, ne de comprehenſione & perceptione quauis loqui videretur.

*Oriente canicula)* quod ſidus feruentiſſimum eſt, æſtuque omnia vaporat, & aquas ſiccat.

*Cum Diodoro)* Diodorus is fuit qui cognomento Cronus appellatus eſt, philoſophus ex Megarica ſchola eorum, qui ἐριστικοὶ & διαλεκτικοὶ dicebantur: quem ſic admiratus eſt Callimachus, vt in epigrammate ſcripſerit, -- αὐτὸς ὁ Μῶμος ἔγραφεν ἐν τοίχοις ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός. huius Diodori Dialectica imbutus Arceſilas fuerat, quod declarat ſillographi παρῳδία, πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύῤῥων, μέσος Διόδωρος. vixitque ante Arceſilam & Chryſippum. Hoc autem loco explicat rationem enunciationum, quæ de re futura, deque eo quod fieri poſſit, aut non poſſit, aliquid dicunt, quod in proœmio pollicitus eſt.

*Luctatio)* Obtinere enim contendis contra eius ſententiam, quæ non ſunt futura, tamen fieri poſſe, cum ex diuinatione nunc eius ſententiam imprudens confirmes.

*Connectitur)* ἐκ συνημμένων Stoici appellant, quorum dialectica Cicero vtitur.

*Si Fabius)* Nomen Fabij in exemplis hominum liberorum vſurpare veteres ſolebant. Cic. lib. 2. de Diuinatione, *Q. Fabi, te mihi in auſpicio eſſe volo.* In Topicis, *Si ita Fabiæ pecunia legata eſt à viro.* In ſeruis Manium dicere ſolebant. Cato de re Ruſtica, *Cum diuis volentibus, quodque bene eueniat, Mando tibi, Mani.*

*Coniunctio)* συμπεπλεγμένον vocatur à Stoicis, copulationem dicere ſolemus.

*Omne ergo quod falſum)* quod Diodoro videtur, Chryſippo refragante, ſed poſita diuinatione, confirmatoque fato, iſta ſe neceſſitate conſtringente, & in has anguſtias ſe redigente.

*At hoc Chryſippe minimè vis, maximéque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt. Ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum, & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe; & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe: tu & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, vt frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit, neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quanquam id milleſimo antè anno Apollinis oraculo editum eſſet. At ſi iſta comprobabis diuina prædicta, & quæ falſa in futuris dicentur, in ijs habemus vt ea fieri non poſſint: vt ſi dicatur, Africanum Carthagine potiturum, & ſi verè dicatur de futuro, idque ita futurum ſit, dicas eſſe neceſſarium, quæ eſt tota Diodori vobis inimica ſententia. Etenim ſi illud verè connectitur, Si oriente canicula natus es, in mari non moriêre: primumque quod eſt in connexo, Natus es oriente canicula, neceſſarium eſt (omnia enim vera in præteritis neceſſaria ſunt, vt Chryſippo placet, diſſentienti à magiſtro Cleanthe, quia ſunt immutabilia, nec in falſum è vero præterita poſſunt conuerti.)*

*Ille enim)* Hac in re quàm ſecum pugnet Chryſippus, nec ſe explicare queat, ſic Plutarchus exponit in libro de Repugnantijs Stoicis, ὁ δὲ τῶν δυνατῶν λόγος πρὸς τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον αὐτῷ πῶς οὐ μαχόμενόν ἐστιν. εἰ γὰρ οὐκ ἔστι δυνατὸν, ὅπερ ἢ ἔστιν ἀληθὲς, ἢ ἔσται κατὰ Διόδωρον, ἀλλ᾽ ἅπαν τὸ ἐπιδεκτὸν τοῦ γενέσθαι, κἂν μὴ μέλλῃ γενήσεσθαι, δυνατόν ἐστιν, ἔσται δυνατὰ πολλὰ τῶν μὴ καθ᾽ εἱμαρμένην ἀνίκητον καὶ ἀνεκ. βίαστον καὶ περιγενητικὴν ἁπάντων ἡ εἱμαρμένη δύναμιν ἀπόλλυσιν, ἢ ταύτης οἵαν ἀξιοῖ Χρύσιππος, οὔσης, τὸ ἐπιδεκτικὸν τοῦ γενέσθαι, πολλάκις εἰς τὸ ἀδύνατον ἐμπεσεῖται. καὶ πᾶν μὲν ἀληθὲς ἀναγκαῖον ἔσται τῇ κυριωτάτῃ πασῶν ἀνάγκῃ κατειλημμένον. πᾶν δὲ ψεῦδος ἀδύνατον, τὴν μεγίστην ἔχον αἰτίαν ἀντιπίπτουσαν αὐτῷ πρὸς τὸ ἀληθὲς γενέσθαι. ᾧ γὰρ ἐν θαλάσσῃ πεπρωμένον ἐστὶν ἀποθανεῖν, πῶς οἷόν τε τοῦτον ἐπιδεκτικὸν εἶναι τοῦ ἐν γῇ ἀποθανεῖν. i. Illa autem de eo quod fieri poteſt diſputatio, nonne, obſecro te, plane cum fati diſputatione pugnat? Etenim ſi non eſt pote quod verum aut eſt, aut erit, vt Diodorus ſentit, ſed omne cui contingere poteſt, vt eueniat, etiam ſi euenturum non ſit: fieri tamen poteſt, multa profecto numerabuntur in ijs quæ fieri poſſunt, quæ non inſuperabili, non omnium victori, domitorique fato obnoxia erunt, vel



runt, vel fati ius omne ſubuertet: aut ſi tale ſit, quale Chryſippus cenſet, ſæpenumero id in quod cadit vt euenire poſſit, in id quod factu nefas incidet, ac quicquid verum eſt, illud idem neceſſarium erit, neceſſitateque omnium valentiſſima & veriſſima irretitum tenebitur. quicquid falſum, factu nefas, grauiſſima intercedente cauſa ne verum euadat. nam cui in mari fatum eſt mori, quo tandem pacto ei eueniet, vt in terra moriatur?

*Frangi hanc gemmam)* quam in anulo Cicero habebat.

*Cypſelum)* Nomen habuit à Cypſela, id eſt, cumera, in qua latuit, exploratoreſque effugit. Herodotus, à quo hiſtoria narratur, annorum non meminit, ſed ſortem primum Bacchiadis, deinde Eetioni Cypſeli patri editam refert: vt vel alium ſcriptorem Cicero ſit ſecutus, vel milleſimo ante anno pro multo ante dicat, quam ſententiam magis omnino probo.

*At ſi iſta comprobabis)* Si veram ſtatues diuinationem vatumque effata & oracula.

*Et quæ falſa)* Quod paulo ante ex diuinatione complectebatur, cùm ita ſcripſit, Omne igitur quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poteſt.

*In his habemus)* Iam enim id confecimus.

*Vt ſi dicatur)* Si quæ falſa in futuris dicuntur, fieri non poſſunt, & ſi prædicta comprobanda ſunt, vt Chryſippus comprobat, in Diodori ſententiam inuitus incidit. Senſus eſt, ſi comprobabis diuina prædicta Chryſippe, neceſſarium dicas eodem modo regnaturum Cypſelum Corinthi. (eueniet enim) vt ſi dicatur, Africanum potiturum Carthagine, quod euenit poſtea. ea enim potitus eſt: & ſi dicatur vere de futuro, idque futurum ſit: quæ tota Diodori ſententia eſt. qui verum in futuro cenſet tantum quod futurum ſit, idque neceſſarium. Ita inuitus delaberis in Diodori ſententiam.

*Carthagine)* More antiquo libri quidam veteres Carthaginem accuſandi caſu habent.

*Connectitur)* συνημμένον Stoici vocant connexum, nos conditionalem propoſitionem. Eſt autem apud Stoicos, quorum dialecticis Cicero imbutus erat, primus concluſionis modus: cùm aſſumitur primum, vt ſequatur annexum.

*Diſſentienti à magiſtro)* Nam propter immutabilitatem præterita cenſere videbatur neceſſaria Chryſippus, cùm in ea ne deus quidem vllum ius habeat, præterquam obliuionis. At Cleanthes eius magiſter neceſſitatem ex natura rerum potius, quàm ex immutabili temporis conditione metiebat. Itaque natus eſt Fabius oriente canicula, ei neceſſarium non videbatur: nec id de liberis tantum cauſis intelligebat: quod Ciceronis exemplum ſatis declarat.

*Si igitur quod primum in connexo eſt, neceſſarium eſt, fit etiam quod conſequitur neceſſarium: quanquam id Chryſippo non videtur valere in omnibus: ſed tamen ſi naturalis eſt cauſſa cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non poteſt. Hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat Chaldæos, cæteroſque diuinos, neque eos vſuros eſſe coniunctionibus, vt ita ſua percepta pronuncient, Si quis natus eſt oriente canicula, is in mari non morietur: ſed potius ita dicent, Non & natus eſt quis oriente canicula, & is in mari morietur. O licentiam iocularem, ne ipſe incidat in Diodorum, docet Chaldæos quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, ſi Chaldæi ita loquantur, vt negationes infinitarum coniunctionum potius, quàm infinita connexa ponant, cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non poſsint? Medicus in primis, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet, Si cui venæ ſic mouentur, is habet febrem: ſed potius illo modo, Non & huic venæ ſic mouentur, & is febrem non habet. Itémque geometres non ita dicet, Si in ſphæra maximi orbes ſunt, medij inter ſe diuiduntur: ſed potius illo modo, Non & ſunt in ſphæra maximi orbes, & hi non medij inter ſe diuiduntur. Quid eſt quod non poſsit iſto modo ex connexo transferri ad coniunctionum negationem? & quidem alijs modis eaſdem res efferre poſſumus. Modo dixi, Si in ſphæra maximi orbes ſunt, medij inter ſe diuiduntur: poſſum dicere, Si in Sphæra maximi orbes erunt, poſſum dicere, Quia in ſphæra maximi orbes erunt.*

*Quanquam id Chryſippo)* Si neceſſarium eſt quod in connexo primum eſt, quod annectitur etiam neceſſarium eſſe tradunt. quod & hic Cicero argumentatur, cum exceptione tamen, quod probet acumen Chryſippi id in omnibus non valere exiſtimantis, ſed in multis videri cenſentis, ex conditione potius quàm ex natura: aut aliquas certe argutias adducebat Chryſippus, quales in logicam multas coniecerat, etiam nonnunquam incredibiles & falſas: cuiuſmodi eſt iſtud apud Plutarchum, Τὸ γὰρ ὦ ἀεὶ συμπεπλεγμένον δι᾽ ἀντικειμένων μὴ φάναι ψεῦδος ἄντικρυς εἶναι, λόγους δὲ πάλιν αὖ φάναι τινὰς, ἀληθῆ τὰ λήμματα καὶ τὰς ἀγωγὰς ἀληθεῖς ἔχοντας, ἐστὶν ὅτε καὶ τὰ ἀντικείμενα τῶν συμπερασμάτων ἔχειν ἀληθῆ, ποίαν ἔννοιαν ἀποδείξεως, ἢ τίνα πίστεως οὐκ ἀνατρέπει πρόληψιν.

*Sed tamen)* Si ex connexo forte neceſſario non ſemper ſequitur annexum neceſſarium, argumentabimur, ſi cauſa naturalis eſt, cur non moriatur in mari, in mari non moritutum.

*Si naturalis)* αἴτιον φυσικόν: quod προκαταβεβλημένον vocat Aphrodiſieus. Cauſæ autem hæ ſunt incluſæ in rerum natura atque mundo, vt Stoici cenſent. Nec hic Cicero aſſentitur Diodoro, ſed ex diuinationis comprobatione docet Chryſippum in Diodori ſententiam incidere.

*Æſtuans)* ſatagens valdeque laborans, nec tamen ſe extricans, ab æſtu ductum: ſic alio huius libri loco Cicero loquebatur, qui à Gellio affertur: Chryſippus æſtuans laboranſque quonam pacto explicet & fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis: intricatur hoc modo.

*Falli ſperat.)* Iocularitér dicit Chryſippum ſperare ſe fucum eſſe facturum Aſtrologis. Falli autem pro falſum iri, vel falli poſſe dixit, vt ad Atticum: Cato tamen affirmat ſe viuo illum non triumphare, id eſt non triumphaturum.

*Chaldæos)* id eſt mathematicos. genethliaci enim omnes qui ex natalitio ſidere futura præſagiunt, Chaldæi vocantur: quòd enim illa natio ſiderum obſeruandorum peritiſſima fuit, factum eſt, vt mathematici

ita vo-

ita vocarentur. Chaldæorum enim artem per totam Aſiam Beroſus ſparſerat, & ex eo vocabulum increbruerat. Vitruuius, *Beroſus qui à Chaldæorum ciuitate ſiue natione progreſſus in Aſiam, diſciplinam Chaldaicam patefecit, ita eſt profeſſus.*

*Coniunctionibus*) coniunctiones copulationes ſignificant, vt in Topicis, *Deinde addunt coniunctionum negantiam, ſic: Non & hoc eſt & illud non eſt*: ſupra, *Ergo hæc quoque coniunctio eſt ex repugnantibus, Eſt Fabius & in mari Fabius morietur.* hic pro connexionibus vſus eſt: quod, vt opinor, eadem vtriuſque ſit neceſſitas, coniunctionis & connexionis.

*Si quis natus*) Proinde quaſi plus in his enuntiatis neceſſitatis lateat, quàm in alijs, quæ ſunt tamen ἰσοδυναμοῦντα. *Ne ipſi incidat*) ne in Diodori ſententiam labatur.

*Infinitarum*) communium & vniuerſarum, vt quæſtiones infinitæ dicuntur, quæ theſes ſunt: niſi ſi quis pro indefinitis fortè cenſeat intelligi.

*Coniunctionem*) Nam repugnantia pronunciata fiunt ex coniunctis, non ex connexis, idcirco dixit coniunctionum negationem, in Topicis, coniunctionum negantiam: hoc modo, *Et Fabius ſub canicula natus eſt, & in mari morietur.*

*Cur idem medici*) Nam hoc genus orationis inſolens eſt & ignotum Medicis, Geometris & reliquis: neque percepta artis quiſquam hac formula concipit, quam Chryſippus dictat.

*Perſpectum in*) Quæ antea vocauit percepta: vt hic locus fidem faciat, percepta potius quàm præcepta legi debere. *Venæ*) vt apud Satyricum, *Tange miſer venas.* Veteres & vulgus arterias à venis nihil diſtinguebat. Venas igitur arterias dicit, quæ micant continenter in corpore.

*Geometras*) Vt apud Fabium libro primo, ſic hoc loco aſtrologia geometriæ pars eſt: & in prima Tuſculana geometria & arithmetica artes omnes mathematicas complectuntur.

*Maximi orbes*) vt æquator, zodiacus, meridianus: alij minores, tropici, arctici.

*Medij*) in duas æquales partes.

*Quid eſt quod*) Cum in ijs pronuntiatis locutionis, non ſententiæ mutatio tantum ſit. ſunt enim, vt iam dixi, ἰσοδυναμοῦντα. Quo autem pacto ex connexis repugnantia fiant, explicat Boetius in Topicis.

*Multa genera ſunt enunciandi, nec vllum diſtortius, quàm hoc, quo Chryſippus ſperat Chaldæos contentos Stoicorum cauſſa fore: illorum tamen nemo ita loquitur. maius eſt enim has contortiones orationis, quàm ſignorum ortus, obituſque perdiſcere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam* περὶ δυνατῶν *appellant, reuertamur: in qua quid valeat id quod fieri poſſit, anquiritur. Placet igitur Diodoro, id ſolum fieri poſſe, quod aut verum ſit, aut verum futurum ſit: qui locus attingit hanc quæſtionem, nihil fieri quod non neceſſe fuerit: & quicquid fieri poſſit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe: nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe quæ futura ſunt, quàm ea quæ facta ſunt. ſed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibuſdam, quia non apparent, ne ineſſe quidem videri: vt in eo qui mortifero morbo vrgeatur, verum ſit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem, ſi verè dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilominus futurum ſit. Ita fit vt commutatio ex vero in falſum, ne in futuro quidem vlla fieri poſſit. Nam, Morietur Scipio, talem vim habet, vt, quanquam de futuro dicitur: tamen id non poſſit conuerti in falſum. de homine enim dicitur, cui neceſſe eſt mori. Sic ſi diceretur, Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio vi oppreſſus, verè diceretur. id enim fore diceretur quod eſſet futurum. futurum autem fuiſſe, ex eo quia factum eſt, intelligi debet: nec magis erat verum, Morietur Scipio, quàm, Morietur illo modo: nec minus neceſſe eſt mori Scipionem quàm illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falſum, Necatus eſt Scipio, quàm, Necabitur Scipio.*

*Diſtortius*) quòd rectum eſſe videatur in connexis & coniunctis genus orationis, in repugnantibus tanquam deprauatum & diſtortum: quumque in diſputationibus genus iſtud Stoici frequentarent, idcirco in Tuſculanis, eos contortius concludere dicit: & lib. 2. de Diuinatione ſic ſcribit, *Deinde contorquent & ita concludunt, non igitur ſunt dij, nec ſignificant futura.* Nec alia de cauſa Stoicorum dumeta, vt arbitror, dicit, quàm quòd in hoc dicendi genere ineſt aſperitas quædam.

*Stoic. cauſa*) ne Stoicorum præcepta labefactare videantur, ſi aliter enuncient.

*Maius*) difficilius. In Paradoxis, *Quod eo maius eſt illi.*

*Contortiones*) quæ ex repugnantibus contexuntur. Id genus orationis dilucidè declarat Cic. locus lib. 2. de Diuinatione: *Deinde contorquent, & ita concludunt, Non igitur ſunt dij, nec ſignificant futura.*

*Signorum*) eorum ars. *Sed ad illam*) Explicat ſententiam Diodori, qua Chryſippo reſponderi poteſt. Diodorus autem fatum non inducit, ſed in enunciatis vim verborum interpretatur, non cauſarum ſeriem ponit: cùm tamen ex vi verborum & ex enuntiationibus fatum confirmaret Chryſippus. hæc autem Diodori contentio tota ad logicen, vt initio dixit, pertinet.

*Contentionem*) contendit enim ſi quid in futuro verum ſit, non poſſe non euenire. Libros περὶ δυνατῶν Chryſippus ſcripſerat, in quibus magna illi cum Diodoro luctatio erat.

*Quod fieri poſſit*) ſit ne eiuſmodi vt neceſſariò, vt Diodoro videtur, eueniat, an vt non ſit neceſſe euenire quæ Chryſippi ſententia eſt.

*Quid valeat*) quæ vis ſit eorum enunciatorum, in quibus quid fieri poſſe dicitur.

*Diodoro*) Quod fieri poſſit, cenſet Diodorus immutabilitatem & neceſſitatem habere, nec fieri poſſe quin eueniat.

*Attingit*) Ad hanc ſententiam, de qua quæri ſolet, pertinet, quæ fiunt neceſſe eſſe fieri.

*Sed in factis*) Non item, vt in præteritis apparere in futuris immutabilitatem & neceſſitatem, ſed latere, cùm tamen nihilo minor ſit, quæ non eſſe videbatur in pleriſque.

*Commutatio*)



*Commutatio*) vt ſi verum ſit futurum aliquid, id omninò euenire ſit neceſſe: & ſi enunciatum de futuro verum ſit, non poſſit in falſum commutari. Vt enim quærebatur, poſſetne eloquentia in infantiam commutari, & virtus in vitium conuerti, in hominum doctorum diſputationibus: item quoque poſſetne verum in falſum conuerti: quod planè Diodorus negat.

*Morietur Scipio*) Æmilianus, qui cùm Flacco, Graccho, & Carboni aduerſatus eſſet, fortis valenſque, in cubiculo mortuus inuentus eſt poſtridie. Ei vim Carbo attuliſſe exiſtimatus eſt, vt ſcribit Cicero ad Pætum: quod & hic ſequi videtur. Alij venenum ei ab vxore Sempronia Gracchi ſorore datum ſuſpicati ſunt.

*Morietur noct.*) quod tamen in ſpeciem minus neceſſarium eſſe videtur, quàm Morietur: proptereà quòd omnes mortales hac conditione nati ſunt, vt moriendum ſit eis. contendit tamen Diodorus non minus eſſe neceſſe. *Ex eo quia*) Nam ex factis quæ futura fuerint, intelligimus. *Nec minus neceſſe eſt*) Sic libri veteres habent, vt non ſit temerè mutanda lectio. Dilucidam ſententiam magis reddunt, & aliam faciunt, qui *Magis* legunt. Cæterùm ſententia eſſe poteſt, *Nec magis, nec minus eſſe neceſſarium, Morietur, quàm, Illo modo morietur.* legi poteſt, *Nec minus quàm neceſſe mori Scipioni illo modo mori.*

*Nec quum hæc ita ſint, eſt cauſſa cur Epicurus fatum extimeſcat, & ab atomis petat præſidium, eaſque de via deducat, & vno tempore ſuſcipiat res duas inenodabiles: vnam, vt ſine cauſſa fiat aliquid, ex quo exiſtet, vt de nihilo quippiam fiat: quod nec ipſi, nec cuiquam Phyſico placet: alteram, vt quum duo indiuidua per inanitatem ferantur, alterum è regione moueatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro concedenti, omne enunciatum aut verum aut falſum eſſe, non vereri ne omnia fato fieri ſit neceſſe. Non enim æternis cauſſis naturæ neceſſitate manantibus, verum eſt id quod ita enunciatur, Deſcendit in Academiam Carneades, nec tamen ſine cauſſis. Sed intereſt inter cauſſas fortuitò antegreſſas, & inter cauſſas cohibentes in ſe efficientiam naturalem. Ita & ſemper verum fuit, Morietur Epicurus, quum duo & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pithærato: neque tamen erant cauſſæ fatales cur ita accideret: ſed quod ita cecidiſſet, certè caſurum ſicut cecidit fuit. Nec ij qui dicunt immutabilia eſſe quæ futura ſint, nec poſſe verum futurum conuerti in falſum, fati neceſſitatem confirmant, ſed verborum vim interpretantur. At qui introducunt cauſſarum ſeriem ſempiternam, hi mentem hominis voluntate libera ſpoliatam, neceſſitate fati deuinciunt. Sed hæc hactenus: alia videamus.*

*Nec cum hæc ita ſint*) Quanquam enunciationes neceſſitatem veri vel falſi habent, vt Diodorus cenſet, non tamen ea de cauſa fatum fuerit: quod dum timeret Epicurus, & omnem enunciationem veram vel falſam eſſe negauit, & motum quendam commentitium declinationis atomorum induxit.

*Extimeſcat*) quod confirmari putabat, ſi omnis enunciatio vera vel falſa eſſet.

*Ab atomis*) ab atomorum declinatione, cuius ope fatum tollit, cùm declinatio à naturalibus impulſionibus, & neceſſarijs cauſis voluntatem liberet. Lucretius lib. 2.

*Deniq; ſi ſemper motus connectitur omnis,*
*Et vetere exoritur ſemper nouus ordine certo,*
*Nec declinando faciunt primordia motus,*
*Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,*
*Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur:*
*Libera per terras, vnde hæc animantibus extat,*
*Vnde hæc eſt, inquam, fatis auulſa voluntas,*
*Per quam progredimur quò ducit quenque voluptas.*

*De via deducat*) Nam via ponderum, vt atomorum, è regione eſt, & ad perpendiculum: nunc Epicurus declinationem inducit incerta regione, & incerto tempore, vt voluntatis libertatem retineat. Lucretius,

*Corpora cùm deorſum rectâ per inane feruntur*
*Ponderibus proprijs, incerto tempore ferme,*
*Incertiſq; locis ſpatio decedere paulum:*
*Tantum quod momen mutatus dicere poſſis.*

*Inenodabiles*) quas enodare nemo poſſit, quibus ſe nemo poſſit expedire.

*Vt ſine cauſa fiat*) quia declinationis nullam cauſam Epicurus affert, vt aliorum motuum: moueri per inane profundum, verbi gratia, indiuidua corpuſcula dicit propter pondus, & reſilire in concurſionibus ex plaga: vt illorum duorum motuum cauſæ ſint, pondus & plaga: declinationis autem quam afferre tandem cauſam poteſt? Itaque in ea & à Cicerone, & ab omnibus Stoicis valdè exagitatur & vexatur: Plutarchus, περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας· Ἐπικούρῳ μὲν γὰρ οὐδὲ ἀκαρὲς ἐγκλῖναι τὴν ἄτομον συγχωροῦσιν, ὡς ἀναίτιον ἐπεισάγοντι κίνησιν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Et Epicurei ſibi conſcij culpæ, timidè eam ponebant, & minimam ſibi concedi poſtulabant. Lucretius,

*Quare etiam atq; etiam paulum inclinare neceſſe eſt*
*Corpora, nec pluſquàm minimum, ne fingere motus*
*Obliquos videamur, & id res vera refutet.*
*Nanq; hoc in promptu manifeſtumq; eſſe videmus,*
*Pondera quantum in ſe eſt non poſſe obliqua meare,*
*E ſupero cum præcipitant, quod cernere poſſis.*
*Sed nihil omnino recta regione viai*
*Declinare, quis eſt qui poſſit cernere ſeſe?*

*De nihilo*)

*De nihilo* ) Nam ſi declinatio iſta ſine cauſa eſt, de nihilo erit: ex quo fiet vt aliquid de nihilo ſit, quod nec ipſe Epicurus voluit. Lucretius,

*Nullam rem è nihilo gigni diuinitus vnquam.*

*Per inanitatem* ) per inane. Duo enim Epicurus principia ponit: atomos & inane.

*E regione* ) ad rectas lineas, ad perpendiculum, exaduerſum, quod Epicurus κατὰ στάθμην dixit.

*Alterum declinet* ) Non enim cauſari poterit quid ſit quòd atomus vna rectà moueatur, altera obliquè, quod tamen ei ſuſcipiendum erit.

*Licet enim Epicuro* ) quod non concedit tamen fatum veritus. Putat enim, ſi omnis enunciatio ſit vera aut falſa, fatum fore, cùm eſſe vera aut falſa ſine antegreſſis cauſis, & ex naturæ neceſſitate manantibus non poſſit: quod falſum eſt. Nam cauſæ voluntariæ eſſe poſſunt, vt in Academiam deſcendendi.

*Non enim æternis* ) ex quibus conſertum & contextum fatum eſſe oportet.

*Deſcendit* ) Erat enim in decliui Academia, Athenæ in edito.

*Carneades* ) nouæ Academiæ philoſophus, diſputator acerrimus.

*Sine cauſis* ) voluntarijs, quæ ab animi inductione, impulſione & ratiocinatione proficiſcuntur, quæ fortuito antegrediuntur. Nec hic Diodorũ Cic. relinquit, cùm ex ratione Diodori Epicureos Stoicis reſpondere nullo negocio poſſe oſtendat: nec Diodorus neceſſarias cauſas ponebat, ſed quæ vis earum enunciationum eſſet, in quibus aliquid fieri poſſe aut non poſſe dicebatur, quærebat.

*Fortuitò antegreſſas* ) in quibus nulla eſt neceſſitas fatalis.

*Et inter cauſſas* ) quæ neceſſariæ ſunt, & neceſſariò efficiunt.

*Cohibentes* ) continentes συνεκτικὰ αἴτια Græci vocant, ab illis quæ προκαταρκτικὰ & τὰ ἐκτὸς αἴτια, dicuntur diuerſa.

*Efficientiam* ) vim efficiendi. Cicero in Topicis, *Cauſarum igitur genera duo ſunt: vnum quod vi ſua id quod ſub ea ſubiectum eſt certè efficit, vt ignis accendit.*

*Ità & ſemper* ) ſine cauſis neceſſarijs, ex æterno verum fuit, vt inquit ex ſententia Diodori, Morietur Epicurus.

*Archonte Pitharato* ) Annui archontes apud Athenienſes erant, ex quorum nominibus annos numerabant, vt Romani conſulum. Nomen Græcum retinuit: non tamen Plinius, qui magiſtratum vertit, ſic lib. 33. Theophraſtum nonaginta annis antè Praxibulum Athenienſium magiſtratum. Pitharati autem magiſtratu mortuum eſſe Epicurum, etiam Laertius ſcribit.

*Nec ij qui dicunt* ) vt Diodorus, qui tantum quærit, quid valeant enunciationes de eo quod fieri poteſt aut non poteſt, non cauſas fatales ſcrutatur.

*Verborum vim interpr.* ) veræne ſint enunciationes, an falſæ.

*At qui introduc.* ) vt Stoici.

*Alia videamus* ) argumenta Stoicorum, quibus fatum probant.

***Concludit enim Chryſippus hoc modo, Si eſt motus ſine cauſſa, non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera aut falſa erit. cauſſas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falſum erit: omnis autem enunciatio, aut vera aut falſa eſt: motus ergò ſine cauſſa nullus eſt. quod ſi ita eſt, omnia quæ fiunt, cauſſis fiunt antegreſſis. id ſi ita eſt, fato omnia fiunt. efficitur ergo, fato fieri quæcunque fiant. Hic primum ſi mihi libeat aſſentiri Epicuro, & negare omnem enunciationem aut veram eſſe aut falſam, eam plagam potius accipiam, quàm fato omnia fieri comprobem. Illa enim ſententia habet aliquid diſputationis, hæc verò non eſt tolerabilis. Itaque contendit omnes neruos Chryſippus, vt perſuadeat omne ἀξίωμα aut verum eſſe aut falſum. Vt enim Epicurus veretur, ne, ſi hoc conceſſerit, concedendum ſit fato fieri quæcunque fiant (ſi enim alterutrum ex æternitate verum ſit, eſſe id etiam certum: & ſi certum, etiam neceſſarium: ita & neceſſitatem & fatum confirmari putat) ſic Chryſippus metuit, ne, ſi non obtinuerit, omne quod enuncietur, aut verum eſſe aut falſum, omnia fato fieri poſſint ex cauſſis æternis rerum futurarum.***

*Si eſt motus,* ) vt appetitio & voluntas: nec contrà Epicurum iſta differuntur, ſed ad confirmationem fati. Diſputat Alexander lib. 2. de animo, κίνησιν τινὰ ἀναίτιον εἶ(ναι).

*Dialectici* ) Stoici. Eos enim Dialecticos vocabant. Cic. in Topicis, *Sequitur locus dialecticorum proprius.*

*Cauſſis fiunt antegreſſis* ) antecedentibus, quas tollunt qui ſuopte impulſu aliquando voluntatem moueri dicunt ſine anteceſſione cauſæ. has cauſas προηγουμένας vocant, & προκαταρκτικάς.

*Epicuro* ) qui negat omnem enunciationem veram aut falſam eſſe, ne fatum comprobare cogatur. Epicuro tamen hac in re non aſſentietur, ſed ſi conditio feratur, Epicurum ſequi mallet, quàm fatum recipere. *Eam plagam* ) Nam hac plaga minus ſe læſum iri cenſet, quàm ſi fatum comprobet: quod vulnus intolerabile & propemodum lætale eſſet.

*Diſputationis* ) In ea aliquid dubium videtur & controuerſum eſſe: alioqui id non tantopere diſputaret Chryſippus.

*Tolerabilis* ) cum ex ea ſequatur euerſio vitæ & morum, & voluntatis ſeruitus.

*Itaque contendit* ) quod argumentum eſt: eam rem aliquid diſputationis habere, cum in eo probando vſque adeò vires ſuas experiatur.

*Veretur* ) quod tamen ei verendum non eſt, cum ex eo non ſequatur fatum eſſe.

*Sic Chryſippus* ) rem eſſe ſibi factam putat, ſi doceat omnem enunciationem veram aut falſam eſſe. ſequi enim ex eo cenſet fatum eſſe: cùm id ex contractionis vi, non rei natura certum ſit.

***Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceſſitatem putat: itaque tertius quidam motus oritur extrà pondus & plagam, quum declinat atomus interuallo minimo, id appellat ἐλάχιστον: quam declinationem ſine cauſſa fieri, ſi minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulſa declinat. nam qui poteſt pelli alia ab alia, ſi grauitate feruntur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis, vt Epicuro placet? ſequitur enim, vt ſi alia ab alia nunquam depellatur, nec contingat quidem alia aliam. ex quo efficitur, vt iam ſi ſit atomus, eaq́ declinet, declinare ſine cauſſa. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quòd veritus eſt, ne, ſi ſemper atomus grauitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, quum ita moueretur animus, vt atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus auctor atomorum accipere maluit neceſſitate omnia fieri, quàm à corporibus indiuiduis naturales motus auellere.***



*Sed Epicurus* ) Motum declinationis excogitauit Epicurus, vt voluntatis libertatem retineret, ne ſi in pronum ſemper laberentur atomi neceſſario & naturali motu, fato fierent omnia. nunc enim cùm incerto ſpacio & regione declinent, ex eo efficitur, vt quandocunq; volumus, nobis omnis ſuſceptio & animi inductio libera ſit & voluntaria.

*Tertius quidam motus* ) Tres atomis motus Epicurus, vt Plutarchus ſcribit, tribuit: vnum κατὰ στάθμην, id eſt ad lineam: alterum κατὰ παρέγκλισιν, id eſt per declinationem: tertium κατὰ πληγήν, id eſt ex plaga. Ad lineam mouentur deorſum per inane profundum: per declinationem, cùm minimum declinant: vt complexiones, copulationes & adhæſiones atomorum fiant. nam ſi omnes è regione mouerentur, nulla alteram attingeret. ex plaga, cùm propter ſoliditatem ex conflictu reſultant. Lucretius,

*Aut grauitate ſua ferri primordia rerum,*
*Aut ictu forte alterius. nam cita supernè*
*Obuia cùm flixere, fit vt diuerſa repentè*
*Diſſiliant. neque enim mirum, duriſſima quæ ſint*
*Ponderibus ſolidis, neque quicquam à tergibus obſtet.*

*Pondus* ) Omne corpus Epicuro graue eſt, deorſumq; fertur, etiam ignis. Lucretius,

*—— nullam rem poſſe ſua vi*
*Corpoream ſurſum fieri ſurſumq́ meare.*
*Nec tibi dent, timeo, flammarum corpora fraudem, &c.*

*Minimo* ) Libro 1. de Finibus, perpaulum, quo nihil poſſi fieri minus: tantùm quod momen mutatus dicere poſſis, Lucretius dixit. Ita, vt opinor, ſperauit ſe vitaturum reprehenſionem Epicurus, ſi puſillam declinationem comminiſceretur, & tanquam pro ſuo iure ſumeret. Eaque cauſa fuit, cur eius verbum poneret Cicero, & vt intelligeretur quid minimum interuallum diceret.

*Sine cauſſa* ) Nam iſtam declinationem non efficit pondus. è regione enim ferrentur: nec plaga. nondum enim conflixerunt atomi, vt ex pulſu declinent.

*Nam qui poteſt pelli* ) quo tandem pacto ex plaga motus ille eſſe poſſit: cùm atomi rectis lineis in præceps ferantur.

*Ad perpendiculum* ) Perpendiculum & linea vocabula ſunt architectorum, quæ ab iis Mathematici mutuantur.

*Nunquam depellatur* ) Non depelluntur, nec ab alijs declinare coguntur, ſi rectà mouentur, qui corporum motus eſt.

*Ne contingat* ) Contactus enim atomis propter earum ſoliditatem pepulſionem affert. niſi autem ſe contingant nihil gignetur, nullæq; fient complexiones, nullaq; concilia rerum. Lucretius,

*Quod niſi declinare ſolerent, omnia deorſum*
*Imbris vti guttæ caderent per inane profundum:*
*Nec foret offenſus natus, nec plaga creata*
*Principijs: ita nihil vnquam natura creaſſet.*

*Hanc Epicurus rationem* ) hanc declinationem atomorum. *Grauitate* ) pondere.

*Nihil liberum* ) Lucretius,

*Denique ſi ſemper motus connectitur omnis,*
*Et vetere exoritur ſemper nouus ordine certo,*
*Nec declinando faciunt primordia motus,*
*Principium quoddam quod fati fœdera rumpat,*
*Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur,*
*Libera per terras, vnde hæc animantibus extat:*
*Vnde eſt hæc, inquam, fatis auulſa voluntas?*

*Hinc Democrit.* ) Laertius atomorum auctorem Leucippum fuiſſe prædicat: Cicero hoc loco Democritum dicit, cuius imitator fuerit Epicurus.

*Accipere* ) admittere & ſubire. Cicero, *E quibus aër & ignis mouendi vim habent & efficiendi: reliquæ partes accipiendi & quaſi patiendi.* *Neceſſitate* ) fato.

***Acutius Carneades, qui docebat poſſe Epicureos ſuam cauſſam ſine hac commentitia declinatione defendere. Nam quum doceret eſſe poſſe quendam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius, quàm introducere declinationem, cuius præſertim cauſſam reperire non poſſunt: quo defenſo, facile Chryſippo poſſent reſiſtere. Quum enim conceſſiſſent, motum nullum eſſe ſine cauſſa, non concederent, omnia quæ fierent, fieri cauſſis antecedentibus. Voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſſas externas, & anteceden-***

*tes. Communi igitur conſuetudine ſermonis abutimur, quum ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle ſine cauſſa. ita enim dicimus ſine cauſſa, vt dicamus ſine externa & antecedenti cauſſa, non ſine aliqua. Vt quum vas inane dicimus, non ita loquimur vt Phyſici, quibus inane eſſe nihil placet: ſed ita, vt, verbi cauſſa, ſine aqua, ſine vino, ſine oleo vas eſſe dicamus: ſic quum ſine cauſſa moueri dicimus, ſine antecedente & externa cauſſa moueri, non omnino ſine cauſſa dicimus. De ipſa atomo dici poteſt, quum per inane moueatur grauitate & pondere, ſine cauſſa moueri, quia nulla cauſſa accedat extrinſecus. Rurſus autem, ne omnes à Phyſicis irrideamur, ſi dicamus quicquã fieri ſine cauſſa, diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius indiuidui hanc eſſe naturam, vt pondere & grauitate moueatur, eamq́ ipſam eſſe cauſſam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non eſt requirenda externa cauſſa. motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſe continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſq́ue pareat, nec id ſine cauſſa. Eius enim rei cauſſa, ipſa natura eſt. Quod quum ita ſit, quid eſt cur non omnis pronunciatio, aut vera aut falſa ſit, niſi conceſſerimus fato fieri quæcunque fiant? quia futura vera, inquit, non poſſunt eſſe ea quæ cauſſas, cur futura ſint, non habent.*

*Acutius*) multo ſubtilius Carneades pro Epicuro reſpondebat Stoicis. Docebat enim motum eſſe poſſe quendam voluntarium, à ſe ortum, cuius antegreſſæ & externæ cauſæ nullæ eſſent.

*Suam cauſſam*) quæ fatum tollit & libertatem voluntatis conſtituit.

*Motum voluntarium*) qui à voluntatis impulſione & propoſitione eſſet.

*Antecedentibus*) antegreſſis, quæ externæ ſunt, ſed voluntarijs & internis.

*Communi igitur*) Quando libero voluntatis impulſu aliquid ſuſceptum eſt ſine antegreſſa cauſa, ſine cauſa aliquid quempiam velle dicimus: quod tamen falſum eſt, vt ſimilitudine declaratur.

*Vt Phyſici*) illi qui vacuum in rerum natura eſſe nihil cenſent, ſed omnia conferta & plena. nam Epicurus contrà, inane ponit.

*De ipſa atomo*) quod item de atomis ab Epicureis dici poſſet, eas antecedentibus cauſis non moueri, ſed ſuis & internis, vt pondere & grauitate.

*Rurſus autem*) vt cauſa eſt cur indiuiduum, id eſt atomus, feratur deorſum, grauitas: ita motus animorũ cauſa fuerit voluntas, non externa cauſa. motus autem voluntatis cauſa eſt ὁρμή, id eſt appetitus, & ratio.

*Sine cauſſa*) Plutarchus Stoicorum argumentum eſſe dicit ad confirmationem fati, τὸ μηδὲν ἀναιτίως γίνεσθαι, ἀλλὰ κατὰ προηγουμένας αἰτίας. Illud Sine cauſa, quod poſuerat, mutat, ne in phyſicorum irriſionem incidat, qui nullo modo ferre poterant quicquam ſine cauſa fieri dici: ac vt in atomi motu negat extrinſecus quærendam cauſam, ita quoq; in appetitionibus negat eſſe quærendas antegreſſiones cauſarum.

*Quod cùm ita ſit*) Verum & falſum in enunciatis nihil adfert cauſæ cur fatum ſit. Fatum enim non fuerit ſine neceſſarijs cauſis: at vt verum & falſum ſit, efficere poſſunt cauſæ fortuitæ & voluntariæ. Hic igitur argumentatio Chryſippi repetitur, & diluitur. *Futura, inquit*) Chryſippus.

*Quæ cauſas*) at cauſas habere poſſunt fortuitas & voluntarias, non ex æternitate fatas. ſic enim reſpondetur Chryſippo.

*Habeant igitur cauſſas neceſſe eſt ea quæ vera ſunt: ita quum euenerint, fato euenerint. Confectum negocium: ſiquidem tibi concedendum eſt, aut fato omnia fieri, aut quicquam fieri poſſe ſine cauſſa. An aliter hæc enunciatio vera eſſe non poteſt, Capiet Numantiam Scipio, niſi ex æternitate cauſſa cauſam ſerens hoc erit effectura? an hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſeculis ante dictum? & ſi tum non eſſet vera hæc enunciatio, Capiet Numantiam Scipio, ne illa quidem euerſa vera eſt hæc enunciatio, Capiet Numantiam Scipio. Poteſt igitur quicquam factum eſſe, quod non verum fuerit futurum eſſe? nam vt præterita ea vera dicimus, quorũ ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia: ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus. Nec, ſi omne enunciatum, aut verum aut falſum eſt, ſequitur illicò eſſe cauſſas immutabiles, eaſq́ue æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſſæ, quæ efficiant vt verè dicantur quæ ita dicentur, Veniet in Senatum Cato: non incluſæ in rerum natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile venturum, cum eſt verum, quàm veniſſe: nec ob eam cauſſam fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt. etenim erit confiteri neceſſe: ſi hæc enunciatio, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, verum non eſt, ſequitur vt falſum ſit. quorum iſti neutrum volunt, quod fieri non poteſt. Nec nos impediet illa ignaua ratio quæ dicitur. appellatur enim quidam à Philoſophis ἀργὸς λόγος: cui ſi pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue medicum adhibueris, ſiue non adhibueris, conualeſces. Item, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo non conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non, non conualeſces. & alterutrum fatum eſt. medicum ergo adhibere nihil attinet.*

*Confectum negocium*) Cicero de Diuinatione, *Quàm paucis verbis negocium confectum putant.* ſic Martialis, *Tu factam tibi rem ſtatim putaſti.* Ductus eſt ſermo ab hominum pactionibus & negotijs.

*Sine cauſſa*) quod tibi non concedetur. Nam vt fiat ſine cauſis ex æternitate naturæ manantibus, non fiet tamen ſine cauſis fortuito antegreſſis.

*Cauſſa cauſſam ſerens*) ex eo cauſarum ſeries dicitur fatum, id eſt, εἱρμὸς αἰτιῶν.

*Sexcentis*) Pro infinitis & innumeris ſexcenta Latini dicere ſolent. Cicero ad Atticum, *Belli periculum, militum improbitas, ſexcenta præterea alia.* *Si tum non eſſet*) cùm eſſet nondum capta.

*Ne illa quidem euerſa*) Sic locum reſtitui ex libris ſcriptis. Sententia eſt, ne capta quidem vrbe, vera fuerit enunciatio, Capiet Scipio Numantiam. non enim id iam futurum, ſed præteritum erit.

*Poteſt igitur*) Si ex vero in falſum futura mutari poſſunt, poſſet aliquid factum eſſe, quod falſum fuerit futurum



futurum eſſe. Hic enim Cicero ex Diodori ſententia Chryſippo reſpondet, & ſine fato docet futura immutabilia eſſe poſſe. locum per interrogationem lego.

*Inſtantia*) præſentia. Cicero de Orat. genus cauſæ ex controuerſia facti, vel ex futuri, vel ex inſtantis.

*Conſequenti*) futuro, ſequenti. *Cauſſas immutabiles*) vt vult Chryſippus. Immutabiles autem cauſæ fatales ſunt & neceſſariæ.

*Et tamen tam eſt imm.*) quæ ſententia eſt Diodori.

*Hortenſius*) qui Cicerone hæc condente iam mortuus erat. habebat autem in agro Tuſculano villam Hortenſius.

*Verum non*) id eſt, vera non eſt. inconſequens prope oratio ex conſuetudine dialecticorum diſputantiũ.

*Quorum iſti neutrum*) Epicurei, qui huiuſmodi enunciationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt, vt dicet infra Cicero.

*Nec nos impediet*) Si in futuris immutabilitatem Diodoream ſtatuamus, non impediet nos ignaua ratio, vt eos impedit qui fatum ponunt. nam in diſſoluenda valde laborant. Nec hæc ratio fatum confirmabat, ſed ex fato ducebatur hoc incommodum, & hinc fatum ſubuertebatur: proinde ſequitur, Carneades premebat alio modo.

*Ἀργὸς λόγος*) λόγος Stoicis ratiocinatio eſt & Syllogiſmus, vt ex Diogene Laertio perſpici poteſt. Hæc ratio ignaua dicitur: quia ſi ei pareamus, nihil in vita agemus. His autem ratiocinationibus ſic nomina imponebant ex re & argumento, λόγος ἐγκεκαλυμμένος: λόγος θερίζων, λόγος ψευδόμενος. Ignauæ rationis ſic meminit Plutarchus, πέμπτον δὲ καὶ ἐπὶ πᾶσιν εὐχαὶ θεῶν καὶ θεραπεῖαι λεγέσθω· ἀργοὶ δὲ καὶ θερίζοντες λόγοι, καὶ ὁ παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενος, σοφίσματα, ὡς ἀληθῶς, κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τυγχάνει ὄντα. Attigit & Plato in Menone: οὐκοῦν δεῖ πείθεσθαι τούτῳ ἐριστικῷ λόγῳ, τοῦτος μὲν γὰρ ἡμᾶς ἀργοὺς ποιήσει.

*Interrogant*) Nam interrogat is cui reſpondendum eſt, vt reſpondendum eſt iſta ratiocinanti.

*Si fatum tibi eſt*) captionem eſſe cenſet Plutarchus, & σόφισμα appellat.

*Et alterutrum eſt fatum*) id eſt fato decretum, fixum & ratum. Nam fatum hoc loco ita dictum eſſe videtur, vt ſit tanquam fatale.

*Rectè genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum eſt, quod eadem ratione omnis è vita tolletur actio. Licet etiam immutare, vt fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas ſententiam, hoc modo. Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex iſto morbo conualeſces: ſiue adhibueris medicum, ſiue non adhibueris, conualeſces. itemq́, Si ex æternitate hoc falſum fuit, Ex iſto morbo non conualeſces: ſiue adhibueris medicum, ſiue non adhibueris, non conualeſces: deinde cætera. Hæc ratio à Chryſippo reprehenditur. Quædam enim ſunt, inquit, in rebus ſimplicia, quædam copulata. Simplex eſt, Morietur eo die Socrates. huic, ſiue quid fecerit, ſiue non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At ſi ita fatum ſit, Naſcetur OEdipus Laio, non poterit dici, ſiue fuerit Laius cum muliere, ſiue non fuerit. copulata enim res eſt & confatalis. ſic enim appellat: quia ita fatum ſit, & concubiturum cum vxore Laium, & ex ea OEdipum procreaturum: vt ſi eſſet dictum, Luctabitur olympijs Milo, & referret aliquis, Ergo ſiue habuerit aduerſarium, ſiue non habuerit, luctabitur, erraret. eſt enim copulatum, luctabitur: quia ſine aduerſario nulla luctatio eſt. Omnes igitur iſtius generis captiones eodem modo refelluntur. Siue tu adhibueris medicum, ſiue non adhibueris, conualeſces: captioſum. Tam enim eſt fatale medicum adhibere, quàm conualeſcere. Hæc, vt dixi, confatalia ille appellat.*

*Quod eadem ratione*) quia quod in morbo dictum eſt, licet in omni re gerenda eodem modo enuncies: ex quo tolletur omnis actio.

*Hæc ratio à Chryſippo*) Chryſippus & ſi fatum affirmabat: tamen & id quod fieri poteſt, & conſilium, & deliberationem, & actiones, & officia retinebat: vt docet Alexander. Is igitur rationi ignauæ, quæ ad euerſionem fati obijciebatur, reſpondebat.

*Simplicia*) In quibuſdam ſimplex eſſe fatum ponit Chryſippus: in alijs tanquam duplex & copulatum, vt vtrunque confatale ſit. ita ignauam captionem ſoluit.

*Siue fuerit Laius*) eſſe cum muliere honeſtè & verecundè dicebant Romani, pro cum muliere rem habuiſſe, auctor Varro.

*Sic enim appellat*) συνειμαρμένον Chryſippus dixit, quod confatale Cicero vertit: hoc vocabulum apud Plutarchum extat in libello de Fato.

*Cum vxore*) Iocaſta, quam tamen Homerus Epicaſten vocat. Reſponderat autem Apollo Laio, ipſum interfectum iri ab eo quem procreaſſet. Oraculum eſt apud Euripidem,

Εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς.

*Milo*) Crotaniates. *Referret*) redderet, reſponderet.

*Refelluntur*) quod in eis quiddam copulatum ſit & confatale, vt cenſet Chryſippus.

*Carneades genus hoc totum non probabat, & nimis inconſideratè concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec vllam adhibebat calumniam: cuius erat hæc concluſio, Si omnia antecedentibus cauſſis fiunt, omnia naturali colligatione conſertè contexteq́ fiunt: quod ſi ita eſt, omnia neceſſitas efficit. id ſi verum eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate. eſt autem aliquid in noſtra poteſtate. at ſi omnia fato fiunt, omnia cauſſis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt, quæcunque fiunt. Hoc arctius aſtringi ratione non poteſt. nam ſi quis velit idem referre, atque ita dicere, Si omne futurum ex æternitate verum eſt, vt ita certè eueniat quemadmodum ſit futurum, omnia colligatione naturali conſertè contexteq́ fieri: nihil dicat. multum enim differt, vtrum cauſſa naturalis ex æternitate futura vera efficiat: an etiam ſine æternitate naturali, futura quæ ſint, ea vera eſſe poſſint intelligi. itaque dicebat*

*Carneades, ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea quorum cauſſas natura ita contineret, vt ea fieri neceſſe eſſet. Quid enim ſpectans Deus ipſe diceret, Marcellum eum qui ter Coſ. fuit, in mari eſſe periturum? Erat hoc quidem verum ex æternitate, ſed cauſas id efficientes non habebat. ita ne præterita quidem ea, quorum nulla ſigna tanquam veſtigia extarent, Apollini nota eſſe cenſebat, quominus futura. cauſſis enim efficientibus quanque rem cognitis, poſſe deniq́; ſciri quid futurum eſſet. Ergo nec de OEdipo potuiſſe Apollinem prædicere, nullis in rerum natura cauſſis præpoſitis, cur ab eo partem interfici neceſſe eſſet: nec quicquam eiuſmodi.*

*Carneades genus*) Carneades inſtituto nouorum Academicorum in Stoicos diſputabat: ſed in oppugnatione fati non probabat ignauam rationem & Stoicos alio argumento premebat.

*Adhibebat calumniam*) nam captio & calumnia ineſt in ratione ignaua.

*Concluſio*) argumentatio.

*Anteced.*) προηγουμέναις αἰτίαις.

*Conſertè, coni.*) naturalis quædam eſt cauſarum ſeries & colligatio. *In noſtra poteſtate*) quod ἐφ' ἡμῖν dicunt.

*Hoc arctius*) hæc ratio & concluſio firmiſſima eſt. ductum à faſcibus qui vinculis aſtringuntur.

*Referre*) in nos reijcere & retorquere, qui fatum negamus: & tamen immutabilitatem in futuris dicimus ex Diodori ſententia.

*Nihil dicat*) Non enim partium neceſſaria fuerit colligatio & ſeries cauſarum, ſi omne futurum ex æternitate verum ſit, cùm ſine cauſis neceſſarijs & antegreſſis verum eſſe poſſit.

*Naturalis*) vt vult Chryſippus Diodoreis repugnantibus.

*Itaque dicebat*) Diodori ſententia περὶ δυνατῶν aduerſus Stoicos vtebantur Academici, vt vera ex æternitate futura eſſent, ſine naturalium cauſarum anteceſſione: ac proinde Carneades diuinationem eſſe negabat poſſe, & ſi immutabilitas in futurorum veritate eſſet, niſi in ijs quæ naturalibus & neceſſarijs cauſis continerentur.

*Marcellum eum*) Cicero de Diuinatione, *Vt ſi quis M. Marcellum illum, qui ter conſul fuit, multis annis antè dixiſſet naufragio eſſe periturum, diuinaſſet profectò:* & in Piſonem, *M. Marcellus, qui ter conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, perijt in mari.* Fuit autem, vt Aſconius ait, nepos illius Marcelli, qui Syracuſas cepit. is naufragio ad Africam perijt paulo ante tertium Punicum bellum.

*Ex æternitate*) ex infinito & æterno tempore.

*Veſtigia*) in quibus admonitio eſſet præteriti.

*Quominus futura*) Apollini nota eſſe, cui ne præterita quidem nota ſint.

*Poſſe denique*) poſſe tum demum.

*Quocirca ſi Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, conſentaneum eſt huiuſmodi oracula cæteraq́; quæ ad diuinationem pertinent, comprobare: ijs autem qui quæ futura ſunt, ea vera eſſe ex æternitate dicunt, non idem dicendum eſt, vide ne non eadem ſit illorum cauſſa & Stoicorum. Hi enim vrgentur anguſtijs, illorum ratio ſoluta ac libera eſt. Quòd ſi concedatur nihil poſſe euenire niſi cauſſa antecedente, quid proficiatur, ſi ea cauſſa non ex æternis cauſſis apta ducatur? cauſſa autem ea eſt, quæ id efficit cuius eſt cauſſa, vt vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. itaque non ſic cauſſa intelligi debet, vt quod cuique antecedat id ei cauſſa ſit, ſed quod cuique efficienter antecedat. nec quod in campum deſcenderim, id fuiſſe cauſſæ cur pila luderem: nec Hecubam cauſſam interitus fuiſſe Troianis, quòd Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quòd Clytæmneſtram. hoc enim modo viator quoque bene veſtitus cauſſa graſſatori fuiſſe diceretur, cur ab eo ſpoliaretur. Ex hoc genere illud eſt Ennij,*

> Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
> Cæſa cecidiſſet abiegena ad terram trabes.

*licuit vel altius, Vtinam ne in Pelio nata vlla vnquam eſſet arbor: etiam ſupra, Vtinam ne eſſet mons vllus Pelius: ſimiliterq́; ſuperiora repetentem regredi infinitè licet.*

> Néue inde nauis inchoandæ exordium
> Cœpiſſet,

*quorſum hæc præterita? quia ſequitur illud,*

> Nam nunquam hera errans mea, domo efferet pedem
> Medea, animo ægro, amore ſæuo ſaucia.

*non vt hæ res cauſſam afferrent amoris.*

*Quocirca*) colligit omnia eſſe expeditiora & liberiora Diodoreis, quàm Stoicis, & eorum ſententias valde diſcrepantes eſſe: quas tamen quiſpiam fortaſſe eaſdem falſo eſſe putaret, & nonnulli Stoici clamabant. Non enim neceſſe eſt Diodoro diuinationem & oracula approbare: neceſſe eſt Stoicis, ſi ſibi conſtare velint.





*Iis autem*) Diodoreis. *Hi enim*) Stoici. *Illorum*) Diodoreorum, qui ſine cauſarum anteceſſione futura ex æterno tempore vera eſſe dicunt.

*Quod ſi conced.*) Antea negauit omnis motus cauſas eſſe antecedentes, vnde fatum Stoici argumentabantur: nunc hoc conceſſo, negat tamen ſequi fatum eſſe.

*Ex æternis cauſſis apta*) ex cauſis in rerum natura quæ æterna eſt poſitis profecta. Nam huiuſmodi cauſæ vi ſua certè efficiunt, quod ſub eis ſubiectum eſt, vt ignis accendit.

*Cauſſa autem eſt*) quæ efficienter rei cuique antecedit. Itaq; adiumenta, præcurſiones, materiam, ferramenta, ſine quibus aliquid effici nequit, in cauſis hic non numerat.

*In campum*) Martium, vbi ſe iuuentus Romana exercebat. Cicero de Oratore, *Vt in illum Titium, qui cum ſtudioſe pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregaleſque cur in campum non veniſſet requirerent, excuſauit Veſpa Terentius, quod eum brachium fregiſſe diceret.*

*Quod Alexandrum*) qui rapta Helena, Troiæ excidij cauſa fuit.

*Clytæmneſtram*) quæ Agamemnonem maritum interfecit.

*Ex hoc genere*) ex eo genere rerum ſine quibus effici non poteſt. Locus eſt ex Ennij Medea.

*Regredi infinite*) in infinitum retroire.

*Intereſſe autem aiunt, vtrum eiuſmodi quid ſit, ſine quo aliquid effici non poſſit: an eiuſmodi cum quo effici aliquid neceſſe ſit. Nulla igitur earum eſt cauſſa, quoniam nulla earum rerum ſua vi efficit id cuius dicitur cauſſa. nec id ſine quo quippiam non fit, cauſſa eſt: ſed id quod cum acceſſit, id cuius cauſſa eſt, efficit neceſſariò. Nondum enim vlcerato ſerpentis morſu Philocteta, quæ cauſſa in rerum natura continebatur, fore vt is in inſula Lemno linqueretur? poſt autem cauſſa fuit propior, & cum exitu iunctior. Ratio igitur euentus aperit cauſſam: ſed ex æternitate vera fuit hæc enunciatio, Relinquetur in inſula Lemno Philoctetes: nec hoc ex vero in falſum poterat conuerti. neceſſe eſt enim in rebus contrarijs duabus. contraria autem hoc loco, ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat. Ex his igitur neceſſe eſt inuito Epicuro alterum verum eſſe, alterum falſum: vt, Sauciabitur Philoctetes, omnibus antè ſeculis verum fuit: Non ſauciabitur, falſum. niſi fortè volumus Epicureorum opinionem ſequi, qui tales enunciationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt: aut cum id pudet, illud tamen dicunt quod eſt impudentius, veras eſſe ex contrarijs diſiunctiones: ſed quæ in his enunciata eſſent, eorum neutrum eſſe verum. O admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcientiam diſſerendi! ſi enim aliquid in eloquendo nec verum, nec falſum eſt, certè id verum non eſt: quod autem verum non eſt, qui poteſt non falſum eſſe? aut quod falſum non eſt, qui poteſt verum eſſe? tenebitur id quod à Chryſippo defenditur, Omnem enunciationem aut veram, aut falſam eſſe: ratio ipſa coget, & ex æternitate quædam vera eſſe, & ea non eſſe nexa cauſſis æternis, & à fati neceſſitate eſſe libera.*

*Intereſſe*) etiam Stoici, vt proinde ex eorum ſententia aliquid antecedere poſſit, quod cauſa non ſit.

*Serpentis*) Alij à ſerpente vlceratum Philoctetem ſcribunt: alij cecidiſſe in eius pedem ſagittam hydræ cruore imbutam.

*Poſt autem*) Poſteaquam Lemnum venit in expeditione belli Troiani.

*Ratio igitur*) Scimus enim cur in Lemno relictus ſit ex euentu.

*Neceſſe eſt enim*) In contradictione diſiunctionum neceſſitas eſt: proinde pars altera vera, altera falſa eſt. Ea ratio erat Diodori. *Ait quid*) affirmat.

*Tales enunciationes*) quæ de futuro aliquid dicunt quod fieri poſſit, aut non poſſit: vt Sauciabitur Philoctetes. Nam cùm Epicurus omnem enunciationem veram aut falſam eſſe negabat, id potiſſimum de his intelligebat.

*Ex contrarijs*) Sauciabitur, aut Non ſauciabitur Philoctetes, verum dicebant: nec tamen Sauciabitur. verum: nec Non ſauciabitur falſum. *In eloquendo*) in enunciando.

*Nec verum, nec falſum*) In Epicureos argumentatur, qui iſta enunciata nec vera, nec falſa dicebant. Nam quod nec verum, nec falſum eſt. verum non eſt: quod verum non eſt, id falſum eſt.

*Tenebitur*) non negabimus vt Epicurei, ſed defendemus ex Diodori ſententia, omnem enunciationem veram aut falſam eſſe: nec ex eo tamen ſequi fatũ eſſe, quamuis vera ſint ex æternitate. Non enim erunt ea ex æternis apta & nexa cauſis, quæ fati neceſſitatem habeant.

*Ac mihi quidem videtur, cum duæ ſententiæ fuiſſent veterum philoſophorum, vna eorum, qui cenſerent, omnia ita fato fieri, vt id fatum vim neceſſitatis afferret, in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur ſine vllo fato eſſe animorũ motus voluntarij: Chryſippus tanquam honorarius arbiter medium ferire voluiſſe: ſed applicat ſe ad eos potius, qui neceſſitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis vtitur ſuis, delabitur in eas difficultates, vt neceſſitatem fati confirmet inuitus. Atq́; hoc, ſi placet, quale ſit, videamus in aſſenſionibus, quas prima oratione tractaui. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici & neceſſitate dicebant. Qui autem ab his diſſentiebant, fato aſſentiones liberabant negabantq́; fato aſſenſionibus adhibito, neceſſitatem ab his poſſe remoueri: ijq́; ita diſſerebant, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt antecedente cauſſa: &, ſi appetitus, illa etiam quæ appetitum ſequuntur: ergo etiam aſſenſiones. At ſi cauſſa appetitus non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate: quod ſi ita eſt, ne illa quidem quæ appetitu efficiuntur, ſunt ſita in nobis: non ſunt igitur neq́; aſſenſiones, neq́; actiones, in noſtra poteſtate. ex quo efficitur, vt nec laudationes iuſtæ ſint, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia: quod cum vitioſum ſit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcunq́; fiant.*

*Ac mihi quidem videtur*) Duæ veterum ſententiæ fuerunt: vna eorum, qui fato fieri omnia cenſebant: altera eorum, qui neque fatum ponebant & voluntarios animi motus eſſe dicebant: Chryſippus & fatum probauit, & voluntatis libertatem retinuit.

*Id fatum*) Nam Chryſippus in fato vim neceſſitatis non ponit, cum aliquid in noſtra poteſtate relinquit.

*Ariſtoteles*) In Acromaticis ſemper fatum oppugnat Ariſtoteles, & eius interpres Alexander. ſed in Exotericis, vt opinor, etiam fatum poſuerat, velut in libro de mundo, οἶμαι δὲ καὶ τὴν ἀνάγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι, πλὴν τοῦτον οἱονεὶ ἀνίκητον οὐσίαν ὄντα· εἱμαρμένην δὲ διὰ τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως· πεπρωμένην δὲ καὶ διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄπειρον εἶναι. & cætera. Eam enim Peripateticorum & Academicorum, qui ijdem erant, ſententiam fuiſſe. ſic in Academicis ſcribit, Quam interdum eandem neceſſitatem appellant, quia nihil aliter poſſit atque ab ea conſtitutum ſit, euenire, quaſi fatalem & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni: nonnunquam quidem eam fortunam, quòd efficiat multa improuiſa hæc nec opinata nobis propter obſcuritatem ignorationemq; cauſarum. *Chryſippus tanq.*) Eam ſententiam ferre Chryſippus videtur, & ita rem diſceptare, vt & fato omnia fiant, & aliquid ſit in noſtra poteſtate.

*Honorarius arbiter*) is eſt quem litigantes honoris cauſa delegerunt diſceptatorem controuerſiæ ſuæ, æquè ac ab honore prætoris ius prætorium honorarium dicitur. Sic Cicero in Tuſcul. 5. *Quorum controuerſiam ſolebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades.* Sic pro Cæcinna honorariam & domeſticam amici operam arbitrium appellat.

*Medium ferire*) ab ictu ductum & petitione. mediam quandam ſecutus eſt ſententiam.

*Sed applicat ſe*) In eorum tamen eſt ſententiam propenſior qui fatum negant, & voluntatis motus liberos, non coactos putant, cùm in fato neceſſitatem non ponat, ſed propenſionem & inclinationem. Ductum ab alienigenis qui Romæ ad aliquem patronum ſe applicabant.

*Verbis vtitur ſuis*) Quibus vti ſolet de vi & poteſtate fati diſſerens. Nam viciſſim tantam ei tribuit neceſſitatem, vt æſtuans & laborans retinere vix poſſit animi libertatem. Ita ſe induit & implicat. Id ex Plutarcho intelligi poteſt, qui ita ſcribit, ὁ δὲ λέγων ὅτι Χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν, ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην, ἐκεῖ πάλιν αὐτὸν ἀποδείξει μαχόμενον πρὸς αὐτόν, ὅπου τὸν μὲν Ὅμηρον ὑπερφυῶς ἐπαινεῖ περὶ τοῦ Διὸς λέγοντα, τῷ ἔχετ' ὅττι κεν ὔμμι κακὸν πέμπῃσιν ἑκάστῳ.

Ἢ ἀγαθόν      καὶ τὸν Εὐριπίδην,
Ὦ Ζεῦ, τί δῆτα τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
φρονεῖν λέγοιμ' ἂν; σοῦ γὰρ ἐξηρτήμεθα
Δρῶμέν τε τοιαῦθ' ἃ σὺ τυγχάνεις φρονῶν.

αὐτὸς δὲ πολλὰ τούτοις ὁμολογούμενα γράφει. τέλος δέ, φησὶ μηδὲ ἴσχεσθαι, μηδὲ κινεῖσθαι, μηδὲ τοὐλάχιστον ἄλλως ἢ κατὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον, ὃν τῇ εἱμαρμένῃ τὸν αὐτὸν εἶναι.

*In aſſenſion.*) quas συγκαταθέσεις vocant, id eſt approbationes. Viſis autem quæ propriam habent declarationem earum rerum quæ videantur, fides & aſſenſio adiungitur. Ac primum quidem cùm quid obijcitur ſenſibus, phantaſia eſt, id eſt viſum: quam ſequitur aſſenſio: aſſenſionem comprehenſio. Nam cùm viſum acceptum & approbatum erat, comprehenſionem vocabant. *Vi effic.*) Vi quadam fatali & neceſſaria. *Itaque ita diſſer.*) Ita argumentabantur..

*Etſi appetitus*) Appetitio quæ ὁρμὴ dicitur, qua quod ad naturam ſuam accommodatum eſt, expetunt animantes: vt res perſpicuas approbant. *Appetitum ſequuntur*) Actiones.

*Etiam aſſenſiones*) Quæ appetitum ſequuntur, & quibus antè quàm agamus approbamus. Plutarchus, καὶ μὴν ἔν γε τοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημιακοὺς ἀγῶσιν ὁ πλεῖστος αὐτῷ τε Χρυσίππῳ καὶ Ἀντιπάτρῳ πόνος γέγονε περὶ τοῦ μήτε πράττειν μήτε ὁρμᾶν ἀσυγκαταθέτως. *Cauſſa appetitus*) non eſt in noſtra poteſtate, ſed externa eſt & fatalis.

*Appetitu*) Vt aſſenſiones & actiones, quibus appetitus præcurrit, quarumque auctor eſt.

*Nec laudationes*) Si neceſſitate fatali conſtricti agimus coacti & inuiti, neque virtus laudem, neque vitium vituperationem meretur: nec optimi ciues honore, ſcelerati ſupplicio affici debent.

*Chryſippus autem cum & neceſſitatem improbaret, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſſis euenire, cauſſarum genera diſtinguit, vt & neceſſitatem effugiat, & retineat fatum. Cauſſarum enim, inquit, aliæ ſunt perfectæ & principales, aliæ adiuuantes & proximæ. quamobrem quum dicimus omnia fato fieri cauſſis antecedentibus, non intelligi volumus, cauſſis perfectis & principalibus, ſed cauſſis antecedentibus, adiuuantibus & proximis. Itaq; illi rationi quam paulo ante concluſi, ſic occurrit, Si omnia fato fiant, ſequi illud quidem, vt omnia cauſſis fiant antepoſitis: verùm non principalibus cauſſis & perfectis, ſed adiuuantibus & proximis. quæ ſi ipſæ non ſunt in noſtra poteſtate, non ſequitur, vt ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate. at hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis & principalibus cauſſis fieri diceremus, vt cùm hæ cauſſæ non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille quidem eſſet in noſtra poteſtate. quamobrem qui ita fatum introducunt, vt neceſſitatem adiungant, in eos valebit illa concluſio. qui autem cauſſas antecedentes non dicunt perfectas neq; principales, in eos nihil valebit. quod enim dicantur aſſenſiones fieri cauſſis antepoſitis, id quale ſit, facile à ſe explicari putat. nam quanquam aſſenſio non poſſit fieri niſi commota viſo: tamen quum id viſum proximam cauſſam habeat non principalem, hanc habet rationem, vt Chryſippus vult, quam dudum diximus, non vt ille quidem fieri poſſit nulla vi extrinſecus excitata (neceſſe eſt enim aſſenſionem viſo commoueri) ſed reuertitur ad cylindrum & turbinem ſuum, quæ moueri incipere niſi pulſa non poſſunt. Id autem quum accidit, ſuapte natura, quod ſupereſt, & cylindrum volui, & verſari turbinem putat. Vt igitur, inquit, qui protruſit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum obiectum imprimet illud quidem, & ſpeciem ſuam quaſi ſignabit in animo. ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate: eaq; quemadmodum in cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum*



*liquum eſt ſuapte vi & natura mouebitur. Quod ſi aliqua res efficeretur ſine cauſſa antecedente, falſum eſſet omnia fato fieri: ſin omnibus quæcunq; fiunt veriſimile eſt cauſſam antecedere, quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum ſit: modo intelligatur, quæ ſit cauſſarum diſtinctio ac diſſimilitudo?*

*Neceſſitatem improbaret*) Fatum enim nectit Chryſippus ex cauſis præcurrentibus, non neceſſarijs tamen: Cicero in Topicis, *Aliæ autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam adferunt per ſe adiumenta, etſi non neceſſaria, vt amori congreſſio cauſſam attulerit, amor flagitio.* Ex hoc genere cauſarum ex æternitate pendentium, fatum à Stoicis nectitur. Quod idem de Stoicorum ſententia etiam à Plutarcho ſcribitur in cap. de Fato. *Ita cùm à fato Chryſippus neceſſitatem remoueret, aliquid in noſtra poteſtate relinquebat.* *Sine præpoſitis cauſſis*) ſine antecedentibus cauſis.

*Cauſſarum enim*) Multa cauſarum genera ponunt Stoici: αὐτοτελῆ, προκαταρκτικά, συναίτια, ἑκτικά, συνεκτικά. perfectas & principales αὐτοτελεῖς αἰτίας καὶ κυρίας vocant, adiuuantes συναίτια, quæ adiumenta quædam afferunt, etſi non neceſſaria.

*Itaque illi rationi*) more Stoicorum, qui συλλογισμὸν λόγον, ratiocinationem rationem, ſæpenumero vocant. *Paulo ante concluſi*) ea eſt, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt cauſa antecedente.

*Vt ne appetitus*) Quia in illis cauſis nulla neceſſitas eſt, vt vis afferatur appetitui.

*Perfectis*) quæ efficienter rei cuique antecedunt, & neceſſitatem afferunt.

*Illa concluſio*) non in Chryſippum. *Commota viſo*) viſum antecedit approbationem. viſis enim perſpicuis credimus & aſſentimur. ſic autem interpretari ſolet φαντασίαν Cic.

*Proximam cauſſam*) euento & rei propinquiore: etſi illa antecedens eſt & externa: proxima igitur eſt quæ προσεχὴς dicitur: eadem etiam interdum continens dicitur, id eſt cohærens & coniuncta cum re, vt paulo poſt. Continentem aliam poſuerunt cauſam Stoici omnia peruadentem & penetrantem, quem ſpiritum appellauere, rei cuiuſque vim naturamque fouentem & arcentem. cauſæ antecedentes & antegreſſæ ſunt προκαταρκτικὰ & προηγούμενα αἴτια, ſiue neceſſariæ ſint, ſiue non ſint.

*Non vt illa quidem*) vt ſine viſo fieri non poſſit, nec tamen in viſi impulſione neceſſaria ſit approbationis cauſa, ſed tanquam principium & adiumentum, reliquo animi motu libero & ſoluto.

*Sed reuertitur*) Gellius libro 2. cap. 2. iſtam Chryſippi ſententiam explicat & laudat: Alexander in libro de fato damnare videtur. ἀλλὰ ἀφωρισμένως ἕκαστον πράττειν ὧν πράττομεν, παραπλησίως τῷ θερμαίνοντι πυρὶ, καὶ τῷ λίθῳ τῷ καταφερομένῳ, καὶ κατὰ τοῦ πρανοῦς κυλιομένῳ κυλίνδρῳ. ſententia eſt, Vt cylindrus ab impulſione externa principium motus habet, reliquum à ſua mobilitate: ſic in approbationibus principium eſt ab obiecta extrinſecus ſpecie, reliquum ab animi libero motu. *Et quaſi ſignabit in animo*) Ductum ab annulis ſignatorijs ſpeciem in cera ſignantibus. Diogenes Laertius, τὴν δὲ φαντασίαν εἶναι τύπωσιν ἐν ψυχῇ, τοῦ ὀνόματος οἰκείως μετενηνεγμένου ἀπὸ τῶν τύπων ἐν τῷ κηρῷ ὑπὸ τοῦ δακτυλίου γινομένων. *Extrinſecus pulſa*) viſo commota.

*Sine cauſa antecedente*) quanquã non neceſſaria, ſed præcurrente. *Diſtinctio*) vt quædam perfectæ ſint & principales, αὐτοτελῆ καὶ κύρια αἴτια: quædam adiuuantes συναίτια, ex quibus fatum texitur.

*Hæc cum ita ſint à Chryſippo explicata, ſi illi qui negant aſſenſiones fato fieri fateantur: tamen eas non ſine viſo antecedente fieri, alia ratio eſt: ſed ſi concedunt anteire viſa, nec tamen fato fieri aſſenſiones, quòd proxima illa & continens cauſſa non moueat aſſenſionem, vide ne idem dicant. neque enim Chryſippus concedens aſſenſionis proximam & continentem cauſſam eſſe in viſo poſitam, eam cauſſam eſſe ad aſſentiendum neceſſariam concedet: vt ſi omnia fato fiant, omnia fiant cauſſis antecedentibus & neceſſarijs. Itemq; illi qui ab hoc diſſentiunt, confitentes non fieri aſſenſiones ſine præcurſione viſorum, dicent ſi omnia fato fierent eiuſmodi, vt nihil fieret niſi prægreſſione cauſſæ, confitendum eſſe fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu eſt, quum vtrique patefacta atq; explicata ſententia ſua ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re diſſidere. omninoq; quum hæc ſit diſtinctio. vt quibuſdam in rebus verè dici poſſit, quum hæ cauſſæ antegreſſæ ſint, non eſſe in noſtra poteſtate quin illa eueniant, quorum cauſſæ fuerint: quibuſdam autem in rebus cauſſis antegreſſis, in noſtra tamen eſſe poteſtate, vt illud aliter eueniat: hanc diſtinctionem vtrique approbant: ſed alteri cenſent, quibus in rebus quum cauſſæ anteceſſerint, non ſit in noſtra poteſtate, vt aliter illa eueniat, ea fato fieri: quæ autem in noſtra poteſtate ſint, ab ijs fatum abeſſe.*

*Hæc cum ita ſint*) Sic diſceptat controuerſiam Chryſippi fatum ex præcurrentibus cauſis & non neceſſarijs nectentis, voluntatiſque libertatem retinentis, & eorum qui fatum negant, vt eos verbis, non re diſſidere doceat: quod conſequitur, explicata vtriuſque ſententia.

*Fato fieri*) ſed liberas eſſe. *Alia ratio*) Non enim tantum verbis, ſed re etiam diſſentirent, ſi præcurrere viſum negarent, & à ſe animum liberè ſine ſpecie ablata moueri dicerent.

*Eam cauſſam*) proximam & continentem.

*Vt ſi omnia fato*) quod fieret, ſi cauſa neceſſaria & principalis eſſet.

*Ab hoc diſſent.*) qui fato fieri omnia negant. *Eiuſmodi*) cuiuſmodi fatum Chryſippus ponit: contra tamen omnium ſententiam, & anteceptam animo informationem fati.

*Omninoq;*) Repetit diſtinctionem cauſarum principalium & adiuuantium.

*Ea fato fieri*) Diſputatio de vocabulo eſt, quid fatum ſit. Nam hi qui fato omnia fieri negant, fatum tantùm ponunt in principalibus & neceſſarijs cauſis: quæ quidem fati vera eſt notio, cui vim affert Chryſippus, vt aliquid in noſtra poteſtate relinquat. nam contra omnium ſententiam fatum neceſſitate liberat, & in prægreſſione cauſarum adiuuantium ponit. In quo ab Alexandro reprehenditur.

*Ab ijs fatum*) in quibus tamen à Chryſippo etiam fatum ponitur. Docuit ergò paulo ante Cicero Chryſippum, dum aliquid in noſtra poteſtate relinquit, in eorum ſententiam eſſe delapſum, qui omnia fato fieri negant. Mox Epicurum dicit fatum ſine neceſſitate ſequi potius debuiſſe, quàm com-

mentitios motus afferre. Nam ita defendere poſſet quendam eſſe animi motum voluntarium, ſi in fato neceſſitas nulla eſſet.

*Hoc modo hanc cauſſam diſceptari oportet: non ab atomis errantibus & de via declinantibus præſidium petere: Declinat, inquit, atomus. Primum cur? aliam enim quandam vim motus habebunt à Democrito impulſionis, quam plagam ille appellat: à te Epicure grauitatis & ponderis. Quæ ergo noua cauſa in natura eſt, quæ declinet atomum? aut num ſortiuntur inter ſe quæ declinent, quæ non? aut cur minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent vno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem eſt, non diſputare. nam neq; extrinſecus impulſam atomum loco moueri & declinare dicis, neq; in illo inani per quod feratur atomus, quicquam fuiſſe cauſſæ cur ea non è regione ferretur: nec in ipſa atomo mutationis aliquid factum eſt, quamobrem naturalem motum ſui ponderis non teneret. Ita quum attuliſſet nullam cauſſam quæ iſtam declinationem efficeret: tamen aliquid ſibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes aſpernentur ac reſpuant.*

*Errantibus*) non rectà cadentibus in præceps. *Inquit*) Epicurus.

*Primum*) ſi declinatio motus eſt atomorum, cur alius eis & à Democrito, & à te motus tribuitur? à Democrito plagæ, à te ponderis? Plutarchus, Δημόκριτος ἓν γένος τῆς κινήσεως τὸ κατὰ πληγήν. Idem etiam fatum ponebat: auctor Plutarchus in Cap. de neceſſitate. Hinc etiam optimè explicari poteſt locus ſuperior, quo motum quendam oriri dicebat extra pondus & plagam: vt pondus ex Epicuri ſententia dictum ſit; plaga, Democriti: quem talem locum paulo aliter ex Plutarcho ſum interpretatus.

*Minimo*) quod appellauit Epicurus, vt ait antea Cicero, ἐλάχιστον.

*Duobus*) minimis interuallis.

*Optare hoc*) voluntatis alicuius & optati potius hoc eſſe videtur, quàm diſputationis & doctrinæ. Cicero in Lucullo, *Somnia cenſet hæc eſſe Democriti non docentis, ſed optantis.* Cicero 2. Tuſcul. *Optare hoc quidem eſt, non docere.*

*Inani*) in vacuo ſpatio, in quo nihil eſt quod atomum appellat.

*E regione*) ad lineam.

*Sui ponderis*) cur declinet non deorſum feratur ſuopte pondere. ſunt enim Epicuro omnia corpora grauia, vt docui. *Sibi dicere*) Nam ſe putat reperiſſe fati liberationem.

*Nec verò quiſquam magis confirmare mihi videtur non modò fatum, verùmetiam neceſſitatem, & vim omnium rerum, ſuſtuliſſeq; motus animi voluntarios, quàm hic qui aliter obſiſtere fato fatetur ſe non potuiſſe, niſi ad has commentitias declinationes confugiſſet. nam vt eſſent atomi, quas quidem eſſe mihi probari nullo modo poteſt: tamen declinationes iſtæ nunquam explicarentur. nam ſi atomis vt grauitate ferantur tributum eſt neceſſitate naturæ, quòd omne pondus nulla re impediente moueatur & feratur neceſſe eſt: illud quoque neceſſe eſt, declinare quibuſdam atomis, vel ſi volunt, omnibus, naturaliter.*

*Non modò fatum*) quando fatum à nonnullis ſine neceſſitate ponitur, vt paulo ante à Chryſippo.

*Vt eſſent atomi*) Indiuidua corpuſcula, quæ Epicurus rerum primordia putat, nulla cenſet Cicero.

*Nam ſi atomis*) vt grauitatis & ponderis motus in atomis neceſſarius eſt, ita declinationis motus. Ex quo euenit, vt quo commento fatum ſe depulſurum putauit Epicurus, eo imprudens fatum conſtituat. neceſſarium eſſe motum ponderis non poteſt inficias ire, niſi ſuorum conuellat principiorum motum perpetuum, qui ſi non eſſet neceſſarius, non debuit excogitare declinationem ad fati depulſionem.

# ADRIANI TVRNEBI DISPVTATIO AD LIB. CICERONIS DE FATO, ADVERSVS QVENDAM QVI NON SOLVM Logicus eſſe, verùmetiam Dialecticus haberit vult.

## *CLARISS. VIRO LANCILOTO CARLO EPISCOPO REGIENSI ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.*

*CONTROVERSIA QVAEDAM V. C. MIHI CVM ACERRIMO diſputatore & antiquitatis reprehenſore nata eſt: cuius rei notionem cum pro tua ſingulari eruditione eſſe tuam intelligerem, te iudicem tuli, quem iniquum eierare nemo poſſit. Nam cùm in omni nobiliſſimarum artium genere facilè excellis, tùm ea es animi moderatione, integritate, æquitate, religione, fide, vt tibi paucos comparare poſſimus, anteferre neminem. Quòd ſi aduerſarius fortè apud te reſpondere recuſet, ne mireris: adhuc in omni contentione ita ſe geſſit, vt præſcribendo tutiorem ſe ſemper putauerit, quàm litigando. Itaq; quandocunq; cogitur, à legitimis iudicijs ad popu-*





*lum prouocat, & domum turbam admittit: iudiciumq; de ſe ipſe domi exercet, vbi aliquem de ludo impudentiæ declamatorē ſibi patronum iudex excitat, à quo coràm in os laudetur, nos vituperemur. Duræ verò ſunt illis declamatoris partes, remq; difficilem ſuſcipit, præſertim cum res magni operis eſſet Athenis Athenienſes laudare. Sed aduerſarius quid acturus ſit viderit, modò mea cauſa tibi nota probatáque ſit. Vale.*

# *DISPVTATIO ADRIANI TVRNEBI AD LIBRVM CICERONIS DE FATO, ADVERSVS QVENDAM qui non ſolùm Logicus eſſe, verùmetiam Dialecticus haberi vult.*

SCRIPSI ALIQVANDO LEVI SATIS OPERA COMMENTARIOLVM in librum Ciceronis De fato: cum ego, quod mihi magnæ voluptati fuit, non ſolùm pueris, qui prima in literis rudimenta ponunt, profuiſſe animaduerti: verùmetiam hominibus nonnullis, qui tantos progreſſus in literis habent, vt duarum nobiliſſimarum artium titulis celebres, hominum commemoratione & ſermone floreant, non inutilem fuiſſe cognoui. Eius enim admonitione, quædam, in quibus humanitus errauerant, emendarunt. Nam ne multa commemorando exprobrare beneficium videar: quæ de Diodoro ſomniauerant, quem Peripateticum philoſophum æqualem Chryſippi fuiſſe ſatis audacter nullo auctore, nullo adſtipulatore ſcripſerant, ingenuè mutarunt. & quæ in explicando motu atomorum de plaga, quam regionem acceperant, oſcitantes hallucinati erant, à me Lucretij auctoritate de ſententia deducti, libenter correxerunt: ac meam interpretationem ita auidè occupauerunt, vt mihi verendum ſit, ne eius poſſeſſionem nullis interdictis recuperare poſſim. Multa etiam commemorare poſſem alia, quæ ſuis caſtigandis ex Commentariolo meo, ſi fatentur, ſumpſerunt: ſi negant, ſurripuerunt. In quo quid veritatis dignitas valeret, facilè intellexi. Nam qui nullis aliquando Senatuſconſultis, nullis regum imperijs ceſſerant: ij veritati libenter faſces ſummiſere, & veritati facilè ceſſere. Itaque quanquam nonnulla defendunt, in quibus ab ipſis non tam concertandi cupiditate, quàm veri inueniendi voluntate diſſenſi: tamen confido, ſi veterum teſtimonijs, & argumentorum momentis ſententiam meam comprobaro, eos facilè in meam partem diſceſſionem eſſe facturos. Ac meum fortaſſe nonnullum vitium ſit, qui, dum breuitati ſtudeo, minus intellectus ſim. Nunc dabo operam, vt ita dilucidè planeque res tota explicetur: ita omnia veterum ſententia teſtata, rerum auctoritate confirmata ponantur, vt verum facilè extet & appareat. Verumtamen eſt quod meritò conqueri poſſim, quòd in me per ſummam iniuriam inuaſerunt, cui pro beneficio ſaltem gratiam habere debuerant. Qui enim errorem aliquem meum vel diſſimulare, vel tegere, vel ſubleuare debuerunt: infenſi & iniqui impetum in me potiſſimum fecerunt. In quo vt eruditionem fortaſſe & eloquentiam, quam ſibi arrogant, oſtentare potuerint: certe philoſophiæ officijs, cuius ſe profeſſores appellant, defuerunt: ac ſcientiam & orationem ſuam, quàm vitam, laudari maluerunt. Ego morum curam, quàm ingenij venditationem bonis hominibus eſſe potiorem & antiquiorem debere ſemper putaui. Id etiam eo odioſius eſt, quòd quemadmodum frons fugitiuorum & nequam ſeruorum olim inſcribebatur: ita mihi pro maſtigia, velut in ipſa fronte notas inurere tentarunt, cùm initio libri me reprehendendum potiſſimum cenſuerunt. Sed, vt ſpero, ita eorum reprehenſionem refellam, & in quo me reprehendunt, ita eos affines culpæ eſſe oſtendam, vt ipſorum fronti meritò notæ illæ impingi debeant. Intelligent enim aliud eſſe impudenter aliquid affirmare, & tanquam pro ſuo iure ſumere, aliud veterum teſtimonijs confirmatum, rerum auctoritatibus probatum aliquid in medium afferre. quod, ne longior ſim, hinc facere iam aggredior.

Quæſtio de fato ad quem locum philoſophiæ pertineat, parum mihi cùm aduerſario conuenit. Ait enim eam eſſe totam logicæ: ſic enim loquitur: ego ad mores pertinere contendo. Hic vt errori ſuffragaretur ſuo, Ciceronis literam deprauauit. Nam cùm in bonis libris Petri Victorij opera editis, legeretur, *Quia pertinet ad mores, quos ἦθος illi vocant, nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus: ſed decet augentem linguam Latinam appellare moralem, explicandáque vis eſt & ratio enunciationum,* &c. cumque eam literam etiam inueniſſem in libris ſcriptis, & in Commentario meo ſecutus eſſem: noſtræ tamen operæ in deprauatam illam lectionem, quæ à multis recepta eſt, incidiſſent, admonui, cum id animaduertiſſem, explicandaque, non vt vulgò explicanda, in bonis libris ſcribi, quod ſecutus eram. Ex huius ſcripturæ deprauatione errorem ſuum tuetur aduerſarius, noſque oppugnat. legit enim explicanda ſine coniunctione, & ait hanc de fato, & περὶ δυνατῶν diſputationem dialecticā eſſe totam. In quo te Dialectice noſter interrogo, cenſeáſne ita à Cicerone hanc eſſe conceptam libri propoſitionem, vt cùm de fato diſputaturus eſſet, nomen eius taceret, nomen eius, quod fieri poteſt, poneret? atqui id non eſt veriſimile. Alioqui cur non librum potius de eo quod fieri poteſt, quàm de fato inſcribebat, præſertim cùm res alia ſit, & illa περὶ δυνατῶν quæſtio, particula tantum quædam ſit, ac potius acceſſio huius de fato diſputationis? Duos autem in philoſophia locos, quod ignoraſti, eoſq; diuerſos, de fato, & de eo quod fieri poteſt, fuiſſe ex Plutarcho cognoſce: ὁ δὲ τῶν δυνατῶν λόγος πρὸς τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον, πῶς οὐ μαχόμενόν ἐστιν; id eſt, Illa de eo quod fieri poteſt diſputatio, nónne apud eum planè cùm fati diſputatione pugnat? Nam ſi vna & eadē eſt, vt tu vis, illa περὶ δυνατῶν, & de fato quæſtio, velim tu, qui tam acutus es, mihi dicas, cur Plut. Chryſippum ſcripſerit, in eo quod fieri poteſt, & in fato ſecū pugnare, potius quàm in fato? cur enim duo capita poſuiſſet, ſi, vt tu vis, vnū eſt? Sed duæ ſcholæ erant, quod, vt alia multa, ignoraſti. Itaq; Chryſippus libros περὶ εἱμαρμένης, id eſt, de fato, vt Euſebius oſtendit, ſcripſerat: tu περὶ τῆς εἱμαρμένης ſcribis, & artus orationi minime deſideranti inculcas, ignarus Græcæ conſuetudinis: & περὶ δυνατῶν id eſt, de eo quod fieri poteſt, libros

quatuor ad Clitum Proinde ſi tantum de eo quod fieri poteſt, Cicero ſe diſputaturum pollicetur, cur non Chryſippum ſecutus, de eo quod fieri poteſt, librum inſcripſit? Vt enim, ſi cum vim enunciationum, quæ de re futura aliquid dicunt, deque eo quod fieri poſſit, explicare vellet, ridiculus eſſet, ſi ſe de fato ſcripturum proponeret: ita ineptus videretur, ſi cum de fato ſcribere inſtitueret, ſe de iſtis enunciationibus ſcripturum profiteretur. Diuerſas autem eſſe diſputationes hic diſſerere fortaſſe non debui, cum & omnibus propè id notum ſit, & tu id penè fatearis, qui quæſtionem περὶ δυνατῶν fati cauſa adhiberi dicis, & mihi imprudens adſtipularis: quod tamen in priori editione tibi in mentem non venerat, qui quidem eo quod fieri poteſt, totam contineri fati quæſtionem cenſueras, nec aduentitium quoddam caput eſſe videras. Appendicem autem vt ſcias hanc quæſtionem eſſe, neque eam ſolam in propoſitione attingi debuiſſe, ſed aliquid ei de fato præponi oportuiſſe, Ciceronem audi: Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, reuertamur. Vidéſne Ciceronem planè ſignificare locum eſſe, qui in hanc diſputationem incidat? Qualis igitur orator fuiſſet, ſi in propoſitione acceſſionis tantum mentionem feciſſet, iuſti operis oblitus eſſet. Ac non dubito, quin idem tibi videatur. non enim in ea ſum opinione, in qua multos eſſe video, qui in te aliquid literarum, ingenij ferè nihil eſſe putant. Ego te iſta videre certo ſcio, ſed te honori velificari tuo exiſtimo: cuius ne iacturam facias, times, ſi multa in eo libro mutes, cui nobilem illam profeſſionem eloquentiæ & philoſophiæ debes. Quod autem ais hanc de fato quæſtionem eſſe totam Logicæ (verba enim vſurpo tua) id contra te diſputare non auderem: ſcio enim quàm valens Dialecticus ſis, niſi iam tecum pedem contuliſſem, & ſerum eſſet referre: nam galeatum ſero duelli pœnitet, vt ſatyra dicit. Qua quidem in re vnum tantum deprecor, ne, quod apud candidatos tuos iactare in nos plerumque ſoles, hîc dicas, nos inſcitia diſſerendi labi. non enim hoc Dialecticus, præſertim tantus, dicere, ſed rationibus homines confutare debet. Ais te non ſolùm Logicum eſſe, verùmetiam Dialecticum haberi velle: per me quidem Logicus ſis ætatem: ſcio enim quandò tibi labore nomen iſtud partum ſit. Memini tuas præclaras in Ariſtotelem & Ariſtoteleos pugnas: vt non maiori armorum contentione Alexander imperium Aſiæ quæſiuerit, quàm tu capitis dimicatione Dialectici nomen comparaueris. Sed quod inter nos dicere liceat, Dialecticus haberi non vis. Nam quo tandem pacto eum Dialecticum habebimus, qui quid conſequens, quid repugnans ſit, non videat? Scribis enim, quæſtionem de fato totam eſſe Logicæ: nec multo pòſt, totam eam quæſtionem eſſe moralem. Nos enim pro noſtro mediocri captu ſic ratiocinamur, Si tota Logicæ eſt, quis locus morali philoſophiæ in ea relinquitur? Totum enim qui dicit, nihil excipit. niſi fortè cenſes Logicen moralis philoſophiæ eſſe partem, aut moralem Logices. Quod ſi ſentis, næ libenter à te diſſentio, neque vllo tuo iudicio dialectico vnquam perficies, vt tibi aſſentiar. In hac ſalebra hæreas neceſſe eſt, quam poſteriori interpretatione tibi moleſtiorem & impeditiorem reddidiſti. Nam ſi Logicam eſſe totam quæſtionem dixiſſes, peccaſſes: ſed ſalua tibi tamen Dialectica tua. Poſteaquam verò conuitio quodam propè omnium expreſſum atque extortum eſt, vt confitereris quæſtionem eſſe moralem, ſic te intricaſti, vt cum illud tuum mutare nolis, & te expedire non poſſis, & apud hominum exiſtimationem in dubium de Dialectices poſſeſſione venias: rem enim eandem totam logicam eſſe, & totam moralem affirmas, quod nemini probari poteſt. Itaque hîc acumen tuum dialecticum valde deſideramus. Nec verò ſi particula huius diſputationis, quæ poſita eſt in enunciationibus de re futura, ad Dialecticum pertinet: idcirco tota Logica cenſenda eſt. Nam & in his reliquijs, quæ diſſeruntur de contagione naturæ, & de cauſarum anteceſſione, aliena ſunt à Dialectica, & omnia fere quæ deſiderantur, ab ea abhorrebant. Hic ſi ſederet iudex Plutarchus, ſcilicet ſententia ſua te abſolueret: qui ſic ſcribit de fato, περὶ γὰρ τούτου τὰ πολλὰ ζητήματα, φυσικά τε, καὶ ἠθικὰ, καὶ διαλεκτικὰ τυγχάνει ὄντα, id eſt, In eo enim multæ quæſtiones naturales, morales & dialecticæ verſantur. Ecquid vides Plutarchum hîc à te diſſentire, nec totam iſtam diſputationem logicam exiſtimare, cùm tam multa contineat, quæ ad mores & naturam referri debeant? Ac profectò fati cognitio propriè ad naturam pertinet: ſed quia conformationem morum, vitæque diſciplinam maximè attingit, ideo Cicero moralem videri voluit. Sed quid tecum hic rationibus & aliorum teſtimonijs pugno? cùm te Ciceronis ipſius auctoritate confutare poſſim, qui, vt opinor, idoneus ſui interpres eſt, & teſtis hac in re fidei plenus. Is igitur ita ſcribit lib. ij. De diuin. *Quibus rebus editis, tres libri perfecti ſunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quæſtio continetur, quæ vt plenè eſſet cumulatéque perfecta, de diuinatione aggreſſi ſumus his libris ſcribere: quibus, vt eſt in animo, ſi de fato adiunxerimus, erit abunde ſatisfactum toti huic quæſtioni.* Ecquid intelligis Ciceronem dicere, ad eundem philoſophiæ locum, diſputationem de fato, de natura deorum, de diuinatione, pertinere? & tamen in libris De natura deorum, & De diuinatione, nemo, vt opinor, tam imprudens ſit, vt à Cicerone quæſtionem dialecticam tractari dicat. Quòd ſi quæſtionem de fato cenſes propterea logicam eſſe, quod eam, vt dicis, æſtimare ſit Logices, quid non hac interpretatione logicum erit? Cur non libros De natura deorum, & De diuinatione, iſto modo totos Logicæ Cicero eſſe dixit? In tantum Dialecticum tam ſtulta & ridicula interpretatio cadere non debebat. Quanto tibi eſſent omnia procliuiora & expeditiora, ſi ſententiam meam ſecutus eſſes, ac quæſtionem περὶ δυνατῶν logicam (id enim eſt, vt opinor, quod Plutarchus dicit, locum de fato dialecticas quæſtiones multas habere) de fato moralem pronuntiaſſes. Nam contra hanc interpretationem, præter meras calumnias & verborum captiones adferri nihil poteſt: tua vero à nullo defendi. Itaque Laërtius hoc loco ſententiam ſecundum te non feret, qui in enumerandis Chryſippi de Dialectica libris, quatuor de eo quod fieri poteſt refert. Hanc etiam litem Origenes ſecundum te non dabit, & quod fieri poteſt, Dialecticæ adiudicabit, teque vltro increpabit, & malum patronum eſſe dicet, qui tam male Dialecticæ poſſeſſiones, iuraque defendas. Is enim ita ſcribit, τῆς δὲ λογικῆς ἔχεται ἐντρεχείας τε καὶ θεωρίας ὁ περὶ δυνατῶν τόπος, id eſt, ad logicam pertinet ſolertiam & cognitionem locus de eo quod fieri poteſt. Quod autem





Poſidonium dicis ſtudio Aſtrologiæ oblectatum, fatum ſyderibus attribuiſſe in eo peccas, quòd aliam eius quàm Chryſippi ſententiam putas, nec eam totam complecteris. Nam ſi in ſimul ægrotantibus fratribus, cauſam eſſe dicebat in ſyderum & cœli conſtitutione & affectione: non tamen idcirco in alijs rebus fatum non eſſe iudicabat. Fatum enim etiam in omni naturæ contagione (quando Stoicis omnibus fatum eſt Deus ipſe & natura) in oraculis alijſque rebus ponebat: à cælo tamen potiſſimum, vt Chryſippus, proficiſci ſtatuebat. Cicero de Poſidonio: *Quanquam huic quidem hic ſcribit prædictum, in aqua eſſe pereundum*: qui locus ad oracula, niſi fallor, pertinet: & ibidem de eodem. *Nihil enim ei ſcribit eſſe prædictum.* ſed & libro priore De diuinatione, cùm Quintus de Poſidonij ſententia dixiſſet à deo, à fato, à natura vim omnem diuinandi rationemque repetendam eſſe, fati explicationi omnia artificioſæ & naturalis diuinationis genera ſubijcit: & lib. poſteriore M. Cicero cum ſcribit Poſidonij ſententia vim quandam ſentientem atque diuinam, quæ toto confuſa ſit mundo, ad hoſtiam deligendam ducere, ſatis, vt opinor, ſignificat Poſidonium non in ſyderibus tantùm fatum poſuiſſe, ſed per omnem mundi continuationem & naturæ coniunctionem ordinem ſeriemque cauſarum permanare crediiſſe. Idem Poſidonius παλμικὸν οἰώνισμα ſcripſerat, quod non feciſſet, ſi in ſyderibus tantùm fatum eſſe ſenſiſſet. In Diodoro adhuc peccas, quem facis velut ab inferis excitatum, contra Chryſippum diſputare, temporis ignarus. Ita aliqua ex parte vulnus erroris priſtini curaſti, ſed ad cicatricem tamen non perduxiſti. Nam qui potuit cum Chryſippo diſputare, qui ante Chryſippum natum erat mortuus, & in Dialecticis Arceſilæ præceptor fuerat? Non Diodorus in Chryſippum, ſed Chryſippus in Diodorum diſputauit in libris περὶ δυνατῶν, & in libro quem inſcripſerat πρὸς κειπικοὺς πρὸς Διόδωρον. Laberis igitur ignoratione temporis. In Ciceronem autem quàm acerbus & aſper es in Diodoro: cum quid dicat & ſentiat, tamen non intelligas? Etſi enim aliquid in præfatione de aſperitate nonnunquam remittis: & aliquanto æquiorem te præſtas: toto tamen Commentario immanem acerbitatem ſpiras. eandem in reliquis moderationem, idem temperamentum adhibere debueras: quod feciſſes, niſi nimium multa mutanda tibi fuiſſent. Nunc paſſim ita in Ciceronem intemperanter inueheris, vt maledictis oneratum & peſſimè mulctatum dimittas, & eum impia fraude obligare ſuum caput prædices. Totius illius diſputationis Diodoreæ ſummam perſtringam: eaque tibi patefaciam, de quibus nihil vnquam cogitaſti. Velim autem à Diodori cauſa me remoueas, nec, ſi eius defendi poſſe ſententiam dicam, me eam approbare putes. Nam Ariſtotelis iudicium in enunciationibus de futuro mihi vehementer placet: nihilque meream, vt ab eo recedam. Arceſilas cùm Diodori inſtitutione Dialecticam didiciſſet, ſeque poſtea Stoicis oppoſuiſſet, quibuſcum illi certamen omne ſuſceptum erat, Diodori logicis diſputationibus plerunque vtebatur, & eius inſtituto reliqui Academici noui. Huius autem loci controuerſia duabus in rebus poſita erat. Diodorus enim enunciationes, quæ de futuro aliquid dicunt, veras eſſe aut falſas putabat: Stoici nec veras, nec falſas: vt docet Seuerinus Boërius. Huic alteram addebat, id demum fieri poſſe, quod verum eſſet, aut verum futurum eſſet: quod ſecus eſſet, fieri non poſſe. Nam, ſedebis, aut verum aut falſum declarat: ſi verum, eueniet, & enunciationem euentus fides comprobabit: ſi falſum, non eueniet. Id ea ratione, quæ κυριεύων λόγος dicebatur, confirmabat: quæ ex eo nomen inuenit, quòd in ea κύριος εἰμὶ τοῦ ποιεῖν, κύριος εἰμὶ τοῦ πράττειν, vt opinor, diceretur. Eam porrò rationem ex eo concludebat, quòd verum in præterito neceſſariũ eſſe contenderet, & impoſſibili impoſſibile conſequens non eſſe argumentaretur: ex quo ſequi id fieri poſſe cenſebat, quod aut iam eſſet, aut futurum eſſet: atque ita eius, quod δυνατὸν dicitur, aliam definitionem afferebat quàm Ariſtoteles. Has duas quæſtiones hoc libro, quod videre nunquam potuiſti, Cicero tractat. Hæc ſententia & probabilitatem aliquam habet, vt defendi poſſit, nec vllam impietatem ſuſcipere cogitur, cum cauſas fatales non inducat: ac, ſi in ea impium aliquid hæreret, valde imprudente & inuito Diodoro fieret, qui ita ſe compararat, ita ſuam familiam liberoſque inſtituerat, vt ſanctiſſimus, religioſiſſimus, integerrimus ab omnibus exiſtimaretur. Itaque ab eius domeſtica diſciplina profectæ quinq; filiæ Dialecticæ pudiciſſimè vixerunt, earumque pudicitiam & vitæ caſtimoniam Philo Carneadis magiſter, hiſtoriæ iuſtæ mandauit. Nec ſi ea aduerſus Stoicos Cicero nititur, debet ei eſſe fraudi, cùm præſertim multo veriſimilius ſit, quod verum in futuro eſt, neceſſariò euenire, quàm fatum admittere, cum etiam cauſam eo dimittat, vt Epicuri exemplo, ſi neceſſe ſit, enunciationem omnem negare malit veram eſſe aut falſam, quàm fato omnia fieri comprobare. Sed mirum eſt quam Tireſiæ modo oculis captus, hoc libro toto vaticineris: ac, ſi tibi integrum fuiſſet, à me admonitus, longe aliter omnia ſecunda editione publicaſſes: quorum nonnulla moderatus es, reliqua conſtantiæ cauſa, & vt honeſtatem atque adeò amplitudinem tuam defenderes, ita vt erant, reliquiſti. Neq; verò ſi quis ab Ariſtotele recedat, id protinus impiũ habendũ eſt. Id enim ſiue nefas & crimінoſum eſſet, non video quis locupletior quàm tu reus futurus eſſet. Nec Diodorum fefellit neceſſitas disiunctionis ex contrarijs, vt tu falſo putas: ſic enim argumentabatur: Omnis enunciatio eſt vera aut falſa: ergo cras ambulabis, aut verum, aut falſum erit. fac verum: eueniet igitur omnino, cum in futuro nihil verum ſit, niſi exitu confirmatum. Hic autem inter eum & Ariſtotelem hoc intereſt, quòd Ariſtoteles harum enunciationum vim incertam & conditionem pendentẽ facit: ipſe infinitis ante temporibus, aut veras iam, aut falſas eſſe pronuntiat. Nam ambulabis ſi eloquar, idq; futurum eſt, ex æternitate, vt cenſet, verũ erat: & quia verum erat, euenturũ eſt. Nec proptereà fatum introducitur, quanquã Ariſtoteli videtur: ſed Diodoro hic fidem non fecit. foruitæ enim & tumultuariæ & aduentitiæ cauſæ efficere poſſunt, vt id eueniat quod ſic enunciatum eſt. Igitur Diodori ſententia, vt tu hoc ſcias, nullam impietatẽ inducit. nã nec fatũ defendit, & cauſas fortuitas & voluntarias retinet, ac nobis vtrunuis licere & liberũ eſſe putat. Quid enim Diodorus ait? ſi eſt verum te venturũ eſſe, uenies. quod hanc, vt opinor, habet ſententiã, vtrunq; tibi facere licere, poſſeq; te venire, & non venire: verũ tamen ſi venturus es, id eſt ſi hæc enunciatio vera eſt, venies: alioqui ſi non venies (quod tibi liberum & integrum eſt) verum non erat, venturus es,

ſed falſum. Itaque non tàm de rebus, quàm de vero & falſo id accipiendum eſt. Sentit enim Diodorus, quod verum eſt, in falſum commutari non poſſe: quod falſum, in verum. Id autem Diodorum ſenſiſſe, audi ex Cicerone: Nec ſi omne enunciatum, verum aut falſum eſt, ſequitur illico eſſe cauſas immutabiles, eaſque æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſæ, quæ efficiant vt verè dicantur, quæ ita dicentur, Veniet in Senatum Cato, non incluſæ in rerum natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile venturum, cùm eſt verum, quàm veniſſe: nec ob eam cauſam fatum aut neceſſitas eſt extimeſcenda. Non vides hic neceſſitatem excludi fatalem, & aliam alterius cuiuſdam generis neceſſitatem, quæ pertimeſcenda non ſit, induci? Non vides hic Diodori diſputationem non longe abeſſe ab eo, quod à tam multis hodie defenditur, qui ſe pios & religioſos homines cenſent: ſi ex conditione, quam patres noſtri obligationem vocabant, aliquid verum in futuro ponatur, non poſſe non euenire? vt, ſi verum eſt, ex conditione, in profluentem me mittes, ita eueniet. diceres, in tua poteſtate eſſe id non facere, neque te id facturum eſſe: reſponderent illi, ex conditione verum poni non debuiſſe quod falſum erat. Ferè eodem modo in ijs, quæ in futuro verè dicuntur, euentum ſecuturum dicit: nam in futuro etiam verum eſſe contendit: quod ſi eſt, non poſſe non euenire, quæcunque id tandem cauſa ad exitum perductura ſit. Hæc, vt opinor, ſententia nulla neceſſitate fati deuinctos & irretitos animos noſtros tenet. Id Cic. ita clamat, vt ſurdus exaudire poſſit. ſic enim ſcribit: Ita ſemper verum fuit, morietur Epicurus, cum duos & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pitharato: neq; tamen erant cauſæ fatales, cur ita accideret: ſed quod ita cecidiſſet, certè caſurum, ſicut cecidit, fuit. Nec ij qui dicunt immutabilia eſſe, quæ futura ſint, nec poſſe verum futurum conuerti in falſum, fati neceſſitatem confirmant, ſed verborum vim interpretantur. Nunc in Ciceronem velut fanaticus aut temulentus exclamato, & tragœdias excitato tuas: nunc Deum, non Opt. Max. ſed ex tuo cognomine nobis Dialecticum, nouus pontifex conſecrato. Hic ſi tuas ineptias imitari vellem, quanto verius exclamarem: Vtinam vel nunquam reprehenderes, vel intelligeres: vtinam vel Dialecticus eſſes, vel tibi eſſe non videreris: vtinam ſaperes, aut non ſcriberes. Iam quod ais Ciceronem inconſtanter facere, qui obrutus fluctibus opinionum, ad Chryſippeos ſcopulos euectus, Chryſippi tandem fatum comprobarit, ſatis ſignificas te nihil ingenij, nihil iudicij habere: vt neminem medius fidius vnquam viderim, qui maiori conatu maiores nugas loqueretur. quem te hic iudicem habemus, qui nocentem abſoluas, innocentem damnes? At ego eam in Chryſippo hærere culpam tibi oſtendam, teque ignorantiæ conuincam. Chryſippus enim modo fatum nectebat ex anteceſſione & præcurſione cauſarum adiumenta habentium, nos tamen nulla neceſſitate conſtringentium: atque ita animi libertatem relinquebat: quod te hoc libro Cicero ipſe docebat, ſi attentus fuiſſes. Eius verba proferam: *Chryſippus autem cum & neceſſitatem improbaret, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſis euenire, cauſarum genera diſtinguit, vt & neceſſitatem effugiat, & retineat fatum.* modo idem Chryſippus fatum contexebat ex ordine & ſerie cauſarum efficientiam neceſſariam continentium. Cicero hoc libro de Chryſippo: *Dum autem verbis vtitur ſuis, delabitur in eas difficultates, vt neceſſitatem fati confirmet inuitus.* Fati etiam definitio à Chryſippo poſita, quam deprauatam ſemper affers, ego tibi emendatam proferam, eandem fati neceſſitatem complectitur: *εἱμαρμένη ἐστὶ φυσικὴ σύνταξις τῶν ὅλων, ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ συμπλεκομένων, ἀπαραβάτου οὔσης τοιαύτης συμπλοκῆς.* id eſt, Fatum naturalis quædam ſeries eſt rerum omnium, ex æternitate alijs alia conſequentibus, & quodam nexu conſertis immutabili. Idem Plutarchus ſcribit, *ὁ δὲ λέγων ὅτι Χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν, ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην, ἐκεῖ πάλιν αὐτὸν ἀποδείξει μαχόμενον πρὸς αὐτὸν, ὅπου τὸν Ὅμηρον ὑπερφυῶς ἐπαινεῖ περὶ τοῦ Διὸς λέγοντα,*

> *Τῷ ἔχεθ᾽ ὅττι κεν ὔμμι κακὸν πέμπῃσιν ἑκάστῳ*
> *Ἢ ἀγαθόν.*

id eſt, Qui autem ait à Chryſippo, non in perfecta harum rerum cauſa, ſed antecedente tantum, fatum eſſe poſitum, illic rurſus eum ſecum pugnare demonſtrabit, vbi Homerum eximiè laudat de Ioue dicentem,

> *Nam quodcunq; boniue maliue is mittit, habetis.*

Si illos Ciceronis locos alternos comparaſſes: ſi hæc veterum ſcripta iſtis de rebus euoluiſſes: poſtremò ſi iudicium illud dialecticum, quod in ore ſemper, in mente nunquam habes, adhibuiſſes, non tam inconſideratè ſcripſiſſes, nec à Chryſippo culpam remouiſſes, & in Ciceronem tranſtuliſſes. Quare in hac tua præclara præfatione nihil eſt quòd quæras, quid pro Cicerone dici poſſit, quem immeritò accuſas, & per ſummam iniuriam & calumniam condemnas: verùm potius quid pro te dici poſſit ſic hallucinante, & alias res agente. Valdè enim is patronus diſertus fuerit, qui tuam cauſam hominibus ſanis & intelligentibus probauerit.

## Ad locum, Quia pertinet ad mores, errare Logicum.

Non ponitur ipſa quæſtio initio, vt tu putas, cum *περὶ δυνατῶν* dicitur, ſed ponebatur cum Cicero de fato ſe ſcripturum profitebatur: nam quæſtio non eſt in particula & appendice, ſed in ea re quæ tractanda ſuſcipitur. Itaque legendum eſt, explicandaq;, vt in Commentario admonui, & Petrus Victorius legit ex veteribus libris: & quæſtio de fato (Id enim etiam atque etiam hic iterabo, vt tu dolore inſcitiæ tuæ conficiaris) ad moralem philoſophiam pertinet: diſputatio *περὶ δυνατῶν*, ad Logicen. Sic igitur Ciceronis locum conſtrue, De fato differendum eſt, quia pertinet ad mores, explicandaque vis eſt enunciationum in re futura, quæ tota ad Logicen pertinet.

## Ad locum, Quid poſſit fieri aut non poſſit, male reprehendi Ciceronem.

Deum immortalem, quid hoc rei eſſe dicam, vt tu vir in eloquentia & philoſophia tantus, hic pueri inſtar ſapere non videare? Atqui ne in te error iſte inueteraret, & vt te corrigeres, ſine contumelia leniter admonueram: ſi tu is eſſes, qui verum facilè videret aut fateretur, non errorem veterem noua pertinacia plerunq;





cia plerunque, & nouo errore cumularet. Quid? Ciceronem hic cenſes *τὸ δυνατὸν* definire, id quod fieri poſſit, aut non poſſit? In eum cadere tantum flagitium non poteſt. Quanto veriſimilius eſt, à te Ciceronem intellectum non eſſe? magno mihi adiumento eſt in te refellendo, id quod multis in rebus animaduerti, te ſemper ad reprehendendum paratiorem eſſe, quàm ad intelligendum. In partitionibus cùm legis, Vt illa prima ſint ſuaſori aut diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri aut non poſſit, interpretariſnè, ab eo definiri *τὸ δυνατὸν*? Cur igitur hic potius? Nos, qui Dialectici non ſumus, vide quanto facilius in auctoribus verum inueniamus. Locus erat in Dialectica, qui *περὶ δυνατῶν* ex parte dicebatur, & ad enunciationes pertinebat, quæ de re futura aliquid dicunt, quod fieri poſſit aut non poſſit: quorum prius ad *δυνατὸν* pertinet, poſterius ad *ἀδύνατον*. Nam etſi locus *περὶ δυνατῶν* inſcribebatur: tamen quod te tantum Dialecticum minime fallit, cùm eadem ſcientia contrariorum ſit, etiam *περὶ ἀδυνάτου* in eo diſputabatur. Huius rei fidem facit, quod ex epiſtola ad Varronem citaui, *Sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt te venire.* Ergo hic cum *περὶ δυνατῶν* dicit, titulum quæſtionis ſignificat: cùm quid fieri poſſit aut non poſſit, dicit: ea de quibus in illa *περὶ δυνατῶν* quæſtione diſſerebatur, attingit. Alioqui cum vim *τοῦ δυνατοῦ* ſolius explicat, ſic ſcribit omiſſo contrario. Sed ad illam Diodori contentionem, quam *περὶ δυνατῶν* appellant, reuertamur: in qua quid valeat id quod fieri poſſit, inquiritur. Noli igitur poſthac hic Ciceronem reprehendere, ſed miſeram iſtam & perditam tuam ignorantiam deplora. Huic academiæ quàm turpe futurum eſt, apud exteras nationes, quàm indecorum, te eloquentiæ & philoſophiæ præeſſe, qui in diſciplinam alicui magiſtro erudiendus locari debueras? Cum autem ais Ciceronem inane & indiuiduum nouaſſe, quæ antea in lingua Latina vocabula non erant, Lucretij oblitus eſſe videris: in quo frequentiſſimè hæc leguntur. Enunciatio autem ab Ariſtotele *ἀπόφανσις* appellatur, vt ſcripſeram. tu *πρότασιν* falſò dixeras, ſed *ἀπόφανσιν*, à me admonitus, addidiſti. *προτάσεις* autem, & reliqua, quæ affers, omnia ex Ariſtotele, *ἀπόφανσιν* non declarant, nec exprimunt, cum eius tantum apud Ariſtotelem ſpecies quædam ſint. Cæterùm cum ais poſſibile à Plauto vſurpatum eſſe, locum, vt opinor, Stichi ſignificas, & publicum ſequeris errorem, qui poſſibile pro proſtibile legis: ſic enim legendum eſt (quod ſenſus flagitat: cuius nunquam tibi cura eſt) Proſtibile eſt autem, ſtantem ſtanti ſuauium dare amicum amicæ. Alij proſtibuli legunt. nam poſſibile Plauti ætate, potis & pote dicebatur.

## Logice.

Totus tremo horreoque, quoties mihi hic Logices aut Dialectices nomen attingendum eſt. Intelligo enim rem mihi eſſe cum eo homine, qui profiteatur ſe non ſolùm Logicũ eſſe, verùm etiam Dialecticum haberi velle, qui diſſimilis ſit priſci illius Amphiarai, qui fortiſſimus eſſe, vt ait Æſchylus, non haberi volebat, qui ab illa arte nos vt profanos à rebus ſacris arceat. Tamen pro mediocri mea prudentia, ſine artificioſis rationum concluſionibus, videor aduerſus eum conſiſtere in bona cauſa poſſe. Ais ſenſum perridiculum eſſe, ſi logice legatur. Obſecro te, ſi dicerem: Diſputatio de virtute, philoſophia quædam eſt, aut philoſophia eſt, quid in ea re tibi ridiculum videretur? Nam etſi ars philoſophiæ & præceptio non traderetur: tamen quòd in ijs rebus oratio verſaretur, quæ propriæ philoſophiæ eſſent, non ineptè ſic, vt dixi, enuntiaretur. Tu, cuius in ore ſemper feruent tropi & figuræ, genus hoc dicendi agnoſcere debuiſti. Nam cum dicitur, Diſputatio de virtute philoſophia quædam eſt, diſputatio ea philoſophica intelligitur. Sic ſcelus pro ſceleſto conſuetudo Comicorum vſurpat. Sic cœnum, portentum, labem, pro lutulentis, prodigioſis & impuris Cicero dicit. Terentius ſtipitem & caudicem, pro ligneo & tardo. Illud eiuſdem multo apertius,

Tu quantus quantus, nihil niſi ſapientia es. id eſt, totus ſapientia es, totus ſapis. Lucretius planè eodem modo locutus eſt, quem eo libentius cito, quòd eius verſum emendabo, in quo Charitonia nullo ſenſu legitur,

> *Paruula, pumilio, χαρίτων μία, tota merum ſal.*

id eſt, elegans tota & ſalſa. Plinius de Deo, *Totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus*, id eſt, totus ſentit, totus videt, totus audit. Nunc aude dicere, perridiculam lectionem fore, ſi Logice legatur? Equidem tecum Logicæ in gignendi caſu eodem ſenſu legerem, ſi à Cicerone Logica dici nominandi caſu ſoleret, non Logice. In Cicerone autem interpretando hoc inter te & me intereſt, quòd ego magna religione & fide ſemper vetera exemplaria ſequor: tu magna licentia & impunitate, mendoſam plerunque ſcripturam tueris. Cùm autem ais permulta eſſe Phyſica in diſputatione *περὶ δυνατῶν*, à ſolita tua ignorantia non recedis. mihi illa de enunciationibus diſputatio tota logica eſt, non phyſica, vt & Ciceroni, cui ſi plus fidei habeo, quàm tibi, mihi ignoſcere debes. Is autem ſic ſcribit, *Explicandaq; vis ratioq; enunciationum.* in quo, vt opinor, ſe phyſicum nihil tractaturum proponit.

## Quod autem.

Prolepſis eſt, inquis, quòd hæc de fato diſputatio, non in vtramque partem diſputetur. Aude poſthac interpretari Ciceronem, qui in tam facili & plano loco labaris. Quid? non afferuntur argumenta Stoicorum pro fato, & Academicorum contra fatum? Diſputatur igitur in vtramque partem, ſed non perpetua oratione, vt in libris de natura Deorum & de Diuinatione. Nam illic perpetua oratione ſententia Epicuri explicatur: mox contra eam à Cotta perpetua oratione differitur: quod idem poſtea fit in Stoicorum ſententia. In diuinatione liber vnus eam probat, alter improbat. Hic autem Stoicorum argumenta ponuntur, mox refelluntur, non perpetua oratione, ſed quodam altercationis genere. Quòd ſi quid perpetuum ſit, intellexiſſes, ſenſum etiam huius loci perſpexiſſes. Id autem facilè vidiſſes, niſi oculos ſuffuſos habuiſſes ignorantiæ nube, & mentem gloriæ caligine obſeſſam. Gaudeo tamen, quòd mihi credidiſti, Hirtium ſcribi debere, non Hircium. Cùm autem in Officijs Ciceronem Academicum facis, fieri non poteſt, quin exiſtimaueris Panætium, quem ſequitur, Academicum fuiſſe: aut quid vnquã Stoicum eſſe poterit, cedo? Nec vero partitioni diſputationum Academicarum, quam excogitauerunt con-

iurati cœlum reſcindere fratres, quorum vnus iam penè defluxit, & morbum iurauit, ac in ea cauſa eſt, vt ſi ſeruus vendatur, redhiberi poſſit, fidem habeo: quæ ſi vera eſſet, tamen quod dicis ex ea partitione, in libro De fato tractando & diſputando ſine contradictione, quod probabile videtur, explicari, falſum eſſet, cùm aperta ſit in libro De fato contradictio.

## In Puteolano.

Sui cum Hirtio in Puteolano colloquij ſic in epiſtolis ad Atticum meminit: *Sed caſu cum legerem tuas literas, Hirtius erat apud me in Puteolano.* mox iterum: *Ego autem perſpexi, cùm à me ſeptimo decimo Calendas de Puteolano Neapolin, Panſæ conueniendi cauſa, proficiſceretur Hirtius, omnem eius ſenſum.* Seduxi enim, & ad pacem ſum cohortatus. Non poterat ſcilicet negare ſe velle pacem. Maxime autem hic ſcire vellem, cum ſcribis, Academicas quæſtiones eſſe ſcriptas in Cumano Ciceronis, alicuiúsne auctoris fide id ſcribas, an tuo more hariolеris. Nam ex epiſtolis ad Atticum, potius in Arpino aut Tuſculano ſcriptas coniicerem. Mox gaudeo tibi probari, Idq;, quod ſatis inconſideratè & abſq; iudicio tuo dialectico in Itaq; mutaueras.

## An præcipua diſſerendi de fato occaſio ſit, quòd philoſophiæ coniunctione augeatur eloquentia.

Hîc omitto, quòd occaſionem pro cauſa dicis, cùm apud Dialecticos veſtros & bonos ſcriptores, hæc magnum diſcrimen habeant: ſed vt cauſa ſit ſcribendi, quòd philoſophiæ coniunctione augeatur eloquentia, certe præcipua non eſt: ſed cauſa omnium maxima eſt & grauiſſima, quod philoſophiam Latinis literis mandare decreuerat, vt ciuibus ſuis prodeſſet, vt cum iam de natura Deorũ, & de Diuinatione ſcripſiſſet, deinceps quæſtionem de fato ad eundem locum pertinentem ſubiicere deberet. Lege omnes eius præfationes, intelliges, quæ ſint præcipuæ ei ſcribendi de philoſophia cauſæ. Mox ſequitur ſomnium illud tuum de diſtinctione Dialectices & Rhetorices: quod, cum deſtertueris, tibi ad coniectorem deferendum cenſeo: quanquam ſi me audis, hic nunquam euigilabis, nec te ſuſcitari ſines. Hæc enim eſt ſeges gloriæ, hæc materia laudis tuæ: huic diſtinctioni eloquentiam & philoſophiam tuã acceptam ferre debes: quã ſi tibi excuti ſiueris, nudus & ſpoliatus momento temporis, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſionem amiſeris. Hæc te diſtinctio primùm in Ariſtotelem, mox etiam in Ciceronem armauit: hæ ſunt aræ, hi ſunt foci tui, pro quibus tibi pugnandum eſt. Itaq; quandocunq; eius occaſio incidit, quàm beatus, quàm fortunatus tibi videris? vt in articulo rem arripis, & ſummam doctrinæ tuæ nobis ſub vno velut aſpectu ponis? Hæc argumenta ſunt tragœdiarum tuarum: hæc ſunt, in quibus tu ſudare, ſtulti ſtupere, ſani ridere ſolent. Itaque hic quàm te magnificè effers? etiam Sus Mineruam, id eſt, Ciceronem doces, quem nihil iſta de re vnquam ſuſpicatum fuiſſe exiſtimas: quanquam ex bello illo in librum Ciceronis de legibus Commentario tuo locum proferre poſſem, in quo hanc accuratam diſtinctionem eum non ignoraſſe ſcribis, vt te auctore idem ignorauerit & ſcierit. Sed quid hanc odioſam diſtinctionem, quam his decem annis obtinere nulla contentione potuiſti, inſeris? an vt veterem tuam fabulam, quam toties ſpectauimus inuiti, nobis reponas, & vulnus obductum exulceres? Hic etiam mentionem facere Brutinarum quæſtionum, quas tu non imitatione prudentiſſimi illius & eruditiſſimi Bruti ſcripſiſti, ſed illius improbi rabulæ exemplo, qui accuſationes factitauit, vt tu reprehenſiones: veruntamen hic Brutinarum quæſtionum mentionem facere audes? quas quidem ſi tu me irritaueris, ita tibi exornatas dabo, vt homines miraturi ſint, in te tantum impudentiæ & ignorantiæ eſſe potuiſſe, qui ea reprehendere auſus ſis, quæ nullo modo intellexeris.

## In Brumali die male me reprehendi.

Cùm annotaſſem genus dicendi, quo Brumalis dies pro bruma dicitur, idq; exemplis Plinij & Ciceronis probaſſem, indoctiſſimus iſte, Vallæ Commentariorum hunc in librum furunculus, auſus eſt ſcribere, hoc nihil ad propoſitum pertinere. Sed ſi nihil ad propoſitum, cur quod meum eſt, tranſcribis, vel potius compilas? Cur in locutionibus annotandis ſic elaborat Grammaticorum induſtria? Nam vt iſta explicatio ad illuſtrandos auctores propriè pertinet: ſic ſuperuacaneæ eſt operæ, & male feriatæ, ſyllogiſmorum confectatio, introducta nuper à quibuſdam Germanis, à te poſtea vindicata, à veteribus Grammaticis in auctorum explicatione præterita, quòd communis quædam res & peruagata eſſet: partes autem interpretis exiſtimarent, quæ loci alicuius propria eſſent, ea perſequi. Itaque nullum de veteribus, qui hoc genus interpretationis ſecutus ſit, quo philoſophiæ & eloquentiæ tuæ ſumma continetur, reperies. Ego verò & brumalem diem pro bruma dici, ad rem pertinere contendo, & ſolſtitialem diem pro ſolſtitio. Cicero Tuſculana prima: *Quæ verò occidente ſole, decrepita: eo magis, ſi etiam ſolſtitiali die.* Vt quidem locum profers, nihil ad rem, qui neſcio quid de pulegio hîc balbutis, ac me credidiſti pulegij cauſa auctoritates illas adhibuiſſe: vt minus mirer à te Ciceronem non intelligi, qui in loco tam facili non videris quid vellem. Rectè verò, quòd in Icadio duos errores tuos ſanè iſta eloquentiæ & philoſophiæ profeſſione indignos, admonitu meo emendaſti. Nam cùm ignoraſſes, quid prædo in Cicerone eſſet, pro prædone latronem ſcripſeras, in Commentario, tuóne, an Vallæ dicam? planè tuo, cum erras: cum non erras, Vallæ. Quem meorum quidam familiarium, facetus ſanè & lepidus homo, in libro De fato veruecem tuum ſectarium vocat. prædones autem piratas, & libro tertio Officiorum, & in lege Manilia Cicero appellat. Alterum tuum peccatum correxiſti fœdiſſimum: lapidis enim caſu interfectum ſcripſeras Icadium. ita tibi ſaxum & lapis idem erant. Cùm autem Icadium interficis, magna cura mercatores liberas, quibus tuto nauigare licebit, iam non infeſto myoparone eius mari. Itaque præmium petas cenſeo, qui piratam ſuſtuleris. Sed te diuinitus planè ſcire oportet, qui interfectum ſcribas. Cicero enim tantùm in crura eius ſaxum incidiſſe ſcribit.

## In quadrigis errare Dialecticum.

Scribis homo quidem diſertus & philoſophus (nam de te nunquam niſi honorificè loqui decreui. itaq; aliter ſi te appellarem, iniuriam tibi facerem.) ſed agitator tamen malus, quadrigas eſſe quatuor equos





iunctos ſine curru, quales in Circenſibus ludis certabant. Vellem id vel Grammatici, vel auctoris alicuius teſtimonio confirmaſſes. Inuentor enim quadrigarum Erichthonius, ad currum equos iungebat. Virg.

*Primus Erichthonius currus & quatuor auſus*
*Iungere equos, rapidiſq; rotis inſiſtere victor.*

Sed dices Virgilium more Græco id ſcripſiſſe, non ex Circi Romani conſuetudine. Satis tamen conſtat à conſuetudine Heroicorum temporum, quibus homines è curru pugnabant, Olympiorum quadrigas, & Circi ludos ortos eſſe. Romæ autem Circenſibus ludis currus fuiſſe, ex Virgilio cognoſce:

*Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,*
*Addunt in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens,*
*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Nam etſi currum pro equis poëta immutauit: tamen id fecit, quòd in quadrigis currus eſſet. Alio loco apertius:

*Nónne vides cùm præcipiti certamine campum*
*Corripuere, ruuntq; effuſi carcere currus?*
*Cum ſpes arrectæ iuuenum, exultantiaq; haurit*
*Corda pauor pulſans? Illi inſtant verbere torto,*
*Et proni dant lora: volat vi feruidus axis.*

Lucilius apud Ciceronem ad Atticum,

*Suſtineat currum, vt bonus ſæpe agitator, equoſqúe.*

Hæc à poëtis illis de quadrigis Circenſibus ſcribuntur, ſi quid intelligis. Plinius: *Nam in Circo ad currum iuncti, non dubie intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* Gellius, *Contra autem quadrigas, etiamſi currus vnus equorum quatuor iunctorum, agmen vnum ſit, pluratiuo ſemper numero dicendas putat.* Itaque in quadrigis equi duo iugales dicebantur, qui ad iugum currus iuncti erant. eos Græci ζυγίους vocant: duo funales extra iugum, vnus ſiniſterior, alter dexterior. Suetonius in Tyberio, *Dehinc pubeſcens Actiaco triumpho, currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* Hi à Græcis σειραῖοι dicuntur & σειροφόροι. etiam δεξιόσειρος, dexterior equus dicitur. Nos à Circi conſuetudine equos bellatores in hiſtorijs Gallicis dextrarios appellari legimus, cùm præſertim dextrationem pro aurigatione vſurparit Solinus: quod ideo fecit, quia dextrouerſum flexus metæ luſtrabatur. Sic à Circi factione, quæ ruſſata dicebatur, equos bellatores Ruſſatos & Ruſſinos Galli appellare videntur. Sed & quòd olim nobiles & generoſi equi, ſtragulis pulcherrimis, & tanquam pallis ornabantur, vt illud indicat,

*Inſtratos oſtro alipedes, pictiſqúe tapetis:*

idcirco Galliæ hiſtoriæ, vt id etiam obiter dicam, Palliferos vocare ſolent pulcherrimos & ornatiſſimos equos. Noli igitur poſthac, velut pro poteſtate iſta ſic edicere: nondum enim Pythagoræ apud nos auctoritatem adeptus es: ſed Grammaticos imitare, qui teſtimonijs ſententiam ſuam confirmant, edicta non proponunt. Quid autem hic te fefellerit, dicam. Legeras apud Grammaticos in vocabulariis, quadrigas eſſe quatuor equos iunctos. De tuo, ſine curru addidiſti, quòd quid iungere eſſet, non intelligeres. Id enim eſt equos ad currum aut ad plauſtrum adiungere. Ouidius,

*Iungere equos Titan velocibus imperat oris.*

id eſt, ad currum iungere. Virgilius:

*Atque idem iungat vulpes.*

id eſt, ad curriculum iungat, aut ploſtellum. Quo in loco non dubito quin mirifica quædam fuerit interpretatio tua, cum Bucolica tanto indoctorum concurſu, quos infatuaſti, explicares. Martialis,

*Et cum currere debeas Bouillas,*
*Interiungere quæris ad Camœnas.*

Nam interiungere dicit, vnum iter iuſtum diuidere, & in eo interquieſcere, quod interea equos, qui quieuerint, vnumq; illud iter vno labore conficere potuerint, in medio itinere iungamus. Iuriſconſulti etiam tranſiungere ad edictum ædilium vſurpant, pro in diuerſam partem ad currum, aut plauſtrum, aut rhedam, aut carrucam iungere: vt à ſiniſtra in dextram, aut contrà. Vlpianus, *Quæſitum eſt ſi mula talis ſit, vt tranſiungi non poſſit, an ſana ſit?* Valerij autem hiſtoria, quam pro te eſſe cenſes, planè contra te facit, præſertim cum Valerius ſcribat, *Philippum iuſſiſſe, toto ſuo regno currus diſiungi:* vt Valerius & Philippus vtique quatuor equos cum curru intellexerint. Itaque cum tam clarè id à Valerio ſcribatur, mirum eſſe mihi videtur, qui ſic effaſcinata mens tua fuerit, vt id animaduertere non potueris. Cùm autem Valerius ait diſiunctos eſſe currus iuſſu Philippi, ſignificat Philippum vetuiſſe, ne quis quadrigas ad ludos Olympicos, aut alios qui in Græcia erant, haberet. Id τεθριπποτροφεῖν, & ζευγοτροφεῖν Græci dicebant, & ἱπποτροφεῖν. Mox tergiuerſaris ambiguus animi, & incerto errore vagaris: meam enim ſententiam inuitus, & vero victus approbas. Deinde non minus niger, nec minus confidens, quàm Terentianus Phormio, tuam tibi eripi non ſinis, & tibi credi poſtulas, ἅρμα, quatuor equos iunctos ſine curru, ſignificare poſſe. Sed fides tua nobis iam in dubium venit, toties in mendacio deprehenſa: & contra te facit tota Homeri Ilias, Pindarus, Æſchylus, Sophocles, Grammaticorum cohors, quibus ſi potius quàm tibi credimus, ægrè ferre non debes. Nam ſi τέθριππον aut τετράορον diceres, veriſimilitudinem id aliquam haberet: ἅρμα autem, quid aliud quam currum ſignificet, non video.

## An captioſa & fallaci cauſarum diſtinctione Cicero captus, approbet Chryſippi ſententiam: & quid contagio naturæ.

Miſerum me, quoties Chryſippi definitionem ſic vitioſam & maculoſam Commentario inculcabis tuo, ac quæ non intelligis, Latinè conuertes? Quid enim, rogo, ſibi vult illud μετὰ πολὺ μὲν οὖν? parum

profecto vides in literis, qui non animaduerteris legendum eſſe συμπλεκομένων, id eſt, conſertis & connexis. Cum autem ais definitionem iſtam fati, primùm à Cicerone refelli: deinde ab eodem captioſa cauſarum diſtinctione capto approbari, non plus quàm talpa vides. Nam primùm, vt ante docui, ea Chryſippi culpa eſt, non Ciceronis. Chryſippus enim modò ex neceſſarijs cauſis conſertum eſſe fatum affirmabat: modò, vt animi libertatem retineret, ex præcurrentibus cauſis nullam neceſſitatem habentibus contextum eſſe dicebat. Quod tu tantus in eloquentia & philoſophia vir, quantus mihi, non tibi videris, ſi attendiſſes, profectò Ciceronem nunquam reprehendendum tibi duxiſſes. Deinde illa cauſarum diſtinctio, pace tua, nec captioſa nec fallax mihi videtur. Eſt enim huiuſmodi: Cauſarum aliæ perfectæ ſunt & principales, aliæ adiuuantes & proximæ. Eſt hæc eadem à Cicerone in Topicis cauſarum facta diſtributio: nulli tamen vnquam interpreti venit in mentem, vllius in ea captionis annotandæ. nec mirum. Non enim illam tibi, tanquam Palladium Troianis, aut ancilia Numæ, cælitus demiſſam Dialecticam didicerant. Cuius tamen myſteria vulgo profano enuncias: nos ſolos, qui alijs omnibus ea non videmur indigni, adytis arces: neque à te interpretare poſſumus, vt in ea aliquid ſcire videamur. Ac mea quidem ſententia iſtud bellè & ſcitè commentus es. Nam cùm cæteris deſtitutus præſidijs doctrinæ, his quæ tibi obiiciuntur. reſpondere non poſſis, in Dialectices nomine deliteſcis: cuius nos ignaros eſſe prædicas, ac rem apud indoctos verbo tranſigis, Peccant ignorantia Dialectices. Cuius obſecro Dialectices? huiúſne, quam hoc anno edidiſti? qui eam cognoſcere potuimus, ante quàm didiciſſes & edidiſſes? anno enim ſuperiore alia tua fuerat ſententia, vt libri quos publicaſti, teſtantur. Vt enim ſegetes, annuas fruges: arbores, annuos fructus: ſic tu annuos Dialecticarum fœtus parere nobis ſoles, non eoſdem tamen, ſed diſſimiles ſemper, vt eundem parentem non agnoſcamus. Itaq; non dubito, quin proximo anno nouum monſtrum pariturus ſis, abdicato priore partu. Aut igitur malitioſè nos celas, neq; mirificam iſtam Dialecticā docere vis, aut tu eius indoctior es, quàm quiſquam noſtrum. Nos enim certam quandam, & minime vacillantem in ea pro noſtro captu ſententiam habemus: tu, qui ſæpius ſententiam, quàm veſtem mutas, nihil in ea certum, nihil exploratum habere videris: quod profecto à cognitione & perceptione artis alieniſſimum eſt. Quare aut Dialectices ſcientiam tibi arrogare poſthac deſine, aut quotannis ſententiā mutare caue. Nam illa commutatio ſuſpicionem affert ignorantiæ, vt conſtantia, opinionem doctrinæ. In contagione, ſi gratus eſſes, beneficium agnoſceres: atq; eum laudares, qui ex Cicerone te docuit eſſe, quam Græci συμπάθειαν vocant: in qua ex continuatione naturæ totius cohærentis & continuatæ, res rebus conſentiunt: quod non facerent, ſi mundi partes diſtractæ & diuulſæ eſſent. Nam quia inter ſe coniunctæ & continentes ſunt, vt animantis vnius, quemadmodum cenſent Stoici, fit proinde vt altera alterius cauſam aut euentum contineat, altera alteri reſpondeat, altera alteri porrò tradat, nihilq; gignatur, quod non antecedentis effectum ſit, cauſa conſequentis. Quid enim in priore editione ſcripſeras? nempe contagionem rerum vocari earum naturam & qualitatem, quæ ſuo veluti contactu afficiunt: quibus Ciceronis ſententia non ſatis illuſtrabatur. quædam poſteriori editione de meo addidiſti: ita tamen, vt non ſatis vim contagionis perſpicere videreris. Eſt autem contagio hic ad verbum, συνάφεια aut συναφὴ, id eſt, contactus & continuatio rerum in mundo, vt arbitrantur Stoici, nihil diſiunctum, nihil diſtractum habente. Ea ex Syneſio intelligi poteſt, ſic ſcribente: ἔοικε γὰρ, οἶμαι, τοῦ παντὸς τούτου, συμπαθοῦς τε ὄντος καὶ σύμπνου, τὰ μέρη προσήκειν ἀλλήλοις, ἅτε ἑνὸς ὅλου μέλη τυγχάνοντα. καὶ μή ποτε αἱ μάγων ἴυγγες αὗται. καὶ γὰρ θέλγεται παρ' ἀλλήλων, ὥσπερ συμμαίνεται. καὶ σοφὸς ὁ εἰδὼς τὴν τῶν μερῶν τοῦ κόσμου συγγένειαν, ἕλκει γὰρ ἄλλο δι' ἄλλου, ἔχων ἐνέχυρα παρόντα τῶν πλεῖστον ἀπόντων, καὶ φωνὰς, καὶ ὕλας, καὶ σχήματα. ὥσπερ ἐν ἡμῖν σπλάγχνου παθόντος, ἄλλο συμπέπονθε· καὶ τὸ τοῦ δακτύλου κακὸν, εἰς τὸν βουβῶνα ἀπερείδεται, πολλῶν τῶν μεταξὺ μὴ παθόντων, &c. Id eſt, Mea enim ſententia, cùm hoc vniuerſum conſentiat & conſpiret, eius partes quadam inter ſe cognatione coniunctas eſſe neceſſe eſt: cum præſertim integri vnius membra ſint. Ac vide ne iſtæ ſint maiorum illecebræ. Aliæ enim partes aliarum illices ſunt, vti ſignificant. Ac ſapiens is demum eſt, qui partium mundi cognationem compertam habet: aliam enim per aliam trahit, præſentia eorum, quæ longiſſimè abſunt, habens pignora, voces, materias, formas. velut in nobis cum aliquod è viſceribus ægrotat, aliud cum eo afficitur: & digiti malum in inguine ſignificatur, multis ſine offenſione interpoſitis. Ex his ſatis intelligitur, quid hìc ſit naturæ contagio: quod & ex Cicerone te ſatis docueram. Sed & eam rem luculentè nobis hunc in modum Alexander explicat: φασὶ δὴ, τὸν κόσμον τόνδε ἕνα ὄντα, καὶ πάντα τὰ ὄντα ἐν αὐτῷ περιέχοντα, καὶ ὑπὸ φύσεως διοικούμενον ζωτικῆς τε καὶ λογικῆς καὶ νοερᾶς, ἔχειν τὴν τῶν ὄντων διοίκησιν ἀΐδιον, καθ' εἱρμόν τινα καὶ τάξιν προϊοῦσαν, τῶν πρώτων τοῖς μετὰ ταῦτα γινομένοις αἰτίων γινομένων, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ συνδεομένων ἁπάντων ἀλλήλοις· καὶ μήτε οὕτω τινὸς ἐν αὐτῷ γινομένου, ὡς μὴ πάντως ἐπακολουθεῖν αὐτῷ, καὶ συνῆφθαι ὡς αἰτίῳ ἕτερόν τι. μήτε αὖ τῶν ἐπιγινομένων τινὸς ἀπολελύσθαι δυναμένου τῶν προγεγονότων. ὡς μή τινι ἐξ αὐτῶν ἀκολουθεῖν ὥσπερ συνδεόμενον· ἀλλὰ παντί τε τῷ γινομένῳ ἕτερόν τι ἐπακολουθεῖν ἠρτημένον αὐτοῦ ἐξ ἀνάγκης ὡς αἰτίου· καὶ πᾶν τὸ γινόμενον ἔχειν τι πρὸ αὐτοῦ, ᾧ ὡς αἰτίῳ συνήρτηται. μηδὲν γὰρ ἀναιτίως μήτε εἶναι, μήτε γίνεσθαι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, διὰ τὸ μηδὲν εἶναι ἐν αὐτῷ ἀπολελυμένον τε καὶ κεχωρισμένον τῶν προγεγονότων ἁπάντων, Id eſt, Dicunt igitur, cum hic mundus vnus ſit, reſque omnes in ſe complectatur & arceat, & à natura quadam animata rationis & intelligentiæ compote regatur, eum habere omnium rerum adminiſtrationem ſempiternam, ſerie quadam & ordine progredientem, cùm prima cauſas contineant ſequentium, atque hoc modo omnia inter ſe mutuo nexu colligata ſint: ac ſic in eo nihil quicquam fiat, vt non id tanquam cauſam, rem aliam comitetur, eique coniungatur, nec eorum quæ poſtea gignuntur, quicquam diſiungi poſſit ab ijs quæ antè orta ſunt, quin vt ex eis aptū & nexum ſequatur. Sed & ea omnia quæ orta ſint, aliud neceſſariò conſequi, ex ijs velut cauſa pendens: & quicquid gignitur, aliquid quod antecedat, habere, vnde vt à cauſa pendeat. Nihil enim ſine cauſa nec eſſe, nec oriri in mundo, proptereaq; nihil in eo diſiunctum ſeparatumque eſſe ab ijs omnibus, quorum anteceſſerit origo. Cum autem in Cicerone legis, natura loci pertinet, & operatur aliquid, & à bonis libris recedis, & in Ciceronis lectione te non eſſe verſatum oſtendis, in quo verbum operor non reperitur.





## Ad illum locum, Vt igitur, & deinceps in multis peccare Logicum.

Locus iſte contra Chryſippum, vt ſentio, totus diſputatur: tu etiam contra Poſidonium vis: in quo te interrogo, cur dixerit Cicero, ſe cum bona gratia Poſidonium dimittere, & ad laqueos Chryſippi ſe reuerti, ſi in vtrunque locus confertur? tua enim ſententia neutrum dimittit, nec ad laqueos Chryſippi potius quàm Poſidonij, te auctore, reuertitur. Quàm lethea eſſet iſta Ciceronis obliuio, quàm ridicula, ſi in eum diſſereret, quem proximo verſiculo iam dimiſiſſet? Quid te fefellerit, animaduerti, in ſecunda editione. Neceſſitatem enim naturæ acutus interpres ad Chryſippum pertinere, aſtrorum, ad Poſidonium credidiſti: errorem errore cumulaſti. Nam nec Poſidonius in ſolis aſtris fatum ponebat, ſed in tota naturæ contagione, vt ſupra docui: & Chryſippus in eadem naturæ contagione, qua etiam aſtra continentur: quod non intellexiſti. Id ſatis oſtendit illa Ciceronis ſolutio, qua Chryſippo reſpondet. Vt igitur ad quaſdam res natura loci pertinet, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum valeat, ſi vis, ad quaſdam res: ad omnes certè non valebit. Chryſippum enim alloquitur, vt vel puero notum eſt: vt me tui pudeat & pigeat, qui Poſidonium intelligis. Chryſippum autem in aſtrorum conſtitutione & affectione fatum poſuiſſe audi ex Cicerone: Si quis, verbi cauſa, oriente caniculà natus eſt, is in mari non morietur. Vigila Chryſippe. &c. Nihil iſtud argumentum Chryſippum attingeret niſi etiam in aſtris fatum poneret. Alio loco: Hoc loco Chryſippus æſtuans, falli ſperat Chaldæos. Vidéſne eum in aſtrorum affectione fatum poſuiſſe? Id te etiam partitio argumentorum Chryſippi, quam in Commentario tuo poſuiſti, docebat, niſi ſoleres pſittaci more verba non intellecta fundere. Ex diuinatione enim fatum conſtituebat Chryſippus, vt ſcripſiſti: Chryſippus autem & Stoici in diuinationis generibus, Mathematicorum prædictiones ex aſtris petitas, in primis numerabant, vt auctor eſt Cicero. Aude poſthac ſic errores tuos pertinaciter defendere, ne leui defungaris infamia, & vt hominibus notior ſit inſcitia tua. Niſi enim hic pertinax fuiſſes, tot errores tuos non patefeciſſem. Cùm autem reprehendis, vt ne, pro ne vt, ſatis oſtendis lædendi voluntatem, cùm operarum errores, meos eſſe vis. Eiuſmodi multa tibi obijcere poſſem, ſi vellem, in ijs quod Archeſilam pro Arceſila ſcribis: Prytaneum pro Pitaneo. ſed animi eſſet ieiuni ac nimium anguſti iſta tibi obijcere. Ac in tua cauſa fortaſſe præuaricatoris videretur, qui vim accuſationis criminum leuitate imminuere vellet. Quod autem paulò pòſt ais Chryſippum verbo ſaltem liberum arbitrium retinuiſſe, erras: reuera enim retinebat, non verbo: ſed tum fatum ex neceſſarijs cauſis non connectebat. Quòd ſi diſtinguere iſta potuiſſes, & Ciceronem illuſtraſſes, & non tàm flagitioſè peccaſſes. Itaque conſulo tertiam editionem adornes, atque reliqua emendes, quæ tuam dedecorant auctoritatem. Paulò quoque poſt, nobis pro diligenti interprete, fœdus es Ciceronis deprauator: qui quidem legis, Etenim ſi eſt diuinatio quælibet noſtra: pro, etenim ſi eſt diuinatio, quibuſnam à perceptis. &c. Sed omnes tuos errores emendare, profectò Herculis labor eſſet. In Diodoro manus dediſti. ſaltem ſi candidi animi eſſes, gratiam mihi haberes, qui ex errore te in viam reduxi. Iam tibi non eſt philoſophus Peripateticus æqualis Chryſippi, qui contra Chryſippum de fato diſputarit: ſed totum errorem tamen tuum non exhauſiſti: mox enim ſcribis, Diodorus arripiebat à Stoico diuinationem. A quo tandem Stoico, obſecro te? à Chryſippó ne, vt prior editio præ ſe fert? Relaberis eodem, & tibi Chryſippo iunior erit Diodorus, quem tamen conſtat Zenonis ætate vixiſſe. Zenonem dices? quò diuerſus abis? Hic non in Zenonem, ſed in Chryſippum, de eo quod fieri poteſt, Cicero diſſerit. Ergo huius loci ſententiam nullo modo percepiſti: quam tibi, vt plus mihi debeas, patefaciam: &, ſi potero, iſtud oculorum tuorum glaucoma curabo. quanquam id conſequi fortaſſe non potero: nam Dei tibi alicuius eſſet opus medicina, qui omnem, vt ait poëta,

*— quæ nunc obducta tuenti*
*Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum*
*Caligat,*

nubem eriperet Hic Dialectice noſter, non argumentatur Diodorus, vt tu putas, ſed Chryſippū Cicero refutat, quē confirmato ex diuinatione fato, ait in Diodori ſententiā, de eo quod fieri poteſt, neceſſariò delabi: vt ſi quid verū ſit in futuro, non poſſit non euenire: quā tamen Diodori ſententiā Chryſippus libris editis acerrimè oppugnarat. Ita Chryſippum ad incommodum perducit diſcrepantium & diſſentanearum opinionum. quod reprehenſionis genus tibi homini Dialectico, & omnium reprehenſori, notum imprimis eſſe debuit. Quæ igitur nugaris de Diodoro, ab huius loci ſenſu aliena ſunt. Nec Diodori ſententia ita impia & falſa eſt, vt tu vociferaris. Deum immortalem, quod hoc Augiæ ſtabulum eſt? Obſecro te, tandem aliquando errandi finem face, niſi me reprehendendi tui labore fatigatum enecare decreuiſti. Non eſt, inquam, Diodori ſententia tam falſa, vt tu impudenter pronuntias. Nam nulla in rebus à Diodoro neceſſitas ponitur, ſed ſi quid in futuro verùm dicatur, id euenturum Diodorus decernit: niſi enim euenerit, verum non erat: quod enim verum eſt, id in falſum commutari poſſe negat. Vide autem, ne non omnino eadem ſit veterum de diuinatione quæſtio, quæ Chriſtianorum de Dei præſcientia: præſertim cùm præſenſionem futuri, pij omnes in noſtra religione Deo attribuerint: diuinationis autem genera ſortilegorum, augurum, aruſpicum, Mathematicorum, quæ nonnulli hodie magno pietatis exitio, ſuſcepta nefaria fraude renouant, veteres probarint, Eccleſia damnarit.

## Vtrum præceptum, an perceptum, Cicero θεώρημα verterit.

Si præcepti verbum, vt tu vis, in hanc ſententiam à Cicerone nouatum eſt, cur mox ab experimento præceptum diſtinguis, quod generale & vniuerſum eſſe dicis? Nam hæc ſignificatio præcepti, millies in oratorijs libris, & alijs à Cicerone vſurpatur, ne putes hic nouari: neque in re nota teſtimonijs vtar.

Quam hanc eſſe dicam Dialecticam tuam, quæ tam paucis verbis tam diſſentanea loquitur? Inducis enim nouam præcepti ſententiam: mox proximo verſiculo tui oblitus, ad vſitatam & tritam ſignificationem redis. Vbi eſt acumen tuum? ad nugandum, iuuentutemque fallendam videris Dialecticam didiciſſe, ſi modo vllam didiciſti, non ad verum inueniendum. Eſſe autem θεώρημα, perceptum potius quàm præceptum, ſic intelliges. Non, vt opinor, tam rudis es & ignarus literarum Græcarum, quin ſcias hoc vocabulum à θεωρεῖν deduci, eiuſdemq; originis & coniugationis eſſe θεωρητικὸν, & θεωρίαν, quibus in omnibus ineſt vis ſpectandi, contemplandi, cognoſcendi, percipiendi, non, vt mihi videtur, præcipiendi. Etiam apud Ariſtotelem, odium quondam tuum, nunc delicias, quæſtio θεώρημα eſſe dicitur, vt in Topicis: πρόβλημα δέ ἐστι διαλεκτικὸν, θεώρημα τὸ συντεῖνον ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν. Eiuſdem ſunt generis apud Græcos, σκέψις, σκέμμα, διάσκεψις: in quibus omnibus nullum præcipiendi veſtigium apparet. Quinetiam θεωρὸς à Cicerone auſcultator vertitur, traductione à ſenſu ad ſenſum, qui propriè ſpectator dici debuit. Quod enim dixit Ariſtoteles, ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν, ἢ θεωρὸν εἶναι ἢ κριτὴν, ſic reddidit. Nam aut auſcultator eſt modò qui audit, aut diſceptator. Idem θεωρητικὰ ζητήματα, quæſtiones cognitionis appellauit: ſed & θεωρικὸν vel θεατρικὸν ἀργύριον à ſpectaculis dicitur, quod Latinè, vt Soſipater ait, extat vocatur. Itaque patres noſtri θεώρημα ferè ſpeculationem interpretabantur: & cum Ariſtoteles ſcribit, ὁ μὲν μουσικὸς τῇ ἀκοῇ περὶ τὰ μέλη, ὁ δὲ φιλομαθὴς τῇ διανοίᾳ περὶ τὰ θεωρήματα, animum ſtudioſorum occupatum in contemplatione intellexit: vt & eodem modo alio loco, cùm ſcribit, καὶ θεωρημάτων δὲ εὐπορεῖ τῇ διανοίᾳ, mentem rerum cognitione abundare ſignificauit: quod etiam Artemidorus oſtendit, qui ſomnia quædam θεωρηματικὰ dicit, quæ ipſa ſpecie, ipſoque viſo ſignificationem ſui præ ſe ferunt ſine vlla ambage. Itaque ſi quando θεώρημα præceptum dicatur, id fit inflexione & immutatione ſignificationis, quam hic ſecutum Ciceronem non putem: quem adſtipulante veterum librorum auctoritate, cenſeam vim vocabuli Græci exprimere voluiſſe: præſertim cùm præceptum παράγγελμα potius declaret, aut παραίνεσιν. Proinde Seneca eam philoſophiæ partem, quam Græci παραινετικὸν appellant, præceptiuam interpretatur. Nec verò percepta experimenta tantùm ſunt, vt tu falsò cenſes: verumetiam percepta ſunt, quæ doctrina & inſtitutione didicimus. Si enim vera tua ſententia eſſet, malè Cicero ſcripſiſſet, *Philoſophiam oratori neceſſariò percipiendam eſſe:* & alio loco, *Oratores quamuis artis præcepta perceperint, nihil quicquam ſine vſu & exercitatione conſequi poſſe.* Nam hæ perceptiones ab experimentis longiſſimè diſiunctæ remotæque ſunt. Neminem, ita me Deus amet, vnquam cognoui, qui plus in Dialectica ſibi ſumeret, peius diſputaret, qui falſa facilius inueniret, in veris magis caligaret, qui in auctorum interpretatione libentius errorem amplecteretur, viam ferè ſequeretur nunquam. Nam, vt omittam vim vocabuli, ſi Ciceronem ipſum cæcus penè manu ducentem ſecutus eſſes, perceptum ab eo ſcriptum animaduertere potuiſſes. Paulò pòſt enim vocabulo alio, ſed idem declarante, vtitur: *Medicus*, inquit, *imprimis quod erit ei perſpectum in arte: quod eſt, niſi fallor*, ὅπερ αὐτῷ τι θεωρημένον ἐστὶ κατὰ τὴν τέχνην. Sed & in priore editione ſic locum illum legeras, Neque eos vſuros eſſe coniunctionibus, vt ita ſua percepta pronuntient: quem cum intelligeres tibi perſpicuè aduerſari, in Ciceronem malè conſulere poſteriori editione, quàm in exiſtimationem tuam maluiſti. nec iniuria: eum enim toto Commentario tuo ſic contemnis, vt in ipſius contumeliam & dedecus potiſſimum ſcripſiſſe videare: atque hoc loco eius deprauatione ignominiam & culpam tuam redimere conaris, ac te tutum fore ſperas, ſi tanquam pecuniam ſic Ciceronis ſcripturam adulteraris, quod ſecus eſt. Ex eo enim magis in ſuſpicionem venit ignorantia tua, quòd tecta eſſe non poſſit, niſi maxima auctorum iniuria.

### Falsò attribui argumentum Diodoro, quod Ciceronis eſt: nec veram eſſe Chryſippi ſententiam.

Scribis ad illum Ciceronis locum, *Si enim verum eſt, quod ita connectatur, &c.* Diodori laqueos eſſe aduerſus Chryſippum valde contortos. Omitto quod hic ignoras, quid ſit contortè dicere. Id enim eſt in repugnantia per negationem argumentari: vt, Non ſunt dij, nec ſignificant futura. & apud Alexandrum, οὐ γάρ ἐστι μὲν τοιαύτη ἡ εἱμαρμένη, οὐκ ἔστι δὲ πεπρωμένη, οὐδ᾽ ἐστὶ μὲν πεπρωμένη, οὐκ ἔστι δὲ αἶσα· οὐδὲ ἐστὶ μὲν αἶσα, οὐκ ἔστι δὲ νέμεσις· οὐδ᾽ ἐστὶ μὲν νέμεσις, οὐκ ἔστι δὲ νόμος· οὐδ᾽ ἐστὶ μὲν νόμος, οὐκ ἔστι δὲ λόγος ὀρθὸς, προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον. Id eſt, Non enim eſt tale fatum, & non eſt fati præſcriptio: nec eſt fati præſcriptio, & non eſt parca: nec eſt parca, & non eſt nemeſis: nec eſt nemeſis, & non eſt lex: nec eſt lex, & non eſt recta ratio, quæ præſcribit quæ facienda ſunt, & prohibet quæ non facienda. Hac autem in argumentatione tota nihil tale eſt. Sed id, vt dixi, omitto: illud verò præterire nullo modo poſſum, quod cenſes Diodorum aduerſus Chryſippum argumentari. Tolerabilius in priore editione peccaueras. Nam etſi in hiſtoria erraras, qui Diodorum ignoraras? tamen cùm eum æqualem Chryſippi feciſſes, nihil diſſentaneum & à Dialectico alienum in reliquis ſcribebas. potuerat enim æqualis in Chryſippum diſputare: nunc verò cum ex hiſtoria, quam tibi indicaui, cognoueris ante Chryſippum natum, è vita diſceſſiſſe Diodorum, miror hos à te locos non eſſe mutatos, qui mirabiliter cùm temporis ratione pugnant, & ſuperiori tua interpretatione. Non Diodorus, Dialectice noſter, hic argumentatur, ſed Cicero, qui Chryſippum ad Diodori ſententiam inuitum perducit: nec ineſt in argumentatione quicquam vitij, vt tu cenſes. Dij veſtram fidem, quæ hæc eſt Dialectica? non profecto illa, quæ veri falſique diſceptatrix eſt, ſed quæ falſi approbatrix: quæ non dux viæ, ſed erroris magiſtra ſit. Quod intelligent omnes qui huius loci ſententiam perceperint. Duo erant Chryſippi decreta: vnum, neceſſitate fatali euenire omnia: alterum, quod fieri poteſt, aliquando poſſe non euenire. Hæc Cicero oppugnare contendit, ac neceſſe Chryſippo eſſe, poſito fato, id quod fieri poteſt, neceſſarium dicere, ac inuitum tandem in ſententiam Diodori, quam tam vehementer oppugnarit, deuenire. Hoc ita poſito, quid habes quod in argumentatione tota Ciceronis reprehendas? Conſtituto enim fato, omnes eius neceſſariò partes tibi & Chryſippo ſuſcipiendæ & approbandæ ſunt. Si enim ex vi fati rectè connectitur, Si quis oriente canicula natus eſt, in mari non morietur: reliqua quæ ſequuntur, pari neceſſitate concludentur. Itaq; non vt tu clamas, captioſè

concluditur,



concluditur, ſed rectè & dialecticè ex Chryſippi fato, quo remoto, ne prima quidem argumentationis pars procederet. Sed boni interpretis officium eſt videre quid agatur, cum quo diſſeratur, quid ei, quo cum diſputatur, conſentaneum ſit dicere. Hæc qui acutè & callidè viderit, næ tuæ Dialecticæ ſæpè hebetem & obtuſam aciem oſtenderit. Hic tamen audes, ô vecors, audes ſimplicem dicere Ciceronem, qui laqueis irretitus ſit Diodori, Chryſippi veriſſimam ſententiam improbarit. *Elephantis corio*, vt Comicus ait, *tectus es, non tuo.* Quæ hæc eſt tarditas tua, quis ſtupor mentis, quæ cæcitas animi? Enimuero planè cæcus es, non luſcitioſus. Nihil vnquam à te ſcriptum eſſe reor, in quo minus Logicus eſſe, minus Dialecticus haberi velles. Eſt enim Chryſippo neceſſe alterutrum è manibus amittere, vel fatum, vel id quod fieri poteſt. Si enim fatum retinet, id quod fieri poteſt relinquat neceſſe eſt, & in ijs, quæ in futuro vera enuntiabuntur, non ſolùm Diodoream neceſſitatem, quæ enunciationum eſt, vt docui, verùm etiam fatalem, quæ rerum & cauſarum eſt, ſtatuat. Itaque non ita multò pòſt iniquè Ciceronem reprehendis, cum ſcribis, Si quod erit prædictum diuinum, licet verum, non oportere eſſe neceſſarium. Oblitus es enim Ciceroni negotium eſſe cùm eo homine, qui fatum ponat, & prædicta vatum neceſſaria confiteri cogatur, ſi vera ſunt propter cauſas fatales. Quòd ſi ex Ariſtotele, quem ſemper contempſiſti, cognouiſſes genus eſſe quoddam diſputandi, in quo ex aduerſariorum ſententia argumentamur, quod ille prudentiſſimus intelligendi & diſſerendi magiſter & auctor, πειραστικὸν vocat: ſi apud Platonem totos hos diſſerendi genere dialogos texi animaduertiſſes: poſtremò ſi Dialecticam didiciſſes, cuius poſſeſſionem eſſe tuam prædicas: homines profectò, quod in te deriderent, hic minus haberent: nec te præpoſterum quendam Dialecticum illudere poſſent, cui prior & antiquior falſi inueniendi, quàm veri quærendi, cura ſit.

### Defenſio Ciceronis contra reprehenſionem Dialectici.

M. Tullius ita ſcribit: Sed tamen ſi naturalis eſt cauſa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non poteſt. Sequitur ad eum locum non interpretatio tua, ſed cenſura. Hic locus, inquis, Logicam Ciceronis imprimis oſtendit, qui cum antea tam verè, tamque magnificè concluſerit in Stilpone & Socrate naturales cauſas voluntarijs domari & comprimi poſſe. nunc tamen tam repugnantia præcipiat, Naturalis cauſa eſt, ait: Ergo neceſſaria. Ad ſtiuam amandari debes deſperata cognitione literarum & ſcientiæ: vnà enim cum ætate in te accreſcit ignorantia. non alia, vt reor, de cauſa, quàm ex ſcientiæ perſuaſione, vt tituli indicant tui, faſtis an faſtu iſto digni? magnifici quidem certè, ſed cum maxima rerum inanitate coniuncti. Apparet qualis in Ariſtotele reprehendendo fueris, cuius multo ſubtiliores & obſcuriores ſunt diſputationes. quod vtinam ex his vnguibus homines leonem æſtiment, & intelligant tandem aliquando in omnibus tuis reprehenſionibus qualis ſis. Da te, ſi me audis, medico curandum: nimis es obliuioſus. Non enim meminiſti Ciceroni hoc loco rem eſſe cùm eo homine, qui fatum ex neceſſarijs cauſis nectat. Itaque ex eius ſententia & principijs argumentatur, eaq; ſumit, quæ Chryſippo, ſi ſibi conſtare velit, ſuſcipienda & approbanda neceſſario ſunt: nec poſitis fatalibus cauſis & neceſſarijs (hic enim ita diſſeritur, vt fatum neceſſarium ſit: tandem tamen vero victus Chryſippus, vt voluntatem retineat, fato neceſſitatem detrahet.) voluntariæ & fortuitæ retineri poſſunt. Ante igitur Chryſippo reſpondebat fatum non eſſe, & ad naturam, fortunam, voluntatem, multa referebat: naturales quoq; cauſas ſtudio, diſciplina, doctrina edomari, & in totum tolli poſſe dicebat. Nunc autem ex ſerie illa cauſarum naturalium, à Chryſippo ad conſtituendum fatum poſitarum, in Chryſippum ipſum argumentatur, non quòd eam eſſe putet, ſed quòd Chryſippus eam defendat. Habes, eloquens & philoſophe noſter, huius loci interpretationem, quæ logicam Ciceronis tuam oſtendit: illius optimam, tuam nullam. Non dubito, quin hoc graue tuis auribus accidat, vt nihil Neroni magis doluit, quàm quòd dictus eſſet malus citharœdus, quia citharœdus eſſe & haberi volebat, vt tu Logicus: tamen Ciceronis amore prouectus, tenere me non potui, quin hoc dicerem. Quòd ſi te hic fortè tractare non videor vt eloquentem & philoſophum, ignoſcere mihi debes: nam ne tu quidem Ciceronem & Ariſtotelem, vt diſertos & philoſophos. Scitum eſt, *Ab alio expectes, alteri quod feceris.*

### Ignoraſſe Logicum, qui ſint apud Ciceronem in libro de Fato Chaldæi.

Sic de Chaldæis ſcribis, Chaldæos mathematicarum artium inuentores eſſe, hiſtoria ſacra teſtatur, vt conſtat ex Ioſepho, qui ſcribit ab Adamo, Setho, veteribuſq; patriarchis inuentas, & a Noeo duabus ingentibus columnis, ne diluuio perirent, impreſſas & conſignatas, tandem per Abrahamum traditas Ægyptijs. Hoc idem videtur Cicero confirmare, cum primo De diuinatione, Chaldæos recenſet primos inuentores Aſtrologiæ. Multa profectò legiſti: ſed hic Ciceronem, quod inter nos dicere liceat, non intellexiſti. Quaſi verò de populo Chaldæo inuentore, non tantùm Aſtrologiæ, vt putas, ſed etiam diuinationis Aſtrologicæ, de qua taces, hic agatur, non de Aſtrologis omnibus futura prædicentibus: qui ex quocunq; populo eſſent, Chaldæi iam dicebantur. Id te Ciceronis locus, quem profers, docebat, ſi attendiſſes: ſic enim ſcribitur, Qua in natione Chaldæi non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati. Videſne Chaldæorum nomen diſtingui à Cicerone, quòd interdum ſit populi, interdum artificij? quod fecit neceſſariò, quia eius ætate Chaldæus cum audiebatur, Mathematicus ſemper intelligebatur. Itaq; non niſi pro Mathematico ferè vſurpare ſolet, vt Tuſculana prima, *Vt ſi ante mors adueniet quàm Chaldæorum promiſſa conſecuti ſumus*, id eſt Genethliacorum: libro ſecundo De diuinatione, *Ad Chaldæorum monſtra veniamus*, id eſt Aſtrologorum: iterum, *Chaldæis in prædictione & in notatione cuiuſque vitæ ex natali die, minime eſſe credendum*, id eſt Mathematicis, qui ex aſtris futura prædicunt. Etiam Valerius id docet his verbis, *M. Popilio Lenate, Lucio Calphurnio Coſſ. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iuſſit, leuibus atq; ineptis ingenijs, fallaci ſyderum interpretatione, quæſtuoſam mendacijs ſuis caliginem inijcientes.* Niſi fortè quis ita

deſipit, vt putet ſolum Chaldæũ populum in prædictionibus illis locis natalitijs damnari, aliorum Genethliacorum diuinationem probari, vt à Ptolomæo Chaldaica ratio in finibus planetarum improbatur. Cicero rurſus, *Si Chaldæum, ſi Aruſpicẽ videris.* aut vbi tandem Chaldæi ex arte appellabuntur, ſi non in his locis appellantur? Itaq; χαλδαΐζειν ab Euſebio dicuntur, qui ſtudioſi ſunt illius diuinationis. Proinde ſcribere debuiſti illius ex ſyderibus prædictionis inuentores Chaldæos fuiſſe, quorum artem ita celebratã & peruulgatam poſteà fuiſſe, vt quicunque eam tenerent, Chaldæi dicerentur: atque ſic à Cic. hic Chaldæam accipi. Quid autem ſit infinita coniunctio, ex Stoicorũ diſciplina, potius quàm ex Ariſtotele petendum eſt, cùm eorum Dialectica Cicero vti ſoleret. quam rem ſic explicat Laërtius: ἀόριστον δὲ ἀξίωμά ἐστι τὸ συνεστὸς ἐξ ἀορίστου μορίου, ἢ ἀορίστων μορίων· οἷον, τὶς περιπατεῖ, ἐκεῖνος κινεῖται. Id eſt, Infinita autem enunciatio eſt, quæ conſtat ex infinita particula, aut infinitis particulis: vt, aliquis ambulat, ille mouetur.

## Rurſus in Diodoro labi Dialecticum, & ab eo in loco Epiſtolarum familiarium bis errari.

Quoties, obſecro, tibi dicendum eſt, nullam induci à Diodoro rerum neceſſitatem fatalem? Nam etſi quod fieri poteſt, neceſſariò eſſe aut futurum eſſe dicit: rerum tamen & fati nulla neceſſitas ab eo conſtituitur, ſi rectè eius ſententia intelligatur: quam tibi ſic Alexander Aphrodiſienſis declarabit: δυνατὸν λέγειν καὶ περὶ τῶν δυνατῶν, τοῦδε, ὃ Διοδώρῳ λέγεται, ἤγουν ὃ ἔστιν, ἢ ἔσται. τὸ γὰρ ἢ ὄν, ἢ ἐσόμενον πάντως, δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο. τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατὰ αὐτόν, εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ, ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι· εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν. καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικόν, εἰ ἔσοιτο· οὗ εἰς κατασκευὴν καὶ ὁ κυριεύων ἠρώτηται λόγος ὑπὸ Διοδώρου. ὁμοίως καὶ περὶ τοῦ κατὰ Φίλωνα· ἦν δὲ τοῦτο τὸ κατὰ ψιλὴν λεγόμενον ἐπιτηδειότητα τοῦ ὑποκειμένου, κἂν ὑπό τινων ἔξωθεν ἀναγκαίων ᾖ γενέσθαι κεκωλυμένον. οὕτως τὸ ἄχυρον τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ, ἢ τὸ ἐν τῷ βυθῷ δυνατὸν ἔλεγε καυθῆναι ὂν ἐκεῖ, καίτοι κωλυόμενον ὑπὸ τῶν περιεχόντων αὐτὸ ἐξ ἀνάγκης. ὧν δὴ μεταξὺ τὸ ὑπ᾽ Ἀριστοτέλους λεγόμενον. δυνατὸν γὰρ τὸ οἷόν τε γενέσθαι ἀκώλυτον ὄν, κἂν μὴ γένηται. τὸ γὰρ ἄχυρον τὸ μὲν μὴ ὂν ἐν τῇ ἀτόμῳ μηδὲ ὅλως ὑπό τινος κωλυόμενον, δυνατὸν καυθῆναι, κἂν μηδέποτε καυθῇ, ὅτι μὴ κεκώλυται. Id eſt, poteſt dicere de eo quod fieri poteſt, & de eo quod à Diodoro dicitur, ſcilicet quod eſt, aut erit. Quod enim eſt, aut prorſus futurum eſt, ſolum ille fieri poſſe ſtatuebat. Nam me Corinthi eſſe exiſtimabat fieri poſſe, ſi vel Corinthi eſſem, vel omnino futurus eſſem: ſin minus, ne fieri quidem poſſe. ac puerum grammaticum euadere poſſe, ſi grammaticus futurus eſſet. Cuius ad confirmationem etiam dominatrix ratio, quæ κυριεύων λόγος dicitur, à Diodoro interrogabatur. Itidem & de eo quod Philonis ſententia dicitur. Erat autem id, quod nuda ſubiecti habilitate dicitur, etiam ſi ab alijs extrinſecus prohibeatur neceſſariò, ne eueniat. Sic paleam in indiuiduo aut gurgite poſſe dicebat vri, illic cum eſſet, quanquam externis neceſſariò impedimentis prohibitam: quorum medium eſt, quod ab Ariſtotele dicitur. fieri enim poſſe dicit, quod impedimento ſublato euenire queat, etiamſi non eueniat. nam paleam, quæ in indiuiduo non ſit, neque vlla re impediatur, vri poſſe, etſi nunquam vretur. Ex his ſatis notum eſſe arbitror, ſignificationem quandam eius quod fieri poteſt, à Diodoro inductam eſſe, vt à Philone, vt ab Ariſtotele: nec ab eo caſum, fortunam, id quod in vtranque partem nullam propenſionem habeat, & æqualiter euenire aut non euenire queat, excludi. De vocabulo enim propemodum & de enunciationibus luctatur ac pugnat: idque tantum, quod eueniat aut euenturum ſit, fieri poſſe dicendum eſſe contendit: in alijs hoc nomen ponendum non eſſe, nec verum in falſum conuerti poſſe. iſte autem putat, mutata verborum ſententia, vnà ſummam rerum & naturæ conuerti. Eam autem eſſe Diodori ſententiam audi ex Cicerone, *Nec ij qui dicunt immutabilia eſſe quæ futura ſint, nec poſſe verum futurum conuerti in falſum, fati neceſſitatem confirmant, ſed verborum vim interpretantur.* Ecquid igitur intelligis à Diodoro cauſas fortuitas, animi libertatem, poteſtatem, ius retineri? non enim tibi neceſſe cenſet eſſe Corinthi: verum ſi fieri poſſe ponantur, & ſi verè dicantur, contendit oportere te eſſe vel fore Corinthi: neque nomen eius quod fieri poteſt, eis quæ non euenient, tribuendum exiſtimat. Itaque in eius opinione nullum neceſſitatis fatalis veſtigium apparet: quod ſi eſſet, nec eius opinione contra fati aſſertores hîc Cicero niteretur, neque Alexander in oppugnando fato eam ſine infirmatione prætermiſiſſet: quæ, vt tu vis, re eadem eſſet, verbo diſcreparet. Nunc in proſcenium tragœdus prodito, & nefariæ impietatis eos ſe alligare odioſè clamato, qui Diodori ſententiam defendant. hic tu audes, ſycophanta, impietatis mentionem facere? non tu hoc nomẽ perhorreſcis? qui in hoc religionis domicilio, in hac pietatis ſchola, Academiam nouam, tot antè intermortuam & ſepultam ſeculis, quæ nullam religionem, nullum Deum nouit, ſublato Ariſtotele, renouare tentaſti: & hic impietatem mihi objcere audes, quòd Diodori ſententiam defendam? Quaſi verò aut ea impia ſit, aut à me defendatur. Ego nunquam Academiam nouam probaui: ego nunquam diſciplinam huius ſcholæ, quod dignitatem meam non tenuiſſem, mihi conuellendam putaui: ego nunquam ſenem captaui, nec patrem appellaui, nec eum ſexagenarium de ponte, id eſt de collegio deieci: ego nunquã in eos, qui meo nõ ſuffragarentur honori, crimina confinxi, nec confingenda curaui. Hæc qui faciunt, licet non loquantur impiè, quia tamen faciunt, ſceleratos ſemper duxi: nec expecto dum vocem ſceleratam mittant, quam pectore conceptam ſupplicij metu continent, quum impia & ſcelerata facta videam. plus enim apud me valet verum teſtimonium vitæ, quàm ſimulata oratio linguæ. Non igitur in me, ſed in te crimen iſtud hæret: nec hic agitur, philoſophe noſter, nunc quid ego probem aut improbẽ, ſed an fatalis vlla ſit in Diodori ſententia neceſſitas, vt falsò credidiſti, refragante & repugnante Cicerone. Profers autem ad illuſtrandam Chryſippi cum Diodoro contentionem, auctoritatem ex epiſtolis Ciceronis, à me tibi indicatam: non enim eius priore tibi editione venerat in mentem: ſed tamen ne à me vel ſumpta vel indicata videretur, callidus fuiſti, & furũ exemplo, aliò tranſtuliſti, cum à me initio libri poſita eſſet: proinde quaſi furto concepto nulla legibus pœna conſtituta eſſet, ſed tantùm manifeſto. ita fur audire quàm gratus haberi maluiſti: & te philoſophũ hominem, peccatum magis, quàm officium delectat. Hac tamen in re non omittã inſignes duos errores tuos: ſcio enim quàm latè ſophiſtarum errores



rum errores manare ſoleant, & quàm facilè adoleſcentum animis irrepant & inhæreſcant. Ita ſcribis, Hæc igitur erat Diodori ſententia, quam tamen non concoquebat, vt ait in illa epiſtola Cicero, id eſt, non ſatis perſuadebat & probabat. Scitum interpretem: quanti eſt Dialecticam didiciſſe? Vir iſte oculeus eſt totus, vt Argus. Diodorus, inquit, ſuam ſententiam non perſuadebat: atqui perſuaſerat Ciceroni, alioqui in illa epiſtola non ſcriberet ſe de eo quod fieri poteſt, κατὰ Διόδωρον, iudicare: ſecum enim pugnaret. vt acutè Dialecticus iſte, quid conſequens, quid repugnans ſit, videt. Deinde cum ſcribit Cicero, quam Diodorus non concoquebat, perſpicuum eſt alium Diodorum à ſuperiore ſignificari, Ciceronis familiarem, qui perdiu in eius domo vixerit. Eius cùm alijs locis meminit, tùm initio libri primi De natura deorum, *Et principes illi Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus.* ſed & in Bruto, *Eram cum Stoico Diodoro, qui cum habitaſſet apud me, mecúmque vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus.* Quanquam autem & hîc & in illa epiſtola, Petrus Victorius, Diodotus legere mauult, & legendum cenſeo: tamen ſi cui Diodorus probatur, alius ſit neceſſe eſt. Veram igitur illius loci explicationẽ accipiat diſertus ab indiſerto, philoſophus ab indocto. Diodorus Ciceronis familiaris & præceptor, illa tempeſtate princeps Stoicæ ſectæ, Diodori illius veteris ſententiã de eo quod fieri poteſt, nullo modo complecti, nullo modo approbare poterat, prorſúſque ab ea abhorrebat: vt tranſlatio ſit à ventriculo cibos complectente & concoquente. nam concoquere pro perſuadere accipere, extremæ fuerit ſtultitiæ.

## Male à Logico in declinatione atomi Epicurum defendi, Ciceronem oppugnari: eundem erraſſe in Democriti ſententia de atomorum motu.

Si mihi tecum de natura, arte, & vſu diſſerendum eſſet, valde id timidè dubitanterq; facerem. Scio enim hanc cauſam tibi meditatam millies, & declamatam eſſe. Noui tuos receptus, tua perfugia, tuas latebras. In natura teneris, ad artem elaberis: in ea quoq; teneris, præſto eſt triarius ille tuus aureus vſus, quo in Senatu olim cauſam defendiſti tuam iam fractam & profligatam, cum ſic clamares ridentibus omnibus, Domine Præſes, vſum quæro, vſum quæro: vt ex eo à Iuriſconſultis noſtris (nullum enim hominum genus elegantius eſt & venuſtius) Philoſophus vſuarius dici cœperis. hic extra præſidia tua deprehenſus es, nec in tam multas facies te conuertere potes. Vt autem olim M. Craſſo vitio datum eſt, quòd malas ferè cauſas defendere ſolerent, ita toto tuo Commentario animaduerti te ſemper deteriori ſententiæ fauere & patrocinari. Ciceronem enim oppugnas, quod Epicurum dixerit rem ſuſcepiſſe inenodabilem: vt ſine cauſa fiat aliquid, ex quo exiſtet, vt de nihilo quidpiam fiat. Epicurũ enim ſic defendis, De duabus rebus inenodabilibus prior, per calumniam duplicem imponitur Epicuro. Nec enim ſine cauſa fieri dicit Epicurus, quod fortuita cauſa dicit fieri, cum fortuita cauſa etiam in cauſarum generibus contineatur: quod paulò pòſt ipſe Cicero oblitus ſui confirmabit: nec item de nihilo fieri quicquam dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri. Hic ego vereor, ne ſi te refellam, hominibus nullus Dialectices vſus eſſe videatur. Nam ſi docuero, quod neceſſe eſt, te tuo & quorundam iudicio principem Dialecticorum huius ætatis, ab Epicuro Dialectices non ſolùm ignaro, verùm etiam ſuperbo contemptore deceptum, quid te miſerius erit? quid Dialectica tua calamitoſius? Epicurus, inquis, fortunam eſſe declinationis cauſam ait. Quid? Ipſis atomis, ſi quæ ſunt, verba dari vt tibi poſſe putas, vt ſi Epicurus, de rerum natura balbutiens, nomen aliquod inane fundat, cui nulla res ſubſit, protinus de regione decedant? Quæ eſt enim per Deum immortalem hæc foruna, niſi inanis quidam ſonus? Noſtris quidem rebus fortunam interuenire video, ſed atomorum motui qui poteſt interponi? Quid enim fortuna eſt? nónne res quædam ijs interueniens, quæ alia de cauſa fiebant? vt ſi hominis in forum deſcendentis, vt aliquem conueniret, capiti tegula illaberetur. Nunc maximè vellem me doceres, quæ cauſa atomos ſuopte motu in præceps cadentes, recto curſu depellat, flatúſne fortè coortus, an aliquid eiuſdem generis. Si rurſus fortunam, ruſticè dices & impudenter, referam in vocabulo non eſſe tantùm vim, ſed cauſam aliquam fortuitò coortam interuenire oportere, quam noſtris rebus interuenire poſſe video, atomis non poſſe intelligo. Ita te, non vt Diodorum olim Stilpo vir acutus & ſolers, ſed iners & hebes Epicurus turpiſſimè fefellit, cum eius verba rem eſſe credidiſti. Deinde, ſi illa Epicuri fortuna aliquid eſt, cur perpaulum declinat tantum atomus? vt plurimum declinet, efficere non poterit fortuna, cuius tantam poteſtatem ditionémque in rebus mortalium eſſe videmus? Attamen id Epicurus nunquam dicere auſus eſt, ne comminiſci videretur. Lucretius, *Nec pluſquam minimum, ne fingere motus Obliquos videamur, & id res vera refutet.* Atqui, Lucreti, neceſſe eſt Epicurus tuus non minus in minimi interualli declinatione, quàm maximi teneatur, cùm idem peccatum ſit, & vtrunque pariter fictum. Hoc, Dialectice noſter, enoda ſi potes: ſi fortuna declinationis cauſa eſt, cur maximam declinationem, vt minimam efficere non poteſt? aut ſi id nimium eſt, cur non ſaltem magnam: denique cur non paruam efficit? Nec verò oblitus ſui Cicero ſententiã Epicuri, vt prædicas, confirmat: nulla enim atomis, vt diſſerui, intereſſe fortuna poteſt, ſuo pondere deorſum labentibus, cùm rebus humanis ſexcentæ cauſæ fortuitæ interueniant. Cùm autem ais, Nec item de nihilo fieri quicquam dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri: id quidem Cicero non ignorabat, Epicurum ex atomis omnia facere: ſed hoc incommodum Epicuro diſputat eſſe ſubeundum, hanc accipiendam plagam, vt de nihilo aliquid fieri concedat. Si enim declinationis nulla eſt cauſa, vt docuit, declinatio de nihilo oritur: aut quæ tandem cauſa ſit eius, cedo? Siccine Dialecticam, eloquentiam, philoſophiam, quas omnes artes vnus hoc tempore ſuſtines, vt ais, & poſſides, caligare tuam? Puer medius fidius hunc Ciceronis locum ſi explicaret, plus videret. Nullam Epicuro calumniam adhibet Cicero, ſed tu Ciceroni, cuius ſenſum non perſpicis: & tamen more inſtitutoque tuo non intellecta reprehendis. ſi enim, vt idem iterem, declinationis nulla eſt cauſa, declinatio è nihilo oritur. Non enim eius vlla eſt in inani cauſa, non in indiuiduis corpuſculis, quibus ſoliditatem, figuram & pondus tantũ Epicurus attribuit,

attribuit, quorum nullum declinationem efficit. Cæterum cum ita ſcribis: Epicurus in phyſicis quædam à Democrito ſumpſit, de atomis in infinita inanitate rectis lineis deorſum cadentibus: niſi me fallit animus, valde peccas, quod vſitatum tibi. Nam quod Democritus nunquam dixit, qui ab ipſo Epicurus id ſumere potuit? Id adeò liber ipſe, quem interpretaris, te docebat, niſi tam obliuioſus fuiſſes, vt cum ad eum locum perueniſſes, hic à te ſcripta non recordarere. Sic enim ſcribit de atomis Cicero: *Primum cur aliam quandam vim motus habebunt à Democrito impulſionis, quam plagam ille appellat: à te, Epicure, grauitatis & ponderis?* Ariſtoteles quoque violenta impulſione, Leucippi & Democriti ſententia, indiuidua corpuſcula cieri ſcribit. Vidèſne igitur alium eſſe atomorum apud Democritum motum, alium apud Epicurum? Hic negotium age tuum, & quid pro te dici poſſit, quære. Ego enim nihil video, niſi te ſolita tua ignorantia lapſum eſſe. Gaudeo autem me tibi tam familiarem eſſe, vt mea exiſtimes tua. Quæ enim de triplici atomorum motu ex Lucretio & Plutarcho ſcripſi, omnia in album tuum tranſtuliſti: Quædam tamen inſcitia tua inquinaſti, vt cùm στάθμην pondus interpretaris, cum ſit linea vel perpendiculum, quo vtroque modo Cicero vertit: cum plagam, non iam regionem, vt antè feceras, magna tui nominis infamia, ſed ictum, quo corpora leuiora pellerentur à grauioribus, accipis. Ictus enim fit, non cum leuiora à grauioribus pelluntur, ſed cum corpora indiuidua declinantia, viamque commutantia, confligunt. Quòd enim duriſſima ſunt, diuerſa reſiliunt, declinatioque plagam antecedit. Itaque nec leuitas, nec grauitas, reſiliendi cauſa eſt: ſed ſoliditas & duritia, quod non intellexiſti. videris enim exiſtimare leuia in inani tardius quàm grauia moueri: quod & falſum eſt, & Epicurei, qui Dialectica tua inſtructi non erant, tamen fieri non poſſe perſpexerant. leuia enim & grauia æquè in inani celerare cenſuerunt. Lucretius, *Omnia quapropter debent per inane quietum Æque ponderibus non æquis concita ferri.* Ita nihil tam bene dici poteſt, quin id, ſi attingas, inſcitia contamines tua. Non multò pòſt fortiter vrges errores tuos, cùm pag. 17. ſcribis, inconſtanter Ciceronem, quod vt inenodabile in Epicuro reprehenderat, enodare poſitis cauſis fortuitis, & eundem ſecum pugnare, qui poſitis cauſis fortuitis Diodori ſententiam, quam antea probauerat, omnes rerum cauſas neceſſarias efficientem, nullas fortuitas relinquentem deſerat. Hic multa peccas: ſi prudens, pertinacia damnanda: ſi imprudens, ignorantia miſeranda. Nihil inconſtanter à Cicerone factum eſt: nam fortuita cauſa atomis in inani nulla, niſi verbo, interuenire poteſt, vt noſtris rebus infinitæ poſſunt. Quod Cicero vidit, tu obtuſior ipſo Epicuro non intellexiſti. Loci autem ſententiam nullo modo percepiſti: nunc non diſputo qualis ſit Diodori ſententia. Certè non animaduertiſti, qualis illa cunque ſit, Ciceronem oſtendere Epicureos ea poſſe contra fatum ſine commentitia atomorum declinatione niti. Si enim fateantur omne enunciatum verum eſſe aut falſum, non erit eis neceſſe, quod verentur, fato fieri omnia dicere, ſi Diodorum, qui immutabile verum & falſum dicit, fatum tamen non ponit, ſequantur: quia quod verum futurum eſt, ſi non neceſſarijs & ex æternitate manantibus cauſis eueniat, voluntarijs tamen & fortuitis eueniet. Contendis à Diodoro fatum conſtitui, argumento certè perinfirmo, & auctoritate tua indigno. Nam qui à ſententia huius loci aberraſti, ſaltem errorem tuum enixè defendere conaris. quid ais? Nam cum diceret, ais, omnia vera eſſe neceſſaria, verum autem ſit ex vera cauſa effectrice verum, certè cauſas verorum neceſſariorum neceſſarias efficiebat. Ad hæc pro Diodoro tibi reſpondeo: verum hic omitte quæſo, quid mihi videatur, quærere. Sepone cauſam meam: non enim agitur, quid ſentiam, ſed quid dicat Diodorus. Vera in futuro Diodoro neceſſaria ſunt, id eſt, in falſum conuerti nequeunt, cum euentu ea confirmari oporteat: & ſi quid verum in futuro dicatur (nam quod in futuro eloquimur, ſexcentis ante euentum ſeculis, verum iam aut falſum eſt, vt Diodorus cenſet) eueniat neceſſe eſt: alioquin verum non erat. vt ſi, verbi gratia, ex conditione verum eſſe dicatur, in forum deſcendes neceſſe ſit te in forum deſcendere, non quin tibi liberum ſit non deſcendere (id enim tibi licet) ſed certè ſi non deſcendes, verum non erat, in forum deſcendes. Iſta eſt Diodori ſententia, quæ quemadmodum Cicero dicit, cauſas fortuito antegreſſas & voluntarias, non tollit, nec fatalem inducit neceſſitatem, ſed aliam quandam alterius generis. hac interpretatione tota, tua ratio iacet, vt vides, & friget. Quod enim in futuro verum dicetur, eueniet neceſſariò, quia verũ eſt, vt Diodorus dicit: neq; tamen res quæ eueniet, neceſſaria & fatalis erit. vt ſi verũ eſt, Cras ambulabis, Cras ambulare te neceſſe eſt, quamuis ambulare tibi voluntarium ſit. Non enim poteſt verum commutari in falſum. Vt enim, quemadmodum Origenes ait, cum dicimus, Si quem Deus prænouit peccaturum, is omnino peccabit, illud omnino diſtinguendum eſt, vt ſi neceſſitas fati ſignificetur, falſum ſit, ſi rei exitus, verum: ita quoque illa Diodori neceſſitas, veri conſequentiam euentus inducit, fati dominatum non conſtituit. Eadem etiam eſt Theologorum ratio & cauſa in Dei præſcientia: Si enim Deus præuidit te cras peccaturum, cras peccabis: idque euenit omnino, quamuis liberum tibi ſit peccare, & non peccare. Qua in re neceſſitatem conſequentiæ concedunt, quæ nihil violentum & fatale continet, neceſſitatem conſequentis voluntate homines ſpoliantem, & inuictam fati vim confirmantem negant. Eadem diſtinctio in Diodori ſententia & neceſſitate valet: quam tamen non intellectam more tuo damnaſti, fatalemque credidiſti, qui literam nullam Diodori vnquam legeras: cùm Plutarchus, Alexander, Cicero, qui Diodori libros perdiligenter euoluerant, quibus idcirco etiam fidem habueram, nullam in ea fati vmbram reperiant. Ea autem Diodori ſententia, & perſuaſio in eo poſita eſt, quòd is enunciationes, quæ aliquid in futuro eloquuntur, iam planè veras aut falſas putat, cùm Stoici nec veras, nec falſas putent: Ariſtoteles inter verum & falſum ambiguas propè relinquat metu fati, & in ijs veri falſique incertam eſſe conditionem tradat. Sequitur ſpecimen Dialecticæ tuæ, præclara illa ſumptio, Verum eſt ex vera cauſa effectrice. Sit ita ſanè. Sed multæ ſunt effectrices cauſæ, vel liberæ, vel fortuitæ, quod oblitus eſſe videris, vt ars, voluntas, fortuna, vt in vulnere ex tegulæ lapſu: quæ cauſæ in Dei præſcientia certam & exploratam Deo efficere poſſunt conſecutionem euentus, etſi nec ipſæ neceſſariò agant, nec conſequens ſit neceſſarium. Itaque quod in complexione ponis, Verorum neceſſariorum neceſſarias eſſe cauſas, in quodam neceſſitatis genere non ſolùm falſum eſt, verùm etiam,





vt tu dicere ſoles, impium, vt in Dei præſcientia. Quod enim Deus præuidit, prorſus eueniet, ſine tamen neceſſarijs cauſis. Nam ſi cauſæ eſſent neceſſariæ, inuicta quædam & fatalis neceſſitas, atque adeo ineluctabile & immutabile fatum omni poteſtate voluntatem noſtram ſpolians conſtitueretur. Iſta autem de quibus hic diſſerimus, abſolutè neceſſaria non ſunt, quæ neceſſarias cauſas nihil deſiderant. Mox Dialecticæ diffiſus tuæ, non ad conuitia, ſed ad crimina delaberis, vt quod ratione & æquitate non potes, accuſatione & terrore obtineas, nouum diſputandi genus, & ſcholis non vſitatum, ſed Quæſitoris tribunali. impietatem, vir ſceleratiſſime & impuriſſime, tu mihi obijcere audes? Ego verò tibi diuortij verba reſpondeo, *Res tuas tibi habeto.* eſt enim impietas diſciplinæ tuæ alumna, qui Academiam nouam, quam reuocare non potuiſti, etiam nunc animo conceptam contines, & tui iſtius Commentarij initio ad eam nos remittis, vt ſatis ſenſus tuus perſpiciatur. Sed iſtud crimen quod, ſcelerate delator, obijcis, eo magis contemno, quòd nullius eiuſmodi fraudis mihi conſcius ſum. Eadem erras pagina, cùm ἄρχοντα, quinquaginta virum, qui πρυτάνεις dicebantur, principem facis. nam ἄρχων ille, ex cuius nomine annorum faſti perſcribebantur Athenis, nihil commune cum quingenaria curia habebat, nec cum quinquaginta viris, decima quingenariæ curiæ parte. vnus enim erat eorum qui nouem magiſtratus vocabantur. Pollux, ἀρχόντων Ἀθήνησιν ὀνόματα· οἱ ἐννέα ἄρχοντες. εἰσὶ δὲ, ὁ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπώνυμος ἄρχων, βασιλεὺς, πολέμαρχος, θεσμοθέται ἕξ. ἐκ τούτων γὰρ οἱ ἐννέα ἄρχοντες συμπληροῦνται. Id eſt, Magiſtratuum Athenis nomina: nouem magiſtratus. ij ſunt, Archon annum nominans, Rex, Polemarchus, Theſmothetæ ſex. Ex ijs enim nouem magiſtratus explentur. Idem apud Suidam leges: idem in argumento orationis contra Androtionem. Interfecto autem Codro Rege, primum Athenienſes, Archontas habere cœperunt: initio perpetuos, poſtea in denos annos: poſtremò annuos. Paterculus de Codri filio: *Huius filius Medon, primus Archon Athenis fuit. Ab hoc poſteri apud Atticos, dicti Medontidæ, ſed hi inſequentéſque Archontes, vſque ad Charopem, dum viuerent, eum honorem vſurpabant.* Iterum, *Tum Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, cum fuiſſet vltimus Alcmæon, cœperúntque in denos annos creari: quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit, ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus Reſp. Ex ijs qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, vltimus Erix. Ex annuis primus Creon.* Hic etiam falsò ſcribis Soldurios eſſe apud Cæſarem quoſdam Gallorum magiſtratus, cum homines eſſent, qui ſe alicuius amicitiæ dedidiſſent atque deuouiſſent. Rurſus autem hac pagina, & ſequente, in Diodorum irrito conatu, vt antè, inueheris, & malè intellecta male oppugnas: quantoque magis in eum niteris, tanto magis inſcitiam tuam prodis. Neque enim, vt antè docui, & hic docerem, niſi odioſum eſſet, eadem iterare, Diodorus contingens, fortuitas cauſas, voluntatis libertatem, id quod neutram in partem propenſionem momentumque habet, tollit, vt falsò ei imponis, ſed iſta retinet omnia: tamen, ſi quid verum in futuro ſit, id euenturum eſſe contendit. Niſi enim eueniret, verum in futuro non fuiſſet, ſed falſum. Meritò verò Chryſippeam illam cauſarum neceſſariarum ſeriem, quam tu propè videris approbare, Cicero aſpernatur. Eam enim omnia, quæ in Diodorum falsò confers, incommoda verè conſequuntur.

## Ad illum locum, Sed hæc hactenus, in plurimis peccare Logicum.

Hic mihi mirum eſſe videtur, quid ſit quod cenſeas Chryſippum in Epicurum diſputare, cùm perſpicuè Cicero Chryſippi argumentum fatum probantis commemoret. Non enim ſi Epicuri paulò pòſt mentionem facit, ſequitur protinus, in eum à Chryſippo diſputari. Incidit enim Epicuri mentio, quia verebatur, ne ſi eſſet omnis enunciatio vera aut falſa, fatum induceretur. Itaque rem commentitiam attulit, minimam atomi inclinationem. Cùm tamen diſſerit Chryſippus, enunciationem omnem veram eſſe aut falſam, ad fatum confirmandum id affert, nihil de Epicuro cogitans. Id eſt enim quod Cicero ait, Alia videamus, argumenta ſcilicet, quibus Chryſippus fatum probat. Mox grauius errans ita ſcribis, Cicero in patrocinio mallet negare omnem enunciationem veram eſſe aut falſam. Ita, te interprete, Cicero tum in diluendo argumento patrocinatur Epicuro: cùm contrà ipſe ab Epicuri ſententia patrocinium & adiumentum aduerſus Chryſippum petat. Quid enim, inquit, ſi Epicurum ſequar, & negem omnem enunciationem veram eſſe aut falſam, & hanc plagam potius accipiam, quàm fato fieri omnia comprobem? Vidéſne quàm conuerſa ſit ratio? intelligíſne quàm præpoſtera ſit interpretatio tua? Non, inquam, Cicero cum id dicit, Epicuro patrocinatur, ſed ab Epicuri opinione qualecunque præſidium velut ludens petit. Statim in campo exultas tuo, ac rudem antiquitatem doces, & Dialectices imperitam, oculoſque (quod dicitur) cornicum configere conaris. In quo tamen mihi non minus inſanire videris, quàm ille, qui per vrbis vias paulò antè ſuperbè incedens, ſe Cæſarem prædicabat. Hic autem ais, Chryſippum malè argumentari, quod mihi tecum conuenit. Eſt enim quod affert, fallax & captioſum: neque ex eo fatum probatur. non tamen qua ex parte tibi videtur, niſi fallor. Dicis enim, Cùm ſic Chryſippus concludit, Si eſt motus ſine cauſa, non omnis enunciatio vera erit aut falſa: in hoc connexo, quod primum eſt, nihil habere coniunctum cum annexo. In quo laberis, neque quid agatur, vides. Nam Stoicis enunciationes de futuro, neque veræ, neque falſæ ſunt: ſed veræ & falſæ eſſe poſſunt, vt antè docui. Hinc illud Ciceronis, *Quia futura vera, inquit, non poſſunt eſſe ea, quæ cauſas, cur futura ſint, non habeant.* & mox, *Et ſi tum non eſſet vera hæc enunciatio.* Id Boëtius etiam his verbis oſtendit: *Putauerunt autem quidam, quorum Stoici quoque ſunt, Ariſtotelem dicere, in futuro contingenti nec veras eſſe, nec falſas propoſitiones.* Quod enim dixit, nihil ſe magis ad eſſe habere, quàm ad non eſſe, hoc putauerunt,

tauerunt, tanquam nihil eas intereſſet, falſas an veras putari. neque veras enim neque falſas eſſe arbitrati ſunt. Diſſerit igitur in pronunciationibus illis, quæ in futuro aliquam animi appetitionem, impulſionem, motum declarant, verum extare ſine cauſa nullo modo poſſe. Hæc autem ſunt, quæ potiſſimum videantur à fati iure immunia, in quibus etiam fatum conſtituere Chryſippus conatur, cum id, de quo pronuntiant, ſine cauſa euenire non poſſit: vt ſi dicam, Cras ambulabis, aut non ambulabis, neutrum ſine cauſa fiet, vel voluntaria, vel fortuita, vel neceſſaria. Eſtque ſatis magnum Chryſippo incommodum, ſi in aliqua doceat enunciatione, verum aut falſum eſſe non poſſe ſine cauſa: contendit enim non omnem enunciationem veram aut falſam fore, id eſt, aliquam non fore. Itaque quod mox dicit Chryſippus, Cauſas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falſum erit, malè eſt à te intellectum, cùm de ijs, quæ à motu, appetitione, impulſione, voluntate, proficiſcentia in futuro enuntiantur, accipiendum ſit. Proinde illud tuum Chimæræ monſtrum & terriculum, quo Chryſippum perturbari poſſe credidiſti, in vltimas terras tibi deportandum eſt: nihil enim Chryſippum offendit. Quinetiam calumniam adhibes, cùm verum falſum, vim habere parem contradictioni dicis, verum non verum: quaſi verò in eam ſententiam id Chryſippus dixerit. Hominem nunquam ingenioſiorem & ſolertiorem vidi ad inueniendum falſum. Non id, inquam, voluit Chryſippus: ſed hanc, verbi cauſa, enunciationem, Cras ambulabis, veram eſſe non poſſe ſine cauſa, nec eandem falſam eſſe poſſe ſine cauſa: nam ſi cras ambulare tibi libeat, vera fuerit: ſi non libeat, falſa. ita voluntas, cauſa fuerit. Sed vt ventilator manus celeritate ſuffuratur pilulam: ſic motum oculis noſtris ſubduxiſti, proinde quaſi nomen eſſet otioſum in argumentatione Chryſippi. ſic enim refutationem inſtituis, vt eius penitus oblitus eſſe videaris. Nomen motus repone: omnes irriti concident conatus tui. Nihil igitur hic habes, quòd accuſes Logicen Ciceronis. Verum habemus quòd meritò, vel malitiam culpemus tuam, ſi de induſtria ſententiam peruertiſti: vel ignorantiam vituperemus, ſi (quòd reor) ſenſum non perſpexiſti. Ergo & rectè connectit Chryſippus, Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio vera aut falſa erit: non vt ſcribis in Commentario tuo, eſt: nam de futuro loquitur: & quod primum in connexo poſitum eſt, vera ratione confirmatur, Cauſas efficientes, quod non habebit, id nec verum, nec falſum fore: magnoque Dialecticæ tuæ probro iſta tam inconſideratè reprehendis: vitium autem argumentationis Chryſippi non animaduertiſti. Eſt profectò tibi turpe à me, qui nec Logicus ſum, nec Dialecticus haberi volo, te hic doceri: non animaduertiſti, inquam, in quo Chryſippus erret. nam vt motus nullus ſine cauſa ſit: tamen non ex eo efficietur, fatum, cum in cauſis & fortuna & voluntas numerentur: atque iſto modo Cicero & Carneades, haud ſanè paulò meliores, quàm tu Dialectici, Chryſippo poſtea reſpondebunt. Es autem valde acerbus & aſper in Ciceronem, qui quòd ex conditione non abſolutè dixit, ſe, ſi neceſſe ſit, aſſenſurum potius eſſe Epicuro, & negaturum omnem enunciationem eſſe veram aut falſam, quàm fato omnia fieri comprobaturum, reprehendas. non enim ignorabat quàm eſſet Epicuri ſententia inepta & falſa, cum præſertim eam hoc libro grauiſſimè poſtea condemnet, & in primo De natura deorum his verbis contumelioſè notet: Idem facit contra Dialecticos, à quibus cum traditum ſit in omnibus diſiunctionibus, in quibus aut etiam, aut non poneretur, alterutrum eſſe verum, pertimuit, ne ſi conceſſum eſſet huiuſmodi aliquid, Aut viuet cras, aut non viuet Epicurus, alterutrum fieret neceſſarium · totum aut etiam, aut non, negauit eſſe neceſſarium: quo quid dici poteſt obtuſius? Sed ita plerunque ſolent ſcriptores, partes, quas ſuſceperunt, & veras exiſtimant, defendere: vt omnia ſe potius incommoda ſubituros prædicent, quàm veram rationem & cauſam prodituros. Nec verò hac in re vllo modo aſſentitur Epicuro, ſed tantum id opponit, quod Epicurei in controuerſiam vocabant.

## Ad illum locum, Extra pondus & plagam, erraſſe Logicum.

Plagam priori editione regionem accipiebas, quòd diceres Epicuri ſententia æquidiſtante (ſic enim loquebaris) linea atomos, id eſt, parallelo ſpatio ferri. A me admonitus, tam ineptus huius loci interpres eſſe deſiiſti, ac motum ex conflictu atomorum diuersè diſſilientium intellexiſti. Si tamen diligenter legiſſes, quod extremo meo Commentario ſcribo de Democriti ſententia & Epicuri, plagam de Democrito hic accepiſſes, pondus de Epicuro. Nam ille apud Epicurum ex plaga motus naturalis non eſt, nec primus, ſed violentus & ex euentu. Apud Democritum autem plaga, principium eſt motus: qua de re hic agitur. Plutarchus de motu, *Δημόκριτος ἓν γένος κινήσεως τὸ κατὰ πληγήν.* id eſt, Democritus vnum genus motus nouit ex plaga. nam malè in Plutarcho legitur, *τὸ κατὰ πλάγιον*, vt reor. Iterum de neceſſitate, *Δημόκριτος τὴν ἀντιτυπίαν, καὶ φορὰν, καὶ πληγὴν τῆς ὕλης.* id eſt, Democritus ſoliditatem, motionem & plagam materiæ. Atque hic ſenſus mirificè cum Ciceronis litera conſentit. Sic enim ſcribit, *Non enim atomus ab atomo pulſa declinat.* illa enim ex impulſione declinatio, Democriti eſt, non Epicuri. De Epicuro enim intelligere inſcitum eſſet, cùm apud eum plaga declinationem ſequatur, non antecedat. Nam qui, inquit, poteſt pelli alia ab alia, ſi grauitate feruntur ad perpendiculum corpora indiuidua rectis lineis, vt Epicuro placet? Quo ſanè loco ſignificat dilucidè, motum grauitatis eſſe proprium Epicuri, nullamque apud Epicurum declinationis cauſam eſſe, vt apud Democritum. Democrito enim atomus pulſa mouetur, & declinat. Sequitur enim, inquit, vt ſi alia ab alia nunquam depellatur, nec contingat quidem alia aliam. id eſt, ſi non mouetur ex plaga apud Epicurum atomus, vt apud Democritum, ne contingit quidem atomus atomum: nam contactus depulſionem faceret. Ita fit, vt declinatio Epicuri commentitia ſit, & de nihilo orta. Proinde Cicero hoc loco, ſtatim Democriti mentionem facit, quòd eius ſententiam attigerat: & eius Epicurique ſententiam de atomorum motu infrà multo clarius explicat, his verbis: Primùm cur aliam quandam vim motus habebunt à Democrito impulſionis, quam ille plagam appellat, à te, Epicure, grauitatis & ponderis? Plutarchus quoque in libro De placitis philoſophorum, de motu ſic ſcribit: *Ἐπίκουρος δύο εἴδη τῆς κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν.* Id eſt, Epicurus duo motus genera, ad perpendiculum, & per declinationem: in quo plagam Epicuro non tribuit. & in capite De corporibus,



poribus, cum ita ſcribit: *κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα, τὸ μὲν κατὰ στάθμην, τὸ δὲ κατὰ παρέγκλισιν, τὰ δὲ ἀνωκινούμενα κατὰ πληγὴν, καὶ κατὰ παλμόν:* Id eſt, Moueri autem indiuidua corpuſcula, partim ad perpendiculum, partim per declinationem, partim ſurſum verſus pulſu concuſſuq; ferri: repulſionem ex plaga verum indiuiduorum motum non exiſtimat. Hic igitur, quod extremo Commentario meo admonui, germanus huius loci ſenſus eſt, vt plaga Democrito, pondus Epicuro tribuatur. Attamen cùm & priore editione & poſteriore tam auius & diuerſus à vero feraris, audes, ô vecors (quid enim non audet proiecta iſta audacia tua, cuius effrænatam licentiam & temeritatem maledicendi, & optimum quenque allatrandi diuturna impunitas aluit?) audes hìc Ciceronem reprehendere, atque ita ſcribere: Epicurus Ciceronis propoſitioni reſiſteret, quia negaret ſemper rectè ferri, cum aliquando declinarent. Epicuri fuit ſtolidus error, ſed non refellitur his argumentis à Cicerone. Ita me Deus amet, nihil eſſe poteſt obtuſius, nihil pinguius, nihil tardius iſto verbo & prædicatione, non re, nec factis Dialectico. Non vides firmiſſimo argumento declinationem oppugnari, atque adeò in totum expugnari? Negat enim eius vllam apud Epicurum eſſe cauſam ſed rem eſſe ad libidinem fictam: nam ſi qua eius eſſet cauſa, ea impulſio & plaga eſſet. Sed impulſio cauſa motus eſt apud Democritum, non apud Epicurum: qui cenſet ad perpendiculum corpora ferri ſuapte grauitate. Qua de re ſic Lucretius ſcribit,

*Nanque hoc in promptu manifeſtumq; eſſe videmus,*
*Pondera quantum in ſe eſt, non poſſe obliqua meare,*
*E ſupero cùm præcipitant.*

Pondus enim cauſa eſt ſuapte natura, recti in præceps, & ad lineam motus, non obliqui, nec declinantis. Ergo cum Epicurus motum ex plaga tollat, in atomis autem pondus, cauſam motus dicat, nec pondus declinationis vllam vim contineat, neceſſe eſt declinationem fateatur ſine cauſa fieri. Scio ingenio tuo inſitum atque innatum perditum quoddam reprehendendi auctores ſtudium, quòd ita te ad famam peruenturum putes. Quo minus obſequaris animo & ingenio tuo, non recuſamus: tantum petimus, quod æquiſſimum eſt, ne non intellectos per ſummum ſcelus accuſes, ſed mentem eorum diligenter antè perſpicias, & ſenſum eruas: vbi verum nobis ſenſum enodaueris, tum tu iſta reprehendendi libidine, quantum voles, abutitor: tum, ſi tibi videtur, fanaticus caput iactato, & petulantiam exerceto tuam, ne rubiginem ducat. Tum ſanè etiam peccabis, ſed multo quàm nunc tolerabilius: minus enim multos in errorem induces, quia fieri non poterit, quin verus ſenſus alicuius animo inhæreſcat. Nunc autem de induſtria in auctoribus ſenſus abſurdos & alienos captare & ſequi videris, vt eos in inuidiam voces, & reprehendere aliquid poſſis. Mox ſcribis, De tribus his motibus iam ſcripſi: in quo furtum facere maluiſti, quàm mutuum accipere. Ac meo iudicio in furando es ingenioſior multo quàm interpretando. Quàm callidè, quæ initio libri ſcripſi, in ſequentia retuliſti, ne à me accepiſſe videreris? quàm aſtutè, quæ hoc loco de motu atomorum diſſerueram, antè occupaſti, ne furta apparerent, abiurataeq; rapinæ? ſic ex alieno tuum facis. Statim autem ſcribis, Mathematicorum dictiones eſſe regulam, lineam, perpendiculum, normam: & tamen ex Vitruuio & Epiſtolis ad Quintum fratrem, probas eſſe Architectorum, vt probatio cum ſententia tua nullo modo conſentiat. Ego autem exiſtimo Romanos Architectos ante ætatem Sulpitij Galli, qui primus Romani nominis Mathematica didicit, linea, regula, perpendiculo vſos eſſe. Non ita longè in Carneadis ſolutione delinquis: ſic enim ſcribis, Carneades igitur reſiſtebat ſecundi Syllogiſmi aſſumptioni, Sed omnia fiunt cauſis antegreſſis. imò verò Carneades acutè & ſubtiliter, non obtusè commentitia quadam declinatione occurrit argumento, quo contendit Chryſippus nullum motum eſſe ſine cauſa, nomenq; cauſæ diſtinguit in externam & internam, qualis voluntaria eſt. Rurſus eodem mox loco grauiter peccas, cum ſcribis, Prolepſis pro Epicuro, quem dicerent Epicurei vulgi more locutum, cum dixiſſet ſine cauſa aliquid fieri. Scitum interpretem, & lynceum? Iube tibi oculos effodi: nihil enim vident. hìc, ô bone, verba Chryſippi à Carneade diſtinguuntur, non Epicuri. Nam cum ſumpſiſſet Chryſippus, Si motus eſt ſine cauſa, non omnis enunciatio vera vel falſa erit, cauſam dixerat, vt in communi conſuetudine ſermonis, cum ita dicimus velle aliquid quempiã, aut nolle ſine cauſa. Ita enim dicimus, ſine cauſa, vt dicamus ſine externa & antecedente cauſa, quod hæc verba Ciceronis perſpicuè oſtendunt. Motus ergò ſine cauſa nullus eſt. Quod ſi ita eſt, omnia quæ fiunt, cauſis fiunt antegreſſis. Videſne Chryſippum à cauſa ad externam cauſam gradum facere? Plutarchus quoque refert Stoicorum firmamentum eſſe ad fatum conſtituendum, *μηδὲν ἀναιτίως γίνεσθαι, ἀλλὰ κατὰ προηγουμένας αἰτίας.* Id eſt, nihil ſine cauſa fieri, ſed antegreſſis cauſis. Non igitur, vt falsò cenſes, iſta ſunt Epicuri verba, ſed Stoicorum. Medici autem, etſi nomina cauſarum à Stoicis mutuati ſunt: tamen vim verborum immutaſſe quodam modo videntur, cum eis *αἴτιον προηγούμενον*, cauſa ſit interna: *προκαταρκτικὸν*, externa. Galenus de morborum cauſis, *τὰς μὲν δὴ κατ' αὐτὸ τὸ ζῶον, εἴτ' οὖν διαθέσεις, εἴτε καὶ κινήσεις παρὰ φύσιν, αἰτίας ὀνομάζουσι προηγουμένας νοσημάτων· τὰ δὲ ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ ἀλλοιοῦντα, καὶ μεταβάλλοντα μεγάλως τὸ σῶμα, προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ καλοῦσιν αἴτια.* Id eſt, Atque in ipſo animante, ſiue affectiones, ſiue commotiones contra naturam, cauſas nominant antegreſſas morborum: quæ extrinſecus incidunt, conuertunt, immutantq; inſigniter corpus, cauſas præpoſitas & antè exordientes. Tamen ex Plutarcho, verbiſque Ciceronis nulla magnopere differentia apud Stoicos fuiſſe videtur. Interdum etiam *προηγούμενον αἴτιον* opponitur *τῷ κατὰ συμβεβηκός*, cùm ſit propria rei cauſa ſuapte vi & poteſtate, non ex conſecutione atque caſu.

## Ad illum locum, Et ſi tum non eſſet vera hæc enunciatio, Logicum erraſſe.

Incredibile eſt dictu, quàm me iuuet erroribus tuis coarguendis operam dare, vel quod magna te inanitate liberabo ſtultæ opinionis, qua ad inſolentiam vſque te circumſpicis in eloquentia & philoſophia, cùm ab vtraque longiſſimè abſis: vel quia adoleſcentiæ noſtræ, quam improbus magiſter, in deteriorem

partem plerunque inducis, oſtendo: qui ſis, quàm inanis ſcientiæ, plenus arrogantiæ. His enim lectis, ſpero futurum, vt non ſolùm hominum iudicio, verùm etiam tacita tua conſcientia, quanquam valde tibi places, in ordinem cogaris, homineſqúe in ſpecioſis illis & ambitioſis titulis, qui profectò, vt ne alia quæramus argumenta, ſatis animi tui vitium indicant, poſthac rideant, tu erubeſcas. Senſum, tantus profeſſor, in loco minime obſcuro non perſpexiſti, cùm ita ſcribis: Quidam legunt, Ne illa quidem euerſa, vera eſt hæc enunciatio, quod aliquid habet adiumenti, ſenſum tamen plenum non habet: ſenſus ſiquidem videtur fuiſſe, Si ſexcentis antè ſeculis dicta hæc enunciatio, Scipio Numantiam capiet, vera non eſſet: ne Numantiá quidem euerſa, vera nunc eſt hæc enunciatio, Cepit Numantiam Scipio. hanc enim ſententiam proxima collatio requirit, vbi præteriti & futuri temporis veritas, inſtantis temporis veritate æſtimatur. Ego verò ita ex emendatione mea integram & claram eſſe ſententiam arbitror, vt equidem mirer à te non intellectam. Quid enim conatur probare Cicero? nempe ſexcentis antè ſeculis veram hanc enunciationem fuiſſe, Capiet Numantiam Scipio. Alioqui enim ſi infinitis antè ſeculis vera non ſit, ne capta quidem vrbe, vera fuerit: ſi nec antè, nec poſt vera ſit, nunquam vera fuerit, quanquam res euenerit. Vrbe autem capta veram non eſſe ſatis conſtat: Alioqui futurum præteritum eſſet. Sexcentis igitur ſeculis antè vera fuit. Ciceronem autem tantum de futuro diſputare, non de præterito, vt ſtulte ſentis, ipſa verba quæ mox ſubiicit, indicant. Poteſt igitur aliquid factum eſſe, quod non verum fuerit, futurum eſſe. In hac complexione, vt vides, futurum colligitur, de quo ambigebatur. Nulla enim Ciceroni cum Stoicis de præterito controuerſia erat, ſed de futuro. Atque in ſimilitudine, quæ ſequitur, præteritum, argumentum eſt confeſſum, probatioq; futuri, de quo quæritur. Diſputat enim, vt præteritum verum eſſe dicitur, quod euenit, ſic futurum verum eſſe dicendum, quod eueniet: quod tamen Stoici negabant, qui enunciationes, quæ de futuro pronuntiant, veras eſſe poſſe & falſas dicebant, nondum tamen veras eſſe, aut falſas. Contendit enim Cicero, ſi nondum veræ ſunt, ante euentum rei, cùm res euenerit, veras non fore. Ita neceſſariò ante rei exitum veras eſſe dicendas, aut nunquam veras. Hic igitur, quod eſt deforme tibi, argumentum à quæſtione diſtinguere non potuiſti: atque in facillimo Dialectici munere, & propè puerili, tantus doctor & magiſter, turpiter erraſti. Tolerabilius omnino ſuperiore editione peccaueras: incideras enim in vitioſam lectionem. Nunc verò loco ſic à me reſtituto, tam plana ſententia, cùm non ſolùm improbè verum opprimere ſtudeas, ſed etiam prioris editionis errorem pertinaciter defendas: non rationibus liberaliter conuincendus es, ſed fuſtibus ſeruilem in modum mulctandus. Exiſtimaſſe autem Stoicos eas de futuro enunciationes nondum veras aut falſas eſſe, ſic docet Cicero: Si hæc enunciatio, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, verum non eſt, ſequitur vt falſum ſit: quorum iſti neutrum volunt, id eſt, Stoici. Id etiam Alexander oſtendit: Ὅμοιον δὲ τούτῳ καὶ τὸ λέγειν τὸ ἀξίωμα, τὸ ἔσται αὔριον ναυμαχία, ἀληθὲς μὲν εἶναι δύνασθαι, οὐ μέντοι καὶ ἀναγκαῖον. ἀναγκαῖον μὲν γὰρ τὸ ἀεὶ ἀληθές· τοῦτο δὲ οὐκέτι ἀληθὲς μὲν, ἐπεὶ δ' ἂν ἡ ναυμαχία γένηται. Id eſt, Huic ſimile eſt etiam, quod aiunt, pronunciatum iſtud, Cras erit prælium nauale, verum eſſe poſſe, non tamen neceſſarium. Neceſſarium enim eſſe quod ſemper verum ſit: iſtud autem nondum verum eſſe, ſed tum denique, cùm prælium nauale fuerit. Rurſus in Diodorum & Ciceronem paulò pòſt, nō concionali tuo clamore, ſed accuſatoria criminatione inueheris, & fortiter in errando propoſitum vrges tuum, cum nec quid dicat, nec quid ſentiat Diodorus, intelligas: mauiſq; calumniator importunus eſſe, quàm diligens interpres haberi, & delationi tuæ fidem potius haberi poſtulas, qui libros Diodori non legiſti, quàm Ciceronis interpretationi, qui eos accuratè euoluerat. Animaduerti autem in ſententia Diodori, duo obſeruanda & notanda eſſe: Vnum, ſignificationem eius quod fieri poteſt, ab eo in ijs tantum, quæ ſint aut futura ſint, poni: cùm ab Ariſtotele & Chryſippo aliter definiatur. Sed iſta de vocabulo lis atq; controuerſia videtur, neq; rem attingit: tantum alia ſubijcitur ei, quod fieri poteſt, vis atque notio. Alterum, nobis certa & explorata non eſſe, quæ in poſterum vera ſint futura: ſi quid tamen verum ſit, id euenturum eſſe. Nam ſi non eueniret, verum in falſum conuerti poſſet: quod factu nefas, atque adeò ne verum quidem fuiſſet. Proinde etiam pronunciationes de futuro, iam antè ſexcentis ſeculis veras aut falſas eſſe, cùm Stoicis nec veræ nec falſæ, Ariſtoteli incertæ eſſe videantur. Atque iſta ſententia, vt falſa ſit: tamen nullam neceſſitatem in rebus conſtituit, ſed vim enunciationum interpretatur: vt ſi veræ ſint, res eueniat, ſiue fortuita, ſiue voluntaria cauſa eas ad exitum adducat. Nam veri immutabilitas confirmatur, non fati neceſſitas ſancitur. Quid igitur habes, homo criminoſe, quod Diodoro & Ciceroni impietatem obijcias? Nónne ſi leges valerent, impietatis in te calumniæ condemnatum pœna conuerti deberet, vt eam ipſe tuo capite lueres, quàm alijs irrogare per ſummum ſcelus ſtuduiſti? Ac mihi permirum eſſe videtur, quod in Chryſippo fati aſſertore, & maioris impietatis affini, conniueas: in Diodoro, ſi vis, errante (nam mihi eius ſententia non probatur) fatum tamen introducere ſe non exiſtimante, tam acerbus & vehemens ſis, vt ſemper ipſum, quoties eius mentio incidit, impietatis condemnes. Retineri autem à Diodoro cauſas voluntarias & fortuitas ſcire potuiſti, niſi multo antè falſa opinione imbutus & delectatus, verum ſenſum aſpernatus eſſes: verum autem ſenſum dedita opera fugiſti, vt in reprehenſionibus te venditare poſſes. Ita Cicero de Diodori ſententia ſcribit: Nec ſi omne enunciatum aut verum aut falſum eſt, ſequitur ilicò eſſe cauſas immutabiles, eaſqúe æternas, quæ prohibeant quicquam ſecus cadere atque caſurum ſit. Fortuitæ ſunt cauſæ, quæ efficiant, vt verè dicantur, quæ ita dicentur, Veniet in Senatum Cato, non incluſæ in rerum natura atque mundo: & tamen tam eſt immutabile venturum, cum eſt verum, quàm veniſſe: nec ob eam cauſam fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt. Niſi forte cenſes tam hebetem & rudem fuiſſe Ciceronem, vt intelligere non potuerit, quid hæc opinio cū fato commercij & rationis haberet: aut te, cui comparata noctua acie acerrima videri poteſt, iſta cernere poſſe credis, illum non potuiſſe credis. Quanto probabilius eſt te in Diodoro allucinari, illum verum videre? Deſine igitur imperitiam & inconſtantiam, omnium quos vnquam cognouerim, indoctiſſime, iuxta & arrogantiſſime, vitia à Cicerone abhorrentia, in te conuenientia, homini eloquenti & philoſopho, infans & indoctus obijcere: ac vide ne dum inſanis, in

crimen



crimen impietatis ipſe prolabaris. Nam ſi rationes tuæ veræ ſunt, confirmo tibi fatum eſſe, niſi nomen neceſſitatis diſtinguis: ſed ſi diſtinctionem adhibes, quod in tua cauſa valebit, in Diodori non valebit? Sic enim ais, Non enim veritas rerum neceſſaria & immutabilis eſt, niſi ex neceſſarijs & immutabilibus rerum cauſis. Erras, qui quod in enunciationibus tibi quærendum fuit, in rebus quæras. Sed fac de rebus agi. Præteritum immutabile eſt, immutabiles tamen cauſas non habuit. Nam in ijs quæ facta ſunt, nullum etiam Deo, vt plerique dicunt, ius eſt, præterquam obliuionis. Vides igitur in præteritis falſum eſſe, quod ſumis. Quid? ſi Deus te oſtentatorem fore & ſophiſtam præuiderit, & præſcierit, nonné omnino oſtentator & ſophiſta eris, atque adeo ijs moribus præditus, vt ad eloquentiam & philoſophiam dedecorandam natus eſſe videare? omnino talis euadas neceſſe eſt: alioqui Deus id non præſcierit, aut falſum præſcierit. Et tamen etiam nunc potes exuere iſtam animi vanitatem atque fucum, neque tibi Deus vim vllam affert: ſed cauſarum, quamuis non neceſſariarum, vim ſatis ſpectatam habet, ſatiſque compertam, vt certo præſenſerit ita euenturum. Quæ cum ita ſint, aut tibi impiè fati ius ſanciendum eſt, aut neceſſitas diſtinguenda: vnaq; abſoluta, altera tanquam ex conditione ponenda: vna fatalis & ineluctabilis, altera non violenta, conſequentiam tamen quandam habens & ordinem, (alij neceſſitatem ex adiunctione vocant, & ſimplicem atq; abſolutam) vna, quæ euentu & exitu cenſeatur, etſi neceſſarias non habeat cauſas: altera quæ efficientia cauſarum neceſſariarum ſuum opus moliatur. Eadem prope eſt Diodori ratio: neceſſitatem enim ex adiunctione & conditione, & euentus fide tuetur: quæ etſi non mutatur: tamen non eſt fatalis, quòd ſimplex & abſoluta non ſit: & contendit pronunciata in futuro, iam falſa aut vera eſſe, quod alij vel negant, vel incertò dubitanterq; dicunt. Id te Ciceronis verba docebant, ſi docilis eſſes, & animus tuus verum caperet, aſſuetus falſo. Sic enim ſcribit, Et tamen tam eſt immutabile venturū, cum eſt verum, quàm veniſſe. Liberum enim facit Catoni, venire aut non venire: verum tamen ſi verum ſit venturum eſſe, quod tanquam adiunctionis eſt & conditionis, eum oportere venire. Hic de Logica nihil dicam tua: neq; enim quod non eſt, loqui ſoleo: tantum dicam in te non ſatis eſſe ingenij, non ſatis literarum, vt iſta in auctoribus perſpicere poſſis & enodare. Non fefellit autem Diodorum iſta disiunctionis neceſſitas, Omne enunciatum verū aut falſum eſſe. Sed (quod non intellexiſti) pugnat omne enunciatum in futuro, iam verum aut falſum eſſe ante exitum rei, quod à Stoicis negabatur, & ab Ariſtotele fati metu, dubium & incertum relinquitur. Ita enim argumentatus eſt: Si omne pronunciatum verum aut falſum eſt, Veniet in Tuſculanum Hortenſius, verum aut falſum erit. Non falſum, verbi gratia: igitur verum. Neceſſe igitur, ſi verum eſt, in Tuſculanum Hortenſium venire, quia verum eſt: non quin vtrumuis ei liceat, ſed quia verum poſuimus, & verum eſſe non poſſit, niſi euentu comprobatum atq; teſtatum. Nam ſi non veniet, verum non erat, ſed falſum. Arietes tui vrbes non expugnant. Illa Diodori ſententia in enunciatis eiuſmodi eſt, vt verba rerum fidem ſequi oporteat, non tamen vt abſolutam in rebus neceſſitatem conſtituat. Mox in Cicerone, cum pro, Si hæc enunciatio verum non eſt, enunciatum legis, nimium tibi in Cicerone iuris ſumis, nec meminiſſe videris ab eo ſcriptum eſſe prima Tuſculana, Mors mihi malum eſſe videtur: & cum, Sequitur in ſequi mutas, eadem id licentia facis, nec in Dialecticorum diſputationibus genus interdum orationis non ſatis conſequens eſſe animaduertiſti.

## In Ignaua ratione, Dialecticum peccare.

Hìc quanta nox oculis tuis offuſa eſt, quantæ tenebræ? male herclè propitia eloquentia & philoſophia, quas artes titulo tenus geris, locum hunc attigiſti. Sic enim ſcribis, Redit ad Chryſippū, & ex eius libris ſyllogiſmum quendam fati confirmatorem, vulgò in philoſophorum ſcholis iactatum, proponit, qui ἀργὸς λόγος dicitur: id eſt, ignaua ratio. Hac mediusfidius ignaua ratione, tu ignauior multo fuiſti. Poteſtne, obſecro, ſyllogiſmus eſſe fati confirmator, qui ad fati infirmationem adhibetur? Hoc enim incommodum ſubire coguntur, qui fatum eſſe affirmant, vt actionem omnem tollant, quæ res ſubuerſionem vitæ affert, vt proinde fatum tollendum ſit, ne hoc incommodum ſit ſuſcipiendum. Hac autem, vt puto, formula ſyllogiſmus connectebatur: Si eſt fatum, nihil eſt agendum. quis enim locus actioni relinquitur? agendum autem eſt, non eſt igitur fatum. Quòd ſi fatum, vt ais, confirmaret, cur à Chryſippo fati aſſertore diſſolueretur? niſi fortè tam ſtultum Chryſippum fuiſſe cenſes, vt ſua proderet præſidia, ſuaſqúe arces euerteret. Sequitur enim mox, Hæc ratio à Chryſippo reprehenditur. Sanè Plutarchus, cui haud paulo plus fidei, quam tibi habeo, fato hanc rationem opponi cenſet, cum ita ſcribit: ἀργοὶ δὲ καὶ θερίζοντες λόγοι, καὶ ὁ παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενος, σοφίσματα ὡς ἀληθῶς κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τυγχάνει ὄντα. Id eſt, Ignauæ autem rationes & meſſoriæ, quæq; præter fatum nominatur, captiones reuerà ſunt in hoc genere diſputationis. Percenſet enim argumenta, quibus fatum oppugnabatur, vt mox, quibus fatum probabatur, enumerat. Eadem etiam Senecæ ſententia eſt, idem iudicium. Ita enim ſcribit, *Aut futurum*, inquit, *eſt, aut non futurum: ſi futurum eſt, etiam ſi non ſuſceperis vota, fiet: ſi non eſt futurum, etiam ſi ſuſceperis vota, non fiet.* Subijcit enim paulò pòſt, *Iſta nobis opponi ſolent, vt probetur nihil voluntati noſtræ relictum, & omne ius fato traditum.* Id etiam multo apertius docet Origines, cuius eo libentius verba ſubſcribam, quòd ea ex illis Stoicorum Commentarijs exſcripſerit, vnde Cicero ſumpſiſſe conuertiſſeq; videtur. Ita ergo ſcribit, ἀλλὰ καὶ ὁ ἀργὸς καλούμενος λόγος, σόφισμα ὢν τοιοῦτος ἐπιλεγόμενος ἐπὶ ὑποθέσεως πρὸς τὸν νοσοῦντα, καὶ ὡς σόφισμα ἀποτρέπων αὐτὸν χρῆσθαι τῷ ἰατρῷ πρὸς ὑγείαν. ἔχει δὲ οὕτως ὁ λόγος· εἰ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσάγῃς, ἀναστήσῃ. ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἐάν τε εἰσάγῃς τὸν ἰατρὸν, ἐάν τε μὴ εἰσάγῃς, οὐκ ἀναστήσῃ· ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου, ἢ εἵμαρται μὴ ἀναστῆναι. μάτην ἄρα εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. ἀλλὰ χαριέντως τούτῳ τῷ λόγῳ ἀντιπαραβάλλεται τοιοῦτόν τι. εἰ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, τεκνοποιήσεις· ἀλλὰ καὶ εἰ εἵμαρταί σοι μὴ τεκνοποιῆσαι, ἐάν τε συνέλθῃς γυναικὶ, ἐάν τε μὴ συνέλθῃς, οὐ τεκνοποιήσεις. ἤτοι δὲ εἵμαρταί σοι τεκνοποιῆσαι, ἢ μὴ τεκνοποιῆσαι, μάτην ἄρα συνέρχῃ γυναικί. ὡς γὰρ ἐπὶ τούτου, εἴπερ ἀμήχανον τεκνοποιῆσαι μὴ συνελθόντα γυναικὶ, οὐ μάτην παραλαμβάνεται τὸ συνελθεῖν γυναικί· οὕτως εἰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῆς νόσου ὁδῷ τῇ ἀπὸ ἰατρικῆς γίνεται, ἀναγκαίως παραλαμβάνεται ὁ ἰατρὸς, καὶ ψεῦδος τὸ, μάτην εἰσάγεις τὸν ἰατρόν. Id eſt, Sed &

captioſa ratio, quæ appellatur ignaua, huiuſmodi per fictionem ægroto proponitur, captione eum deterrens, ne ad valetudinem medico vtatur. Ea talis eſt, ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue tu medicum adhibueris, ſiue non adhibueris, conualeſces. Item, ſi fatum eſt tibi non conualeſcere, ſiue medicum tu adhibueris, ſiue non adhibueris, non conualeſces: & alterutrum fatum eſt. medicum ergo adhibere nihil attinet. Sed venuſtè huic rationi alia huiuſmodi refertur. Si fatum tibi eſt procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, procreabis. Item, ſi fatum tibi eſt non procreare, ſiue cum muliere fueris, ſiue non fueris, non procreabis: & alterutrum fatum eſt. nihil igitur attinet cum muliere concumbere. Vt enim hic ſi fieri non poteſt, vt quis procreet, niſi cum muliere concubuerit, non ſine cauſa cum muliere eſſe aſſumitur: Sic ſi valetudinis recuperatio medicinæ via efficitur, neceſſariò adhibetur medicus: ac falſum eſt fruſtra medicum introduci. Hic igitur non ſolùm falſum, ſed etiam contrarium ſcripſiſti. Nam quo tandem pacto hæc ratio ad confirmandum fatum adhiberi queat, cum ex ea fatum non colligatur, ſed in ea fatum pro argumento ponatur? Hìc fatum quæſtio non eſt, Dialectice noſter, ſed probatio: nec concluditur, ſed concludit. Turpe profectò tibi eſt, ſic in argumentationibus delinquere, vt argumentum à quæſtione non poſſis diſtinguere. Mox proinde quaſi errorum te pœniteret, quos editione priori admiſiſſes, ad illum locum, Ex iſto morbo non conualeſces, annotationem ſubſcribis præclaram. Negatione hic nihil opus eſt: nam ſi negatio falſa eſt, affirmatio certè erit vera. Itaque ſi Cicero, vt codices indicant, ita ſcripſerit, ſcripſit ſane contrarium quàm ſenſit. Hic parum abeſt, quin putem aliquo malo carmine mentem tibi ademptam: ita nihil ea vteris. Si fatum, ô bone, ponatur, tamen quid euenturum ſit, homines neſcimus, ſed euentum tamen omnem fatalem eſſe decernimus. Ita per diſiunctionem argumentamur contrariorum: vt paulò antè Seneca, Aut futurum eſt, aut non futurum: & in hoc exemplo apud Ciceronem & Originem, Aut conualeſces, aut non conualeſces: deinde quæ ſequuntur connexa. Non igitur Cicero contrà quàm ſenſit, ſcripſit: ſed tu contrà quàm ſenſit, intellexiſti. Mox in ſolutione Chryſippi, grauis auctor ſcribis: Verè itaque aſſumptioni reſiſti poterat. Neutrum enim fatale eſt. Vt quid agatur, acutè cernis? Quaſi verò qui hoc diſſerit, fatum eſſe putet, ac non in eum diſputet, qui fatum approbet. Is autem ſi ſibi conſtare velit, alterutrum fatum eſſe concedat, neceſſe eſt. Quantam iniuriam ampliſſimo & clariſſimo Cardinali facis, cuius dignitati tuis ſordidis iſtis Commentarijs labem & maculam propemodum aſpergis? eniti deberemus, vt qui ſis, intelligeret, ne poſthac ſineret, à te ſuo nomini illudi. Paulò pòſt ad illum locum, Carneades genus hoc totum non probabat, pari vel ignauia, vel inſcitia peccas. Sic enim ſcribis Ciceronem explicans, Carneades omnes Chryſippi fraudes & captiones damnabat. Quaſi verò ignaua ratio Stoicorum eſſet, ac non eorum philoſophorum, qui fatum frangere conabantur. Itaque valebat, non in fatum tantùm, verùm etiam in Diodorum propter immutabilitatem veri, etſi ei omnia quàm Stoicis erant expeditiora. Valere autem etiam in Diodorum ſignificat Cicero, cùm ita ſcribit: Licet etiam immutare, vt nomen fati non adiungas, &c. Ignaua autem iſta ratio, captioſa cùm eſſet, & calumniæ plena, à Carneade non probabatur: alioque argumento fatum ſine vlla captione oppugnabat. Hic eſt, eloquens noſter & philoſophe, huius loci ſenſus, quem à te tot tamque diuerſis profeſſionum maximarum negotijs implicato & diſtricto, non eſſe perceptum equidem non miror. Porrò autem in illa vere impia & Academica Carneadis de præſcientia Dei ſententia, non eſt ex definitione Ariſtotelis natus error, qui ſcientiam definijt, cognitionem ex veris cauſis: nec ab alijs philoſophis, vt Stoicis, ſic definiebatur. Zeno enim, quod erat ita ſenſibus comprehenſum, vt conuelli ratione non poſſet, ſcientiam, vt Cicero ait, vocabat: ſed ex eo ortus eſt, quòd in fortuitis nullam certam firmamque cauſam, nullam commonitionem, nullum argumentum, nullum indicium, nullum denique veſtigium futuri Carneades putaret eſſe, vnde Deus poſterum augurаretur. Quòd enim in ijs nihil certi eſſet & explorati, quòd ea mutabilia & infirma videret, quòd in ijs nullam viam, quæ ad euentus fidem & cognitionem ferret, cerneret, ne à Deo quidem præſciri poſſe credebat. Id enim eſt quod ſcribit Cicero. Non igitur Ariſtotelis eum definitio fefellit, ſed quòd aliter quàm ex vera cauſa futurum prænoſci poſſe non putaret, certoque prædici.

## Ad illum locum, Ratio igitur, Diodorum defendi poſſe.

Academici philoſophi, Diodori ſententia, occurrebant rationibus Stoicorum fatum confirmantium. Eam tamen Stoici ad neceſſitatem fatalem pertrahere nitebantur, ſed fruſtrà laborabant, vt tu nunc quoque fruſtrà te fatigas, vt neceſſitatem in ea ſimplicem & abſolutam eſſe doceas. Miror te Ciceroni credere noluiſſe, toties teſtificanti in ea ſententia nihil ineſſe fatale, fortuitaſque cauſas eſſe poſſe, & voluntarias, quæ efficiant, vt in futuro, ſi quid dicatur, vere dicatur: ſed vbi ſemel è carceribus veri exijſti, rationis habenas non audis. Quod autem hic argumentum vexas & exagitas, contra te Diodorus hoc modo facile obtineret: velis enim nolis, neceſſe eſt fatearis, cũ ſic eloquimur, Sauciabitur Philoctetes: non ſauciabitur Philoctetes, alterum verum, alterum falſum eſſe. Eodem modo ſi dicam, Cras curres, Cras non curres. Vtrum tamen verum ſit in futuro, homines neſciunt, Deus nouit: euentus denique indicabit. Quod ſi verum eſt, Sauciabitur Philoctetes, omnino ita eueniet: non quòd ſit euentus rei neceſſarius, ſed quia nihil in futuro verum eſſe poteſt, niſi ita cadat. Ea autem enunciata iam tanto ante in futuro vera aut falſa eſſe neceſſe eſt. Niſi enim Sauciabitur Philoctetes, ante euentum verum ſit, nunquam verum erit: nam vlcerato Philoctete, verum erit præteritum, non futurum: id eſt, ſauciatus eſt, non ſauciabitur: quod idem in eo quod fieri poteſt, ſentit. quod enim fieri poteſt, cum verum ſit, nec verum in falſum poſſit immutari, euenire oportere contendit, non tamen fatali neceſſitate, ſed exitus conſecutione. Ita fit, vt in Diodori ſententia nullum fatum, nulla neceſſitas extimeſcenda ſit, quod ante Cicero dixit, ſed calumnia tua formidanda, quæ contra legem Lectoriam, ad circumſcribendam, fallendam, inducendam adoleſcentiam tota comparata eſt. Quare, ô vecors, hic deſine patrocinari Epicuro,





qui, niſi me fallit animus, tarditate & inſcitia tibi ſimilis erat. Nam quod ais Epicureos reſiſtere poſſe ſecundo & tertio gradui argumentationis Ciceronis, cùm inter falſum & verum in enunciatis (de ijs enim agitur) nihil medium ſit, qui fieri poſſit, equidem non diſpicio. Vt enim ſi nec nox eſt, nec dies (medio enim carent iſta) nox non eſt: ſi nox non eſt, dies eſt? Ita quoq; ſi in enunciatis neque verum neque falſum eſt, verum non eſt: ſi verum non eſt, falſum eſt. Rurſus quod nec verum, nec falſum eſt, falſum non eſt: ſi falſum non eſt, qui poteſt non eſſe verum? His argumentationibus tam neceſſarijs, tam firmis (duæ enim ſunt, quod non animaduertiſti) Epicureus ſi reſiſteret, & tam impudenter quàm tu, faceret, & lingua, non mente id negaret. Male autem narras, qui Ariſtotelem ais Epicuri iudicium tueri in enunciationibus futuri, vt in eis eius ſententia nec verum nec falſum ſit. Quid? Philoſophum omnium ingenioſiſſimum ita dormitaſſe credis, vt in illum Epicuri veternum incideret? imò verò, verum & falſum Ariſtoteles in eis eſſe exiſtimat, non tamen liquidò neq; certò, cum Epicurus nullum veſtigium vel veri vel falſi in eis eſſe putet. Vſitatum eſt tibi non ſolùm inter auctorum ſententias malè iudicare, verùm etiam eas ignorare. Itaque quod inſtituiſti, cenſeo facias, vt poſthac nugacia tua interpreteris ſcripta, cum in auctoribus omnium iudicio, qui eruditi ſunt, nihil intelligas. Nec verò neceſſitas diſiunctionis, Diodorum fefellit, vt tu putas: ſic enim argumentatur, Enunciatio omnis vera eſt, aut falſa: ergo hæc enunciatio, Cras ambulabis, vera aut falſa erit: fac veram eſſe, cras igitur ambules oportet: alioqui vera non eſſet. verum enim rei exitus declarat. Quod autem ſcribis eloqui verbum eſſe oratorium, vnde oratorem eloquentem appellari: equidem quid dicas, neſcio. Mihi quidem vulgi verbum fuiſſe videtur: tot enim apud Comicos ruſtici & ſerui eo vocabulo vtuntur, vt appareat ab oratoribus vſu ſuum non eſſe factum: & vt eloquentes dicerentur oratores, certè à populo ſic appellabantur. Iſta ratione licet oratorem vocabulum oratorium dicas, medicum vocabulum medicinale, quia ſic diſerti, & qui morbos curant, vocantur.

## Errare Dialecticum, qui putet Ciceronem à Chryſippo deceptum.

Quouſque tandem ſic perges inſectari Ciceronem, eique aliena, non ſua vitia crimini dare? vis hic me rumpam, ad rauim clamando, eam eſſe Chryſippi culpam, qui æſtuans & laborans, quomodo animi libertatem retineat poſito fato, hoc effugium commentus eſt, fatum nexum eſſe ex cauſis non neceſſarijs, ſed adiuuantibus & antecedentibus? Id ſi millies clamarem, apud te nihil proficerem, cuius aures ad verum obſurduerunt, à falſo animus nunquam abhorruit. Iſta autem, vt ſcias, ei inconſtantia & leuitas à ſcriptoribus, quos non legiſti, obijcitur: vt à Plutarcho, ὁ δὲ λέγων, ὅτι Χρύσιππος οὐκ αὐτοτελῆ τούτων αἰτίαν, ἀλλὰ προκαταρκτικὴν μόνον ἐποιεῖτο τὴν εἱμαρμένην, ἐκεῖνος πάλιν αὐτὸν ἀποδείξει μαχόμενον πρὸς αὐτόν, &c. Id eſt, Qui autem ait à Chryſippo non principalem & perfectam harum rerum cauſam, ſed antecedentem ſolum fatum ſtatui, is rurſum ipſum ſecum pugnare demonſtrabit. Et paulò poſt, πότερον οὖν τὰς συγκαταθέσεις μὴ λέγωμεν ἐφ' ἡμῖν εἶναι, μηδὲ τὰς ἀρετὰς, μηδὲ τὰς κακίας, μηδὲ τὸ κατορθοῦν, μηδὲ τὸ ἁμαρτάνειν. ἢ τὴν εἱμαρμένην λέγωμεν ἐλλείπουσαν εἶναι, καὶ τὴν πεπρωμένην ἀπεράτωτον, καὶ τὰς τοῦ Διὸς κινήσεις καὶ σχέσεις ἀσυντελέστους· τούτων γὰρ ἔσται τὰ μὲν, τῷ αὐτοτελῆ, τὰ δὲ τῷ προκαταρκτικὴν μόνον αἰτίαν εἶναι τὴν εἱμαρμένην· αὐτοτελὴς μὲν αἰτία πάντων οὖσα, τὸ ἐφ' ἡμῖν καὶ τὸ ἑκούσιον ἀναιρεῖ· προκαταρκτικὴ δὲ, τὸ ἀκώλυτος εἶναι καὶ τελεσιουργὸς ἀπόλλυσιν. Id eſt, Vtrum igitur aſſenſiones negamus in noſtra eſſe poteſtate, virtutes, vitia, recte facta, peccata: an verò fatum dicimus imminutum eſſe, & ipſam parcam ratam & terminatam non eſſe, Iouiſq; impulſiones & retentiones imperfectas eſſe? horum enim alterum conſequens eſt, ſi fatum abſoluta & perfecta cauſa ſit: alterum, ſi ſolummodo antegreſſa. Hanc inconſtantiam obieciſſes Chryſippo, niſi exiſtimaſſes nobiliorem fore de Cicerone victoriam. Ita Chryſippum reliquiſti, Ciceronem inuaſiſti. Verùm hoc crimen ſolus Chryſippus ſuſtinere debet, & ſuam leuitatem & inconſtantiam præſtare, qui modo fati ius inexorabile, indomitum, inſuperabile, ineuitabile eſſe prædicat, verbiſque ſuis dum vtitur, immutabilem & immoderatam eius poteſtatem ſancit (ἄτροπον enim vocat, ἀδράστειαν, ἀνάγκην, πεπρωμένην, quæ omnia inuictum eius robur oſtendunt:) modo aliorum philoſophorum diſputationibus fractus & debilitatus, vt libertatem animi retineat, vim fati eneruat, & in præcurſione cauſarum nullam neceſſitatem habentium collocat. Non igitur, vt cenſes, Chryſippus Ciceronem fefellit, nec ei os ſubleuit, ſed ipſe ſententiam mutauit: ac nunc Cicero Chryſippum tanquam honorarium arbitrum abdicata & abiurata ſuperiore ſententia, inter eos qui fatum vim neceſſitatis continere, & eos, qui ſine fato motus animi voluntarios eſſe exiſtimarent, medium ferire voluiſſe prædicat, vt & fatum retineret, ſed verbo tenus & animos liberos eſſe diceret, in quam ſententiam eſt propenſior: vt inter eos, qui fatum negant & Chryſippum, verborum ſit potius, quàm rerum contentio. Ita tum verbo retinet fatum, re tamen arbitrium ſancit. Eſt autem medium ferire, quod μέσον βάλλειν Græcè dicitur, aut μέσον τέμνειν. Simile eſt illud Plutarchi in Sympoſiacis, ἐπεὶ δὲ καὶ ταῦτα ἐρρήθη, καὶ τὴν κρίσιν ἀπῄτουν οἱ παρόντες, ἔφην ἐγὼ, διαιτητὴς ᾑρημένος, οὐ κριτὴς, βαδιεῖσθαι διὰ μέσου. Id eſt, Hæc cùm dicta eſſent, iudiciumq; peteretur ab ijs qui aderant, dixi, cùm arbiter, non iudex ſumptus eſſem, me medium eſſe ſecuturum. Arbitri autem fuere vel compromiſſarij, qui compromiſſo facto interpoſita ferè ſtipulatione pœnæ deligebantur à litigatoribus, ſi ſententiæ non pareretur: vel honorarij, quibus ſine compromiſſo rei cognitio deferebatur. Sed & in iudicijs bonæ fidei, atq; in quibus rebus boni viri arbitratu & interuentu opus erat, arbitri ſumebantur. Itaque in ijs rebus, quæ bonæ fidei erant, aduerſarium, à quo aliquid contrà bonam fidem factum querebantur, arbitrum dare cogebant: quod arbitrum adigere dicebant. Cicero in Officijs, *Arbitrum illum adegit, quicquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona.* In Topicis, *Aquæ pluuiæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum: quod eſt interprete Pompeio, dare cogere.* Proinde ea iudicia ſæpè arbitria dicuntur, vt apud Ciceronem arbitrium rei vxoriæ; arbitrium pro ſocio: cùm aditus prætor arbitrum etiam in ijs dare ſoleret. Honorarij autem ab honore, qui à partibus eis habetur, nominantur. honorarium autem, vt cumulus accedat, interdum præmium eſt, quod non debetur, nec mercedis loco tribuitur, ſed honoris cauſa defertur. nam multis in rebus ea eſſe videtur di-

gnitas, vt mercede non ſint dedecorandæ & inquinandæ. hinc honoraria magiſtratuum, aduocatorum, medicorum. Itaq; cùm Cicero ſcribit docere debitum eſſe, delectare honorarium, permouere neceſſarium, ſignificat non eſſe neceſſe oratori auditorem delectare, nec ab eo auditori id deberi: velut tamen quoddam honorarium addi, velut quoddam præmium & acceſſionem adiungi. Proinde honorem habere, eſt interdum præmium tribuere. Cicero Curio, *Miſi vt medico honos haberetur*, id eſt, honorarium daretur. Ne illud quidem omittam, quod ad arbitros pertinet, arbitrium nonnunquam præmium ſignificare: quod rarius & inſolentius fortaſſe cuipiam videatur. Curtius, *At victoriæ arbitrium magis præcipuum ferunt.* Cicero, *Nondum palàm erat factum concidiſſe remp. cum tibi arbitria funeris ſoluebantur.* Hic igitur, vt ad rem redeam, nihil habes quòd Ciceronem vituperes, qui vim fati Chryſippo è manibus extorſit, & eum tandem fateri coëgit, nihil in fato violentum, nihil neceſſarium ineſſe: ſed nobilitari Ciceronis oppugnatione voluiſti, vt plus quàm ipſe ſcire & ſapere videreris, & vim nobis Dialecticæ oſtenderes tuæ. Quòd ſi improbè calumniari, & voluntatem auctorum ignorare, Dialecticum eſt, confirmo tibi, neminem in Dialectica tibi comparandum eſſe. Quod autem paulò antè Cicero argumentabatur, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt antecedente cauſa, & ſi appetitus, illa etiam quæ appetitum ſequuntur: ergo etiam aſſenſiones. At ſi cauſa appetitus non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate, hanc ſententiam habet: Si fato fiunt omnia, omnia præpoſitam & antecedentem habent cauſam: & ſi appetitus, illæ etiam actiones, quæ appetitum ſequuntur. Ergò etiam aſſenſiones, quæ ſunt ipſius appetitus cauſæ, eùmque antecedunt. nihil enim appetimus, vt Stoici volunt, abſque aſſenſione & approbatione. Itaque mox ſubijcit, At ſi cauſa appetitus, id eſt, ſi aſſenſio, non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate.

## Ad illum locum, Hoc modo hanc cauſam diſceptari oportet, male oppugnari Ciceronem.

Rurſus cooritur in Ciceronem homo diſertus & philoſophus, eumque ait acumine & argutijs Chryſippi captum, quaſdam eius diſtinctiones approbare & imitari, & ſuam Logicam Chryſippeæ parem demonſtrare velle. Equidem neſcio, vtrum te ludere dicam, an ſerio loqui: niſi quòd veriſimilius eſt iſta, quanquam abſurda & abhorrentia, te ex animi tui ſententia dicere, qui plerunque in interpretationibus auctorum ſoles dormitare. imo vero, diſerte noſter, quòd pugnauit Cicero, quod contendit, in quo vim Dialecticæ ſuæ expertus eſt, obtinuit, & inuito Chryſippo expreſſit fatum eſſe nullum, eſſeque omnes noſtras appetitiones, aſſenſiones, voluntates, ſuſceptiones ſui iuris & arbitrij. Etiam quod ais Chryſippo negari debere, affirmanti aſſenſiones ſine viſo præcurrente fieri non poſſe, Cicero vidit, cùm ita ſcripſit: Fateantur tamen eas ſine viſo antecedente fieri, alia ratio eſt, &c. Cur igitur ſic illudis? cur ſic inſultas? Si diuerſæ concurrunt & confligunt ſententiæ, ea profecto à Chryſippo, non à Cicerone culpa animaduertenda eſt: qui modò hoc, modò illud ait. Si quæſitor ſederes, in tuis ſubſellijs maior eſſet noxijs impunitas & ſecuritas, quàm innocentibus: & accuſator, qui reum manifeſti ſceleris coargueret, aut pro eo, aut cum eo rei capitalis condemnaretur. Nam qui laudare Ciceronem debueras, quod confutata ſuperiore ſententia Chryſippum ad ſanam eorum opinionem traduxiſſet, qui fatum negant: cum quid ageret, & vellet, neſcires, nec mens tua hebes & obtuſa, diſceptationem eius intelligeret, eum vltrò condemnatum veniſti. Quæ (malum) hæc interpretationis ratio eſt, non elaborantis in ſenſus inueſtigatione, ſed ſummã gloriæ ponentis in auctoris vituperatione & contumelia? Vt hic, philoſophe noſter, omni culpa Cicero vacat: ita te extra noxiam non eſſe conuincam in loco quodam ſuperiore, quem ſic legis, Neque enim Chryſippus concedens aſſenſiones, proximam & continentem cauſam eſſe in viſo poſitam, neque eam cauſam ad aſſenſionem neceſſariam eſſe concedet, &c. Legendum enim eſt, Neq; enim Chryſippus concedens aſſenſionis proximam & continentem cauſam eſſe in viſo poſitam, eam cauſam, &c. Nam viſum Chryſippus proximam cauſam aſſenſionis eſſe putabat. Cicero paulò antè, Nam quanquam aſſenſio non poſſit fieri, niſi commota viſo, tamen cùm id viſum proximam cauſam habeat non principalem, &c. qui locus tuam lectionem falſi perſpicuè coarguit. Scribis autem rurſum pari vecordia & inſania, Diodorum errare, & impiæ fraudis auctorem eſſe. Tu de eo id tam temerè & inconſideratè ſcribere auſus es, cuius ſententiam nunquam intellexiſti, ac ne qualis quidem eſſet, ſuſpicatus es? Vellem ex veteribus vnum aliquem produxiſſes in medium, qui eam declararet: ſed tu ſine teſte, ſine auctore, ſine aſtipulatore, quicquid aliqua ſpecie mentem pepulit tuam, pro certo amplecteris, & impudenter affirmas: ac, Mathematicorum more, poſtulata, ſed non æqua, ſed non vera (vt illi) tibi concedi poſcis. Ergo quæ partes erant tuæ ne ſaltem videreris inſontem indicta cauſa condemnare, vt totam Diodori rationem exponeres ex iuratiſſimis ſcriptoribus, id omiſiſti, teq; totum ad maledicta & conuitia conuertiſti. Aliquantò enim es, dicam enim liberè quod ſentio, petulantior quàm diſertior, aliquantò maledicentior quàm doctior. præclarum enim in multos auctores importuni conuitiatoris ſpecimen nobis ſæpè dediſti: doctrinæ exemplum adhuc oculi noſtri deſiderant. Ac vt quod de te ſentio, aliquando audias, omnium doctrinæ profeſſorum poſtremum, maledicorum & impudentium longo ſanè interuallo te primum eſſe iudico. Sed mores tui non tàm reprehenſorem, quàm cenſorem deſiderant: nec tàm verbis, quàm iudicijs caſtigandus es. Diodori ſententiam, vt ad eam reuertar, quam explicare debuiſti, ſed non potuiſti (ſatis enim in te literarum non eſt) ex Plutarcho & Alexandro indicare tibi antè tentaui: eam nunc etiam ex Epicteto tibi declarare enitar. ita enim magis verum quid ſit apparebit, ſi multorum tanquam teſtium dicta proferantur. Ὁ κυριεύων λόγος ἀπὸ τοιούτων τινῶν ἀφορμῶν ἠρωτῆσθαι φαίνεται. κοινῆς γὰρ οὔσης μάχης τοῖς τρισὶ τούτοις πρὸς ἄλληλα, τῷ τὸ πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς, ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τῷ ἀδυνάτῳ ἀδύνατον μὴ ἀκολουθεῖν, καὶ τῷ μὴ δυνατὸν εἶναι, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς, οὔτ' ἔσται· συνιδὼν τὴν μάχην ταύτην ὁ Διόδωρος, τῇ τῶν πρώτων δυοῖν πιθανότητι συνεχρήσατο πρὸς παράστασιν τοῦ μηδὲν εἶναι δυνατὸν, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς οὔτ' ἔσται. λοιπὸν ὁ μέν τις ταῦτα τηρήσει τῶν δυοῖν, ὅτι ἔστι τέ τι δυνατὸν, ὃ οὔτ' ἔστιν ἀληθὲς, οὔτ'



ἔσται ἀληθὲς, καὶ δυνατῷ ἀδύνατον οὐκ ἀκολουθεῖ. οὐ πᾶν δὲ παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖον ἐστι, καθάπερ οἱ περὶ Κλεάνθην φέρεσθαι δοκοῦσιν, οἷς ἐπὶ πολὺ συνηγόρησεν Ἀντίπατρος. οἱ δὲ τἆλλα δύο, ὅτι δυνατόν τε ἐστιν, ὃ οὔτ' ἀληθὲς ἐστιν, οὔτ' ἔσται, καὶ πᾶν παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖον ἐστιν· δυνατῷ δὲ ἀδύνατον ἀκολουθεῖ. τὰ τρία δὲ ἐκεῖνα τηρῆσαι ἀμήχανον, διὰ τὸ κοινὴν εἶναι αὐτῶν μάχην. ἂν οὖν τίς μου πύθηται, σὺ δὲ ποῖα αὐτῶν τηρεῖς: ἀποκρινοῦμαι πρὸς αὐτὸν, ὅτι οὐκ οἶδα· παρείληφα δὲ ἱστορίαν τοιαύτην, ὅτι Διόδωρος μὲν ἐκεῖνα ἐτήρει· οἱ δὲ περὶ Πανθοίδην, οἶμαι, καὶ Κλεάνθην τὰ ἄλλα· οἱ δὲ περὶ Χρύσιππον τὰ ἄλλα. Id eſt, Ratio dominatrix ab huiuſmodi quadam occaſione interrogata videtur. Nam cùm eſſet communis inter hæc tria contentio, omne præteritum verum, neceſſarium eſſe, & impoſſibili impoſſibile conſequens non eſſe, & poſſibile non eſſe, quod neque eſt verum, neq; erit: hanc contentionem cum perſpexiſſet Diodorus, priorum duorum credibilitate vſus eſt ad conſtituendum nihil eſſe poſſibile, quod nec verum ſit, nec futurum ſit. Deinceps alius iſta de duobus ſeruabit, & eſſe aliquid poſſibile, quod neque ſit verum, neque futurum ſit, & poſſibili impoſſibile non eſſe conſequens: non omne autem quod in præterito verum eſt, neceſſarium eſſe, quemadmodum Cleanthes cenſet: cui plurimum patrocinatus eſt Antipater. Alij alia duo, & poſſibile eſſe, quod neque verum ſit, neque futurum ſit, & omne præteritum verum, neceſſarium eſſe: poſſibili autem impoſſibile conſequens eſſe. Tria autem illa tueri nefas, quòd communis ipſorum pugna ſit. Si quis igitur me roget, tu quænam defendis, reſpondeam, equidem neſcio: verum tale quiddam inaudiſſe videor, Diodorum illa defendiſſe: iſta Panthœdem, vt arbitror, & Cleanthem: hæc Chryſippum. Si tam verecundè ſententiam ſuſtinuiſſes, & à temeritate te cohibuiſſes, vt vir pius, pudens, & tui diſſimilis, qui inter doctiſſimos viros pronunciare non audet, multò conſultius feciſſes. neque enim ſententiam tibi nullo modo cognitam (cum enim iſta initio ſcripſiſti, neq; quis Diodorus eſſet, neque quid diceret, vnquam audieras) elogio nefariæ impietatis notatam improbaſſes, & verecundi hominis & candidi laudem promereri potuiſſes, non calumniatoris conſcelerati diram opinionem. Sed quid ago? quaſi verò tu verecundiam & candorem in laude vnquam poſueris, ac non potius os impudens & maledicum rabie quadam effreni in bonos omnes & doctos efferueſcens, ſemper furiosè ſolueris: qui non ſolùm in grauiſſimis de philoſophia & eloquentia locis, iudicium interponere tuum, verumetiam, ô omnium poſt homines natos audaciſſime & indoctiſſime, primarijs auctoribus tuam ſententiam opponere ſis auſus. Nuper quoque, ne quid inauſum omitteres, quæ conuitia in Euclidem iactaſti? quàm multa de eo & Platone inaudita, falſa, à nemine ſcripta, ſed velut à vetere ægroto ſomniata, protuliſti? His tamen tam deliris & inanibus nugis commendationem doctrinæ quæris, quibus ſi ſaperemus, infamiæ mercedem perſolueremus: teque de ſuggeſto non exploſum eijceremus, ſed præcipitem exturbaremus. Declamaſti à Proculo, Euclidis ordinem eſſe perturbatum. quo auctore affirmare id es auſus? tu id in iudicio dicere pro teſtimonio auderes? Sed Euclidem perturbatum eſſe commentus es, vt opera tua in diſponendo egere videremur. Itaque quòd culpare aliud in eo non poteras, quædam in eo aliter ordinaſti. Locupletes te patresfamilias poſthac, ſi me audient, in ædes ſuas nec inuitabũt, nec admittent. Nam ſi nihil aliud, ordinem certe & collocationem ſupellectilis reprehendes, & diſpoſitionem aliam inſtitues. ac nunc ordinarius verè profeſſor & es & haberis, qui ſemper de ordine nugaris: & qui tibi ſemitam non ſapis, qui in via conſulari errorem cauere non potes, dux itineris in locis difficillimis & impeditiſſimis alijs eſſe cupis, teque Triumuirum quendam, non vt illos olim ad rempub. conſtituendam, ſed ad diſciplinarum fines regendos, earùmque præcepta ordinanda, Dei munere creatum, nobiſque donatum arbitraris. Cùm autem vnam ordinis eſſe rationem falsò cenſeas, non eſt mirum, ſi quæ auctores optimi ſcribunt, qui iſto errore tuo implicati non erant, nec vnam tantum viam & rationem docendi eſſe ſentiebant, ad decreta & placita non reſpondent tua. Coram te nemo olim Romæ quærere auſus eſſet, Brunduſium Numici melius via ducat, an Appi? Te enim auctore vna tantùm via eſt. Ciceronem autem non dubito, quin ineptum iudices, qui tres eſſe vias ſcripſit, quæ ad Antonij caſtra ferant. Itaque nunc promulgatione tuæ iſtius viariæ rogationis, tuo ſuffragio curationem tibi tuliſti, nullo iure, nullis regionibus definitam. In omnes omnium auctorum poſſeſſiones & fundos inuadis, nouam quandam viam muniens, illorum diuortia, vt vociferaris, flexus, ambages, ſemitas, vna conſulari via, vt prædicas, rectà ſine errore, ſine diuerticulo ferente ſublaturus. Inueniſti quo pacto alienum facias tuum, ſi nanciſci poſſis, qui tibi crediturus ſit. *En habes, vbi*, quemadmodum Horatius ait, *tragica deſæuias, & ampulleris in arte: ac nobis etiam poſthac mirificos ſpectantibus ludos dabis.* Quæ eſt hæc licentia? homo omnium quos vnquam nouerim, indoctiſſimus, arrogantia intolerabili & faſtidio ſuperbo elatus, ſic per auctores, vt vaſtitas, peſtis, calamitas graſſabitur, & ſi nihil aliud, omnia ſurſum deorſum miſcebit, rerumque optimè conſtitutarum perturbationi, ſtudio nouitatis & famæ captus, ordinis nomen imponet? Hoc nimirum eſt, cur Dialectici nomen tantoperè tibi vendices, vt iudicium tuum de alijs, velut cenſoris cuiuſdam notatio animaduerſioque eſſe videatur. Tu dialecticus? quis omnium minus? qui nihil ingenij, nihil iudicij habeas, qui falſum ſequi, verum aſpernari ſoleas? Sed me reprimam, ad Diodorum reuertar. Sentiebat Diodorus, quicquid in præterito verum eſſet, neceſſarium eſſe, quòd ea conditione videretur, vt immutari non poſſet: vt, ſediſti. Nec tamen illam neceſſitatem à cauſis neceſſarijs profectam exiſtimabat, ſed eam immutabilitatem in præterito, quod verum eſſet, reperiebat. Idem impoſſibile impoſſibili non eſſe conſequens dicebat: vt, terra volat: igitur terra cœlum eſt. cum tamen vulgo in ſchola dicamus, impoſſibili omnia eſſe conſequentia. Poſtremò poſſibile dicebat, quod eſſet verum aut verum futurum eſſet. In quo & ab Ariſtotele diſſentiebat, qui quod euenturum non ſit, tamen fieri poſſe dicit, modò ea ſit eius conditio, vt euentui non repugnet: & veri immutabilitatem æquè ac in præterito ſequebatur, ſine cauſæ tamen neceſſitate. Vt enim præteritum quod verum eſt, neceſſarium cenſebat, quanquam ad exitum fortuitæ aut voluntariæ cauſæ perduxiſſent: ita quod eſſet, aut futurum eſſet verum, poſſibile decernebat, quales illudcunque cauſæ effecturæ eſſent. Quod enim non eſſet, nec futurum eſſet, ſi poſſibile diceretur, contendebat verum in falſum commutatum iri, inertemque, ac nullam illam poteſtatem dicebat, quæ non eſſet aliquando futura. Illa autem eius quod fieri poteſt

definitio, vt hominibus multis non probetur, quid tamen habet cum impia fraude coniunctum, quid cum fato copulatum, cùm animi libertatem, cùm cauſas fortuitas retineat, tantum vocabuli notionem immutet? Quòd ſi res vocabulis parere cenſes, eorumque poteſtate mutata rerum naturam conuerti, ſit impius ſanè Diodorus: ſin mutata definitio logicam controuerſiam parit, res nouas non molitur, rerũmque ſtatus incolumis conſeruatur, nomen in alia re ponitur: quid, ô tragica ſimia, fluctus, quod dicitur, in ſimpulo excitas? cur inſontem accuſas? Mihi quidem ſimilis nonnullorum hominum videris, qui quos oderunt, ægerrimè ferunt innocentes & bonos eſſe: nec in eis quod laudent, quærunt, ſed quod vituperent: etiam virtutes perſpectas, apertiſſima calumnia & malignitate, vitiorum nominibus adulterant. Diodori ſententia logica eſt, quod te non attendiſſe miror, hoc præſertim in libro, vbi & Logicus eſſe & Dialecticus haberi velles. Ea nihil cum fato commune habet, ſi quis intelligere & ſapere, quàm calumniari & inſanire malit. Sic autem velim exiſtimes, multa tibi à me condonari, multa à me præteriri, multa diſſimulari: paulò enim indulgentius te habere, paulò clementius admonere, & in multis tibi parcere volui, ac lenitatem hic ſequi meam potius decreui, quàm importunitatem & calumniam tuam, qui perſæpè accuſandi libidine & furore actus, certam & perſpicuam laudem in grauiſſimo crimine ſoles ponere. Vno enim in verſu illo,

Πορφύρεοι μώλωπες ἀπορρινήματα χάλης, maximos duos errores tuos præterij, quos ſi in alio notares, ſat ſcio mortuos ab inferis excitares ad augendum crimen, & ad odium ei conflandum, qui ſic lapſus eſſet. Nam μώλωπα ſtimulum vertiſti, cùm vel vibicem vel ſugillationem dicere deberes: ἀπορρινήματα fæcem, cum ſcobem aut ramenta interpretari te oporteret.

## Ad illum locum, Nam ſi atomis, vt grauitate ferantur, male Ciceronem reprehendi, Epicurum defendi à Dialectico.

Ita Dialecticus ſcribit, Motus ponderis eſt neceſſarius: Ergo motus declinationis etiam neceſſarius erit: Epicurus vtrunque negaret. Quam paucis verbis confectum iſti negotium eſt? num potuit breuius & abſciſſius Ciceroni duo iſta negare, & Epicuro bis patrocinari? Sed quid ais? Motum ponderum in præceps, Epicurus neceſſarium eſſe negabit? non igitur neceſſarium eſſe dicet. Cur ergo extimeſcit fatum, excogitatque declinationem? Si enim in naturali motu corporum nulla neceſſitas eſt, ſine declinatione fatum vitari poterit. Atqui declinationem illam induxit, vt fatum tolleret. Deinde cùm proprius ſit corporum motus, vt cenſet Epicurus, deorſum per inane profundum moueri: atque ita ſua natura ferantur, occurrat neceſſe eſt cauſa aliqua, quæ regione atomos depellat & declinet: vt ſi nulla cauſa ſit, neceſſe ſit ſemper eas rectà cadere in præceps. Nulla autem cauſa affertur, nullum impedimentum, nullus obex in inani obijcitur, cur non ad lineam delabantur: Male igitur negaret Epicurus neceſſarium eſſe motum atomorum grauitate deorſum ferri. Fortunam caue dicas eſſe declinationis cauſam: non enim eſſet ea ratio acumine Dialectici digna. Satis enim antè docui, fortunam illam vocabulum eſſe ſine re: niſi fortè tu magus es, qui vim tantam in vocabulis ponas, vt non ſolùm genios, verumetiam res ſurdas & inanes pellicere & ſollicitare poſſe cenſeas. Eadem erit etiam in declinatione neceſſitas, ſi atomis vi naturæ tributum eſt, vt declinent: quibus enim vi naturæ id tributum erit, non poterunt non declinare. Ita ab Epicuro fatum potius conſtituetur, quàm euertetur. Satin intelligis te, quod facere ſemper ſoles, hic male cauſæ patrocinatum eſſe? Atqui partes erant tuæ argumenti Ciceroniani, firmitatem & robur oſtendere, niſi non ſolùm ingenioſam, verumetiam glorioſam duceres veritatis oppugnationem, cui nullus vnquam capitalior & iuratior hoſtis, quàm tu, fuit. Et tamen cum hæc ita ſint, vis ab omnibus audire Dialecticus, eloquens, philoſophus, velut de cælo Triſmegiſtus aliquis Mercurius nobis demiſſus. Quaſi verò ijs nobiliſſimis artibus quicquam tecum commercij, quicquam rationis ſit. Veros titulos ſi tibi præſcribere vis, ſi te tuis artibus ornare & inſignire cupis, ignorantiam & impudentiam, quas præ te fers, tibi inſcribito: nec, quod eſt in prouerbio, te pudeat artes proloqui, quas factites. Hos titulos omnium ſequetur approbatio: nemo erit qui non in te agnoſcat. Contrà Commentarij tui perorationem, quæ tota falſa eſt, nihil dicam. Quæ enim antè diſſerui, eam ſatis refellunt. Tantùm admonebo te, ne poſthac tantum tibi in Dialectica ſumas, vt rudem eius vetuſtatem, te prudentiſſimum cenſeas: hoc enim vnum mihi videris toto tuo Commentario agere, hoc docere velle, te non modò Chryſippo & Diodoro, verùm etiam Cicerone meliorem diſputatorem eſſe. Si enim quandocunque in eos diſſeris, ita pueriliter laberis, vt non modò non diſputandi ſcientiam, ſed ne intelligendi quidem mediocrem prudentiam præ te ferre videaris: ab illa præſtantia, quam opinionis errore tibi finxiſti, ita longè profectò diſtas, vt non tàm in Dialectica tibi laus vlla expectanda ſit, quàm veniæ deprecatio quærenda. Ne philoſophiam quidem & eloquentiam poſthac, ſi mihi credis, tibi arrogabis: eſt inuidioſum, eſt ſuperbum: etiam, vt verè dicam, ridiculum. Itaque homines vulgò diſſimulatorem tibi aliquem, qualis Socrates fuit, deſiderant, qui ſibi inſignes iſtos titulos detrahat, de induſtria tibi illudens tribuat: qui te ſummis laudibus in cœlum efferat, vt olim ille Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, reliquos ſophiſtas: quorum imaginem nullam haberemus, ſi te amiſiſſemus. Sed & nonnulli aiunt expectare te debuiſſe, dum hominum iudicio & ſuffragijs iſto honore afficereris. verecundi enim hominis fuiſſe, non à ſe prædicari, ſed tanquam per præconem, vt qui in Olympicis ludis victores declarabantur, pronuntiari: quanquam tu à victoria longiſſimè ſemper abfuiſti, in omni contentione & pugna ſemper ſuperatus atq; triumphatus. Ac quoties eſſes victus, & à quibus memorarem, niſi etiam nunc in hominum mente triumphalium illorum memoria hæreret, ad quorum nomen ſemper exhorreſcere, ſemper expalleſcere ſoles. Sed tamen ſi tu toties victus, toties ludibrio habitus, veriſque cenſorum animaduerſionibus atque iudicijs notatus, audes ea de te prædicare, quæ illi, quibus de te opima ſpolia parta ſunt, nec agnoſcerent, & recu-



& recuſarent: quid feciſſes, ſi eum aduerſarium habuiſſes, qui aut imbecillitate ingenij, aut fraude præuaricationis tibi in diſputando ceſſiſſet? Cuius enim nunc velut militis glorioſi ſpiritus vix ferimus, victoris inſolentis & exultantis inſanam, ſine modo & modeſtia, gloriam quomodo ferre poſſemus? Vtinam grauitatem ſine arrogantia, dignitatem cum verecundia ſequereris, exemplumque noſtræ iuuentuti proderes, non ſtultæ oſtentationis, ſed modeſtiæ liberalis (Hæc enim virtus illam ætatem potiſſimum commendat) non ambitioſæ leuitatis, ſed grauis conſtantiæ. Me tibi inimicum eſſe queri non debes: nihil ad contumeliam loquor: ab inanitate ad veritatem, ab ambitione fucata ad veram laudem, ab adumbrata ſpecie ad expreſſam imaginem, à ſophiſtarum captione ad philoſophorum diſciplinam te reuoco. Itaque tuorum familiarium nemo tibi melius vnquam voluit, nemo prolixius & magis ex animo fauit. Illi morbum volunt tuum, & inſaniam fouent: ego tibi ſemper mentem ſanam optaui: quo nullum à Dijs immortalibus maius precari bonum poſſumus. Quod vtinam tibi tam facile eſſet ad te, quàm ad tuos domumque redire: non ſolùm exiſtimationi tuæ conſuleres, iſta arrogantia tollenda. negligenda enim tibi bonorum & prudentium opinio non eſt, qui quid de te ſentiant, paſſim audimus: tu gloria impeditus, non exaudis. erubeſceres enim· verùm etiam ſi quando humanitus in ſcriptoribus explicandis, libriſque ſcribendis errares, æquiora hominum iudicia experieris. Nunc enim nulli tuo errori venia impetrari poteſt, cùm pro Phidiæ quodam ſigno, tanquam in arce Mineruæ, in auguſtiſſimo eloquentiæ & philoſophiæ templo, velut vtriuſque alumnus & contubernalis, vnus poſt hominum memoriam, tuo ſuffragio, tua tabella te conſecraris. Nam cùm homines tuis titulis commoti, eam in te abſolutionem requirant, quam in nullius vnquam artificis ſigno viderunt, pro eloquentia tamen inanem verborum profluentiam, pro philoſophiæ modeſtia arrogantiam, ſuperbiam, intolerantiam non ferendam: pro Latinarum literarum ſcientia, earum ignorantiam: pro philoſophiæ cognitione, inſcitiam quadam leuitate ſophiſtarum & ambitione inſoleſcentem: in ſcriptis tuis & Commentarijs, pro eruditione vberrimam errorum meſſem: cum denique in his nihil ingenij, nihil iudicij, nihil doctrinæ reperiant: nulli delicto tuo veniam dare poſſunt. inſimulare procacitatem & intemperantiam tuam, mores & ignorantiam tuam damnare poſſunt. Satis inſaniſti, ſatis pueriliter & iuueniliter laſciuiſti: hæc tua ætas alios mores poſtulat. Sit ille datus ætati tuæ ſuperiori ludus: omitte puerilem iſtam inſaniam. Deſine etiam nobis verba dare, eloquentiamque & philoſophiam, quas iuuenili ambitione tibi ſumpſiſti, aut vſurpare noli, aut etiam factis & exemplis vtranque præſtato, vtranque in te eſſe comprobato. Quòd ſi te tuo vitio indulgere iuuat, nihilque mereas, vt faſtum & ambitionem deponas: vide tamen ne nomen & famam huius Academiæ ignominia & infamia, cuius in gremio & ſinu, vt prædicas, creuiſti, quamque pro matre chariſſima ſemper habuiſti, tibi compares. Nam ei quàm apud exteras nationes ignominioſum futurum eſt, te in eum perueniſſe locum, in quo duabus ampliſſimis & nobiliſſimis artibus præſis, quem tamen neque dicendi facultate, neque copia ſcientiæ conſecutus ſis, ſed procacibus in ſcriptores conuitijs, effrenata maledicendi libidine, cum impudentiæ & ignorantiæ vitio coniuncta, promeritus ſis? Hoc ferè triennio vir quidam doctiſſimus, qui ampliſſimo regis Luſitaniæ honorario Conimbricæ profeſſor fuerat, in Galliam decedens, cum per Salamanticam iter haberet, homines eruditos, qui in ea vrbe erant, ſalutauit: quibus cùm ſe Lutetiã redire dixiſſet, ſi quid vellent ad notos & familiares, quos hic fortè haberent, mirari ſe dixerunt, quòd primaria conditione & regia relicta, huius vrbis deſiderio teneretur, ex qua literæ & eruditio exularent: quarum ſi quis eſſet in ea reſpectus, non tibi locum docendi vllum futurum, qui ad maledicta & ignorationem natus eſſe viderere. Quod vbi intellexi, etſi antea cauſæ tuæ non fauebam, tanto tamen tui odio tum flagrare cœpi, vt pro publico huius Academiæ opprobrio & dedecore odiſſe te cœperim. Cuius enim nomen olim vltimis in terris omni laude celebrabatur, nunc vile & contemptum tuo magiſterio, tuaq; profeſſione, vix hominum iniuriam & contumeliam à ſe deprecatur. Vt enim ſi parentem meum, qui huic corpori vitam lucemq; dedit, aliquo ſcelere violaſſes, iuſtiſſimam haberem offenſionis & inimicitiarum aduerſum te cauſam: ſic cum hanc parentem, quæ quantulumcunque in me ingenij eſt, tanquam procreauit & aluit, inſania tua, & auctores inſectandi, maledicendique intemperantia, acerbiſſimè vulneraris, ignorantia & inſcientia, apud exteros omni probro afficeris (quod enim tu peccas, in eius redundat vituperationem) vt deſipientibus ætate patribus, & male rem gerentibus bonis interdicitur: ſic eam à diſciplina maiorum & poſſeſſione literarum remouere tentaueris, vt anum ætate delirantem, & nouam quandam docendi rationem præclarus auctor inſtituere conatus ſis: nonné pro hoc ſacrilegio & parricidio tuo, quicquid odij poſſum, meritiſſimo in te expromere debeo? Hac ratione, quam inſtituiſti, admirationem, cui ſtudes, aliquam conſequi potes, ſed cum publico bonorum omnium odio coniunctam. Sic monſtra, quæ natura in ſuo opere labente gignuntur, pariter & admirari & auerſari ſolemus.

ADRIANI

# ADRIANI TVRNEBI RESPONSIO AD AVDOMARI TALÆI ADMONITIONEM LEOD. A QVERCV NOMINE edita M. D. LVI.

## LEODEGARII A QVERCV RESPONSIO AD AVDOMARI TALAEI ADmonitionem.

MIROR EQVIDEM, AVDOMARE TALÆE, TANTVM ESSE A' valetudine tua otij tibi, vt aliena potius negotia, quàm eam cures, præſertim ſic afflictam & propè perditam. Quis enim non videt, cuiuis potius quàm tibi has partes admonitionis ſuſcipiendas fuiſſe? Conſultius multò feciſſes, ſi corpuſculo conſuluiſſes tuo, tibique peperciſſes: ac ſanè vereor, ne admonitio iſta ad morbum aliquid addat: eſt enim tibi omnis offenſio, omniſque labor ſic affecto corpore magnoperè cauendus: nec tibi proſpexit, qui hoc oneris aliorum admonendorum tibi impoſuit, præſertim ſaluus ipſe & valens tam debili & emaciato: vltroque, ſi te amaſſet, impetum tuum retinere retardareque debuiſſet, & tuarum te virium, tuæ imbecillitatis admonere. niſi fortè hoc hominibus oſtendere voluiſti, te aliquanto firmiorem eſſe, & nonnihil ex morbo eſſe recreatum. Sed mihi velim credas, valetudo, vt alia, fama non conſtat, ſi intus æger ſis, cùm hac in re nemo plus alijs debeat credere quàm ſibi: ſi enim te confirmatiorem paulò eſſe crediderimus, nihilo magis fueris: nos enim, non morbum fefelleris. Sed quoniam te ſibi patronum tam infirmum Logicus quæſiuit, qui alium quemuis parare debuiſſet, ne bona cauſſa qualicunque tuo patrocinio obſcurata eſſe videatur, ego, qui vt confido, te aliquanto firmior ſum, ei non deero, & amicitia Adriani & bonitate cauſæ adductus, non admonitioni, ſed criminationi tuæ breuiter reſpondebo. Mihi autem ita temperabo, vt meminerim mihi tecũ certamen eſſe ſuſceptũ, cuius infirmitas vehementer commouenda non ſit: quanquam ſi famæ fidem haberem, dolori meo liberius indulgerem, cum paſſim omnes loquantur hanc totam orationem ex ore Logici miſſam eſſe, tuamque perſonam huic cauſæ eſſe ſubſtitutam. Ais te duas horas perdidiſſe in legendo Adriani libro. quid ni verò perderes, cui etiam tertia ſuperfuerit in nugatorio ſcripto tam malè collocata, quod edidiſti? etſi plus ei temporis impendiſti, nobiſq; ſpecimen dediſti, quàm in reliquis verax eſſes, qui à vaniſſimo mendacio exorſus ſis. Nihil maledicentius eius libro te vnquam legiſſe dicis: iniuriam Logico magnam facis, cuius maledicta (ſic enim eius libros apellant) non legiſſe, & contempſiſſe videris: quæ tam multa accumulat, vt in piſcario foro natus & inſtitutus fuiſſe videatur. Neq; verò maledictum eſt, quod dicitur digno, ſed cùm optimi ſcriptores vexantur iniquiſſimè, & exagitantur, meritò, quæ in eos conferuntur, non ſolùm maledica, verùm etiam nefaria exiſtimantur: vt conqueri non debeas id ei relatum quod attulit, & cuius principium introduxit. In Diodoro defendis Logicum, vt nulla ſit ipſius culpa non tibi cum eo communis, vt commodum etiam vobis omne pro indiuiſo commune eſt. Nam cum eum multos Diodoros fuiſſe dicis vidiſſe, non tamen conſtituiſſe quis illorum fuerit, quid aliud quàm Diodorum ab eo ignoratum fateris, & cum eo erras? quanquam hìc, ægrote noſter, in mendacio aperto teneris: quis enim Diodorus eſſet, conſtituerat, cùm eum Peripateticum philoſophum æqualem Chryſippi fuiſſe ſcripſiſſet: quod vtrunque falſum eſt. Hic Adrianum inconſtantiæ inſimulas, cùm tu calumniæ inſimulandus ſis, vel ignorantiæ. Nam cùm duos patefeciſſet Logici errores, in eo epiſtolarum Ciceronis loco, in quo ſcribitur, Quam Diodorus noſter non concoquebat: quid diceret, vel non intellexiſti, vel malitioſè calumniatus es: Ciceronis autem ſententiã nullo modo es aſſecutus, vt hi quoque tibi errores cum Dialectico communes ſint. Diodorus ille vetus, contra quem περὶ δυνατῶν Chryſippus diſſeruit, nunquam ab Adriano Diodotus appellatus eſt, vt falsò ſcribis, ſed alter ille Stoicus Cic. familiaris, qui quòd Stoicus eſſet, à iudicio ſuperioris Diodori abhorrebat in enuntiationibus futuri. Nunc verò nónne prodigij ſimile eſt, duos illos homines vſq; adeò temporibus diſiunctos, & ſententijs diſſidentes, à te & Dialectico in vnũ corpus, vnumq; hominem confuſos eſſe? Lege Cic. locũ, intelliges duos homines fuiſſe: lege bonos codices, intelliges poſteriorẽ non Diodorũ, ſed Diodotum appellandũ eſſe: quod Adrianus ſcripſerat, tu non intellexiſti: ſed ignoſco valetudini tuę, non ignoſco ei, qui hæc, vt fama eſt, tibi dictauit. At obijcis etiã ei gentẽ, cuius eum certè non pœnitet, nobilis præſertim & fortis: ſedes enim, quas incolit, virtute quæſiuit: Britanniam armis domuit, & pacauit, regnumque in ea ampliſſimum conſtituit: in Italia diu dominata eſt, Neapolitanumque regnum condidit & Siculum, & in bello ſacro ſe omnium fortiſſima præſtitit. Hic etſi dicere poſſem nullum eſſe ſimile facinus gentis tuæ, hoc tamen non audies: tantùm dicam, à te eam propè dedecorari mendacio tuo & vanitate, qui in omnibus, quæ adhuc obieciſti, in mendacio manifeſto deprehenſus ſis. Reprehendis malitiam Adriani, quòd quæſtionem de fato dixerit, à Logico totam Logicæ exiſtimari: cur obſecro, cùm Logici verba proferat, & tam multis teſtibus probet, fatum ad mores, quod fieri poteſt, ad Dialecticam pertinere, quod Logicus tuus non vidit? Vellem Adriani ſententiam alicuius ſcriptoris teſtimonio infirmaſſes: ſed teſtes producere non potes: tibi credi vis: ius hic ſic dici non ſolet, vt credatur litigatori. Rogas Adrianum, quem ſe exiſtimet, qua dignum profeſſione cenſeat: id mauult hominum exiſtimationi relinquere, quàm ſua prædicatione profiteri: nec vnquam committet, vt cùm eloquentiam & philoſophiã ſibi vendicauerit, aut impudens, aut inſanus, vt Logicus, eſſe iudicetur.

Logicum



Logicum defendis ab Adriano reprehenſum, quod περὶ τῆς εἱμαρμένης dixerit, pro περὶ εἱμαρμένης, in hoc genere, mi Talæe, quod ſic vniuerſum & infinitum eſt, nunquam articulo locus eſt. Itaque in librorum huiuſmodi inſcriptionibus poni non ſolet. Exempla ſubijciam, vt id & diſcas & intelligas: Ἀριστοτέλης περὶ ψυχῆς, Ἀριστοτέλους μετέωρα, Ἀριστοτέλης περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, Διόδωρος περὶ δυνατῶν. Hoc te ignoraſſe, qui errori tam manifeſto patrocineris, fatearis neceſſe eſt. Quod ex Plutarcho obijcis, τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον, diſſimile eſt: λόγος enim hic articulum deſiderat, qui alterum attrahit, quod apud Græcos frequentiſſimum eſt & elegantiſſimum: etſi ſecundus interdum omittitur, licet rarius. Vides hic Adriani non eſſe culpandam intelligentiam, ſed tuam inſcitiam notandam. Sed parcam tibi, nec te grauius increpabo, ne hoc etiam ad morbum. In Poſidonij ſententia Adrianũ calumniæ inſimulas: liber Logici in medio eſt, in quo cœli affectionem Poſidonij propriam videri voluit, Chryſippo totam ademit: ideoq; Poſidonium iam cum bona gratia à Cicerone dimiſſum, inuito Cic. in diſputatione retinet: nec quicquã præterea Poſidonij ſententiæ addit, vt meritò damnandus fuerit, qui eam ignorarit, nec totam complexus ſit. Malè profecto de ingenijs iuuentutis noſtræ exiſtimas, quam tam parùm videre cenſes, vt eam hoc tuum mendacium perſpicere non poſſe credas, præſertim literis teſtatum. Leuiter autem multa perſtringis, leuiter multa attingis, & colore, quo potes, vtcunq; oblinis atq; fucas: vlcera tamen multa valde refugis, quæ cum tangere non audeas, nec medicinam eis adhibeas, pro deſperatis eſſe confiteris. Iam quod eius ſtylum à faſtidioſis quibuſdam adoleſcentibus improbari dicis, confirmo tibi ab omnibus tuum improbari. Nec conſilio vtetur tuo, vt declamet: conſilium iſtud ipſe tibi ſeruato, ſi valetudinis commodo facere poſſis. Nihil autem ei, vt reor, incommodabis, ſi ſolus in cubiculo declames ad Clepſydram, vt ſcripſiſti, quod tu omnium primus excogitaſti: voci enim & lateribus ſolus præſertim parces, & te (ſi te benè noui) ſatis forticulum etiam in morbo præſtabis. Adrianus facit Ariſtotelem Diodoro ætate ſuperiorem: quid? tu inferiorem facis? vixit Ariſtoteles Alexandro rege, vt legiſſe videor. Diodorus floruit Ptolemæo Sotere in Ægypto regnante, Demetrij Phaleræi ætate, qui Theophraſti diſcipulus fuit. Qua obſecro inſcitia es, qui hìc ignorationem temporis obijcere ſis Adriano auſus, quam in te cogeris agnoſcere: ſed, vt opinor, te non temporis tantùm, verùm etiam tui, morbus iſte, ſic penitus intimis inhærens medullis, ignarum quodammodo reddit. Mox es paulo aſperior & commotior, & efferueſcit in te neſcio quid ſplendidæ bilis: morbo potius quàm vitio attribuo, qui te amariorem facit, & quicquid in te boni ſanguinis erat, ebibit. Vellem in hanc diſputationem non deſcendiſſes. Si cum valentiore diſſererem, virilius has partes defenderem: nunc tibi vel in commodo cauſæ parcere decreui, ne non morbi, ſed mortis auctor tibi fuiſſe videar. Diodori ſententiam impiam vociferaris: cum tamen contingens, voluntarias & fortuitas cauſas, vt Adrianus docuit, retineat, eam impietate animaduerto vacare poſſe. Paulo antè quærebas, qua maximè arte confideret Adrianus, quem ſe exiſtimaret: eum certe hìc aliquem eſſe putas, quem Grammaticum hominem appellas. Ciceronem (vt ais) Adrianus inconſtantiæ abſoluere non poteſt, qui de hoc crimine condemnet Chryſippum: confirmo tibi nullum eſſe locum, quem maiori ſibi laudi iſto fore ſperet, & eõ quo quid fieri poſſit, diſputatur. Hi enim duo loci ferè totam illam Ciceronis continent diſputationem: de quibus cum toto Commentario ſuo nihil ſuſpicetur, nihil cogitet Logicus, fieri non poteſt, vt ſententiam aſſequatur. Nam qui neſcierit fatum à Chryſippo, modò in neceſſarijs cauſis conſtitui, modò in ijs, quæ præcurſionem tantum & anteceſſionem afferunt, eum diuinare & hariolari neceſſe eſt: qui ignorarit Diodoro enuntiationes in futuro, iam verum aut falſum ſignificare: Stoicis nec veras nec falſas eſſe, eum ſemper fere errare neceſſe eſt: quibus de rebus cùm apud Logicum nulla omnino extet litera, præſtare audebis ab illo Ciceronem intellectum eſſe? hoc verò ſi audeas, tùm meritò omnes clament te ſanum non eſſe, nec audiendum. At his locis nonnullam à ſe putat lucem allatam Adrianus, vt ſi hos tantùm locos illuſtraſſet, tamen ſtudijs iuuentutis nonnihil collatum videri poſſet: Logici autem tui Commentarios non magnoperè deſiderabit, qui Vallæ interpretationem habuerit. Sed ad eam inconſtantiam, quam Cic. putas obijci debere, reuertor: quam ſi deprehendero, eum non abſoluam. primum firmiſſimis argumentis impellit Cic. & tandem euertit neceſſitatem illam Chryſippi fatalem: in quo, niſi fallor, culpa vacat, nec vllum crimen inconſtantiæ ſuſcipit: deinde ad præcurſionẽ accedit, quæ voluntatis libertatem relinquit. Hic, quando ita vis, Cic. Chryſippũ liberat: fatum enim videt à Chryſippo verbo retineri, re abijci. Vbi igitur Cic. tandem inconſtantia eſt? cedo. Nam ſi vtranq; Chryſippi ſententiam approbaret, leuitatis & inconſtantiæ crimen effugere non poſſet, cùm autem alteram perpetuo, quæ falſiſſima eſt, damnet, alteram probet, quæ ad veritatem propenſiſſima eſt, nónne meritò abſolui debet inconſtantiæ, tu cum tuo pari condamnari calumniæ? Nam ſic rem veſtro iudicio conſtituitis, ei qui hominẽ errantem ad veram ſententiam traducat, inconſtantiæ crimen eſſe ſubeundũ: vt veſtra ſententia maximum flagitium ſit, peccantẽ corrigere & emendare. His cauſis tu patrocinari ſoles? bonos clientes non habes: & cauſã tamen hìc prodis. Nam quæ maior cauſæ proditio, & peccati confeſſio eſſe queat, quàm maximã laudem in crimine maximo à te poni? at quanto ſatius fuit, vlcus iſtud à te non attingi, quàm tam malè tractari, cùm præſertim contagione, vt reor, tui mali, tantùm ei mali feceris, & tanquã cicatrice ſilentio obducere debueris? Dicis fruſtra tentari patientiã Logici ab eo, Logicũ altiore eſſe animo, quàm vt reſpondeat. Cur igitur ſic irritatus eſt, vt in libro De fato in Adrianũ acerbè & atrociter inuaderet, adeò vt quodã loco propè impium appellet? cur in primũ librum De legibus inepto Commentario eum laceſſiuit, præſertim cùm ſe propinaturus eſſet hominibus eruditis deridendũ, admiſſis tot & tam fœdis flagitijs, quæ Adrianus in Apologia notauit? cur deniq; tu ſic irritatus es aliena reprehenſione, cùm tam moderatũ & lenem videres magiſtrum tuũ, qui etſi laceſſitus erat: iſta tamen tam lentè ferebat? Eius exemplum tibi non placet? cur igitur hìc eum laudas, quem imitari recuſas? neceſſe eſt enim aut eius taciturnitas vituperetur, aut tua loquacitas culpetur. Nam ſi hæc tacere & muſſitare conſtantiæ & laudis eſſe vis, effutire inconſtantiæ fuerit, atq; vitij: ac non video quo pacto culpã hìc effugere poſſis, etiã te iudice. quanquã illũ irritatũ fuiſſe, quamuis perbellè diſſimulet, ex ſcripto tuo multi conijciunt. Vt enim ore Platonis Socrates loqui exiſtimatur: ita ille

ita ille ore tuo loqui cenſetur. ſic eum dicunt olim legi fraudem feciſſe. Nam cum, vt ille priſcus Thamyris cæcitate mulctatus à Muſis fuerat, quòd eas eſſet auſus laceſſere, ſic pro petulantibus declamationibus, & damnatæ memoriæ nefarijs ſcriptis, perpetua taciturnitate damnatus eſſet, Dialecticam tamen quandam ſubſtituto nomine tuo euulgauit: in quo Stolonem imitatus eſt, qui emancipati filij nomine plus agri poſſidebat, quàm per legem liceret, cuius ipſe lator fuerat. Sic vobis ludus eſt & iocus leges & edicta violare, vobiſque lex vna eſt animi libido. Vt igitur in nomine tuo librum tuum publicauit: ita omnia hic perſtrepunt compita, ludum hic ſimilem à vobis ludi. Loquuntur in circulis adoleſcentes, Logico perdoluit, altè in eius pectus deſcendit, Adrianus logicum percuſſit: nunc Talæi vmbratici & ſemimortui hominis nomine reſpondet: ſic agitur hæc fabula. Nam qui miſer ille è grabato vnquam ſurgeret? liceret eadem opera medius fidius Logicus ad tumulos iret, & illinc ſibi patronum aliquem excitaret. Logicus ipſe reſpondit: ſed bellam iſtam & facetam ægroti perſonam ſcena dignam induxit. ſed ne Logicus ſit, tu iſtas partes ſuſceperis admonendi Adriani: debuiſti tamen aliquanto fortius fratris cauſam defendere & animoſius. non enim obiecta purgas aut diluis, ſed tot ſcriptorum diſſimulatis ſententijs & teſtimonijs ſatisfactum eſſe putas, ſi dicas, quot capita, tot ſenſus. Hoc igitur tibi incommodum ſuſcipiendum eſt, refragantibus tot ſcriptoribus, quorum teſtimonia Adrianus protulit, vt eandem quæſtionem De fato & περὶ δυνατῶν eſſe putes, niſi aliquid in propoſitione deſideres. Ita in erroribus frater fratrem non ſederis, & omnem inſcitiæ, vt vitæ ſortem communẽ tibi ducis, ſolum morbum diuidere non potes. Equidem tuo iſti fratri gemino partem optem, quo tibi alleuetur: ac non dubito, quin ſi ſic pergas admonere Adrianum, omnes errores congeminaturus ſis, & in te etiam agniturus: nonnullos etiam, vt iam feciſti, additurus, quos vt opinor, cum eo tamen communicabis. Reprehendis Ciceronem, quòd in loco περὶ δυνατῶν quæri dicat de eo quod fieri poſſit, aut non poſſit, & Ciceronis ſententiam circumuenis malitioſè. Si ita aucupemur verba, ſi ita captemus improbè reprehenſionem, nec ſententiam & voluntatem auctoris inſpiciamus, nihil quiſquam effari poterit, quod aucupis captioſi malitioſam verſutiam effugiat: ſin odioſior eſt iſta fraus aperta improbitate, tua calliditas Logicum non liberat, ſed in eundem errorem ſe præcipitat. Nam ſi ille ſenſus, quem explicauit Adrianus in Diſputatione pluribus verbis, & dilatauit, breuius perſtrinxerat in Commentario, auctorum ſententia comprobatur, neque à te reprehendi poteſt: quid de te aliud iudicare poſſumus, quàm te libenter ad alterius libidinem & malitiam, vafram interpretationem & mendacem accommodare ſolere? Hic vt meliuſculè tibi eſſe crederemus, exclamas, O muſæ, ô Charites: hoc ex artificio depromptum eſt ſummo: ſic credidiſti te ſenſum veriſſimum, à calumnia alienum, & ad Ciceronis ſententiam aptiſſimum, vel obruere, vel eleuare poſſe. Sed non dubito, quin magno tuo tuique paris dedecore virorum doctorum menti inhæſurus ſit. Hic etiam depromis ex lautiſſima tua Græcarum aliquot vocularum ſupellectili vocabula duo, quæ magno tot annis adoleſcentibus noſtris venditas. In indiuiduo & inani, non ea fide qua debuiſti, fratris cauſam defendis, imprudenſque eam prodis. Nam cur Adriano epiſtolam illam ad Quintum fratrem indicabas, qua tu hîc iugulabere? Quo enim, te interrogo, eſt tempore ſcripta? an non antequàm Q. Cicero in Galliam Cæſaris Legatus proficiſceretur? quo quidem tempore nullam adhuc literam niſi forenſem Cicero fecerat, cum iam multo ante Lucretij poëma in hominum manibus verſaretur. Ita aut doceas oportet in orationibus iſta à Cicerone vſurpata fuiſſe, quæ non magnoperè forenſia videntur, & in Philoſophia eum iſta nouaſſe Plutarchus, cuius auctoritate niteris, poſt bellum ciuile ſcripſit: aut fatearis te cauſæ proditorem eſſe, qui aduerſarium armis contra fratrem inſtruxeris. Sed Adrianus locum illum viderat: eiuſque auctoritate adductus, Plutarchum ſequi noluerat. Itaque inter te & illum hoc intereſt, quòd Plutarcho credis, quando ei fides habenda non eſt: cùm habenda eſt, nullo modo credis. Hic autẽ video te teſtes, cùm eorum copia eſt, libenter adhibere, vt cùm non adhibes, exiſtimandum ſit te malæ & deſperatæ cauſæ impudentiam commodare tuam. In ἀποφάνσει & προτάσει victor tibi videris, cum tamen Alexander, quem vel negligis, vel non intelligis, vel potius odiſti, hæc perſpicuè diſtinguat, & ratione differre dicat. Aliorum interpretum ſententia, eſt ἀπόφανσις omnis oratio, in qua verum vel falſum cernitur: vt verbi gratia (quandoquidem hoc nunc agitur) in loco de eo quod fieri poteſt: quæ cùm ad argumentandum confertur & proponitur, tum denique πρότασις propriè dicitur: quod & vocabulum Græcum ſatis indicat, & Ariſtotelis voluntas, qui de ea diſſerit, ratiocinationis cauſa: ſed vel omnium maximè ea quæ πρότασις διαλεκτικὴ ab eo vocatur, id oſtendit, quæ ratiocinationis cauſa interrogatur, in qua vis & notatio προτάσεως clariſſimè elucet. ſic ἀξίωμα generaliter dicitur: in argumentationum ſumptionibus propriè λῆμμα. Itaque πρότασις enunciationem abſolutè non declarat, ſed eius illud genus quod ſyllogiſmi gratia comparatur, propriè ſignificat. In logica Adrianus, ſi rectè eum intelligas, nihil mutat: ſed maleuolentiam tecum attuleras, quæ iudicio, ſi quod habes, offecit tuo. At etiam auſus es culpare emendationem Lucretiani verſus, in quo non inuita Minerua pro Charitonia χαρίτων μία correxit, quam quidem omnibus, qui tuo liuore ſuffuſi non ſunt, probatiſſimam fore ſperat, & à multis iam laudatam fuiſſe intelligit. Quod ſi literas in partem adiuuare vis, hic experire quid poſſis, vt videamus ecquid melius conijcias. Ais Adrianum ſæpè iactare priſca exemplaria: id rarius quàm vellemus, facit. ſequitur Arati conſilium, qui Homeri codicem, vt quiſque vetuſtiſſimus erat, ita optimum eſſe iudicabat. Hic vis eum liberare inueterato errore: ingrati video reus erit. tibi enim gratiam nunquã referet, nec te inueterato iſto morbo, qui te conficit, vnquam liberabit: qui, niſi prouides, te peſſundabit, & te coloniam commutare coget, illuc vnde negant redire quenquam. Ac mihi nunc ſanè, cùm tecum diſputo, propè cum laruis rixari, & cum lemuribus luctari videor. quanquam hic (ô monitor noſter) exemplaria priſca non venditat, nec emendationem in eis reperit, ſed ipſe excogitauit: quam cùm vituperes & deprauatam ſequaris, non corporis tantùm, ſed etiam animi morbo laborare videris, & à corpore ad eum contagionem quandam permanaſſe indicas. Hic monitis tuis Adrianus non parebit, teque vltro monebit, vt monitori Arato obtemperes, qui veteres libros, vt tibi compares & conquiras, ſuadet. Tuſanum laudas, & ex eius laudatione Adriano inuidiam conflare





ſtudes: nemo ſanctius memoriam eius complectitur ac colit, quàm Adrianus, qui cum profeſſionem, in demortui locum ſuffectus, auſpicaretur, tam multa in eius laudem dixit, vt viuos ſenſerit nonnullos eſſe, qui mortuis inuiderent. Sed ſi tantum eſſe eius morte, & ſucceſſione Adriani amiſſum putas, quantum damni factum eſſet, ſi Logicus locum Adriano ademiſſet, quod peſſimis artibus molitus eſt. ſed & Adriani ſubrogatione repulſaq; ſua ſic doluit, vt tenere ſe non potuerit, quin in quadam epiſtola Tuſanum ampliſſimis laudibus in Adriani inuidiam afficeret. Cur autem minus Adriano licebit Platonem exponere, quàm Logico, qui tamen adhuc nemini perſuadere potuit, ſe ſermonis Græci intelligentem eſſe? vbi eſt ille Plato, vbi Theophraſtus, quos quadam epiſtola auguratur expulſo Ariſtotele in omnium manibus verſaturos? Tentauit in Platone aliquid, ſed infeliciter: excidit illi de manibus, ſimul ac ſe non placere intellexit. illius enim Philoſophi tractatio in concertatione non eſt poſita, in qua veſtra ſecta floret & triumphat. Grammaticæ explicationem ab Adriano exigis: nunc id primùm à ſe poſtulari audit. Tuſanus grammaticam docebat: primùm alumnos domi habebat, quibus eam legebat extra ordinem: deinde nihil tot annis profectum eſſe putas? non vides à tam multis hodie iſtum laborem ſuſcipi, quibus etiam videris inuidere? Poſtremò, cur ab eo potius, quàm à collegis eius iſtud flagitas? Si ſe hic circunſcribi, & in ordinem à te cogi ſineret, Logicus tuus, vt ſunt imperia veſtra, impotentius mox in alios erumperet, & eis leges imponeret. Sed Adrianum tamen ad Tuſani exemplum reuocas. Tuſanus Platonem explicabat, Demoſthenem explicabat, Ariſtotelem explicabat: etiam aliquando Nouum teſtamentum. vide, quò eum voces. monitorem te non audit, cui rectè conſulere non vacet, morbis oppreſſo, ſic debilitato, ſic exangui, vixq; oſſibus hærenti: multoſq; primarios viros, quorum nec auctoritatem, nec voluntatem ſpernere debeat, ſui inſtituti auctores habet, quos ſi tibi homini monogrammo ex intermundijs Epicuri, vt reor, huc delapſo (corpus enim non habes, ſed quaſi corpus: nec ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem) anteponit, ægrè ferre non debes. ei autem per te his viginti anni ſemel leui commotiuncula febriculæ tentari non licebit, cùm tibi per eum ægrotare ætatem liceat? Cùm autem ais eum leui Logici reprehenſione ad morbum eſſe datum, cùm tu id verum credas, & te aſperiorem multò præbeas, de pernicie & interitu eius videris cogitaſſe. Quod eum propterea fabulam dicis fuiſſe, maleficiorum tuorum quàm tibi iucunda recordatio ſit, oſtendis, qui per delegatos tuos fautores, falſam illam famam ſpargendam curaueris. Sed rumorem illum falſum coarguet, cùm petulantiſſimo tuo libello atrociter appetitus, nihil ſuam valetudinem offenſam probabit. Vis in Cumano Varronis aut Ciceronis, (Logicus tamen tuus in Cumano Ciceronis) ſcriptas diſputationes Academicas, propterea quod eclogarij illic conſederint: quid? tu exiſtimas hoc verum, ac non fictum ex Dialogorum more? quo id auctore dico? nempe ipſo Cicerone, cuius hæc verba ſunt ad Varronem. Puto fore, vt cùm legeris, mirère id nos locutos eſſe inter nos; quod nunquam locuti ſumus. Vt Græcè ſcribat, montes: cur eum potius quàm alios? cur deniq; hoc ab eo exigis, quod Tuſanus, ad cuius imaginem eum effingi vis, non fecerit. ſed tamen licet ex eius exercitationibus aliquid deguſtes: epiſtolam enim non omnino fortaſſe inelegantem cognoſces, & commemoratione factorum Logici tui lætabere: eam ſcripſit bello flagrante in Belgica poſt editum à Logico Commentarium in librum primum de Legibus.

## ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ ΛΑΓΚΙΛΟΤΩ
### ΚΑΡΛΩ ΕΠΙΣΚΟΠΩ ΡΗΓΙΕΙ
εὖ πράττειν.

Σὺ μὲν, ὦ ἱερὰ κεφαλὴ, νῦν ἐν τῇ πολεμίᾳ τὸν ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἐναντίων πόλεμον διαθλεῖς· ἐγὼ δὲ ὁ φύσει εἰρηνικὸς καὶ τηβεννοφόρος ὑπὸ Ῥάμου πολεμοῦμαι τὸν ἐπ᾽ ἀναστάσει. ἐκεῖνος γὰρ ὁ γυνάδας ἐν ταῖς ἐπιδείξεσι καὶ ἀναγνώσεσι κατ᾽ ἐμοῦ λαμπρὸς πολλάκις ἐνεχθεὶς, καὶ πολλὴν ἐμοῦ φλυαρίαν κατασκεδάσας, καὶ τὸ τοῦ κωμικοῦ, ὥσπερ ἀπὸ σκηνῆς πλυνὸν ἐμὲ ἐν τοσούτοις ἀνδράσι ποιήσας, τελευτῶν καὶ ὑπόμνημα ἐξέδωκεν ἐπὶ κόρρης ἐμὲ θαμὰ παῖον, καὶ πὺξ καὶ λὰξ ἐναλλόμενον ἐμοί. ἐγὼ μὲν οὖν τέως τὴν καταχεομένην μου πολλὴν ἀπὸ τοῦ βήματος φλυαρίαν τοῦ ἀνδρὸς φέρειν οἷός τε ἦν. ἐπειδὴ δὲ καὶ ταύτην ὧν στέργων ἐπ᾽ ἐκδόσεις βιβλίων ἐξώκειλεν, ἀπολογίαν τινὰ ἀπεσχεδίασα, καὶ σοὶ, ὃν προστάτην νέμω, προσεφώνησα. τὸ δὲ νῦν ἔχον οὐδὲν ἐδεόμην τούτων τῶν θορύβων, ἀλλὰ τῶν ἡμετέρων πράξεων οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν μόνοις τὸ κῦρος, πολλῶν ἐμπίπτειν εἰωθειῶν περιστάσεων ἀβουλήτων, αἵπερ ἡμᾶς τῆς κατὰ προαίρεσιν ὁδοῦ ἀποπλανῶσι. δεινὴ δὲ ὡς οἶσθα, δοξομανία τὸν Ῥᾶμον ἐλαύνει καὶ διαστασιάζει, ἥτις αὐτὸν καὶ ἡσυχίαν ἄγειν οὐκ ἐᾷ, καὶ τὰ ἀκίνητα κινεῖν ἀναπείθει. σοφώτερος γὰρ ἡγεῖται εἶναι πολὺ πάντων τῶν ὑφ᾽ ἥλιον. ἐμοὶ δὲ οὐκ ἂν ἐξ ἴσου πρὸς αὐτὸν ἡ μάχη γένοιτο, ἅτε ἀπείρῳ ὄντι τῶν τοιούτων ἀγώνων, ὧν αὐτὸς ἐθάς ἐστιν. ἐγὼ μὲν γὰρ ἡσυχίας τρόφιμος καὶ ἐπιεικείας, συμπλέκεσθαι καὶ χεῖρας ἀνταίρειν, πῶς ἂν δυναίμην πρὸς τὸν τοσούτων ἀθλητὴν ἀγώνων. ὅμως δὲ διαφέρειν πειράσομαι, κἂν δέῃ, τὸν πόλεμον, καὶ ἐπιόντι ὁμόσε χωρήσω, οὐδὲ ἑκὼν εἶναι ἐνδώσω. οὐ γὰρ ἂν ἐμοὶ βιωτὸν εἴη λειποταξήσαντι, ἢ τὴν ἀσπίδα ῥίψαντι. σοὶ μεταξὺ ταῦτα ἀναγινώσκοντι ἐπῆλθε θαυμάζειν ἐμὲ τοῦ παραβόλου καὶ γυναίου λήματος, καὶ πλατὺν γέλωτά σοι ἐκίνησα, οὐ καθ᾽ ὑμᾶς ῥιψοκίνδυνος ὢν, ἀλλὰ τὰ ἐμαυτοῦ ἐπιτραγῳδῶν. ἀλλὰ τί πάθω; ἐμὲ μαχητὴν οὐκ ἐγέννησε πατὴρ, οὐ πότνια μήτηρ, τῶν ἐν παρατάξει κυδιανείρᾳ τοῖς πολεμίοις γοργὸν καὶ καταπληκτικὸν ἀντιβλεπόντων, ἀλλὰ τῶν περὶ δύστηνα λογίδια καλινδουμένων, ὅμως δὲ δυνάμενον τοῦτον τὸν Ῥᾶμον ἀπαμύνασθαι, ὅταν πρότερος χαλεπήνῃ. πῶς γὰρ οὐκ ἂν ἀναλγησίας καὶ εὐηθείας ἐσχάτης εἴη, τὸν ὕβρεως καὶ ἀδικίας ἄρξαντα μὴ τίνασθαι τὰ ἐνόντα, καὶ εἰς τοὐπίσω σωφρονίσαι οὕτως ἀτακτοῦντα καὶ ἀσχημονοῦντα. πρῶτον μὲν γὰρ πόλεμον ἀκήρυκτον καὶ ἄσπονδον κατήγγειλεν Ἀριστοτέλει, ὃν οὐκ ἄν τις κατὰ ἀξίαν ἐπαινεῖν δύναιτο· ἔπειτα δὲ ἀδείας λαβόμενος μείζονος, καὶ ὥσπερ ἐπιβάθραν αὐτῷ κατασκευάσας, Κικέρωνι περὶ πρωτείων διηνέχθη. τέλος δὲ, ὥσπερ καλλίνικος καὶ ὀλυμπιονίκης, καὶ τοὺς ἐν παιδείᾳ πάσῃ διαλάμψαντας καταγωνισάμενος, καθάπερ τὴν νίκην ἐπισφραγιζόμενος, ἡμᾶς ἐκείνων ὑπερμαχήσαντας νῦν ἄγει τε καὶ φέρει. λεία μὲν οὖν ἡμεῖς τοῦ λόγου εἴημεν ἂν καθάπερ τὰ τῶν Μυσῶν, ἐκεῖνον ἐῶντες ἡμῖν ἐντρυφᾶν, καὶ ἐπεγγελᾶν οὕτως ἐπ᾽ ὀνείδει. τοῦ γὰρ γυναίου τι τῆς ψυχῆς παράσημα παρέξεσθαί μοι δοκῶ, τοῦτον τὸν κύβον ἅπαξ ἀναρρίψας, καὶ τὴν προσήκουσαν τἀνδρὶ ἐποίσειν τιμωρίαν. οὐ γὰρ εἰς τοσοῦτον παιδείας προελήλυθεν, ὥστε τοὺς ἄλλους ἅπαντας κατόπιν ἑαυτοῦ καταλιπεῖν, πολλῶν, εἰ μὴ τάχα σου δεκάζει με, καὶ παράγει ἡ πρὸς αὐτὸν ἔχθρα, αὐτὸν ἀπολελοιπότων πολλῷ τῷ μέσῳ. καὶ εὑρήσειν μοι δοκῶ, ὅτι σαθρός ἐστιν οὗτος ὁ πανηγυρικὸς καὶ δοξοκόπος σοφιστὴς, τῆς νεότητος λυμαιὼν καὶ διαφθορεὺς, εἶναι χυλίφ-

μᾶλλον πεποιθώς, ἢ τὸ ἀδυσώπητον αὐτοῦ ἔλεγμα προβέβληται, ἢ σοφία, ἣν οὐδὲ πώποτε μετεδίωξε, πρὸς ἑκάτερον μᾶλλον καὶ δόξαν καὶ φαντασίαν, ἢ ἐπιστήμην καὶ ἀλήθειαν βλέπων τε καὶ ζῶν. σὸν δὲ ἔργον ἂν εἴη τὴν πρὸ τοῦ σου πρὸς ἐμὲ εὔνοιαν καὶ διάθεσιν, ἐνταῦθα συλλαμβάνουσαν παρέχειν μοι τανῦν περὶ τῶν ὅλων κινδυνεύοντι. Ἔρρωσο.

Prædo ais, Adriano piratam ſignificat: falſum. ſed in libro de Fato, & in lege Manilia piratam ei ſignificat, quod Logicus tuus neſcierat. Ingenioſus es calumniator: tecum nemo diſputare debeat, niſi antè de calumnia iures. In quadrigarum defenſione eum mittis ad ſimulacra & picturas: quid tu his confidis teſtibus? Quid igitur tot auctoribus fiet, quos in Logicum produxit? aut enim picturæ tuæ iaceant neceſſe eſt, aut auctores improbentur. Quid ſi pictos equos deſultorios vidiſti? Ac nimirum illud eſſe ſuſpicor: deſultorios equos à quadrigis internoſcere & diſtinguere non potuiſti. Quadrigæ in Circenſibus & bigæ, equi ſunt ad currum iuncti: qui non iuncti, deſultorij equi dicuntur. Ita hoc peccatum alterum tuum hoc loco fuerit. Quid ſi pictura falſa eſt? ſed fac veram: fratrem tamen non liberas. is enim negat in Circenſibus quadrigis currus fuiſſe, quod tam multorum auctorum teſtimonio probatum eſt. Eclogarios appellas, niſi fallor, eos qui loquuntur in dialogis: ſed tamen vide ne apud Ciceronem, vnde hoc ſumpſiſti, homines ſint potius eruditi, in auctoribus diligenter verſati atque triti, qui nobiles, inſignes, ornatos verbis ſcriptorum locos, cognitos habent, excerpunt, ſeligunt, hiſquè de rebus egregiè iudicant, quales multos ſecum Atticus habebat, cùm magnoperè doctrinæ & eruditionis ſtudijs teneretur: quales multi etiam Romani erant eius familiares. Vult enim Cicero librorum de gloria eclogarios auditores in conuiuio duntaxat eſſe, vt hilariores ſint, & ad reprehendendum minus auidi: Nam ἐκλογαὶ Græcis eos locos ſignificant. Itaque de Æſchylo ſcribi dicit Adrianus: διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ διαφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὑρεθεῖεν. Hinc origo, vt arbitratur, Vergilij quoque eclogarum fluxit, quod vnumquodque earum poëma locum aliquem huiuſmodi tractat, & ferè è Græcis poëtis excerptum. Suades vt gratijs donum voueat: tibi ſuaderem, vt Saluti, niſi id fruſtrà futurum putarem: nam de gratijs nihil dicam, cum eo loco res tuæ non ſint, vt de ijs tibi cogitandum ſit. cùm conualueris, gratijs vota nuncupabis. In febriculam eius ſæpè illudis, credo eius deſiderio, ſi fortè morbum iſtum cum ea commutare poſſis: aut, quod reor, familiaris iſta valetudo omnem morbum tibi perſuaſit incurabilem eſſe. Contagionem maledicentiæ Adriani, vt ais, fugere vis, & tamen maledicentiſſimum te præſtas: ego quoque contagionem morbi tui. Cùm autem in Cicerone ad quaſdam res natura loci pertinet, vt operatur aliquid, pertinaciter defendis, barbara interpretatione & gloſſemate Ciceronis literam contaminas & fœdas, inſcitiamque profiteris tuam. nemo illa ætate ſic loquebatur. id poſtea in vſum venit: nec operari tum niſi in re diuina dici ſolebat. nec vero in ijs numerari poteſt, quæ ſemel vſurpata videri queant, cum ferè nihil ſæpius eo quod ſignificat occurrere ſoleat. Mendas accumulas, & operere in epiſtolis ad Atticum pro operiare legis, & operatione pro oratione: quaſi verò hic opera dicturus non fuiſſet Cicero, ſi quid tale dicere voluiſſet. At percrebreſco reprehendis, & increbreſco. Reprehende igitur illud Maronis propter illam caninam literam tibi odioſam, *Crebreſcunt optatæ auræ*. Et illud, *Iuturna ſoror crebreſcere vidit*. Reprehende Theſaurum linguæ Latinæ. reprehende Grammaticos, qui non improbant. reprehende analogiam, quæ dici poſtulat: vt à niger nigreſco, ab æger ægreſco, ſic à creber crebreſco. Reprehende Comicum, qui ſcribit multo inſolentius: *Sin increbrauit, ipſius gaudet, res perit*. Nec verò ſe Ciceronianum profitetur Adrianus, ſed te calumniatorem oſtendis. Quidni enim aliorum ſcriptorum verbis vtatur, quos amat atque veneratur: ei plus ſatis eſt Latinè loqui. non tamen patietur Ciceronis candorem inquinari verbis non Ciceronianis, nec concedet operor à Cicerone dici. Internum dicis non eſſe Ciceronianum: quod equidem confiteor, nec pro Ciceroniano tibi adnumeratum eſt, ſed pro Latino: tametſi, ſat ſcio, Ciceronem minus eius puderet, quàm operationis & operandi, quæ ei tribuis. Hic tamen vides Adrianum non ſuis vti verbis, ſed publicis, & à medicis ſumptis, quo res notior ſit. Adoleſcentiam pro adoleſcentibus reprehendis: exemplum ex Cicerone quæris, nimis es imperioſus, vitium eſt morbi, non tuum. Cicero, *Atque in ea quidem quæ non vult, ſæpe etiam adoleſcentia incurrit*. Iterum, Quod plerunque ita fiat, vt adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem: quod Ariſtoteles dixit, οἱ νέοι ἀκολουθητικοί εἰσι ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια ἐπιθυμίαις. Hic, niſi fallor, adoleſcentiā pro adoleſcentibus immutauit. Adriano per te eodem tropo vti non licebit? Nam cùm iuuentus pro iuuenibus dicatur, cur adoleſcentia pro adoleſcentibus dici non poterit? Etiam ætas pro homine dicitur, vt apud Comicum, *Væ ætati tuæ*, pro væ tibi. Non inficiatur Adrianus quin θεώρημα præceptum aliquando dicatur, vt falsò obijcis, ſed hic perceptum à Cicerone ſcriptū exiſtimat. Nam ſi præceptum dixiſſet, verbum Græcum non adhibuiſſet, cum præcepti nomine nihil ſit vſitatius, millieſq; ab eo vſurpetur: at præcipere docentis eſt, vt ais, percipere, diſcentis. Ita tua ratione θεώρημα, cùm præceptum ſit, ad docentem pertinebit, non ad diſcentem, cùm tamen ex eo nomen inuenerit, quòd obſeruatione & perceptione collectum ſit. θεώρημα verbum eſt, cui non facilè par reperias latinum quod totam vim eius exprimat. Itaq; nonnunquam verbum ſibi deeſſe Cicero oſtendit, græcumq; vſurpat. Vocabulum autem Mathematicū cùm dixit Adrianus, ſignificauit à Mathematicis vſurpari, qui θεώρημα & πρόβλημα diſtinguunt, quibus omnem ſuam ferè præceptionem comprehendunt: quæ quid valeant, ſine tua ope & doctrina, ex Proculo cognoſcere facile eſt: vt autem à Geometris, ſic & à Genethliacis artis ſpectatæ præceptiones & obſeruationes collectæ ſic appellabantur, potius quàm alia vocabulo. Nam alij παράγγελμα appellabant, vt Grammatici, non θεώρημα. Id in eam ſententiam ab Adriano cum dictum ſit, in deteriorem partē more tuo inſtitutoq; rapuiſti. Id habitus iſte facit, qui etiā cibos corrumpit, nec bonum ſanguinem gignit. In febriculam eius iocaris, cùm tibi tam æſtuandum fuerit, cùm tibi tantus inſederit vapor, quantus nunquam Apuliæ ſiticuloſæ. Dicis Adrianum enunciationem pro argumentatione poſuiſſe. Quantam hominibus patefacis feneſtram ad deridendum te, & Logicam tuam, qui in interpretationibus perſæpe in duobus verbis latentem ſyllogiſmum eruis, & eo nomine iactationem in vulgus ſemper quæſiuiſti? Hic verò difficile fuit aſſumere & concludere. In exemplo Adriani ars tua tibi non defuit, ſed te improbitas impedijt. at quanto tu iuſtius hic reprehendi potes, qui non animaduerteris



quanto tu iuſtius hìc reprehendi potes, qui non animaduerteris digito locum illum Ciceronis De diuinatione indicari? Deinde contorquent, & ita concludunt: Non igitur ſunt Dij, nec ſignificant futura. Maximè autem vellem nos doceres, quæ ſit contorta oratio, definitionemq; tuam exemplo ſcriptorum probares, & extra culpam Logicum tuum poneres, qui quid diceretur à Cicerone in oratione contortū & diſtortum, intellexiſſe non videtur, vt Adrianus docuit. In Chaldæis errorem agnoſcis Logici, in quo tamen artes tuæ me non fallunt: ſic cogitaſti, quàm aſtutè, quàm callidè? multis criminibus conuictus eſt Logicus: hominibus probari non poterit eum nuſquam peccaſſe: ſic agam: in reliquis omnibus locis illudam, eleuabo, diſſimulabo, ſcurriliter iocabor, calumniabor: vnum crimen omnium leuiſſimum confitebor: ingenuitate confeſſionis & ſimplicitate eadem me vſurum fuiſſe in alijs homines cenſebunt, ſi obnoxium eum culpæ exiſtimaſſem: ſic homines fallam. Hoc ſpectaſti, hoc cogitaſti, hanc rationem iniſti, non incallidam ad homines fallendos: ſed mihi crede, non deerit qui & eius errores videat, & tuam malitiam intelligat. In ſexagenario figuram Adriani, vt malus diſſimulas, vt quod culpes, habere poſſis: licet etiam illud figuratum Ciceronis eodem modo reprehendas, *Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum, minorem annis ſexaginta de ponte in Tyberim deiecerit*. Collegium culpas, Latinè loqui cupis: & tamen contrà quàm cupias, Græcè loqueris, & gymnaſium appellas: attamen niſi fallor, alimentarij pueri, quibus in gymnaſijs conſtitutæ ſunt annonæ, in collegijs & corporibus numerari poſſunt, & qui eis præſunt, atque inde Collegiorum nomen in hac vrbe natum eſt: quinetiam gymnaſiarchorum decuriam, aut collegium, quidni quis appellet Latinè? Si eum ita locutum dicam, reprehenſio tua nulla ſit: quanquam fac eum publico vſum vocabulo, tibi pro hac reprehenſione quod reponat, non habebit? non multos errores ex ea vna pagina, in qua te dicis Latinè loqui cupere, tibi remetiri poterit? quis enim vnquam idoneus auctor fundatorem dixit, quis burſarium? quis vnquam in oratione Latina impiam & atheam Academiam præter te ſcripſit? quis ædificia marmorea vnquam pellucere, qui quid loqueretur, intelligeret, dixit? pellucerénè poteſt, obſecro, marmor, vt vitrum, laterna, gemma? niſi fortè illud Comici imitatus es: Nam nunc pellucet ea quàm cribrum crebrius. Pellucere quid eſſet, cum ſic loquerere, prorſus ignoraſti. Etiam quinque ſolidos ſcribis, pro quinis ſolidis, cum (vt opinor) non quinque tantùm ſolidi vniuerſis darentur, ſed ſingulis quinque. Illud verò quale eſt, quod Academiæ gymnaſia dicis, cùm Academia gymnaſium ſit? Te ad exemplum antiquorum reuoco, atque idem iuris in te ſtatuo, quod in alios ipſe ſtatuiſti. In vna pagina, eaq; in qua vel maximè diſertus videri cupis, niſi nos fallis, hos errores obſeruaui, vt coniicias ſi in te inquirere voluiſſem, quàm multa eiuſdem generis potuerim notare. Multa prætermittam, nec laudibus Logici, quarum tu diſertus præco es, detraham: homines ſuo de te & eo iudicio relinquam. Architectum criminaris omnium in Dialecticum conuitiorum & maledictorum Adrianum. Malè ſit iſti morbo, qui te tam ſuſpicioſum reddit: ſed tibi ita ſuſpicanti, cerebrum non eſt ſanum. Febris mentionem ſæpè facis, cuius deſiderio miſer contabeſcis, cum quacunque febri millies oppetere malis, quàm miſeram animam ſic inter diuturnos lentoſquè cruciatus trahere. Niſi ſemel ægrotaſſet Adrianus, ioci materia tibi perpetuò defuiſſet. Leuis eius tentatiuncula, qualem te nobis ſcurram edidit? Iterum ſi ægrotet, riſu emorière: hoc etiam eius morbo conſecutus es, quòd animus tuus nonnihil interim aberrat à ſenſu mali, atque reſpirat. Adriano Diodorus eſt is, cuius ſententiam περὶ δυνατῶν Cicero ſequitur: Diodotus verò Stoicus philoſophus, Ciceronis familiaris, quem etiam, ſi tibi placet, Diodorū appellato: nam de nomine tecum non pugnabit. Ex his autem duobus hominibus tu & Dialecticus, vnum conflauiſtis: quem errorem cùm tu hic defendas, nónne aut impudentiſſimus aut indoctiſſimus es habendus? Ridiculum autem eſt, quod hominem ignorari vis, ſi de vno nominis eius elemento dubitetur. Adrianus fortunam in cauſis, vt Logicus, numerat, ſed eam indiuiduorum corpuſculorum motui interuenire non poſſe probat: quod falsò Logicus exiſtimarat, ac proinde iniqua calumnia Ciceronem oppugnarat. Hic autem cum docere deberes in inani fortunam indiuiduis corpuſculis interuenire, fucum improbè feciſti, & fortunam ab Adriano negari dixiſti. Quid eſt turpiter mentiri, ſi hoc non eſt? quid eſt culpam confiteri, ſi hoc non eſt? Minutas quaſdam & leues reprehenſiones tuas, mendacia etiam falſa prætermitto. Reprehendis quòd κατὰ στάθμην verterit ad lineam: tibi reſpondet, Ciceronis interpretationem à te reprehendi, qui ſcribit libro primo de Finibus, *ferri ſuo deorſum pondere ad lineam*: quod eſt, vt exiſtimat Adrianus, κάτω φέρεσθαι τῷ ἰδίῳ βάρει κατὰ στάθμην. Iterum eodem libro, *Si omnia deorſum è regione ferrentur*, & vt dixi, *ad lineam*. Illud quoque *De nihilo*, quod paulò antè reprehendebas, Ciceronis eſt: cuius verba ſunt in libro De fato, *Ex quo exiſtet, vt de nihilo quippiam fiat*. Tu στάθμην pondus conuertere vis: tibi nunquam pondus eſſe credet, niſi id aliquo teſtimonio probaueris. at motus ponderis dicitur? id verò Græce κίνησις βάρους dici ſolet, non κίνησις στάθμης. κατὰ πληγὴν reprehendis, quòd ex plaga dixerit: fere non ſolet aliter κατὰ in ijs generibus Cicero interpretari, quam ex & è: vt quod Græcè dicitur κατ' εὐχήν, ex voto: quod κατὰ φύσιν, è natura, quanquam etiam ſecundum naturam: quod κατὰ διάστημα, ex interuallo: quod κατὰ γνώμην, ex ſententia. Quid diutius moror in re nota alijs, ignota tibi? κατὰ etiam per, mille locis conuerti intelliges, vt κατὰ μεταφοράν, per tranſlationem, & alia ſexcenta. στάθμην autem nunquam pondus dici probabis. Hoccine eſt alienis vlceribus mederi, an ſibi ipſi manus afferre, & ſe vltro vlcerare? Tibi opus eſt ipſi patrono, quem Logicus defenſorem ſibi parauit. Illa autem ſunt elegantia tua digniſſima, ſecundum plagam, ſecundum declinationem, ſecundum pondus. In Diodoro calumniaris: calumniam tuam omnibus cognitam fore ſperat, qui eius diſputationem legerint. Cùm autem ſcribis humanum medicum pro homine medico, non ſolùm Latinè te loqui exiſtimas, verùm etiam diſertè. Alius iſta tua ratione pro homine adoleſcente adoleſcentem humanum dicet, pro homine grammatico grammaticum humanum. Tu alterius orationem reprehendere audes, cum tua ſcriptura tam flagitioſa ſit atque maculoſa? Quòd ſi errores è Commentario Logici ſumere vellem, modiò tibi eos admetirer, atque efficerem, vt eum non minus quàm Vlyſſem Homericum errores nobilitarent. In oratione verò tua nonnulli alia multa, vt parum emendata, notant: quæ tametſi non improbo, & in ijs tibi ignoſco: tamē te de aliorū iudicio admonendum

eſſe exiſtimaui, locoſq; ſubſignaui. Non ſinas dicis, pro ne ſinas, Quintiliano genus hoc dicendi vitioſum docente. Deridendum & propinandum dare, pro propinare deridendum. Modò cantabitur, pro mox cantabitur. Modò enim Grammatici nefas eſſe putant cum futuro iungere. Vt perficeres quod ſignificaſti, pro perfecturus eſſes. Scenam pro parte actus, cum potius ea ſit totius fabulæ reiq; actio apud bonos ſcriptores, vt aiunt delicati iſti, & faſtidioſi adoleſcentes, qui ne in grammaticis quidem hoc verbum ferre poſſunt. Cælius ad Cic. *Scena rei totius hæc: Pompeius tanquam Cæſarem non impugnet, ſed quod illi æquum putet, conſtituat, ait Curionem quærere diſcordias.* Peccantes humores, pro vitioſis: motus iſte modò tuus, pro nunc tuus: non ſolùm non Logicus, ſed non Phyſicus, pro ſed ne phyſicus quidem. Illud etiam, *Partes & illius & tuas breuiter ſubducam, vt ſunt faſtidia hominum, non probant æque ac ſubducam rationem.* Reſpondebit tibi fuiſſe apud illum, pro fuiſſe apud ſe, damnant: nam de typographo intelligis. Statue itaq; modò pro nunc ſtatue. Tuum hunc poſtremum, pro poſteriorem: & negationem è poſtremo enunciato tollit, pro è poſteriore improbant: diſceptas Logicam Chryſippi, quid ſibi velit, neſciunt: exercere vſum, faſtidiunt. Authorem ſemper à te ſcribi queruntur contra Probi auctoritatem, qui auctorem ſcribi debere oſtendit. *Ecquid quò tandem confugies*, & *Ecquid ſi pari libidine vellem*, & *Ecquid inquam etiámne*: nemo, vt aiunt, ſic ecquid Latinè vſurpat: vt febrem non accendas, reprehendunt pro vt ne accendas: tot capita, tot ſenſus, pro quot capita, tot ſenſus. Tu hominibus illis ſatisfacies: ego iſta tibi ignoſco. Scit Adrianus lineam & perpendiculum in Mathematicis explicari, neminiq; probabis eum hoc ignoraſſe: cenſet tamen architectos linea & perpendiculo vſos eſſe multis antè ſeculis, quàm de linea Mathematica & perpendiculo quicquam homines eſſent ſuſpicati. Quo autem modo hic defendes ineptias Logici tui, qui cũ hæc Mathematicorũ eſſe dixiſſet, exemplis tamen probat eſſe Architectorũ? Cum autẽ ſic omnia detrahis ornamenta doctrinæ Adriano, ingraueſcere morbũ tuum oſtendis, ac propediẽ in furorem erupturũ, quem quid conſecuturũ ſit, ominare ſi voles tibi: ac ſanè multò facilius, vt iſta quæ ei detrahis, in te non eſſe homines credant, conſequere, quã vt credant ei deeſſe. In ignaua ratione cũ Logico tuo grauiſſimè peccas, qui quidem ea cenſeas fatum probari, quod tollitur. Eſt enim ratiocinatio, quæ ad incommodum perducere conatur eũ, qui fatũ tueatur. Verbi gratia in perſona tua (aliã enim non quærã) ſi fatũ eſſe putes, ſic contra te diſputem? Si eſt fatũ tibi ex hoc morbo nõ conualeſcere, medicũ adhibere non debes: eſſe autem fatũ cenſes, medicũ igitur adhibere non debes. fatũ enim nõ confirmat hæc argumentatio, ſed medicũ non adhibendum probat: nec fatũ in controuerſiam vocatur, ſed ſumitur ne medicus adhibeatur. In hac autem complexione ineſt incommodũ: omnes enim cenſent medicũ ægris adhibendum, etiã quorum depoſita & deſperata eſt ſalus, vt tua. Si igitur eſt adhibendus medicus, non eſt fatũ. Iſta Dialectice, Rhetor, Mathematice, Philoſophe noſter, huius argumentationis vis & ſententia eſt: alioqui ſi fatũ confirmaret, certè medicũ adhibendum nõ eſſe colligere nõ debuit: ſed fatũ eſſe. Reprehendis Adrianũ, quòd τὸν παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενον λόγον, rationẽ quę pręter fatu vocatur, dixerit, cũ tu ad fatũ dici velis. In quo facilè eſt inſcitiam tuã coarguere, qui non animaduerteris eã rationẽ ex eo appellatã eſſe, quod multa præter fatũ euenire dicantur. Cicero, Multa autẽ impendere videntur præter naturã etiam, præterq; fatũ. Alexander, ὅ τε δὲ ἐστὶν αὐτῶν, καὶ τὸ παρὰ τὴν εἱμαρμένην λεγόντων ἀκούσαι πολλάκις, καὶ τὸ παρὰ μοῖραν. Hìc τὸ παρὰ τὴν εἱμαρμένην, interpretaberiſne ad fatũ? Homerus, Μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι. Iterum Alexander, ἀλλὰ παρὰ μοῖραν, ὥς οἱ ποιηταί φασι, καὶ παρὰ τὴν εἱμαρμένην. Quanto prudentius feciſſes, ſi errorem diſſimulaſſes, aut potius agnouiſſes, nec in has difficultates te induiſſes, ex quibus nullus te patronus poterit expedire? Perdit te incautũ pietas tua: dum fratrem tegere vis, latus aperis, & te confodiendum imprudens tradis. Acutè verò, vt omnia, diſputas, in argumentatione Ciceronis ſuperuacaneã eſſe negationẽ, cũ quid agatur, neſcias. Nã vt antè in eos, qui fatũ affirmabant, conueniebat ignaua ratio: ſic nunc in eos conuenit, qui verũ & falſum in enuntiationibus ex æternitate dicunt eſſe, id eſt, in Diodoreos, quòd ijſdem incommodis obnoxij, quibus ſuperiores, eſſe videantur. Hoc igitur cùm in vero & falſo diſſeri debeat, negatio tollenda nõ eſt. Hic tamen hæſiſſem, niſi mihi opportunè morbus tuus ſubueniſſet. Finge te Diodoreum eſſe, teq; verum & falſum ex æternitate in futuro exiſtimare: duobus argumentis, ne medicũ adhibeas, ſuaderi tibi poterit. Nam (dicã ego) ſi verũ eſt ex æternitate, nunquã ex iſto morbo conualeſces, medicũ adhibere non debes. dicet alius, ſi falſum eſt ex æternitate, ex iſto morbo conualeſces, medicũ adhibere non debes. Idem enim, vt vides, vel ex vero, vel ex falſo effici poteſt. Ita morbus qui te miſerũ in modum opprimit atq; excruciat, egregiè calumnia Ciceronem liberat, perpetuoq; circunfers & circunferes, quod in te pro Cicerone dici queat. Optarẽ tamen tua cauſa, ita me Deus amet, cruciatũ iſtũ tibi paulum alleuari, vel iniquiore Ciceronis cauſa. Id generalius etiã, vt omnes hominũ actiones comprehendantur, concluditur: Si eſt fatum, nihil eſt agendũ: fatũ autem eſſe cenſes: agendum igitur nihil eſt: atqui agendũ omnes eſſe cenſent, non eſt igitur fatũ. Maximè autẽ vellem me doceres, vnde didiceris cholerã Latinè pro iracundia dici. Eſt tibi hoc verbũ in amoribus & delicijs, eoq; ſine riuali frueris. Mendacia relinquo tua: laudibus Logici nõ obtrecto, nec inuideo, ad alia pergo. In futuri enuntiationibus negas verũ eſſe vel falſum: in quo te interrogo, quo pacto enuntiationes ſint, cũ enuntiatio ſit oratio, quæ verũ vel falſum ſignificat? Errorem Stoicorum ſequeris, Ariſtotelem nõ intelligis. Id ex Boëtio cognoſce, cuius verba proferã. *Putauerunt autem quidam, quorũ Stoici quoq; ſunt, Ariſtotelem dicere, in futuro contingenti, nec veras eſſe, nec falſas.* Quod enim dixit, nihil ſe magis ad eſſe habere, quã ad non eſſe, hoc putauerunt, tanquã nihil eas intereſſet, veras an falſas putari. Neq; veras enim, neq; falſas arbitrati ſunt: ſed falſum eſt. Nõ enim Ariſtoteles hoc dicit, quòd vtræq; nec veræ nec falſæ ſint: ſed quòd vna quidem ipſarũ quælibet, aut vera aut falſa eſt, nõ tamen quemadmodũ in præteritis definitè, nec quemadmodũ in præſentibus. In loco autẽ quẽ profers, docebit te Boëtius in priore editione ſubaudiendũ eſſe definitè, determinatè, diuiſè. Sic interpretatur, quod Ariſtotel. dixit ὡρισμένως. In Diodoro more tuo calumniaris, quã artem vnus omniũ optimè calles, & ſemp exercuiſti. Cauillaris in febrim: quaſi verò in te materia non ſit perpetui alijs ioci, tibi mœroris. In arbitrio Cicer. Adriani diſputatio ignorantiã tuã & Logici ſempiternæ hominũ memoriæ commendat. Locũ communẽ in teſtimonia

depromis:



depromis: iſtud non incallidè feciſti: vidiſti quibus præſidijs non ſolùm nudata, verùm etiam oppreſſa iaceret: cauſa tua. Irrides quòd impoſſibili dixerit omnia conſequentia quibuſdã videri: atqui aliquando in hac ſchola, iſta de re dubitare propè nefas fuit: vide quàm hoſpes & peregrinus ſis. Teſtimonium tibi proferam ex inſtitutionibus Iacobi Fabri, in quibus ſcribitur, *Ad impoſſibile ſequitur quodlibet: Neceſſarium ſequitur ex quolibet.* Ad eum locum lege Clichthoueum: is tibi rationibus penè geometricis hoc confirmabit. μώλωπας ſtimulos eſſe defendis, ἀπορρινήματα, fæcẽ: quos errores omnibus notiſſimos ſola tueris impudentia & confidentia. Nos igitur te auctore, κέντρον & σκόλοπα interpretabimur vibicẽ: θρύγα, ſcobem. Qui minus enim nobis hæc concedantur, quàm illa tibi? Dicis Adrianum fortunã tollere è cauſis. In mendacio fiduciam omnem collocas. Adrianus in hominum rebus fortunam verſari dicit, ſed Logicum eſſe deceptum contendit, qui ei inter atomos locum eſſe putauerit: quod cum ipſe non refellas, ſed mendacij latebra obſcurare coneris, meritò accuſatum eſſe confiteris. Adrianus impietatem Carneadis in præſcientia Dei, in diſputatione damnat, ne tu eum improba calumnia hic circumuenire tentes. Idem eo in loco de Cicerone iudicat: de Diodoro nihil pronunciat, quia nondum legit præſcientiam Dei ab eo ſublatam. Id cum legerit, eum in eundem cætum aggregabit. Quod de Dormano gymnaſio narras, aut hominis impudentiſſimi mendacium eſt, aut ægri deſperati, & iam floccos legentis ſomnium: ac miror te non reuereri conſcientiam meam, qui tum illic primo ordini præeram, cui nunquam in eo gymnaſio præfuiſti. Eo tempore ſcio Adriano tecum nec rei quicquam nec rationis fuiſſe. documentum das hominibus, quàm religioſus in teſtimonio futurus ſis, qui ſic è mendacio totus concretus eſſe videaris. Inuitas ad interpretationem Grammaticæ Adrianum propè præmio amicitiæ tuæ. Vide quanti eam faciat, alio quouis præmio potius impelleretur. Dicis omnes ab eo Grammaticæ explicationem efflagitare: immò verò ne flagitauit quidem quiſquam. Scilicet ad te, quem perpetuò morbus ſonticus lectulo affixum tenet, facilior aditus patet, quàm ad eum: aut tu vnus ex omnibus potiſſimùm delectus es, qui ad eum allegarere, idque peteres, quod te deprecatore nunquam ſe quiſquam impetraturum confideret: ſcilicet illi ad Adrianum adſpirare non poterant, ſuaque deferre poſtulata, quòd difficiles eius mores ſint, quòd omnibus ad eum aditus ſit intercluſus. Scio tibi tantam reprehendendi libidinem inſitam eſſe, vt quod poſtulas, Adrianus ſi faciat, tu primus reprehendas: nec verò deſunt, qui ſuſpicentur hanc à te prouinciam Grammaticæ explicandæ peti: quod ſi verum Adrianus putet, ne reſpublica detrimentum accipiat tua profeſſione, eò libenter deſcendat, quò coneris aſcendere. Ferre non potes deſiderium amiſſi Tuſani: in luctu & ſqualore miſer conſeneſcis: ſed propinquitate interitus mœrorem tuum conſolari potes, cùm maturè ad eum tibi demigrandum eſſe ſentias. Cui quid hìc agatur, referes, & nuntius ibis: Adriani autem triſtia facta, degeneremque Neoptolemum narrare memento. Tandem finem facis exhauſta clepſydra tua, & propemodum vita. Hic me præconem laudis tuæ liberalem habebis, quam annales loquentur, poſteritas celebrabit. Tu primus omnium, quod ſciam, ad clepſydram ſcripſiſti. Hoc inuentum eſt tuum: quod te apud omnes meritò nobilitabit. Tantùm verendum eſt, ne quis improbus iocetur, illa aqua, ad quam ſcripſiſti, tua ſcripta deleri debuiſſe. Et quoniam partes admonendi ſuſcepiſti (quanquam qui te monitorem audiat, non inuenies) ne quid eo nomine tibi deberi putes, accipe admonitionem meam tibi neceſſariam magis, quàm vtilem futuram. Valetudinem tuam cura diligenter.

# ADRIANI TVRNEBI COMMENTARII ET EMENDATIONES IN LIBROS M. VARRONIS DE LINGVA Latina.

## *CLARISS. ET AMPLISSIMO VIRO MICHAELI HOSPITALI FRANCIAE CANCELLARIO*

*Odo Turnebus S. P. D.*

*CVM POST PARENTIS OBITVM, OMNIBVS LITERARVM ſtudioſis grauem ac moleſtum, mihi fratribúſque meis luctuoſum & acerbum, in illius bibliotheca conquireremus ecquid eſſet, quod ſtudia diſcentium poſſet adiuuare, multa quidem reperimus, ſed ita confuſa & perturbata, ita ſitu & puluere obducta, & lituris deformata, vt illa facilè pro derelictis eſſemus habituri, niſi nobis in tanta rei difficultate Iacobi Danielis, in comitatu regio conſiliarij Franciæq; relatoris auxilium adfuiſſet. Qui cùm ſe olim parentis noſtri præceptis inſtitutiſque formatum & eruditum meminiſſet, hæc doctoris ſui monumenta noluit aboleri. Itaque miſit Rothomago Ioannem Furdinum, qui veteri cum patre coniunctus neceſſitudine, aſſiduè vnà iam à multis annis vixerat, eique in ſtudijs ſedulam operam & induſtriam nauauerat: illius manum & ſcripturam, paucis cognitam, propter diuturnum vſum, penitus perſpectam & exploratam habebat. Huius labore, induſtria, vigilantia effectum eſt, vt plurima, quaſi tempeſtate diſiecta, naufragia colligerentur: & quæ*

*alioqui funditus erant peritura, ſeruarentur. Ecce tibi igitur primùm hoſce in Varronis linguam Latinã commentarios à patre iam olim exaratos, à Furdino & Daniele propè ex incendio ſeruatos, recentis tui beneficij memores exhibemus: multa etiam poſthac oblaturi. Imprimíſque Aduerſariorum non exiguas reliquias: illius innocentis epiſtolæ comitatu ornatiores, quam tibi dicatam nonnulli lucem aſpicere paſſi non ſunt: vt cùm paternos librorum fœtus tibi deuotos & conſecratos ſumma humanitate & animi alacritate exceperis: liberorum etiam orbitatem tuæ fidei & clientelæ commiſſam arbitrêre: quò per te Regis liberalitate frui, & ex diuturnis parentis laboribus fructum aliquem percipere poſſint. Bene vale. Lutetiæ Pariſiorum Idibus Auguſti. 1 5 6 6.*

# ADRIANI TVRNEBI COMMENTARII ET EMENDATIONES IN LIBROS M. VARRONIS De lingua Latina.

Q*VEMADMODVM*) INSCRIPTIO HORVM OMNIVM VARRONIS LIbrorum generalis eſſe videtur *De lingua Latina*: in quorum primis tribus, vt ipſe ſcribit in calce libri *6.* diſſerebat de diſciplina originis verborum: quæ priuata eorum trium librorum inſcriptio eſt, vt trium ſequentium titulus eſt, De verborum originibus: quod librorum eorum argumentum eſt. In veteri libro ſic inſcriptio horum librorum concipitur, *M. Terentij Varronis de lingua Latina, de diſciplina originum verborum ad Ciceronem incipit liber primus*: fortaſsè inſcribi debet, *M. Terentij Varronis de lingua Latina liber quartus, qui eſt de verborum originibus ad Ciceronem liber primus.*

*Contra eam dicerentur*) Cur etymologia neque ſit, neque vtilis ſit.

*Quæ pro ea*) Quæ ſit, cur ea ſit, & cur vtilis ſit. *Quæ de ea*) Quæ forma ſit etymologiæ.

*A pertendo*) Mirum videri fortaſſe poteſt, quòd Varro pertinaciam à pertendo potius, quàm à pertineo deducat: cùm vt à teneo tenacia, ſic à pertineo pertinacia oriri videatur. Verùm ab alio capite eius genus arceſſit, quòd in qua ſignificatione pertinacia ponitur, pertinere poni non ſoleat, ſed pertendere. Terentius in Eunucho: *Verùm ſi incipies neque pertendes nauiter.* & pertendit cùm ſcribitur, pertinacia ſubintelligitur.

*Scrutantur*) In veteri reperi, ſcrutamur: quod etiam vehementer placet.

Περὶ ἀναλογίας) Ad hunc locum nihil analogia pertinet, vt in excuſis libris extat, cùm quæritur in qua re vocabulum ſit impoſitum. id enim ad verbi ſignificationem pertinet. Itaque ex veteribus libris rectè & ratione reſtituit Antonius Auguſtinus, vir & doctiſſimus, & acerrimus harum rerum inueſtigator, περὶ σημαινομένων, id eſt, de ſignificationibus. quam etiam lectionem in manu ſcripto exemplari reperi. Nam & eodem modo Laërtius ſcribit, τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων, καὶ εἰς τὸν περὶ τῶν φαντασιῶν τόπον.

*Impoſitio*) Multa enim verba, à quibus alia oriuntur, hodie non extant, ſed exoleuere, atque adeò in totum interiere. Nam impoſitionem nominum appellat, quam Græci dicunt ὀνοματοθεσίαν, intelligens nomina quæ alicui rei ſignificandæ impoſita ſunt, quorum multa iam nuſquam comparent, cùm tamen ab ijs alia profecta in vſu fortaſſe ſint: vt proinde eorum originem & notationem reperire, magni ſit operis. Nam impoſitiones, nomina primitiua vocat, à quibus oriuntur declinationes, id eſt, quæ deriuatiua appellantur. Varro lib. *6. Duo igitur omninò verborum principia, impoſitio & declinatio: alterum, vt fons: alterum, vt riuus.*

*Cuncta manet*) Integra, non mutila, non interpolata, non mutata. Multa enim impoſita verba (eas enim vocat impoſitiones verborum) literis mutata ſunt vel adiectis, vel detractis, vel traiectis.

*Vt hoſtis*) Cicero libro 1. Offic. *Equidem illud etiam animaduerti, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ: Aut ſtatus dies cum hoſte: itemq́, Aduerſus hoſtem æterna auctoritas.* Ita Ciceroni abſolutè hoſtis, vetere conſuetudine peregrinus omnis eſt: Varroni peregrinus, qui ſuis vteretur legibus, æquè ac Romani ſuis.

*Vetuſtas*) Id eſt, longinquitas temporis & diuturnitas, quæ etiam dicitur in futurum, non tantùm in præteritum. Cicero: *Hæc nulla vnquam vetuſtas obruet.*

*Pauca non deprauat*) Id eſt, pauca retinet integra, nihilque immutata: pauca ſunt immunia & libera à vetuſtatis deprauatione.

*Quare illa quæ iam*) Eleganter fugitiua retrahere dixit. nam retrahi dicitur, qui ex fuga reducitur domum, vt ſeruus fugitiuus, ad quem alluſit Varro. Sic etiam Terentius, *Retraham herclè opinor ad me illud idem fugitiuum argentum tamen.* Salluſtius: *In his erat Fuluius ſenatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iuſſit.* Hinc in lib. de re ruſtica apud Varronem, *Fugitiuarius, qui fugitiuos ſequitur, vt retrahat.* Mox quod ſequitur, ſic in veteribus libris legitur. *Non, ſi potuero indagare, eò ero tardior, ſed velocior ideo ſi quiuero.* Quam lectionem tacitam prætermittere nolui, niſi quòd fortaſſe verior ſit vſitata, vt ſenſus pendeat è ſuperiori deuinctus vna complexione, hunc in modum: Illa, quæ maioribus noſtris ademit obliuio, ſecuta ſedulitas Mucij & Bruti Iuriſconſultorum fugitiua retrahere nequit, nec poteſt originem indagare, Si ipſe potuero indagare, non eò, quia illi inueſtigare nequiuerunt, ero tardior, nec illorum exemplo deterrebor aut debilitabor. Pro, *Si quiuero*, etiam reperi, *Si quæro.* Receptam autem lectionem etiam animaduerto defendi poſſe: tantùm iſta diſtractio ſententiæ, quam duæ in ea complexiones faciunt, mihi non probatur.





*In tramitibus*) *Intrantibus*, lib. vetus. Mox pro, *Quoniam verborum*, V. L. *Quorum verborum.*

*Bis quaternas*) Quatuor enim in literis ſunt cauſæ, demptio, additio, tractatio, & commutatio, & totidem in ſyllabis: ſed in ſyllabis ſola productio hìc commemoratur: aliæ, vt exiſtimo, deſiderantur, alij, has quaternas emendant.

*Artationem*) Lib. ſcript. *Tractationem*, quam germanam eſſe ſcripturam reor. Tractatio enim eſt, cùm tanquam manu literæ tenentur, & huc aut illuc tranſponuntur & traijciuntur. Itaque literarum tractatio, eſt earum traiectio & tranſpoſitio. Sic Cicero ſcribit, materiam in verbis eſſe, tractationem in collocatione verborum. Vt enim verba optimè collocentur, à nobis tanquam manu tractantur, & alijs atque alijs locis collocantur, vt iucunda ſit & lenis eorum compoſitio. Vulgares editiones, *Attractionem* ſcribunt, quod nullo modo probo. Antonius Auguſtinus, de cuius fide & doctrina dubitare nefas eſt, *Artationem* legit: quæ vox, cùm de literis agatur, hic, vt reor, non ſignificaret correptionem (id enim ſyllabæ proprium eſt) ſed inculcationem & interiectionem. Nam *arctare* eſt interdum refercire, replere. Cicero pro Rabirio: *Quibus cùm multæ naues refertæ fuiſſent, vna non patuerit parua arctata.* Sic *anguſtus* interdum eſt plenus, denſus. Tibullus:

*Pauper in anguſto fidus comes agmine turbæ*
*Subijcietque manus, efficietque viam.*

Commutatio autem eſt, cùm pro litera, litera ponitur.

*Æriſodinæ*) Sic Antonius Auguſtinus. editiones reliquæ, *Aurifodinæ*, quod vocabulum à Varrone damnatur: vetus liber, *Aretofodinæ.* Librarius videtur ſcribere voluiſſe *Cretifodinæ. Viocurus* autem, non *Viocurrus* (ſic enim legendum cenſeo) eſt curator viarum, vt in libris de Legibus docui. Infrà hoc verbum Varro ſic vſurpat in libro ſcripto: Simili de cauſa Publius & Coſconius, quod ab ijs viocurris dicuntur ædificati. In veteri etiam legitur, explanandi gradus: Infimus in quo.

*Confinxerit*) V. L. *Finxerit*, quod confinxerit, quod declinarit.

*Rudenti ſibilus*) Hæc vera lectio eſt. Legitur tamen in epiſtola Celij, *Rudentum ſibilus*, qui Pacuuij (vt opinor) carmen affert, *Hic tibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitru, rudentum ſibilus.* Quintilianus, *Nerei repandi poſterum incurui ceruicum pecus*, ex Pacuuio affert verſum trochaicum. Adfertur & à Nonio,

*Currum liquit: & chlamyde contorta clypeat brachium.*

*Et initia regis*) Qui ad quartum, inquit, gradum peruenerit, is rex fuerit, & planè numeris omnibus rem abſoluerit. ſic enim illud, Regis, interpretor. Tale eſt illud Horatianum:

— *At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,*
*Si rectè facies.* Auſonius,
*Qui faciet rectè, non qui dominatur, erit Rex.*

Sic victor, qui aliquid abſoluit & perfecit. Virgilius:

— *Victórque virùm volitare per ora.* Iterum,
*Illi victor ego, & Phrygio conſpectus in oſtro.*

Itaque victoriam Cicero in Bruto, pro abſolutione poſuit, quæ nos voti compotes reddit. Eius verba ſunt: *Eloquentem neminem video factum eſſe victoria.*

*Ad opinionem aucup.*) Si ad primam & vltimam originem peruenire non potero, quòd ea impoſitio multis antè ſeculis interierit, vt nullis in libris compareat (proinde obliuia appellat) quid opiner dicam, vt in noſtra valetudine opinionem interdum medici ſequi ſolent.

*Secundum non prætéribo*) Lib. vet. *Secundum prætéribo.* ac rectè: pollicetur enim ſe ad tertium gradum perventurum, quòd non ſolùm ad Ariſtophanis & Cratetis, qui Grammatici fuerunt, lucernam hæc elucubrarit: verùm etiam ad Cleanthis, qui Philoſophus fuit. Itaque mox ſcribitur in bonis libris, Volui præterire eos, qui poëtarum modò verba, vt ſint ficta, expediunt: quod eſt, Volui vltra Grammaticos progredi, & ad Philoſophos peruenire, quod eſt tertium gradum attingere. Philoſophi autem Stoici perdiligenter enucleabant verborum origenes, interdum ad ineptias vſque. Quod cùm facit M. Tullius, nonnunquam ait ſe Stoicorum ineptias imitari. Cleanthes autem, Stoicus Philoſophus fuit, vt omnibus eſt notum. Cæterum cùm Lucernam dicit, per metonymiam lucubrationes & opera ſignificat.

*Aut noſtra*) Aut Latina verba ſunt, aut aliena, vt Græca quibus vtuntur Latini, vel Thuſca aut obliuia, quæ verba ſunt obſoleta & ignota, quorumque homines Latini iam obliuiſcebantur.

*Partem cùm ita*) Liber vet. Partim quo ita inuenerim, ita opiner, ſcribam. quæ ſcriptura plana eſſet, ſi quod poneretur.

*Pythagoras*) Hæc Pythagoræ principia attingit Ariſtoteles, & in libris De moribus ad Nicomachum. & in Auditione naturali. Eius etiam conſulendi ſunt interpretes.

*Eius enim interuallum*) Vet. lib. *Eius annui interuallum:* vbi &, *Fuerint motus*, legitur in plurali. Quadrigas autem, quadripartitionem per tranſlationem dicit.

*Quare quatuor*) V. L. Quare quod quatuor genera prima rerum, totidem verborum enim horum. Puto legendum, *Totidem verborum minimum horum*: vt oſtendit Varro in curſu.

*De his locis*) V. L. De quibus locis.

*Loci origine*) Exordiens ab origine huius vocabuli, *Locus.*

*Collocatum*) Quod Varronis ætate Collocare dicebant, id ſuperiori memoria dicere ſolebant *Locare*: quod auctoritate Plauti confirmat. Locus eſt in Aulularia.

*O terra trita*) Vetus lib. *O terra treca.* quid ſi, *O terra Creta?* Sic autem dicitur, vt terra Italia dici ſolet, quidam, O terra Thrace, legunt: melius quidam Threſſa. Certa enim quædam regio, non orbis terrarum intelligitur. Verſus eſt ſenarius cum alterius initio. Vetus eſt ſcriptura, pro, *In cuius muro, In ciuium muro.* & mox, *Vbi quicque conſiſtit*, Non *quicquam.*

*Quoadusque id emitur*) Veteris libri ſcriptura eſt, Quod vſque id emit, quoad in aliquo conſtitit pretium. emendandum cenſeo, Quod vſque idem it. Id enim pergere videtur, nec antè conſiſtere & conquieſcere, quàm locatum eſt conducenti mancipi & publicano.

*Locarium*) Proinde Locarij apud Martialem ſunt, qui in ſpectaculis loca populo locant: Hermes, diuitiæ Locariorum.

*Loci*) Pro vtero & natura mulieris, ab auctoribus Latinis honeſto vocabulo appellari ſolent. Cato: *Et ſi mulier eo lotio locos fouebit, nunquam ij viroſi fient.* Lucretius: *Locis quia non potis eſt adfigere adhæſum.* Sed & Græci, Dioſcorides lib. 1. μαλάσσον τοὺς τόπους καὶ ἀνασομοῦν.

*Vt Aſia, ſic cœlum*) Optimè. Nam cœlum dupliciter intelligitur, tum illud in quo fixa ſunt ſidera, tum hoc citerius, quod aëris nomine cenſetur, vt Aſia duobus modis dicitur: Altera enim pars eſt orbis terrarum: altera regio eſt Aſiæ intra Taurum. Aſiam autem & Europam, duas ponere orbis terrarum partes videtur Varro: quæ diuiſio ſic à Salluſtio attingitur: In diuiſione orbis terræ. Plerique in parte tertia Africam poſuere: pauci, tantummodo Aſiam & Europam eſſe, ſed Africam in Europa. Aſia autem ferè Varronis ætate ſumebatur pro prouincia, quæ intra Taurum erat. Cicero pro Flacco: Namque (vt opinor) Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. Strabo: Οἱ δ' ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύοντες, ὁμώνυμον τῇ ἠπείρῳ. id eſt, Illi autem prouinciam fecerunt, Aſiam appellantes, eodem nomine, quo totam continentem. Cœlum quoque interdum tantùm eſt aër, vt apud Ciceronem De fato: *Tenue cælum Athenis.* Cæterùm in libro veteri inueni ſcriptum, *Nam vt Aſia*, non, *Nam & Aſia:* & In qua eſt Ionia & prouincia noſtra. quomodo legendum cenſeo, Ciliciaq; tollendum, quæ illius prouinciæ pars non erat. Mox etiam reperi, Et id quod Pacuuius cùm demonſtrat, dicit. Quod ex Pacuuio affertur, verſus eſt trochaicus cum principio alterius. poſt, pars eius, diſtinguendum eſt, vt ſit appoſitio ſummum.

*Memorant*) Abſolutus eſſet verſus, ſi adderetur: *Vocant Graij aëra.*

*Suorum vnius &*) Vetus lectio, *Lucretius Vnum & viginti:* quam nec improbo. Apparet ex hoc loco multò plures De rerum natura libros à Lucretio eſſe ſcriptos, quàm qui ad nos peruenere. Vnius eorum hoc erat initium: Scriptura quam non improbabam, oſtendit xx. libros ab eo ſcriptos.

*Ælius Gallus*) In veteri, Ælius tantùm legi: ac fortaſſe Ælium Stilonem, qui & Præconinus dicebatur, intellexit. Multis tamen locis Antonius Auguſtinus, homo & eruditionis & fidei plenus, Gallum addidit. Ælius autem Gallus libros ediderat De ſignificationib. verborum, quæ ad ius pertinebant: Stilonem tamen libentius intellexerim.

*Quod poſterior Ælius*) Sine, Ælius, alijs in libris excuſis legitur, & in veteri manu ſcripto. Dicit à quodam poſteriore reprehenſam fuiſſe Ælij notationem, cùm celare potius à celo natum eſſe videatur, quàm celum à celando: aut ſi, Ælius, additur, ipſe ſui corrector fuit poſterioribus libris. Scribit Plinius, cælati argumento dictum videri cælum Varroni, cùm hic tamen veriloquium aliud ſequatur Varro. Verba Plinij ſunt: *Cælum quidem haud dubie cælati argumento diximus, vt interpretatur M. Varr.* Adiuuat rerum ordo, deſcripto circulo, qui Signifer vocatur, in XII. animaliũ effigies. Sed id in Satyris Var. ſcripſerat his verbis:

*Mundus, domus eſt maxima omnium, quam*
*Quinque altitonæ fragmine Zonæ cingunt,*
*Per quam limbus pictus bis ſex ſignis*
*Stellimicantibus altus in obliquo æthere lunæ*
*Bigas acceptat Poſthumi: cui Seplaſia fœtet.*

Vocatur à cælatura cælum, Græcè ab ornatu κόσμος, Latinè à puritia mundus.

*A Chao cauum*) Vetus lib. *Couum.* fortaſsè, Cohum, librarius ſcribere voluit. *Cohum* enim, vt ait Feſtus, poëtæ *cælum* vocauerunt. Receptam tamen ſcripturam non moueo, tantùm admoneo. alij cœlum à κοῖλον deducunt. *Noctique caua*) Legendum cenſeo, *Nocti quæ caua.* ſunt autem verſus Anapæſtici. Scribitur etiam, *Noctu.* Sic Cæli cauernas dixerat Varro in Menippeis, his verſibus,

*Nubes aquali frigido velo leues*
*Cæli cauernas aureas ſubduxerant,*
*Aquam vomentes inferam mortalibus.*

Sed & Cortinam hemiſphærium vetus poëta dixerat, hoc verſu:

*Corpore cæruleo caua quæ cortina receptat.*

*Ad cauationem*) Id eſt, quia cauatum eſt cælum. Cæterùm hanc tranſlationem non improbat Varro: damnat Cicero lib. 3. De oratore, his verbis: *Quamuis ſphæram in ſcenam, vt dicitur, attulerit Ennius: tamen in ſphæra fornicis ſimilitudo ineſſe non poteſt.* Attamen M. Tullius in libris De natura Deorum, illud eiuſdem Ennij multò inſolentius vſurpat: Epicurus dum palato quid ſit optimum, iudicat, cæli palatum, vt ait Ennius, non ſuſpexit. qua tranſlatione mihi videtur vſus Ennius, propterea que à Græcis Palatum, tanquam paruum cælum, appellatur, οὐρανίσκος enim dicitur. Minus etiam fortaſſe probaſſet Cicero, Clypeum cæli dici, propter conuexitatem. Pro, *Ad cauationem*, libri alij etiam ſcripti, *Ad nationem* habent, pro, Ad procreationem, ac tum pars erit verſus Enniani. cælum enim Ennio omnia generat. Animam æther adiungat, ex eodem infra ſcribit Varro. Natio etiam apud Ciceronem Dea eſt, quæ à naſcendo nominatur. Quidam *Adnationem* vno verbo legunt, id eſt agnationem. Inde enim oriundi ſumus.

*Cauillæ*) *Cauillæ*, vetus ſcriptura, quidam, *Caulæ* emendant. nam à cauo nomen habent: Et apud Lucretium meatus & foramina corporis, caulæ vocantur,

*Diſperſumq; foras per caulas corporis omnes.*

vt & cauillum Plautus, iſthæc ridicularia, cauillationes (vis, opinor, dicere ita vt pauxillum) differat à cauillulis, vt alij à cauilibus. Cauillæ hic pro cauillatione dicit. Mox vetus liber habet, *Cauete cauitiones.* Nam cauitiones pro cautionibus priſci dixère, Verrio authore, vt fortaſſe Varro verba quędam priſcarum formularum



formularum aut legum hic ponat. Adiuuat porro & ſubleuat Etymologiam Varronis, quæ multis alienior & longinquior videtur, Feſtus: Qui cohum à poëtis cœlum vocari, vt dixi, ſcribit.

*Territorium*) Varroni territorium locus eſt communis prope coloniam: Ciceroni ager coloniarum eſt, vt in Verrem: *Vt florentis coloniæ territorium minueretur:* Pomponio vniuerſitas eſt agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis: quod, vt ait, vel à terendo, vel à terrendo dicitur, quod magiſtratus intra eos fines terrendi ius habeat. Frontinus ita de eo ſcribit: *Quicquid enim ad coloniæ municipiíue priuilegium pertinet, territorij iuris appellant.* Sed ſi rationem appellationis huius tractemus, territorium eſt, quicquid hoſtis terrendi cauſa conſtitutum eſt. Siculus Flaccus: *Præmenſumq; quod vniuerſis ſuffecturum videbatur ſolum, territis fugatisq; inde ciuibus, territorium dixerunt.* Initio autem, vt dixi, in colonijs territorium tantùm dicebatur, non in alijs ciuitatibus.

*Termentarium*) Vetus lib. *Extermentarium:* ſed termentarium malim. Termentum quoque apud Plautum pro detrimento poni Feſtus ſcribit. Pro Triuolo autem, Tribulum malim, vt apud Maronem, *Tribuláque traheæq;*. Hinc Tribulare apud Catonem: *Permiſcero crebro, tribulato cotidie*, id eſt perturbato agitatoque tanquam tribula. Sed & Treblam Cato dixit, in Lucanis Ploſtra, treblas Albæ.

*Itaque quum is in Latio*) Aliquando legendum putaui, Cumis & in Latio. Cumani enim Græci erant, ſed Latinè multis antè ſeculis loqui cœperant, vt Liuius docet. Nunc nihil muto, ſed poſt, in Latio, diſtinctionem noto, & annoto in veteri legi, In Latino. legitur etiam cùm terminus in Latio. Pro Termen autem puto ſcribendum Termon, aut (vt Ennius dixit) termo: *Ingenti vadit curſu qua redditus termo eſt.* Nos etiam pro τέρμα, τέρμονα ſcribendum cenſemus ex veteri libro, ita origine poſtulante. Erant & aliquot alia verba Græca, quæ legere non potuimus.

*Cubitis pinſibant humum*) Lego pinſebant: Melius in lib. ſcripto, *Ennium in terram cadentes, dicere, cubitis pinſibant humum*, id eſt, feriebant terram. Imitatio eſt Homeri. Vertit enim Ennius, ἑλὲ γαῖαν ἀγοστῷ, id eſt cecidit in cubitũ, & mortuus eſt. Piſare etiam in Varrone Nonius legit: vt in piſtonio piſetur ac torreatur.

*Combuſtus, in ſepulchrum*) Qui Romanus vſtus eſt, aut in ſepulchrum abiecta gleba non eſt, humatus non dicitur. Feſtus in vocabulo Præcidanea, ſcribit Obiecta: Virgil. *Iniecta. Aut tu mihi terram, Iniice.* Sed & Cicero libro 2. De legib. *Et quod nunc communiter in omnibus ſepultis ponitur, vt humati dicantur, id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret.* Eumq; morem ius Pontificale confirmat. Nam priuſquam in os iniecta gleba eſt, locus ille, vbi crematum eſt corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus eſt, & gleba vocatur: ac tum deniq; multa religioſa iura complectitur. Mox liber vetus ſcribit, *Donec in purgando humo eſt opertum:* ſed, vt opinor, *In purgando humo eſt opertum*, librarius ſcribere voluit: ac tum os intelligeretur, quod ad familiam purgandum exceptum erat, cuius meminit lib. 2. De legibus Cicero, illicq; explicaui. Vſitata tamen lectio, humo non eſt opertus ſenſum idoneum habet. Romani autem, vt hoc etiam addam, vbi in fauilla cumbuſti cadaueris os repererant, mortuum diuum eſſe factum clamabant, vt refert Plutarchus. *Et dicitur humilior*) Hæc in omnibus libris conturbata erant, etiam manu exaratis. ſic enim in omnibus ſcribitur, *Et dicitur humilior*, quæ ad humum, vt Sabini, vt Lucani, nullo planè ſenſu. Quæ poſt aliquot paginas ſequebantur, huc traduxi, ſententia ita poſtulante, atque connexui hunc in modum: Et dicitur humilior, demiſſior, infimus, humillimus. cuius me rei admonuit Georgius Buccananus, vir doctiſſimus. *Hinc ſudor*) Legendum puto ex veſtigijs veteris ſcripturæ, *Hinc ſudor vdor:* is quamuis deorſum in terram: vnde ſumi pote, puteus: niſi potius, quòd Æoles dicebant, vt ποταμὸν, ſic ποτῆρα & ποτὸν, vt nunc φρέαρ. In veteri eſt, Sudor vdorei, quamuis reliqua planè & disertè ſcribuntur: niſi quòd ſcriptum erat, Potura & potu. *Puteoli*) Feſtus: Puteolos dictos putant, ab aquæ calidæ putore: quidam à multitudine puteorum: earundem aquarum gratia factorum. Rurſus: *Puticuli* (inquit Feſtus) *ſunt appellati, quòd vetuſtiſſimũ genus ſepulturæ fuerit in puteis, & dicti puticuli, quòd ibi cadauera putreſcerent.* In Varr. lib. legitur, vt Ælius ſcribebat, *Puticulæ*, fœminino genere. Is locus erat ad exquilias, vt Varr. vltra, vbi iina plebs & inopes humabantur. Ad eũ reſpexit Horat. fortaſſe, de exquilijs loquens:

*Hic miſeræ plebis ſtabat commune ſepulchrum*
*Pantolabo ſcurræ, Nomentanóque nepoti.*

Scribit Vrbicus in ſuburbanis loca publica inopum deſtinata funeribus, Culinas appellari. Quod ſequitur, *Inde ſuſpiciunt perpetuò lumen:* in veteri libro legitur, *Suſcipiunt perpetuos.* Funera autem ſignificat, quæ cum funalibus efferebantur. Puto tamen ex veſtigijs veteris ſcripturæ legendum, Quo deinde ſuſcipiunt perpetuo flumen lacus: Lacuna, in qua ibi aqua. Nam, *In qua ibi aqua*, perſpicuè ſcribitur, & *Perpetuos lumen*, coniecturam affert legendum eſſe, *Perpetuò flumen.* Lacum autem hic intelligo, quo ex flumine ad aquandum aut lauandum aqua excepta eſt, vt quò etiam ex aquæductu, aut fonte recipitur. Terentius: *Apud ipſum lacum eſt piſtrilla.* Horatius: *Omnes geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacúque.* Aliter autem dicitur, vt lacus Lemanus, lacus Larius. Porrò de humore cœperat diſſerere, & de puteo dixerat Varro, vt de lacu etiam, alijſque, quæ eiuſdem ſunt loci, hic tacere non deberet.

*Quod Græcè σαυνὸν*) Ex veſtigijs veteris ſcripturæ repoſui, στηνόν, quod eſt στεγανόν. Hinc etiã Feſtus Pompeius emendandus eſt, in quo idem inoleuit error. Neſcio quid tamen etiamnum reſidet in Varrone vitij, cùm ſcribitur, Quod nomen habet primam: niſi ſi quis literam ſcilicet a. intelligat. Alij Primum, potius ſcribunt, vt Stegnum primùm dictum fuiſſe ſcribat Varro, poſtea ſtagnum. quod equidem verũ puto.

*Qui circum Aternum*) Nam ad Aternum amnem erant Amiternini, quaſi Amaternini, id eſt Circumaternini dicti. *Anceps*) Id eſt, duplex hiſtoria: qua in ſignificatione ancipitem poni declarat Nonius. Pro *De hebri*, in veteri libro *Thebrim* reperi. *Translatio nomine ab hominibus*) Hoc coniunxi cum Sabinis & Lucanis, cùm antè confuſa eſſent, & inordinata, magnaſq; tenebras offunderent: non enim quod ſequebatur, cohæreſcebat. Sunt & nomina ab tot montibus: vbi vetus liber habet, *Nominatum ab tot*, quod adiuuat emendationem ſequentium. Vt autem ab Apulis Apulia dicitur; ita à Sabinis non poteſt

poteſt declinari Sabinia: Quinetiam ætate Varronis in Lucanis potius, quàm in Lucania dicebant: quanquam poſtea Lucaniam etiam dixerunt, quod apud Florum reperitur & alios.

*Latium vtrumque*) Nouum & vetus. Plinius: *Latium antiquum à Tyberi Circeios ſeruatum eſt.* Iterum: *Et vltra Circeios Volſci, Oſci, Auſones, vnde nomen modo Latij proceſſit ad Lirin amnem.*

*Dictus Latium*) Libri vet. *Dictus Latius.* vt ager aruus dicitur, infra more adiectionis, & apud Plautum, non aruus hic, qui arari ſoleat, ſed paſcuus eſt ager.

*Ab Romulo*) Vetus liber, *Ab Romo.* Multi enim à Romo, non Romulo conditam ferunt Romam: Salluſtius ab Ænea: *Vrbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere atque habuere in initio Troiani, qui Ænea duce profugi incertis ſedibus vagabantur.* qua de re multa Pompeius, Plutarchus, alij.

*Peregrinus*) *Peregrinus* (Feſtus inquit) *qui neque Romanus, neque hoſtilis habetur. in Gabino agro.* Sed quod auſpicia habet ſingularia, ex veteri lib. pro Habent, Oſtendit cur in peregrino Gabinus non numeretur, & diſcernatur, quia ſuum quoddam genus auſpiciorum habebat à reliquo peregrino agro diuerſum. Antonius Aug. legit, Peregrinus ſecundum hos auſpicia habens ſingularia ab reliquo. Pro, *Feruntur auſpicia:* in veteri legi, *Seruntur.* Quidni enim dicatur, vt ſerere ſermonem, ſerere rumorem, ſic ſerere auſpicium, cùm etiam lumine arua conſeri dixerit Lucretius, & Plautus, *Conſitus ſum ſenectute.* feruntur tamen ſede non moueo. *Ager dictus*) Vetus ſcriptura, *In qua terra quid agebant, & vnde quid agebant, aut quo fructus cauſa:* à quo id Græci dicunt ἀγρὸν, vt ager, quo agi poterat. Tantùm, *Quod fructus,* &c, *Quod agi poterat*, ſcribitur malè (vt exiſtimo) pro, *Quô.* Ita enim & optimus & perſpicuus ſenſus fuerit.

*In quadratum actus*) Vet. ſcriptura, *In quadratum actum, & latum & longum, eſt C & XX.*

*Vt tribus actibus*) Puto, Vt tribus partibus multiplicatæ idem tenent nomen. Libri ſcripti hìc disertè habent, *Tenent.* Id oſtendit Columella, hunc locum attingens, lib. 5. cap. 1. Centuriam nunc dicimus (vt idem Varro ait) ducentorum iugerum modum: olim autem ab centum iugeribus centuria vocabatur, ſed mox multiplicata nomen retinuit, ſicuti tribus dictæ primùm à partibus populi tripartitò diuiſi, quæ tamen nunc multiplicatæ priſtinum nomen poſſident. Ideò autẽ ducenta iugera centuriam appellauerunt, quòd initiò ſingulis hominibus bina diuiderentur, ita centenis ducentena, vnde centuria. Siculus Flaccus: *Centurijs, quarũ mentionem nunc facimus, vocabulũ eſt datum ex eo: Cùm antiqui Romanorũ agrum ex hoſte captum victori populo per bina iugera partiti ſunt, centenis hominibus ducenta iugera dederunt: & ex hoc facto iuſtè centuria appellata eſt.* Varro De re ruſtica: *Bina iugera, quòd à Romulo primùm diuiſa dicebantur, viritimq́; quod hæredem ſequerentur, hæredium appellarunt: hæc poſtea à centum centuria dicta.* Quo ſanè loco non dicit initio centũ iugerum, vt hic, fuiſſe: nec ſibi vtrobique conſtare videtur. poteſt & ſine partibus legi multiplicatæ.

*Semina*) Seminum nomine veniunt, non tantùm fruges ſatæ, verumetiam ſtirpes & plantæ. Virgilius:

*Mutata ignorent ſubitò ne ſemina matrem.*

*Colles*) Fortaſsè potius à collo quod eminet, quàm à colendo, præſertim cùm etiam δειράδες à Græcis appellari ſoleant ex ea parte: multæq́; notationes aliunde repeti, quam vnde à Varr. accerſuntur, poſſunt.

*Saltus*) Sunt & ſaltus in aſſignatione agrorum quatuor centuriæ coniunctæ. Varro: *Hæ porrò quatuor centuriæ coniunctæ, vt ſint in vtramq́; partem binæ, appellantur in agris diuiſis viritim ſaltus.* Siculus Flaccus, in aſſignatione agrorum viginti quinque centurias, ſaltum appellat. Cùm viginti & quinque centurias, inquit, includunt, ſaltus appellatur. Eſt & ſaltus, ingens mons & eminens iugum, vt ſaltus Pyrenæus, ſaltus graius.

*Quod non plane id*) Negatio ex veteribus libris meritò eſt addita. Significat enim Varro, ſemen ex eo habere nomen, quod ſemimperfectum quiddam ſit, cùm ex eo perfectum quiddam tandem prodeat. Itaq; à ſemi, vt cenſet, dicitur.

*Secta terantur*) Triticum verbi gratia intelligit, non far: far enim in area non tenebatur, cùm extricari ſuis folliculis non poſſet, ſed in piſtrino pinſebatur atque torrebatur. Vnde apud Catonem fiſtula eſt farraria, ad far pinſendum: & per ferias iubet Cato far expinſi, non item triticum.

*Loca pura*) Id eſt, non ædificata, non constructa. Quo fortaſsè modo verba prætoris accipi poſſunt, ſic edicentis: *Si homo mortuus, oſſáue hominis mortui, in locum purum alterius, aut in id ſepulchrum, in quo ius non fuit, illata eſſe dicentur.* Nam cùm ſepulchrum eſt, iam quiddam conſtructum & inædificatum eſt, neq; iam locus purus eſt. Itaq; permirum mihi videtur, quòd ita Prætoris edictum explicet Vlpianus. Purus autem locus dicitur, qui neque ſacer, neq; ſanctus, neq; religioſus eſt: ſed ab omnibus huiuſmodi nominibus vacare videtur. Nos tamen Vlpiano credamus.

*Nouando*) Vt Proſtibile & Proſtibulum à proſtituendo: ſic Reſtibilis ager à reſtituendo dicitur, qui quotannis reſeritur. At noualis eſt, qui alternis annis ſeritur, vt Plinius lib. 18. cap. 19. exponit: quo in capite vt acceſſiuncula huic loco addatur, legendum exiſtimo: In arando verſum peragi, nec ſtrigare in actu ſpiritus: quod magno ſententiæ detrimento mutarunt in, Striare in actu ſæpius. quod me eruditiſſimus huius ætatis Gulielmus Peliſſerius, Monſpeſſuli epiſcopus docuit: vt & apud Senecã ſcriptum eſſe in libris bonis idem mihi dixit, lib. IIII. Epiſtolarum. Rurſus ad honeſta nitentes, quantò magis incubuerint, minuſq́; ſibi vinci & ſtrigare permiſerint, admirabor & clamabo, tantò melior, ſurge & ſpira, & cliuum iſtum vno, ſi potes, ſpiritu exupera. Eſt autem hic Nouare, quod antè proſciſſum fuit, arare. Heſiodus: ἔαρι πολεῖν, θέρεος δὲ νεωμένη οὔ σ' ἀπατήσει. Præcipit enim hoc verſu, vt vere aremus, æſtate nouemus: quod νεῶν Græcè dicitur. Cicero De oratore: *Opus eſt ſubacto mihi ingenio, vt agro non ſemel arato, ſed nouato & iterato.* Alij Noualem interpretantur, qui alternis annis vacet, nouandarum virium gratia. Varro lib. primo De re ruſtica, *Nouale dicit, quod ſatum fuit antequàm iterum renouetur.*

*Aruum*) Vetus lib. *Ager aruus*, vt apud Plautum in Truculento: *Non aruus hic, ſed paſcuus eſt ager.* & à Grammaticis ex Varrone memoratur: Ager aruus, conſitus, paſcuus, florens. Varro De re ruſtica, interpretatur aruum, quod aratum nec ſatum eſt. Alij aruum interpretantur, agrum ſationalem.

*Arationes*) Populi Romani vectigalia erant è portubus, quæ portoria dicebantur: è paſcuis, quæ ſcripturæ: ex arationibus, quæ decumæ vocabantur. Cicero Pro lege Manilia: *Nam cùm hoſtium copiæ non longè*

*abſunt,*



*abſunt, etiamſi irruptio facta nulla ſit: tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura, vectigal conſeruari poteſt.* Proinde mox legendum eſt in eadem oratione, *Quas in ſyluis habent, quas in agris, quas in portubus & cuſtodijs.* nam ſyluas pro paſcuis dicit. Vulgò malè excuſum eſt, *In ſalinis.* Scriptura igitur eſt, vectigal è pecore in ſyluis publicis paſcente. Ac miror aliter explicatum & ab Aſconio, & à cæteris. Plautus:

*Nam aduorſum legem à me ob meam ſcripturam pecudem accepit.*
AS. *Plerìq; idem, quod tu facis, faciunt rei malè gerentes:*
*Vbi non eſt ſcripturam vnde dent, incuſant publicanos.*

Arationes erant agri publici, qui aratoribus colendi dabantur, & tanquam locabantur impoſitis decumis: aut denique agri etiam, qui decumas populo Romano pendebant. Nec tam aratores domini erant, quàm Reipublicæ quidam coloni. Plautus eodem loco:

—— *Male vertit*
*Res pecuaria mihi apud vos, nunc viciſſim volo habere*
*Aratiunculam pro copia hic apud vos.*
AS. *Non*
*Aruus hic, ſed paſcuus eſt ager. ſi arationes*
*Ambituris, qui arare ſolent, ad eos verò ire melius eſt,*
*Hunc nos habemus publicum, illi alij ſunt publicani.*

Sic Arationes & Aratores in Verrem Cic. ſemper appellat agros decumanos, & eos qui agros illos colebant, vt in 4. Aratores inimici ſunt propter decumas. quid? qui agros immunes liberoſque arant, cur oderunt? Iterum: *Qui ſit iſte Verrutius mercator, an arator, an pecuarius?* Hic eos complexus eſt, qui portorium, decumam, ſcripturam pendebant. Rurſum: *Sine cuiquam ordini, ſine aratorum, ſine pecuariorum, ſine mercatorum probatus ſit.* Itaque ne domini quidem verè cenſebantur aratores, & illis agri adimebantur interdum, coloniſque aſſignabantur: vt ager Campanus lege Iulia aratoribus ademptus eſt, & colonis aſſignatus. nam Capuæ aratores erant. Cicero in Rullum de Capua: *Vt aratores cultu agrorum defeſſi, vrbis domicilijs vterentur, idcirco illa ædificia non eſſe deleta.* Rurſum: *Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cellam & horreum Campani agri eſſe voluerunt.*

*Sulcus*) A Græco deduci videtur, ὁλκὸς & multæ notationes aliter, quàm à Varrone informari poſſunt. In libro De re ruſtica, ſulcum interpretatur, qua aratrum vomere lacunam fecit. Quinto ſulco ſerere, aut ſexto, aut etiam nono, dicunt ſcriptores, pro ſerere quinquies aratum agrum, aut ſexies aratum, aut nouies. Deriuat Varro ſulcum à verbo ſuſtollo.

*Porca*) Porcam in lib. De re ruſtica, à porriciendo oriri cenſet, vt exta Dijs porrici dicuntur. Columella: *Liras à ruſticis vocari eaſdem porcas, cùm ſic aratum, vt inter duos latius diſtantes ſulcos medius cumulus ſiccam ſedem frumentis præbeat.* Eo genere arationis in Gallia nonnullæ prouinciæ vtuntur, ne vligine ſoli ſata vitientur. Idque ſulco arare, Gallicè appellamus. Hic pro, *Proiecta*, quibuſdam in libris ſcribitur *Porrecta.*

*Largitatur ad aream*) Non ad fenile, vt prata largitur, ſed agros frumentarios. Sulpitius fortaſsè is fuit, qui loquitur in libris Ciceronis De oratore, qui Tribunus plebis ſeditioſus fuit. Vetus liber, Diuidit enim eos eius, ſcribit Sulpitius, fortaſsè, *Eos Seius*, ſcribit Sulpitius. ac Seruius Sulpitius iuriſconſ. intelligitur.

*Prædia*) Alij à præuidendo deducunt. Non ſolùm prædia obligabantur, cùm quis quid de publico conducebat, ſed etiam prædes: ac prædes ipſi cum prædijs, ſi mancipes & publicani non eſſent ſoluendo, vendebantur. Cicero in Verrem: *Vbi illa conſuetudo in bonis prædibus, prædijſque vendendis omnium conſulum, cenſorum, prætorum? Prædia*, inquit Aſconius, *ſunt res ipſæ: prædes homines, id eſt, fideiuſſores, quorum res Bona prædia nunc vno nomine dicuntur.* *Vbi nunc Roma eſt*) Coniunxi cum eo quod malè diſtractum fuerat, hunc in modum: Vbi nunc eſt Roma, ſeptimontium nominatum, ab tot montibus. vt ſententia flagitabat. Nam Roma, vt eſt apud Poëtam, —— *Septem vna ſibi muro circumdedit arces.* Vnde & Septimontium, feriæ quædam, à ſeptem montibus. *Saxum Tarpeium*) Pars erat montis Tarpeij, id eſt, montis Capitolini, vnde nocentes deijciebantur. Plut. Πλὼ πέτραν ἔτι νῦν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ Ταρπηΐαν καλοῦσιν, ἀφ' ἧς ἐρρίπτουν τοὺς κακούργους. Ex eo periuros præcipitatos aliquando fuiſſe legimus: nam periurio grauiſſima pœna conſtituta erat. Sed & indicta cauſa Catinus Trib. pleb. Metellum Macedonicum meridie vacuo foro & Capitolio rapuit, vt de Tarpeio præcipitaret: quod à Plinio relatum eſt. M. etiam Manlius de ſaxo Tarpeio à Tribunis deiectus fuit: & eo, vt reor, genere pœnæ etiam Tribuni vtebantur in eos, à quibus ipſorum ſacroſancta poteſtas imminuta fuiſſet. Dicebatur & Saxum. Horatius: *Deijcere e ſaxo ciues.* Scribit Plutarchus à Patrobio & Vitellij ſeruis caput Galbæ deformatum & illuſum, abiectum eum in locum, vbi interfici ſolerent ij, de quibus à Cæſaribus ſupplicium ſumeretur: eum autem locum, Sextertium vocari. Legimus eos, qui interficiebantur, ſæpe tractos ad Gemonias fuiſſe: ἀναβαθμοὺς appellat Dio. De Sextertio nihil vnquam præterquàm eo loco legi: ac fortaſsè ſic locus ille appellatus fuerit de ſpatio ambitus ædium, qui Seſtertius pes dicebatur, id eſt, duo pedes ſemis, vt à Verrio ſcribitur.

*Saturnia*) Totam dicit Dionyſius olim Italiam, Saturniam terram vocatam fuiſſe, his verbis: καὶ ἄλλη δὲ ἡ σύμπασα, ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τούτῳ ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη. Antiquum autem oppidum Saturniam illic fuiſſe, vbi Roma eſt, ſcribit Virgilius:

*Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*

*Pandana*) Quæ ſic dicta eſt, vt ait Verrius, quòd ſemper pateret. Quem autem Iunium dicit, is eſt Iunius Gracchanus, cuius apud Plinium mentio eſt.

*Maximè puto ab aduectu*) Malè veteres libri, *Ab aduentu*, niſi fallor. Quòd ea quà tũ dicitur Velabrũ, & vnde eſcendebant ad imam nouã viam locus ſacellus. Labrũ paulò pòſt habebant libri veteres: ex quibus totũ locum emendaui, Quod de aqua tum, dicitur velabrũ, & vnde eſcendebant ad imam nouã viam locus ſacer velabrum.

velabrum. Velabrum autem maius fuit, de quo hoc in loco Varro, & minus, de quo infrà. Ab ijs palus fuit in minori velabro: à quo quòd ibi vehebantur lintribus velabrum, vt illud maius, de quo ſuprà dictum eſt. Velabrorum meminit Propertius:

*Qua velabra ſuo ſtagnabant flumine, quaque*
*Nauta per urbanas velificabat aquas.*

Antonius Auguſtinus hîc ſcribit: Ad rumam noua via lucus eſt, & ſacellum Larum, cùm in veteribus libris ſacellus labrum ſcriptum extet. In velabro autem ſacer locus erat, quod Velabrum dicebatur, vt Varro libro ſequente tradet: Accæ Larentiæ ſacrificium fiebat, qua in nouam viam exitur. Veteres porrò *Eſcendo* pro aſcendo dicebant, vt hic Varro: & Liuius, A. d. X. Calend. Octob. ludorum Romanorum 2. die C. Licinio conſuli ad quadrigas mittendas exſcendenti, tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, reddidit laureatas literas: quadrigis miſſis conſul currum aſcendit. Varro alio loco *è vinea in arbores eſcendit vitis:* iterum, *in carnarium eſcendat.* Velabrum, ſunt qui non à vehendo, ſed à velis deducant, propterea què viam ad Hippodromum ferentem è foro ſolerent ludis intendere velis.

*Vellaturam*) Quod de nauibus homines traijcientibus hic dicit, dicit de vecturis plauſtrorum in lib. 1. De re ruſtica. Item: *Dicuntur qui vecturis viuunt, vellaturam facere.* Plutarch. τὴν δὲ πορθμίαν βηλατοῦραν καλοῦσιν, id eſt, tranſuectionem autem velaturam appellant.

*Quadrantis ratiti*) Veteres libri, *Ratici*: quod non ita probo, adductus Pompeij auctoritate, qui ſcribit Ratitum quadrantem dici, quòd in eo & triente, ratis fuerit effigies, vt nauis in aſſe. quod & à Plinio ſcribitur, his verbis: *Nota æris fuit, ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis: in triente verò & quadrante, rates. Quadrantis ratiti,* finis eſt verſus hexametri. Ratitus, rati notatus & inſignitus dicitur, id eſt, ratem habens.

*Tum Argeorum ſacraria*) Argei loca erant in vrbe, vbi ſacra fiebant, à Numa conſecrata. Liuius lib. 1. *Locaque ſacris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant, dedicauit.*

*Suburana*) Hæ quatuor regiones, Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, poſtea quatuor tribus vrbanæ fuerunt. Erat autem omnium tribuum prima Suburana, pro qua Ocriculana irrepſit in orationem ſecundam in Rullum. In bonis enim libris veteribus legitur, *In dena iugera deſcribat ab Suburana vſque ad Arnienſem.* vt Suburana ſit prima tribus, Arnienſis vltima. Conqueritur enim illic Orator ordinem tribuum à Rullo negligi.

*Vibenno*) Libri ſcripti, *Cele vibenno.* Cælius à Dionyſio vocatur: ὧν ἐφ' ἑνὸς ἡγεμόνος ἐκ Τυῤῥηνίας ἐλθόντος, ᾧ Καίλιος ὄνομα ἦν, τῶν λόφων τις, ἐν ᾧ καθιδρύνθη, Καίλιος ἐς τόδε χρόνου καλεῖται.

*Thuſcus*) Liuius ſcribit, *Profligatis ab Aricinis Hetruſcorum copijs, Porſena rege, benignè qui cladi ſuperfuerint, exceptos eſſe Romæ, nuntiatáque ſuis hoſpitalium beneficiorum benignitate, multos vrbis charitate captos, Romam migraſſe, eiſque locum ad habitandum datum, qui Tuſcus vicus appellatus ſit.* Ita Liuio cum Varrone non conuenit. Verrius etiam aliter, qui Tuſcum vicum dicit eſſe nominatum ab ijs Tuſcis, qui recedente ab obſidione vrbis Porſena remanſerant.

*Vertumnum*) Vertumnus apud Propertium ſe Tuſcum his verſibus dicit:

*Tuſcus ego, & Tuſcis orior, nec pœnitet inter*
*Prælia Volſcinios deſeruiſſe focos.*

*Quatriceps*) Quatuor habens vertices, interpretatur Volaterranus, qui Quatricepſis legit, vt infrà *Tricepſis*, & *Quinquecepſis*, vbi veteres lib. *Tricepſois* & *Quitincepſois* habens. Sed legendum, *Quarticeps, Terticeps, Quinticeps,* quòd Quartus, Tertius, Quintus, ſit mons & caput: ac perſpicuè oſtendunt ea quæ de exquilijs ſcribit, ad ordinem iſta eſſe referenda. Sacrarium hic dicit, vnum ex Argeis, vt ſuprà expoſuimus. Mineruium eſt templum Mineruæ, vt Dianium, templum Dianæ: Mineruium etiam à Victore, vel vt alij volunt, Ruffo ponitur in IX. vrbis regione. Tabernola, pars quædam in vrbe ad Cælium montem. Ceroniam autem dici putat Varro à κάρα, quod caput eſt, niſi fallor. Sacram autem viam ſcribit Pompeius appellandam eſſe à regis domo ad ſacellum Streniæ, & rurſum à regia vſque ad arcem. In quo auctore Sereniæ, pro Streniæ, malè legitur, vt hic locus indicat. Idibus autem ſacerdotes ſacra in arcem ferebant ad ſacrificandum, quæ ſacra Idulia vocat Pompeius. Ad eam conſuetudinem ſic alluſiſſe videtur Horatius:

*—— Dum Capitolium*
*Scandet cum tacita virgine Pontifex.*

*Suc tertia litera c non b*) Idem ſcribit Pompeius: ſed & Quintilianus lib. 1. cuius hæc verba ſunt: *Et Suburra cùm tribus literis notatur, c tertiam oſtendit.* Nam cùm ſcribebatur notis, tribus literis exprimebatur, *Suc*, etiam Varronis ætate. Auguſtinus hic legit, *Tertia litera b non c.*

*Et Larium querquetulanum ſacellum*) Puto legendum, *Larum querquetulanũ*, vt apud Liuium *Larum permarinum.* Nam querquetulum illic erat, & Larum ædes. Cælius etiam mons querquetulanus, à querna ſylua vocatus fuit. Quos Lares querquetulanos vocat Varro. appellare videtur Nymphas querquetulanas Pompeius. Mox libri veteres, Meficis habent: ego Mephitis rectum puto, vt & emendauit Auguſtinus. Virgilius: —— *ſæuámque exhalat opaca mephitin.* Eſt autem interdum putor, interdum Dea, quæ Iuno cenſetur à quibuſdam, grauis odoris præſes. Pro, Vna eſt, ex veteribus libris correxi, Viæ eſt, eleganti ſententia.

*Ciſpius*) Quidam libri, *Ciſpeus.* Ciſpius (inquit Pompeius) in vrbe, Exquiliniæ regionis, de nomine cuiuſdam hominis dictus. Duo montes erant Exquilijs, Oppius & Ciſpius. *Oppius* (inquit Feſtus) *appellatus eſt ab Oppio Tuſculano, qui cum præſidio Tuſculanorum miſſus ad vrbem tuendam, dum Tullius Hoſtilius Veios oppugnaret, in Carinis conſederat, & ibi caſtra habuerat. Ciſpius à Ciſpio Anagnino, qui eiuſdem rei cauſa eam partem Eſquiliarum, quæ iacet ad vicum patricium verſus, in qua regione ædis Mephitis eſt, tuebatur.* Sic hæc in Feſto coniungi



iungi debent, quæ miſerè diſtracta ſunt, vt intelligi non poſſint. Cùm autem ſcribit Varro, *Exquilijs lucum fagutalem, ſubaudire oportet,* Habet, aut quiddam tale.

*Princeps*) id eſt, primum caput, & primus mons Exquilinæ regionis.

*Terticeps*) Id eſt, tertium caput & tertius collis, tertium iugum.

*Dexterior via*) Fortaſsè melius, Dexteriore via, auferendi caſu, vt paulò antè, Siniſtra, auferendi caſu dicebatur. Quod mox additur, *In ſingulis eſt*, puto deprauatum eſſe, pro, *Exquilijs eſt*: vt & paulò pòſt, *Ex quibus eſt*, pro, *Exquilijs eſt*, aut. *Exquilinus eſt*, vt in veteri libro.

*Septimus mons*) Vetus liber, *Sceptius mons*: quod verius puto. Lucum Petilium, lucum Petilinum vocat Victor. Auguſtinus Oppius legit: quidam Ciſpius.

*Viminio*) Victor: *Vimineo.* alij libri, *Vimino.* Pro, *Qui quòd ibi vimineta fuerunt*, alij libri, *Vimina nata fuerunt.*

*Aduerſum eſt pilonoris*) Varia hic coniectura diſtractus fui, animumq; huc & illuc diuiſi. Nam modò legendum putaui, *Aduerſum ædem Honoris, ædem Salutis*: modò, *Aduerſum eſt, Appollinis ædem, Salutis.* Nam Apollinis ædes in Quirinali erat, vt ſcribit Victor. Exiſtimaui etiam commodius aliquando legi poſſe, Aduerſum eſt pilam Horatiam. Nam angularis erat in foro columna, ſpolia Curiatiorum habens, vt Dionyſius ait, quæ pila Horatia vocabatur. Dionyſius: τὴν δὲ ἐπίκλησιν ἡ στυλὶς φυλάττει τὴν αὐτὴν Ὁρατία καλουμένη πίλα. Meminit & Liuius. Potuit enim è regione eſſe montis Salutaris. Sed vt omnes meas coniecturas perſcribam, mihi veſtigia veteris ſcripturæ rimanti deſiderari literam vnam, & duas tranſpoſitas eſſe, tandem in mentem venit, legiq; debere cenſeo, Aduerſum eſt Apollinaris: vt ſit, eſt è regione Apollinaris collis, vel Apollinaris vicus, cuius meminit Victor: quanquam illud alterum magis probo de colle Apollinari, in quo Apollinis ædes erat. Eſſe enim potuit collis Apollinaris, vbi templum Apollinis erat.

*Habere ſolet*) Solet habitare. Dius autem Fidius, quem Græci πίστιον interpretati ſunt, ſanctiſſimè colebatur, & iuſiurandum eius nomine conceptum religioſiſſimum & ſanctiſſimum erat: adeò vt ſenex apud Comicum, quem ſeruus enixiſsimè obteſtatus erat, obteſtationem eius inſtar iuſiurandi nomine Dij Fidij concepti eſſe dicat. Ait enim, *Per Dium fidium quæris, iurato mihi video neceſſe eſſe eloqui quicquid roges.*

*Muſtellario*) Sic Auguſtinus ex veteribus, vt reor, libris: *Inſtellario*, tamen vetus liber habebat. Meminit muri muſtelleni Pompeius in Mutinitini ſacello: ſed aliud eſt. Quod ſcriptum erat in excuſis libris Turaculum, in ſcriptis reperi Auraculum: ſuppleui ſyllabam, & Auguraculum edendum curaui. Locus enim erat, vnde augures captabant auguria & auſpicabantur. Pompeius Auguraculum, arcem dicit eſſe, quòd inde auſpicarentur augures. Nam & in arce inaugurabant, vt Varro dixit, & in arce apud Liuium inauguratur Numa. Victor auguratorium appellat, & in Palatio collocat. Ex Carinis quoq; nonnulli ſunt, qui captata fuiſſe auguria tradant. Eſt autem auguraculum, quod Græcè dicitur οἰωνιστήριον. Scribis Higinus de caſtris metandis, in caſtris etiam Romanorum auguraculum fuiſſe, vbi duces auſpicijs operam dabant. Id Augurale vocat Tacitus lib. 2. *Nocte cœpta egreſſus augurali per occulta & vigilibus ignara.* Quod autem dicit Varro, *Ædificium ſolum eſt*, puto hanc ſententiam continere, nulla illic delubra & fana eſſe, ſed tantùm priuata ædificia.

*Qui appellatur palatium*) Ager ſic dicebatur: & vrbs Aboriginum etiam in agro Rheatino erat Palatium nomine, 25. ſtadijs à Rheate diſtans, vt auctor eſt Dionyſius, qui priſcos illos Latinos ait Aborigines ad Latini ætatẽ vocatos eſſe: tum enim Latinos appellari cœpiſſe: Aborigines autem vocatos fuiſſe vel à montibus, qui Græcè ὄρη dicuntur, vel ab errore, quaſi Aberrigines, vel potius quòd ſint tanquam auctores generis, id eſt, γενάρχαι καὶ πρωτογόνοι. Nam & Origines Salluſtius appellauit μητροπόλεις vrbes, quæ colonias miſerunt, & populos auctores generis: hæq; breui, inquit, multum auctæ, pars Originibus ſuis præſidio, aliæ decori fuere. Μητρόπολιν etiam elegantiſſimè, maiorem patriam vocauit Curtius, his verbis: Syracuſis id ſimulachrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria.

*Cermalum*) Pompeius: *Cermalus* (inquit) *locus in vrbe ſic nominatus.* nec aliud addit. Plutarch. in Romulo: Κατήνεγκεν εἰς χωρίον ἐπιεικῶς μαλθακόν, ὃ νῦν Κερμανὸν καλοῦσι, πάλαι δὲ Γερμανόν, ὡς ἔοικεν, ὅτι καὶ τοὺς ἀδελφοὺς γερμανοὺς ὀνομάζουσιν, id eſt, In locum valde mollem detulit, quem nunc Cermanum vocant, olim Germanum, vt apperet, quòd fratres germanos nominant. Ita Cermanum pro Cermalo ſcribit Plutarchus, aperteq; oſtendit, vt & Pompeius, per C. ſcribi debere, non, vt in omnibus Varronis libris, per G. In epiſtola autem tertia lib. 4. ad Attic. vbi ſic legitur: *Nam Milonis domum, meamq; Ceramio prid. Id. Nouemb. expugnare & incendere ita conatus eſt*: mendoſum reor, & Cermalo emendandum. Habitabat enim Cicero in Palatio: ac perquam leuis fuerit iſta mutatio, quæ certiſſima coniectura nititur.

*Veliæ*) Fragmenta quædam circunferuntur Catonis nomine, in quibus ſcribitur, Veliam eſſe, alteram partem montis Palatini, à vellenda lana appellatam, ante monſtratam ab Hetruſcis tonſuram.

*Vellera*) Vetus lib. *Vellemera.* In libris De re ruſtica, *Vellera* & *Vellimina*: verbis priſcis vtitur magis quàm delectatur Varro, vt ſuprà dixit. Vellimia à vellimen recto, vellemera inſolens omnino & inauditũ magis.

*Tribus appellatæ*) Non tribus, ſed centurias fuiſſe equitum Liuius ſcribit: cui hac in re cum Varrone minimè conuenit. Aſtipulatur Liuio Horatius, cùm pro equitibus dicit,

*Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.*

Quid autem vetat ſic appellatas fuiſſe equitum centurias & agri partes? Dicuntur autem Tatienſes & Titienſes, vt quos Varro ſodales Titios nominabit, appellat & Lucanus hoc verſu,

*Septemuirq; epulis Feſtis Titiiq; ſodales.*

Alij etiam Tatios vocant. Etiam Tatienſes vocat Propertius Tities,

*Hinc Tities, Ramneſq; viri, Lucereſq; coloni.*

Hic quibuſdam in libris legitur *Taties & Rhamnes.* Tatienſes nomen habent à Tito Tatio.

*Iunius*) Gracchanus cognomento, à Gracchi amicitia, vt ait Plinius, vocatus, qui Commentarios ſcripſerat, multa antiquitatis Romanæ documenta & exempla continentes. Eius lib. 3. De legibus meminit

Cicero. Lucumonem autem, à quo Luceres vocati ſunt, ſcribit Dionyſius veniſſe Romulo auxilio contra Tatium. *Volumnius)* Vetus lib. Voluius.

*Suburana)* Triginta quinque tribus erant, vrbanæ quatuor, triginta vna ruſticæ. Earum certus erat ordo in ferendis ſuffragijs, ac poſt prærogatiuam, quæ ſortitione fiebat, ſuo quæque iure & ordine vocabatur. vnde tribus iure vocatas, exiſtimo appellatas eſſe. Nam & ex hoc Varronis loco colligere facile eſt certum quendam earum ordinem fuiſſe, & ex Cicerone in Rullum, qui conqueritur in agri diuiſione & aſſignatione Rullum incipere à Romilia, neglecto tribuum ordine, id eſt, prætermiſſis quatuor vrbanis, Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, à quibus primis incipere debuerit.

*Etſi Harpocrates digito)* Etſi Harpocrates qui digito premit labrum, ſignificat, ne hæc euulgem: tamen hoc dicam. Plutarchus de eo, quanquam in Plutarcho καρποκράτης malè legitur: Διὸ τῷ σόματι δάκτυλον ἔχει προσκείμενον, ἐχεμυθίας καὶ σιωπῆς σύμβολον, id eſt, Itaque digitum habet ori adpoſitum, ſilentij & taciturnitatis indicium. Proinde ſcripſit Catullus, *Et patruum reddidit Harpocratem.* pro, mutum & elinguem reddidit. Sigalion etiam dicebatur, Auſonius: *Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.* Plutarch. Harpocratem ſcribit filium fuiſſe Iſidis exterricineum, id eſt, ante exactos menſes genitum, quem ἠλιτόμηνον Græci vocant, eundem etiam pedibus debilem. Cùm autem ait, *Etſi Harpocrates digito ſignificat vt taceam, ſentit myſteria & arcana ſacra non eſſe enuntianda.* Qui ſunt Taantes & Aſtarte apud Phœnicas, addidit Auguſtinus de ſuis (vt exiſtimo) codicibus: nefas enim eſt malè ſuſpicari de docti hominis, & in literis religioſè verſantis fide. Taantem Euſebius (ſic enim vocat) dicit eſſe apud Phœnicas Mercurium, qui ab Ægyptijs Thot vocetur. Aſtartem, Venerem: hanc Deam Salomon, veræ pietatis & religionis deſertor, tandem coluit.

*Samothraces)* Varro humanarum rerum libro ſecundo referebat, *Dardanum Deos penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Phrygia in Italiam detuliſſe.* Macrobius ait eos Deos fuiſſe *Iouem, Iunonem, Mineruam:* & Caſſius, *Hemina eoſdem Romanorum penates & Samothracas Deos fuiſſe ſcripſit, eoſque propriè dictos fuiſſe* Θεοὺς μεγάλους. Apud Euſebium lib. 1. Præparationis Euangelicæ, *Samothraces Dij ſunt Caſtor & Pollux, aut Cabiri, aut Corybantes.* Id tamen reprehendit Varro, & ad rerum principia Deos illos reuocat. Tertulianus de Samothracibus hoc ſcribit: *ante eas tres aræ trinis Dijs parent, magnis, potentibus, valentibus: eoſdem Samothracas exiſtimant.* Iuuenalis: *Iuret licet & Samothracum Et noſtrorum aras.* eorum ſacris religioſiſſimis homines initiabantur.

*Ambracia)* Sic Auguſtinus. Alij libri, *Quas Samothracia.* Dionyſius ſcribit, *Æneam veniſſe Ambraciam, & in Actio ædificaſſe Veneri templum & Dijs magnis, qui quidem ſunt Samothraces.* Ita etiam Ambracia meritò retinemus.

*Humidum & frigidum)* De corpore accipio. animæ enim eſt calor & ſiccitas. Itaque mox ſcribet, quod per hos natura frigori miſcet calorem, atq; humori aritudinem. nam animam, vt ſcribet, æther adiugat.

*Pullis)* Ad hunc Ennij locum reſpexiſſe Lucretius videtur, cùm ſcripſit,

*An pecudes alias diuinitus inſinuet ſe,*
*Ennius vt noſter cecinit.*

Parire autem more priſco, pro parere, dixit Ennius. Genus pennis condecoratum, id eſt, per circumlocutionem aues, vt apud eundem Ennium, corpora pennipotentum, ſunt corpora auium.

*Zeno)* Auctor ſectæ Stoicæ, qui certa temporum vice cenſet in ignem omnia deflagrare, deinde ex igne omnia renaſci. Verſus eſt Trochaicus, quem affert ex Ennij Epicharmo. Pro, *Iſque totus mentis eſt*, Auguſtinus legit, *Iſque actus mentis eſt.* Quòd ait innumerabiles & immortales ignes eſſe, de cæli ſtellis interpretor, qui ignes, vt ait, animas generant: ſol autem etiam mentem hominum, vt præſtantiorem, præſtantior & nobilior ignis. Cæterùm verſus eſt Pacuuij è Chryſe, *Mater eſt terra, ea parit corpus, animam æther adiugat*, id eſt, adiungit, vt coniugat coniungit, iugat iungit. *Ex ſe genuerunt)* Vetus lib. *Ex genuerunt.*

*Terram corpus)* Ita vt reperi in Victoriano, & excudendum curaui, hoc ſenſu, Terram ipſam deperire & amare corpus, & mortuo homine corpus recipere quod genuerit, neque quicquam diſpendij facere. Auguſtinus duos verſus integros reponit:

*Eſſe igitur corpus terram, quæ deperit ipſam,*
*Et capit, & neque iam diſpendi conficit hilum.*

hoc ſenſu, Corpus eſſe ipſam terram quæ corpus deperit, & capit homine mortuo, neque quicquam amittit animæ & corporis diſceſſu, cùm anima ſit ab æthere.

*Nati ſit exitus)* Rectè, Quòd natis exitus, inde exitium, emendauit Auguſtinus.

*Vbi nimius)* Vbi minus ardor, codex Victorianus, bono ſenſu: nam minus calet hyems, nimis humida eſt æſtas. nimius tamen malim. *In limine)* Plutar. in Problematis quærit, quamobrem apud Romanos noua nupta ignem & aquá tangere cogebatur, & rationem commemorat, Varronis verbis conſentaneam.

*Iunctione ſumit Venus hinc comicus)* Vetus, *Iunctione ſuis Venus, comites hinc.* lego, *Iunctionis vis, Venus: comites hinc.* vt Varro Venerem à vi ignis & aquæ coniunctionis dictam ſcribat, ac proinde in nuptijs ignem & aquam comites eſſe Veneris dicat. Mox lego, Comicus victrix Venus: vt ab aliquo comico ſic vocatam Venerem intelligamus. *Sed vincire)* Victricem eſſe dictam ait, non tam à vincendo, quam à vinciendo: vt & mox Victoriam, quod ſuperati hoſtes vinciuntur, dici putat, quod mirum fortaſſe videatur.

*Malam viere)* Malaci, id eſt, molles, vetus: fortaſsè etiam, *Malacam*, legi poſſet, id eſt, mollem. Sic in Bacchidibus Plautus, *Malacum pallium* dicit. hic verſus apud Cenſorinum valde deprauatus eſt, vlt. cap.

*Palmam)* Putem potius à ſimilitudine palmæ humanæ, vt & Palmites. In libris de re ruſtica, Palmam in vitibus à pariendo deducit, his verbis: *Poſterior, quo ea vitis immittitur, ad vuas pariendas, dicta primò videtur à pariendo parilema, exin mutatis literis, vt in multis, dici cœpta palma.* Ita Varro ſibi non ſatis conſtat.

*Significantes)*



*Significantes)* Excuſi libri, *Significantes Veneris:* vetus, ſignificant ſe veris: fortaſsè, *Eſſe veris.* nam ver maximè eſt genitale. Et paulò antè, Natura potius ver expectat. Auguſtinus Veneris tollit.

*Saturnus)* Ab ſatu dicitur Varroni, vt Nocturnus, qui apud Plautum Deus eſt noctis, à noctu. Ciceroni Saturnus, quòd ſaturetur annis, appellatur quòd Deus is conuerſiones & ſpatia temporum contineat. De Cereis Saturnaliorum ſcribit Macrobius. *Ops)* Macrobius de Saturno & Ope: quos etiam nonnullis cœlum & terram eſſe perſuaſum eſt, Saturnumq; ab ſatu dictum, cuius cauſa de cælo eſt: & terram Opem, cuius ope humanæ vitæ alimenta quæruntur: vel ab opere, per quod fructus, frugeſq; naſcuntur.

*Iſthic eſt is)* Verſus ſunt trochaici. *Negant ſub tecto)* Cato apud Nonium: *Itaq; doni ritu noſtro, qui per Dium fidium iurare vult, prodire ſolet in compluuium.* Idem de quadam Dea dicit Plinius, quam tamen non nominat, his verbis: Seiamq; à ſerendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulachra in circo videmus. Tertiam ex ijs nominare ſub tecto religio eſt. In Plinio putem legi debere, vt libri ſcripti habent, *Seriam, Seſſiam* Tertulianus vocat, Macrobius *Saiam*, vt Segeſtam Segetiam; aitq; ſi quis nominaſſet Salutem, Semoniam, Saiam, Segetiam, Tutelinam, ei ferias obſeruandas fuiſſe. Tertia illa Dea, quam religioſum erat ſub tecto nominare, Tutelina (vt reor) erat. Tertulianus de circo loquens: Delphines Neptuno vouent, Columnas ſeſſias, à ſementationibus: meſſias, à meſſibus: Tutulinas, à tutelis fructuum ſuſtinent. Ante eas tres aræ tribus Dijs parent, magnis, potentibus, valentibus: eoſdem Samotracas exiſtimant. Hic locus & ad ea pertinet, quæ antè Varro de Samothracibus diſſeruit, & Dearum, quas in Circo fuiſſe Plinius dixit, columnas memorat, & verſum Iuuenalis illuſtrat, *Conſulit ante phalas, delphinorumq; columnas.*

*Sanctum)* Sillius: *—— Pars ſanctum voce canebant*
*Auctorem generis, pars laudes Sabe canebat*
*Ore tuas. ——*

Deus ille Sabinorum à Romanis Sanctus vocabatur, à Sabinis ipſis Sancus. Itaque hìc nonnulli libri veteres habent *Sancus*, alij *Sangus.* In fragmento Catonis ſcribitur, *Sangum gentilem Sabi*, pronuntiari à Sabinis, *Sanctum* à Romanis. propter viam fit ſacrificium, ait Verrius, quod fit proficiſcendi gratia Herculi aut Sanco, qui ſcilicet idem eſt Deus. Qui me locus admonet, vt locum Catonis apud Macrobium emendem, in quo legitur *Pteruia*, pro *Propter viam.* Verba Macrobij ſunt: *Sacrificium apud Veteres fuit, quod Propter viam vocabatur.* In eo mos erat, vt ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis locus eſt: *Namq; Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & nouiſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, propter viam feciſſe dicebat: quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.* Simile eſt illud Plauti, vt reor, in Rudente: *Propter viam illi ſunt vocati ad prandium.* Sanctum Herculem dici à ſanciendo dicit Propertius:

*Nunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem:*
*Sic ſanctum Tatiæ compoſuère Cures.*

*Dieſpiter)* Dieſpiter eſt Iuppiter, diei pater, vt exponunt interpretes Horatij, illo verſu:

*Namque Dieſpiter Igni coruſco nubila diuidens.*

Gellio etiam Dieſpiter, eſt Diei & lucis pater: vnde & Diiouis & Lucetius, inquit, dictus eſt, quòd nos die & luce, id eſt, vita afficeret & iuuaret. Dieſpiter etiam eſt infimus aër, & Iupiter infimus, id eſt, Dis pater, qui & infernus Iupiter dicitur, vt Proſerpina eius vxor, Iuno inferna. Aboriuntur autem dixit, pro intereunt. *Finis ortus)* Vetus, *Finis orcum.* Itaque legendum ferè putem: *Finis orcum, orcus dictus.* vt Orcum pro loco dicatur ab eo in neutro genere, quanquam etiam in maſculino dicitur frequentius Orcus, vt & pro Deo. Nam infimus dieſpiter eſt orcus, id eſt, Pluto, qui infernus Iupiter vocatur, vt eius vxor Proſerpina, inferna Iuno. Virgilius: *Iunoni infernæ dictus ſacer.* Orcius theſaurus inferi in epitaphio Næuij. ortus tamen à me non ſummouetur.

*Noctiluca)* Horatius: *Ritè creſcentem face noctilucam.*

Hoc cognomine colebatur in Palatio Luna, & noctu in eius templo lampades lucebant. vnde libro 5. ſcribit Varro, *Noctiluca lucere, ab luce, quod propter lucem amiſſam is cultus inſtitutus.* Apud Varronem etiã in Marcipore, *Noctiula fax erat*, vt coniicio cum ſcripſit, *Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reuiuiſcit.*

*Apollinis vocabulum)* Dicit Apollinem vocabulum eſſe Græcum, Dianam Latinum.

*Et hinc quod Luna)* Quidam, non omnino malè legunt, & hinc quòd Diuia, quia ſequitur mox Diuiana, ſed Diuiana Dianæ originem ſatis exprimit. Quærit enim cur Diana vocetur, quod nomen Latinum eſſe dixit, ac Dianam à duplici via, & ab eundo dupliciter in altum & latum vocari cenſet, quaſi diuianam & diuiam. Nigidius tamen apud Macrobium Dianam, Ianam interpretatur.

*Proſerpens beſtia)* Verſus eſt Plauti in Penulo: *Biſulci lingua quaſi proſerpens beſtia.* Et idem Comicus in Aſinaria ſcribit: *Fac proſerpentem beſtiam, duplicem vt habeam linguam.* Vbi Proſerpens beſtia, eſt ſerpens.

*Altera terra)* Sic è libro ſcripto reſtitui. Nam, vt ſcribit Cicero, Xenophanes habitari in luna putauit, eamq; terram multarum vrbium eſſe & montium. Hic igitur Varro ſignificat terram eſſe quandam lucentem. Nomen autem Iunonis multis Deabus Latini tribuebant. Sic Iuno vocabatur Iouis coniux: ſic Proſerpina, quæ (vt dixi) Iuno inferna vocabatur: ſic, vt virorum genij mulierum Iunones erant, vt apud Petronium iurat meretricula, *Iunonem meam mihi iratam habeam.*

Et apud Iuuenalem de viro muliebria patiente, & molli, *Et per Iunonem domini iurante miniſtro.*

Iuno etiam Lucina, Diana eſt, quam parturientes inuocabant, vt apud Terentium pariens Glycerium, Iuno Lucina fer opem, clamat. *Vt qui denaſcitur)* Id eſt, qui moritur. Aliter, Quod denaſcitur. Scindit autem, eſt penetrat, ingreditur, penitus ſubit. quidam legunt gignit.

*Et fulgur quod fulmine)* Puto, Et fulguritum, quod fulmine ictum. Plautus Trinummo: *Nam fulguritæ ſunt hic alternæ arbores.* id eſt, fulmine ictæ. Auguſtinus legit, *Et fulgurq; fulmine ictus Phaeton.*

*Contrarijs Dijs)* Vt Dijs qui aquæ præſunt: ſunt enim contrarij ijs, qui præſunt igni. nam de Dijs aquæ hic enucleat.

*Iuturna)* Seruius dicit Iuturnam, fontem eſſe in Italia ſaluberrimum, iuxta Numicum amnem, vnde Romam ad omnia ſacrificia afferri aqua ſoleret. Maro Nympham ſororem Turni fuiſſe canit. Templum Caſtoris ad lacum Iuturnæ Romæ erat:

*Fratribus ille Deis fratres de gente Deorum*
*Circa Iuturnæ compoſuêre lacus.*

ſed & ædes Iuturnæ, erat ad aquam Virgineam. *Vt Tiberinus)* Deus & genius Tiberis. Cic. lib. 3. De Natura Deorum: *Tiberinum Spinenem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.* In Cicerone legerem libenter Anienonem ab Aniene amne, quanquã eius Deum Anienum vocat Papinius:

*Illis ipſe antris Anieni fonte relicto.* & Propertius:
*Acceſſit ripæ laus, Aniene, tuæ.*

*Velinia)* Nympha, quæ Velino lacui præſidet. In veteri ſcribitur, *Ab lacu Velini.*

*Comitiæ)* In lacu Cutilienſi inſulam eſſe, quæ huc illuc vagetur, commemorat Macrobius, & Dionyſius his verbis refert: οἱ δὲ πελασγοὶ, τυγχάνουσι δὲ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ κοτύλην πόλιν Ἀβοριγίνων αὐλισάμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης. ὡς τήν τε νησῖδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην καθέμαθον, &c. Id etiam oraculum ſignificat, ἠδ᾽ Ἀβοριγινέων κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται. Meminit & Plin. lib. 2. In libro ſcripto reperi Lymphæ comitiæ. quidam etiam Commotiæ legunt.

*Neptunus)* Ciceroni Neptunus, à nando dicitur, lib. 2. De Natura Deorum.

*Salacia)* Cicero in Timæo, quam Græci τηθὺν vocant, Salaciam eſt interpretatus, vbi ſcribit, *Oceanum & Salaciam cæli ſatu, terræq; conceptu generatos atq; editos.* Ea, vt Varro cenſet, à Salo dicitur, vt & inſula, quòd in Salo ſit. *Venilia)* Venilia Nympha Amatæ ſoror, Turni mater, vt Turni ſoror Iuturna. Maro:

*Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.*

*Quod ille dixit)* Apud Plautum initio Ciſtellariæ, *Itaq; ventum gaudeo,* emendauit illinc Auguſtinus rectè: cùm in Varronis libri, *Ventum gaudet,* legeretur. In Varrone legitur, *Quod ibi dixit.* In Plauto quod ille, & melius. *Polluces)* Plautus vſurpauit in Bacchid. *Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules.*

*Nouenſides)* Horum ſæpè meminit Liuius. Sed & Arnobius hunc in modum qui ſint explicat: *Nouenſiles Piſo nouem Deos eſſe credit in Sabinis apud Trebiam conſtitutos: hos Granius muſas putat, conſenſum accommodans Ælio.* Nouenariũ numerum tradit Varro, quòd in mouendis rebus potentiſſimus habeatur & maximus: nouitatum Cornificius præſides, &c. Pro, *Feronia,* libri ſcripti, *Cerronia* habent, malè, vt reor. Huius Deæ meminit Flaccus, *Ora manuſq; tua lauimus Feronia lympha.*

*Laram)* Non ſatis eſt plana hæc libri veteris ſcriptura, Dicimus Heccalem: vnde fecerunt multi, Dicimus Herculem. quod fortaſsè verum eſt. Laram ſcribit Antonius, vt opinor, è veteribus libris, quod ſi eſt, ea veriſſima ſcriptura ſit. Lara autem eſt Larum mater, inquit Lactantius, quæ eadem etiam Muta & Larunda dicitur. Auſonius, *Nec Genius domuum Larunda progenitus Lar* alijs Larum mater eſt, Mania.

*Vouit Opi)* Eadem ferè apud Dionyſium verba ſunt: Τάτιος δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ καὶ κρόνῳ καὶ ῥέᾳ, πρὸς δὲ τούτοις ἑστίᾳ καὶ ἡφαίστῳ καὶ ἀρτέμιδι, καὶ ἐνυαλίῳ, καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν ἐξειπεῖν τὰ ὀνόματα ἑλλάδι γλώττῃ. Quam autem Varro Opem appellat, Rheam dicit Dionyſius: quem Quirinum, Enyalium. Martem enim Quirinum intelligit Varro non Romulum.

*Clocianæq;)* Cloacinæ ſimulachrum (inquit Lactantius) in cloaca repertum Tatius conſecrauit: & quia cuius eſſet effigies ignorabat, ex loco illi nomen impoſuit. Septimius Florens, adyta Cloacinæ ludens cùm dicit, cloacam intelligit, his verbis, in libro De pallio: *Sed omnino totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detuliſſet.* Veneris Cluacinæ meminit Plinius, quæ ex eo nomen habebat: quòd Cluere lingua antiqua eſſet pugnare. Illic autẽ erat eius ſignũ, vbi depoſitis armis ſe Romani & Sabini purgauerant myrtea verbena.

*Alites alij)* Videtur legendum, *Ab alis.* Nam ab alis alites dicuntur, vt volucres à volatu.

*Galeritus)* Alij fœminino genere Galeritam, Græci κορυδὸν. ſed & κορυδαλίδα, quam & ἐπιτυμβίδα Theocritus cognominat, quòd tanquam tumulum in capite habere videatur.

*Greges gergera)* Quid hic ſibi velit Varro, equidem neſcio. γέργυρα fortaſsè legendum: quæ vox Græcis nonnullis multa ſignificat, vt inde grex videatur fortaſsè Varroni deduci. Eſt & γέργερος, guttur. Quid ſi dicat quædam auium nomina eſſe Græca, vt grus, γέρανος? quod mihi verius videtur. Itaq; potius legendum cenſeam, vt quædam Græca, vt grues, γέρανοι. eſt & Crex auis nomen Ariſtoteli, ſi quid ad emendandum hunc locum conferre poteſt. *Cybium)* Plinio Cybia ſunt fruſta pelamidum ſalſarum & conſectarum: nam ſic ait vocari conciſam pelamidem. Hic Varroni ſunt piſces ipſi, id eſt, pelamides. Hiceſius apud Athenæum pelamidas ait eſſe magna cybia: quòd (vt reor) parua & magna ſint, ſed magna pelamides vocentur. Ita Pelamis eſt Hiceſio, quod Plinio aut Apolectus, (nam pelamidum generis maximam apolectum vocari dicit) aut triton, magni (vt ſcribit) pelamidum generis, ex quo horæa cybia fiebant. Sic potius legendũ cenſeam, quàm vt vulgò, *Vræa cybia.* Sed & in Varrone *Horæum* legerem, nõ *Vræum.* Hoc autem ſalſamentũ nomen habet à verno tempore, eius eſt mentio apud Athenæũ, niſi partes nominarent.

*Melandria atq;)* Sic falſi thynni partes vocantur. à cauda οὐραῖον dicitur, quod ſalſamentum viliſſimum, vt ait Plinius, erat. Melandria autem partes ſunt Thynni ſalſi, quernis aſſulis ſimiles. quanquam autem quæ caudæ proxima ſunt viliſſima Plinius ait, Melandria tamen vocat. Itaque horeæum hic legere propè perſuadeor, vt in Athenæo & Plauto ſcribitur, nec quod partes dixit officit, cùm certæ fortaſſe partes vere ſalirentur, vt ſuauiores. nam in eo macra pinguibus præferebantur & in partes ea ſalſamenta ſecabantur. Si quis vræum mauult, ita explicet, vt expoſui.

*Lingulaca)* Quid ſi potius Lingulata? quod linguæ ſimilis ſit, præſertim bubulæ, vnde βούγλωσσος à Græcis dicitur. Sic Paſtinaca videtur vocari debere herba, à paſtini ſimilitudine: ſed & piſcis. Ac ferè labor, vt putem Securiclatam vocari debere herbam eam, quæ πελεκῖνος Græcè dicitur: quod præ ſe ferat ſimilitudinem ſecuriculæ. Sed & Scandulatã libentius quàm Scandulacam dixerim: hæc tamen affirmare non

aufim.



auſim. Lingulaca Solea eſt. Plautus tamen à Solea eam diſtinguit in Caſina. Nam cùm dixiſſet Soleas, mox ſubiecit, Vin' lingulacas?

*Surenæ)* A ſuræ ſimilitudine, vel ſuri, id eſt, pali. Sic concha quædam vocabitur, de qua nihil vnquam legi. Alij libri, *Sirenæ,* habent: in quo æquè hæreo. Græcum enim videretur. E genere concharum ſunt apud Plautum in Rudente Striatæ: ſi cui probari poteſt emendatio, in quam ſumus procliues, cùm ignorantiæ ſubſidium quærimus. Sunt & Veneriæ è concharum genere apud Senecam, epiſtolarum lib. XV. his verbis: *Veneriæ, ſpondilique & oſtrea eatenus circunciſa.* vbi doctiſſimus ille Eraſmus non minus hæret quàm ego, in Surenæ explicatione, nec videt eſſe nomen conchæ: de qua ſic Plinius ſcribit lib. 9. *Nauigant ex his Veneriæ, quæ (vt reor) ſic appellatæ ſunt, quòd hac concha Venus eſſe vecta dicatur.* Papinius de Venere: *Inque ſua ducet ſuper æquora concha.* hoc vocabulum eſt corruptum lib. 32. Plinij. Nam vbi legitur *Vrenæ,* vua, legendum eſt: *Veneriæ,* vua. Quid igitur ſi vt illic Vrenæ pro Veneriæ, ſic hic corruptum ſit? Sed ſimilitudo non apparebit, vnde vocabulum vult ortum Varro, niſi quis ex eo dicat vocatas, quòd ſimiles ſint ei, quæ vexit Venerem, aut partibus venereis, vt quæ Veretilla & Virginalia ab Apuleio vocantur. Inueni qui hic Buccina, legendum cenſeret, cui tamen non ſubſcribo. Iſidorus cùm ſcripſiſſet de Echino, Caro eius mollis, & minio ſimilis. Vris tribus modis dicitur, vt teſtudo ac peloris: & coclea, continuò ſubijcit, Vitiato tamen codice. Putare quis poſſet Suris ab eo ſcriptum, quod genus conchæ ſit. ſed Iſidorus mendoſus eſt, nec mihi operam in eo corrigendo hoc tempore ſumendam puto. Ego pro Surenæ, Mures libenter legerim. nam mures & muſculi è genere concharum ſunt, & à ſimilitudine nomen inuenerunt, vt & murices.

*Cerceris)* Liber vet. *Cæteris:* excuſi, *Cercuris.* Eſt Græcis κερκὶς, genus auis, & κερκιθαλὶς. Cerceris Auguſtinus, quod & commodius reor.

*At lytra)* Deducitur ab luo, quod eſt apud Latinos ſoluo. Itaque *Lutra,* non *Lytra* ſcribi debet, cùm ſit (vt Varr. oſtendit) dictio merè Latina. In codice ſcripto pro, *Lutra, Lira* ſcriptum erat, inquinatè, vt exiſtimo: vt tamen putem librarium Lua ſcribere voluiſſe.

*Conſulfiat)* Emendo, vt verſus conſtet, *Fuat.* Vetus liber, *Conſulciat.* quod idem valeret quod conſulat. Atque à vetere verbo Conſulcio, Conſultum videtur ortum, vt à fulcio, fultum, niſi ſi quis conſulciat librarium ſcribere voluiſſe putet. Conſulere autem hic eſt in concione populum, aut in Senatu patres ſententiam rogare. Vnde Conſul dicatur, apud Nonium lib. De vita Pop. Rom. Varro ita oſtendit: *Quia ijdem dicebantur conſules & prætores: quòd præirent populo, prætores: quòd conſulerent ſenatui, conſules.* Illic igitur paulò aliter quàm hic. Hic enim quòd conſulunt, populum & ſenatum: illic, quòd ſenatui conſulunt & proſpiciunt. Florus vocatos conſules dicit, quod meminiſſe deberent conſulere ſe ciuibus. Conſules προβούλους interpretatur Dionyſius. Erat & Conſulere apud veteres, iudicare: ſed & Conſul, iudex vocabatur. Atque hinc Conſulem vocatum qui tradant, non deſunt. Fabius: *Sitne Conſul à conſulendo, an iudicando.* nam & hoc conſulere veteres vocauerunt. Brutus erat Tragœdia Accij de exactione regis Tarquinij.

*Iure & exercitu)* Pro, Iuri & exercitui. Notat enim Nonius Varronem non raro ablatiuo pro datiuo vti ſolere. Infrà, qui præiret exercitu à Varrone ſcribitur, vt hic iure & exercitu. nam exercitu pro exercitui dicebãt, vel iuri & exercitui, quod verius puto. Vel intelligendũ eſt, Populo quod ſcilicet iure & exercitu præirẽt populo. Prætor olim omnis erat magiſtratꝰ, qui exercitui præerat. *Antè & Præ,* pro eodẽ dixit.

*Maleficia)* Ante conſtitutas quæſtiones publicas repetundarum, peculatus, ambitus, de ſicarijs, quia de capite ciuis Romani iniuſſu populi non erat permiſſum conſulibus cognoſcere, quæſtores parricidij à pop. creabantur, cauſa rerum capitalium quærendarum, vt Pomponius ait: vt in iudicio perduellionis. Ab eodem pop. creabantur duumuiri, cùm res flagitabat. Poſtea quæſtores, vel quæſitores, vocati ſunt prætores, qui de ambitu, vel peculatu, vel alia publica quæſtione quærebant, & iudicia exercebant. Apud Triumuiros fures & ſerui, inquit Aſconius, accuſabantur. Itaque ſeruus apud Plautum dicit, *Quid faciam nunc, ſi Treſuiri me in carcerem compegerint?* Et in Aſinaria adoleſcens ſe minitatur accuſaturum lenam apud Triumuiros capitales: *Ibo* (inquit) *ego ad Treſuiros, veſtráque ibi nomina faxo erunt capitis.* Ita etiam nondum conſtitutis quæſtionibus ætate Plauti: tamen de maleficijs illis cognoſcebant Triumuiri, qui poſtea tantùm cognouerunt de maleficijs peregrinorum & ſeruorum, & de furtis ciuium.

*Cenſionem)* Nam cenſere veteres pro arbitrari dicebant. Varro: *Itaque quòd hos arbitros inſtituerunt populi, cenſores appellarunt.* Idem enim valet Cenſere & Arbitrari.

*Tribuni militum)* Tum igitur nouem creabantur, poſtea XXIIII. vt Polybius ſcribit, quatuordecim iuniores, & decem ſeniores. Eorum tribunorum erant Ruffuli, qui in caſtris creabantur, & Comitiati, qui Romæ comitijs deſignabantur: ſed initio ſoli erant Comitiati. Pro Tatienſium, hic etiam Tatium legitur.

*Magiſter populi)* Seneca: *Præterea notat eum, quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtorijs ita nominari legimus, apud antiquos Magiſtrum populi vocatum.* Hodieque id extat in auguralibus libris, & teſtimonium eſt, quod qui ab illo nominatur, Magiſter equitum eſt. Cicero de Finibus: *Rectius Magiſter populi (is enim eſt Dictator) quàm Sylla, qui trium peſtiferorum vitiorum, luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magiſter fuit.* Accenſos autem hic cùm dicit, adſcriptitios intelligit, tanquam ad ſupplendas legiones, quaſi ad legionum cenſum adſcriptos. Hos etiam quidam *Velatos,* alij *Ferentarios,* alij *Rorarios,* vocabant. Hæc Feſtus. Varro lib. 6. miniſtratores interpretatur, De vita pop. Rom. eos qui de adſcripticijs erant attributi Decurionibus & centurionibus, eius verba ſunt, *Qui de aſcripticijs tum erant attributi Decurionibus & Centurionibus, qui eorum habent numerum, accenſi vocabantur.* genus enim militiæ erant miniſtrantibus proximum, inquit Nonius. Varro vt conſules & prætores qui ſequuntur in caſtra, accenſi dicti, quòd ad neceſſarias res ſæpius acciantur, velut acceſiti.

*Vt potifices)* Sic correxi ex veteribus libris. *Pote* enim, pro *Poſſibile* veteres dicebant. Ergo pontifices Scæuolæ ſunt, tanquam potifices qui facere poſſunt, id eſt, ſacrificare. Ita enim crebrò facere vſurpatur. Dionyſius autem Varronis ſententiam ſequitur, ita ſcribens: Οὗτοι κατὰ μὲν τὴν αὐτῶν διάλεκτον ἀφ᾽ ἑνὸς τῶν ἔργων ὃ πράττουσιν, ἐπισκευάζοντες τὴν ξυλίνην γέφυραν, ποντίφικες προσαγορεύονται. Pons autem Sublicius totus erat ligneus, neque quicquam erat in eo ferri, vt ſcribit Dionyſius.

*Et vls & cis*) Cùm vbique legatur, Ius, coniectura adductus, quam oſtendebat ſenſus, *Vls*, pro *Vltra*, emendaui: quod & ab Auguſtino factum animaduerti.

*Curiones*) Curiones triginta erant, quot & curiæ: nam ſacrificabant pro curijs. Dionyſius: Ἀπέδωκε δὲ μίαν ἱερουργιῶν διάταξιν τοῖς τριάκοντα κουρίωσιν, οὓς ἔφην τὰ κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν φρατριῶν ἱερά. Illis autem in ſacrificijs vnà epulabantur Curiales magna cum hilaritate. Ac fortaſſe ea de cauſa ſcripſit Cicero lib. 1. de Oratore: *Vt dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, conuiuium Tuſculani, quod de die ſenatus interpretantur.* *Curiones ludis publicis epiſtolas hiſtrionum, comœdorum, tragœdorum legebant, cum quid à populo, à principe, aut à ludorum domino petebant.* Proinde ita ſcripſit Martialis, *Video quare tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui nō licet.* Epigrammata Curione non egent, & contenta ſunt ſua, id eſt, maledica lingua. Nam in ludis per Curionem multa pronuntiari ſolebant. Trebellius, ille per Curionem dici iuſſit, taurum toties non ferire difficile eſt. Iterum per Curionem dici iuſſit, impoſturam fecit, & paſſus eſt. Populus autem Romanus à Romulo in triginta curias diuiſus fuerat. *Quod in ſacro*) Vetus lib. *In Latio.* & Auguſtinus.

*Capite velato*) Flaminem Dialem ſine apice ſub dio eſſe non licebat, ſed ſub tecto eſſe licebat: quod tamen à pontificibus ei conceſſum erat, ceremoniæ huius facta gratia. Dialis autem flamen galero vtebatur albo, pileumq́; eius Albogalerus vocabatur. Non erat autem Flaminis caput tantum tectum apice, id eſt, galero, ſed etiam apex inuolutus erat filo. Itaq; quia laneo filo erant coronati, à Dionyſio στεφανηφόροι dicuntur, qui flamines, vt ait, vocati ſunt ἀπὸ τῆς φορήσεως τῶν πιλωτῶν τε καὶ στεμμάτων, id eſt, quod guſtarent galeros & infulas. Nam στέμματα dicit, filum quod apici circundabatur. Hinc Lanigeros apices Virgilius ſcripſit. Seruius dicit eos habuiſſe pileum, quem cùm per æſtum ferre non poſſent, nec capite intecto eos eſſe liceret, capita filo religare ſolitos eſſe. Nec verò tantùm apex dicebatur flaminis pileus, verũ etiam oleagina in eo virgula. Flamen autem à filamine, id eſt, à filo nomen habuit.

*Furinæ*) Feſt. *Furinalia*, inquit, *ſacra Furinæ quam deam dicebant.*

*Falacre*) Quis iſte Falacer ſit, nunquam legi. ſingula circi ornamenta ſcribit Tertullian. ſingula templa eſſe. fortaſſe igitur cum illic falæ eſſent, Deus qui eis præerat, Falacer dicebatur, ſed hæc coniectura eſt, eaq́; perexilis: De falis circi Iuuen.

*Conſulit ante falas delphinorumq́; columnas.*

Sunt & Heſychio phalacræ quædam Nymphæ. Conueni qui putaret Deum, caluitium arcentem: ſed hæc omnia ægrorum ſunt ſomnia.

*In comitio*) Alij libri, In comitijs: ſed, In comitio, malim. quòd Quinquatribus menſe Martio ſaltarent in foro, vbi comitium erat: : & in Capitolio: duodecim erant à Numa inſtituti, qui Palatini vocati ſunt, vt quos addidit Hoſtilius, Collini & Agonales. Trabeati erant, vt ait Dionyſius, & Apices gerebant altos, in conum faſtigiatos, & ancilia manu altera, altera haſtam tenebant, accinctiq́; gladio erant: eorum præſul motus edebat, & ab alijs referebantur. Illud *Ampiruare*, hoc *Redandruare* dicebatur. Lucil. *Præſul vt ampiruat, ſic vulgus redandruat ipſum.* Motis ancilibus infauſtum erat aliquid ſuſcipi. Tacitus: *Fuere qui proficiſcenti Othoni moras religionemq́; nondum conditorum ancilium afferrent.* Suetonius: *Sed & motis, necdum conditis ancilibus, quòd antiquitus infauſtum haberetur.* *Luperci*) De Lupercis Liuius, Dionyſius, Plutarchus conſulendi. Eorum in vrbe purganda agmina erant plura, quidamq́; Fabiani, quidam Quintiliani à Fabio & Quintilio præpoſitis ſuis vocabantur. Proinde ſcripſit Propert.

*Vnde licens Fabius ſacra Lupercus habet.*

*Fratres aruales*) De his ita ſcribit Plin. *Aruorum ſacerdotes, in primis Romulus inſtituit, ſeq́; duodecimum fratrem appellauit. Inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua, ſpicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in ſacerdotio ei pro religioſiſſimo inſigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honoſq́ue is non niſi vita finitur, & exules etiam captoſque comitatur.* Lego autem, ſunt qui à fratria dixerunt.

*Vt Apollini etiamnunc*) Vetus, Apoli: lego, Neapoli: quod cùm oppidum Græcum eſſet, vt Athenæ, ſuas fratrias habebat. Fratria enim tertia pars tribus eſt. Eo etiam nomine cenſetur ſodalitium.

*Sodales Titij*) Tatij à Tacito vocantur libro primo, à Lucano Titij: *Septem virq́; epulis feſtis Titijq́; ſodales.* Vtrumque verum puto, cùm & Titienſis tribus à prænomine Tatij dicta ſit, & Titia curia ab eodem. Titij tamen Sodales à Varrone dicuntur non Tatij, argumento Titiarum auium. De his ita ſcribit Tacitus: *Vt quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum ſacris Sodales Tatios inſtituerat.* Varro autem à Titijs auibus appellatos putat. Vetus interpres Perſii, *Ingentes trepidare Titos*, cùm poëta ait, *à Titis Titos vocatos dicit.* Seruius Palumbes dicit vulgo appellari *Tetas*. Iſidorus, *Palumbes*, inquit, *eo quòd ſint fartæ pabulo, quas vulgus Titos vocat.* An ſint hæ Titiæ aues, lectori conijciendum relinquo.

*Feciales*) Feciales interpretatur εἰρηνοδίκας Dionyſius, Plutarch. εἰρηνοποιοὺς & σπονδοφόρους. Præerant fœderibus, & bella indicebant rebus repetitis per clarigationem: nec niſi rebus ab eis repetitis, bella pia & iuſta eſſe credebant. Cicero de Repub. *nullum bellum iuſtum haberi videtur, niſi denuntiatum, niſi indictum, niſi repetitis rebus.* Itaq; id fieri deſitum dicit Varro, poſtquam bella iuſta fieri deſiere. Varro De vita pop. Ro. *Itaq; bella & tardè & nulla licentia ſuſcipiebant, & quod bellum nullum niſi pium putabant geri oportere, priuſquam indicerent bellum ijs, à quibus iniurias factas ſciebant, feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant.* Illa autem repetitio, Clarigatio appellabatur. Eſt tamen etiam Clarigatio, ius hominis prehendendi & abducendi, quod (vt opinor) id publicè atq; etiam per fecialem fieri licere, iúſque eſſe promulgaretur. Id eò moneo, quòd doctiſſimis viris animaduerterim diſplicere hoc verbum in ea re poni, quod ἀνδρολήψιον Græcè dicitur, cùm perſpicuè tamen à Liuio ſic vſurpetur, libro octauo ab Vrbe condita, his verbis: *Vt eius qui cis Tiberim deprehenſus eſſet, vſq; ad mille paſſuum pondo clarigatio eſſet.* Ætate Varronis per eos fœdus fiebat, iam bella ab eis non indicebantur. Vnus Fecialium Pater patratus dicebatur, quòd & eum patrem eſſe oporteret, & patrem habere, quod eſt patratum eſſe, quòd ad patrandum fœdus fieret, interpretatur Liuius. Alij, quòd perfectus & abſolutus eſſet, qui & parens eſſet, & parentem haberet.

*Hipſicrates*)



*Hipſicrates*) Vet. lib. *ipſi Crates*: putaui legendum *Ipſa Crates*: vt nomen Grammatici ſignificetur. quanquam Hypſicrates etiam à Luciano in Macrobijs nominatur hiſtoricus Amiſenus: qui quidni potuerit hoc, quod Varro dicit ſcribere, & Grammatica quædam relinquere? Itaq; Hypſicrates retineo. Iſicrates legit Auguſtinus. χόρτον autem (ſic enim lego) non cohorton, nec κόνθον. Explicant grammatici Græci in Homero, αὐλῆς ἐνὶ χόρτῳ, cohortis ambitum ac ſeptum, à qua etiam ſignificatione illud Euripidis manauit σύγχορτα ναίω πεδία, pro finitimis & vicinis agris.

*Pilani*) In legione Romana fuerunt Pilani, quos Polybius vocat χοσσφομάχους & χοσσφοφόρους, qui gladium, pila, parmam vel cetram ferebant: & haſtati, qui loricam, ſcutum, gladium Hiſpanum, veruta duo. ὑσσοὺς Polybius vocat: eadem erat principum armatura & Triariorum, niſi quod pro verutis, Triarij haſtas habebant. Olim tamen etiam haſtati, haſtas gerebant, vt Varro ſcribit. Sed res militaris immutata fuit. Haſtati in prima acie pugnabant, in ſecunda principes, in tertia Triarij. Liuius: *Haſtatorum prima ſigna, deinde principum erant, Triarij poſtremos claudebant.* Ea enim, vt ſcribit Polybius ratio erat apud Romanos aciei inſtruendæ. *Et poſt*) Lego, ſed poſt. & mox minus illuſtria ſunt.

*Duplicarij*) Vet. lib. *Duplicaui.* Duplicarij, melius. Sic apud Vegetium ſunt armaturæ duplares, quæ conſequuntur binas annonas: Simplares, quæ ſingulas, mox, Turma terma, vetus, terima. Curiatius quoque apud Feſtũ quaſi terimam dictam refert: Terma tamen etiam placet. Paulò antè, ab abſcindendo: ab obſidendo, vetus. fortè ab obſcindendo, quaſi obſidium, tanquam obſcidium, dicatur: & vt opinor, non ſolùm obſidium ſcribebatur, ſed etiam obſcidium, vt diſſidium & diſcidium in libris ſcriptis reperimus. Non multò pòſt pro *Claſſicos*, quod in omnibus eſt libris, legitur in veteri, *Claſſices*: non dubito quin Claſſicines emendandum ſit: nec officit quod lib. 5. Claſſicus canat, ſcribitur. Nam claſſicus pro claſſicum illic ſcribitur. *Canere* autem *claſſicum*, aut, vt loquitur, claſſicus dicitur: vt ſigna canere dicuntur. V. L. claſſices vocant à claſſe, qui item cornu vtuntur, cùm claſſes comitijs comitatum legunt. Quæ ſcriptura, ſi cui probatur, à comitare, quod eſt ſimul itare, ſupinum erit. Alij *ad comitatum*, legunt. Sic veteres comitia & conuentum vocarunt. Cic. *Niſi per maximum comitatum.* quanquam & in Cicerone & Gellio comitiatũ multi ſcribunt. *Nullo eſt*) Id eſt, nihilo. *Ex opimæ*) Aliàs, cui eſt opimè.

*Copiæ*) Vetus lib. *copijs*: puto legendum copis. Sic enim copioſus à veteribus dicebatur.

*Præſtigiator*) Vt pilarij & ventilatores, & ψηφοκλέπται, omneſq́; qui oculos ſpectantium fallunt. Monitor, qui monet hiſtrionem in ſcena, auctor Feſtus. Nomenclatorem habebant candidati & petitores, qui nomina ſubijciebat hominum, quos prenſari & appellari oportebat, Eum ſignificat Horatius cùm ſcribit:

*Mercemur ſeruum, qui dictet nomina læuum*
*Qui fodiat latus.* —

*Legulus*) Catoni, vt hic Varroni eſt, qui legit oleam, quidam etiam adijciunt, qui vuam. ac hic legulus vindemiatore non adiuncto in excuſis & veteribus legi libris. Auguſtinus inſerit vindemiatorem. vuam ni legito calidam: lex vetus eſt, quæ legulos etiam in vua probaret. *Vinum legere*) Id eſt, vuas legere. nam hic vinum, vua eſt. *Pecus*) Pecus pecoris, à paſcendo deducit. pecus pecudis, à pede. pes magnus area ædificij eſt, vt ait Varro, id eſt, ipſa loci planities: Sic pes planus, planities dicitur: vt pes quadratus, cubus.

*Peculatoriæ oues*) Id eſt, peculiatoriæ, quæ ſeruis aut filijs familiâs ſunt in peculio. Plautus peculiarem ouem dixit:

*Etiam opilio qui paſcit, mater, alienas oues,*
*Aliquam habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.*

Vetus eſt ſcriptura, Peculatoriæ. fortaſsè & peculia à pecore, quod verum puto.

*Hinc eſt quod*) Vet. lib. *Hinc eſt* qui Græcis ὗς, ſus, quod σῦς, bos quod βοῦς. eamq; lectionem veriorem puto. Ιτουλος) Vetus lib. ἰταλός: quæ vox taurum, vt inquit Heſychius, ſignificat. apud Gellium Varro lingua veteri Græca, ἰταλοὺς, boues ſignificaſſe dicit.

*Omnicarpæ*) Quòd omnia virgulta carpat. etiam capræ ab antiquis crepæ vocabantur, auctor Feſtus.

*Porcus*) Varro de re ruſtica: *Porcus enim Græcum nomen eſt antiquum, ſed obſcuratum, quod nunc vocant χοῖρον.* Itaq; in Athenienſium initijs hoc nomen ſcriptum erat, cùm in ijs Porci, vt Varro ait De re ruſtica, Cereri immolarentur. Eſt & apud Lycophronem πόρκος, quadrupes animal ad Iſtrum à primo Porcopor: inde à Sabinis, Porcopor, inquit, vt puer ſuis dicebatur. nam ita in veteri libro legebatur. Auguſtinus legit: Quod Sabini dicunt de aprino porco porcus: inde porcus. Hoc ſenſu. Sabini catulum apri vocabant porcum, vnde nomen porci fluxit. in Auguſtino poridus ſcribitur inemendatè pro porcus, vt reor: Ergo ſcribendum à primo porco vel aprino porco, quod idem eſt.

*Ares veteres*) Vtrum Romani an Græci, addere debuit. & veteres Latinos intelligere videtur: Græcis etiam veteribus ἀρὴν erat.

*Arniga*) Eſt etiam Pompeio Haruga, vel (vt alij in eo ſcribunt) hariuga, cuius adhærentia exta inſpiciebantur. Donatus: *Haruſpex*, inquit, *ab haruga nominatur.* Nam haruga dicitur hoſtia, ab hara in qua concluditur & ſeruatur. Ego putem Aruigam & Harugam & haruigam ab eodem eſſe capite.

*Hinc aruignus*) Id eſt, Arietinus. Inde fortaſsè aruina dicta eſt, quaſi aruigna pinguedo. Alij aruigus hic legunt. *Quæ cornua*) Cornigeri autem ſunt arietes.

*Noctucalus*) Vetus lib. *Noctulucus*, id eſt interdiu & noctu. Fictum enim eſt nomen ex veteribus aduerbijs noctu & lucu: vt à diu, quod eſt die, perdius niſi forte quis noctu lucu ſcribendum putet.

*Panther*) Huius retis mentio in iure eſt ijs verbis: *Veltuti cum futurum iactum retis à piſcatore emeris, aut indaginem plagis impoſitis à venatore, vel panthera ab aucupe.* Panthera autem in accuſatiuo ſingulari, non plurali, dixit, à nominatiuo Panther: nec fingendum nomen eſt, Pantherum: vt nonnulli faciunt.

*Camelopardalus*) Horatius eam intellexit, cùm ita ſcripſit:

*Diuerſum confuſa genus panthera Camelo.*

Ea etiam ouis fera dicebatur. Viſa primum Romæ eſt Dictatoris Cæſaris ludis Circenſibus, paulò antè horum librorum æditionem. Tigris primùm viſa Romæ eſt, in dedicatione Theatri Marcelli, multis poſt æditionem huius libri annis.

*Proxima animalia*) Non me latet à quibuſdam philoſophis ſtirpes animalia cenſeri: etiam à Platone in Timæo. Tamen cum hic Varro eis vitam non animam tribuat, legendum videtur, Proxima animalibus: vt Auguſtinus legit: aut cùm in veteri libro ſic legatur: *Proxima me animal:* ſcribendum fortaſſe, *Proxime animalia,* id eſt, ſtatim poſt animalia. Quam veram ſcripturam cenſeo.

*Ruta*) ῥύτη enim ab antiquis Græcis dicebatur quod ab Aretæo & Nicandro nomen vſurpatur.

*Radix*) Hoc nomen apud Nicandrum extat, ſed pro baculo, aut virga.

Κοείανδρον) Scribendum puto. item ex Græcis Latina Coriandrum à κοριαννὸν, malachen, cyminon. His enim vt iam Latinis etiam vtebantur.

*Præſicatur*) Id eſt, præſecatur, vt in Plauto: Exicas harundinem, pro execas. Sic braſſica vt præſica dicitur. Hæc per, id eſt, in lib. veteri ſcribuntur, & melius cum propius ad braſſicæ nomen accedant.

*Feruntur vt*) Vetus lib. *Ferunt vt fruamur.*

*Etiam frumentum quod extat*) Vetus lib. Etiam frumentum quod in ollico quo ſolet addi ex mola. Puto ex ijs veſtigijs legendum: Quod ad exta ollicoqua ſolet addi. Pompeius: Aulicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id eſt, elixa: nam ſæpenumero torrebant. Virgilius:

*Pinguiáque in verubus torrebimus exta colurnis.*

In aruige hoſtia elixabant. Varr. vt ex veteribus libris emendauit Auguſtinus: *Hæ ſunt quarum in ſacrificijs exta in olla, non in veru coquuntur.* antè enim legebatur: *Exta in veru coquuntur.*

*Aquæ feruenti inſipitur*) Id eſt inijcitur. Puls autem Romanorum erat & Italorum cibus, vt polenta Græcorum. Itaque pultifagum artificem pro Romano & Italo Plautus vſurpat: & ſe pultifagonidem ludens quodam loco dicit, Romanum aut Italum ſignificans. Inſipatur autem mallem, vt in lib. veteri reperi. quàm inſipitur vt diſſipatur, obſipatur. Sed in Feſti codicibus inſipit reperitur, & in Catone inſipiat. Feſtus inſipere farinam iacere pulti.

*In lanificio panus*) Panus in lanificio eſt tramæ inuolucrum, quod tumet: à qua ſimilitudine panis eſt appellatus. Sed & panus tumor inguinum. Lego autem è veteri libro: quod primo figura faciebant vt mulieres. & mox: poſteaquam ei.

*Id κρόκην*) Sic libri veteres: nec ab ijs temerè recedendum eſt. Nam quod κόκκον nonnulli ſubſtituunt, id vero quam habere vocabuli ſimilitudinem cum granario & grano poteſt? Sunt κρόκαι tramæ: ſunt & calculi litorei, atque adeo interdum litora: vt proinde fortaſſe veteribus quibuſdam Græcis, ſic granaria dicerentur à ſimilitudine. Quanquam quid ſi ῥογοὺς legamus? quomodo à Siculis granaria vocata fuiſſe ex Epicharmo dicit Pollux: κόκκον ad ſignificationem grani accommodatum, ad ſimilitudinem vocis alienum & abſurdum. Sed certè longè petita à Varrone vocabuli notatio eſt: idq; aliter ab eo ſcribitur lib. I. De re ruſtica: *Granum,* inquit, à *gerendo.* Id enim ſeritur, vti ſpica gerat frumentum, non vt glumam aut ariſtam gerat.

Μελίνην) Panicum appellant alij μελίνην, milium κέγχρον, & hæc diſtinguunt. Nonnulli genus quoddam milij eſſe cenſent, quos ſequitur Varro. quare ſcribendum, Nam id μελίνη. quod mox ſequitur poſt μέλιν expungendum. *Priuſquam eſſet coctum*) Vetus lib. *Priuſquam eſſetur, erat coctum,* id eſt, antequam ederetur.

*Libaretur*) Libabatur autem dijs immortalibus antequam comederetur: vnde nominis origo.

*Teſtu caldo*) Teſtus vel teſtum eſt κρίβανος, vel κλίβανος. Matralia, matris Matutæ feſta.

*Circuli*) Huius generis erant fortaſſe & arculata in ſacris circuli è farina: circuli illi, qui fingebantur, è farina & aqua. Lixæ dicebantur etiam à lixa, id eſt, aqua: vnde & Lixæ, qui aquam militibus portabant.

*Globuli*) Scribendum è veteribus lib. globi. Sed & à Catone libro De re ruſtic. ita vocantur, non globuli.

*Triton*) Vetus *Torium.* Sic ab Athenienſibus iucundum quoddam edulium vocabatur, ex eo, quòd frondibus ficulnis, quæ θρῖα dicuntur, inuolueretur. Sunt & ἴτρια Græcis lagana quædam & placentæ, ſi quis fortè ita legendum hoc loco putet.

Θρύλλον καὶ τρύφον) Quæ hic adſcribuntur, non approbo.

*A cocto lacte*) Puto à coacto lacte, vt coaxeus. quod & Auguſtinus rectè emendauit, cùm antè, à cocto lacte & coxeus, excuſum eſſet. Caſeus autem paſtoribus debuit primum eſſe pulmentum, atque paſtoribus eum cibum debuit. Romani primi paſtores fuere. Iſidorus: *Pulmentum vocatur à pulte, ſiue enim ſola puls, ſiue quid aliud eius permiſtione ſumatur, pulmentum propriè dicitur.*

*Quæ nimis*) Scribo è veteri libr. *quæ minus cruda.*

*Ab olla*) Hic locus fortaſſe adiuuerit explicationem prouerbij. Ipſa olera olla legit.

*Quod rueret è rure*) Puto, quod erueretur è terra.

*Orchitis*) Quæ etiam Orchas dicitur. Sic vocatur, vt ait Varro, grandis olea, minor tamen Attico orche. Sic enim, vt opinor, ab Athenienſibus quædam ſua vocabatur olea: & in Varrone eum ſenſum effeci, cùm antea nullus eſſet. Meminit huius oleæ Virgil. lib. 2. Georgicῶn, & Pompeius hunc in modum: *Orchitis genus oleæ ex Græco dictum ὄρχεις, quod ſit magnitudine inſtar teſticulorum.* Antonius Auguſtinus, cui pluſquam mihi fidei habeo: quod ea antiquitus orchemora: ſed vt ingenuè inſcitiam non fatear ſolùm, ſed profitear etiam meam, quid illud Orchemora ſit, non percipio, niſi orche minor legatur. ὀρχὰς, inquit Heſychius, εἶδος ἐλαίας. fortaſſe igitur Orchitis maior erat, orchas minor: vel ὄρχις, quod ea Attico orche minor. Vetus ſcriptura eſt, quam & expoſui. Et non incommodam cenſeo Orchitis magnitudine eſt inſtar teſticulorum. Quidam ita diſtinguunt. Olea ab elæa, grandis. Orchitis quod ea Attico orche minor.

*Ab illis*) Vetus lib. *Habilis,* ſed malè, vt opinor.

*Et ex iure*) Cum in patina obſonium iure conditum coquitur. Plautus, eum quouis pacto condias, vel patinarium, vel aſſum, verſes quo pacto lubet.

*Tergus*)



*Tergus*) Vetus lib. *Tegus* ſuis ab eo quod tegitur. Puto, *Ab eo quòd tegit, vt perna:* eamque germanam eſſe ſcripturam etymologia declarat, atque apparet veteres tegus, non tergus dixiſſe. Itaque in Captiuis Plauti verſus hic trochaicus tegoribus poſtulat: *Dij immortales, vt ego callos detruncabo tegoribus,* non, vt vulgò tergoribus: vt ſit tribrachus pro choreo. nam dactylus non ſolet poni. Et in octonario quoque eiuſdem fabulæ ſic cenſeam legendum: *Arripuit gladium, prætruncauit tribus tegoribus glandia.* Quanquam hic etiam dactylo locus eſt. Veruntamen ſi Tergus legas, Varro dempta litera à tegendo deducet. Mox in veteri, *Perna à pede, ſueris, à nomine eius.* Nam ſuerum veteres pro ſuum dicebant, & bouerum pro boum. Cato, *quot iuga bouerum.* Proximè quoque legitur, *Offula ab offa minimæ ſueræ,* id eſt, ſuillæ carnis. his enim vocabulis antiqui vtebantur. Offa, inquit Iſidorus, propriè fruſtum demptum: vnde vt ait, offarij, coci.

*Inſicia*) Sic Varro ſcribit: Alij tamen fere ſine n, Iſicia ἴσικον Græci & ἰσίκιον vocant, ita vt Latino tamen vtantur, vt Alexander Trallianus & Aphrodiſienſis & Athenæus, qui interpretantur ἰσίκια τὰ ἐκ σαρκῶν εἰς λεπτὰ κατακνιζόμενα, καὶ μετὰ πεπερίδων συμπλαττόμενα.

*Dicitur nunc proſectum*) Hoc nomen eſt apud Ouidium:

*Cuius vt impoſuit proſecta calentibus aris.*

Nam pro ſecari exta dicebantur. Tranquillus in Auguſto: *Semicruda exta rapta foco proſecuit.* Proſicium etiam, ait Feſtus, quod proſectum proijcitur: quod profectò ea forma dicitur, qua inſicium quod inſectum: præſicias in Arnobio legimus: cùm proſicias, vt opinor, legendum ſit. Eius ſunt verba: *Quod ſi omnes has, partes, quas præſicias dicimus, accipere Dij amant.* De Inſicio idem ſic ſcribit: *Quid, inquam, ſibi hæc volunt, apexabo inſicia ſilicernium longauo?* quæ ſunt nomina & farciminum genera, hirquino alia ſanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus. *Murtatum*) Plinius: *Et alius vſus baccæ fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illam obtinens vicem, quodam etiam generoſi obſonij nomine inde tracto, quod etiamnunc myrtatum vocatur.* In lib. veteri eſt. *Quod ex largè fartis,* id eſt, quod fartis & farciminibus large ſolet addi. Mox, *Quod fartum inteſtinum craſſum.* *Lucanicam*) Eius meminit Martialis in Xenijs. Hoc farcimine coronabantur pultes Martialis:

*Filia Picenæ venio Lucanica porcæ*
*Pultibus hinc niueis grata corona datur.*

Eius confectio apud Cælium Apicium eſt. Genus eſt farciminis, quo inteſtinum farcitur, vt & venter faliſcus, cum venter ſuis rebus quibuſdam farciebatur. Papinius: *Non lucanica, non graues faliſci.*

Τυφλὸν ἔντερον) In veteri vno verbo, τυφλοέντερον. à fundolo fortaſſe nomen habuerunt fundulæ angiporta non peruia, nec exitum habentia.

*Longabo*) Vetus lib. *Longano.* Aureliano *Longoa,* & *longano, Longauo* Arnobio. cum autem u in b. ſæpè à ſcriptoribus commutetur, etiam hic longabo reperit Auguſtinus, & edendum curauit, non tantum farcimen inteſtini vltimi eſt, ſed etiam ipſum vltimum inteſtinum. Longano Grammaticis probatur magis, quod longius quàm duo. vet. liber.

*Agumentum*) Ex veteribus libris repono Augmentum: antè etiam vitioſius Argumentum & Agendi cauſa legebatur, pro Augmentum & Augendi. Auguſtinus agumentum & agendi cauſa legit: ſed augmentum vel augumentum ſincerius crediderim ab augendo, quod magmentum vel magumentum oſtendit à magis augendo, quod iam augumento auctum eſſet. Augmentum quoque vocat Arnobius: Quæ ratio eſt, vt Caro ſtrebula ſeparatim, ruma cauda, & plaſea ſeparatim, iſicium ſolum, omentum ſolum, augmentorum adijciatur in cauſam.

*Magmentum*) Vetus magnentum, malè, *Magmentum,* inquit Pompeius, *magis augmentatum.* Arnobius: *Non magmenta, non augmina, non mille ſpecies.*

*Propter hoc montana*) Vetus ſcriptura non eſt ſatis plana. Eam repræſentabo: cuntarea. Suſpicor, Magmentarea, à magmento legendum eſſe.

*Mactæ*) Macteæ à Suetonio vocantur in Caligula: *Et multis venenatas macteas miſit.* Arnobius per diminutionem ſic ſcripſit: *fruſtilla hæc paruula pro ſuauibus macteolis ſumunt.* Puto, Macteolis in eo legendum. Mactyæ à Martiale. Mactya autem, vt diſſerit Athenæus, omne ſcitamentum, & omnis cupedia. iucundumq; & pretioſum edulium vocatur: cùm tamen propriè initio eſſet tanquam quædam maza. Itaq; vtriuſq; eadem eſt origo. Malè autem legi exiſtimo matæ, ab eo, quod Græci ματίαι καὶ μάπι cùm legendum ſit mactæ vel macteæ ab eo quod Græci ματτύαι.

*Luna*) Nam & apud poëtas reperitur λήνεα ἐσσι βεβλήαται. Itaq; λῶος lana erat Græcis. vnde Latinum nomen.

*Poenicum*) Tibullus Africa Puniceum Purpureumq; Tyros. illud φοινικοῦν, hoc πορφυροῦν vocatur: Illud rubrum & ſanguineum eſt, hoc preſſius eſt, & in cæruleum vergens. τὸ μέλαν inquit Ariſtoteles, καὶ σκιερὸν τῷ φωτὶ μιγνύμενον φοινικοῦν: quo ſignificat naſci puniceum colorem atrore & vmbra mixtis cum lumine, ἀλουργὸν autem ὅταν τῷ μετρίῳ λευκῷ καὶ σκιερῷ κραθῶσιν ἀσθενεῖς αἱ τοῦ ἡλίου αὐγαί. Purpureus, inquit, color gignitur cùm imbecilli ſolis radij, cum candore modico & vmbra temperati ſunt.

*Subtegmen*) Vet. *Subtemen,* quaſi *Subſtamen.* Ac ſæpè mihi vſu venit, vt ſubtemen, non ſubtegmen, in bonis libris reperirem: quomodo & hic legendum exiſtimo, cùm id oſtendat perſpicuè origo quam Varro affert. *Quod tranat*) Vetus, *Quod tramat frigus:* puto quod trauiat frigus: aut potius trameat, id eſt, tranſmeat. Vnde illa tranſlatio Perſij, *Mihi trama figuræ, ſit ſatis, à tenuitate panni ſcilicet, & raritate texturæ, ſic trama Varroni veſtimentum eſt rarum: alijs trama eſt ipſum ſubtegmen.* Pro Frigus hic Phrygium malè legebatur.

*Denſum*) Inde Leuidenſis veſtis, quæ raro filo erat, leuiterque denſata. Cic. Munuſculum mittere volui leuidenſe, craſſo filo: per tranſlationem elegantiſſimam dixit veſtis pauidenſis, quæ crebrius & denſius erat texta, & tanquam pauita & calcata.

*Pannuellum*) Vulgo ſcribunt eſſe ſudarium: in quo longè opinione falluntur. Eſt enim pannus, fili inuolucrum. Hoc loco ergo cum totum lanificium & filum inuolutum eſt, dicitur Pannuellum. Id enim eſt

quod Varro

quod Varro ſcribit, Vbi ea fecit, id eſt, fecit filum & pannum. In veteri libro *Pannuellium* ſcribitur, Auguſtinus *Pannellum* ſcribit. *Panus*) Nam Græcè πῆνος eſt ὕφασμα, vnde panus, recentiores Græci etiam πήνιον vſurpant. Sed Latinum vocabulum eſt & πηνίον paniculus eſt & fuſus, cui filum inuolutum eſt.

*Alterum viris*) Cinctus virorum eſt, cingulum mulierum, De Penteſilea Maro:

*Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ,*

Cingulo etiam noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſoluebat. Varr. *Nouus maritus taciturnus taxim vxoris cingulum ſoluebat.* Cinctus virorum, vt cincticulus puerorum & adoleſcentium. Plautus: *Cincticulo prætinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres.* Cinctus autem, zona erat lata: vt ſemicinctium, zona dimidio anguſtior. At cinctus Gabinus, modus eſt induendæ togæ, vt Lacinia reiecta & reuocata cingamur. Sunt & cingula virorum,

*Euryalus Phaleras Rhamnetis, & aurea bullis*
*Cingula.* — inquit Maro.

*Parma*) Hoc verbo vtitur Polybius, ea rotunda erat, minorq; ſcuto: Scutum oblongum. Eius enim longitudo quatuor pedum erat, latitudo duorum pedum & ſemiſſis. *Tragula*) Tragula, vt iaculum iaciebatur, etiam tormentis mittebatur. Vnde apud Vegetium, qui ad manuballiſtas vel arcuballiſtas dirigebant ſagittas, Tragularij nominantur. *Vmbones*) ὖβοι. curui & gibboſi, & ὕβωμα curuitas, gibbus. quæ vocabula ſunt Hippocratis. ἄμβη etiam eſt ſupercilioſa apud eundem ſcriptorē eminentia. Sunt ἄμβωνες, labra & ſupercilia patinarum & vaſorum, inquit Pollux, latera & montium eminentiæ locaq; ædita & ſuggeſta. Vnde Vmbonis nomen, ſed cum ἄμβων Græcum ſic ab ἀναβαίνω, adducor vt in Varrone legam Vmbones à Græco videlicet quod ἄμβωνες. *Feriret vt pilum*) Emendo, veterem librum ſecutus. Nam veluti pilo aliquid feritur & tunditur: ita quoq; pilo miles hoſtem ferit. Itaq;, Vt perilum, quod alij ſcribunt, mihi hic non placet. *Succuderunt Galli*) Vetus lib. *Succudit Gallia è ferro.* Tunica ferrea dicitur ab Horatio, *Tunica adamantina: Quis Martem tunica tectum adamantina:* ſic χαλκοχίτωνες ab Homero vocantur Græci.

*Tubicines ſacrorum*) Id eſt, tubicines ſacrorum etiam hodie tubos vocant ſuas tubas. Tubus etiam canalis eſt, cui ſimilis eſt tuba.

*Varicare*) Quòd ea in parte nemo poteſt diductis diuaricatiſq; cruribus & pedibus ſtare, propter crebritatem valli. Quintilianus de pronuntiatione. Varicare ſupra modum & in ſtando deforme eſt, & accedente motu propè obſcœnum. quod furcillata dicit eſſe bacilla vt litera v. Id quidem magna ex parte erat, quædam tamen non bifurca tantum erant, ſed & trifurca & quadrifurca. Polybius: οἱ μὲν γὰρ Ἕλληνες τοῦτον ἡγοῦνται χάρακα βέλτιστον, ὃς ἂν ἔχοι πλείστας ἐκφύσεις καὶ μεγίστας περὶ ἑξῆς τοῦ στελέχους. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις δύο κεραίας ἢ τρεῖς ἔχουσιν οἱ χάρακες· ὁ δὲ πλείστας τέτταρας. Seruius in illum Virgilij locum:

*Atq; humiles habitare caſas, & figere ceruos.*

Aut furcas, inquit, dicit, quæ figuntur ad caſæ ſuſtentationem: quæ dictæ ſunt Cerui ad ſimilitudinem cornuum ceruinorum. &c. Stipites autē erant cornicula eminentia habentes, quibus ad vineas pluteoſq; vtebantur. Cæſar huic loricam pinnaſq; adiecit grandibus ceruis eminentibuſque ad commiſſuras pluteorum atq; aggeris. *Cibilam*) Cillibam, libri veteres. Pompeius: *Cilliba menſæ erant rotundæ.* Sed Cibilam deprauauerunt, quòd à cibo eam dictam Varro ſcribat: quaſi verò non tractentur & traijciantur ſæpè, vt ante dixit literæ & ſyllabæ. Putem tamen potius à Græco ductum, apud quos κίλλιβας eſt menſa tripes.

*In cibo menſa*) Vel à μέσος, vt ait, vel à metior menſa deducitur. *Trulla*) Vas potorium. Iuuenalis:

*Si trulla inuerſo ſonitum dedit aurea fundo.*

à terendo eam deducit Nonius. qui & pollubrum ſua dicit ætate fuiſſe.

τρυβλίον) Eſt catinus, patina, acetabulum: etiam auctore Heſychio interdum poculum.

*Vt truula*) Per diminutionem ductum truula, deinde trulla, antecedit tamen truola. Truæ erant, quæ è culina aquam, vbi calefacta erat, in lauatrinam, id eſt, domeſticum balneum fundebant.

*Quod latius concipit aquam*) Trulleum, ſcilicet: cùm trulla vinarium vas ſit. nam trulleum vas eſt aquarium, quo manus, vt Nonius ait, perluebantur. Vetus ſcriptura, niſi quod latius eſt quod concipit aquam, ea etiam per codices vulgata: ab Auguſtino tamen damnata: mihi probata. Quod enim concipit vaſis ipſius capacitas & ſinus eſt, ad manubrij diſcrimen hoc dicit.

*Niſi vinaria*) Scribo *Niſi in vinaria trulla.* Hoc ſenſu, *Niſi ſi olim eodem modo ſolidum non cauũ erat manubrium, trulla vinaria & trullei aquarij: poſtea cauum factum eſt.* Nam trulla manubrium habebat. *Trulla*, inquit Cicero in Verrem, *excauata cum manubrio aureo.*

*Martellio*) Cuius Cicero in Paradox. meminit. *Si L. Mummius aliquem iſtorum videret Matellionem Corinthium cupidiſſimè tractantem.* Varro apud Nonium: *Trulleum Matellionem peluim naſſiternam.* Diminutiuum à matula dicit eſſe Pompeius.

*Futum*) *Futis* à Sipontino vocatur. *Erat & Futile vas*, inquit Donatus, *quod non deponebant miniſtri ſacrorum cùm acuto eſſet fundo & ore patulo, nec ſtare poſſet.* Vetus etiam liber *Futim* habet, quod & verius puto.

Μάγνος) Suſpicor refragrantibus libris omnibus eſſe legendum *Nanus.* Nam magnus Græcum nomen non eſt. *Nanum autem*, inquit Pompeius, *Græci vas aquarium vocant, humile, & concauum, quod vulgò appellant, ſitulum barbatum, vt & hoc quoq; loco barbatum appellari Varro ſcribit.* Perottus in Varrone videur legiſſe hanus. *Magidam*) Mirū mihi videtur, quòd verba merè Græca Varro à Latino deducit. Sed mirari profectò deſino: non enim ſemel id facit, ſed ſæpius. Pollux Αἱ δὲ ἐπιτιθέμεναι καὶ αἰρόμεναι τράπεζαι ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσι, id eſt, Menſæ autem quæ imponuntur & tolluntur, quas nunc magidas vocant. niſi cum recens eſſe dicat Pollux, à Latinis ad Græcos migrarit. Vſus tamen eſt Epicharmus, κύλικα, μαγίδα, λύχνον: alioqui magis eſt Græcis alueus vbi piniſitur, & quæ ad ſacrificium pertinent, portantur. Varroni vas eſcarium eſt, cui aſſa imponebantur, vt Lancula, quæ diminutio lancis.

*Libarent cœnas*) Veteres aliquid de cœna libabant Dijs tam religioſi erant. Quod autem libabant, patellæ imponebant.



imponebant. Varro apud Nonium: *Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere & Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Cic. De finib. *Atqui ita reperiemus Aſotos, primum ita non religioſos, vt edant de patella*, id eſt, *de ijs quæ ſunt Dijs libata. Patellæ*, inquit Feſtus, *vaſa picata parua ſacrificijs faciendis apta.*

Τρύβλιον) Vetus lib. *Triplion* & cauum de Græco.

*Cilibathum*) Vetus liber, *Cilibanum.* Cilibantum verum puto: cùm κιλλίβαντες à Græcis dicantur quidam tripodes, in quibus milites fatigati reponunt ſcutum, & inde natum ſit menſæ nomen. Ariſtophanes:

Τοὺς κιλλίβαντας οἶσε παῖ τ' ἀσπίδος.

ſed & menſæ tripodes ſic vocantur. A cylicio autem cùm dicit Varro poculorum repoſitorium, intelligo quod κυλικεῖον Græcè dicitur, vt ſcribit Athenæus. itaq; malo à Græco ciliceo à poculo cilice, quàm quomodo in alijs ἀπὸ τῆς κύλικος.

*Poma quod hæc poſcunt*) Eodem fere modo ſcribit lib. 1. De re ruſtica: *A quo quod indigent potu, poma dicta eſſe poſſunt.* Vetus liber hic habet: Et etiam poſtea hæc poſſunt, fortaſſe. Et etiam poſca hæc poſcunt à poto, quod πότος potio Græcè dicitur. Promulgatam tamen lectionem non moueo loco, ab alio mox principio legitur in veteri exemplari. Origo potionis aqua.

*Qui illa capit*) Legendum puto Cilibantum, capis & minores capulæ. Varro apud Nonium, *Etiam nunc pocula, quæ vocant capulas ac capides, quod eſt poculi genus.* Pocula erant capedinibus & capeduncŭlis ſacrorum ſimilia. *Magiſtri*) Qui ſunt bibendi arbitri & modiperatores. Varro apud Nonium, *In conuiuijs qui ſunt inſtituti bibendi modiperatores magiſtri.*

*Depeſta*) *Lepiſta*, inquit Pompeius, *genus vaſis aquarij*, vt & apud Nonium Varr. *Lepiſtæ etiamnunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles ſunt, aut aneæ.* In Varrone hoc loco, & libri quidam formis excuſi, ſlepeſte habent, & liber vetus manu exaratus: vbi fortaſſe ſcribendum eſt lepeſte, quod & verius puto. Depeſta à λέπαστον deducetur, cuius meminit Athenæus: vel à λεπαστή, quod ſe legiſſe Varr. profitetur in Scriptoribus Græcis, vel à λέπας. Lepeſta à λεπαστή, cuius eſt etiam apud Athenæum mentio & Heſychium, ſcribendum autem, Quare videlicet inde.

*Guttum*) Etiam guttus vas erat, quo aqua manibus dabatur: quod gutturnium etiam dicebatur. Liuius qui Homeri Odyſſeam verterat, quod ſcribit Homerus,

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ χρυσείῃ ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος.

conuertit citante Nonio argenteo polubro & aureo gutto, Ita polubrum eſt λέβης: πρόχους guttus. Polubrum etiam Trullam dicit vocari Nonius. In Varrone, hic vas eſt vinarium, vnde guttatim & minutatim vinum in Simpulum fundebatur. *Simpulum*) Nomen poculi, quo vt apparet priſci, non in ſacris tantùm, ſed etiam in conuiuijs vſi ſunt. Eratque pro cyatho. Simpulum autem quaſi ſimplum dicitur. Sic integra voce olim loquebantur, nos hodie imminuta ſimplum dicimus.

*Epichyſis*) Eius meminit Athenæus his verbis, ἐπὶ δὲ τῷ τρίποδι ψυκτὴρ χαλκοῦς ἐπέκειτο καὶ κάδος καὶ σκαφίον ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν, καὶ κύαθος, ἡ δ' ἐπίχυσις χαλκῆ, id eſt, in tripode frigidarium æneum poſitum erat, cadus, ſcaphium argenteum duarum capax heminarum, cyathus, epichyſis autem ænea. Epichyſis erat vt guttus. Nam ex epichyſi fundebatur in cyathum, cyathus vt ſimpulum.

*Vna columella*) Id eſt, vno lapide oblongo. Erat & incitega machina, vbi amphora ponebatur.

*Vrnarium*) Hic menſa eſt & locus ante balneum. Interpretatur tamen vas alio apud Varronem loco, Nonius: cum ille ſcribit, *Ad quam rem nobis eſt conſiluuium, ad quam rem vrnarium, quanquam quod pace Nonij dixerim ab vſitata ſignificatione poſſet non recedi.*

*Ante balneum*) Id eſt, Ante domus lauatrinam: nam balneum domeſticum & priuatum eſt, balnea publica.

*Imburum*) Vetus lib. *Impurro.* Prius verius puto. Eſt autem Vruum, vnde hoc verbum deductum, aratri curuatura ſimilis vncino, quæ efficitur curuatione buris & dentis, cui vomer præfigitur, at bura pars eſt poſterior aratri curua. Vruat apud Ennium pro circundat, ſcriptum erat, hic quidam bura legere malunt: nam imburum ad eam propius accedit. Bura, etiam buris Maroni dicitur,

*Continuo in ſyluis magna vi flexa domatur.*

In burim, id eſt, inquit Seruius, in aratri curuaturam. Noſtri Normanni hodieque pocillum quoddam, quo ad ſacra vtuntur buret illam. ab anate quam buram vocant, nominant. Bura autem dicitur anas, quod vt imburum videtur vrinare, aut vt vrna. Imburum vas dicitur, in quo bura vel buris eſt, id eſt, curuatura & flexio.

*Calda puls*) Scribo *calda plus*, è veteri libro. Non enim veriſimile in eo appoſitum fuiſſe pultem: ſed potius aquam calidam. Infrà vomer, quod vomit eo plus terram.

*Sedum*) Herba eſt quæ Semperuiuum dicitur. In veteri eſt, *Sonum*: puto, *Solium* eſſe ſcribendum.

*Mundus muliebris*) Tertulianus, habitus fœminæ duplicem ſpeciem circunfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro & argento & gemmis & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt.

*Cinerarius*) Etiam cinifio Horatio. *Ciniflones paraſitæ*: Sed Ciniflones Satyrica irriſione dixit. Diſcerniculum autem ab alijs diſcriminale, vt & diſcrimen in capillis. Ea acus erat, vt dicunt.

*Quod ibi ſpectant*) Legendum putauerim ſe ſpectant. Coniecturam mouet vet. lib. in quo ſcriptum eſt, exſpectant. Plautus fere eodem modo in Moſtellaria dixit, *Mutuo quæ ſe ſuamq; ætatem ſpecit ſpeculo eluſa eſt, ibi ſpectant tamen non diſplicere, ſed alterum magis placet.*

*Lanam ex lana*) Suſpicor legendum Lanea ex lana facta: vt de veſte lanea intelligamus & reliquis laneis. Addit nomen veſtis Auguſtinus & ſic legit: *lanam*: ex lana facta veſtis. Quam etiam lectionē valde probo.

*Vel abeo*)

*Vel ab eo*) Scribendum ſuſpicor, vela ab eo: vt veſtis à velis: vela à vellendo deriuentur. Veſtis tamen eſſe videtur ἐσθής. Sed cum Varrone rixari nolim.

*Item texta faſcio*) Hic deſcribitur Capital, quod linteum quoddam erat, vt ait Pompeius, quo in ſacris vtebantur: ſed olim, vt Varro ait, omnes vtebantur mulieres. Ita igitur locus eſt diſtinguendus. Qua capillum in capite alligarent, dictum capital: alij tamen ſeparant & diſtrahunt iſta, vt & excuſa ſunt: liberum cuiq; iudiciũ cenſendi relinquimus. Hic perdoctè emendauit Auguſtinus texta, cùm teſta antè legeretur.

*Sic Rica*) Granius apud Pompeium, ait, *Ricam eſſe muliebre cingulum capitis, quo pro vitta Flaminica vtatur.* Varroni etiam aliæ mulieres vtebantur ea, vt hinc apparet. Turpilius: *Interea aſpexit virginem in capite geſtantem riculam indutam oſtrinam.* Iſidoro *Ricula eſt, virginalis capitis mithra.* De Flaminica apud Gelliũ ſcribitur: *Et quod in rica ſurculum de arbore felici habet, vbi inquinatè ſcribitur Virrica. Ricam* dicit eſſet *ſudarium* Nonius.

*Prius de indutu*) Scribo: prius de indutu, tum amictui quæ ſunt, tangam. Idq; ex antiquo libro, ac ne quid diſſimulem, in eo ſcriptum erat. De indutui quaſi ſubaudito quæ ſunt, id eſt prius dicam de ijs quæ ſunt indutui: vt quæ ſunt ad indutui & amictui pertineat: quomodo retinentem antiquitatis & amantem Varronem ſuſpicio eſt ſcripſiſſe. Sic mox indutum comprehendit planè diſertèq; in eo perſcriptum erat: nec temerè mutandum, cùm antiquum ſit, & archaiſmum eſſe ipſemet annotat Varr. Induit quod corpus ita integit, vt ei adhæreat & comprehendat, vt tunica: amicit, quod corpori circumijcitur, vt pallium. Addunt & quæ præcingunt & alia iuriſconſulti, quorũ verba ſunt: Quæ induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, inijciendi, accubandiue cauſa parata ſunt. Præcingunt quæ ad medium corpus aut pectus hærent & nectuntur, vt ſtrophium, zona, caſtula. Nonius, *Caſtula*, inquit, *eſt palliolum præcinctui, quo nudæ infra papillas præcinguntur.* Cicero *Strophium accuratè præcingere.* Indutui autem & amictui veteres dicebant per datiuum, hæc loquendi genera enuntiantes. Nonius: *Caſtula eſt palliolum præcinctui.* Varr. De re ruſtic. Oleas eſui optimè condi ſcribit Cato. Reſoluuntur iſti datiui hunc in modum, ad induendum, ad amiciendum, ad edendum, ad præcingendum. *Indutui*) Ad induendum, vt paulò pòſt, Amictui ad amiciendum, vt iam dixi. Apuleius odioſus plerunq; & ineptus antiquitatis & elegantiæ affectator: non contemnendus tamen auctor, hanc loquendi formulam æmulatus eſt: quidq; indutui & amictui eſſet libro ſecundo Floridorum indicat, his verbis: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuiſſimo textu, triplici licio, purpura duplici: ipſe eam ſibi ſolus domi texuerat: habebat cinctui balteum, quod genus pictura Babylonica, miris coloribus variegatum. nec in hac eum opera quiſquam adiuuerat: habebat amictui pallium candidum, quod ſupernè circumiecerat.*

*Capitium*) Capitium, ſubucula, ſupparus hic muliebria videntur, non virilia: quanquam virorum ſubucula eſt apud Horatium:

— *Si forte ſubucula pexæ*
*Trita ſubeſt tunicæ.* —

Plus fidei tribuo Varroni, quàm Nonio: qui Capitium capitis tegmen interpretatur, niſi ſi quis defendat Nonium & capitium fortaſſe poſuiſſe, & caput & pectus tegere. De Capitio Varro apud Nonium. *Neque id ad orbita matrumfamilias inſtitutio, quod eæ pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.* De ſubucula Varro. Poſteaquam binas tunicas habere cœperunt, inſtituerunt vocare ſubuculam & induſium. Supparus in Epidico, mulierum eſt. Diſſentit à Varrone Nonius, qui linteum femorale ad talos pendens, interpretatur: ex eo dictum quod ſubter appareat. Feſtus veſtimentum dicit eſſe puellare lineum, quod & ſubucula dicatur. *Alterius generis*) Alterius formæ etſi eiuſdem ſexus: ſunt enim muliebria. *Intuſiatam*) Vulgò in Plaut. ſcribitur, *Induſiatam* & à Nonio agnoſcitur. Varro perſpicuè intuſiatam legit. Illud alterum ab induo eſſet. Muliebria autem veſtimenta ponuntur, Capitium, ſubucula, ſupparus, palla intuſium à Varrone.

*Asbeſton*) Sic legendum, non vt antè Aſbyſton. Sic vocatur linum quoddam, quod igni non conſumitur, ſed ardendo niteſcit & mundatur. Plinius *viuum* appellat: Aſbeſton igitur cùm dicit Varro, lintea ex eo confecta, & veſtimenta etiam intelligit. De eo ſic Plinius ſcribit: *Inuentum iam eſt etiam quod ignibus non abſumeretur, Viuum id vocant, ardenteſq; in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes, igni magis quàm poſſent aquis: Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere.* Naſcitur in deſertis aduſtiſque ſole Indiæ, vbi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes: aſſueſcitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu, propter breuitatem: ruffus de cætero color ſplendeſcit igni. Cùm inuentum eſt, æquat pretia excellentiũ margaritarum. Vocatur autẽ à Græcis aſbeſtinum, ex argumento naturæ.

*Amictus*) Scribo amictui, vt ſit archaiſmus. libenter enim retineo veterem ſcripturam, præſertim cum vetuſtatem olet. Lego etiam, Quod veſte ſe inuoluunt, circumiectui appellant. Vet. lib. Veſtitas ſe inuoluunt.

*Amiectum*) Id eſt, circumiectum. Mox Circumiectui, pro ad circumijciendum, dixit. Circumtextum, vt Varro dicit, vſurpaſſe videtur Maro:

*Et circumtextum croceo velamen acantho.*

Iſidorus, *Circumtextum eſt, quod Græcè Cyclas dicitur, locumq; Maronis, quem protuli, affert.* Circumtextum autem, inquit, dictum eſt, quia eſt rotundum pallium. Sic Varrone auctore. Poſt circumtextum in Marone diſtinguendum erit, vt velamen appoſitio ſit: & croceus acanthus, ſit limbus croceus, veſtem ambiens. Nam acanthus hic limbus eſt à ſimilitudine, vt Meander.

*Antiquiſſimi amictui*) Legunt aliqui, Antiquiſſimis amictui.

*Ricinium*) *Togas*, inquit Seruius, *mulieres habuiſſe Cycladum & Ricinij vſus oſtendit.* Ricinium autem dicitur, ex eo quod poſt tergum reijcitur. Hac veſte vtebantur in luctu mulieres, auctore Cicerone De legib. & Varrone: cuius hæc ſunt verba. *Et quod mulieres aduerſis rebus & luctibus, cum omne veſtimentum delicatius, & luxurioſa poſtea inſtituta ponunt, Ricinia ſumunt.*

*Dicta recluſum propter*) Legendum cenſeam, ri excluſum propter lenitatem. Nam cùm initio parilia dicerentur, ri ſublato pallia tandem dicta eſſe tradit. Vetus ſcriptura *Reliculum*, perſpicuè falſa. voluit fortaſſe ſcribere librarius ri reijculum.





*Παραπλεχεία*) Melius vt in alijs παραπήχυα, hoc nomine veſtem fuiſſe muliebrem, ſcribit Pollux. meminit & Heſychius.

*Sarriendo*) Quidam excuſi, ſarciendo: vetus lib. Sarcendo. neutri bene.

*Quod aruit*) Vide num *Adruit*, id eſt, propè ruit & iacit. Sunt qui eruit legant, omninò melius: alij arauit. Eo plus terram cùm dicit, ſuo more loquitur, vt ſuprà, quod in eo calda plus adponebantur. Plus, hic pro magis & amplius, illicque pro ſæpius, dicit.

*Manicula*) *Manibula*, vetus liber emendatè meo iudicio, & ad etymologiam Varr. accomodatè, cùm à manu bubulci verbum ductum ſcribat. Malè igitur in alijs, *Manicula* legitur, eſt autem hic bubulcus, arator. Sed quid vetat, cur buram, curuum aratri, vocatam fuiſſe dicamus.

*A curuo curuum*) Aliqui emendant, *Vruum* appellant. *Vruum enim curuatura eſt aratri.* ſic autem interpungo. Qui quaſi temo eſt inter boues, bura a bubus. Alij à bura inchoant ſententiam.

*Cauum*) Cauum in iugo, quod extrema bura, id eſt, extremitate buræ oppletur, Coum vocatur, vt ait Varro, ab eo quòd cauum ſit. Pompeio tamen Coum, lorum eſt, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictum. Hic Oppilatur, eſt oppletur, clauditur. Cicero: *Iiſque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet.* Lego autem oppilatur, non appellatur, & cauum quod, non couum. Cauum autem eſt cauitas.

*Feniſecia*) Vetus, *Feniſecta. Feniſecia* malim. *A quo rutubatri*) Alij, *Rutubri*, Mihi legendum videtur, A quo erutu raſtri dicti: vt modò: Quo ab raſu raſtelli dicti. Lego etiã quibus dentatis, nõ dentalibus.

*Adoreæ*) Vetus liber, *Arboreæ*. ſed adoreæ malim: alioqui arborariæ ſcribendum eſſet.

*Lumariæ*) Vet. lib. *Linariæ & lunariæ* ac *lunecta*. Feſtus, *Lina*, inquit, *genus herbæ vel potius ſpinæ.*

*Sirpata*) Id eſt, alligata. Nam dolia fictilia veterum quaſſa, tamen alligata, vſui erant. Malè, ſirpicea dolia, hic antea legebatur. *Inciſos fuſtes*) Inciſi fuſtes faces ſunt: *Mopſe nouas incide faces* —

*Chermoneſice*) Quidam Cherroneſitæ emendant, quidam Cremonenſes, alij Cherſoneſice. Ego hoc totum, has falcillas Chermoneſice dicunt faſces, adulterinum exiſtimo, oletq; Gallicum ſermonem. In veteri eſt, Chermoneſioe: vt videatur Germanus aut Gallus idioma ſuum adſcripſiſſe.

*Lucilij piſtrina*) Piſtricem validam ſi nummi ſuppeditabunt. Addam quæ empleuron, manphulas quæ ſciat omnes. è Lucilio adferunt, quod nonnihil hunc locum illuſtrat: dixerat autem Lucilius Priſtinam genere fœminino, vt Terentius piſtrillam.

*A molendo*) Vet. à moliendo. vt & mox: harum enim motu coniecta moliuntur.

*Vallum*) A vanno deduci ac diminui videtur: à ventilabro differt, quòd ventilabro in ventum præ ſe iactabant fruges, vt ventus difflaret paleam & acus: eratq; ventilabrum longum. Vallo fruges ſubiactantur, & in vallum recidunt ad purgandum, cum latum ſit, vt vannis facimus. Varro De re ruſtic. *Oportet è terra ſubiactari vallis aut ventilabris, cùm ventus ſpirat lenis.* Vannum interpretatur cribrum areale Seruius, quem & à Varrone Vallum dicit vocari.

*Corruebant*) Vetus, eo corruebant, id eſt, eo conijciebant. Nam in meſſorias corbes ſpicas deſectas congerebant. Varr. *Ac de ſingulis ſecant inter ſpicas & ſtramentum: ſpicas conijciunt in corbem, atque in aream mittunt.* Eſt igitur hic corruere, coniicere. ſic actiuè à Catullo vſurpatur: & in quo me corruerit genere. niſi ſi torruerit potius in Catullo legendum, cùm mox ſequatur:

*Cum tantum ardorem, quantum Trinacria rupes.*

*Tragula*) Hic trahula quidam legunt, quæ traha ſine diminutione integro nomine dicitur, nec malè. Cuius meminit Maro, addito per epentheſim e, vt Seruius notat:

*Tribulaq; traheæq; & iniquo pondere raſtri.*

Tragula iaculum à trahendo deducebat, vt & tragulam hoc loco. Huius tamen tragulæ nulla apud ſcriptores rei ruſticæ mentio eſt, quod ſciam, vt tribuli & trahæ. Tragula tamen nobis ſit tanquam trahula.

*Vehiculum*) Lego in veteri lib. Aliud ne quid geritur, quod è viminibus vietur, aut eo vehitur breui, eſt vehiculum dictum. vt duplex ſit etymologia, vna à viendo, altera à vehendo. Arceram, plauſtrum vndique tectum interpretatur Nonius. Affert è Varrone, *Vehebatur cùm vxore vehiculo ſemel aut bis in anno, cùm arceram, ſi non vellet non ſterneret.* Verba 12. Tab. ſunt: *Si in ius vocat, ſi morbus æuitaſue vitium eſſet, qui in ius vocabit iumentum dato: ſi nolet, arceram ne ſternito.*

*A parte*) Malo apertè, vt in alijs, vt dicat non eſſe obſcuram originem. pro vbi habitent, in veteri eſt, vbi habeant. Varro enim, habere libenter, pro habitare dicere ſolet. lego in veteri, oppida, quod opere muniebant mœnia dicta, quo mœnitius eſſet, quod exaggerabant.

*Munitius*) Mœnitius, vet. Mœnire enim pro munire olim dicebant. Plautus: *Magna mœnis mœnia.* Mox in veteri: *Quod contineret aggerem mœrum.* Varro præco in templo primum vocat, poſtea de mœris. Eſt enim Grammatici officium iſta explicare, quæ antiqua ſunt, & à priſcis ſcriptoribus vſurpata: quod profitetur Varro. Mox lego è veteri libro. Quod muniendi cauſa parabatur munus, quòd ſepiebant oppidum eo mœnire. Murus enim ſumma. Id eſt murus eſt ſumma ſalutis. Alij poſt enim, diſtinguunt, ſumma ad pinnas referunt. Non ſuſtineo mihi conſcius diſſimulatæ immutationis vnius literulæ. Nam in veteri libro eſt manus non munus. Sed munus legendum non temerè ſupicor. Munus autem Varro dictum exiſtimat vt mœnus à mœniendo, id eſt, muniendo.

*In gladiatoribus*) Hinc Iuuenalis fortaſſe nonnullam lucem accipit, cum ſcribit:

*Pinni rapi cultos iuuenes, puerosq; laniſtæ.*

Samnites gladiatores erant, ab armatura Samnitum appellati. Horatius:

*Lento Samnites ad lumina prima duello.*

Lucullus; *Samnis, ſpurcus homo*, id eſt, *gladiator*.

*Turres*) Potius à Græco τύρσις, [illegible] apud Nicandrum. Sed Varroni iſta vt & alia multa concedamus.

*Vacca interiore) Qui vrbem*, inquit Cato, *nouam condit, tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat, vbi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat & portet, vt portam vocet. Vrbs vt aratro condebatur: ſic aratro euertebatur.* Horatius:

*Imprimeretq; muris hoſtile aratrum,*

*Munita)* Muniti melius, vt in veteri libro, ſic mox eiuſdem auctoritate ſcribendũ. Introrſum factam, non factum. de terra enim intelligitur exſculpta aratro, & interiorem partem reiecta murumque ſimulante.

*Poſtea quod fiebat)* Vet. lib. Poſtea qui fiebat orbis vrbis principium, qui quod poſt murum pomerium dictum, cuius hic auctoritatem contemnendam non puto.

*Einſque auſpicia)* Lego, *Pomerium eius, quo auſpicia*, alij legunt, *eiuſque ambitu*. Magiſtratus autem cùm in campum ibant, pomerium tranſeuntes, auſpicabantur. Vt Cic. lib. 2. de Natura Deorum docet: *In campum euntes Magiſtratus Petroniam amnem auſpicato tranſibant, quod genus auſpicij perenne vocabant: credo quòd extra Pomerium eſſet, vt & campus Martius.*

*Circum ardolam Ardeam)* Vetus lectio, *Circum ars clam & circum Romam*. Coniicio legendum, *Circum Ardeam & circum Romam.*

*Cippi)* Cippi autem lapides erant, qui pomerium definiebant, vt quæ à Græcis ϛῆλαι vocantur. Cæſari etiam lib. 7. ſunt ſtipites demiſſi & reuincti.

*Coloniæ vt vrbes)* Vetus lib. *Coloniæ & vrbes conduntur.*

*In oppido)* Aliter diſtinctum hoc reperi in veteri libro, & alijs quibſdam verbis elatum, quæ audiuiſſe ab re non fuerit. In oppido vici à via. Quod dextra qui parte viæ ſunt ædificia, fundulæ, à fundo. Quod exitum non habet ac peruium non eſt, angiportum, ſi id anguſtum, ab angendo & portu. ac videtur verba Terentij poſuiſſe: Id quidem angiportum non eſt peruium. Puto tamen legendum cum Auguſtino ex vtraque: & diſtinguendum, Vici autem multæ habitationes & ædificia ſunt, vias cingentia. Viæ ſpatia inter vicos. In Angiportu Donatus portum domum dicit ſignificare & inſulam.

*Et caſtelli μακέλλυς)* Μάκελλος eſt ſeptum & μάκελλα in plurali, ſepta, clauſtra, munimenta & μάκελλοι quoque: μακελλωτὰς autem cùm dicit θύρας, id eſt, ianuas ſubaudiendum.

*Ad Iunium)* Sic locum Romæ appellatum fuiſſe probabile eſt: alij, quòd templum Iani propinquum eſſet, vt è Ruffo liquidò conſtat, audent mutare, ad Ianum.

*Ad corneta)* Sic in vrbe locus vocabatur à cornis arboribus, vt infrà Varro declarabit, *Inter viam ſacram & Macellum.*

*A Cupedio)* Vetus lib. *à faſtidio*, quòd faſtidioſis & delicatis quæruntur lautitiæ & cupediæ. *Si à Cupedio* legas nomen erit hominis, à quo locus appellatus ſit. A Varrone *Cupes* vocabatur in libris Rerum humanarum. Numerius enim Equitius cupes, inquit, & Armamus Macellus ſingulari latrocinio multa loca habuerunt infeſta. His in exilium actis publicata ſunt bona, & ædes vbi habitabant, dirutæ: éque ea pecunia ſcalæ Deûm Penatium ædificatæ ſunt. Vbi habitabant, locus vbi venirent ea, quæ veſcendi cauſa in vrbem erant allata. Itaq; ab altero Macellum: ab altero forum Cupedinis appellatum eſt.

*Procilius)* Sic veteres libri & rectè, non Porcilius vt multi. Cic. lib. 2. ad Atticum, his verbis: *O magnum hominem & à quo multò plura didiceris quàm de Procilio.* Lucius autem Ælius cognomento Stilo, Varronis magiſter fuit. *Deum manium)* Qui Summanus, vt Manium ſummus, vocatur & Pluto.

*Poſtulionem)* Equidem cenſeam poſtulationem legendum, imminutumque verbum eſſe ex breuitate ſcripturæ. Eſt autem poſtulatio, cùm Dij violati expiationem poſtulant, Vt aruſpices reſpondent, reſque quæ poſcebatur, poſtulatio etiam dicebatur, vt hic ciuis fortiſſimus. quemadmodum reſponderunt. Cicero: *De ea re ſcriptũ eſt, poſtulationes decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, Dijs cæleſtibus, id eſt, expiationes.*

*Eodem mitti)* Mallem eò demitti, ac vt quod ſentio, verè proloquar: cùm in antiquo libro repererim, Deum Maino poſtilionem poſtulare. vt in lubrico labor, vt legendum putem. Deũ Manio poſti leonem poſtulare, vt poſtis Manio, vel Manius ſit hoſtium orci. Leo autem vir fortiſſimus, vel Manium Deum: quidam etiam coniiciebat legendum, Peſti leonem poſtulare.

*C. Ælius & Lutatius)* Sic rectè. Nam quòd Cornelius hic ſcribebatur, natus erat error ex loco ſuperiore. Hic pro Luctatio Luceiũ quidam ſcribunt, refragantibus veteribus libris, & nonnullis excuſis. Alioqui Luceius ſcriptor hiſtoriæ fuit, vt in Epiſtolis Cicero ſcribit.

*Fulguratum)* Emendandũ adſtipulante veteri libro, *Fulguritum*. Sic fulguritæ arbores dicuntur à Plauto. Loca autem fulgurita, id eſt, de cælo tacta, ſacra erant & bidentalia vocabantur. & apud Lucanum Aruus Aruſpex collectas fulguris reliquias ſanctiſſimè condit:

— *Aruus*, inquit, *diſperſos fulminis ignes*
*Colligit, & terra mæſto cum murmure condit.*
*Datq; locis nomen* —

*Tullianum)* De quo ſic in Catilina Salluſtius: *Eſt in carcere locus, quod Tullianum appellatur, vbi paululum aſcenderis ad læuam, circiter duodecim pedes humi depreſſus: eum muniunt vndiq; parietes, atq; inſuper camera lapideis fornicibus iuncta.*

*Et de Latumia)* De Syracuſanis latumijs multa à Cicerone, vltima in Verrem ſcribuntur: in eo autem, vt & in veteribus Varronis libris, Lautumiæ ſcribitur. Nam etſi Latomia rectum eſt: tamen verba cum ſolo & regione etiam nonnihil mutant ſpeciem plerunque, quod & Pompeius in hoc verbo ſignificat. Videtur autem ſcribendum, *Inde Latumiæ*. Ita enim etiam Romæ locus vocabatur, qui carcer erat. Liuius: *Triumuiri carceris latumiarum, intenſiorem curam agere iuſſi.* In Orat. in Piſonem: vbi ſcribitur: *Cum altero Catilina laternario.* In veteri libro legi: *Cum altero Catilina Lautumario*, id eſt, carceris colono, quales plerique in coniurationis & Catilinæ ſocietate fuerunt.





*Vt eſculetum)* Eſculetum & fagutal, loca in vrbe fuerunt in Exquilina regione Lucus erat fagutilis, & templum Iouis fagutalis, vel ſacellum potius, vt Varro dicit.

*Armiluſtrum)* Armiluſtrum, quaſi ambiluſtrum. Varro dictum interpretatur ab ambitu, ſcilicet luſtri: circumque dicit fuiſſe maximum. In ludis enim expiatio & luſtratio etiam eſt, vt ſcribit Seruius, Armiluſtrum autem circuibant ludentes ancilibus, armati armiluſtrio. De quo proximo libro diſſeret Varro. Erat & Romæ vicus armiluſtri, & locus qui caput armiluſtri dicebatur, in Auentini regione: vtq; locus alius ab Armiluſtro, id eſt, circo maximo. Sed fortaſſe armiluſtrum à circo maximo diſtinguendum eſt ab ambitu luſtri: locus alter circus cum in armiluſtro Romani ſacra faciebant, ſeq; luſtrabant tubis canentes. Erat & tubiluſtrium, cum agna tubas luſtrabant.

*Spectaculis ædificatus)* Spectacula ſunt loca contabulata & contignationes, vnde ludos ſpectamus, quæ Fori etiam vocantur. Liuius: *Loca diuiſa Patribus equitibuſque, vbi ſpectacula ſibi quiſque facerent, Fori vocati.*

*Pompa fertur)* Vt pompa Circenſi. ita ſcribit Ouidius:

*Circus erit pompa celeber numeroq; Deorum:*
*Primaq; ventoſis palma petetur equis.*

Et in Amoribus:

*Sed iam pompa venit linguis animiſque fauete,*
*Tempus adeſt plauſus: aurea pompa venit.*

Illa autem in pompa tranſuehebantur Deorũ ſimulachra, Victoriæ, Neptuni, Martis, Apollinis, Cereris.

*In Cornicula)* Nomen Comœdiæ, quam etiam lib. 6. nominat Varro, legendum autem eſt militis aduentu non millies. In ea enim fabula miles ludebatur, & pro circo erat, cum per ludibrium circuiretur. Quid ceſſamus, verſus eſt trochaicus. *Magiſtratus miſit)* Vt prætor. Ouidius:

*Maxima iam vacuo præter ſpectacula circo,*
*Quadriiuges æquo carcere miſit equos.*

*Poëta)* Næuius, qui oppidum pro carceribus circi vſurpauit, Proximo verſu in quibuſdam excuſis legitur. Quod à murtis parte pinnis turribuſq; carceres olim fuerunt, quam lectionem non puto contemni debere. Nam carceres eſſe potuerunt aliquando à parte murtis ad intimum circum, qui quod pinnati turritiq; erant, oppidi præ ſe ferebant ſpeciem: à muri tamen parte non improbo.

*Ad murum)* Ad murtim vet. lib. quam lectionem veram puto. Alij, ad murtium emendant. Murtea Venus primùm, poſtea murtia dicta eſt. Plinius: *Quin & ara vetus fuit Veneri myrteæ, quam nunc murteam vocant.* Eius meminit Liuius: *Quibus vt iungeret palatio Auentinũ, ad myrteæ ſedes auta.* Eſt & Arnobio *Murcia, Segnium Dea. Murciæ*, inquit Feſtus, *Deæ ſacellum erat ſub monte Auentino, qui antea Murcus dicebatur.* Tertullianus de circo loquens, *Marciæ quoq; idolum fecit:* Murciam enim Deam marmoris eſſe volunt, cui in illa parte ædem vouere. *Tauricis)* Taurijs vet. Feſtus, *Taurij*, inquit, *ludi appellantur, in honorem inferorum Deorum facti, cùm Tarquinio regnante peſtilentia in mulieres grauidas incidiſſet, ex carne taurorũ vendita populo.*

*Curiæ veteres)* Curiæ erant in Palatina regione, eo in vico qui Curiarum dicebatur: ac erant numero triginta. Quinq; poſtea ſunt additæ. *Noua*, inquit Feſtus, *curiæ prope compitum Fabricium ædificatæ ſunt, quod parum erant amplæ veteres à Romulo factæ: ac ſacra quando ex veteribus curijs in nouas euocata ſunt curiarum quatuor: per religiones euocari non potuerunt.* Itaq; Forienſis raptæ, Vellenſis, Velitiæ res diuinæ fiebant in veteribus curijs. *Roſtra)* Roſtra erant ad comitium prope iuncta curiæ Hoſtiliæ, poſtea mutata ſunt. Itaq; erant roſtra vetera & noua.

*Subſtructus)* Erat enim ſub ſenaculo: idcirco ſubſtructus dicitur. Senaculum à ſenibus dicitur, vt à tabernis tabernaculum. Senaculum autem, quàm Senatulum malim. Nec tamen ſenaculũ erat ſupra Græcoſtaſin quod aureum Ruffo & Victori dicitur: ſed etiam ad portam Capenam & ad ædem Bellonæ. Tria enim Romæ erant Senacula, vbi Senatus haberi ſolebat: vnum, vbi ædes Concordiæ: alterum, ad portam Capenam: Tertium, vbi exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur in æde Bellonæ. *Senaculum)* Sic etiam Pompeius, qui & locum Senatorum interpretatur: ſed Lampridius in Heliogabalo, ſenatulum appellat. Fecit & in colle Quirinali, inquit, ſenatulum, id eſt, mulierum ſenatum, in quo ante fuerat conuentus matronalis.

*Lautulæ) Locus*, inquit Pompeius, *extra vrbem: quo loco, quia aqua fluebat, lauandi vſum exercebant.* Hic tamen Lautulæ in foro ſunt ad Iani Gemini ædem, quæ ærea erat. Ianus Geminus dicitur, quod duplex erat, id eſt, bifrons.

*Doliola)* Feſtus, *Doliola*, inquit, *locus eſt in vrbe ſic vocatus, quia inuadentibus Gallis Senonibus vrbem, ſacra in eodem loco doliolis repoſita fuerunt: qua de cauſa in eo loco, ne deſpuere quidem alicui licebat.* Doliola erant ad cloacam maximam, quæ in foro erat. Ponitur & Doliolum locus à Victore & Ruffo in Auentino. Locus autem ad buſta Gallica dicebatur, vt ad Corneta, ad Iunium. Oſſa conſita ſunt ſimul ſita & humata. Æquimelium autem, erat in quarta vrbis regione, vt & Buſta Gallica.

*Ab argo ſeu quod)* Vetus, *Ab argula* ſeu quod. Videtur legendum, *Ab argu lapſu*. Argu autem genitiuus erit Græcus, vt Menandru apud Terentium: vel potius, Ab argula ſeu argo: vtroque enim modo dicebatur. idque magis omnino probo. meminit Virgilius:

*Necnon & ſacri monſtrat nemus Argileti.*

*Ab his Viris)* Lego è vet. *Viocuris*, id eſt, Viarum curatoribus, vt antè expoſui. Erat autem Publiſius vicus in regione, quæ via lata dicebatur. In Ruffo tamen ſcribitur vicus Publij. hic veteres libri habent, Vicus Pullius. *Cliuus Publicius) Vicus publicus* à Ruffo vocatur: à quibuſdam *Cliuus publicus*. Erat in ſexta regione vrbis vicus antiquus publicij ad portam Trigeminam in vndecima, qua in re regione etiam velabrum minus erat & argiletum. Cliuus Publicij in tertiadecima, quæ eſt Auentini montis.

*Ad florales vſus) Ad floras ſuſus.* vet. lib. Floras pro Floræ, genitiuus priſcus, vt familias, pro ad Floræ. Suſus autẽ pro ſurſus vel ſurſum dixit. vt & Cato De re ruſtica: *Ita ſubducito ſuſum anima quamplurimu poteris.*

*Capitolium vetus*) In regione vrbis, quæ alta ſemita dicebatur, Capitolium vetus, à Victore prope templum Floræ ponitur. Ibi tria colebantur in ſuis ſacellis numina, Iupiter, Iuno, Minerua: vt vrbis tutelæ. In altero etiam Capitolio, quod erat in octaua vrbis regione, communi colebantur templo. Medium templum Iupiter tenebat, ad dextram ſuam cellam Minerua habebat: Iuno ad ſiniſtram. Proinde ſcripſit Auſonius: *Trina in Tarpeio fulgent conſortia templo.* Erant & in Capitolio Deorum ſimulachra omnium; illicq; omnes Dij celebrabantur. proinde optimus quidam & pius auctor: Capitolio, id eſt, idololatriæ opponit eccleſiam.

*Ciprius*) Erat in quarta vrbis regione. pro mitteret, in veteri legi, iniiceret. quod & magis placet.

*Ὀπισθόδομον*) Sic Athenis in arce poſticum templi Mineruæ dicebatur Opiſthodomus, quod publicum erat ærarium.

*Dicimus*) Vet. lib. *Dicamus.* Eſt profiteri hoc loco, dicare. Cicero pro Flacc. *Ad hæc prædia etiam in cenſu dicauiſti, vnde dicatio, cum quis ſe ciuitati alicui tribuit, & eius eſſe ſe profitetur.* Cicero pro Balbo, *Non eſſe huius ciuitatis ciuis, qui ſe alij ciuitati dicarit, poteſt: neq; ſolum dicatione, ſed etiam poſtliminio poteſt fieri ciuitatis mutatio.*

*Dicebatur teſtudo*) Quod appellat Vitruuius cauum ædium teſtudinatum, his verbis: Teſtudinata verò ibi fiunt, vbi non ſunt impetus magni, & in contignationibus ſupra ſpatioſa redduntur habitationibus. Pectinatum tectum, duas in partes deuexum: teſtudinatum in quatuor. De cauis ædium conſulendus eſt lib. 6 Vitruuius.

*Impluuium*) Cohors in villa dicitur, in vrbe Compluuium & Impluuium. Erat Compluuiũ ad tectum, Impluuium ad ſolum.

*Thuſcanicum*) Sic Thuſcanicum cauum ædium à Vitruuio deſcribitur, Thuſcanica ſunt in quibus trabes in atrij latitudine traiectæ habeant interpenſiua & colliquias ab angulis parietum ad angulos tignorum intercurrentes: item aſſeribus ſtillicidiorum in medium compluuium deiectas. Diodorus autem ſcribit multis artibus Thuſcos excelluiſſe, & floruiſſe.

*Cœnaculum*) Olim cœnaculum in plano erat: poſtea in ædito. Superiora enim domus cœnacula vocarunt, quæ plerunque locabant. *Rarus venit in cœnacula miles,* inquit Iuuenal.

*Hibernum*) Habuere poſtea Romani Cœnationes æſtiuas & hibernas, & cubicula hiberna & æſtiua: ſed & triclinia, quod ex epiſtola Plinij ad Apollinarem, intelligi poteſt.

*Iunonis*) Hoſpitæ quæ Lanuuij colebatur.

*Religionem*) *Ligionem* in veteri, quid ſi regionem? vt de regione vrbis intelligatur. Tutilina Dea, frumentis collectis & reconditis præeſſe, atque adeo omnia tueri cenſebatur. in veteri Tutilina hic legitur. Ædicula Tutilinæ erat in tertiadecima vrbis regione in Auentino. Erat & in circo, vt iam antè diximus, ſignum Tutilinæ.

*Næuijs*) Næuiæ ſyluæ, mentionem Pompeius facit. Hæc porta ante Capenam & Tibrim erat.

*Randuſcula*) Prope Næuiam fuit, quæ & Randuſculana vocata fuit: vt Randuſculæ vicina fuit Lauernalis, vicus portæ Næuiæ, & vicus portæ Randuſculanæ vel Ruduſculanæ & ara Lauernæ erant in duodecima vrbis regione.

*Micionis*) Mugiona porta à Pompeio dicitur, quam ſic vocatam ſcribit à Mugio quodam, qui ei tuendæ præfuerit. μυκωνὶς à mugitu Græcè vocatur à Dionyſio, ῥωμύλος μὲν, inquit, ὀρθωσίῳ διὶ παρὰ ταῖς καλουμέναις μυκωνίσι πύλαις. Erat igitur Mugiona porta prope Iouis Statoris fanum. Hic Bucitatum neſcio quod oppidum fingunt, nunquam fando auditum. Proinde vide num legendum ſit, In Buccina tum antiquum oppidum exigebat: aut potius vno verbo imbuccinatum, pro buccina citatum. Varro de re ruſtic. *Subulcus debet conſuefacere omnia vt faciant ad Buccinam.* Primò cum incluſerunt, cùm buccinatum eſt, aperiunt, vt exire poſſint in eum locum, vbi ordeum fuſum in longitudine ſit. Huius autem conſuetudinis Polybius meminit in hiſtoria ſua.

*Romanulam*) Eam alij vocant Romaniam. Volupiæ ſacellum erat in decima regione: id eſt, in Palatio, vbi vetus Roma, vel quadrata. Cuius hic portas deſcribit.

*Clauſa*) Vet. lib. aperta. puto operta legendum, quod eſt clauſa.

*Lectos*) *Lecticas,* liber vetus & excuſi, ſed lectos recte emendatum. lecti enim in lecticis ponebantur, vt in pheretro lectus mortui. Eſt enim lectica quod lecto ſubſternitur, affertur ex Attilio Ruffo, primum contra conſuetudinem imperatorum, ipſe pro lectis lecticis vtebatur.

*Quam lectionem quod*) Mallem, *Qui lecticam inuoluebant,* vt Varro apud Nonium loquitur. Lecticam qui inuoluebant Segeſtria appellabant. Proinde Segeſtria appellabant: non ſegeſtriam lego.

*In eas agus*) Equidem legendum puto, Quod in eas acus aut tomentum, prius enim illud paleam ſignificat. Antonius, ſagum, quod non probo: mox, hac quicquid lego.

*A plumis*) Vel à pluribus, vel à pollulis. Vetus liber habet poſterius vtique, optimè, vt exiſtimo. Pollula autem veteres pro paruis vſurpabant. Cato: *Labellum pollulum amphoras olearias duas,* id eſt, *paruum, exiguum, paululum.* Puluinaria igitur & puluini polluli lectuli erant. Illud à pluribus dicetur in hanc ſententiam. quod plura ea habebant. alij legunt, vel à plumis, vel à pellulis, ſed vix eſt vt pellulæ pro pelliculis dicantur.

*Galli quid*) Emendo Gallica, rectè, vt opinor; pro gaunacumma, gaunacum. Nam quod additur maius ſagum, hominis fuit non ſatis eruditi gloſſema. καυνάκαι, inquit Heſychius, στρώματα ἢ ἀμβόλαια ἑτερόμαλλα, id eſt, gaunacæ ſunt ſtragula & operimenta altera parte villoſa. Eſt & gaunace genus pallij ad induendum, effertúrq; per g & c hoc vocabulum.

*Toruinus*) Lego omnibus libris refragantibus *Torulus,* quod vocabulum lingua Gallica retinet. Plautus Amphitruone:

*Tum meo patri autem torulus inerit. aureus ſub petaſo.* Ab eadem mente eſt illud Ciceronis in Oratore ad Brutum: *Aut addit aliquos, vt in corona toros.*

Gradus)



*Gradus*) Huius gradus ſic meminit libro primo De analogia: *Quod ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile, omnes lectos haberemus domi ad vnam formam; & aut cum fulcro, aut ſine eo, nec cum ad triclinarem gradum, mentem ad cubicularem, locus igitur de tricliniari gradu eſt.* legitur in veteri libro, gerit in inferiora ſuperiorem.

*Ibi*) In ædibus, ſcilicet: quanquam hæc parum cum ſuperioribus cohærere videantur, & fortaſſe aut aliquid conturbatum aut diminutum ſit.

*Dupondius*) Dupondius, duo ſunt aſſes, Aſſipondium aſſis vnus. Olim enim aſſes erant liberales.

*Decuſſibus biceſſis*) Puto legendum, *Viceſſis:* quia mox ſequitur, Quod dici ſolitum à duobus biceſſis: vbi vetus liber bicenſis habet, ſed vt opinor, malè. Nam biceſſis duos aſſes ſignificat, viceſſis viginti, quanquam in viceſſi, vis idem eſt, quod Bis, vt Varro interpretatur duos decuſſes. Martialis:

*Amphora viceſſis modius datur ære quaterno:*
*Ebrius & crudus nil habet agricola.*

pro: quod dixi ſolum, legitur etiam. quod dici ſolitum. *Denos æris*) Id eſt, denos aſſes. Sic enim ſæpe loquebantur, & aſſes ſubintelligebant, Æs etiã aſſem ſignificat. vt in mancipijs ære librã ferito, id eſt, aſſe.

*Retro æra dicerentur*) Id eſt, in ære retro loquerentur & numerarent, pro dupondio & ſemiſſe ſemiſſem tertium dicentes, quæ fuit Seſtertij origo, vt ait Varro. Sic trientem tertium pondo vouit Ioui coronam auream Quintius, id eſt. duarum librarum & ſemiſſis; & lignum bes alterum dicebant latum, pro pedem & beſſem latitudinis habente. Sic τρίτον ἡμιτάλαντον, etiam Græci, à quibus iſta loquendi ratio manauit.

*Sembellæ quod valet*) Alij libri, quod libellæ, vt hæc quarta pars. Nam Teruncius eſt quarta pars libellæ vt quadrans aſſis. Teruncius etiam Sembellæ dimidium eſt. ita in vtraq; ſcriptura, idem ſenſus eſt: tantum Auguſtini locupletior eſt Sembellæ vocabulo. *Ab eodem*) δωτίνη ſcilicet, ab hoc enim Siculo verbo nondos tantum, ſed etiam donum manauit.

*Græcè δῶρον*) Vetus lib. Græcè vt aſſedonium, legendum. Nam Græci, vt Aſiæ δόμον. non poteſt, inquit, aliunde doni origo, quàm à δωτίνη repeti. Non enim elici commodè poteſt ex alijs Græcorum verbis donũ ſignificantibus. Quorũ tria enumerat: vnum Aſianorum, Græcorũ alterum aliorum, tertium Atticorũ.

*Ἀῤῥαβον*) Scribendum ἀῤῥαβών. mox quod ex eo quod debitum reliquit.

*Refactum*) Puto refectum, id eſt, cum minus redit, quam quanti conſtat. Cic. *Antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum tibi reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones poſſis.*

*Quam exoluerit*) Si amplius eſt quàm vt exoluat tantum, quanti ceptum eſt. legitur etiam, quam vt exolueret. Non auerſa Minerua coniicit vir elegantis iudicij Auguſtinus, ex eo luerit quam quanti.

*Intrigo*) Sic libri veteres. Sed *intertrigo* veriſſimum eſt & ingenuum: vt cum inter ſe pedes vel femina teruntur. Intrigo in his duobus tam propriè fortaſſe non diceretur. Itaq; nomen intertriginis retinendum; Intriginis propè exterminandum cenſeo, niſi ſi intrigo eſt. cùm quid alteri interitur, vt intritum & intrita in fœminino genere dicitur. Non ſolùm enim interterendo. ſed etiam interendo partes aliquæ lædi poſſunt, ac intertrigo quidem erit, ſi vtrumq; femur lædatur alterum ab altero. Intrigo ſi vnum ab altero, aut cum quid alterius tritu dolet. *Dicta vt exig*) Vetus, Dicata, vt exigi poſſit ob reatum.

*Eſſe multa*) Senſus eſt, cùm olim ſingulæ hæ appellarentur, multæ dicebantur à populo, vnde hoc nomen adeptæ ſunt. Quod vnum dicebant multa, id ex eo probat Varro, quòd cùm in dolium aut culeum ruſtici vinum addunt, prima vrna addita hoc nomen vſurpant, & multam vrnam dicunt: quod vt reor, faciebant boni ominis cauſa copiam quandam & multitudinem ominantes.

*Puniendo*) Vetus liber *pœniendo:* quod priſcum verbum eſt, ſed pœnæ valdè finitimum. vt autem priſci dicebant pro munio mœnio, ita pro punio pœnio. A pœnitendo, non reperi in veteri libro cùm pœnitere à pœna potius, quàm pœna ab eo duci videatur. aut quod poſt peccatum ſequitur, lego. vt pœna à pone quod eſt poſt deriuetur. *Corollarium*) Plinius. *Corollis inter initia propter gracilitatem nominatis: mox & corollarijs, poſtquam è lamina tenui inaurata, aut inargentata dabantur.* Iterum Plinius, *Coronarium tenuatur in laminas, taurorumq; felle tinctum ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.*

*Μοετὸν*) Μοιτὸν Verbum Siculum annotat Heſychius Siculorumq; prouerbium refert: ἡ γὰρ χάρις μοιτὸν ἀντὶ χάριν, quod prouerbium mutuum in gratia vult eſſe. Pro Moeton ἂν thymo (quod videtur eſſe mutuũ in animo) vt ἂν ſit ἀνὰ, in veteri eſt Moeton antimo. id eſt, mutuum ſupero pretio, pro ἀνὰ τιμῷ.

*Si his ea pecunia*) Hæc valde mutila ſunt, legendũ autem cenſeo. *Super ea pecunia:* vt ſupra, ſuper lectulis.

*Ad pontem*) Multi, apud pontificem emendant: Budæus pontem retineat. qui ad pontificem legunt, ratione nituntur: quòd à ſacro qui vicerat, auferebat ſacramentum ſuum. Qui pontem, quod pontem ſublicium pontifices reficere ſolerent: vnde & nomen, vt quidem cenſent, inuenere. Nam de ponte ſuffragiorum accipere ratio nulla eſt. Hic etiam alij quingentos, alij quingenos. In Probo ſcribitur: *Quando negas te ſacramento quinquagenario prouoco.* In Feſto: *Sacramentum alijs in rebus quinquaginta aſſium eſt: in alijs quingentorum ante eos, qui iudicio inter ſe contendebant. In cauſis autem ciuilibus petitor & inficiator dicuntur, vt in capitalibus, accuſator & reus.* *A populo*) Scribo, quæ populo idq; auctoritate & fide veteris libri.

*Attributum*) Cic. in Verr. *Ne diutius teneam pecunia attributa numerata eſt.* quem in locum Aſconius ſcribit. Quæ in ſtipendium militum de ærario à Tribunis ærarijs adnumerari Quæſtori ſolet.

*Æs militare*) Inde milites ære diruti quibus ſtipendia, id eſt, æra militaria non procedebant, quod æs diruebatur, tum non in militis ſacculum, ſed in fiſcum. Auſonius: *Et quia ſub Imperatore tum merui procedere mihi inter frequentes ſtipendium iubebis: ſin aliter, ære dirutum facies, vt cumulo carminis in fiſcum ſuum redacto, redeant verſus, vnde venerunt.* *Cedit miles*) Id eſt, venit miles. ſic enim ſæpe ab antiquis cedere vſurpabatur. Locus eſt in Aulularia Plauti.

*Libræ pondo*) Vetus, Libras genitiuo antiquo. *Stipo*) Vetus, ſtipo a ϛοιβὴ.

*Cum theſauris aſſes*) Id eſt, Deorum cellis, aut ſacris maioribus arcis. Aſconius: *Vnde quia maior eſt ſumma pecuniæ publicæ, quàm priuatæ, vt pro cenſu priuato, ærarium: pro loculis & arca theſauri, ita pro ſacello, fiſcus.* Hic

igitur Theſauri ſunt in templis pecuniæ receptacula: in quæ ſtipem iaciebant, vt hodie in indulgentijs fit. Cic. ſtipem, libro 2. De legibus ſuſtulit, præterquam matris Ideæ Megalenſibus, de qua Ouidius:

*Dic inquam parua cur ſtipe quærat opes?*
*Contulit æs populus, de quo Delubra Metellus*
*Fecit, ait: dandæ mos ſtipis inde manet.*

*Milites ſtipendiarij*) Exiſtimo legendum, *multi ſtipendiarij*. Sic enim vocabantur populi, qui ſtipendia pendebant, vt Hiſpani & Afri. Cic. in Verrem: *Quod cæteris, ait, impoſitum vectigal eſt certum, quod ſtipendiarium dicitur, vt Hiſpanis & pleriſque Pœnorum, quaſi victoriæ præmium & pœna belli.* non malè etiam qui militis legunt. Lego mox: ab eodem ære pendendo, è lib. veteri, quanquam impendendo ſi legatur, non multum intereſſe videatur. Non longè hinc ſcriptum reperi, & in prima penſione, & in ſecunda, & quod compenditur vna fit. legendum, quod cùm penditur: aut vt excuſum eſt, quod cùm compenditur.

*Impendium*) Sors appellatur impendium, quod ea pecunia fœnori impenditur. mallem itaque legere Impendium appellatam, quàm appellatum. Varro de eadem re, proximo lib. *Ab hac pecunia, quæ in fœnore ſors eſt, impendium quod inter ſe iungat:* latius tamen plerumque patet impendij ſignificatio, vt cum impenſam & ſumptum eo nomine intelligimus. *Loquitur*) Vetus liber, Loquuntur.

*Chryſippus*) Vetus, Ariſtippus. Alij quoque & Antipater. De Philoſophis autem Stoicis loquitur Varro, qui hiſce de rebus multa ſcripſerant, atque, vt antè teſtatus eſt, non ſolùm ad Ariſtophanis lucernam, verùm etiam ad Cleanthis iſta lucubrauit. Chryſippus autem in Stoica diſciplina notiſſimus eſt omnibus. Tres etiam Ariſtippi in Stoica diſciplina à Diogene Laërtio nominantur. Itaque quòd Ariſtippus repeteram, prætermittere nolui. *Plus literarum*) Meliores Grammatici ſunt, etſi non tam acuti, ſunt diſputatores. *Alia mutent*) Quidam excuſi, Mittant: emendo, Amittant.

*Turdelitio*) Vetus lib. *T. Turdelice*, pro *T. Turdelico*, vt puto. Itaque Turdelitius nomen eſt proprium, vt etiam Turdelicus, ſi cui magis fortè placet.

*Lucienum*) Varro De re ruſtica. *At Q. Lucienus ſenator, homo quamuis humanus & iocoſus.*

*Vt ab ſolo*) Vetus lib. *Vt à vetere, vt ab ſolu ſolum.* A vetere igitur, id eſt, ab antiqua conſuetudine. Illud, *Ab ſolu*, etiam in excuſis quibuſdam reperi. Apparet autem Varronem dicere ſolum in neutro genere, olim dictum fuiſſe in maſculino, eaque declinatione, qua Captus inflectitur. Sic legi poterit, Multa declinauit à vetere. *Quanquam*) Puto, *Quæque*.

*Mundi & motus*) Puto, *Mundi, motus*, vt ſuperiore libro: eius enim interuallum tempus eſt.

*In baſilica Æmilia*) M. Æmilius Lepidus, & M. Fuluius nobilior Cenſuram vnà geſſerunt, è quibus Fuluius Baſilicam, poſt argentarias nouas faciendam locauit. Eam Varro Æmiliam & Fuluiam appellat. Inumbrare autem, de ſolario aptè dixit ex vmbris horas quærente: vnde eius vmbilicus, qui Gnomo dicitur, σκιόθηρας, tanquam indagator vmbræ, vocatur. Inumbrauit igitur eſt, ex deſcriptione vmbræ comparauit. quod horologium σκιοθηρικὸν dicitur. De primis tamen horologijs, quæ Romæ fuerunt, paulo aliter ſcribit Plinius lib. ſeptimo. *A ſupremo*) *A ſuperrimo*, vetus lib. nam ex eo ſupremum eſt imminutum.

*Pacuuius dicit paſtor*) Fortè, Pacuuianus dicit paſtor. aut Paſtor, perſonæ nomen eſt, debetque verſui præſcribi: quod veriùs puto. *Caſſij*) Puto, *C. Actij*, legendum. Actij enim Brutus à multis citatur.

*Autumnus ab ſole*) Hic aliquid deeſt. Dicere enim vult anni tempora quadripertita ab ſole eſſe, menſes à luna. Abeſt etiam Autumni etymon.

*Ab eo noſtri*) Menſes, ſcilicet. Intermenſis autem eſt id, quod intermenſtruum nominatur, cùm luna in coitu eſt. Varro: *Inde rurſus ad nouam lunam decreſcit, quoad veniat ad intermenſtruum, è quo die dicitur luna eſſe extrema & prima: à quo Athenis eam diem appellant* ἔνην καὶ νέαν, καὶ τριακάδα. Intermenſis autem dicitur, quia olim cùm menſes luna metiretur, & prima luna primus dies eſſet menſis, extrema vltimus, hoc tempus medium intercurrebat. *Seneſcentis*) Deſinentis. *Chryſippus*) Solent libenter etymologiam verborum Stoici ſcrutari, vt Chryſippo αἰών, quaſi ἀεὶ ὢν videtur eſſe. Græca coniectura adductus, ſic reſtitui, vt excudenda curaui. *Diem acceſſerunt*) Id eſt, ad diem venerunt. Alij libri, *Dies*, habent in plurali.

*Agonalia*) V. Idus Ianuarias. De his ferijs conſule Ouidium in Faſtis. Regem ſacrificulum Varro hic dicit, Regiam, locum in Capitolio. *Agone*) Id eſt, ferione id non regem ſacrificulum, ſed miniſtrum interrogare aſſiduè Ouidius ſcribit. Ordine autem menſium ferias percenſet Varro, de quibus Ouidium conſule. *Fornacalibus ſuis*) In ſua curia fornacalibus, quæ indicticiæ feriæ erant, feriabantur & ſacra faciebant: ſed ſtulta pars populi, quæ ſua curia eſſet, ignorabat, ſed rem diuinam fornacalibus omiſſam, *Quirinalibus* faciebat. Proinde *Quirinalia*, ſtultorum feriæ vocabantur. Ouidius auctor.

*Feralia*) Hanc, quia iuſſa ferunt, dixere Ferialia lucem. Quidem codices, *Ferialia*, hic habent.

*Et cùm intercalatur*) Poſt XXIII. diem Februarij confectum, id eſt, poſt Terminalia. Romani antè annum à Iulio Cæſare correctum intercalabant: cumque eorum menſes eſſent lunares, alternis annis, vt æquarent ſpatia ſolis, vicenos binos & vicenos ternos intercalabant dies, menſemque conficiebant intercalarem, additis ei quinque diebus duodecimi menſis, qui Februarius olim erat. Ita apparet ante annum à Cæſare emendatum iſta à Varrone ſcripta fuiſſe. *Equiria*) Ouidius:

*Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen.*

Nonnulli Varronis libri *Equurria* habent, à curſu equorum.

*Sedent*) Id eſt, feriantur. Plautus:

*Venter meus reſidet Eſuriales ferias.*

Vſurpatur & à Cic. lib. 2. De legibus, vt illic explicaui. Foculum cùm dicit, ignitabulum ſignificat, paruumque focum. Eo vtebantur, cùm rem diuinam extra templa in locis non ſacris, aut in quibus ara non erat, faciebant. Cicero Pro domo: *C. Attinius bona Q. Metelli conſecrauit, foculo poſito in roſtris, adhibitoque tibicine.*





*Proinde vt ſint quinque*) Quinque dies Quinquatruum erant: quos inuexit error & ignoratio nominis, vt ait Varro. Dies enim vnus eſſe debebat quintus poſt Martias Idus.

*Fordicidia*) Horda bos & forda, Pompeio eſt prægnans, & Hordicidia & Fordicidia, hæ feriæ. Itaque per f & h ſcribitur, cùm alioqui digamma velut duplex aſpiratio ſit.

*Palilia*) Quo die Roma condita eſt, XII. Cal. Maias. Parilia appellat Cicero lib. 2. De diuinatione, & Athenæus, qui ea etiam Romana fuiſſe dicit vocata ſua ætate.

*Vinalia*) X. Cal. Maias, Ouidio: Nono, Plinio, deguſtandis vinis, inſtituta: vt illa quæ Græci πιθοίγια dixerunt. Hæc autem priora Vinalia Ioui conſecrata erant, vt poſteriora, quæ celebrabantur XIII. Calen. Septembres ad auſpicandam vindemiam. Veneris autem priora cenſebantur feriæ à multis: quem errorem annotat obiter Varro cùm ſcribit: *Is dies Iouis, non Veneris.* Ouidius:

*Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicant,*
*Quæritis, & quare ſit Iouis iſta dies?*

Quæ autem Varro de Vindemia hic ſcribit, poſterioribus Vinalibus magis conueniunt, quàm prioribus, quibus vindemiam nemodum auſpicatur. Varro: *Item adueneror Mineruam & Venerem, quarum vnius procuratio olueti, alterius hortorum, quo nomine ruſtica Vinalia inſtituta.*

*Vinum*) Vuas, Sic à Catone vinum pendens dicitur: ſic à Plauto in Trinummo vinum vſurpatur.

*Agnafacit*) Rem diuinam, ſcilicet, vt Maro:

*Cum faciam vitula, pro frugibus, ipſe venito.* Et Horatius:
*Seu poſcat agna, ſiue malit hœdo.*

Alij, Agnam facit, legunt, pro ſacrificat: quod & vſitatiſſimum eſt.

*Exta cæſa*) Exta cocta cæduntur, deinde cæſa proijciuntur in aram: ijs proiectis res diuina facta videbatur.

*Rubigalia*) VII. Cal. Maij.

*Populifugia*) Iulio menſe, ſcribendum videtur. Neque enim Ouidius in Iunio meminit, & Macrobius hac de re ſic ſcribit: *Cuius rei hoc argumentum profert, quod poſtridie Nonas Iulias re benè geſta, cùm pridie populus à Thuſcis in fugam verſus ſit, vnde Populifugia dicuntur, poſt victoriam certis ſacrificijs fiat vitulatio.*

*Caprotinæ*) Vnde natæ ſint illæ feriæ, Macrobius docet lib. 1. Saturnaliorum, cap. XI. Hic autem Varro, vt in libris eſt veteribus, ſacrificantur, pro ſacrificant, poſuit. quod verbum in Varrone annotat Marcellus.

*Togata, prætexta*) Eſt enim togata, nomen generale, cuius ſpecies ſunt Atellana, Prætextata, & Tabernaria. Pro Tabernaria videtur dixiſſe Togatam Horatius, cùm ſcripſit:

*Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.*

*In portu*) Præerat etiam portis, & clauis ei dabatur: auctor Pompeius. Eius feriæ erant ante diem XIIII. Calend. Septemb. Res diuina fiebat ad pontem Æmilium, vbi eius ædes.

*Vulcanalia*) X. Calend. Septemb.

*Opiconſiua*) Octauo Cal. Septemb. Suffibulum Varroni hic ſubligaculum videtur eſſe: quanquam id ab eo dubitanter poſitum eſt, & notatione adumbratum. A ſuffiendo autem cùm dicit, videtur eſſe à ſubter fiendo, quòd ſubter fiat. Alijs veſtimentum eſt ſuffibulum album prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite virgines Veſtales ſacrificantes habebant, idque fibula comprehendebatur: vnde & nomen.

*Vinum nouum & vetus*) Meditrinalibus muſtum vinumque nouum libabatur & deguſtabatur, bonique ominis cauſa vetus dicebatur. Sextus Pompeius, *Meditrinalia*, inquit, *dicta hac de cauſa.* Mos erat Latinis populis, quo die quis primùm guſtaret muſtum, dicere, ominis gratia: vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen cœptum, eiuſque ſacra Meditrinalia dicta ſunt. Eſt autem Meditrina, medendi Dea.

*Fontanalia*) Fontinalia, Sext. Pompeius, *quæ fontium ſacra interpretatur: atque inde dicit eſſe Romæ appellatam portam Fontinalem.*

*Id ab luendo*) Siue feriæ à loco nomen habent, ſeu locus à ferijs, vtrunque ſit, quod prius eſt, ab luere nomen ducit. Inde enim luſtrum oritur.

*Angeronalia*) Pontifices in ſacello Volupiæ rem diuinam Angeronæ faciebant, quæ Dea animorum angores & ſollicitudines depellit: vnde & eius nomen. Eius ſimulachrum erat obligato & obſignato ore. Eius erant feriæ XII. Calend. Ianuarij. Saturnalia olim XIIII. poſtea XVI. mox Opalia.

*Accalia*) Acculeia, veteres lib. Sed ab Acca, Accalia emendaui.

*Laurentalia*) *Laurentinalia*, Macrobius

*Sexto die, qui Acca*) Macrobius, *decimo Cal. Ianuarias.* Sed cùm ſolerent Saturnalia ſeptem diebus celebrari, à ſextodecimo Calend. Ianuarias Accalia, quæ X. Calend. fiebant, in ſextum eorum diem incidunt: quod Varronem intellexiſſe puto.

*Diem Tarentum*) Hoc expungendum cenſeo, ſicque legendum, Qui Acca dicitur. Hoc ſacrificium fit in Velabro. Macrobius de Accalibus: *Et ideo ab Anco in Velabro, loco celeberrimo vrbis ſculpta eſt, ac ſolemne ſacrificium eidem conſtitutum, quo Dijs manibus eius per Flaminem ſacrificaretur.*

*Feriæ non populi*) Septimontium dicit ferias non totius populi, ſed montanorum tantùm. Tum autem in ſeptem locis rem diuinam faciebant, Palatio, Velia, Fagutali, Suburra, Cermalo, Ciſpio, & Oppio. Montani autem & Pagani in vrbe, ſua quædam ſacra, ſua quædam conuenticula habebant, vt & ex hoc intelligitur loco, & ex eo quod à Cicerone ſcribitur Pro domo, his verbis: *Nullum eſt in hac vrbe collegium, nulli pagani aut montani (quoniam plebi quoque vrbanæ maiores noſtri conuenticula, & quaſi concilia quædam, eſſe voluerunt) qui non ampliſſime non modo de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreuerint.*

*Paganalia qui*) Vt Paganalibus qui ſunt, veteres libri habent. Nam & in vrbe, non ſolùm in agris, etiam pagi dicebantur: & in plebe Romana, montanis pagani videntur opponi.

*De ſtatutis* ) Id eſt, de ſtatiuis ferijs, de diebus ſtatis. Nam non rarò ſic vſurpatur ſtatutus, vt apud Cic. in Tuſcul. *Solemne & ſtatutum ſacrificium.* vbi quidam emendant, *Statum*: ſed nihil mutandum cenſeo. Pro Milone: *Statuta ſacrificia Dictatoris Lanuuini.*

*Annalibus* ) De anniuerſarijs, non tamen ſtatutis, ſed conceptiuis. Sunt autem conceptiuæ feriæ, quæ concipiuntur & indicuntur quotannis.

*Sementinæ* ) Sementinæ, multi ſcribendum cenſent, & in libro primo Varronis De re ruſtica ita ſcribunt. Res autem diuina tum fiebat in æde Telluris.

*Paganicæ* ) Aliæ à Paganalibus, vt reor: etſi Paganalia in conceptiuis Macrob. numerat.

*Nouendiales ſunt* ) Nouendiale ſacrum indicebatur publicè, quoties lapidibus pluerat. A nouem diebus, quibus feriabantur, nomen habuerunt.

*Calantur* ) Id eſt, pronuntiantur. Curia Calabra, à calando, id eſt, à vocando, nomen habebat: quòd eo populus vocabatur ad audiendas Nonas, Calendis cuiuſque menſis, ſeptimanæ, an quintanæ eſſent. Calabra autem curia erat in Capitolio, iuxta caſum Romuli.

*Iuno Nouella*) Iuno hic luna eſt, quæ etiam Iuno Lucina dicebatur. Multis enim Deabus nomen Iunonis tribuebant, vt & mulieres ſuam ſibi Iunonem adoptabant, vt viri Genium. Veteres libri, & quidam excuſi, hìc pro *Nouella*, Couella habent, vt opinor, mendoſè.

*Quinque* ) Quinquies, cùm quintanæ erant, dicebat: ſepties, cùm ſeptimanæ. Itaque Quinquies ſcribendum, & Septies videtur, aut veteri more iſta aduerbialiter dixerit.

*Vocant Itus* ) Id eſt, Iouis fiducia. ſunt enim Idus Ioui conſecratæ.

*Dies noui inciperent* ) Legendum cenſeo, *Nihil noui.* Gellius: *Religioſi dies dicuntur triſti omine infames, impeditiq́; in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri temperandum eſt.*

*Omnia verba* ) Do, dico, addico: quod eſt, Do actionem, Dico ius, addico aliquid mea ſententia. his enim tribus iuriſdictio continetur.

*Quando rex comitiauit fas* ) Pompeius, *Quando rex comitiauit fas.* In Faſtis notari ſolet, & hoc videtur ſignificare, quando rex ſacrificulus rebus diuinis perfectis in comitium venit. In Sexto Pompeio, pro *Rex*, malè *Herus* legitur. Inde etiam à Plauto, licet in aliam ſententiam, verbum Incomitio vſurpatum eſt.

*Quando ſtercus delatum* ) *In Faſtis*, inquit Pompeius, *notatur dies quo ſtercus purgatur ab æde Veſtæ.*

*Quod ver omnia* ) Vide Macrobium.

*A die Februato* ) Id eſt, à Lupercalibus, quæ diem Februatum etiam vocabant, quia tum purgabatur: quod februare eſt. vetus oppidum, id eſt, vetus Coma, quam in Palatio quadratam Romulus condiderat: & mulieres amiculo Iunonis, id eſt, pelle caprina, februabantur. Pellem autem caprinam, Iunonis amiculum vocabant, quòd capræ exuuio ſimulachra eius in Latio veſtirentur, id eſt, ægide, & ita amicta pingeretur. Cicero De natura Deorum : *Tam hercle quàm tibi illam veſtram hoſpitam, quam tu nunquam ne in ſomnis quidem vides niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis.* Quod autem Varro ait, *Gregibus humanis cinctum*, eam ( *vt opinor* ) *ſententiam habet, quòd à gregibus Lupercorum, quorum quidam Fauiani, quidam Quintiliani dicebantur, luſtratum purgabatur.*

*Verborũ declinantium* ) Vide num Declinationum, legendũ ſit, præſertim cùm paulò pòſt ſcribat, Ex eorũ declinationibus verborum. Declinationem autem appellat perſpicuè Varro, deriuationẽ & deductionem à verbis primigenijs, & (vt Cicero loquitur in Partitionibus) inflexionem. Sunt enim Primigenia Varroni, quæ Grammatici Primitiua vocant. Adſignificare autem dicit, quod in Ariſtotele Dialectici conſignificare appellant: nam adſignificat tempus, quod adiunctam habet temporis ſignificationem & notationẽ.

*Vnas. In nullis* ) Veteres libri, & quidam excuſi, *Nullius.* Ego verò legendum cenſeo, *Vna.* Sin nullius, id eſt, ſin nullius verbi primigenij originem oſtenderit.

*Principio erunt* ) *Principia*, malim. In vetere libro hanc complexionem non reperi.

*Præuerbijs* ) Præuerbia appellat præpoſitiones, quia in compoſitione verbis præponuntur.

*Democritus ſecutiq́;* ) Quidam excuſi codices, *Secutus quod*: vetus, *Securus*: emendo, *Epicurus.* Conſtat enim ſatis Epicurum infinita indiuidua corpuſcula, cenſuiſſe rerum eſſe principia.

*Ideò locus diff.* ) Vetus, *Locutus eſt:* pro, *De ijs difficile eſt loqui:* vt apud Liuium traditus antiquus.

*Quorum in partu* ) Id eſt, quorum originem meminerimus.

*Conſiliari* ) Conſiliari, eſt cogi: eoque Lucretius ſæpè vtitur. Sed conſiliari etiam veſtimentum apud fullones dicebatur, id eſt, cogi, mutatione c in ſ: vnde Conſilium.

*Libitina* ) Eſt enim etiam Libitina Venus. Plutarchus : διὰ τί τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆς Λιβιτίνης, νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην; id eſt, Cur quæ ad funera pertinent, vendunt in templo Libitinæ, exiſtimantes Venerem eſſe Libitinam? Eſt & luctus quo efferuntur mortui, inquit Acro.

*Mamuriam veterum* ) Veterem memoriá cani a Salijs exiſtimare videtur Varro. Alij tamen ab ijs Mamurium Veturiũ cantari dicunt. Sextus enim Pompeius, Mamurij Veturij nomen frequenter celebrari Romanis cantibus, quòd ancile cælo delapſum multis factis ſimilibus imitatus ita eſſet, vt verũ illud cælo delapſum internoſci non poſſet. Plutarchus eiuſdem rei auctor eſt, qui vtranque etiam opinionem his verbis refert: Οἱ δὲ Οὐετούριον Μαμούριον εἶναι φασὶ τὸν ᾀδόμενον· ἄλλοι οὐέτερεν μεμορίαν. id eſt, Alij Veturium Mamurium eſſe aiunt qui canitur, alij veterem memoriam. Hìc veteres libri habent Mamuri veteri in vocandi caſu: quam veram lectionem puto: & à Varr. ſub nomine proprio, intelligi memoriá veterem cenſeo.

*Itaq́; Terentius ait* ) Opinor apud Terentium locum non extare: & in veteribus, *Inuentius* ſcribitur, non *Terentius.* *Narum* ) Id eſt, gnarum: id enim abſque g veteres dicebant.

*Ab tacendo* ) Veteres lib. *A iacendo*: puto: *A dicendo.* Nam primam dixit actionem mentis & animi, ſecundam orationis, tertiam factorum. De prima adhuc egit, ſequitur proxima.

*Ac fatuus fari* ) Puto, Fatuus ac fari id factum: vt ſignificet per imitationem eſſe facta hæc vocabula, quanquam, *Ac fatuus* redundare videtur, cùm de eo pòſt agat.





*Extra vrbem agris* ) Ager poſt pomeria, vbi captabantur auguria, dicebatur effatus, vt Seruius ſcribit.

*Profanatum* ) Id in decima Herculis vſurpabatur. Macrobius: *Et bene re geſta decimam Herculi profanauit.* Quòd autem Pollutum à porriciendo dictum ſcribit Varro, mirum eſt, cùm Polluctum ſcribendum eſſe videatur, vt à Plauto dicitur in Rudente:

*Ni daturus nihil ſim, neq́; ſit quicquam pollucti domi.* Iterum:
*Non ego ſum pollucta pago.* — & à polluceo deductum ſit. Plautus:
*Vt decumam partem ex voto Herculi polluceam.*

Niſi fortè pollucere à porricere declinatum putat, quod veriſimile eſt.

*Vt cum profanum* ) Puto, Profanatum.

*Pes betæ* ) Libro primo De re ruſtica; *Pedes betaceos eodem modo dixit.* Nam malo de meis pedibus audire, quàm quemadmodum pedes betaceos ſeri oporteat. Sic autem vocat propagines betarum, atque adeo betas ipſas, quæ ſeruntur. *Fanis Sabinis* ) Ex aliquo veteri ſcriptore.

*Conſulendi* ) Conſolandi cauſa, legendum: vt apud Catullum: *Quia ſolatus es allocutione.*

*Dictum à concinne* ) Puto, A concino, quod eſt conſono. Veteres libri, Continuè loqui à continuo habent, malè vt opinor. *Dictum & nuntiare* ) Putem legendum, Dictum enuntiare.

*Poëta cogitante* ) Sic de poëta etiam Terentius dixit:

*Sed hic actor tantum poterit à facundia, quantum ille potuit cogitare commodè,*
*Qui orationem hanc ſcripſit quam dicturus ſum.*

*Ab quis rebus* ) Cenſeo emendandum, Ab nouis rebus, vt nuntium ab nouo interpretetur: cùm præſertim cauſam reddat, & nouitatis mentionem ſuperiore complexione fecerit. Nouum autem à Græco νέον deduci poſſe ait.

*Nouiſſimum* ) Equidem miror Gellium affirmare hoc verbo Ciceronem non eſſe vſum, cùm & in oratione Pro Roſcio Comœdo, & alijs in locis, eo vtatur. Ælius autem, cuius hic meminit Varro, is fuit, qui cognomento Stilo & Præconinus vocatus eſt, ipſius (vt aiunt) Varronis magiſter.

*Indicit illum* ) Fortè, Indicit bellum: atque ita legendum cenſeo. Aut, Indictiuum illi mortuo funus prædicat: aut, Prædicat illius Dei indictiuas ferias. Illum, enim pro certo quodam poſuit.

*Prodixit diem* ) Id eſt, diem ante dixit & ante denuntiauit. Cicero Pro domo : *Ne niſi prodicta die quis accuſetur.* Addixit iudicium, eſt (vt puto) Addixere iudices, addixit prætor.

*Dictum* ) Id quod ſalſe dicitur: minuſque dictioſus eſt, qui ſalibus abundat.

*Caſtrenſibus ducibus* ) Pro Ducibus quid hic ſubſtituendum ſit, adhuc quæro. Mihi quidem deprauatiſſimus eſſe videtur locus. In manipulis caſtrenſibus eſt decanus, ſed eius alia origo. *Diceibus*, aliquando legendum putaui, ſed malè, nihilque quod placeat, nunc in mentem mihi venit.

*Dicitur in imo* ) Vetus ſcriptura, *Dicuntino*. vide num, Dicunt in os, legendum ſit, vt in os laudare, apud Terentium. Aut potius Dicuntino erat perſona aliqua Imperatiui apud veteres, vt apud Catonem : *Vino præfamino*, id eſt, prædicito, antè dicito. Ex quo flagitiose & indoctè factum eſt à nonnullis adiectiuum præfaminum. Sic Plautus in Pſeudolo: *Si hic quo progreditur, pariter progredimino.* id eſt, progreditor. Alij dicitur innuo, pro, non conueniunt nunc iudices, ſed iam oratores dicunt.

*Dicis cauſa* ) Soſipatro nomen eſt indeclinabile, Dicis, genitiui caſus. ſic enim ſcribit: *Alia vnius tantum caſus ſunt, vt, haud ſecus ac iuſſi, faciunt: adfatim, adincitas, inficias, ſuppetias, pedum, ſponte, dicis, ergo, nequam, nihili, frugi.* Vſurpatur à Cicerone Pro Muræna: *Sed anne tu, dicis cauſa, vindicaueris?* Et in Verrem: *Artagatho imperat vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſa daret.* Varro hoc lib. *Id inceptum credo, cùm non adeſſet accenſus, & nihil intererat cui imperaret, & dicis cauſa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta ſemper.* Plinius lib. XXVIII. cap. 2. *Si pontifici accidat, dicis cauſa epulanti in menſa vtique id reponi, adolerique ad Larem, piatio eſt.* Ac videtur eſſe. Dicis cauſa, idem quod verbi cauſa.

*Si dico* ) Lego, Sic dico: & mox, Quod det, lego. Quod &.

*In veſtimento ſartum* ) Non tam videtur ſartum à ſerie, quàm à ſarciendo deductum, quamquam ſecus Varroni videtur. Cùm autem in Moſtellaria Plauti ſcribitur: *Non veſtem amatores mulieris amant, ſed veſtis fartum.* aliquando ex hoc Varronis loco emendandum ſartum putaui: ſed nunc fartum præclare conuenire, nihil mutandum eſſe intelligo.

*Nam manum aſſerere dicit* ) Puto dici, conſerere manu cum hoſte, ſubaudita pugna. Inde illud, *Ex iure manu conſertum, quod ex formula ſine mutatione caſus dicitur.* vt apud Ciceronem, *Condemnari arbitrium pro ſocio.* Nam & hic, *Arbitrium pro ſocio*, ſine declinatione vſurpatur ex iudicij formula, & *Conſerere manum*, tanquam *conferre & commiſcere*, eodem. Sic, *Aſſero manu* dicitur, pro *Manu vindico.* & *Aſſero manum*, pro *Manum admoueo, impono, & tanquam iuxta ſero & pono*: vt Aſſitæ dicuntur arbores, propè ſatæ. Augur igitur manum imponens, cùm inaugurat, verbi auctoritatem ab eo, quem inaugurat, petit. Liuius de Augure: *Tum lituo in læuam manum tranſlato, dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt ita, Iupiter pater, ſi fas eſt hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romæ eſſe:*

*Sors eſt. Impedium, quod inter* ) Sors quod inter ſe iungat, legendum exiſtimo. Nam impendium, vt ſortis gloſſema, huc inculcatum arbitror ſatis inconſideratè.

*Apriſſius* ) Vetus ſcriptura, Imitans Chryſippus io buco quis me iubilat? Vicinus Atus antiquus. Videtur autem Varro ſignificare ab Io ductum iubilare eſſe.

*Qui id dum facit, oblig.* ) Sponſi hic ſunt ex ſponſu obligati, conſponſi. Nam conſponſos veteres appellabant, fide mutua obligatos, & ſponſos obligatos: vel, vt Varro ait proximo libro, contra ſponſum rogatos, id eſt, ad ſpondendum. *Qua pecunia* ) Sipontinus, *Qua*, legit: optimè, meo iudicio. Quod autem mox ſequitur, Contra ſponſum, putem, Ad ſpondendum, id eſt, ad mutuam quandam ſponſionem. Itaque proximo libro legitur, Sponſus contra ſponſum rogatus, id eſt, ad ſpondendum rogatus.

*Non enim ſi nolebat* ) Non poterat enim non dare, cùm iam extra eius arbitrium & poteſtatem eſſet. Nam tum prætor ducere cogebat, quod eius iudicium ad legem eſſet, quæ ſtipulationes confirmat, quales erant in ſponſalibus, non ad æquum: vt poſtea verum cenſorium iudicium ad æquum tum erat, vt memoria Varronis prætorium. Prætor enim tandem legis interpretationem ſibi vſurpauit, & ei addidit ius honorarium, quod quibuſdam de cauſis ſponſalia diſſoluebat.

*Conſpondere*) Hic Conſpondere lego, à ſpondere. Nam etiam apud veteres ſpondere, erat dicere: vnde reſpondere, quod eſt, poſt alium dicere. Hic autem Ad ſpontem reſponderent, legendum videtur. Interpretatur enim, ad ſpontem, ad voluntatem: quamquam Grammatici tantum in ablatiuo reperiri cenſent. Celſus etiam dixit hominem ſuæ ſpontis. Legendum puto, Spondere quoque dixerunt, tum à ſponte reſpondere, id eſt, &c. *Sperata eſt*) Sperata eſt, quam quis vxorem fore ſuam ſperat.

*Dicit præs* ) Videtur ſignificare præs eſſe ductum ex voce multitudinis acclamantis præs, pro præſtat imminuto vocabulo.

*Vas*) Sponſor in re capitali poſtea ſic appellatus eſt, ſed initio is erat, qui ex pactis conuentis & mancipijs, ſe vadimonio pro reo obſtringeret, ſi res fortè ab emptore euicta eſſet. Itaque à quo aliquid emebatur, ſi ſatis idoneus non eſſet, ab eo vas, id eſt, qui vadimonio obligaretur, in euictionis periculo exigebatur. Hanc autem fuiſſe vadis ſignificationem ex lege venditionis apparet, in qua nominatim cauebatur, plerunque ne venditor vadem daret, ne emptor vadem poſceret, ſi quando res euinceretur.

*Non cum præpoſitione* ) Os enim in dictione oſnamentum, præpoſitio eſt, quæ non eſt in ornamento. Nomen enim quod præponitur, ab eo præpoſitio vocatur.

*Facit fabulam* ) Comœdiam verbi gratia facit, vt Menander fecit Andriam & Perinthiam.

*Inficientem* ) Sic eum vocabant qui ocioſus erat, & nihil adebat, à non faciendo. Varro De re ruſtica: *Neque ipſæ ſunt inficientes, neque non oderunt inertes.* Indicat enim gnauas eſſe & operoſas apes.

*Qui adlucet* ) Lucere, eſt cereum aut facem ferre. Plautus Curculione:

*Tute tibi puer es lautus, luces cereum.* Et Caſina:
*Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem.*

Lucere igitur dicitur, qui lumen fert, id eſt, qui adlucet, vt Varro loquitur: quod eſt, luci adiunctum eſſe, vt adſignificare, eſt adiunctum eſſe ſignificationi. Ergo non propriè dicitur facere. Non enim eius lux eſt, ſed lumen gerit. Lucere porrò ab luere, quod eſt ſoluere, Varro deducit.

*Ablutæ*) Si ex veteri libro emendaui. In alijs eſt, Ab luce, ſi quis fortè id magis probat. Abluere autem tenebras dicebant, pro diſcutere & diſſoluere. Lucretius:

— *Nigraſq́; ſibi abluit vmbras.*

id eſt, tenebras diſturbat.

*Noctiluca lucere* ) Varr. lib. ſuperiore de luna: *Itaque ea dicta Noctiluca in Palatio.* nam ibi noctu lucet templum. Atque is eſt cultus, quem hoc loco dicit Varro, ſignificans Romæ eius templum noctæ lucere.

*Quæres* ) Id eſt, aliqua res.

*Atticum illud* ) Acticum, vetus ſcriptura, pro Actianum: ex Actio enim iſtud eſſe puto.

*Cum muliere fuiſſe*) Cicero De fato: *Non poterit dici, ſiue Laius fuerit cum muliere, ſiue non fuerit.* Hìc illam veterum verecundiam tenuit Cic. concubuerit enim non dixit.

*Et qui id teſtamento*) Locus mutilus eſt. Sic in integrum reſtitui poſſe videtur, Et quod in teſtamento cernito: id eſt, Nam in cretione cernito à teſtatore vſurpabatur. Vlpianus: *Cretio eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto hæredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hæreditatem, nécne:* velut, *Titius hæres eſto, cernitoq́; in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſq́;: niſi ita creueris, exhæres eſto.* Vetus ſcriptura ſi quam meliorem poteſt coniecturam alijs afferre, à me adſcribetur, Et quid id teſtamento, id eſt.

*Ter ſub armis malim* ) Ennius ex Euripide vertit ſanè quam eleganter, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Vitam cernere dixit, pro, de vita decernere & dimicare, vt alio loco: Vitam cernamus vtrique, voſne velit an me regnare hera.

*Nos epulo*) In Pompeio legitur, *Quos vbi rex paulo aſpexit de cotibus ſummis*, vitiosè & mendosè, vt puto.

*Audio aut aſculto* ) Vide num legendum ſit, *Audio haud auſculto.* Etenim locus ſignificare videtur audiendum, non parendum. Sic Ennius, cuius hic etiam locus, vt reor, à Varrone citatus eſt, apud Ciceronem ſcribit, *Magis audiendum quàm aſcultandum cenſeo.*

*Nuntium erit* ) Exiſtimo, Nuntiatum erit, legendum eſſe, pro, nuntiata erunt ei ab augere ſecunda auſpicia. Nam nuntiare in lætis dicebant, vt obnuntiare in malis auſpicijs. Cic. in Antonium: *Nos enim nuntiationem ſolum habemus, conſules etiam electionem.*

*De mœris* ) De muris. Veteres autem mœnire pro munire, & mœrum pro muro dicebant.

*Myrrha vnguentiſq́;* ) Vnguenta compoſita ſunt, myrrha ſuopte conſtat ſolo ſucco. Itaque ab vnguentis eam idcirco ſeparauit, vt arbitror.

*Poteſtate* ) Sic emendaui ex libro vetere, in quo legitur, *Poſtante* habet. In alijs malè eſt, vt reor, *Poſt autem conuentionem* habet. *Ad iudices*) Ad conſules. Olim enim iudices appellabantur. Cic. De legib. *Regio imperio duo ſunto, ijq́; præeundo, iudicando, conſulendo, prætores, iudices, conſules appellantor.*

*Hic accenſo ille* ) Conſul dicit, *Id accenſo*: Cenſor non accenſo, ſed præconi.

*Comœdiam alij* ) Hanc comœdiam M. Accij Plauti eſſe Varro exiſtimat, alij Aquilij eſſe exiſtimabant. Itaque hic pro alij, *Aquilij*, legendum eſſe ſuſpicor. Vide Gellium lib. 3. cap. 3. quam comœdiam Plauti eſſe exiſtimo, alij Aquilij eſſe dicunt, legito.

*Mittas auſpicium* ) Mittas qui nuntiet ſecundum eſſe auſpicium ad commeatum petendum, id eſt, vt tibi liceat inquirere.

*Cornicinem*) Omnes libri, *Cornicem habent: ſed Cornicinem* emendaui, ſic orationis emendatione poſtulante.





*Argentarij tabern.* ) Tabernæ argentariorum in comitio ac foro erant, vbi futura erant comitia. Ideò occludi iubentur. Liuius: *Vt vocato præcone, tabernas argentariorum, quæ circa forum Romanum nunc eſſent, extemplo iuſſerit vænire.*

*Concionem auoces* ) Auocare concionem dicebant veteres, cùm quis etiam ab alio, qui populum iam conuocaſſet, auocare poterat: & eo auocandi verbo vtebantur, ius ſignificantes habendæ concionis, & alijs adimendæ. Gellius: *Conſul ab omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem auocare poteſt: prætor & comitiatum & concionem vſquequaque auocare poteſt, niſi à conſule.* Legi tamen etiam poteſt in hoc Varronis loco, *Concionem aduoces*, vt paulò pòſt. *Quod attingat* ) Quod incipiat, quod inchoet, quod ingrediatur.

*Claſſicus canat circumq́;* ) Claſſicus erat, qui in arce circumque muros tuba populum ad comitia vocabat centuriata. Tuba illa claſſicum dicebatur, à claſſibus populi. Nam comitia centuriata ex centurijs claſſium habebantur.

*Ex yſq́; interea* ) *Illicium*, inquit Pompeius, *dicitur cùm populus ad concionem elicitur*, id eſt, *vocatur.* Et alio loco. *Illicium vocare antiqui dicebant, ad concionem vocare.* *Inlicis*) Id eſt, illicis, ab illix.

*Et dicis cauſa*) Verbi gratia. *M. Iunij* ) Gracchani.

*Illicitè illexit* ) Legendum puto, *Illigit*, illecitque, i cum e, & c cum g magnam habet affinitatem. In Commentarijs enim Iunij ſcriptum erat, *Illigit*, pro *Illicit*, & *Illecit*, pro *Illicit*. Græca, quæ ſequuntur, multis locis emendaui, ſecutus veſtigia perquàm obſcura veteris ſcripturæ, quam librarius Latinus, qui Græcè neſciebat, vt potuerat, depinxerat.

*Nam repens ruina* ) Sic ex veteri libro emendaui, ſanequàm ad ſenſum accommodatè. Ruinam enim eſſe factam in multis vocabulis ait, quæ à ſua origine vſqueadeò immutata ſunt, vt vix veſtigia tenuia eius appareant, cum initio fortaſsè, quibus literis oporteret, verba condita forent.

*Impoſitoris* ) Sic contra codicum fidem emendaui, in quibus omnibus, *In poſteriores*, legitur.

*Myrmecidis* ) Hunc totum locum nullo libro aſtipulante emendaui, hiſtoriam ſecutus. Ælianus: Ταῦτα ἄρα ἐστὶ τὰ θαυμαζόμενα Μυρμηκίδου τοῦ Μιλησίου καὶ Καλλικράτους τοῦ Λακεδαιμονίου τὰ μικρὰ ἔργα. Τέθριππα μὲν ἐποίησαν ὑπὸ μυίας καλυπτόμενα, καὶ ἐν σησάμῳ δίστιχον ἐλεγεῖον χρυσοῖς γράμμασιν ἐπέγραψαν. i. Hæc admirationi ſunt Myrmecidis Mileſij & Callicratis Lacedæmonij parua opera. Quadrigas fecerunt, quas muſca tegeret, & in ſeſamo diſtichum elegiacum literis aureis ſcripſerunt. Plinius: *Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, à quo quadrigam ex eadem materia, quam muſca integeret alis fabricatam, & nauem, quam apicula pennis abſconderet.* Alio loco: *Myrmecides, cuius quadrigam cum agitatore cooperuit alis muſca.*

*Lucubra* ) Non multa ſunt verba, de quibus literæ lucubraturæ non ſint, id eſt, de quibus originis rationem Grammatice non ſit traditura.

*Licet multum* ) Quanquam Ælius perſtudioſus erat euoluendi veteres ſcriptores: tamen in carmine Saliorum explicando præterijt multa, & leui ac exili opera rem illam tractauit.

*Epimenidis ſomno* ) Sic emendaui, cùm pro expeditus, quod eſt in omnibus libris, experrectus in veteri reperiſſem. Epimenidis autem ſomnus, vt omnes ſciunt, in prouerbium abijt.

*Teucer Liuij*) Teucer, tragædia erat Liuij Andronici: ſed exortis mox melioribus poëtis, qui & alias fabulas, & Teucrum etiam ediderant, obſoleuit. Teucer autem Pacuuij à Cic. nominatur lib. 1. De oratore, & laudatur. *Foris in carminibus Saliorum*) Saliorum enim carmen Numa, qui Salios inſtituit, etiam condidit, vt Horatius ait:

*Iam ſaliare Numæ carmen qui laudat.*

*Multo tanto* ) Multo nobis propinquius. Multo tanto, more Plauti dixit.

*Prima verba poëtic.*) Nullum enim apud Romanos vetuſtius erat poëma carmine Saliorum.

*Vt quærere à qua re ſit* ) Sic ex veſtigijs veteris ſcripturæ emendaui. In alijs eſt, *Vt quia quare.* Significat autem omnium verborum origines explicari non poſſe, vt vnde Medicina.

*Vnus erit quem tu tolles* ) Ex Ennij annalibus verſus eſt, de Romulo in Deos referendo, quem paulùm immutatum Metamorphoſi Ouidius inſeruit:

*Tu mihi concilio quondam præſente Deorum,*
*( Nam memore, memoriq́; animo pia verba notaui )*
*Vnus erit quem tu tolles in ſydera cæli,*
*Dixiſti, rata ſit verborum ſumma tuorum.*

*Hecuba* ) Ennij fabula locum Euripidis hunc vertiſſe videtur: Αἰθέρ' ἀμπτάμενος οὐράνιον ὑψιπετὴς εἰς μέλαθρον, &c. *Acheruſia templa* )

*Hemiſpærium* ) Sic correxi, ſecutus vetus exemplar, in quo etiam pro, *Terra cerulo*, erat, *Conca cerulo*. Exiſtimo Concha cerula legendum, vt concaua cæli conuexitas more tegumenti conchæ concamerata, per tranſlationem intelligatur. Alius poëta, *Cæli clypeum*, eodem ferè modo dixit.

*Olla ter* ) Veteres lib. *Vlla ber:* & mox, *Olla ver*. Fortè, Vera legendum, vt arbore vera ſignificet ſe finire templum. *Interea conregione* ) Conregionem augures, regionem intra fines comprehenſam vocabant. Conregione autem & Conſpicione dicuntur abſolutè ſine participijs, vt apud Plautum: *Mirum eſt te lolio victitare, tam vili tritico*, id eſt, *cùm triticum tam vile ſit.* Et apud Salluſtium: *Ipſa malis fructibus vix agitat*, id eſt, *cùm mali fructus fuerint, & propè ſterilitas.* Malè autem Coneretione & Senſit legebatur.

*Contempla & templum* )

*Quod addit*) Puto legendum, Quod ad id templum, vt ſint dextra, aiunt ſancta eſſe. Reprehendit quoſdam, qui quod augures in augurando dicunt, templum quauis tectum in dextrum, interpretantur ſanctum eſſe templum omne.

*Nam curia Hoſtilia templum*) Gellius: *Propterea & in curia Hoſtilia & in Pompeia, & pòſt in Iulia, cùm profana ea loca fuiſſent, templa eſſe per augures conſtituta, vt in ijs ſenatuſconſulta more maiorum iuſta fieri poſſint.* *Curia*, inquit Varr.

quit Varr. *Hoſtilia, templum erat, nec tamen ſacra erat: ſed quòd pleraque ædes ſacræ etiam templa ſunt, quæ quidem ædes eædem ſanctæ ſunt, factum eſt, vt quidam templum omne ſanctum eſſe putarent.*

*Teſca*) Teſca erant Deo ſacra agreſtia quædam loca. Templa autem & teſca pro eodem augures dicebãnt. Hinc factum, vt quidam omne templum ſanctum & ſacrum eſſe crederent.

*Celſa Cabirum*) Verſus ſunt Anapæſtici ex Philoctete. Cabirorum autem myſteria erant in Lemno & Samothrace. *Vnde ignis*) 2. Thuſculana ita ſcribitur: *Quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium, vnde ignis lucet mortalibus clam diuiſus.* Ex eo Cic. loco Varronem emendandum cenſeo, in eoq; legendum, *Lucet mortalibus clam diuiſus:* non (vt vulgò) *Mortalibus diuis.* Vetus lib. *Clauet præ ſe fert*, vt forte fuiſſe videatur *Claret*. Ex Lemno autem inſula furatum, Neuius ait, ignem Prometheum, ideoq; furtum Lemnium appellat Cic. & Æſchylus ignem Vulcani rapuiſſe in ferula Prometheum dicit.

*Ideoq; ſancta*) Teſca, ſcilicet vocauit: ſed quod, vbi in Lemno myſteria fiunt, tuentur ea videntq;, ideò Teſca dicta. *Non editumum*) Varr. æditumum quam edituum dicere malebat. Illa enim ætate æditus nominatus eſt. Lib. 1. De re ruſtica: *Rogatus ab æditumo, vt dicere didicimus à patribus noſtris, vt corrigimur à recentibus vrbanis, ab æditno.* *Continuis ſe cepit*) Puto legendum, *Continuis ſi vel ſic cepit ſpolijs.* Verſus ſunt Anapæſtici. *Circum cæli*) Circuitum, ambitum cæli.

*Signum candens*) Sic reperi in veteri libro, nec contempſi, cùm præſertim ſignetur & inuratur pecus, vt eſt apud Maronem: *Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.*
Alij, ſignum cadens. In Euryſace: propter ea quod ex Euryſate Actij à Nonio affertur hìc Anapæſtus: Super oceani ſtagna alta patris terrarum anfracta reuiſam.

*Anfractum*) Interpretatur Varr. flexum: eiuſq; duplicem originem dicit, ambire, & frangere.

*In directo*) In itinere lex cauet, vt in directo ped. octo ſint, in flexu ſedecim, ad flectendi plauſtri commoditatem. *Terrarum obtines*) Apud Ciceronem libro poſteriore de Diuinatione, legitur *Obſides*, & additur alter verſus: Vnde ſuperſtitioſa primùm ſæua euaſit vox fera. Videtur autem tollendum o, cùm poſterior verſus perſpicuè ſit Trochaicus.

Ἡ χθὼν) Terra Pythagoræ: ſed Pythagora, genitiuus eſt Doricus. Pythagoras autem philoſophus, terram in homine partem appellabat genitalem: quòd ea pars, vt terra in mundo, procreare ſoleat, & in homine, qui paruus eſt mundus, vt in mundo maiore, terra ſit media. Itaq; vt lineæ ab ambitu cæli ductæ conueniunt in terram, vt centrum: ita quoq; genitalem partem, mediam eſſe Pythagoras voluit. Vitruuius tamen eos ſequitur, qui vmbilicum, medium eſſe dicunt, & hominis centrum. Eius verba ſunt: *Item corporis centrum medium naturaliter eſt vmbilicus.* Namq; ſi homo collocatus fuerit ſupinus manibus & pedibus panſis, circiniq; collocatum centrum in vmbilico eius, circumagendo rotundationem, vtrarumq; manuum & pedum digiti linea tangentur. *Quo diſcernitur*) Per genitale.

*Allatum*) Vetus, *Allatus*. Puto, *Ad latus*. Narrabant autem fabulam, olores aut aquilas ab vltimis mundi oris in Mediterranea prouolantes, illuc concurriſſe, qui vmbilicus dicitur. Plutarchus: Ἀετούς τινας ἢ κύκνους, ὦ Τερέντιε Πρίσκε, μυθολογοῦσι ἀπὸ τῶν ἄκρων τῆς γῆς ἐπὶ τὸ μέσον φερομένους εἰς ταὐτὸ συμπεσεῖν Πυθοῖ περὶ τὸν καλούμενον ὀμφαλόν. Et Pauſanias: Τὸν δὲ ὑπὸ Δελφῶν καλούμενον ὀμφαλὸν, λίθου πεποιημένον λευκοῦ, τοῦτο εἶναι τὸ ἐν μέσῳ γῆς πάσης αὐτοὶ λέγουσιν οἱ Δελφοὶ, καὶ ἐν ᾠδῇ τινὶ Πίνδαρός σφισιν ὁμολογοῦντα ἐποίησε, id eſt, Quem autem appellant Delphi vmbilicum, lapide candido perfectum, aiunt ipſi vniuerſæ terræ medium eſſe, & in quodam cantico Pindarus ijs adſtipulatus eſt. Varro autem hanc opinionem refutat.

*Noſtri interpretes*) Noſtri poëtæ, qui de poetis Græcis interpretantur. *Calydonia altrix*) Ex Euripide eſt.

*Quid dedere quàm pudam*) Tantum in veteri eſt, Areopagitæ. Forte pro, *Quam pudam*, legendum, *Quam pudet*. *Quaſi Helleſpontum*) Eſſe videtur quod apud Ciceronem ſcribitur in Oratore ad Brutum, qua pontus Helles. Itaque pro *Quaſi*, lego *Qua*. *Hinnulis*) Ab inſulis, reperi in veteri libro: quod & ſecutus ſum. Inſulas autem vocat ſcopulos, qui a ſimilitudine caprarum αἶγες vocantur.

*Qui perit qui dum mare*) Fortè, Qui per mare. Conferre queant, perſpicuè ſcriptum reperi, vbi Conferre aut, libri omnes habent.

*Sed velatas*) Cùm Velatas dicit Neuius, velamenta lanæ ſignificat. Mox Cornua taurûm, cùm ſcribitur, ſignificatur vmbra cornuta, à ſimilitudine.

*Oſculo dolori*) Fortè, Orculo, ab orco: vt ſ ſit pro r. Parum hic plana eſt vetus ſcriptura.

*Iani Cuſianes*) Iam Cuſiones, lego. Cuſiones enim pro Curionibus dicebant.

*Nuſceruſes*) Sic veteres libri. Puto, Nunc Curiones. Alij hic legunt, Tuſcules quinque, venus quæ vener poſt.

*Diuius Ianus venit*) Venet v. l. ſunt curiones qui iam venerant ad omina Diuius & Ianus.

*Quam primum Caſci populi*) Hunc Ennij verſum ſignificat Cicero prima Tuſculana, cùm ſcribit: *Itaque vnum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum.*

*Canoras*) Conuenientes & concinnentes, quas oportebat.

*Philo ptonis es qui*) Verſus ſunt elegiaci, legendumque puto, *Fili Petroni ſeſqui ſenex*, id eſt, *ſeſquianus*. Nam etiam in anu ſenem dicebant, vt mox, *Tua amita ſenex*. Mox etiam emendaui,

*Dicit puſum puſa puella: hic mutua muli:*
*Nam es verè puſus tu, tua amica ſenex.*

Quo autem ſenſu hìc quidam *Mutuam mulinam* legant, equidem non video. *Mutua muli*, pro, mutuum muli ſcabunt, meo iudicio dixit.

*Pupum ſenem*) Ridiculè ſenex in Attellana Pupus vocatur, vt puſio. Mox Caſnar additur, vt valde ſenex oſtendatur. *Caninam*) Carnem, ſcilicet.

*Abagio dicta vt abuſtum*) Puto Ambagio dicta, vt ambuſtum. Moxque lego, Ambegna bos. ſic enim appellatur, quæ vtrinque ad latus agnum habet, cùm immolatur, quaſi ambagna. Pompeius. *Ambegni bos & veruex*



*veruex appellabantur, cùm ad eorum vtraque latera agni in ſacrificium ducebantur.* *Roſtra per altum*) Lego Roſtrata, vt roſtrata nauis ſignificetur, ita & verſu & ſententia poſtulante. *Cælitum Camilla*) Macrob. ex Pacuuio dicit eſſe, qui etiam Statium Tullianum ait ſcribere, à Callimacho proditum eſſe apud Thuſcos Camillum, Mercurium vocari. Pueros etiam iuuenes flaminicarum & flaminum miniſtros ait à Romanis Macrobius Camillos vocari. Vnus etiam è Cabiris Caſmilos vocabatur, qui Mercurius exiſtimabatur.

*Gloſſemata*) Verba obſcura, gloſſemata vocantur. *Qui ſit in*) Nonnulli extrinſecus hoc addunt, atq; imprudentes interpretantur Camillum. Dicunt enim Camillum, qui ſit in miniſterio, tanquam adiicientes interpretationem extrinſecus. *Dius quidam*) Fortè, Diuus quidam. Eum autem eſſe aiunt Mercurium vnum è Cabiris, qui Deorum magnorum ſit miniſter. Itaque Diuus, planè legi debet. Plutarchus autem in Numa ſcribit, à Latinis puerum Iouis fano miniſtrantem, matrimum & patrimum, Camillum vocari, vt à nonnullis Græcis Mercurium, à miniſterio. *Subulo*) Quaſi ſibilo, id eſt, ſibilator. Itaq; fictum nomen eſt, quamuis Thuſcum. *Verſus quos*) In Cicerone, *Verſibus* ſcribitur in Oratore ad Brutum? *Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere:*

*Verſibus quos olim Fauni, vateſque canebant.*

*Ante hunc, vt ille: nec quæ ſequuntur, nos auſi reſerare his verſibus.* Ennius ſe inuentorem apud Latinos heroici verſus fuiſſe prædicabat, quem longum, vt eſt apud Cic. lib. 2 De legibus, ipſe vocabat. Ante enim tantùm in vſu rudis Saturnius erat, qui tandem, defluxit, & minus in vſu eſſe cœpit. Hinc Horatianum illud:

—— *Sic horridus ille*
*Defluxit numerus Saturnius.* ——

*Saturnios*) Saturnius verſus, Iambicus eſt Hypercatalecticus, vt:

*Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.*

Sic vocatur, quòd iam inde à Saturno Latini eo vti viderentur.

*Tartarino*) Horrendo, horribili. ſic Pompeius exponit. *Plato in quarto*) Id eſt, in 4. lib. vel dialogo ſuorum operum, Id autem à Platone ſcribitur in Phædone. Hìc non omittam videri poëtam illum, cuius verſum affert, ſcripſiſſe Prognata palude: quanquam Varro perſpicuè *Paluda, pro Paludata* legit. Sed quod dico, coniectura eſt: multoque plus fidei habeo Varr. quam meæ ſuſpicioni. *Apud Ennium*) Neuium, vetus liber. *Non iteri quadrup.*) Non eodem modo cornutas, vt boues: quòd boues in vertice, elephanti in ore cornua habent. *Nam quos dentes*) Idem multis contendit argumentis Pauſanias.

*Non Africanæ beſtiæ*) Africanas interpretatur pantheras Plinius, quas etiam varias dicebant. *Nunc varias & pardos, qui mares ſunt, appellant, in eo omni genere creberrimo in Aſia, Syriaq;* Senatuſconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere.

*Qui enim verba*) Legendum puto, Qui enim vt orationem haberet, publicè ab vniuerſis tum quod legebatur, ab oratione orator dictus: cùm res maior erat, legebantur. *Olli reſpondet*) Numæ, ſcilicet.

*Menſas conſtituit*) Numa conſtituit menſas ſacras, quibus ad rem diuinam eſt opus. *Anciſu*) Id eſt, circumciſu. Vetus lib. Ambeciſu habet. *Libaq; fictores*) *Conſtituit*, inquit, *Ennius, Numa liba, & fictores qui liba fingerent, & Argeos, qui menſe Maio à Veſtalibus de ſublicio ponte in Tiberim deijciebantur.* Sed pro triginta ſimulachris veteres lib. xxIIII. habent. Ouid.

*Tunc quoque priſcorum virgo ſimulachra virorum.*
*Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.*

*Tutulatos*) Qui tutulum habent in re diuina facienda. Tutulum interpretatur Pompeius, *flaminicarum capitis ornamentum*, quod fiat vitta purpurea crinibus innexa, extructum in altitudinem. Alij pileum lanatum forma metæ figuratum, quo flaminicæ & pontifices vtantur. *Pompilium ait*) Ennius, ſcilicet.

*Volturnalem*) Vetus lib. Vortunalem, à Vertuno: Sed cùm Romæ res diuina fieret Volturno flumini, ſexto Calen. Septemb. exiſtimo fuiſſe flumini ſuum flaminem. *Qui ſalacrem*) Exiſtimo, Falacralem eſſe legendum. Mox cùm ſcribitur Pomona pomorum pater, illud, Pomorum pater, delendum cenſeo ab indocto aliquo additum. *Catus Ælius*) Verſus Ennij à Cic. affertur.

*Egregiè cordatus homo catus AElius Sextus.*

Catum autem, pro callido & prudenti vſurpauit Cic. lib. 1. De legib. & Plaut. in Pœnulo: *doctè, cordatè & catè cùm dixit, callidè & prudenter intellexit.* *Et quod eſt*) Acutus, ſcilicet Sextus AElius Iuriſconſultus, qui duodecim tabularum interpres eſt, tunc cœpit memorari catus, id eſt, acutus dici cœpit.

*Occidunt lupos aperdite*) Equidem legendum puto, Lupe ſaperde te & iura Siluri. In lupum enim inuehitur, Lucilius, quem ſæpè in poëmate ſuo perſtrinxit Perſius:

*Te lupe, te Muti & genuinum fregit in illis.*
Horat. *Famoſiſq; lupo cooperto viribus.*

*Quæq; cæruleo freto*) Reſtituendum arbitror, Corpore cæruleo cauaq; cortina receptat. Cortinam autem hoc verſu Ennius appellat Hemiſphærium, à cortinæ Apollinis ſimilitudine. Nam Tripodem Apollinem Latini appellarunt.

Virgil. —— *Nec te Phœbi cortina fefellit.*

*Inde inuictis*) Melius in veteri, Quid vnde inuitis ſumpſerint. *Stellis quatuor*) Vetus ſcriptura, Tribus. Higinus, *Opilius*) Sic emendaui ex veteri lib. cùm antè legeretur Turpilius. Mox etiam Opilius citatur, vt vocabulorum antiquorum interpres in Carne ſtrebula. Veſperum igitur, id eſt, veſperam, tempuſque ipſum veſpertinum, à ſtella illa appellari cenſet. Illud autem alterum, Veſper adeſt, id eſt, alia ſignificatione dicitur cum veſper pro ſtella. Carmen eſt Catulli:

*Veſper adeſt, iuuenes, conſurgite, veſper Olympo.*

Sed vetus ſcriptura eſt, A quo eam Opilius ſcribit veſperum, vt ab eo ſtella veſper appelletur. Nam in illo altero, Veſper adeſt, ſenſus erit: Non tantùm veſper eſt tempus, verumetiam in Catulli verſu pro ſtella vſurpatur: quod etiam Opilius dixit.

*Solis occaſu*) Gellius ait ſcriptum in Duodecim fuiſſe, ſole occaſo, hunc in modum: POST MERIDIEM PRÆSENTI LITEM ADDICITO: SI AMBO PRÆSENTES, SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Traditque Gellius antiquam eſſe loquendi rationem. Dicitur & ſuprema, abſolutè, vt Varro oſtendit ſuperiore lib. quod & à Plinio vſurpatur: *A columna ænea ad carcerem, inclinato ſidere ſupremam pronuntiauit.* Λάτρον) Sic reſtitui, cùm antè κέρδος legeretur. Λάτρον ab Heſychio exponitur μίσθιον, id eſt, mercedula. *Vt milites cum* ) Latrones ſunt cum ferro, vt milites. *Diabathra*) Genus muliebris calceamenti. *Lanam carere*) In exemplaribus Plauti hodie, *Lanam carpere*, legitur, Sed Varro planè carere legit, pro purgare. *Nequa* ) Lana eſt ſordida & impura, quam appellauit Næuius Oſcam, per contumeliam Oſcorum, qui obſœni cenſebantur. Nequa, id eſt, non aliqua, nullius pretij: quod pro nequam dici probat Soſipater. Ita enim ſcribit: *Commune trium generum in à vnum venit nequa.* *Tibi ferentarium* ) *Ferentarium eſſe amicum inuentum intelligo*, Plautus ait: in quo eum, qui ſubſidio futurus ſit, ſignificare videtur, & qui ſit auxilium laturus: vt mirum mihi videatur, quod Varr. interpretetur inanem. Duxiſſe interpretationem videtur à leui armatura illorum equitum, quos dicit eſſe ferentarios vocatos: cùm Plautus ad vocabulum potius alluſerit, vt & alio loco ſcribit:

*Nulla eſt mihi ſalus dataria.* à dando.

Aliis etiam ferentarij non ſunt equites, ſed qui fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, nō tenentur. Salluſtius in Catilina: *Poſt quàm eò ventum eſt, vnde à ferentariis prælium committi poſſet.*

*Cato eſſe* ) In lib. De re militari. Quidam aſcriptitios, ferentarios, rorarios, accenſos, eoſdem eſſe cenſent. Aſcriptitij ſupplendis legionibus adſcribebantur, qui ideo accenſi dicebantur, quod ad cenſum legionum eſſent additi: ferentariique, quòd fundis & lapidibus pugnaturi, ea modò ferrent, quæ in hoſtes eiicerent. Rorarij etiam, quòd velut ante prælium iuſtum rorantes dimicarent. Accenſos Varro in libris De vita pop. Rom. eos eſſe dixit, *qui centurionibus & decurionibus accenſebantur*, id eſt, attribuebantur, eoſdemq; eſſe ferentarios. Eius hæc ſunt verba: *Qui de aſcriptiuis tum erant attributi decurionibus & centurionibus, qui eorum habent numerum, accenſi vocabantur: eoſdem etiam quidam vocabant ferentarios.* Cum autem hic ſcribit, *Poteſt id ab arbitrio*, ſignificat alios accenſos eſſe, ſed tamen accenſos pro arbitrio centurionis, miniſtros haberi poſſe. Quodque ſequitur, *Nam inde eſt.* fortè, Nam id eſt.

*Cum Deum triportenta* ) Non eſt abſolutum exemplum Pacuuij. Locus fortè notus erat, & in eo diuidiam vſurpabat, alioquin locus mutilus erit. *Omine medulium*) Vet. lib. *Omne medullium*, quadam diminutionis forma, id eſt, medulloſum, quomodo edulium fortè medullitum dicitur, in quo medulla mixta: deduciturque à συγκεράννυμι, quod eſt commiſceo. Quidam emendant, Omne edulium: quod non probo, cùm certum quoddam edulij genus notetur, vnde & apud Plautum ſeruo nomen eſt impoſitum:

*Continuò is me ex ſyncraſto crurifragium fecerit.*

*Sic enim legi debet, vt Trochaicus conſtet.*

*Agrege ſpecta* ) Puto, *Age reſpecta*: præſertim cùm in veteri legatur, *Agrege ſpecta*. Mox pro, *Viuices alij excitatum*, eſt in ſcripto, Viuifices: vt exiſtimem à librario diuerſas ſcripturas eſſe poſitas, quas in exemplaribus repererat. Itaque legendum cenſeo, *Vibices excitatum verberibus corpus.*

*In Ciſtellaria* ) Multa ex Ciſtellaria ab auctoribus afferuntur, quæ in ea hodie non inueniuntur, vt & hoc Varronis exemplum: exiſtimoque eam fabulam integram non eſſe. *Schænicula* ) Legendum, *Schænicolæ*, id eſt, ſchœnum colentes. Schœnum autem Pompeius interpretatur, vnguentum peſsimi generis, fiebat autem ex χοίνῳ, id eſt, iunco odorato, vt arbitror. Eodem modo Plautus dixit in Penulo:

*Miſeras ſchœno delibutas ſeruilicolas ſordidas.*

*Nugatorio*) Vili. Verrius: Nugatoriæ & deſpiciendæ mulieres. *Perſonas*) De perſonis hiſtrionum intelligo monſtroſis. Quidam legunt, *Diſtortis oribus, deformes*, ſed nihil habeo quod improbem receptam ſcripturam. *Scraciæ*) Ex Neruularia Plauti Gell. eſſe dicit. In Pompeio, Scrapte, & Nonio legitur: ſed in vtroque mendum eſt. Nam etymologia Scratiæ poſtulat, vt in Titinio apud Pompeium legitur, quanquam exemplo valdè mendoſo. Sunt autem nugatoriæ & deſpiciendæ mulieres ab ijs quæ ſcrea appellantur. i. quæ quis ſcreare ſolet. Scraciæ igitur à ſcreando, quaſi Screaciæ, dicuntur, non minus quàm ſcrea & ſputa contemnendæ. *Tantulæ*) In Gellio & Nonio, Sordidæ, legitur. Tantulæ autem erunt paruulæ, breues: vt in Penulo: *Tantula tanta verba funditat.* *Auſcaripeda* ) Vet. lib. & excuſi nonnulli, *Auſcauripedam.* Emendo. A ſcauro pede. Pes enim ſcaurus dicitur, cuius tali ſunt extantes. Inde Scaurorum nomen. Horatius:

*—— Illum*

*Balbutit ſcaurum prauis fultum malè talis.*

Scrupedam igitur quaſi ſauripedam Aurelius interpretatur. *Valerius* ) Q. Valerius Soranus, cuius Cic. meminit in Oratore ad Q. Fratrem, quemque omnium togatorum literatiſsimum dicit.

*Ac ſcrupea*) Quaſi ſcrupeipedam intelligeret. Plautus: *Quòd ea ſcrupea eſſet pede.* *Poſitum in curioſa*) Scrupea eſt apud Actium poëtam curioſa. *Scrupeæ imponas*) Emendo, Scrupeam ponè, id eſt, poſt tergum reiicis religionem ſcrupeam & curioſam. *Strictabillas à ſtrict.* ) Hæc germana, ni fallor, ſcriptura eſt. Nam quod eſt in Gellio, *Stratingulæ*, & in Nonio, *Strictinellæ*, adulterinum eſt. Strictabillæ autem vocantur à ſtrictillando, verbo diminutiuo, ſtrictillare à ſtrictando, ſtrictare à ſtringere. Itaque ſtrictillare à ſtringere deducitur, vt à conſcribere *conſcribillare* apud Catullum. A ſtringendo igitur appellauit, vt ab attingendo terram magis quàm ambulando, Attas dicebant.

*Siſtit ægrè* ) Vix inſiſtit. *Mulieres vxorculauit* ) Sunt hæc verborum propè prodigia. Cenſeo legendum, *Mulieres vxor, ciuicam te ego noui, ſcio axitioſam.* Nam ciuum, pro quale, veteres dixerunt. *Axitioſi*, inquit Pompeius, *factioſi dicebantur, cùm plures vnà quid agerent, facerentque.*

*Suſpicatrices* ) Vetus lib. & quidam excuſi, *Conſupplicatrices* habent, vt olim mulieres rebus diuinis deditæ, *ſimpulatrices* dicebantur. In Pompeio eſt, *Axit: antiquos dixiſſe, pro egerit.* manifeſtum eſt: vnde *Axies*, mulieres ſiue dij, dicebantur vnà agentes. *Axies mulieres* Pompeio ſunt, quas Varro *axitioſas* appellat, quæ vnà agunt cum



cum aliis, & vnà ſupplicant. *Cera ſtribula vt de lumbo obſc.*) Vide num legendum ſit, *Caroſtribula vt de lumbis cœnabis.* Vno enim verbo poëta dixiſſe videtur, quod alij duobus Carnem ſtribulam appellant etiam. *Strebula in plurali*, inquit Pompeius *lingua Vmbrorum, appellant partes carnium ſacriſicatarum.* Arnobius: *Quæ cauſa; quæ ratio eſt, vt caro ſtrebula ſeparatim, ruma, cauda, & plaſea ſeparatim, iſitium ſolum, omentum ſolum, augmentorum adiiciatur in cauſam?* Strebulam autem carnem à στρέφειν deduci Varro ſignificat, à loci, id eſt, coxendicum verſura.

*Ego illum* ) Sic veteres libri, vnde emendationis occaſio. Lego enim, *Scobinam ego lima actutum.* Mox enim Limam interpretatur, quaſi eius poeta meminiſſet. Ita ſcribit: Lima enim materia fabrilis eſt, id eſt, inſtrumentum fabrile, res fabrilis. Alij legunt, *Limæ enim materia.* *Ab luctu*) Vetus, Ab luco. Puto legendum Ab aliquo, Alioqui, Ad luctum, non Ab luctu, potius ſcripſiſſet, quomodo fortaſſe ſcribendum eſt.

*Nomina barbarica* ) Equidem legendum cenſeam, νόμιμα βαρβαρικά, pro Barbarorum legibus & inſtitutis. Nam de legibus & de rebuſpublicis Ariſtoteles plurimos libros ſcripſerat. *Summis ripis ſedere* ) Simus ripeis ſedere. Puto legendum; *Scimus ripheis fodere.* Nam ad Riphæos montes incolunt Arimaſpi vnoculi, quos (vt reor) coclites appellat. Fodiebant autem, cùm illic auraria eſſent metalla, quæ rumor erat cuſtodiri à gryphis, quos Latini Picos appellant. Itaque cùm in Aulularia ſcribitur, *Pici diuitiis qui aureos montes colunt*, gryphi intelligendi ſunt. de quibus ſic Pomponius ſcribit: *Gryphi, ſæuum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitùs egeſtum, mirè amant, miréque cuſtodiunt; & ſunt infeſti attingentibus.* Proinde cùm in Curculione ſcribitur: *De Coclitum proſapia ted eſſe arbitror*, non ad Romanam Coclitum familiam, ſed ad Arimaſpos alluditur, qui erant, vt fama erat, vnoculi. *Apud Caſsium* ) C. Actium hic emendaui, cùm Caſsium antè legeretur. Nam Actij Brutus, vnde hoc exemplum ſumptum eſt, cùm ab alijs auctoribus nominatur, tum etiam à Cic. libro priore De diuinatione. *Quid noctis videtur?* ) Sic emendaui ex veteribus libris, pro, Quid nunc noctis tempus eſt? Sunt autem Anapæſtici verſus. *Sublime cogens* ) Videtur ſcribendum, vt verſus conſtet, Sublimis agens. *Culturæ tempus* ) Lego, Culturæ, ad tempus. *Septem ſtellas* ) Sic Latini *Septentriones* vocare ſolent, Cicero prima Tuſculana: *Quarum altera, quam nos incolimus, ſub axe poſita ad ſeptem ſtellas.*

ἄμαξαν ) Homerus.

Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Id eſt, *Vrſam, quam etiam plauſtrum vocant.* *Vt dicerentur detritum* ) Emendo, vt dicerent ter detritum. Terriones enim er detrito, Triones dicti ſunt. *Ternæ trigona* ) Legitur in quibuſdam, Terna Trigona.

*In Condalio* ) Sic correxi: nomen enim fabulæ eſt Condalium, id eſt, annulus. Eam Plauti quidam eſſe dicebant; negauit Varro, vt ſcribit Gellius. Quinetiam Varro Commorientes Plauti negauit eſſe, cùm eſſe Plauti affirmet Terentius his verſibus:

*Συναποθνήσκοντες Diphili comœdia eſt:* *Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.*

*Tam crepuſculo* ) Vetus liber, Tua, malè vt opinor. *In verſum* ) In verſu, legendum eſt.

*Iamque auroram* ) Anapæſti. *Scortatur* ) In Terentio hodie, Obſonat legitur. Varro, Scortatur legiſſe videtur, aut memoria lapſus eſt. *Eſuriens inſane* ) Legendum eſt, ne claudicet verſus Iambicus: *Eſuriens inſane edam.* Epityrum, cibi genus erat ex oleis conciſis, addito oleo, aceto, coriandro, cumino, feniculo, ruta, menta. Eo Græcæ ciuitates plerunque vtebantur, vt Columella ait. Nomen habet, nō quòd in eo caſeus eſſet, ſed quòd caſeo accederet. Veſcebantur enim caſeo plurimùm Siculi.

*Flexanimat aquam lymphatam* ) Facilis eſt ex Cicerone, huius loci emendatio, apud quem reperitur,

*Flexanima tanquam lymphata, vt Bacchi ſacris:*

*Commota in tumulis Teucrum commorans ſuum.*

Legendum igitur eſt, Flexanima tanquam lymphata: quanquam in Ciceronis eſt exemplaribus; *Flexa anima*, duobus vocabulis, vt apud Cattullum:

*Quæ tibi flexo animo mentis perfundat amorem.*

*Thetis illi mater* ) Legendum eſt, Thelis illi mater, Significat enim ſatis Varro Ennium pro Thetide, Thelin dixiſſe, vt Romani Melicas gallinas pro medicis vocauere. Varro De re ruſtica: *Nec continuò his, quas melicas appellant falsò, quòd antiqui vt Thetin, Thelin dicebant, ſic medicam, melicam vocabant.* Mox eſt legendum: *Bacchi eſt libri, cuius comites Bacchæ.* Interpretatur enim Varro, quod Pacuuius dixit, *vt Bacchi ſacris commota*, quanquã in Cicerone eſt, *Baccha*, ſcriptum, refragante ſyllaba. *Littus peruulgans feror* ) Oberrans, obiens, percurrens. Lucretius:

*Multiplexq; loci ſpatium tranſcurrere eodem*

*Tempore, quo ſolis peruulgant fulgura cœlum,*

*In ſuo quiſque* ) Vt ſuo; corrigo. Simile eſt illud Cic. *Quoque hæc priuatim & publicè modo rituque fiant, diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus.* *Ritu Græco* ) In ſacro Cereris, quod Græcum dicebatur. Cicero: *Néue quem initianto, niſi vt aſſolet, Cereri Græco ſacro.* Qua de re multa ad eum locum diſſerui, Decemuiri autem ſibyllini ſacra multa Romæ faciebant, vt Diti patri, & Proſerpinæ in campo Martio ludis Terentinis. Sic etiam Cereri Græco ritu Decemuiri ſibyllini fuere, poſtea duodecim, poſtremò quindecim. Horatius:

*Quindecim Diana preces virorum* *Curet.* ——

*Rectè perfectis ſacris* ) Legendum cenſeam, Ritè perfectis ſacris, rectè vult accipi.

*Comiter monſtrabitur* ) Ennius in Off. apud Cic. *Homo qui erranti comiter monſtrat viam.* Quem locum ſic in oratione pro Cornelio Balbo interpretatur: *Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſſe dicuntur: qui erranti comiter monſtrant viam, benignè, non grauatè.* *Come crede* ) Vetus liber. *Come conde*: fortè, *tunde.* legendum. Nam Come, pro pulſa & verbera dixit: qua translatione Pectere dicitur à Plauto, non rarò, & à Terentio Depexum dare. *Quod volet denſum cicum non interduo* ) Locus eſt ſimilis, & propè idem apud Plautum in Rudente: vbi tamen illud, *Quod volet denſum, non reperitur* Eum locum ſubſcribam:

*Eluas tu, an exunguare, cicum non interduim.*

Quomodo hic in Varrone, pro Interduo legendum eſt. Cicum autem non interduim, dixit, pro, non floccum, non cicum dedero, nec curo. Videtur facere hanc ſententiam Varro: *Quærat quod volet denſum, ci-*



cum

*cum non interduim*, id eſt, denſum veſtimentum ſibi vuido & horrenti quod volet, quærat. *ego ei non modò non veſtimentum, ſed ne cicum quidem dederim.* Itaque ex alia comœdia ſumptum videtur, aut, Quod volet denſum, tollendum. Sed non videtur, & quòd denſum, genus veſtimenti eſt, vt antè dixit Varro, à dentibus pectinis quibus feritur, quod denſitate frigus arcet, vt trama tramittit (vnde apud Ciceronem munus *leuidenſe* à leuiter denſo panno translatione ducta) & quòd locutio Plautina eſt, *Quod volet denſum, cicum non interduim*: pro, nihil eſt quod velit, cicum non dederim: vt in Milite:

*Quòd ille columbam aut gallinam ſe ſectari, aut ſimiam* — *Dicat, periſtis.* ——
*Quòd illa aut amicum, aut patronum nominet,* — In Aſinaria.
*Aut quod illa amicam ſuam, aut ſororem prædicet,*
*Fores occluſæ omnibus ſient, niſi tibi.*

*Spe quidem id* ) Puto, Ipſe quidem, legendum. *Quam rem ſiue litem* ) Iſta erant Iuriſconſultorum verba in actionibus vſitata: & quòd, cùm ita loquantur, dubitent réſne dici debeat, an lis, idcirco irridentur à Cicerone in oratione Pro Muræna, quæ ex hoc Varronis loco declaranda eſt. Verba ſunt Ciceronis, *Iam illud quidem mihi mirum videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos, etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, vtrum diem tertium an perendinum, iudicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.*

*Atque aliquos ibi ab rebus* ) Locus in libris Lucretij, qui ſuperſunt, quod ſciam, non extat: quo difficilior emendatio eſt verſus claudicantis, qua in re alios malim ingenium experiri ſuum. Quod enim in mentem mihi veniebat, Atque aliquo ſubito ab rebus clepſere modo, qui aut foro qui, non ſatis mihi placet: adſcripſi tamen, vt aliorum coniecturas elicerem. *Manducari* ) Docet Nonius veteres, manducare, dixiſſe. *Scribit ſcæna* ) Scæna vulgò Latinè per diphthongum ſcribebatur. Actius tamen ſcenam, ſimplici litera, ſcribebat, vt & Græci qui σκηνὴν dicunt. *Sceptrum* ) σκῆπτρον Græcè. Sed ferè omnes Latini ſcæptrum per dipthongum ſcribebant, nonnulli ſine dipthongo ſceptrum. *Papum Meſium* ) Papum dicunt Latini, canentem carduorum lanuginem. Nomen ex eo habet, quod vt auus caneſcat. Sed Papum meſsium dixiſſe videntur ruſtici, florem frugum, aut potius lanuginem cardui ſolſtitialem, meſſeſque indicantis. Mæſsium autem per diphthongum dicebant, pro meſsium. A quo ſcripſit Lucilius Cæcilius, *Ne ruſticus fiat, ſi mæſsium ruſticorum more pronuntiet.*

*Puerulis* ) Sic emendaui, cùm Puerilis antè legeretur, Amuleta autem de collo pueris ſuſpendebantur, ad depellendam inuidiam & faſcinum (ea Græci βασκάνια vocant) ac ſolebant ad mali depulſionem agricolæ caluas, & pedes figere. Scribit Plinius *hortos & fores aduerſus inuidentium effaſcinationes dicari, & in remedio eſſe ſatyrica ſigna.* Similia ſunt, niſi fallor, quæ Virgilius Oſcilla vocauit, hoc verſu:

*Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.*

Phallos enim & Ithyphallos, qui in pompa Bacchi erant, ſignificat: ac apparet pudendum, quod pueris de collo ſuſpendebatur, Faſcinum eſſe vocatum, quòd cum effaſcinatione faſcinum etiam depelleret ſuſpenſum, vt inauſpicatæ aues, quæ malum portendunt, affixæ foribus, amoliri credebantur. Id igitur ſignificatur, aut alia res turpicula. Turpia enim quæ ſunt, contra faſcinum valent, vt cranium aſinæ, ſatyrica ſigna, veretra. *Bonæ ſcæua* ) Bonæ, addidi ex veteri codice. Scæua autem eſt manus ſiniſtra, qua, cùm quid clàm & doloſè agimus, vtimur vt in furto: ea enim magis latet, minuſq; obſeruatur. Catullus:

*Marrucine Aſini, manu ſiniſtra* — *Tollis lintea negligentiorum.* — Plautus in Pſeudolo:
*Non belle vteris in ioco, atq; vino:* — *Bene ego ab hoc prædatus ibo, noui bona ſcæua eſt mihi.*

Sic enim in Plauto eſt legendum, cùm in quibuſdam editionibus hoc carmen deſideretur, in aliis bona ſcæua legatur. Malum etiam manu immitti dicere ſolebant: nam hæc ferè verba Plauti ſunt:

*Neſcio quid huic mali mala obiectum eſt manu.*

A ſcæua autem, id eſt, ſiniſtra, vocatus eſt Scæuola, quòd exuſta dextra, ſiniſtra vteretur: & qui ſiniſtra vtebantur, ſcæuæ appellabantur. *Scæua res*, inquit Pompeius, *dicitur mala, quaſi ſiniſtra*: vulgus ſcæuum & in bonã & in malam rem dicit. Proinde in Varrone interpretor *Bonæ ſcæuæ cauſa*, bonæ rei: quæ expoſitio omninò mihi magis quàm ſuperior probatur. *Ea dicta ab ſcæua* ) Id eſt, ſcæua quæ rem bonam ſignificat, nomen habet à ſcæua, id eſt, ſiniſtra. *Aui ſiniſtra* ) Sic correxi: cùm, Aut, in omnibus libris legatur. Cicero De legibus: *Iſque aui ſiniſtra dictus populi magiſter eſto*, id eſt, ſecundo auſpicio.

*Amicam eſſe creui* ) Sic ex Ciſtellaria Plauti locum totum reſtitui, qui anteà tam miſerè deprauatus erat, vt nullo modo intelligi poſſet. *Ita omnibus* ) Antè legebatur, Quo de ſinu, nullo planè ſenſu: ſed ex Ciſtellaria emendaui. Ita omnibus relictis rebus, &c. Quæ mox ſequuntur, ex eadem fabula integritati reddita ſunt: *Pol iſto quidem nos pretio eſt facilè frequentare tibi vtileſque habere ita in prandio, &c.*

*Eſt dare corpora* ) Legendum videtur, fodicare eſt, quo etiam verbo in Tuſculanis vtitur Cicero, ab Ennio ſumpto. Fodare, etiam in Pompeio eſt pro fodere. *Faxim & obrutus* ) Suſpicor legendum, *Face muſſet obrutus*. Id, vt opiner, facit, quod Muſſare mox declarat, & quod in vetuſto codice ſcribitur, facimus & obrutus. *Auertendo* ) Legerem libenter, Ab auertendo. Nam quemadmodum auerruncare eſt auertere, ita verruncare, vertere. Actius apud Ciceronem: *Benè hæc verruncent populo, id eſt,* benè vertant. hic autem moneris, pro monueris, Pacuuium dixiſſe ſcribit Nonius.

*Vidi Balare* ) Sic correxi ex vetuſto libro: ductum ab ouium balatu. *Atque eiulitabat* ) Antè erat, Militabat. Sed cùm reperiſſem in veteri libro, *Atque heylitabit*, audacter Eiulitabit emendaui: vt & multa hîc repoſui ex eodem codice, quæ antè ſic mendoſa erant, vt intelligi non poſſent.

*Sueta frundice* ) Hîc verborum ſunt portenta, quæ eadem in veteribus libris reperi. Lego *Eius ab hirundine. Hirundo fritinni ſuauiter.* Varro, *Virgula diuina & pullos peperit fritinnientes.* Alij cicadam fritinnire, hirundinem trinſare dicunt. Mox emendaui pro Matius, M. Actius. Locus enim, quem affert, extat apud M. Actium Plautum in Caſina, & M. Actius in nonnullis excuſis reperitur.

*Sues auoluerat* ) Locus iſte ferè deſperatus eſt & conclamatus, ſed à me tamen ita ſcriptus, vt eum in veteri libro reperi. *Hîc coniectore OEdipo opus fuerit, qui Sphingi interpres fuit. Mea hæc eſt coniectura, ſed non ſatis ſagax, nec ſatis ſolers, Vt res voluerat ita tradidi: qua in re neque in iudicium, AEſopi, nec theatri* ſubaudi, *inuectus ſum.* Nam AEſopus tragœdus, & theatrum, his de rebus aliter fortè ſentiebant, & ab aliis rebus vocabula illa, quæ expoſuit, ducta opinabantur. Mox legendum putem, *Attilij in Colace.* poëta autem Comicus fuit.





*Nexum Manilius* ) Liber vetus, Mamilius: vt & apud Ciceronem reperitur in ſcriptis codicibus, & Varronem De re ruſtica. *In quo ſunt mancipia* ) Huic ſententiæ eſt in Topicis aſtipulatus Cicero, cùm abalienationem ita definiit: *Abalienatio eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu aut in iure ceſsio inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.* Nam nexu traditione mancipia complexus eſt, Manilio iuriſconſulto aſſenſus; per æs & libram quomodo iſta gererentur, ex Caio Iuriſconſulto Boëtius ad eum locum exponit.

*Præter quàm quòd mancipio detur* ) Mutius Iuriſconſultus à nexu remouit mancipia: reliqua, quibus ad obligandum interponeretur æs & libra, eo nomine comprehendit. Cui quibuſdam locis aſſentiri Cicero videtur, vt Pro domo: *Sed tamen iure priuato, iure hæreditario, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi,* Nexum enim hic à mancipio ſeparauit. Auctoritate enim pro vſucapione & poſſeſsione: mancipij enim ius pro emptionis & alienationis iure, ius nexi pro obligatione aliqua, vt oppigneratione. AElius Gallus necti dicit quicquid per æs & libram geritur cuius generis eſt teſtamenti factio, nexi datio, & nexi liberatio.

*De quo quærit* ) Mutius, ſcilicet: cuius ſententiam probat Varro. *Neq; ſuum fit* ) Neque proprium fit alterius: vt quod mancipio datum eſt, proprium fit alterius. *Qui ſuas operas* ) Deeſſe videtur, Dabat.

*Popilio vacare* ) Legendum cenſeo, C. Popilio auctore. *Bonam copiam iuraret* ) Nexi in neruo habebantur, vt Plautus in Penulo oſtendit:

*Vtinam mihi argentum reddas, priuſquam in neruum abducare.*

Quod Sylla dictatore ſublatum eſt. bonámque copiam tantùm iurare addicti cogebantur, id eſt, ſe ſemper ſui copiam eſſe facturos, & operæ ſuæ creditoribus, dum ſatisfeciſſent. Aliter, Bonam copiam eiurare dixit ad Pætum Cicero his verbis: *Tu autem, quòd mihi bonam copiam eiures, nihil eſt: id eſt, neges tibi facultates eſſe.* Quidam tamen in Varrone, *Bonam copiam eiurarent*, legendum cenſent: quòd quibus res eſſet, nec ſoluere vellent, necterentur, & in neruo haberentur: qui iurarent ſibi non eſſe vnde creditorem liberarent, non necterentur. quod & mihi verius eſſe videtur. Bonam enim copiam in facultatibus poni, quàm in copia ſui verius eſt. *Ne eſſent nexi* ) Ne eſſent vincti. *Deliquium* ) In veteri, *Delicuum*, ſemper ſcribitur. vt, *Sors tua delicuerit*, apud Plautum. Verum puto Deliquum, vt in Pompeio, quod interpretatur minus.

*Deliquandum* ) Quod non ſit turbidum, quod ſit liquidum Vinum enim ſacco poturi deliquabant. Horatius: *Vina liques & ſpatio breui ſpem longam reſeces.*

*Cecilium* ) In veteri, Apud Accilium. Id imitatus eſt Cic cum dixit: *Voluptate liqueſcimus.*

*Non gladij ling.* ) Lingula, inquit Gellius, gladiolus eſt oblongus, in ſpeciem linguæ factus. Næuius in tragœdia Eſiona:

*Siue mihi gerere morem videar lingua, non lingula.*

*Vitulantes* ) *Vitula*, vt quidam aiunt, *Dea eſt lætitiæ præſes*: vt alij, *Victoria*. Vitulari, eſt voce lætari & Pontifex in quibuſdam ſacris vitulari ſolebat, quod Græci παιανίζειν vocant. Macrobium conſule. *In dolo* ) In dolone, lego. *Perſibus* ) Priſcum verbum, à perite ductum. *Docti* vt ait Varro, *interpretabantur callidè*

*Protinam* ) Continuationem longitudinis ſignificat, vt Nonius ait Varronem hic explicans. Terentius eo eſt vſus:

*Atq; hinc me conijcerem protinam in pedes.* — Pompeius *protinus* interpretatur.

*Candacus* ) Verbum per quàm antiquum, à gaudio ductum videtur. Nam c pro g, ſæpe antiqui dicebant: ſuauibus enim gaudemus. *Sponſus* ) Ad ſpondendum rogatus & obligatus. *Vt ſit lorum* ) Vetus lib. *Vt ſit tutum*, id eſt, ne quid obſit, vt ſuprà dixit. *Conficiant* ) Conficant, vetus liber, quaſi configant. c pro g ſæpe veteres mutauere. Sed putem verum eſſe Confictant, vt ſit Confícto verbum, à Confictu ſupino ductum. *Trucularia* ) Vet. lib Auricularia, *Sarrire* ) Id eſt, aperire, vt Varro explicat. Ruſtici quoque, cùm ſarriunt, terram ſarculis aperiunt. Vetus lib Sarrare, ſed (vt reor) malè. *Producendum* ) Vet. lib. Protendendum. *De diſcip verb orig.* ) De etymologice. *De verborum originibus* ) Vnde orta verba.

*Et in illis ſit* ) Puto, Et vtilis ſit, legendum. *Duobus libris* ) Quarto & quinto: in quibus non poëtarum verba, ſed orationis ſolutæ perſequitur. Itaq; legendum videtur, *De ſoluta oratione*, aut potius, Vtilla, pro Vtilia, legendum: vt ſit ſoluta pro à ſoluta. *Declinantur* ) Quod ad analogiam & anomaliam pertinet. Itaq; lib. I. Varronis. De analogia videtur eſſe, ſeptimus De lingua Latina.

*Perpetrata*) Perfecta, abſoluta:

# ADRIANI TVRNEBI PHILOSOPHIAE ET GRAECARVM LITTERARVM REGII PROFESSORIS, COMMENTARIVS

in librum primum carminum Horatii.

**EIVSDEM ADRIANI TVRNEBI COMMENTARIVS IN LOCOS** *obſcuriores Horatij, ex eius Aduerſariorum libris excerptus.*

M. ANTONII MVRETI ET ALDI MANVTII IN EVNdem Horatium annotat.

## ODO TVRNEBVS LECTORI S.

IOHANNES *Furdinus vir doctiſsimus, idemque patri meo Adriano Turnebo amiciſsimus, cùm hæc in librum primum carminum Horatij ſcholia inter parentis defuncti Aduerſarie reperiſſet, & ex autographo deſcripſiſſet, atque omnes locos qui in libris Aduerſariorum hunc auctorem explicant, addidiſſet, decreuit tandem in lucem emittere. Quod morte præventus præſtare non potuit. Itaque hunc tibi, Lector, librum vtendũ fruendum longo poſt tempore concedimus, atque eum haud integrum, vt qui leui opera ſcriptus ſit ab auctore, neq; ei vltimam manum impoſuerit. Atque vt nihil hoc loco diſsimulem, decreuerat pater meus in omnia Horatii poëmata annotationes edere: quas, vt ex quibuſdam tumultuariis chartis colligere poſſum, vel perfecerat, vel certè plus quàm ad vmbilicum perduxerat. Sed, vt erat facilis & qui amicis nihil denegare auderet, eas quibuſdam, quos amicos ſibi eſſe credebat, vtendas dederat: qui eo mortuo hoc beneficium maledictis compenſarunt. Atque ex his annotationibus magnos Commentarios quos in hunc auctorem ediderunt, ſuppreſſo ſemper auctoris nomine multis locis replerunt. Quod eo leuius eſſet ferendum, ſi à conuicio abſtinuiſſent. Sed ea horum temporum eſt conditio, vt vix vnum aut alterum inuenias, quem verè amicum dicere poſsis. Sed hæc hactenus. Habemus adhuc quoſdam Theophraſti libellos à patre Latinos factos, quos diutius, cùm erit otium in ſitu & tenebris iacere non ſinemus: tu interea his fruere & vale.*

## ANNOTATIONES IN LIBRVM PRIMVM CARMINVM HORATII PER ADRIANVM TVRNEBVM.

### IN PRIMAM ODAM.

P*Vluerem Olympicum* ) Quidam ſtudio alendorum equorum tenentur ob victorias Olympicas, quod ἱπποτροφεῖν dicebant & τεθριπποτροφεῖν. Nam cum quinto quoque anno Olympia committerentur, quod Olympiorum cauſa fiebat intelligendum eſt. Victoria autem curulis certaminis in ludis Olympicis erat omnium nobiliſsima, vt ex Herodoti plurimis locis, & è Pindaro intelligi poteſt. Eodem ferè quo Horatius modo Virgilius dixit,

*Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ*     *Paſcit equos.*

*Euehit* ) velut in cœlo collocat. *Mobilium* ) Sic Acron & Porphyrio. legitur etiam Nobilium, *Tergeminis* ) puto eſſe magnis. vt — *tergeminum mugiat ore ſophos.* vt opinor, à Tergemino partu, qui magnus eſt: vt in Trigeminis Curiatiis, & Horatiis, niſi quis de tribus ordinibus intelligat: quod non perinde placet.

*—hunc ducit hiantem*     *Ambitio geminatur enim plebiſque patrumque.*

*Illi robur & æs triplex.*     *Attalicis conditionibus.*

Nulla conditione à propoſito demoueas, nec efficias vt nauta ſit. Sic Cicero, *Velim Syriæ conditione.* vbi Hyppiæ legitur cùm Syriam prouinciam opulentiſsimam dicat. *De die.* ) Qui de die epulabantur, delicati cenſebantur. — *vos conuiuia ſumptuoſiora.*

*De die facitis, mei ſodales*     *Quærunt in triuio vocationes.*

Cùm autem totus dies impendi negotijs debeat, qui de die conuiuatur, diem frangit, & de eo detrahit partem. Infrà,

*Cum quo morantem ſæpe diem mero.*     *Fregi.*

*Caput ſacræ* ) ad fontem. Fontes enim & ſcaturigines capita aquarum vocantur. Ad capita autem fluminum pingebantur dij vrnis fundentes flumen. Et deum quem aquæ præeſſe putabant, præcipuè eo in loco verſari cenſebant. *Virg. 7. æn.*

*Cælataq; amnem fundens pater Inachus vrna.*     *Neq; tibias.*

Nam more Romano ad tibiam carmina canebantur, non ſolùm ad lyram: cùm in epulis ad Tibicinem canere ſolere, de clariſsimorum virorum virtutibus, idque Romano magis, quam Græco more dixit. *Sidera vertice.* ) Alludit ad id quod Græci hyperbolicè dicunt τῇ κεφαλῇ οὐρανὸν κράσσων.

*Ex aduerſ. lib. 22. cap. 13.* Primo cantico Horatius quo ſua exorditur carmina ſuffragium Mæcenatis eblandiri conatur, ambitque vt inter Lyricos ab eo in bibliotheca dedicetur: ſiue ſuos velit libros Librariæ forulis in Lyricorum colonia reponi ſiue inter Lyricos ſtatuam ſibi poni petat.

*Sunt quos curriculo puluerem Olympicum,*     *Collegiſſe iuuat:*

cum ait, ſignificat aliquos ſtudio equorũ alendorũ teneri ob victorias Olympicas, quod ἱπποτροφεῖν & τεθριπποτροφεῖν dicebatur. Nã cùm quinto quoq; anno Olympia cõmitterẽtur, quod Olympiorum cauſa fiebat, etiam intelligendũ eſt. Victoria autem curulis certaminis in ludis Olympicis erat omniũ nobiliſsima, vt ex Herodoti plurimis locis & è Pindaro intelligi poteſt. Eodem ferè quo Horatius modo Virgilius dixit, *3. Georg. Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ. Paſcit equos.* Attalicas autẽ conditiones vocat, regnũ Aſiæ opu-



lentiſsimæ. Non ſi, inquit, regnum ei opulentis Aſiæ, cui imperauit ditiſsimus Attalus, dares, de propoſito demoueres. Attalicas autem conditiones, ingentes & opulentiſsimas intelligit, ob Aſiæ opes, vt alio loco, *lib. 2. od. 18. neque Attali Ignotus hæres regiam occupaui.* Myrtoi autem pelagi & Icarij vt periculoſorum mentionem facit, quòd cùm AEgeum mare omnium eſſet vndoſiſsimum, vt in periegeſi ſcribit Dionyſius, eius partes erant. Nam Euſtathius ait, Icarium eſſe μέρος τι τοῦ αἰγαίου. de cuius fluctibus Homerus.

*Κινήθη δ' ἀγορή, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης.*     *Πόντου Ἰκαρίοιο.*

De Myrtoo Plinius, *AEgæi pars Myrtoo datur.* Icarijs autem fluctibus Africum luctari dicit, qui creber procellis ventus à Marone dicitur vulturno tamen & Auſtro potiſsimum agitari pelagus Icarium dicit Homerus,

*τὰ μέν τ' εὖρός τε νότος τε,*     *ὤρορ' ἐπαΐξας πατρὸς Διὸς ἐκ νεφελάων.*

*Ex lib. 3. aduerſ. cap. 20.* *Certet tergeminis tollere honoribus,* Initio Carminum ſcribit Flaccus, nec Grammaticorum expoſitio ferè cuiquam eſt ignota, facileque eſt eam è libris cognoſcere. Ego meam iſta de re ſententiam diſsimulare non poſſum. Honores enim tergeminos pro maximis & ampliſsimis interpretor, vt cum populus ingentem tollit plauſum aliquem honorans. Nam ſæpe in hac notione hoc verbum à poëtis tritum animaduerti. Martialis, —*tergeminum mugiat ore ſophos.* id eſt, maxima voce ſucclamet ſophos. Tibullus, *Illum tergeminæ nantem confinia mortis.* i. Ingentis & multiplicis. Hinc adeo id factum ſuſpicor, quòd quæ tergemina ſunt eadem ampla & magna ſunt. Hæc, vt opinor, interpretatio haud paulo ad poëtæ ſenſum accommodatior eſt, quàm interpretum expoſitio.

*Ex lib. 8. aduerſ. cap. 15.* Venire video in controuerſiam quæ ſit apud Horatium trabs Cypria, initio Carminum hoc verſu, —*vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.* Ego prætermiſsis aliorum ſentẽtiis quid exiſtimem proferre non cunctabor. equidem poëticè ſic intelligo ſignificari nauim, præſertim cùm Cyprus omni materia ad nauium ædificationem ſic abundaret, vt ab ima carina, ad ſummum carcheſium, ſine ſubſidiis aliarum regionum totam nauim abſolueret, & omnibus armamentis eam inſtrueret. Quis huic rei teſtis? Marcellinus, cuius hoc teſtimonium eſt, *tanta autem tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium eadem Cyprus, vt nullius externi indigens adminiculi viribus, à fundamento ipſo carinæ ad ſupremos vſque carbaſos ædificet onerariam nauem, omnibuſq; armamentis inſtructam mari committat.*

In 2. Odam. *Iaculatus* ) More Græco dixit qui βάλλειν vſurpare ſolent non ſolum pro mittere, & iacere verumetiam pro iaciendo ferire. *Columbis* ) *Palumbis* qui in arboribus ſedent, cùm alia columbarum genera non ſoleant. Sic Virgilius—*gemina ſuper arbore ſidunt.* Multa autem columbarum genera ab Ariſtotele memorantur: in iiſque etiam referuntur turtures. *Veſtæ*) Quæ focum vrbis complectitur & tuetur, quam pro pop. Romano Veſtales precari cenſebantur. *Candentes humeros* ) Apollinem & Venerem ad expiendum ſcelus venire optat, quòd ea Numina fauiſſe Troianis viſa ſunt: & ex eo quoque fauere Romanis putabantur. Quod autem nubem dicit, id Homeri more facit, qui Numina ſemper nube circundat Lib. 1. de Apolline,

*—ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς.*     lib. 5. Iliados

*ἀλλά τις ἄγχ' ἕστηκ' ἀθανάτων νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους.*

*Ex aduerſ. lib. 6. cap. 8.* Mihi videtur Horatius ſecundo Carmine libri primi commemorare prodigia mortem Cæſaris ſecuta, offenſionem deorum & iram oſtendentia, & augurium deinceps ciuilium bellorum euentumque portendentia. Cùm autem ſolerent prodigia & portenta procurari & expiari, itaq; deorum obſecrationibus & precibus placari, vtrumque in ea oda reperiemus. Oſtentum autem erat dirum & funeſtum, cùm ſacræ ædes de cœlo tangebantur ex quo ſcripſit,

*— & rubente*
*Dextera ſacras iaculatus arces*     *Terruit vrbem* Sic M. Tullius *lib. 1. de diuin.*
*Nam pater altitonans ſtellanti nixus olympo*
*Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petiuit,*
*Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.* & alio loco Horatius. *lib. od. 12.*
*Tu parum caſtis inimica mittes*     *Fulmina lucis.*

Iam quod rubentem dextram dixit, id verò fecit, vt tertiam manubiam ſignificaret, quæ ignea eſt & minax, & ab Ioue de conſilio deorum ſuperiorum mittitur, aduritque & magnam ſignificationem habet, ſtatumque mutat vt à Verrio ſcribitur. *Apud Feſt. lib. 11.*

Iliam autem vltricem eſſe necis Cæſaris dicit, quod Iulia familia ab Iulo eſſet, qui & *Ilus erat, dum res ſtabat Ilia,* vt poëta ſcribit. ab Ilo autem Ilia erat oriunda, vt & reges Albanorum. Eam vxorem Tiberis ait Horatius, cùm alijs fuerit Anienis, quod ex eo fictum eſt, quòd in Anienem ceciderit. Ouidius. *3. amorum elegi. 5.*

*Nec te prætereo, qui per caua ſaxa volutus*
*Tiburis Argæi ſpumifer arua rigas:*
*Ilia cui placuit.* Iterum *3. amor. eleg. 5.*
*Atq; ita ſe in rapidas perdita miſit aquas:*
*Suppoſuiſſe manus ad pectora lubricus amnis*     *Dicitur & ſocij iura dediſſe tori.* Silius lib. 12.
*Ad genitorum Anio labens ſine murmure Tibrim.*
*Hic vt ſigna ferox dimenſaq; caſtra locauit,*
*Et ripas tremefecit eques, perterrita pulſis*
*Ilia prima vadis ſacro ſe coniugis antro*

*Condidit.* Veruntamen quia mox euehitur in Tiberim Anio, quidni huic nupſiſſe videri eodem modo poſsit, cùm fortaſſe in confluentem ſe abiecerit? Porphyrio narrat Ennium ſcripſiſſe iuſſu Amulij in Tiberim præcipitatam fuiſſe: quod ſi eſt, iuſtius vxorem, & veriſimilius etiam eam finxit Tiberis. Proteus autem Phocas Neptuni paſcit, vt Enalus eius equos: Sed & columbas cùm dicit, palumbes intelligit, quæ

in arboribus ſedent,non item villaticæ, Expiationem prodigiorum & portentorum optat mandari dijs Romano amicis populo, vt Apollini, qui Romanis Troianorum progeniei fauet. Nam vt ab Ouidio ſcriptum eſt, *De Ponto.*

*Iuppiter in Troiam, pro Troia ſtabat Apollo.*

& alioqui religioſiſsimè Romæ & auguſtiſsimè colebatur, additis ad religionem etiam magnificentiſſimis Apollinaribus ludis.

*Lib 22.cap.7.* Cum Tiberim conſtet albicantes habere aquas, ex eoque Albulam olim vocatum fuiſſe, non indignum eſſe quæſitu videatur cur eum flauum Maro appellarit lib.9. AEn. ſic ſcribens,

*—— ille ſuo cum gurgite flauo Accepit venientem.*

In quo non tam attendendam vocabuli vim quidam cenſent quàm tranſumptionem exiſtimandam. cùm enim homines flaui pulchri videantur ex eo dicunt factum eſſe, vt flauus pulchrum ſignificet, qua notione hic accipiendum eſſe, vt & apud Catullum, *ad ianuam.*

*Flauus quam molli præcurrit flumine Mella.*

Sed & Heſychius doctiſsimus nomenclator ξανθόν flauum, & pulchrum etiam interpretatur. Verius ſit tamen ob arenam ita vocari vt apud Maronem, *7.æn.* —— *& multa flauus arena.* Horat. *hic & lib.2. od.3.*

*Vidimus flauum Tiberim retortis:* Item *Villaq; flauus quam Tiberis lauit.*

*Nube candentes humeros amictus.* dixit vt Homerus in Iliade *lib.6.cap.8.* νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους. & libro 1. ὁδ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς. quod ſcilicet dij cùm veniunt, tamen à nemine videntur. Venus autem vt AEneæ mater, Romani generis erat parens, & AEneadum genitrix à Lucretio *lib.1.* vocatur, Mars verò conditoris pater, atque ei etiam vindicata Cæſaris nece, templum cognomento vltori condidit Auguſtus. Auguſto poſtremò aſſentatur, quem ſcelus cædis Cæſarianæ dicit expiaſſe cæſis interfectoribus, Mercurium hominis ſpecie celantem & deum inter homines gerentem. Mercurium porrò etiam vltorem & expiatorem cupit, quia Troianis per Maiam cognatus erat. Quod autem ait, Hic ames dici pater atque princeps, ideo dicit, quia Auguſtus pater patriæ appellatus fuit, atque etiam ante hoc cognomen ſenator erat, & nomine principis Remp. ſub ditionem accepit ſuam. Tacitus, *Lepidi atque Antonij arma in Auguſtum ceſſêre, qui cuncta diſcordiis ciuil. ib. feſſa nomine principis ſub imperium accepit.* Nomen autem iſtud ſumpſit eorũ imitatione qui principes, vt reor, ſenatus legebantur, aut quod Senatores principes dicerentur.

*Lib.11.cap.26.* Solent Græci præſertim Attici, Perſas appellare Medos quòd à Medis ad Perſas imperiũ translatum ſit, Sed cùm Orientis & Perſarum opes in Parthorum tandem conceſſerint ditionem, Atticorum imitatione Flaccus, vt equidem exiſtimo Parthos appellauit Medos, cùm ait

*Neu ſinas Medos equitare inultos Te duce Cæſar,*

& alio loco, *lib.3.od.3. Roma ferox dare iura Medis.*

In 3. Odam *Diua potens* ) Non putem eſſe id referendum ad ſidus Veneris: ſed ad deæ numen ortæ mari. vnde illud *Ouid Epiſt. Sapp. Phaon* —— *Venus orta mari mare præſtat eanti Robur*) Homerus —— ὁ γάρ ἐνδρυός νοσι χάλκεον δέ μοι ἦτορ. *Rabiem Noti* ) Auſtro ſtante quàm Aquilone maiores multo concitantur æſtus. Cuius rei Ariſtoteles rationem in quæſtionibus naturalibus docet. *Timuit gradum* ) mortis magnitudinem & acerbitatem. Mors enim ab alia morte gradu differt.

*Ex aduerſ.lib.9 cap 27.* Quiſpiam locum non putabit fuiſſe inuocandæ Veneri fortaſſe in nauigatione, cum tamen Horatius ita ſcribat, *Sic te diua potens Cypri*; cum ea potius amorum fœdera, quàm nauigationum pericula curet. Sed vt in verſu eſt *Ouid. epiſt. Sapp. Phaoni. Venus orta mari mare præſtat eunti.* & Venus cognomento marina colebatur. Horatius *lib 3.od. 26. Læuum marinæ qui Veneris latus.* & Venus Pontia cognominata apud Pauſaniam legitur. Quod autem Notum arbitrum Adriæ dicit, id ex eo facit, vt reor, quod Auſtro flante vt Ariſtoteles ſcribit in naturalibus quæſtionibus, maiores concitantur in mari fluctus Nam velut ex imo oriatur, attollit vndas quas ex alto ingruens premit Aquilo. At vero mortis gradus, eius eſt ingreſſio acceſſus & aduentus, qui interdũ formidabilior eſt & truculentior, interdum clementior: ſed qui nauigationi ſe commiſit, & mare turgidum tentauit, nullum mortis quantumuis immanem impetum videtur reformidare. At verò corripere gradum eſt gradum raptim facere & carpere. vt, *1. æneid. Corripuere viam interea* Et *6. æneid. Corripiunt ſpatia.*

In 4. Odam *Fauoni* ) Menſe Februario cùm flare Fauonius incipit oritur ver. mareque quod hyeme clauſum fuerat nauigabile redditur. *Trahunt* autem eſt deducunt naues, quæ tota hyeme in naualia fuerant ſubductæ. *Arator* ) Cum rura gelu hyems adſtringit, terra non vertitur aratro: ineunte vere, & paſtores, qui ſtabulis hyeme continuerunt pecus, paſtum foras agunt: & aratores terram arant.

*Fauno* ) Quæ ſacra Fauno fierent, explicat Sextus Siculus. *Pulſat pede* ) Ingreditur. Nam pulſare fores ſolemus, quibus apertis ingredimur. *Fabulæq; manes* ) Loquitur vt Epicurus, qui Manes & inferos fabulas cenſet. Manes igitur te manent, qui fabulæ ſunt. *Lycidam* ) Nomina meritricularum & puerorum catamitorum ſumpſit Græca omnia ex antiquis poëtis, vt & Lycidam. *Lib.9 cap.27.*

*Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,* cùm dicit, ad id reſpexit quod Venerem vere reuerti cenſebant. Lucretius, *lib.5.*

*—— it Venus, & Veneris prænuncius ante Pennatus Zephyrus.*

*Imminente autem Luna,* quod eſt ex cœlo illuceſcente, præſultrix Venus choros ducit: quia noctu remotis arbitris terra grata numinibus eſt, cùm cerni nolint: *Cùm ſuperis terrena placent,* inquit Papinius

*Ex aduerſ.lib 30.cap.11.* Venus ineunte vere apud Flaccum, ducit choros, remiſſo relaxatoq; anni frigore, quòd ea anni parte opinio erat aduentare Venerem, eiuſq; antecurſorem eſſe Zephyrum, qui Februario ſpirat, vt è Lucretio antè oſtendimus. Venus autem & voluptatis & amœnitatis dea ſe choreis delectat. *imminente Luna.* id eſt, veſperi noctuq;, *Cùm,* vt eſt apud Papinium, *ſuperis terrena placent.* Nolũt enim dij ſe hominũ oculis cerni. Ita has plagas celebrãt & colũt, quo tẽpore homines in ſua ſe recepêre tecta, relictiſq; agris domi ſopiti iacẽt. Et ei Gratias decẽtes Horatius adiungit. Quod præter argumẽtũ eſſe ab Horatio factũ, miror ab hõne eruditiſsimo, & omniũ prope ſcriptorũ acri cenſore, & ſeuero critico iudicatũ eſſe, cũ eſſe Veneris comites Gratias antiquorũ religio crediderit, vt ex Seneca conſtat de beneficiis ita ſcribente,

bente,



bente, *Tres Chryſippus Gratias ait Iouis & Eurynomes filias eſſe: ætate autem minores quàm Horas. ſed meliuſcula facie, & ideo Veneri datas comites.* Hoc ille ſi cogitaſſet, nec veſania reprehendendi præceps actus eſſet, & ab inſtituta calumnia animum cohibuiſſet. Sed cur Flaccus *decentes* appellat? credo quòd venuſtæ formoſæque ſunt: & honeſta liberalique forma, bonaque vt dicit Seneca facie. Alio autem loco *lib.3.od.21.* eas dicit *ſegnes nodum ſoluere,* quòd vt reor implexis & conſertis inter ſe manibus eſſent. Neque enim commodior excogitari fortaſſe interpretatio poteſt: preſertim cũ ſubnixa ſit Senecæ auctoritate, cuius fiducia audacius loquitur. Seneca autem ita ſcribit, *Quare tres Gratiæ & quare ſorores & quare manibus implexis:* Iterum, *Quid ille manibus conſertis in ſe redeuntium chorus?*

*Ex aduerſ.lib.9.cap.27. Nunc & in vmbroſis Fauno decet immolare lucis.* ait ex conſuetudine antiquorum qui Fauno rem diuinam faciebant, & ouilia luſtrabant veris initio, antequam pecus, quod hiberno tempore in ſeptis villæ ſtabulatum erat, in agros pabulatum educerent. Calphurnius, *5. Eclog.*

*—— tu ceſpite viuo*
*Pone focum Geniumq; loci Faunumq; Laremq;*
*Salſo farre voca: tepidos tunc hoſtia cultros*
*Imbuat, atque etiam dum viuit ouilia luſtra.*

Iam illud *æquo pulſat pede,* eſt æquè ingreditur. Nam fores pulſare ſolemus, vt aperiantur, & domos ingrediamur, vnde translatio ſumpta. Cur dicitur *domus exilis Plutonia?* nempe quod inanis & vacua ſit, vt apud Maronem *6. æneid. Perq; domos Ditis vacuas & inania regna.* Sic & Flaccus alio loco, *lib.1.epiſt.6. Exilis domus eſt cui non & multa ſuperſunt.*

In 5 Odam. *Ex aduerſ lib.9 cap.27. Liquidos odores,* vnguenta vocat ad diapaſmatum diſcrimen, quæ odorata quidem, non tamen liquida, ſed ſicca ſunt.

*Qui nunc te fruitur credulus aurea,* valet, qui te fruitur chariſsima ſibi, multumque amabili & optata, & ſibi inſtar auri cupita, vt longè chariſsimum hominibus aurum eſt, nullumque pluris eſt metallum. Sic *auream mediocritatem* dixit, quod ea hominibus chariſsima, optatiſsima & precioſiſsima eſſe debeat, & tanti æſtimanda, quanti eſt aurum, vt & reuera nonnullis eſt expetenda maximè. *lib.6.cap.6. Potenti veſtimenta maris deo* ) potens eſt potiens, vt potenti veſtimenta maris deo, id eſt, Neptuno maris potienti.

*lib.29.c.24. Suſpendiſſe potenti Veſtimenta maris deo,*

cùm Horatius dixit, Neptunum intellexit, qui mari potitur. & cuius mare ſors eſt.

In 6. Odam. *Vario* ) Qui carmen Heroicum, vt Homerus, optimè ſcribebat. Horatius, *Saty 10. lib.1.*

*—— forte epos acer,*
*Vt nemo Varius, ductu molle atque facetum,*

*Duplicis* ) callidum intellige ex Homero, qui eum πολυμήχανον vocat Alio loco laborioſum eũ dicit Horatius: quia πολύτλας ab Homero dicitur. Sic διπλῶς Græcè dicitur aſtutus, & διπλόη, calliditas. *Cedere neſcij* ) alio loco, *Heu peruicacis ad pedes Achillei Tunica tectum* ) more Homeri, qui loricatos Græcos vocat χαλκοχίτωνας *Tytidem*) Legendum Tydidem. Erat enim Tydei filius.

In 7. Odam. *Bimariſue Corinthi* ) Quod ἀμφιθάλασσον à Græcis poëtis dicitur, ita vertit Flaccus vocabulo nouato. *Intactæ*) innuptæ virginis. Nam tangere, eſt rem habere. Alio loco —— *matronam nullam ego tango. Fronti præponere oliuam* ) Oliua Athenis procreata eſt. Qui igitur perpetuò Athenas celebrant & hoc argumentum captant, fronti librorum ſuorum ſemper oliuam præponunt, id eſt, initio ſuorum poëmatum oliuam illic natam celebrant. Ouidius de triſtibus. vel præponere & laudare oliuam in certamine Mineruæ, equo Neptuni prępoſitam natam Athenis, quæ decerpta fronti eſt, quia ex ea coronabantur victores Panathenæis. Μορία autem vocabatur. Ergo ſignificat oliuam à Pallade inuentam, ex qua coronarentur victores. —— *doctarum hederæ præmia frontium:* ſimile eſt. *Decerptam* dixit, quæ decerpebatur. *Aptum dicit equis* ) Homerus ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ ἀχαιίδα καλλιγύναικα. Vertit aptum equis. *diteſq; Mycenas*) ἀιγιαδας ἤνασσε πολυχρύσοιο μυκήνης. Hinc diſci poteſt, quomodo [illegible] Homerica epitheta debeant. *Patiens Lacedæmon*) quòd ad arã Dianæ, pueri ſe mutuis verberibus ita cæderent, vt nonnulli morerentur διαμαστίγωσιν vocabant. Id tamen etiam propter ſeueritatem diſciplinæ Laconicæ legumque Lycurgi dictum eſt.

*Campus opimæ* ) patriam Achillis, qui Lariſſeus erat, Homerus, ἐριβώλακα βωτιάνειραν appellat: opimam vertit Flaccus. *Et Tyburti lucus* ) Veteres libri *& Tyburni lucus* qua forma Saturnus, Neptunus Portunus dicitur, vt illius Dei lucus ſignificetur: nihilque habeo, cur hanc lectionem damnem. interpretes Tiburti legunt. Tiburtinæ autem villæ, de quibus hic agit, in maxima dignatione erant, vt oſtendit Catulli epigramma. cui dolet ſuam villam potius Sabinam quàm Tiburtinam dici.

*O funde noſter ſeu Sabine, ſeu Tiburs.*
*Nam te eſſe Tiburtem autumant, quibus non eſt*
*Cordi Catullum lædere, at quibus cordi eſt,*
*Quouis Sabinum pignore eſſe contendunt.*

*Duce & auſpice* ) more Romano dixit. ductu & auſpiciis Teucri. Auſpicia tamen dicit, quòd oraculum conſuluiſſet, per κατάχρησιν.

*Ambiguam* ) ὁμώνυμον, id eſt, eiuſdem nominis in alia terra Salaminem fore Salaminem autem condidit in Cypro. Ambiguus interdum par. vt apud Vergilium, —— *ambiguumq; relinquat.* id eſt, prætereat parem & pariter currentem. *Iterabimus æquor* ) iterum nauigabimus. vt infra,

*—— nunc retrorſum*
*Vela dare, atque iterare curſus Cogor relictos.*

*Ex aduerſ.lib.11.c.26. Vndiq; decerptam f. p o.*) hic verſus multos ſollicitos habuit, vſque adeo vt bono deſperato ſenſu creditum ſit eſſe, *decerptæ frondi,* legendum. Itaq; hæc iam ſcriptura obtinet, & velut à Prætore contra tabulas in poſſeſsionem miſſa eſt. Vetus tamen ex edicto reſtituetur, ſi bono ſenſu ius ſuum approbarit. Puto igitur dici aliquos eſſe, qui in quocunque argumento & materia aliquid loquuntur in laudem Athenarum, eaſq; ſemper in ore habent, & commemorant editionem oliuæ à Minerua productæ, vt vrbi nomen imponeret: & in poëmate ita canunt, vt eblandiente loco excurrentes victores Panathenæorum dicant è pacali, vt ita dicam, Mineruæ oliua, aut ex eis, quę ab illa propagatæ ſunt & moriæ appellatæ, publicè coronari: vel deniq; ipſi ſe dicant in cantico libenter oliua redimitum caput habere. Eſt igitur *vndiq; decerp. fronti præp. oli:* ex omni loco & materia & argumento veluti colligere oleagineum termitem,

&ex

& ex eo coronam nectere: quod eſt, vbique & in omni argumento de Athenis & olea Mineruæ narrare, cuius fœlici feſtaque fronde coronantur homines. Similis eſt ferè ratio & figura in illo primæ Odæ loco,

*—me gelidum nemus,*
*Nympharumq́ leues cum Satyris chori* *Secernunt populo.*

Significat enim è locis nemoroſis & ſolis, quibus delectantur poëtæ, ſe delectari poëtices ſtudio. Nam vt ad Florum ſcribit,

*Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes*
*Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & vmbra.*

*Ex aduerſ. lib. 19. cap. 3.* Nos hic iterum de explanatione verſus huius Horatiani, *Vndiq; decerp. f. p. ol.* diſſeremus, vt is locus nihil caliginis, nihil nebularum habeat, ſi modo id conſequi poterimus. Exiſtimo veteres, cùm verſus ſcribebant, ſolitos eſſe ſe corona redimire. Nam vt vates & ſacerdotes coronati infulatiq; erant, vt apud Maronem,

*Quin & Marrubia venit de gente Sacerdos* *Fronde ſuper galeam, & fœlici comptus oliua.*

Et apud Papinium,

*Huc gemini vates ſanctam canentis oliuæ* *Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis:*

Ita poëtæ verſus condituri, velut auſpicatò ſe fronde coronabant, deos ſibi conciliantes hac tanquam religione. Qui igitur de Athenis & Minerua canere parabat, oliua caput ſuum comebat & ornabat, his etiam illud Horatianum illuſtatur, *lib. 2. epiſt. 1.*

*Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant* & Valerianum,
*Phœbe faue, ſi Cumeæ mihi conſcia vatis*
*Stat caſta cortina domo, ſi laurea digna* *Fronte viret.*

*Ex lib. 21. cap. 10.* *Nec me Lariſſæ percuſſit campus opimæ.*) Flaccus ob pingues Theſſalorum agros dixit.

*Ex aduerſ. lib. 11. cap. 26.* *Quàm domus Alb. reſ.*) Albunea Nympha fuit, cui ſacer erat fons altiſsimus & nemus pulcherrimum iuxta Tibur: Ea nympha fuit Sibylla Italica. Lactantius de Sibyllis, *Decimam inquit, Tiburtem dicunt, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur vt dea iuxta ripas Anienis, in cuius gurgite ſimulachrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cuius ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit.* Eam videtur Albanam appellare Tibullus, *Quasq; Albana ſacras Tiberis per flumina ſortes* *Portarit, ſicco perluerit q; ſinu.*

Librum autem quem portauit, puto ſortes fuiſſe, quas etſi aqua perluebat, ſiccas & ſicco pectore geſſerat. Tiburti autem lucus non minus emendatè quàm Tiburni legi poſſe ſuſpicor, quòd vrbis illius Tiburnus diceretur.

*Ex lib. 5. cap. 3.* Tiburnus nomen dei eſt, qui Tiburi colebatur, & lucũ habebat Horatio nominatum. Tiburni Lucus. *Ex lib. 22. cap. 3.* Tiburtus, qui idem & Tiburnus dicebatur, & Tiburi pro numine colebatur, cui etiã lucus erat ibi ſacratus ab Horatio memoratus, in quo & Tiburti lucus & Tiburni reperitur in exemplaribus, vtrumq; rectè, cùm heros ille duobus nominibus vocaretur: oppidũ Tibur condiderat vt ait Maro & Solinus refert. Horatius tamen *lib. 1. od. 18.* videtur exiſtimare Tibur à Catillo conditũ fuiſſe cùm Tibur mœnia Catili vocet: & Catonis ſententia fuit, eam vrbem poſitam à Catillo Arcade præfecto claſſis Euandri fuiſſe.

*Ex aduerſ. lib. 11. cap. 26.* Seruius, De Græcia tres fratres venerunt in Italiam Catillus, Coras, Tiburtus *Tempora populea f. v. cor.* cùm Horatius canit, quæritur cur populo Teucer ſe potius coronarit, quàm alia fronde: an quod ea arbor ſit Herculi ſacra, magnis ærumnis laboribuſque perfuncto? nec id ſanè eſt improbandum: an potius quòd ad Bacchantium coronas & genio indulgentium reſpexit? & probabilius eſt, vt lætitiam præ ſe ferret & oſtenderet alioſque bene ſperare iuberet. Demoſthenes pro Cteſiphonte, τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθῳ καὶ τῇ λεύκῃ. vbi Grammatici annotant, ἐστέφοντο οἱ τὰ βακχικὰ τελούμενοι τῇ λεύκῃ, διὰ τὸ χθόνιον μὲν εἶναι τὸ φυτὸν, χθόνιον δὲ καὶ τὸν τῆς περσεφόνης διόνυσον. τὴν δὲ λεύκην πεφυκέναι φασὶ πρὸς τῷ ἀχέροντι, ὅθεν καὶ ἀχερωίδα καλεῖσθαι αὐτὴν παρ᾽ ὁμήρῳ.

In 8. Odam. *Oderit campum*) Martium, in quo Romana iuuentus ſe exercebat. *Pulueris atq; ſolis*) Cicero, Mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum otioq; non modo in ſolem, atque puluerem: ſed in ipſum diſcrimen aciemque produxit. *Lupatis*) Duriora fræna ſunt lupum habentia. vt currus falcati, falces habentes: herba ſecuriclata, habens ſecuriculas: herba ſcandulata, habens ſcandulas: falx lunata, lunam habens: ſecuris dolabrata, quæ ſimplex non eſt, ſed dolabram etiam habet. Eſt autẽ Lupus, ferreum inſtrumentum vncum, inſtar lupinorum dentium Liuius, *In alios lupi ſupernè ferrei iniecti, vt in periculo eſſent, ne ſuſpenſi in murum extraherentur,* λύκος eodem modo Græcè dicitur ferrum quoddam fræni. vnde λυκοσπάδας equos nonnulli interpretantur. Ouidius ex parte, totum frænum ſignificauit, cùm dixit— *duros accipit ore lupos.* Eſt & lupus, ſerrula manubriata apud Palladium, *Diſco*) Diſcus lapis erat pertuſus, qui longè iaciebatur: ſolus autem maſſa ſolida ærea.

*Ex aduerſ. lib. 11. cap. 28.* Et iuuat & melli eſt Horatij quoſdam locos excutere, quod iam ſæpe fecimus, & ſæpe etiam poſt hac libris ſequentibus fortaſſe faciemus. In lib. 1. Carminum ſcribit,

*—Gallica nec lupatis* *Temperet ora frænis.*

Hic Gallica ora pro equis dicit Gallicis, vt nominat Plautus equos canterios.

*Faxim, inquit, muli precio qui ſuperant equos* *Sint viliores Gallici canterii.*

Fræna autem Lupata, queę & Lupata etiam ſine additamento dicuntur, fræna ſunt lupos habentia & duriora aſperioraq;: vt currus falcati dicuntur, qui falces habent, ſecures dolabratæ, quæ habent dolabram falces vericulatę, quæ vericulũ. Eſt autem lupus ferreũ inſtrumentũ vncũ, ſimile dentiũ lupinorũ. Liuius. *In alios lupi ſupernè ferrei iniecti, vt in periculo eſſent, ne ſuſpenſi in murũ extraherentur* λύκος eodẽ modo Græcè dicitur ferrum quoddam fræni, vnde lupatum: atq; hinc λυκοσπάδες equi à nonnullis explicantur. Ouidius ex parte totum frænũ ſignificauit cum dixit,— *duros accipit ore lupos.* Eſt & lupus ſerrula manubriata apud Palladium. Fræni autem lupati ad os equi quantumuis ferocis temperandum domandumq; aptiſsimi ſunt.

In



In 9. Odam. *Acuto*) Propterea quod cruſtæ eius ſunt acutæ vt in Epigrammate.

*Diſſolue frigus*) Ex Alcæo, cuius eſt ſtudioſus imitator Horatius, vt Lydiam, Thaliarchum nomina ex eo ſumpta eſſe putem: quæ ad argumentum ſui temporis accommodauit, perſonis parcens. πεπάγασιν δ᾽ ὑδάτων ῥοαί, κάββαλλε τὸν χειμῶν᾽ ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ. vt idem ſit apud Alceum genus carminis.

*Depræliantes*) Ea forma dictum, qua depugnare: & nouatum.

*Virenti*) ab arboribus virentibus ductum. Sic Dúmq; virent genua quod χλωρὸν γόνυ dixerat Homerus.

*Malè pertinaci*) non pertinaci vt *Græcia facundum ſed malè forte genus*, id eſt, non forte.

*Ex aduerſ. lib. 11. cap. 26.* Cur obſecro Horatius gelu acutum vocauit in nono Carmine?

*—geluq́* *Flumina conſtiterint acuto.*

Equidem acutum dici reor Græco more pro acri & vehementi. Grammatici enim Græci obſeruant ὀξὺ ſignificare plerumque magnum & vehemens: eodem modo dixit Horatius, *Expediunt peracuta bella*, vt Græci ὀξὺν ἄρηα dicunt. *lib. 4. od. 4.*

*Ex lib. 11. cap. 28.*) Thaliarchum in Horatio aſpiratè & anhelatè prima ſyllaba ſcribendum cenſeo, vt nomen proprium ſit, in quo inſit ſignificatio magiſtri & domini conuiuij, qui & Sympoſiarchus vocabatur. Nam Thalia conuiuium etiam Græcis ſignificat. At vero Diota. (Scribi enim debet iota non ypſilo) eſt amphora, ex eo nominata, quod vtrinque ferri poſſet, cùm vtrinque ſit anſata: vnde ἀμφορεὺς & ἀμφιφορεὺς à Græcis appellatur, & explicatur, ἀγγεῖον κεραμεοῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὅ ἐστι διωτον.

In 10. Odam. *Voce formaſti*) præeſt enim Mercurius eloquentiæ & gymnaſijs colebaturque cognomento λόγιος ab eloquentia, & à paleſtra & certaminibus ἀγώνιος. *Nuncium*) quem κήρυκα poëtæ Græci vocant. Dicitur etiam eodem modo Deorum interpres: Virgilius, *Nunc etiam interpres diuum Ioue miſſus ab alto.* *Curuæq; lyræ*) Ex teſtudine mortua lyram fecit Mercurius. Homerus in hymnis auctor. *Te boues olim*) Homerus in Hymno Mercurij. *Quin & Atridas*) locus eſt apud Homerum vltimo libro Iliad. *Aurea virga*) Ideo χρυσόῤῥαπις vocatur ab aurea virga. Eſt autem caduceum quod κηρύκειον dicunt Græci.

*Ex aduerſari. libro 11. capite 28.* Ait Horatius.

*Voce formaſti catus, & decoræ* *More paleſtræ.*

De Mercurio, ad eius officia id referens: vnde & cognomina apud Græcos inuenit, vnum, vt λόγιος ab eloquentia dicatur, quia orationi præeſt: alterum ἀγώνιος à certaminibus, quòd palæſtræ præſit & gymnaſijs. Idem erat & nuncius deorum: vnde κήρυξ διάκτωρ vocatur: etiam ab aurea virga χρυσόῤῥαπις, quæ quidem prætermittere nolui.

In 11. Odam. *Scire nefas*) id eſt, quod ſciri non poteſt, vt *Quicquid corrigere eſt nefas.* pro quicquid corrigi non poteſt. *Vt melius quicquid*) Oratio Græca eſt. ὡς κρεῖττον ὂν τὸ συμβησόμενον φέρειν Ergo *vt melius*, abſolutè dicitur, pro, vt exiſtente, vt ita dicam, meliore, *Vina liques*) Vina ſacco colata liquidiora reddebantur veteribus, & minus nocentia, id eſt, quod liquare dicit. Videri tamen poteſt dixiſſe iocosè, pro potare, quod collo noſtro colari videantur. vt colare cibos dixit Seneca.

*Ex aduerſ. lib. cap. 28.* Leuconoes nomen Græcum eſt à mentis candore: quanquam candidam mentem Græci pro mala interdum dicunt. Nam Heſychius λευκῶν πραπίδων explicat, κακῶν φρενῶν. niſi ſit potius κακῶν φρενῶν legendum, vt reor. Illud autem *—vt melius, quicquid erit, pati*, eſt. ὡς κρεῖττον ὂν πᾶν τὸ ἐσόμενον φέρειν. Illud enim participium ὂν nequeunt exprimere Latini, & plerumque in eorum oratione deſideratur: vt *—& ſpacio breui* *Spem longam reſeces*, id eſt, cùm vitæ ſpatium ſit breue βραχέως ὄντος τοῦ δρόμου καὶ τοῦ διαστήματος. id eſt, cum breue ſit curriculum vitæ. Eſt igitur *vt melius* abſolutè dictum, pro vt meliore, vt ita dicam, exiſtente.

*Ex aduerſ. lib. 6. cap. 14.* Fluctifragum littus dicitur, propterea quòd littora fluctum ſibi illiſum frangunt, vt apud Horatium, *Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare.* ἀκτὴ quoq; Græcis à frangendo dicitur littus.

*Ex lib. 11. cap. 28.* *Vina*, inquit, *liques*, id ex antecedente conſequens ſignificat, id eſt, vinum bibas & tibi indulgeas: ex antiquorum conſuetudine, qui vinum vt defecarent & liquidius redderent, minuſque nocens fractis velut viribus antequam biberent colo tranſmittebant. Tertullianus, *Conquiſito altilium enormem ſaginam, defecato ſenectutem vini.*

In 12. Odam *Quem virum aut heroa*) Ex Pindaro *temerè inſecutæ*) vulgo & paſsim ſequutæ ex illis montibus ſiluoſis Zonem vſq;. Vbi in orbem ſitæ arbores viſebantur, quæ audierant Orpheum canentẽ. Infra,

*Cur non ſub alta vel Platano, vel hac* *Pinu iacentes ſic temerè.*

Nonnunquam temerè eſt ſine arte. Liuius, *Itaque ingens vis coacta nauium eſt, lintriumq; temerè ad vicinalem vſum paratarum.* *Qui res hominum, ac deorum*) Romani ab Ioue preces auſpicari ſolebant, ac in tutela trium numinum præcipuè Roma erat, Iouis, Iunonis, Palladis. quæ, quicunque tandem eſt auctor orationis illius, quæ inſcribitur antequam Cicero in exilium abiret, nominat. Hic Iuno tacetur, Pallas mox Ioui ſubijcitur. *Metuende certa*) Non ſolùm quòd Niobes liberos interfecerit, verùm etiam quòd eius iaculis figi homines in peſte Homerus ſcribat libro primo Iliad. *Apto cum lare*) modico, tenui, adſtricto. Sic aptum verbis dicit Thucydidem Cicero: ſic Catullus aptas ſarcinulas & expeditas. *Graui curru quaties*) Erant in faſtigio Capitolini templi quadrigæ fictiles candidæ, quibus inſidebat Iuppiter, curruq; eum per aërem ferri cenſebant ingenti pernicitate. Hinc prouerbium, *Nunquam pol indipiſces quadrigis albis poſtea*, id eſt, non ſi tibi Iouis currus contingat. Quod aliter tamẽ ab Eraſmo exponitur, Ex eadẽ opinione, curru per aërem inuehi Iouem putabant fulgentem & tonantem. Infra,

*—namq; Dieſpiter* *Plerumque per purum tonantes*
*Igni coruſco nubila diuidens* *Egit equos, volucremq; currum.*

*Tu parum caſtis*) ad ſanciendam legem Iuliam de adulteris, *lucos parum caſtos fulmine tuo tanges.* In lucis autem, quo tempore in ijs ſacra fiebant, etiam quidam ſcortari ſolebant.

*Ex Aduerſ. lib. 11. cap. 28.* Cur acrem tibiam dixit Horatius? nempe quòd cùm lyræ ſonus dulciſsimus ſit, tibię vehementior eſt & acutior & vlulantior magiſq; tinnulus. Idcirco acris tibia dicta eſt, cuius epitheti proprietatem & Fabius in Flacco obſeruauit,

Vnde

*Vnde vocalem temerè inſecutæ Orpheæ ſiluæ.*

Temere, valet vulgò, paſſim: alio loco, fortuitò, negligenter.

*Cur non ſub alta vel platano, vel hac.*

*Pinu iacentes ſic temerè.* Temerè eſt ſine arte. Liuius, *Itaq; ingens vis coacta nauium eſt, lintriumq; temerè ad vicinalem vſum paratarum.* E montibus autem illis ſiluoſis arbores Zonem vſq; Orpheum erant ſecutæ: illic autem in amphitheatri orbem Orpheum canentem audientes cinxerant, vnde & loco nomen.

*Ex aduerſ. lib. 29. cap. 29.*) Cùm eſſet propoſitum Horatio vno carmine laudem hominum, heroum, deorumque concinere, itaque ſe facturum pollicitus eſſet, non vt propoſuerat, ab hominibus profectus eſt, ſed à dijs exorſus & ad heroas progreſſus, ad homines tandem, eoſque Romanos gradatim deſcendit. More autem maiorum ab Ioue Opt. Max. cœpit, à quo ſolemnis incipiebatur precatio è ritu. Quod ad Oratores quoq; peruenerat vetuſtos, qui Iouem Opt. Max. ſuarum orationum exordijs appellare præfarique ſolebant. ait igitur Horatius,

*Quid prius dicam ſolitis parentum.*

*Laudibus?* vt veteres Grammatici legunt: vel vt Lambinus *parentis.* Vt igitur maiores ab Ioue, ſic ipſe auſpicatur. in trium autem numinum tutela erat Roma, Iouis, Iunonis, Mineruæ: Iouis primũ, & Mineruæ mox meminit: Iunonis mentionem non facit. Obſeruandum autem eſt, eos ab illo deos cantari, qui Iouis liberi ſunt & progenies, vt Minerua, Liber pater, Diana & Apollo, Hercules, Caſtor & Pollux. Sed hi tres iam heroes nominandi ſunt *Alba* autem *ſtella* non alia profectò fuerat, quàm candida, fœlix & proſpera. Sunt enim Caſtores propitij & ſalutares nauigantibus, vt deluſa credidit antiquitas. Vt atrum contrà noxium, inauſpicatum, infœlix, malum. vt *lib. 3. oda 1.*

*Poſt equitem ſedet atra cura.* niſi ſi quis albam ſtellam ſimpliciter ad colorem candoremque referendum putet.

*——tibi cura magni*

*Cæſaris fatis data,* cùm ait, id ex antiquorum opinione poſuit, qui cenſebant Imperatores & reges in tutela & procuratione Iouis eſſe. Callimachus de Ioue,

——σὺ δ' ἐξ ἕλεο πτολιάρχους αὐτούς. Iterum

Ἐκ δὲ διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ διὸς οὐδὲν ἀνάκτων

θειότερον. Vt enim homines militares in Martis eſſe ditione & poteſtate dicuntur: opifices, Mineruæ: ferrarij, Vulcani: ſic in ditione & poteſtate Iouis ſunt vrbium & imperiorum præſides regeſque.

*Tu graui curru quaties olympum.* id eſt, tu tonabis. Nam cùm tonabat, Iouem putabant graui curru cœlo inequitare. Hinc illud,

*——namque Dieſpiter Plerunque per purum tonantes*
*Igni coruſco, nubila diuidens Egit equos, volucremq; currum.*

*Ex lib. 9. cap. 9.* Veterum opinio erat Iouem cum tonabat & fulminabat, in nubem eam vnde fragor ille tumultuabatur, miſcebatur & fremebat, & iactus fulminum cadebat, currum agitantem deſcendiſſe, vt inde velut ictum deſtinaret, & agitatione currus ſonitum excitaret. Hinc illud Horatianum,

*Tu graui curru quaties olympum.* & alio loco

*——namq; Dieſpiter p. p. p. tonantes,*
*Igni coruſco, n. d. Egit equos volucremq; currum.*

*Ex aduerſ. lib. 24. cap. 31.* Scripſit Horatius, *Tu graui curru quat. olym.* & curru per altum inuehi Iouem credebant cum tonabat aut fulgebat. Horatius,

*——nam Dieſpiter p. p. p. t.*
*Igni c. n. d. Egit equos volucremq; currum.*

*Ex lib. 29. cap. 29.* *Tu parum caſtis inimica mittes Fulmina lucis,* id eſt, tu fulminabis. nam tonare & fulminare Iouem credebant. cumque fulmina mitteret in periuros & impios, tum verò non rarò iratum credebant lucis pollutis & profanatis ea iaculari: vt cùm fulmina caderent, argumentum eſſet violati & contaminati loci ſacri, & irati eo nomine dei, quanquam interdum faciles dij erant, nec lucos ſacros violantes vindicabant. Maro,

*Nouimus & qui te tranſuerſa tuentibus hircis, Et quo, ſed faciles nymphæ riſere, ſacello.*

Quod de violato luco, Donatus rectè interpretatur. Senſus igitur, Si parum caſti ſunt luci, tu eorum religionem ſancies iactis fulminibus. Quo ſanè modo *lucis caſtis* abſolute accipimus: vel dicendum, in ipſos pollutos mittes lucos: atq; eorum de cœlo tactu indicabis te iraſci & parum caſtè lucos coli. Quem ſenſum ſequitur Acro, qui ſcribit, & pontificum & aruſpicum libris nunquam fieri fulmina, niſi in lucis pollutione aliqua alienis.

*Ex 25. lib. Aduerſ. cap. 14.* In lucos parum caſtos fulmina mittere cenſebatur Iuppiter, qua ex opinione Flaccus ſcripſit,

*Tu parum caſtis i. m. Ful. lucis.*

In 13. Odam, *Cerea Telephi*) pulchra formoſa. Eſſe ductum ab eo puto, quòd ex cera imagines pulcherrimas conficere ſolebant, vt quas in atrio habebãt. Et ex cera, pulchra opera conficere fictores ſolebant. *Lentis*) hærentibus, ſequacibus. vt Lentis adhærens brachijs.

*Ex lib. Aduerſ. 29. cap. 29.* Quæ ſunt, amabo, cerea brachia? At quidam mollia: alij ceræ ſimilia: alij ſolida: alij flexibilia alij candida interpretantur, ne quis putet ab illis omnes eſſe occupatas in hunc locum interpretationes, accedet & noſtra. Ego enim hic cerea interpretor pulchra & formoſa. quod à pulchritudine ſumptum eſt imaginum cerearum, quas in atrijs nobiles habebant pulcherrimas: & operum aliorum, quæ è cera fingebantur elegantiſsima.

*Ex lib. 17. cap. 24.* *Non Marcell. in Putus.* Ceream pro tenera & pulchra dixit, propter cereas imagines, quas in atrijs habebant, aliaque opera quæ ſequaci & flexibili ceræ natura pulcherrima faciebant & mollia

erant



erant vnde & cerea non abs re mollia explicant. qua translatione cerea Telephi brachia dixit Flaccus.

In 14. Odam. *O nauis*) Allegoria hæc Remp. ſignificat interprete Fabio: Ad Brutum autem ſcribitur, qui bellum ciuile parabat, in quo ipſe Horatius militauit. *Nudum remigio*) ductum eſt à triremibus, quibus deterſi ſunt remi aut tempeſtate excuſsi. *Non Dij*) in puppi Dij erant quos Tutelam vocabant: vt apud Diuum. Lucam in actis ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ Ἀλεξανδρίνῳ παρασήμῳ διοσκόροις, *Quamuis Pontica pinus*) In Ponto optima & idonea erat ædificandis nauibus materia. Catullus,

*Vbi iſte poſt phaſelus antea fuit*
*Comata ſilua. Nam Cytorio in iugo, Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.*

*Debes ludibrium*) Græcè locutus eſt ὀφλισκάνεις γέλωτα id eſt, niſi ventis ludibrio eſſe vis. *Nuper ſollicitum*) mihi tædio fuiſti partes Bruti ſequenti: nunc abſens es mihi deſiderio & curæ. Vita periculum belli, nec committe vt in fretis & breuibus, cuiuſmodi inter amœnas Cycladas ſunt, naufragium facias.

*Ex lib. 19. aduerſ. cap. 2.* In illa Horatij allegorica naui, quæ auctore Fabio Remp. ſignificat bellis Philippenſibus naufragam, aliud ciuile tentantem periculorum mare. Nam de Bruto reparante bellum ciuile poſt Caſsij mortem qui intelligunt, imperitè faciunt. quo enim pacto vnius noctis interuentu belli reparatio intelligi poteſt? nam poſtridie Brutus necem ſibi conſciuit. Sed tamen in illa naui vt dicere inſtitueram quædam obſeruanda ſunt vt illud, *Non dij quos iterum preſſa voces malo.*

Nam qui ſunt illi dij quos ei dicit deeſſe? Ego exiſtimo ex conſuetudine veterum id ſcriptum eſſe, qui in puppi ſacrarium quoddam habebant veluti Lararium. Perſius,

*——iacet ipſe in littore, & vna Ingentes de puppe dij.*

Heſychius, πάταικοι θεοὶ φοινίκες οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Hæc tutela nauis erat & inſigne. D. Lucas in actis, ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ Ἀλεξανδρίνῳ παρασήμῳ διοσκόροις. Valerius Flacc. *Viſa coronatæ fulgens tutela carinæ.* Nihilo ſecius & illud explicationis videtur indigere.

*Quamuis pontica pinus. Siluæ filia nobilis*

*Iactes & genus & nomen inutile.* Sed ita habendum, fuiſſe in Ponto optimam materiam naualem, vel Catullo teſte,

*Vbi iſte poſt phaſelus antea fuit Comata ſilua. nam Cytorio in iugo,*
*Loquente ſæpe ſibilum edidit coma,* Illud autem,
*Nuper ſollicitum quæ mihi tædium, Nunc deſiderium,*

non crediderim accipiendum de tempore ipſius ſub Bruto militiæ, ſed in hanc potius ſententiam: me nuper iſtius Reip. ſtatus tædebat & pigebat, & iniquo animo victores iſtos ferebam: nunc tamen, poſtquam periculum iteratur atque renouatur, quod erat antè mihi tædio, nunc incipit eſſe deſiderio: vt magnopere metuam, ne ſtatus Reip. mutetur facto naufragio. Sic iſta mihi videntur congruenter Fabij ſententiæ explicari poſſe, quam equidem cur veriorem putem quàm eam, quam de Bruto alij cõminiſcuntur, adferre ſi vacaret poſſum: ſed nos properamus nec diſputationes longas oratione explicamus, Sequitur non longo interuallo, *Interfuſa nitentes Vites æquora Cycladas.*

Id eſſe arbitror, vide ne loca naufragijs infeſta tentes, vbi freto concitato feruet mare, & nauigia ſubuertit, aut vadis illidit & breuibus. Tale mare eſt AEgeum auctore Dionyſio, qui de eo ſcribit, ὁ γάρ τε κείνῳ ἐναλίγκια κύματ' ὀφέλλει: ſed vel maximè quà Cyclades ſunt. Maro lib. 3.

*——ſparſaſq; per æquor*
*Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.* & libro 4 Epigrammaton,

πᾶσα θάλασσα, θάλασσα· τί Κυκλάδας ἢ στεινὸν Ἕλλης
κῦμα, καὶ ὀξείας Ἥλεα μεμφόμεθα.

*Ex lib. 26. cap. 7.* Deſiderium verbum eſt interdum amatorium, quo voluptas & delitiæ & amores ſignificantur, vt apud Petronium, *Tu deſiderium, tu voluptas mea.* Apud Horatium quoque ex amoris erga Mæcenatem abundantia ſcriptum eſſe arbitror,

*O deſiderium & dulce decus meum:* & alio loco
*Nuper ſollicitum quæ mihi tædium Nunc deſiderium,*

Et deſiderij poculum, eſt poculum amatorium, vt *Deſiderijq; temperare poculum,* dixit idem Poëta.

In 15. Odam. *Ducis aui*) pro aue: vt illud, *Iſque aui ſiniſtra dictus populi magiſter eſto. curruſq;*) apud Homerum ex equo non pugnatur, ſed ex curru. *Imbelli cithara*) locum Homeri imitatur:

οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης,
ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.

Citharam Alexandri oſtendebant Ilienſes, quam Alexander videre noluit. *Carmina diuides*) Diuidere carmina eſt, ea partiri & tribuere Infrà *Nulli plura tamen diuidit oſcula.* *Celerem ſequi*) Aiacem Oileum. Homerus, Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας. *Sthenelus*) Legendum ex Homero Sthenelus τοῦ δ' ἐσθλὸς θεράπων Σθένελος Καπανήϊος ἀγλαὸς υἱός. Hic apud Homerum auriga eſt Diomedis.

*Tydides melior patre*) id quod Diomedes ipſe apud Homerum dicit, ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. *Achillei*) à nominatiuo Achilleus. Sic illud Epod. Laborioſi remiges Vlyſſei, à nominatiuo Vlyſſeus.

*Ex lib. 19. aduerſ. cap. 3.* Quæſitum eſſe memini à duobus eruditis viris, quid eſſet cauſæ cur Horatius fata vaticinantem induxerit Paridi Helenam nauibus in Aſiam aſportanti Nereum potius, quàm alium aliquem deum: atque vni ea cauſa videbatur eſſe, quòd cùm dij futura ſciant, probabilius fuit ea à deo marino cani, quàm alio. Alter hic addendum putabat, cùm diuinitus ſciant, vt dij omnes alij, ſic marini, tum inter eius elementi deos veri cognitionem potiſsimum tribui Nereo, vel Heſiodo teſte, qui in Theogonia ſcribit, Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο πόντος. Quam etiam in ſententiam propenſior ſum, atque eam veriorem arbitror. Inquit idem Horatius,

*Imbelli cithara carmina diuides:*

In quo quæritur quid ſit diuidere carmina cithara. Id verò eſſe videtur carmina per citharæ neruos partiri, quod citharœdi faciunt, cùm modulantur. nunc enim hanc, nunc illam chordam carpunt, & de



canti-

cantilena huic & illi chordæ aliquid impertiunt. Sic enim per citharam carmina diuiduntur: vel potius citharâ carmina canuntur, audientibuſque diuiduntur. Simile eſt quodammodo illud eiuſdem. *Nulli plura tamen diuidit oſcula.* quod eſt, impertit, tribuit.

*Ex eod. lib. 19. cap. 30. Imbelli cithara carmina diuides.* Muſico hic dictum non eſt vocabulo diuidere, vt reor, ſed translato, quia qui canunt percurrendo chordas & pſallendo, etſi velut per eas partiuntur carmen, tamen id potius audientibus diuidunt, vt ante diximus; at verò muſico, vt credo, verbo in Achilleide, infringere digitos lyræ dixit Papinius. pro digitos flexibiles & faciles docileśq; modorum lyræ reddere.

In 16. Odam. *Imprimeret* ) exararet euerſas. *Nunc ſeges eſt vbi Troia fuit.*

In 17. Odam. *Dulci fiſtula* ) Fauni fiſtula. Ex priſcorum opinione, id dictum eſt, qui loca voces referentia à Faunis & Satyris incoli cenſebant, vt conuallem ſuæ villæ Horatius ait: ſed & eos modo tibia, modò fiſtula canere Lucretius,

*Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſq; tenere*
*Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur:*
*Quorum noctiuago ſtrepitu, ludoq; iocanti*
*Adfirmant vulgo taciturna ſilentia rumpi.*
*Chordarumq; ſonos fieri, dulceſq; querelas,*
*Tibia quas fundit digitis agitata canentum:*
*Et geuus agricolum latè ſentiſcere, cùm Pan*
*Pinea ſomniferi capitis velamina quaſſans,*
*Vnco ſæpe labro calamos percurrit hiantes,*
*Fiſtula ſilueſtrem ne ceſſet fundere Muſam.*

Siluani autem etiam Martes dicebantur. Cato, *Marti Siluano in ſilua interdius, &c.* Ac Martis nomen omnibus propè Dijs tribuebatur, vt Ioui & Iano. Cato, *Ianum Iouemq; vino præfamino: ſic dicito, Mars pater te precor.* Et vt opinor, Picus Martius ideo dicebatur, cùm ex Pico vt in fabulis eſt, filio Martis Siluani in auem eſt mutatus. *Vtcunque* ) vbicunque toto hoc tractu ſaxa perſonuêre Fauni fiſtula. Nam quemadmodum, vt, eſt interdum vbi, ita vtcumque interdum vbicumque: Catullus,

*Verùm totius vt lacus putidæque paludis*
*Liuidiſsima, maximèque eſt profunda vorago.*

id eſt, verùm vbi profundiſsima vorago eſt. *Vitreamq; Circen* ) puto quòd inſulam incoleret, & aquas accoleret, quarum color eſt vitreus. Itaque Nymphæ apud Maronem huius coloris lanificium exercent,

*——Mileſia vellera Nymphæ*
*Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.*

Vitream Circen ergo maritimam intellige. *Diſpari* ) non redamanti. alio loco, Et quæret iratus parem. id eſt, redamantem.

*Ex aduerſ. lib. 9. cap. 3.* Quod ait Faunum amœnum mutare Lycæo Lucretilem, per Faunum intelligit Pana, qui in Arcadia colebatur, vt Fanus in Latio. Credebatur autem Faunus vt & Pan fiſtula delectari, & ea plerumque canere, eiuſq; modos audiri fides erat, quod & hic Horatius ſignificat cùm ſcribit,

*Vtcunque dulci Tyndari fiſtula,*
*Valles, & Vſticæ cubantis*
*Læuia perſonuere ſaxa.*

Hoc enim de Fauni non de Paſtorum fiſtula auguror intelligendum eſſe. Delectari autem eum fiſtula antiquitatem credidiſſe ſic ex Prudentio intelligimus, Hymno. 10. περὶ στεφάν. *Faunos, Priapos, fiſtularum præſides.* Dij eiuſdem generis erant Siluani, quibus, vt & quibuſdam alijs dijs nomen Martis tribuebatur. M. Cato, *Marti Siluano in ſilua interdius.* & vt opinor auis Picus Martius ideo dicebatur, quòd ex Pico, vt in fabulis eſt, Martis Siluani filio, in auem eſſet mutatus. Siluanus à Græcis exponitur, πᾶς ὑλαῖος θεὸς, ſed & πᾶς σιλυνός.

*Ex lib. 8. aduerſ. cap. 15.* Cùm Horatius ſcribit, *Vtcunque. d. T. f. v. & v. c. L. p. ſ.* Fauni fiſtulam interpretor ex priſcorum opinione, qui loca vocis imaginem referentia, à Faunis & Satyris incoli credebant, vt conuallem ſuæ villæ Horatius: ſed & eos modò tibia, modò fiſtula canere credebant, vt ex Lucretio cognoſci poteſt,

*Hæc loca capripedes Satyros Nymphaſque tenere*
*Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur.*
*Quorum noctiuago ſtrepitu ludoque iocanti*
*Affirmant vulgò taciturna ſilentia rumpi,*
*Chordarumque ſonos fieri, dulceſque querelas*
*Tibia quas fundit digitis agitata canentum:*
*Et genus agricolûm latè ſentiſcere, cùm Pan*
*Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,*
*Vnco ſæpe labro calamos percurrit hiantes,*
*Fiſtula ſilueſtrem ne ceſſet fundere muſam.*

Vtcunque autem pro vbicunque Horatius; vſurpauit. Nam & vt, pro vbi dicitur. Catullus,

*Verùm totius vt lacus putidæque paludis*
*Liuidiſsima maximeque eſt profunda vorago,*

id eſt, vbi profundiſsima vorago eſt. Eodem modo in Arato Cicero, *vt prius altæ chelæ,* pro vbi. nam Græcè eſt, ἧπερ ἄκραι χηλαί. Sed quia ad eã antiquorum de Faunis & Satyris opinionem Melæ verba pertinent, ea adijciam, *Inde viſuntur patentes magis campi, quàm vt proſpici poſsint. Panum Satyrorumque opinio hinc cauſæ fidem cœpit, quòd cùm in his nihil culti ſit, nullæ habitantium ſedes, nulla veſtigia, ſolitudo in diem vaſta, & ſilentium vaſtius, nocte crebri ignes micant, & veluti caſtra latè iacentia oſtenduntur: crepant cymbala & tympana, tibiæque audiuntur ſonantes maius humanis.* Multi etiam ambigunt cur vitream Circen appellarit his verſibus,

*Dices laboranteis in vno*
*Penelopen, vitreamque Circen.*

Ego pro aquarum accola & maritima accipio & tanquam aquarum nympha, cùm aquarum color vitreus ſit, & Nymphæ apud Maronem lanificium huius coloris exerceant: verſus enim eius eſt,

*Carpebant hyali ſaturo fucato colore.* i. vitri.

*Ex lib 19. cap. 3.* Quod quærunt cur vitrea Circe ab Horatio dicatur? Id vero ſine controuerſia eſt. Sic enim appellatur, vt maritima dea aut maris accola. Is enim marinis diis color, vt & cęruleus & glaucus, tribuitur. Maro de Neredibus,

*——Mileſia vellera Nymphæ*
*Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.* Iterum,
*——vitreiſque ſedilibus omnes*
*Obſtupuêre.*

In 18. Odam. *Nullam vare* ) Ex Alcæo. cuius non ſolùm ſententiam, ſed & genus carminis eſt imitatus in eadem re, μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω. *Non ego te* ) Adluſum eſt ad myſteria in quibus colebatur Liber cum Cerere & Libera. Adluſum etiam ad Bacchanalia. Significat autem ſe nolle bacchari in vino. Bacchæ autem cùm furioſæ eſſent, ait in potu ſe nolle eius commouere ſacra, id eſt, ſe nolle ad ebrietatem progredi.





*——qualis commotis excita ſacris*
*Thyas vbi audito ſtimulant trieterica Baccho.*

Plautus. *Scis vbi mea commoui ſacra, quas turbellas ſoleam dare? Varijs obſita frondibus.*) Adluſum eſt ad thyrſos baccharum, qui frondoſi ſpiculum occultabant, cùm etiam hedera bacchantes ſe veſtirent. Allegoricè autem iſta ad ebrietatem rixoſam transfert, quam Bacchanal quoddam & ſacrum Bacchi eſſe ſignificat. Euripides in Bacchis. Vide Lucianum in Dionyſio. *Cornu tympana* ) Retine furorem, ne eum nobis immittas. Nam ad modos Phrygios, enthei & phanatici reddebantur. Cybeles autem ſacris cymbala, tympana, & cornua adhibebantur. Lucretius,

*Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum*
*Concaua rauciſonoq; minantur cornua cantu,*
*Et phrygie ſtimulat numero caua tibia mentes.*

*Cæcus amor ſui* ) per ebrietatem arcanum prodimus, nos nimium amamus, glorioſè de nobis prædicamus.

*Ex lib. 22. cap. 3.* Horatius videtur exiſtimare Tibur à Catilo conditum fuiſſe, cum Tibur mœnia Catili vocet: & Catonis ſententia fuit, eam vrbem poſitam à Catilo Arcade præfecto claſsis Euandri fuiſſe.

*Ex lib. aduerſ. 21. cap. 21.* Niſi erro toto cœlo, Horatianus ille locus allegoria totus eſt figuratus & mutatus,

*——non ego te candide Baſſareu*
*Inuitum quatiam: nec variis obſita frondibus*
*Sub diuum rapiam: ſæua tene cum Berecynthio,*

*Cornu tympana.* Nam de ebrietate hic loquitur ſub integumento bacchanalium, cùm ebrietas etiam bacchanal quoddam videri poſsit: ſe autem dicit ad ebrietatem vſque nolle compotare. Nam qui eo vſque progreditur, is Bacchum inuitum quatit: ille enim nobis non inuitus ſua indulget munera temperatè vtentibus: non æquo animo vino nos obrui patitur. Quod autem quatere dixit, ad ſacra Bacchi alluſit, quæ recondita in ciſtis è templis vrbanis in montes ſolitudineſque ad Orgia celebranda à Bacchis portabantur. vnde Maro, *Bacchatamq; iugis Naxum* dixit, & lib. 4.

*——qualis commotis excita ſacris*
*Thyas, vbi audito ſtimulant trieterica Baccho*
*Orgia, nocturnuſq; vocat clamore Cytheron.*

Et quia ſacra illa furioſo tumultu & perturbato impetu commouebant, idcirco dixit Plautus, *Scis, vbi mea commoui ſacra quas turbellas ſoleam dare.* Non igitur, inquit, te commouebo, nec obſita frondibus ſacra tua ſub diuum rapiam, id eſt, ebrius non bacchabor, nec inſaniam, vt qui ſacra tua ſolent Bacche pater è templis rapere ſub diuum in ſaltus & montes. Tegebantur autem Orgiorum ciſtæ hedera & pampinis.

*Sæua,* inquit, *tene Berecynthio*
*Cornu tympana.*

id eſt, noli me adflare ebrietatis furore, vt tympano ſacrorum tuorum, & cornu audito, ad amentiam adiguntur Bacchæ & myſtæ tui fanatici & enthei redduntur, vnde & Lucretius ſcripſit,

*Et Phrygio ſtimulat numero caua tibia mentes.*

Amentiam autem illam ebrietatis, quę vitia conſequantur continuò enumerat, quæ proculdubio fidem faciunt figurato eſſe iſta inuolucro obducta, quod in eam ſententiam, quam expoſui, arbitror euoluendum.

In 19. Odam. *Glyceræ nitor* ) meretricula fuit Athenienſis Menandri amica & ex eo celebrata. Hic enim amicæ ſuæ nunc fingit nomen.

*Lubricus aſpici* ) aſpectu periculoſus vt vix à lapſu te continere queas. Ductum à locis lubricis.

*Viuum ceſpitem* ) Ceſpititiam excitat aram, cui addit verbenas, ſacram herbam, quærit thura, quæ adoleat, vinum, quo hoſtiam perfundat ante ſacrificium, & mactet: quam poſtremò iugulat.

*Ex lib. aduerſ. 21. cap. 21.* Vt ſuperiori carmine ſenſus quadam nebula immutationis tenebricoſus eſt: ſic in hoc cantico vnius verbi quadam velut caligine circunfuſus minus apparet, cùm ſcribitur, *Et vultus nimium lubricus aſpici.* Non ſum ſolitus ingenij famam aucupari reprehendendis aliorum explanationibus, quod nec nunc faciam: tantùm quid mihi videatur aperiam. Vultus igitur lubricus aſpici, vultus eſt politiſsimus, nitidiſsimus & pulcherrimus aſpectu. Nam quæ ad læuorem perpolita ſunt, & æquato nitore nihil habent in ſummo aſperitatis & inæqualitatis, lubrica etiam protinus efficiuntur. Sic & in illo, *Horat. lib. 2. ſaty. 4.*

*Lubrica naſcentes implent conchylia Lunæ.*

Introrſum limpida interpretantur veteres, Sunt tamen conchylia foris teſtæ ferè læuis, quam oſtrea plerunque habent aſperam.

*Hic viuum mihi ceſpitem, hic*
*Verbenas pueri ponite, thuraq;*
*Bimi cum patera meri.*

Veteres interdũ ceſpititias extruebant aras, cùm altare deerat, aut ceſpitem in terra aggerata ponebant, vbi & ex tempore ſacrificabant. Quin & ceſpes pro ara erat, & aræ imponebatur, reique diuinæ neceſſarius habebatur. Prudentius, *Hymno. 5.* περὶ στεφάνων.

*Hoc namq; decretum cape,*
*Aut thure & ara & ceſpite,*
*Præcanda nunc eſt iam tibi.*

*Ex eodem lib. 21. cap. 3.* Vt in caſtris ceſpititium tribunal excitabant duci, vnde ad milites verba faceret, cuius rei exempla paſsim occurrunt. ita ceſpititiam aram ruſtici excitabaut & focum, ceſpeſq́ue loco foci aræq́ue erat Horatio teſte,

*Lib. 3. od. 8. Poſituſque carbo in ceſpite viuo.* Rurſum, *His viuum mihi ceſpitem:* & Calphurnio,

*Tu ceſpite viuo*
*Pone focum.*

nam ceſpes in ara ponebatur, iſque viuus recenſq́ue è terra exciſus, vt ad purificationem viua vtebantur aqua.

*Ex lib. 11. Aduerſ. cap. 1.* Aras gramineas Maro intelligit lib. 12. ceſpititias, quales in caſtris excitabantur, vt & tribunalia: quanquam & è ceſpite ſubitas etiam ſibi alias aggerabant aras; & ceſpitem pro ara habebant. Horatius,

*Poſituſque carbo in ceſpite viuo.* Iterum,
*Hic viuum mihi ceſpitem, &*
*Verbenas pueri ponite.*

Sed & ceſpitem interdum Romano ritu aræ imponebant, vt Seruius notat. Prudentius,

*Aut ara, thure & ceſpite — Precanda nunc eſt iam tibi.*

In 20. Odam. *Sabinum* ) vinum Sabinum non in ea commendatione erat in qua Calenum, Falernum, Formianum, Sabinum dat Horatius ex ſua villa Sabina.

*Cantharis* ) poculum eſt Baccho ſacrum, quo Marius etiam bibit non ſine inuidia. Hic putem pro poculo ſimpliciter poſitum eſſe. Plautus Aſinaria. *Græca teſta* ) dolio Græco, id eſt, Cumano. Cumis, quod oppidum erat in Italia Græcorum doliorum & fictilium figlinæ erant.

*Leui* ) cùm eſſent dolia fictilia, vino condito operculabantur, gypſoque linebantur, deinde, cùm aperiebantur, relinebantur.

*In theatro* ) clariſsimi viri ludis excipi plauſu populi ſolebant in theatro. Cic. pro Sextio. *Temperant* ) non miſcent apud me pocula. Temperare autem dixit, quia admiſcebatur aqua. *Temperet annoſum Martia lympha merum.*

*Ex lib. 2. Aduerſ. cap. 6.* Non eſt publici guſtus nec palati ſentire quæ ſit huius loci ſuauitas, & quàm dulcis ſapor de gloria: *Ea virtuti reſonat vt imago gloriæ.* itaque vltimo nomine multi vt acido & inuiſo offenſi, *voci* ſcripſerunt: qui mihi videntur nimium iuris ſibi ſumere ſi ius dici debet licentia. Ego gloriæ nomen in ſuo domicilio ſuiſque penatibus retinendum eſſe exiſtimo, & locum ſic interpretor. gloriam virtuti ſic ſolere reſonare, vt imago ſolet gloriæ: i. vt plauſui & ſignificationibus & gratulationibus quibus populus voce læta & mirabunda & hilari aliquem celebrat, reſpondet Echo, quæ Latinæ dicitur imago. Huius gloriæ hoc exemplum apud Flaccum extat,

*—datus in theatro — Fluminis ripæ, ſimul & iocoſa*
*Cùm tibi plauſus, — Redderet laudes tibi Vaticani*
*Chare Mæcenas eques: vt paterni — Montis imago.*

*Ex lib. 17. cap. 5.* —*Græca quod ego ipſe teſta.* Hic ego teſtam dolium interpretor. Nam dolia veterum fictilia erant: vnde prouerbium, figlinam à dolio incipere. Græcum dolium dicit Cumanum. Nam & Cumanam patellam in Lemmatis memorat Martialis, *lib. 14.*

*Hanc tibi Cumano rubicundam puluere teſtam, — Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.*

Et Varro calices cumanos. Nam ait, *dolia atque apothecas, triclinares, melicas, calenas obbas & cumanos calices.* Cumas autem oppidum Græcum fuiſſe à Chalcidenſibus conditum è Marone *lib. 6. æneid.* ſcimus. aut dolia Græca dicit, quæ facta erant in regione Italiæ illa, quæ Græcia magna dicebatur. Sed & in illo tractu erat inſula Pithecuſa, quæ ſi credimus Plinio à figlinis doliorum nomen inuenit. Ita enim ſcribit, AEnaria ipſa à ſtatione nauium AEneæ Homero in carmine dicta: & Græcis Pithecuſa: non à ſimiarum multitudine (vt aliqui exiſtimauere) ſed à figlinis doliariorum.

In 21. Odam. *Dianam teneræ* ) carmen eſt ſeculare, quale à virginibus pueris patrimiſq; matrimiſq; cani ſolebat ludis ſecularibus. ſeculares autem ludos fecit Auguſtus, quibus carmen, quod cantatum eſt, ab Horatio ſcriptum eſt. Extatq; in Epodon libro. Dianam autem & Apollinem tum canebant, quòd annum regant, ſalubritatemque & intemperiem, peſtem & eius liberationem, famem, bellum afferant. Poſtremò ſuis telis homines confodiant. Homerus.

Ἐλθὼν ἀργυρότοξος ἀπόλλων ἀρτέμιδι ξὺν — Οἷς ἀγανοῖς βελέεσι κατέπεφνε.

*Intonſum* ) ἀκερσεκόμην intonſum vertit. *Prominet Algido* ) Loca memorat, quibus Diana delectabatur, Algidum, Erymanthum, Gragum: cùm in propinquo etiam coleretur, vt Pergæ non longè à Grago.

*Ex lib. 17. aduerſ. cap. 5.* Seculare carmen, exacto ſeculo in honorem Apollinis & Dianæ cani ſolebat à pueris, & puellis patrimis & matrimis, illis Apollinem, his Dianam laudantibus alternis, quod tempora ducere videantur, cùm Apollo annos metiatur, Diana menſes luſtret: quod ſalubritatem & intemperiem, morbos & ſecundam valetudinem, vbertatem & famem, peſtem & eius liberationem adferre putarentur: ac qui morbis interibant, eos veteres ab Apolline & Diana interfici credebant, viros ab Apolline, mulieres à Diana. Homerus, Ἐλθὼν ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξὺν, — Οἷς ἀγανοῖς βελέεσσι κατέπεφνεν.

Sic periêre Amphionis liberi horum deorum ſagittis confixi.

*Ex lib. 6. cap. 24.* Apollo ſagittis confodere credebatur, idemque malorum depulſor habebatur, & eo cognomine indigitatus colebatur cùm ἀλεξίκακος diceretur: hinc illud Horatianum, *lib. 1. ſaty. 9.* —*ſic me ſeruauit Apollo.* Nam qui mala depellit, ſeruat: & idem Horatius de Apolline,

*Hic bellum lachrimoſum, hic miſeram famem — Perſas, atque Britannos*
*Peſtemq; à populo & Principe Cæſare, in — Veſtra motus aget prece.*

Scio illud Horatianum de ſeruatore Apolline longè repetita iam inde vſque ab Iliacis temporibus auctoritate explicari, cum conſtet Apollinis ope AEneam hoſtibus ereptum fuiſſe: ſed ad religionis opinionem libentius retulerim, officiumq; dei illius, exiſtimati malis auerruncandis depellendiſque mortales iuuare.

In 22. Odam. *AEſtuoſas* ) æſtu reciproco nauigia mergentes. Barbaras Syrtes vbi Maura ſemper AEſtuat vnda. Non egere Mauri iaculis integrum vitæ ait, quia Mauri, metu Leonum & belluarum non exeunt ſine iaculo. *Expeditus* ) Expeditis Porphyrio legit, & libri nonnulli veteres habent. *Daunia* ) Apulia ſaltibus & ſiluis abundabat, quæ luporum ſtabula ſunt: infrà, *Sed prius Apulis iungentur capreæ lupis.* *Pone me* ) in locis ſolis & vaſtitate incultis plagarum frigore & ardore inhabitabilium, belluæ feruntur eſſe ad Septentrionem, gryphes, ad Meridiem leones, tigres. Se tamen illis in locis ſine metu ſuos amores cantaturum ait, innocentia fretum.

*Ex lib. 17. aduerſ. cap. 5.* Rectè, inquit Lactantius, Flaccus tantã eſſe dixit innocentiæ vim, vt ad tutelam ſui non egeat nec armis, nec viribus, quacunq; iter fecerit,

*Integer vitæ ſceleriſq; purus — Non eget Mauri iaculis nec arcu.*

Maura autem iacula dicit, quia Mauri optimi iaculatores erant, & his armis vtebantur. Herodianus, συνῆ-

σαν δὲ



σαν δὲ παιδεύοντες αὐτὸν παρθυαίων οἱ τοξικὴν ἀκριβοῦντες, καὶ μαυρουσίων οἱ ἀκοντίζειν ἄριστοι. Mauris autem etiam domo proficiſcentibus iaculis opus erat, ob leones & feras, quas Mauritania fert. Cæterum cum ait Flaccus.

*Siue per Syrtes iter æſtuoſas, — Siue facturus per inhoſpitalem — Caucaſum.*

Syrtes intelligere non poſſum arenoſos illos in Africo pelago maris tractus vadis breuibuſque infeſtos nauigantibus: neque enim qui nauigat, vel timet feras, vel arcu in eas aut iaculis indiget, & de itinere Flaccus loquitur, non nauigatione. Sed tractum terræ illis finibus vicinum intelligo, qui etiam Syrtis nomine vocabatur. Lucanus, *lib. 9.* —*nam littore ſicco*

*Quam pelago Syrtis violentius accipit Auſtrum. — Et terræ magis iſte nocens.*

AEſtuoſas igitur interpretor, non reciprocis & efferueſcentibus vndis agitatas, ſed feruidas & valde calidas. Nam ille Africæ tractus feruet & æſtuat. Quinetiam arenoſa illa Libyæ ſpatia mediterranea Syrtes appellantur, non tantùm littoralis ora. Prudentius, *In Apotheoſi. Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.* Mox ait ſe ſine metu belluarum amores ſuos innocentia fretum cantaturum eſſe in locis & vaſtitatibus incultis plagarum frigore & ardore inhabitabilium, ſi in his collocatus ſit, quæ belluis abundant. Nam ad Septentrionem gryphes, alcæ, biſontes, bonaſi feruntur eſſe: ad Meridiem tigres, leones, pantheræ.

In 23. Odam. *Similis Cloe* ) Scribi debet Chloë. ita enim impoſuit nomen amicæ à viriditate herbida, quæ χλόη dicitur.

*Ex aduerſ. lib. 26. cap. 36.* Apud Horatium hinnuleus per diminutionem effictum eſſe videtur, vt leguleus expreſſum eſt. Veris autem aduentus apud eundem eſſe videtur, cùm Fauonius incipit flare exacta hyeme: quo tempore dicebatur & aduentus Veneris. Lucretius, *lib. 1*

*Et reſerata viget genitabilis aura Fauoni: — Aëriæ primum volucres te Diua, tuumq;*
*Significant initum percuſſæ corda tua vi* id eſt, ſignificant aduentum tuum.

In 24. Odam. *Quis deſiderio* ) non mihi placet quod adferunt interpretes, qui ſic locum conſtruunt. Præcipe Melpomene lugubres modos, quis pudor ſit. Ego enim puto poſt, tam chari capitis, interrogandum eſſe, hoc ſenſu. Ecquem pudere debeat? Ecquis modum facere deſiderandi & lugendi tam charum caput Quintilij? Mox conuertitur oratio ad Melpomenen vt næniam lugubrem dictet, quæ voce ad citharam canatur. *Nudaq; veritas* ) aperta & ſimplex, nullis inuolucris obducta.

*Non ita creditum* ) qui tibi non erat hac conditione creditus, vt tam citò repeteretur. *Imagini* ) Quod Homerus εἴδωλον dicit, eius imitatione poëtæ Latini imaginem dixere εἴδωλα καμόντων. Sic eius exemplo vmbras dicunt τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Eius imagini & vmbræ corpore egreſſæ ſanguis & vita non redierit.

*Corrigere eſt nefas* ) Corrigere non licet, Corrigi non poteſt.

*Ex lib. 26. cap. 36.* Liquidam vocem appellat per tranſlationem canoram, claram, ſuauem, non raucam. Tranſlatio autem eſt à liquore defecato & colato. Nam & vox limpida & ſuauis ipſa quoque per fauces quodammodo percolata videtur. Vnde & liquata etiam dicitur per guttur tranſmiſſa. Hoſtius apud Macrobium. *lib. 6. ſatyr. cap. 3.* —*totidem voceſq; liquatæ.*

*Ex lib. 9. aduerſ. cap. 13.* Nudam veritatem vocat, quòd perlucente veſte, tanquam nuda ſit.

In 25. Odam. *Ianua limen* ) quod ante oderat. Eam enim tædebat liminis, cùm toties aperiretur, aliudque limen, in quo magis quieuiſſet, deſiderabat. *In ſolo angiportu* ) vilis & nullius ponderis, in tuo vico flebis, qui antè à tuis amatoribus celebrabatur, cum ſolitudo nunc ſit. *Thracio* ) interpres Apollonii ait exiſtimatum eſſe Thraciam ventorum domicilium. Id quod ait Horatius à Græcis natum, quibus Septentrionalis eſt Thracia, vt ex ea Aquilonem ſpirare dicant. *Sub interlunia* ) Docet Theophraſtus in libello de ventis coitum Lunæ tempeſtates adferre. interlunium vocat Horatius. Verba Theophraſti ſunt, αἱ σύνοδοι τῶν μηνῶν χειμεριώτεραι. Per ventum & tempeſtatem iucundius eſt libidinoſis amicam fouere, & meretriculis, amatores, Tibullus,

*Quàm iuuat immites ventos audire cubantem, — Et dominam tenero continuiſſe ſinu.*

*Amor & libido* ) illius iecur vlceroſum & ſaucium tanto amore fore dicit, cum ab omnibus ſpernetur, quantum ferunt equarum eſſe, quæ libidine in rabiem aguntur. Eamq; ait conqueſturam, quòd iuuenes puellas ſectentur, anus contemnant. *Aridas frondes* ) id eſt, anus. ſolent autem aridæ frondes hyeme in fluuios propter adſitas arbores plerumque cadere.

*Ex aduerſ. lib. 26. cap. 36.* Ventum dicit Horatius magis per interlunia bacchari, id eſt, per intermenſtruũ, cùm Luna eſt in coitu. Quod & docet Theophraſtus in libello de ventis his verbis, αἱ σύνοδοι τῶν μηνῶν χειμεριώτεραι. Solent autem homines libidinoſi & voluptuarij per ventum & tempeſtatem iucundius amicam fouere in ſinu & amoribus perfrui. Sic & meretriculæ laſciuæ petulanteſq; libentius tum ſunt cum amatoribus, Tibullus, *lib. 1. eleg. 1.*

*Quàm iuuat immites ventos audire cubantem, — Et dominam tenero continuiſſe ſinu.*

Tum autem illa horrorem ſentiet Aquilonis perflantis, quem Thracium ventum dixit: quia in Thracia regnaſſe Aquilo dicitur, & in Græciam è Thracia ventus ille mittitur. Vnde Horatius *Epod. od. 13. Threicio Aquilone ſonant:* Vates autem Græciæ, qui è Thracia Aquilonem ferri ſcripſerunt in Græciam, & Threicium Aquilonem appellarunt, imitatores æmulatoreſq; Latinos habuerunt: etſi in Latiũ aliunde Aquilo venit.

Libidinem autem, quæ ſolet matres furiare equorum ſæuituram circa iecur vlceroſum, non ſine queſtu, dicit: cùm ab omnibus ſpernetur illius iecur ſaucium tanto amore fore, quantum ferunt equarum eſſe, quæ libidine in rabiem & furorem aguntur. ac tamen eam ſuas queſturam fortunas, quod iuuenes puellas non anus ſectentur. Iucundum eſt autem quod ait,

*Aridas frondes hyemis ſodali — Dedicet Hebro.*

quo figuratè ſignificat anus à iuuenibus non amari nec aridas ab illis colligi frondes, ſed negligi & amnibus donari. Solent enim arida arborum folia fluminibus aſſitarum in aquam cadere, niſi legantur aut ſtringantur. quo alluſum eſt cùm Hebrus hic loco cuiuſcunq; fluminis ponatur.

*Ex lib. aduerſ. 19. cap. 29.* Horatius Græcorum imitatione dixit de laſciua & amante, iecur vlceroſum: quòd

eam partem Cupido ferire cenſeatur: vnde Theocritus, —*χαλεπὸς γὰρ ἔσω θεὸς ἤπαρ ἐμυσσεν.* Sed & Seruius è Varrone ita ſcribit, *Nam propriè rubigo eſt, vitium obſcœnæ libidinis, quod vlcus vocatur.* Egregriè autem vt nihil ſupra, de libidine effrænata & immoderata ſcripſit, —*& libido* *Quæ ſolet matres furiare equorum.*

Nam libidinem equinam, furioſam & immenſam & incitatiſsimam vocare ſolebant. Prudentius, *lib. 1. con. Symmach.*

*Aduena quos profugus gignens, & equina libido,*<br>*Intulit Italiæ: Thuſcis namq́; ille puellis* *Primus adhinniuit ſtimulato numine mœchus.*

Hinc elegans illa in Piſonem translatio, *Sic ad illius hanc orationem adhinniuit.*

In 26. Odam. *Triſtitiam & metus* ) Duæ ſunt teterrimæ perturbationes, metus & triſtitia, quarum meminit. Nam ſpes & lætitia iucundiſsimæ ſunt. *Quis ſub arcto* ) Quis ad ſeptentrionem rex metuatur & formidoloſus ſit, etiam imperio Romano, vt Marabodius.

*Quid Tyridatem* ) Quid Mithridatem habent libri veteres. Nam Mithridates in Armenia regnauit, quem captum vinctumque Auguſtus Romam duxit, Tyridates imperante Nerone Armeniâ potitus eſt, Romamque venit, quem publico ſpectaculo ad genua admiſit Nero. Ergo ſi Tyridatem legas, alium eſſe oportebit, qui illic imperio Auguſti regnarit. *Integris* ) intactis & illibatis, non contaminatis. Lucretius,

——*iuuat integros accedere fontes* *Atque haurire,*

*Ex aduerſ. lib. 26. cap 36.* *Quid*, inquit Flaccus, *Tyridatem terreat, vnicè* *Securus.*

Hic Tyridates eſt, qui eiecto in exilium Phraate rege Parthorum, rex conſtitutus eſt nobilitatis conſenſu. Sed cùm audiret Phraatem magnam Scytharum colligere manum, ſic territus eſt, vt è regno profugerit ad Auguſtum. Librum vidi indubitatæ fidei, in quo Mithridatem legebatur, ſine vllius lituræ ſuſpicione, quam & ſcripturam ſe reperiſſe fatetur Lambinus: & agnoſcere videntur interpretes, cum regem Armeniæ ab Horatio dicant intelligi. Itaque ſi quis eſt, qui eam recipiendam putet, is ſic habeat, Mithridatem eo tempore regem Armeniæ fuiſſe: quem captum vinctumque Auguſtus Romam duxerit, vt ne huic quidem ſcripturæ deſit teſtimonium hiſtoriæ. Quod autem dicit, *Hunc Lesbio ſacrare plectro.* Id valet, hac cantilena, quæ ſcripta eſt Alcaïco carmine, hominum memoriæ conſecrare. Nam libentiſsimè Alcæum imitatur, qui Lesbius erat, & Alcaicis verſibus delectatur.

In 27. Odam. *Natis in vſum* ) Poculis inter ſe conuiuas pugnare barbarum.

*Et magno Hyleum Lapithis cratere minantem.*

*Verecundum* ) conuiuium, quod verecundum eſſe decet, compotationem quam eſſe oportet verecundam. *Immane quantum* ) Græcè locutus eſt *ἠλίκον ὅσον θαυμαςὸν ὅσον*, vt mirum quantum. *Remanete preſſo*) homines in lectis epulantes cubitis innituntur. Infrà, *Languidus in cubitum ſeſe conuiua reponat.* Laſsi demum recubabant & ſaturi. *Vultis ſeueri* ) auſteri non lenis, tale vinum falernum erat,

*Aufidius forti miſcebat mella falerno*<br>*Mendosè, quoniam vacuis committere venis* *Nil niſi lene decet.*

Se compotationi interponit Horatius certa mercede, & conditione, vt propoſita quæſtione, amatoria rixa ſedetur, aliò animis auerſis. *Triformi* ) quæ capra, leo, draco erat. Lucretius ex Homero, Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra. Homerus, *πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.*

In 28. Odam. *Te maris & terræ, numeroq́; c. a.* ) Oraculum Apollinis eſt, *οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.* quo adducti ſunt Geometræ vt aliquid audacius quàm Apollo ſuſciperent, pronunciarentque quantus eſſet numerus arenæ, ſi ea refertus eſſet mundus. Quod Archimedes in libello, qui *ψαμμίτης* inſcribitur, ratiocinatur. Eò igitur mihi videtur alluſum eſſe. Ambitum autem maris & terræ, nam pro vno globo vtrumque elementum habent, Geometræ metiuntur. Geometram & Arithmeticum fuiſſe dicit. *Iouis arcanis* ) Iouis diſcipulus. ad illud Homericum adluſum eſt, cuius meminit Plato lib. 1. de legibus, *Ἐννέωρος βασίλευε διὸς μεγάλου ὀαριστής.* *Panthoiden* ) Pythagoras cùm in ſubterraneo loco deliteſceret, à matre diſsipari famam iuſsit ſe mortuum eſſe, qua recepta multo poſt in medium prodiit, multa de inferis diſſerens, & originis iteratione: quam *παλιγγενεσίαν* vocabat & commutationem corporum. ſeque ante Troianum bellum AEthalidem Mercurij filium fuiſſe prædicabat. mox Euphorbum. deinde Hermotimum deinde Pythium Delium. Poſtremò Pythagoram. Atque etiam in Apollinis fano clypeum ſuum à Menelao conſecratum agnouerat, vel, vt Ouidius ait, in templo Iunonis Argiuæ.

*Naturæ veriq́;* ) Archytas Pythagoreus erat. Naturalis Philoſophiæ & Dialecticæ peritum fuiſſe Pythagoram dicere videtur. *Me quoq́; deuexi* ) varias hominum mortes nauta narrabat, cuius ſermonem ex abrupto excipit Architas, ſuumque memorat naufragium. *Deuexi.* eſt cadentis, quod tum ſit in deuexo cœli. vt —*conuexa polus dum ſidera paſcet.* id eſt, in conuexo cœlo ſita. *Arenæ* ) Terram mihi iniice. Catul. *Nec iniecta tumulabor mortua terra*, Id qui neglexerat, fraudem committebat impiam. ac Buzyges Athenis eius erat caput execratus, qui id non feciſſet, Hinc illud Sophoclis, *λεπτὴ δ' ἄγος φεύγοντος ὥς, ἐπῆν κόνις.* Quod idem apud Romanos iure pontificio erat cautum. *Negligis* ) nihili pendis committere. *Piacula* ) Quædam ſcelera non poſſe expiari cenſebant. Hinc illa lex, Sacrum commiſſum, quòd nec expiari poterit, impiè commiſſum eſt.

*Ex aduerſ. lib. 26. cap. 1.* Plus in poëtis latet eruditionis, quàm plerique ſupercilioſi viri, eorum contemptores cenſent qui præter puerilem oblectationem, nihil in illis ineſſe credunt. Id adeo venit in mentem mihi ex illo Horatiano carmine. *Te maris & terræ, numeroq́; carentis arenæ,* *Menſorem.*

In quo & ad oraculũ reſpexit Apollinis *οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.* In quo magnifice gloriatur arenæ numerum Apollo ſibi notum eſſe. quo adducti ſunt Geometræ, vt aliquid audacius ſuſciperent, quàm Apollo: pronunciarentque quantus arenæ numerus futurus eſſet, ſi ea refertus eſſet mundus. Quod Archimedes in libro, qui *ψαμμίτης* inſcribitur ratiocinatur. ad oraculum autem illud etiam Apollinis reſpexit Lucanus ſcribens, *lib. 1.* *Non modus Oceani numerus non deerat arenæ.* Cæterùm Horatius è globo maris & terræ Geometram ſignificat: ex arenæ numero, Arithmeticum: quas duas artes nomine Geometriæ plerumque veteres complectebantur: vt Fabius lib. 1. & Cic. in Tuſc. Sed & Euclides in Geometria numeros complectitur. Quod autem ait,





—*ne parce malignus arenæ* *Oſsibus & capiti inhumato*<br>*Particulam dare.* id eſt, terram inijcere. Vnde Catullus.

—*nec iniecta tumulabor mortua terra.*

Quod qui facere negligebat, cùm in naufragum aut inſepultum inciderat, fraudem committere impiam cenſebatur: ac Buziges Athenis eius erat caput execratus, qui non id feciſſet. Hinc illud Sophoclis. *λεπτὴ δ' ἄγος φεύγοντος ὥς, ἐπῆν κόνις.* Quod idem apud Romanos iure pontificio erat cautum. Sequitur. *Od. 5.*

—*precibus non linquar inultis* *Teq́; piacula nulla reſoluent.*

quod ſuſpicor ex ea veterum opinione dictum; qua malas preces & execrationes inexpiabiles credebant. quocirca ſcripſit in Epod.

*Diris agam vos: dira deteſtatio* *Nulla expiatur victima,*

ac niſi intelligamus veterum animis inceſsiſſe eam opinionẽ, à ſententia plurimũ aberremus, neceſſe eſt.

*Ex lib. 7. cap. 20.* Numerorum arenarius vocatur, qui in ſchola tanquam in arena numeros exercet & docet, à circenſi arena & amphitheatrali translatione profecta: niſi quis potius putet ratiocinatorem & numerarium ita vocari quadam veri ſuperlatione quaſi arenam numerare poſsit: vt apud Flaccũ ſcribitur,

*Te maris & t. nq́; car. ar.* *Menſorem.*

*Ex lib. 16. cap. 22.* Præcidaneam porcam dicit eſſe Feſtus, quæ immolabatur ab eo, qui mortuo iuſta non feciſſet, id eſt, glebam non obieciſſet: hoc intelligo de genere ſepulturæ, quod per iniectionem glebæ fiebat: quod genus ſepulturæ omnium infimum erat, vſurpabaturq; cùm quis in cadauer inſepultum inciderat. Nam inſepultum relinquere nefas habebatur, quod porca expiandum eſſet, i. piacularibus ſacris ſoluendum. Horat. —*licebit* *Iniecto ter puluere curras.*

Inexpiabilem penè fraudem fuiſſe id non facere oſtendit,

*Negligis, immeritis nocituram* *D. i. vſq́; f.* *T. m. i p. n. l. i.*<br>*Poſtmodo t. n f. com f.* *T. q. p. n. r.*

Atque eadem erat Græcis opinio, & pulueris iniiciendi religio. Sophocles, *λεπτὴ δ' ἄγος φεύγοντος ὥς, ἐπῆν κόνις.* Hanc ſaltem ſepulturam poſtulat ab AEnea, naufragus Palinurus, cum ait apud Maronẽ. *lib. 6. æneid.*

—*aut tu mihi terram,* *Iniice.*

Sic etiam apud Halicarnaſſeum metu piaculi à populo ſepelitur Horatia, *ἀλλ' οἱ παριόντες ἐρριμμένην ἐν τῷ διεχρήσθη χωρίῳ, λίθους ἐπιφοροῦντες καὶ γῆν, ἐκήδευσαν ὡς πτῶμα ἔρημον κηδομένων.*

*Ex lib. 25. cap. 6.* —*aut tu mihi terram* *Inijce.*

cùm Maro dixit, genus ſepulturæ per iniectionem glebæ intellexit: cuius mentio & veſtigium eſt lib. 2. de leg. Nonnunquam tamen iniiciebatur terra, cùm erant cadauera inſepulta inuenta: metu enim ſceleris & impietatis, ter ſolebãt terram inijcere: quod ni feciſſent, piaculares fuiſſent. Huius meminit Horatius,

—*licebit* *Negligis, immeritis nocituram*<br>*Iniecto ter puluere curras.* & paulo antè, *Poſtmodo te natis fraudem committere: f.*<br>*D. i. v. l. ſ.* *T. m. i.* *Phocylides, Γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχεύτοις νεκύεσσι.*

In 29. Odam. *Icci beatis* ) Militatum ire parabat Iccius, quo tempore expeditionem ſuſcepit Auguſtus in Parthos: de qua Maro —*Cæſar dum magnus ad altum* *Fulminat Euphratem*, & infra, *Od. 35.* —*Et iuuenum recens. Examen Eois timendum Partibus.*

*Ex lib. aduerſ. 9. cap. 13.* Quod ſcribit Horatius *Icci beatis nunc Arabum iuuides.* *Gazis.* ex hiſtoria petitum eſt: conſtat enim ea tempeſtate Auguſtum in animo habuiſſe Arabiæ & Parthis bellum inferre, eiuſque belli cauſa delectum habuiſſe. vnde Horatius alio loco ſcribit, *infra od 35.*

—*& iuuenum recens*<br>*Examen Eois timendum*<br>*Partibus, Oceanoq́; rubro.* & Maro, *æneid. 7.*

*Siue Getis inferre manu lachrymabile bellum,*<br>*Hircaniſue Arabiſue parant, ſeu tendere ad Indos,*<br>*Auroramque ſequi, Parthoſq́; repoſcere ſigna.*

Et Propertius, *lib. 2. eleg. 11.*

*Iam negat Euphrates equitem poſt terga tueri*<br>*Parthorum, & Craſſos ſe tenuiſſe dolet.*<br>*India quin Auguſte tuo dat colla triumpho,*<br>*Et domus intactæ te tremit Arabiæ.*

In 30. Odam. *Solutis Gratiæ* ) Seneca. Quare tres Gratię, quare ſorores ſunt, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines, ſolutaque ac perlucida veſte. Ideo ſupra nudam vt exiſtimo vocauit, quòd in pellucida veſte, tanquam nuda eſſet. vt illud, Commune tibi puer videre eſt, vt nudam. *Iuuentas* ) *ἥβη* à Græcis dicitur, & cum Venere iungitur ab Homero, *ἥβη διὸς θυγάτηρ ἀφροδίτη.*

*Ex aduerſ. lib. 9. cap. 13.* Solutis Gratias Zonis Horatius dicit, quòd ita fingi pingique ſolerent. Seneca, *lib. 1. de benef. cap. 3. Quare tres Gratiæ, & quare ſorores ſunt, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes & quare virgines, ſolutaq́; ac perlucida veſte.* Ideo etiam fortaſſe ſupra nudam gratiam vocauerat, quod perlucente veſte, tanquam nuda eſſet, vt alio loco *Od. 24. Lib. 1. ſaty. 2.* —*Cois tibi pene videre eſt.* *Vt nudam.*

At vero iuuentas, dea iuuentutis eſt, quæ Græcè dicitur *ἥβη*, & cum Venere ab Homero iungitur, vt hic ab Horatio,

—*ἥβη τε διὸς θυγάτηρ τ' ἀφροδίτη.*

In 13. Odam. *Non æſtuoſæ grata* ) Magnæ erant in Apulia & Calabria pecuariæ illicque ferè greges hybernabant vt in Lucania, quæ minus calida erat, æſtiuabant. Alio loco, *Od. 1. Epod.*

*Pecuſue Calabris ante ſydus feruidum* *Lucana mutet paſcua.*

Horum æſtiuorum & hybernorum meminit Varro. *Lyris* ) villæ campanæ in maximo precio erant. *Culullis* ) Diminutiuum eſt à culleo culleollus, culullus: vas erat ad ſimilitudinem paruuli culleoli. Porphyrion & Acron capedunculam explicare videntur, cuius erat in ſacris vſus. *Syra* ) Omne genus aromatis ex Arabia camelis in Syriam adportabatur. *Tolle piper primus*, è ſitiente camelo. vinum bibat mercator paratum Syra merce, Diuitias mercaturis faciendis alius paret, eiſque fruatur.

*Ex lib. aduerſ. 9. cap. 13.* Exiccet culullis, eſt exiccet & epotet poculis. Cululli enim pocula erant per dimi-

nutionem elata, à culleo deducta: etſi enim culleus primam producit, tamen vt adſolet, in diminutione corripit, vt mamma mamilla. Acron autem, quod putat fuiſſe fictiles pontificum calices culullos, quibus & veſtales virgines vterentur, vereor ne culullos pro capedunculis acceperit.

In 32. Odam. *Lesbio primum* ) Sapphici carminis inuentorem Alcæum fuiſſe ſignificat quod Sapphœ attribuitur & ex nomine vocatur. Incertum quoque ſcribit eſſe Hepheſtion inuentuſne fuerit ab Alcæo. *ἐστι δὲ καὶ παρ' Ἀλκαίῳ, καὶ ἄδηλον ὁπότερου ἐστὶν εὕρημα, εἰ καὶ σαπφικὸν καλεῖται.* *Siue iactatam* ) Bellum geſsit cum Athenienſibus & cum Tyrannis, expulitq; Pittacum Mitylenis. Geſsit autem & terra & mari bella.

*Grata teſtudo* ) Nam Apollo in epulis Iouis cithara canit *αὐτὰρ ὁ φοῖβος Ἀπόλλων ἐγκιθάριζε.* Quod Lyram ex teſtudine primum fabricarit Mercurius: ideo obtinuit vt teſtudo à poëtis dicatur, vel à ſimilitudine.

*Cumq; ſalue* ) Particula cumq; productio verborum eſt, quandamq; eis infinitatem attribuit: vix per ſe vſurpatur. Citatur illud ex Cicerone, Equitem cumq; qui regat, habeto. Hic cumq; partim vbicunq;, partim quandocunq; explicari video. Quod fortaſſe verum non eſt. Quid ſi cum rite coniungatur, retenta infinitionis ſignificatione hoc modo? O Salue dulce lenimen laborum mihi rite cunq; vocanti.

*Ex lib. 9. cap. 13. Lesbio primum modulate ciui*, cùm ait, ſignificat primum Alcæum barbito vſum, quod citharę genus eſt grauius aliquanto ſonantis: quaſi enim *βαρύμιτον* dicitur. Ab Alcæo etiam Sapphicum carmen inuentum fuiſſe, non deſunt qui ſcribant. Hephæſtion, *in Enchirid. ἐστι δὲ καὶ παρὰ Ἀλκαίῳ, καὶ ἄδηλον ὁπότερου ἐστὶν εὕρημα, εἰ καὶ σαπφικὸν καλεῖται.* Alcæus porro cum Athenienſibus bellum geſsit, & cum tyrannis expulitq; Pittacum Mitylenis. Gratam autem dicit epulis teſtudinem, in quibus Apollo cithara canit. vnde illud, *αὐτὰρ ὁ φοῖβος Ἀπόλλων ἐγκιθάριζε.*

In 33. Odam. *Immitis Glyceræ* ) Nomen fictitium, nam Nemeſim & Deliam amauit Tibullus: Sed nominibus priſcis mulieres ætatis ſuæ, quas partim metu legis Iuliæ, partim verecundia nominare non audebant, adumbrant. Apuleius in Apologia *Læſa præniteat* ) Cur poſtquã tibi peierauit, iunior & pulchrior videtur. Infrà,

*—ſed tu ſimul obligaſti* *Perfidum votis caput, eniteſcis* *Pulchrior multò, iuuenumq; prodis*
*Publica cura.*

*Fronte Lycorida* ) Cytheris, cuius Cicero meminit, Lycoris à Virgilio in Bucolicis vocatur, quam Gallus deperijt, amauit Antonius. eandem forte ſignificat Flaccus. Anguſta frons à veteribus laudabatur *—redde nigros anguſta fronte capillos.* *Impares* ) animos non redamantes. Alio loco, *Et quæret iratus parem.* formas diſsimiles vt duplex ſit ſignificatio. *Libertina* ) ferè meretrices libertinæ erant. Aitq; cùm ſibi melior multo Venus obtigiſſet, tamen ſe libertinam acerrimam prætuliſſe *ſuas pellices eſſe aiunt, eunt depreſſum quia ſumus libertinæ. Plau. Ciſtellaria ſc Tum ante hac.* & ſecunda Satyr. lib. 1.

*Ex lib. 6: aduerſ. cap. 21.* Cum ſuos caſus non ſibi adſcribebant, ſed dijs, dicere ſolebant, Sic viſum ſuperis, vt Horatius,

*Sic viſum Veneri, cui placet impares* *Formas atque animos ſub iuga ahenea*
*Sæuo mittere cum ioco.* Sic Virgilius 2 AEneid. *Diis aliter viſum. & 3.*
*Poſtquam res Aſiæ Priamiq; euertere gentem* *Immeritam viſum ſuperis.*

*Ex lib. 14. cap. 20.* Impares in amore appellantur, cùm mutuò non amatur, ſed alteri amanti alter vicem non reddit, neq; animum mutuum. contra cùm mutuò inter ſe pariter amant, pares dicuntur. Horatius,

*Et quæret iratus parem.* & hic *—cui placet impares*
*Formas atque animos ſub iuga ahenea* *Sæuo mittere cum ioco.*

Atq; hic locus planè & apertè oſtendit vnde pares & impares dicuntur. Nam cùm ad aratrum iungi parium virium pariſque magnitudinis iumenta armentaque debeant ſolum vertenti, euenit vt cùm ſub iugum imparia mittuntur animalia, ſulcus rectus non ducatur & ab altero iumento alterum opprimatur, aratioque inæqualis ſit.

In 34. Odam. *Dieſpiter* ) Iuppiter, ſic vt diei pater vocatur. *Per purum* ) Negant Epicurei Iouem tonare: ſed id euenire cauſis naturalibus. Argumentum adferunt quod nunquam ſine nubibus tonet: eoq; argumento etiam contra pietatem & religionem vtuntur. Lucretius,

*Nec fit enim ſonitus cœli de parte ſerena.* & alio loco *Luce tamen ſerena quidam de cœlo tacti ſunt.*

Plinius, In Catilinianis prodigiis, Pompeiano ex municipio M. Herennius Decurio ſereno die fulmine ictus eſt. Cicero, *Aut cùm terribili percuſſus fulmine ciuis* *Luce ſerenanti vitalia lumina liquit.*

*Cum ſtridore acuto* ) vt celerem eius mutabilitatem ſignificet, acutum ſtridorem dixit, quia pernicem ſequitur conuerſionem ſonitus acutus vt Cic. docet lib. 6. de Rep. Diſsimile eſt illud, nulloque ſono conuertitur annus. Cic. Minore ſonitu quàm putabam orbis hic Reip. conuerſus eſt.

*Ex Aduerſ. lib. 9. cap. 9.* *—namq; Dieſpiter &c.* vide ſupra od 12. His enim verſibus Horatius ſignificat curru Iouis fremitum tonitrus excitatum eſſe. Ea autem maximè diuina tamen tonitrua & fulmina putabant, quæ ſereno cœlo mittebantur, vt ex hoc Horatij loco patet & ex eo Ciceronis, *Cic. de diuin. lib. 1.* quem proferam,

*Aut cum terribili percuſſus fulmine ciuis* *Luce ſerenanti vitalia lumina liquit.*

& libro ſeptimo Hellenicon apud Xenophontem ſcribitur *ἐξ αἰθρίας ἀστραπὰς καὶ βροντὰς λέγουσιν διοσημίας αὐτῷ φανῆναι.* *Per purum* igitur Horatius dixit, velut *δι' αἰθρίας.*

*Ex lib. 9. cap. 13.* Illud, *Plerunq; per purum tonantes Egit equos.* cùm ſcribit intelligit verum eſſe Iouem tonare: vnde & eius cognomen, quod Epicurei negant. Nam ſi puro ſerenoq; cœlo tonat, falſa eſt & inſania Epicureorum ſapientia, qui id ſemper fieri denſis nubibus obducto cœlo prædicant, & vt eſt apud Manilium, *lib. 1. Eripuitq; Ioui fulmen vireſq; tonanti.* Tonitru autem puro cœlo & ſereno fremens, certiſsimum numinis argumentũ eſſe, & aliquid certiſsimũ portẽdere cenſebãt, vt antè ex Xenophõtis exemplo docuimus.

*Ex lib. 22. cap: 20.* Vt antiqui maxima & certiſsima putabant diuinitatis argumenta habere tonitrua quę puro & innubilo cœlo fremebant: vnde & Horatius ſcripſit.

*—namq; Dieſpiter* *Plerumq; per purum tonantes,* *Egit equos celeremq; currum.*

Sic & fulmina, quæ nitido claroq; cœlo mittebantur, magnam opinionem diuinitatis oſtendere, & certã præſagij fidem adfirmabant, vt apud Ciceronem,

*Aut cùm terribili percuſſus fulmine ciuis* *Luce ſerenanti vitalia lumina liquit,*

Eodem modo & Lucanus in prodigiis ciuilibus hoc poſuit, *Emicuit*



*Emicuit cœlo tacitum ſine nubibus vllis* *Fulmen.*

*Ex lib. 29. cap 29. Tu graui curru quaties olympum*, id eſt, tu tonabis. *ſupra od. 12.* Nam cùm tonabat, Iouem putabant graui curru cœlo inequitare, Hinc illud,

*——namq; Dieſpiter* *Plerumq; per purum tonantes,*
*Igni corruſco, nubila diuidens,* *Egit equos volucremq; currum.*

In 35. Odam. *Gratum* ) vel charum fortunæ: vel iucundum Romanis propter amœnitatem. Itaq; principes Romani eò libenter ſecedebant: & eò imperij ſedem transferre Nero cogitauit. Priorem ſententiam magis probo. *Bythyna* ) quòd ab illa regione magna mercatorum commercia erant. alio loco, *Thyna merce beatum.* *Profugi Scythæ* ) quidam fugiendo præliantes interpretantur, *alij ab orbe tanquam ſepoſitos & remotos.* Ego potius putem eſſe profugos, qui ſtatam ſedem non habeant, vt alio loco,

*Campeſtres melius Scythæ* *Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos.*

*Clauos trabales* ) grandes quo modo trabale telum dicimus. Neceſsitati clauos tribuit quibus omnia figit & firmat. Infrà, *Od. 24. lib. 3.* *Si figit adamantinos*
*Summis verticibus dira neceſsitas* *Clauos.*

*Et cuneos manu* ) Solent enim ijs, quæ nectuntur, vinciuntur, ligantur, vt adſtringantur arctius inſeri cunei. Cicero 2. Tuſcul *Hos ille cuneos fabrica fideli inſerens, Perrupit artus.* Plato in Timæo, *οὐ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ συνείχοντο δεσμοῖς, ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις συντήκοντες.* Quod Cicero vertit crebris tanquam cuneolis illiquefactis. Et in Phædone, *ὅτι ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσπερονᾷ καὶ προσηλοῖ αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμα.* *Vncus abeſt* ) quo trahebantur nocentes, hic quo neceſsitas nos trahit inuitos.

*Liquidumq; plumbum* ) quia ſæpe ad nexus firmitatem vncos ferreos & anſas illiquefacto plumbo annectimus. Vitruuius. *Velata panno* ) quòd ex inſtitutione, vt opinor Numæ velati albo amictu flamines fidei rem diuinam facerent, manu etiam ad digitos inuoluta. Semper autem in ſacrificiis albati erant.

*At vulgus infidum* ) non quemadmodum fides te ſequitur ſemper: ita ſemper vulgus amicos ſequitur, quos mutata fortuna deſerit. *Diffingas* ) aliter fingas aliter fabrices, aliter cudas. Alio loco, *Nihil hic diffingere poſſum*, id eſt, mutare, aliter fingere Quanquam vtroque in loco etiam diffindere reperitur.

*Ex lib. 9. aduerſ. cap. 14.* Horatius anteambulatricem fortunæ dicit eſſe neceſsitatem, fortunæ dominatum & potentiam conſtituens, quòd quicquid ei collibuerit, nulla vis tanta ſit, vt impedire poſsit. Clauos autem trabales pereleganti fictione & conceptione tribuit neceſsitati, quibus omnia figat firmetq; & retineat. Sunt autem grandes claui, quibus trabes configuntur, At trabale telum in Marone, *lib. 2. æneid.* inſtar trabis magnum eſt. Non exiſtimo autem de tormentis & cruciatibus iſta explicanda eſſe, quod videtur interpretibus. Cuneis quoque inſertis ad arctius aliquid adſtringendum vtebantur Cic. 1. Tuſc. *Hos ille cuneos fabrica fideli inſerens, perrupit artus.* Plato in Timæo, *οὐ τοῖς ἀλύτοις, οἷς αὐτοὶ συνείχοντο δεσμοῖς, ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις συντήκοντες.* quod Cicero vertit, *Cic. de vniuerſit. crebris tanquam cuneolis illiquefactis.* & in Phædone. *ὅτι ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προσπερονᾷ καὶ προσηλοῖ αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμα.* At verò, vncus ſeuerus, hamus eſt & anſa ferrea coagmenta rerum tenaciter & aſperè retinens liquido plumbo addito. Vitruuius, *lib. 8. cap. 2. anſis ferreis & plumbo frontes vinctæ ſint.* Nam ad nexus firmitatem ſæpenumero ferreos vncos plumbo illiquefacto ad perpetuitatem hæſuros tenaciter operibus & fabricis adiiciunt. De illo plumbo ſcripſit Euripides,

*κάθησ' ἑδραία. καὶ γὰρ εἰ πέριξ σ' ἔχει* *τηκτὸς μόλυβδος, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ.* Inquit Horatius,
*Te Spes & albo rara fides colit* *Velata panno.*

Quod ita accipio, fortunam antecedit neceſsitas, ſequitur & comitatur ſpes & fides, nec eam vſquam deſerunt, quocunque ſe conferat, quamuis veſte mutata ſeſe diſsimulet: non tamen vt fides & ſpes aſſectatrices tuæ perpetuò ſunt, itẽ vulgus amicos perpetuò ſequitur, quos mutata ſemper fortuna deſerit. Cæterum quidam putant, conſtruendum quod ſequitur hunc in modum. Amici pariter doloſi diffugiunt iugum ferre, vel pariter iugum ferre, id eſt, nolunt eſſe conſortes aduerſæ fortunæ, vt ſecundæ. Ego putem dici doloſos pariter iugum ferre, qui non ſincerè ſe conſortes præbent, neq; bona fide, ideoque in rebus aduerſis deſerunt: eſtq; translatio à iumentis. Porro in carminis clauſula quod accinitur, *diffingas retuſum*, valet, aliter fingas.

*Ex lib. 23. aduerſ. cap. 28.* Quod in Horatio explicaui ſeuerum vncum, & liquidum plumbum de pœnis intelligendum non eſſe, ſed de rerum coagmentis & vinculis, confirmatur auctoritate Arnobij verba ipſa Horatij vſurpantis & eius ſententiam explicantis *lib. 6. aduer. Gentes. Quid miſerius his eſſe aut quid infelicius poterit, quàm ſi eos in baſibus ita vnci retinent & plumbeæ vinctiones?*

In 36. Odam. *Actæ non alio* ) Eundem magiſtrum habuerat: & æqualis eodem tempore veſtem virilem ſumpſerat Regem enim magiſtrum appellare videtur. *Creſſa* ) creta non carbone notanda, quam creſſam vocat, quia hoc genus terræ nomen à Creta inſula habet. Id autem factum à Thracibus fuiſſe Plinius ſcribit: quo nonnulli ſunt adducti, vt hic Threſſa legerent. *Neu multi Dam. meri* ) Multi meri dixit, vt multi cibi fuiſſe quendam imperatorem ſcripſit Suetonius, *ἄμυστις* autem genus potandi eſt, cùm ſe magnis poculis mutuò inuitant. Quod dicebant *ἀμυστίζειν.* Quod cùm facere ſolerent Thraces, idcirco *πρόποσιν θρᾳκίαν* dicebant. Sed & ex Scytharum moribus *σκυθικὴν πόσιν.* Ne Baſſum ad potandum prouocet: ne Numidam ad Zelotypiam ſtimulet. *Viuax apium* ) Apio vtebantur in coronis non ſolum ſacrorũ certaminum Græci: verùm etiam conuiuiorum Romani. Infrà, *In Damalim putres* ) Omnes in eius amorem ſoluti erunt, nemo tamẽ alius quàm Numida ea potietur. putris, ſolutus. quod in terra potiſsimum dicebatur. Virgilius, *— & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.* id eſt, laxata & ſoluta. Alio loco, *Et cui putre ſolum, namq; hoc imitamur arando.* id eſt, optima terra eſt ſoluta Nam cùm aramus, ſolutam reddere conamur. Perſius eodem, quo Horatius modo locutus eſt: ille in Venerem eſt putris. *Deponent oculos*) Qui Damalim deperibunt, obdormiſcent. Plautus, vt me deponat vino, eam affectat viam. Alio loco, Ille ebibit, caput deponit. *Ambitioſior*) magis ſuis ambiens brachiis & amplectens, quàm laſciua & ſequax hedera, arbores.

*Ex aduerſ. lib. 19. cap. 3.* Vide ſupra od. 15. quæ adſcripta ſunt ex eod. lib. 19. cap. 3. Ex

*Ex lib.9.cap.14.* *Actæ non alio rege pueritia* *Mutatæq́ ſimul toga.* cùm ſcribit, eos æquales eſſe dicit: qui in pueritia eundem habuerint magiſtrum, ad eundemque ludum iuerint, ſimulq́ue togam virilem ſumpſerint. Magiſtrum autem regem appellat tralatitio nomine, recedebant autem ab imperio magiſtrorum & pædagogorum, ſumpta virili toga.

*Ex lib.18.cap.27.* Sed alterum attingamus Horatij locum, cuius perſpicuus & dilucidus non admodum ſenſus eſt, *Omnes in Damalim putres* *Deponent oculos.*

Non enim placet, quod interpretibus credi video, ſignificari oculos vino marcẽtes & languidos: cùm dicat oculos putres in Damalim, in Damalis amorem ſolutos. Nam etſi omnes in eius amorem ſoluti erunt, nemo tamen alius quàm Numida ea potietur, quia qui Damalim deperibunt, obdormiſcent. Id enim, cùm deponere oculos dicit, intelligit. Plautus *Aulularia ſc. Nimium lubent.* *Vt me deponat vino, eam affectat viam.* alio loco *Curculione ſc. Date viam.* *Ille ebibit, caput deponit.* Translatio autem eſt ab oneribus, quæ deponi dicuntur: vt nobis dormitantibus caput & oculi oneri ſunt. Itaque neque caput neque oculos ſuſtinere tum poſſumus. Vt autem dixit Horatius oculos in Damalim putres: ſic Perſius, *ſaty.5.* *—ille In veterem putris.* id eſt, ſolutus & profuſus, dixit. Putre in terra ſæpe dicebatur. Virg. *1. Georg.* *— & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.* id eſt, ſe laxat & ſoluit, & ſoluta & laxa eſt Alio loco, *2. Georg.* *Et cui putre ſolum: namq́ hoc imitamur arando* quo ſignificatur optimum ſolum eſſe ſolutum. Nam cùm aramus hoc agimus, vt terram ſolutam reddamus. Cæterum in eo carmine Damalim *multi meri* dixit, vt multi cibi aliquos fuiſſe legimus quo edaces intelligimus: vt eam bibacem & merobibam fuiſſe exiſtimamus. *ἄμυστις* porro genus erat potandi, quo ſe magnis & meracis poculis mutuò inuitabant, quod dicebant *ἀμυστίζειν*, quod cùm facere ſolerent Thraces, idcircò *προπόσιν θρακίαν* appellabant. Sed & ex Scytharum moribus *σκυθικὴν πόσιν.*

In 37. Odam. *Nunc eſt bibendum* ) Et carmen & ſententiam Alcæi eſt imitatus, *Νῦν χρὴ μεθύσκειν καί τινα πρὸς βίαν πονεῖν ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.* Delectatur, vt opinor, morte Myrſili, qui Giges erat, eius potentiam inſulanis formidoloſam veritus Alcæus.

*Puluinar Deorum.* ) Saliares cœnæ fiebant in templis, quæ per catachreſin puluinaria, vt Grammatici annotant, appellari ſolent. Exiſtimo tamen potius eum dicere, fieri debere ſupplicationem ad omnia puluinaria, collocatis dijs in puluinaribus & lectulis, appoſitiſque eis epulis. *Contaminato* ) Porphyrion ſignificare videtur effœminatos ferè eſſe ſpadones, in quo turpitudo latet, muliebria patientium, quod magis probabile eſt. Catullus. *Morboſi pariter gemelli vtrique.* Alij tantùm de caſtratione intelligunt. Huius rei ſic meminit in Epodis.

*Romanus (eheu poſteri negabitis)* *Fert vallum, & arma miles, & ſpadonibus*
*Emancipatus fœminæ.* *Seruire rugoſis poteſt.*

*Reparauit* ) recuperauit, repetiuit. vt parare, quærere eſt, vt frui paratis. Sic reparare, recuperare interdum. Cicero, Id quod alio prætore reparare poſsit. *Sæuis Liburnis* ) vel quod Liburni ad mortem promptiſsimi ſunt: vel quod claſſe illa, à qua victa fuerat, deduci Romam nollet. Liburnicis autem victa fuerat. Hinc illud, *Epod. od 1.*

*Ibis Liburnis inter alta nauium* *Amice propugnacula.*

*Ex aduerſ. lib. 7. cap.17.* Puluinaria deorum cùm dixit Cic. 4. Tuſc. epulum ſignificat vel interprete Flacco, qui ſcribit, *—— nunc Saliaribus*
*Ornare puluinar deorum* *Tempus erat dapibus ſodales.*

Vt autem rei diuinæ tibias, ſic dapibus deorum & puluinaribus adhibebant fides, imitati, vt opinor, veterem poëtam apud quem Ioui epulanti Apollo fidibus canit.

*Ex lib.9.cap 14.* At illud, *Epig.53.* *Contaminato cum grege turpium* *Morbo virorum.* cùm dicit, morbum impudicitiam intelligit, vt & Catullus, *Morboſi pariter, gemelli vtrique.* Spadones autem hoc genere morbi erant infames, quos habebat plurimos Cleopatra, vnde in Epodis ſcribitur.

*Romanus, eheu poſteri negabitis,* *Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus*
*Emancipatus fœminæ* *Seruire rugoſis poteſt:*

*Claſſe* autem *cita reparauit oras.* eſt repetiuit, requiſiuit, recuperauit. Vt enim parare eſt quærere: ſic reparare, requirere, recuperare.

In 38. Odam. *Ex lib.18. aduerſ. cap.29.* Plectilem coronam intelligit Horatius cùm ſcribit,

*Symplici myrto nihil adlabores* *Amplius.*

Sibi enim vult coronam plecti è ſimplici myrteo ramo. Nam lemniſcos nihil moratur, nec deſiderat: quos reiicit cùm ait,

*Diſplicent nexæ philyra coronæ*

Plectilis è ſurculis vel ramulis plectitur & innectitur, vt è ramo lauri aut myrti.

# IN LIB. II. CARMINVM HORATII ANNOTATIONES EX ADVERSARIORVM ADRIANI TVRnebi libris deſcriptæ.

In 1 Odam. *Ex lib.10.cap.21:*

ASINIVS Pollio hiſtorias de bello ciuili ſcripſit, vt ex Horatio facile coniectu eſt ſcribente, *Motum ex Metello conſule ciuicum.* & rurſum, *— mox vt publicas* *Res ordinaris.* id eſt, vbi bellorum ciuilium hiſtoriam pertexueris. Et è Tranquillo, qui *In Iulio cap. 30.* ita ſcribit; *Quod probabilius facit Aſinius Pollio, Pharſalica acie cæſos profligatoſq́ aduerſarios proſpicientem hæc eum ad verbum dixiſſe referens.* Idem Pollio poeta erat. Maro, *Pollio & ipſe facit noua carmina.* & Tragœdias ſcribebat, Flaccus, *Paulum ſeueræ Muſa Tragœdiæ.* *Deſit theatris.*

Vult enim aliquandiu ab eo Tragœdiarum confectionem omitti, & bella fideliter referri ciuilia. Iterum Flaccus, *Lib 1. ſaty.10.* *Pollio regum* *Facta canit pede ter percuſſo.*





quòd Iambicis ſenarijs tres habentibus menſiones, regum calamitates tragicè caneret. Hæc eo ſcribo quo totus ille locus lib.2. Horatij illuſtretur. Illud autem, *Nondum expiatis vncta cruoribus:* è priſca conſuetudine ductum, qua qui cædem perpetrarant, non antè eius cruorem eluebant quàm ab aliquo expiati eſſent. Itaque & manibus non puris inde dicebantur. Herodotus, *ἀπικνέεται εἰς τὰς Σάρδις ἀνὴρ συμφορῇ ἐχόμενος καὶ οὐ καθαρὸς χεῖρας ἐών.* Et Oreſtes apud AEſchylum manibus ſanguine manantibus Pythiam territat.

*Ex lib.21.cap.27.* Simonidem Poëtam *θρήνους* ſcripſiſſe refert Suidas, & eum in rerum triſtium tractatione excelluiſſe refert Fabius, & ſcripſit eum ſignificans Horatius,

*Sed ne relictis Muſa procax iocis,* *Cææ retractes munera næniæ.*

In 2. Odam. *Ex lib.10.cap.21.* Sed enim color in eo, *lib.1. Satyr.1.*

*Nullus argento color eſt auaris* *Abdito terris, inimice lamnæ*
*Criſpe Salluſti, niſi temperato* *Splendeat vſu.*

videtur eſſe quædam ſpecies & pulchritudo, vt – *quid habet pulchri constructus aceruus?* vel potius ſpecioſa quædam cauſa & prætextus, quid enim cauſæ adferre, quid prætexere poſſunt, qui ſuam pecuniam humi defodiunt? inimicum autem Salluſtium dicit pecuniæ illi, quæ non temperato ſplendet vſu. Nam hoc extremum ad ſenſum eſt accommodatius ad Salluſtium referri, quàm ad argentum. Non enim erat inimicus ſimpliciter laminæ: ſed ei demum quæ vſui non ſeruiret.

*Ex lib.28.cap.24.* *Vnciolam*, inquit Iuuenalis, *ſaty.1. Proculeius habet, ſed Gillo deuncem.* Nomen Proculeij poſitum eſſe à poëta ſuſpicor, ob Proculeium amicum Cæſaris Auguſti, hominem eximiæ virtutis, de quo Horatius,

*Viuet extento Proculeius æuo* *Notus in fratres animi paterni.*

Qui igitur tanta virtute præditus eſt, ſi ad nequitiam libidinemque peculiatus non ſit, vix vnciolam merebitur.

*Ex lib.30.cap.5.* Vterque Oceanus, mare Eoum eſt & occiduum,

*— qua ſol,* inquit Maro, *7. aneid, vtrumque recurrens*
*Aſpicit Oceanum.* Sic apud Horatium,
*— vterq́ Pœnus* *Seruiat vni:* id eſt Eous & occiduus, qui Gaditanus eſt.

*Ex lib.6.cap.25.* Eiuſdem & illud explicandum, *Redditum Cyri ſolio Phraatem*, quo ſignificat reſtitutum in Parthorum vel Perſarum imperium, quod Cyri ſolium vocauit: quia ſella regia, in qua ſedebant Perſarum Reges, Cyri ſella dicebatur Plutarchus, *μηδεὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίσειεν εἰς τὸν Κύρου θρόνον, πλὴν Ἀλεξάνδρου.*

*Ex lib.10.cap.21.* Ait Flaccus, *Redditum Cyri ſolio Phraatem.* Phraates ſæuiſsimus & crudeliſsimus Parthorum rex à ſuis in exilium pulſus, Scytharum tandem opibus regnum recuperauit, vt Iuſtinus eſt auctor. *Lib.42.*

*Quiſquis ingentes oculo irretorto* *Spectat aceruos,*

id eſt, quiſquis non eſt auarus nec aſpectu pecuniæ magnopere mouetur: nam qui pecuniæ eſt auidus & ſtudioſus ad eius aceruos ſubinde retorquet oculos, ac penè ſtrabus efficitur, nec ſic ab ea auelli poteſt, quin oculos ſæpenumero reflectat, vt eam reſpiciat. Eum igitur dicit, cui pecuniæ aſpectus oculos non deprauat, nec ſtrabos reddit, quod magnæ auiditatis eſt argumentum. Hinc & eos, qui alicuius rei nimia cupiditate tenebantur, ſtrabones fieri dicebant. Varro, *Apud Non. in ſtrabones. Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones facti ſunt: habet enim quiddam ἑλκυστικὸν prouincialis formoſula vxor.* Lucillius, *Nulli me inuidere, non ſtrabonem fieri ſæpius delitiis me iſtorum.*

In 3. Odam. *Ex lib. 22. cap.7.* Heſychius doctiſsimus nomenclator *ξανθὸν* flauum & pulchrum etiam interpretatur. Verius ſit tamen ob arenam ita vocari, vt apud Maronem, *Virg.7.æn.*

*— & multa flauus arena.* Horatius.
*Vidimus flauum Tiberim retortis.* Item, *lib.1.od.2.* *Villaq́ flauus quam Tiberis lauit.*

In 8. Odam. *Ex lib.26.cap.31.* Periurij comitem cenſebant aliquam deformitatem. Horatius,

*Vlla ſi iuris tibi peierati* *Pœna Barine nocuiſſet vnquam,*
*Dente ſi nigro fieres, vel vno* *Turpior vngui.*

Ouidius in Amoribus vt Theocritus quoque puſtulas naſci mentientibus in naſo dixit, *ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφυσῶ.*

In 10. Odam. *Ex lib.9.cap.27.* Illud autem, *Qui te nunc fruitur credulus aurea.* valet, qui te fruitur chariſsima ſibi, multumq́ue amabili & optata, & ſibi inſtar auri cupita, vt longè chariſsimum hominibus aurum eſt, nullumq́ue pluris eſt metallum. Sic *auream mediocritatem* dixit, quòd ea hominibus chariſsima, optatiſsima & pretioſiſsima eſſe debeat, & tanti æſtimanda, quanti eſt aurum, vt & reuera nonnulis eſt expetenda maximè.

In 11. Odam. *Ex lib.11.cap 28.* *Vnde vocalem temerè inſecutæ* *Orphea ſiluæ.* *lib.1. od. 12.* Temerè, valet vulgo, paſsim: alio loco, fortuitò, negligenter,

*Cur non ſub alta vel platano, vel hac* *Pinu iacentes ſic temerè?*

temerè eſt ſine arte Liuius, *lib 21. Itaq́ ingens vis coacta nauium eſt lintriumque temerè ad vicinalem vſum paratarum.*

*Ex lib.13.cap.19.* Semitarij mœchi pro ſcortatoribus viliſsimis in agrorum ſemitis ſub dio ſcortilla ſubigentibus à Catullo *Epig.35.* dicuntur. Contrà *deuium ſcortum*, non proſtitutum in propatulo omnium libidini, ſed honeſtius minuſque vulgare ab Horatio dicitur.

In 13. Odam. *Ex aduerſ. lib.21.cap 22.* Demulcere aures pro demittere dixit Lactantius, *lib. de ira dei. cap.7. Et tamen videmus in alijs animantibus quædam ſigna lætitiæ, cùm ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciuiam reſoluunt.* Nam aures demulcere, id eſt, quod Flaccus dixit,

*— illis carminibus ſtupens* *Demittit atras bellua centiceps* *Aures.*

*Ex lib.10.cap.21.* At verò, *Dulci laborum decipitur ſono,* non credo accipiendum eſſe, vt vulgò auditur: ſed decipitur dulci ſono laborum Alcæi: ac decipitur, erit *κλέπτεται*, non ſentit ærumnas, non ſentit pœnas. Legi in duobus optimis libris, *Dulci laborem decipitur ſono.* vt ſit Græcanica locutio, decipitur laborem *τὸν πόνον κλέπτεται*, atque ita Porphyrion videtur legiſſe.

In 15 Odam. *Ex lib 10.cap 21.* *Nec fortuitum ſpernere ceſpitem* *Leges ſinebant,* cùm dicit, ſentit ex eius terræ ceſpite, quæ cuique fortè obtigerat, qui non ædificaſſet ductis lateribus, aut etiam crudo ipſo ceſpititio ſolo minimo ſumptu, legum pœnis obnoxium fuiſſe, cùm ſumptuoſam ædificationem publicorum in oppidis operum, & ſolidam ex ſaxo quadrato ſtructuram templorum, non priuatorum ædificiorum eſſe vellent.

In 16. Odam. *Ex aduerſ. lib. 15. cap. 10.* Lictores olim ante magiſtratus incedebant non tantum honoris gratia, ſed ad turbam etiam plebis ſummouendam: nec tamen vt multitudinem ſummouere poterant, ita & arcere ac depellere poterant animi curas & moleſtias. Igitur ad illud lictoris officium credo Horatium eleganter reſpexiſſe, cùm ſcripſit.

*——neque conſularis*
*Summouet lictor miſeros tumultus* *Mentis.*

Quo ſignificat honoribus homines non eſſe beatiores, cùm felicitas animi tranquillitate cenſeatur, quam præſtare non poteſt lictor. nam vt ſummouere poſsit hominum turbam, non tamen poterit vitiorum & perturbationum tumultum arcere. Huc pertinent illa Senecæ verba, *lib.5.controuerſi. maieſtatem læſam dixiſſem, ſi exeunti tibi lictor à conſpectu meretricem non ſummouiſſet.* Iterum, *Summoue, audis lictor, ſummoue à prætore meretricem.* Sed Horatianum illud minus eſt reconditum ſenſus ille Plinij magis latet, cùm ſcribit lib 9. cap.35 *Affectantq; iam & pauperes, lictorem fœminæ in publico vnionem eſſe dictitantes.* Eodem tamen modo exponendum arbitror pauperes fœminas vnionibus gaudere, quòd in publico cùm ſunt, ipſis de via decedatur, videanturque diuites, vt margarita ſit pro lictore fœminis, turbamque ſummoueat. Audio doctiſsimos viros in alia ſententia eſſe, emptoremque & licitatorem exponere Sed & verbis vim adferunt, & pro arguta elegantiq; ſententia turpem & inelegantem comminiſcuntur.

*Ex lib.10.cap.22.* Neceſſe eſt de gratia poëtarum multum pereat antiquitatis rudibus, cuius intelligentia & faciem præfert eorum notitiæ, nec latere ſinit elegantiam: vt in illo Horatiano, *Splendet in menſa tenui ſalinum.* ſenſus inſulſus penè videatur, niſi quis intelligat ſalis fuiſſe quandam in menſa religionem, vnde ἱερὸς ἅλας, Græci dicunt, & appoſitus ſal menſam conſecrare videbatur: vnde & Arnobius *lib 2 aduerſ gen.* ſcripſit, *ſacras facite menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulachris deorum.* Sed tamen potiſsimum, tenuem & parcum pauperemque victum Horatius ſignificat hominum pro obſonio ſalem lingentium, quod pauperes olim faciebant, vt apud Perſium.

*Vare reguſtatum digito terebrare ſalinum.* *Contentus perages.*

Illud eiuſdem cantici, pendet etiam è vetere ritu, *Parca non mendax dedit.* Nam vltima hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabantur quæ ſcriberentur, quòd eo die viderentur Parcæ in totam ſtatuere vitam, qua fortunà futurus quis eſſet. Tertullianus, *dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur, dum vltima die fata ſcribenda aduocantur* Hinc illud Maronianum, *Eclog.4 Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis.*

In 17. Odam. *Ex aduerſ.lib.18 cap 12.* Nihilo ſecius & illud non habet explicationem ſatis apertam libro Carminum ſecundo ſcriptum, *Lætum theatris ter crepuit ſonum*. Sed exiſtimo in plauſu dando veteres ſolitos eſſe ter voce ſignificationes lætas dare, & manuum plauſu, idque pro multo exiſtimatum eſſe. Hinc illud ſupra à nobis expoſitum.

*Lib.1.od 1. Certet tergeminis tollere honoribus.* Nam perſpicuè de populi theatrali plauſu accipiendum eſt, vt & illud Maronianum lib.2. Georgicon.

*——hunc plauſus hiantem*
*Per cuneos (geminatur enim plebiſq; patrumq;)* *Corripuit.*

Ex illa ter crepandi plaudendiq; conſuetudine eſt à Propertio ſcriptu, *Et manibus fauſtos ter crepuêre ſonos.*

In 18. Odam. *Ex aduerſ.lib.10.cap 22.* *Non trabes Hymettiæ* *Premunt columnas,*

Trabes hic non è materia, ſed marmore ſunt, imponebanturq; columnis Id eo dico, quòd mirum videri quibuſdam intelligo è lapide trabes fieri, Plinij tamen id confirmabimus auctoritate qui libro 36. cap. 8. ita ſcribit, circa *Syenem vero Thebaidis Syenites, quem ante pyrrhopœcilon vocabant, trabes ex eo fecêre reges quodam certamine obeliſcos vocantes.*

*Ex lib.22.cap.13.* Attalicas conditiones vocat Od.1.lib.1.regnum Aſiæ opulentiſsimæ, & quæ ſequuntur eo locò. Attalicas autem conditiones, ingentes & opulentiſsimas intelligit, ob Aſiæ opes, vt alio loco,

*——nec Attali* *Ignotus hæres regiam occupaui.*

In 19. Odam. *Ex aduerſ.lib.18.cap.8.* Scribit Lucianus, οἱ δὲ σάτυροι ὀξεῖς τὰ ὦτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροί. hòc ſimul atque legi, illico percuſsit animum, illud eſſe quod ab Horatio cantatur.

*——& aures* *Capripedum Satyrorum acutas.*

Non enim, vt opinor, acutas, dicit acutè & attentè audientes, & Bacchi canticis operam dantes, & arrectas: ſed in acumen faſtigatas atq; collectas. Horatius autem Satyris, vt & multi alij, caprarum tribuit pedes. quos eſſe Panis potius Lucianus dicit.

*Ex lib.10 cap.22.* Illud porrò, *Pacis eras mediuſq; belli,* valet in media verſabaris pace medioque bello, atque eras ad vtrumque tempus accommodatus. Dicitur autem medius belli, vt in ſanctiſsimo Euangelio, μέσος τῶν ὑμῶν ἐστί. Cæterum cum ῥοῖκος Græcè vocetur quidam è Gigantium numero, haud dubitãter adfirmauerim eſſe in Horatio Rœcum non Retum legendum.

In 20. Odam. *Ex aduerſ lib 28.cap.20.* Quod Horatius inquit, *——inuidiaq; maior* *Vrbes relinquam.* quo ſe maximum & illuſtriſsimum fore dicit omnique inuidia ſuperiorem, ἀμέγαρτον exponere videtur Heſychius, quod magnum etiam ſignificat, etſi etiam in alia notione ſcio à Græcis intelligi & accipi.

*Ex lib.10.cap.22.* In hoc cantico, cùm ſe *in album alitem*, id eſt, in cygnum mutari dicit, id eo facit conſilio, quod olores in Apollinis tutela ſint, & de illius canoræ auis modulis poëtæ olores vocari interdum ſoleant: vnde & de Pindaro cecinit.

*Multa Dircæum leuat aura cygnum,*

Reſpexit tamen potiſsimum ad mutationes Pythagoricas à Platone celebratas. Nam eos cenſent, qui nume-



numeris delectati poëticis ſunt alterius exordiò vitæ in olores mutari. Plato lib.10. de Repub. ἰδεῖν μὲν γὰρ ψυχὴν ἔφη τὴν ποτὲ ὀρφέως γενομένην κύκνου βίον αἱρουμένην. Apud eundem etiam Thamyræ animus luſciniæ vitam delegit. Denique perſuaſio erat Pythagoreorum aues canoras in cantores & poëtas renaſci: & cantores & poëtas in aues muſicas verti.

# IN III. LIB. CARMINVM HORATII ANNOTATIONES DE ADVERSARIORVM ADR. Turnebi libris deſcriptæ.

In 1. Odam. *Ex lib.aduerſ.22.cap.7.*

A*Trum timorem* dicit Maro per metalepſim, fœdum, turpem, moleſtum, odioſum. *Virg.9.æn.* *Immiſitq; fugam Teucris, atrumq; timorem*, ex eo, vt opinor, quòd atra quæ ſunt, inauſpicata & iniucunda erant. Sic Flaccus, *lib.4.od.11.*

*—minuentur atræ* *Carmine curæ.* inuiſæ, odioſæ moleſtæ alio loco, *lib.2.ſaty.6.* *Poſt equitem ſedet atra cura* i. moleſta & *— at ſimul atras* *Ventum eſt Eſquilias.* id eſt odioſas mihi, & moleſtas ob negotia. Sic, *De art.poet.*

*—atrum* *Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè.* dixit, pro turpi & fœdo.

*Ex lib.29.cap.29. Lib.1.od.12. Alba ſtella* non alia profectò fuerat quàm candida, felix & proſpera. Sunt enim Caſtores propitij & ſalutares nauigantibus, vt deluſa credidit antiquitas, vt atrum contra, noxium, inauſpicatum, infelix, malum. vt *Poſt equitem ſedet atra cura.*

In 3. Odam. *Ex lib.11.cap.26.* Solent Græci præſertim Attici, Perſas appellare Medos, quòd à Medis ad Perſas imperium tranſlatum ſit. Sed cùm Orientis & Perſarum opes in Parthorum tandem conceſſerint ditionem, Atticorum imitatione Flaccus, vt equidẽ exiſtimo, Parthos appellauit Medos, cùm ait, *lib.1.od.2*

*Neu ſinas Medos equitare inultos* *Te duce Cæſar.* Et hoc loco. *Roma ferox dare iura Medis.*

In 4. Odam. *Ex lib.16.cap.6.* Apud Horatium.

*Non auſpicatos contudit impetus* *Noſtris,*

In Priſciani ſcribitur libris: quamquam non conſtat an ita legerit. Hodie in Horatianis exemplaribus *noſtros* editum eſt.

*Ex lib 4.cap.21.* Ionicum ſaltatorem ferè molliculum & effœminatum, delicatiuſq; ſe mouentem interpreter: vt apud Horatium,

*Motus doceri gaudet Ionicos* *Matura virgo:*

tum quòd Ionum mores & ſaltationes laſciuiores & teneriores petulantioreſque erant: tum quòd, ſi id è propinqua repeti inſula placet, nec in Aſiam nauigari, Siculi ſaltationem quandam, vt reor, blandam & voluptuariam in honorem Dianæ celebrabant, Ionicam vocatam. Pollux, τὸ δὲ ἰωνικὸν ἀρτέμιδι ὠρχοῦντο σικελιῶται μάλιστα.

In 8. Odam. *Ex lib.11.cap.1.* Aras gramineas Maro intelligit lib.12. ceſpititias, quales in caſtris excitabantur, vt & tribunalia: quanquam & è ceſpite ſubitas etiam ſibi alias aggerabant aras, & ceſpitem pro ara habebant. Horatius,

*—poſituſque carbo in* *Ceſpite viuo.* Iterum,
*Hic viuum mihi ceſpitem, &* *Verbenas pueri ponite.*

Sed & ceſpitem interdum Romano ritu aræ imponebant, vt Seruius notat.

*Ex lib.21.cap.3.* Vt in caſtris ceſpititium tribunal excitabant duci, vnde ad milites verba faceret, cuius rei exempla paſsim occurrunt: ita ceſpititiam aram ruſtici excitabant & focum: ceſpeſque loco foci aræque erat Horatio teſte,

*—poſituſq; carbo in* *Ceſpite viuo.* Rurſum, *Hic viuum mihi ceſpitem:* & Calphurnio,
*— tu ceſpite viuo.* *Pone focum,*

nam ceſpes in ara ponebatur, iſque viuus recenſque è terra exciſus, vt ad purificationem viua vtebantur aqua.

*Ex lib.25.cap.20.* Dolia oblinenda, id eſt, cortice oppicato operculanda, vnde & relinere dolia apud Terentium contrarium eſt. Idem in amphoris etiam, in quas vinum diffundebatur, fiebat. Cato, *cap.120. In amphoram muſtum indito, & corticem oppicato* Inde Horatius ſcripſit,

*Corticem aſtrictum pice dimouebit*
*Amphoræ fumum bibere inſtitutæ* *Conſule Tullo.*

*Ex lib 30.cap.6.* Cato, *cap.110. Sinito biduum oblitum dolium.* Ex eo notum eſt, *relinere ſerias,* apud Terentium ſignificare, oblitas & obturatas reſignare & aperire. Illud etiam Horatianum,

*Corticem aſtrictum pice dimouebit* *Amphoræ fumum b.i.*

claram accipit lucem, prælucente velut Catone, cùm ita ſcribit, *cap. 120. In amphoram muſtum indito & corticem oppicato,* Cortice enim oppicato oblinebant & operculabant dolia.

In 10. Odam. *Ex lib.aduerſ.22.cap.24.* Cùm Horatius ſcribit,

*— & poſitas vt glaciet niues* *Puro numine Iuppiter:*

ſæpenumero legendum putaui, *puro lumine,* magno tamen errore, præſertim cùm lumen audiri non poſſit: verius eſt, poſita glacie & Aquilone ſpirante, cuius flatus auditur, intelligi purius & liquidius & frigidius eſſe cœlum, quod experimur diebus glacialibus toto cœlo per aëris æthram ſudo, & ſtellas annumerante nobis omnes. Itaq; hic Iuppiter eſt aër: de quo tamen vt deò loquitur numen appellando. Verſus paulo poſt obſcuriſsimus ſequitur,

*Ne currente retro funis eat rota.* Arbitror dici cauendum ei eſſe, ne felix & ſecundus ipſius mutetur curſus in diuerſam fortunam; ne ſcilicet funis, id eſt, funalis equus, retro eat, & in diuerſum feratur, eum ſequente rota

te rota & curru, quo ipſa vehatur, curſu præcipiti. Interpretationem confirmat Auſonius hoc verſu, *Funis & ad quartum det tibi Caſtor equum.*

*Ex lib.27.cap.9.* Quædam ſunt verbis de medio ſumptis dictata, quæ tamen obſcuram fuſcamque, vt ita dicam, ſententiam reddunt, vt ſepiæ aquam ſuo atramento. Illud Flacci teſtimonio eſſe poteſt,

*— & poſitas vt glaciet niues　　Puro numine Iuppiter.*

Nam purum illud numen non ſatis eliquatum videtur, ſed turbidum: ita vt per eius nebulam vix ſenſum perſpicere poſsimus. Reperi in quodam codice, *puro nomine.* Sed quis huic teſti credat aduerſus tot editiones & ſcripturas aliorum codicum? nôs igitur vana quadam auena eludit iſta ſtipula. Audiui & legi, qui *limine legeret*: nec ſenſus fortaſſe deeſſet, præſertim cùm limen ſubdiuale & puram habens areã, nec tecto opertam, nec arboribus opacã gelicidio & pruinæ magis pateret. Sed cur nouitatem ſectamur, ſi recepta & vſitata verba bonam laudabilemq; exprimunt ſententiam? Audiui & legi qui *lumine*, legeret: ſed lumen audiri non poteſt, ſed videri ſolet. Ego tempeſtates anni video & earum commutationes adſcribi Ioui: isque grandinare, fulminare, tonare dicitur, nubes contrahere, & imbres fundere: item etiã niuem glaciemque cogere atque durare, quæ facere credebatur omnia nõ operosè ſed ſolo nutu. Nutum enim eius & voluntatem è veſtigio rerum euentus fideſque ſequitur. Inde Numinis appellatio profecta eſt. Illa autem Iouis voluntas liquida apertaque eſt, cùm audiatur hiberni Aquilonis frigore omnia conſtringentis fremitus. Quid ſi potius Iouem per allegoriam intelligamus? Iuppiter enim plerumque aër eſt: & purum quoq; numen per inuerſionem accipiamus quod ſpirante Aquilone nubes abiguntur, tenuiusq; cœlum eſt & purius, nullis nubibus fœdatum? Hanc ſententiam veriorem crediderim poëticaque figura ornatiorem & concinniorem. Verſus ſequitur illum nocte tenebroſior, *Ne currente retro funis eat rota.* In quo ne morer lectorem, eiuſq; expectationem prorogem, exiſtimo, & fortaſſe fallor, eſt enim lubricus error in auctoribus antiquis explicandis, quorum vitæ conſuetudinem moreſque & ſtudia vix coniectura plerumque leui prorſum aſſequi poſſumus: cùm tamen nihil in eis ſæpe coniectura certius exploratiuſque habeamus. Exiſtimo igitur dici, cùm ſecundiſsimus tibi hoc tempore & fœliciſsimus curriculi tui curſus intendatur & pergat, caue ne celeriter retrorſum feratur & in diuerſum eat, & citò commutetur in contrarium. Translatio ducta eſt à curribus Circenſibus, quos funis trahit, funemq; currens ſequitur rota: ita fune retròeunte, retrò quoque currit rota, id eſt, currus. Quod de fune dixi verum eſſe ex eo apparet, quòd in curru erant equi iugales & funales: illi in iugo, hi extra iugum.

*Ex lib.26.cap.19.* *— cecidit violentia retrò* apud Gratianum, *De venatione* eſt retro abiit & peſſum iit. Sic & Horatianum illud explicandum, *Ne currente retro funis eat rota*, id eſt, ne dum curit rota, funis retro eat, & retrorſum feratur abrumpaturque coniunctio.

In 12. Odam. *Ex lib.24.cap.11.* *Sed nimis nolo deſidiæ ei dare ludum.* dixit Plautus. *Bacchidib. Sc quod magis in pectore.* Eodem modo Horatius eſt locutus, *Miſerarum eſt, neque amori dare ludum.*

In 17. Odam. *Ex lib 22.cap.15.* *Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis　　Extructus. Virg.9.æn.* gaudet poëmati ſuo latina intexere nomina Virgilius, propter enim equites Rhamnes, hic Rhamnetis nomen finxit: ſed & Homeri imitatione Rhamnes in tapetibus dormit. mox Remum in poëmate ponit, quod nomen finxit de nomine Remi, qui frater conditoris Romæ fuit. Sed & Lamum, à quo Lamiarum familia, vt apud Horatium,

*AEli vetuſto nobilis ab Lamo.* Lamus etiam vt Heſychius ſcribit, regio erat Læſtrigonum, & indigena heros, à quo regio nominata.

*Ex lib.21.cap 22.* Nympham quandam Laurentem Maricam vocat Maro, *Virg.7.æn.* quæ Minturnis colebatur, nominat & Horatius. Ea Circe erat interprete Lactantio, cuius verba ſunt, Nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, Leda Nemeſis, & Circe Marica.

In 18. Odam. *Ex lib.21.cap.3.* Ter pede terram ferire pro ſaltare à poëtis non rarò dicitur. Flaccus,

*Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor　　Ter pede terram.*

Idem de Iambico carmine dicitur, quod quanquam ſenos reddat ictus, tamen ad tres percuſsiones inſignes redigatur.　　*— pollio regum*

*Facta canit pede ter percuſſo*, ſcripſit Horatius *lib.1.Saty.10.* At Calphurnium,

*— ecce per illum　　Seu cantare iuuat, ſeu ter pede læta ferire*

*Carmina*, dixiſſe perſpicuè de Heroico carmine intelligimus.

*Ex lib.25.cap.29.* Tripudiare videtur eſſe deductum, quòd ter pede in ſaltando terra feriatur. vt apud Horatium,

*Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor　　Ter pede terram.*

Eodem modo ἀποδιάζειν Græci dixiſſe videntur, quod eſt tanquam bipudiare, Ariſtophanes ἵν' ἐγὼ ἀποδιάξω γε πλείστω καλόν.

In 19. Odam. *Ex aduerſ.lib. 27. cap. 16.* Non omittam ſcrutari cur ſcripſerit Horat.

*Quantum diſtet ab Inacho　　Codrus, pro patria non timidus mori,*

in quo hæſiſſem, niſi Ocellus Lucanus mihi ſubueniſſet, qui principium hiſtoriæ Græcorum ait, duci ab Inacho Argiuo. Sic enim ait, διὸ καὶ τοῖς λέγουσι τὴν τῆς ἑλληνικῆς ἱστορίας ἀρχὴν ἀπὸ ἰνάχου εἶναι τοῦ ἀργείου προσεκτέον οὕτως, οὐχ ὡς ἀπό τινος ἀρχῆς πρώτης, ἀλλὰ τῆς γενομένης μεταβολῆς κατ' αὐτήν.

*Ex lib.16.cap.11.* Solebant priſci in bibendo benè ſibi & iis quos amabant, aut charos habebant precari. Tale illud Comici, *Sticho. ſc. Agite, ite foras, Benè nos, benè me, benè noſtram etiam Stephanium*: ac more Græco velut per infinitiuum ita extulit ſubaudito verbo precor, benè nos viuere & valere: ſed & propter ſuos aut amicorum ſucceſſus bibere conſueuerant, vt Horatius,

*— da puer auguris　　Murenæ,*

quod eſt Græco more dictum cauſa ſubaudita. Id eſt enim propter auguratum Murenæ vel interprete Auſonio, *Edyllio 15. In qua propter mediam noctem & nouam Lunam, & Murenæ auguratum ternos ter cyathos attonitus petit vates.* Inter libandum etiam benè eodem modo precari ſolebant. Ouid. lib. 2. Faſtorum,





*Et benè nos, benè tu patriæ pater optime Cæſar,　　Dicite ſuffuſo per ſacra verba mero.*

*Ex lib.24.cap.45.* Quod adiungam non magis aſsimile erit, quàm Indo Scytha, cùm Horatius ſcribit,

*Da Lunæ properè nouæ,　　Da noctis mediæ, da puer auguris*

*Murenæ.* Tres cyathos vini petit ſibi dari. Puerum enim ad cyathum habebant, qui quot petebant cyathos vini, admetiebatur in poculumq; fundebant. Sic & Græci, quos Flaccus videtur imitatus eſſe, cyathos ſibi nomine eorum miſceri petebãt, quos charos habebant. Alexis apud Athenæum, παῖ τὴν μεγάλην δὸς ὑποχέας φιλίας κυάθων τῶν παρόντων τέτταρας, τοὺς τρεῖς δ' ἔρωτος προσαποδώσεις ὕστερον, καὶ ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως νίκης καλῶς, καὶ τοῦ νεανίσκου κύαθον δημητρίου, φέρε τὸν τρίτον φίλης ἀφροδίτης. Lunæ autẽ nouæ, nam ne hoc quidem omittẽdum eſt, cyathum poſcit, quòd menſis Calendis veſperi epuletur, quæ feſtæ ſemper erant. Menſes enim Luna olim ducebat, primaque primus menſis dies habebatur: poſtea tamen ad curſum ſolis ex Iuliani anni correctione exacti ſunt, quod tametſi obtinebat Horatij ætate, tamen is è prima & naſcente Luna menſis principium, vt mihi videtur, libro 3. *Od.23.* Carminum intellexit, cum ait,

*Cœlo ſupinas ſi tuleris manus　　Naſcente Luna ruſtica Phidile:*

quod eſt, ſi Calendis deos precibus & ſacris placaris. Quod autem ait, *Da noctis mediæ*, id verò facit, quia & Lunæ meminerat, & ad mediam vſque noctem epulari decreuerat & Nox ritu Romano dea cenſebatur, vt ex alio conſtat loco. *in hoc lib. Od.28. Dicetur merita Nox quoq; nænia.* Auſonius autem, vt ante diximus, cauſa ſubaudiebat.

In 21. Odam. *Ex lib.19.cap.29.* *Segneſq; nodum ſoluere Gratiæ*, dicitur ab Horatio, quòd inter ſe ſemper coniunctæ & implexæ ſunt. Sic apud Maronem *8. Aen. corripit in nodum*, eſt manibus complexis conſtrictum tenet. Sic D. Ambroſius in libro de virginibus ſcripſit, *Videris piam matrem ſtringentem nodo manus.* Iterum, *lib. 1. de Benefic. & religioſum quem ſtrinxerat nodum nec morte laxabat.* Seneca de Gratiis, *quare tres Gratiæ, & quare ſorores ſint, & quare manibus implexis?* Iterum, *quid ille conſertis manibus in ſe redeuntium chorus?* Ego iſta ſcio non pluris eſſe, quàm nænias. Sed hinc aliorum merci precium conſtabit ſuum.

*Ex lib.30.cap.11.* Hoc loco *ſegnes nodum ſoluere* dicit: quod, vt reor, implexis & conſertis inter ſe manibus eſſent: neque enim commodior excogitari fortaſſe interpretatio poteſt, præſertim cùm ſubnixa ſit Senecæ auctoritate, cuius fiducia audacius loquitur. Seneca autem ita ſcribit, *Quare tres Gratiæ, & quare ſorores, & quare manibus implexis?* Iterum, *Quid ille manibus conſertis in ſe redeuntium chorus?*

In 22. Odam. *Ex lib.29 cap.25.* *Verris obliquum meditantis ictum*, & ex animantis illius natura, obliquo ſemper ictu dentis homines ferientis: & Homeri exemplo dixit, apud quem ſcribitur, δοχμώτ' ἀΐσσοντε περὶ σφίσιν ἄγνυτον ὕλην.

In 23. Odam. *Ex lib 24.cap.45.* *Cœlo ſupinas ſi tuleris m.　　Naſcente luna ruſtica Phidile,*

Vide quæ ſupra hoc lib. Oda. 19. habentur.

*Ex lib.7 cap.13.* Molam ſalſam, qua ante ſacrificia hoſtia conſpergebatur, interpretantur ferè omnes, fruges molitas: atq; ea eſt Feſti ſententia veriſsima. Græci tamen fruges integras nec freſas nec molitas aſpergebant hoſtiæ: argumento eſt, quod οὐλαὶ à Græcis & οὐλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum ſale mixtæ. Horatius expreſsit, cùm ſcripſit *Farre pio & ſaliente mica*, quod eſt ſalis grano ſaliente & farre, ſed molito tamen, & Maro, *Virg.12.æn. Dant fruges manib ſalſas.* Græci autem vt Theophraſtus ſcripſerat, hordeo non molito in ſacris in priſcæ memoriam vitæ vtebantur, in qua homines nondum molere fruges, ſed ſolidis veſci ſolebant. Eſt igitur mola ſalſa, tanquam molitura ſalſa, vt molæ, qua frumenta franguntur, nomen molito farri tribuatur.

In 26. Odam. *Ex lib. 9. cap. 27.* Quiſpiam locum non putabit fuiſſe inuocandæ Veneri fortaſſe in nauigatione, cum tamen Horatius *Lib 1. Od.3* ita ſcribat. *Sic te diua potens Cypri*: cùm ea potius amorum fœdera, quàm nauigationum pericula curet, ſed vt in verſu eſt, *Ouid. epi Sapph. Phaoni. Venus orta mari mare præſtat eunti*, & Venus cognomento marina colebatur. Horatius, *Læuum marinæ qui Veneris latus.* & Venus Pontia cognominata apud Pauſaniam legitur.

*Ex lib.19.cap.17.* *Læuum marinæ qui Veneris latus.* Non ab re Veneri, vt alias tractamus hoc epithetum attributum eſt ab Horat. nam in diis numerabatur, qui mari præerant, cum ipſa è mari orta eſſet. Sic ab Euripide ποντία appellatur. Μόνον σύ μοι δέσποινα ποντία κύπρι.

In 27. Odam. *Ex aduerſ. lib 9. cap.29.* Quærendum eſſe viſum eſt, cur Flaccus inauſpicatum cantum parræ dicat, cùm canit:　　*Impius parræ recinentis omen　　Ducat.*

Quod & Prudentius *lib.2. contra Symmach.* æquè ſcribit, *Cur Cremeræ in campis cornice vel oſcine parra Nemo deum monuit perituros Marte ſiniſtro Tercentum Fabios?* Ego eam fuiſſe ſuperſtitioſam veterũ opinionem crediderim, quod eius auis ſit iniucundiſsimus cantus, vt in oſcinibus augurij ſit ideo infauſti: cantus autem inſuauitatem & propè diritatem eius auis ſatis indicarit verſus iſte Auſonii, *Epiſtola 14.*

*Si confers fulicas cygnis & aedona parræ.* Cantus quoque cornicis iniucundè crocitantis malum auſpicium erat aliquid incipienti, malumq; portendebat, *Sæpè*, inquit Maro, *Eclog.1. ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.* Erat etiam cantus eius fauſtus & auſpicatus, vt *Suet. in Domitian. ca.23.*

*Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,　　Eſt benè non potuit dicere, dixit erit.*

Cornix quoq; & parra apud Plautum ſecunda ſunt auſpicia, non tamen cantu ſed loco. *Aſinaria. Sc. Hercle verò Litaue. Picus*, inquit, *& cornix eſt ab læua, coruus parra ab dextera: conſuadent.*

*Ex lib.30.cap.29.* Apud Horatium, *Rumpat & ſerpens iter inſtitutum*, non ſine cauſa dictum eſſe videtur. non enim tantùm Romani auſpicia ex auibus obſeruabant: ſed etiam è pedeſtribus. nam ſic Feſtus ſcribit, *Pedeſtria auſpicia nominabantur, quæ dabantur à vulpe, lupo, ſerpente, equo, cæteriſque animalibus quadrupedibus.*

*Ex lib.6.cap.26.* *Non temerè eſt*, inquit Plautus, *Aulul. ſc. Non temerè quod coruus cantet mihi nunc.　　Ab læua manu*, Vanitas augurum auſpicia coruorum fauſta à dextra, à læua infauſta iactabat. Itaq; cùm partes mundi ab ortu augurib. Romanis læuæ eſſent, Horatius ſcripſit,

*Oſcinem coruum prece ſuſcitabo　　Solis ab ortu,*

vt ſcilicet cantu ſuo iter inſtitutum dirimat, à dextra autem ſuadebat coruus vt in aſinaria,

*Picus & cornix eſt ab læua, coruus parra ab dextera Conſuadent.*

Hinc apparet contrariam in cornice fuiſſe obſeruationem: quod & à Cicerone ſcriptum eſt, cuius verba ſunt, *1. de Diuinatione Cur à dextra coruus, à ſiniſtra cornix faciat ratum.* Siniſtra tamen cornix Maroni inauſpicata eſt, *Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.*

Vbi augurium malum etiam adiuuat arboris vitium.

*Ex lib.10. cap.1. Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles. Perſ. ſat.1.* audacter dictum eſt pallere Eupolidem, vt ſi diceres pallere pallorem, quod eſt qui palles, quòd tam impenſe illis poëtis operam impenderis, vt decolorem contraxeris inſano labore vultum: eodem modo ſed alio ſenſu dixit Horatius,

*— & ſcatentem Belluis pontum, mediaſque fraudes Palluit audax,* pro timuit

In 28. Odam. *Ex lib.24. cap.45.* Nox ritu Romano dea cenſebatur, vt ex hoc conſtat loco.

*Dicetur merita Nox quoque nænia.* Vide ſupr. Od 19. huius lib.3.

In 31. Odam. *Ex lib. aduerſ. 17. cap.7.* Cùm Flaccus ſcribit *— dum capitolium Scandet cum tacita virgine pontifex,* opinor id ad ſacra Idulia referẽdum. Nam in arcem per ſacram viam quotquot Idibus ſacerdotes aſcendere ſolebant ad ſacra facienda, vt à Varrone ſcribitur.

*Ex lib.20. cap.35.* Lego in Varrone, *Ceroloenſis à Carinarum iunctu dictus Carinæ poſtea Cerolia.* Hic autem niſi falſus, vt ſæpenumerò, augur ſum, Ceroliam videtur indicare appellatam à κάρα, quod ibi caput eſſet ſacræ viæ. Quod autem quotquot menſibus ſacra in arcem per viam ſacram dicit ferri Varro, id intelligendum crediderim de ſacris Idulibus. Nam Idibus ſacerdotes ſacra in arcem ferebant rei diuinæ cauſa. Ad eam fortaſſe conſuetudinem reſpexit Flaccus cùm ſcripſit,

*— dum capitolium Scandet cum tacita virgine pontifex.*

# IN LIB. IIII. CARMINVM HORATII ANNOTATIONES ADR. TVRNEBI. DESCRIPTÆ EX ADVERSARIORUM LIBRIS.

In 1. Odam. *Ex lib.28 cap.10.*

Apud Flaccum lib.4. Carminum *Purpureis ales oloribus*, quod dicitur, intelligitur de purpuræ pulchritudine, vt & apud Maronem, *Virg.1. æneid. — lumenque iuuentæ Purpureum.*

*Ex lib. 15. cap.22.* Vehiculum Veneris quadrigis olorum trahi poëtarum commentum eſt. Papinius de Venere,

*— thalamique egreſſa ſuperbum Limen, Amycleos ad fræna citauit olores,*

quos & amori tribuit Horatius, *— Purpureis ales oloribus Comeſſabere Maximi,*

vbi vel purpureos dixit olores pulchros de purpuræ miranda pulchritudine, vt & Maro,

*— Lumenque iuuentæ Purpureum,*

ita Horatium interpretatur Seruius: vel poëtica ad miraculum audacia eſt vſus, vt quem rerum natura non procrearat in eo auium genere colorem, eum fucaret.

*Ex lib.28. cap.10. Mater* autem *cupidinum*, eſt Venus, amorum mater: nam multi ex ea nati amores ferebantur, eaque Flacci ſententia eſt. Philoſtratus in Iconibus, Nymphis genitos dicit, eorumq; gregem & agmen & examen vocat, tam multi cenſebantur eſſe. At vero quod ait Flaccus,

*Ponet marmoream ſub trabe Cypria*, & inſulæ Veneri gratiſsimæ mentionem intulit, & ſignificauit materia ad ædificandum abundare Cyprum: cuius trabibus ſuſtineri Venus ſuum maluiſſet ſignum, quàm alterius prouinciæ columine aut ligno. Alio autem loco è Marcellino oſtẽdimus, quàm eſſet Cyprus nemoroſa & materiæ naualis copioſa & fertilis. Eodem in carmine.

*— te per gramina Martij Campi, te per aquas dure volubiles,*

cùm dicit, campum Martium & Tiberim intelligit, in quorum altero iuuenes Ro ſe exercebant: in altero natabant. Quod cùm quotidiè Ligurinus faceret, Horatius, qui eum amabat, ſæpenumerò ſomniabat ſe illum videre, ſeſeque per Martij campi gramina, & per Tiberis alueum & volubilem aquam. Hæc quidem haud difficilia eſſe ſatis ſcio: ſed quæ omiſſa tamen gratiam detrahunt cantico: & vt à multis id ſine noſtra ope admonitioneque percipiatur, tamen nõ diffido multos etiam eſſe, quibus mirum ſtatim prima ſpecie videatur eſſe, cur aquarum mentionem fecerit: quibus admiratio illa errorque detrahendus & eripiendus fuit & velut errantibus comiter monſtranda via.

In 2. Odam. *Ex aduerſ. lib 1. cap.4.* Quærunt autem quid inter Melicos, Lyricos, & Dithyrambicos interſit. Ego Melicos, qui cantilenas ſcribebant ferè in numero Lyricorum repoſuerim: nam Simonidem Suidas nunc μελοποιὸν, nunc Lyricum vocat, & Platoni μελοποιοὶ canticorum ſcriptores & Lyrici ſunt: & Sapphus, Alcmanis, Anacreontiſque, qui Lyrici numerantur, μέλη nominantur. Auſon. Melicos & Lyricos modos nominans diſtinguere paulum videtur, & pangi melos poteſt, quod non ad lyram canatur latiuſq; interdum pateat: niſi fortè idem bis locutus eſt, quod non eſt in poëtis rarum certè ijdem Galeno ſunt in fine de vſu partium ſcribenti παρὰ τοῖς μελικοῖς ποιηταῖς, ὃς ἔνιοι λυρικοὺς ὀνομάζουσι. Lyricos autem à Dithyrambicis & materia & lege carminis differre puto. Materiã Lyricorũ cõplexus eſt Horatius cũ ſcripſit.

*Muſa dedit fidibus diuos pueroſq; Deorum, Et pugilem victorem. & equum certamine primum, Et iuuenum curas, & libera vina referre.* Dithyrambicorum argumentum erat Liber pater: eorumq; chori Cyclici dicebantur ad diſcrimen Tragicorum & Comicorum chororum, qui erant quadrati. Lege carminis differebant, quod in Lyricorum plerunque carminibus erant ſtrophæ, antiſtrophæ & Epodi, in Dithyrambicorum non erant, ſed velut vna perpetuaque comprehenſione ſine vllis ſtropharum & antiſtropharum legibus & interuallis, varios verſiculos contexebant. Id ex Ariſtotele cognoſci poteſt, qui ita in Rhetoricis ſcribit, τὴν δὲ λέξιν ἀναγκαῖον εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί· ἢ κατεστραμμένην, καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις. id eſt, Dictionem autem neceſſe eſt aut tractam eſſe & coniun-



ctione vnam, vt Dithyrambicorum cantica: aut conuerſam, & ſimilem veterum poëtarum conuerſionibus. Id etiam Ariſtoteles in Problematis ſcribit: nam cùm quæſiſſet, διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δ' ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί id eſt, Quamobrem nomi ſine conuerſionibus à poëtis ſcribebantur cũ cantica chororũ per conuerſiones componerentur, ſubiicit: διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο ἔτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον id eſt, Proinde & dithyrambi poſteaquam imitatores eſſe cœperunt, conuerſiones non habent, antè habebant. Quocirca quia verſus tumẽtes libero impetu texunt, nec cantica certo flexu recurrentia certa lege carminum includunt, Horatius ſcripſit quarto carminum de dithyrambis Pindari: *Seu per audaces noua Dithyrambos Verba deuoluit, numeriſq; fertur Lege ſolutis.* Contrà de eius Lyricis certo ambitu comprehenſis ſcribit Papinius: *lib.4. Sil.3.*

*— qua lege recurrat Pindarica vox flexa Lyræ.*

*Ex lib.10. cap.22.* In hoc cantico cùm ſe in album alitem, id eſt, in cygnum mutari dicit, id eo facit conſilio, quòd olores in Apollinis tutela ſint & de illius canoræ auis modulis poëtæ olores vocari interdum ſoleant: vnde & de Pindaro cecinit,

*Multa Dircæum leuat aura cygnum.* Reſpexit tamen potiſsimum ad mutationes Pythagoricas à Platone celebratas. Nam eos cenſent, qui numeris delectati poëticis ſunt, alterius exordio vitæ in olores mutari. Plato lib.10. de Repub ἰδεῖν μὲν γὰρ ψυχὴν ἔφη τὴν ποτὲ Ὀρφέως κύκνου βίον αἱρουμένην. Apud eundem etiam Thamyræ animus luſciniæ vitam deligit. Denique perſuaſio erat Pythagoreorum aues canoras in cantores & poëtas renaſci, & cantores & poetas in aues muſicas verti.

In 3. Odam. *Ex lib.24. cap 35.* Cæterùm. *— O teſtudinis aureæ*, imitatione Pindari dictum eſt, apud quem pulcherrimum Pythiorum poema ſic incipit: χρυσέα φόρμιγξ, id eſt, pulchra.

In 4. Odam. *Ex lib.24. cap.35.* At *Fana deos habuere rectos*, hanc complectitur ſententiam: antè dii Romanis infeſti iniquique erant: ſed poſtea quàm impiè eorum à Pœnis violata templa ſunt, recti & æqui Romanis eſſe cœperunt auerſati Pœnos, quibus antè fauerant.

*Ex lib.11. cap.26.* Grammatici Græci obſeruant ὀξὺ ſignificare plerunque magnum & vehemens: eodem modo dixit Horatius, Expediunt peracuta belli: vt Græci ὀξὺ ἄρηα dicunt.

In 5. Odam. *Ex lib. aduerſ 24. cap.35.* Horatianum illud, *— & alteris Te menſis adhibet deum.*

ita mihi videtur explicandum. Romani tui, Auguſte, pro deo te colunt, & in menſa ſecunda, in qua ſolet libatio fieri, & deorum precatio, te vt deum obſecrant, & tibi vt Laribus libant. Nam & libans Dido in conuiuio apud Maronem precatur, *1. æneid.*

*Iuppiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.* Itaque mox libatio apud Flaccum ſequitur,

*Te multa prece, te proſequitur mero Defuſo pateris* Sequitur & proximè

*— dicimus integro Sicci mane die: dicimus vuidi Cùm ſol Oceano ſubeſt,*

quod eſt precamur & veniente die ieiuni & abſtemij & decedente, id eſt, veſperi, vuidi & poti. Nam integer dies eſt, qui adhuc incipit. Ea autem duo videntur fuiſſe tempora votis & precibus conſueta, vt è Platone etiam conijci poteſt lib.10. de legib. ita ſcribente ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων προκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντές τε, καὶ ὁρῶντες Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων, πάντων ἐν συμφοραῖς παντοίαις ἐχομένων καὶ εὐπραγίαις.

In 6. Odam. *Ex lib.20. cap.37.* Quòd Varro *lib.5. de lingua latin.* noctilucam ait dictam eſſe Lunam, ex eo dicit, quòd eo cognomine Luna in palatio colebatur, & noctu in eius templo lampades lucebant. Vnde & lib.5. ſcribit, *Noctiluca lucere ab luce, quòd propter lucem amiſſam is cultus inſtitutus.* Scripſit quoque eodem cognomine Horatius, *Rite creſcentem face noctilucam.* Erat vt conijcio, etiam apud Varronem in Marcipore noctiluca, fax vel lucerna, cùm ſcribebat, *apud Non in Anima. Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reuiuiſcit.*

In 8. Odam. *Ex lib.9. cap.31. — quia ponere totum Neſciet*, more Græco dixit Horatius *de art. poet.* pro facere, Nam in eo ſenſu ſæpenumero τιθέναι ab Homero vſurpatur. Sic alio loco Flaccus,

*Solers nunc hominem ponere, nunc deum:* id eſt facere.

In 11. Odam. *Ex lib.4. cap.14. Quid face Troianos atra vim ferre latinis.* dixit Maro, *10. æneid.* Atra eſt infeſta, dira, noxia, peruerſa, iniuſta, quod niger color infauſtus ſit. Sic apud Flaccum,

*— minuentur atræ Carmine curæ.* Sic Homerus μελαίνας ὀδύνας dixit.

*Ex lib.19. cap.9.* Cùm igitur in eo ſcribitur, *de art. poet. — vt turpiter atrum Deſinat in piſcem,* ater, turpis & fœdus eſt. Ater etiam non inſolita Flacco vſurpatione, eſt malus & triſtis, vt, *de art. poet.*

*— minuentur atræ Carmine curæ. &, — eripere atris Litibus implicitum.*

*Ex lib.22. cap.7.* Atrum porro timorem dicit Maro, per metalepſin etiam, fœdum, turpem, moleſtum, odioſum. *9. æne. Immiſitq; fugam Teucris atrumq; timorem.*

Ex eo vt opinor, quòd atra quæ ſunt, inauſpicata & funeſta & iniucunda erant: ſic Flaccus, *lib.3. Od.1.*

*— minuentur atræ Carmine curæ*: Inuiſæ, odioſæ, moleſtæ, alio loco, *lib.2 ſatyr.6.*

*Poſt equitem ſedet atra cura*, id eſt, moleſta. & *— at ſimul atras Ventum eſt Eſquilias.* id eſt, odioſas mihi & moleſtas ob negocia. Sic *de art. poet.*

*— atrum Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè*, dixit pro turpi & fœdo.

In 14. Odam *Ex lib. 23. cap.5.* Etſi cornigeri amnium dei finguntur, vnde & *Tauriformis Aufidus* ab Horatio dicitur: tamen etiam cornua amnium, ipſorum oſtia & ora dicuntur, vt apud Maronem *8 æn.*

*— Renuſq; bicornis.* Exit enim duobus oſtiis in Oceanum. Sic & Valerius *lib.8. argonautis.*

*Haud procul hinc ingens Scythici ruit impetus Iſtri, Fundere non vno tantum quem flumina cornu Accipimus.* Nam ſeptem, vt ait, exit alueis in Euxinum Pontum.

# IN EPOD. LIB. ANNOTATIONES EX ADVERSARIORVM LIB. ADR. TVRnebi deſcriptæ.

*Ex lib. 21. cap. 6.*

CVr Epodon liber appelletur ambigi video: ac ſanè quibuſdam probabile videtur, quomodo orbibus Lyricorum ſuæ ſunt conuerſiones, quibus pares reuerſiones reſpondent (στροφὰς καὶ ἀντιστροφὰς vocant) demumque ijs ſua epodus accinitur: ſic accini libris Carminum & tanquam ſuccini librum Epodum: quaſi illi libri incentiui ſint, hic ſuccentiuus. Equidem non eo inficias veriſimilitudine niti hanc ſententiam, ſed tanti apud me veterum auctoritas eſt, vt quod illos voluiſſe videam, id maioris apud me ponderis ſit: Exiſtimo igitur lib. Epodon à verſiculis alternis qui maioribus iuſtiſque numeris adiunguntur nomen quæſitum: minuti enim illi verſiculi etiam per ſe poſiti, Epodi nomine celebrantur, vt conſtat è Mario Victorino ita ſcribente, *de hinc Epodus ſui generis, Arboribuſq; comæ.* Auſonius. *epiſt 17. Libello tamen Apologorum anteculi paucas epodos ſtudio in te obſeruantiæ meæ impudentiſſimos.* Deindè verſiculos minutos ſubiicit, *ibid.*

*Perge ô libelle Sirmium*    *Et dic heromeo ac tuo;*
*Aue atq; ſalue plurimum.* Iterum *epiſt. 1.*
*Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,* Iterum.
*Perfer in excurſu vel teriuga millia epodon.*

Hermogenes, τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τεττάρων καὶ πέντε συλλαβῶν καὶ μέχρι τῶν ἓξ κόμμα ἐστὶν ἐπῳδῷ μετρούμενον. Victorinus horum verſuum inuentionem tribuit Archilocho. *Quorum ſicut & aliorum complurium auctor & parens fertur Archilochus. ſingularis artificij in excogitandis & formandis nouis metris, qui primus Epodos excitauit.* Ergo eum imitatur in Epodis Horatius, vt antè diximus. Hephæſtion autem Epodos eſſe dicit, cùm longiori verſui verſiculus ſubnectitur, εἰσὶ δὲ ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ οἱ ἀρρενικῶς οὕτω καλούμενοι ἐπῳδοί, ὅταν μεγάλῳ στίχῳ περιττόν τι ἐπιφέρηται. Eſt igitur iudicatu perfacile ex iſtis modis, id eſt, verſiculis, nomen eſſe libro inditum.

*Ex lib. 28. cap. 38.* Sæpè acta, ſæpè comperendinata cauſa eſt, ſæpè ampliata cur ab Horatio liber Epodon appellatus ſit: neque dum ſatis quod liqueat habere iudices videntur. Ego pro mea virili, quod eorum cognitionem adiuuet adferã. Cum ſtrophe & antiſtrophe ſubijci in Melicorum conuerſionibus & poematis ſoleat Epodus, ferè crediderim librum illum appellari Epodon nomine, quod carminum libris veluti ſtrophis & antiſtrophis accinatur. Vnde & Epodon Græci ſolent vocare eleganter quod ſuccinitur & ſubijcitur, vt & liber ille ſubijcitur libris Carminum & eos ſubſequitur. Plutarchus ὡς δ' ἦν πυθομένης διηγήσατο, καὶ προσέθηκε τὸ κοινὸν ἁπάσης ἀδολεσχίας ἐπῳδὸν τὸ ταῦτα μηδενὶ φράσῃς, ἀλλὰ σιώπα.

In 1. Odam. *Ex lib. 12. cap. 14.* Ipſum ſtatim Epodon, vt ita dicam, veſtibulum negotium exhibet literatis, *lib. 1. ſat. 6:*

*Ibis Liburnis inter alta nauium*    *Amice propugnacula.*

Amicum autem ſine controuerſia Mæcenatem vocat, vt in Sermonibus —*iubéſque Eſſe in amicorum numero.* Et principes primoréſque Romani ab inferioribus clientibúſque ſuis & familiaribus amici magni vocabantur, vt alio loco diximus. Cum igitur Mœcenas claſſi Liburnarum præeſſet, vtrumne inter aliarum nauium, vt triremium & quadriremium propugnacula & turres ibat in bellum: an inter alta ſuæ claſſis propugnacula & turritas moles? Priorem ſenſum vt verum fateamur, verba recipiunt: poſteriorem Prudentius *lib. 2. contra Symmach.* agnoſcere videtur, qui eadem de re ita ſcribit,

*Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli*
*ÆGypto dederat, clangebat buccina contra.*
*Inſtiterant tenues cymbæ, fragileſq; faſeli:*
*Inter turritas Memphitica roſtra Liburnas.* Et Propertius. *lib. 3. eleg. 11.*
*Baridos & contis roſtra Liburna ſequi* At cùm ait,
*Non, vt iuuencis illigata pluribus*    *Pecuſve Calabris ante ſidus feruidum*
*Aratra nitantur meis.*    *Lucana mutet paſcua,*

ſe militaturum libenter nullius latifundij nullorumque ſaltuum mercede nec opum ſpe, in Mæcenatis ſolius gratiam, prædicat. Sic alio loco dixit. *Sic pecore, & multa diues tellure licebit.* Qui autem ditiſsimi erant, ſuo pecori ſaltus hibernos & æſtiuos habebant: pecuarii quoque qui non poſsidebant ſaltus, tamen pecus profitentes, alioqui lege cenſoria commiſſurum, & ſcripturam ſoluentes publicano, in aliis æſtiuis & hibernis pecus paſcebant. Varro, *lib. 2. de re ruſt. cap. 1. Itaque greges ouium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æſtiuatum, atq; ad publicanum profitentur, ne ſi inſcriptum pecus pauerint, lege cenſoria committant.* Iterum, *ibid. quod accidit iis, qui per calles ſilueſtres longinquos ſolent comitari in æſtiua & hiberna.* Hinc, *æſtiua Lycei,* in Marone *3. Georg.* lego, pro paſcuis, in quibus pecus æſtiuat. Cùm autem ſuburbanæ villę in maximo precio eſſent, magiſq; quæ præclarè magnificéque ædificatæ erant & amplitudine plurimum loci ſpatiiſque occupabant, ſcripſit per hyperbolen,

*Nec vt ſuperni villa candens Tuſculi*
*Circæa tangat mœnia.* Illud verò    —*haud parauero*
*Quod aut auarus, vt Chremes, terra premam*    *Diſcinctus aut perdam vt nepos.*

hanc continere ſententiam videtur: modicæ diuitiæ, quæ benignitate tua iam mihi ſuppetunt, quæque ſatis ſunt vſui, me delectant, vltrà nihil deſidero: diuitias naturæ finibus & vſu termino, quicquid diuitiarum extra naturalem vſum quæritur, vel auaritiæ, vel luxuriæ eſt inſtrumentum, cùm hæc nequiter profundat, at illa terræ infodiat.

In 2. Odam. *Ex lib. 26. cap. 23.* At verò, *Inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos, Virg. 1. æne.* eſt recedentes, in receſſum remotos, vt, *in reducta valle,* apud Flaccum, id eſt, recedente.

*Ex lib. 6. cap. 14.* Quæ rerum eſſe vocabula plerunque credimus, ea rerum imagines ſignificant, nobiſq; illudunt falſa quadam ſpecie & ludibrio: vt apud Lucretium, *lib. 1. Vites Autumno fundi ſudante videmus.*





Vbi partem anni accipimus, cùm Autumni ſimulachrum pictum ſignificari credam, Autumni tamen tempus per inuerſionem intelligi cenſeam: nam Autumnus ita pingebatur, vt aut è vitibus vinum colligeret, aut vuas calcaret, vel ab earum calcatione ſordidus eſſet Ouidius, *2. Metamorp.*

*Stabat & Autumnus calcatis ſordidus vuis.* Pingebatur & pomis capite redimito, Flaccus,
*Vel cum decorum mitibus pomis caput*    *Autumnus aruis extulit.*

*Ex lib. 12. cap. 15.* Licet homines dicant me perfricuiſſe frontem & gnauiter impudentem eſſe, qui nulla tot editionum verecundia, nulla tot pluteorum audeam in Horatio legere,

*Quod ſi pudica mulier in partem iuuans*    *Sabina qualis, aut peruſta ſolibus*
*Domum atque dulces liberos:*    *Pernicis vxor Appuli:*
*Sacrum vetuſtis extruat lignis focum.*

Scio ego *Iuuet* vbique extare, ſed cùm participium deſideretur, & ſubiungat mox participia Horatius, parem orationis tenorem perſequens, denique participium ſenſus, qui nobis vim adfert fauceſque premit, flagitet, *Iuuans* legere non cunctabor, atque in hoc periculum me coniiciam. *Si quos,* inquit Horatius.

*Eois intonata fluctibus*    *Hyems ad hoc vertat mare,*

quod eſt, ſi tempeſtate fluctus ab ortu excitatus & coortus, & in occaſum prouolutus & impulſus, in Italicum mare raros illos & peregrinos piſces aduehat.

*Vel agna,* inquit, *feſtis cæſa Terminalibus,* vt Siculus Flaccus ait, Termini in terra collocabantur conſecrabanturque, cæſa immaculata hoſtia à dominis, qui confines agros poſsidebant, &, vt opinor, quotannis terminalibus agnas cædebant, iucundèque epulabantur.

In 3. Odam. *Ex lib. 12. cap. 15.* Proxima ode cùm ait,

*Vt Argonautas præter omnes candidum*    *Ignota tauris illigaturum iuga,*
*Medea mirata eſt ducem:*    *Perunxit hoc Iaſonem.*

Significat allium eſſe veneficium omnium certiſsimum & præſentiſsimum, non cibum: Medeamque veneficam nullas potiores herbas ad veneficium habuiſſe, cùm vel charos ſeruare & liberare periculis vellet, vel inimicos vlciſci & perdere. Ità venuſtè & lepidè fingens iocatur poëta: quod etſi abſque ope mea omnes intelligere potuerunt, tamen mihi dicendum eſſe credidi, vt ſi aliis, quod dici ſolet, non canerem, mihimetipſi certè ceciniſſe viderer.

*Ex lib. 6. cap. 9.* Naphtha, inquit Plinius, *lib. 2. cap. 105. appellatur circà Babyloniam & in Auſtagenis Parthiæ profluens bituminis liquidi modo:* quod idem fere è Dione Xiphilinus *In Pompeio* his verbis ſcribit, καὶ τὴν νάφθαν κατὰ τῶν μηχανῶν χεομένην δεινῶς ἐκάκωσαν. ἀσφαλτῶδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο καὶ διάπυρον οὕτως, ὥστε ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ κατακαίειν. *Huic,* inquit Plinius, *lib. 2. cap 105 magna cognatio ignium, tranſiliuntq; protinus in eam vndecunq; viſam. Ita ferunt à Medea pellicem crematam, poſtquàm ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igne rapta.* Hæc Plinij verba plurimum adferent lucis, ac veluti prælucebunt Horatio ſic ſcribenti,

*Hoc delibutis vlta donis pellicem*    *Serpente fugit alite:*

Etſi iocatur allio non naphtha imbutam fuiſſe coronam.

In 4. Odam. *Ex aduerſ. lib. 14. cap. 1. & cap. 9.* Subuerbuſta, inquit Feſtus, eſt ſub verberibus vſta, licentia & petulantia Comica vocabulo è multis coagmentato: ſic

—*vri virgis ferroq; necari,* dixit Flaccus, quanquam in eo vri per ſe etiam commodè intelligi, vt antè dixiſſe me recordor, poteſt: alio loco *Ibericis peruſte funibus latus.*

*Lupis,* inquit Flaccus, *& agnis quanta ſortito obtigit.*    *Tecum mihi diſcordia eſt:*

Illud ſortito ex eo dictum eſt, quòd res maximas ſolebant veteres ſorti permittere: vt ſortiri ſolebant tribus, ſortiri prouincias: velut igitur naturæ ſorte, & vt melius quod volo intelligatur, ſortitione quadam mutuas gerant inimicitias lupi & agni, quaſique eas ſortiti ſint, *ſortito* Horatius dixit. Ibericos autem funes pro ſparteis in eo admiramur, cùm ait

*Ibericis peruſte funibus latus:* at vt Fabius ait, Ineptus & ridiculus ille Orator fuit, qui pro ſparto herbas Ibericas dixit, quod tamẽ Horatij imitatione fortaſſe dicebat: adeo aliud orationi, aliud poemati decorũ eſt.

*Ex lib. 28. cap. 31.* Nihilo ſecius in illo Martialis mirabamur, *lib 3. epigr. 52.*

*Mauis, Ruſe, coquum ſcindere quàm leporem.*

cùm ſcindere coquum ſit, flagris cædere: quo & Horatius modo dixit

*Sectus flagellis hic Triumuiralibus.*

*Ex lib. 14. cap. 9. Sedilibúſque magnus in primis eques.* Equites maioris dignitatis, vt qui Tribuni militũ erant, aut Tribunitii, aut maioris cenſus, ſedebant in primis ſubſelliis quatuordecim ordinum, ſed & ditiores propius ſpectabant, quam pauperes è plebis cuneis: hinc illud ab Horat. ſcriptum eſſe puto, *lib. 1. epiſt. 1.*

*Vt propius ſpectes lachrymoſa poemata Puppi.*

Propius enim ſpectat qui in ſedilib. primis ſedet: etſi de equeſtri cenſu accipi poteſt, quem adepti, cùm in quatuordecim ſederent, propius quàm reliqua plebs ſpectabant.

In 5. Odam. *Ex lib. aduerſ. 18. cap. 25.* Erat iuſiurandum per ea, quæ chara erant, vt per liberos Horatius,

*Per liberos te ſi vocata partubus*
*Lucina veris adfuit.* Plautus, *Aſinaria Sc. Sicut tuum vis*
*Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ*
*Supereſſe vitæ ſoſpitem & ſuperſtitem:*
*Ita ted obteſtor per ſenectutem tuam,*
*Perq; illam, quam tu metuis vxorem tuam,*
*Si quid med erga hodie falſum dixeris,*
*Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſiet.*

His enim verbis herum ita obſtrinxit ſeruus, vt, ſi per Diumfidium, quod ſacramentum ſanctiſ erat, rogaſſet, non magis obſtringere potuerit. Itaque reſpondet herus, *Aſinar. ibid.*

*Per Diumfidium quæris, iurato mihi*    *Video neceſſe eſſe eloqui quicquid roges.*

Vt ſi diceret, iſtud quidem eſt rogare per Diumfidium: ac vt hoc interim addam, Diusfidius explicatur in antiquo Lexico, Διὸς υἱός, Ἡρακλῆς: atque vt formulæ res charas inſerebant, ita odioſas & inuiſas adiiciebant, quod veterator ſeruus fecit.

*Ex lib.14.cap.9.* In hac oda, *Canidia breuibus implicata viperis, crines.* non tam mulier eſſe dicitur & fingitur quàm Acherontis furia.

*Spargens Auernales aquas,* dixit, quòd in veneficiis, & magicis ſacris ſimulatos latices Auerni ſpargere ſolerent, vt apud Maronem *AEneid.4.*

*Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.*

Spargitur igitur aqua, vt in ſacris, & ſpecies magicis accommodatæ veneficiis, & infœlices arbores, inferiſque dicatæ, vt cupreſsi, caprifici ſepulchrales, oua rubetarum ſanguine imbuta, plumæ ſtrigis, herbæ venenatæ Theſſaliæ & Iberiæ, oſſa erepta ieiuno cani adolentur quodam ſacro. At verò,

*Inemori ſpectaculo* *Cum promineret ore.*

eſt, mori in ſpectaculo ore prominente. Iam.

*Interminato cùm ſemel fixæ cibo* *Intabuiſſent pupulæ,*

valet, cùm deſiderio cibi immortuus eſſet, & contabuiſſet, eius oculis in cibo antè negato, coram tamen poſito ſemper defixis, fame appetitum prouocante & cibo excitante. Sic autem cibi deſiderio immoriens enecatur puer, vt in eius iecore & medulla maior ſit vis amatorij & philtri ex deſiderio cibi.

*Ex lib.29.cap.2.* Qui ſe otio aſſerere cupiebant & ab vrbe ſecedebant, Neapolin non raro ſe recipiebant: quæ hominum otioſorum domicilium erat: vt ea de cauſa ſcripſerit Flaccus

*Et otioſa credidit Neapolis.*

*Ex eod.lib.29.cap.30.* Legendum ferè crediderim apud Tibullum *lib.1.Eleg.2.*

*Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis,* vt apud Horatium, *Lunamque cælo deripit.*

In 5. Odam. *Ex lib.12.cap.5.* Etſi Luna ſilere dicitur, cùm intermenſtrua eſt, neque lucet: tamen *tacitæ amica ſilentia Lunæ* Maro *2.AEneid.* dixit, nocturnum eius lumen intelligens, quòd noctem ſilere dicerent, vt Catullus *Aut quàm ſidera multa cum tacet nox.*

id eſt, cum eſt nox Dies enim inquietus & clamoſus eſt: nox tranquilla & tacita: & à Flacco eleganter ſcriptum eſt,

*—ô rebus meis* *Non infideles arbitræ*

*Nox, & Diana, quæ ſilentium regis* *Arcana cùm fiunt ſacra.*

*Ex lib.14.cap.9.* Cæterùm, *Diana, quæ ſilentium regis*, ex ritu ſacrorum dictum, in quibus imperabatur à præcone, vt qui aderant linguam paſcerent, id eſt tacerent & linguis fauerent. Spectatricem igitur & arbitram magici ſacri lunam, cui & ſilentium tribuitur, vt à Marone *2. AEneid.*

*—per amica ſilentia Lunæ,* regere dicit in nocturnis & magicis ſacris ſilentium.

*Latrent*, inquit, *ſuburranæ canes.* Hîc ſignificat Varum circum cellas meretricum & fornices ſcortari. Nam in Suburra meretrices erant. Perſius, *Saty.5.*

*—totaque impune Suburra:* *Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo.*

*Ex lib.2.cap.24.* Appellat Tacitus magnas animas, excellentium & præſtantium virorum animos & manes, cùm ita ſcribit, *In vita Iulij Agricolæ. Si, vt ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ.* atque vt quemadmodum in prouerbio eſt, linum lino nectam, vbi animas pro hominibus poſuit Horatius, genere dicendi cùm vſus ſit, quod concoquere literatorum quorundam ſtomachus non poteſt, id explicare conabor, homineſque his velut plagis aut caſsibus implicatos liberare. Sed eius verba proponenda ſunt, *lib.1.Saty.5.* *Occurrunt animæ quales neq; candidiores* *Terra tulit, neque quis me ſit deuinctior alter.*

Extat etiamnum & locus geminæ ſimilitudinis in Epodis.

*Nardo perunctum, quale non perfectius* *Meæ laborarunt manus.*

Ego ne diutius teneam lectorem, ſi quis modò ad hæc oculum adiicere dignabitur, arbitror illud *quale*, valere cuiuſmodi, cuius generis, vt dicat eo delibutum vnguento nardino, cuius generis nunquam ipſa melius perfectiuſque elaborauerit. Vt quidem & indigniſsimum ſit, Varum eius vnguentis perfuſum circum aliarum amicarum hoſtia vagari ipſa contempta. Sic & homines dicit, cuius generis non ſint candidiores, neq; meliores: erant enim docti, qui plerunq; inter ſe inuidere & liuere ſolent. neq; ſemper literis mores reſpondent. Perfuſus igitur ille tali erat vnguento, quale eiuſdem generis nunquam melius eo fecerat & illæ tales erant animæ, quales, id eſt, cuiuſmodi nunquam terra candidiores his tulerat. Scio viſum iri interpretatiunculam hanc paulo coactiorem, ſed quo te pacto hinc extrices, niſi ita accipias, non video. Nam quale pro quali reddere, & quales pro qualibus, id verò ſit, ſtribiliginem flagitioſam accuratiſsimo & diligentiſsimo poetæ attribuere, & eum hominum ludibrio exponere, qui ſe cenſorem alias acrem & aliorum venuſtum deriſorem libenter præſtare ſoleat. Quare ab auctoritate Grammatici primarij Priſcia. *lib.17.de conſtruct.* diſcedere malo, & vtcunq; poſſum dictionum ordinem cõſeruare, quam in nobili poeta tam fœdam culpam hærere confiteri. Vidi & qui per admirationem *animæ quales* legeret.

*Ex lib.14.cap.9.* *—nec vocata mens tua* *Marſis redibit vocibus.*

Hanc meo iudicio continet ſententiam: non te Marſa nænia nec cantione ad me reuocabo, nec mens tua mihi reſtituetur magico carmine: ſed maius quiddam parabo, & ex humanis extis amatorio temperato non vſitata potione te inſanum amore mei reddam.

*Ex lib.14.cap.10.* At ſuperiore quadam Oda, *Venena, magnum fas, nefaſq; non valent*

*Conuertere humanam vicem:* ſic interpretor: In veneficiis eſt quidem magna vis, ſed tantum profectò non poſſunt illa pro hominibus efficere, vt natura æqui & iniqui, vt fas & nefas, vt ius & iniuria mutentur. hoc hominum cauſa non poſſunt præſtare. Atq; id eſt humanam vicẽ, vt in epiſtolis Ciceronis, *Cic.fa.li.1.epiſt.9.*

*Noſtram vicem vltus eſt ipſe ſeſe.* id eſt, quod facere debuimus, id pro nobis noſtraque vice fecit. Nam debuimus eum vlciſci, qui ſe vltus vltro eſt. At, *Et exquilinæ alites*, cùm ait, eas dicit inſepultas proiectum iri extra aggerem in exquilinis puticulis feris & alitibus laniandas. Erat autẽ antiquis acerbiſsimum & ignominioſiſsimũ honore ſepulturæ carere obiiciq; feris & alitibus, aut in Tiberim trahi, aut in Gemonias ſcalas.

*Ex lib.26.cap.1.* Sequitur, *lib.1.Od:28.* *—precibus non linquar inultis* *Teq; piacula nulla reſoluent.*

quod ſuſpicor ex ea veterum opinione dictum, qua malas preces & execrationes inexpiabiles credebant: quocirca ſcripſit in Epodis,

Diris



*Diris agam vos: dira deteſtatio* *Nulla expiatur victima.*

ac niſi intelligamus veterũ animis inceſsiſſe eam opinionẽ à ſententia plurimum aberremus, neceſſe eſt.

In 8. Od. *Ex lib.14. cap.10.* Quædam ſunt, quæ quamuis obſcœna flagitioſaq; ſint, tamen vt intelligantur ſunt declaranda, in his præſertim auctoribus, quos ſæpe tractamus: vt apud Flaccum,

*Quid? quod libelli Stoici inter ſericos* *Iacere puluillos amant?* *Illiterati non minus nerui rigent?*

Interpretũ ſentẽtia in medio eſt, & multo melior illa quidẽ quã noſtra: attamẽ quia neſcio quid aliud hic mihi placet me deridẽdũ propinare non verebor. Puto igitur ſententiã eſſe, aliũ tibi quære amatorẽ, aliũ ſubactorẽ & admiſſarium, me tã docto & erudito potiri non potes, Epicureo præſertim & delicato. Nã & Stoicorum libri, quorum philoſophorum ſententia ſeueriſſ. & duriſsima eſt tamen inter delitias ſericorum puluinorum collocari deſiderant: vt inde coniecturam de voluptuariis Epicureis facias, & aliis doctis hominibus, quam faſtidioſi ſint amatores. Quare alium tibi amatorem vide, eumque illiteratum: niſi fortè exiſtimas non ſatis valentes ad res venereas eſſe indoctos homines.

In 9. Odam *Ex lib.aduerſ 9.cap.18.* Sed vt huic tanquam obſonio ſua, vt priſci loquebãtur, mantiſſa addatur: aliquid ex eodem lib. primo *Tuſc.quæſt.* adiiciam, in quo cùm ex antiquo poëta adfertur, *Aſtante ope Barbarica*, barbaricum interpretor Phrygium, vt ſit ſtante Phrygum imperio. Sic apud Horat. *lib.1.epiſt.2.*

*Græcia Barbariæ lento colliſa duello*, id eſt, Phrygiæ, & apud eundem,

*Sonante mixtum tibiis carmen Lyra,*

*Hac Dorium, illis Barbarum*, id eſt Phrygium, & apud Maronem, *2.Aen.*

*Barbarico poſtes auro, ſpoliiſq; ſuperbi,* id eſt, Phrygio. Phryges enim opibus & auro abundabant, opinioque Græcorum erat opulentos fuiſſe, vt & Perſas. Itaq; vt Barbarus ætate Demoſthenis dicebatur, Perſarum rex: ſic Barbaros, qui de bello Troiano ſcripſére, aut Tragœdias illius argumenti attigêre, Phryges intellexerunt: quanquam latius Barbari nomen patet. Quod autem hæc duo regna opulentiſsima fuerunt, inde Barbaricum aurum dixit Maro, & vetus poëta apud Cic.2. Tuſcul. *quibus magis palæſtra, Eurotas, ſol, puluis, labor, militia in ſtudio eſt, quàm fertilitas Barbara.* id eſt, quàm barbarorum delitiæ & copiæ.

*Ex lib.9.cap.14.* At illud, *lib.1.Od.37.*

*Contaminato cum grege turpium* *Morbo virorum,*

cùm dicit, morbum impudicitiam intelligit, vt & Catullus: *Epigr.53.*

*Morboſi pariter gemelli vtrique.* Spadones autem hoc genere morbi erant infames, quos habebat plurimos Cleopatra: vnde in Epodis ſcribitur,

*Romanus, eheu poſteri negabitis,* *Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus*

*Emancipatus fœminæ* *Seruire rugoſis poteſt.*

*Ex lib.20.cap.33.* Cæterùm *Ganeum*, quod apud eundem Comicum eſt, *Adelph.act 3.Sc.3.* dicitur fornix, quaſi Græcè *γύναιον*. Nam Latini *υ* in a ſæpenumerò commutant, & *ει* in e etiam breue, vt Gynæceum apud Terentium penultima eſt breui. & *Cyclopeus* apud Maronem *1. Aen.* id eſt, *κυκλώπειος*, & *Conopeum* apud Horat. quod eſt *κωνώπειον*.

*Ex lib.14.cap.16.* *Ad hunc frementes verterunt bis mille equos,* *Galli canentes Cæſarem,*

cùm ait, aut *verterunt* media breui pronunciandum, vt verſus nõ claudicet, aut *verterint* legendum. Seruius autem lib.6. Aeneid. ſcribit duo millia equitum ab Antonio tranſiiſſe ad Auguſtum, per quos victoriam adeptus ſit.

*Ex lib.2.cap.16.* Aurei in Horatio currus leuiter audiuntur, aureſque penè noſtras præteruehuntur aliud agentibus, nec attendimus tales triumphantium Auguſtorum fuiſſe currus: ſic autem ſcribit in Epodis,

*Io triumphe tu moraris aureos* *Currus, & intactas boues.*

Mihi nolo credi, ſed Philoſtrato in Dionis vita, quod dixi, tradenti hunc in modum. *Τραιανὸς γοῦν αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς ῥώμης εἰς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ἐπιστρεφόμενος πρὸς τὸν δίωνα.* Etſi autem certa quædam erat triumphalis currus forma, tamen ea imperatori ornatior & precioſior, quàm aliis ducibus parabatur forma autem eius neq; bellico currui, quo Heroicis temporibus Troiani & Thebani belli, homines vſi ſunt, vt barbari Britanni & Belgæ Couino. neq; curru Circenſi, quo Romæ ludis equeſtribus quadrigarij vtebantur & agitatores Olympiæ, ſed rotundæ turri aſsimilis erat, vt Zonaras ſcribit, cuius & verba adpoſui. *τὸ δὲ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ οὔτε πολεμιστηρίῳ ἦν ἐμφερές, ἀλλ' εἰς πύργου περιφεροῦς τρόπον ἐξείργαστο.* Illud eiuſdem odes etiam illuſtrandum eſt,

*Terra mariq; victus hoſtis Punico* *Lugubre mutauit ſagum.*

Nam apud Romanos qui exercitibus præerant, coccinis vtebantur ſagis militiæ, vt & Lacedæmonij omnes militantes ſagulis rubris *φοινικίδας* Græci vocant, partim, vt inquiunt Grãmatici Græci, quòd color ille inſignis viros præcipuè decere videatur, partim quòd ſanguineus ille color conſuefaciebat fuſum cruorem contemnere: nec deſunt qui ea veſte Lacedæmonios tradant vti ſolitos eſſe, ne hoſtis ſi quem ſauciaſſet, ſanguinem eius videret, colore ſanguinem manantem ſuffurante. Quin & militaris habebatur chlamys Phœnicis, vt apud Ariſtophanis interpretem ſcribitur, *φοινικὶς χλαμὺς πολεμική.* Sed quod de Romanorum ducum veſte diximus auctoritate confirmemus. Plutarch. in Bruto ita ſcribit, *τὸν δὲ Βρούτου ὁ Ἀντώνιος ἀνευρὼν τεθνηκότα, τὸ μὲν σῶμα τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων περιβαλεῖν ἐκέλευσεν. ὕστερον δὲ τὴν φοινικίδα κεκλεμμένην αἰσθόμενος, ἀπέκτεινε τὸν ὑφελόμενον.* Ideo enim imperatoris Bruti iacentis corpus induit ſago Punico, quod & honorificum & imperatorium putaret veſtimentum. Quod autem Horat. feciſſe fugientem victumque canit Antonium, Punico ſago lugubre mutaſſe, Plutarchus quoque victum fugientemque Pompeium ex acie Pharſalica ſcribit feciſſe, poſuiſſeque imperatoriam veſtem & imperij inſignia.

*Ex lib.10.cap.11.* Primo autem Maronis libro quod ſcribitur,

*—veniet luſtris labentibus ætas*

*Cùm domus Aſſaraci Phthiam, claraſq; Mycenas*

*Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.*

De

De Mummio victore Achaiæ Seruius interpretatur, prærogatiuamque Grammaticorum primæ claſsis meruit: ego tamẽ potius de Paulo Aemilio intellexerim, à quo victa Macedonia, Theſſalia patria Achillis, quæ Macedonum regno parebat, venit in ditionem Romanorum, & Græcia ſubactis Macedonibus ſub imperium Romanum ferè videtur conceſsiſſe, etſi ante à Flaminio libertate donata: atque hac quidem in ſententia videtur eſſe Propert. quod ad patriam Achillis attinet, cum ita ſcribat, *lib.4.eleg.12.*

*Et Perſen proaui ſimulantem pectus Achillis,*
*Quique tuas proauus fregit Achille domos.*

quo etiam loco confirmatur noſtra de illo Horatij loco ſententia,

*—cui ſuper Carthaginem*
*Virtus ſepulchrum condidit.*

Ibi canente Propertio, *Sub quorum titulis Africa tonſa iaces.*

*Ex lib 14.cap.10.* *—cui ſuper Carthaginem* *Virtus ſepulchrum condidit,* eſt, cuius ſepulchro euerſæ Carthaginis titulus ſubſcriptus eſt. Nam rerum geſtarum memoria ſepulchrorum elogiis inſcribebatur. Silius, *lib.1.Bell.Punici.*

*Hæc Decios Stygias Erebi detruſit ad vndas,*
*Dum cineri titulum, memorandaq́ nomina buſtis*
*Prætendit.*

Et Iuuenalis *Saty.6.* *titulo res digna ſepulchri.*

In 10. Odam. *Ex aduerſar.lib 3.cap.1.* At oram ſoluere, vt hoc interea interponam, quod variè exponi, & pro ſuo cuiq; captu declarari animaduerto, non aliud quicquam eſſe credo, quàm è littore nauigare, ipſumq́ue littus & oram liberare & ſoluere. Vt enim ab Horatio ſcriptum eſt, *Mala ſoluta nauis exit alite,* quòd antè in littore retinaculo eſſet religata. ſic cùm eodem retinaculo ora ipſa æquè ac nauis ligata ſit, eo ſublato cùm incipit nauigatio, ſolui meritò ora dicitur, vt & nauis. Vtraque enim antè vincta erat.

*Ex lib.4.cap 22.* Nigram hyemi pecudem immolari facit Maro, *3. Aen.* vt & Flaccus ei agnam, cùm eſſet Tempeſtas ritu Romano dea: ait enim Flaccus

*Libidinoſus immolabitur caper,* *Atque agna tempeſtatibus.*

Ariſtophanes *βατράχοις, id eſt Ranis.*

ἄρν᾽ ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε, τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Ita etiam ritu Græco Tempeſtati agna nigri velleris immolabatur.

*Ex lib.14.cap.4.* *—Et tempeſtatibus agnam,* hoc ſcribit Maro, *5. Aen.* quòd, vt ait Cice lib.3 de Natura deorum Tempeſtates pop. Rom. ritibus conſecratæ erant, Tempeſtatiq; vt deæ minori, minor hoſtia immolabatur, vt fœminæ fœmina Horat. *Libidinoſus immolabitur caper,* *Atque agna tempeſtatibus.*

In 11. Odam. *Ex aduerſar.lib.14.cap.20.* Cùm Horat. ſcribit,

*—ingrata ventis diuidat*
*Fomenta, vulnus nil malum leuantia,*

puto eum intelligere amoris curas & ſollicitudines anxias, & ſuſpiria & lachrymas & querelas & obſequia erga amicam, & cogitationes & moleſtias, quas animo fouebat, quas ſi virili quadam ira in præcordiis æſtuante dimiſerit, præſertim ingratas nec vulnus amoris ſedantes aut leuantes, cùm eis nihil proficiat nec amica potiatur, *Deſinet,* inquit, *imparibus certare ſummotus pudor,* me, inquit, paulo inuerecundius geram, nec ita pudenter ſummittam amicæ, ſed eam aſpernabor deſinamque ſectari imparem neque redamantem. Impares enim in amore appellantur, cùm mutuò nõ amatur, ſed alteri amanti alter vicem non reddit, neq; animum mutuũ: contrà, cùm mutuò inter ſe pariter amant, pares dicuntur. Horat. *Inf. Od.15.*

*Et quæret iratus parem.* Iterum, *lib.1.od.33.*

*Formas atque animos ſub iuga ahenea*
*Sæuo mittere cum ioco.*
*—Cui placet impares*

Atque hic locus planè & apertè oſtendit vnde pares & impares dicantur. Nam cùm ad aratrum iungi parium virium pariſq; magnitudinis iumenta, armentaq; debeant ſolum vertenti, euenit, vt cùm ſub iugum imparia mittuntur animalia, ſulcus rectus non ducatur, & ab altero iumento alterum opprimatur, aratioque inæqualis ſit.

In 12. Odam. *Ex aduerſ, lib.14.cap.20.* Non longè hinc *Quid tibi vis mulier nigris digniſsima Barris?* de anu deformiſsima dicitur & turpiſsima, fœdiſsimiſq; & nigerrimis digna amatoribus, quales erant Romæ Barri: *Siſennas,* inquit Horatius *lib 1.ſaty.7. Barros vt equis præcurreret albis:* & alio loco *lib.1.ſaty.4.* *Barrus inops magnum documentum.* Nam non perinde placet de elephanto, qui & Barrus latinè dicitur, intelligi: quod ſi placet, tot enim interpretum conſenſum vereri decet, cùm elephas animal ſit incõditum, incompoſitum, informis molis, turpiſsimum, & deformiſsimum ſpectaculum, dignam tali deformitate amatoris intelligemus. Ait Horatius *—nec naris obeſæ.* qui enim naſi ſunt acutioris, melius odorari, & ſagaciores intelligentioreſq; cenſebantur: vt alio apud Flaccum loco,

*— acutis*
*Naribus horum hominum rideri poſsit.*

Erat autem mulier fœtidiſsima & hircoſa: contrà, qui naris obeſæ, deterius olfacere, tardiores minuſq; intelligentes eſſe putabantur. Tradunt enim iſta mutuas operas, & inuicem lucem alterum alteri fœnerat. Non fuit magni negotii iſta ſic explicare: ſed tamẽ minus ingenioſis moleſtiam fortaſsis exhiberent. eorum autem potiſsimum rationem noſtris, vt ita dicam, comitiis habemus.

In 13 Odam. *Ex lib.9.cap.9.* Quod è nubibus fulminum manubias mittere Iuppiter crederetur, ſcripſit Mantuanus poëta, *Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca* *Fulmina molitum dextra.* Itaque quòd tum deſcendere, vt dixi exiſtimaretur ab illa antiqua, & vt ita dicam, caſca hominum natione, καταιβάτης à Græcis Iupiter ob tonitruum fulminum & pluuiarum tempeſtates vocabatur, id eſt, deſcenſor, quem Elicium Latini dicunt: quo fit, vt & ad eam opinionem cognominationemq́ue Poëtarum Latinorum illa reuocanda ſint, quæ à nobis ſurdis auribus non audiuntur, nominatimque citanda ſunt & ſuis adſcribenda auctoribus, ne quem poſt hac fallant, quæ ſubiiciam. Maro in Eclog.7.

*Iuppiter & læto deſcendet plurimus imbri.*

Ab eadem mente & illud manauit lib.2. Georgic.

*Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Coniugis in gremium lætæ deſcendit.*

Quod



Quod tamen ex Euripidis etiam verſibus imitatum & effictum eſt. Horat. quoq; in Epodis non alia de cauſa ſcripſit, *—& imbres* *Niueſq; deducunt Iouem.* Nam tum Iupiter de cœlo deducitur priſcorum ſuperſtitione & ſententia, cùm in imbres deſcendat. Salmoneus quoque ille impius tyrannus opinionis diuinæ & maieſtatis affectator, quadrigis equorum & curribus & lampadum quaſſatione iactuq; Iouis fulmen, & tonitru imitabatur: quæ fabula ſpondet teſtimonium eius opinionis antiquorum quam commemoraui.

*Ex lib.26.cap.36.* In Thracia regnaſſe Aquilo dicitur, & in Græciam è Thracia ventus ille mittitur: vnde hoc loco *Threicio Aquilone ſonant.* Vates autem Græciæ qui è Thracia Aquilonem ferri ſcripſerunt in Græciam, & Threicium Aquilonem appellarunt, imitatores æmulatoreſque Latinos habuerunt: etſi in Latium aliunde Aquilo venit.

*Ex eod.lib. 26.cap. 31.* Eſt & illud Horatianum Græcum *—dumq; virent genua,* quod eſt, dum iuuenes ſumus, neq; dum ſenectute areſcimus. Theocritus *Idyll.14.* ποιεῖν τι δεῖ ἕως γόνυ χλωρόν.

In Od.15. *Ex lib.1.cap.15.* *Lenta* apud Petronium *traxit manu.* eſt traxit manu tenaci & hærente, vt apud Flaccum, *Lentis adhærens brachiis,* quod eſt ſequacibus, inhærentibus, & apud Flaccum alio loco, *lib.1.ſat.9.* *Et preſſare manu lentiſsima brachia,* valet pigra, tarda, ſurda, ſegnia, nihil commota meo preſſu, vt ab Ouidio ſcriptum eſt, *Epiſt.1.Penelop. Vlyſſ.* *Aut vbi lentus abes.* Veteres tamen interpretes pro lentiſsime, quod erit tenaciſsime & preſsiſsime audiunt, nomine aduerbii vicario.

*Ex 14. lib. cap. 20.* *Et quæret iratus parem.* Vide ſuprà Od.11. hoc libro.

*Ex lib.12.cap.14.* *Sis pecore & multa diues tellure licebit.* Vide Od.1.ſup. hoc lib.

In Od.16. *Ex lib. 14. cap. 21.* Pertæſus bella ciuilia Horat. idem Romanis faciendum eſſe putat, quod à Phocæis factum Herodotus *lib.1.* retulit, vt ſolum patrium infelix & nefaſtum perpetuo mutent exilio, omni ſpe reuerſionis impoſterum ſublata & execratione dira penitus adempta. Deligi autem exilio cenſet oportere inſulas fortunatas, quas in Oceano eſſe commemorauit antiquitas & aperuit ætas noſtra, ſuo tamen nomini non reſpondere reperit, ſed remotiſsima & diſtantiſsima ſupra fidem efferre ſemper ſolemus, dum vel nobis noſtra non ſatis placent, vel operæ pretium feciſſe volumus videri, qui longam profectionem ſuſceperimus, ne ſi conſueta loquamur, de nihilo fruſtraque peruagati & peregrinati fuiſſe videamur. Conſilium autem migrandi in eas inſulas cœpit Horatius ni fallor, è Sertorij conſultatione. Nam cùm Sertorius de mercatoribus qui in Oceano nuper nauigarant, de illis audiſſet inſulis, pacem quietemq; deſiderans conſilium cepit in eas migrandi, ſecedendiq; procul ab omni tumultu & bello & dominatione tyrannidis. Plutarchus, ταῦθ᾽ ὁ Σερτώριος ἀκούσας ἔρωτα θαυμαστὸν ἔσχεν οἰκῆσαι τὰς νήσους, καὶ ζῆν ἐν ἡσυχίᾳ τυραννίδος ἀπαλλαγεὶς, καὶ πολέμων ἀπάντων. Flaccus, *Petamus arua, diuites & inſulas.* addit Flaccus eadem Oda,

*Quæq; carent ventis & ſolibus, oſſa Quirini*
*Nefas videre, diſsipabit inſolens.*

Etſi opinio erat Romulum in cœlum fuiſſe raptum: tamen illis aſſentitur, qui ſepultum Romæ poſt roſtra dicebant, aut in ſuo templo: ſepulchra autem violari cinereſq; eorum diſsipari ſceleratiſsimum omnium putabant. Maro. *Aen 4.*

*Nec patris Anchiſæ cineres maneſq; reuelli*

Subiicit,

*Sed iuremus in hæc: ſimul imis ſaxa renarint*
*Vadis leuata, ne redire ſit nefas.*

Sanctiſsimum olim in Græcia iuſiurandum erat, & execratione grauiſsima deuotioneq; confirmatum, cùm ſe deuouebant ſuaq; capita execrabantur, ſi ſacramentum, quod conciperent, violarent, contraque facerent, priuſquam ſaxa, quæ in aquam iaciebant, ſponte leuata ſupernatarent. Herodotus libro primo ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ ἑαυτὸν τοῦ στόλου. πρὸς δὲ ταύτῃσι καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν, καὶ ὤμοσαν μὴ πρὶν ἐς Φωκαίην ἥξειν, πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφανῆναι. Idem & apud Sophocl. fit in Antigone, ἦμεν δ᾽ ἑτοῖμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν. Eiuſque interpres ait, maſſam ferri ſumebant iurabantque firma fore pacta conuenta, dum ea maſſa appareret, quam in profundum abiiciebant, vt æterna religione iuriſiurandi pacta deuincta eſſent. Callimachus, Φωκαέων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος. Sed cùm μύδρον maſſam ferri interpretentur, Horatius vel ſaxum intellexit, vel pro ferro ſaxum ſummutauit.

*Ex lib.6.cap.20.* Solent poetæ humori fluenti pedem tribuere: id ex eo credo, quod etiam currere aqua dicatur, quod ſine pedum officio fieri non poſſe videtur: ac certè ius ſuum poetæ tenent, vt tranſlationibus vtantur audacius. Itaque ſcripſit Horatius, *Leuis crepante lympha deſilit pede.* Et Lucretius, *lib.5.* *Quæ via ſecta ſemel liquido pede detulit vndas,* Et Virgilius, *Aetna.* *Ipſe ſuo flueret Bacchus pede,* id eſt, aurei ſeculi tempore, vinum ſua ſponte fluebat, viniq́ue flumina erant, non vt nunc, coactum & expreſſum calcantium pedibus manat.

In Od.17. *Ex lib.30. cap. 39.* Opinio priſcis erat cantionibus veneficarum angues ſic inflari, vt tandem rumperentur, & diſsilirent. Ouidius,

*Vipereas rumpo & verbis & carmine fauces.*

Idem de hominibus Horatius dixit,

*Caputq; Marſa diſsilire nænia.*

*Ex eod.lib.30.cap.27.* Non tantum ſtipendium eſt, quod victis imponitur tributum: ſed & æs militare: quin & ſtipendium militia & ærumna ac labor Iuſtinus, *Herculi rex cui 12 ſtipendia debebat.* Hîc duodecim Herculis labores, ſtipendia 12. ſine controuerſia vocantur, vnde pœna & labor dicitur. Horatius, *lib.2.*

*Quæ finis? aut quod me manet ſtipendium?*
*Effare: iuſſas cum fide pœnas luam.*

Sunt & ſtipendia, anni militiæ: vnde 10 ſtipendia habere, aut 12. legimus: quod eſt, 10. vel 12. annis militaſſe.

*Ex lib.24.cap.27.* Papinius. *lib.6.Theb.*

*Roſcida iam nouies cœlo demiſerat aſtra*
*Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes*
*Mutato nocturnus equo.*

quo loco ſignificantur nouendialia ſacra, quibus ſepulchro reliquiæ ſolebant condi, dabantq; operam vt moles ſepulchri tum perfecta eſſet: ſubiicit enim, *ibid.Papin.*

*Mirum*

*Mirum opus accelerante manu ſtat ſaxea moles* *Templum ingens cineri.*

Illo quoque die claris viris, aut pueris dabantur ludi funebres, vt apud Maronem & Papinium: Maro quidem ita ſcribit. *AEn.5.*

*Præterea ſi nona diem mortalibus almum* *Prima citæ Teucris ponam certamina claßis.*
*Aurora extulerit, radiiſq; retexerit orbem:* Ea de cauſa, *Nouendiales diſsipare pulueres,* dixit amarè Horatius, quod quo die religioſe ſolebant coli mortui ſacris & ludis, venefica impiè & ſceleratè eorum cineres ſolita eſſet diſsipare, & eorum buſta violare, qui iuſtis perfectis conſecrati videbantur. Nouendialia eodem modo Græci ἔννατα vocare ſolent.

*Ex lib.30.cap.2.* Scribit in Epodis Flaccus, *Tuuſq; venter partum eius, & tuo*
*Cruore rubros obſtetrix pannos lauit,* *Vtcumque fortis exilis puerpera,*

Hi verſus ſpectatiſsimos & clariſsimos in omni liberali eruditione viros miſeros & exercitos habuerunt, nec tamen impedimenta omnia horum verſuum expedierunt. Nihil illos moror, qui omnia adulterant & *Pactumeius* vt proprium nomen ſit, improba ſuperſtitione ſubiiciunt. Exiſtimo autem Flaccum ſolito ſuo vti naſo, aliudque ſentire quàm loquatur. Obiicit enim veneficæ ſuppoſitionem puerorum figurata ſimulatione. Falſo, inquit, ſuppoſitrix haberis, nam paris, & pannos tuos cruentatos puerperio lauat obſtetrix: veruntamen, quia eam non dicit partum eniti, ſed meiere, probroſeque ventrem partumeium appellat, quaſi tam facilè pariat, vt ſine nixu vllo meiere videatur potius, quàm parturire. Vehementior ſubeſt ſuppoſitionis ſuſpitio, quàm ſi illud crimen & apertè & rectè impegiſſet. Sed & eam exauget ſuſpitionem, quòd cùm eam dicat nullo modo debilitatam partu, meiere: quod primo aſpectu miraculi cuiuſdam & laudis eſſe videatur, acerrimè ſanna perſtringitur obliqua, perinde quaſi non pepererit, quæ laborem & debilitatem nullam partus ſentiat. Itaque *vtcunq;* tria eſſe exiſtimo vocabula hoc ſenſu: & vt cum es fortis puerpera, è lecto exilis: & puerpera æquè valens ac firma es, ac cum fortis ac ſana.

*Ex lib.8.cap.10.* *Equitabit*, inquit, Cicer. *6. in Verr. in his equuleis*, quod eſt, ſe oſtentabit, ſe iactabit: qua in ſignificatione verbo equitandi niſi me memoria fallit, vtitur Arnobius. & Horatius, pro inſultabo dixit,

*Vectabor humeris, tunc ego inimicis eques.*

*Ex lib.26.cap.7.* Deſiderij poculum eſt poculum amatorium. vt *Deſideriq; temperare poculum.* dixit Horatius. *In Carmen ſeculare.*

*Ex lib.20.cap.31.* Mirantur eruditi quod in Comœdia palliata inuocetur à puerpera Iuno Lucina, vt in Adelphis, *Ac.3.ſc.4. Iuno Lucina fer opem.* Sed iniuria mirantur, & multo iniquius Terentium reprehendunt. Vtitur enim ſermone Latino, ſed qui Græcam deam Ilithyam exprimat. Ea enim non eſt alia, quàm Iuno Lucina. Itaque ab Horat. ſcribitur,

*Lenis Ilithya tuere matres*, ex conſuetudine Romana: & ex eadem à Catullo, *Epigram.32.*

*Tu Lucina dolentibus, Iuno dicta puerperis*, Iuno autem Lucina, Diana eſt.

# IN LIB. Q. HORATII DE ARTE POETICA,
## ADR. TVRNEB. ANNOT. &c.

EX *lib.22.cap.7.* *— atrum Deſinat in piſcem &c.* vide ſ. lib.4. Oda.11.

*Ex lib.19 cap.9.* Cum igitur in eo ſcribitur,

*— vt turpiter atrum* *Deſinat in piſcem,*

Ater, turpis & fœdus eſt. Ater etiam non inſolita Flacco vſurpatione, eſt malus & triſtis, vt *lib.4.Od.11.* *— minuentur atræ* *Carmine curæ.* & *Hoc lib. de arte.*

*— eripere atris* *Litibus implicitum.*

*Serpentes*, autem, *auibus geminentur*, eſt biforme quoddam animal ex aue & ſerpente componatur incredibili & inaudito & ſtupendo monſtri genere.

*Ex lib.5.cap.4.* Ait Maro, *3. Georgic.* *— aut ſicubi nigrum.*

*Ilicibus crebris ſacra nemus accubat vmbra.*

Accubare nemus ſacra dixit vmbra, cùm vmbra potius ſacra accubet in nemore, ac ſub arboribus iaceat, vt & antè locutus eſt, *3. Georg.*

*Speluncæq; tegant, & ſaxea procubet vmbra*

Ex his quæ hic Seruius dicit, apud Horat. cum ſcribitur, *— cum lucus & ara Dianæ*, ita debere intelligi videtur, non tantùm quòd Ariciæ nemus & ara Dianæ eſſet: ſed quòd omnis lucus Dianæ ſacer ſit, etiamſi aliis nuncupatus ſit diis. Seruius, *in 3. Georg. nam, vt dicimus, & omnis quercus Ioui eſt conſecrata, & omnis lucus Dianæ.*

*Ex lib.20.cap.8.* Lucum Martis, qui & in Ponto erat & Albæ pro quocunque luco dixit Iuuenalis, *Satyr.2.* ad ambitioſas poëtarum deſcriptiones alludens, vt & Horat.

*— dum Lucus & ara Dianæ,* & Perſius. *Saty.1.*

*— nec ponere lucum Artifices.*

*Ex lib.19.cap 9.* *Aut flumen Rhenum*, ſcribitur etiam, *Aut flumen Rheni*, ſed illud alterum omnium ſuffragiis probatum & receptum eſt.

*Ex lib.9 cap.13.* *— fortaſſe cupreſſum* *Scis ſimulare.*

In aliam ſententiam ab Horat. dictum interpretor, & fortaſſe fallor, quàm interpretes: cùm putem ab eo ſignificari malum & rudem pictorem, qui tabulam depingere non poſsit, ſed tantùm parerga, quæ rudimenta erant artem pingendi diſcentibus, & ornamenta tabularum, delineare. Eis perſimiles ſunt, qui magnum carmen condere inſtituunt, cùm tamen deſcriptiones tantum amœnas fluuiorum & nemorum, poëtices initia & progymnaſmata explicare poſsint, quas idcirco non ſuo loco adhibent, & poëma fucant & adulterant intempeſtiuis ornamentis. Tale eſt illud Perſianum, *ſaty.1.*





*Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus*
*Nugari ſolitos græcè, nec ponere lucum*
*Artifices, nec rus ſaturum laudare.*

*Ex lib.19.cap.9.* Ait Flaccus. *— amphora cœpit* *Inſtitui currente rotâ, cur vrceus exit?* magnificè eximieq; poëma es exorſus, quod & ambitioſis deſcriptionibus excolere & exornare tentaſti: ſed neſcio quomodo impar oneri ſuccubuiſti, & magnum opus aggreſſus, in opuſculum deſiiſti, amphoramque amplam fingere auſpicatus nobis paruum vrceolum effinxiſti.

*Ex lib.22.cap.1.* *Virg.6.Aen.* *Excudent alii ſpirantia mollius æra.* dictum arbitror, quod cùm rigor ſit in materia æris, tamen tanta arte ſimulachra ſtatuæque à Græcis ducentur, vt depoſita metalli duritie & rigore in mollitudinem viui animantis æs conceſſurum ſit. Horatius *— & molles imitabitur ære capillos.* Calliſtratus ἔδεις ἂν ὅτι καὶ στερεὸς ὢν εἰς τὴν τοῦ θήλεος εἰκασίαν ἐμαλάσσετο. Horat. *lib.2. ſaty.3.*

*Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius eſſet.*

*Ex lib.9.cap.31.* *— quia ponere totum* *Neſciet*, more Græco dixit, pro facere. Nam in eo ſenſu ſæpenumerò τιθέναι ab Homero *lib.4 Od.8* vſurpatur. Sic alio loco Flaccus,

*Solers nunc hominem ponere nunc deum. i. facere.*

*—promiſſi*, autem, *carminis auctor*, poëta eſt, qui initio ſui carminis profitetur promittitque ſe poëma ſcripturum, vt Maro, *1. Aen.* *Arma virumq; cano:* & infra apud Flaccum,

*Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.* Sequitur enim continuò,

*Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?*

*Ex lib 22.cap.12.* *Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor*, Intelligitur à Seruio lib. 4. Aeneid. vt quædam ipſe improbet & notet auctor: vt *3. Aen.*

*Auri ſacra fames*, hîc auaritia ſuggillata eſt. *Et 4. Aen.*

*Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?* exclamatio eſt in amorem, Sic Horatium Seruius interpretatur.

*Ex lib.19.cap.9.* Reperio autem ſcriptum *— abdita rerum &*

*Fingere cinctutis non exaudita Cethegis* *Continget, dabiturq; licentia ſumpta licenter.*

Cinctutos verò dicit, quòd Cethegi antiqui tunicas non gerebant, ſed pro tunica cinctum vel campeſtre ab vmbilico ad pedes, reliquo corpore exerto & nudo, niſi toga in vrbe tegeretur. Hinc Lucanus ſcripſit. *lib.2.* *— exertiq; manus veſana Cethegi.*

*Ex lib.19.cap.16.* *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis*, cùm Flaccus ſcribit, & nos antè, vt opinor, non malè explicauimus, Porphyrio cinctutos dicit eſſe vocatos à cinctu, qui tunicæ aptatus eſſet infra pectus: ſed eo cinctu videntur, vt ſubligaculo, pudenda etiam tecta fuiſſe. Certè Luperci, qui nudi Lupercalibus per vrbem currebant, ſubligaculis ſubcincti quòd eſſent, vt reor cinctuti ab Ouidio dicti ſunt, *Faſtor.5.*

*Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis.*

Plutarchus, *in Romulo* λούπερκοι δὲ εἰσιν οἱ τοῖς λουπερκαλίοις γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι. hoc autem ſacrum ſolenne inſtitutum fuiſſe Pani refert Plinius: *lib.34.cap 5.* ſed qui Pan à Græcis is Faunus à Latinis dicitur.

*Ex lib 9.cap.31.* Cinctutos autem Cethegos, veteres intelligo. Nam veteres cinctu vti loco tunicæ ſolebant, qui ætate Horatij exoleuerat, eratque veſtis infra pectus corpus comprehendens ſimilis ſubligaculo: Græcè ζῶμα & ζῶσμα dicitur, quo nomine Græcè etiam tunica intelligitur. Vt autem cinctus erat virorum; ſic cincticulus puerorum. Plautus Bacch. *ſc, Nunc experiar.*

*Cincticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres.*

Cethegos autem ait, propter Cethegum oratorem antiquum, quem Ennius Suadæ medullam eximia laudis abundantia appellauit. At verò.

*Signatum præſente nota producere nomen.*

vocabulum eſt innouare, ea tanquam forma monetæ percuſſum, quæ in vſu eſt: vt cùm armatura diceretur ab armo, vectura à veho. Terentius *Eunuch. act.2. ſc.3.* curaturam eadem forma dixit à curo: Plautus *Bacchidib. ſc. Quid ſi hoc potius eſt.* curſuram à curro atque hoc eſt, ſignare & cudere velut nummum vſitata & recepta forma.

*Archilochum*, autem, *proprio rabies armauit Iambo*, hunc ſenſum complectitur, Archilochum ad maledicta & conuitia vſum eſſe ſuo Iambo, id eſt, verſu iambico Archilochio. Nam ſunt iambici Hipponactei & Alcaici. Iambum itaque pro verſu poſuit, vt mox,

*Hunc ſocci cepêre pedem*, id eſt, verſum. Eſt & Iambus ecloga aut Idyllium, aut carmen, aut poëmatium ex iambis. Cicero, *lib 16. epiſt. ad Attic. epiſt. Nonis accepi à te duas: mihi vt Ariſtophani Archilochi Iambus, ſic epiſtola longiſſima quæque optima videtur.* Iambicum autem Archilochium aſciuit comœdia & tragœdia, quod aptus ſit diuerbiis & colloquiis perſonarum.

*Ex lib.5.cap.3.* Alternum pedem facere apud poetam Papinium, eſſe videtur claudicare: nàm ſic *lib. 1. Siluarum in epithalamio ſtell. & violant:* de elegia, cuius alter verſus longior, alter breuior, dixit

*Quas inter vultu petulans elegia propinquat* *Celſior aſſueto, diuaſq; hortatur & ambit,*
*Alternum factura pedem.* Sic Aeneam ex vulnere claudicantem,
*Alternos longa nitentem cuſpide greſſus,*

dicit Maro, *Aeneid* 12. vt antè nos annotaſſe recordamur. Veriſimilius tamen ſit, alterum hic pedem ob elegiacos verſus dici, qui alterni breuiores & longiores ſunt & claudicant, vt à Cic *1. Tuſcul.* dicitur epigramma alternis verſibus longiuſculis. Nam pes interim verſus eſt, vt apud Flaccum,

*Hunc ſocci cepêre pedem.* id eſt, verſum iambicum.

*Ex lib.19.cap 9.* Cùm autem ait Iambum *Alternis aptum ſermonibus*, eum ſignificat verſum aptum eſſe fabularum dialogis & diuerbiis: cùm populares eum dicit vincere ſtrepitus, indicat verſum iambicum in cõſeſſu theatri tanta hominum multitudine ſtrepentis ſibi audientiam facere, & à populo tacente ſtrepitumq; & tumultum comprimente, libenter æquoque animo audiri.

*Ex lib.1.cap.4.* *Muſa dedit fidibus diuos, puerosq́; deorum,*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primo,*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre* Vide ſuprà quæ annotantur, in Odam 2.lib.4.

*Ex lib.30.cap.7.* *Mire,* inquit Perſius, *opifex, numeris veterum primordia vocum,*
*Atq́; marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,*
*Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honeſto* *Egregio luſiſſe ſenes?*

his ego verbis ſignificari puto Baſſum poetam eſſe Lyricum. Lyrici autem primo diuos & virtutem victorum ſacris certaminibus carmine extollebant, atque ea ſunt primordia veterum vocum. Poſtea Melici etiam de iuuenum amoribus, & ſenum luxu, iociſq; carmina pangere cœperunt: qua argumentorum materia ſuum poëma Baſſus diſtinxerat: iocos autem iuuenes, iocos iuueniles intelligo: & iocos ſenes, ſeniles. quanquam interpretes aliud ſentiunt. Ad hunc locum Horatianum illud pertinet.

*Muſa dedit fidibus diuos puerosque deorum,*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primum,*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre.*

*Ex lib.7.cap.19.* Seſquipedalia verba apud Flaccum, non tam intelligo longa & extenſa, quàm turgida & inflata ac prætumida. Nam ab Architectis eſſe translationem ſumptam puto, apud quos ſunt tigna ſeſquipedalia, materies craſsior: ita loquitur non rarò Vitruuius. Inde igitur Horatium explicandum arbitror, cùm ait,

*Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.*

ampullarumque figura, quæ tumidæ ſunt, huic congruit interpretationi: quanquam ſi de longis quis accipiat, qualia ſunt dithyrambica, non repugnabo, præſertim cùm dicat Martialis, *lib.7.epigram.13.* etſi hoc obſcœnius eſt, *Mentula cui nondum ſeſquipedalis erat.*

*Ex lib.9.cap.3.* Verba ſunt M.Tullij in epiſt ad Attic *lib.1.epiſt.10. Totum hunc locum, quem ego variè in meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere, de flamina, de ferro (noſti illas ληκύθους) valde grauiter pertexuit.* Ea Plinius accipit de oratione amœna & pigmentis orationis perpolita ſic enim in epiſtol. *lib.1.epiſt.2.epiſt.* ſcribit, *Non tamen omnino Marci noſtri ληκύθους fugimus, quoties paulum itinere decedere non intempeſtiuis amœnitatibus admonebamur.*

Horatius de oratione tumida & magnifica interpretatur: eadem enim qua Cicero translatione dixit,

*Proiicit ampullas & ſeſquipedalia verba:* quod eſt orationis amplitudinem & ſuperbiam omittit. Et alio loco, *lib.1 epiſt.3.* *An tragica deſæuit & ampullatur in arte?*

Sed orationis elegantia & amœnitas cum magnificentia & grauitate plerunq; coniungi ſolet. Hoc certè conſtat à tumore ampullarum, quæ λήκυθοι Græcè dicuntur, genus hoc translationis profectum eſſe. Hinc & Strabonis illud multis obſcurum exiſtimatum arbitror explicandum, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν.

*Ex lib.22.cap.11.* Senes vocantur maturi, vt, *Maturúſq; ſenex,* apud Flaccum: & *—cui maturus Aceſtes,* apud Maronem.*5.Aen.* Nam & Græcos πεπείραν pro anu dixiſſe annotat Heſychius: & anus apud Ariſtophan. ait, οὐ γὰρ ἐν νέοις τὸ σοφὸν ἔνεστιν, ἀλλ᾽ ἐν πεπείροις. Ouidius, *ad Liuiam de morte filij.*

*Quid numeras annos? vixi maturior annis.* id eſt ſenior: ſequitur enim mox,
*Acta ſenem faciunt, hæc numeranda tibi.*

*Ex lib.19.cap.9.* *—cultorne virentis agelli,* id eſt, olitor, quod hominum genus veteribus omnium erat & humilimum & viliſsimum, *Gellius lib.2.cap.6.* vt prouerbium oſtendit, *Sæpe etiam eſt olitor.*

Locus ſequitur ſanè obſcurus, *Publica materies priuati iuris erit, ſi*
*Nec circa vilem, patulumq́; moraberis orbem.*

Publicam materiam vocat argumentum aliis poetis adhuc intactum: quod priuati iuris erit, ſi quis ita tractet vt poſtea nemo vel idem ſcribere auſit, vel melius poſsit: quod quidem conſequetur, ſi ſententias perſequatur non de medio, nec è triuio ſumptas. Solent.n. Græci, quorum ſedulus eſt plerunque imitator Horatius, appellare ἐγκύκλια, id eſt, circularia, quæ vulgaria ſunt & obuia, quæque omnibus patent. Deſiderat autem in bono ſcriptore ingenioſas & argutas & non vulgares ſententias.

*Vnde pedem proferre pudor,* valet, non in anguſtum ita te locum coniicies, vt inde vltra progredi nō poſsis, aut ſi coneris contra artem eiuſque leges facias. Legi etiam in antiquo libro *referre.*

*—vt ſcriptor Cyclicus olim.* Hic quæri ſolet qui ſit Cyclicus: & multis proprium nomen videtur: ego cenſerem Epicum poetam rapſodum ſignificari. Nàm Rapſodi verſus heroicos ſcenæ & theatro dabant, qui fortaſſe vt verſus dithyrambicorum, à choro κυκλίῳ vocato cantabantur, ex quo & Cyclii vocabantur, ab Horatio Cyclici. Fidem huius rei epigramma Græcum facit, in quo ſcribitur.

Τοὺς κυκλίους τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας
Μισῶ, λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.
Καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐλέγοις προσέχω πλέον· οὐδὲν ἔχω γάρ.
Παρθενίου κλέπτειν ἢ πάλι Καλλιμάχου.

*Ex lib 28.cap.24.* *—Sed quid magis Heracleas?* ſcribit Iuuenalis *Satyr 1.* Panyaſis, cui ſecundum in poetis locū Critici tribuunt, Heracleam ſcripſerat 14. libris. Sed & Arrianus, Heracleam quoque ſcripſerat vt refert Athenæus. Quin & Phædimus, etiam Piſander. Videri poteſt Horat. ſcriptorem Diomedeæ, quicunque ille fuit, perſtrinxiſſe, cùm ſcripſit, *Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri.*

*Ex lib 9.cap.29.* Quis ille obſecro apud Flaccum cantor eſt, qui dicit *Plaudite?* ſic enim ſcribitur,

*—donec cantor, vos plaudite, dicat.* quid? erat illud cantico aliquo dicendum? & non videtur ſanè debuiſſe dimitti populus vnius vocis modulatione. Denique *dicat* dicit, non cantet, cui æquè liber erat in verſum aditus: ſed nugamur & ſtulti ſumus, qui ſic argutamur & ratiocinamur. Quin vno expedimus verbo potius cantorem hic hiſtrionem eſſe, vel actorem fabulæ: neque noſtra interpretatio iſta erit vt nobis præſtandum ſit eius vitium, ſed antiqui poetæ Prudentij, qui in eam ſententiā accepiſſe videtur, cùm ſcribit,

*Vt tragicus cantor ligno tegit ora cauato,* *Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.*

*Ex lib.19.cap.9.* Illud eiuſdem libelli illuſtratione indiget,

*Auctoris partes chorus, officiumq́; virile* *Defendat:*





qua de re ſenſus eſt meus, Chorum nonnunquam ſolere poëtam defendere, eiuſq́; officiū laudare, quod in parabaſi plerunq; fiebat, vt ex Ariſtophane notum eſt. Itaq; officium virile dici reor, quomodo dicimus, pro mea virili. De officio, inquit, poetæ diſſeret chorus, commemorabitq́; poetam officio pro ſua parte non defuiſſe, elegantemque fabulam, & lepidam dediſſe. Explicatur non ineleganter in antiquo lexico virile, ἴσον, καὶ κατὰ ἀναλογίαν. Sed & quod ſubiicit,

*—neu quid medios intercinat actus* *Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè:*

Intelligo de choro in diuerbiis cum hiſtrionibus loquente in ipſis actibus: extra actus enim plerunq; locos communes chorus canebat à propoſito remotos, quos etiā hoc loco mox attingit Horatius, ne longior ſim, pro, *—& concilietur amice,* reperi, *& conſilietur amicè.* atq; illud conſilietur etiam à collega meo doctiſsimo & diſertiſsimo viro Lambino agnoſcitur. *— & apertis otia portis,* ait quod belli tempore vrbium portæ clauduntur, pacis aperiuntur, Ex eo in antiquo Lexico Panda, θεὰ εἰρήνης, exponitur.

*Poſtquam cœpit agros extendere victor, & vrbem* *Latior amplecti murus.*

Hîc fortaſſe Horatius dixerit, nemini ius fuiſſe proferendi pomœrij, qui non agri aliquid imperio Romano adieciſſet. Vopiſcus in Aureliano, *Pomœrio autem nemini principum licet addere, niſi ei, qui agri Barbarici aliqua parte Romanam Rempub. locupletauerit.* *—vinoque diurno* *Placari genius,*

dicit, vt exiſtimo, poſtquam licuit & impunè fuit feſtis diebus de die lautè epulari atq; conuiuari, genioque indulgere, quod antè inhoneſtum & probroſum habebatur, opuſq́; cenſorium exiſtimabatur.

*Indoctus quid enim ſaperet, liberq́; laborum* *Ruſticus vrbano confuſus, turpis honeſto?*

quam in ſententiam dicatur, non ſatis conſtat. Ego putem dici ab vrbanis hominibus & honeſtis ſcenicam & hiſtrionicam artem eius varietati & licentiæ ſtudentibus & fauentibus, amplificatam eſſe, id diſſimulante, quamuis ægrè ferret, plebe ruſtica. nec enim muſsitare inter vrbanos eſſet auſa, nec ſapere viſa eſſet, ſi voluptatem illam & laſciuiam luxumq́; reprehendiſſet. Numeri autem ſunt verſus, modi, cantus.

*Ex lib.9.cap.6.* In illo Horatij loco, *lib.2.ſaty.3.* *—nihilo vt ſapientior ille* *Qui te deridet, caudam trahat,*

Ego caudam trahere eſſe puto magnificè ſuperbeq; incedere, vt qui talari toga pallave ornati longo ſyrmate verrunt terram. Horatius, *—traxitq́; vagus per pulpita veſtem,* id eſt, magnificè inceſsit ſaltans. Nam ad ſyrma alluſum eſſe puto, quod à tractu nomen eſt adeptum: aut, quod non æquè placet, tractum erit ab auibus, vt gallis gallinaceis & pauonibus, qui ſua inſoleſcere videntur cauda, vnde *lib.2 ſaty.2.*

*—& picta pandat ſpectacula cauda,* ſcripſit alio loco Horat. Trahit igitur caudam, qui ſibi placet, ſeque ſapientem, & vt Varronis verbo vtar, Saperdam putat. Sic & Perſius dixit *Saty.4.*

*Ante diem blando caudam iactare popello.*

*Ex lib.18.cap.35.* *Veſtitur,* inquit Solinus *ſyrmate.* Hic ſyrma veſtis eſt fluxa & prolixa humumque verrens, qualis erat tibicinum & fidicinum, vt apud Flaccum. *— traxitq́; vagus per pulpita veſtem.* Eandem & Orpheo tribuit Maro, *Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos.*

Eam etiam veſtem Tibullus ſignificaſſe videtur cùm cecinit, *Iam videbatur talis illudere palla.*

*Ex lib.20.cap.27. Plaut. Menæchmis ſc. Anime mi. M. Suſtine hoc Penicule, exuuias facere, quas voui, volo. P. Cedo. M. Sed obſecro hercle, ſalta ſic cum palla poſtea.* Hic exuuias facere eſt ſpoliare ſe, & ſpolia à ſe in alterum trāsferre, quod Menæchmus facit, qui exuuias vxoris & ſuas induuias facit & tradit Peniculo. cumque qui ſaltabant olim in ſcena, & cantabant, aut citharam pulſabant, palla ornati eſſent, idcirco à paraſito petit, vt cum palla ſaltet. Horatius, *Poſthæc perſonæ, pallæq́; repertor honeſtæ* *Aeſchylus.* Iterum.

*—traxitq́; vagus per pulpita veſtem.* Et Cornificius ad Herennium, *Vti citharœdum, cùm prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta.*

*Ex lib.19.cap.9.* Non tam intellectu facile eſt, quàm prima ſtatim ſpecie videtur, quam ſententiam complectantur illi duo Horatij verſus, qui omnibus ferè in ore ſunt.

*Vtiliumq́; ſagax rerum & diuina futuri* *Sortilegis haud diſcrepuit ſententia Delphis.*

Hic tempus non teram commemorandis aliorum interpretationibus, ne verboſus eſſe videar & infructuoſus: potius quid ſentiam explicabo. Hoc mihi dicere videtur Horatius, eo vſq; progreſſam eſſe Chori licentiam, vt obſcura ambage, & inuolucris ſententiarum, quæ quidem de vitæ prouiſione præcepta cōtinere ſolent, poetæ vaticinari, & nihil ab oraculis delphicis penè differre viderentur. Atque hoc præceptum ad ſententias & res pertinet, vt ſuperior verſus ad audaciam inſolentem verborum chori.

*Et tulit inſolitum eloquium facundia præceps.*

*Ex lib.5.cap.23.* Sortilegos contemnit Qnintus lib.1.de Diuinat. qui ſolebant in triuiis ſortib. ductis non tam futura prædicere, quàm ad quæſtum ſuum mentiri. Sortes autem illæ verſabantur & educebantur manu pueri. Tibullus, *lib.1.eleg.3.*

*Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit, illi* *Rettulit è triuiis omnia certa puer.*

Sed & Sortilegus dicebatur æquè Apollo, quod ſortibus æquatis oracula interdum vaticinaretur, etſi etiam furore afflata Pythia: certè etiam ſortes oracula dicuntur, & ſimia in Dodoneo templo, vt Cic. *lib.1. de Diuinat.* ſcribit, ſortes diſsipauit. Sortes oracula eſſe, ex eo apparet quod *Sortilegis,* inquit Flaccus, *haud diſcrepuit ſententia Delphis.*

*Ex lib.19.cap.9.* Eodem in libello, quoniam ſtudemus quantum poſſumus, benè mereri de iuuentute: ne illud quidem ſatis intelligitur, *Aut dum vitat humum, nubes & inania captat,*

quod in hanc ſententiam accipio: poetæ quidam præſertim Dithyrambici, verborum tumorem & amplitudinem conſectabantur, iidemq́: plerunq: de cœlo, nubibus, aere, maiore cùm verborū magnificentia, quam ſententiæ pondere, ſcribebant: itaq; in eos illudens Ariſtophanes ſcribit, ταῦτ᾽ ἄρα ἰκτίνων ὑγρᾶν ... ὀρνίθων ... Rurſus eodem loco ἀερίας διερὰς γαμψώνυχας οἰωνούς.

*Ex lib.23.cap.3.* *Aut* inquit Maro, *4.Aen. ante ora deum pingues ſpatiatur ad aras.* dicit more Romano, quo matronæ ante aras faculas tenentes geſtu graui, ſaltationemq; ſeueram & verecundam imitante mouebantur & ferebantur: quod Horat. intellexiſſe puto cùm in Arte ſcribit.

*Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus.* atque hoc potiſsimum adſcripſi, quo Horatii ſenſus enuclearetur, non omnibus perinde clarus atque illuſtris.

*Ex lib.19.cap.9.* *Siluis deducti caueant, me iudice, Fauni; Ne velut innati triuiis, ac penè forenſes, Aut nimium teneris iuuenentur verſibus vnquam, Aut immunda crepent ignominioſaq́ue verba.*

Perſonæ Satyræ Græcæ, quæ Tragœdiis interponebatur ad diſcutiendam earum mœſtitiam numina erant ſilueſtria, Fauni, Siluani, Sileni, quibus eum etiam aliæ intexebantur colloquentes perſonæ. Sed & Satyricæ ſcenæ ornabantur in theatro arboribus, ſpeluncis, montibus reliquiſq; agreſtibus rebus in topiarij operis formam deformatis, vt Vitruuius *lib.7.cap.5.* ſcribit. Fauni igitur illi Satyrici de ſiluis in theatrum deducti, non ita elegantibus & delicatis verſibus ludere debēt, vt ſi in media vrbe nati eſſent, & vt ſi diutius in foro, vbi diſerti erant oratores, verſati eſſent: & tamen, quamuis ruſtici & ſilueſtres ſint non debent ſermone vti ſordido & incompto, nec ita illoto & obſcœno, vt ſcurræ triuiales & ſalarij procaces in vrbis compitis & triuiis. —*quibus eſt equus & pater & res*, id eſt, equites, nobiles, & diuites. Nam Romæ qui erant patricij & nobiles, à patre nominabantur, & patrem habere cenſebantur, vt verbi gratia, Cn. Domitius C. filius dicebatur. Equus igitur de equitibus, pater de patriciis: res de diuitibus dicitur. Dionyſ. Halicarnaſſæus lib.2 τεκμήριον δὲ τούτου παρέχουσιν, ὅτι τοὺς μὲν πατρικίους, ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν, οἱ κήρυκες ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον Non dubitem autem affirmare mox pro *fracticiceris, fricti ciceris eſſe legendum.* —*magno cum pondere verſus*, verſus dici puto grauitatis plenos & dignitatis qui tamen ſuos modulos numeroſque non habeant. Sic apud Cic. in Arato, —*magno cum pondere nautæ*: etſi alia ſignificatione dictū eſt, pro magno molimine & conatu, & ab Horatio paulo poſt —*ſine pondere & arte.* Iam vero illud,

*Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem,*

à marmorarijs ductum eſſe cenſent interpretes, qui iuncturas marmorum vngue explorant: alij à fictoribus, qui primum manu informant rude opus, deinde lineamenta & habitum, omnemq́ ſpeciem vngue fingentes & perpolientes abſoluunt. Plutarchus, καὶ γὰρ αἱ τέχναι πρῶτον ἀτύπωτα καὶ ἄμορφα πλάττουσιν, εἶτα ὕστερον ἐπάγουσι τοῖς εἴδεσι διάρθρωσιν. ἢ Πολύκλειτος ὁ πλάστης εἶπε, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γένηται, id eſt, nā & artes primum rudia & informia fingunt, deinde poſtea formis quæque exprimunt: proinde Polycletus fictor dixit, tum demum difficillimum opus eſſe, cùm lutum in vngue eſſet. Sic alio apud Horatium loco, *lib.1.ſaty.5.* —*ad vnguem Factus homo*, accipiendum eſt pro eleganti & polito perfectoq; eadem translatione, *Ingenium miſera quia fortunatius arte*, cùm ait, ſignificat homines Rom. carminum ſtudioſos artem contemnere poëticam & cognitionem Philoſophiæ, ſuoq; fidere ingenio, & exiſtimare ſe tum demum optimos poëtas futuros, ſi inſanorum morem habitumq;, illuuiem & ſqualorem imitentur. In quo lepidè & venuſtè Romanos ſcriptores inſaniæ ludens notat & inſcitiæ. Mox igitur ſubiicit principium rectè ſcribendi eſſe philoſophiæ cognitionem & perceptionem.

*Ex lib.4.cap.9.* *Læuo ſuſpenſi loculos tabulamq́ue lacerto:* dixit Flaccus, *lib.1.ſaty.6. & lib.1.epiſt.1.* de calculatoria tabula & calculis intelligo: Diſcebant enim ratiocinandi artem, non liberales diſciplinas. vt in Arte,

—*dicat Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt Vncia quid ſuperat?*

*Ex lib.19.cap.9.* —*AErugo & cura peculi*, Romani, inquit, philoſophiam humanitatiſque artes non diſcunt, ſed artem ſupputandi in pueritia: at vbi adoleuêre, ſe totos occupant, deduntq; pecuniæ faciendæ congerendæq;, cuius rei ſtudium quadam rubigine animos hominum inficit. AErugo igitur ſordes auaritiæ ſtudiumq; pecuniæ & æris mihi ſignificare videtur. Eam enim ſic vocat, quaſi animi hominum rubiginem quandam & æruginem ducant, ex auiditate nummorum & ſordibus auaritiæ, vt loculi reddi ſolent æruginoſi. *Celſi prætereunt auſtera poemata Rhamnes.*

Equites Rom. iuniores, qui adhuc merent equo publico ſtipendiáque faciunt, delectari poëmatis volunt, nec mœſtum carmen perpeti poſſunt.

*Ex lib. 29. cap. 35.* Cùm equites in equis ſedentes ſublimes ſint & alti ideo equeſtris ordinis hominibus Celſi attributionem poetæ apponunt, vnâquoque eorum magnitudinem ordinis & dignitatem ſignificantes, Horatius, *Celſi prætereunt auſtera poemata Rhamnes.* Papinius,

*Non labente Numa timuit ſic Curia felix. Pompeio nec celſus eques.*

Et Ammianus Marcellinus, *Iudicibus celſis, itidemq́ue minoribus*, cum dixit, maiores & minores, vt vel lippo notum eſt, intellexit.

*Ex lib.19.cap.9.* —*fit Chœrilus ille.* nollem tam iniquum eſſe Flaccum in Chœrilum, quem & à Clemente & Euſebio (non enim attinet alios nominare & nomenclatorem agere) video non contemni: verſus certè quos eius afferunt, non mihi tam irriſione digni quàm admiratione videntur: ſed neſcio quomodo, vt in epulis, ſic & in poematis alius alio capitur atque delectatur. Nec verò pigebit aliquot eius verſus proferre, vt homines intelligant eum non eſſe tanta illuſione dignum, quanta Horatius videri vult. Sic igitur ſcribit Euſeb. lib.9. præparat. Euangelicæ.

Τοῦ δὲ ἰουδαίων ἔθνους καὶ Χοιρίλος ἀρχαῖος ποιητὴς μέμνηται, καὶ ὡς συνεστράτευσεν τῷ βασιλεῖ ξέρξῃ ἐπὶ τὴν ἑλλάδα. λέγει δὲ οὕτως,

*Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,*
*Γλῶσσαν μὲν φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,*
*Ὤικουν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ παρὰ λίμνῃ,*
*Αὐχμαλέοι κεφαλὰς τροχοκουράδες. αὐτὰρ ὕπερθεν*
*Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληκότα καπνῷ.*

*Ex lib.27.cap.4.* Chœrilum poetam irridet Horatius, *Quem bis terq́ue bonum cum riſu miror,* Cuius verſus incultos & malè natos, & immani precio ſingulos ſingulis emptos philippeis notat: à multis tamen ſcriptoribus Græcis, vt bonus auctor citatur & laudatur.

*Ex lib.27 cap.33.* Ludendum eſſe trocho, aleamq; fugiendā legimus illis in præceptiunculis, quibus prima pueritia imbuitur. Quod genus ludi ad puerilem turbinem vulgo referri imperitè & indoctè video, cùm ſit genus ludi, quo iuuenes ſe in campo exercebant. Eius meminit Horat. in Arte,

*Indoctuſq́ue pilæ diſcive, trochive quieſcit.* Et Propertius. *Increpat & verſi clauis adunca trochi.*

Sed vt opinor, his quæ adſcribam verbis ab Ammiano ſignificatur: *Cùm apud Pariſios adhuc Cæſar Iulianus quatiens*



*tiens ſcutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis, quis orbis erat compaginatus, in vanum excuſſis, anſa remanſerat ſola, quam retinens valida manu ſtringebat.* Erat autem genus ludi Græcanici, vt nomine ipſo indicatur. Rota enim ærea anſam habens, vt faciliùs mitteretur, axiculis compacta tranſuerſis iaciebatur: quorū clauiculæ & commiſſuræ aduncæ dum verſabatur miſſa rota, vel miſſus orbis, tinniebant & crepabant. Mittere autem ſcienter, artis erat non vulgaris: atq; hæc quidem de trocho, quæ ſcriberemus, habebamus.

*Ex lib.17.cap.17.* Poëma Cinnæ vatis Smyrna inſcriptum in magna celebratione apud antiquos fuit nouem perpetuis elaboratum annis: vnde exijt, vt reor, præceptum Horatij, *nonumq́ue prematur in annum* Nam exemplum Cinnæ hoc ei vel conſilium vel præceptum dictauit. De Cinnæ poëmate Catullus ſcribit, *lib.1.epig.21.* *Smyrna mei vatis nonam poſt deniq́ue meſſem Quàm cœpta eſt, nonamq́ue edita poſt hyemem.*

*Ex lib.11.cap.25.* Apud Vopiſcum in Carino Pithaulas legimus, quorum armamentum muſicum imitatur, vt quidam cenſent, dolium, vt illorum vtriculum. Ita aliorum erat rotundius & tumidius, minus tamen: aliorū oblongius & teretius, maiuſq; inſtrumentum. Ego verò Pythaulas eſſe legendum contenderim, vt ſint tibicines, qui Pythia canebant: Higinus, *his quoq́ue ludis Pythaulæ, qui Pythia cantauerunt.* Horat.

—*qui Pythia cantat Tibicen, didicit prius, extimuitq́ue magiſtrum.*

*Ex lib.10.cap.19.* Vncta braſsica à Catone *cap.157.* dicitur oleo condita, cùm ſcribit, *Verum aſſam braſsicam, & vnctam caldam, ſalis paulum, dato homini ieiuno.* Sed & vnctum obſonium eſt conditum, *vt cœnare ſine vncto*, id eſt, obſonio condimentis perfuſo. & *Si verò eſt, vnctum rectè qui ponere poſsit*: opinor, quod pinguia ferè condimenta ſunt.

*Ex lib.18.cap.11.* Rectè viuere, pro lautè viuere & opiparè Seneca *Epiſt.123. lib. 22.* vſurpauit. Inquit enim, *hanc petunt omnes iſti, qui, vt ita dicam, rectè viuunt.* Sed & vnctum rectè Horatius eadem notione, pro apparatè condito cibo dixiſſe mihi videtur, *Si vero eſt*, inquit, *vnctum rectè qui ponere poſsit,*

*Ex lib.6.cap.25.* Ait Horat. *Vt mala quem ſcabies, & morbus regius vrget*: hic ego malam ſcabiem interpretor feram, quam Græci ψώραν ἀγρίαν vocant, credebantque veteres Romani contagione ad alios tranſire: de ea ſic Philo, φθινάσι τηκεδόσι, ψώραις ἀγρίαις, ἰκτέροις, σφακελίζουσιν ὀφθαλμοῖς. Celſus de ſcabie, *ita que eam, quæ talis eſt, ἀγρίαν*, id eſt, feram Græci appellant. quāquam & ſcabies omnis, mala eſt, infeſtaq; pueris redundantibus & malè temperatis, vnde & Perſius ſcripſit, —*namque eſt ſcabioſus, & acri Bile tumet.*

*Ex lib.19.cap.9.* *Vt mala quem ſcabies, & morbus regius vrget Aut fanaticus error.* Hinc apparet, vt Hebræi vitiliginoſos auerſabantur: ſic & Romanos ſcabiem, quæ ſummam cutem, vt vitiligo & lepra, lædit & inficit, abominatos eſſe. fanaticum autem morbum, & vt appellat, errorem, vt à diis immiſſum hominibus, qui numina violaſſent, diiſque inuiſi eſſent, aut ob morbi diritatem & plagarum metum, etiam auerſabātur, & eo correptos fugitabant, vt in Captiuis Tyndarus ſimulat ſe fugere Ariſtophontem, quod rabioſus & fanaticus ſit, & Menæchmus ſe inſanire aſsimulabat vt homines ab ſe abſterreret.

# IN Q. HORATII EPISTOLAS ANNOTATIONES EX LIB. ADVERS. ADR. TVR. DESCRIPTAE.

In Epiſt.1. *Ex lib.aduerſ.6.cap.17.*

QVod Heſiodus dicit Ἀρχόμεναι θ' ὑμνεῦσι θεάς, λήγουσί τ' ἀοιδῆς, nonne id eſt, quo ſuas exorſus eſt epiſtolas Horatius? *Prima dicte mihi ſumma dicende Camœna.* Quod enim in Iouis honorem poëta Græcus facere Muſas prædicat, illud idem ſe Mœcenati facturum dicit Horatius.

*Ex eod.lib.6.cap.9.* Apparet ad gladiatorios ludos fuiſſe Herculis ædem aliquam, vel ædiculam, aut etiam ludos ei dicatos fuiſſe: aut cur ſcripſit Varro? *Apud Nonn. in Vel.*

*Ex his atq́ue huiuſmodi inſtitutis & vita, vel ad Herculis athletæ facti erant.* & —*Veianius armis Herculis ad poſtem fixis,* ab Horatio dictum eſt, pro relicto ludo gladiatorio, qui enim artem aliquā deſinebant, eius inſtrumenta dijs ſuſpendebant, ſacrabantque: Maro, *Eclog 7.*

*Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.* Potiſsimum tamen artis præſidibus eum honorem habebant, vt è 6. Epigrammat. lib. conſtat: Sic & gladiatores, qui ſe virtutem Herculis æmulari cenſebant, cùm erant rude donati, arma Herculi ſua dicabant, quod furtim fecit Veianius rude non donatus.

*Ex lib.26.cap.26.* Veianius Horatianus gladiator arma ſua arte depugnandi relicta, conſecrat Herculi, quod Hercules gladiatoribus & omnibus corpus exercentibus præeſſe exiſtimaretur. Sic fiſtulā Pani eius repertori paſtores conſecrabant. Eum Veianium multarum palmarum gladiatorem fuiſſe antiqui interpretes prædicant: Sed id non mihi ſatis ex Horatij verbis liquet ſcribentis,

*Ne populum extrema toties exoret arena.* Quæ verba ſignificant eum, qui fortaſſe pugnaciſsimus fuerat & nobiliſsimus, miſericordia populi ne iugularetur in arena ſæpè precario ſeruatum. Ne igitur vitam ſæpius impetrare cogeretur armis ab aduerſario victus, ipſe ſibi rudem furtim dedit, artemque deſiit. Rude autem donati gladiatores iam non cogebantur ferro dimicare, ſed rudibus tantùm batuere. Ludis autem includebantur familiæ gladiatoriæ: quales erant AEmilius ludus: Ludus Mantuanus: & ludus Gallicus.

*Ex lib.17.cap.9.* *Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat:* Vt de equis circenſibus vel curulibus, eſt à Flacco dictum, qui cùm pares non ſunt ſeptem circi ſpatiis deficiunt exanimati, nec tanto curſui ſuppetit ſpiritus & anhelitus: equi autem vel ſuſpirioſi, vel denſioris ſpiritus, dum animam ducunt, ilia trahunt: atque ea potiſsimum parte ſentitur, quàm liber & facilis commeet anhelitus. Lucanus lib.4.

*Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus vrget, Et defecta grauis longè trahit ilia pulſus.*

Plinius in verbaſco loquens de ſuſpirioſis equis *lib.26.cap.6.* *Tanta huic vis eſt, vt iumentis etiam non tuſsientibus modò, ſed ilia quoque trahentibus auxilietur potu.* Papinius de equis curuli certamine fatigatis,

—*nec iam integer illis Impetus, & longi ſuſpendunt ilia flatus.* Id de ægris pecudibus etiam Maro dixit, *3.Georg.* —*imaq́ue longo Ilia ſingultu tendunt.*

*Ex lib.26.cap.26.* *Quid verum atque decens curo*, cùm ait, ſe philoſophiæ vtrique operam dare, declarat, & ei,

quæ in contemplatione poſita eſt, verumq; inquirit: & ei, quæ mores cõformat & officia præſcribit, quæ temperatione decori & moderatione continetur.

*Ex lib.30.cap.19. Nullius addictus iurare in verba magiſtri,* ab Horatio per translationem dictum, ab his ductam, qui in ducum & imperatorum verba iurabant. Id ſatis è Symmacho apparet ita ſcribente, *in epiſt. ad Valent. Theodoſ. & Arcad. Aug. Vbi in leges veſtras & verba iurabimus, qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimoniis mentiatur?*

*Ex lib 24.cap.23. Purè propera,* dictum eſt à Plauto, *Aululariæ ſc. Vbi tu es, qui. &c.* vt *purè lautum,* quod è Feſto antè annotauimus & nunc repetimus, ne mendacii ſuſpitio hîc vlla hæreat, ſic apud Horatium purè lectus dicitur,

*—ſunt certa piacula, quæ te* *Ter purè lecto poterunt recreare libello.*

Nàm ſacris operam daturi ſe purificare prius ſolebant.

*Ex lib. 26. cap. 26.* At *Ter purè lecto poterunt recreare libello.* Hîc purè lectum libellum dicit, quem qui legit ſe aqua purificauit ea caſtimonia ad legendum accedens, vt ſi rem diuinam eſſet facturus: vnde & piacula dixit, ſunt enim propriè hoſtiæ aut libamenta, quibus aliquid luitur & expiatur, expurgaturq; fraus aliqua & ſcelus. Sic & purè loti à Feſto dicuntur, ſacrorum cauſa mundati aqua & caſti.

*Virtus,* inquit, *eſt vitium fugere.* Vitium fugere non eſt poſtrema laus, & virtutis pars eſt, virtuſque adeo cenſetur, vt ſapientia iam quædam eſt carere ſtultitia.

*Cui ſit conditio dulcis ſine pondere palmæ?* id eſt, cui liceat ſine puluere palmam adipiſci.

*— hæc Ianus ſummus ab imo* *Perdocet.*

In regione fori Romani duo Iani erant ad arcum Fabianum, vt ait Victor, incruſtati & adornati ſignis: ſuperior & inferior: celebris mercatorum locus & fœneratorum: apparetq; ſpatium inter illos duos Ianos ſuperiorem & inferiorem vocatum fuiſſe Ianum medium: vt Ianus ſummus imuſq; appellatus ideò ſit, quod & medius eſſet. Horat. *lib. 2. ſaty 3.*

*—poſtquam omnis res mea Ianum* *Ad medium fracta eſt.*

Cic. *lib. 2. Offic. Commodius à quibuſdam optimis viris ad medium Ianum ſedentibus.* Iterum, *6. Philipp. Ianus medius in Antonij clientela ſit?* *Læuo ſuſpenſi loculos tabulamq; lacerto,*

cùm ait, monſtrat Romanos numerandi artem præcipuè ſequi & ediſcere ob auaritiæ ſtudium: gerereq; tabulam calculatoriam & loculos calculis refertos, vt in abaco in promptu rationes expediant. Inquit alio loco, *de arte poët.*

*Filius Albini ſi de quincunce remota eſt* *Vncia, quid ſuperat?*

*Ex lib. 6. cap. 10. Qui puteat Ianumq; timet celereſq; Calendas,* cùm Ouid. ſcribit, vtrum de Iani templo, an de Iano, id eſt, de tranſitione quadam, quæ ad puteal Libonis eſſet, intelligendum eſt? nihilo ſecius iſtud Horatianum, *lib. 2. ſaty, 3.*

*—poſtquam omnis res mea Ianum* *Ad medium fracta eſt.*

Nam & in fori Romani regione legimus fuiſſe Iani templum, & prope puteal Ianos duos, celebrem mercatorum locum, auctore Victore. *de vrbis Rom regionibus & loc.* Ego igitur de templo non crediderim accipiendum: eorum autem alter ſuperior dicebatur, alter inferior eodem Victore auctore, vnde & ab Horat. ſcriptum ſuſpicor.

*— hæc Ianus ſummus ad imum* *Perdocet.*

quod eſt ſuperior ad inferiorem vſque: ac medium eorum ſpatium, Ianus medius dicitur, vt ſuſpicor ab Horatio & à Cicerone lib 2. Offic. *à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus.* Non deſunt qui ibi tres Ianos fuiſſe ſcribant. Eſſe etiam Ianus cuipiam videretur in Ouidio pars portæ peruia, vt ſi duos in ea diſcrimine interpoſito poſtis medij Ianos diceres, inquit enim 2. Faſtor.

*Carmentis portæ dextro eſt via proxima Iano:* *Ire per hanc noli quiſquis es, omen habet.*

*Ex lib. 4. cap. 9. Læuo ſuſpenſi loculos tabulamq; lacerto,* de calculatoria tabula & calculis intelligo. Diſcebant enim ratiocinandi artem, non liberales diſciplinas, vt in Arte, *— dicat.*

*Filius Albini ſi de quincunce remota eſt* *Vncia, quid ſuperat?*

*Ex lib. 24. cap. 29.* Varro inquit, *Quartus vbi eſt aditus & initia regis.* qui ad quartum, ait, gradum peruenerit, is rex fuerit, & planè modis omnibus rem abſoluerit. Tale eſt illud Horatianum, *— Rex eris, aiunt,*

*Si rectè facies.* Auſonius, *Edyllio. 16.* *Qui rectè faciet, qui non dominatur, erit rex.*

*Ex lib. 14. cap. 9.* Equites maioris dignitatis, vt qui Tribuni militum erant, aut Tribunitij, aut maioris cenſus, ſedebant in primis ſubſelliis 14. ordinum, ſed & ditiores propius ſpectabant, quàm pauperes è plebis cuneis: hinc illud ab Horatio ſcriptum eſſe puto,

*Vt propius ſpectes lachrymoſa poëmata Puppi.*

Propius enim ſpectat, qui in ſedilibus primis ſedet: etſi de equeſtri cenſu accipi poteſt, quẽ adepti, cùm in 14. ſederent, propius quàm reliqua plebs, ſpectabant.

*Ex lib. 26. cap. 26. — præſens hortatur & aptat,* in vetuſto legi libro. quod non minus probandum quàm *optat:* imò verò commodius habendum, quòd plus eſt inſtruere & informare præceptis, quàm optatis & votis proſequi.

*Ex lib. 30. cap. 12. Vti via vulgi,* quodam prouerbio poni videtur, pro communia vſurpare, nec ſententiam ſuam diſceptationibus de Repub. aut legum rogationibus interponere, vt apud Flaccum,

*— cur* *Non vt porticibus ſic iudiciis fruar iiſdem.*

ac mihi illud Horatianum ab eodem populi ſermone ductum profectumque videtur.

*Ex eod. lib. 30. cap. 9.* Extat Lucillij quædam ſententia, quam Flacc. qui eum poëtam fluere lutulentum calumniatur, æmulatus eſt.

*Quid ſibi vult? quare ſit vt intus verſus, & ad te* *Spectent atque ferant veſtigia ſe omnia prorſus?*

Flaccus hoc breuius adſtrinxit. *Omnia te aduerſum ſpectantia nulla retrorſum,*

Ex



*Ex lib. 26. cap. 26. — cui ſi vitioſa libido* *Fecerit auſpicium,* valet ſi libido ei ſuaſerit. Ab auibus autem ductũ, qui auſpicium faciunt & monent vt aliquid agamus, aut non agamus vt vetuſtas credidit. Feſtus, *Auſpicium faciunt.*

*Ex lib. 13. cap. 11.* Homines Romæ mediocris fortunæ ſuarum ædium partem ſuperiorem inquilinis locare ſolebant, imam ſibi retinebant: ſed & erant qui cœnaculariam faciebant. Itaque pauperes cœnacula conducebant, cùm in ſuo non habitarent. Iuuenalis, *— rarus venit in cœnacula miles.* Horatius, *ſaty. 10.*

*Quid pauper? rides mutat cœnacula.* Prudent. *Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus.*

*Ex lib. 30. cap. 3.* Vt Horat. dixit. *Epiſt 123. Inſanire putas ſolemnia me,* quod eſt, more aliorum. ita Seneca, *Nolunt ſolita peccare, quibus peccandi præmium infamia eſt.*

*Ex lib. 26. cap. 26. Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue,* cùm inquit, declarat eſſe philoſophiæ incumbendum, qua paratur ſapientia, quæ vni Ioui cedit, & omnibus alijs maior eſt. Eſt autem Philoſophiæ finis comparatio & adeptio ſapientiæ, *Præcipuè ſanus niſi cùm pituita moleſta eſt.*

quod iocatur, ſic accipio ſanum eſſe ſapientem maximè tantùm, quia philoſophorum ſapiens, pannoſus, malè veſtitus, interdum alget hibernis menſibus: pituita teneatur frigore contracta. nam ſapiens ſi algebis, non ſolùm tremes, ſed etiam pituita laborabis. non deeſt, qui *βλεννώδη & κορυζώδη,* id eſt, mucoſum & ſtupidum & ſtultum & ineptum explicet. Sed in priorem ſum propenſior ſententiam.

In ſecundam Epiſtolam ad Lollium. *Ex lib. 9. cap. 18. Græcia Barbariæ lento colliſa duello.* Hic locus declaratur Oda nona Epod.

*Ex lib. 26. cap. 27. In cute curanda plus æquo operata iuuentus,* cùm dicit Horat. cutem, corpus intelligit, vt *χρὼς* & *χρῶς* apud Græcos cutem & corpus declarant. Ita autem intelligere Horatium ex Homero notum eſt, apud quem Phæaces & proci Penepolæ genio indulgent, corpuſque luxurioſè epulis curant: etiam illi Demodoci, hi Phemij modis & cythara ſeſe oblectant, quod intellexit Horatius cùm

*Ad ſtrepitum cytharæ ceſſatum ducere curam,* eleganter, vt nihil ſuprà ſcripſit. Nam ad Phæacas & procos id referendum eſſe arbitror. Vt autem curare cutem, ſic & curare pelliculam dixit, *Pelliculam curare iube.* id etiam ex eo, quòd qui benè habiti & benè paſti ſunt, eorum cutis nitet, curataq; videtur. *Me pinguem & nitidum benè curata cute viſes.* Vt enim coriarij arte, aluta vel corium pulchrius & politius eſt: ſic pulchrior & nitidior cutis obeſorum ac benè habitorum curata videtur fuiſſe.

*— atqui* *Si noles ſanus, cures hydropicus,* quod ait, puto hanc continere ſententiam: ſi nõles expergiſci dum ſanus es, & capeſſere ſtudium philoſophiæ quæ animi medicina eſt, cures vt hydropicus & graui laborans morbo, expergiſcaris. vel potius, Si non vis te ſeruare dum ſanus es, velis hydropicus: & cures vt te ſerues. Sed Porphyrio planè aperteque legit, *curres,* quod & probabile eſt: ac tum *noles* in futuro legendum erit, quod vidit Lambinus. *Si comportatis rebus benè cogitat vti,*

more Græco id videtur dixiſſe, apud quos *συγκομίζειν,* quod eſt comportare, ſignificat fruges colligere & *συγκομιδὴ* eſt fructuum collectio. Itaque hîc res comportatas appellat repoſitos & conditos fructus.

*Inuidia Siculi non inuenêre tyranni* *Maius tormentum.* Phalaris, Agathocles.

Dionyſius Siciliæ tyranni multa inuenêre atrociſsima tormenta ad homines cruciandos & excarnificandos: ſed nullum eſt, quod crudelius torqueat, quàm inuidi animũ cõtubernalis & tabifica inuidia.

*— ceruinam pellem latrauit in aula.* Sic adſectandas feras venatici catuli conſuefiebant in aula dominorum leporinis & ceruinis pellibus ad venandum, vt odore & colore imbuti, in ſiluis eas feras appeterent. Quiddam eſt in Gratio non diſsimile. *De Venatio. Sed præceps virtus ipſa venabitur aula.*

In 3. Epiſtol lib. 1. *Ex lib. 26. cap. 27. Faſtidire lacus & riuos auſus apertos,* cùm ait Titium imitari auſum eſſe Pindarum dicit, quem tamen inimitabilem putat conſueta tractare poëmata aſpernatum. Latent enim plerunque fontes, à quorum capite riui in apertum exeunt, qui & in lacus ſparguntur cùm dilatantur. Ad fontem igitur eum dicit maluiſſe venire, quàm è populari lacu & publico riuo haurire. Sic alio loco, *lib. 1. ſaty. 4. Geſtiat à furno redeuntes ſcire lacuq;.* Quod autem *ampullatur,* dicit, id verò facit Græcorum æmulatione, qui *ληκυθίζειν* dicunt, quod eſt, tumida vti oratione. nam *λήκυθος* ampulla eſt olearia, quæ prætumida eſt. Vnde & Lais quia buccis erat tumentibus *πρὸς ταῖς γνάθοις λήκυθον* habere dicebatur.

*— moueat cornicula riſum.* hîc corniculam vocat, quem Græci *κολοιὸν,* id eſt, Graculum appellant. Huius fabulæ Aeſopicæ ſic meminit Themiſtius, *Καθάπερ τῷ κολοιῷ περιτίθησιν ὁ μῦθος τὰ πτίλα, ἐν τῷ ἀγῶνι τοῦ κάλλους ἀλλότριον αὐτοῦ περιεργαζομένου κόσμον χήτει τοῦ οἰκείου καὶ συγγενοῦς.* id eſt, quemadmodum fabula corniculæ plumas circundat in pulchritudinis certamine alienum ſectanti ornamentum ſui & proprij inopia.

In 4. Epiſt. *Ex lib. 1. cap. 18.* In epiſtola Horatij ad Albium Tibullum, quod ſcribitur,

*An tacitum ſyluas inter reptare ſalubres,* *Curantem quicquid dignum ſapiente bonoq; eſt?*

Sub ipſo verborum tectorio ſanè vulgari ſententiam occultat multitudini non ſatis apertam: Et vt ſub putamine nucleus latet, ita quoque ſub ipſa velut nuce, quæ frangenda eſt, quiddam tanquam ſalubre, eduleque reconditur. Puto autem ſenſum Epicureum eſſe: exiſtimat enim dignum eſſe ſapiente & bono, amœnitate & ſalubritate ſeceſſus frui, potiùs quàm rem familiarem auidè augere, prudentiæque eſſe indulgere ſibi ambulationum ſpatia delicatarum conficientem, quales in Pedana regione Tibullus habebat, qui tamen videbatur eſſe parcior. Tu enim, inquit, qui ſapis, profectò iſta vitæ gaudia libenter vſurpabis, præſertim qui abundes, vt tibi quæſito non ſit opus, & ſcias quemadmodum ſumptum facere oporteat, & ea præditus ſis (deorum munere) corporis forma & dignitate, vt corpori inſeruire debeas indulgentius & liberalius. Illa enim forma curam meretur, dignaque eſt, quæ bonis potiatur. Nihil eſt, inquit, quod maius optare alumno dulciſsimo chariſsima poſsit nutricula, quàm formam & diuitias & artem fruendi, cùm iam ſapit & eloquens eſt. Inſipienti enim & indiſerto atque infanti facundiam & ſapientiam nutrix ante omnia optare fortaſſe deberet: nunc vtraque tibi ſupereſt Præterea gratia, fama, valetudo, diuitijs & diuitiarũ fructui & vſuræ eſſent anteponẽdæ, quæ tibi abundè contigerũt.

Cùm

Cùm igitur iſtum ſenſum eliciã, velut lomento quodam & nitro detergendam puto maculã, quæ in Horatio inſedit, Scribi enim video, *Quam ſapere & fari poßit, quæ ſentiat*, Ego autem emendandum cenſeo, *Cùm ſapere & fari poßit*. Sic & Muretus lib. 1. de Legib. emẽdauit, *Qui conſuluntur, cùm eſt neceſſarium*. Addit porrò, cùm in humana vita quotidiè ſperetur, timeatur, curarum moleſtijs & iræ feruore hominũ pectora ſollicitentur, cumq; his crucientur perturbationib. homines potiſsimũ ob opes, & copias, fortunas & facultates, inter iſtos animi morbos & æſtus, quẽ præſentẽ degis cumq; diem, eum tibi vltimum putato. Sic fiet vt & non iniucundè eum traducas, nec elabi ſinas, ſed hilariter potius tranſigas quàm intentus rei in miſeria & ærumna trahas: & gratior erit poſterior ætas quàm tibi non promittebas, nec tibi, vt in futurum incumbenti, & diuitijs inhianti, præſentis diei peribit voluptas. Frui enim voles paratis, ſi breuem tibi vitam ſpondeas, nec ei tempori, quod non tibi polliceberis, viaticum & opes congeres.

*Ex lib. 26. cap. 27. Me pinguem & nitidum benè curata cute viſes.* Vide ſup. Epiſt. 2. huius loci explicationem.

In Epiſt. 5. *Ex lib. 1. cap. 22.* Archiacos lectos hac epiſtola arbitror eſſe humiles, paruos, inelegantes, non ſumptuoſos ab Archia artifice ſic vocatos, vt Seneca vocat lectos Sotherici, de artificis nomine, rudes, impolitos, inelegantes, antiquos. At in Terentij Adelphis, Lecti ilignis pedibus, ob firmitatẽ ilicis fiunt, vnde πρίνινοι ἄνθρωποι duri & ſolidi, & πρινῶδες durum ſignificat. In ſole autem quod Athenis vere interdum & æſtate ſub ſole & dio cœnare ſolebant. *Nec modica cœnare times olus omne patella*, dixit, quòd magnifici ciues grãdes haberẽt patinas, vt in Perſio, —*ſed patinæ grandes tucetáq; craſſa. Vina*, autẽ, *bibes iterũ Tauro diffuſa*, cũ ait, ea indicat nõ eſſe admodũ vetuſta, cũ nõ multis antè annis ſecundũ cõſulatũ Taur⁹ geſsiſſet.

*Ex lib. 1. cap. 1.* Vinum diffuſum, eſt quod in amphoras & cados apothecarum ad aſſeruandum fuſum eſt. Plinius, *lib. 14. cap. 12. Apothecas fuiße, & diffundi ſolita vina anno 633. vrbis apparet indubitato Opimiani vini argumento.* Apud Catonem tamen doliare vinum pendenti opponitur, apparetque eius ætate nondum frequenter ſolitum eſſe vinum diffundi in Italia. De diffuſo vino ita ſcribit Horat. *Vina bibes iterum tauro diffuſa.* Et Iuuenal. ſaty. 5. *Ipſe capillato diffuſum conſule potat.*

*Ex lib. 1. cap. 18. Sin melius quid habes, accerſe, vel imperium fer*, valet, ſi meliorem habes cœnam, voca me conuiuam, vel pare mihi vocanti, ſi non habes.

In 6. Epiſt. *Ex lib. 2. cap. 12.* Epicurei ad ſtabiliendam ſuam impietatem firmandamque, inprimis hoc ponebant, nihil admirandum eſſe. Lucretius,

*Si tamen interea miramur qua ratione*
*Quæq; geri poſſunt, præſertim rebus in illis,*
*Quæ ſupra caput ætherijs cernuntur in oris.*

Et Horatius, *Nil admirari propè res eſt vna Numici,*
*Solaq; quæ poßit facere & ſeruare beatum.*

*Ex lib. 22. cap. 8.* Cæterùm in hac Horatij epiſtola, *Quid maris extremos Arabas ditantis & Indos?* de gemmis & vnionibus intelligo, quorum precioſiſsimus erat cenſus ex India & Arabia. Quod ſi quis merces Indicas & Arabiæ aromata, quæ maritimis aduehebantur curſibus accipiat, cum eo non litigabo: tantùm dicam littorales gemmas & vniones maris potius diuitias videri, quàm quæ mari importantur mercimonia. Delitiæ autem Romanæ quantopere margaritas deperirent, iniuria quærit, qui Latinos libros euoluit. At verò, *Qui timet his aduerſa*, valet, qui timet paupertatem & exploſionem & ſibilos in theatro, & inhonoratus eſſe, miratur diuitias, plauſum, ambitionem & honores. Iam illud,

*Improuiſa ſimul ſpecies exterret vtrunq;*,

cum ait, eos qui cupiunt, & metuunt dicit perturbatione agitari, ex improuiſa ſpecie nata, quæ Cyrenaïcorum philoſophorum ſententia fuit: perturbationes naſci ex inopinatis & inſperatis bonis malisque, vt auctor eſt Cic. in 2. Tuſcul.

*Ex lib. 6. cap. 18.* Ancum Martium regem magni feciſſe veteres videntur, & dignum immortalitate crediſſe. Horatius —*Numa quò deuenit & Ancus.* Lucretius lib. 3. *Lumina ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit.* Ennius, *Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit.*

*Ex lib. 22. cap. 8.* Nulla re homines melius commendari hominum opinioni quàm diuitijs, & facilius vxorem dotatam & fidem amicosque comparare, quàm ſi copioſi, & locupletes nummatique ſint, cùm declararet Horatius, ſic ſcripſit,

*Scilicet uxorem cum dote fidemq; & amicos,*
*Et genus & formam regina pecunia donat:*
*Et benè nummatum decorat Suadela Venusq;*

in quo cur Suadelæ & Veneris mentionem fecerit, in quæſtionem venire poteſt: quod vt enucleem, arbitror ab eo factum, quia nuptiarum mentionem induxerat, quibus Venus & Suadela præſunt, quod è meo quidem penu non depromptum eſt, ſed ex inſtructiſsimo cellario Plutarchi ita ſcribentis, ἢ ὅτι πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται, Διὸς τελείου, καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Πειθοῦς, ἐπὶ πᾶσι δ' Ἀρτέμιδος. Phurnutus etiam ſcribit, aſsidere Veneri Gratias, Suadelam, Mercurium, quòd Suadela oratione & gratia amatores pelliceat. Qui igitur nummatus eſt, eum, inquit, decorat Suadela & Venus, easque propitias habet & faciles, vt vxorem cum grandi dote facilè inueniat, cùm omnibus placeat gratusque ſit. Itaque quia Venus conciliare gratiam videtur, cui in amoribus ex ſententia ſuccedit, venuſtatis plenus dicitur: cui non ſuccedit ex voto inuenuſtus dicitur, vt Pamphilus in Andria loquitur de nuptijs, quas non optabat, quæ eum à Glycerio diſtraherent, *Act. 1. ſc. 3.*

*Adeóne hominem eſſe inuenuſtum aut infelicem quemquam, vt ego ſum?*

& Pamphil. alter in Hecyra, *Act. 5. ſc. 4.* cui optata inſperatò euenerant de vxore,

*Quis me eſt fortunatior? venuſtatisq; adeo plenior.*

*Ex lib. 9. cap. 30.* Ex Senecæ libro 2. cap. 12. de Beneficijs didicim⁹, Venerẽ non tantùm amorib. præeſſe exiſtimatam fuiſſe, ſed etiam hominũ commendationi & conciliationi vt facilius aliquid impetrarent ab aliquo, & in amicitiam influerent & gratiam emerentur. *Ille*, inquit, *non eſt mihi par virtutibus nec officijs, ſed habuit ſuam Venerem.* hoc valet, Sed ei fauit Venus, quæ gratiam quandam ei commodauit, qua placuit, & facilè beneficium impetrauit: vt & apud Flaccum,

*Et benè nummatum decorat Suadela Venusq;.*

Sunt enim hæc duarum dearum nomina, quæ facilè homines, quibus fauent, ſuis muneribus beneuolentiæ & amicitiæ aliorum tradunt.

Ex lib.



*Ex lib. 19 cap. 16.* —*decorat Suadela Venusq;*, ab Horatio è moribus Romanorum dictum eſt. Nam quoſdam deos eſſe nuptiarum præſides & præfectos cenſebant: in ijs Suadelam & Venerem, quod è Plutarcho docemus, qui ita ſcribit, ἢ ὅτι πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται, Διὸς τελείου, καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Πειθοῦς, ἐπὶ πᾶσι δὲ Ἀρτέμιδος.

*Ex lib. 22. cap. 8. Rex* autem *Cappadocum*, mango eſt & venalitiarius, qui mancipiorum greges venalium habet, vt apud Perſium, *ſatyr. 6.*

*Cappadocas rigida pingues pauiſſe cataſta.*

Qui quidem eget æris, eoque ſeruitia veterana & nouitia vendit: vel potius ait venalitiarios, qui ſeruitio abundant, ferè parum nummatos eſſe, nec ei qui pecunioſus velit eſſe, hoc genus quæſtus ſectandum: quem quidem ſenſum veriorem & congruentiorem iudico.

*Ex lib. 26. cap. 16.* Veteres mercales ab his ſeiunxere, qui venales ſeruos habebant, ac mercaturæ nomine mancipia cenſeri nolebant. Id è Comico Plauto apparet ita ſcribente, *Mercaturámne an venales habuit, vbi rem perdidit? Trinummo ſc. Quo illic homo.* Cic. in Corneliana, *Neq; me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitij mercatóresq; ſuperarunt.* Venales vtrobique à mercatura, & venalitios à mercatoribus diſtinctos videmus: cùm tamen genus quoddam exercere mercaturæ videantur, qui ſeruitia vendunt: quos feſtiuiſſimè Horatius appellat Cappadocũ reges, *Mancipijs*, inquit, *locuples eget æris Cappadocum rex*, id eſt, venalitius.

*Ex lib. 30 cap. 7.* —*ne ſit præſtantior alter*
*Cappadocas rigida pingues pauiſſe cataſta.*

Perſ. dixit, cuius ſententiam puto, ne ſit vllus venalitiarius, qui plures ſeruos habeat: nam mangoniũ & mercimoniũ venaliũ maximos quæſtus adferebat. —*eget*, inquit Flacc⁹, *æris Cappadocũ rex.* i. e. venalitiari⁹.

*Ex lib. 11. cap. 12.* Nihiloſecius & illud è communi ſermone ſumptum in Terentio non vulgo intelligitur. *Hecyr. act. 3. ſc. 5. Dic iußiſſe te. Ph. Noli fodere, iußi.* quo in loco fodere, eſt latus alicuius manu vel pungere, vel tundere: quod facimus monendi gratia & ſuggerendi & impellendi: vt apud Horat.

*Mercemur ſeruum, qui dictet nomina, læuum*
*Qui fodiat latus*

*Ex lib. 28. cap 38.* *Mercemur ſeruum, qui dictet nomina, læuum*
*Qui fodiat latus.*

Horatii locus eſt homini ambitioſo & honores affectanti ſuadens mercari neceſſe eſſe nomenclatorem acrem, qui ciuium, quos candidatus prenſare velit, nomina teneat: qui ſimul atq; quempiam ciuem viderit, qui ſuffragatione vel gratia plurimum valeat, continuò candidati petitoris latus manu feriat, vt eũ prehenſet. Id enim eſſe puto, *Qui fodiat latus.* Tale illud eſt Plutarchi, προσιόντων γὰρ ἁπανταχοῦ τῶν ἱματίων, ἀντιλαμβανόμενος τοῦ γενείου, τὴν πλευρὰν θυρωροῦντων τῇ χειρί.

*Ex lib. 22. cap. 8.* Non longè abieris, —*trans pondera dextram Porrigere*, negotium exhibebit. Opinor autem dici, ſi quis honorum ambitioſus ſit, debere ſeruum nomenclatorem comparare, qui dum prætereunt plauſtra, & ſarraca onuſta grandibus ſaxis & magnis trabibus, cogat magno cum periculo manum trans ea tranſmittere ad eum prenſandum ſuffragatorem, qui in aliqua tribu ſit gratioſus. Sed verius tamen eſt hîc *porrigere manum*, eſſe ſalutare. Sed porrectio illa periculoſa eſt, ponderibus ſaxorum & materiæ in plauſtris prætereuntibus.

In 7. Epiſt. *Ex lib. 5. cap. 13.* Cùm in hac epiſtola ſcribitur, *benignè*, reſpondet, Aduerbium illud eſt blandè recuſantis. Eſt enim perinde ac ſi diceret, excuſatum me habeas: vt apud Ariſtophanem in Ranis, κάλλιστ' ἐπαινῶ, quod eſt laudo, renuentis eſt: & apud Terentium, rectè. Itaq; illud eiuſdem epiſtolæ in eundem accipiendũ ſenſum eſſe arbitror, —*at tu quantumuis tolle benignè*, vt hoc reſpondentis ſit & bellè recuſantis.

*Ex lib. 1. cap. 15.* Ad Cynicorum Philoſophorum reſpiciens miſeram vitam poteſt videri dixiſſe Horat. —*quid diſtent æra lupinis.* Vt virum bonum dicat intelligere quid donet, æſne an lupinum, vile & cynicum cibarium: atque ita mihi quidem videbatur. Sed Marc. Ant. Muretus ingenioſiſsimus & diſertiſsimus, eam excogitauit interpretationem, quæ propè geometricῶs meam ſententiam refelleret. Lupinos enim aurum ait eſſe comicũ, vt Plautus loquitur, quo macerato paſcuntur boues. Vt igitur in comœdia pro aureis nummis annumerantur Lupini, ſic & pueros lupini grana pro nummis ſolitos eſſe habere atque numerare, & inter æs & lupinum parum diſtinguere. Atque idem hodieque in Italia luſitantes pueros ementiri & æmulari Lupinis nummos ait.

*Ex lib. 25. cap. 29.* —*Quid diſtent æra lupinis*, cùm Horatius inquit, ad Cynicos reſpexit, qui Lupinis etſi amaris veſcebantur plerunque, quos in pera gerebant: vnde & Ariſtoteles ſcripſit, οὐκ ἀνδῶς γὰρ κράτος οὐκ οἶδα φησὶν πήρα δύναμιν ὅλην ἔχει θέρμων τε χοίνιξ.

*Ex lib. 5. cap. 13.* Inquit Horat. —*Repſerat in cumeram frumenti*, vbi cumera vas eſt vel vimineum, vel fictile reponendis idoneum frugibus: κυψέλη à Græcis, niſi fallor, dicitur, Ariſtophanes, ἐξ μεδίμνων κυψέλην ἀπώλεσαν: vbi enarrator ſcribit, κυψέλη ἐστὶν εἶδος ἀγγείου ἢ μέτρου δεκτικὸν πυρῶν ἢ κριθῶν. οὐ μόνον δὲ πλεκταὶ ἦσαν αἱ κυψέλαι, ἀλλὰ καὶ κεραμέαι. In eis autem triticum aut hordeum recondere pauperes ſolebant: vt diuites in granariis: nam granaria interdum loca ſunt in horreis tabulis ſepta ad fruges ſeruandas ſuo cuique generi diſcluſa. Atque ita ab Iaboleno in tit. actionum empti & venditi vſurpatur ſic ſcribente, *l. Granaria. ff. de act. emp. & vend. Granaria, quæ ex tabulis fieri ſolent, ita ædium ſunt, ſi & ſtipites eorum in terra defoßi ſunt.* Eodem etiam modo ab Horat. poſitum in illo verſu recordor, *lib. 1. ſatyr. 1.* *Cur tua plus laudas cumeris granaria noſtris?* Etiam Cumeram, vt ait Feſtus, appellabant antiqui vas quoddã, quod opertũ in nuptijs ferebãt, in quo erãt nubentis vtenſilia, quod & Camillum dicebant, eo quòd ſacrorum miniſtrum κάμιλλον appellabant. Scruta autem quæ dicit, eſſe videntur, quæ γρύτη Græci & γρυτάρια vocant, *Plutarchus in Numa.* quæ ſunt friuola & vilia & parua vaſa, quæ qui vendit γρυτοπώλης & γρυτάρης, id eſt ſcrutarius & friuolarius vocatur: vnde & Friuolariæ nomen datum Plautinæ fabulæ, quæ ætatẽ ferre non potuit, nec perennare: ῥωποπῶλαι iidẽ appellabantur ex vẽditione ſordidarũ merciũ. Ita fit, vt à Latinis huic verbo præpoſit⁹ ſit ſibil⁹ qui in Græco nõ ſtridet. Eo autem nomine omnia cenſentur veteramenta, quæ per vias & rudera ſcrutando eruimus, vt multi cenſent, qui originis Latinæ verbum volunt: alij coriacea omnia & ſcortea opera vetera propriè eo ſignificari credunt, vt ſcruta quaſi ſcorta intelligantur, quæ notio latius poſtea patuerit, & ad omnem vilem & veterem ſupellectilem pertinuerit. —*Dicenda*, porrò, *tacenda locutus*, ſic intelligi debet, vt familiariter

liariter eum in cœna loquutum intelligamus & amicè, vt qui omnem pectoris ſui ſenſum alijs ingenuè facileq́; aperiunt, nihilque celant, nec ſermones eos refugiunt freti amicitia & bonitate eius, quo cum ſunt, qui ſi eliminarentur, capitales interdum auctori forent.

In 10. Epiſtol. *Ex lib. 13. cap. 3s* Quis non habet in ore verſum illum Horatianum?

*Naturam expellas furca tamen ipſa recurret:*

Non tamen vt notus omnibus verſus eſt, ita & vis eius perinde intelligitur, nec perinde eius gratia ſentitur. Id eo fit, quia non animadvertunt furca expellere, eſſe vi maxima eijcere & exturbare, vt & in epigrammate bello Catulli Mentula conatur pimpleum aſcendere collem: Muſæ furcillis præcipitem eijciunt. Sed & Dionyſius Lambinus vir eruditiſsimus, qui propediem emendata à ſe opera Ciceronis emittet lib. 16. Epiſt. ad Attic. planè aperteq́; ſcribi in antiquo libro mihi oſtendit: *Sed quoniam furcilla extrudimur, Brunduſium cogito.* Id vt alia multa Græcis acceptum ferendum eſt. Nam Ariſtophanes in Pace, furcis quoque eiectam ab Athenienſibus pacem queritur. Eius verba ſubſcribam τὴν δὲ μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασι, & eruditus interpres ita explicat, δικροῖς, δικράνοις. ἔδει δὲ εἰπεῖν ξύλοις δικράνοις, τοῖς ἐπὶ διφύεσιν: & alia interpretatio ξύλοις ἀπώθουν τὴν εἰρήνην καὶ ἐξέβαλον. & apud Suidam ex hiſtorico quodam affertur, περιμείναντο δὲ καὶ δίκρανα ὥστε ἀπωθεῖσθαι τὴν τῶν λεγομένων σκαλῶν προσαγωγήν. Eſt igitur expellere furca, non manu ſola eijcere, ſed magno conatu ſumpta furca extrudere.

In 11. Epiſtolam, *Ex lib. 27. cap. 22.* Campeſtre vocat Aſconius, quod ſuccingitur ab vmbilico & ad pedes demittitur, locoq́; tunicæ habetur. Eo vti ſolebant ludentes in campo: nam nudũ eſſe, turpe habebatur: & æſtate quidam, pro tunica. Idcirco, —*campeſtre niualibus auris*, dixit Flaccus: quod eo tegmine aduerſus rigidam hyemem non ſatis defendi quis poſſet ſemicincto corpore. De Catone ita ſcribit Aſconius, *In orationem pro Marc. Scauro. Cato prætor Iudicium, quia egeſtate agebatur ſine tunica exercuit campeſtri ſub toga cinctus.*

In Epiſt. 13. ad Vinnium Aſellam. *Ex lib. 7. cap. 11.* Scribit Flaccus ſaty. 1. lib. 2.

—*atqui* *Primores populi arripuit, populumq́; tributim:*

Quo verſu ſignificat ſummos & infimos à Lucillio ſtyli ſatyrici acerbitate vulneratos fuiſſe: ſed cùm primores dixerit, & plebẽ ſignificare proximo cæſo debuerit, haud inuitus ſcripturæ accedo, quam in quodam exemplari reperi. —*populumq́; tributum* Tribus enim ignobiliorum erant: qui ſenſus etiam efficietur *tributim* legenti, etſi non tam commodè reſpõdebit. Vtraq́; certè ſcriptura patronos habet, vna Porphyrionem, altera Arconem Ergo ſic illud *tributum* amplector, vt tamen *tributim* non omninò aſperner, nec improbem. Plinius quoque *lib. 19. cap 4.* vt quodam loco docemus, tribus pro pauperioribus dixit, & eadem notione à Flacco *lib. 1. Epiſt. 13. Epiſt. Conuiua tribulis* appellatur non diues.

*Ex lib. 24. cap. 17.* Romani non ſolebant in publico vti ſoleis, ſed vel in triclinio, vel in cubiculo: verum foris calceis, atque ea de cauſa crimini vertit Cicero Verri, *7. in Verr.* quod ſoleatus fuerit, *ſtetit*, inquit, *ſoleatus prætor Pop. Rom. cum pallio purpureo tunicaq́; talari. & tribulis conuiua* apud Horatium *lib. 2. ſaty. 8.* gerit ſub ala ſoleas & conuiuator Naſidienus apud eundẽ ſoleas poſcit: meretricula apud Plautum in Truculento puer perã mentiens & decipere militem cupiens ſoleas poſcit. —ſoleas inquit, *mihi date.* Iterum, *Sc. Nun tibi nam. & Sc. Puero iſti. Sc. Date ſoleas.* *Date ſoleas, atq; me intrò actutum ducite.* omninoq́: foris ſolea muliebre potius quàm virile calceamentum habebatur: Catullus *ad Mallium* de Leſbia —*arguta conſtitit in ſolea.*

*Ex lib. 28. cap. 33.* Etſi nullus erat Romanus, qui non in aliqua eſſet tribu, tamen tribus pro plebe, id eſt, pro ima populi parte poni Equitib. & Senatu excluſis, lege in Papinio *lib. 4 Siluar. Moribus atq; tuis*, inquit, *gaudent turmæq́; tribusq́; Purpureiq́; patres.* Sic —*ſoleas conuiua tribulis*, Flaccus dixit, pro cõuiua humili & plebeio. Sic tributa comitia plebis erant: & ab ijs arcentur apud Liuium Patricij, credo quòd quamuis omnes in tribu eſſent, tamen plebs multis partibus numero reliquos ſuperaret. Quod autem numeroſiſsimum erat, vt ſolum, tribus nomen non diuiſit, ſed ſibi totum vendicauit.

*Ex lib. 30. cap. 38.* Sandalium muliebre calceamentum eſt, ſimile plantæ & veſtigio, vt è Sardinia apparet, quæ & Ichnuſa & Sandaliotis vocabatur. Dici poteſt & Sandalum Latinè ſolea, vt à Catullo de Leſbia *ad Mallium.* —*arguta conſtitit in ſolea.* Sed & piſcis ſolea à quibuſdam etiam Sandalium dicebatur vt Heſychius eſt auctor in voce ψῆττα. Soleis autem etiam viri domi vtebantur, vt in conuiuio. Flaccus, *lib, 2 ſaty. 8. Et ſoleas poſcit.* alio loco, *lib. 1. Epiſt. 13.* —*ſoleas conuiua tribulis.*

In 14. Epiſt. ad villicum ſuum. *Ex lib. 28. cap. 31.* Vt meſonauta medius eſt inter nautas, id eſt, inter ſummos & imos: ſummos, vt gubernatores & proretas, imos vt remiges. Sic mediaſtinus, medius inter ſeruos fuiſſe videtur: ſummos, vt atrienſes & diſpenſatores: imos, vt compeditos, & notæ extremæ & quales quales. Vlpianus *l. item apud Labeonem §. queſtionis verbo ff. de Iniurijs. Etenim multum intereſt, qualis ſervus ſit, bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator, an verò vulgaris, vel mediaſtinus, an qualis qualis. & quid ſi compeditus, vel malè notus, vel notæ extremæ?* Itaque à medio nomen habet, reliquum in vocabuli productione numerandum eſt, non in ſignificatione. *Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas* non alio accipiendum eſt modo. Cùm, inquit, mediaſtinus mihi eſſes Romæ, votis optabas, vt villicus eſſes: cuius optati nunc te piget.

*Ex lib. 9. cap. 28.* Inuidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cùm eam ſola voluntate & ipſo afflatu & contagione maleficam & venenatam eſſe & hominibus quibus malè vellet, obeſſe graviter cenſerent: hinc illa Horatij, *Inuidiam placare paras virtute relicta?*

Leniendum enim & demulcendum hoc vitium, quòd crederent, ita loquutus eſt. Rurſum,

*Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam* *Limat, non odio obſcuro morſuq́; venenat.*

Plura de inuidia legas lib. 2. ſaty. 3. infrà.

In 15. Epiſt. ad Vallam. *Ex lib. 2. cap. 19.* —*ſeu pinguis tentus omaſo.* ab Hor. dicitur ad contemptum de eo qui obſonijs ſe ſaturat vilibus, vt alio loco, ſatyr. lib. 2. — *Tabulas cœnabat omaſi.*

*Ex lib. 6. cap. 25.* Apud Horatium —*tabulas cœnabat omaſi, Vilis & agninæ*, ita puto enucleandum, vt tabulas paropſides intelligamus more Græcorum, qui πίνακας vocant: *agninæ* autem potius quam *agnini* vt legam & auctoritate librorum teredine exeſorum facio impulſus, & opinione antiquórum, qui agninam de-

ſpicatui



ſpicatui habebant & viliſsimam ducebant. Indignè fert & ſtomachatur Plautinus paraſitus à laniis vendi agninam pro arietina, *Captiuis. Sc. Iupp. ſupreme ſeruas me,*

*Tum lanij autem, inquit, qui concinnant liberis orbas oues, qui locant cædendos agnos, & duplam agninam danunt.* atque arguit eorum dolum, quod pro vna arietina offa, duplam venderent clam ſuppoſitam pro ea fallaciter agninam: aut potius, quòd & apertè agninam venderent, & rurſus pro arietina agninam ſupponerent. Apud Philonem quoque in Presbeutico agninæ carnes, vt inſuaues illuduntur à Caligula: ſic autem ſcribitur καὶ φαμένου τινὸς ὡς πολλοί γε καὶ τὰ προχειρότατα ἀρνία οὐ προσφέρονται, γελάσας εὖγε εἶπερ, ἔστι γὰρ οὐχ ἡδέα.

*Ex lib. 18. cap. 23.* Apſides lances ſunt rotundæ, quæ & parapſides etiam dicuntur: Sunt & tabulæ in lancium genere magis latæ & planæ, vt apud Horatium,

—*tabulas cœnabat omaſi,* *Vilis & agninæ*

*Ex lib. 26. cap 20.* Vir doctiſſ. Victorius in Horatio legit —*non Hercule miror* *Aiebat, ſi qui comedunt bona.* Eodem modo lib. 22. Epiſtolarum locutus eſt Seneca, *Multi bona comedunt: multi amicas habent.*

*Ex lib. 27. cap. 16. Et quidem*, inquit Curtius, *ſuas quiſque opes diuiſis imperij partibus tuebantur, quas ipſi fundauerant, ſi vnquam aduerſus immodicas cupiditates terminus ſtaret.* nam Cic. pro Rabir. eodem modo dixit *Opes fundatas ac benè conſtitutas.* Sic autem eas dici intelligo, quæ firmæ ſtabileſque ſunt: non tantùm à fundamentorum firmitate notione ducta: ſed etiam à fundo & ſolo. Certiſsimæ enim illæ facultates ſunt, quæ in fundis conſtitutæ ſunt: non item quæ in nummis aut in rebus mouentibus, non in rebus ſoli. Hinc & illud Flacci,

*Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.* id eſt, in fundis & villis poſita & conſtituta.

In Epiſt. 17. ad Sæuam. *Ex lib. 7. cap. 20.* Duplex erat Cynicis pallium, vt Crateti & Diogeni. quod Septimius indicat: *lib. de pall.* vnde Horatius ſcripſit *lib. 1. Epiſt. 17.*

*Contrà quem duplici panno patientia velat:*

nam de illo duplici pallio exiſtimo eſſe interpretandum verſum Horatij, eoque Cynicum philoſophum intelligi, quorum profeſsio patientia erat & æquanimitas. Inſtituit autem Diogenes pallium duplicare: Laertius, πόρον ἐξεῦρε τῆς περιστάσεως τρίβωνα διπλώσας πρῶτος.

In Epiſt. 18. ad Lollium. *Ex lib 1. cap 21.* Libro 9. Epiſt. ad Atticum, mallem equidem legere Minucia quã Numicia, Nam Numicius apud Maronem cæteroſque poetas ſecundam producit, vt in Horatio legendum ſit. *Brunduſium Minuci melius via ducat an Appi?*

qui quidem ſyllabæ modulus apud Ciceronem eandem etiam vocem conſtituit. Si enim apud Flaccum conſtat de ſcriptura, apud Tullium non dubitabitur.

*Ex lib. 11. cap. 6.* Vt premere pollices eſt fauere, vt Plinius *lib. 28. cap. 2.* ait, & hoc verſu, *Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum*, ſcripſit poeta nobilis: quo etiam pertinere videtur illud Glyceræ ad Menandrum, τοὺς δακτύλους ἱμαντῆς πιέζουσα, ἢ ἂν προταλίζῃ τὸ θέατρον. ita pollicem vertere damnantis erat, quod & à Politiano *Miſcell. cap. 42.* præclarè explicatum fuiſſe recordor, & in muneribus gladiatoriis, qui eum, qui ſuccubuerat aduerſario, occidi iugularique volebat, pollicem vertebat, vt munerarius: Iuuenalis, *Saty. 3.*

—*& verſo pollice vulgi* *Quem libet occidunt populariter.*

& Prudentius de Veſtalib. *lib. 2. contra Symmach.* quæ gladiatores Romæ in eminenti podio ſpectabãt, quod decus & honos pro perpetua eis virginitate tribuebatur.

—*pectuſque iacentis* *Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis,*
*Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:* *Altius impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.*

In Epiſtolam 19. ad Mæcenatem *Ex lib. 17. cap. 22.* Teſca vel teſqua loca ſunt inculta & aſpera, vnde apud Horatium, ſqualor & aſperitas teſcor, vel teſquor appellatur illo verſu, vt quidam legunt, *Exiguæq́; togæ ſimulet teſquore Catonem* verum eruditiſſ. viro Lambino aſſentior & antiquis interpretibus, qui *textore* defendunt hoc ſenſu, qui hoc ſimulet & effingat Catonem, quòd ſibi exiguam ipſe texat vel texi iubeat togulam nec illos audio qui *geſtore* legunt & animo ſuo morem gerunt, ſcriptura nouanda nimium licenter. Squalus eſt piſcis, cuius nomen ab aſperitate fluxit. Nam è ſquaror, ſqualor & ſqualus originem duxere, eo nomine apud Plinium *lib. 9 cap. 24.* cenſeri videntur omnes cartilaginei piſces longæ formæ, vt cùm ſcribit, *quo in numero ſunt ſquali quoque, quamuis non plani.* Sed locus iſte mihi de mendo non iniuria ſuſpectus eſt, cum in quodam exemplari ſqualij repererim. quid ſi igitur Plinius Græcam vſurpauit vocem, & galei ſcripſit, cùm Latinam quæ ei reſponderet, non haberet? quod quidem & animaduerti Maſſario placere, quo ad affirmandum ſum audacior, eius ſubnixus iudicio.

*Ex lib. 10. cap. 2.* Sappho maſculam cur Horatius vocet, pauci animaduertunt non deſunt etiam, qui obſcœnius interpretentur, quod mihi faciendum non videtur eſſe. Nam cùm ait, *Temperat Archilochi muſam pede maſcula Sappho.* Maſculam intelligit, quæ tam audaci & virili animo fuerit, vt de Leucade petra præcipitem dare ſe auſa ſit, quod à Papinio in ſiluis ita canitur: *lib. 3. ſilua. 3.*

—*ſaltuſque ingreſſa viriles* *Non formidata temeraria Leucade Sappho.*

Atque vt Horatium hoc in loco ſatis obſcurum illuſtremus: vt mihi videtur, ait in Carminum libris ſe Alcæum & Sappho imitatum eſſe: in libris Epodon Archilochum cùm præſertim à Grammaticis liber Epodon Archilochi citetur, & in libro eiuſdẽ nominis Flaccus plurimũ Iambicis Archilochiis, & eo genere verſuũ vtatur, quos frequentaſſe Archilochũ nouimus & in Epodis vſurpaſſe Grãmatici declarãt.

*Ex lib. 22. cap. 5.* Diludia Interualla ſunt & intermiſsiones ludendi, vt apud Horatium, —*& diludia poſco.*

In priorem Epiſt. Ad Auguſtum. *Ex lib. 30. cap. 29.* —*fœdera regnum* *Vel Gabiis. vel cum rigidis æquata Sabinis.* cum dicit Flaccus, videtur intelligere fœdus, quod cum Sabinis fecit Romulus. Gabinum quoq́: fœdus per vetuſtum erat, quod in corio bouis erat ſcriptũ. Feſtus, *lib. 3. in lit. c. Clypeum antiqui ob rotunditatem etiam corium bouis appellarunt in quo fœdus. Gabiorum cum Romanis fuerat deſcriptum.*

*Ex lib. 26. cap. 24.* Queritur Horatius ab hominibus non ſatis æquis, elegantia ſcripta non alia de cauſa improbari quàm quod recentia ſunt: alia inelegantia hoc ſolo nomine cenſeri, quod antiqua, atq; ita videri ea dicit diſerta, vt non deſit, qui propè ea *Dictitet Albano Muſas in monte locutas.*

vbi

vbi ſanè ambigitur, cur Albani montis mentionem fecerit. Ingenioſum enim & intelligentem poetam non eſt veriſimile iſtud de nihilo loquutum. Ego verò exiſtimem cùm in Helicone Bœotiæ monte Muſæ colerentur & Pimpleo & Pieria montibus, illiſque è locis à Græcis poëtis ſæpe inuocarentur, ſed & à Latinis, Horatium in medio Latio Latinis Camœnis Albanum montem conſecrare voluiſſe, qui Ioui Latiali & alijs diis ſacer erat, vt Latinorum ille eſſet Helicon. ac vt melius quod ſentio, explicem: cum videret monticolas eſſe Muſas, Muſarum Latinarum ſedem voluit in medio Latio eſſe tumulos Albanos, vbi communia ſacra Latinorum celebrari ſolebant.

*Ex lib.30.cap.7.* —*depinge*, inquit Perſius, *vbi ſiſtam Saty.6. Inuentus Chryſippe tui finitor acerui.* hoc de ſyllogiſmo aceruali, qui Sorites dicitur, ſine controuerſia intelligitur: qui captioſus eſt, vel teſte Flacco, *Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui.* Eius ſyllogiſmi interrogationib. excogitarat quomodo reſpondendum eſſet Chryſippus, quieſcendum enim eſſe dixerat: quod Perſius dicit ſiſtere.

*Ex lib.26.cap.24.* —*aufert*, inquit idem *Pacuuius docti famam ſenis, Actius alti.* ſed quonam obſecro ſenſu? equidem video quod in promptu ſe oſtendit, Pacuuium doctum iudicari, Actium grandiloquum. Sed in receſſu aliud latére ſuſpicor. Vt enim Afranium Menandro, Plautum Epicharmo comparat: ſic videtur dicere Pacuuium Euripidi ſimilem, qui ſcenicus Philoſophus dicebatur: Actium Sophocli, cuius cothurni ſublimitas ab omnibus celebrata eſt. Eſt igitur doctus ſenex fortaſſe Euripides: altus ſenex, Sophocles.

—*Ioue iudicat æquo*, qui rectè vereque iudicat, Quibus enim dij irati infenſique ſunt, iis mentem & iudicium adimunt, vt antiquitas credidit: & malè iudicantibus mentem ablatam exiſtimabant à diis. *Iniuſtè totum ducit venditque poema.* hoc traductum eſſe ſuſpicor à venalium ſeruorum familiis, vel à mangonibus ductum, aut mangonum miniſtris, ſolerter & ſcitè emptores adlicientibus ad venales, quos ducebant. nam pulchriora mancipia reliquum ducebant gregem & vendibiliorem reddebant: & deformiorem plerunque ſerui acceſsionis loco pulchris, qui vendebantur cedebant. Huc & illud Ciceronis facit. *lib.7. famil. Epiſt.5. Accedit etiam quod familiam ducit in iure ciuili ſingularis memoria.* niſi ſi quis putet à ſeruis illis ſumptum illud Ciceronianum, qui præſunt familiæ opus facienti ruſticum, eamque ad opus ducunt.

*Ex lib.14.cap.17.* *Atta*, inquit Tranquillus, *Claudio gentis principe.* Attæ autem vocabantur, qui propter vitium crurum vel pedum, inquit Feſtus, plantis inſiſtebant & terram magis attingebant, quàm ambulabant. Quod cognomen dicitur Quintio poetæ adhæſiſſe. de quo Horatius,

*Rectè necne crocum, floreſque perambulet Attæ Fabula.* Eo pedum vitio laboraſſe crediderim auctorem gentis Claudiorum, hocque cognomentum tuliſſe.

*Ex lib.22.cap.25.* Carmen Saliorum initium poetices apud Romanos Varro dicit, quod obſcuriſsimum erat, Eius meminit Flaccus, Iam Saliare Numæ carmen qui laudat.

*Ex lib.19.cap.3.* *Fronde comas vincti c. & c. dictant.* vide ſupra lib. 1. Carminum od. 7. in explicatione huius verſus. *Vndique decerptam fronti præponere oliuam.*

*Ex lib.26.cap.24.* —*viuit ſiliquis & pane ſecundo*, quod ait, vel de leguminibus ſiliquas dixit, vel fructũ quendam viliſsimum, quem Græci κεράτια vocant, intellexit. quæ eſt Lambini ſententia, vt in Euangelio D. Lucæ, καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι, quod oſtendit cibum viliſsimum fuiſſe. Similis eſt apud Perſium locus

—*ſiliquis & grandi paſta polenta.* porrò cùm ait, *Saty.3. Tellurem porco Syluanum lacte piabant*, Ruſticos priſcos ait coluiſſe ferias ruſticorum numinum, vt Telluris agricolationis parentis: & Syluani tutoris Fauni & ſyluarum præſidis & paſtionis. nam in ſyluis pecora habebantur, & eorum lacte piabatur colebaturq;. Illos etiam ſuos coluiſſe natales ſignificat cum ſcribit,

*Floribus & vino Genium memorem breuis æui.*

Nam de natali ſcribit Perſius, *Funde merum Genio. Satyr.2.* Genius, breuis huius noſtræ ætatis, quam tranſigimus, memor cuſtos eſt. Præeſt enim nobis, noſque tuetur. Ita non ſolum ei Deæ, quæ alimenta ſuppeditabat: & Deo, qui pecus procurabat, ſed etiam Genio, in cuius erant tutela pij gratique mortales, rem diuinam faciebant. Verum enim vero, numerus Saturnius verſus, vt ait Aſconius, ſenarius eſt hypercatalecticus: vt, *in 2. contra Verr. Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.* Quod ideo addidi, quia interpretes, qualis verſus fuerit Saturnius, Pythagorico quodam ſilentio tacent.

*Ex lib.26.cap.25.* Quod in Horatio ſcribitur, *Geſtit enim nummum in loculos dimittere.* demittere emendatius, vt opinor, erit. Nummi enim in crumenam demittuntur, cùm in eam deſcendunt.

*Ex lib.18.cap.12.* Rectus talus eſſe videtur eorum qui ſtant: qui cadunt eorum non rectus. Hinc illorum duorum poetarum Horatii & Perſij elegantes translationes,

*Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.* & —*tibi recto viuere talo Ars dedit.*

Ideo dico, quòd ſententia facilius informatur origine translationis non ignorata. qui enim eam indicat, veluti digitum ad fontem intendit. Talus autem in ſuffragine animalium talum habentium, dum ſtant, rectus eſt. Ariſtoteles, *lib.2, cap.1. de hiſt. Animal.* ἔχει δὲ ὀρθὸν τὸν ἀστράγαλον ἐν τῇ καμπῇ τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον ἔξω. Sed & in talis luſoriis, cùm ita euenit, vt talus in latera quatuor non cadat, ſed in extrema & tanquam capita, quod perquàm rarum eſt, rectus eſſe dicitur. Cic. de Finib. *ita iacere talum vt rectus aſsiſtat.*

*Ex lib.26.cap 25.* Cum autem ait, —*ad incertos oculos*, —migraſſe voluptatem. Qui incerti ſint oculi quæritur, & ab Academicis arceſſunt interpretationem multi fidem ſenſibus detrahentibus & cohibentibus aſſenſionem. Ego incertos potius oculos crediderim, qui variis rerum ſpectaculis capiuntur, & hoc & illud auidè intuentur, & voti ſui incerti ſunt, neque conſtanter vnam aliquam ſpeciem, qua fruantur, probant: ſed multiplici varietate rerum diuerſarum delectantur atque gaudent. Illud autem *Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas*, hanc habet, opinor, ſignificationem eo vſque fabularum vt Tragœdiarum actioné placere, dum ſpectacula choragij magnifici ſpectatorem delectant, triumphum propè imitantia pompæ & ferculorum elegantia: non enim ſolebant in theatro triumphari: ſed ludis theatralibus eximio apparatu





ratu ornamenta rerum precioſiſsimarum, aut raritate viſendarum traducebantur, & ludis ſcenicis addebantur. quod quidem choragium ſuperuacaneum obeſſe actioni fabularum plurimũ dicit Horatius: vt ſpectator in diuitias pompæ intentus & in ornamenta, & ſtrepens plaudenſq; non audiat actorẽ. Hac de re ſic in Epiſtola ad Marium Cic. ſcribit, *lib.7. familiarium Epiſt.1. Quid enim delectationis habent ſexcenti muli in Clytemneſtra? aut in equo Troiano tria millia craterarum? aut armatura varia peditatus & equitatus in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attuliſſent.* Ergo premuntur aulæa, cum humi ſtrata ſunt in ſcena, dum aguntur fabulæ: acta fabula tollebantur. Donatus, *de Tragœdia & Comœ. Aulæa quoq; in ſcena in terra ſternuntur, quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam vſq; perlatus.* Cicero *Pro Cœlio* de Mimo acto, *Scabella concrepant, aulæum tollitur.* Maro quoque *3. Georg.* ita ſcibit, *Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.* Premi ergo aulæa dicit, quæ occupata ſunt, nec vt Porphyrio dicit, ceſſant: ſed impediuntur.

*Ex lib.5.cap.9.* Cùm ſcribit Horatius, *Ille per extentum funem mihi poſſe videtur Ire poëta*, eſſe poteſt tranſenna, id eſt, extenſus funis, quem veluti perambulet funambulo poëta rerum miraculo perſimilis.

*Ex lib.26.cap.25.* AEdituos autem virtutis belli domique ſpectatæ vocat poëtas, vt celebratores virtutis & cultores, qui eam ſuis carminibus decantant. Aeditui igitur ſunt cultores vt πρόσπολοι & νεωκόροι. nam cùm alij fortaſſe deum aliquem eximiè colunt, tum vel potiſsimum Aeditui eius & ſacerdotes præter cæteros id faciunt: nec alioqui parua cultus pars in æde tuenda, cenſenda eſt. Enim verò illud,

*Diſcit enim citius, meminitque libentius illud, Quod quis deridet,*

non de malo poëta accipio & agnoſco, qui cum malè iudicet, ea potius amplectitur & recordatur, quæ alius derideat: ſed de auditore aut lectore, qui quod derideat, citius diſcat & meminerit libentius quam quod probet. Ac ſic conſtruo, quod quis deridet, diſcit & meminit libenter: vt ſi quid ridiculum & ineptum ſit in poëmate: vt Auguſtus non debeat optare ſuum à malo poëta nomen decantari, ne illo poetæ officio & pingui ineptoq; eius munere non tam ornetur quàm dedecoretur. Imo verò ipſe qui illo poemate cantetur, cum poëmate deferatur ad aromatarium in vicum vnguentarium. qui erat in regione fori Romani vt ex ineptis illis chartis inuolucra & penulæ aromatum fiant. Non eſt autem dubium quin Chœrilus per œ ſcribi debeat quem Thucydidis & Herodoti ætate floruiſſe narrant: & Athenienſium de Xerxe victoriam verſibus illuſtraſſe, in ſinguloſq; verſus totidem nummos aureos accepiſſe ab Athenienſibus, facto etiam decreto, vt cum Homero legeretur. Aut igitur quod Athenienſes fecerunt, tribuit Alexandro Horatius: aut alter Chœrilus etiam fuit, qui res Alexandri carmine complexus eſt, & ab Alexandro Athenienſium factum imitante, ſingulis in verſum Philippeis aureis donatus ſit.

# IN ALTERAM EPISTOLAM LIB. II. HORATII AD IVLIVM FLORVM.

*Ex lib. 21. cap. 8.*

IN hoc ſermone, —*metuens pendentis habenæ*, non tam eſt metuens lora, quibus cædi ſerui ſolebant (quanquam ſic accipi poteſt) quàm metuens vincula, quibus ad trabem adligati ſerui cædi pendentes ſolebant more Romano, vt ab Acrone dicitur: cuius conſuetudinis multa ſunt in Plauto impreſſa veſtigia. Illud quidem Terentij *Eunucho act. 5. ſc. 7.* ſic id declarat, vt dubitari non poſsit: *Tu iam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum Nobilitas flagitiis.*

Miram quãquam medicinam facit Horatius, qui homines inſanos malo veneno purget, cùm ſcribit, *Quæ poterunt vnquam ſatis expurgare cicutæ?* Cõſtat enim in medicamentis lethalibus cicutam numerari, non ſalutaribus, cum frigore perimat. Nam quod Perſius *Saty.5.* ſcripſit —*quam non extinxerit vrna cicutæ*, ad eius frigus retulit. Aut igitur cicutas pro herbis medicatis purgantibuſq; poſuit, in quibus omnibus viroſus quidam ineſt ſuccus malo medicamento proximus, vt & medici vltro fatentur: vt viciſſim etiam ipſum helleborum Plinius *lib.10.cap.23.* venenum vocat, de coturnicibus ſcribens, *coturnicibus veneni ſemen cibus gratiſsimus.* Aut cicutas dixit reſpiciens ad ferulaceos & cicutis ſimiles hellebori caules, vt ex caulium hellebori cicutis, helleborum cicutas ab eo appellatum credamus: vt & poëta Maro *Eclog.2.* cicutas appellauit fiſtulæ ſeptemplicis cera compactas cannas. Sed & — *Anticyras melior ſorbere meracas*, multo incredibilius & inopinatius Perſius *Saty.4.* dixit, inſulæ nomẽ helleboro tribuens, quod tamen Græcorũ feciſſe exemplo poteſt videri, qui ſeſamoides, quod & helleborus albus vocabatur, ἀντικύρικον appellabãt, vt eſt apud Heſychium & Dioſcoridem *lib.4.cap.135.* Veriſimilius omnino ſit eum ſermone ſatyrico & iocoſo, cui aſſueuit, vſum eſſe, & ad medicamentorum infamiam helleborum cicutam vocaſſe, vt venenum: aut venenatam ſpeciem pro ſpecie medicata ilocalariter & mordaciter poſuiſſe.

Non reperio vſquam, quod à Porphyrione ſcriptum eſt, Bionem patrem Ariſtophanis poëtæ fuiſſe, cum vno omnes ore Philippum eum appellent, nec Laërtius, qui decem eius nominis memorat, in eis Ariſtophanis patrem ponit. Veriſimilius eſt igitur vel de Bione Boryſthenita, vt Acron ſcribit, & ipſe exiſtimo, Horatium intellexiſſe, cuius libri melle & felle iocoſo conditi fuerant: de quo & à Cicerone ſcribitur lib.3. Tuſculanarum diſputationum, *in quo facetum illud Bionis.* vel de Bione filio Aeſchyli, quem & ipſum tragicum fuiſſe Suidas refert. Nominat & Bionem tragicum ex eorum numero tragicorum, qui ſunt Tarſici dicti, Laërtius. Ego tamen veriorem Acronius crediderim ſententiam: Ac fortaſſe Bioneos ſermones dixit, oculos ad ſermonum ſuorum libros interim reflectens.

*Ex lib.7.cap.19.* Purgare eſt interdum inane & vacuum reddere, id eſt, purum: nam purus locus interdum dicitur, in quo nemo homo eſt, & qui nulla re occupatur, vt eleganter apud Flaccum emendauit politiſſimi & doctiſsimi iudicij vir Dionyſius Lambinus:

—*verum Puræ ſunt plateæ nihil vt meditantibus obſtet.*

*Ex lib.11.cap.26.* Explicato verſu illo, qui eſt lib.1. Carminum Oda.7. *Vndique decerptam f.p.p.* Similis eſt ferè, inquit Adrianus, ratio & figura in illo primæ Odæ loco:

*— me gelidum nemus Nympharumque leues cum Satyris chori Secernunt populo.*

Significat enim è locis nemoroſis & ſolis, quibus delectantur poëtæ, ſe delectari poëtices ſtudio. Nam vt ad Florum ſcribit,

*Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes Rectè cliens Bacchi ſomno gaudentis & vmbrâ.*

*Ex lib.21 cap.8.* *Carmina*, autem, *compono* de ſe Horatius dicit, atque odas & melicos verſus ſignificat: vnde & mox ſubiicit, *Diſcedo Alcæus puncto illius* Alcæum eum lyricum potiſsimum ſibi ad imitandum Horatius propoſuerat. *Audebit quæcunque parum ſplendoris habebunt.*

Valet illud *audebit*, in animum inducet, volet, ſuſtinebit: vt apud Maronem, *Aude hoſpes contemnere opes*: latet tamen etiam neſcio quis facinoris auſus. Verſari enim *adhuc intra penetralia Veſtæ* verba dicit, velut in tuto conſtituta & inſpoliato aſylo, vt attingi non debeant, nec lædi, loci ſanctitate & religione defenſa. Nam è templo & penetrali Veſtæ nefas erat extrahi, vt reor, ac ne eò ingredi quidem licebat, preterquam Pontifici & Veſtalibus: ſed & ſupplices, ad quos potiſsimum adluſit, ad Veſtam priuatam & focum ſedebant, quod religioſiſsimum & ſanctiſsimum ſupplicandi genus erat. Thucydides de Themiſtocle ſupplice, τὸν παῖδα σφῶν λαβὼν καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν. Lego apud Lucretium lib.2. *Nam tibi Vementer*, vt apud Flaccum *Vemens & liquidus, puroque ſimillimus*: quòd ſi vehementer & vehemens legere vis, vocales duæ per ſynecphoneſin in vnam coïbunt & coaleſcent.

*Ex lib.10.cap.3.* Libro Columellæ 3. non ſolita frequentique ſignificatione *vehemens* in luxuriante exuberanteq; ponitur, vt cũ ab eo ſcribitur, *Terræ denſæ vehementem multaq; materia frondentem. cap 1* Nam ei opponit vitem rari ſarmenti. Iterum, *cap.10. Vnde etiam materiæ vehementiſsimæ reperiuntur, aut in capite vitis, aut in crure vicino radicibus.* Hic vehementiſsimas materias dicit luxuriantes & maximas, in quibus & prolixiſsima dixit eſſe flagella & productiſsima ſarmenta. Fortaſſe etiam non diſsimili notione & ſignificatu Horatius dixit de nitido elegantique viſu, *Vehemens & liquidus puroque ſimillimus amni*, quod ferax ſit & fœcundus in producendis rerum vocabulis, ſemperque aliquid aduehat, & vt amnis vehemens exundet. Nam quod vehementem & liquidum dicit & purum, à fluuio tranſtulit magnum aquarum limpidarum agmen vehente: quod nonnulli ad poëtam commodius quàm ad vſum referri poſſe cenſent, quibus non aſſentior.

*Ex lib.21, cap.8.* *Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa mouetur.* Inſolenter hoc penè dictum eſſet, niſi apud Græcos multæ eius generis paterent formulæ. Vt igitur illi κινεῖσθαι κίνησιν dicunt, ſic moueri Satyrum dixit, quod eſt, vt ita dicam motum Satyri & ſaltationem moueri & ſaltare De Satyrorum ſaltatione dixit Maro, *Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.*

*Ex lib.6.cap.15.* Nos ex noſtra inſcitia alios fingimus, & exiſtimamus, improbè fortaſſe: ſed profectò ea nobis cauſa eſt ſcribēdi tralatitia multa: quæ quod diu ignorauimus, alijs etiam multis ignota credimus: velut eſt illud quod apud Flaccum hic exponimus, quod vt dici ſolet, in ore eſt omni populo, *Sed vocat vſq; ſuum qua populus adſita certis.*

*Limitibus vicina refugit iurgia*: Diu putauimus adſitam populum eſſe, in limite & confinio plantatam iuxta vicini poſſeſsiones: cuius ſententiæ non me pœnitet aut piget Quia tamen plus ſcriptoribus antiquis fidei habeo, quàm mihi, ſententiæ incipio diffidere meæ, ac labaſco paululum. Nam adſitam interpretatur Agretius, maritam, iuxta vitem ſatam. Eius verba proferam *inſita*, inquit *eſt arbor, cui inciſæ, alienum germen includitur: adſita, cui incolumi aliquid quod ſuſtineat adiungitur.* locumque Horatianum, quem protuli, nominat, *— qua populus adſita certis, quippe*, inquit, *quæ vitibus maritatur.* Huius Grammatici ſententiam perſcribere volui, & facile ſum paſſus me ignoraſſe videri, quod ille, cui plus videre in literis datum eſt, perſpexit: non tamen omnino quod credideram inſulſum inſictumque eſt. Legi & qui propoſitionis rationem non haberet, & adſitam pro ſata intelligeret. Apertius autem multo Catullus *in epithalam. Iull & Mallis* ſcripſit,

*Lenta qui velut adſitas. Vitis implicat arbores.*

Obſeruaſſe videor ab antiquis illis ſcriptoribus, naturæ deum appellari, non eum qui vniuerſæ naturę ac ſummæ rerum adminiſtrationem curamque gerit, quique cœlo, mari terræ præeſt: ſed qui naturam hominis cuiuſque aut hominem regit, fouet, tuetur, curat, ſeruat: eſtq; quidam hominis genius. Extat in Bacch. prologus non ille quidem à Plauto ſcriptus, qui tamen antiquitatem olet, in quo genialis deus Silenus, naturæ Deus dicitur: ſic enim ſcribitur, *Naturæ deus ſum Bromij altor maxumi.* & apud M. Actium in Menechmis. *Sc. Benè obſonani. Nunc ipſi naturæ deo mihi reſponde adoleſcens.* Expreſsius Horat.

*Scit Genius natale comes, qui temperat aſtrum*
*Naturæ Deus humanæ, mortalis in vnum Quodque caput.*

# IN Q. HORATII FLAC. SERMONVM LIB. ADNOTATIONES EX ADVERSARIORVM ADR. Turnebi libris deſcriptæ.

In 1. Satyram. libri prioris. *Ex lib. 26. cap. 15.*

EX Paulino agnoſcimus, quod & in veteribus recognoſcimus antigraphis, in Salluſtij bello Iugurthino legendum, *forte potius quàm virtute regatur.* non, vt promulgatum eſt, *ſorte.* Eius verba ſunt: *Et forte magis quam numine arbitraris argentum illud ſancti commercii inter hibernos turbines & nautas auaros amiſſo cuſtode ſeruatum.* Fors enim fortuna eſt. proinde & in Horatio, quod & appromittuntur libri vetuſtate carioſi & fuliginoſi,

*Qui fit Mæcenas vt nemo quam ſibi ſortem Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit.*

id eſt, fortuna ſcribendum cenſeo, & ſi mihi liceret vſurpare verba patrum conſcript. conſentio conſciſcoque.





*Ex lib.6.cap.25.* In eodem poëta. *Saty.6.* *— eia Quid ſtatis? nolint*: ſine vlla dubitatione legendum eſt, pendente è ſuperioribus ſententia: ait enim ſi quis deus dicat, iam quod vultis faciam, nolint. Hæc cum ego ſcripſiſſem, admonuit me ſummus meus & intimus amicus Leodegarius à Quercu eandem conſtitui à Britannico lectionem: in quo mirificè lætatus ſum me in veſtigiis doctiſsimi viri pedem poſuiſſe, etſi eius commentarium non euolueram.

*Ex lib.12.cap.3.* Etſi qui iocantur plerunque mentiuntur, & mendacio gratiam quærunt, tamen iocantem Horatius nihil putat vetare verum proloqui, cum lepos & venuſtas ioci pro inuitamento & illecebra plerunque ſit, & ſermonem verum condiat, & perfundat iucunditate ſui, vt dulciario opere pueri & cruſtulis ad literas diſcendas quodam blandimento inducuntur, idque eſt, quod Horatius ſcribit,

*— vt pueris olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint vt diſcere prima.*

Eſt igitur plerumque iocus poëtis pro cruſtulo & bellario veriq; condimento. Cum autem ibi ait Flaccus, *Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo*: *Sed tamen* vacat: ſed eo ſolent interdum vti Latini, cum inchoatū ſenſum & longo tractu productum, aut interpellatum interiectione & diſtractum, reuocare & continuare volunt. Cic.2. Tuſcul. *Etenim ſi orationes, quas nos multitudinis iudicio probari volebamus: popularis eſt enim illa facultas & effectus eloquentiæ audientium approbatio. Sed ſi reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent. niſi quod ſe imitari poſſe confiderent, quemque ſperandi ſibi, eundem & benè dicendi finem proponerent, quid futurum putamus, cum adiutore populo, quo vtebamur antea, nunc minimè vti poſſe videamus?*

Quod autem Flaccus ſcribit, *Perfidus hic copo*, non de his tantum quidam intelligunt, qui ſtatam habent in vrbibus cauponam: ſed de copiariis etiam, qui magiſtratibus præbenda & eorum familiæ præſtabant publicè conducta, qui peregrinantes principes & magiſtratus ſectabantur, vinum cibariaq; vendentes: in quinta vtique Satyra apertiſsimum eſt de ijs intelligi, qui certam ſtatamq; vſpiam habent cauponam, *Differtum nautis, cauponibus atque malignis*, malignitatem enim eorum accuſat, qui malignè & illiberaliter victum ferè præbent: in Q. Cicer. dubium magis videatur eſſe, & de copiariis intelligi etiam fortaſſe nomen coponis poſsit, niſi, *omnes* vniuerſitatis particula officeret, cùm ita ſcribit in commentario de Petitione conſulatus, *in petitione autem conſulatus, copones omnes compilare per turpiſſimam legationem maluit, quam adeſſe, & pop. Romano ſupplicare. Annus* vero *inuerſus*, annus eſt brumalis, vt ſi περιτροπέων diceretur. Nam τροπαὶ à Græcis reuerſiones ſolis vocantur, à Latinis Bruma & Solſtitium.

*Ex lib.19.cap.29.* *Quæ ſimul inuerſum contriſtat Aquarius annum*, vt Horatius dixit, ſic Theocritus τετραμμένω ἄαρος ἤδη: Sed Horatius Brumam intellexit, Theocritus ver. Aratus quoq; ſcripſit ἵνα τρέπεται ἠέλιος ἦς.

*Ex lib.10.cap.21.* *— Quid habet pulchri conſtructus aceruus?* recurre ad lib. 2. Carm. od. 2. *Nullus argento color eſt auaris.* &c.

*Ex lib.5.cap.13.* *Cur tua plus laudas cumeris granaria noſtris?* Vide ſupra lib.1. Epiſtola 7. de cumera.

*Ex lib.11.cap.23.* In primo quoque Sermone, quod animi eſſet nimium diſſoluti & negligentis prætermittere, hanc in antiquo libro ſcripturam reperi:

*Plenior vt ſi quos delectat copia cornu.* cum hodie, *Iuſto* & quidem perbellè edatur: ſed illud alterum extra numerum iacere aut pro reiiculo eſſe, fortaſſe non debuit, cum ſententiæ non malè conueniat. Nam Copia cornu plenior, erit copia quæ cornu abundantiore & bonis opulentiore refertioreq; eſt.

*Ex lib.28.cap 38.* *— quia tanti, quantum habeas, ſis* Horatij ſententiam, quam crebro patres auari filiis occinere ſolebant, eos ad pecuniæ & diuitiarum ſtudium accendentes, expreſsit ad verbum Plutarchus in commentario de diuitiarum cupiditate, ταῦτα γάρ ἐστιν ἃ παραινοῦσι καὶ διδάσκουσι, κέρδαινε, καὶ φείδου, καὶ τοσαύτου νόμιζε σαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς.

*Ex lib.12.cap.3* Iam illud. *— Iubeas miſerum eſſe libenter, Quatenus id facit.* ita accipiendum arbitror, qui inſanabilis eſt, nec deduci de auiditate ſtudioque nummorum accumulandorum poteſt, eum cum videas in maxima verſari miſeria, iubeas eam, quantamcunque auaritia adfert, libenter iucundeque ferre. Eſſe enim puto *Quatenus id facit*, ad quam vſque ſtudium lucri miſeriam perducere ſolet. Miſeria autem magna eſt in quærenda omni labore pecunia, & diligenter cuſtodienda, furibus cauendis, ſaccis indormiendo, nummis vt ſacris parcendo & abſtinendo, fame ſe enecando.

*Ex lib.11.cap.23.* Quin quod in prima ſcribitur, *— neque ſe maiori pauperiorum Turbæ comparet*, in eo, *meliori pauperiorum*, ſcriptum comperi, quomodo meliorem partem pro maiore dicere vſus obtinuit.

In 2. Satyr. *Ex lib.11.cap.23.* Quas Horatius Ambubaias appellat, eas equidem eſſe nomen adeptas exiſtimo, quòd circum Baias, quarum lauacra calida delicatis hominibus ſtudio & voluptati erant verſarentur, fuiſſeque mulieres laſciuas & impudicas arbitror, quæ Romam vſque tandem permanarint, ibique cœtus habuerint.

*Inter ſcortorum vrbis Ambubaiarumq; miniſteria*, in Nerone Tranquillus *cap. 27.* dixit Ambu autem pro an, quod eſt circum, dixiſſe veteres, vt indu pro in, exiſtimo. Inde fortaſſe Ambarualis & Ambedo. Videtur etiam vt ab ἄμφω ambo, ſic ab ἀμφὶ ambu deduci poſſe. Non aſſentior ijs, qui è Syria vſque hanc vocem repetunt. At Balathrones vel à barathro nomen habent: nam r. illud virile & ſtreperum in lambda balbum ſæpe effœminatur & emolleſcit: vel à blatheis, vt Verrio videtur. Nam ſunt Balathrones & blatheæ bullæ luti ex itineribus, aut quod de calciamentorum ſoleis deraditur. Nos integrum propè hoc vocabulum noſtra retinemus vernacula lingua Belithrones enim appellamus homines non bonæ frugi, & nihili nequamque. Varro de re Ruſtica, *lib.2.cap.5. videbo vos iam*, inquit, *balathrones: & huc adferam meum corium & flagella.*

Cùm autem ait Horatius, *Sub patribus duris tironum*, eum ſignificat fœnus exercere contra leges, quæ vetabant filiisfam. & minoribus 25. annis fœnerare: Plautus, *Pſeudulo Sc. Pſeudule non audis Mercatores ſc. Duas res. Tum me perdit lex vicena quinaria.* & alio loco, *Omnes tenerent mutuitanti credere.* Tirones autem appellabantur, qui ſumpſerant togam virilem, idque tirocinium vocabatur: Tranquillus in Caïo *Caligula cap. 10. vno atq; eodem die togam ſumpſit barbamque poſuit, ſine vllo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius.*

Meliuſculè autem ex antiquis codicibus, *— maxime quis non Iupiter exclamat,*

legitur: cum *exclamet* hodie excudi ſemper ſoleat. Malthini nomen pro molli finxit Horatius à Maltha, vnde & μάλθων Græce dicitur mollis & effœminatus. Demiſſæ autem tunicæ, ſunt tunicæ talares, quæ non viriles, ſed ceu fœminæ cenſebantur, vt infra, *Ad talos ſtola demiſſa & circundata palla.* Iterum.

*Cætera ni Catia eſt demiſſa veſte tegentis.* Attamen elegantiæ cultuſque ſtudioſi tales gerebant. Propertius, *lib.4. Eleg.2. Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.* Cumque tunicam cinctura colligeret & ſuſpenderet, diſcinctum fuiſſe probro dabatur, vt Mœcenati. Itaque in eius epicedio id excuſatur his verbis,

*Quòd diſcinctus eras animo quoq; carpitur vnum:*
*Diluitur nimia ſimplicitate tua.*
*Sic illi vixêre, quibus fuit aurea virgo:*
*Quæ benè præcinctos poſtmodo pulſa fugit.*
*Inuide quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?*
*Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?* Iterum
*Et tibi ſecuro tunicæ fluxêre ſolutæ?* Rurſum,
*Lydia te tunicas iuſſit laſciua fluentes*
*Inter laniſicas ducere ſæpe ſuas.*

Laxius quoque cingi, neque ſatis ſinum tunicæ adſtringi, vitio dabatur, vt Iulio Cæſari.

*Ex lib.11.cap.6.* Verſus eſt Horatij Satyricæ obſcœnitatis, — *mirator cunni Cuppennius albi*, explicandus tamen: mihi videtur ex pudenda parte mulierem intelligere, ex albo ingenuam. In ingenuis autem ſtupra legibus vindicabantur, non item in libertinis. Ingenuæ autem mulieres, albatæ erant libertinæ atratæ, nobiliores purpuratæ. Artemidorus καὶ εἰ μὲν ἡ χλαμὺς εἴη λευκὴ, ἐλευθέραν ὁ ἰδὼν γαμήσει. εἰ δὲ μέλαινα, ἀπελευθέραν εἰ δὲ πορφυρᾶ, εὐγενεστέραν ἑαυτοῦ. Sic enim coniicit ſomnia iſta & viſa Artemidorus, quòd his eſſent ſolitæ veſtibus vti ingenuæ, libertinæ & nobiles.

*Ex lib.11.cap.23.* Caudam autem ſalacem venuſtè dixit, & expreſsius quam Græci, quos imitatus eſt. Nam illi virile pudendum κέρκον, id eſt, caudam interdum vocant, & ὀρὰν. *Hunc* autem, *perminxerunt calones*, valet, huic pudicitiam eripuerunt: vt & in eclogæ clauſula,

*Ne nummi pereant aut pyga*, id eſt, ne ſtupretur.

*Ex lib.29.cap.31.* — *quamuis non vitta ligatos*, inquit Tibul. *lib.1. Eleg.6. Impediat crines, nec ſtola longa pedes.* Honeſtæ & ingenuæ matronæ vittatæ & ſtolatæ erant: non item libertinæ, vt hinc ſuſpicer amicam Tibulli libertinam eſſe. Nam in libertinis non vindicabantur Veneris furta, ac ex eo ordine multæ meretrices erant. Horatius. *Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda Libertinarum.* Meretricula apud Plautum, *Ciſtellaria ſc. Tum antehac amaui. Eunt*, inquit, *depreſſum, quia ſumus libertinæ.* Idem ſcribit, *Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte*, Ouidius de matronis ingenuis *lib.1. de art. amandi & 2.Triſt.*

*Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris*
*Quæque tegis medios inſtita longa pedes.* Iterum *2. de art. amand.*
*Luditur in noſtris inſtita nulla iocis.*

*Ex lib.24.cap.18.* Quod in epigrammate *ad amicum* ſcribitur à Catullo, *Mirificè eſt actu nactus vtrunque malum*, deprauatum ſuſpicor, emendandumq; reor. *eſt tactu*: quo ſenſu ab Horatio dicitur,

—*Matronam nullam ego tango.*

*Ex lib.29.cap.34.* Limare pro delibare vſurpauit Lucretius *lib.3.* hoc verſu,

*Floriferis vt apes in ſaltibus omnia limant.* Sic poſtliminij iure in ſua redit vox, quæ exulabat, & in cuius vicem *libant* ſubſtitutum fuerat, Sic, *Rem patris oblimare, malum eſt vbicumque*, dixit Horatius pro deterere.

*Ex lib.11.cap.23.* Sed & quod in quodam reperi perbono exemplari contemnendum non duxi, cum aliquanto ſit apertius & clarius quam editita ſcriptura,

*Nec magis huic inter niueos virideſq; lapillos*
*Sit licet, hoc Cherinthe tuo tenerum eſt femur aut crus Rectius.* Vt dicat gemmato quam inornato non eſſe delicatius femur. Puto tamen non adulteratum eſſe & verum, *Nec magis hinc &c — hoc Cherinthe tuum*, vt dicat, nō hinc femur hoc tuum eſt tenerius, quod ſit gemmatum & vnionibus diſtinctum. Lego etiam ex antiquis libris *Si interdicta petes, vallo circundata: nam te Hoc facit inſanum, multa tibi dum officiunt res* id eſt, ſi interdictam & vetitam petas matronarum venerem, ea veluti caſtra quædam, vallo circundata eſt, & magna difficultate expugnanda: quæ res tamen ad inſaniam te adigit & furorem. Placet etiam vt editur, — *vallo circundata (nam te Hoc facit inſanum) multæ tibi tum officient res.* ſi venerem matronarum appetas, ita vndique obuallatam atque munitam, quæ tamen res te ad amorem vehementer impellit & incendit, multa tibi obijcientur incommoda & impedimenta. Reperi etiam,

— *Chlorin tibi penè videre eſt Vt nudam:*

ſed neſcio quomodo velut centuriatis magniſq; comitiis omnium ordinum ſuffragia *Cois* meretur in his etiam meum, ſi forte hac acceſsiuncula lætetur. Chlorin tamen ſi quis tueatur, nomen erit meretriculæ. Sic & illa diſtinguo. —*leporem venator vt alta In niue ſectetur, poſitum ſic tangere nolit, Cantat: & apponit, meus eſt amor huic ſimilis.* Amator inquit, cantat vt venator ſectetur in niue libenter leporem, ſic appoſitum in ferculo nolit tangere: & mox addit (hoc enim eſt apponit) ſuum amorem eſſe ſimilem. *Sectetur* autem non *ſectatur* legendum eſt, quod & veteribus credimus libris & Grammaticorum rationi ita flagitanti aſſentimur. Mox reperio, *Hiſcine verſiculis*: & cum verſiculos dicat, ſatis indicat verſus ſuperiores pro cantico accipi debere vt explicaui.

*Ex lib.21.cap.15.* *Eſt quidam Græcus*, inquit Tullius in Piſonem. Philodemus autem ſignificatur, cuius Horatius meminit in Sermonibus, *Gallis hanc Philodemus ait.* Huius aliquot hodieq; amatoria epigrammata in ἀνθολογίᾳ ἐπιγραμμάτων Græcorum reperiuntur.

*Ex lib.11.cap.23.* Ne nummi pereant, aut pyga. id eſt ne ſtupretur.

In Satyram 3. *Ex lib.13.cap.1.* Conſociabo & illud ex eodem ſermone, *Vſq; ad mala citaret, io Bacche*, in quo *Io Bacchæ*, per dipthongum legi debere non iniuria nec ineptè ſuſpicor, cum & menſio ſyllabæ id flagitet, & imitatio videatur fanaticę exclamationis Liberalium ad Bacchas, aut etiam ipſarum inter ſeſe Baccharum furore correptarum vociferatio. Plautus Caſina, St. Bacchæ ergo Hercle vxor Cl. Bacchæ? St. Hercle vxor. Cl. quid eſt? Au. Nugatur ſciens. Nam eccaſtor nunc Bacchæ nullæ ludunt. St. Oblitus fui, Sed tamen Bacchæ.





*Ex lib.19.cap.30.* Prouerbium Græcum, quod è fidium harmonia ſumptū eſt, δὶς διὰ πασῶν, video explicari bis per omnia: cui ego interpretationi non poſſum vllo modo aſſentiri. puto. n. eſſe bis per omnes, vt chordas ſubaudiamus. Sic διὰ τεσσάρων eſt, per quatuor chordas, quarum tria interualla continent proportionem ſeſqui tertiam, quæ eſt quatuor ad tria. Tria interualla ſunt, ſeſquioctaua, ſeſquioctaua, & defectio, vel vt Cicero vertit in Timæo, relicta particula, id eſt, λεῖμμα, quæ proportionem efficiunt ſeſquitertiam, vt docent Muſici: & in diatonico genere ſunt, tonus ſcilicet, tonus & ſemitonium. Quæ tamen proportio, vt Pſellus præclarè docet, nō è tonis ſed è chordarū longitudine vel craſsitudine ſumi debet. Sic Diapente per quinq; chordas, quæ quatuor habent interualla, proportionemque efficiunt ſeſquialteram, quæ non è tonis aut ſeſquioctauis ſpatiis ſumi debet, ſed, vt dixi, è chordis. διὰ πασῶν per omnes, id eſt, per octo chordas. Nam octo chordarum erat olim muſica, quæ octo diſcrimina efficiebant vocum, & ſeptem interualla: ac δὶς διὰ πασῶν, bis per omnes, id eſt, bis per octo, quod eſt, per ſedecim chordas, quæ perfecta complexio eſt omnium concentuum, eiuſque ſunt quindecim interualla. Apud Horatium ſyſtema eſt tetrachordum, cùm ſcribitur in ſermonibus,

—*modo ſumma Voce, modo hac reſonans quæ chordis quatuor ima.*

ὑπάτη autem ab eo ſumma vocatur, νεάτη ima. ac Latinis quàm Græcis vocibus vti maluit: & ſi, quod ſtudium muſices in Græcia florebat, & eorum literis mandatum erat, obtinuerat vt omnia ferè in muſica Græcis appellarentur vocabulis.

*Ex lib.2.cap.14.* —*caſtæ ducebant ſacra per vrbem. Pilentis matres in mollibus,* dixit Maro. *8. æneid.* Ducere ſacra & ferre ſacra dicuntur, qui res ſacras & quæ ad ſacrum vtilia ſunt, remq; diuinam ferunt. Sic & apud Cic. in Verrem, *quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant, canephoræ ipſæ vocantur*: nam Canephorę caniſtra ferebant, in quibus ea erant poſita, quę ad Quinquatria aut Cerialia pertinebant. Horatius, *lib.2. ſaty.8.*

—*vt Attica virgo Cum ſacris Cereris procedit fuſcus hydaſpes.* Idem.

—*ſæpe velut qui Iunonis ſacra ferret.* Varro de ſacra via, *lib.4. de lin. latina. qua ſacra quot menſibus feruntur in arcem.* Ferunt & ſacra ſacerdotes, id eſt, res ſacras, aut ſacris vtiles & diis conſecratas dedicataſque, diiſque ſacrificant. Maro *2. Georg.*

*Me verò dulces primum ante omnia Muſæ, Quarum ſacra fero ingenti percuſſus amore.*

Matronæ autem honeſtæ apud Romanos in publicis ſacris vehiculis vehebantur in quibus ſacra ferebant: quo reſpexit Maro.

*Ex lib.13. cap.1.* Huic capiti adglutinabo & illud eiuſdem poetæ, —*ſæpe velut qui Iunonis ſacra ferret:* vbi quibuſdam *quæ* legendum videtur. Nam & Athenis virgines ſacra caniſtris in capitibus repoſita ferebant, & à virginibus id fieri in Iunonis ſacris religionis ritus poſtulabat non à maribus vel Ouidio teſte lib.3. Amorum ita ſcribente,

*More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.*

Sed animaduerto, *qui* retineri commodiſsimè poſſe, vt ad Tigellium ſuauiſsima vrbanitate & ſimilitudine referatur, qui tam lento paſſu tardoque incedebat interdum, vt Iunonis ſacra ferre videretur.

*Ex lib.13 cap.16.* *Aſt ego, quæ diuum incedo regina, Iouiſque Et ſoror & coniux.* à Marone *1. Aeneid.* cum cantatur, ſemper arbitratus ſum plus aliquanto latére, quàm ſtatim à nobis animaduertetur: tandem autem ex Athenæo cognoui inſigni quadam maieſtate inceſſus veteres exiſtimaſſe Iunonē procedere, quo reſpexiſſe poëtam iudicaui. Nam Athenæus ἡραῖον βαδίζει id eſt, Iunonio inceſſu ambulat, pro grauitate quadam & magnificentia inceſſus dixit, vt & Propertius, *lib.2. eleg.2.* — *& incedit vel Ioue digna ſoror.* Eum fortaſſe inceſſum etiam imitabantur, qui eius ſacra ferebant: vnde & Flaccus ſcripſit,

—*ſæpe velut qui Iunonis ſacra ferret*: quod tamen propter dignitatem ſacrorum tantæ deæ, & propter pompam potius fiebat. Ea porrò ſacra ferebant puellæ vt ait Ouidius, *3. Amorum Eleg. 12. More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.* Quanquam & alias ſacra etiam omnia tardo greſſu ferebantur, & vt ait Cicero, fercula pomparum.

*Ex lib.19.cap.4.* Apud Flaccum nequiſsimus ille Tigellius, in viuendi ratione diſsimilior & inæqualior, quàm æſtas hyemi comparata, modò reges atque tetrarchas loquitur, modò ſubitò mutata voluntate, quaſi frugi, ait, —*Modò ſit mihi menſa tripes & Concha ſalis puri:* vbi menſam tripedem interpretor mutilam & claudam vno pede, vt plerumque pauperiorum ſupellectili accidit. Sic apud Martial. *lib.12. epigr.32* ſcribitur, *Ibat tripes grabatus*, id eſt vno pede claudus. nihil, inquit Hermogenes, moror iſtorum lautitias, vel tripedem boni conſuluerim menſam: nec moueor epulis exquiſitis & opiparis, mihi pro obſonio fuerit vel ſolus ſal & merus, quem linguam. Id enim puto eſſe quod dicit *Concha ſalis puri*, præſertim cum quibuſdam obſonij loco eſſe Plinius ſcribat, *lib.31. cap.7.*

*Ex lib.29.cap.17.* Concham ſalis puri pro ſalino dixit Horatius. proinde ſcripſit Pomponius: *Apud Non. in Eliminare: Concha vos iſtic manet, eliminabo extra ædes coniugem.* pro cœna vobis parata eſt, quòd in menſa ſalinum poni ſoleat.

*Ex lib.18.cap.30.* Vt ſexcenta plerumq; ab auctorib. Latinis pro multis poni ſolent: vt ſexcenta eiuſdem generis proferre poſſum exempla: ita decies centena pro immani & prægrandi ſumma, idque iam inde ab vltima prope antiquitate vrbis. credo quòd tum ea pecunia videbatur ingens: cum minor erat nummi copia Proinde Iuuenalem dixiſſe reor, —*ritu decies centena dabuntur Antiquo.* pro immenſa dote. Certè poſteaquam creuit pecunia & abundauit Romæ, nihilominus permanſit illa antiqua loquendi ratio, vt decies centena infinitam pecuniam ſignificarent. Horatius *Saty.10.*

—*decies centena dediſſes Huic parco paucis contento quinque diebus.*
*Nil erat in loculis* Iuuenalis. *Optima ſed quare Ceſonia teſte marito?*
*Bis quingenta dedit.* id eſt, decies centena millia, Martialis lib.1. *Si dederint ſuperi decies mihi millia centum.* Nam decies centena, decies centena millia ſignificant & valent.

*Ex lib.14.cap.20.* Ait Horatins, *Epod.Od.12.* —*nec naris obeſæ,* qui enim naſi ſunt acutioris, melius odorari & ſagaciores intelligentioreſq; cenſebantur: vt alio apud Flaccum loco

—*acutis Naribus horum hominum rideri poßit.* Erat autem mulier fœtidiſsima & hircôſa. Contra qui naris obeſæ, deterius olfacere, tardiores minuſque intelligentes eſſe putabantur. tradunt enim iſta mutuas operas & inuicem lucem alterum alteri fœnerat.

*Ex lib.19.cap.4.* Senſum autem interpunctio improba in ea ecloga corrupit. ſic.n. puto diſtinguendum eſſe,

*Iracundior eſt paulo, minus aptus, acutis* *Naribus horum hominum rideri poßit.*

Nam hominem iracundum eſſe ait, & non aptum, nec appoſitum nec accommodatum ad hominum aliorum mores. Ac ne me in alieno oſtentem, militemq; glorioſum imiter, ſic diſtingunt chirographi libri & interpretes antiqui.

*Ex lib.21.cap.3.* Acutas aures pro acribus & iudicij intelligentis dici animaduerto: Calpurnius, *Eclog.4.*

*Quicquid ineſt, ſilueſtre licet videatur acutis* *Auribus, & noſtro tantum memorabile pago.*

Sic acutas nares dixit Flaccus —*minus aptus, acutis Naribus horum hominum rideri poßit.* contra obeſæ aures iudicij nullius, aut obtuſi & hebetis habentur. Idem Calpurnius,

*Ruſtica credebam nemorales carmina nobis* *Conceßiſſe deos, & obeſis auribus apta.*

id ex eo, quòd pingue pro ſtupido & bardo tardique ingenij à Latinis poni conſueuit.

*Ex lib 23.cap.18.* Scrupedam Aurelius exponebat, apud Varr. *lib.6.de lin. Latina.* à ſcauro pede vel ſcauripedam. Nam ſic in Varrone lego. Scaurus autem exponitur στρεβλόπους, & σκαμβὸς σκέλος à vetere critico. Horatius quoq;, —*illum Balbutit ſcaurum prauis fultum malè talis,* in Sermonib. ſcribit.

*Ex lib.19.cap.4.* Ibidem ait, ſi quis nobiſcum probus viuat, à nobis per contumeliam iniquam appellari *demiſſum*: ſi quis tardior, vocari pinguem, quod eſt nullius ingenij. Legendum itaque eſt,

*Tardo cognomen pinguis damus. Sincerum,* inquit, *cupimus vas incruſtare,* id eſt, malo quodam inficere ſucco: quod dictum, eſt inuerſis verbis accipiendum. Incruſtare autem eſt tanquam cruſta quadam tectorij obducere. Varro de Glirario, *lib.3. de re Ruſt cap.15. Tota leui lapide aut tectorio intrinſecus incruſtatur.* Calices etiam ſuccis quibuſdam lentis & craſsis medicatiſque ſaporibus incruſtantur. Scribonius Largus, *Calices quoq; eis incruſtentur additis quinque vel ſex ſalis vel farris granis.* Hic autem incruſtationem de ſucco vitioſi ſaporis, & liquorem inficiente in vas miſſum interpretandam cenſeo cum omnibus enarratoribus: vt & apud Lucillium.

—*nam vel regionibus illis* *Incruſtatus calix ruta caulique bibetur.*

*Ex lib.2.cap.15.* Piſcis patinarius qui ſit apud Plautum *Aſinaria Sc. Vnum iſtorum quodque* in quæſtionem vocatur: ego eum puto, qui non aſſatur, nec elixatur, ſed in patina è iure coquitur. Id ex Horatio intelligi poteſt, ita ſcribente,

*Si quis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus* *Semeſos piſces tepidumq; ligurierit ius.*

nam ſi malè non conijcio, piſces patinarios è iure paratos intellexit.

In 4. Satyram. *Ex lib.7.cap.19.* —*ſtans pede in vno,* apud Flaccum, eſt facili conatu & opera, ſine contentione & nixu. Nam vno pede qui ſtat, aduerſarium ſe nullum vel non fortem habere credit: Cum.n. vno pede nos ſuſtinentes pendeamus & vacillemus, ſecurus eſſe videtur, aduerſarijque vires contemnere, qui ſeſe non vtroque pede firmat ſtabiliter. Vnde & omni pede ſtandum Quintilianus *lib.12.cap.9.* vſurpat, pro omni contentione totiſque viribus. Ergo illud,

—*in hora ſæpe ducentos,* *Vt magnum, verſus dictabat ſtans pede in vno:*

ſignificat Lucillium temporis momento ſolitum vena facili plurimos effundere verſus.

*Ex lib.15.cap 9.* Hic tanquam in ſtatera nobis appendendi ſunt Grammatici & Rhetorum præſtantiſsimus Fabius. Illi, Acro, Porphyrio in Horatiano verſu,

*Cum flueret lutulentus: erat quod tollere velles:*

Tollere explicant vno ore, ſumere: at Fabius ita ſcribens, *Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucillium fluere lutulentum. & eſſe aliquid quod tollere poſſis putat.* Ibi tollere perſpicue ſentit eſſe reſcindere deſcripto, auferre, remouere vt ſuperuacaneum: vt & alio Horatius loco ait, *Saty.10.lib.1.*

*Plura quidem tollenda relinquendis?* quod eſt, plura remouenda vt redundantia, quàm in poëmate relinquenda. Sed tantum Fabij pondus eſt, vt terram & maria deprimat, tantum abeſt vt illa Grammaticorum leuitate tantum pondus æquo examine poſsit perlibari. Venuſtè autem in medium tanquam producit Criſpinum eodem multa ſcribendi verboſè & loquaciter, quo Lucillius, morbo laborantem & fundentem extemporalem & ſubitam verſuum tumidorum & garrulorum copiam, & omnia in celeritate ſcribendi ponentem.

*Criſpinus minimo me prouocat. accipe ſi vis,* *Accipiam tabulas.*

Hanc ſcripturam, vt magis dramaticam & comicam, quàm quæ editur, è lucifugis exemplaribus repetitam, in apertum referimus, vt melius prouocatoris exprimatur arrogantia. Edititia eſt,

—*accipe ſi vis, Accipe iam tabulas.* Figuratè autem reſpondet Horatius, præclarè ſecum à dijs actum, quòd eorum munere pauca loquatur. Nam quæ breuitas non optatior eſt, quàm tam importuna Criſpini in poëmate otioſæ orationis profluentia? Quin tanquam poëtices nomine inuidioſus ſit, extenuandi gratia & de inuidia deonerandi ait, ſua ſcripta à nemine legi: & Fannium neſcio quem poëtam, cuius libros Romani & armario & capſa, ipſum imagine donarant, præ ſe felicem prædicat:

—*Beatus inquit Fannius vltro Delatis capſis & imagine,* vt verum fortaſſe ſit, quod ab interpretib. ſcriptũ eſt, hunc orbum diuitemque fuiſſe, & à captatorib. cum imagine eius carmina dicata fuiſſe in Bibliothecis.

*Ex lib.20.cap.29.* *Quo deinde,* inquit, Varro, *lib 4.de lin. latina, ſuſcipiunt perpetuo flumen, lacus: Lacuna, in qua ibi aqua.* Lacum autem hic intelligo, quo ex flumine ad aquandum aut lauandum aqua excepta eſt, quo etiam ex aquæ ductu aut fonte recipitur. Terentius, *Adelph act.4.Sc.2.*

*Apud ipſum lacum eſt piſtrilla.* Horatius *Geſtiet à furno redeuntes ſcire lacuque.*

*Ex lib 26.cap.27.* Vide ſup. lib.1. Epiſt.3. explicationem verſus, *Faſtidire lacus & riuos auſus apertos.*





*Ex lib.5.cap.3.* Maro lib.1. Aeneid. ſcribit de templo Iani ab Auguſto clauſo, pace terra marique parta.

*Claudentur belli portæ.* & apud Flaccum de ijſdem portis ſcribitur, —*poſtquam diſcordia tetra Belli ferratos poſtes portaſq; refregit.* Id ſic explicandum è Plutarcho eſt, Iani templum portas habuiſſe bifores, vocatumque eſſe belli portam. Eius verba ſunt in Numa, ἔστι δὲ καὶ αὐτῷ νεὼς ἐν Ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι.

*Ex lib.10.cap.1.* Inanes à Latinis plerunq; intelliguntur homines ieiuni animi & laudis ambitioſi & honoris cupidi: quod enim ijs carere videantur & vacui eſſe, auidè quo carent conſectari putantur, Nam ſi laude & gloria ſatiati pleniique eſſent, non tanto ad eam animi ſitim explendam ſtudio raperentur. Tacitus, *Dein poſtquàm inanem animum ſpe & cupidine impleuerat.* Hic inanis eſt, qui auidus & cupidus eſt. Et Horatius de his, qui poëmatum recitatione gloriam quærunt, —*inanes Hoc iuuat.* Et Perſius, de ijs, qui ſcribenda oratione ſoluta, aut condendo carmine famam ingenij ſtultè ambiunt, aut ineptè eloquentiæ & eruditionis nomẽ captant, & à vera laudis via aberrant, —*ô quantũ eſt in reb. inane.*

*Ex lib.2.cap.2.* Quod ab Horatio dicitur, *Præter eum qui præbet aquam,* Grammatici eruditiſsimi vix concoquere poſſunt: mirum enim eis videtur conuiuatorem aquæ præbitorem appellari. Sed Dionyſius Lambinus, alijs hic caligantibus, primus lucem diſpexit, viditq; conuiuatorem ſolitum balneum præbere conuiuis: quam eruditiſsimi viri interpretationem nemo reprehendere, niſi improbus vel indoctus poteſt. Licet tamen in antiquis auctoribus præter aliorum ſententiam, iuſque eſt & fas interdum aliquid excogitare modo probabile ſit. Quid igitur ſi dicat hominem tam eſſe procacem & petulantem in iocando, vt nec conuiuis nec miniſtris abſtineat vllis, quin eos perſtringat, præter eum, qui ipſi pocula miſcet miniſtratq; aquam? ait enim Martialis, *lib.1. epig.12.*

*Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,* *Si non potares Sextiliane merum.*

Sed omninò præſtiterit locum per allegoriam interpretari, inflexione verborum & inuerſione ducta à luſu, quo aliquo in ſitula aut vrceo nobis aquam miniſtrante, alios ea aſpergimus, aut perfundimus per laſciuiam, quod cùm facimus, eo qui aquam nobis præbet interim abſtinemus. Aquæ igitur præbitori ſimilem voluit eſſe Flaccus conuiuatorem. huic inuerſioni *aſpergere & aqua* fauere videntur, & hac tanquam conſtituta allegoriæ imagine nobis diu quærendum non putabimus, cur conuiuatorem aquæ præbitorem dixerit. Cogitationem enim ad luſus ſpeciem referemus, vnde genus dicendi tractum pronunciabimus.

*Ex lib 30.cap.30.* Inuidiam veteres animi vitium eſſe cenſebant, vt ferri rubiginem & æris æruginem. Et proinde per translationem æruginem vocauere, quaſi ſit tanquam æris, ſic animi ærugo. Martialis, *Vt tuſi viridi tinctos ærugine verſus.* id eſt liuore & maledica inuidia. Horatius, *li.10.epig.33.* —*hæc eſt, Ærugo mera.*

*Ex lib.30.cap.19* Conſueſco Lucretius pro conſuefacio poſuit lib. 6. quod rarius eſt,

*An tum brachia conſueſcunt firmantq; lacertos?* Et Horatius,

—*inſueuit pater optimus hoc me,* pro inſuefecit. Sic apud Maronem *8. Eclog.* requieſco eſt, vt ita dicam, requiefacio. *Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.*

*Ex lib.14.cap.20.* Barrus inops documentum &c. Vide ſupra quæ annotata ſunt Epod. lib. od. 12.

*Ex lib.2.cap.2.* In eodem ſermone, non eſt facile quod ita ſcribitur per quam venuſtè,

*Multa poëtarum veniat manus, auxilioq;* *Sit mihi: nam multo plures ſumus: ac veluti, te,*
*Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.*

Puto autem perfacetè ab Horatio dici, ſi poëticum tibi diſplicet ſtudium, & poëtæ tibi inuiſi ſunt, vt vulgo Iudæos omnibus hominibus videmus, nos poëtæ, qui plurimi ſumus, exercitumque conficere poſſumus iuſtum, pertinaceſque, vt Iudæi in religione ſua & ceremonijs, ita in ſtudio poëtico & propoſito ſumus, non modo non de ſententia deducemur, ſed te vltro ad poëtas traducemus, & vnum è turba poëtarum, quamuis inuitum, reddemus, vt illud ſtudium, quod improbas, poſthac celebraturus culturuſque ſis & carmina ſcripturus. Interim autem multitudinem eorum, qui verſus ſcribebant, lepidè illudit more ſuo. Malim autem vt & reperi in antiquis libris, *auxilioq;* legere adpoſita coniunctione, quàm pro uocabulo adiuncto *auxilio* quæ: quanquam non magni refert, nec id magni momenti eſt, cum vtroque modo ſenſus idem explicetur.

In Saty. 5. *Ex lib.1.cap.29.* In itinerario ſermone Horatij, nonne, obſecro, multò accommodatius legetur, *Græcorum linguæ doctißimus,* quàm quomodo eſt promulgatum *Græcorum longè doctißimus?* nam Rhetori linguæ cognitio conuenit, ſumma doctrina non item: nec tamen meum hoc inuentum eſt, ſed antiquorum librorum ſcriptum.

*Ex lib 12.cap.3.* Diſſertum nautis, cauponibus a. m. Hic verſus illuſtratur ſupra ſaty. 1. huius libri, in explicatione verſus, *Perfidus hic c.*

*Ex lib.15.cap.23.* Altè cinctum antiqui vocabant ſtrenuum, fortem, virilem, minimè mollem: credo quod genus illud cincturæ hominum non eſſet delicatorũ. nam præcinctura vt fluxior & laxior in Cæſare argumentum habuit mollitudinis: & diſcincti quoque effœminati habebantur: demiſsiſq; eſſe veſtibus elegantiæ videbatur mollioris. Sed è tabularijs eruenda fides eſt, quando in eo genere ſcriptionis verſamur quod ſignatis tabulis ferè confirmandũ eſt. Seneca lib. epiſtolar. 14. de Mæcenate, *Epiſt.93. Altè cinctum putes dixiſſe. habuit enim ingenium & grande & virile, niſi illud ipſe diſcinxiſſet.* Hinc illuſtratur duobus locis Horatius, *lib.2. ſatyr.8.* *Hoc iter ignaui diuiſimus, altius ac nos, Præcinctis vnum:* id eſt, quod vnum eſſe ſolet ſtrenuioribus. Iterum,

*His vbi ſublatis puer altè cinctus acernam* *Gauſape purpureo menſam perterſit:*

i. e. fortis & ſtrenuus ſeruus menſã terſit: βαθυζώνους tamẽ mulieres Homerus, i. e. altè cinctas alio ſenſu dixit.

*Ex lib.1.cap.29.* *Ora manuſq; tua lauimus Feronia lympha.* Religione quadã & cerimonia factum eſſe exiſtimo, vt ſe viua ſacraq; Feroniæ aqua lauarent purificarentq; cum in conſpectum eius fani veniſſent. Nam ſe flumine viuo abluere in parte religionis ponebant, vt è Marone *2. Æneid.* & poëtis alijs eſt notiſsimum. *Millia tum pranſi tria repimus,* quàm *repſimus* malo cum mox ſequatur, *ſubimus.* atque ita Lambinus legit.

*Ex lib. 19. cap. 9.* *— ad vnguem Factus homo.* accipiendum eſt pro eleganti & polito perfectoque. Vide ſuper lib. de Arte poët. in explicatione verſus, *Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.*

*Ex lib. 1. cap. 29.* *Fundos Aufidio Fuſco prætore libenter Linquimus.* Hic veniſſe Aufidium ridet, qui cum Fundis in oppido exiguo præturam gereret, inſana arrogantia & animis elatis faſtuque inſolenti & inaudito erat, & inſignibus magiſtratus conſules Romanos ſuperabat, cùm tamen Romæ tantum ſcriba eſſet, qui ordo vilis & vulgaris erat, patebatque hominibus libertinis, vt in hoc ſermone,

*— ſcriba quod eſſet Deterius nihilo dominæ ius eſſe.* Itaque prætextam & latum clauum, vt Prætor aut Conſul Romanus gerebat, æquare ſtudens amplitudinem & dignitatem faſtigij Romani. Ignis autem ei præferebatur (id enim eſt quod ſcribit, *— Prunæq; batillum*) quod ſupra humanam prope conditionem erat, & diuinum religioſumque habebatur. Sic imperatoribus Romanis, & eorum vxoribus, interdum ſororibus, ignis præferri ſolebat. Herodianus de ſorore Commodi Imperatoris, *καὶ αὐτῆς τὸ πῦρ προεπόμπευε.* Videtur autem Horatius, cùm ait, *Fundos Aufido Fuſco prætore*, in eo iocari, quod ſic tempus notare ſolebant magiſtratuum nominibus: vt ſi diceres, veni Romam Cicerone conſule.

*Ex lib. 2. cap. 24.* *Occurrunt animæ quales neq; candidiores &c.* Reuertere ad Od. 5. Epod. vbi explicatur hic locus in verſu. *Nardo perunctum, quale non perfectius Meæ laborarunt manus.*

*Ex lib. 2. cap. 13.* Veteres frumentum non ſolum metiri, ſed & appendere ſolebant, quod nunc quoque in panificio obſeruamus. hinc illud Horatianum, *— cui ſatis vna Farris libra foret, tenui ſic tamq; puſillo.* & Liuius, *frumentarium diuitem bilibri farris ſperaſſe libertatem ſe ſuorum ciuium emiſſe.* Iterum, *Selibriſne farris gratiam ſeruatori relaturum.* In lege 12. tabul. *Si volet ſuo viuito, ni viuit, qui eum vinctum habebit, libram farris in dies dato. Apud Gell. lib. 2. cap. 1.* Farris autem nomine etiam farina intelligitur. Itaque apud Iuriſconſultum legendum cenſeo, *frumentumúe publicè dandum, præbendum, appendendum.* non vt vulgo *apprehendendum, aut vt quidam emendant, approbandum.*

*Ex lib. 1. cap. 29.* *Conuiuas auidos cœnam ſeruosq; timentes, Tum rapere, atq; omnes reſtinguere velle videres.* Etiam iocosè dictum accipio: nam primum auidi conuiuæ & incendio & flamma rapiebant cœnam, & ſerui, qui ſi cœna vreretur, timebant ne ab heris verberarentur: quo facto, cœnaque in tuto poſita, tum denique cum omnibus ignem cœperunt reſtinguere, cum epulis potiſsimum timerent, ne perirent.

In Satyr. *6. Ex lib. 4. cap. 9.* *— naſo ſuſpendis adunco*, quod eſt derides ideo dicit, quod qui adunci naſi ſunt, homines irriſores habentur. qui quod irrident, id verò vt lance quadam, ſic naſo ſuſpendere & ponderare videntur: vt enim *— gemina ſuſpendere lance Ancipitis libræ*, dixit Perſius, *ſatyr. 4.* ſic naſo ſuſpendere dictum interpretor. *Contra Læuinum Valeri genus*, cùm dicit in Valeriorum familia nobiliſsima eum, qui primus hoc cognomento fuit, ſuſpicamur à ſiniſtro læuoq; & improbo animo, maliſq; & nequam moribus cognomen meritum fuiſſe. Cùm autem gloria de ambitioſis & glorioſis honorumq; cupidis triumphare videatur, illiq; de quibus triumphabatur poſt currum conſtrictis manibus vincti per pompã traherentur: ideo Horatius ſcripſit, *Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru.* At verò, *— in propria non pelle quieſſem*, ſumptum videtur à veſtitu & calceis, quæ tanquam hominum pellis eſt. Nam libertinus latum clauum ſenatorij ordinis proprium & calceos lunatos ſi gerat, intra pellem ſuam quieſcere non putetur: niſi quis à cumano aſino tractum putet, qui leonem mentiebatur leonis exuuio.

*Deijcere è ſaxo ciues, aut tradere Cadmo*, dicit, quia Tribuni Tullij antè mentionem fecerat: hoc autem ius tribuni violentiores & importuniores interdum ſumebant, vt ſine iudicio indictaque cauſa è ſaxo Tarpeio ciuem deijcerent: vt tentatum à tribuno in Metellum Macedonicum apud Pliniũ reperimus, aut carnifici traderent, cùm legitimo iure à carnificis pœna immunes eſſent ciues Romani. id igitur vt indigniſsimum & tyrannicum ſcripſit.

*Ex lib. 12 cap. 14.* *— Iubeſq; Eſſe in amicorum numero.* huius verſus explicationem videas ſupra Od. 1. libri Epodum. in *Ibis liburnis inter alta nauium Amice propugnacula.*

*Ex lib. 4. cap. 9.* *Læuo ſuſpenſi loculos tabulamq; lacerto*, de calculatoria tabula & calculis intelligo. diſcebant enim ratiocinandi artem, non liberales diſciplinas, vt in arte,

*— dicat Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt*
*Vncia, quid ſuperat?*

*Ex lib. 26. cap. 26.* *Læuo* autem *ſuſpenſi loculos tabulamq; lacerto* cùm ait, monſtrat Romanos numerandi artem præcipuè ſequi & ediſcere ob auaritiæ ſtudium, quærereque tabulam calculatoriam & loculos calculis refertos, vt in abaco in promptu rationes expediant. inquit alio loco, *De art. Poët.*

*— dicat Filius Albini ſ. d. q. r. e. V. q. ſ.?*

*Ex lib. 13. cap. 3.* Hic & alius à me locus explanabitur aliquando fortaſſe leuiter tactus,

*Cum Tiburte via prætorem quinq; ſequuntur Te pueri, laſanum portantes œnophorumq;.*

Hic ſordibus & nimis parua comitatus & inelegante immundaque familia, & indignus præturæ honore ſignificatur, qui vel vt mercator, quo minorem ſumptum faceret, domeſticum vinum ſecum portabat, vaſa quoque coquinaria, ne pro his quicquam ſolueret, aut à cauponibus quicquam ſumeret. mercatores autem, qui ad quæſtum ſunt attentiſsimi peregrè proficiſcentes ſuis pueris imponebant œnophorum. Perſius, *ſatyr. 5.* *Iam puer is pellem ſuccinctus & œnophorum aptas.* Atque vt interea hoc dicam, pellem dicit Perſius pro mantica & inuolucro veſtis ſupellectilis aliorumque vtenſilium & ſarcinarum. Id intelligi poteſt è Petronio viri clariſs. Memmij, in quo ita ſcribitur, *Ego vos in duas iam pelles conijciam, vinctosq; loris inter veſtimenta pro ſarcinis habebo.* vel potius qui nullos lautiores in comitatu haberet quàm vilia ſeruitia & ſordidiſsima mancipia neque enim honeſtis & lautis ſeruis œnophorum imponebatur, minus etiam laſanum, quo venter exoneratur, quem qui ferebat *λασανοφόρος* à Græcis vocabatur: etſi interdum etiam laſanum podium ollæ ſignificat, quem clytropoda etiam dicebant, vt ait Ariſtophanis enarrator, quo ſenſu ſi quis accipiat, etiam ſordes hominis agnoſcat: &

primò



primò ita acceperam, deinde diſceſsionem in alteram & receptiorem ſignificationem feci, vt aluo ſubſeruiat.

*Ex lib. 5. cap. 23.* Non Aruſpices vicanos, non de circo Aſtrologos, Cicero dixit lib. 1. de Diuinat. Vicani Aruſpices ſunt, qui in vicis & pagis aruſpicinam exercebant, qui vaniſsimi & mendaciſsimi erant. In circo Romano erant Aſtrologi, Iuuenalis *ſatyr. 6. Conſulit ante phalas Delphinorumq; columnas*: nec alia de cauſa quàm propter diuinaculos, circum fallacem dicere videtur Horatius hoc verſu,

*Fallacem circum veſpertinumq; pererror Sæpè forum.*

Illic autem multos diuinos fuiſſe liquet è Iuuenale ita ſcribente *ſatyr. 6.*

*Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit vtrumq; Metarum, & ſortes ducet, frontemq; manusq;*
*Præbebit fati crebrum poppyſma roganti.*

*Ex lib. 9. cap. 19.* Quod Flaccus ait, *Ad porri & ciceris refero laganiq; catinum*, de parabili cibo intelligendum frugique menſa arbitror: nam porrum pro oleribus poſuit, quæ viliſsima ſunt cibaria, & cicer legumen eſt, quo pauperiores veſcebantur. Itaque viles homines & abiectos fricti ciceris emptores alio loco *de art. poët.* vocat. Laganum etiam, quod fictum erat farinaceum, quod in fartagine ex oleo frigebatur, in parabilibus eſcis numeratum exiſtimo. Id autem Galenus duorum generum ſcribit, vnum *ῥύμμα* appellat, alterum *λάγανον*. *& lapis albus*, inquit,

*Pocula cum cyatho duo ſuſtinet*, Veteres ſolebant Delphicam menſam multis onerare poculis, numeroque ſemper pari: duobus contentus eſt Horat. & cyatho, quo modum potionis metiebantur, & certis cyathis vini certos aquæ cyathos miſcebant, quod qui faciebat, ad cyathum ſtare dicebatur. Nam cyatho hauriebant vinum & aquam è vaſis, & in pocula fundebant. quod *κυαθίζειν* Græci appellant, *Plutar. in Marcell.* noto Marcelli ioco, cuius naues machinis Archimedis leuatæ in puppim aut proram, deinde illiſæ mari, aquam cùm plurimam haurirent, aut grauibus libramentis depreſſæ acciperent aquam, ludens dixit Archimedem ſuis nauibus pro cyathis vti. Solitos autem eſſe veteres paria pocula in delphica ponere, declarat Agretius ſic ſcribens, *Cicero, iubeo promi vtrosq; binos vt habeam: quia in Delphica comparia vaſa ſemper ſunt, vnde ipſe Cicero dicebat, ſcyphorum paria complura*

*— adſtat*, inquit, *echinus Vilis* Echinus Heſychio vas coquinarium eſt, ſed & patella. Interpretibus eſt vas æneum, in quo calices lauantur, quod etiam Triſilla vocatur. Trichilam puto ſcribi debere, vt eo in epigrammate, quod Maroni adſcribitur: *Trichila vmbroſis frigida arundinibus.* Et apud Columellam, *lib. 10. de cult. hort.* *— ſub trichila manantem ſerpit ad vndam.* Alij vitream ampullam, alij ſcorteam explicant. Ego hic vas aquarium rotundum lagenę ſimile, aut ampullæ crediderim, vt guttum vinarium. Vt Varro de lingua Lat. docet. Patera autem ad libandum vtebantur, & interdum poſt libationem ad bibendum. hoc mihi veniebat in mentem, quod de hoc loco dicerem, quem echino ſpinoſiorem & aculeatum magis eſſe & ipſe ſentio, & intelligo multis videri: ſed nec illud omittam, Porphyrionem perſpicuè legere echino, cùm explicet propter echinum aſtat vilis guttus, qui & echinum vult hic vitream eſſe ampullã, vt aquariũ vas exiſtimaſſe videatur: aquam .n. lympidã nitido vitro perlibenter infundim⁹. nomen habere videtur à rotũditate echini ſe in pilã colligẽtis.

*Ex lib. 27. cap. 15.* Inſigne eſt & adnotandum diligenter, ab auctore vocabularij perquam veteris abaci Delphicam explicari *μινιστέριον ὡς ὁ Ἰουβενάλιος*. Significatur & tanquam digito demonſtratur locus ille Iuuenalis,

*Lectus erat Codro Procula minor, vrceoli ſex*
*Ornamentum abaci, nec non & paruulus infra Cantharus, & recubans ſub eodem marmore Chiron.*

Delphicam autem menſam lapideam habere ſolebant, vnde conuiuis miniſtrabatur apud Flaccum,

*— & lapis albus Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.* Ea de cauſa miniſterium interpretatur vocabularij auctor. Iterum in eodem lexico, Delphica, *μινιστέριον*.

*Ex lib. 23. cap. 6.* Oſci populi erant Campaniæ vbi figlinæ erant, vnde ab Horatio ſcriptum eſt,

*Vilis cum patera guttus Campana ſupellex.* id eſt, fictilis.

*Ex lib. 22. cap. 12.* *Ipſe poteſt fieri Marſia conſidicus*, non ſine quodam naſo à Martiale *lib. 2. epig. 64.* dictum reor: conſtat autem Marſiam bardum & hebetem fuiſſe, qui de muſica cum Apolline certare auſus pœnas dederit. Sed & in vrbe Roma Marſiæ ſtatua erat in foro, vt hic quoque ſenſus lateat, ſtatuam effici cauſidicum poſſe, & ſaxeum Marſiam Rhetorem. Horatius,

*— Marſia vultum Qui ſe ferre negat Nouiorum poſſe minoris.* Plinius, *lib. 21. cap. 3. cuius luxuriam coronatum Marſiam literæ illius dei gemunt.* Seruius *in 4. Æneid.* refert Marſiam in ciuitatibus ſignum fuiſſe libertatis, qui erecta manu teſtabatur vrbi nihil deeſſe.

*Ex lib. 4. cap. 9.* Quid eſt apud Flaccum, *Non quo fraudatis immundus nacta lucernis?* non enim, vt opinor, oleũ intelligit è lucerna ſumptum. Nec enim in ea ſatis olei eſt ad vnctionem: deinde, quis è lucerna, quàm ampulla ſumere mallet? Ego genus quoddam olei lucernarium fuiſſe appellatum lego, quod vile & rancidum eſſet, & ad lumina relegatum: quo tamen inopes, & ſordidi vngere ſe ſolebant, cùm Horatius optimo oleo primæque notæ vteretur. Nam qui oleo ſe vngit, eo quo ſolent lucernæ accendi, is lucernas defraudat alimento ſuo, ſuoque fomento. Aëtius, *τὸ δὲ λυχνιαῖον ἀπὸ τοῦ μέσου καὶ εὐκράτου, τοῦ γλυκέος λέγω, τοσοῦτον ἐπὶ τὸ θερμότερον νεύει, ὅσον τὸ ὀμφάκινον ἐπὶ τὸ ψυχρότερον.*

*Ex lib. 23. cap. 23. Non pudet in morem diſcincti viuere Nactæ.* in antiquis apud Perſ. libris ſcribitur, nec ab ratione. nam fullones qui Nactæ vocantur, veſtimenta pedib. calcata ſaltu ſuo fullonio premunt & denſant: ſed & veſtis à fullone dum cogitur, conſiliari dicitur. id .n. eſt *νάσσειν* Græcè, & *νακτὰ* vocantur coactilia. Nacta igitur velut *νάκτης* erit: eodẽ verbo coactiliarius & pilearius accipi etiã poterit. Quod ſi à *νάκος*, vt ap. Feſtũ eſt, deducitur, vnico c. ſcribi debet. Sed cùm ea litera duplicata reperiatur, ſuſpicio eſt poſteriorẽ eſſe, t. nec officiet veriloquiũ, cũ etiã notatio *νάκτης* à *νάσσειν* accerſi poſsit: Vox hæc integra hodie eſt in Apuleio Aſini aurei lib. 9. *Maritus foris apud Nactam proximum cœnitabat.* In 2. quoq; Apologia. *Quid illi exiſtiment nactæ, non putabo, legendum* cenſeo non *nacti*, vt editur: non deſunt tamen, qui *nauci* legant. In Horatio quoq; ſcribendum, *Non quo fraudatis immundus nacta lucernis.*

In

In Satyram ſeptimam. *Ex lib. 14. cap. 20. Siſennas barros vt e. p. a.* vid. ſupra in Od. 12. Epod. explicatione.

*Ex lib. 2. cap 1.* *—ruebat* *Flumen vt hybernum, fertur quo rara ſecuris:* Hic ſenſum eſſe dicebat Gallandius, cui & aſſentior. tam concitata oratione & veloci rapidaque decurriſſe, quàm torrens hibernus deuolui & precipitari ſolet per loca abrupta & abſciſſa, quò raró ſolent lignatores accedere propter arduam & erectam inacceſſarum rupium montiumque eminentiam. Flumen autem hybernum eſt torrens, qui & Græcè, quòd hyeme fluat, æſtate ſiccetur χειμάῤῥους vocatur: de torrente enim hyemis aquis abundante Ouid. amorum lib. 3. ſcribit

*Fontis habes inſtar pluuiasq; niuesq; ſolutas,*
*Quas tibi diuitias pigra miniſtrat hyems.*

Addit *Tum præneſtinus ſalſo multumq; fluenti Expreſſa arbuſto regerit conuitia.* Arbuſtum dicitur multum fluere, quod multum vini fundit. ſed per allegoriam, hoc ad dicacia vinitorum & vindemiatorum retulit conuitia, quibus vel laceſſunt prætereuntes viatores, vel prouocati vlciſcuntur & remordent. Ergo vindemiatorijs probris & dictis petulanter ei Rupilius reſpondit, *cap. 26.* *—cui ſæpè viator Ceßiſſet, magna compellans voce cucullum.* Viatores ſolebant cultores & vinitores ſerò colentes appellare cucullos in deſidiæ probrum. Plinius lib. 18. *Dum ſciat inde natam exprobrationem fœdam putantium vites per imitationem cantus alitis temporariæ quam cucullum vocant: dedecus enim habetur opprobriumq; meritum falcem ab illa volucre in vite deprehendi, vt ob id petulantiæ ſales, etiam cum primo vere laudantur, auſpicio tamen deteſtabiles videantur.* Auſonius quoque in Moſella iſtius petulantiæ ita meminit, *—inde viator Riparum ſubiecta terens, hinc nauita labens, Probra canunt ſeris cultoribus.*

In Satyr. octauam. *Ex lib. 30. cap. 30. Orciniana,* inquit Martialis, *lib. 10. epig. 5. qui feruntur ſponda* Sandapila erat quædam popularis, qua plebei vileſque efferebantur. Suetonius *In Domitiano cap. 16. Cadauer eius populari ſandapila per veſpillones exportatum.* Sed & miſeræ plebis quædam erat Sandapila, de qua Horatius,

*Huc prius anguſtis eiecta cadauera cellis*
*Conſeruus vili portanda locabat in arca.*

& Lucanus. *Da vilem Magno plebeij funeris arcam.* Erat & Orciniana Sandapila, velut Libertinorum Sandapila ex illo ordine nomẽ habẽs (Quidã.n.liberti Orcini vocabantur) quam Martialẽ putẽ intelligere.

*Ex lib. 5. cap. 16.* Cùm olim qui locupletes erant in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponerent, & priuata haberent ibi ſepulchra ſibi familiæque ſuæ, aut hæredibus: plebs, quæ agris fundiſque carebat, in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabatur: ſepulchrumque commune vocabatur, vbi ſepeliebatur. ex quo ſcripſit Horatius, *Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.* Et elegantiſsimus poëta Catullus fata fratris ſui deplorans apud Troiã mortui & conditi, vbi tot quondam heroës belli Troiani tempore ex Aſia & Europa occubuerant & compoſiti fuerant, eam vrbem commune ſepulchrũ appellat Europæ & Aſiæ. *Troia,* inquit *ad Mallium. nefas commune ſepulchrũ Europæ Aſiæq;.* Et optimus Poëta Lucretius terram mortuos omnes omniaque ſenectutis ſitu carioſa & putrida æuoq; feſſa ſuo ſinu gremioque receptantem, commune ſepulchrum eodem modo appellat. *Omniparens,* inquit, *eadem rerum commune ſepulchrum.* Lepidè autem iocatur Horatius, vt interpretor ex illa nota inſcriptione ſepulchrorũ, *Hoc monumentũ hæredes non ſequitur,* cum in exquilini buſti cippo ſcriptũ fuiſſe dicit, *monumentũ hæredes ne ſequeretur.* Nã alio ſenſu deflexũ quàm intelligi ſoleret, accipit: ſepulchrũ ſc. illud eſſe pauperum & exhæredatorum & bonis euerſorũ. Hoc, inquit, monumentũ nõ eſt hæredũ, ſed hominũ tenuiũ & nullũ hærediũ habentiũ, nullãq; agri perticã vel decempedã poſsidentiũ.

*Ex lib. 21. cap. 23.* Scribit Varro de re Ruſtica, Circum ripas fluuij ambulatio erat pedes lata denos, ab ambulatione in agrum verſus, ornithonis, id eſt, auiarij locus. In agrum verſus autem dicit, à flumine verſus agrum progrediendo & ab ambulatione recedendo vt in ſepulchris dici ſolebat, quemadmodum oſtendit Horatius, *Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat.*

*Ex lib. 6. cap. 10.* Apud Maronem ſacra inferis magica ſe facturam ſimulans Dido, eſt *4. Æneid.* *Vnum exuta pedem vinclis in veſte recincta,* videlicet è ritu & conſuetudine nocturnorum ſacrorum & veneficiorum, vt & apud Ouidium, *7. Metamor.*

*Egreditur tectis veſtes induta recinctas,*
*Nuda pedem, nudos humeris infuſa capillos.*

Apud Horatium tamen venefica ſuccincta eſt: *Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla Canidiam:* ſine calceis tamen & capillo paſſo: *—pedibus,* inquit, *nudis paſſoq; capillo.* Vt & apud Ouidium, *7. Meta. —paſſis Medea capillis.* Quod autem addit Horatius *—ſcalpere terram Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam:* eö facit, quod veneficæ ſolebant in ſcrobe ſacra facere dijs inferis, vt apud Ouidium, *7. Metam. Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus Sacra facit.* quod quidem & ab Homero in Odyſſea cantatur.

*Ex lib. 15. cap. 8.* A nobiliſsimo poëtarum & facile principe ſcribitur, *4. Æneid.* *Nocturniſq; Hecate triuijs vlulata per vrbes:* quòd ea dea nocturnis ſacris coli ſoleret, cum in dijs inferis numeretur, quibus noctu ſacra facere religio antiquorum præcipiebat. Veneficæ itaque ei tum operari ſolebant in triuijs, cum ea τριοδῖτις à Græcis iſta de cauſa vocetur, à Latinis Triuia: cum vlulatu autem ei veneficæ ſacra faciebant. Horatius, *Cum Sagana maiore vlulantem.* Apuleius, *ſeu nocturnis vlulatibus horrenda Proſerpina,* Nam Hecate Proſerpina cenſetur.

*Ex lib. 13. cap. 12.* *—ſerpentes atq; videres Nocturnas vlulare canes,* dixit Horatius veluti ſignificans comitatum Triuiæ, vt & apud Maronem, *6. Æeneid.* *—viſæq; canes vlulare per vmbram, Adventante dea:* nam & Dianæ, quæ eſt eadem Triuia, canes tribuuntur, & noctiuagæ Triuiæ etiam nocturnę canes, quas furias quidam interpretantur non inſcitè. Apollonius quoq; eius canes χθονίας κύνας vocat. Hecatæ canũ mẽtio quoq; eſt apud Orpheũ, σαίνον δὲ σκύλακες πρόπολοι. & ap. Tibull. *li. 1. el. 2. Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.*

*Ex lib. 16. cap. 4.* *Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.* Tibullus dixit. Hecaten veneficiorum præſidem veneficæ ſuſurro magico eliciunt canibus comitantibus occurrentem vt diximus: Horatius, *—ſerpentes atq; videres Nocturnas errare canes,* Maro, *— viſæq; canes ululare per vmbram.*

*Ex lib. 28.*



*Ex lib. 28. cap. 44.* Vetuſtas credidit aduentante Proſerpina vel Hecate, eadem enim eſt, in eius comitatu eſſe canes & ſerpentes. Horatius, *—ſerpentes a. v. N. e. c.* Maro, *—viſæq; canes vlulare per vmbram.* Canes furias interpretatur Seruius. Sed Theocritus *Pharmaceus* canes ſimpliciter accipere videtur, cùm ſcribit, τᾶ χθονία ἐκάτα. τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι.

*Ex lib. 22. cap. 23.* Exiſtimatum eſt à veteribus Lunam carmine magico ſollicitatam rubore ſuffundi, velut verecundantem, aut etiam noctu veneficarum facta cernentem: Horatius, *— Lunamq; rubentem Ne foret his teſtis, poſt magna latére ſepulchra.* Quod & in defectu quoque ei euenire veneficijs credebant. Ouidius, *2. Amorum eleg. 5.*

*Quale roſæ fulgent inter ſua lilia miſtæ:*
*Aut vbi cantatis luna laborat equis.*

Papinius, *—qualis per nubila Phœbes Atracia rubet arte color.*

*Ex lib. 24. cap. 8.* Scribit Flaccus, *Iulius & fragilis Pedacia furq; Voranus.* quo ſenſu, obſecro, fragilem dixit? Frangerę turpe verbum veteribus fuit, vt & diuidere, quod è Catullo cognoſci potuit. Fragilis igitur eſt mollis, qui muliebria patitur, qui pathicus eſt.

*Ex lib 7. cap. 20.* *Crepidulam & caliendrum* dixit Tertullianus *Lib. de pallio.* atque hoc vocabulum, quod operimentum capitis ſignificat, à Græco κάλλυντρον duci videtur. vſurpatur & ab Arnobio, *lib. 6. falciculæ, claues, caliendra, fomites, talaria:* & à Flacco, *— altum Saganæ caliendrum:* apud quem ſunt qui appoſititiam comam interpretentur.

In Satyr. *9. Ex lib. 15. cap. 18.* In illo elegantiſsimo & ſuauiſs. feſtiuiſsimoq; ſermone Horatij, quo graphicè exprimitur importuni ſcurræ & hominis odioſiſsimi moleſtia *— nunquid vis occupo,* more Romano dictum eſt. Sic enim loqui ſolebat, qui vel diſcedere ab aliquo, vel aliquem à ſe dimittere volebat. Terentius, *Eunuch. act. 2. ſc 3. Rogo nunquid velit: rectè, inquit, abeo.* ait Horatius, *— ô te Bollane cerebri Felicem aiebam tacitus.* Vbi græcari videtur. Nam illi μακαρίζω σε τοῦ φρονήματος, dicunt, ſubaudiuntque ἕνεκα, vt & hic ſubintelligitur cauſa. Cerebroſum autem fuiſſe Bollanum indicat, apertæque & ingenuæ libertatis & bilis hominẽ, qui moleſtos ferre nullo modo poſſet: ſed eos obiurgaret audacter, & à ſe contumelioſè dimitteret amandaretque. Sed nec illud omittam, quod leue dictu eſt, *— & totus in illis,* legi in antiquis exemplaribus, cum ab editionibus exulet coniunctio, qua quidem ſcio & ſententiam carere poſſe.

*Trans Tiberim longè cubat is propè Cæſaris hortos.* Iulij Cæſaris horti trans Tiberim erant prope portam Portuenſem: de induſtria autem locum longinquum in vltima vrbis regione ſitum mentitus eſt extra Ianiculum, vt aſſectatorẽ à ſe abigeret atq; remoueret. *— eſt tibi mater? Cognati? quis te ſaluo eſt opus?* habeſne charos & propinquos, qui tuo auxilio egeant, quos à te curari oporteat, quorum negotia à te geri, potius quàm me otioſè comitari, qui niſi te ſaluo & incolumi ſalui eſſe non poſſunt, nec ſi te careant. Importunus ille & odioſus nebulo ſe omnes ſuos ſepeliſſe ait, neq; quicquam ſe negotij habere.

*Ex lib. 10. cap. 11.* *Ante diem clauſo componet veſper Olympo,* vt de die mortuo dicitur à Marone. *1. Æneid.* Nam componi mortui dicuntur. Horatius, *Omnes compoſui, felices, nunc ego reſto.*

*Ex lib. 18. cap. 27.* Noctu cœlum claudi cenſebant, hinc illud Maronis, *Ante d. c. c. v. o.* Ac vt illud *componet* obiter explanem, à cadaueribus ductum eſſe reor, quorum oſſa & reliquiæ in vrna componebantur. Horatius, *Omnes c. f. n. e. r.* *Confice.* Nam de die emerito & exacto, vt mortuo loqui plerunque conſueuerant. Plautus, *Menechi. Sc. Ni mala, ni ſtulta. Dies quidem iam ad vmbilicum dimidiatus eſt mortuus.*

*Ex lib 15. cap. 18.* Illud porrò, *Aut valeo ſtare,* eſt: cùm homines cogantur ſtare in iure ante prætoris tribunal, neq; ibi ſedere liceat, aut honeſtum ſit, tamdiu ego illic ſtare non poſsim, nec te iuuare queã, qui ius neſcio. Ait apud Flaccum ille ſcurra, *— paucorum hominum & mentis benè ſanæ,* quod eſt, paucos in amicitiam recipit, neq; vulgo ad eum familiariter aditus patet, neq; ſe multis communicat, ſed paucis, ijſque valde prudentibus ſaniſque. Apud Cic de Fato, acipenſer paucorum hominum perfacetè dicitur, ad cuius dapes multi conuiuæ non ſunt adhibendi, quaſi acipenſer multis communicari nolit. Cicero, *de fat. apud Macrob lib 3. Sat cap. 16. Nam cum eſſet apud ſe ad lacum Auernum Scipio vnaq; Pontius, allatus eſt fortè Scipioni acipenſer, qui admodum raró capitur: ſed eſt piſcis, vt ferunt, imprimis nobilis. Cum autem Scipio vnum & alterum ex his qui eum ſalutatum venerant, inuitaſſet, pluresq; etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas: acipenſer iſte paucorũ hominum eſt.* *— eoq; Difficiles aditus primos habet,* qui ſe facilè vinci expugnarique ſentiunt, cum quid ab ipſis petitur, ſe muniunt aduerſus fallacium & audacium hominũ poſtulationes, aditum ad ſe intercludendo. *— vnde venis & Quò tendis rogat & reſpondet:* hoc ita interpretor, rogauit me unde venirẽ & quò tenderẽ: & mihi quoq; roganti vnde veniret & quò tenderet, reſpõdit: Vtrũq;.n. miro orationis cõpendio cõſtrinxit. Quod, inqt, ſolet rogari viciſsim & reſpõderi, vnde venis & quò tẽdis, rogauit & reſpõdit.

*Ex lib 1. cap. 19.* *Et preſſare manu lentiſsima brachia,* valet, pigra, tarda, ſurda, ſegnia, nihil commota meo preſſu, vt ab Ouidio *Epiſt. 1. Penelop Vlyſſi.* ſcriptum eſt, *Aut vbi lentus abes. vide Odam. 15. Epod.*

*Ex lib. 15. cap. 18.* At verò *— triceſima ſabbatha,* ſignificare videntur neomeniam, vt quidam non ineleganter cenſent, quæ feriæ triceſimo quoq; die, menſis initio repetunt. Nam Iudæorum menſes triginta dierum erant, vt menſes Athenienſiũ: ac ſabbathum pro feſto die hîc ponitur, ob ſabbathi cultũ: & neomeniæ triceſima ſabbatha vocantur, ad diſcrimen ſabbathi ſeptimi. Satyricum autem vocabulum eſt, *Oppedere,* honos auribus, ioci cauſa & riſus poſitum, in ſeria oratione & honeſta & graui re non vſurpandũ.

*Ex lib. 6. cap. 24.* *— ſic me ſeruauit Apollo.* nam qui mala depellit, ſeruat. Vide ſuper Odam 21. lib. 1. carminum.

In Saty. 10. *Ex lib. 15. cap. 19.* Satyra Horatij cuius principium eſt, *Nempe incompoſito,* vt appendix quædam & acceſsio libro priori ſubſcribitur, vt Horatius fingit: hinc illud, *I puer, atq; meo citus hac ſubſcribe libello.* Nã cum audiſſet aliquos iniquo animo ferre Lucilij reprehenſionẽ, pro apologia imperat amanuenſi ſuo, aut ſcribę, vt hunc ſermonem, quem dictauit, vel ſcripſit pro clauſula adiungat ſuperioribus Satyris. Vrbem autem ſale defricare in eo venuſtè & ſalsè dictum eſt. Nam cum ſal dicta ſignificet & faceta & ridicula mordaciaque, & ſoleamus interdum marino aut foſsitio ſale, quo in cibis & medicamentis vti

tis vti

tis vtimur, aliquid defricare, vt palatum pecoris, qui dictis facetis perſtringitur, eum dixit ſale defricari. Columella, *lib. 6. cap. 11. totumq; eorum palatum ſale defricato.* Sic apoplectici ſale defricari ſolent, vt dolore excitetur ſenſus qui torpet. — *magnas*, autem, *plerunque ſecat res.* ſignificat res magnas decidit & tranſigit, melius quàm acris & ſeuera ſententia: quaſi διαιρεῖν, τέμνειν, διακρίνειν dicat.

*Ex lib. 29. cap. 24.* Maro ſcribit, —*quàm quinq; ſecat ſpem.* quod quo tandem ſenſu accipiendum eſt? Secare interdum tranſigere, definire, abſoluere vt apud Horatium

—*ridiculum acri* *Fortius & melius magnas plerunq; ſecat res.*

Hic videtur eſſe deſecare & proinde ſumere. qui enim quid deſecat, ſibi id ſumit. quod & Græci ἀποτέμνεσθαι dicunt.

*Ex lib. 15. cap. 19.* —*Seri*, autem, *ſtudiorum*, ſunt indocti, qui ſerò diſcunt, aut didicerunt ſcilicet, neque ſunt παιδομαθεῖς: ſed ὀψιμαθεῖς. Fabius, *lib. 1. cap. 12 quare qui in ſua quidq; arte optime facit*, παιδομαθὴς dicitur.

At verò, *Cum verſus facias, teipſum percuntor*, præciſè dictum eſt, ſententiaque ſic explenda eſt, cum verſus facis, an decorum putas & concinnum intermiſcere Latinis Græca, quod Lucilius fecit, & ludens poſtea Auſonius, ſed ſine reprehenſione, cum de induſtria & opera dedita. — *Intermiſcere petita*, igitur ad duo pertinet per ſubiunctionem: vel potius quod in verſu facis, interrogo te an faceres in cauſis agendis, ſi aduerſarium haberes Meſſalam aut Pedium, eſſesque orator & patronus cauſæ duriſsimæ, Ergo *Cum verſus facias*, eſt, Tu qui poëta es, an in cauſis id faceres, vt verba foris petita patrijs admiſceres *oblitus patriæ patriſq; Latini. Latinè* tamen antiqui videntur interpretes legiſſe, & vir *lib. 4. de bello Gall.* politiſsimæ orationis & doctrinæ Lambinus eleganter legit. *Deſingit Rheni luteum caput*, venuſtè dixit. Nam & caput de fluminibus dicitur, vt Cæſar Rhenum duobus capitibus in Oceanum dicit effundi, oſtia ſignificans: & capita fluuiorum etiam dicuntur eorum fontes: ſed & fluuij humana forma aquam vrna effundentes pingebantur, fingebanturque: & fingi dicuntur, quæ è materia molli in ſtatuas formantur, vt è luto & cera. At iſte malus poëta & inelegans non tam fingebat quàm velut figmenta deformabat deputabatque: nec tàm è cera egregia faciebat opera, quàm è luto fingebat, nam & luteum negotium de vili toreumate dixit Cicero in Verrem *actio. 6.* —*Garrire libellos* dicitur, vt garrire ſermonem, garrire garritum, argutè & dicaciter effundere & eloqui: vt γαρύειν ἄεθλα dixit Pindarus: vnde & garrire ortum videri poteſt. Denique vt dicimus, ludere poëma.

*Ex lib. 10. cap. 21.* —*Pollio regum* *Facta canit pede ter percuſſo*, quod iambicis ſenarijs tres habentibus menſiones, regum calamitates tragicè caneret. Vide ſup. libro ſecundo Carminum in interpretatione primæ Odæ.

*Ex lib. 21. cap. 3.* Ter pede terram ferire pro ſaltare à poëtis non raro dicitur Flaccus, *lib. 3. Od. 18.*

*Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor* *Ter pede terram.* Idem de iambico carmine dicitur, quòd quanquam ſenos reddat ictus, tamen ad tres percuſsiones inſignes redigatur. *Pollio regum Facta canit pede ter percuſſo*, ſcripſit Horat. vid. ſup. Odam. 18. lib. 3. Carm.

*Ex lib. 18. cap. 11.* —*forte epos acer* *Vt nemo ducit Varius*, quo ſenſu dictum accipimus? Equidem illud ducere tralatitium arbitror, vt ex metallo multa dicuntur duci: vnde & ἐλάσματα etiam laminæ dicuntur, quia ducuntur. Nam cudendo malleis, ita aliquando metalli materia ducitur, & informatur in effigiem aliquam: quod quia operoſè fit, & dura materia eſt, eoque magis, quo maius opus informatur idcirco de heroïco Varij opere dixit, —*forte epor acer Vt nemo ducit Varius.*

Non eſt tamen ſupprimenda librorum antiquorum auctoritas, in quibus reperio,

*Vt nemo Varius: dictu molle atq; facetum.* Etiam è marmore duci aliquid dicitur, ſed æquè translatè, vt apud Maronem *6. Æneid.* —*viuos ducent è marmore vultus.*

*Ex lib. 15. cap. 9. Plura quidem tollenda relinquendis*, quod eſt plura remouenda vt redundantia, quàm in poëmate relinquenda. Supra hoc libro. Satyra 4. explicatur verbum Tollere à Fabio.

*Ex lib. 14. cap. 24.* Stilo ſcribebant in cerata tabella, cuius ſtili pars qua ſcribebatur, acumen dicebatur. Cicero *lib. 1. de Orat. Omnia ſub acumen ſtyli ſubeant neceſſe eſt:* altera pars erat obtuſa, qua in cera delebant verba, quæ non placebant, ac ceram rurſum complanabant atque æquabant ad ſcripturam nouam veteri deleta. Prudentius, *Hymno. 9.* περὶ στεφαν.

*Inde alij ſtimulos & acumina ferrea vibrant,*
*Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur,*
*Et qua ſecti apices abolentur & æquoris hirti*
*Rurſus niteſcens innouatur area.*

atque inde Horatius ſcripſit, *Sæpè ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſint,* *Scripturus.* Vertit enim ſtilum, qui cum ante eius acumine ſcriberet, vertit, & alteram ad delendum partem adhibet. Præcipit ergo Horatius inter ſcribendum eſſe ſæpenumero delendum, ſi quis hominum lectione digna ſcribere velit.

*Ex lib. 15. cap. 19.* — *Cimex*, autem, *Patilius*, & ad contemptum dixit Flaccus, ex inſecti nomine fœtoreque omnibus inuiſi, & quod ab eo roderetur morderetúrque.





# IN Q. HORATII FLAC. SERMONVM LIB. II.

## ADNOTATIONES EX ADVERSARIORVM Turnebi libris deſcriptæ.

In 1. Satyram. *Ex lib. 7. cap. 11.*

SCribit Flaccus, & —*atqui Primores populi arripuit populumq; tributim:* quo verſu ſignificat ſummos & infimos à Lucilio ſtili ſatyrici acerbitate vulneratos fuiſſe: ſed cum primores dixerit & plebem ſignificare proximo caſo debuerit, haud inuitus ſcripturæ accedo, quam in quodam exemplari reperi, —*populumque tributum.* Tribus.n. ignobiliorum erant: qui ſenſus etiam efficietur *tributim* legenti, etſi non tam commodè reſpondebit. Vtraq; certè ſcriptura patronos habet, vna Porphyrionem, altera Acronem. Ergo ſic illud *tributum* amplector, vt tamen tributim non omnino aſperner, nec improbem. Plinius *lib. 19. cap. 4.* quoque vt quodam loco docemus, tribus pro pauperioribus dixit, & eadem notione à Flacco *lib. 1. epiſt. 13.* conuiua tribulis appellatur, non diues.

*Ex lib. 9. cap. 7.* —*Sanctarum inſcitia legum.* eſt ignoratio earum legum, quæ ſanctè aliquid cogunt aut vetant metu pœnæ, quæque ſupplicia pœnaſque ſanciunt & irrogant. Itaque ſancta lex eſt, quæ aliquid cogit aut vetat fieri, nocentique & ſonti minatur. Cornificius ad Herennium, *lib. 2. de par. legit. conſtit. Infirma erit eius defenſio, qui negabit ſe feciſſe, quod cogeretur, cum altera lex permitteret, plus enim valet ſanctio permiſſione.*

In 2. Satyram. *Ex lib. 3. cap. 19.* Decimo lib. Aeneid. legendum cenſeo, *Arboris acclinis trunco*, potius quàm accliuis. quẽ eundem errorem præclarè emendauit apud Horatiũ collega meus vir eruditiſsimus Lambinus. Nam Virgilio hoc loco, acclinis, eſt quod Cæſari acclinatus. Eius verba ſunt, *lib. 6. de bell. Gall. Atque ita paulum modo acclinatæ quietem capiunt.* Iterum *huc cum ſe conſuetudine acclinarunt.* malè vtrobique reclinarunt excudi reor, contra auctoritatem veterum librorum.

*Ex lib. 7. cap. 9.* Ibidem *Græcari* eſſe reor Græcanicis exercitationibus diſci & pilæ, aliiſq; Græcorum nationi vſitatis vti. Eas.n. militiæ Romanæ opponit, id eſt, militaribus exercitationibus. Scribit enim,

—*vel ſi Romana fatigat* *Militia aſſuetum græcari:*

mox duas Græcorum ſubiungit exercitationes, diſcum & pilam. —*ſeu pila velox.* *Seu te diſcus agit.* id eſt, ſiue delectaris luſu pilæ ſeu diſci.

*Ex lib. 18. cap. 12.* At vero, *quam gallina tergere palatum*, ſic dictum accipio, quaſi quædam in eo ſordes eluantur cibi ſucco & ſapore. Sic detergeri dicitur faſtidium, quaſi in palato inſideat humor aliquis faſtidium pariens, quo detracto auiditas & appetentia gignatur. Columella, lib. 8. cap. 10. *Quæ in auiarijs quoque deſidentium detergent faſtidia, faciuntque auidiorem volaturam, quod maximè expedit.*

*Ex lib. 9. cap. 6.* —*Et picta pandat ſpectacula cauda*, hic locus explicatur, in libello de Arte poëtica ſuper eo in verſiculo, —*Traxitque vagus per pulpita veſtem.*

*Ex lib. 20. cap. 34.* —*at vos* *Præſentes auſtri coquite horum obſonia:* huius verſus explicationem videbis infra ſermone octauo huius poſterioris libri.

*Ex lib. 7. cap. 8.* Eſt lib. 9. Methamorph. Bona copia abundantiæ dea, quæ cornu Amaltheæ vel Acheloi gerit: eaq; dicitur ratione, vt bonus euentus: & apud Catonem & Plautum bona ſalus, quæ ad euphemiſmum ſic facta ſunt. Nam & à Flacco ſcribitur, —*mala copia quando Ægrum ſollicitat ſtomachum.* — Ouidius autem ita ſcribit, —*diueſque meo eſt bona copia cornu.*

*Ex lib. 7. cap. 9. Cui canis ex vero dictum cognomen adhæret*, hunc arbitror propter ſordidam immundamque vitam eſſe canem appellatum: ſed & Cynici non tantum quia obuios adlatrabant, ſed etiam ob vitam illiberalem ab humanitate remotam & munditia appellabantur in Græcia. In ead. Ecloga. *Ac niſi mutatum parcit defundere vinum*, cum dicit, vinum à Græcis εὐτροπίαν vocatum & τροπίαν circunloquutus eſt. Ita autem intelligitur vinum vapeſcens & degenerans exoleſcenſque, & in acetum aut vappam tranſiens.

*Ex lib. 1. cap. 1.* Defundere vinum eſt de dolio in craterem aut de cratere in pateram fundere. In Horatio igitur rectè conijcit vir doctiſſ. Lambinus ſcribendum. *Ac niſi mutatum parcit defundere vinum.* Id enim eſt in pateram vel trullam fundere & bibere. & lib. 2. de Finib. *Quibus vinum defuſum ſit è pleno Oenophoro* id eſt, deorſum in pateram aut poculum fuſum. & apud Maronem, *4. Georg.*

*Hæc ait & liquidum ambroſiæ defudit odorem.*

*Ex lib. 3. cap. 6.* Ad conuiuiorum claſſem etiam pertinent Repotia, de quib. Horatius,

—*licebit* *Ille repotia, natales, alioſque dierum* *Feſtos albatus celebret.*

Feſtus quoque Pompeius, repotia poſtridie nuptias interpretatur, cum apud nouum maritum cœnatur, quia quaſi reficitur potatio: adfertque exemplum Pacuuij, *Ab hoc depulſum mamma pædagogandum accipit Repotialis liber.* & interpretantur Grammaticorum tribules, ſeptimum à nuptiis diem, quo iterum epulabantur: alij ſecundum, quo virgo in muliebrem habitum componebatur. Sed crediderim etiam repotia celebrari ſolita liberis natis, & cum maritis noua quotannis propè ſoboles naſcatur, vt renouãda ſit epulatio, idcirco ea conuiuia repotia appellata: cui interpretationi Pacuuij exemplum non repugnat. Nec vero Auidieni perſonæ conuenit nuptiale conuiuium. Ea, niſi me fallit augurium, dicere voluit Acro Grammaticus, παιδοτρόφια Græcè vocari velut ſublatis & ſuſceptis liberis, & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Græcorum poteſtate erat liberos exponere, nec alere. Vt autem repotia ita interpreter, mihi perſuadet Auſonius ſic ſcribens, *Epiſt. ad Paul.*

*Coniugioque dapes & ſacra repotia patrum.*

Ecce eorum epulas dicit qui ſuſceptis liberis facti ſunt parentes.

*Ex lib. 17, cap. 17.* Apud Horatium cum Sermonum lib. 2. ſcribitur,

*—vides vt Pallidus omnis Cœna deſurgat dubia?* exponitur ab interpretibus optimis rectè de cœna ſurgat. legi tamen in Lexico Latinogræco interpretationem, quam ſi negligerem, piacularem me putarem. Conſtat cruditates & alui profluuia parari epulis dubijs & varijs, expoſitum igitur reperi *deſurgat*, in ſeceſſum eat ad exonerandam aluum. Sic enim ſcribitur: *Deſurgit*, ἀφοδεύει ὡς ἀφράτιος. Sic deſurgere à Scribonio vſurpatur, *Teneſmus eſt irritatio vltimæ partis inteſtini directi, in quo ſæpius libet deſurgere ſine cauſa.*

*Ex lib.28.cap.4.* Cœna dubia etiam paraſitorum verbum eſt, lautamque & opiparam ſignificat: atq; adeo id cum ſatis non intelligeretur, declarauit eam eſſe Terentius, *Phormio. act.2.Sc.2. In qua dubites quid potiſſimum ſumas.* Sed & illud paraſiticum verbum Terentij vſurpauit Horatius

*—vides vt pallidus omnis*
*Cœna deſurgat dubia?*

*Ex lib.7.cap.9.* Cum autem ait, *— tellus me prima tuliſſet*, cuipiam fortaſſe videatur ſignificari tellus illa, quę antiquorum ætate erat, non tellus ſæculi Horatiani, nec culpari fortaſſe is ſenſus poſsit. Sed tellus prima videtur eſſe, quæ è chao prima ante elementa omnia, etiam ante cœlum (ſi Heſiodo in Theogonia credimus) extitit. Maro,

*—Prima & tellus & pronuba Iuno*
*Dant ſignum*, & libro 1. Georgicõn,
*— tuque ô cui prima frementem*
*Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.*

Etſi enim in Attica hoc factum fuiſſe legimus, quam antiquiſsimam terram indigenarum altricem audiuimus: tamen abſolutè de terra accipiendum exiſtimamus, cui primatus originis tribuitur. At libro 3. Aeneid. *—quæ vos à ſtirpe parentum.*

*Prima tulit tellus*, aliter exponitur, & rectè: poſſet tamen etiam eodem ſenſu commodè conſeruari.

*Ex lib.13.cap.1.* Eſt intellectu difficile quod ſcribitur,

*Quam nunc acciſis videas metato in agello*
*Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum.*

Hic intelligo Ofelli agrum diuiſum & aſsignatum fuiſſe Vmbreno, ipſumque eius agri, cuius ante dominus fuerat, factum eſſe mercenarium colonum. Nam in agrorum diuiſione & aſsignatione, modum metiebantur, quod eſt metari: ſed & metis & limitibus ſolebant centurias & agrorum formas includere. Vnde & metationem hac in re his verbis nominat Siculus Flaccus. *De diuiſis & aſsig.*

*Ex lib.15.cap.6. Siquidem*, inquit, Plautus, *Penu.Sc.Negotij ſib iqui volet. tu es mecum futurus pro vna paſſa penſilis.* Vuæ ſæpenumero ſuſpenduntur, vt paſſæ fiant: etſi alia ratio earum faciendarum eſt. Vnde illud Varronis, *lib. 1. de re ruſt.cap.68 Penſilia, vt vuæ, ſorba, ipſa oſtendunt quando ad vſum oporteat promi.* Horatius.

*—tum penſilis vua ſecundas*
*Et nux ornabat menſas.*

*Ex lib.13.cap 1.* Ambigitur quæ ſit apud Horatium duplex ficus in hoc verſu,

*Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.* & plerique ſunt in hac ſententia, vt cenſeant duo genera ficus ſignificari: ego verò ficum puto ſignificari maiorem, vt quæ mariſca vocabatur. Vt enim Maro ſcripſit, *1. Georg.*

*—duplici dentalia dorſo*, &
*At duplex agitur per lumbos ſpina:*

cum & craſſum dorſum dentalis, & latam ſpinam equi demonſtrare vellet: ſic duplicem ficum ab Horatio appellari ſuſpicor, quæ maior eſt & vberior, quæque formæ amplioris eſt. Sed ad teſtimonium veniendum, & vt ita dicam, tabellare ſcriptorum ſuffragium. Vegetius lib artis veterinaiæ 1. *Addiſque nouem duplices ficus*, iterũ. *ficus duplices 20. rutæ faſciculum.* Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 20. *cap. 6. Diocles hydropicis cum centaurea, aut in duplici fico.* Mariſca autem ficus vilior erat ſaporiſque fatui. Martialis, *lib.7.epig.24.*

*Infanti melimela dato fatuaſque mariſcas.* Sic vilioribus bellariis explicatam fuiſſe menſam ſecundam Horatius demonſtrat.

*Ex lib.30.cap.3.* Refert Seneca ſolitos fuiſſe veteres etiam ruſticos poſt prandium aut cœnam bibere. Quod ex Horatio caliginem aliquam remouet ita canente,

*Poſt hoc ludus erat cuppa potare magiſtra.* verba ſunt Senecæ, *Poſt prandium aut cœnam bibere, vulgare eſt: hoc patresfam. ruſtici faciunt & veræ voluptatis ignari.*

*Ex lib.7.cap.9.* Quæſitum de me aliquando recordor, quid apud Horatium eſſet,

*Et venerata Ceres, vt culmo ſurgeret alto,*
*Explicuit vino contractæ ſeria frontis.*

& vt verum fatear, nõ ſatis in præſentia quicquam ad enodandum tam implicatum ſenſum ſuccurrebat: tamen ſimilis illis, qui nulla in re hærent & celeritate reſpondendi ad omnia, emunt doctrinæ famam, ego quoq; ex tempore aliquid garrij & effutij. Nunc re apud me diutius & accuratius exacta & cogitatâ, ſenſum euoluere è ſuis tegumentis, quibus velut obductus eſt conabor. Significari igitur libationem puto, qua antiqui poſt epulas vti ſolebant. Nam pateram tenentes, ex ea aliquid in honorem dei, vt hic ruſticus in honorem Cereris, venerantes precanteſque fundebant: deinde bibebant, inuitatioque fiebat. Hic ergo colonus ait ſe cum ſuis conuiuis veneratum Cererem, vinum poſt cœnam bibiſſe, & contractæ frontis rugas vino explicaſſe. — *Culpa*, vero, *potare magiſtra*, excogitatum erat ludi genus poſt cœnam, quo nõ magiſtri imperio ad bibendum cogebantur, ne nimium ebrietati indulgeretur: ſed vt ea coërceretur nemo niſi qui qua in re peccarat, calicem ducebat: vt bibere pœnæ & dedecoris eſſet, non inuitationis aut magiſterij, Plautus in Sticho, *Sc. Agite, ite foras.*

*Qui peccat poculo multatur.* *Vter*, inquit, *demutaſsit poculo multabitur.*

Legitur & in Flacco, *cuppa*, quod vas eſt potorium vernaculę linguę etiam vſurpatum pro patera. & in epigrammate, *Sunt cuppæ, calices, cyathi*: quam ſcripturam ingenioſiſsimus & doctiſsimus interpres Lambinus ſequitur. vt libertatem bibendi accipiamus poculo imperante, non bibendi arbitro. Poculum enim non cogit niſi volentem, cum magiſter inuitum potare cogeret: *cuppam* etiam Porphyrio videtur agnoſcere.

In Saty.3.lib.2. *Ex lib.7.cap.10.* Poſcere membranam ille videtur, qui ea ſcripſit, quæ in membranam efferenda ſint, nec retinenda in aduerſariis, aut palimpſeſto, nec delenda ſint, ſed edenda, & hominum lectioni committenda,





*Sic*, inquit apud Flaccum Damaſippus, *raro ſcribis vt toto non quater anno*
*Membranam poſcas, ſcriptorum quæque retexens.*

reprehendit.n. Horatium, quòd quæ ſcribebat, retexebat omnia, aut delebat: neque quicquam eorum dignum membranâ putabat, & hominum lectione.

*Ex lib.9.cap.6. —ſtipare Platona Menandro*, eſt tanquam ſtipatorem & comitem Platoni Menandrum adiungere: quod non philoſophandi tantum cauſa, ſed etiam ſermones ſcribendi in villam ſeceſsiſſet, cum in ſermonibus imitari ſoleret lepores ſaleſque Menandri, Eupolidis, Archilochi.

*Ex lib.9 cap.28.* Inuidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam ſola voluntate, & ipſo afflatu & contagione maleficam & venenatam eſſe, & hominibus, quibus malè vellet, obeſſe grauiter cenſerent: hinc illa Horatij, *Inuidiam placare paras virtute relictâ?* Leniendum enim & demulcendum hoc vitium quod crederent, ita loquutus eſt. Rurſum, *lib.1.epiſt.14.*

*Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam*
*Limat, non odio obſcuro morſuq; venenat.*

Catullus *Epig.* 7. baſia conturbat, ne quis malus inuidere poſsit, & ne mala faſcinare lingua. Diſcidium ſibi eueniſſe quadam ſuſpicatur inuidia Propertius, *lib.1.eleg.11.*

*Inuidiæ fuimus, an me deus obruit, an quæ*
*Lecta Prometheis diuidit herba iugis?*

Commemorat rerum geſtarum Auguſti magnitudinem Maro *3. Georg.* tantam eſſe, vt inuidia ſuum liuorem in eas non ſit auſura expromere.

*Inuidia infelix furias amnemque ſeuerum*
*Cocyti metuet.*

*Ex lib.6.cap.10. Qui puteal Ianumque timet celereſque Calendas*, cum Ouidius *2. De remed.amor.* ſcribit, vtrum de Iani templo, an de Iano, id eſt, de tranſitione quadam, quæ ad puteal Libonis eſſet intelligendum eſt? nihilo ſecius illud Horatianum,

*— poſtquam omnis res mea Ianum*
*Ad medium fracta eſt.*

Nam & in fori Romani regione legimus fuiſſe Iani templum, & prope puteal Ianos duos celebrem mercatorum locum auctore Victore. *De vrb Rom.reg. & locis.* Ego igitur de templo non crediderim accipiendũ: Eorum autem alter ſuperior dicebatur, alter inferior eodem Victore auctore. Vnde & ab Horatio ſcriptum *lib 1.epiſt.1.* *— Hæc Ianus ſummus ad Imum* *Perdocet.*
quod eſt ſuperior ad inferiorem vſque: ac medium eorum ſpatium, Ianus medius dicitur, vt ſuſpicor ab Horatio, & à Cicerone lib.2. officiorum, *à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus.* Non deſunt, qui ibi tres Ianos fuiſſe ſcribant. Eſſe etiam Ianus cuipiam videretur in Ouidio pars portæ peruia, vt ſi duos in ea diſcrimine interpoſito poſtis medij, Ianos diceres. Inquit enim 2 Faſtorum

*Carmentis portæ dextro eſt via proxima Iano:*
*Ire per hanc noli, quiſquis es, omen habet.*

& Liuius, *2. ab vrb.con. Infelici via è dextro Iano portæ Carmentalis profecti.* Proinde quaſi vetus illa Carmentalis porta continuò duas haberet in proximo vias ſuis adiunctas Ianis: dextram, quæ ſcelerata eſt appellata ob calamitatem trecentorum Fabiorum, & alteram ſiniſtram: Sed his in locis de templo Iani proximo Carmentali portæ verba accipienda ſunt auctore Feſto, *Pom.lib.16.* cuius hæc verba ſunt, *Religioni eſt quibuſdam porta Carmentali egredi, & in æde Iani, quæ eſt extra eam ſenatum habere.*

*Ex lib.26.cap.26. lib.1. epiſt.2. — Hæc Ianus ſummus ab imo Perdocet.* In regione fori Romani duo Iani erant ad arcum Fabianum vt ait Victor, incruſtati & adornati ſignis, ſuperior & inferior: celebris mercatorum locus & fœneratorum: apparetq; ſpatium inter illos duos Ianos ſuperiorẽ & inferiorem, vocatum fuiſſe Ianum medium. Vt Ianus ſummus imuſque appellatus ideo ſit, quod & medius eſſet. Horatius,

*— poſtquam omnis res mea Ianum Ad medium fracta eſt.* Cicero, *2. offic. 6. Philipp. Commodius à quibuſdam viris optimis ad medium Ianum ſedentibus. Iterum, Ianus medius in Antonij clientela ſit?*

*Ex lib.22.cap.1. Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius eſſet.* Supra lib. de Art. poët. in explicatione verſus *Excudent alij ſpirantia mollius æra* ſcribuntur nonnulla hunc in locum.

*Ex lib 7.cap.10.* Scribitur eadam ecloga, *Dum ne quid ſimile huic, eſto vt lubet*: in quo obliquè quidem & acriter tamen perſtringitur Damaſippus vt inſanus: vt & alio loco, *— qui tibi nomen Inſano poſuêre*: quo cognomine vulgo notabatur, vt apparet, cum inquit,

*Dixerit inſanum qui me, totidem audiet,*

Morſum autem perſenſit, Horatiumque vlciſcitur, & de ſtultitia inſaniaque diſſerit,

*Ex lib.9.cap.6. — nihilo vt ſapientior ille, Qui te deridet, caudam trahat.* explicatus eſt hic locus ſupra in libello de Art. poët. in verſu. *— traxitque vagus per pulpita veſtem.*

*Ex lib.23.cap.5.* Qui non ex animo ridet, neque exhilaratur: ſed coacto tanquam & inuito vultu renidet: non ſuo, ſed alieno vultu gaudere dicitur, vt apud Valerium, *Val. Flacc. lib.8, argon.*

*Erranteſq; genæ atque alieno gaudia vultu.* Sic & Horatius. *Cum rapies in iura malis ridentem alienis,*

Non enim ſuis ridere malis videtur, qui inuitus lætitiam ſimulat, cum eius priſtinus non agnoſcatur vultus, nec priſtinus ridentis habitus.

*Ex lib.4.cap.13.* Ait Plautus, *Aſinaria Sc. Quid hoc ſit negot. Adducit domum etiam vltro, & reſcribit nummos.* Scribere nummos eſt, nummos non præſentes ſoluere, ſed pro his in certum diem ſoluendis apud Trapezitam ſe obligare, & per argentarium in certam diem cauere redditum iri nummos, qui debeantur. Queritur enim pro pecunia præſenti cautionem ſoluendæ per menſam pecuniæ apud argentarium factam: & ante dictum erat, *Plaut. ibidem, Nam vidi huc ipſum adducere ad Trapizitam Exærambum.* Itaq; apud Terentium in Phormione, *act.5.Sc.7. Illud mihi argentum iube rurſum reſcribi*, valet, caue mihi à menſa redditum iri: Et apud Horatium, *Putidius multo cerebrum eſt, mihi crede, Perilli Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſsis.* valet, quod tu nominibus ad menſam factis non poſsis ei per argentarium poſtea renumerare: ſic, *Phormione act.5. Sc.8.*

*Quod ne ego perſcripſi porro illis, quibus debui?*

Eſt, quod ad Trapezitam attuli, & totus ſcripſi, quibus dinumeraret certa die, vt nihil iam mihi reliquum ſit, atque ita expunxi nomina, quibus debebam.

*Ex lib.9.cap.6.* Cum ait, *Audire atque togam iubeo componere,* attentionem poſtulat, vt in vera & longa repreheſione. Qui enim ſe comparat ad audiendum attentius, togam primum relligit, & circum ſe componit, ne defluat, & ſoluta laxaque aliqua parte decidat: Qui etiam ad dicendum aggrediuntur, togam ſolent componere. Quintilianus, *lib.11.cap 4. Ergo cum iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de cauſa iuſſerit, leuiter conſurgendum: tum componenda toga, vel ſi neceſſe erit, etiam ex integro eiicienda.*

*Ex lib 30. cap. 7. —centum paria ob res Egregie geſtas induco,* dixit Perſius *Saty. 6.* vbi duplicem ſignificare videtur hecatomben: ſed fortaſſe ludos gladiatorios ſignificat, cum paria dicat. vt apud Horatium.

*—gladiatorum dare centum Damnati populo paria.*

munera autem gladiatoria ludoſque in religionis parte numerabant.

*Ex lib.28.cap.3.* Scribit Cic. in orat. quam poſt reditum ab exilio in Senatu habuit, *nondum palam factum erat concidiſſe Rempub. cum tibi arbitria funeris perſoluebantur.* & in Piſonem. *Atque eo in templo, eodem & loci veſtigio & temporis arbitria non mei ſolum, ſed patriæ abſtuliſti.* Ego his in locis arbitria ſignificare exiſtimo impenſam & precium funeris: quæquidem res ita apellata eſt propterea quod in arbitrium alicuius ab eo, qui teſtatus fuerat, conferebatur: vt & ſepulchrum interdum. Horat. *Saty.5. huius libri.*

*— ſepulchrum Permiſſum arbitrio, ſine ſordibus extrue.*

Sic & epulum funebre arbitrio, alicuius permitti ſolebat à teſtatore. Horatius,

*— atque epulum arbitrio Arri.* quo factum eſſe arbitror, vt arbitrium præmium & precium ſignificet: vt arbitria victoriæ, pro præmiis victoriæ Q Curtius dixit.

*Ex lib.3 cap.22. Formam qua ludum gladiatorum erat ædificaturus conſiderauit,* cum dicit Tranquillus, *In Iul. Caeſ. cap. 31.* ſimulachrum ſignificat & adumbratam vel effictam ſpeciem (ichnographiam vocat Vitruuius *lib.1.c.2.* atque orthographiam) qua ludum erat ædificaturus gladiatorum. Cicero, *lib.4. epiſt. famil. vt ex tuis literis cum formam Reipub. viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim:* eſt & forma, ad quam calceus conficitur: Horatius, Si ſcalpra & formas ſutor.

*Ex lib.7.cap.10. Si ſcalpra & formas.* Scalpra ſunt, quas Græci σμίλας vocant, ferramenta ſutoria primore parte curua & à flexu procurrentia acie recta, quibus corium ſecant: ſed & à ſimilitudine in falce vinitoria pars illa quæ ſic acie eſt recta poſt ſinum curuum ſcalprum vocatur à Columella: *lib 4. cap.25 quæ,* inquit, *à flexu procurrit ſcalprum.* nomen adeptum eſt à ſcapendo. Eo enim commodius ſic poſt flexum procurrente quàm directo ſcalpi poteſt.

*Ac potius foliis parcus veſcatur amaris.* puto hic ſignificari oleta agreſtia, quæ amariora ſunt quam vrbana: vt omnia ſiluatica Nam cultu & irrigatione proficiunt atque manſueſcunt.

*Ex lib.23.cap.23.* Non eſt oſcitanter prætereundum cur à Perſio vitrea bilis dicatur 3. Satyra cum ſcribit,

*—turgeſcit vitrea bilis. Finditur,* ea eſt bilis ſplendida & clara, id eſt quæ ſe clariſsime è ſplendore prodit, quæ & ſplendida bilis à Flacco dicitur: quidam tamen putant, quæ ſtatim euaneſcit & frangitur, etſi emicat & ſplendet, vt in verſu illo Publiano,

*Fortuna vitrea eſt, cum ſplendet, frangitur.*

verum vt expoſui, eodem modo Græci ὑαλόειν clarum & pellucens appellant. Scio & apud medicos eſſe pituitam vitream, quam quis hic bilem vocari à poëta ſuſpicaretur: ſed id nimis longè repetitum eſſet. non ſunt tam ex alto ducendi ſenſus, de quib. poëta nihil cogitarit.

*Ex lib.7 cap 10. Non eſt periurus, neque ſordidus immolet æquis Hic porcum Laribus.* Si, inquit, non eſt auarus (nam auari ſtudio rei augendæ quacunque ratione peierant & ſordidiſsimè viuunt) rem diuinam diis Laribus porco faciat, qui ei talem inſaniam non immiſerunt. Nam à laribus laruæ, à laruis furioſi inſanique vocantur.

*Ex lib.29.cap.32.* Porcis in expiationibus veteres vti ſolebant. Varro, *De re ruſt. lib.2.cap. 4.* Itaque *apud Plautum in Mænechmis, cum inſanum quem putat, vt pietur in opido Epidamno, interrogat, Quanti hic ſunt porci ſacres?* & apud Cic. lib.2. de legib. *Porco fœmina piaculum hæres patitur.* immolabatur & Laribus, vt illud oſtendit,

*—immolet æquis Hic porcum Laribus.*

*Ex lib.26.cap.14.* Eleganter epiſtola 120. apud Senecam, *Sinum laxa* eſt ſinum veſtis extende & expande, vt eum lucro compleas. Sed audiendus coram ipſe Seneca eſt.

*Sinum laxa, merum lucrum eſt.* Secus in Flacco ſinus laxus illius eſſe dicitur, qui ſinum nõ adſtringit, ideoque quæ in eo gerit, effluere & excidere ſinit, & perdit. Flaccus ait,

*Ferre ſinu laxo donare & ludere vidi.*

*Ex lib.7.cap.10.* Nomen iuriſiurandi etiam veteres poſuiſſe in execratione videntur: vt Servius Oppidius apud Flaccum execrans natos ſi præturam aut ædilitatem peterent, eos ſe dicit obſtringere iureiurando. Ita autem ſcribitur, *—iure*

*Iurando obſtringam ambo: vter ædilis fuerit, vel*
*Veſtrum prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.*

Concipi tamen videtur iuriſiurandi formula, in quam iuraturi erant eius filij: & iureiurando execratio addi ſolebat, vt dira deteſtatione ſanctius redderetur.

*Ex lib.29.cap.14. Inteſtabilis,* vt inquit Caius, *l. cum lege ff. qui teſtam. fac. poſſ. & qui teſt. eſt & qui lege iubetur, ne eius teſtimonium recipiatur, neue ipſi dicatur teſtimonium.* Puto autem talione plecti eum, qui teſtimonium defugerit, inde factum eſt, vt inteſtabilis homo, inuiſus, ſceleratus, flagitioſus & execrabilis eſſet. Horat.

*—is inteſtabilis, & ſacer eſto.* Plautus, *Curculione Sc. quo te hoc noctis, Semper caueto ne ſis inteſtabilis.* Salluſtius, *In orat. Lepidi ad Populum. neque ſe aliter tutum putat, quàm ſi peior atque inteſtabilior metu veſtro fuerit.*

*Ex lib.7.cap.10. Ergo conſulere & mox reſpondere licebit.* Hic Flaccus imitatus eſt venuſtè iuriſconſultos, & eorum conſultores: qui enim ad eos adibant, dicere ſolebant, Licet conſulere? Cic. pro Murena. *Itaq. non modo beneficij collocandi ſpem, ſed etiam illud quod aliquando fuit, licet conſulere? Iam perdidiſtis.*





*Hunc circuntonuit gaudens Bellona cruentis,*

valet, hic inſanus & furioſus eſt, ἐμβρόντητός ἐστιν, vt Græci dicunt, id eſt, attonitus eſt. nam tonitru homines de ſtatu mentis & prudentia deijciuntur.

*Ex lib.21.cap.15.* Lego apud Cic. in Piſonem, *non Senatum? non ciuitatem? cruentare corpus ſuum?* Nam Phrygiis numeris in ſacris Cybeles ſtimulati & in furorem acti ſe ſauciabant & cruentabant. Simile illud Flacci, *Hunc circuntonuit gaudens Bellona cruentis.*

*Ex lib.25.cap.17.* Bellonæ miniſtri ſibi brachia cruentare ſolebant, Horatius,

*Hunc circuntonuit gaudens Bellona cruentis.* Id tamen non tam faciebant, quàm artificio aliquo conſequebantur, vt facere viderentur. veram autem brachiorum cruentationem exegit Commodus. Lampridius, *in Commodo. Bellonæ ſeruientes verè execare brachium præcepit ſtudio crudelitatis.*

*Ex lib.13.cap.5.* Immane precium, impenſum precium dicitur. Sed & impenſo emere tacita precij voce vſurpauit Horatius cum dixit, *Luſcinias ſoliti impenſo prandere coemptas.*

*Ex lib.7.cap.10. —ponas inſignia morbi Faſciolas, cubital, focalia:* hoc ego explano de hominibus, qui morbo laborarunt quo liberati refocillatis recuperatiſque viribus, ponunt faſciolas, quib. crura obuoluebant: ponunt & cubital, quod eſt brachiale, Græcis περιβραχιόνιον appellatum: vt enim faſciolæ crurum ſunt, ita cubitalia, tegmenta ſunt brachiorum. Abſque morbo enim faſcijs crura pedeſque inuoluere, viris indecorum erat, molleque & muliebre cenſebatur. Cicero in Clodium,

*Tunc cum vincirentur pedes faſcijs, cum calanticam capiti accommodares.* Focalia autem operimenta colli & faucium ſunt Plutarchus de Demoſthene, καὶ μεθ' ἡμέραν εὖ καὶ καλῶς ἐρίοις καὶ ταινίαις κατὰ τοῦ τραχήλου κατειλιξάμενος. Fabius, *Palliolum ſicut faſcias, quib. crura veſtiuntur, & focalia & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.* Apud Fabium autem, vt interim hoc dicam, aurium ligamenta eſſe videntur, quæ à Græcis ἀμφωτίδες appellantur: ſed in Græcia pugilibus tribuebantur & luctatoribus.

*Ex lib 23.cap.2. Quid tam magnum,* vt in libro antiquo vidi, mallem, quàm *Quiddam,* vt intelligatur, non eſſe magnum diis & operoſum vnum hominem ſeruare, & morti ſurripere.

Inexplicabile autem videtur nonnullis quod de libertino ſcribit Horat.

*—mentem niſi litigioſus Exciperet dominus, cum venderet.*

Serui enim inquiunt non libertini venire ſolebant. Ego hoc explicatu facile puto. conſtat enim eum ante ſeruum fuiſſe, & emptitium Horatius ponit. Cum ergo dominus, ei qui emptum poſtea manumiſit, eum ſanum eſſe, furtis noxiſque ſolutum ſponderet, aliaque præſtaret & caueret, quæ in mancipiis alienandis præſtari ſolent, mentem excepit. Mutatio igitur temporis eſt, pro excepiſſet, cum vendebat.

*—hoc quoque vulgus Chryſippus ponit fœcunda in gente Meneni,*

ab Horatio perbellè ænigmatis more dictum eſt de ſuperſtitioſis, quos Chryſippus numero ſtultorum habet. Nomina autem familiarum Romanarum quædam Græcanica erant, vt Aemiliorum, Pompeiorum. Sic & Meneniorum Nam & αἱμύλος Græcum verbum eſt, & πομπή: & μενήνιος, qui tanquam frænis ſtultus habeniſque paret, ad nutumque & voluntatem aliorum flectitur, vel à μενέηνα deducitur, qui ira & cupiditate nimium intemperanterque effertur, ideoque inſanit: aut à μέμηνα, quod eſt inſanio, vno elemento mutato ad euphoniſmum. Maniæ etiam & meniæ & meneniæ vicina nomina ſunt, quæ in ſtultitia & ineptiis ponebantur: vt gens Menenij ſit natio ſtultorum, quæ longè lateque patet, neque vnius prouinciæ finibus continetur, ſed orbis terrarum, qua ſol vtrumque recurrens aſpicit Oceanum, amplitudine ſpatiatur. Ita ex familiæ nomine & veriloquio luſit poëta. Quidam etiam Menenium fuiſſe ea tempeſtate hominem inſanum ſuſpicantur. Eſt & apud Halicarnaſſeum lib.9. conſul Menenius, qui ab hiſtorico ſtultitiæ inſimulatur apertiſsimè.

*Mater,* inquit, quæ votum fecerit Ioui, vt eo ſe ream liberet, filium nudum, vt vouit, viuo flumine perfundet ſacrorum cauſa, vt caſtus & purus rem diuinam Ioui faciat, morbumq; reuocabit, quo liberatus erat. *In gelida,* autem, *fixum ripa* dicit, ex antiquorum ritu, qui ſacris operaturi ſe in flumine purificabant.

*Ex lib.7.cap.10.* Obſeruandum autem arbitror eſſe, Flaccum in percontatione particulis ſua ſponte interrogantibus, quis & quantus, addere ex ſuperuacuo etiam interrogatricem particulam, ne. vt, *Quone malo mentem concuſſa?* id eſt, quo malo? &, *quantane?* id eſt, quanta?

In Satyr. 4. *Ex lib.1.cap.24.* Culinaria Catij Epicurei philoſophia ab Horatio ſcitè irridetur, qui non ſapientiæ doctrinam ſed voluptatis indulgentiam profitetur, & non tam intelligendi, quàm cœnandi ſcientiam & artem docet. is conuiuium ſuum à promulſide incipit: ſic enim eos cibos vocabant, quibus ante primum hauſtum veſcebantur, quem è mulſo ducebant, quod vacuis & inanibus venis initio dulcem eſſe potionem putarent infundendam. Itaque ex auſtero vino mulſum conditum reprehenditur.

*Aufidius,* inquit, *forti miſcebat mella falerno, Mendoſe:*

Alij promulſidem interpretantur, quod vice mulſi conuiuis ad appetentiam prouocandam dabatur. *Ponere,* autem, *ſigna,* eſt literis conſignare & conſcribere. Inſtituerat. n. hæc literis mandare Catius, ſed tamen ante mauult Horatio ea reddere & narrare, vt quæ accepit recomminiſcatur, cum vereatur, ne quid è memoria excidat: id enim eſt quod ſcribit,

*Quin id erat curæ quo pacto cuncta tenerem.* Et tibi narrando, inquit, memoriæ infigam meæ tenacius & firmius. Promulſidem autem, quam Macrobius *lib.3. cap.13. Satur.* etiam antecœnam vocat, appellare videtur feſtiuè, prandium, quòd quam propriè cœnam vocabant, antecedat. Primam n. illam menſam æſtate terminari ſalubriter moris ait, *—ille ſalubres Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris. Finiet:* Niſi quis cenſeat æſtate nihil vltra mora prandendum eſſe, abſtinendumque tum pulmento & alio obſonio: quod & verius videtur.

*Ex lib.28.cap.23.* Promulſidem, vnde iuriſconſultis *l. etſi non ſunt §. ſed ſi. vaſa. ff. de aur. & arg. leg.* Promulſidaria vaſa, puto cibum fuiſſe, qui initio vel prandij vel cœnæ ſumebatur loco mulſi: quod caput & principium olim cœnæ erat vt ex Horatio intelligimus ſcribente,

*Aufidius forti miſcebat mella falerno* *Mendoſe: quoniam vacuis committere venis*
*Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo* *Prolueris melius.*

*Ex lib. 1. cap. 24.* Cum autem breue lapathum dicitur, intelligo rumicem minorem, vt oxylapathum, & oxalida, ad maioris rumicisi quem hippolapathum vocant, diſtinctionem. Lubrica conchylia dicuntur, intus polita, læuia, nitida, & ſi quædam foris ſcabra ſunt, & aſpera, vt ex his, quæ ſubiicit Flaccus, apparet: alioquin ſunt politæ foris conchæ, & quædam ab Hiſtoricis vocantur lioſtrea, quod eorum ſit læuigatior & æquabilior foris teſta.

*Ex lib. 21. cap. 21. Lubrica naſcentes implent conchylia lunæ.* Vide ſuper. Odam 19. lib. 1. Carminum, in explicatione verſus *Et vultus nimium lubricus aſpici.*

*Ex lib. 1. cap. 24. Molle*, autem, *Tarentum*, cum dixit, ſi Macrobio *lib. 1. Sat. cap. 8.* credimus, errasse videri poteſt, qui etymologiam reſpiciens idem eſſe Terentum & Tarentum crediderit. Nam quæ dicuntur oues Tarentinæ, eas Terentinas dici debere credit, quòd Terentum Sabinorum lingua ſit molle: Sed Flaccus potius ad populi fortaſſe mores, quàm vocis notationem reſpexit.

*Nec ſibi*, inquit, *cœnarum quiuis temerè arroget artem.* Ecce, quæ adhuc dixit, & memorauit, antecœnam eſſe putat, quæ ſequuntur cœnæ fercula cenſet. Nam & Macrobius cœnam, & antecœnam diſtinguit: ſed & miſſus piſcium, cœna piſcium: miſſus auium, cœna auium dicebatur. *Ignarum quibus eſt ius aptius*, de patinariis piſcibus, qui in patina iure merſi apponebantur dicit. *Eum*, inquit Comicus, *Aſinariæ Sc. Vnum iſtorum quoque verbum. quouis pacto condias, vel patinarium, vel aſſum.* Si, inquit Flaccus, Surrentino vino Falernum fæcatum & turbidius miſceas, aut ei fæcem vini falerni, vt eius ſaporem combibat, & vt iucundior potio temperetur, addas, ſine colo vinario defæcare vinum poteris ouo columbino. Nam fæcem deuoluet vitellus: hodie tamen qui limpidas defæcataſq; reddunt potiones, decocta & diluta, albumine potius, quàm vitello ſolent vti. At

*Corycioque croco ſparſum ſtetit*, eleganter dixit. Nam quæ liquidiora erant & humidiora, vt aliquam adepta ſunt coquendo concretionem, ſtare dicuntur. Hinc deſcribit ſecundam menſam, quæ & menſa pomorum dicitur.

*Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco.* Scobem porro à Catio credo imperari, vt ſi in pauimento lacuna ſit facta effuſo humore, inſperſa protinus ſcobs humorem exiccet. Toralibus autem lectorum, veſtes ſtragulæ, aut conchyliatæ, aut purpureæ aut Babylonicæ à locupletiſsimis patribus familias circundabantur: ſed tam honeſta veſtis parum decebat, ſi toral, quod ſubeſſet, turpe & ſordidum, aliqua parte non opertum vel retectum appareret. Toral. n. inuolucrum erat thori, id eſt, congeſtæ plumæ, vel herbæ, vel arundinis operimentum, quod & elegantiore rurſus ſtragulo obducebatur, conuiuij cauſa, aut feriarum: Ouidius, *8. Metamor.* — *in medio torus eſt de mollib. vluis,* *Impoſitus lecto, ſponda pedibuſque ſalignis,*
*Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto* *Sternere conſuerant.*

In 5. Saty. lib. 2. *Ex lib. 2. cap 19. Ante larem guſtet venerabilior lare diues*, Ex antiquorum pietate ſuperſtitioſa dictum eſt, qui de cœna lari libare ſolebant, ita & fructuum primitias ei ſacrabant libabantq;.

*Ex lib. 14. cap. 24. Ne comes exterior, ſi poſtulet ire recuſes.* Quis hic eſt exterior comes? nempe qui ad læuam eſt, qui locus inferioris eſt. nam cum quicquid agimus ad dextram ferè nos conuertamus, cuius maior eſt habilitas & agilitas quàm læuæ, fit proinde vt flexus & gyrus eius minor & interior, à circi conſuetudine, vbi ad metam flectebant in dextram curſum, vnde & dexteritio appellata eſt. Ita dexter qui erat, interiore flectebat gyro, vt læuus exteriore ſed & equus ſiniſter, ampliorem luſtrabat orbem quàm dexterior, itidem & rota: Ouidius ait, *3. amo. eleg. 2.*

*Nunc ſtringam metas interiore rota*, id eſt, breuiore curſu, niſi ſi quis dicat interiorem cuique & proximiorem eſſe dextram partem, exteriorem læuam: indeque exteriorem comitem dici, quod & verius puto. Ouidius dextrum hominem, qui in honeſtiore loco eſt, interiorem putauit, cum qui ad læuam eſſet, exteriorem vocauit, *5. Faſt.*

*Et medius iuuenum non indignantibus ipſis*
*Ibat, & exterior, ſi comes vnus erat.*

*Viſne tegam ſpurco Damæ latus?* Sermonum ſecundo ſcribit Horatius, quod quidem illic ab Horatio fingitur ab Vlyſſe, vt Heroë indignum recuſari: & Oppius ait, *lib. 4. de bell. Alexandr, deinde poſt Racilium, nam is latus Caßij tegebat, quaſi reſponſum ab eo peteret celeriter dato loco, cum ſe inſinuaſſet. ſiniſtra corripit eum, dextraque bis ferit pugione.* his locis velut chirographis aut teſtationibus, tegere latus intelligimus eſſe latus ſiniſtrum alterius, qui vel ætate vel honore ſuperior eſt, claudere: quod qui facit, tanquam pro ſcuto ſit, quo latus præſertimq; ſiniſtrum tegitur, latus tegere dicitur: aut vt qui in acie nobis ad læuam adſtat, dum ſcutum ad dextram vertimus, nudum latus ſiniſtrum protegit.

*Ex lib. 6. cap. 4.* Ex Senecæ loco perſpici poteſt, cur ab Horatio ſcriptum ſit, *Viſne tegam ſpurco Damæ latus?* Nam cum Dama diminutionis forma à Demetrio deductum ſit, nomen ſeruile eſt, & in Horatio libertini hominis, quales multi ad opes perueniebant, & ſi pro viliſsimis & ſordidiſsimis ſemper habebantur. Adſcribam Senecæ verba. *lib. 4. Controuerſ. Idem res dicebat omnes ſordidiſſimas, acetum & puleium, & Damam & phileroten, laternas & ſpongias.* Cum igitur Horatiani mihi loci in mentem inter legendum veniſſet, in articulo opprimendum putaui & huic ſchedulæ inſerendum, cum ei nonnulla lux è Seneca adfulgere videatur.

*Ex lib. 2. cap. 19. Quinte puta aut Publi*, quod Horatius ait, expreſsit mores Romanorum, qui cum aliquem honorificè, vt liberum aut ingenuum appellabant, prænomine ſalutabant. Nam ſalutare cognomine, familiaris erat, vt apud Ciceronem *Cæſar Pulchro*: & Polybius in hiſtoria ſemper ſuperiorem Africanum honoris, credo, gratia, Publium appellat, & apud Perſium *Saty. 5.* ſcribitur ſalsè & venuſtè.

*Marco ſpondente recuſas,* & — *has ſigna Marce tabellas* &
*Ingentes trepidare Titos*: & quaſi dignitas ingenuorum in prænomine tota poſita ſit, quo ſerui carebant. Scribit idem, *Saty. 5.*





*Verterit hunc dominus, momento temporis exit* *Marcus Dama.* Poteſt tamen & in eo interdum quiddam familiaritatis latere.

*Ex lib. 24. cap. 28. De cute quid faciat ille, vel ille ſua* apud Martialem, *lib. 7. epi. 9.* eſt de corpore. vt & apud Flaccum, *Pelliculam curare iube.* Sic & χρὼς Græcè cutis & corpus eſt. nam Latini Græcanicum ſermonem æmulari gaudebant.

*Ex lib. 26. cap. 27.* Pellicul. c. i. Hic locus explicatur ſupra epiſt. 2. lib. 1. in verſu
*In cute curanda plus æquo operata iuuentus.*

*Ex lib. 13. cap. 17. Fi cognitor ipſe*, è chirographis exemplis repetitum aliquanto concinnius erit, quàm vt peruulgatum *Sis cognitor*: nec verò ſi inuſitatum eſt in imperandi modo, eoque comicus Plautus vtitur.

*Ex lib. 2. cap. 19.* — *ſeu pingui tentus omaſo*, ad contemptum dicitur de eo, qui obſonijs ſe ſaturat vilibus, vt alio loco *lib. 1. epiſt. 15.* — *tabulas cœnabat omaſi.* Qui autem è Romanis teſtamenta faciebant, tabulas his, quos vel legato, vel parte hæreditatis proſequebantur, interdum oſtendebant vt poſtea obſignatas reponerent, nec niſi ipſis mortuis aperirentur: quibus autem oſtendebantur, inſpicere abnuebant & recuſabant, ne hæredipetæ & captatores viderentur. Horatius tamen monet oculis limis primæ ceræ ſecundum verſum ſaltem percurrat captator, ne illudatur vana ſpe. Nam qui teſtantur & vltro inſpectandas offerunt tabulas, cum putent negaturum recuſaturumque inſpicere verecundè captatorem, cui ſimulant ſe aliquid reliquiſſe, vana ſpe lactant, nihilque interdum relinquunt: quod deprehenſum in Naſica eſt, cui impudenter captanti tabulas teſtamenti ſui Coranus gener oſtendit, legereque ſæpius renuentem, tandem coëgit: qui intellexit nil ſibi legatum, ſed fruſtra ſibi eueniſſe captatorias artes. Ne igitur qui in teſtamento aliquid ſibi relictum credit, fallatur, vt Naſica, obliquo oculo celeriter rapiat quid ſcriptum ſit in prima cera, ne ludibrio habeatur.

*Ex lib. 21. cap. 26: Sed non omnia diſplicere vellem* *Tibi, & Suffetio ſeni recocto*, Catullus in clauſula epigrammatis 50. cum iocos frigidiores videret ſeuerioribus fortaſſe non placituros, perſonam quæſiuit, cui eos attribueret & ad veniam dixit, id eſt tibi homini ſerio, & Suffetio veteri ſeni: tibi ſeuero & acri iudicio prædito & Suffetio homini multo rerum vſu trito, nimiumque graui. Quibuſdam videtur tranſlatio eſſe ducta à metallis, quæ recoquendo meliora & puriora fiunt, omnique ſcoria liberantur & aliena materia. Sed hic potius ab his ferramentis ducitur, quæ cum inueterarunt, recoquuntur, vt reficiantur ac reformentur, aut in aliam ſpeciem mutentur. Itaque quod multi temporis eſt exponitur à Seruio *in lib. 11. Æne.* Horatius, *Scriba ex quinq; viro, coruum deludet hiantem.*
id eſt, qui ſæpè factus & refectus eſt ſcriba. Sic recoxiſſe Peliam dicitur Medea, id eſt, reformaſſe atq; renouaſſe, vt recoctus ſenex ſit hic annoſus, antiquus, longæ ætatis, & plurimi uſus, multis in rebus tritus & verſatus, ideoque ſeueri & acris iudicij. Quinq: virum primi nominis Iuriſconſulti, vt hoc etiam appingam, in Horatio ſignatorem explicant quod quinque ſignatores adhiberi ſolebant: ego verò puto nomen eſſe magiſtratus, vt in colonijs deducendis & agris aſsignandis. Nam Triumuiros, Quinqueuiros, Decemuiros, Vigintiuiros legi aſsignatores agrorum fuiſſe. Cicero Quinqueuiri meminit in Lucullo. *neminem eſſe prætorem, imperatorem, neſcio anne Quinqueuirum quidem quemquam niſi ſapientem.* Sed & quinqueviri de exilio iudicabant, vt & elegantiſsimè docuit Pithœus. Erant & quinqueviri menſarij, & quinqueviri muris turribusque reficiendis, quod paruum erat & exiguum munus. Sed qui ſcribę ſæpè fuerant & quinque viri, veteratores & callidi habebantur. Scribis, qui ſunt γραμματεῖς, poſtea adiecti ſunt Cancellarij, qui erant, vt vetus criticus explicat, ἀντιγραφεῖς. Erant & quinqueuiri cis & vls Tiberim, quorum non admodum magnum munus erat, cum quidam magiſtratuum vicarij forent, de quibus Horatium potiſsimum locutum eſſe credo: ac fortaſſe Corannus ſcriba & quinqueuir fuerat.

*Ex lib. 2. cap. 19.* O Laërtiade quicquid dicam, aut erit, aut non. Ita apud Horatium vulgo accipi video, quaſi vates illudantur: Sed niſi fallor ſtultiſsimus eſſet Tireſias, ſi vltro ſibi fidem detraheret. Potius opiner eum dicere, ſe non eſſe alijs vatibus ſimilem, qui diuinorum nomen ementiuntur, hominesque fallunt: Idcircoque ambagibus, ne in mendacio deprehendantur, ſua reſponſa inuoluunt, & draconem neſcio quem vel aquilam ænigmate inexplicabili loquuntur, nec res ſuis appellant nominibus: quod ſe contra facturum Tireſias pollicetur, ſeque ſine figura & anfractu locuturum, id quod erit, aut non erit, cum & ſibi ab Apolline diuinandi ars ſit, quæ vulgaribus iſtis non ſit tributa vatibus. Proinde apertè & ſine vlla figura captatoris Naſicæ & Corani nomen elocutus eſt: nec Naſica & Coranus aliud quicquã, quàm quod recto nudoque ſermone ſonant, ſignificant.

*Ex lib. 26. cap. 31.* Quod Horatius perlepidè ſcripſit, *Vt canis à corio nunquam abſterrebitur vncto.*
nonne eſſe putares, quod Theocritus *Idyll. 10.* eadem vrbanitate facetè luſit χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι; Sed quis perſuaderet ſibi corium apud Horatium eſſe χόριον Theocriti, cum hoc ſignificet membranas partum inuoluentes, à quibus agnos ſerotinos Chordos putat vocatos Varro: *lib. 2. de re ruſt. cap. 2.* Crediderim Horatium prouerbium Græcum eſſe ſecutum: tamen nonnihil ſignificationem deflexiſſe in id, quod æquè conueniret. Sed & σηυτοτραγεῖν id enarrator interpretatur, quod Horatiano ſenſui conuenit.

*Ex lib. 16. cap. 17. Soli gerendum cenſeo morem, & capiundos crines* Plautus ait, *Moſtel. Sc. iampridem mecaſtor.* Vbi ego capere crines eſſe ſuſpicor blandiri & aſſentari lenique capillorum tractu ac mulcente delenire, & amabiliter attingere: ſic etiam aures leniter tractabant ijs, quibus adulabantur, quosq; captabant & admirabantur, & quibus indicabant vel ſimulabant amorem, & quos oſculabantur. — *aurem* inquit Flaccus, *ſubſtringe loquaci.* Plautus Aſinaria, *Sc. Cur me retentas. Prehende auriculas, compara labella cum labellis.*

*Ex lib. 19. cap. 13. Soli cenſeo gerendum morem & capiendos crines* Capere crines eſt blandè & amatoriè oſculandi cauſa capillos amatoris prendere, vt & aures ſolebant, quod ante annotaſſe mererecordor: apud Horatium quoque, — *aurem ſubſtringe loquaci*, eodem modo accipimus. vetus tamen magnæque auctoritatis liber, *ſubſtringe* præbe interpretatur, vt dicat loquaci præbendas aures.

*Ex lib. 30. cap. 27.* —*aurem ſubſtringe loquaci* apud Horat. blandientis & adulantis eſt, vt exiſtimo, & mirabundè aſſentantis. nam qui oſculabantur, amatoriè auriculas prehendebant vt apud Plautum eſt. *Prende auriculas.* ſignificat igitur quaſi amplexeris & admireris, auriculam eius ſubſtringe.

*Ex lib. 28. cap. 3.* —*ſepulchrum Permiſſum arbitrio &c.* recurre ad Satyr. 3. huius libri in explanatione verſiculi —*atq; epulum arbitrio Arri.* Scribit Cicero in oratione pro Rab. Poſth. *Tua Poſthume nummo ſeſtertio à me addicuntur.* Si quis magnum æs alienum conflauiſſet plerunque eius bona alicui numo ſeſtertio addicebantur hac lege, vt creditoribus ſatisfaceret, in quorum fraudem vendere non licebat, itaque ſubijcit, *ita bona veneant vt ſolidum ſuum cuiq; ſoluatur: nihil iam aliud niſi fidem curat.* Sic ſcribit Aſconius, *Bona Milonis propter magnitudinem æris alieni ſemuncia veniſſe* cum ſemuncia etiam minor ſit ſeſtertio, quanquam fortaſſe in Aſconio *ſeſtertio nummo* legendum eſt, etſi id non auſim adfirmare. Flagitioſiſsimum & ſceleratiſsimum habebatur olim fidem in credita pecunia fallere: ad famam igitur debitorum tuendam ſic bona vendebantur, & emptori onus ſoluendi imponebatur: eandem venditionem & in captatione poſuit Horatius, —*huic tu Dic ex parte tua, ſeu fundi ſiue domus ſit. Emptor, gaudentem nummo te addicere.* id eſt, vt vulgo loquimur, fruſto panis minimoque precio, vt in captatoria venditione. Quo ſanè loco hoc adnotant interpretes, quod an verum ſit, ipſi viderint, ego neque fidem detrahere, neque addere decreui, lege cautum fuiſſe, ne rem vel agrum vel domum teſtamento donatam, quis donaret: & vt viderentur emiſſe, nummum dare ſolitos, ſi quibus donabant.

In Satyr. 6. lib. 2. *Ex lib. 29. cap. 35.* Dextra cùm erant numina, fauere credebantur: cùm læua, non fauere. hinc illud, *Iuuenal. ſatyr. 10.* —*quid tàm dextro Ioue concipis, vt non Conatus te pœniteat votiq; peracti?* Atque id in eo quidem numine, quod præpotens eſt, idem & in alijs faciebant. vt dextro Hercule, & amico Hercule, vt Perſius, *ſatyr. 2.*

*Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule.* Horatius,

—*qui mercenarius agrum Illum ipſum mercatus arauit, diues amico Hercule,*

hic Hercules inuocatur, quòd propter ærumnas & labores, quos feliciter exanclauit & perfunctus eſt: in agro arando & incipiendis omnibus conatibus eius inuocatio felicis auſpicij videretur. Dextro etiã Caſtore fieri dicitur propitio & fauente Caſtore. Sed in equitando, cùm optimus eques fuerit Caſtor. Papinius, *4. ſyluarum. Signa frænatæ moderatus alæ Caſtore dextro.* Ex contrario igitur etiam intelligi poſſunt numina apud Maronem læua: etſi aliter explicari etiam animaduerto cùm ſcribit, —*ſi quem Numina læua ſinant, auditq; vocatus Apollo.* Sic etiam, *Dextra ſternuit approbatione*, in Catullo legimus, vt auſpicij & ominis fortunati.

*Ex lib. 28. cap. 26.* Pinguis, hebes & tardus dicebatur. Horatius,

*Pingue pecus domino facias, & cætera præter Ingenium.*

*Ex lib. 13. cap. 17.* Hoc elegantius & verius fuerit, —*Romæ ſponſorem me rapis*: non *Roma.* Etenim quibus Romæ negotijs implicatus & impeditus ſoleat eſſe, ſcribit: quibus ruri quòd careat, ſe felicem & beatum putat. Etiam pari conſtantia & aſſeueratione illud affirmandum,

*Ne prior officio quiſquam reſpondeat vrges.* Quis enim hoc non malit, quàm *vrge?* neque tamen hoc excogitatum proferimus, ſed ex antiquis libris prolatum edimus.

*Ex lib. 22. cap. 7.* —*at ſimul atras Ventum eſt Exquilias.* i. odioſas mihi & moleſtas ob negotia. vide ſuper Odam 1. lib. 3. Carminum.

*Ex lib. 6. cap. 7.* Quid? non & illud negotium faceſsit, —*noſter ludos ſpectauerat, vnà Luſerat in campo?* Non tamen operosè velut è cuniculo latebroſo effodiendus eſt ſenſus. Imitatur enim ſermonem hominum ſibi inuidentium, & mirantium tam proſperam ſecundamque fortunam ſuam. Horatius, inquiunt, noſtri ordinis & loci erat, & in vltima cauea nobiſcum ſpectabat ludos inter pauperum cuneos, in campo Martio nobiſcum ſeſe exercebat, qui fortunæ filius nunc videtur, tantis auctus ſucceſsibus eſt. Nam Senatores ludos theatrales ſpectabant ex orcheſtra: è quatuordecim ordinib. equites: & plebeiorum lautiores & ditiores commodius ſedebant, pauperiorũ deterior vt conditio, ſic & in cauea locus: in campo quoque generoſi cum generoſis ſe exercebant, pauperes cum pauperibus. ergo iuuenem Horatium olim ſui fuiſſe ordinis dicebant, qui fortunæ indulgentia ad amicitiam Mæcenatis opesque peruenerit, & fortunæ beneficio prouectus ſit ad tantam felicitatem.

*Ex lib 13. cap. 17.* Exclamat Horatius, *O noctes cœnæq; Deum.* Suas frugi modicasque ſed iucundas & ſuaues cœnas comparans epulis, quæ in honorem Deûm in templis Romæ apponebantur tenues & parabiles, non ſumptuoſæ neque ſplendidæ. Dionyſ. Halicarnaſſeus, *Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς, ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανοῖς καὶ πινακίσκοις κεραμέοις ἀλφίτων μάζας καὶ πόπανα καὶ ζέας καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτά, καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα.*

*Ex lib. 17. cap. 17.* *O noctes cœnæq; Deum*, Horatius ſcripſit. eas cœnas è Dionyſio expoſuimus: ſunt tamen qui cœnas Deorum interpretantur epulas illas eſſe, quæ deorum nomine in templis dabantur, aut ædibus ſacris: vt epulum Iouis legimus. Apparatiſsimæ autẽ erant illæ cœnæ & lautiſsimæ. Sed & dijs ipſis ſternebantur lecti, quibus ſimiles dicat eſſe ruſticas & frugi menſas Horatius. Citatur & à Priſciano *lib. 6.* Cornificius de cœnis Deorum.

*Ex lib. 6. cap. 7.* Quid ſit apud Flaccum, libatis dapibus paſcere, non tam facilè fortaſſe reperias, qui tibi explanet, quàm vel in littore algam, vel in ſentibus ſpinam inuenias. Proinde operam mihi hanc ſumendam putaui, vt eos edocerem, qui facilius à vero aberrarent, quàm rectam viam inſtarent: Sic autem ſcribit, *Ante Larem proprium veſcor, vernasq; procaces Paſco libatis dapibus.*

Ego hoc crediderim referendum ad antiquorum pietatem, qui partem cœnæ lari, dijſque donabant, & in focum mittebant lari ſacrum, vt conſtat, id enim erat libare dapes: ex ea conſuetudine, vt arbitror, ſcribit Varro, vt à Marcello citatur, *in diſtinctio. Patella lib. 2. de finib. quocirca oportet bonum ciuem legibus parére, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Et Cicero de finibus. *Atqui reperiemus Aſotos primum ita non religioſos, vt edant de patella*, id eſt, vt edant ea, quæ dijs à cœna libata ſunt: Sed ritus ille optimè intelligetur è Plutarcho, ita in libello de Fortuna Romanorum ſcribente, *οὐδ' οὔ φασιν, ἀλλὰ παρθένον τὴν οἰκεσίαν ἀπάργματα καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης, ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν, καὶ τότε τυχεῖν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν.* Ea igitur ſe caſtitate & ſanctimonia ruri dicit cœnare Horatius, vt dapibus niſi ante deo piè libatis, veſci non ſoleat. inde & dij patellarij à *Plauto Ciſtellaria. Sc. Credi ego amorem.* feſtiuè iocante ſunt dicti, quibus in patella libabatur, non magna ſacrificia fiebant Tales dij erant in Larario domeſtici penates & lares.



In Satyr. 7. lib. 2. *Ex lib. 18. cap. 27.* Mediocritatem frugalitatis laudaſſe videtur in ſeruo Horatius cùm ſcripſit, —*amicum Mancipium domino, & frugi quod ſit ſatis, hoc eſt, vt vitale putes:* proinde quaſi frugalitas nimia & attentio acrior ad rem diligentiaq; noceat. & quamuis, qui nequam & diſſoluti ſunt, perditi profligatique ſint, neque vita digni, quos ne ſalus quidem ipſa ſeruare poſſe videatur, cùm contra viuere videantur & vitales eſſe qui ſunt frugi & attenti: tamen nimia auiditate & auaritia & nimia parſimonia exitium ſæpè acerbum accerſitur. Seneca eodem ſenſu lib. 5. Epiſtolarum *Epiſt. 39.* ſcribit, *magni animi magna contemnere, ac mediocria malle quàm nimia. Illa enim vtilia vitaliaq; ſunt, at hæc eo quo ſuperfluunt nocent.* quæ verba multum lucis adferunt Horatio niſi fallor. Simile eſt illud Lactantij lib. 6. *Vnum eſt enim ſapientis & iuſti & vitalis viri opus, diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare.*

*Ex lib. 13. cap. 17.* Cùm ſcribit Horatius, *Iam mœchus Romæ, iam mallet doctus Athenis Viuere,* ſi ſileam quod in araneoſo ſituque pleno legi libro piaculare videatur, *iam mallet doctor Athenis*: vt eum dicat tam inconſtantem incertumque ſententiæ fuiſſe, vt modo mœchari, modo docere vellet. equidem *doctus* illud non moueo loco, puto tamen mihi fraudi non futurum, quod aliud quiddam me reperiſſe dixerim. *Vertũnis* autem legendum arbitror, non *Vertumnis*, vt Portunnus, Saturnus, Neptunus dicitur. In eodem ſermone ſcriptum eſt diſertè —*ac prior illo*: non vt publicatum eſt, *ille*: nec meherculè inepto ſenſu, quod dicetur illi anteponendus, hoc etiam monentis tantum, non ſtatuentis more dico. Cæterum cùm ait, *Nequicquam cœno cupiens euellere plantam*, ad prouerbium Græcum adluſit, *ἐντὸς πηλοῦ πόδας ἔχεις*: quod eſt, extra lutum pedes habes, de his, qui alicunde ſe expedierunt, & è moleſtia euaſerunt.

*Ex lib. 2. cap 20.* In Apocolocynthoſi à Seneca luditur, *Et proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet.* In quo ambigitur à noſtris literatis, qui ſint auctorati. Quod ſi in eorum tanquam ſenatulo dicendæ ſententiæ mihi ius eſt, eos exiſtimo, qui ſuam ad gladium operam mercede locarant, & qui ſe ludo gladiatorio ad depugnandum mercede addixerant: quod & à veteribus Grammaticis in Horatium ſcriptum eſſe recordor, vt Helenio, Acrone & Porphyrione, qui tradunt eos, qui ſe vendunt ludo auctoratos appellari, quæ quidem ſignificatio belliſsimè conuenit Senecæ loco. Nam & auctoramentum merces eſt apud Paterculum, *poſterio volumine. In ea iugulati ciuis Reip. conſtitueretur auctoramentum*, id eſt, conſtitueretur merces, & prẹmium ei, qui proſcriptum trucidaret. Iterum, *Ibidem, auctoramentoq; funebri ad conſeruatoris quondam Reip. tantiq; Coſ. irritando necem.* Hîc auctoramentum funebre propoſitum præmium ſignificat ei, qui Ciceronem iugularet: & Auctorare pro præmium mercedemque ſibi quærere idem vſurpauit, vt de Perpenna Sertorij interfectore: *Romanisq; certam victoriam, partibus ſuis excidium, ſibi turpiſſimam mortem peſſimo auctorauit facinore*, id eſt, mortem veluti mercedem ſibi quæſiuit & arceſsiuit vt debitam. Auctorati quoque dicuntur milites & exauctorati, illi ſacramento militiæ & ſtipendio obligati, hi tanquã ære diruti & ſacramento ſoluti. Quin & auctoramentum etiam in artibus mercenariis & opificijs obligatio quædam eſt, interpoſita mercede contracta. Inquit enim Tullius, *1 Offic. Merces ipſa in mercenarijs auctoramentum eſt ſeruitutis.* His ita explanatis, quod in Horatio ſalebroſum eſt, & interpunctionibus librariorum tenebroſum, æquatum ad planitiem reddetur & diſtinctione commoda internotatum lucem accipiet. Nam ſic vulgo diſtinguunt.

*Quid refert vri virgis ferroq; necari?*
*Auctoratus eas, an turpi clauſus in arca,*
*Quo te demiſit peccati conſcia herilis.*
*Contractum genibus tangas caput?*

Ego ſic interpuncta collocanda contendo, *Quid refert vri virgis ferroq; necari Auctoratus eas?* Hoc ſenſu, quid refert vtrum te ludo gladiatorio obligaris & vendideris hac lege, vt ius ſit te virgis cædere & ferro interficere: Conſtrui enim ſic debet, *auctoratus eas vri* Etiam Grammatici veteres poſt *vri* diſtinxiſſe videntur, & coniunxiſſe duo ſequentia, *virgis ferroq; necari.* Legem enim gladiatoriam & cautionem fuiſſe referunt, vt vrerentur, virgis ſecarentur, ferro necarentur. Hunc Horatij locum adſcripſi, vt ſenſum elegantem incuria ſcripturæ conturbatum atque confuſum digererem atque ordinarem. Concipitur & apud Petronium iuriſiurandi formula, huic, quam Grammatici narrant, perſimilis, & ad Horatianam legem compoſita, quæ & gladiatorium ſacramentum quale fuerit, oſtendit. *In verba Eumolpi ſacramentum iurauimus vri, vinciri, verberari ferroq; necari, & quicquid aliud Eumolpus iuſſiſſet, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animosq; religioſiſſimè addicimus.* Scribendum tamen potius in Petronio videtur, *virgis ferroq; necari.*

*Ex lib. 14. cap. 1.* *Vri virgis ferroq; necari.* vide quæ adnotata ſunt ſupra Od. 4 Epod. ad locum

*Ibericis peruſte funibus latus.*

*Ex lib. 2. cap. 18.* In varios trahitur ſenſus ab hominibus eruditis, quod ab Horatio ſcribitur,

*Non habitu mutatúe loco, peccatúe ſupernè.* Nam illud peccare ſupernè in varias deducitur interpretationes: quæ fortaſſe & vnà creſcent, ſi quis noſtram fortè aliquo in numero habere dignabitur. Hîc ergò peccare ſupernè dicitur, qui quòd inſignis aut nobilis, aut dignitate præditus eſt, in ſublimi eminet, vt proinde eius flagitia nullo modo latére poſsint, cùm in ſpecula quadam conſtitutus alta & ardua, vt è ſuperiore loco, ita ex ea peccet, vt eius probra omnibus pateant. Nam de eo loquitur, qui proiectis inſignibus & annulo equeſtri & toga, è iudice ſelecto, dum libidini lacernatus ſeruit, ſe abijcit infra libertinos Damas. Mulieris autem vt vulgaris aut libertinæ, aut plebeiæ & vilis, minus notum eſt & peruulgatum opprobrium. In eodem ſermone verbum Græcum elegantiſsima circuitione expreſſum animaduertiſſe videor.

*Duceris vt nervis alienis mobile lignum.* id enim Græci dicunt νευροσπαστεῖσθαι, vt inquit, fidiculis neuroſpaſta mouentur, ſic tua libidine, vt neruia aut fidicula traheris. Verbum autem illud Græcum in ea re frequenter vſurpatur à Philoſophis, præſertim Stoicis. Antonius Imperator de vita ſua, ὅτι κρεῖττόν τι καὶ δαιμονιώτερον ἔχεις ἐν σεαυτῷ τῶν τὰ πάθη ποιούντων, καὶ καθάπαξ τῶν νευροσπαστούντων σε. & Simplicius in Epictetum ὅταν μὲν ἑαυτὴν ἐνδῷ τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς ἀλόγοις καὶ τοῖς σωματικοῖς κινήμασι, καὶ αὐτὴ νευροσπαστεῖται καὶ ὠθεῖται. Quid quod — *in ſeipſo totus teres atq; rotundus*, eſt totus in ſe conuerſus & ex ſe pendens, non è fortuna, nec foras ſpectans & vergens? nam figura rotunda in ſe tota collecta eſt, nihilque in ea angulis eminet quod fortunæ & iniuriæ ſit obnoxium, & in quo quicquam externum hæreri poſsit, in læui & conglobata conuexitate.

*Ex lib 8. cap. 13.* In verſibus Lucillianis, quos adhibet Cicero, *De opt. gene. oratorum.* parum emendatum mihi videtur, quod ſic legitur. *Cum Pacidiano hic componitur*: verius puto & incorruptius *Cum Placideiano* vel Horatio auctore, qui de eodem gladiatore agens ſcribit,

*Aut Placideiani contento poplite miror*
*Prælia rubrica picta aut carbone.*

quanquam ſi ſola adductus coniectura ſic corrigerem, à me faceret ſyllaba, quæ in Pacidiano producta eſt, in Placideiano breuis & verſui accommodata.

In Satyr. 8. li. 2. *Ex lib. 20. cap 34.* Vltima ſatyra conuiuium Naſidieni Rufi ab Horatio lepidè deſcribitur, cum irriſione conuiuatoris oſtentatoris meri, & mendaciter epulas commendantis malè apparatas & rancidas pleraſque ac putidas *Aper*, igitur, *Lucanus* captus auſtro flante, caput, vt loquebantur, cœnæ fuit, quo quidem Horatius indicat fœtidum fuiſſe. vt & alio ait loco, *lib. 2 ſatyr. 2.*

*— at vos*
*Præſentes auſtri coquite horum obſonia.*

Sed vitium tamen à conuiuatore in laudem conuerſum fuiſſe, qui meliores apros eſſe auderet affirmare leni auſtro captos. Acria autem appoſita ei erant condimenta ad diſsimulandum vitium ſaporis, appetitumque excitandum. In ijs fecula, quod erat condimentum è fece vini factum acrimoniam habens, φέκλη à Græcis medicis dicitur.

*Ex lib. 15. cap. 23. His vbi ſublatis puer altè cinctus acernam Gauſape purpureo menſam perterſit*: id eſt, fortis & ſtrenuus ſeruus menſam terſit. &c. vide ſup. in explanatione verſus,

*Hoc iter ignaui diuiſimus, altius ac nos,* *præcinctis vnum.* Satyr. 5. lib. 1.

*Ex lib. 2. cap. 14* *— vt Attica virgo* *Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes.*

explicatio huius verſus repetenda eſt ſupra ſatyr. 3. lib. 1.

*Ex lib. 20. cap. 34.* Mox illudit velut ſacri cuiuſdam cerimonias & pompam, cum ita inferant in triclinium miniſtri vinum in capitibus repoſitum, vt apud Atticos virgines canephoræ ſacra Cereris gerebant. Iam Cæcubum & Chium mentitur Rufus, ac peruenuſtè ludit in poſteriore Horatius, quod maris expers ait ambigua cauillatione. Nam cũ vino Græco miſceretur marina, Chio non miſceretur, hinc negat admixtam, ſimulque negat mari aduectum, vt vernaculum vinum, non Græcum. vino autẽ Chio non ſolitum fuiſſe aquam miſceri, ex his Plauti verbis intelligi poteſt, ita in Curgulione *Sc. Quo te hoc noctu.* ſcribentis, *Nomen eſt lenæ multibiba, atq; merobiba. Pa. Quaſi tu lagenam dicas, vbi vinum ſolet Chium eſſe.*

*Ex lib. 11. cap. 7.* *Vbi vinum ſolet Chium eſſe* inquit Plautus, Iocatur ex eo quòd cum vino Græco ferè aqua maris admixta eſſet, Chio tamen non addebatur, ſed meracum erat: Horatius, *— Alcon Chium maris expers.*

*Ex lib. 20. cap. 34.* Nec ſatis Naſidienus ſe habere in cella Albanum & falernum gloriatur inſolenter moleſta conuiuis vanitate: puto autem Mæcenatem ſediſſe medium inter vmbras ſuas Balathronem & Vibidium: & in tertio lecto medium ſediſſe conuiuatorem. Igitur *— ſuper ipſum*, eſt ſuper Naſidienum *Ridiculus* porro hoc erat *Porcius*, quod placentas quaſdam cremoris aliquanto liquidioris ſolus totas ſimul abſorberet. *Nomentanus* autem hoc erat ridiculus, quòd ſi quid in cibis eſſet vel vitioſi vel vulgaris ſaporis, indicaret digito, cum alij conuiuæ tam ſapientis non eſſent palati. Proinde inguſtata ilia porrexit, quæ tam mali ſucci erant, vt inguſtabilia eſſent. Ergo exclamat Vibidius,

*Nos niſi damnosè bibimus, moriemur inulti.*

niſi, inquit, detrimentum ciborum inſuauium & fœtidorum ſarciamus largo vini hauſtu, velut inulti ab hoc conuiuatore & enecati peribimus cum eius diſcos attingere non poſsimus. Cum autem ait, *— exurdant vina palatum*, id inquit, quod ſuo iudicio in apparitione epularum ſibi ſapere videretur Rufus, qui tamen malè conditos vel mali ſucci cibos apponebat. metuebat igitur ne hebeſcens & exurdeſcens nimio madida vino lingua ſubtilitatem ſaporum & iucunditatem minus perciperet. *Vinaria* autem lagenas intelligit cum mox ſequatur,

*Conuiuæ lecti nihilum nocuere lagenis.*

Omnes enim lagenas aliphanis calicibus qui fictiles & capaciores erant, exhauſerant, vt nihil inde biberint conuiuæ lecti Fundanus, Viſcus, Mæcenas, ſed vmbræ tantum Balathro & Vibidius, & imus primi lecti, & conuiuæ imi lecti Porcius & Nomentanus.

*Ex lib. 4. cap. 21. De ſubito cadus vorti poteſt*, inquit Plautus, *Sticho Sc. Agite, ite foras.* quod eſt exhauriri ſi tam magnis nos poculis ingurgitaremus, vt apud Horatium, *Inuertunt Aliphanis vinaria tota*, id eſt, exhauriunt nam cadus, qui inanitur, inuertitur.

*Ex lib. 16. cap. 11.* *Quamuis de ſubito vel cadus verti poteſt.* valet, exhauriri. quæ enim exhauriuntur vertuntur. hinc verſus ille Lucilij *Vertitur Oenophoris fundus ſententia nobis.* & apud Horatium,

*Inuertunt Aliphanis Vinaria tota.*

*Ex lib. 20. cap. 34.* In eo autem iure, in quo natabat muræna cum ſquillis, incoquuntur erucæ virides & inulæ amaræ Naſidieni magiſterio, vt Curtilli echini ad excitandum ſaporem, qui alias langueret: melius autem multo eſſe ait ei iuri incoquere erucas & inulas vel echinos, quàm illam muriam, quam reddunt remittuntq; oſtrea, quæ tamen vulgo admiſceri ſolebat. Dehinc venuſtè narrat ruinâ aulæorum fractam fuiſſe patinam, & Vibidium de pueris quærere, num ſit quoque fracta lagena.

*Ex lib. 24. cap. 17. Et ſoleas poſcit.* vide ſupra quæ adnotauimus ad locum epiſtolæ 13. lib. 1.

*— Soleas conuiua tribulis.*

*Ex lib. 30. cap. 38.* Vide eadem epiſtola 13. lib. 1. quæ ad hunc faciunt locum.

*Ex lib. 20. cap. 34.* Illud autem, *Ridetur fictis rerum*, id eſt ridentur à conuiuis mendacia & figmenta Naſidieni, qui



ſua iura & condimenta falsò laudabat, cum ita, vt loquebatur, parata non eſſent *— Balathrone*, autem, *ſecundo* dicit, quòd tam offusè cachinnarẽtur alij, vt Balathro magnus alias deriſor, & ſuſpendens omnia naſo, vt dixit primas non teneret, ſed in ridendo ſecundus eſſet. Iam diſcerptam gruem apponere aſperſam ſale farrato, & nouum & ineptum eſt: ſubtraxerat autem quædam odoris grauitate nimium offenſura conuiuas. Iecur autem anſeris paſtificis erat in delicijs, quod ementitus eſt Rufus.

*Ex lib. 13. cap. 17.* Merus oſtentator erat & mendax inſolensque iactator Horatianus ille Naſidienus, qui cùm peſsimas adponeret epulas, eas tamen immodicè impensèque laudibus efferebat. Is cum iecur anſeris ficis paſti, quod συκωτὸν à Græcis, ficatum à Latinis vocatur, ſciret in delitijs haberi, quod adpoſuerat, vt aliorum delitias & lautitiam ſuperare videretur, mentiri eſt auſus non quibuſcunque vulgaribus ficis, ſed pinguibus ſaginatum fuiſſe. Sic enim Flaccus ſcribit,

*Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi.*

Fici enim pingues & pluris ſunt, & ſucci melioris & abũdantioris, de quibus apud Plinium eſt mentio, *lib. 23. cap. 7.* his verbis, *Carcinomati, ſi ſine vlcere eſt, quam pinguiſſimam ficum imponi penè ſingulare remedium eſt.* Vulgares autem fici & caricæ, ſiccæ ſunt minorisque precij. Siccarum meminit Plinius *lib. 23. cap. 7.* his verbis, *Siccæ fici ſtomachum lædunt.*

*Ex lib. 20. cap. 34.* Armi leporum ſine lumbis, & palumbes ſine clunibus, putres eas partes indicant fuiſſe: Sed & merulæ aduſto pectore, quæ pars in eis opima eſt, & eſculenta, malè coctas eſcas arguunt. Iſta autem diſsimulabat Rufus, curque ita fierent, cauſificabatur. Sic conuiuæ nihil omninò guſtarunt cibi, velut malis venenis infecti.

*Ex lib. 18. cap. 12.* Illud Horatianum, *Canidia afflaſſet peior ſerpentibus Afris.*, ex eo tractum eſt, quòd quæ alioqui ſalutaria ſuo halitu afflauit ſerpens, venenata redduntur, vt fungi, quemadmodum ſcribit Plinius, *lib. cap. 22. & 23.* Sed & ſolo afflatu ſerpentis interimuntur pulli. Columella, *lib. 8. cap. 5.* *Cauendumq; ne à ſerpentibus afflentur, quarum odor tam peſtilens eſt, vt interimat vniuerſos.*

# M. ANTONII MURETI IN HORATIVM SCHOLIA.

## IN ODAS.

MOECENAS.) *In omnibus antiquis libris non Horatij modo, ſed Varronis, Cornelij Taciti, Plinij, & aliorum, Mæcenas, non, vt vulgo, Mecœnas, legitur. itaq; quod apud Dionem μαικήνας ſcribitur, videndum, ne μοικήνας legi debeat. quanquam, ſi quis malit Mæcenatem ſcribere, non pugnabo: dum hoc teneatur, in prima non in ſecunda huius nominis ſyllaba eſſe diphtongum. Quo autem nomine politiſsimus hic, & Muſarum ſtudijs deditos adiuuandi ſtudioſiſsimus homo fuerit, permirum eſt, è tanta turba eruditorum, quos ille tam prolixè, tamq; munificè fouerat, qui poſteritati proderet, neminem extitiſſe, itaq; nomen ipſius hodie obliuione ſepultum, in hominum ignoratione verſatur: quod valdè abhorret à magnificis illis pollicitationibus, quibus poëtæ ad fautores ſuos vti ſolent. Cornelius Tacitus lib. 8. Cillenium Mæcenatem nominat. corruptè, vt puto. Dion autem lib. 55. Acyli cuiuſdam meminit, quem libertum Mæcenatis fuiſſe dicit. eius verba ſunt* καὶ πρῶτος *(de Mæcenate autem loquitur)* σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ ἀκύλα ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε. *ac vidi, qui eo loco vel* ἀκίλλα, *vel* ἀκύλλα *legendum ſuſpicarentur. porrò cum liberti, vt notum eſt, patronorum ſibi nomina aſſumerent, ex eo loco acutior fortaſſe aliquis poterit, qua ex gente Mæcenas fuerit, conijcere.*

Hunc ſi mobilium turba Quiritium) *Cur, mobilium, quàm, vt erat in alijs, nobilium, maluerim, cauſa eſt. primùm, quòd in mandandis honoribus, non nobiles modò, ſed etiam quamlibet obſcuri, vt notum eſt, ſuffragij ius habebant. deinde quòd ad indicandam comitiorum leuitatem, & inconſtantiam, epitheton hoc accommodatiſsimum viſum eſt. de qua Cicero pro Murena, & pro Plancio copioſiſsimè diſputat.*

— Nec polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton.) *Polyhymniam* πεντασυλλάβως *dixit & Ouidius.* *Diſſenſere deæ, quarum Polyhymnia cœpit* *Prima.* *& aliàs:*

*Finierat voces Polyhymnia, dicta probarunt* *Clioq;, & curuæ ſcita Thalia lyræ.*

*quo fit, vt hoc loco nihil mutandum putem.*

*In Oden 3.* Audax Iapeti genus.) *Videtur expreſsiſſe epitheton* αἰπυμήτης, *quod ei apud Æſchylum à Vulcano tribuitur:* Τῆς ὀρθοβούλου Θέμιδος αἰπυμῆτα παῖ. *facit autem hoc Horatius libentiſsimè, vt qui Græcos poëtas (quod alijs præcipit) nocturna, diurnaq; verſaſſet manu, cum loquendi complures modos, tum præcipuè deorum, heroumq; epitheta ab eis ſumat, ſic ſupra vocauit augurem Apollinem, id eſt,* μάντιν, *& ridentem Venerem, id eſt,* φιλομειδῆ. Expertus vacuum Dædalus aëra.) *Vacuum aëra, ſumpſit à Pindaro.* ἐρήμας δι᾽ αἰθέρος. Nil mortalibus arduum eſt.) *Similis eſt Oppiani ſententia, principio libri quinti.* Ὡς οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον, οὔτ᾽ ἐνὶ γαίῃ Μητρὶ καμεῖν, οὐ πόντον, ἀνὰ ἰχθυόεντα θαλάσσης.

*In Oden 4.* Ad P. Sextium conſulem.) *Omninò deprauata eſt hæc inſcriptio, Optimus interpretũ, Porphyrio, conſularem, non, conſulem, legit. ego legendum arbitror,* Ad L. Sextium conſularem. *fuit autem L. Sextius conſul vna cum Cn. Calpurnio Piſone, anno ab* V. C. DCCXXI. Iam te premet nox, fabulæq; manes.) *Qui pro, manes, hoc loco legunt, inanes: ipſi profectò ſunt planè inanes: ille autẽ neſcio quis, qui ſe Iouẽ, vt aiunt, lapidem iurare paratũ ait, ita ſcripſiſſe Horatiũ, eò minus mihi fidem facit, quod hominib. iurandi cupidis, & iuſiurandũ ſibi vltrò depoſcentib. ſcio id temerè deferendũ non eſſe. tale eſt hoc Horatij, quale illud Perſii, — cinis, & manes, & fabula fies. omnino .n. apud veteres, etiã qui immortales eſſe animos non inficiabantur, maiorẽ tamen partẽ, fabuloſa putabant, quæ de inferis dicerentur. Cicero in Catil. Itaq; vt aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud inferos eiuſmodi quadã illi antiqui ſupplicia impijs cõſtituta eſſe voluerũt: quod videlicet intelligebãt, his remotis, nõ eſſe mortem ipſam pertimeſcẽdam. ac ne quis eum, aut ſeruiſſe cauſſæ, aut de aliena magis, quàm de ſua ſententia locutum putet, libro primo Tuſculanorum diſputationum, hoc eſt, eo libro, quo vel maximè immortalitatem animi ſtabilire, ac conſtituere conatur, ſupplicia tamen inferorum, tanquam poëtarum ac pictorum portenta deridet.*

*In Oden 6.* Nec curſus duplicis per mare Vlyſſei.) *Curſus duplicis exponunt, itionem, & reditionem. ego illam alteram veterum interpretum ſententiam malo: vt nomen, duplicis, referatur ad Vlyſſem: quem minimè ſimplicem fuiſſe accepimus, ſed verſutum & fraudulentũ. tales autẽ duplices eleganter dicuntur. Catullus:* Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam, *Scitis. Euripides in Rhœſo* — φιλῶ λέγειν τἀληθὲς αἰεί, κοὐ διπλοῦς πέφυκ᾽ ἀνήρ. *& paulò poſt.* Τοιοῦτός εἰμι κ᾽ αὐτὸς εὐθεῖαν λόγων Τέμνων κέλευθον, κοὐ διπλοῦς πέφυκ᾽ ἀνήρ.

In Oden

*In Oden 7.* Ad Numantium Plancum.) *Pertinaciter errarunt librarij, vt & hoc, & alijs in hoc poëta locis Numatium pro Munatio perpetuo ſcriberent. Eſt autem L. Munatius Plancus, qui cum M. Æmilio Lepido conſul fuit.*

Bimariſúe Corinthi.) *ἀμφιθαλάσσυ. vt docui capite ſeptimo libri primi variarum lectionum.*

Plurimus in Iunonis honorem aptum dicet equis Argos, diteſque Mycenas.) *Hæc quoq; epitheta de Græcis poëtis ſumpta ſunt. aptum enim equis Argos, eſt ἵππιον. Euripides in Iphigenia in Tauris:*

Ὅταν δ' ἐς Ἑλλάδ' ἵππιόν τ' Ἄργος μόλῃς. *&* ἱππόβοτον *Theocritus,*
Αὐτὸς ἐπεὶ μάλα πολλὰ θοῶν ἐξήρατ' ἀγώνων Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ κειμήλια.

*Dites autem Mycenas vocat,* πολυχρύσυς *Sophocles in Electra:* φάσκειν Μυκήνας τὰς πολυχρύσυς ὁρᾷν. *nam, patientem Lacedæmona cur dixerit, nemini ignotum eſſe arbitror. Lariſſam autem opimam accipio,* ἐριβώλακα *Homerus:*

Οὐδέποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ Καρπὸν ἐδηλήσαντο.

Et præceps Anio, & Tiburni lucus.) *Iam pridem admonui, Tiburni, hoc loco, non, vt antea, Tiburti, legendum eſſe. ſic emendandus eſt etiam locus Papinij è ſylua, qua Tiburtinum Manlij laudat. vbi enim vulgo legitur:*

*— illa recubat Tiberinus in umbra: veteres, etiam impreſſi, libri habent: illa recubat Tiburnus in umbra.*

Teucer Salamina patremque.) *Hac de re ita commemorat C. Velleius poſteriore volumine. Teucer non receptus à patre Telamone, ob ſegnitiam non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum appulſus, cognominem patriæ ſuæ Salamina conſtituit. de oraculo autem, quod ſibi ab Apolline datum dicit, ita ipſe apud Euripidem in Helena loquitur.*

Ὁ ναυκλείως Τελαμών σ' ἀν ὅριον πατρός, Εἰς γῆν ἐναλίαν Κύπρον, ὅ μ' ἐθέσπισεν
Ὁ ἰπεῖν Ἀπόλλων, ὄνομα νησιωτικὸν Σαλαμῖνα θέμενον τῆς ἐκεῖ χάριν πάτρας.

*In Oden 9.* Vides vt alta) *Non dubium eſt, quin imitatus fuerit verſus illos Alcæi, qui apud Athenæum libro 10. leguntur: quod & alij quidam annotarunt: qui me hoc labore eos recitandi leuaſſent, ſi in eis rectè diſtinguendis pluſculum vel diligentiæ, vel artis adhibuiſſent. Sunt autem hi.*

Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐν δ' ὀρανῷ μέγας Χειμών· πεπάγασι δ' ὑδάτων ῥοαί. *
Κάββαλλε τὸν χειμῶν'. ἐπὶ μὲν τιθεὶς Πῦρ, ἐν κιρνὰς οἶνον ἀφειδέως Μελιχρόν τε.

*in eorum autem verſuum primo ſcio me à cæterorum ſcriptura recedere. nam apud Athenæum quidem legitur,* ἐν δ' ἀρανῷ. *quæ vox quid ſignificet, illi viderint qui eam retinuerunt. in libris Henrici Stephani, præſtanti adoleſcentis ingenio, atq; doctrina, legitur,* ἐν δ' ὠρανῷ *ad ſenſum aptiſſime aduerſus rationem parum apte. quamuis igitur* ὀρανὸς *pro* ὐρανὸς *alibi non legerim: ipſa me tamen metri ratio adducit, ita vt legendum putem. primum enim* ὠρανὸς *pro* ὐρανὸς *dici poſſe omnes ſciunt. cùm autem Æoles* ο *pro* ω *ſæpè ponant, vt cùm* ὄραν *vocant, quam cæteri Græci* ὥραν, ὀτειλὴν, *quam alij* ὠτειλὴν. *quidni potuerit Alcæus, qui Æolicè ſcripſit, ex* ὠρανὸς *facere* ὀρανὸς? *quam ſententiam illud quoq; adiuuat quod Etymologici auctor* ὐρανὸν παρὰ τὸ ὁρᾷν *dictum eſſe tradit: vt ſit* ὐρανὸς *quaſi* ὁρανὸς. *Aperui opinionem meam, qua cedam, ſi aut qui* ἀρανῷ *legunt, ſenſum, aut qui* ὠρανῷ, *verſum explicare potuerint.*

*In Oden 11.* Tu ne quæſieris (ſcire nefas) *&c.*) *Nefas hoc loco valet* ἀδύνατον, *vt & infrà,*

*Durum: ſed levius fit patientia, Quidquid corrigere eſt nefas.*

*ponitur & eodem ſenſu à Cicerone in quodam loco ex Timæo.*

*In Oden 12.* Quem virum, aut heroa.) *Expreſſit illud Pindari è ſecundo* εἴδει *Olympiorum*

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι Τίνα θεόν, τίν' ἥρωα Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν.

Quid prius dicam ſolitis parentum laudibus?) *Hunc locum quomodo cæteri exponant, videre eſt. ego leuiter deprauatum eſſe, & ita corrigendum puto.*

*Quid prius dicam? ſolitis parentum*
*Laudibus, qui res hominum, ac Deorum,*
*Qui mare & terras, varijsq; mundum*
*Temperat horis.*

*Vt Iouem ipſum, parentem nominet. ei autem loco Qui mare & terras, &c. germaniſſimus eſt ille ex libro tertio:*

*Qui terram inertem, qui mare temperat*
*Ventoſum, & vrbes, regnaq; triſtia,*
*Diuosq;, mortalesq; turmas*
*Imperio regit vnus æquo.*

Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum: Proximos illi tamen occupauit Pallas honores.) *Negat, quidquam eſſe ſecundum Ioui: & Pallada tamen proximos illi honores occupaſſe. nimirum quia aliud ſecundum eſt, aliud proximum. ſecundum eſt, quod ſtatim ſequitur: proximum etiam, quod longè remotum eſt. Itaq; Nonius proximum, inquit, dicebant veteres: non ſolum adhærens, & adiunctum, verùm etiam longè remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium extitiſſet. Virgilius Æneid. lib. 5. Proximus huic, longo ſed proximus interuallo.*

Hunc equis, illum ſuperare pugnis Nobilem.) *Sic alibi:*

*Caſtor gaudet equis: ouo prognatus eodem*
*Pugnis.* *Vtrobiq; autem expreſſit verſum Homericum ex vndecimo Odyſſeæ,*
Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. *Illa autem,*
*Defluit ſaxis agitatus humor,*
*Concidunt venti fugiuntq; nubes,*
*Et minax (ſic Di voluere) ponto*
*Vnda recumbit:*

*expreſſa videntur ex illis Theocriti, in Dioſcuris:*

Αἶψα δ' ἀπολήγουσ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα
Ἀμ πέλαγος, νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι

*In Oden 16.* O nauis.) *Aliud aiebat Quinctilianus, cum tradidit, in hac ode populum R. nauis nomine intelligi, multa enim hic ſunt, quæ nullo modo ad populum R. referri queunt. Sed non eſt inuſitatum, magnis interdum viris eiuſmodi nonnulla excidere.*

Tu, niſi ventis Debes ludibrium, caue.) *Debere ludibrium, Græcum loquendi genus eſt. ita enim illi dicunt,*



ὀφλισκάνειν γέλωτα, ὀφλισκάνειν μωρίαν, & ſimilia. Lucianus in Ioue tragœdo ἐν πλήθει δὲ εἰπεῖν ἀτολμότατός ἐστι, καὶ τὴν φωνὴν ἰδιώτης, καὶ μιξοβάρβαρος, ὥστε γέλωτα ὀφλισκάνειν διὰ τοῦτο ἐν ταῖς συνουσίαις.

Euripides Alceſtide: Αἰνῶ μὲν αἰνῶ· μωρίαν δ' ὀφλισκάνεις.

Idem Iphigenia in Tauris — δυσξένοις Κακῶς συνάπτει, μωρίαν τ' ὀφλισκάνει.

## IN ODEN XVII.

*Nec martiales hædilia lupos*) Nihil mutandum eſt. ionicum enim ἀπὸ μείζονος pro choriambo poſuit, more veteribus non inuſitato, pedes ἰσοχρόνυς, alios pro alijs vſurpandi.

## IN ODEN XVIII.

*Nullam Vare ſacra*) Hoc quoque Alcæi eſt. μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω. in quo tamen δένδρεον non δένδρον, metri cauſſa legendum puto.

*Quis poſt vina*) Apud Nonium verſus hic ita legitur: *Quis poſt vina grauem militiam, aut pauperiem crepat?* neque dubium eſt, quin ita legi debeat. Sic & alias locutus eſt Horatius: *Sulcos, & vineta crepat mera.*

*At ne quis modici*) Multa in hanc ſententiam apud Theognidem leguntur: quorum hæc concluſio eſt deniq;: Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.

Vinum autem immoderate ſumptum nocere, indicauit & Lucilius, cuius hæc ſunt è libro xxx.

*Scito etenim bene longinquum mortalibus morbum, In vino eſſe, vbi qui inuitauit dapſilius ſe.*

## IN ODEN XXII.

*Non eget Mauri iaculis*) Mauris iaculis, legendum eſſe, & Acro affirmat, & veteres libri comprobant.

*Siue facturus per inhoſpitalem Caucaſum*) ἀπάνθρωπον vocat Æſchylus interpretes autem ipſius admonent τέλος εἶναι τῆς οἰκουμένης. *Terminum curis vagor expeditus*) Expeditis, legendum eſt, ex Porphyrione, & antiquis libris.

## IN ODEN XXIII.

*Nam ſeu mobilibus veris inhorruit Aduentus folijs*) Hanc ſcripturam agnoſcunt et veteres interpretes. neq; tamen repudianda videtur hæc, quæ in antiquis quibuſdam reperitur libris:

*Nam ſeu mobilibus vitis inhoruit Ad ventum folijs.*

## IN ODEN XXVII.

*Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum diſcrepat?*) Ἀκινάκης, ait Iulius Pollux, περσικὸν ξιφίδιον τῷ μηρῷ προσηρτημένον. Heſychius autem, ἀκινάκης δόρυ περσικὸν ξίφος.

Idem etiam Suidas, idem incertus auctor libelli περὶ σχημάτων ῥητορικῶν. Si igitur omnium conſenſu, Perſarum geſtamen eſt, cur Horatius Medum, non Perſicum Acinacen vocat? nimirum, quia hoſce populos, propter ipſorum vicinitatem antiqui ſcriptores plerunque confundere ſolebant. Sic Xerxen Iuuenalis Medum vocat: *Aut perfoſſus Athos, epotaq; flumina Medo:* quem tamen Perſam fuiſſe conſtat. & Catullus, *Cum Medi irrupere nouum mare:* Cum tamen de Perſis proprie intelligat. ac illud ipſum bellum, quo profligatus eſt Xerxes, Iſocrates in panathenaico περσικὸν πόλεμον vocat: at Ariſtoteles τὰ μηδικά, cuius verba è ſecundo libro πολιτικῶν libet recitare, vt, quoniam, niſi fallor, leuiter deprauata ſunt, quo modo emendanda videantur, admoneam. Sunt igitur hæc. τῆς ναυαρχίας γὰρ, ἐν τοῖς μηδικοῖς ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος, ἐφρονηματίσθη. vbi homo doctiſſimus Sepulueda ναυαγίας legendum putat: quod mihi quidem minime probatur. legendum autem arbitror ναυμαχίας: tum quia ſententia melior efficitur: tum quia Iſocratem eadem de re loquentem, hoc ipſo verbo vſum eſſe video, in panegyrico, οὐδεὶς δὲ πρὸς ἡμᾶς οὕτως ἔχει δυσμενῶς, ὅστις οὐκ ἂν ὁμολογήσειε, διὰ μὲν τὴν ναυμαχίαν ἡμᾶς τῷ πολέμῳ κρατῆσαι, ταύτης δὲ τὴν ἡμετέραν πόλιν αἰτίαν γενέσθαι. & in panathenaico, οἱ δὲ ἡμέτεροι θεμιστοκλέα, τὸν ὁμολογουμένως ἅπασιν αἴτιον εἶναι δόξαντα, καὶ τοῦ τὴν ναυμαχίαν γενέσθαι κατὰ τρόπον, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῶν ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ κατορθωθέντων.

*Immane quantum diſcrepat*) Simile exemplum citat Nonius, in dictione Inſanum, è ſecundo libro hiſtoriarum Salluſtij: *Immane quantum animi exarſere.*

## IN ODEN XXVIII.

*Occidit & Pelopis genitor*) Hoc argumentum, quo, æquo animo ferendam eſſe mortem, ex eo demonſtrat, quod multi præſtantiores eam iam oppetierint, copioſiſſimè tractat Lucretius lib. 3.

*Hoc etiam tibi tute interdum dicere poſſis:*
*Lumina ſic etiam Solis bonus Ancu' reliquit,*
*Qui melior, quàm tu, multis fuit improbe rebus.*

totum locum videat, qui volet. eſt enim & longiſſimus, & ſupra quàm dici poteſt, longe pulcherrimus. Sed princeps Homerus eo argumento vſus fuerat, cuius illa ſunt ex Iliados φ.

Ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ. τίη ὀλοφύρεαι οὕτως; Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.
Οὐχ ὁράας, οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; Πατρὸς δ' εἰμ' ἀγαθοῖο. θεὰ δέ μ' ἐγείνατο μήτηρ·
Ἀλλ' ἔπι τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή Ἔσσεται ἢ ἠώς, ἢ δείλης, ἢ μέσον ἦμαρ.

## IN ODEN XXXIV.

*— Inſignem attenuat Deus,*

*Obſcura promens*) Hanc ſententiam ſumpſit, vt opinor, ab Heſiodo ſub principium ἔργων.

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

idem etiam valet, quod Hecuba loquitur apud Euripidem in Troadibus.

Ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν. ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω Τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν.

## IN ODEN XXXVII.

*Nunc eſt bibendum*) Alcæus apud Athenæum libro x.

Νῦν χρὴ μεθύσκειν, καί τινα πρὸς βίαν Πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.

profecto enim, quamuis apud Athenæum legitur πονεῖν, tamen conſtat, legendum, πίνειν. quod mirum eſt non animaduertiſſe eos, qui ante me hoc annotarunt. nam quòd male diſtinxerunt verſus, quoquo modo ignoſci poterat, ſi ſaltem hanc tam inſignem mendam ſuſtuliſſent.

## IN LIBRVM II.

### IN ODEN V.

*Nondum ſubacta ferre iugum valet Ceruice*) Eadem metaphora vſus eſt & Plautus in Curculione.

*— Iam ne ea fert iugum? Tam à me pudica eſt, quàm mea ſi ſoror ſiet.*

### IN ODEN VII.

*— Non ego ſanius*
*Bacchabor Edonis*) Quidam emendare hunc locum voluit, ſcribendumq́; admonuit Hedonis, non Edonis. inepte. ἠδωνοὶ, enim, non vt ille putauit, ἡδονοὶ populi illi Thraciæ vocantur. neque ſolet Horatius in tertia horum carminum ſede iambum, ſed ſpondeum ponere.

### IN ODEN IX.

*— Deſine mollium*
*Tandem querelarum*) Græca conſtructio eſt, vt recte admonet Porphyrio, non, vt alij vaticinantur, hypallage. Homerus: Ἀλλ᾽ ἄγε λῆγ᾽ ἔριδος, μὴ δὲ ξίφος ἕλκεο χειρί.

### IN ODEN X.

*Rectius viues*) Quoniam hic Horatius oſtendit, tutiſſimam eſſe eorum vitam, qui mediocritatem retinent: libet apponere, quæ in hanc ſententiam diuine, vt omnia, Ariſtoteles IIII. πολιτικῶν ſcripſit. καὶ σώζονται δ᾽ ἐν ταῖς πόλεσιν οὗτοι (loquitur autem περὶ τῶν μέσων) μάλιστα τῶν πολιτῶν, οὔτε γὰρ αὐτοὶ τῶν ἀλλοτρίων, ὥσπερ οἱ πένητες, ἐπιθυμοῦσιν, οὔτε τῆς τούτων ἕτεροι, καθάπερ τῆς τῶν πλουσίων οἱ πένητες. καὶ διὰ τὸ μήτ᾽ ἐπιβουλεύεσθαι, μήτ᾽ ἐπιβουλεύειν, ἀκινδύνως διάγουσι. διὰ τοῦτο καλῶς ηὔξατο φωκυλίδης,

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα· μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.

### IN ODEN XIII.

*Dulci laborum decipitur ſono*) Non dubium eſt, quin hoc loco reſpexerit ad variam ſignificationem verbi λανθάνειν: vt & alibi: *Nec vixit male, qui natus moriens q́; fefellit.* ibi enim, fefellit, eſt, ἔλαθε. & alibi *— fallentis ſemita vitæ.*

### IN ODEN XVI.

*Non enim gazæ*) In eandem ſententiam extant verſus Varronis, *Non fit theſauris, non auro pectu' ſolutum, Non animis demunt curas ac relligiones Perſarum montes, non atria diuit', Craſſi.*

*Longa Tithonum minuit ſenectus*) Ea de cauſſa Clearchus apud Athenæum libro primo, ait, Melanthium quendam in optando ſapientiorem Tithono fuiſſe. nam Tithonus cum immortalitatem optaſſet, neq; illud addidiſſet, vt ne vnquã ſeneſceret, ſenio confectus, & voluptatum omnium priuatus vſu, in thalamo languebat: Melanthius vero, quo voluptatibus ijs, quæ guſtatu percipiuntur, melius frui poſſet, collum ſibi gruis optauit. hoc autem poſterius votum etiam Philoxeni Eryxij fuiſſe, idem Athenæus paullo ſupra dixerat. ſed in impreſſis libris mendũ eſt, non difficile illud quidem ad tollendũ, eiuſmodi tamen, vt imperitiorem fallere aliquẽ poſſit. legitur enim φιλόξενον τὸν εὐρύξιδος, cum legi debeat, φιλόξενον τὸν ἐρύξιον. ita autem legendum eſſe, conſtat ex Ariſtotele, tertio Ethicorum, vbi hoc ipſum eiuſdem votum exponitur.

### IN ODEN XVII.

*Nec Dis amicum eſt*) De hoc loquendi genere ſcripſi cap. XII. lib. II. Var. lect.

### IN ODEN XVIII.

*Trahunt honeſtæ purpuras clientæ*) Ita legendum eſſe, non, vt antea, clientes, admonuit me Chariſius libro primo, cuius hæc verba ſunt. Cliens communis eſt. inuenimus tamen & clientem apud Afranium in Pompa. Interim tua clienta. & apud Horatium: Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.

### IN ODEN XX.

*Superne, naſciturq́; leues*) Superna, non ſuperne, legendum eſſe, & metri ratio & veteres libri probant. eſt autem figura loquendi Græca.

## IN LIBRVM III.

### IN ODEN II.

*Dulce & decorum eſt pro patria mori*) Tyrtæus: Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον. & Caſſandra apud Euripidem in Troadibus:

Τρῶες δὲ πρῶτον μὲν, τὸ κάλλιστον κλέος Ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον.

*Mors & fugacem perſequitur virum*) Simonides: Ὁ δ᾽ αὖ θάνατος ἔφικε καὶ τὸν φυγόμαχον.

*Qui Lyciæ tenet Dumeta*) Tenet, eſt, ἀμφιβέβηκε. *Teſtis mearum centimanus gigas Sententiarum*) In quibuſdam veteribus, Gyas: de quo amplius quærendum puto. vide quæ ſcripſi cap. XIII. lib. VI. Var. lect.

### IN ODEN XI.

*Quæ velut latis equa trima campis*) Henricus Stephanus, vtriuſque linguæ peritiſſimus adoleſcens, cuius ego è ſingulari ingenio, placidiſſimiſque moribus, ſextum iam menſem, incredibilem in hac vrbe



vrbe haurio ſuauitatem, iam pridem indicauit Anacreontis locum, è quo hic Horatij expreſſus videretur.

### IN ODEN XVII.

*Per memores genus omne faſtus*) In alijs libris faſtus, in alijs faſtos, eodem tamen ſenſu, legi, & affirmare ipſi poſſumus, & iam pridem teſtatum reliquerat Priſcianus.

### IN ODEN XXIX.

*Iam clarus occultum Andromedes pater Oſtendit ignem*) Expreſſum ex illo Alcæi,

Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ. τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται Ἀ δ᾽ ὥρα χαλεπὰ, πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος.

## IN LIBRVM IV.

### IN ODEN II.

*Monte decurrens velut amnis*) Non abſimilis eſt Homerica illa comparatio qua Vlyſſis orationem hibernis niuibus confert. Iliados 3.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ῥ᾽ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει,
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
Οὐκ ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆΐ ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

*Qua notam duxit, niueus videri*) Talia ſunt illa, Et vultus nimium lubricus aſpici: & illa Theocriti — καλὸς ἰδέσθαι, δεινὸς ἰδεῖν, & ſimilia.

### IN ODEN VI.

*Rite creſcentem face noctilucam*) Expreſſit epitheton νυκτιλαμπῆ, quod apud Dionyſium Halic. in quibuſdam Simonidis verſibus legitur.

### IN ODEN VII.

*Quis ſcit, an adijciant*) Euripides Alceſtide: Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. Κοὐκ ἔστι θνητῶν ὅς τις ἐξεπίσταται, Τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται.

### IN ODEN XII.

*Diluuiem minatur*) In quibuſdam veteribus, meditatur: quod mihi quidem neſcio quo modo venuſtius videtur. *Te non pauentis funera Galliæ*) Libet hoc loco duo grauiſſimorum auctorum teſtimonia proferre, quibus ſingularem quandam imperterriti, & inuicti periculis animi magnitudinem in gente noſtra ex omni antiquitatis memoria viguiſſe intelligatur. ac primum quidem Ariſtotelis eſt, qui tertio de moribus ad Nicomachum affirmat, τοὺς κελτοὺς μήτε σεισμοὺς, μήτε κύματα φοβεῖσθαι. Alterum autem Æliani, qui libro duodecimo de varia hiſtoria de Gallis ita commemorat. Ἀνθρώπων δὲ ἐγὼ ἀκούω φιλοκινδυνοτάτους εἶναι τοὺς κελτοὺς τῶν ᾀσμάτων οὖν ὑποθέσεις ποιοῦνται τοὺς ἀποθανόντας ἐν τῷ πολέμῳ καλῶς. καὶ μάχονται δὲ ἐστεφανωμένοι. ἀλλὰ καὶ τρόπαια ἐγείρουσιν. ἅμα τε ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις σεμνυνόμενοι, καὶ ὑπομνήματα αὐτῶν τῆς ἀρετῆς ἀπολείποντες ἑλληνικῶς. οὕτως δὲ αἰσχρὸν νομίζουσι τὸ φεύγειν, ὡς μηδὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν κατολισθανουσῶν, καὶ ἐμπιπρασῶν πολλάκις ἀποδιδράσκειν. ἀλλά μὴ δὲ πιμπραμένων αὐτῶν περιλαμβανομένους ὑπὸ τοῦ πυρὸς, πολλοὶ δὲ ἐπικλύζουσαν τὴν θάλασσαν ὑπομένουσιν. εἰσὶ δὲ καὶ οἳ ὅπλα λαμβάνοντες ἐμπίπτουσι τοῖς κύμασι καὶ τὴν φορὰν αὐτῶν εἰσδέχονται, γυμνὰ τὰ ξίφη, καὶ τὰ δόρατα προσείοντες, ὥσπερ οὖν ἢ φοβῆσαι δυνάμενοι, ἢ τρῶσαι.

## IN EPODON.

Cur epodos liber hic vocetur, non equidem ſatis intelligo. ac vidi veterem librum, in quo hic quinctus Odarum liber inſcribebatur. quæ ad hanc inſcriptionem confirmandam afferuntur à Grammaticis, leuia ſane ſunt, & huiuſmodi, vt nullo negotio refelli queant.

### IN ODEN II.

*Vel hœdus ereptus lupo*) Plutarchus lib. ſecundo συμποσιακῶν tradit earum pecudum, quas lupus momorderit, carnem quidem teneriorem, ac delicatiorem fieri: lanam autem corrumpi, ac contrahere id vitium, vt poſtea pediculos gignat. hinc intelligi poteſt, cur ereptum lupo hœdum Horatius dixerit: quod interpretes parum, vt videtur, animaduerterant.

## IN EPISTOLAS.

### IN EPISTOLAM I.

*Feruet auaritia*) Vide quæ ſcripſi capite quarto libri primi Variarum lectionum.

*Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes*) Reſpexiſſe videtur ad Theognidis verſus, quibus per mare per ſaxa fugiendam eſſe pauperiem monet.

Ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον Ῥίπτειν, καὶ πετρῶν Κύρνε κατ᾽ ἠλιβάτων.

*Olim quod vulpes ægroto cauta leoni Reſpondit referam: quia me veſtigia terrent*

*Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum*) Locum hunc, vt opinor, è Lucilio acceperat Horatius, è cuius XXX. libro hi verſus apud Nonium reperiuntur:

*Quid ſibi vult, quare fit, vt intro verſus, vt ad te*
*Spectent, atq́; ferant veſtigia ſe omnia prorſus?*

### IN EPISTOLAM II.

*Semper auarus eget*) Nulla eſt diuitiarum tanta vis, quæ explere animum hominis auari queat. quam in ſententiam extant præclari verſus Varronis ex Eumenidibus. *— denique auarus*

*Quis ſanus? cui ſi ſtet terra, & traditus orbis,*
*Furunculo tamen, ac morbo ſtimulatus eodem,*
*Ex ſeſe ipſe aliquid quærat, cogatq́; ſpeculi.*

& apud Ariſtophanem eſt, ἁπάντων εἶναι πλησμονὴν, πλὴν πλούτου, τούτου δὲ μηδένα μεστὸν γενέσθαι πώποτε. & Theognis: ſeu quis alius: ſunt enim qui Soloni tribuant:

Πλούτου δ᾽ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

Οἱ γὰρ νῦν ἡμῶν πλεῖστον ἔχουσι βίον, Διπλάσιον σπεύδουσι.

Præclarè autem Ariſtoteles primo Politicorum huius ἀκορείας cauſſam aperuit. Hominum enim quidam diuitias, vt finem, appetunt: quidam, vt inſtrumenta viuendi. illi ne ſatiari poſſint, eo fit, quia finis ipſius infinita eſt appetitio: hi autem iccirco facile explentur, quia nulla eſt neque ars, neq; facultas, quæ infinita vel multitudine, vel magnitudine inſtrumenta deſideret.

*Ira furor breuis eſt*) Idem & totidem pæne verbis dixit nobiliſſimus philoſophus Themiſtius in oratione, quam ſcripſit de amicitia. ἐγὼ δὲ οἶμαι, inquit, τὴν ὀργὴν μανίαν ὀλιγοχρόνιον εἶναι. & antea Ennius, vt eſt apud M. Tullium, iram inſaniæ initium dixerat. —— *animum rege*) Animum ita dixit, vt Græci θυμόν: ſignificat autem ea vox iræ principium Diogenes Laërtius in Zenone: ὁ δὲ θυμὸς ἐστὶν ὀργὴ ἀρχομένη.

## IN EPISTOLAM III.

*Quante conueniat Numatius*) Deprauatus locus. ita autem reſtituendus eſt: Quàm te conueniat Munatius. hoc enim ſignificat, cupere ſe ſcire, ſerio ne Munatius cum ipſo in gratiam redierit. & ecquid eum, vt amicorum mos eſt, alloquatur.

## IN EPISTOLAM V.

*Quò mihi fortuna ſi non conceditur vti?*) Lego, Quò mihi fortunas; ſi non conceditur vti? & vero, cur ita legi debeat, multæ ſunt cauſſæ: quas minimo negotio videre intelligentes poſſunt.

## IN EPISTOLAM VI.

*Quidquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas:*
*Defodiet, condetq́; nitentia*) Sententiam hanc, videri poteſt, ſumpſiſſe à Sophocle, apud quem ita loquitur Aiax:

Ἅπανθ' ὁ μακρὸς, κἀναρίθμητος χρόνος Φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.

*Si virtus hæc vna poteſt dare*) Antiquus Bernardini Lauredani, adoleſcentis clariſſimi, liber, Si virtus hoc vna poteſt dare. neque dubium eſt, quin ita legi debeat. *Mercemur ſeruum, qui dictet nomina, ſæuum,*
*Qui fodiat latus*) Legendum ſuſpicor, —— *læuum Qui fodiat latus.*

*Si Mimnermus vti cenſet, ſine amore iocisq́;*
*Nil eſt iucundum: viuas in amore iociſque.*)

Magna huius poëtæ apud veteres fuit auctoritas: quod alibi oſtendit Horatius:

*Diſcedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?*
*Quis, niſi Callimachus? ſi plus apposcere viſus,*
*Fit Mimnermus.* ſed & Propertius,
*Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.*

verſus autem, quibus ea ſententia efficiebatur, qua de hic mentio eſt, eos apud Stobæum reperiſſe videor.

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτ' ἐμοὶ μηκέτι ταῦτα μέλοι.

## IN EPISTOLAM VII.

*Haud male Telemachus*) Locus eſt Ὀδυσ. δ. vbi cum Menelaus longum cum Telemacho ſermonem ita clusiſſet:

Καὶ τότε σ' εὖ πέμψω, δώσω δέ τοι ἀγλαὰ δῶρα Τρεῖς ἵππους, καὶ δίφρον ἐΰξοον:

interiectis aliquot verſibus. reſpondet Telemachus:

Δῶρον δ' ὅττι κέ μοι δοίης, κειμήλιον ἔστω,
Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα. σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις
Εὐρέος, ᾧ ἔνι μὲν λωτὸς πολὺς, ἐν δὲ κύπειρον,
Πυροί τε, ζειαί τ' ἠδ' εὐρυφυὲς κρῖ λευκόν.
Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἂρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών.
Αἰγίβοτος, καὶ μᾶλλον ἐπήρατος ἱπποβότοιο.
Οὐ γάρ τις νήσων ἱππήλατος οὐδ' εὐλείμων,
Αἵθ' ἁλὶ κεκλίαται, Ἰθάκη δέ τε καὶ περὶ πασέων.

## IN EPISTOLAM XII.

*Si ventri bene, ſi lateri eſt.*) Dictum hoc videtur de Metrodori ſententia, qui ſummum bonum definiebat firma corporis affectione, & explorata ſpe, ſemper ita fore: vt eſt apud Ciceronem quincto Tuſculanarum diſputationum. Id autem docuerat philoſophus ille in libro, quem inſcripſerat, περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων, idque ita ſua lingua expreſſerat, vt diceret, τέλος ἀγαθῶν εἶναι τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, καὶ τὸ περὶ ταύτης (ſed forte melius legitur περὶ τούτου) πιστὸν ἔλπισμα. Auctor Clemens Alexandrinus libro ſecundo στρώματ.

## IN EPISTOLAM XV.

*non hercule miror, Aiebat, ſi qui comedunt bona*) Ita eſt aperte in libro Bernardini Lauredani: & ita in impreſſis pæne omnibus legebatur, multis annis antequam Petrus Victorius, homo doctiſſimus, Variarum lectionum libros edidiſſet.

## IN EPISTOLAM XVI.

*Vir bonus, & prudens audebit dicere, Pentheu, Rector Thebarum, quid me perferre, patique*
*Indignum coges*) Superiore anno elucubratus eram annotationum in varios auctores libellos duos: quos cum edere cogitarem, accidit quiddam vt eos ad tempus aliquod premere ſatius ducerem. quoniam igitur, quando eos editurus ſim aut potius, editurus nec ne ſim, ne ipſe quidem, ſi quis roget, ſatis explorate ſcio, libet interim communicare cum ſtudioſis caput primum prioris libri: quo hos ipſos Horatij verſus aliqua ex parte interpretabar. in eo igitur ita ſcriptum eſt.

*Vir bonus, & prudens audebit dicere: Penthea,*
*Rector Thebarum, quid me perferre, patique*
*Indignum coges? Adimam bona: nempe pecus, rem,*
*Lectos, argentum. tollas licet. In manicis, &*
*Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo,*
*Ipſe Deus, ſimul atque volam, me ſoluet, opinor,*
*Hoc ſentit, moriar. mors vltima linea rerum eſt.*





His verſibus Horatius exprimere, quaſiq; ante oculos ſtatuere voluit eã animi libertatẽ, quã veteres philoſophi, ac Stoici præter cæteros, in omnibꝰ ſapientibus, neq; præterea in quibuſdã alijs, eſſe dicebant: qua fieret, vt illi tyrannorum minas, imperia, potentiã pro nihilo putarent, ac liberè iccirco apud eos, intrepideq; loquerentur: quippe qui præclarè intelligerent, ea modo fortunæ ludibria, in quibus ipſi nullã beatæ vitæ partem ponerent, à tyrannis eripi poſſe: bona animi, quæ ipſi non ſumma tantum, ſed ſola etiã vere bona ducerent, firmiora eſſe, quã vt vllã eiuſmodi vim reformidare deberent: vinciri poſſe corpora: animos nullis vinculis coërceri: mortem denique, cuius metu cæteri homines ſanda infanda omnia & paterentur, & facerent, ipſi ſibi nunquam refugiendam, non nunquam etiam vltro accerſendam, ſemper quidem æquiſſimo animo ſubeundam putarent. Hoc igitur Horatius exprimere cum vellet, præſtantiſſimi poëtæ Euripidis locum ſibi ad imitandum propoſuit, eumq; leuiter inflexum, & immutatum, aptè admodum, ſcienterq; ad id, quod docere inſtituerat, accommodauit. Quibus enim verbis ſcenicus ille philoſophus, vt eum veteres nominarunt, Liberum patrem, cum Pentheum alloqueretur, vtentem fecerat, iiſdem noſter hic quemlibet ſapientem aduerſus tyrannos vti poſſe docuit: ipſumq;, in ea re explicanda, retinuit Penthei nomen, vt quem ipſe cuius poëtæ locum imitatus eſſet, poſteris indicaret. Ipſa igitur Euripidis verba ponam: qua ex re duplicem vtilitatem ſtudioſos percepturos eſſe confido: quòd & Horatij locum intelligent, & eius exemplo diſcent, quo modo in Græcorum poetarum lectione verſari, eoſque in vſum ſuum conuertere debeant. Euripides Bacchis:

Διο. εἴφ', ὅ, τι παθεῖν δεῖ. τί με τὸ δεινὸν ἐργάσῃ:
Πεν. πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστρυχον τεμῶ σέθεν.
Διο. ἱερὸς ὁ πλόκαμος. τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.
Πεν. ἔπειτα θύρσον τόνδ' παράδος ἐκ χεροῖν.
Διο. αὐτός μ' ἀφαιροῦ. τόνδε Διονύσου φορῶ.
Πεν. εἱρκταῖσι τ' ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν.
Διο. λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω,

Admirari autem licet, quanto & ingenio, & iudicio Latinus poëta, quæ inflectere ad inſtitutum ſuum non poterat, ea prætermiſerit, aliaq; eorum loco accommodatè ad ſignificandum id, quod volebat, interpoſuerit. quod eodem modo facere omnes debent, qui veterum ſcripta cum laude imitari volunt.

## IN EPISTOLAM XVI.

*Si pranderet olus patienter*) Diogenes Laërtius in Ariſtippo: παριόντα ποτὲ αὐτὸν λάχανα πλύνων Διογένης ἔσκωψε, καί φησιν, εἰ ταῦτα ἔμαθες προσφέρεσθαι, οὐκ ἂν τυράννων αὐλὰς ἐθεράπευες. ὁ δὲ, καὶ σὺ, εἶπεν, εἴπερ ᾔδεις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, οὐκ ἂν λάχανα ἔπλυνες. *Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res*) Laërtius de eo: ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ, καὶ χρόνῳ, καὶ προσώπῳ, καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμονίως ὑποκρίνασθαι.

## IN EPISTOLAM XVIII.

*Exiguæq; togæ ſimulet textore Catonem*) In quibuſdam veteribus, pro textore, legitur teſquore, ignota quidem mihi vox: ſed videant alij, credibile ſit, an minus, teſquorem pro ſqualore dixiſſe Horatium. id enim quoſdam non ineruditos homines ſuſpicari video.

# IN EPISTOLAM.

## DE ARTE POETICA.

Poteram facile ſuperſedere hoc labore annotandi quidquam in epiſtolã de arte poëtica: tot enim eruditi homines in eam ſcripſerunt, ſcribuntq; quotidie, vt ea breui pauciores aliquanto verſus: quàm interpretes, habitura videatur. ſuſpenſo igitur, vt aiunt, brachio eã percurrere ſatis habebo, & veluti dicis, cauſa, pauca quædam annotare: quæ an alij iam notauerint, neſcio: non enim ſane niſi per admodum paucorum ſcripta legi: ſed cum omnes, qui tractamus literas, iiſdem ferè vtamur libris: nullo modo fieri poteſt, vt non eadem animaduertanutr à pluribus. itaq; mirari ſoleo, cum quidam ventoſi homines conqueruntur, ea notare alios, quæ ipſi quoq; antea viderint: in eoq; ita diſputant, grauem ſibi, minimeq; tolerandam iniuriam fieri. nullam eſſe rationem, quæ ipſis quoq; in mentem venerint: ea dicere alios ſine honorifica ipſorum appellatione, atq; operę pretium eſt quorundam ea in re cognoſcere amentiam. deprehenſi enim ſunt, qui cum legiſſent commentariolum, quem proximo ſuperiore anno in Catullum edidi, miſſis ad amicos literis me accuſarent, quòd quædam afferrem, vt mea, quæ ipſi plus triginta iam annos in libris ſuis notata haberent. quaſi vero magnoperè mihi laborandum fuerit, quid in ſuo libro notaſſet is, quem ego natum mehercule neſciebam. ſed, vt ad rem: ſi quid ab alijs dictum, tacito ipſorum nomine, attulero, teſtificor id me eo facere, quia, quod bona ipſorum venia dictum ſit, quidquid mihi datur otij, ſoleo nõ paullo libentius in veterum quàm in recentiorum ſcriptorum lectione conſumere: non quòd hos contemnam, ſed quòd à quibus ipſi didicerunt, ab iiſdem volo ego quoque, ſi liceat, diſcere.

*Telephus & Peleus*) Quædam ſcitu digna attulit in hunc locum Victorius lib. XIV. Variarum lectionum, quibus hoc addo, fabulam illam, in qua mendicus Telephus ita magnificè loquens inducebatur, Euripidis fuiſſe, vt teſtatur interpres Ariſtophanis in locum illum è Nubibus,

Τήλεφος εἶναι Μυσὸς φάσκων,
Ἐκ πηριδίου Γνώμας τρώγων Πανδελετείους.

mendicum etiam fuiſſe eum, affirmat Timocles in iambicis quibuſdam, quibus ad omnes pæne calamitates, propoſitis magnorum virorum exemplis, rationem quandam minuendi doloris tradidit. ita enim ſcribit. —— ὢν μὲν γὰρ πένης,
Πτωχότερον αὑτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον Γενόμενον, οὕτω τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει.

de mendicitate autem Pelei commemorabo ea, quæ apud eundem interpretem legi: ſimul enim loco cuidam ex odis, vbi eiuſdem mentio eſt, lucis aliquid afferetur. Peleus igitur continentiſſimus fuiſſe proditur. cumq; aliquando contigiſſet, vt Hipolyte, Acaſti vxor, eum adamaſſet, neq; potuiſſet blanditijs ad explendã cupiditatẽ ſuam adducere, calumniata eſt eum apud virum, quòd ſibi vim afferre voluiſſet. Quod cum Acaſtus reſciuiſſet, comprehenſum eum, in ſolitudinemq; perductum, ac ſpoliatum armis, dimiſit, fore dicens, ſi iuſtus eſſet, vt è periculo euaderet. cum autem in eum irruere pararent feræ, miſerunt ei Dij per Mercurium, enſem à Vulcano fabricatum. atq; ita ſeruatus eſt. Narratur & alio quodam modo. Peleus cum inſidijs exceptum Phocum fratrem vna cum Telamone in patria interfeciſſet, exſulatum ijt

in Phthiam, ad Eurytum Actoris filium: à quo expiatus eſt. illinc cum ad venationem apri Calydonij profectus eſſet, in Eurytum incidit, eumq; nolens interemit. Rurſum igitur ex Phthia fugiens, Iocum ad Acaſtum venit: ab eoque expiatus eſt. Aſtydamia verò, Acaſti vxor, eius amore capta, cum eum (qua præditus erat temperantia) ad faciendum adulterium pellicere nequijſſet, tentatam ſe ab eo, apud virum mentita eſt. atis, quem expiarat, interſicere quidem noluit: ſed ducit eum ad venationem in montem Pelion, ibique ſopitum relinquens, cum prius enſem ipſius ſub ſtercore bubulo occultaſſet, domum reuertitur. ille vero ſomno ſolutus, neque reperto enſe, parum abſuit, quin interficeretur à Centauris: ſed Chironis ope ſeruatus eſt. —— *vt ſibi quiuis*

*Speret idem: ſudet multum, fruſtraq; laboret, Auſus idem)* Eadem ſententia vſus eſt Iſocrates in panathenaico, qui cum dixiſſet ſe illo compto orationis genere non vſurum, quo fuerat vſus adoleſcens: ἀλλά, inquit, ὡς ἅπαντες μὲν ἂν ἐλπίσειαν, ἢ βουληθεῖεν, οὐδεὶς δ' ἂν δυνηθείη ῥᾳδίως, πλὴν τῶν πονεῖν ἐθελόντων, καὶ σφόδρα προσεχόντων τὸν νοῦν.

*Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus)* Quandoque, hic valet, quandocunque, vt & Petrus Victorius admonuit. ſic & alias apud hunc ipſum ſcriptorem accipitur: vt,

*Et quandoque potentior* / *Largis muneribus riſerit æmuli,*
*Albanos prope te lacus* / *Ponet marmoream ſub trabe Cypria.* & lib. 4.
*Concines maiore poeta plectro* / *Cæſarem, quandoque trahet feroces*
*Per ſacrum cliuum merita decorus* / *Fronde Sicambros.*

*Vt qui conducti plorant in funere, dicunt, Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.)* Comparationem hanc ſumpſit ex Lucillio, ex cuius lib. 22. à Nonio citantur hi verſus: —— *mercede quæ*
*Conductæ flent alieno in funere præficæ,* *Multo & capillos ſcindunt, & clamant magis.*

## IN SATYRAS.

### SATYRA IX. LIBRI PRIMI.

—— *ſum paullo infirmior, vnus* *Multorum. ignoſces. alias loquatur.)*
Vnus multorum, dixit, pro vnus è ſimplici plebe. more Græco, εἷς τῶν πολλῶν.

### SATYRA X.

—— *vetuit tali me voce Quirinus* *Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera.)*
Vera eſſe ſomnia, quæ poſt mediam noctem fiunt, affirmat & Theocritus: qui cum dixiſſet:
Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς.
addit paullò poſt: Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

*Verſiculos natura magis factos, & euntes Mollius)* Factos, valet, exquiſite ornatos: vt & Græci πεποιημένους.

### IN SATYRAM III. LIBRI II.

*Mater te appello)* Principium eſt verſus è vetere quapiam tragœdia, quod ponitur & à Cicerone in oratione pro Sextio. primo autem libro Tuſculanarum diſputationum etiam reliquum verſus ponitur:
*Mater te appello, quæ curā ſomno ſuſpenſam leuas, Neque te mei miſeret. ſurge, & ſepeli natum.*

*Nequis humaſſe velit Aiacem Atrida, vetas cur? Rex ſum)* Oſtendi ſupra in epiſtolis locum quendam expreſſum ex Euripidis Bacchis. poſſem hoc loco idem facere, & deſcribere Sophoclis ex Aiace maſtigophoro verſus, è quibus hic Teucri & Menelai dialogus expreſſus eſt. ſed quia multi verſus huc transferendi forent: ſatis habeo locum indicaſſe, ex quo eos, qui volet, petat.

### IN SATYRAM IV.

*Mutulus & viles)* In manuſcripto Bernardini Lauredani, etiamque in impreſſis, quos ego quidem viderim, omnibus, aut mutilus, aut Mitulus legebatur.

*Murice baiano)* Tales quidam verſus Antiphanis, aliorumque veterum poëtarum, apud Athenæum libro primo leguntur, quos cum ijs conferre, neque inutile, neque iniucundum fuerit.

### IN SATYRAM VI.

—— *terreſtria quando* *Mortales animas viuunt ſortita: neque vlla eſt*
*Aut magno, aut paruo leti fuga. quo bene circa* *Dum licet, in rebus iucundis viue beatus:*

*Viue memor, quàm ſis æui breuis.)* Quam orationem hic Horatius tribuit minimo animalculo muri, eandem tribuit Euripides fortiſſimo heroum Herculi, quem in Alceſtide ita loquentem facit:
Ταῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμοῦ πάρα,
Εὔφραινε σαυτόν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν
Βίον λογίζου σόν. τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.

### IN SATYRAM VII.

*Duceris, vt neruis alienis mobile lignum)* In hoc verſu explicando, piget dicere, quàm cæcutiant interpretes, quamque nihil afferant dignum, in quo vel refellendo ponatur opera. Eſt autem intelligendum, vocari ab Horatio neruis alienis mobile lignum, id, quod Græci vocant νευρόσπαστον. Eo autem nomine vocabantur exigua quædam ſimulacra hominum ita compacta, vt inſertis quibuſdam, ſiue neruis, ſiue fidiculis, ſingulæ earum partes alligatæ eſſent. itaque vt quis neruos illos traxerat, modo caput motitare, modo brachium porrigere, aut contrahere, modo vibrare oculos ſtatua videbatur. quicunque tamen auctor eſt, ψευδεπιγράφου illius libelli, qui de mundo ad Alexandrum inſcribitur, vnico iſtæc omnia funiculo ſolita fieri tradit. eius verba ſunt: ὁμοίως δὲ καὶ οἱ νευροσπάσται μίαν μήρινθον ἐπισπασάμενοι, ποιοῦσι καὶ αὐχένα κινεῖσθαι καὶ χεῖρα τοῦ ζῴου, καὶ ὦμον καὶ ὀφθαλμόν, ἔστι δὲ ὅτε πάντα τὰ μέρη μετά τινος εὐρυθμίας. vbi annotandum, ipſos quoque qui tales ſtatuas vulgo circumferrent, νευροσπάστας, vocari.





# ALDI MANVTII DE METRIS HORATIANIS.

*Genera metrorum, quibus in Odis vſus eſt Horatius, ſunt vndeuiginti.*

### Primi generis Odæ tres.

Lib. 1. Ode 1. *Mæcenas atauis edite regibus.*
1. 3. Ode 30. *Exegi monumentum ære perennius.*
4. 8. *Donarem pateras, grataq; commodis.*
–– –uu– – uu– uu

### Secundi generis Odæ XXVII.

1. 2. *Iam ſatis terris niuis, atq; diræ.*
1. 10. *Mercuri facunde nepos Atlantis.*
1. 12. *Quem virum, aut heroa lyra, vel acri.*
1. 20. *Vile potabis modicis Sabinum.*
1. 22. *Integer vitæ, ſcelerisq; purus.*
1. 25. *Parcius iunctas quatiunt feneſtras.*
1. 30. *O Venus regina Gnidi, Paphiq;.*
1. 32. *Poſcimus ſi quid vacui ſub vmbra.*
1. 38. *Perſicos Odi puer apparatus.*
2. 2. *Nullus argento dolor eſt auaris.*
2. 4. *Ne ſit ancillæ tibi amor pudori.*
2. 6. *Septimi Gades aditure mecum.*
2. 8. *Vlla ſi iuris tibi peierati.*
2. 10. *Rectius viues Lycini, neq; altum.*
2. 16. *Otium Diues rogat in patenti.*
3. 8. *Martijs cælebs quid agam kalendis.*
3. 11. *Mercuri nam te docilis magiſtro.*
3. 14 *Herculis ritu modo dictus o plebs.*
3. 18. *Faune nympharum fugientum amator.*
3. 20. *Non vides quanto moueas periclo.*
3. 22. *Montium cuſtos, nemorumq; Virgo.*
3. 27. *Impios parræ recinentis omen.*
4. 2. *Pindarum quiſquis ſtudet æmulari.*
4. 6. *Diue, quem proles Niobea magnæ.*
4. 11. *Eſt mihi nonum ſuperantis annum.*
5. 18. *Phœbe, ſyluarumq; potens Diana.*
–u – – –uu –u – –
–u – – –uu –u –u
–u – – –uu– u– –
–uu

### Tertij generis Odæ XII.

1. 3. *Sic te diua potens Cypri.*
1. 13. *Cum tu Lydia Telephi.*
1. 19. *Mater ſæua Cupidinum.*
1. 36. *Et ture, & fidibus iuuat.*
3. 9. *Donec gratus eram tibi.*
3. 15. *Vxor pauperis Ibici.*
3. 19. *Quantum diſtat ab Inacho.*
3. 24. *Intactis opulentior.*
3. 25. *Quo me Bacche rapis tui.*
3. 28. *Feſto quid potius die.*
4. 1. *Intermiſſa Venus diu.*
4. 3. *Quem tu Melpomene.*
– – –uu– u–
– – –uu– –uu– uu

### Quarti generis Ode vna.

1. 4. *Soluitur acris hiems grata vice veris & fauoni.*
–uu –uu – – –uu –u –u –u
u– u– – –u –u – –

### Quincti generis Odæ Septem.

1. 5. *Quis multa gracilis te puer in roſa.*
1. 14. *O nauis referent in mare te noui.*
1. 21. *Dianam teneræ dicite Virgines.*
1. 23. *Vitas inuleo me ſimilis Chloe.*
3. 7. *Quid fles Aſterie quem tibi candidi.*
3. 13. *O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro.*
4. 13. *Audiuere Lyce Di mea vota Di.*
– – –uu– –u – u –
– – –uu– –uu– uu
– – –uu– –
– – –uu– uu

### Sexti generis Odæ IX.

1. 6. *Scriberis Vario fortis & hoſtium*
1. 15. *Paſtor cum traheret per freta nauibus.*
1. 24. *Quis deſiderio ſit pudor, aut modus.*
1. 33. *Albi ne doleas plus nimio memor.*
2. 12. *Nolis longa feræ bella Numantiæ.*
3. 10. *Extremum Tanain ſi biberes Lyce.*
3. 16. *Incluſam Danaen turris ahenea.*
4. 5. *Diuis orte bonis optime Romule.*
4. 12. *Iam veris comites quæ mare temperant.*
– – –uu– –uu– uu
– – –uu– –uu– uu
– – –uu– –uu– u–
– – –uu– uu

### Septimi generis Odæ III.

1. 7. *Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenem.*
1. 28. *Te maris & terræ, numeroq; carentis arenæ*
5. 12. *Quid tibi vis mulier nigris digniſſima barris.*
– – –uu– – – –uu– uu– – –
– – –uu –uu – –

### Octaui generis Ode vnica.

1. 8. *Lydia dic per omnes.*
–uu– u– –
–u– – –uu– –uu– u– –

### Noni generis Odæ XXXVII.

1. 9. *Vides vt alta ſtet niue candidum*
1. 16. *O matre pulchra filia pulchrior*
1. 17. *Velox amœnum ſæpe Lucretilem*
1. 26. *Muſis amicus triſtitiam & metus.*
1. 27. *Natis in vſum lætitiæ ſcyphis.*
1. 29. *Icci beatus nunc Arabum inuides*
1. 31. *Quid dedicatum poſcit Apollinem*
1. 34. *Parcus Deorum cultor, & infrequens*
1. 35. *O diua gratum quæ regis Antium*
1. 37. *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero*
2. 1. *Motum ex Metello conſule ciuicum*
2. 3. *Æquam memento rebus in arduis*
2. 5. *Nondum ſubacta ferre iugum valet*
2. 7. *O ſæpe mecum tempus in vltimum*
2. 9. *Non ſemper imbres nubibus hiſpidos*
2. 11. *Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes*
2. 13. *Ille & nefaſto te poſuit die*
2. 14. *Eheu fugaces Poſthume, Poſthume*
2. 15. *Iam pauca aratro iugera regiæ*
2. 17. *Cur me querelis exanimas tuis*

2. 19. *Bacchum in remotis carmina rupibus*
2. 20. *Non vſitata, nec tenui ferar*
3. 1. *Odi profanum vulgus, & arceo*
3. 2. *Anguſtam amici pauperiem pati*
3. 3. *Iuſtum, & tenacem propoſiti virum*
3. 4. *Deſcende cælo, & dic age tibia*
3. 5. *Cælo tonantem credidimus Iouem.*
3. 6. *Delicta maiorum immeritus lues*
3. 17. *Æli vetuſto nobilis ab Lamo*
3. 21. *O nata mecum conſule Manlio*
3. 23. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus*
3. 26. *Vixi puellis nuper idoneus*
3. 29. *Tyrrhena regum progenies tibi*
4. 4. *Qualem miniſtrum fulminis alitem.*
4. 9. *Ne forte credas interitura, quæ*
4. 14. *Quæ cura patrum, quæq; Quiritium*
4. 15. *Phœbus volentem prœlia me loqui.*

∪- ∪- - -∪∪ -∪∪
∪- ∪- - -∪∪ -∪∪
- - ∪- - - ∪- ∪
-∪∪ -∪∪-∪ - -

Decimi generis Odæ tres.

1. 11. *Tune quæſieris ſcire, nefas, quem mihi quē tibi.*
1. 18. *Nullam Vare ſacra vite prius ſeueris arborem*
4. 10. *O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens*

- - -∪∪- -∪∪- -∪∪- ∪∪

Vndecimi generis Ode vna.

2. 18. *Non ebur, neque aureum.*

-∪ -∪ ∪∪
∪- ∪- ∪- ∪- ∪- ∪-

Duodecimi generis Ode vna.

3. 12. *Miſerarum eſt, neque amori dare ludum*

∪∪- - ∪∪- - ∪∪-∪
∪∪- - ∪∪- - ∪∪- -
∪∪- - ∪∪- - ∪∪- -

Tertijdecimi generis Ode vna.

4. 7. *Diffugere niues, redeunt iam gramina campis.*

- - -∪∪ -∪∪- - -∪∪ - -
-∪∪ -∪∪ -

Quartidecimi generis Odæ decem.

5. 1. *Ibis liburnis inter alta nauium.*
5. 2. *Beatus ille, qui procul negotijs.*
5. 3. *Parentis olim ſiquis impia manu.*
5. 4. *Lupis & agnis quanta ſortito obtigit.*
5. 5. *At o deorum quiſquis in cælo regis.*
5. 6. *Quid immerentes hoſpites vexas canis.*
5. 7. *Quo quo ſceleſti ruitis, aut cur dexteris.*
5. 8. *Rogare longo putidam te ſæculo.*
5. 9. *Quando repoſtum Cæcubum ad feſtas dapes*
5. 10. *Mala ſoluta nauis exit alite.*

- - ∪- - - ∪- ∪- ∪∪
∪- ∪- - - ∪∪

Quinctidecimi generis Ode vna.

5. 11. *Pecti nil me ſicut antea iuuat.*

- - ∪- - - ∪- ∪- ∪-
-∪∪ -∪∪ - ∪- ∪- - - ∪-

Sextidecimi generis Ode vna.

5. 13. *Horrida tempeſtas cælum contraxit, & imbres.*

-∪∪ - - - - - - -∪∪ - -
∪- ∪- - - ∪- -∪∪ ∪∪-

Decimiſeptimi generis Ode vna.

5. 14. *Mollis inertia cur tantam diffuderit imis.*
6. 15. *Nox erat, & cælo fulgebat Luna ſereno.*

- ∪∪ - ∪∪ - - - - -∪∪ - -
- - ∪- - - -∪∪

Decimioctaui generis Ode vna.

5. 16. *Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas.*

-∪∪ -∪∪ - - - - -∪∪ - -
∪- ∪- ∪- ∪- ∪- ∪∪

Vndeuigeſimi generis Ode vna.

5. 17. *Iam iam efficaci do manus ſcientiæ.*

- - ∪- - - ∪- ∪- ∪-

# GENERA METRORVM QVÆ IN PRIMO LIBRO.

*Odæ prima Monocolos.* Sunt enim omnes verſus choriambici Aſclepiadei tetrametri acatalecti, qui conſtant è ſpondeo, & duobus choriambis, & Pyrrhichio vel iambo, hoc modo.

*Mœce - - nas atauis - -∪- edite re -∪∪- gibus ∪∪ o et - - præ-*
*ſidium et - -∪∪- dulce decus -∪∪- meum ∪∪*

- - -∪∪- -∪∪- ∪∪
- - -∪∪- -∪∪- ∪∪

*Odæ II. Dicolos tetraſtophos.* primi quique tres verſus ſunt hendæcaſyllabi ſapphici pentametri acatalecti, qui conſtant è trochæo, ſpondeo, dactylo, & duobus trochæis, vel ſpondeo vltimo, Sic.

*Iam ſa - - tis ter - - ris niuis -∪∪ atque -∪ diræ - -*
*Grandi -∪ nis mi - - ſit pater -∪∪ et ru -∪ bente -∪*
*Dexte -∪ ra ſa - - cras popu -∪∪ latus -∪ arces - -*

Quartus autem quiſque eſt Adonius dimiter catalecticus ex dactylo & ſpondeo vel trochæo, ſic.

-∪- - -∪∪ -∪ - -
-∪ - - -∪∪ -∪ -∪
-∪ - - ∪∪- -∪ - -
-∪∪ -∪

*Odæ III. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſque verſus eſt choriambicus Gliconius trimeter acatalectus, conſtans è Spondeo, Choriambo, & Pyrrhichio, vel Iambo, ſic.

*Sic te - - diua potens -∪∪- Cypri ∪-*

Secundus verò quiſque Choriambicus, Aſclepiadeus tetrameter Acatalectus, è Spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio, vel Iambo, ſic

*Sic fra - - tres Helenæ -∪∪- lucida ſy -∪∪- dera ∪∪*

- - -∪∪- ∪-
- - -∪∪- -∪∪- ∪∪

*Odæ IIII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſque verſus eſt Dactylicus Archilochius heptameter Acatalectus, conſtans è quattuor primis pedibus ſpondeis, vel Dactylis indifferenter, vt in verſu Heorico, deinde è tribus trochæis, vel ſpondeo vltimo, ſic.

*Soluitur -∪∪ acris hy -∪∪ ems gra - - ta vice -∪∪ veris -∪*
*et fa -∪ uoni - -*

Secundus vero quiſq; eſt Archilochius, conſtans ex penthemimere iambica, id eſt ex iambo vel ſpondeo

deo



deo, Iambo, & ſyllaba. Deinde è tribus Trochæis, vel Spondeo vltimo, ſic.

*Trahunt ∪- que ſic - - cas - machi -∪ næ ca ∪ rinas - -*

-∪∪ -∪∪ - - -∪∪ -∪ -∪ - -
- - ∪- - -∪ -∪ - -

*Odæ V. Tricolos tetraſtrophos.* Primi quique duo verſus ſunt Aſclepiadei, qualis ille, Mæcenas atauis edite regibus. Scanduntur enim ſic.

*Quis mul - - ta gracilis -∪∪- te puer in -∪∪- roſa ∪-*
*Perfu - - ſus liquidi -∪∪- urget odo -∪∪- ribus ∪∪*

Tertius autem quiſq; eſt Pherecratius Heroicus trimeter Acatalectus, conſtans è ſpondeo, Dactylo & Spondeo, ſic *Grato - - Pyrrha ſub ∪∪ antro - -*

Quartus verò quiſq; eſt Gliconius, qualis ille, Sic te diua potens Cypri. Scanditur enim hoc modo.

*Cui fla - - uam religas -∪∪- comam ∪∪*

- - -∪∪- -∪∪- ∪-
- - -∪∪- -∪∪- ∪∪
- - ∪∪ - -
- - -∪∪- ∪∪

*Odæ VI. Dicolos tetraſtrophos.* Primi quique tres verſus ſunt Aſclepiadei, qualis ille, Mæcenas atauis edite regibus. Scanduntur enim hoc modo.

*Scribe - - ris vario -∪∪- fortis & ho -∪∪- ſtium ∪∪*
*Victor - - Mæonii -∪∪- carminis a -∪∪- lite ∪∪*
*Quam rem - - cunque ferox -∪∪- nauibus aut -∪∪-*
*equis ∪-*

Quartus autem Gliconius, qualis, Sic te diua potens Cypri. Scanditur ſic.

*Miles - - te duce geſ -∪∪- ſerit ∪∪*

- - -∪∪- -∪∪- ∪∪
- - -∪∪- -∪∪- ∪∪
- - -∪∪- -∪∪- ∪-
- - -∪∪- ∪∪

*Odæ VII. Dicolos diſtrophos*, primus quiſq; verſus eſt Heroicus Hexameter Catalecticus in duas ſyllabas, conſtans è ſex pedibus Dactylo, & Spondeo indifferenter in omnibus locis, quanquam in quinto aliquando Spondeus ponitur, & in ſexto Dactylus, vbi etiam ſæpe pro Spondeo Trochæus admittitur.

Sed de verſu Heroico multa diximus in inſtitutionibus noſtris grammaticis. ſcanditur autem ſic.

*Lauda - - bunt ali -∪∪ i cla - - ram Rhodon -∪∪*
*aut Mity -∪∪ lenen -∪*

Secundus autem quiſque eſt Dactylicus Alemanius tetrameter Catalecticus, habens quattuor vltimos pedes Heroici verſus, ſic.

*Aut ephe -∪∪ ſum bima -∪∪ ris ue Co -∪∪ rinthi - -*

- - -∪∪ - - -∪∪ -∪∪ - -
-∪∪ -∪∪ -∪∪ - -

*Odæ VIII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt Ariſtophanius Dimeter Acatalectus, conſtans è Choriambo, & Bacchio, ſiue Amphimacro, hoc modo, *Lydia dic -∪∪- per omnes ∪- -*

Secundus autem quiſq; eſt Choriambicus Alcaicus Tetrameter Acatalectus, conſtans ex Epitrito ſecundo, duobus Choriambis, & Bacchio, ſiue Amphibracho, hoc modo.

*Te Deos o -∪- - ro ſybarim -∪∪- cur properes -∪∪-*
*amando ∪- -*

-∪∪- ∪- -
-∪- - -∪∪- -∪∪- ∪- -

*Odæ IX. Tricolos tetraſtrophos.* Primi quique duo verſus ſunt Dactylici Alcaici Acatalecti, qui cōſtant ex Penthemimere Iambica, id eſt ex Iambo vel Spōdeo, Iambo, & ſyllaba, quæ dicitur cæſura, deinde è duobus Dactylis, vel vlt. Amphimacro, hoc modo.

*Vides ∪- vt al ∪- ta - ſtet niue -∪∪ candidum -∪∪*
*Sora ∪- cte, nec ∪- iam ſuſtine -∪∪ ant onus -∪∪*

Tertius autē quiſque eſt Iambicus Archilochius Dimeter Hypercatalectus, cōſtans quatuor pedibus primo & tertio Iambo, vel Spōdeo, ſecūdo & quarto Iambo dūtaxat. deinde, ſupereſt ſyllaba, hoc modo.

*Syluæ - - labo ∪- rantes - - gelu ∪- quæ a*

Quartus autem quiſque eſt Dactylicus Alcaicus Acatalectus, conſtans ex Dimetro Heroico, & Dimetro Trochaico, id eſt è duobus Dactylis; & duobus Trochæis riambici Alcaici Pentametri Acatalecti qui conſtant è Spondeo, tribus Choriambis, & Pyrrhichio, vel Iambo, hoc modo.

*Tune - - quæſieris -∪∪- ſcire nefas -∪∪- quem mihi*
*quem -∪∪- tibi ∪∪*
*Finem - - di dederint -∪∪- Leucothoe -∪∪- nec Ba-*
*bylo -∪∪- nios ∪-*

- - -∪∪- -∪∪- -∪∪- ∪∪
- - -∪∪- -∪∪- -∪∪- ∪-

Libro ſecundo.

*Odæ XVIII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſque verſus eſt Iambicus Archilochius Dimeter Acatalectus, conſtans Amphimacro, & duobus Iambis, vel vltimo Pyrrhichio, hoc modo.

*Non ebur -∪- nequ' au ∪- reum ∪∪*

Secundus quiſq; verſus eſt Iambicus Archilochius dimeter Acatalectus, conſtans è quinq; Iambis & ſyllaba, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo, hoc modo.

*Mea ∪- reni ∪- det in ∪- domo ∪- lacu ∪- nar ∪*

-∪- ∪- ∪∪
∪- ∪- ∪- ∪- ∪- ∪

Libro tertio.

*Odæ XII. Dicolos triſtrochos.* Primi quique duo verſus ſunt Ionici à minore Sapphici trimetri Acatalecti, qui conſtant è tribus Ionicis à minore vel vltimo Pæone tertio, hoc modo.

*Miſerar eſt ∪∪- - neq amori ∪∪- - dare ludum ∪∪- -*
*Neq; dulci ∪∪- - mala vino ∪∪- - lauer' aut ex ∪∪- -*

Tertius item verſus eſt Ionicus à minore Sapphicus Acatalectus, ſed tetrameter, conſtans è quattuor Ionicis à minore hoc modo.

*animari ∪∪- - metuentes ∪∪- - patruæ ver ∪∪-*
*bera linguæ ∪∪- -*

∪∪- - ∪∪- - ∪∪- -
∪∪- - ∪∪- - ∪∪- -
∪∪- - ∪∪- - ∪∪- - ∪∪- -

Libro quarto.

*Odæ VII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt Heroicus Hexameter Catalecticus, qualis, Laudabunt alij clarā Rhodon, aut Mitylenē hoc modo.

*Diffu - - gere ni -∪∪ ues rede -∪∪ unt iam - -*
*gramina -∪∪ campis - -*

Secundus quiſq; eſt Dactylicus Archilochius dimeter Hypercatalectus, conſtans duobus Dactylis & ſyllaba hoc modo.

*arbori -∪∪ bus que co -∪∪ ma -*

- - -∪∪- ∪∪- - -∪∪ - -
-∪∪- ∪∪-

Libro quincto.

*Odæ prima Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt Iambicus Hipponactius trimeter Acatalectus, conſtans è ſex Iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo, hoc modo.

*Ibis - - libur ∪- nis in - - ter al ∪- ta na ∪- uium ∪∪*

Secundus

Secundus quiſq; eſt Iambicus Archilochius Dimeter Acatalectus, conſtans è quattuor Iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo, hoc modo.

*Ami* υ - *cepro* υ - *pugna* - - *cula* υ υ
- - υ - - - υ - υ - υ υ
- υ υ - - - υ υ

*Odæ XI. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſque verſus eſt Iambicus Hipponactius trimeter Acatalectus, Qualis ille, Ibis Liburnis inter alta nauiú, hoc modo.

*Pecti* - - *nihil* υ - *me ſi* - - *cut an* υ - *tea* υ - *iuuat* υ υ

Secundus verò quiſque eſt Sapphicus, conſtans penthemimere heroica & Dimetro Iambico, id eſt è duobus Dactylis, & ſyllaba, deinde è quatuor Iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo, hoc modo.

*Scribere* - υ υ *verſicu* - υ υ *los* - *amo* υ - *re per* υ -
*culſum* - - *graui* υ -
- - υ - - - υ - υ - υ υ
- υ υ - υ υ - - υ - υ - - - υ -

*Odæ XIII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt Heroicus Hexameter Catalecticus, qualis ille, Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen, hoc modo.

*Horrida* - υ υ *tempe* - - *ſtas cœlum con* - -
*taxit et* - υ υ *imbreis* - -

Secundus vero quiſq; eſt Archilochius, conſtans Dimetro Iambico & Penthemimere heroica, id eſt è quattuor Iambis, recepto tamen in locis imparibus etiam Spondeo. Deinde è duobus Dactylis, & ſyllaba, hoc modo.

*Niues* υ - *que de* υ - *ducunt* - - *Iouem* υ - *nunc*
*mare* - υ υ *nunc ſylu* - υ υ *æ* -
- υ υ - - - - - - - υ υ - -
υ - υ - - - υ - - υ υ - υ υ -

*Odæ XIIII. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt, qualis, Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen, hoc modo.

*Mollis in* - υ υ *ertia* - υ υ *cur tan* - - *tam diffu*- -
*derit* - υ υ *imis* - -

Secundus autem quiſque eſt Iambicus Archilochius Dimeter Acatalectus, qualis ille, Amice propugnacula, hoc modo.

*Obli* - - *uio* υ - *nem ſen* - - *ſibus* υ υ
- υ υ - υ υ - - - - - υ υ - -
- - υ - - - υ υ

*Odæ XVI. Dicolos diſtrophos.* Primus quiſq; verſus eſt Heroicus Hexameter, hoc modo.

*Altera* - υ υ *iam teri* - υ υ *tur bel* - - *lis ci* - - *ui*-
*libus* - υ υ *ætas* - -

Secundus verò quiſque eſt Iambicus Hipponacteus Trimeter, Qualis ille, Ibis Liburnis inter alta nauium, quanquam in hac Odæ ſecundus quiſque verſus conſtat è ſolis Iambis, quod ſemel tantum legitur feciſſe Horatius. Quam ob rem verſus ille, Eamus omnes execrata ciuitas, ſic eſt legendus, Eamus omnis execrata ciuitas. Quod & Porphyrioni placet, vt ſit figurata locutio, Eamus omnis ciuitas execrata, hæc & quæ poterunt reditus abſcindere dulces. Sunt enim omnes iambi, hoc modo.

*Suis* υ - *et ip* υ - *ſa Ro* υ - *ma vi* υ - *ribus* υ - *ruit* υ υ
- υ υ - υ υ - - - - - υ υ - -
υ - υ - υ - υ - υ - υ υ

*Odæ XVII. Monocolos.* Sunt enim omnes verſus Iambi Hipponactei Trimetri Acatalecti, Qualis ille, Ibis Liburnis inter alta nauium, hoc modo.

*Iam iam ef* - - *fica* υ - *cido* - - *manus* υ - *ſcien* υ -
*tiæ* υ - *Supplex* - - *et o* - υ *ro re* - - *gna per* υ - *pro*-
*ſer* - - *pinæ* υ -
- - υ - - - υ - υ - υ -
- - υ - - - υ - - - υ -

# EIVSDEM ALDI MANVTII IN HORATIVM SCHOLIA.

Odæ prima libri primi.

*EVterpe cohibet, neque polymnia.* Sic in omnibus legi exemplaribus, ſed non ſtat verſus, quia pro Choriambo pæon quartus eſt, neque poly. υυυυ. legendum igitur vel, Euterpe cohibet, nec Polyhymnia, vel, Euterpe cohibet, nec Polymneia. ſi Polyhymnia, ſcandatur ſic,

*Euter* - - *pe cohibet* - υ υ - *nec polyhy* - υ υ - *mnia* υ υ

vt componatur à πολὺ & ὕμνος, quaſi Multicinam, latine dixeris. id videtur ſenſiſſe Phornutus in libro de natura Deorum, vbi ait πολύμνια δὲ ἐστὶν πολυύμνητος ἀρετὴ, ἢ μᾶλλον, ἡ πολλοὺς ὑμνοῦσα, καὶ ὅσα περὶ τῶν γραμμάτων ὑμνεῖται, παρειληφυῖα, καὶ τῆς ἐκ τε τῶν ποιημάτων, καὶ τῶν ἄλλων συγγραμμάτων ἱστορίας ὑπομεμνημένη. Sic autem Polymneia, ſic

*Euter* - - *pe cohibet* - υ υ - *nec polymne* - υ υ - *ia* υ υ.

nec obſtat, ly corripi ſequentibus m & n, cum faciant ſyllabam, quæ procedit, indifferentem, ſicuti muta cum liquida, vt apud Græcos. Cratinus, ἀλλοτριογνώμοις ἐπλήσμοσι μνημονικοῖσι. λήσμοσι, dactylus - υ υ. Callimachus, vt citat Epheſtion, & Priſcianus, τῶς μὲν ὁ μνησίχειος ἔφη ξένος. τῶς μὲν ὁ dactylus - υ υ & tunc componitur ex πολὺ & μνεία, quod ſit multa memoria. nam Iouis at memoriæ filias eſſe muſas teſtatur Heſiodus in Theogonia,

Μοῦσαι ὀλυμπιάδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.
Τὰς ἐν πιερίῃ κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη,

& diſſoluta dipthongo πολυμνεία πεντασυλλάβως καὶ ἰωνικῶς πολυμνηΐα, vnde Polymneia, ſicut elegeia ἀπὸ τῆς ἐλεγηΐας, ſecundum Ionas. Ouidius,

*Flebilis indignos Elegeia ſolue capillos.*

Quanquam Græci, tàm proſa oratione, quàm carmine, πολύμνια τετρασυλλάβως cum accentu in antepenultima dicunt, vel altero y ex Polyhymnia, vel ε excluſo ex ει diphthongo. Heſiodus in Theogonia,

Τερψιχόρη τ' ἐρατώ τε, πολύμνιά τ' οὐρανίη τε.

Sed abundè multa diximus in quarto inſtitutionum noſtrarum.

Odæ VIII. ſecundi libri.

*Sæpe Minaci,* ſic legit Porphyrio, ſed legendum potius *Minati,* vt ſit participium, id quod & Acroni placet, & ſit ordo, Nec priores, amantes ſcilicet relinquunt tectum piæ dominæ ſæpe minati, ſcilicet, relicturos ſe eam. quod valde miſerú, vt quod à ſeruis fieri conſueuit, id amatoribus non liceat, licet contempti

deſerturos



deſerturos ſe eam, quam amant, ſæpe minati fuerint. Expreſſit enim vim amoris, vt ait Acron. Nam qui capti amore ſunt, iniurias, contumelias, contemptus, excluſiones, & id genus cætera pertinaciter ferunt peiore conditione, quàm ſerui. Adde, quod eas, quarum amore capti ſunt, appellant dominas, vti ſerui. nam dominus & ſeruus correllatiua ſunt. Pulchrè Propertius amantium hanc expreſſit ſeruitutem, his verſibus.

*Tum mihi conſtantis deiecit lumina faſtus,*
*Et caput impoſitis preſſit amor pedibus.*

Odæ XII. eiuſdem.

*Simul vnctos Tyberinis humeros la-*
*Vit in vndis, eques ipſo melior Bel-*
*Lerophonte, neque pugno, neque ſegni pede victus.*

Tres hos verſus ſi quis ſic ſcribat, primum neceſſe eſt, diuidere dictiones, quod durum videtur, licet ſupra Ode eadem ſit,

*Neque dulci mala vino lauere, aut ex-*

Deinde *Lerophonte* eſt Pæon tertius, cum eſſe debeat Ionicus à minore. nam licet apud Græcos ὁ βελλεροφόντης, primę ſit declinationis τῶν ἰσοσυλλάβων: Homerus Ιλιάδος Ζ,

Τεθναίης ὦ προῖτ' ἢ κάκτανε βελλεροφόντην.

Et paullo inferius,

Ἡ δ' ἔκτεκε τρία τέκνα δαΐφρονι βελλεροφόντῃ.

apud nos tamen eſt tertiæ, Bellerophontes Bellerophontis, vt Εὐριπίδης Εὐριπίδου Euripides Euripidis.

Horatius Odæ VII. libri tertij.

*Vt Prœtum mulier perfida credulum*
*Falſis impulerit criminibus, nimis*
*Caſto Bellerophonti.*

Iuuenalis Satyra X. Omnibus in Terris.

*Sed caſto quid forma nocet, quid profuit immo*
*Hippolyto graue propoſitum? quid Bellerophonti?*

Quapropter iuſſi ego reſtituendos in ſuum locum quemadmodum habentur Viennæ in antiquo quodam Codice apud Staniſlaum Zaur, quod ad me amicus quidam meus miſit, hoc ordine.

*Eques ipſo melior Bellerophonte,*
*Neque pugno, neque ſegni pede victus,*
*Simul vnctos Tyberinis humeros lauit in vndis.*

Hoc modo & ſeruantur integræ dictiones, & non claudicat verſus in dictione Bellerophonte. nam primi duo verſus conſtant è tribus Ionicis à minore: Tertius verò è quattuor, vt ſuo loco licet videre.

Odæ XVI. Epodon.

*Eamus omnes execrata ciuitas.* Sic habetur in omnibus, quæ quidem ipſe viderim, exemplaribus. Sed quoniam in hac Ode ſecundi quiq; verſus conſtant è ſolis iambis, quod ſtudioſe feciſſe videtur Horatius, omnis legendum eſt, vt ſit omnis ciuitas eamus, quæ eſt, vt Porphyrio ait figurata elocutio, vt Pars in fruſta ſecant. hinc ſubiungit Porphyrio aut omnis ciuitas eamus, inquit, aut pars maior remaneat, quæ mollis animi, & ſine ſpe eſt, expersq; virtutis. Eſt autem ordo. omnis ciuitas execrata hæc, & quæ poterunt abſcindere reditus dulces, eamus. execrata, hoc eſt execratione, & iureiurando interpoſito, ſic ſupra. Forte communiter quæritis, quid expediat, aut melior pars carere malis laboribus, nulla ſententia ſit potior hac, ire quocunq; ferent pedes, quocunq; Notus, aut Africus proteruus vocabit per vndas, velut ciuitas Phoceorum execrata agros, atque patrios lares profugit, reliquiq; fana habitanda apris, & lupis rapacibus. execrata agros, & patrios lares, ſic dixit, vt Salluſtius in Catilinario, interea plebs coniuratione patefacta, quæ primo cupida nouarum rerum nimis bello fauebat, mutata mente, Catilinæ conſilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere, veluti ex ſeruitute erepta gaudium, atque lætitiam agitabant.

Ode eadem.

*Nos manet Oceanus circumuagus. arua beata Petamus arua diuites & inſulas.* Sic eſt legendum, *non arua beata petamus arua.* tum vt ſecundus verſus conſtet è ſolis iambis, vt cæteri, tum etiam quia bis dicendo, arua arua petamus beata, maiorem habet ad perſuadendum vehementiam, vt reliquam patriam. & circumuagus eſt proprium Oceani epitheton, quia vagatur circum omnem terram. nec placet hic Porphyrionis expoſitio, Oceanus circum arua beata vagus, quia valde ſiccum eſt, & quaſi imperfectum quod ſequitur, petamus arua, niſi addatur epitheton.

Odæ XVII. Epodon.

*Tuusq; venter pactumeius,* Videtur legendum *partumeius,* vt ſit à partu partumeius, quod fœcunda eſſet Canidia. id quod ex Acrone colligitur, cum dicit, Partumeium dicit filium Canidiæ, quem habere ſe fœcunditatis gratia lætatur. quanquam ipſe ſic conſtruo, & tuus venter, Partumeius, id eſt fœcundus eſt tibi, quia ſubiungit, & obſtetrix lauit pannos rubros tuo cruore.

Ode eadem.

*Vtcunq; fortis exilis puerpera.* Porphyrio, & qui eum ſecuti ſunt, exilis nomen eſſe dicunt, cum ſit verbi exilio ſecunda perſona, nec aliter ſtat verſus, vt ſit Iambus in quarta ſede, in qua Spondeus eſſe non debet, quod & ipſe Horatius in Poëtica ſic docet.

*Spondeos ſtabiles in iura paterna recepit*
*Commodus & patiens, non vt de ſede ſecunda*
*Cederet aut quarta ſocialiter.*

Quod ſi exilis hic nomen ſit, foret Spondeus in quarta ſede contra legem Trimetri Iambici, quali vſus eſt Horatius. ſcanditur autem ſic,

*vt cun* - - *que for* υ - *tis ex ſilis* υ υ - *puer* υ - *pera* υ υ

quod non aduertiſſe Porphyrionem, miror.

## IN ARTE POETICA.

*Intererit multum Dauus ne loquatur, an heros.* Miror non aduertiſſe quoſdam non dici poſſe, *an herus,* vt in multis etiam eſt exemplaribus, idq; repugnante ſyllaba. Sunt qui legunt *diues ne loquatur, an Irus.* ſunt qui, *Diuus ne loquatur, an Heros.* ſed melius legitur *Dauus ne loquatur, an Heros.* ſic etiam eſt in meo antiquo exemplari.

In Epiſtola V. primi libri.

*Vt coeat par,*
*Iungaturq; pari Brutum tibi, Septimiumq;*

*Et, niſi*

*Et, niſi cena prior, potiorq́; puella Sabinum* *Detinet, Aſſumam. Locus eſt & pluribus vmbris.*
*Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ,* *Tu quotus eſſe velis reſcribe.*

in quibuſdam exemplaribus legitur *Brutum tibi, Septitiumq́ue,* Sed quoniam præcedit, *vt coeat par, iungaturque pari,* & ſequitur. *Et niſi cena prior, potiorq́; puella Sabinum detinet,* Brutam imprimendum iuſſimus, quæ videtur fuiſſe Amica Septitij, vel ſi mauis Septimij: nam vtrunq; legitur. Deinde, quod in vno tantum legi exemplari, *Aſſumam,* pro ad ſummam reponendum curaui, præſertim, quod ſi ad ſummam dixeris, aliquod deſideratur verbum. Eſt autem ordo, vt par coeat, & iungatur pari, aſſumant tibi Brutam, & Septitium, & Sabinum, niſi prior cena, & potior puella detinet ipſum ſcilicet eſt locus & pluribus vmbris ideſt conuiuis, ſed capræ olidæ id eſt, graue olentes premunt, hoc eſt offendunt conuiuia nimis arcta, & hoc propter malum odorem, qui ſolet emitti, cùm concauitas illa, quæ ſub alis eſt, nimis incaleſcit. Vnde Catullus,

*Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur,* *Valle ſub alarum trux habitare caper.*

vmbra verò pro conuiua nunnunquam accipitur, vt hic, & in ſermonibus Satyra poſtrema.

*Summus ego. & prope me Viſcus Turinus & infra,* *Si memini, Varius, cum Seruilio Balatrone*
*Vibidius, quos Mæcenas adduxerat vmbras,* *Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infra*
*Ridiculus totas ſimul abſorbere placentas.* *Nomentanus ad hoc, vt, ſi quid forte lateret,*
*Indice monſtraret digito.*

Quæ carmina ideo etiam adpoſui, vt conſtruerem. Eſt enim ordo. Summus ego (eram in menſa) & prope me Viſcus Turinus, &, ſi memini, infra (erat) Varius, & Vibidius cum Seruilio Balatrone. Nomentanus erat ſuper Mæcenatem, Porcius ridiculus abſorbendo totas placentas (erat) infra, Nomentanus ad hoc, vt digito indice monſtraret, ſiquid (cibi ſuauis) forte lateret, quos ipſe Mæcenas adduxerat vmbras, hoc eſt ſecum duxerat ad conuiuium. Conuiuæ autem vmbræ dicuntur, quod ſequantur inuitatos in conuiuium non ipſi etiam inuitati, vt vmbra corpus. Quem morem Plutarchus Conuiuiorum lib. 7. ſic ſcribit, τὸ δὲ τῶν ὑποκλήτων ἔθος, οὓς νῦν σκιὰς καλοῦσιν, οὐ κεκλημένους αὐτούς, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἀγομένους, ἐζητεῖτο πόθεν ἔσχε τὴν ἀρχήν. ἐδόκει δὲ ἀπὸ Σωκράτους ἀριστόδημον ἀναπείσαντος, οὐ κεκλημένον εἰς ἀγάθωνος ἰέναι σὺν αὐτῷ, καὶ παθόντα τι γελοῖον. (ἔλαθε γὰρ κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπολειφθεὶς ὁ Σωκράτης.) ὁ δὲ προεισῆλθεν ἀτεχνῶς σκιὰ προβαδίζοντος σώματος ἐξόπισθεν τὸ φῶς ἔχοντος.

Sed hæc Eraſmus meus Roterodamus prouerbiorum Chiliade prima, quæ octo ab hinc menſes curaui imprimenda, prouerbio nono, doctè vt omnia, & copioſe docet. inde igitur petat, qui melius ſcire voluerit.

Epiſtola vltima ſecundi libri.

*Non es auarus, abi. Quid? cætera iam ſimul iſto* *Cum vitio fuge. rite caret tibi pectus inani*
*Ambitione? caret mortis formidine, & ira?*

Sic in omnibus ferè exemplaribus legitur. & poteſt ſic conſtrui, *Non es auarus, abi. Quid? iam fuge cætera ſimul cum iſto vitio,* quaſi dicat, non poteſt per quod intelligimus te eſſe etiam auarum, ſi cæteris hæres vitijs, ac teneris. Ipſe tamen, quod in vno tantum legi exemplari, ſic iuſſi imprimendum,

*Non es auarus? abi. Quid cætera? num ſimul iſto* *Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani*
*Ambitione? caret mortis formidine, & ira?*

hæc mihi vera lectio viſa eſt. eligat ſibi quiſq; vtram velit ſuo arbitratu.

Satyra III. primi libri.

*Illuc prævertamur, amatorem quod amicæ* *Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc*
*Delectant, veluti Balbinum Polypus Agnæ.*

Muti legunt *Pulypus* metri cauſa. ſed & *Polypus* legi poteſt, idq; doricè. Quod docet Athenæus his verbis. ἀρχέστρατος δέ φησι, πώλυποι ἔν τε Θάσῳ, καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄριστοι, καὶ κέρκυρα τρέφει πολλούς. μεγάλους τε τὸ πλῆθος. Δωριεῖς δὲ αὐτὸν διὰ τοῦ ω μεγάλου καλοῦσιν πώλυπουν, ὡς ἐπίχαρμος. καὶ Σιμωνίδης δ᾽ ἔφη πώλυπον διζήμενος, ἄττικοι δὲ πολύπουν. Sic in Epigrammatis.

ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ.

Πώλυπον εἰναλίῃ πότ᾽ ἐπὶ προβλῆτι τανυσθείς Ἠελίῳ ψύχειν πολλὸν ἀνῆκε πόδα.

ΙΣΙΔΩΡΟΥ.

Πώλυπον ἀγρεύσας ποτὲ γρίπιχος, ἐξ ἁλὸς εἰς γῆν Ἔρριψεν δύσας ξηρὸς ἱμαντοπέδης.

Quamobrem & hic, & in Epodis illud,

*Polypus an grauis hirſutis cubet hircus in alis*

*Per o, non per u, excudendum, Po, iuſſimus.*

Eadem Satyra.

*Chryſippus dicat, ſapiens crepidas ſibi nunquam* *Nec ſoleas fecit.*

cùm Crepida Græcum ſit vocabulum, & non per ε ψιλόν, ſed per η μέγα, vt ſic dixerim ſcribatur. nam ſicut, ο, duplex eſt apud Græcos μικρὸν καὶ μέγα ſic duplex ε, quorum alterum ψιλόν, ἦτα alterum appellant, & declinetur, ἡ κρηπὶς τῆς κρηπῖδος τὴν κρηπῖδα, vnde hæc crepida, crepidæ. miror Horatiũ, & cre, & pi, corripuiſſe, atq; itidem Perſium feciſſe i. Satyra.

*Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere geſtit*

Tum Gellium lib. 12. cap. 20. tantum de prima ſyllaba correpta meminiſſe, cum & ſecunda corripiatur, quæ ſimiliter apud Græcos, vt prima, producitur. Theocritus ecloga συρακουσίαις ἢ ἀδωνιαζούσαις,

Παντᾷ κρηπῖδες; παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες.

Vbi κρηπῖ -- Spondeus, & libro tertio Epigrammatôn εἰς ἀνδρείους,

Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε περσικὸν ἄρη.

δωρχη Spondeus, -- πῖδα πε, Dactilus - υ υ.

Verba autem Gelli hæc. Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum in fine teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis iuncta ſunt, ſoleas dixerunt, nonnunquam græca voce crepidulas. Gallicas autem verbum eſſe opinor nouum, non diu ante ætatem M. Ciceronis vſurpati cœprum. Itaque ab eo ipſo poſitum eſt in ſecunda Antonianarum. Cùm Gallicis, inquit, & lacerna cucurriſti. Neq; in ea



in ea ſignificatione, id apud quẽquam alium ſcriptum lego, grauioris dũtaxat auctoritatis ſcriptorem. Sed vt dixi crepidas, & crepidulas prima ſyllaba correpta id genus calciamentum appellauerunt. quod Græci κρηπῖδας. hæc Gellius. Sed forte Horatius imprudenter lapſus eſt: & Perſius, & alij eum ſecuti ſunt. tanqnam id vel licuiſſe ſibi Horatius voluerit, vel ab antiquioribus acceperit, non enim adduci poſſum, vt credam, Latinam eſſe vocem arbitratos crepidam, atque à crepo vel crepitu, qui inter ambulationem à crepidatis redditur, deriuari, vt exiſtimant nonnulli Græcarum litterarum rudes. Quemadmodum, qui poſt Virgilium fuerunt Ouidius. Lucanus, Statius, & alij einarime dixerunt illum imitati, cum apud Græcos duæ ſint dictiones εἰν præpoſitio ἰωνικῶς & ἀρίμοις datiuus. Virgilius AEneidos lib. 9. Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile Inarime Iouis imperij impoſta Typhæo. Excuſamus autem hîc Virgilium, ſicuti ſtudioſe dixerit einarime licet apud Homerũ legerit εἰν ἀρίμοις duas eſſe dictiones. Quid, ſi & ipſe minus aduertens lapſus eſt, Homo enim fuit. De qua dictione hæc Stephanus.

Αριμα, ὅμηρος, εἰν ἀρίμοις, ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. οἱ μὲν ἐν κιλικίᾳ, οἱ δὲ ἐν συρίᾳ, οἱ δὲ ἐν πιθηκούσαις παρὰ, τυῤῥηνοῖς φασὶ γενέσθαι τὸν μῦθον. τὸ ἐθνικὸν ἀριμαῖος. ἐκαλοῦντο καὶ ἄριμοι. Euſtathius poſtquam multa de Arimis dixit Iliad. 6. hęc ſubiungit συναντέον ἐκ τῶν ῥηθέντων καὶ ὅτι οἱ ἄριμοι ἀρσενικῶς, καὶ τὰ ἄριμα οὐδετέρως λέγονται, τοπικὸν δὲ τῶν ἀρίμων ἀριμαῖος. Strabo quoque XIII. libro de Arimis hæc dicit προστιθέασι δὲ καὶ διότι καὶ δρυμώδης ὁ τόπος, καὶ κεραυνοβόλος, καὶ ὅτι ἐν ταῦθα οἱ ἄριμοι, καὶ γὰρ οὕτως, εἰν ἀρίμοις, ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. ἐπιφέρουσι χώρῳ ἐνὶ δρυόεντι ὕδης ἐν πίονι δήμῳ & paulo inferius citat hæc Pindari carmina ἀλλ᾽ οἶος ἄπλατον κεράιζε θεῶν τυφῶνα πεντηκοντα κεφάλον ἀνάγκαισιν πάτερ ἐν ἀρίμοις ποτὲ ecce, quod Homerus εἰν ἀρίμοις, Pindarus ἐν ἀρίμοις dixit, cur igitur Virgilius ex duabus dictionibus vnam fecerit, mutata etiam declinatione einarime, einarimes, ſi non lapſus eſt, non video, forté pro εἰν ἀρίμοις, εἰν ἀρίμης videbatur ſibi legiſſe apud Homerum. Quemadmodũ & M. Tullio aliquando contigit, quod & Gellius in noctibus, & Politianus in Miſcellaneis atteſtantur, & ipſe in Epiſtolis ad Atticum μνημονικὸν ἁμάρτημα fuiſſe fatetur. Quod autem hunc verſum Homeri imitatus fuerit; εἰν ἀρίμοις, ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς, vel hinc colligitur, quod videtur fere ad verbum traduxiſſe. Ille enim dicit in Arimis, vbi aiunt Typhoeos eſſe cubilia. Virgilius.

*Durumq́; cubile Inarime Iouis imperijs poſtea Typhoeo.*

Satyra 6. primi libri. *Non quo fraudatis immundus Nata lucernis,* ſcribendum immundus Naca. Appellantur enim nacæ, vt ait Feſtus, fullones, quod Nauci ſint. i. nullius pretij. Omnia fere opera ex lana νάκαι dicuntur à Græcis. ſignificat autem νάκη pellem ouium. Suidas προβάτων δοράν. & ſubiungit, νάκη ἐντρίχον δέρμα, ἤτοι δορὰ προβάτων. ἡ ἀναλογία δὲ, ὡς βλάβη βλάβος, καὶ νάπη νάπος, καὶ δίψα δίψος, οὕτω καὶ νάκη νάκος. ὥσπερ δὲ φασιν ἡ ἀήτη, καὶ ἀρσενικῶς ἀήτης ἀήτου, καὶ ἀράχνη, καὶ ἀράχνης ἀράχνου, οὕτω καὶ ἡ νάκη, καὶ ὁ νάκος· τριχῶς οὖν ὁ νάκος ἡ νάκη καὶ τὸ νάκος. κῶος δὲ τὸ τῆς αἰγὸς δέρμα, καὶ κώδιον κῶας δὲ τὸ τοῦ προβάτου. Naca igitur vnico c. ſcribendum. ponitur autem hic pro Fulone & homine nullius pretij, qualis ouium villoſa pellis.

*Satyra 10. eiuſdem libri.* In omnibus exemplaribus, quæ ipſa viderim, vno excepto, deſunt hi octo verſus,

*Lucilli quàm ſis mendoſus, teſte Catone* *Qui multum puer & loris, & funibus vdis*
*Defenſore tuo peruincam, qui male factos* *Exortatus, vt eſſet opem qui ferre poëtis*
*Emendare parat verſus, hoc lenius, ille* *Antiquis poſſet, contra faſtidia noſtra*
*Eſt quo vir melior longe ſubtilior illo,* *Grammaticorum equitum doctiſsimus, vt redeam illuc,*

Horum verſuum & ſi ſtilus videtur Horatianus, tamen, quia & Acron, & Porphyrio incipiunt enarrare ab eo verſu, nempe incompoſito dixi pede currere verſus, puto eos eſſe adulterinos. quod ita ſit, nec ne, iudicent doctiores.

# ADRIANI TURNEBI V. C. LVCVBRATIONES VARIAE.

## C. Plinii Hiſtoriæ naturalis Præfatio emendata & annotationibus illuſtrata.

## *AMPLISS. V. D. GVLIBLMO PELLICERIO MONSPERSSVLI EPISCOPO*

*Adrianus Turnebus S. P. D.*

NOn committam, vt in tuis erga me beneficiis alium quam te auctorem agnoſcam, aut me oſtentem, ne tu me ingrati merito accuſare poſsis: ſed quæ apud me tua ſunt. pro tuis in cenſum deferam, dicaboq;, tua ingenue profitebor & teſtabor, atque adeo domum ad te nunc ea remitto. Hoc tantum vereor, ne tu diſcidium quoddam eſſe interpreteris, quod te res tuas habere iubeam: cum potius animi ſit grati ſignificatio, ipſa prædicatione officij ad alia promerita te excitantis, quæ, quod hoc neque maligne tacitum, neque iniquè ſuppreſſum, longeque manaturum cernis, te apud me non male collocaturum proſpicis, atque in me demerendo gratiam à plurimis te initurum intelligis. Vale.

# C. PLINII SECVNDI VERONENSIS IN XXXVI. LIBROS NATVRALIS HISTORIAE PRAEFATIO, AD veterum codicum fidem emendata.

## PLINIVS SECVNDVS TITO VESPASIANO SVO S.

LIBROS *naturalis hiſtoriæ, nouitium Camœnis Quiritium tuorum opus, natos apud me proxima fœtura, licentiore epiſtola narrare conſtitui tibi, iucundiſſime Imperator (ſit enim hæc tui præfatio veriſſima, dum maximo conſeneſcit in patre. Namque tu ſolebas Nugas eſſe aliquid meas putare, vt obiice remolliam Catullum conterraneum meum. Agnoſcis & hoc caſtrenſe verbum. Ille enim, vt ſcis, permutatis prioribus ſyllabis duriuſculum ſe facit, quam volebat exiſtimari à vernaculis tuis, & famulis. Simul vt hac mea petulantia fiat, quod proxime non fieri queſtus es in alia procaci epiſtola noſtra, vt in quædam acta exeant: ſciantq; omnes quam ex æquo tecum viuat imperium triumphale & cenſorium ius, ſexiesq; conſul, ac tribunitiæ poteſtatis particeps: &, quod his nobilius feciſti, dum illud patri pariter & equeſtri ordini præſtas, præfectus prætorio eius: omniaque hæc Reipub. Et nobis quidem qualis in caſtrenſi contubernio? Nec quicquam mutauit in te fortunæ amplitudo in iis, niſi vt prodeſſe tantundem poſſes, vt velles. Itaque cum cæteris in venerationem tui pateant omnia illa, nobis ad colendum te familiarius audacia ſola ſupereſt. Hanc igitur tibi imputabis, & in noſtra culpa tibi ignoſces. Perfricui faciem, nec tamen profeci: quando alia via occurris ingens, & longius etiam ſubmoues ingenij faſcibus. Fulgurat in nullo vnquam verius dicta vis eloquentiæ tribunitiæ poteſtatis facundiæ. Quanto tu ore patris laudes tonas! quanto fratris amas! Quantus in poetica es! O magna fœcunditas animi. Quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitaſti. Sed hæc quis poſſit intrepidus æſtimare, ſubiturus ingenij tui iudicium, præſertim laceſſitum? Neq; enim ſimilis eſt conditio publicantium, & nominatim tibi dicantium. Tum poſſem dicere, Quid iſta legis Imperator? Humili vulgo ſcripta ſunt, agricolarum, opificum turbæ, denique ſtudiorum ocioſis: quid te iudicem facis? Quam hanc operam cum dicerem, nænias in hoc albo? Maiorem te ſciebam, quam vt deſcenſurum huc putarem. Præterea eſt quædam publica etiam eruditorum reiectio. Vtitur illa & M. Tullius, extra omnem ingenij aleam poſitus, & (quod miremur) per aduocatum defenditur: Nec doctiſſimis Manium Perſium hæc legere nolo, Iunium Congum volo. Quod ſi hoc Lucilius, qui primus condidit ſtili naſum, dicendum ſibi putauit: ſi Cicero mutuandum, præſertim cum de republica ſcriberet, quanto nos cauſatius ab aliquo iudice defendimur? Sed hæc ego mihi nunc patrociniu ademi nuncupatione. Quamplurimum refert ſortiatur aliquis iudicem, an eligat: multumque apparatus intereſt apud inuitatum hoſpitem, & oblatum. Cum apud Catonem illum ambitus hoſtem, & repulſis, tanquam honoribus ineptis, gaudentem, flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati, hoc ſe facere quod tum pro innocentia rebus humanis ſummum eſſet, profitebantur. inde illa nobilis M. Ciceronis ſuſpiratio: O te felicem M. Porci, à quo rem improbam petere nemo audet. Cum tribunos appellaret L. Scipio Aſiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc atteſtabatur, vel inimico iudici ſe probari poſſe. Adeo ſummum quiſque cauſæ ſuæ iudicem facit, quemcunq; elegit: vnde prouocatio appellatur. Te quidem in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſitum, ſumma eloquentia, ſumma eruditione præditum, religioſe adiri etiam à ſalutantibus ſcio. Et ideo curaui, quæ tibi dicantur, condigna ſint. Verum & diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant, qui non habent thura. Nec vlli fuit vitio deos colere quoquo modo poſſet. Meæ quidem temeritati acceſſit hoc quoque, quod leuioris operæ hos tibi dedicaui libellos. Nam nec ingenij ſunt capaces, quod alioquin nobis perquam mediocre erat: nec admittunt exceſſus, aut orationes ſermonesve, aut caſus mirabiles, vel euentus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda. Sterili materia rerum natura, hoc eſt vita, narratur: & hæc ſordidiſſima ſui parte, plurimarum rerum aut ruſticis vocabulis, aut externis, imo barbaris, etiam cum honoris præfatione ponendis. Præterea iter eſt, non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expectet. Nemo apud nos qui idem tentauerit, nemo apud Græcos qui vnus omnia ea tractauerit. Magna pars ſtudiorum amœnitates quærimus: quæ vero tractata ab aliis dicuntur immenſæ ſubtilitatis, obſcuris rerum tenebris premuntur. Ante omnia attingenda, quæ Græci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocant, & tamen ignota aut incerta ingeniis facta. Alia vero ita multis prodita, vt in faſtidium adducta. Res ardua, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem: omnibus vero naturam, & naturæ ſuæ vim etiam non aſſecutis ſoluiſſe, abunde pulchrum atque magnificum eſt. Equidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſam eorum eſſe, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi prætulerunt gratiæ placendi: idque iam & in aliis operibus ipſe feci, & profiteor me mirari T. Liuium auctorem celeberrimum, in hiſtoriarum ſuarum, quas repetit ab origine Vrbis, quodam volumine ſic orſum: Iam ſibi ſatis gloriæ quæſitum, & potuiſſe ſe deſiderare, vt animus in quiete paſceretur opere. Profecto enim populi gentium victoris, & Romani nominis gloriæ, non ſuæ, compoſuiſſe illa decuit. Maius meritum eſſet, operis amore, non animi cauſa, perſeueraſſe: & hoc populo Romano præſtitiſſe, non ſibi. Viginti millia rerum dignarum cura, (quoniam, vt ait Domitius Piſo, theſauros oportet eſſe, non libros) lectione voluminum circiter duum millium, quorum pauca admodum ſtudioſi attingunt propter ſecretum materiæ, exquiſitis auctoribus centum, incluſimus triginta ſex voluminibus, adiectis rebus plurimis, quas aut ignorauerant priores, aut poſtea inuenerat vita. Nec dubitamus multa eſſe, quæ & nos præterierint. Homines enim ſumus, & occupati officiis: ſubſiciuiſque temporibus iſta curamus, id eſt nocturnis, ne quis veſtrum putet his ceſſatum horis. Dies vobis impendimus, cum ſomno valetudinem computamus: vel hoc ſolo præmio contenti, quod dum iſta (vt ait M. Varro) muſinamur, pluribus horis viuimus. Profecto enim vita vigilia eſt. Quibus de cauſis atque difficultatibus nihil auſo promittere, hoc ipſum tu præſtas, quod ad te ſcribimus. Nec fiducia operis hæc eſt, ſed indicatura. Multa valde precioſa ideo videntur, quia ſunt templis dicata. Nos quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere iuſto, temporum noſtrorum hiſtoriam orſi à fine Aufidii. Vbi ſit ea, quæres? iampridem peracta ſancitur. Et alioquin ſtatutum erat hæredi mandare: neque ambitioni dediſſe vita iudicaretur. Proinde occupantibus locum faueo, ego vero & poſteris, quos ſcio nobiſcum decertaturos, ſicut ipſi fecimus cum prioribus. Argumentum huius ſtomachi mei habebis, quod in his voluminibus auctorum nomina prætexui. Eſt enim benignum (vt arbitror) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, non vt plerique ex iis quos attigi fecerunt. Scito enim conferentem me auctores, deprehendiſſe à iuratiſſimis & proximis veteres tranſcriptos ad verbum, neque nominatos, non illa Virgiliana virtute vt certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de republica, Platonis ſe comitem profitetur: In conſolatione filiæ, Crantorem, inquit, ſequor: item Panætium de officiis. Quæ volumina eius ediſcenda, non modo in manibus habenda quotidie, noſti. Obnoxij profecto animi, & infelicis ingenij eſt, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præſertim ſors fiat ex vſura. Inſcriptionis apud Græcos mira felicitas. Κηρίον inſcripſere, quod volebant intelligi fauum. Alij Κέρας ἀμαλθείας, vt vel lactis gallinacei ſpectare poſſis in volumine hauſtum. Iam ἴα, μοῦσαι, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, πινακίδιον, inſcriptiones propter quas vadimonium deſeri poſſit. At cùm intraueris, dij, deæque, quam nihil in medio inuenies! Noſtri craſſiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque facetiſſimi: lucubrationem, puto quia, vt baculus erat, & vocabatur paulominus, aſſerit Varro in ſatyris ſuis. Suſtulit & Flexabula. Apud Græcos deſiit nugari Diodorus, & bibliothecis hiſtoriam ſuam inſcripſit. Apion quidem Grammaticus, hic quem Tiberius Cæſar cymbalum mundi vocabat, quum publicæ famæ tympanum potius videri poſſet, immortalitate donari à ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat. Me verò non pœnitet nullum feſtiuiorem excogitaſſe titulum. Et ne in totum videar Græcos inſectari, ex illis mox velim intelligi pingique conditoribus, quos in libellis his inuenies abſoluta opera, & illa quoque quæ mirando non ſatiamur pendenti titulo inſcripſiſſe, vt, Apelles faciebat, aut Polycletus: tanquam inchoata ſemper arte, & imperfecta, vt contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniam, velut emendaturo quicquid deſideretur, ſi non eſſet interceptus. Quare plenum verecundiæ illud eſt, quod omnia opera tanquam nouiſſima inſcripſére, tanquam aliquid ſingulis fato ademptum. Tria non amplius, vt opinor, abſolute, quæ traduntur inſcripta; ille fecit, quæ ſuis locis reddam: quo apparuit ſummam artis ſecuritatem auctori placuiſſe: & ob id magna inuidia fuére omnia ea. Ego plane meis adijci poſſe multa confiteor: nec ijs ſolis, ſed & omnibus quæ edidi: vt ob id caueam iſtos Homeromaſtigas. Ita enim verius dixerim, quoniam audio & Stoicos, & dialecticos, Epicureos quoq; (nam de grammaticis ſemper expectaui) parturire aduerſus libellos, quos de grammatica edidi, & ſubinde abortus facere iam decem annis, cum etiam celerius Elephanti pariant. Ceu vero neſciam aduerſus Theophraſtum, hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum inde inuenerit, ſcripſiſſe etiam fœminam, & prouerbium inde natum, Suſpendio arborem eligendam. Non queo mihi temperare, quin minus ad hoc pertinentia ipſa Cenſorij Catonis verba ponam: vt appareat, etiam Catoni de militari diſciplina comminanti, qui ſub Africano, imò vero & ſub Annibale didiciſſet militare, & ne Africanum quidem ferre potuiſſet, qui Imperator triumphum reportaſſet, paratos fuiſſe iſtos, qui obtrectatione aliena ſcientiæ famam ſibi aucupantur. Quid enim ad te in eo volumine? Scio ego quæ ſcripta ſunt, ſi palam proferantur, multos fore, qui vt eligant, ſed ij potiſſimum, qui veræ laudis expertes ſunt. Eorum ego orationes ſibi prætereo. Nec Plancus illepidè, cum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipſo aut liberis poſt mortem Planci ederentur, ne reſpondere poſſet: Cum mortuis non niſi laruas luctari. Quo dicto ſic repercuſſit illas, vt apud eruditos nihil impudentius iudicetur. Ergo ſecuri etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitijs & litigatoribus compoſuit (quid enim illi aliud quam litigant, aut litem quærunt?) exequamur reliqua propoſiti. Quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat: quid ſingulis contineatur libris, huic epiſtolæ ſubiunxi: ſummaque cura, ne legendos eos haberes, operam dedi. Tu per hoc & aliis præſtabis ne perlegant: ſed vt quiſque deſiderabit aliquid, id tantum quærat, & ſciat quo loco inueniat. Hoc ante me fecit in literis noſtris Valerius Soranus in libris quos ἐποπτίδων inſcripſit. Vale.*



# ADRIANI TURNEBI IN PLINII SECVNDI PRAEFATIONEM ANNOTATIONES.

## PAGINA III.

*Natos* ) Sic legendum eſt ex veteribus libris: licentiore enim epiſtola narrare conſtituit natos apud ſe libros naturalis hiſtoriæ. Natum igitur quod inoleuerat, exigendum eſt. Hominis pene arrogantis eſſe videbitur poſt tam multos, in hanc præfationem aliquid ſcribere conari: ſed cum libros ſcriptos conſuluiſſem, & animaduertiſſem multum ſibi iuris in eam homines ſumpſiſſe, exiſtimaui non improbatum iri ſtudium factumque meum, ſi veterem ſcripturam reuocarem, & in ſua poſſeſsione, & tanquam ſede collocarem.

*Nouitium* ) Nouitium hîc nouum eſt ſimpliciter, quale ſcilicet opus nullum adhuc editum eſt. Sic Plautus nuperum & nouitium dixit. Sunt & nouitij, rudes ſerui, & non veterani. Martianus, *Veterana mancipia ſunt, quæ anno in vrbe ſeruierunt: nouitia autem intelliguntur, quæ anno nondum ſeruierunt.* Hinc ſcribit Cicero, *Abreptum neſcio quem é grege nouitiorum*: venales etiam dicuntur. Horatius:

*Vt ſi reticulum venales inter onuſto*
*Fortè vehas humero.*

Venales, inquit Fabius, nouitios accipimus. Fœturam dicit Plinius translatione ab animantium fœtura, id eſt, partu ducta: nam fœtura in pecore dicitur, vt in muliere puerperium. Varro: *Altera pars eſt, in fœtura quæ ſint obſeruanda, quod alia alio tempore parere ſolet.* Vnde & fœtæ, quæ pepererunt dicuntur. Virg.

*Non inſueta graues tentabunt pabula fœtas.* Et,
*Lenta ſalix fœto pecori.*

Itaque errat Seruius, & qui Seruium ſequuntur, qui fœtas grauidas accipiunt. Varro, *Quæ oſtenderent noſtras fœtas, quæ in conopeis tacent dies aliquot, eſſe eiuncidas & contemnendas.* ſic enim in Varrone legendum eſt, non, *lenuncidas* nec *luridas*, vt codices excuſi habent. Nam eiuncidum dicitur, debile, gracile, languidum, & valde iunceum, vt loquitur Terentius:

— *reddunt curatura iunceas.* & *eiuncida vitis* apud Plinium, libri 27. cap. 22. in quo tamen *emuſcida* male ſcribitur, eſt gracilis, languida, debilis, macra. Eſt & fœtura interdum fœtus ipſe, interprete Seruio apud Maronem: *Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.*

*Imperator* ) Nam milites Titum captis Hieroſolymis imperatorem conſalutárant, vt auctor eſt Tranquillus.

*Iucundiſſime* ) Et iucundus erat Titus, & eius item pater Veſpaſianus Auguſtus, in quo etiam ſene conſeneſcebat iſta iucunditas & inueterabat. Recte vero hanc appellationem attribuit, & quod talis erat Titus, & quod licentiore epiſtola eſſet, & prope, vt ait, petulantiore vſurus, cui niſi apud iucundum nō eſſet locus, cum alioquin iucundi præfatio inferior ſit imperatoris dignitate: ſed ſi patrem non dedecet, neq; filium dedecebit. *Maximo* autem *conſeneſcit in patre* lego, vt in exemplaribus veteribus reperi: alii, *maximi* legunt

legunt:alij,*maximè*. *Maxime* autem, quod etiam in veteribus libris quibuſdam reperitur, idoneum ſenſum habet. Inter has ſcripturas docti iudicent.

*Nugas eſſe aliquid meas putare* ) Hæc vera ſcriptura eſt, vt reor. Verſum enim Catulli, vt ad hendecaſyllabi legem non reſpondentem, immutare, & emendare maluit, quam vt erat adponere. nam Plinii ætate vitioſum erat in Phalæcij primo pede Iambum, aut Choreum ponere: quibus cum vtatur Catullus pro ſpondeo, eum dicit priores ſyllabas permutaſſe: priores enim ſyllabæ duæ ſunt longæ: ſunt & ſyllabæ interdum hendecaſyllabi. Martialis:

*Verona docti ſyllabas amat vatis.*

Cæterum non eadem horum verborum in veteribus libris collocatio eſt. Nam in quibusdam ſic contexuntur, *Putare eſſe aliquid meas nugas*, euerſo carminis modulo: in aliis etiam aliter: quæ collocatio, ſi quem fortè delectat, is interpretetur Plinium maluiſſe verſum ſoluere, quam ſine legitimis numeris adhibere.

*Vt obijce remolliam* ) Vetus ſcriptura eſt, *obicere molliam*: vnde alij fecere, *obijcere molliar*, quod non probo: alij *obiter emolliam*, quod non improbo: ego tamen *obijce remolliam*, germanum puto. nam obijcem pedem intelligit immutatum, pro cito tardum: ſic enim emendatur verſus vitium, obice quodam & tarditate.

*Conterraneum* ) Verbum eſt caſtrenſe, vt & imperatoris nomen quod poſuerat: milites enim qui ex eadem terra in caſtris erant, ſe beneuolentiæ cauſa conterraneos vocabant. Dicitur autem ea forma qua limitaneus, quod & caſtrenſe verbum eſt, Sic Gellius *copiantur* verbum dicit eſſe caſtrenſe, quod non reperiatur apud ciuilium cauſarum oratores. Alij, inquit Plinius, aut ciuem, aut municipem, aut popularem dicerent, ego conterraneum dico, vt tu homo militaris, & Imperator recens à bello, agnoſcas caſtrenſia, quibus delectaris, quamuis militare verbum, potius quam elegans ſit, nec ſequitur ex hoc loco Plinium eſſe Veronenſem potius quam Nouocomenſem, Poſſunt enim ex eadem terra eſſe, qui non ſunt ex eadem vrbe.

*Duriuſculum ſe facit* ) Alij, *fecit*: ſed illa vetus ſcriptura eſt. Duriuſculus hic eſt, paulo durior, vt apud Terentium:

*Thais, quam ego ſum, maiuſcula eſt.*

Catullum autem paulo duriorem cenſebant. Plinius lib. 1. epiſtolarum: *Præterea facit verſus, qualeis Catullus meus aut Caluus. Quantum illis lepòris, dulcedinis, amaritudinis, amoris inſerit? ſane, ſed data opera molliuſculos leuiusculoſq́ue, duriuſculos quoſdam, & hoc quaſi Catullus, aut Caluus.*

*Volebat* ) Eſt duriuſculus Catullus, quanquam talis videri nolebat, ſed dulcis, tener, mollis: Romani tamen, tui ciues, ſed & familia tua, quæ erudita & elegans eſt, eum durum iudicaſſe: tu verò multo magis, ſi verſum, vt eſt apud Catullum, ſcripſiſſem, *Meas eſſe aliquid putare nugas*. hic magna ſane licentia pro *vernaculis tuis & famulis*, ſubſtituerunt, *Veranniolis ſuis & Fabullis*, è Catulli poëmate, repugnantibus omnibus veteribus ſcriptis & excuſis libris. Pari audacia quidam pro *permutatis prioribus ſyllabis*, *ſætabis* legunt: hoccine eſt veterem ſcripturam reſtituere, an inſtituere nouam.

*Simul vt hac* ) Licentiore epiſtola libros naturalis hiſtoriæ apud me natos tibi narrare conſtitui, tum quia magni facias nugas meas, tum vt petulantia vtar in hac epiſtola, quod in alia à me non factum eſ queſtus, quæ tamen meo iudicio fuerat procax, Libri quidam *in hac* habent, pro *in hac petulanti epiſtola*: alij, *vt hac*.

*Acta exeant*) Sipontinus emendat *exeam*, ſed *exeant* retineo, id eſt, libri iſti, quos epiſtola petulanti tibi nuncupo, memorabiles ſint audacia huius epiſtolæ, de eiſq; homines loquantur. Res enim magnæ, graues, audaces & memorabiles, in acta & publicos commentarios referebantur. Simile eſt illud Iunenalis:

*Fient iſta palam, cupient & in acta referri.*

*Quam tecum ex æquo* ) Quam te æquatum nobis præbeas, & æquo nobiſcum iure viuas, quem hac epiſtola ſic alloquar. Magiſtratus enim & honores te nihil efferunt, ſed viuunt ex æquo tecum.

*Imperium triumphale*) nam ex bello Iudaico cum patre triumpharat: ita eius imperium triumphale erat. Male poſt *imperium* interpungunt: deinde, *triumphalis & cenſorius tu*, legunt. Hoc verò fingere eſt nouos ſenſus, non exquirere ſcriptorum ſententiam. Sed quoniam Titus, etſi nondum imperabat, titulos tamen iam principis multos conſecutus erat, de ijs aliquid dicendum eſt. Imperatores multos conſulatus gerere ſolebant: ijdem extra pomerium proconſulari erant poteſtate: cenſorium ius ſumebant, vt de moribus ciuium iudicarent & cenſu: Tribunitiam poteſtatem ſumebant, vt & ſi vellent ſenatusconſultis intercederent, & ſacroſancti eſſent: ita enim fiebat, vt ſi à quoquam vel leuiſsime læſi eſſent, is ab eis indicta cauſa necari poſſet. Pontifices maximi erant, vt rebus ſacris præeſſent, & religione ipſa veneratiores redderentur & auguſtiores. Eis etiam decernebatur ius quintæ relationis, quod eſt, vt exiſtimo, ius de quinque rebus quoties ſenatus haberetur, referendi. Scribit Capitolinus ominoſum Pertinaci fuiſſe, quod ei pro iure quintæ relationis, ius quartæ relationis decretum fuiſſet: par enim numerus infauſtus eſt. Nam Probo imperatori ius tertiæ relationis decretum eſt, nec ominoſum fuit. Initio autem ius vnius relationis dabatur, vt Auguſto Cæſari. Dion. καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, id eſt, *& quandocunq́ue ſenatus haberetur, ius eſſe ei vnius relationis, de quacunq́ue re vellet*. Dicebantur etiam Imperatores patres patriæ.

*Sexiesq́ue conſul* ) Sex enim Titus conſulatus iam geſſerat, id eſt, ſexies conſul fuerat: ſeptimum conſulatum etiam poſtea geſsit. Veteres libri partim *exeas*, partim *exeis* habent: verum non dubito, quin *ſexies* Plinius ſcripſerit.

*Et quod iis nobilius* ) Præfecturam Prætorii quam geris, nobilitaſti, quæ ante equitum tantum erat, nec multum poterat, at tu ius eius & dignitatem auxiſti. Non igitur iſte magiſtratus honori tibi fuit, ſed tu magiſtratui, quem non ſolum ſupra conſulatum euexiſti, ſed ſecundum poſt imperatorem reddidiſti.

*Equeſtri* ) Senatores Præfecti Prætorij eſſe non ſolebant, ſed equites: verum ordinem ornaſti, cum ordinis magiſtratum decoraſti, & eius ius amplificaſti. Tranquillus de Tito, *Præfecturam quoq́ue prætorij ſuſcepit, nunquam ad id tempus, niſi ab equite Romano adminiſtratam*. Mecenas apud Dionem, τῶν δὲ δὴ ἱππέων δύο τοὺς ἀρίστους τῆς περί σε φρουρᾶς ἄρχειν. id eſt, *duos autem equites præſtantiſsimos tuos eſſe præfectos prætorij*.



*Contubernio* ) Quam te æquum & humanum nobis in conſuetudine, & contubernio caſtrenſi præbes: Nam quæ ſupra dixi, ad remp. pertinent. Germanico autem bello ſub Tito militarat Plinius. *Contubernium*, inquit Feſtus, *contubernalium habitatio eſt*. Modeſtus autem partem dicit eſſe centuriæ. Decem enim militibus ſub vno papilione degentibus præerat vnus Decanus, qui caput contubernij dicebatur; Contubernium autem, id eſt, decem milites, manipulus vocabatur Hinc alicuius cōtubernio quis militare dicitur, qui militiæ eſt cum aliquo, & in eius tabernaculo & comitatu degit. Suetonius, *Stipendia prima in Aſia fecit, M. Thermi prætoris contubernio*. Eſt & contubernium inter ſeruos, vt matrimonium inter liberos apud Iuriſconſultos: vnde apud Columellam, *contubernalis* vxor ſerui eſt. *Ac ſi quis*, inquit Columella, *vt euenit, cura contubernalis eius intra tectum tergiuerſans fefellerit*. Contubernium tale ſignificauit Maro, cum ſcripſit:

*Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit:*
*Namque fatebor enim, dum me Galatea tenebat,*
*Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.*

De ſe enim, vt ſeruo, loquitur, qui Amaryllin contubernalem haberet, cum ante habuiſſet contubernalem Galateam. Eſt & contubernium in concubinatu. Tranquillus, *Poſt vxoris exceſſum Cenidem Antoniæ libertam, & à manu, quondam dilectam ſibi, reuocauit in contubernium: habuitq́ue etiam imperator penè iuſtæ vxoris loco.*

*Amplitudo in iis* ) Nihil his rebus elatior & inſolentior es factus, quibus alijs faſtus ad arrogantiam, ſuperbiam, intolerantiam creuiſſet: ſed æque ac ante tot honores es popularis, & humanus, & familiaris nobis.

PAGINA IV. *Vt velles* ) Id eſt, quantum velles.

*Venerationem tui* ) Cum alijs æque ac nobis pateat, & expoſita ſit beneficentia, humanitas, & facilitas, tua, te religioſius tamen, & reuerentius adeuntibus, maioreque obſeruantia colentibus, eos ſola ſuperamus audacia, quod non te, vt illi veneramur, ſed familiarius colimus. Nam veneratio timorem præ ſe fert, familiaritas audaciam: nos audacter te conuenimus, illi timidè, & cum reuerentia adeunt.

*Tibi imputabis* ) Qua in audacia, ſi qua culpa eſt, ea eſt tua, qui eam aluiſti & prouexiſti facilitate, comitate, indulgentia tua.

*Perfricui faciem* ) Gnauiter impudens ſum, & perfricta fronte honoribus tuis, & amplitudine nihil deterreor, quum audacter ad te accedam, & loquar petulanter. *Perfricare faciem*, in prouerbium abijt, de quo conſulendus eſt Eraſmus.

*Alia via* ) Etſi honores & dignitas tua me non terret, terret tamen eloquentia & eruditio.

*Ingenij faſcibus* ) à lictoribus eſt ductum, qui ante magiſtratum incedentes, turbam ſubmouent. Si faſces magiſtratuum & honorum tuorum me non terrent, nec ſubmouent à te, at ſubmouet ingenium & eloquentia.

*Tribunitiæ poteſtatis* ) Aliud eſt *tribunatus*, aliud *tribunitia poteſtas*. Sylla tribunatum non ſuſtulit, ſed tribunitiam poteſtatem. Romani imperatores tribunatum non geſſere, ſed tribunitiam poteſtatem ſumpſere, vt auctor eſt Dion. Nam cum plebeiis fas eſſet ſolis tribunatum gerere, religio imperatoribus fuit tribunatum ſibi vindicare, cum patricij eſſent: poteſtatem vſurpauere, cuius annis imperij ipſorum tempus numerari ſolebat. Multi in tribunitia poteſtate eloquentiam ſuam oſtenderunt, & in omnem affectum oratione exarſerunt, vt Gracchi cum vel conciones habebant pro libertate populi contra optimates, vel in iudicium populi aliquos vocabant, quo hìc Plinius reſpexit *Fulgurare* translatum eſt, vt quod de Pericle eloquentiſsimo dictum eſt: Fulgebat, tonabat, permiſcebat Græciam. Vis eloquentiæ quæ dicitur facundiæ tribunitiæ poteſtatis, in nullo verius fulgurat. Nam in tribunitia poteſtate locus eſt maximæ eloquentiæ: ac vt eſt eloquentia quædam militaris, ita facundia quædam tribunitia eſt. Alij *facundia* legunt, nominandi vel auferendi caſu contra veterum librorum auctoritatem. Eſt autem hìc fere vis, ea quæ à Græcis δείνωσις dicitur, oratio ſcilicet, quæ rebus aſperis, inuidioſis, indignis vim addit: hanc vim Demoſtheni tribuunt auctores.

*Fratris amas* ) Quanta eloquentia laudes fratris Domitiani celebras, idque libentiſsime & amantiſsime, id eſt enim hìc amare laudes fratris.

*Imitareris* ) Domitianus frater tuus bonus poeta eſt: eius exemplo te etiam ad poëticam contuliſti, & verſus facere cœpiſti. Ita non ſolum alios, ſed fratrem etiam, etſi natu minorem, imitari cœpiſti.

*Intrepidus* ) Iſta tantæ eloquentiæ tuæ & eruditionis æſtimatio, quem non territura ſit, qui tibi aliquid dicauerit, cum dicatio & nuncupatio laceſſat, & ingenium, & iudicium eius, cui quid dicatum eſt, acrius intendat & aduertat: vt nunc ipſe quoque trepido metu iudicij tui, cui hoc opus nuncupaui. Hìc autem *æſtimare*, cogitare eſt, reputare, apud ſe expendere.

*Tum poſſem* ) Si publicaſſem & edidiſſem tantum, non tibi nominatim dicaſſem, te reiicerem iudicem & lectorem, atque hæc à me tibi ſcripta negarem.

*Otioſis ſtudio* ) Vel quibus à ſtudijs otium eſt, qui nullis ſtudijs & negotijs ſint occupati, vt poſsint his legendis impendere operam: ac tum otioſis ſtudiorum ea forma dictum eſſet, qua à Flacco, — *ò ſerui ſtudiorum*: vel, quod multo verius puto, pro otioſis ſtudiis poſuit, id eſt, pro hominibus, qui in otio ſtudent, qui otium literarium ſequuntur: quo genere loquendi non raro Plinius vtitur. tibi hæc ſcripta non eſſe dicerem qui occupatus es, & negotij plenus, ſed literatis illis hominibus, qui otio abundant.

*Cum dicerem nænias* ) Ita ſcriptum eſt plane & dilucide in omnibus libris priſcis, quos equidem viderim bono, vt mihi videtur, ſenſu. An cum dicerem hanc operam præclaram, & ſcripta mea venditarem, idcirco iudex eſſe voluiſti? ego vero nęnias & nugas in albo meo, & libro eſſe prædico. Sed quia recepta ſcriptura ſententiam etiam idoneam habet, etſi eam non à Plinio profectam reor, ſed primum à correctoribus cuſam, deinde excuſam, eam etiam declarabo. Ex qua etiam intelligetur facilè interpretatio ſcri-

pturæ eius,quã veram eſſe puto,cũ multa in vtraque cõmunia ſint.*Condicere*,inquit Iuſtinianus, *lingua priſca erat denunciare: vnde condictio*. Cicero in epiſtolis,*Nã cũ mihi cõdixiſſet,cœnauit apud me*,id eſt,cũmihi denunciaſſet ſe apud me eſſe cœnaturũ Qui iudicijs præſunt, & iuri dicũdo, denũciare ſolẽt iudicibus, vt conueniant ad iudicandũ: quo Plinius reſpexit. *Cũ*, inquit,*conſiliũ aduocarẽ,non eras in numero iudicũ*.In albo nomina iudicum ſcripta erant:ſed & alia multa Iuriſdictionis cauſa ſcribebantur in albo, vt edicta quædam Prætoris,nefasque erat album corrumpere. In albo etiam nomina Decurionum ſcribebantur. Album autem quid ſit,ita à Suida explicatur: *λεύκωμα τοῖχός ἐστιν ἀληλιμμένος γύψῳ πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων ἐπιτήδειος*, id eſt, *Album, paries eſt gypſo illitus, ad negotiorum ciuilium deſcriptionem aptus*. Itaque album à Charta diſtinguit Vlpianus his verbis:*Si quis id quod iuriſdictionis perpetuæ cauſa,non quidem prout res incidit,in albo,vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit, dolo malo corruperit*. Eſt tamen album etiam charta & tabula,in qua aliquid ſcribebatur,vt hîc verbi gratia,in qua erant Iudicum nomina ſcripta. ſic in qua decurionum, in qua ſenatorũ. Dion. *τά τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευόντων ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ᾽ ἔτος οὕτω ποιεῖται*, id eſt,*Et nomina omnium ſenatorũ in album relata extulit,atq; ex eo tempore ſic quotannis fieri ſolet*.Theophilus album Prætoris edictum interpretatur, quod, vt ait, albis ſcriberetur literis: quam cauſam non admodum approbo Sic Pontifex Maximus in albo hiſtoriam deſcribebat. Cicero, *Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus,efferebatq; in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi*. Dicit enim annales confectos à Pontificibus fuiſſe,& in album elatos,& in tab domi palam propoſitos.

*Reiectio* ) Hoc ſumptum eſt à Iudicum reiectione, quam ſequebatur in iudicjis aliorum ſubſortitio,vt auctor eſt Aſconius.

*Aleam* ) Cuius ingenium & eruditio extra periculum eſt, vt formidare non debeat,nec timere cuiuſquam iudicium. Alea autem eſt,vt teſſerarum ludus, quem nos à dando Datorum luſum dicimus: qui enim mittit teſſeras,aut calculum mouet,dare dicitur Cic.apud Nonium,*Itaq; tibi concedo,quod in* XII. *ſcriptis olim,vt calculum reducas, ſi te alicuius dati pœnitet*. Itaque Nonij auctoritate adducor, vt lib. I. de Oratore pro *bene duodecim ſcrupis ludere*; *duodecim ſcriptis* legendum cenſeam, quomodo in vetuſto etiam libro reperi,& in Quintiliano ſimiliter emendandum reor hunc in modum: *An verò Scæuola in luſu duodecim ſcriptorum, cum prior calculum promouiſſet:eſſetque victus,dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet,&c.* Ita legendum eſſe intelliget, qui Nonium conſuluerit. Ab eodem teſſerarum luſu manum etiam dicimus, verbo ab ipſa antiquitate repetito. Suetonius,*Nam ſi quas manus remiſi cuiq;,exegiſſem aut retinuiſſem,&c.*

*Per aduocatum* ) Defenſorem aduocat Lucilium Cicero, qui ſua aduocatione & patrocinio ſolitus eſt alios defendere.

*Nec doctiſsimis* ) Hæc vetus ſcriptura eſt,& optima. Nam vt eſt apud Ciceronem lib. 2. de Oratore, ſua Lucilius nec à doctiſsimis,nec ab indoctiſsimis legi volebat.Ita reliquum eſt, vt legi vellet à nec doctiſsimis(nec doctiſsimos enim hîc accipio,vt furtum nec manifeſtum dicitur)ſed tamen nec doctiſsimis iſtis legi nolebat ſua à doctiſsimo,vt Perſio.Finis autem eſt verſus Trochaici Lucilij, quem Trochaicus integer mox ſequitur, *Manium Perſium hæc legere nolo, Iunium Congum volo*. In Perſio autem & Manio verſus cauſa iota coit. *Hîc Lælium Decimum* é lib.2.de Oratore multi reponunt, ſed Lucilius eo in loco,Perſij, vt reor, mentionem ſæpius fecerat:cumq; ſæpius reiecerat, vt & Scipionem & Rutilium. Nec verò legi tantum voluerat ſua à Lælio,ſed etiam à Iunio Congo,à Conſentinis, Tarentinis, Siculis. Adde quod verſus etiam Lucilij extat integer illic alius quam hîc:*Perſium non curo legere,Lælium Decimum volo* Perſius autem fuit,vt Cicero ait,Romanorum ferè doctiſsimus. Conſulenda eſt huius loci cauſa,præfatio Ciceronis de Finibus,& lib.2.de Oratore.Emendatores autẽ,non intellecto huius loci ſenſu;*hæc doctiſsimum* edendũ curarũt.

*Stili naſum* ) *Naſum* pro reprehenſione & irriſione dicebant. Martialis,

*Naſutus ſis vſq; licet ſis deniq; naſus,*
*Noluerit quantum ferre rogatus Atlas:*
*Et poſsis ipſum tu deridere Latinum.*

Stili naſum condidit Lucilius,qui apud Latinos fuit auctor Satyræ,id eſt,qui Satyræ mordacis,& pungentis reprehenſionem & irriſionem condidit,& ſtilum acrem in homines diſtrinxit:nam & de ſe Horatius ſcribit,*Sed hic ſtilus haud vltro, Quenquam animantem* Stilus enim interdum mordax,& pungens iocus eſt, & irriſio ac reprehenſio,vt in illo Plinij loco,quem ſic ſcriptum in vetuſtis libris reperi.*Eſt autem auctores,& Intercatienſem illum,cuius patrem Scipio AEmilianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie ſignaſſe, vulgato ſtilo plerunq; incommodum valere aliquid:non enim hoc fuiſſe acturum eum, ſi Scipio à patre eius interemptus eſſet*. In codicibus excuſis legitur.*Vulgato ſtilonis præconini ſale quidnam fuiſſe facturum eum,ſi Scipio à patre eius interemptus eſſet?* frigido,niſi fallor,& inepto ſenſu. Quod ſi bonus imprimis ſcriptor & Satyræ inuentor reiectione ſibi vtendum putauit,ſi M.Tullius id ſibi mutuandum cenſuit à Lucilio, cum de Republica ſcriberet, qui libri cum ad omnes ciues pertineant,vel ipſa inſcriptione reiectionem excludunt, quanto iuſtius id facio & cauſatius, id eſt,meliore cauſa allata & iuſtiore?Nam *cauſari*,eſt cauſam aliquam adferre:quod faciunt,qui excuſant ſe,aut aliquem reijciunt.*Cauſatius* autem hic dicitur,vt teſtatius,patiendiq; ſignificatione vſurpatur.

*Iudice defendimur* ) Imitatus eſt Vergilij locutionem,

*— dum teneras defendo à frigore Myrtos*.& Saluſtius eodem modo dixit:*Nam quid à Pyrrho, Annibale, Philippoq; & Antiocho defenſum eſt aliud,quam libertas?* Quanto,inquit,iuſtius iudex aliquis à nobis depellitur? quanto iuſtius aduerſus iudicem aliquem defendimur & tegimur,ne de nobis noſtriſq; iudicet?

*Nuncupatione* ) dicatione,cum tibi librum nuncupaui & dicaui.Nomen *nuncupationis* pro *mancupatione* in Plinio lib 9 male legitur,vt locum obiter eum emendem, quem ſic legendum cenſeo,*Ipſam confeſtim paratam mancupationem tabulis probare*,id eſt,vt interpretor, emptionem & pretium. Vt ita legendum cenſeam, moueor auctoritate librorum veterum, in quibus *aucupationem* legitur, *m* prætermiſſo, quod antecedat: qui frequentiſsimus eſt lapſus in vetuſtis libris. Sed & eodem capite legendum eſt, vt corolla-



rium accedat,è libris veteribus,*victumq; Antonium pronunciauit omine rato*, vbi vulgo *homine irato*, legitur. quod enim tum victus eſt pronunciatus à Planco Antonius,omen fuit offenſionis Antonio ad Actium,idque portendit eum ab Auguſto victum iri. Eodem capite malè legitur, *tædia exquiſita perditione, portatu*: pro, *exquiſita perdito nepotatu*.

*An eligat*)Eligit n.iudicẽ,q alicui op⁹ dicat,velut ego te iudicẽ elegiſſe videor, vt reijcere te nõ poſsim.

*Intereſt*) Apparatus differt: eſtque hîc intereſt perſonale,vt apud Terentium, *Hoc pater ac dominus intereſt*. id eſt, hac re pater ac dominus differt. Hoſpes fortè oblatus parabilem & vilem cibum boni conſulerẽ ſolet: inuitatus niſi lautè & opiparè accipiatur,meritò conqueritur.

Pagina V.*Tanquam honoribus ineptis*) Hîc alij *indeptis*, alij *inemptis* legunt, quia ſenſum non percipiunt. Putant enim à participio gaudentem regi *honoribus ineptis*, cum abſolutè dicatur hoc modo, qui repulſis gaudebat, tanquam honores & magiſtratus inepti eſſent & contemnendi: itaque poſt repulſis & ineptis diſtinguendũ eſt.Hîc etiã nõ deeſt,qui verbis penè cõceptis iuret *meritis* legendũ,cui fidẽ nõ habeo.

*Flagrantibus comitijs*) Cum magna contentione peteretur,magnoq; ambitu. Simile eſt illud Ciceronis, *Sequere me in campum: ardet ambitus*.

*Pecunias deponerent*) Hanc rem narrat in Catone Plutarchus, & Cicero vltima epiſt. lib.2. ad Q. Frat. his verbis, *Vel centies* HS *conſtituunt in prærogatiua pronunciare. Tribunitij candidati compromiſerunt*, HS *quingenis in ſingulos apud Catonẽ depoſitis,petere eius arbitratu,vt qui contra feciſſet,ab eo condemnaretur. Quæ quidẽ comitia ſi gratuita fuerint,vt putantur, plus vnus Cato fuerit, quàm omnes leges omneſq; iudices*. Hæc autem eo pertinent, vt Plinius doceat non eſſe poteſtatem eius reijciendi, quem iudicem elegeris.

*Quod tum pro innocentia*)Profitebantur ſe apud Catonẽ deponere pecunias & eius arbitratu honorẽ petere,quod tum ſummum id eſſet, & maximum vltimumq; perfugium reb. humanis in tanto ambitu, vt innocẽter & integrè,& abſq; iniuria legũ & ſine largitione peteretur Ita Catonẽ omnib iudicib.anteponebãt,& vnũ iudicẽ ſibi depoſcebãt,pinde q. alius nemo verè iudicatur⁹ eſſet,ſed ſol⁹ Cato incorruptè.

*Suſpiratio*) Exclamatio quæ velut ſuſpirando effertur ex admiratione & affectu.

*Rem improbam.*) Quod candidati ne te iudicarunt cum apud te nummos depoſuerunt, & ſe tuæ fidei & fiduciæ permiſerunt: quod non feciſſent, ſi te corrumpi poſſe exiſtimaſſent.

*Aſiaticus*) Lib.38. hanc hiſtoriam narrat Liuius, & Florus breuiter his verbis: *L. Scipio Aſiaticus Africani frater eodem peculatus crimine accuſatus damnatuſq; cum in vincula & carcerem duceretur, Titus Sempronius Gracchus Trib. Pleb. qui antea Scipionibus inimicus erat, interceſsit, & ob id beneficium Africani filiam duxit, &c.*

*Atteſtabatur*)id eſt teſtabatur. Eſt *atteſtari*, teſtem facere aliquem denunciati iudicij, à quo is atteſtatus dicitur:& atteſtari ſimpliciter,tanquã teſtem facere. Cicero pro Milone: *Te tamen magne atteſtaretur*, quod *μαρτύρεσθαι* Grȩcè dicitur.

*Vel inimico*)Etiam Graccho,qui Scipionibus erat inimicus.

*Prouocatio*)Prouocantes ſuperiorem iudicem appellamus: inde prouocatio dicta,quod porrò ad iudicem maiorem res vocetur. Sed & prouocatio eſt, cum quis aduerſarium ad aliquem iudicem prouocat, vt in ſponſione & pacto Nam ſi aduerſarius eum iudicem probarit, is qui prouocauit & iudicem tulit, eum iudicem reijcere non poterit,& ſummum habebit.

*Religioſe*) Magno cum metu & ſollicitudine, magna cum reuerentia.

*Ideo curaui*) Sic in libris ſcriptis,quod per Ironiam accipiendum eſt, quod eo digna non ſint, quæ ei dicat: qui ſenſus venuſtati epiſtolæ petulantis & iocoſæ conuenit. Multò plura hic legimus in alijs libris, quæ vnde ſint,neſcio. In veteribus libris ea non reperio, nec ſe reperiſſe dicit Renanus. Si *currant* legas, ſententia erit,dant operam homines vt quæ tibi dicantur,digna amplitudine & maieſtate tua ſint.

*Lacte ruſtici*) Virgilius, *Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis. Expectare ſat eſt.*

*Mola ſalſa*) Sic far toſtũ aſperſum ſale vocatur,quod eo molito hoſtiæ aſpergebantur: Græci *ὀλὰς* & *οὐλὰς* appellant, ſed & *οὐλοχύτας*. Cum mola ſalſa hoſtiæ aſpergebatur initio ſacrificij, immolari, & mactari hoſtia dicebatur,quod Græci *κατασπένδειν καὶ κατάρχεσθαι* dicunt Qui tenuiores erant,nec hoſtias cædere poterant,nec thura habebant,ſola mola ſalſa tamen dijs litabant, id eſt deos placabant. Quidam libri *thura* non habent,ita tum,*qui non habent*,exponemus,qui non ſunt diuites.

*Ingenij*) Eloquentiæ,vt hiſtoria: in qua locus eſt egreſsionibus,quas exceſſus vocat,orationibus: intexũt.n.hiſtorici operib. ſuis cõciones ſermones iidẽ & colloquia inducũt, & caſ⁹ memorabiles exponũt.

*Sterili materia*) Abſolutè hoc accipio hunc in modum, Hiſtoria naturȩ his libris narratur,quæ eſt ſterilis materia ſcribendi,ſterileque argumentum.

*Vita*) Quia omnia in rerũ natura ad aliquẽ hominũ vſum & commodum referuntur, & ex omnib. homines in vita aliquid vtilitatis capiunt, omniaq; eorum ſeruiunt vſui, idcirco vitam dixit rerum naturã.

*Ruſticis*)Vt cum de re ruſtica ſcribet externis,vt verbi gratia,Græcis:Barbaris,vt cũ de Geographia diſſeret.Gentium n. & locorum plurima barbara vocabula ſunt,quæ,quod Latina non ſunt,cum honoris præfatione ponenda eſſent. nã cum aliquid min⁹ Latinũ loquimur,præfamur,*ſit venia verbo* aut,*vt ita dicã*.

*Iter eſt, non*) Simile eſt illud Lucretii, *Auia Pieridum peragro loca nullius ante Trita ſolo*. id eſt pede.

*Tentauerit*) Rerum naturam, naturalem hiſtoriam.

Pagina VI. *Qui vnus omnia*) Partes enim tantum ſcripſerunt,vt de animalibus Ariſtoteles,de ſtirpibus Theophraſtus.

*Amœnitates*) Quæ amœna iucundaque ſint, ſequi ſolemus, & quærimus quæ nobis delectationi potius ſint,quàm labori. Itaque quæ ſunt ſubtiliter & acutè à nonnullis de quibuſdam rebus ſcripta, ferè non leguntur,ſed in obſcuro latent: quæ cum attingenda ſint ei,qui tale opus condat, quale ſcribo, proinde factum,vt nemo adhuc ſcripſerit.

*Ante omnia attingenda*) Tale opus, quale à me ſcriptum eſt,ab eo, qui non attigerit orbem illũ doctrinæ, quem *ἐγκυκλοπαιδείαν* vocant, abſolui non poteſt. ad Encyclopædiam pertinent omnes artes liberales &in-

& ingenuæ, Rhetorica, Grammatica, Aſtrologia, Muſica, Geometria, aliæ. Hîc autem ex veteribus libris *τῆς ἐγκυκλοπαιδείας* gignendi caſu legendum eſt.

*Incerta)* Tam diuerſa de ijs prodiderunt & contraria ſcriptores, vt incerta pleraque reddita ſint.

*Alia)* Legenda quædam ſunt, quæ quod à tàm multis ſcripta ſunt, faſtidiuntur, nec leguntur.

*Vetuſtis nouitatem)* Quæ à veteribus ſcriptoribus mandata ſunt literis, & ſæpè in alijs lecta, efficere, vt nō offendant lectorem, ſed pro recentibus, & nouis libenter legantur.

*Nouis auctoritatem)* Quæ enim noua narrantur, pro vanis & falſis habentur. Quis enim, inquiunt, ante hunc hoc vel dixit, vel ſcripſit?

*Obſoletis nitorem)* Obſoletum & nitidum contraria ſunt. Sic obſoleta purpura dicitur, cuius flos & vigor coloris, ætate euanuit, vt reliquus tantum ſit color quidam marcidus & languidus: obſoletæ veſtes ſunt, quæ nitorem amiſerunt. Sunt enim quædam, quæ nullum nitorem, nullum ſplendorem habent in rerum natura, quæ erunt oratione illuminanda.

*Faſtiditis gratiam)* Quæ faſtidiuntur efficere, vt grata iucundaque ſint lectori.

*Et naturæ ſuæ vim)* Omnibus rebus, vt his libris facimus, ſuam naturam tribuiſſe & reddidiſſe (quod hîc ſoluiſſe per translationem dicit) & naturæ ſuæ vim. nam quod *voluiſſe* nonnulli ſubijciunt, imperitè faciunt & audacter.

*Etiam non adſecutis)* Vel ſi res ipſæ non totam vim ſuam habeant, vel ſi ſcriptor eam rem omni ex parte non abſoluat, nec totam vim omnino reddat (nam ambiguè locutus eſt, vt vel de re, vel de ſcriptore accipi poſsit) abundè pulchrum & magnificum eſt.

*Peculiarem in ſtudijs)* Qui non tam amœna ſcribunt, quàm vtilia, ſuperatis difficultatibus, eorū propria quædam cauſa eſt non communis cum alijs ſcriptoribus, qui amœnitates ſequuntur, & propria quædā laus ijs tribui debet. *Peculiare* à peculio, quod ſervorum eſt, dicitur vt apud Plautum: *Condigne etiam meus me intus gallus Gallinaceus Qui erat anui peculiaris.* id eſt, qui erat è peculio anus ancillæ. Sed & peculiares loculos dicit Suetonius priuatos & proprios, in quibus propria & ſua pecunia ſit, non publica. *Cano autem,* inquit, *choraule mire placenti, denarios quinq; donaſſe prolatos manu ſua è peculiaribus loculis ſuis*, id eſt, è propria & priuata ſua pecunia, non è fiſco: quod Plutarchus interpretatur, *φήσας ἐκ τῶν ἰδίων, οὐκ ἐκ τῶν δημοσίων χαρίζεσθαι.* id eſt, *dicens ſe de ſuo, non de publico dare.*

*Id quoque iam)* Non tam ſcribendis alijs libris ſeruij gratiæ quàm vtilitati.

*Me mirari)* Qui non tam vtilitatis publicæ, quàm gloriæ ſuæ conſuluiſſe videtur.

*Potuiſſe ſe deſiderare)* Hæc trium librorum vetuſtiſsimorum conſtantiſsima ſcriptura eſt, quæ tamen loco mota eſt, quod, vt reor, non intelligeretur. Nam in omnibus libris excuſis ſcribitur, *potuiſſe ſe deſinere, ni animus inquies paſceretur opere.* Quæ tandem iſta eſt licentia & impunitas hominum, quæ non intelligunt omnia mutantium? ſententia eſt, ſatis partum iam eſſe Liuio gloriæ, & potuiſſe deſiderare, vt anim⁹ gloria operis iā cōpoſiti frueretur in quiete, nullū vltra laborē ſcribendi ſumēs, nec in ſcribēdo perſeverās.

*Non ſuæ)* Suæ enim gloriæ cauſa ſcripſiſſe videtur, cum dicat iam ſibi ſatis gloriæ quæſitum eſſe: vt gloriæ ſuæ cauſa hiſtoriam ſe compoſuiſſe fateatur.

*Theſauros eſſe)* Theſauri autē erūt hi libri, ſi xx. millia rerum ijs incluſa ſunt. Theſauros .n. Piſo eſſe dicebat potius debere, quæ ſcribebātur, q̄ libros, ꝗ referciri magna rerū copia & vtilitate libros oporteret.

*Lectione)* In lib. Tranquilli de viris illuſtribus *ex lectione* ſcribitur, vbi hæc verba referuntur: ſed ſine *ex* etiam legi poteſt abſolutè, pro legendis voluminibus circiter bis mille.

*Exquiſitis auctoribus)* Quæſitis & inueſtigatis, qui vulgo in hominum manibus non verſantur.

XXXVI) Sunt triginta ſex libri naturalis hiſtoriæ: Nam quem primum dicimus, non numerat, quod ſit operis index.

Pagina VII. *Subſiciuiſq;)* Sic libri veteres planè & dilucidè: hanc etiam ſcripturam reperit Renanus, *ſucciſiuis* tamen legit. Nullum hôc puto apud Latinos infelicius & calamitoſius verbum eſſe, adeo ex Cicerone, Fabio, Plinio, Suetonio, Gellio, iniquè expulſum exulat. Horas autem ſubciſiuas appellat, ſupervacaneas, ab agris ſubciſiuis, qui à ſubſicando (nam *ſubſicare* pro ſubſecare veteres dicebant) vocantur: hi ſunt, qui centuriam non implent, aut centurijs expletis ſuperant. Huius generis etiā ſunt loca paluſtria, & ſterilia, quæ non aſsignabantur. Sunt & è genere ſubſiciuorum loca relicta, vt doceo in commentarijs in orationes in Rullum. Huius generis agrum ſibi relictum ab Auguſto ſignificat Virgili⁹, id eſt partem agri ſui meliore adempta ſterilem & paluſtrem, quæ adſignari non potuiſſet: quod quidem interpretes non animaduertiſſe miror. Eius verba ſunt: *Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt,*

*Et tibi magna ſatis: quamuis lapis omnia durus, Limoſoq; palus obducat paſcua iunco.*

Conqueritur apud Saluſtium Lepidus militib ſubſiciua pro bonis agris aſsignata, cū ita loquitur, *Egregia ſcilicet mercede, cum relegati in ſyluas & paludes in contumeliam atq; inuidiam ſuam præmia penes paucos intelligerent.*

*Ne quis veſtrûm putet his)* Ne quis veſtrûm putet me his horis, quibus hæc ſcripſi, ceſſaſſe, & officio meo defuiſſe: qui ſenſus & Pliniûm decet, & auctoritate veterum librorum nititur. Alij ſcribunt, *ne quid veſtrū ceſſatum putetis horis.*

*Valetudinem computamus)* Tantum abeſt, vt interdiu quicquam officijs detrahamus, vt ne valetudini quidem niſi noctu ſeruiamus. Itaq; eam cum ſomno, cuius propria nox eſt, computamus, & noctu ei dam⁹ operam. Ductum eſt à ſummis rationum, in quibus in vnum caput interdum multa conferimus, velut hoc ſomni capite etiam valetudo continetur.

*Muſinamur)* Commentamur, ſcribimus, verbo à Muſis deducto, & à Varrone nouato ea forma, qua à vulpe vulpinari, à muger muginari deducitur. Hîc alij *miſsitamus* legūt, alij *muginamur* quod eſt nugamur, & tardè conamur, interprete Feſto: nam *muger* tanquam mucoſus dicitur à priſcis: ſed non cenſeam eſſe temerè à veteribus libris recedendum.

*Viuimus)* Hæc lucubramus nocte, quod tempus eſt ſomni, ſed cum vita ſit vigilia, hæc ſcribendo & lucubrando, vitā nobis producimus, quā ſomnus ſepelit, qui gelidæ mortis imago eſt.

*Quibus*



*Quibus de cauſis)* Quas ob cauſas & difficultates cum ipſe promittere de me nihil auſim, tu hoc ipſum præſtas, vt promittam, quia ad te ſcribo. Cum enim homines cenſeant nihil tibi dicari, quod non perfectum & abſolutum ſit, hoc ipſo, quod tibi hæc nuncupo, multum polliceor.

*Sed indicatur a)* Nec quia ad te ſcribimus, & hæc tibi dicamus, magna certaque operis noſtri fiducia nitimur, ſed nuncupatione hac, & nominis tui præſcriptione opus commendatum, & pluris æſtimatū iri cenſemus. Aſſentior enim doctiſsimo viro, & nunquam ſine laude nominando Budæo, indicaturam æſtimationem & pretium eſſe, vt & lib. XXXVI. *Nec eſt hodie murrhini alterius præſtantior indicatura.* Nam pretioſum hoc opus videbitur, magnique fiet, quia tibi dicatum eſt.

*A fine Aufidij: vbi)* Veteres duo libri *à fine. vbi ſit ea res quæ iampridem:* tertius, *à fine, aut fide, vbi ſit ea quæres:* vt veram ſcripturam eſſe cenſeam, *A fine Aufidij. Vbi ſit ea quæres?* quam excudendam curaui. Plinius in epiſtola ad Tacitum narrat auunculum ſuum XXXI. libros hiſtoriæ ſcripſiſſe à fine Aufidij Baſsi. Aufidius autem Baſſus, vt ait Quintilianus, in libris Germanici belli, ita expreſſus fuit, vt poſtulat hiſtoriæ auctoritas, genere ipſo probabilis in omnibus, ſed in quibuſdam viribus minor. Non diutius, inquit Plinius, hîc morabor in laudibus tuis, cum vos omnes in hiſtorijs meis ſatis laudauerim.

*Sancitur)* Cuius iampridem abſolutæ auctoritas confirmatur, nec eius editio adhuc feſtinatur: erit enim multo ſanctiot & confirmatior eius fides, ſi præmium nullum captaſſe & quæſiſſe videar. Nam ſi eā edere properaſſem, me vobis adulatum homines fortaſſe calumniarentur, falſasq; vobis addidiſſe laudes, honores eblandientem. Eſt & ſancire, plectere & punire. Cicero, *Honoris cupiditas ignominia ſanciatur.*

*Statutum erat)* Decreueram hiſtoriam meam viuus non edere, ſed eius editionem mandare hæredi poſt mortem meam.

*Neq;)* Alij emendant *ne quid*, id eſt, ne ſi viuus ederem, cum vos in hiſtoria laudem, videret honorem aliquem, aut promotionem à vobis ambire, non vera narrare. Itaq; iſta editionis dilatio fidem & auctoritatem hiſtoriæ meæ ſancit. Veteres libri, *neq;* habent: ſenſus autem eſt, Hiſtoriæ poſt mortem meam editio ſuſpicionem omnem ambitionis tolleret; vel potius, neque ſi viuus edidiſſem, tamen ambitioni potius, vt opinor, quàm hiſtoriæ fidei ſeruijſſe viſus eſſem.

*Faueo)* Qui hiſtoriam eiuſdem argumenti ante me edere occupabunt, eis non inuideo, nec ob eam cauſam feſtinabo vulgare.

*Poſteris)* Qui poſt me eandem hiſtoriam etiam ſcribent.

*Stomachi)* Mei candoris, ingenui mei animi, nulloq; liuore ſuffuſi. Id enim hîc ſtomachus ſignificat. Eſt & ſæpenumero ira & indignatio: etiam, etſi rarius, patientia: vt, Ferenda hæc ſunt animo Catonis, aut ſtomacho Ciceronis. Nam tam magno animo Cato fuit, vt ſe potius interficeret, quàm tyrannum ferret: Cicero tam patiens, vt tulerit tyrannidem.

*Prætexui)* id eſt præpoſui.

*Attigi fecerunt)* Vetus ſcriptura *Attici ferunt:* veriſsima fortaſſe reſtituta eſt. Quidam etiā codex, *quos ethici ferunt*, habet. Scio elici qualemcunque ſenſum ex veteribus ſcripturis, vt ex illa, *ex ijs ſcriptoribus, quos Athenæ ferunt:* ex hac quos Philoſophia fert: puto tamen veriorem eſſe vſitatam ſcripturam.

*Iuratiſsimis)* Renanus *à furaciſsimis* emendat, ac nimium indulget coniecturæ ſuæ. Ego *iuratiſsimis* retineo, & interpretor, qui religioſiſsimè & ſanctiſsimè prope ſua ſe ſcribere iurarent, nec aliena ſe pro ſuis vindicare prædicarent: qui quæ ſcripſiſſent, tanquam ſanctiſsimo iureiurando affirmarent ſua eſſe: quos religioſiſsimos putares & ſanctiſsimos.

*Certarent)* Non nominat Homerum Virgilius, quem imitatur, quod cum Homero certare velit. Multi tamē lib. 6. queruntur ab eo non nominatū Homerū, cum Muſæū appellet, & Platonis mentionē faciat.

*Ciceroniana)* Simplicitate & ingenuitate Ciceronis. Libri ferè omnes ſcripti *Ceciliana* habent. Tamen vt ingenuus Cecilius comicus fuerit in agnoſcendo, ex quo conuertebat Menandro, puto verius eſſe *Ciceroniana.* Paulo poſt pro, *& in conſolatione*, veteres libri habēt, *ne in conſolatione.* fortaſſe, *nā in conſolatione* legendū.

*Qui de Republ.)* Sic in libris veteribus: excuſi addunt, *in libris.*

*Crantorem)* Crantor conſolationem ſcripſerat, vt prima Tuſc. Cicero ſcribit in conſolatione filię Cicero eum Crantoris librum imitatus eſt. in Lucullo libellum illum Crantoris appellat de luctu. *Legimus*, inquit, *omnes Crantoris veteris academici de luctu: eſt enim non magnus, verū aureolus, &, vt Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediſcendus libellus.* Nam *περὶ πένθους* inſcribebatur. Laërtius, *θαυμάζεται δ' αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον περὶ πένθους.*

Pagina VIII. *Mutuum reddere)* Reddit enim mutuum in ſcriptis, qui quod mutuatus eſt, à quo acceperit, fatetur eum nominando. Qui enim auctorem nominat, ei quod accepit, reddit, nec ſuum facit.

*Sors ex vſura)* Qui alienum æs habet, niſi mutuum reddit, ita cumulatur, vt ex vſura ſors fiat, quæ aliam vſuram pariat, quod maximè timendum eſt: id *ἀνατοκισμὸς* dicitur, à Cicerone *renovatio.* Cicero ad Atticum, *Confeceram, vt ſolverent centeſimis ſexennij ductis, cum renouatione ſingulorum annorum.*

*Spectare)* Hæ inſcriptiones omnia etiam quæ rariſsima ſunt, pollicentur. Veteres libri *ſpectare* habent vno conſenſu. *Lac* autem *Gallinaceum* pro maxima fœlicitate, aut re imprimis rara ponere ſcriptores ſolēt. Anaxagoras etiam apud Athenæum interpretatur lac Gallinæ, albumen oui. Eſt & lac Gallinæ, herba, de hoc autem prouerbio conſulendus eſt Eraſmus.

*Iam iammos)* Sic vno conſenſu in exemplaribus veteribus reperitur: ſecuta mox ſunt emendatorum ſomnia, quæ herclè referre non libet. Aut igitur *ἴαμμος*, quod nomen alibi non legi, idem eſt, quod *ἴαμνος*: aut *ἴαμνος* legendum, quod verbum viridarium, viretum, pratum, locum arboribus conſitum, ſignificat. Stephanus ſcribit ita vocari *τοὺς καθύγρους καὶ τεθηλότας τόπους*, id eſt humida & virentia loca. Interpres Nicandri *ἰαμενὰς, καὶ οἷον συμφύτους τόπους* explicat, cum ſcribit Nicander, *πρῶτα κνῑσομένη χλοάει σκιόωντας ἰάμνους.* Alio loco *ἰαμενὰς καὶ ἕλη* interpretatur, cum ſcribit Nicander, *ὕδατι τερπομένην καὶ ἀειθαλέσσιν ἰάμνοις.* In Heſychio cum ſcribitur *ἴαμβοι, θάμνοι, κοῖται, νομοί*: id eſt, iambi, frutices, cubilia, paſcua. fortaſſe legendum eſt, *ἴαμμοι* aut *ἴαμνοι. ἰαυθμὸς* etiam luſtrum & cubile ſignificat: *εἰαμενὸν* etiam & *εἰαμενὴν* reperimus.

*Pandectæ)*

*Pandectæ*) Pandectæ, quod omnia contineant: quo nomine etiam apud Latinos Tyro Tullius ſuos quoſdam libros inſcripſit, & Iuſtinianus Digeſta. Enchiridia ſunt pugillares & pugiones: pinacidion, index: limon, pratum.

*Vadimonium*) Quod non fiebat ſine maximo periculo. Prætor. n. mittebat in poſſeſsionē bonorum, cum quis vadimoniũ deſeruerat. Cicero pro Quintio, *Teſtificantur iſti P. Quintiũ nõ ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe. Tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur. Poſtulat à Burrieno Prætore Nauius, vt ex edicto bona poſſidere liceat.*

*Lucubrationem*) Alij *lucubrationum* emendant contra fidem veterum librorum. Varro, inquit, in ſatyris ſuis lucubrationem aſſeruit, quod nomen ductum eſt à lucubrationibus muliercularum & ruſticorum, nullamque ambitionem tituli oſtendit.

*Vt baculus erat*) Hic me locus potiſsimum impulit, vt hoc qualecunque eſt, elucubrarem, cum eum tam fœdè ab emendatoribus contaminatum viderem, qui cum ſenſum non perſpicerent, è *baculo*, *Bibaculum* fecēre, è *paulominus*, *pantomimũ*, licentia ſanè non ferenda. Longius etiã à vetere ſcriptura receſsit Renanus, qui perſuadere conatur legendum eſſe, *Qui Anty ciuis erat & vocabatur P. Valerius*: hacq; in emendatione ſeriò triumphat. Ego nihil muto, interpretorq; Romanos nullũ titulorũ ſplendorē libris ſuis quæſiſſe, resq; ipſas ſuis nominib. affeciſſe, & baculũ appellaſſe baculũ. atq; adeo paulominus, quàm erat, dixiſſe: tantũ abeſt, vt plus dixerint & ſua venditarint. Simile ferè eſt illud Græcorũ, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγω.

*Suſtulit & Flex.*) Hermolaus emendat *Seſculyſſe & Flexibula*, vt tituli ſint Satyrarum quarundam Varronis. Varro enim à Chariſio & Nonio citatur in Seſculyſſe, inſcriptione ducta ab aſtuto & callido Vlyſſe. Nã Seſcũlyſſes eſt, tanquam ſeſquiulyſſes, id eſt, Vlyſſes cum dimidio, valdè callidus & aſtutus, vt ſeſcuncia, eſt vncia cum dimidia. Verum ego nunquam legi flexibulam in fœminino genere. Citatur. n. Varro à Nonio in Flexabulis περὶ ἱπαρχιῶν. Itaque aut *flexabulis* legendum eſt, contra fidem librorum veterum, aut retinendum, *Suſtulit & flexabula*, vt vno conſenſu exemplaria habent *Flexabulum* autem dicitur ea forma qua rutabulum, inſtrumentum ad ruendum: venabulum ad venandum: & quo quid ſuſcitatur. ſuſcitabulum. non placet Sipontinus qui è Græco & Latino nomen eſſe compoſitum putat: ita *flexabulum* (ſic enim malo quàm *flexibulum*) inſtrumentum eſt, aut id quo quid flectitur. *Suſtulit flexabula Varro*, id eſt, Suſtulit & improbauit magnos iſtos titulorum flexus & ambages magna pollicentium, nec præſtantium, acquieuitque modicis, & mediocria probauit. Si quis *in ſeſculyſſe & flexabulis* legat, ſententia erit, Varronem in illis duabus ſatyris nomen lucubrationis aſſeruiſſe.

*Nugari*) Alij enim nugantur, nec magnificum implent titulum ſed Diodorus non nugatur, ſuoque reſpondet titulo, & quod pollicetur, præſtat, cum omnem hiſtoriam veterem & memoriam ad ſuam ætatem comprehenderit. Diodorus hiſtoriã quadraginta libris eſt complexus, quã Bibliothecã appellauit.

*Bibliothecis*) Sic veteres libri vno conſenſu, id eſt, cùm Bibliothecam inſcripſit, bibliothecis potius. quã hominibus dicauit, quorum fauorem & gratiam plerique inſcriptionibus emereri ſtudent. Hermolaus emendat *Bibliotheces*: quod etiam ſi non improbo, illud tamen malo.

*Apion quidem*) libri ſcripti, *quidam*. Apion Grammaticus, vt Suidas ait, Plictonici filius fuit, cognomento Mochth⁹, id eſt labor, natione Aegyptius, aut, vt Heliconi⁹ ſcribit, Cres, diſcipul⁹ Apollonij & Euphranoris, hominis ita ſenectute confecti, vt centum annos exceſſerit, magni Didymi alumnus: Romæ docuit imperatore Tiberio & Claudio. Succeſſor fuit Theonis Grammatici, ęqualis Alicarnaſſei Dionyſij, ex multarum rerum notitia Polyiſtor nominatus. is Aegyptiaca ſcripſit, homo loquax & oſtentator ſui venditatorq; etiã in hiſtoria. Contra eum libros duos edidit Ioſephus. Hunc Apionem ad contemptũ Tiberius *cymbalum* mundi appellabat. Nam quia Græcis μητραγύρται vocantur, qui famuli erant matris Deûm, ſtipemq; cogebant, & hominum turbam illicebant, deſpectui erant, qui quidem cymbala gerebant ita pro cymbalo matris Deûm, quod Galli gerebant, Apionem, vt hominem vilem & garrulum, loquacemque, & tanquam cœtum hominum concientem, cymbalum mundi vocauit: quod Plinius tamen corrigit, & potius eum dicit tympanum famæ publicæ fuiſſe vocandum, ad tympana etiam Gallorum reſpiciens, quorum maior eſt ſtrepitus, quàm tinnitus cymbalorum, quod homines. de quib. ſcriberet, ſe publicæ famæ, & immortalitati commendare diceret. Hæc autem inſtrumenta geſtaſſe Gallos cognoſcimus è Catullo ita ſcribente, *Vbi cymbalûm ſonat vox, vbi tympana reboant*: & è Lucretio, *Tympana tentà tonant palmis, & cymbala circum Concaua*. Sed & in ſacris Bacchi erant. Liuius de Bacchanalibus, *Cantuq; ſymphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulſu* erant autem cymbala tanquam hemiſphæria caua, ærea, tinnitum reddentia: eodem autem ferè quo Tiberius modo Ioſephus Apionem ὀχλαγωγὸν vocat.

*Scripſit*) Tantum inſcriptionibus ſuis tribuebat.

*Pingiq; cond*) Hic nodum in ſcirpo quærit Renanus, & more ſuo non intellecta emendat, qui εἰκόνων auctoribus legendum eſſe cupit perſuadere, ſi quem inueniat cui os ſublinat. Ego nihil muto: nec me mouet, quod Polycletus non pictor, ſed ſtatuarius fuit. Dicit enim Plinius, vt homines è pictura cognoſcũtur, ſic ſe velle cognoſci ſua tanquam è pictura & imagine, ex inſcriptionibus artificum veterum, qui ea modeſtia fuerunt, vt pro imperfectis & inchoatis ſua haberi voluerint, cum omnia pendente titulo inſcripſerint: APELLES (verbi gratia) FACIEBAT: LYSIPPVS FACIEBAT, non fecit. eſt itaque *pingi* hîc cognoſci. exiſtimari. *Conditores* autem dicit, qui artium illarum præſtantiſsimi auctores ſint. Conditores, inquit, illi exemplum ſint, & tanquam imago ſcriptorum meorum: vt illi ſua pro inchoatis inſcribebãt, ſic mea pro non abſolutis haberi velim.

*Regreſſus*) Si quid peccaſſet, id corrigeret, vt opere nondum abſoluto.

*Nouiſsima*) Qui enim inſcribit, faciebat: ſe tanquam in eo opere occupatum nouiſsimè oſtendit, & nouiſsimè in manibus id fuiſſe ſignificat.

*Fato ademptum*) Tanquam fato prærepti abſoluere non potuerint.

*Securitatem*) Auctorem non eſſe ſollicitum de iudicio hominum, ſed ſecurum, vt opere propter abſolutionem artis reprehenſioni non obnoxio.





*Ob id caueam*) Quia multa meis deſunt: hac enim confeſsione, qua profiteor multa meis adijci poſſe, à me repellam inuidos reprehenſores. in confeſſum enim minus acres & acerbi erunt, quam ſi de me multa prædicarem. Zoilus autem Amphipolites infeſtiſsimus Homero fuit, & ex eo Homeromaſtix appellatus eſt. Vitruuius, *Inſequentibus annis à Macedonia Zoilus, qui adoptauit cognomen, vt Homeromaſtix vocaretur, Alexandriam venit.* Inuidi autem potiſsimum optimos & egregios ſcriptores laceſſere ſolent. Zoilus Rhetor erat & Philoſophus: is præter alia, contra Homeri poëſin etiam ſcripſit, vt Suidas refert, & Homeri vituperationē: & quod Homerũ irrideret, Homeromaſtix vocatus eſt, vt Suidas ait. Aelianus ſcribit eum nõ in Homerũ tantũ, verum & in Platonē ſcripſiſſe, & alios auctores: ac fuiſſe narrat auditorē illius Polycratis, qui accuſationē Socratis ſcripſit, canemq; rhetoricũ appellatũ: quinetiã à quodã interrogatũ cur ſic omnibus malediceret, reſpondiſſe, quia malefacere non poſſet. ſed & eum ferunt præcipitem de ſaxis Scironijs eſſe datum à Græcis ob effrenatam in Homerum maledicentiam. Vt autem Homeromaſtix vocatus eſt Zoilus, ita eius exemplo libro in Ciceronem Largius Licinius Ciceromaſtiga inſcripſit. Hic alij, cum quid, *ob id*, valeret, neſcirent, *obiter* fecēre.

*Stoicos*) Dubij ſermonis octo libris nouiſsimis Neronis temporibus Plinius ſcripſerat. Stoici (qui iam inde à Cleanthe, vnde & Cleanthis lucernam ſe quæ de lingua Latina ſcribit Varro, lucubraſſe dicit.) de Grammatica & ſermone ſcribebant, Plinioq; minabantur. ſermonis ambigui. & dubij interpretatio & diſtinctio ad Dialecticos etiam propriè pertinet: Dialectici autem dicebantur & habebantur Stoici, ſed & Epicurei, qui omnem elegantiam ſermonis, omnem diſciplinam diſſerendi ignorabant & contemnebant, tamen Plinio etiam minabantur.

*Elephanti*) Plinius libro 8. de Elephantis. *Decem annis geſtare in vtero vulgus exiſtimat: Ariſtoteles biennio.* Plautus in Sticho:

*Audiui ſæpè hoc vulgo à multis dicier, Solere Elephantum grauidam perpetuos decem*
*Eſſe annos: eius ex ſemine hæc certo eſt fames.* Ex ea opinione hoc à Plinio hîc ſcriptum eſt.

*Vero neſciam*) Hanc Hermolai emendationem probo in veteribus libris omnibus, quos quidem viderim, ſcriptum reperi, *Ceubernis etiam*, quam in ſuo ſcripturam etiam ſe reperiſſe dicit Renanus. Contra Theophraſtum ſcripſit meretricula Leontio, quę Epicurea erat, & ab Epicuro amata fuerat. Cicero de natura Deorum, *Iſtisne fidentes ſomnijs, non modò Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus, contra Pythagoram, Platonem, Empedocleműq; dixerunt: ſed meretricula etiam Leontion contra Theophraſtum ſcribere auſa ſit? ſcito illa quidem ſermone & Attico: ſed tamen tantum Epicuri hortus habuit licentiæ.*

*Diuinum*) Cũ ante Tyrtam⁹ vocaretur, ab Ariſtotele eſt Theophraſt⁹ ex ſermonis diuinitate nominat⁹.

*Suſpendio arborem*) Homines ſe ſuſpendere debere, vitæque renunciare, cum tantum licentiæ ſumant mulieres, vt in homines doctiſsimos ſcribant.

*Quin minus*) *Qui minus* exemplar vnum habet, duo *quin minus*: minus enim fortaſſe ad rem pertinere putauit verba Catonis, quæ tamen, quin referret, ſibi temperare non potuit. ſatis enim fuerat rei meminiſſe in epiſtola, vt Catonis verba intexi nihil eſſet neceſſe: alij *quominus legunt*.

*Comminanti*) Sic libri omnes habent, quod eſt ſcribere paranti, & ſcripturum ſe eſſe oſtendenti. Illud Horatij tale eſt: *Atqui vultus erat multa & præclara minantis.* *Commentanti* tamen, quod alij reponunt, non damno. libros autem Catonis de re militari, & Nonius & alij nominant.

*Ferre potuiſſet*) Liuius, *Morte Africani creuēre inimicorum animi, quorum Princeps fuit M. Porcius Cato, qui viuo quoq; eo allatrare eius magnitudine ſolitus erat.* Idem etiam rogationem de pecunia Antiochi regis contra vtrunque Scipionem potiſsimum ſuaſit.

*Reportaſſet*) Marcus Porcius Cato ex Hiſpania triumphauit, vt ſcribit Liuius lib. 34. Cato tamen, cum tantus eſſet in re militari, reprehenſores timet.

*Ad te in eo*) Vetus eſt ſcriptura, *atteneo* ex qua *ad te in eo* feci, ſententia ſuperioribus congruente: minus enim ad rem pertinere verba Catonis dixit. nihil enim ad Titum in eo volumine pertinet. Renanus ſcribit, *ait in eo*, nec malè.

*Vt eligant*) Veteres libri habent, *ita reprobent* (nam *reprobent* Latinum non eſt) *vt eligant* quæ lectio etiam extat in Romana editione. *Vt eligant* dicit, quod qui eligunt, multa improbant, quædam probant. Vt eligant igitur eſt, velut non omnia probent, ſed multa damnent. Hermolaus legit *vitilitigent*, bono ſenſu, ſed nimium longè à ſcriptis libris recedit: erit autem *vitilitigare*, calumniari, vnde vitilitigatores. Tolerabilius eſt, quod affert Renanus, *vellicent*.

*Sibi prætereo*) Sic veteres libri, vnus *ſibi præter*, vt & Renani: *ſibi prætereo* verum puto. *Sibi* autem prope vacare videtur, vt in illa oratione, *hunc ſuo ſibi gladio iugulo.* eorum, inquit, oratione nihil moueor. quod *ſino præterfluere* nonnulli legunt: id verò ad libidinem fictum eſt: quod ſi quid mutandum eſt, *ibi prætereo* legendum cenſerem, cum in libris manu exaratis, ſæpè literæ eædem geminari ſoleant.

*Ne reſpondere poſſet*) Sic editi: veteres partim: *nec reſpondere poſſe*, partim, *reſpondere potuit. ne reſpondere poſſet*, ſanè probo: *nec reſpondere poſſe*, ferri poteſt, & a *diceretur* pendebit. ſed & *reſpondere potuit*, etiam ſententiam aliquam efficit, id eſt reſpondit.

*Laruas luctari*) Laruis olim nonnulli terreri & ſtimulari cenſebantur, & ad inſaniam adigi Plautus, *Laruæ hunc, atq; intemperiæ, inſaniæq; agitant ſenem.* ſic enim tanquam malos genios intelligebant. Laruam Apuleius lemurem eſſe dicit, qui propter aduerſa vitæ merita nullis bonis ſedibus vagatur, inane terriculamentũ bonis hominibus, noxium malis. Eſt & larua, tanquam perſona hiſtrionum. Larua in contemptum etiã ponitur pro inani vanoque terriculamento, quod μορμολύκειον Græcè dicitur, quod nocturnos lemures, & vmbras multi contemnerent. Plautus Amphitruone, *Larua vmbratilis, tu me miuis territas?* quo hîc modo accipiendum cenſeo, pro larua ſcilicet habendum & contemnendum eſſe, quod in mortuum ſcribitur, ſcriptoremque adeo ipſum non pluris, quàm laruam faciendum.

PAGINA X. *Vitilitigatores*) Improbos & vitioſos litigatores & calumniatores.

*Publico bono*) ob publicum bonum. eodem modo *peſſimam publicum* dixit Liuius, vt hîc Plinius bonum publicum. *Neq; ambigitur,* inquit, *quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit, peſſimo publico id facturus fuerit, ſi libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorſiſſet.*

*In literis noſtris*) Apud Latinos hoc ante me fecit Q. Valerius Soranus, quem libro tertio de Oratore Cicero, togatorum omnium literatiſsimum vocat, in libris Epoptidon, qui de Grammatica, vt reor, erant. *Epoptides* autem, vt reor, dicebantur, tanquam à myſterijs literarum & doctrinæ. nam initiati primo dicebantur *μυςαι, ἐπόπται* poſt annum, quod ad inſpicienda ſacra occulta admitterentur. Vnde Epoptidon nomen putem à Valerio fictum, quanquam Theodorus Gaza ſpectacula interpretatur. Hîc in alijs *ἐπωτίδων* ſcribitur: quo nomine vocantur eminentia vtrinque ad proram ligna, ſed *epoptidon* malim. Valerius autem hîc Soranus pœnas, vt ait Plinius luit, quod occultum vrbis Romæ nomen enunciaſſet.

*IN EANDEM*

# C. PLINII SECUNDI VERONENSIS PRAEFATIONEM.

## *Leodegarij à Quercu Rothomagæi*

*RACEMATIO.*

**SACRATISS. ABBATI DIVI PAVLI VERTODVNENSIS NICOLAO PSAVLMÆO FOELICITATEM**
precatur Leodegarius à Quercu.

*Vilia ſi diuis ſacrentur, tum ſacra fiunt:*
*Illa nec à quoquam lædier vſq; decet.*
*Ergo tibi diuo nos vilia ſcripta ſacramus:*
*Vt ſacra dum fuerint, tuta mage eſſe queant.*

# LEODEGARII A QUERCU ROTHOMAGÆI, IN PRAEFATIONEM C. PLINII SECVNDI RACEMATIO.

## PAGINA III.

L*ibros.* Hæc præfatio fungitur vice libri primi, atque continet elenchum operis totius, quod vouet Tito Veſpaſiano. *Iucundiſſime.* Scribit Suetonius Veſpaſianum fuiſſe ingenio tam amœno, vt delicium populi diceretur. *Maximi.* Significat appellationem maximi deberi maieſtati Titi, & ſeneſcere in patre eius. Alij tamen legunt maxime, tanquam appellatio iucundiſsimi conſeneſcat in patre ſene. ſunt enim moroſi & minimè iucundi ſenes. *Putare nugas.* Catulli imitatio voventis ſua epigrammata Cornelio nepoti, ſic,

*Cui dono lepidum nouum libellum*
*Arido modo pumice expolitum*
*Corneli? tibi: namq; tu ſolebas*
*Meas eſſe aliquid putare nugas,*
*Iam tum cum auſus es vnus Italorum*
*Omne æuum tribus explicare chartis,*
*Doctis (Iuppiter) & laborioſis.*
*Quare habe tibi quicquid eſt libelli.*
*Qualecunq; quidem ora per virorum*
*Plus vno maneat perenne ſeclo.*

*Caſtrenſe verbum.* Conterraneum, verbum magis vſurpatum caſtris quam foro. Cæterũ Veronenſis erat Catullus vt Plinius. hinc illud, Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo. *Permutatis prioribus ſyll.* Plinius damnat in Catullo ruditatem carminis Phalecij, & nimiam licentiam. nam cum carminis Phalecij primus pes eſſe debeat ſpondæus, collocat ſæpè Catullus iambum, pyrrichium, trochæum. *Veraniolis ſuis & Fabullis.* Veranius & Fabullus amiciſsimi fuēre Catullo, vt multis epigrammatibus conſtat.

*Nunc ſudaria Setaba & Iberis*
*Miſerunt mihi muneri Fabullus*
*Et Veranius: hoc amem neceſſe eſt*
*Et Veraniolum meum, & Fabullũ.* Dein poſt paulò,
*Verani optime, tuq; mi Fabulle*
*Quid rerum geritis? &c.*

*Simul vt.* Altera ratio cur Plinius voueat opus hoc Tito. *Contubernio.* Plinius vſus eſt caſtrenſi contubernio Titi in Germania. *Nec quicquam.* Laus ampliſsima à modeſtia, quod non erexerit criſtas cumulatus honoribus. *Audacia ſuper eſt.* Excuſat audaciam, aitque non futuram fuiſſe tantam, niſi ſe Titus familiariſsimum Plinio feciſſet.

PAGINA IV. *Tibi ignoſces.* Quia culpæ (ſi qua eſt) author es. *Perfricui faciem.* Prouerbium, quo ſignificamus pudorem expulſum. vide Eraſmi chiliadas. *Faſcibus.* Ductum à magiſtratibus, ante quos publici miniſtri & caduceatores geſtant faſces. Porrò ſignificat Plinius excitari ſe modeſtia Titi, vt ei voueat opus, ſed terreri amplitudine ingenij Titi. *Humili vulgo.* Oratoria ſui deiectio. *Operam condicerem.* Litem intenderem. *In hoc albo.* Sumpta ab arbitris ſimilitudo. non enim debet arbiter ſententiam dicere niſi rogatus, atque in catalogum ſelectorum ſit. *Extra ingenij aleam poſitus.* Quadrat in hominem rotunde abſolutum. *Hæc doctiſſimum Perſium.* Lucilius nolebat ſatyras ſuas legi ab indoctiſsimis, quia non intelligerent: neque à doctiſsimis, ne plus intelligerent de ſe quàm ipſe vellet: ſed à mediocribus. Quam reiectionem imitatus eſt Cicero in libro de Rep. cum tamen in principio de finibus, nolit ea vti. Porro non eſt hic Perſius qui ſatyras ſcripſit temporibus Neronis, ſed orator eminentiſsimus, cuius Cicero meminit in dialogo de claris oratoribus. *Quod ſi.* Argumentatur à maiori, ſi Lucilius & Cicero literatiſsimi viri vſi ſunt reiectione



eruditorum, quanto minus à me vitari ea debet? *Stili naſum.* Naſutas ſatyras. *Cauſatius.* Maiori cauſa. *Plurimum refert.* Alluſio ad morem iudiciorum.

PAGINA V. *Inuitatum hoſpitem.* Etenim ſi cui condicitur conuiuium, poteſt conqueri de vilitate apparatus. Si autem vltro ſe offerat conuiuam, debet eſſe contentiſsimus adpoſitis. *Cum tribunos appellaret.* Cum cauſſam apud Tribunos agi vellet. *Aſiaticus.* L. Scipio à deuicta Aſia dictus eſt Aſiaticus. Ille autem cum viciſſet Antiochum regem, & inde ampliſsimam prædam reportaſſet, accuſatus eſt ab inuidis quod magnam partem prædæ interuertiſſet: ſed innocentia fretus non recuſauit hoſtes eſſe ſibi iudices. *Inter quos erat Gracchus.* Gracchus trib. infeſtiſsimus fuit L. Scipioni. *Vel inimico.* Quia magna vis eſt veritatis. *Te quidem.* Locus maiori, ad hunc ſenſum, ſi aulici qui matutinum Aue deferunt, tam religioſe & timide id faciunt, quanto timidius debet id facere ruſticanus meus liber? *Verum & diis.* Oratoria occupatio per attenuationem, quæ faciat ad excuſationem audaciæ. *Mola* Apud antiquos poſt arbuta & glandes vſus farris ſeruatus fuit adeo honorifice, vt ſacrificium non fieret ſine farre & ſale. Dicitur enim mola à molito farre, quo toſto & ſale aſperſo hoſtiæ aſperguntur. *Cum honoris præfatione.* Cum vſurpamus turpe verbum, id facimus cum honoris præfatione, dicentes, Honor ſit auribus. Cum venia dixerim. *Nemo.* Ratio cur non trita via.

PAGINA VI. *Obſcuris.* Hinc Gellius meminit opera Nigidij à paucis lecta ob obſcuritatem. *τὰς ἐγκυκλοπαιδείας,* id eſt, Orbiculatas diſciplinarum ſeries. Oportet autem facere circulum in omni arte: quoniam altera ſine altera non tenetur, cum ſint omnes concatenatæ. *Res ardua.* Sunt hęc munia hiſtoricorum quæ memorat, velut obices vnde auocari queat à ſcribendo. Eſt autem elegans diſtributio cum gradatione. *Voluiſſe abunde pulchrum.* Propertius,

*Quod ſi deficiant vires, audacia certe*
*Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.*

Eſt autem elegans anticipatio. *Equidem.* Solutio obicum. *Vtilitatem iuuandi.* Pluris facit Plinius auctores qui ad vtilitatem quam qui ad voluptatem ſcribunt. *Mirari T. Liuium.* Reprehenſio Liuij, quod gloriæ priuatæ magis ſtuduerit, quam publicæ vtilitati. *Quoniam.* Ratio cur viginti millia rerum complexus ſit opere ipſo oportet enim librum more theſauri multa continere.

PAGINA VII. *Homines enim ſumus.* Hominum eſt multa neſcire. Solus autem Deus omnia nouit, coram cuius oculis omnia ſunt nuda & aperta. *Succiſiuis.* Succiſiua tempora, quæ ſucciduntur & amputantur à debitis officijs. Simili prouerbio diuus Hieronymus vocat horas furtiuas: metaphora à ſeruis, qui præter pactas operas quas debent, extra iuſtas horas illas nonnihil operantur ſibi, quod cedat in peculium. *Cum ſomno.* Subduco calculum cum ſomno, & tantum dormio quantum ſatis ſit valetudini. *Muſinamur.* Componimus. Beatus tamen Renans legit muginamur pro nugamur & tarde conamur. *Pluribus horis viuimus.* Si quidem vitæ additur quod ſomno demitur. *Quibus de cauſſis.* Oratoria occupatio. *Nec fiducia* Senſus eſt, non audeo ideo quia opus ſit dignum te, ſed quia tibi dicatum. *Nos quidem.* Excuſat quod non vlterius ſpatietur in laudem Titi, quia iam hoc ſit factum in hiſtorijs. *Aufidij.* Aufidius Baſſus ſcripſerat xxxi. lib. hiſtoriarum, vbi vehementer laudarat Veſpaſianos. *A fine.* Vbi deſiuerat Baſſus. *Sancitur.* Vera confirmatur vt lex. *Ambitioni.* Ne ſi viuus ſacraſſem, viderer tuam ambire beneficentiam. *Stomachi mei* Ironia eſt. *Argumentum.* Quod faueo prioribus & poſteris. *Iuratiſſimis.* Legendum furaciſsimis, hoc eſt qui nomine auctoris ſuppreſſo furati ſunt opera, vt Græcinus fecit, qui ad verbum omnia ſumpſit ex Celſo: vt Macrobius multa ex Gellico, & Solinus ex Plinio. *Virgiliana virtute.* Virgilius cum mutuatus ſit Bucolica à Theocrito, Georgica ab Heſiodo, AEneidem ab Homero & Ennio, non negauit furtum, ſed blande confeſſus eſt à quibus accepiſſet, ſic enim in Georgicis ait,

*Aſcræumq; cano Romano per oppida carmen.* Et in Bucc. *Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu.*

*Platonis.* Exemplo Platonis ſcripſerat Cicero v i. libros de Repub. nec negauit ſe imitatum Platonem. *Crantorem.* Crantor græcus ſcripſit de conſolatione. hunc imitatus eſt Cicero in lib. de conſolatione, qui perijt. hunc autem librum compoſuit Cicero vt ſolaretur ſe de morte Tulliæ.

PAGINA VIII. *Inſcriptionis.* Inuehitur in Græcos, qui vſurpant titulorum magnificentiam, cũ interea meras quiſquilias ſcribant. *Alij.* Vt Helius Meliſſus. *Κέρας ἀμαλθείας,* i. Copiæ cornu. Eſt autem prouerbium quo ſignificamus omnia affatim ſupereſſe, vide chiliadas Eraſmi. *Lactis gallinacei hauſtum.* Prou. de re impoſsibili. *Iam iammos.* Alij legunt, *ἰαμμὸς,* hoc eſt violatio. *Pandectæ.* Tyro vocauit lucubrationes ſuas pandectas, id eſt omnia continentes. *Enchiridion.* Eſt libellus ſemper habendus in manibus, *πινακίδιον.* Pinacidia tabellæ ſunt continentes capita rerum omnium, ſic autem vocamus libros, quaſi multarum rerum indices. *Vadimonium deſeri poſſit.* Hoc eſt propter quas fides violari poſsit. *Antias.* Renanus legit Antij. Eſt autem Antium vrbs Latinorum. *In ſatyris.* Varro ſatyras Menippeas fecit, quarum meminit Gell. *Flexibula.* Conſilium flectentes. *Cõditoribus.* Renanus legit, *εἰκόνων* auctoribus. Eſt autẽ icon imago picta vel ſculpta quæ exemplar lineamentis omnibus exprimit. *Tria.* Apelles tria perfectiſsime pinxit, Venerem è mari exeuntem, Caſtorem & Pollucem cum victoria & Alexandro Magno: imaginem belli reſtrictis à tergo manibus, Alexandro in curru triumphante.

PAGINA IX. *Parturire* Allegorice dictũ. *Abortus facere.* Perſtat in metaphora. *Cum celerius pariant elephanti.* Prou. de re admodũ tarda. *Theophraſtum.* Locus eſt à maiori. Solatur autem ſe exemplo Theophraſti. *Nomen diuinum inde.* Theophraſtus dictus eſt ante Tyrtamus, ſed à diuina phraſi impoſuit ei nomen Theophraſti Ariſtoteles. *Fœminam.* Intelligit Leontium vetulã, cuius meminit Cicero libro primo de natura deorum. *Suſpendio deligendam arborem.* Prouerb. de re indigniſsima: tanquam putet deſperandum doctis ſi in eos ſcribant mulierculæ. *Non queo.* Aliud exemplum.

PAGINA X. *Scio ego.* Verba Catonis in zoilos. *Vitilitigent.* Calumnientur. dicuntur autẽ vitilitigatores à vitijs & litibus. *Laruas.* Cum laruis luctari, prouerbiũ in eos qui maledictis inſectantur mortuos, quos Plato putat ſimiles canibus qui lapides iactos mordent, nec attingunt ipſos à quib. læduntur. *Ante me.* Exemplo Sorani ſe tuetur. Hic autẽ libros epoptidon, id eſt ſpectaculorum contexuit.

# INDEX RERVM ET VOCVM INSIGNIVM QVAE IN PRIMO HOC, ADRIANI TVRNEBI OPERVM, Tomo continentur.

*Prior numerus paginam, poſterior lineam notat.*


ABdicare ſe: apud Ciceronem 149.47
Abducere de conſilijs 42. 28
Ab Ioue primordia 133. 55 134. 16
Abiudicare 44. 66
Ablatiui abſoluti 21. 49
Abluere tenebras 298. 30
Ablutio apud veteres 145. 29
Aborigines 277. 37
Abſtractum pro concreto 241. 38
Academiæ antiquæ cum Zenone diſſenſio 124. 11
Academia gymnaſium 267. 26
Academia q. Cic. vbi ſcriptæ ſint 242. 10
Academicæ veteris qui fuerint 124 55 ſententia de Ratione 88. 40
Academia noua 220. 6 perturbatrix 117. 9 51 Platonis 87. 9 vereſimilium conſectatrix 117. 53
Academicarum Quæſtionum Cicer. lib. primis 82. 20
Academicorum antiqu. bonum 124. 63
Academicorum & Peripateticorum conſenſus 87. 25. 88. 52 de virtutum habitu ſententia 93.34
Academici 90. 42 noui 116. 34 Peripatetici 93. 45 Socratici 83 50 vnde dicti 87 30
A capite repetere 106. 33
Accalia 295. 54
A caluo ad caluum 207. 58
Accenſi miniſtri 166. 16 302. 21
Accij carmen 86.
Accilius conſul 147. 48
Accius 85. 19 56
Accius Nauius 151.19
Acclamatio pro Commotione 81.51
Acclinis arbor 361. 20
Accuſatio trinundinum 6. 14
Accuſatores publici apud Athen. 189.24
Acerbitas vnde translatum 19 9
Acerbum pro, graue 165. 1
Acerræ 165. 42
Achaia 18 7
Acheloi cornu 369.39
Acheruntia Templa 29.7
Acilius apud Feſtum 164.56
Acipenſer piſcis 218. 52 paucorum hominum 359. 43.
Acris tibia 311. 66
Acron de manubijs 19. 65
Acropolis apud Cic. & Varron. 99. 29
Acta reſcindere, iudicia perturbare differunt 33. 18
Actio Comœdiarum 153. 43 ſentiendi apud Stoicos 94. 31 ſepulchri violati 167. 29
Actiones cum Populo 187. 15 legitimæ 70. 15
Actius 30. 13
Acutæ aures pro acribus 354. 13
Acutum pro acri 311. 10
Addicere 49. 41
Addictus ſecundum duod. Tabul. 209.7
Ad fornicem Fabij 212. 61
ἀδιαφορία 117. 1
Adiudicationes in iudicio finium regundorum 44. 65
Adiunctum pietatis dicendi genus inſolens 161.6
Adiuro pro adiuuero 142. 38
Ad literam imitati 207. 30
Adminiſter Iouis 187. 54
Admodum dicere 181. 48
Adoleſcentia pro adoleſcentib. 266. 43
Adoptati 133. 36
Adoptio per æs & libram 160. 5
Adriani Imp. edictum de Sepulchr. 163.51
Adrianus Cardinalis 52 46
Adr. Turnebus accuſatus 190 13. 30
Adr. Turnebi animaduerſiones in P. Rami Cōmentarios Rullianos 72 Commentaria in lib. Cic. de legibus 96.1 98. 1 in Iocos Cicer. 202. 30 in 2. lib Cic. de legib. 130. 20 Commentarius in III. Cic. de leg Agraria 66. 40 cōmentariorū fructus 237. 23 reſponſio ad Admonitionē Talæi 262.
Adſcriptor 38 10
Ad ſcriptores falſè pro cauſidicis 78. 65
Adſignificare 296. 40
Adſita & inſita 350. 36
Ad ſpontem 298.7
Aduelitatio quid 61. 14
Aduentitias pecunias Cic. dixit 57. 34
Ædes Cereris 175. 43 fortunæ fortis 147. 58 fortunæ reſpicientis 14. 55 Primigeniæ fortunæ 147. 66
Ædiles 171. 58
Æditui 349. 13
Ægeriæ colloquium cum Numa 162. 18
Ægeum Mare 58. 16 185. 30
Ægilia mea 215 5
Ægyptij abſurda pro numinibus venerebantur 114. 54 muſicam non mutant 154. 23
Ægyptium regnum 43. 47 75. 16. 14. 4. prouincia 5.
Ægyptus 44. 50 45. 37
Ælianus de more ſepeliendi apud Athenienſes 166.59 de Olea Latonæ 99. 46. de Xantippes dictum 112.57
Ælius Gallus 272. 28
Ælius Stilo 85. 26 Præconinus 272. 26
Æmarus Ranconetus 155. 47 162. 38 185. 23
Æmilianus mortuus inuentus 227. 5
Æmilius Lepidus ſine linteis vult ſepeliri 164. 39
Æmilius 9. 41. 20. 12
Æmonides Sacerdos 17. 10
Æolius modus 154. 13
Æquimelium 291. 54
Æquitas animi 21. 2
Æquitas quid 76. 8
Ærarium 50. 17
Ærugo apud Horat. 340. 38
Æruſcatores 143. 38
Æſchines 87. 40
Æſchylus 85. 20
Æſchyli conqueſtio in Perſis 146. 3
Æs & libra 160. 3
AEs & lupinum 345. 45
AEſopus tragœdus 104. 48
AEs pro aſſe 293. 13
AEſtiua Lycei 330. 54
AEſtus ingenij 134. 47
AEtas conſularis 30. 25 173. 5
AEtas pro homine 266. 49
AEtatis vacatio data quinquagenarijs 104. 22 Sexagenariis 23
AEtatum cenſores 172. 13
AEtoli 71. 39
AEuitas 173 4 172. 14
Affligere 58. 31
A fonte ducere 108. 21
Afranius apud Nonium, vela facere 28. 4
Afrani locus de Mummio 213. 34
Africa quæ regio 79. 22. 19. 21
Africanæ beſtiæ 301. 30
Africani Hiſpaniam vicerunt 16. 48
Africanus apud Cic. 162. 56 apud Ennium 162. 50 Carthaginem conſecrat 144. 22
Agas aſellum 210. 15
Ager quid ſignificet 57. 10 Africanus 75. 10 arus 274. 63 belli monumentum 46. 48 Campanus 13. 60 55. 66 56. 33. 48 57. 10 58. 49 63. 43. 71. 21 76. 16 28 Caſſinas 70. 58 Colonicus 18. 67 19. 1 Cumanus quouſque 83. 27 datus in vinculum pacis 46. 47 Gabinus 274. 11 municipalis 18. 67 noualis 274. 52 Numidicus 75. 9 79. 19 Palatium 277. 36 peſtilens 21. 45 46 Recentoricus 19 15 49. 24 43 75. 9 reſtibilis 274. 51 ſeruus 19. 7 ſtipendiarius 19. 2 3. ſuperciliοſus 16. 47 Venafranus 51. 64







Agere cum partibus: cum populo 175. 1. 80. 53, 55 134. 25 per vim 187. 17 ſuum negotium 214. 48
Aggenius de itinere ad culturas 126. 9
Agnam facit 295. 16
Agnati Dij 109. 63
Agnatio 110. 7
Agnina Caro 347. 1
Agrarij apud Ciceronem 67. 41
Agricola bonus 218. 10
Agri definitio 79. 40
Agri Bithyniæ 47. 20 conſecrati 144. 20 Hyempſalis 75. 57 paſcui 18. 62 arui 62 Quæſtorij 70. 1 29 vectigales 51. 41
Agripetæ apud Ciceronem 67. 38
Agrippa 69. 43
ἀγρὸν 274. 17
Agrorū genera quinq; ex auſpicijs 141. 33 iura 49. 29
Aiax Oileus 155. 40 Oilei filius 212. 17 Telamonius 155. 40
Ἀήθεια 23. 59
Αἰσυμνῆται 170. 8
Albæ quadrigæ 311. 59
Albanus mons 348. 4
Alba ſtella 325. 18
Albula 308. 6
Albumen oui 393. 38
Album quid ſit 389. 46
Albunea nympha 310. 23
Albus color 157. 3
Albutius 216. 6
Alcæi verſus 372. 20
Alcæus bellum geſſit cum Athenienſ. 320 17 Sapphici carm. inuentor 320. 4 15
Alciatus de controuerſiis agrorum 125. 65 de lege Fabia 5. 53
Alexander 44. 37 46. 12
Alexander Aphrodiſienſis de Diodori ſententia de neceſſitate 248. 15 de Zopyro 223 40 contra Stoicos 89. 49
Alexander Appio 47. 28 in Cilicia 153. 25 Macedo 44. 39 R. AEgypti non Appion ille Cyrenarum Rex 14. 22 Stoicos reprehendit 91. 26
Alexandri locus de connexione rerū 244 50 de Dialectica 129. 35 de fato 246. 46 virtutum cohærentia 93. 40
Alexandria 13. 62 26. 59. 45. 14
Alexandrini 45. 19
Alexandrinus Rex 44. 30
ἀλεξίκακος Apollo 316. 50
Alienari pro abalienari 49. 2
Alienum cum præpoſitione & ſine præpoſitione 51. 57 Alienū eius dignitatis ib.
Alifanus ager 51. 65
Alij id eſt Elei 71. 35
Alio die apud Ciceronem 149. 43
Aliquotfariam apud Varronem 118. 20
Allium veneficium 331. 24
Alluſio 23. 17
ἀλογίσ δική 189 33
Alpes Graiæ 15. 541
Alphius apud Horatium 64. 66
Altè cinctus 355. 54
Alternis nauigatio 58. 21
Alternum pedem facere 337. 55
Aluco nomen auis 14. 58
Amafanij 83. 60
Amafanij libri 12. 17
Amaltheum gymnaſium 133. 47
AEmarus Ranconetus 158. 1 159. 11 161. 11
Ambarualis 351. 55
Ambegna bos 300. 65
Ambigui genera 209. 30
Ambitio 187. 4
Ambronum copiæ infinitæ à Marco Cæſa 12. 34
Ambubaiæ 351. 50
Ambulatio Pompei 333. 41
Ambu pro an. 351. 54
ἀμέγαρτος 324. 60
Amici veri officium 261. 10
Amici magni apud Rom. 330. 36
Amicitiæ vis 115. 21
Amicitia Mercatura 199. 61 negotiatio 122. 46 vnde nata 122. 38
Amictui 288. 20
Amiternini 273. 61
Amnium dei cornigeri 329. 59
ἀμφιβαίνειν 35. 32
ἀμφώτιδες 365. 21
Amuleta puerorum 304. 37
ἄμυστις 321. 56 322. 18
ἀναγόρευσις 46. 32
Ananceum quid 60. 66. 61. 1
ἀνάῤῥησις 46. 32
ἀναρχία 168. 41
ἀνατεῖναι χεῖρας 64. 23
ἀνατείνασθαι 64. 22
ἀνατονισμὸς 393. 33
Anaxagoras 95. 16 112. 44 omnia in omnibus eſſe dixit 74. 9
An captioſa diſtinctione Cauſarum Cic. captus 243. 62
Ancus Martius Rex 344 40
Anienes 307 50
ἀνδρεία 155. 51
Andriſcus Pſeudophilippos 59. 8
Androcydes philoſophus 46. 11
Anfractum 300. 20
Angerona dea 295. 48
Angeronalia 295. 48
Anguſtus, id eſt, plenus 271. 14
Anniæ magnæ 332. 33
Animi bona 89. labes non tollitur 145. 11.
Animi pendére quid 103. 63
Animus cogitando mouetur Platoni 91. 61 cum pectore latrat 203. 27 Mundi 90. 55 quis apud Platonem 91. 9
Annales Pontific. Max. 101. 42
Annalium confectio 192. 50
Annibal 23. 37. 65
Annibalis exercitus 24 40
Annulo ſignabant Romani 76. 23
Annulo vindicare 76. 23
Annus inuerſus 351. 26
Antigenida apud Plinium 206. 14
Antigone apud Sophoclem 97. 11
ἀντῖναι 19. 67
Antiochus 84. 21 194. 3 92. 53 Ariſtonis frater 86. 38 Ciceroni familiaris 125. 44 contra Philonem 86. 46 87. 6 germanus Stoicus 84. 50 Philonis auditor 87. 4 125. 13 27 Rex Syriæ 59. 6
Antipolis 52. 63
Antiquare legem 33. 15 34. 60
Antiqui philoſophi qui ſint 191. 2
Antiquiſſimum ſepulturæ genus 161. 53
Antiquus vocum modus 153. 8
Antiſtropha in canticis 92. 19
Antium 26. 58
Antius Briſo 185. 46
Antoninus ſacrilegij poenam mitigat 154. 63
Antonius 25. 49. 27. 14 Auguſtinus 270. 32 271. 10 cenſor 214. 53 Hybrida 66. 10 orator 210. 7
Antronius ambitus condemnatus 32. 36 33. 23
Antronius Pæto 25. 51
ἀοργησία 218. 3
Apelles, tria perfectiſſimè pinxit 397. 38
Apere, id eſt, apprehendere 101. 14
Aper Lucanus 370. 17
Apex Dialis Flaminis 282. 14 pileus 101. 7
ἄφεσις λαοῖς 159. 16
Aphricanus ſitus 162. 40
Apion Grammaticus 386. 53 394. 27
Apium viuax in coronis 321. 59
Apolloniſcus fidicen. 154. 46
Apologia Platonis 87. 47 Turnebi aduerſ. calūnias in lib. Cic. de legib. 190. 1
ἀπόφανσις 219. 10 241. 20 264. 44
ἀποῤῥινήματα 260. 18
ἀποσπασμάτια 66. 58 ſtoicorum 110. 58
ἀπόσπασμα legis Agrariæ 66. 55
Apollo deus Troianus 308. 2 malorum depulſor 316. 49 vmbilicum terræ obſidet 16. 61
Apollinis præceptum 127. 52
Apollonius de Mopſo 151. 1
ἀπὸ προηγμένα 93. 11
ἀποτέμνεσθαι 360. 8
ἀπότευγμα 31. 25
Apparento pro parento 141. 16
Apparitones 41. 30
Appellare debitores 64. 64
Appellare, id eſt, ad auxilium aduocare 118. 41
Apellare pro nominare 118. 39
Appellere ad Scopulos 11. 18
Appiani codices mendoſi 81. 44 locus vitioſus 68. 3
Appianus de vectigali Toriano 216. 51
Appia via 51. 62
Appij forum 26. 65 ſcelus 179. 13
Appion Rex Cyrenarum 14. 21 ab AEgypti Regibus ortus 24.
Appius augur 149. 62 conſul. 40. 52 Claudus conſul 59. 4 Pulcher Necromanticus 150. 17
Appoſitio 54. 21
Apſides & parapſides 347. 8

Aptum quid apud Catullum, Horatium 127 6 9
Aptum pro ſuſpenſum 61. 77
Aptus, id eſt concinnus 84. 8
Apud illum pro apud ſe 268. 10
Apuleius Saturninus 136. 48 181. 41
Apuleia 136 21
Apulia 5. 63. ſyluoſa 316. 60
Apuliæ ſaltus nemoroſi 15. 53
Aquæ in plurali 214. 27
Aquæ Præbitor 355. 24
Aqua currit 335. 29
Aquam ſpargere 332. 3
Aquaria prouincia 57. 33
Aquila cur legionibus dicata 99. 56 fulua 99. 62 Iouis Satelles 23. 55. melænaetos 99. 63 nuncia Iouis 99.50
Aquileia colonia 51. 25
Aquilius Iudex 42. 48. 44 21
Aquilo in Thracia 335.8
Aquilo Threicius 317. 56
Aræ gramineæ 315 63 325.35
Ara contumeliæ & Impudentiæ apud Athenienſes 147.25 Fontis 161.55 malæ fortunæ 146. 47 vetus Febris 146. 47
Arationes 58 48
Aratores 58. 48 agri publici 275. 9
Arbiter honorarius 234. 14
Arbitri 126. 20 33 257. 56
Arbitria 364. 12
Arbitrium præmium 258. 6 rei vxoriæ 257. 53
Arbitrum dat Prætor 124. 59
Arbitrum adigere 257. 60
Arbor dijs dicata priſco more 98. 20 infelix, pro, cruce 7. 20 8. 17
Arborem ſcabie ſcalpi 215. 30
Arceſilas 92. 40 95. 12 222. 33 239. 29 certauit cum Zenone 95. 23 117. 38 191. 8 Pyrrhonius & Scepticus 95. 59 tollit aſſenſionem 95. 54
Arceſilæ dictum in quendam caſtum oculis illecebroſis 209. 44
Archiaci Lecti 344. 12
Archiloch. Epodos verſus inuenit 330. 20
Architecti 41. 36
Architectus pro deſignatore Hoſpitiorum falſè 78. 48
Archontes annui Athenien. 228. 26
Ἀρχων annum nominans 251. 13
Arctare 271. 12
Ardere cupiditate 156. 24
Arenæ numerus 318. 37 61
Aretini agri 70. 26
Argei loca 276. 22
Argos 86. 5
Ἀργὸς λόγος 255. 41 230. 50 231. 16
Argumentatio per diſiunctionem contrariorum 256. 20
Argumentum Turnebi in Cic. lib. de legib. 96. 50 in Orationem Ciceronis pro C. Rabirio I.38 in ſecundum lib. de legibus 130. 1 in tertium lib. Cic. de legibus 168. 40
Argumentum omniū lib. de legib. 106. 57
Argumentorum vſus apud Stoicos 91. 43
Arimaſpi vnoculi 303. 12
Ariobarzanes 47 59
Ariſtides de coronis magnis AEſculapij 165 40. de Herculis cultu 146. 55
Ariſt. 86 38 87. 1 Chius 116. 63 125. 17
Ariſtocles de animis 128. 63
ἄριστοι 27. 44
ἀριστοκρατία 27. 45
Ariſtonis ardua ſed fracta ſecta 116. 15
Ariſtonicus 43. 55 56 59. 10
Ariſtophanes 151 52 de initiatis 152. 33 de pace furcis eiecta 346. 12 de voce initiatorum 152. 9 in nebulis 154. 38
Ariſtophanis poetæ pater 349. 56
Ariſtoteles 16. 19 85. 27 87. 59 89. 62 ſtagirita 87. 28 ad Theodecten. de Rhetorica 92. 6 de calore & frigore 90 19 de Chæremone 85. 31 de Herodoti ſtilo 101. 19 de Magiſtratu 169. 31 de motu 90. 44. de Platonis ſpeciebus 92. 41 de procreat. animalium 90. 27 de ſpectato ciue 170. 46 Diodoro ætate ſuperior 263. 21 initia diſtinguit ab Elementis 90 16 perſtringit Platonem 92. 9 ſpecies labefactauit contra Platonem 92. 31
Ariſtippi tres 294. 19
Ariſtotelis opinio de cœlo terra mari 128. 55 Quia & Quamobrem 81. 5 18 ſententia de animo corporato 90. 32 de fato 234. 5 de immutabilitate veri 259 61
Arius Didymus de lege Natura 107. 39
Arius de ſocietate rationis 109. 32
Ἀρμα 243. 57
Arma ancylia 171. 25
Armamentarium 9. 51
Armiluſtrum 291. 3
Arnienſis tribus 55. 23 80. 16
Arnobius de Cecrope 166. 47 de varietate hoſtiarum 148. 36
Aromata ex Arabia 55. 60
Arpinas Ciceronis villa 130. 45 131. 19
Arpinum municipium 131. 31 Romæ vicinum 192. 35
Ars philoſophiæ non apud Platonè 88. 20
Artatio literarum 271. 11
Artem deſinentes inſtrumenta ſuſpendebant 341. 42
Articulus in librorum græc. titulis non poni 263. 2
Aruus ager 274. 5
Asbeſton 288. 42
Aſcia 164. 17
Aſconius 2. 22 15. 57 30 61 50. 25 Ciceronis interpres 59. 58 42. 23
Aſconij locus de Aſpendio 52. 53 Cornelio conſule 187. 40 Licinio ſacrificulo 161 35 manubiis 19. 60 48. 33 platea ſeplaſia 60. 59 Q. Scæuola 27. 7 Senatus conſulto 175. 10
Aſcriptitij 302. 19
Aſdrubal 19. 27. 47. 31
Aſia apud Varronem 272. 4 duobus modis dicitur 272. 10. obſeſſa 43. 57 prouincia 272. 14 quibus regionibus conſtiterit 43 53
Aſinius Pollo hiſtoricus 322. 60
Aſius modus 154. 13
Ἀσπέπαρνον θᾶκον 164. 18
Aſpendius Citharista 52. 48 79. 50
Aſperſio rogi 165. 30
Aſpiratio in Vau mutatur apud Latin 148. 60
Aſſæ nutrices 67. 18
Aſſenſiones cauſæ appetitus 258. 17
Aſſertio quid 95. 55
Aſſignare & diuidere differunt 69. 58
Aſſignationis rationes 70. 37
Aſſignatores agrorum 367. 35
Aſſuetum malo 61. 60
Aſſura 67. 18
Aſtartes Venus 278. 19
Aſt pro at, & at ſi 174. 62
Aſt copulantis dictio 139. 28
Aſtrorum affectiones 333. 50
Ἀστυ 132. 63
Ater, id eſt, turpis 336. 41
Ater timor 325 11
Aternus amnis 173. 61
Athea Academia 267. 21
Athenæ 18 7
Athenæus de Timotheo muſico 154. 43 de cenſorum hoſtijs 213. 38
Athenienſis populus 26. 14
Athenienſes in ſepulturis 157. 16 cremabant cadauera 166. 61
Athenienſium opinio de initiatis 152. 32
Athenis cœlum tenue 7 45
Atius hiſtoricus 102. 40 58
Atomus Epicuri 229. 1
Atq; pro, ſtatim apud Plautum 134. 55
Atra pro infeſta 329
Atria auctionaria 17. 56 75. 49
Atri ſignificationes 329. 46 50 52
Attæ 348. 26
Ἀτταλεύω 16. 23
Attalia vrbs Lyciæ 16. 22
Attalicæ conditiones 306. 67. 324. 46
Attalus Rex 47. 23 79. 12 Philadelphus 16. 23 Philometor dictus 47. 27 rex Pergami 43 81
Attelare quid Gallis 16. 30
Attella 24. 45 57. 24
Atteſtari 391. 5
Attica eloquentia 77. 11
Attica tellus antiquiſſ. 362. 36
Atticus Epicureus 100. 50 106. 36 auditor Antiochi 87. 12 vbi habitauerit 100. 12.
Attici commentarius de conſulatu Ciceronis 103. 23
Atticus & Sunius 132. 60
Attilia pro Attalia 75. 34
Attilius 56. 50 Calatinus Serranus 51. 21 Glabrio 59. 6
Atypi apud Iuriſconſultos 88. 28
Auaritia 47. 56
Auctio ad haſtam 17. 37
Auctionaria triuia 75. 48
Auctoramentum 369. 30
Auctorati 369. 26 37



INDEX.


Auctor 34. 1 35. 34 legum 175. 57 184. 33 lib. ad Herennium de morte Gracchorum 33. 50 Auctoritas 87. 49
Auctum quomodo dicatur 111. 10
Audacia in bonam partem dicitur apud Salluſtium 71. 26
Audomarus Talæus 262. 10
Auernus lacus 83. 20
Aues ſiniſtræ 173. 13
A vetere 294. 25
Aufer pro apage 210. 1
Aufidius Baſſus 392. 57
Aufidij faſtus 356
Auguraculum 23. 22 277. 28
Auguralis ſcientia 140. 58
Auguratus non eſt magiſtratus 41. 28
Augur bonus 187. 25 in omnibus concilijs 149. 38
Auguratorium 23. 24
Augures tres, trium tribuum 149. 30
Augurium ſalutis 27. 48 141. 1
Augurum cooptatio 36. 46 partes in templis 141. 25
Auguſti lex de maritandis ordinib. 172 36
Auguſtinus animum corporatum Ariſtotelem ſtatuiſſe cenſet 90. 31 de Platonicorum opinione circū animas 144 28 lib. 5. de ciuitate Dei 220. 63
Auguſtus 24. 11 42. 16
Auguſtus Imp. princeps dici maluit quàm rex 181. 22 AEgyptum reddit feraciorem 44. 53
Auletes vnde cognominatus 44. 48
Aulicoqua exta 284. 16
Aulis oppidum 71. 39
Auocare concionem 299. 4
Aurea mediocritas 309 22
Aures acutæ 324. 51
Auri & argenti ſignificatio 25. 54.
Aurifodinæ 14. 9
Aurum & argentum pro pecunia 25. 63
Aurum coronarium 50. 11 36 barbaricum 333. 19 res inuidioſa 156. 42 ſignatum 25. 55 Toloſanum 5. 26 Viceſimarium 17. 54
Auſonius de Euripo 131. 2
Auſpicia Curiatorum 78. 31 Magiſtratus 181. 53 maiora, minora 173 44 vrbana 141. 32
Auſpicium omnibus Magiſtratibus commune 174. 26 perenne 290. 10 pullorum 41. 19 ſilenum 141. 9
Auſter concitat fluctus 308. 41
Auſtrum & hauſtrum 181. 5
Αὐτόνομοι 57. 31. 18. 5
Antumnus pictus 331. 2
Auus Ciceronis 185. 9
Axitioſi 302. 63
Axit pro egerit 302. 65
ἀξιώματα 218. 26 228. 35 264. 51

B

BAcchanal 315. 4
Bacchanalia ſacra ſublata 152. 48
Bacchi ſacra 315. 20
Baianæ aquæ 214. 27
Balathrones 315. 58
Balbus Stoicus apud Ciceronem 109. 44
111. 46 62 112. 40 42 116. 42
Baſtiſtæ centenariæ 62. 61
βάλλειν 307. 27
Bambalio 14. 61
Barbam tondebant Romani 77. 51
Barbaricum pro Phrygio 333. 15
Bardus 223 54
Barra 14. 64
Barri Romæ 334 46
Barro genus vaſis 41. 64
Barrunculus 14. 65
Barrus elephas 334. 57
Baſilica AEmilia 294. 30
βασιλίδας apud Plutarchum 211. 38
Baſilius de faſcinatione 20. 51
βάσκανα 20. 55 57
βασκάνια 20. 52. 304. 28
Baſſus poeta 338. 7
Beati qui 128. 41
Beatus Rhenanus 16. 35
Bellonæ miniſtri 365. 5
Belluæ ad ſeptentrion & Meridiē 37. 14
Bellum Africum 48. 24 Alexandrinum 44. 52 Auguſti in Parthos & Arabes 319. 41 Cimbricum 147. 51 Iugurthinum 30. 20 Marſicum 59. 14 187. 37 Mithridaticum 38. 50 56. 42 Piraticum 38. 42. 46. 3 Punicum 19. 24 Sertorianum 56. 46 Seruile 56. 51 Sociale 19 41 55. 46
Bellum iuſtum 174. 7
Bellum facere; inſtruere 54. 47
Beneficus 122. 36
Benignè aduerbium 345. 35
Benignitas quid 19. 10
Beroſus Chaldæus 226. 1
Beſſorum induſtria 14. 9
Bibliotheca 394 14
Biceſſis 293. 8
Bigæ in Circenſibus 266. 9
Bilis vitrea 364. 32
Bion Boryſthenita 349. 60
Bithynia 43. 66 77. 16
Bithynicum regnum 43. 47
Bithynorum iumentum 31. 17
Blandiri & Eblandiri differunt 30. 40
Boles 58. 55
Bonæ ſcæuæ cauſa 304. 45
Bona copia 361. 39
Bona dicta apud Catullum 203. 35
Bona dicta apud Ennium 203. 35
Bona fide 65. 8
Bona verba 43. 46
Bonitas 122. 34
Bonum & malum quid ſtoicis 125. 53
Bonum laudabile 120. 43
Bonus eſt 70. 40
Bonus vir colonus bonus 218. 10
Boreas rex Thraciæ 100. 38 40 44
Boſphorus 48. 24
Brachia cerea 312. 59
Braſſica vncta 341. 15
Braſſica vt præfica 284. 12
Breuiarium Henaclidis 177. 12 rerum Romanarum 74. 65
Britannia 20. 5
Brumalis dies pro Bruma 242. 46
Brutus 87. 60 de quæſtionib. publicis 118. 15 excellens laudis 86. 36 L. Brutus 39. 24 59. 39 M. Brutus 58. 57 à Pompeio interfectus 58. 58 parentationem ad vetus inſtitutum reuocat 160. 47. Tribunus 59. 36
Buccæ fluentes 212. 50
Bucco 14. 61
Budæus 392. 50 correctus 4. 55 de doctrina ciuili 177. 19 de generibus agnationis 110. 4 de poteſtate populi 182. 29 de Sannis 207. 64 de voluntarijs accuſatoribus 189 31
Bura pars aratri 287. 45
Burſarius 267. 21
Buſtuarij apud Rom. 164. 47
Buſtum 165. 13 167. 31
Byzantium Mileto potentior 54. 14

C

CAbironum Myſteria 300. 5
Cadauera icta fulmine non cremebantur 162. 33
Cæca expectatio 51. 61
Cæcilius 26. 1
Cænacula 292. 24
Cæſar 23. 30 35. 60 43 22 49. 67 76. 17 22 62 78. 63 86. 58 agros per xx viros aſſignauit 14. 15 apud Salluſtium de animæ mortalitate 12. 18. AEdilis 14. 5 31 conſul. 23. 9 Dictator 22. 56 ex Hiſpania 38. 54 Pontifex 85. 40 de duum viris 59. 49 80. 31 de fide pro ſolutione 76. 40 de interceſſione tribunorum 181. 16 de mole 58. 52 de ſocio rege 19. 42 L. Cæſar 2. 9 24
Caius Amafanius 84. 1 38 C Carbo 187. 33 C. Cincius 217. 35 Caius de ſepulchris hæreditarijs 161. 7 C. Fannius Cherea 33. 8 C. Gracchus 33. 39. 16. 53 C. Licinius Stolo 179. 20 34 C. Papius 20. 26
Calabra curia 296. 12
Calamitas vnde dicta 56. 2
Calata comitia 160. 2
Calatinus ſpem conſecrat 146. 51
Calculi 68. 40
Calenum municipium 24. 45
Calenus ager 24. 55
Calenus 46. 62 apud Dionem 28. 18 103. 7 de hiſtoria Ciceronis 103. 7 14 de Cic. lib. in amicos ſcriptis 103. 20 exagitat Cic. ob hiſtrion 104. 50
Cales Campaniæ oppida 62. 55
Caliendra 359. 15.
Caligula 26. 58
Calles, apud Tranquillum, Varronem & Ciceronem 15. 36 37 38
Callicles 123. 31 199. 53
Callidi 118. 63
Callimachi Grammatici dictum 202. 40
Callimachus de Cereris initijs 152. 23 de palma Apollinis 99. 43
Calor & frigus apud Ariſtotelem 90. 189
Calphurnius Beſtia conſularis 216. 31
Caluus apud Plautum 207. 51

Caluus ſatis eſt quod 207. 41
Camerarius 60. 65
Camelopardalis 283. 65
Camilli 301. 4.10
Camillum 345. 59
Campaniæ vbertas 23. 38
Campani 23. 61 ſuperbi 24 42. 60. 49
Campani agri fertilitas 25. 5
Campanus ager 23. 31.39.25. 27.54.19. 55.7 horreum belli 25. 19
Campeſtre 346 17
Campi doctores 217. 57
Campus Martius 3. 23. 57. 3. 64.59. 208. 20 310. 46 328. 43
Campus ſtellates 24.54 80 19
Canephora 353.21
Canere claßicum 283 21
Candacus 305.40
Caudidati 64.30
Cannæ 24 40 46
Canulei lex 179 35
Cantica in Proſcenio 104.47
Cantor apud Flaccum 338. 59
Cantus in quibus ſit 153.49
Cantus cornicis 327.55
Capena porta 162. 17 via 51.62
Capere crines 367.60
Capillatus 50. 1 79.26 & cincinnatus diuerſa 50. 6
Capita apud IurisConſ.14. 45. duo Rheni 360.20.legis Mamiliæ 200.52
Capital apud Plautum 141. 61 linteum 288.3.
Capitalis à capite 20.16
Capitium 288. 30
Capitolinum templum 76.13
Capitolium 14. 34 19. 20 23 14 vetus 292.1
Caprotinæ feriæ 295.29
Capua 23. 4 35 39 42 43 61 64 24. 4 22 40 44 26.55 57.54. 18 57.24. 60. 60 76.16 21 capta 59.3.
Caput Cœnæ 370. 17. duod. tabul. 179. 21 fons 108. 21 magnum 207. 37 obtegere condemnatus 7. 13 oſtium fluminis 108. 22 pro parte præcipua apud Ciceron. 55. 40 ſententia perpetua 159 38
C.Carbo 184.46.conſul 68.
Carcer cancere dignus 181. 30
Cardo actuarius 22. 58
Caria 43 54
Cariſius 83.38
Carmen Saliorum 348. 31
Carmina quid apud Liuium 7.10
Carneades 95.49.229. 58. 230. 14 contra Stoicos 117.39.46
Carnifici non domicilium in vrbe concedebant leges cenſoriæ 7. 32 48
Caro ſtribula 303. 1
Carthaginenſes 19.24 26
Carthago 19.21 22.56 42. 15 49. 55 Iunonia 47.52 conſecrata 16. 57 177. 24 60 79. 16 munita 57. 61 noua & vetus 47 30 prima 16. 53. prima Colonia 22. 28 potentier Tyro 54.13
Caſilinum 23. 2
Caſſandra 212.14
Caßi 9.48
Caßius longinus 184.41
Caſt:monia 138 49
Caſtoris Templum 7.44
Caſtrum quid 6. 45
Caſus de legatario ſacris alligato 159 41
Cata dicta apud Lucilium 120.50
Cata ſigna apud Ennium 120. 49
Catilina 25 49.reus 64 37. Sylla 185.28
Catius 84.2
Cato 19.46.131.53.187.7. de aſini ornatu 95 17.cauſa excidij Carthaginis 57 43.compitalibus 146.36 inuocatione Martis 140.60 de prædio 56. ſolitaurilibus 60.5 ſuouetaurilibus 80.19 naues ambulare dixit 45. 14 Romanus & Tuſculanus 132.14
Catones 9.48
Catonis libri originum 102. 12
Catuli venatici 243.38
Catullus 31. 16 50. 2 69 33 de buſio 167. 33.capill 79. 30 cercolipis 57. 60 durior in verſibus 388. 4. Maniia aqua 58. 9 olim Dianæ 99 43 ſarcinulis 84. 9 Smyrna poeta 341. 9. Veronenſis. 396. 6
Catulus 14. 4 50. 19. Q. Catulus 9. 45 49 93 11. 26 37 39
Catum varro acutum dicit 120.49
Catus id eſt,prudens 120.50 callidus 301. 48 Sabinum vocabulum 120 51
Cauatum cœlum 272 50
Caucaſi altitudo 48 1
Caudam trahere 339 24
Caudinum fœdus 49 57
Cauere verbum Iuriſconſultorũ 106.64
Caue thoracem 221.20
Cauet Iuriſconſultus 159.65
Cauillæ pro cauillatione 272. 65
Cauillator apud Plautum 203. 43
Cauitiones pro cautionibus 272.66
Caulæ,foramina corporis 272 61
Cauſæ Cic.de philoſophia ſcribendi 242. 16 cur Cicero Rabirium defendendum ſuſceperit 3. 12 20 cur Rabinius ſit accuſatus 3. 37 50 effectrices 250 63 & conſultationes 15 87. fortuitæ 240 4 in literis & ſyllabis 271.2
Cauſa perduellionis Rabirij 2 27 qualis 232 39 233 7 17 reſiliendi 250.16
Cauſam dicere 42.12
Cauſari 390.29
Cauſarum differentiæ 227. 20 diſtinctio 244. 7 diſtinctio ex Chryſippi ſententia 234.46 genera apud ſtoicos 235.10
Cauſatius 390 30
Cautes auctas dixit Catullus 111.11
Cautio pro ſyngrapha 38.24
Cautio quid 38.23
Cauum in iugo 288.12
Cecidit retrò 326.28
Cecrops AEgyptius 166.56
Cedere pro accedere 215 10
Cedit miles 293.63
Celius de Senatus conſulto 175.8
Cella Iunonis & Mineruæ 156.9
Celſus eques 340.44
Celſus de vnguium indicijs 221.3
Celtiberia cuniculoſa 79 50
Cenſere pro arbitrari 281.48
Cenſores 60.3.171.66.naſuti 14.15. Romani 48.56
Cenſoriæ animaduerſiones 189 19
Cenſoria poteſtas 176.35
Cenſorinus de Muſica 153.50 de Roma 57. 41.132 34.de Zenone Cittico 195.1
Cenſorum munus 17.46.18.1
Cenſura ætatum 172. 14
Cenſus luſtralis apud vlpianum 213 31 ſobolis 172. 17
Centum nobiles Regis 78 50
Centum viri 45 2 ad haſtam 17.37
Centuriata Comitia 30.58.60
Centuriati coloni 22.56
Centurijs pro tentorijs 78.51
Ceramici Athenis duo 167 41
Cercolipis ſimiæ genus 57.59
Cereris ædes 175 43 initia 152. 22 vigiliæ 152 39
Cerionia 276 44
Cermalus 277.44
Cernere & creuiſſe hæredem 142. 47
Cernere quid Vlpiano ſignificet 44.7
Cerolia 328. 17
Certamen Stoicorum 219. 18. Zenonis cum nouis Academicis 94 55
Certè pro verumne 100.16
Ceſpes 325 40 pro ara 315 53
Ceſpititiæ aræ 315.52
Ceſpitium tribunal 325.41
Ceßio quid 104.14
Cethegi cincti 337.26
Chœremonis poëma Hippocentaurũ 85 31
Chalcides 57.66
Chaldæi genethliaci 225.64. mathemat. artium inuentores 247 50
Chaldeorũ nomẽ bifariã ponitur 247.58
χαλδαΐζειν 248 4
χαλκοχίτωνες 286 23
Chariſius de libris varronis 85.35
χαρίτων μία 264.55
Charondas Thaletis diſcipulus 127. 19 de colendis Magiſtratibus 170.51 legislator 170.28
Cherſoneſ peniſula Thraciæ 47.21 79.9
Chimera 318 55
Chius Ariſto 125 17
Chlamys militaris Phoenicum 333.57
Cholera pro iracundia 268 54
Choerilus poëta 340.50 349.26
χῦν ἐπαμήσασθαι 163.1
Chryſippus 135 5 apud Cicero 106 46 apud Plutarchum 119 63 190. 41 195. 21 224 54. in Diodorum diſputauit non contrà 239 5
Chryſippi decreta duo 246.62 definitio legis 107 40 opinio de fato 244 4 245. 10 de lege 108.5. de pronunciatis 219. 7 de ratione bonorũ & malorũ 196 50
Chryſogonus 70. 61
χρυσοπώλης 345.61
χῶμα ἐπιβάλλειν 163.1
χρῶς & χροῦς 343.20 χρὼς 367. 4


Cibillæ

I N D E X.


Cibillæ menſæ 286. 36
Cicatrix 67. 60
Cicero 26. 8 53 27. 6 28. 17 34 31. 10 35. 20 36. 59 41. 46 57 46. 38 48. 21 49. 9 61. 35 68. 7 ad Atticum 52. 58 ad Q. fratrem 49. 46 73. 62 87. 9 ad Quirites 27. 53 In Acad. ad Varronem 46. 16 Catilin. 27. 10 56. 13 Oratore ad Brutum 74. 25 30 32. 20 Partitionibus 26. 40 Piſonem 2. 20 27.5 37.63 41.39 59 52 64.42 67.9 Pompeium lib.2. Epiſt. ad Atticum 63.46 Rullum 182. 4 in Timæo 68. 59 Vatinium 34. 4 35.46 50.51 Verrem 29.57 31 17 34 32.16 33.25 42.23 Libro 1. de Diuinat. 41.65 de fato 29.36 2. de finib. 117. 2 5. de finib. 88 24 3. de legib. 34. 3 62 35. 33 36 28 1. de Nat. deorum 37.26 2 de Nat. deorum 91. 2 2. Officiorum 33 20 51.30 3. Offic. 30. 47 3. Officiorum 42. 18 de Oratore 34. 27 55 30 71.6 74.36 2. de Orator. 51. 25 4. Tuſcul. 27.38 5. Philippica.30.26 pro Cæcinna 52.35 71. 11 domo 51.39 leg. Manil 26 43 38. 65 55. 49 69 2 Murena 56. 14 Plancio 55.60 Rabir. 61. 27 Roſcio Comœdo 31. 60 Seſtio 34. 2 Sylla 26.35
Cicero ædilis deſignatus 191. 59 admirabatur maximè Platonem 106.36 Antonij moderator 66. 13 15 Antonio cedit 27. 14 apud Macrob. 359. 45 apud Nonium 68.32 Arati φαινόμενα tranſtulit 134. 16 arrogans 29 52 Chryſippi Stoici ſententiam explicat 93. 60 63 Conſeruatorem patriæ vocat Marium 12. 4 Conſul 14.30 36.38 76. 15 77. 25 Contradixit Rullo 23. 15 Contra Epicureos 119. 1 65 Cur in ſenatu obtinuerit 76 62 63 Dialecticæ tribuit Ideam 92 42 diſtinguit promulgata & rogata 77. 46 diſtinguit Stoicos ab Academicis 116. 30 equeſtre nomen ſtabiliuit 76. 53 explicat Noſce teipſum 128.17 falſa auguratur 23. 35 græco more loquutus 138. 4 Gracchos vituperat 33. 29 in augurum collegium cooptatus 149. 33 in Conſulatu 182.38 initiatus fuit 152. 12 in Miloniana maximè orator 81. 8 in ſuis obliuioſus 205. 25 iuuenis totus in corporis & vocis contentione 104. 62 Legem Agrariam diſſuaſit 13. 54 liberas legationes repreßit 178 32 ludens in Epicureos 119. 8 lux doctrinarum 64.55 minùs accuſator quàm defenſor 3. 24 mutuatus à Stoicis definitiones 93. 32 non eſt imitatus Platonem 190.56 nec Ariſtotelicos 63 191. 15 oculos à vultu ſeparauit 112. 63 pater patriæ vocatus 11. 37 12. 4 philoſophando Socratem ſequitur 83. 19 Philoſophos vocat doctißimos 107.26 Platonis interpres 128. 9 Platonis exemplo ſcribit de legibus 96.54 Prætor 5. 5 πρόσωπον vultum vertit 112. 54 Puteolos municipium vocat 57. 28. qua ætate libros de legibus ſcripſerit 104. 24 Qualitates vocat qualia 89. 52 quando contra Rullum perorauerit 13. 60 quando libros de finibus ſcripſerit 121. 27 quando libros de legibus ſcripſerit 97. 41 quando orationem pro Rabirio habuerit 2. 17 4 53 quomodo θεώρημα verterit 245. 60 Reges Ægypti Alexandrinos vocat 14. 20 Rullum laudat 25. 46 Senſum in neutro genere dixit 94. 60 Stoicè diſſerit 194.25 Stoicos deridet 89.12 Stoicos imitatus 191. 18 194 16 Stoicorum orationis genus improbabat 190. 49 Stoicorum ſententias Latinè expreßit ibid. ſumit virilem togam 99 13 tentat tollere legationes quaſdam 18. 28 transfuga appellatus 38 38 46. 62 Vana timet 23. 10 Virtutem animi affectionem definit 120. 65 Vocabulum ἀντίστρεφον benè interpretatur 92. 10 20 Vultum ab oculis ſeparat 67.9
Ciceronis Auus 29. 47 185. 9 Commentarius de ſuo conſulatu 103 21 Familiaritas cum C. Rabirio 3.12 Oratio pro C. Rabirio 3. 4 Pater 28 7 130.41 Patria 130.39 Mater 131.34 Ortus ibid. Poëma Marcus 98.35 Sententia de coniunctione Philoſophiæ cum eloquentia 74. 21 25 Verſio in Homerum 99.35 Villa 130. 45 Liber de fato 218. 20 iure ciuili 97 49 de iure ciuili in artem redigendo 192. 18 Liber in Pompeium 103. 16
Ciceronis locus correctus 111. 5 deprauatus 237. 48 emendatus 87 11 21.52 141. 20 explicatus 112 17 20 illuſtratus 2 22 69. 12 mutilatus 147. 6 obſcurus 3. de Orat. 17. 24 reſtitutus 104. 56
Ciceronis locus de Abalienatione 49 1 Acerbitate 19. 9 Acilio 164 56 Ædilitate ſua 28 61 Ægæo mari 185.32 Agrarijs 67. 40 agro campano 23. 32 25 2 19 Alexandro rege 14.21 30 Amafanio 84. 4 Amalthea 153.49 Amicitia 122. 42 48 amicitia Stoicorum 115.57 Amphibologia 209 23 Animis delibatis ex diuina mẽte 110. 60 animo 128. 24 animo forti 65. 18 Annalibus Pontif. Maxi. 101. 61 Antiocho philoſopho 125. 28 39 41 Antiocho 87. 194. 4 Antipatre hiſtorico 102. 29 Antiquis philoſophis 191. 10 Antonio equite magiſtro 173. 32 de Appio 40. 55 Appio Claudio 150. 20 Ariſtippo 125. 2 de Ariſtocratia 65. 40 Aruſp. reſponſis 4. 63 Aruſpicina 150. 26 de Arpino 131. 16 20 Arpinate homine 192. 37 Aſia 43. 47. 27 Aſia portuoſa 55. 52 Aſpendio 52. 50 Aſſenſione 94. 35 Atio hiſtorico 102. 53 Atomis 250. 5 de atrijs Licinijs 75. 50 atrijs auctionarijs 17. 57 62 augurali libro Appij 150. 15 augure 141. 24 auguribus 140. 52 augurio 140. 55 auibus internuncijs 99. 52 auiditate 18. 33 Aulete 44 47 auro & argento 25. 54 auro Toloſano 5. 27 auſpicijs 151. 21 auſpicio Marij 98. 40 beatitate clarorum virorum 146. 57 barbatis 34. 36 Bono Stoicorum 121. 14 Bruto 169. 25 Cæcilio 26. 2 Campanis 23. 48 Campo ſtellate 24. 50 Candidatorum pecunijs depoſitis 390. 57 Capua 76. 18 Carbone trib. pl. 184. 50 Catulo 50 20 Cenſoris iudicio 189. 21 Cenſu 172. 19 Ceßione 104. 15 Chryſippo 19.36 218. 6 Circuitione fanorum 18. 21 C. Licinio Macro 5. 1 Cne. Pompeio pro Leg. Man. 38. 43 Cogitatione rationis 109 23 Colonia 22. 35 Coloniæ deductione 64. 4 Colonia deducenda 23. 1 Colonia Narbonenſi 203. 49 Communi conſilio 24. 3 concilijs 187. 48 concionibus 175. 25 conditione 169. 52 coniunctione hominum 115. 31 connexa Stoicorum ſerie 200. 21 cónſcientia hominum 199.7 Conſidio 60. 48 contentione 66. 64 continentia 122. 54 56 corintho 58. 2 coronis 20 4 corporis deformitate 123. 40 cotta 61. 49 de crabra 69. 42 46 craſſo 52. 40 cratere ſinu 55. 3 cupiditate 18. 32 Cyrenarum regno 44. 34 decem legatis 47. 48 Decimo Bruto 160. 44 dedicatione templi 147. 3 Delphico deo 128 21 Demetrio 167 58 Democrito 29. 17 95. 34 Dialectica 191. 11 Dialectica & Phyſica 84. 16 dialect. & Rheto. diſtinct. 129. 26 dict. Fabij 214. 10 dijs in cœlum receptis 139. 23 diligentia 214 7 Diogene Stoico 176.56 diſciplina Augurum 175. 4 dißimilitudine inter homines 114. 2 diuin. 27 49 domino epuli 166. 12 duod. tab. & lib. Pontif. 192. 51 Duumuiris & Triumuiris 7. 60 Duumuiratu 59. 55 electione Imperantium 170 16 eloquentia Gracchi 7. 42 Epicureis 108 42 Epicureorum decretis 117. 30 Epicuri Libro κυρίαι δόξαι dicto 108, 47 Evandro 95. 61 Eutychide 133. 40 exilio iuxta Stoicos 129. 1 Expiatione ſacerdotum 117. 62 extraordinarijs pecunijs 32. 42 Fabio pictore hiſtorico 102. 15 16 familia Publicanorum 55. 25 fano febris 147. 33 fauoris vocabulo 31. 61 fine bonorum 124. 64 finibus 84 54 89. 19 forma Reipub. 89. 22 formula loquendi: Qui Rempub. ſaluam


 &c.

&c. 9. 27 fortuna 91. 23 fundis ſuburbanis 70. 52 funere indictiuo 166. 8 de furijs 118. 25 Fuſio & Pomponio 34. 50 Gabinio 45. 10 178. 42 Cellio Plebicola 56. 65 Globo & circulo 21. 27 Græcis ſacris 143. 10 Haſta cruenta 17. 34 Haſtis gramineis 17. 42 Herodoti ſtilo hiſtorico 101. 18 22 Hetruria 142. 39 Hetruſcorum aruſpicum diſciplina 142. 28 horto Epicuri 117. 25 hoſte 270 46 hoſtijs lactentibus 60. 3 hoſtijs maioribus 80. 27 humani generis ſatu 110. 54 igniculis natura 197. 47 immortalitate animæ 12. 41 impetrito 141. 18 incenſo tabulario 5. 30 ingenij motibus 158. 5 ingratijs 19. 34 inſolentia 23. 60 intelligentia 128. 38 interimendis ſacris 144. 26 159. 19 inuentione 65. 12 Itacha 131. 58 iure hominis cum beſtijs 113. 62 iure imaginis 77. 21 iure intercedendi 174. 44 iureiurando 137. 65 iure Pontificio 158. 26 iurgijs prohibitis 139. 45 Iuriſconſult. 158. 14 iuris vinculo inter homines 196. 35 iuſtitia 121. 57 iuſto bello 174. 10 Lælij inſtituto 87. 53 Legationibus liberis 18. 24 178. 33 178. 18 de Lege 169. 43 Lege Agraria 56. 57 Lege Cæcilia 175. 50 Lege curiata 39. 11 Lege diuina & humana 134. 38 Lege de capite ciuis 175. 61 lege Gabinia 184. 38 Lege L. Flacc. 119. 30 Lege Licinia 37. 45 Lege Mutia 136. 43 Lege Papia 20. 38 21. 13 53 Lege Porcia & Sempronia 6. 64 de Lege Valeria 68. 4 Leg. Valer. & Cornel. 68. 16 Legib. 63. 2 68. 61 Legibus ſacratis 188. 27 Legum proœmijs 136. 60 Liberalitate 122. 16 Liberis agris 19. 6 Liberis populis 18. 2 6 8 Libero 152. 7 Librarijs 189. 6 Locis celebratis 132. 23 Luc. Caßio 184. 43 185. 45 L. Cotta 188. 44 L. Gellio 124. 29 L. Manlio 70. 41 L. Philippo 51. 29 ludis ſanctiſſimis 171. 60 Machinatione 22. 4 22. 11 Magijs 60. 51 Malitia 122. 31 Mamilia rogatione 216. 41 M. Cicerone 185. 10 M. Gratidio 185. 12 M. Octauio 180. 57 Maturitate rerum 111. 1 Mente cœli 109. 28 Minerua vrbis cuſtode 156. 6 Mithridate 48 30 Mæotis paludibus 48. 7 Moroſitate Piſonis 215. 42 More obtegendi caput damnati 7. 13 Morum ſimilitudine 115. 51 Mulctæ irrogatione 6. 11 eiuſque ratio 13 Mundi mente 91. 12 Mundo 90. 15 Municipijs 131. 24 Muſicorum cantibus 153. 62 Natali Brunduſinæ coloniæ 22. 62 Natura 135. 6 197. 20 Naturæ definitione 135. 10 Natur. deorum 90. 18 194. 7 Necromantia Appij 150. 16 Nilo 131. 10 Nocturnis ſacris 152. 44 Nominis fama poſt mortem 12. 21 Obſoletiore veſtitu 25. 32 Occultando conſilio 84. 56 Optimatibus 10. 41 Optimo genere orator 46. 33 Oratione ſua pro Rabirio 1. 28 Oratione Lælij 185. 21 Oratore 34. 47 Ordine equeſtri 9. 40 Ordinibus Reipub. 192. 10 Ortu iuſticiæ 113. 58. Otij beatitate 32. 58 Paſtoribus Apuliæ 6. 2 Patrio ſolio 204. 42 Pecudum vſu 111. 64 Pecunia numerata 15. 22 23 25 Peregrinis 131. 26 Perfecto officio 93. 15 18 Perturbatione Stoicorum 93. 60 Petulantia 123. 3 Phædro 124. 34 Phalareo 177. 28 Philiſto hiſtorico 20. 16 Phrygibus 151 7 Piſone 28. 63 29. 36 Pœnæ timore 118. 36 Polyido 150. 52 Pontificibus Maximis 101. 60 Pontificum libris 102. 3 Popularibus 32. 8 Poſidonio 221. 24 Poteſtate 174. 5 Præſone Granio 46. 30 Prætextatu 166. 22 Principio 196 59 Priuilegio 175. 60 Proficiſcentibus in colonias 52. 25 πρόληψει Epicureorum 111. 22 Proſcriptione Syllæ 49. 6 Prouinc. conſul 60. 12 63. 17 Prouocatore & reuocatore 67. 4 de Ptolomæo 49 52 Puberibus 203. 61 Publio & P. filio 193. 48 P. Lentulo 56. 35 Pulegio 220. 59 Quibuſdam Stoicorum ſententijs 117. 41 de Quinqueuiris in Academia 35. 57 Quint. fratris poëmat. 98. 61 Q. Catullo 123 59 Quomodo res deorum nomen inuenerit 146. 60 Rabirij domo & agris 6. 4 Rebus ſuapte natura ingenitis 88. 30 Recta ratione 120. 57 Regali genere 77. 38 Rege Alexandrino 44. 30 Regum electione antiqua 170. 10 Rhetorica 92. 7 Rerum formis 91. 58 Rerum ſerie 124. 20 Rogatoribus comitiorum 210. 35 Roſcio comœdo & Æſopo tragœdo 104. 48 53 Sabazio 152 56 Sacrificio bonæ deæ 143. 1 Salutis augurio 76. 43 441. 5 Sanctionibus ſacrandis 138. 39 Sapientum amicitia iuxta Stoicos 198. 2 Scæuola 10. 3 ſceleribus expiandis 11. 64 ſeipſo in Bruto 105. 1 ſenatus auctoritate 149. 5 Sergia tribu 39. 51 Sergio Galba 10. 9 Sicilia 55. 47 ſilentio in auſpicijs 141. 11 ſilua Scantia 15. 40 ſimulachro licentiæ 155. 62 ſiniſtro & dextro 173. 16 28 Socrate 87. 36 115. 44 ſolio paterno 104. 26 ſolis anfractu 139. 58 ſonitu verborum inani 24. 23 ſpe poſteritatis 12. 37 ſtipulationum formulis 106. 11 Stoicis 198. 29 Stoicorum argumentis quibus deum eſſe probant 137. 35 ſuffragio ferendo 144. 64 ſuffragio vocis 184. 25 ſuo conſulatu 30. 16 31. 46 185. 15 ſuo cum Hirtio in Puteolano colloquio 242. 6 ſuo libro de Fato 238. 50 Sylla 20. 22 25 20. 34 Tabella 184 21 tabella ſuffragij 4. 39 tabulis publicis 58. 35 temperantia 122. 62 temperata Republica 191. 50 Theophraſto 92. 46 176. 50 Theopompino ſcribendi genere 101. 34 Tiberio Graccho 149. 47 Treuiris 171. 50 Venonio hiſtorico 102. 21 verbo defigere 12. 7 Veſta dea 148. 55 Viceſima 17. 53 vigilia conſulari 54. 43 villa Curij 131. 55 vita modica 89. 3 vitioſarum rerum conſecratione 147. 32 voluptate 123. 63 votiua legatione 18. 18 vmbraculo 177. 26 vnde ius profectum ſit 113. 46 vultu 196. 18 Xantippe 196. 8 Xerxe 146. 10 Zaleuco 137. 6 Zenone 94. 11 120. 53 191 33 193. 67 Zenone quid de lege ſenſerit 107. 46

Ciceronis loquutiones quædam; Actum quo genere ſolitus dicere 66. 21 acuti motus 93. 1 appellere ad ſcopulos dixit 11. 19 apta vita 127. 5 animi pendere 26. 29 auctum ſe filio dixit 111. 10 aues ſatellites 23. 57 cauſa apta 61. 65 cœlum pro aëre ponit 7. 45 collocari pro locari 23. 50 concrepere digitis 56. 18 concurſare pro obire dixit 18. 14 16 condere pro recondere 52. 61 coniecta 167. 11 conuerſa res 52. 37 coronarium aurum 76. 2 corpus locum obſidet 54. 16 corpus obductum 67. 63 crepitus pedum 56 16 cuiuſque pro cuiuſcunque 9. 5 cuſtodem prærogatiuæ 78. 2 faciatis cum ablatiuo 52. 48 pro Cæcinna cum datiuo 52. 49 facere ſummam 51. 45 fides in rebus creditis 76. 39 gleba pro ſepultura 67. 48 habitauit, id eſt, aßiduus fuit 65. 22 imago gloriæ 28. 66 Imperij gradus factus 79. 1 inane pro mortuo 24. 25 in cauſa, pro, in controverſia 70. 17 indiſſoluta pro indiſſolubilia 62. 9 ingenium pro eloquentia vſurpauit 33. 37 inſignia fori 75. 46 inſtituam pro conſtituam 68. 9 intemperanter pro ſtultè 64. 47 intemperantis, id eſt, ſtulti 64. 48 inueterare pro durare 99. 17 iocus laſciuior 57. 4 iunctum ex partibus 94. 32 ius poſſeßionis 69. 19 ius pro munere 63. 49 lachrymæ deprecatæ ſunt 65. 5 mittere pro conſule 124. 38 Ornamentum imperij inſignia vocat 17. 6 ornare claſſes 59. 17 pacis dignitas pro



pro vectigali 55. 44 participare ab alio quid ſit 115. 26 paßionem non dixit ſed perpeßionem 8. 19 plebem Sentinam vocat 53. 20 quid exprimere 31. 28 quid inſignia 17. 1 quomodo parricidij vocabulo vſus ſit 12. 1 Religio pro metu deorum 16. 59 rem definire 52. 3 replicare memoriam 183. 26 reum retundare 29. 38 Roma communis patria 57. 40 Scripturam propter ſyluas dixit 15. 28 ſecundum naturam viuere 126. 51 ſenator ſine procuratione 86. 54 ſeruata, ſerva facta 69. 31 ſingularem mundum 62. 58 ſpatia pro ambulatione 105. 20 ſuburbanitas prouinciæ 70. 54 Veſtigium pro momento 24. 32 volitare in foro 49. 65 vota diſſoluere 18. 19 vſura pro vſu 67. 13

Cicum non interduo 303. 63
Cicuta 349. 43
Cilibanthum 287. 5
Cimbricum bellum 12. 5
Cinctus & cingulum differunt 286. 4
Cinctuti 337. 26
Cineres virorum triumphalium 163. 58
Ciniflones 287. 59
Cippi lapides 290. 16
Circæum oppidum 89. 13
Circuitio fanorum 18. 21
Circumtextum 288. 53
Circumuallare 30. 13
Ciſpius mons 276. 62
Ciſtellaria Plauti non integra 302. 37
Cithara Alexandri 313. 52
Ciuem Romanum verberaſſe impium 171. 10
Cives totius mundi 127. 50
Civis boni officium 3. 44
Civitatis duæ partes 192. 14
Civium pro quale 302. 63
Clarigatio 282. 59
Clarißimi ſenatores 33. 32
Claſſes ex cenſu 172. 26
Claßicus qui fuerit 299. 9
Claudicare pro vitioſum eſſe 207. 20
Claudiorum familiæ 110. 8
Claudius 9. 47 20. 5
Claudius Truſus 26. 64
Clavi neceßitatis 321. 13
Clauſtra literarum 76. 24
Clauſtra quid ibid.
Cleanthes 225. 26
Cleanthes Stoicus 271. 47
Cleomenes Ephororum poteſtatem tollit 577 52 Lacedæmonius 147. 19
Clichthoueus 269. 5
Clientes Ciceronis 137. 10
Cliſthe Athenienſis 154. 65
Cliſthenes Athenienſis 153. 26
Clitarchus hiſtoricus 102. 44 103. 2
Clitellarij 41. 38
Clivus Capitolinus 12. 64
Cloacinæ ſimulachrum 280. 38
Clodius 39. 28 42. 21 44 144. 20 152. 42 abſolutus 156. 31 Ciceroni adverſatur 181. 26 Ciceroni priuilegium irrogat 188. 26 Quadrigarius hiſtoricus 102. 35
Clodij cadauer 156. 16
Cluere, id eſt, pugnare 280. 41
Clypei picti 157. 7
Cneus Carbo 187. 35
Cneius Cornelius Dolobella conſul 42. 46 43. 19
Cneius Pompeius 44. 23 47. 2 56. 46 71. 22 75. 20 Conſul 43. 2
Coactores 63. 56
Coactores argentariorum 21. 19
Coævum Cicero non dixit 103. 14
Coauctio, id eſt, amplificatio 16. 7
Coccinus color inſignis 333. 53
Cocles Romanus 134. 18 135. 1
Coclites 51. 16 apud Plautum 303. 17
Cœleſtus 47. 41
Cœlius 185. 8 Antipater hiſtoricus 102. 27 Apitius de nucula & nucella 208. 52 in epiſtolis 42. 63
Cœlum, mare, terra 68. 57
Cœlum pro aëre 7. 44 272. 18
Cœlum claudi 359. 35 dupliciter intelligitur 272. 9 quintum elementum 90. 26 vnde dictum 272. 30 43 Stoicis rationale 109. 27
Cœli cauernæ 272. 45 clypeum 272. 56 palatum 272. 54 partes iuxta Thuſcorum literas 141. 22 plagæ 187. 61
Cœnacula apud Romanos 343. 4
Cœna dubia 362. 6
Cœnæ deorum 368. 55
Cœna & Antecœna 366. 14
Cœrarius 174. 56
Cœvum 193. 30
Cogitatio 105. 8 109. 22
Cognationis tria genera 110. 3
Cohors prætoria 41. 53
Cohum cœlum 272. 42
Collativum prandium 205. 6
Collecta 205. 4
Collectanea Suidæ 18. 46
Collectrix 205. 12
Collegiorum nomen 267. 14
Collegium Tribunorum 174. 17 Fecialium 142. 3 14 λογιστῶν 189. 26 32
Colles vnde 274. 33
Colligere ſe 27. 63
Collina porta 163. 37
Collina tribus 55. 15
Coloniæ duorum generum 21. 58 vbi deductæ 52. 8 vt deductæ ſint 22. 56
Colonia prima extra Italiam 22. 27
Coloni ſuffragio carent 52. 27
Colonias deducendi ratio 22. 56
Color fulvus 99. 58 obſoletus 25. 31 76. 30 puniceus 285. 53 purpureus 285. 55
Columellæ in ſepulchris 167. 62
Columella 21. 12 31. 37 55. 12 62. 43
Columellæ ſepulchrorum 167. 42
Columellæ locus de Alphio 64. 65 Attilio regulo 80. 43 Centuria agri 274. 21 Curio dentato 131. 48 forma in agris 71. 3 forti fortuna 147. 61 Licinianis iuger. 37. 42 Nomophylacibus 189. 14 puris in ſacrificio 138. 54
Comes exterior 366. 36
Come pro pulſa 303. 61
Comitas quid 114. 60
Comitatus regis Galliæ 41. 44
Comitia auſpicata 6. 41 calata 39. 43 55 centuriata 2. 18 3. 23 4. 52 5. 48 6. 30 40 22. 16 39. 42 53 62 52. 66 76. 5 78. 9 210. 28 188. 2 13 37 curiata 39. 16 28 42 40. 11 41. 5 Decemviralia 39. 26 maxima 175. 63 tributa 39. 42 35 41. 3 188. 41 47
Comitia rogandis Magiſtratibus haberi 182 8
Comitiati 171. 39
Comitiatus apud Gellium 149. 35
Comitiavit rex 296. 24
Comitiorum genera quatuor 39. 42
Comitijs præeſſe 37. 61
Comitium quid 9. 62
Commentarij regum 7. 56
Commentaria Turnebi in Cic. Orat. de lege Agraria 13. 1 30 in Orat. pro Rabirio 3. 18 in 2. Orat. Cic. de lege Agraria 28 30 in tertium lib. Cic. de legibus 168. 50
Committi 140. 13
Commoda quæ fuerint Stoico 116. 60
Commodius facere 66. 52
Commodum eſt 15. 57
Commotio concionis non rectè vocatur acclamatio 81. 53
Communio inter Deos & homines 196. 33
Commutare pro vendere 21. 11
Comœdiæ & Tragœdiæ fabulæ 118. 31
Comparatio Philoſophiæ cum agro 129 20
Compendium Flori 59. 5
Compilari quàm vœnire 213. 11
Compita auctionaria 75. 48
Compitalitia ſacrificia 146. 40
Compluuium & impluuium 292. 18
Comprehenſio Zenonis 94. 63
Concha ſalis puri 353. 55
Conchylia lubrica 366. 4
Conciliabula 22. 44 53
Concilium & comitia 36. 44
Concio 26 16
Concio pro Roſtris 175. 54
Conciunculæ Ciceronis 66. 54
Concluſiones apud Cic. 114. 11
Condicere, condictio 389. 41
Conditio quid 169. 51
Conditiones poßidendi 18. 66
Condonare 35. 25
Condonare & permittere 43. 28
Confatalia 231. 39 49
Conficere pecuniam 41. 67

Confixum

Confixum facere 208. 38
Confixus 208. 33
Conflagratio Stoica 278. 39
Conijci 167. 10
Coniunctio infinita 248. 7
Connexa ſeries Stoicorum 200. 19
Conniuere 54. 46
Conquirere 63. 13
Conquiſiti 63. 22
Conquiſitores 63. 13
Conquiſituri 63. 24
Conregio 299. 57
Conſciſcere verbum priſcum 174. 53
Conſecrare quid 75. 36
Conſentanea naturæ bona ſunt 120. 22
Conſerere manu 297. 50
Conſertum ex iure manu 69. 11
Conſidius & Salcius duumuiri 59. 46
Conſilia 42. 30
Conſiliari, id eſt, cogi 296. 49
Conſiliarius 187. 52
Conſilium commune latius patet quàm iurisdictio 76. 20
Conſpirare 27. 42
Conſponſi 297. 62
Conſtantinopolis 26. 59
Conſtantinus 26. 59
Conſueſco pro conſuefacio 355. 32
Conſuetudo ſcribendi ad familiares apud Romanos 48. 20
Conſulcio 281. 25
Conſulare imperium 3. 62
Conſularis ætas 173. 5
Conſulatus non in numero ordinum 192. 7 non ordinis nomen 191. 63 Pompeij & Syllæ 14. 24
Conſulere 281. 26 31
Conſules quando Magiſtratum inierint 14. 33
Conſulis boni officium 3. 42 4. 3
Conſul ſenatorius Magiſtratus 31. 43 35. 7 ſenator 191. 58
Conſultatio quid 107. 3
Conſulum regium imperium 177. 47 54. 64
Conſul vnde dictus 281. 27 30
Contagio rerum 244. 32
Contendere & relaxare 105. 4
Conterraneus 387. 50
Continentia 122. 53
Continuare 53. 3
Contorta oratio 267. 3
Contortè dicere 246. 45
Contra petere 59. 28
Controuerſia inter quinque pedes 126. 2
Contubernium 388. 46
Contumeliæ fanum 146. 46
Conturbare quid ſignificet 15. 2
Conventio 26. 18
Converſiones Lyricorum 330. 6
Convivari de die 306. 46
Convivator aquæ præbitor 355. 14
Convivium Naſidieni 370. 15
Cooptatio cenſoria 174. 38 in collegijs non in ſuffragijs 77. 54 in ſenatum 182. 20 Pontificum 36. 46
Copiæ cornu 397. 26
Copiantur verbum caſtrenſe 387. 53
Copiarij 351. 19
Copo perfidus 351. 18
Corinthiam territorium 16. 48
Corinthus 16. 40 57. 67 deleta 58. 4 inſtaurata 58. 4
Corium apud Horatium 367. 54
Cornelia gens humari ſolita 162. 40
Cornelius Fauſtus 50. 27 Naſica 179. 51 Nepos de ætatis vacatione 104. 23 de ſexagenario ſenatore 193. 34 Ruffinus 213. 33 cur è ſenatu motus 51. 19 Scipio Naſica 166. 53 Sylla dictator 25. 51 180. 1
Cornicula apud Horat. 343. 48
Cornicula comœdia 291. 18
Cornigeri Dei 329. 59
Cornu Amalthea 361 39
Coronæ Claudij 20. 6
Coronati poëtæ 310. 10
Corona triumphalis 20. 7 75. 67
Coronarium 20. 38
Corpora poteſtate poſſunt ſecari 90. 41
Corporis humani figura 112. 28
Corpus 89. 30 inane 24. 25 156. 43
Corruere pro conijcere 289. 34
Cors villæ non domus 212. 8
Coruncanus Pontifex 159. 56 160. 19
Corycum 10. 12 16. 25
Coton portus 57. 55
Cotta conſul 13. 62 14. 3 19. 18 20. 36 45. 17 26 49. 50 75. 15 19
Covino Belgæ triumphabant 333. 47
Coum in iugo 288. 12
Crabra 69. 42
Crantor 92. 39
Crantoris libellus de luctu 393. 25
Craſſi in Domitium facetum dictum 204. 63
Craſſi domus æſtimata 204. 61
Craſſus 9. 47 10. 9 11. 18 41 cenſor 14. 3 conſul 28. 19 43. 2
Crater, ſinus in ora Campana 55. 2
Crates 92. 38
Creatio magiſtratuum 173. 61
Crebreſcere 266. 34
Cremonenſes 24. 11
Creon 80. 23
Crepitus digitorum ad contemptum 56 19
Creſſa creta 321. 54
Creticum bellum 27. 17
Cretio in hæredum inſtitutione quid 44. 9
Creverit antiq. 171. 57 pro decreverit 182. 26
Crevi pro conſtitui apud Plaut. 142. 46
Crimen perduellionis 184. 60 capitale 11. 34
Criminor 70. 50
Crito apud Socratem 162. 9
Cubital 365. 15
Cuivis tempori 213. 64
Cuiuscunque modi, pro, cuiusmodi 136. 12
Culinæ loca funeribus deſtinata 273. 48
Culinaria philoſophia 365. 49
Culleus literarius 72. 25
Culpâ potare magiſtrâ 362. 57
Cululli pontificum calices 320. 2
Culullus diminutivum 319. 64 68
Cumæ 23. 42 57. 24 oppid. Græc. 316. 28. oppid. Ital. 316. 6
Cumani græci 273. 15
Cumanum Varronis 83. 19
Cumera apud Horat. 345. 50 58
Cumque apud Horat. Plaut. &c. 173. 34
Cumque particula 320. 10
Cumulus quid 50. 63
Cunæ quid 64. 50
Cuniculum vnde dictum 14. 8
Cupedinis forum 290. 31
Cupiditas pro avaritia 39. 2
Cuppa 362. 61
Cura & procuratio diverſa 86. 53
Curare pelliculam 343. 24
Curatio alia in Solonis alia in Ebutia lege 77. 64
Curator Agrarij 22. 39 56
Curatores 39. 10
Curia calabra 296. 11
Curiæ triginta Romæ 78. 19 291. 34
Curialium ſacra 78. 20
Curiana villa 130. 42
Curiata comitia ætate Romuli 78. 16 44 Ciceronis 78. 18 vnde dicta 39. 44
Curiatius Trib. pleb. 65. 2
C. Curiatus 178. 57
Curio 10. 13 49. 66
Curiones 282. 3
Curius Dentatus 131. 48
Curius Rabirio affinis 5. 35
Curriculum quid 4. 55
Currus pro equis 243. 10
Currus triumphalis Imper. 333. 45
Curſura pro curſu 67. 15
Curſus duplici 371. 64
Curſus pro navigatione 45. 13 15
Curta & aſtricta ſarcina apud Catullum 201. 39
Curtius 21. 64 52. 1 de Tyrijs 133. 6 Iſthmum diſcrimen vocat 58. 23
Curules magiſtratus 28. 60 77. 19
Cuſtodes ſortientibus additi 37. 64
Cutis pro corpore 343. 20
Cyathos petere ſibi dari 327. 4
Cybeles 365. 5
Cybia 280. 50
Cyclicus ſcriptor 338. 49
Cylicium 287. 8
Cylon Athenienſis 147. 10
Cymbalum mundi 394. 21
Cymbricum ſcutum 212. 42
Cynici cur ſic dicti 361. 44
Cynicorum duplex pallium 347. 19
Cynoſarges gymnaſium 87. 52
Cyprij 19. 46
Cyprium regnum 43. 47
Cyprus inſula 42. 43 328. 41
Cyprus regum Ægyptiorum 14. 35
Cypſelus 225. 7
Cyrena 19. 25 79. 22




I N D E X.


Cyrenaicorum ſententia de perturbatione 344. 38
Cyrenaicum regnum 44. 33 34
Cyri ſolium 323. 27
Cyrus 59. 29
Cyrus apud Xenophontem 162. 3


## D.


DAma 366. 56
Δαμία dea 143.
Damium ſaccum 143. 2
Daphyta ſophiſta 221. 15
Dardanum dij penates 278. 21
Data & donata 69. 66
Datio iudicis 50. 38
Deambulatum 209. 40
Debere ludibrium 372. 68
Decem legati Romanorum 47. 43
Decem legati tempore Ciceronis 47. 62
Decem Tribuni 180. 53
Decem tubicines in funere 164. 40
Decemvirale imperium 26. 55 32. 38
Decemviralis poteſtas 42. 40
Decemviratus 41. 27
Decemviri 13. 56 18. 26 59 19. 8 59 20. 31 49 64 35. 27 37. 7 45. 2 haſtam centumviralem cogebant 17. 37 229. 9 Sibyllini 303. 54
Decianus 10. 51 61 11. 2 4
Decies centena pro immani ſumma 353. 60 68
Decimus ſeptimus annus ad malitiam aptus 12. 58
Decius 208. 30
Decius Brutus 9. 49
Declamationes Rami in Ariſtot. & Ciceronem 72. 63
Declinationes Epicuri 227. 32
Declinatio 296. 37
Declinationis cauſa 249. 60 motus 236. 14 in motu naturali 260. 27
Decuma 20. 40
Decuria Gymnaſiarchorum 267. 17
Decuriones 62. 14
Deducere quid 52. 35
Deduci de poſſeſſione 71. 16
Deducti in colonis 53. 24
Deductio coloniarum 22. 40
Defendere pro contradicere 71. 9
Defenſio Cicer. contra reprehenſionem Dialect. 247. 20
Deferre 66. 55
Defigere humi 12. 6
Defigere verbum inauſpicatum 12. 6
Definire quid ſignificet 79. 43
Defixit verbum ominoſum 141. 53
Deformitas periurij comes 323. 43
Deformitates inſignes 200. 12
Defraudare lucernas alimento 357. 58
Defundere vinum 361. 48
Δεῖγμα 205. 19
Deijcere è ſaxo 356. 39
Δείνωσις 389. 18
Dei præſcientia 255. 7
Δεκαδαρχία apud Plutarchum 32. 46
δέλεαρ κακῶν apud Platonem 144. 44
De Lege mamilia ex vetere quodam libro 200. 55
Delphica menſa 357. 17 40
Delphici oraculi vox 128. 15
Delphicus Deus 127. 36
Delubra priuata 157. 2
De L. Manlio 210. 40
Demetriades 57. 66
Demetrius 16. 23 167. 23
Demiror 64. 49
Democriti opinio de imaginibus 29. 11 18
Democriticorum imagines 29. 11
Democritus duos ponit Deos 127. 60
Demoſthenes 46. 34 85. 22 de lege priuati hominis 188. 31 in Ariſtogitonem 189 28
Demulcere aures 323. 60
Denicales feriæ 163. 11 160. 34
Denſum genus veſtimenti 303. 3
Dentes auro vincti 165. 3 57
Denunciare pro renunciare 77. 56
Dependere pro pendere 26. 30
Deponere 67. 25
Deponere oculos 322. 10
Depontani ſenes 186. 18
Depoſitus pro deſperatus 67. 27
Deprecari 65. 4
De Remo & Romulo : proverbialiter 103. 28
Dertoſa 23. 29
Deſcriptio 21. 53
Deſiderij poculum 313. 47
Deſiderium verbum amatoriam 313. 42
Deſurgere cœnâ dubiâ 362. 1
Detergeri faſtidium 391. 32
Devenerari pro amoliri 61. 29
Deus & animus Mundi Stoicis idem 91. 22
Deus & Natura idem Stoicis 107. 51 128. 31
Denunciare quid 37. 13 17
Dominium apud Lucilium 166. 15
Dextera numina 368. 18
Dextera rubens 307. 48
Diabathra 302. 6
Diagondas Thebanus 151. 51
Dialecticæ quinque filiæ 259. 46
Dialectica quid 129. 40 Ciceronis 194. 20 complectitur virtutes 84. 20 diſceptatrix 26. 20 in quibus poſita 92. 4 tota philoſophia 74. 22
Dialectices & Dialogi eadem origo 92. 26
Dialecticorum oratio qualis 92. 23
διάλεξις 129. 31
Dialis Flamen ſine apice 282. 13
Dialogi origo 129. 31
Diana undè dicta 279. 49
Diana Triuia 358. 62
Diapaſmata 309. 18
Diapente 353. 8
διασκέπτεσθαι 26. 21
διαταξάντος 21. 56
Διὰ τεσσάρων 353. 3
Dicæarchus 177. 13
Dicare, id eſt, profiteri 292. 11
Dicis genitivi caſus 297. 38
Dictator 40. 40 quare ſic dictus 173. 21 reliquos magiſtratus tollit 173. 40
Dictaturæ Magiſtratus Romæ 81. 42
Dictio oratorum 129. 44
Dicuntino 297. 33
Diegylis Thraciæ rex 47. 23
Diegylus rex 79. 12
Dies Februatus 296. 29 integer 329. 32 religioſi 296. 29
Dieſpiter 279. 33
Dieſpiter vt diei pater 320. 42
διέταξα 21. 55
Differentia inter Deos & homines 107. 60
Diffingere, id eſt, mutare 321. 24
Digitabulum 132. 29
Digreſſio 124. 24
Dij agnati 109. 64. conſentes & ſelecti 139. 19 in puppi 313. 4 iudices fœderum 138. 7 manes 166. 54 omnium rerum moderatores 136. 32 patellarij 369. 5 Romanorum 12. 40
Dij & homines quomodo ſociati 109. 9
Diligentes 47. 54
Diligentia quid 47. 56 56. 26 214. 6
Diludia 347. 60
δημαγωγοὶ, δημοκόποι 26. 11
δημόται 26. 12
Dimoveri pro demoveri 71. 15
Diodorus & Ariſtoteles diſcrepant 239.
Diodorus Cronus 224. 28 Ciceronis præceptor 249. 14 de Zaleuco & Charonda 136. 65 Dialecticus 129. 33 quando floruerit 263. 22
Diodori duo 249. 7 temporibus diſiuncti 262. 50 267. 37
Diodorus pro Diodoto 262. 53
Diodori opinio de pronunciatis 219. 5 ſententia de fatali neceſſitate 248. 40. & ſeqq. ſententia de neceſſitate 259. 56 duo habet obſervanda 254. 40
Diomedes 53. 35 79. 61
Dion 1. 23 3. 19 6. 24 7. 1 27. 48 50 33. 19 35. 61 46. 62 de aureis coronis 50. 12 de auſpicio quod de cœlo 174. 39 divinatione ex cœlo 174. 34 Ianiculo monte 22. 18 iure vnius relationis 388. 36 lege curiata 39. 29 lege Papia 20. 38 minoribus magiſtratibus 171. 42 populis ſocijs Rom. 19. 44 Pompeio 38. 43 47. 64 quodam Senecæ libello 100. 32 ſalutis auguria 76. 42 Tribunis plebis 26. 39
Dionis hiſtoria 1. 38
Dion Stoicus 176. 29
Diogenes Babylonicus 176. 59

Diog. Laërtius de amicitia 198. 4 Ariſtone 116. 63 lege communi 194. 8 Natura 194. 34 Rectis & præpoſitis 93. 11 ſententia Epicuri circa iuſtitiam 199. 34
Diota amphora 311. 15
Dionyſius Halicarnaſſeus de epulis deorum 368. 52
Dionyſius de apice pileo 101. 8 collegio Fecialium 142. 4 Fabij annal. 102. 15 18 Inſula in lacu Cutilienſi 280. 12 iure fecialium 151. 57 142. 21 *Poſthumio Tuberto 64. 2 Veſta dea 148. 59
Δίφορος ἔφορος 209. 36
Διποδιάζειν 326. 52
Διφευτὴς 16. 19
Diribitores dant tabellam 30. 47
Diſceptatio 49. 19
Diſceptator, id eſt, iudex 76. 35
Diſceptator non proprium Dialecticorum vocabulum 76. 33
Diſcinctum eſſe probro fuit 352. 5
Diſcrimen quid ſignificet 31. 33
Διὰ πασῶν 353.
Diſiuncti currus apud Valerium 243. 50
Diſputandi genus Dialecticum 136. 4
Diſputatio 129. 30
Diſputationes Cic. de Epicuri ſententijs 241. 57
Diſputatio in Philoſophia 115. 6
Diſſenſio de finibus 124. 26
Diſſimilitudinis redditio 75. 55
Diſſimilitudo in hominum naturis 221. 57
Diſſimulantia Socrati frequens 213. 50
Diſtinctio Dialectica & Rhetor. 242. 20
Diſtinctio nominis Chaldæorum 247. 58
Diſturbare pontes 186. 19
Diuidere carmina citharâ 313. 66
Diuinandi genera à Romanis reprobata 149. 19
Diuinationem quandam eſſe 150. 3
Diuinationis genera 245. 57 ſpecies 150. 30
Diuitiæ in templis 154. 60
Dius Fidius 277. 21 331. 65
Dixi: vehemens affirmatio 145. 5
Dona diuiniſſima quæ ſint 156. 46
Doctus-prudens 125. 38
Do, dico, addico 296. 22
Doliola 291. 51
Dolor 114. 24
Dominatio 25. 25
Dominationis vocabulum pro tyrannide 77. 39
Domi non eſſe 27. 6
Domitius 9. 47 38. 41 78. 59 de via Herculanea 43. 18 Tribunus 36. 32 35 Vlpianus 106. 60
Domus Craſſi æſtimata 204. 61
Dona quænam dijs ſacranda 156. 42
Donatus 29. 32
Donatus iure Quiritium 28. 47
Donatus impurum pro auaro intelligit 14. 49 de fortunæ fortis æde 147. 58 de intercipere 30. 35 quid ſit importunù 51. 5 vnde calamitas dicta 56. 2
Donum & munus quid differant 217. 40
Dorium melos 154. 14
Dormanum gymnaſium 269. 14
Dormitare 26. 6
Dos & donum vnde 293. 21
Doſſuarium iumentum 18. 44
Draco cicuratus 177. 11
Druſus 9. 47
Duæ Hiſpaniæ 70. 32
Duæ leges 134. 30
Ducere & ferre ſacra 353. 19
Duci, ad ſupplicium rapi 65. 24
Dulcibus potionibus veteres delectabantur 216. 20
Duo capita Epicureorum 119. 54
Duodecim gentium dij 139. 19
Duodecim tabulæ 125. 24 pueris Romanis ediſcendæ erant 134. 49
Duod. tab. initium apud Gellium 134. 53
Duo Gracchi 180. 18
Duo Iani Romæ 342. 19 363. 23 37
Duo ſapientes 198. 4
Duplex ficus 362. 35
Duplicarij milites 283. 14
Duplices qui dicantur 371. 65
Dupondius 293. 6
Duumviri 7. 58 59. 48 80. 31 184. 64
Duumviri pendent à populo 7. 1

E.

EAdem met 103. 26
Ebur ad ſimulachra Græci adhibebant 156. 59
Ebutius Tribun. plebis 37. 49
Echinus vas 357. 26 34
Eclogarij 266. 12
Ecquid, malè vſurpatum 268. 14
Educatio & diſciplina 183. 2
ἔγκας 152. 11
Effata quid 140. 48
Effectrices cauſæ 250. 63
Effuſio, profuſio 21. 42
ἐγκύκλια 338. 44
Egeria Romæ colebatur 101. 5
Egóne loquendi formula 105. 40
εἴδωλα καμόντων 29. 2
εἴδωλον apud Homerum 317. 27
Eierare 217. 5
Eijci è prædio 56. 8
εἰσηγήτης 34. 1
εἶτα 52. 62
Eiuncidum 387. 26
Eiurare bonam copiam 305. 20 Magiſtratum 217. 10
Eiuratio 217. 8
ἐκλογαί 266. 18
ἐκλάσματα 360. 36
ἐλεγκτικὸς λόγος 87. 44
Elementa 89. 59
Elementorum & materiæ effecta 90. 35
Elephantis corio tectus 247. 5
Elephas grauida 29. 40
Elephas cornu habet in ore 301. 28
Elicius Iupiter 334. 61
Eliphas Rhodius 53. 35
Elogia ſepulchris inſcripta 334. 9
Eloquentia Gallica & Romana 75. 14
Eloquentia quibus comparetur 33. 35
Eloquentia ſine Dialectica 74. 40
Eloqui an Oratorum proprium 257. 17
Eluere 14. 52
Elvia mater Ciceronis 131. 34
Emere pro conciliare 20. 60
Eme ſi vti vis 217. 51
Emolumenta quid 122. 28
Empedocles 85. 21 86. 27 95. 16
ἔμπειρον apud Plutarchum 120. 51
E natura viuere 126. 49
Encyclopædia 391. 44 396. 62
Endoitium pro initio 139. 26
Endoploranto pro imploranto 139. 27
Endo pro in 139. 26
Eneas apud comicos 180. 62
ἐνεφιλοχώρησε 177. 16
Ennius 85. 19 56
Ennij carmen 85. 60 86. 18 22
Ennij epigramma in Africanum 162 50
Ennij locus ex Creſphonte 29. 4 de augurio Romuli 151. 10 conditæ Roma 85. 42 de colloquio Egeriæ cum Numa 101. 2 fauere faucibus 32. 4
ἔννοιαι 95. 6
Enumeratio iniqua 180. 8
Enunciationes Stoicorum de futuro 251. 62
Enunciatio quid 268. 57 apud Ariſtotelem 241. 20
ἔφεδρος 33. 64
ἐφεδρεία 30. 7
ἐφεξῆς 46. 22
ἐφιλοχώρει 177. 16
ἐφ' ἡμῖν Stoicorum 223. 4
Ephori 177. 37 48
Ephororum poteſtas 177. 51
ἐπίχυσις 185. 25
Epichyſis 287. 34
Epicteti locus de Diodori neceſſitate 258. 60
Epicurei 84. 5 ab opinione iura nata dicunt 116 20 cæteros philoſophos contemnunt 169. 16 corpuſcula indiuidua ponunt 90. 43 quomodo virtutes expetant 118. 55 Rempublicam non norunt 117. 36 ſimplices 108. 41
Epicureorum dictum de Epicuro 169. 18 grauitas incompta 169. 21 opinio de imagine 29. 11 de animo 12 17
Epicurus diuinationem ſuſtulit 150 29 Ius duplex poſuit 120. 16 vbi philoſophatus ſit 117. 23
Epigramma maledicum 221. 22
ἐπιγράφειν καὶ ἐπιξέειν 52. 24
Epimenides 147. 20
ἐπίμετρον 50. 66
ἐπεισαγαγεῖν 63. 67

Epiſcopus




Epiſcopus Montis Peſſuli doctiſſimus vir 16. 31
Epiſtola Ciceronis ad Varronem 82. 30 Turnebi ad Odonem Cardinalem 96. 10
Ἐπιτάφιος λόγος Demoſth. 167. 53
Epitheta fati apud Chryſippum 257. 44
Epityrum cibi genus 303. 35
Ἐποχὴ 95. 55
Epodi verſiculi 330. 10
Epodos quid 330. 23
Epodon liber cur ſic dictus 330. 4
Ἐποφθαλμιᾶν 39. 4
Epoptides 395. 56
Epulæ in templis deorum 368. 50
Equeſter Ordo 76. 49
Equi deſultorij 266. 8 dextrarij 243. 27 palliferi 243. 31 ruſſati & ruſſini 243. 29
Equitare pro inſultare 336. 23
Equites apud Romanos 76. 50
Equites Romani 11. 43
Equites Præfecti Prætorio 388. 43
Equitius ſeruus nequiſſimus 9. 34
Equitum Rom. ſeſſio 331. 51
Equus ſaxum 221. 27
Ἐραστ 205. 7
Erichthonius quadrigarum inuentor 243. 1
Erratum 31. 25
Error in Acidinis 51. 33 adſcriptore 37. 12 Attico loco Athenis 165. 61 auſpicijs legis curiatæ 40. 18 Cherſoneſo minoris Aſiæ 47. 25 comitijs Tributis 39. 49 coronarum largitione 20. 8 creatione Regis Numæ 39. 63 de inducere 53. 10 lege Horatia 127. 28 lege Manilia 126. 19 maioribus victimis 60. 9 Octo Prætoribus vrbanis 39. 33 in Plinio 80. 9 in Pompeio 57. 56. de prætoris ornatu 78. 53 quinquageno numero 54. 7 Q. Mart. Philipp. nobilibus Romanis 51. 31 Q. Mutio 105. 13 vocabulo ſubſiciuum 103. 53
Erucæ virides & inula amara 370. 59
Eſcendo pro aſcendo 276. 8
Eſculetum locus 29. 1
Eſquilina porta 7. 52
Eſſe cum muliere 231. 47
Eſſe in auſpicio 187. 58
Ἑστία Veſta 148. 54
Et aduerſus & auerſus 209. 42
Et vox indignantis. Cic. pro Milone 52. 63
Euander 95. 60 146. 53
Euboicum fretum 131. 1
Euclidis ordo perturbatus 259. 30
Εὐμάθειαν docilitatem Cicero vocat 88. 31
Eumolpus 152. 4
Εὐπάθεια 120. 60
Εὐφημεῖν 31. 65
Euripides 85. 21 de pœnis & præmijs 127. 61
Euripi quid 130. 62
Euſebius de præpar. Euangel. 110. 31
Euſtathius de Borea rege 100. 44 de Sannis 208. 1
Εὐθύνεσθαι 176. 65
Eutropius de Carthagine 57. 62
Εὐτυχής 37. 23
Ex animi tui ſententia 210. 50
Exceptiones contra iuſtam poſſeſſionem 70. 7
Exercire pro ſarcire. 21. 23
Exercitationes Græcanicis 361. 25
Exercitiũ Romanæ iuuentutis 217. 56
Exercitui qui præfuerint magiſtratus 171. 30
Exico & Execo 103. 51
Eximere diem dicendo 187. 2
Ex ordine quid 46. 24
Ἐξομνύσθαι 217. 6
Explicatio Stoicorum ſententiæ de perturbationibus 93. 50
Explorare per exta. 141. 17
Exprimere 31. 27
Exta cæſa 295. 21
Extempulo apud Plaut. 185. 18
Extorquere 37. 1
Extra lutum pedes habes 369. 23
Extraordinarij Magiſtratus 38. 60
Exuerra quid 161. 31
Exules 57. 35
Exuſtiones ſtoicorũ 110. 46 50 195. 7
Exuuias facere 339. 36

F

FAba inſcriptio Mimi 65. 48
Fabij locus malè intellectus 112. 60
Fabij nomen 224. 37
Fabius 40. 41
Fabius Maximus Dictator 8. 43. 56. 31 33 Pictor Hiſtoricus 102. 14
Fabrica pro dolo 22. 2 65. 28
Fabriciorum ſepultura 163. 62
Fabricius abſtinentiſſimus 51. 16
Fabula Æſopica de graculo 343. 50
Facere gradum 43. 30 78. 65 modos 154. 35 ſemitam 62. 36
Factio Syllanorum 20. 32
Fagutal locus 291. 1
Falernus ager 23. 62
Falli pro falſum iri 225. 61
Falſa interpretatio Loci Ciceron. 37. 19. 56. 57 52. 5 Leg: agra. 75. 1
Falſum de cooptatione Senatorum 36. 48
Falſus intellectus loci Cic. 39. 36
Familiæ ſignificatio 80. 6 nomen 55. 1
Familia funeſta 161. 24 Rullorũ 36. 53
Familiarum Romanarum nomina 365. 33
Fannius annalium ſcriptor 102. 19 poeta 354. 60
Fanum Mineruæ 135. 40
Farra torrida 161. 30
Farris nomine quid intelligatur 356. 21
Faſces Prætorum 59. 61
Faſcinatio quid 20. 52 55. 56 61. 6 in pueris 304. 28
Fateor æquè commune ac confiteor 49. 35
Fateri, confiteri, profiteri apud Cic. 8. 32
Fati definitio 240. 35
Fatum, Devs, Natura, prouidentia idem Stoicis 107. 53 duobus modis dicitur 91. 15 quibus rebus poſuerint veteres 239. 4
Fauces quid 38. 5
Fauentia 31. 55 60. 24
Fauere pro ſilere 31. 66 32. 1 pro canere 32. 4
Fauere quid 31. 64
Fauere linguis 32. 5
Fauni fiſtula 314. 10 37
Faunus Pan. 314. 27
Fauorinus apud Gellium 19. 36
Fauſtus Sylla 20. 19 22 28
Febricula Adr. Turnebi 266. 23 62
Februarius extremus menſis 160. 32 45
Feciales 282. 53 viginti 142. 12
Fecula condimentum 370. 21
Felices arbores iuxta Catonem 7. 15 iuxta Plinium 7. 16 iuxta Tarquinium Priſcum 7. 17
Felicis erronea ſententia de comitijs 39. (43
Felicitatis Locus 37. 22
Feralia 160. 59
Ferentarius 302. 10 20
Feriæ conceptiuæ 296. 4 Denicales 161. 14 22 Indictiuæ 294. 50 priuatæ 161. 15
Feronia 355. 65
Ferre per ſaturam 175. 51
Fertilitas agri Campani 23. 44 25. 5
Feſti dies & feriæ differunt 148. 13
Feſti Pomp. locus emendandus 273. 57
Feſti Pom. locus 36. 4 de abrogatione per ſaturam 175. 51 apice pileo 101. 10 Atio 102. 53 augurio ſalutis 141. 4 buſtis ſepulchris 167. 34 dictatore 119. 26 ferijs Denicalibus 161. 11. 14. foro 166. 2 Græcis ſacris 143. 9 Imperijs 174. 3 Imperijs & Poteſtatibus 109. 52 legibus ſacratis 138. 29 maxima hoſtia 161. 1 municipijs 132. 38 murrata potione 165. 32 porta prætoria 172. 50 quid ſit immanis 50. 67 quid ſit Importunum 51. 4 de ſacellis 42. 64. ſcribis 34. 65 ſuffimentis 117. 65 de templis 141. 42 vocabulo Næniæ 166. 30
Fibrenus fluuius 108. 37 130. 27 43 133. 42
Fibrinum 130. 50
Ficus mariſca. 362. 33
Ficus ſcanſilis 215. 18 fides pro pecuniæ ſolutione 32. 30 pro ſecuritate ſolutione 26. 40. pro ſecuritate 76. 37 pro ſolutione pecuniaria 58
Fieri & factum eſſe apud Iuriſconſ. 43. 44

Mm

Figlinam à dolio incipere 316. 24
Figuli ſepulchrum 166. 50
Fi in imperandi modo 367. 8
Filiusfamilias donare non poteſt 159. 28
Fimbria 9. 45 48. 48
Fines pro territorio 46. 50
Finis apud Ciceronem 196. 57 bonorum 197. 24 Legibus Agrarijs affectus 75. 3
Finitores 42. 35 45. 53
Flaccus 11. 49 61 41. 58 69. 64 71. 4 interrex 119. 31 de conditionibus agrorum 49. 30 quinquiviris 35. 57 quid regiones 70. 67
Flagitatores qui 101. 56
Flagitium 24. 62
Flamen varius 140. 23 unde dict. 282. 21
Flamines 39. 57 velati albo amictu 321. 21
Flaminius 59. 6 C. Flaminius trib. pl. 179. 46 T. Flaminius 47. 26
Flauius Appij Libertus 106. 11
Flauius de Lege Agraria 67. 32
Flauius Trib. plebis 52. 57 67
Flauus Pulcher 308. 13
Flexabulum 394. 3
Flexamina 303. 40
Florentia 25. 28
Flori Epitome de Attilio 56. 49 51
Florus de Fragellanis 59. 13 de Licinio Stolone 179. 38 de Pyrrho 127. 27 de Sylla dominatione 25. 27 veliſicari plebi 28. 4
Fluctifragum littus 311. 42
Fluonia dea 101. 5
Flumen hybernum 358. 6
Flumentana porta 51. 64
Focalia 365. 18
Foculum 294. 63
Focus ſacer 156. 52
Focus Veſtæ ſacer 140. 39
Fodare pro fodere 304. 53
Fodere apud Terent. 345. 20
Fœdera ut fecerint feciales 138. 4
Fœdus in Capitolio 49. 50
Fœminæ in funere laudabantur 166. 25
Fœtura in pecore 387. 26
Fœtus quando ſacris idoneus 140. 11
Fons Herculis 78. 57
Fons & origo Iuris 109. 8 196. 45
Fons pro authore 88. 16
Fontanalia 295. 44
Fontes capita aquarum 306. 52
Fontinalis 68. 23
Fora quid 22. 41 53
Foris eſſe qui dicantur 178. 40
Foris eſſe 27. 5
Foris canere 52. 47
Forma quid 89. 22
Formæ quid 41. 56 iudiciorum de irroganda multa 6. 15
Formula incitandi populum inopinato caſu apud Roman. 9. 26 loquendi muſtum bibentium 295. 41 ſtipulationum 106. 3
Fornacalia 140. 1
Fors fortuna quid 147. 62 350. 63
Fortuitæ cauſa 230. 45
Fortunæ ædes 147. 51
Fortunam antecedit neceſſitas 321. 26 40
Fortuna reſpiciens 147. 55 vita regina 92. 47 vocabulum ſine re 260. 34
Forum quid 166. 2
Forum Cornelij, Licinij, Iulij, Liuij 22. 42 43
Franc. Syluius Cicer. interpres 1. 14
Frangere veteribus turpe verbum 359. 10
Fratres arvales 282. 40
Fraudis ſignificatio 118. 33
Friuolaria fabula Plauti 345. 61
Frons anguſta 320. 25
Frontinus aquæductuū curator 193. 4
Frontinus de actione legis Mamiliæ 200. 50 de Crabra 69. 43 locis relictis 15. 46 ſubſiciuo 103. 46
Fructus à fruendo 31. 9
Frugalitas priſca in ſacrificando 145. 34
Fruges in ſacrificijs 139. 60
Frumentum metiri 356. 17
Fugiendum quid Stoicis 114. 47
Fulmen ſereno die 320. 46 53 61
Fulmina unde 20. 45
Fuluij crudelitas 24. 26 28
Fuluius Centimalus conſul 59. 3
Fuluius Flaccus conſul 59. 4
Fuluus color 99. 58 pro nigro 99. 60
Fundator 267. 21
Fundamentum iuris 119. 39
Fundi in agro 55. 38
Funera 273. 50 nobilium 164. 38 ſimpludearia 166. 5 ſimpularia 185. 18
Funeſta ficus 215. 15
Funeſtari unde 6. 42
Fungi pro pati 25. 64
Funis currens 326. 20
Funus indictiuum 166. 5
Futurum exactum 75. 66
Furcâ expellere 346. 7
Furcillâ extrudere 346. 10
Furcillata bacilla 286. 28
Fures ærarij 203. 8
Fures publici in auro, priuati in neruo 203. 7
Furius 10. 52 11. 2
Furius Prætor 23. 63
Furtum Lemnium 300. 10
Fuſius & Pomponius obſcuri in perorando 34. 50
Fuſtis haſta 10. 8

G

Gabinius 44. 49 reſtitutus 156. 12 Trib. pleb. 183. 8
Gabinum fœdus 347. 64
Gala 19. 28
Galba 9. 45 10. 8
Galenus de morborum cauſis 253. 54 de figura ſtatuæ Mercurij 167. 48 reprehendit Ariſtotelem 90. 30 Stoicorum ſententiam de perturb. exagitat 93. 46 explicat 93. 50
Gallia Ciceroni decreta 27. 16
Gallia comata 20. 6
Ganeum quaſi γήνειον 333. 32
Garrire libellos 360. 25
Gaudere alieno vultu 363. 53
Gaunacæ 292. 62
Gaurus mons 42. 45 43. 9
γερύειν ἄεθλα 360. 26
Gellij locus de Aſellio hiſtorico 102. 36 Cæcilio 209. 51 comitijs centuriatis 6. 38 coronis 20. 7 dignor & Veneror 49. 32 ferijs Denicalibus 161. 13 loco cuiuſdam intempeſtiue 210. 55 iuſiurandum negligentibus 143. 62 Lictore 7. 8 longis verſibus 168. 25 Manubijs 50. 10 particula Ve 60. 37 præda & manubijs 19. 56 Satyris Menippeis 85. 32 tribubus 78. 13 Varronis Siſenna 102. 61
Gellij Locus vitioſus 206. 49
Gellius Conſul 124. 29 philoſophos Athenis conuocat 124. 6 Plebicola 56. 66 quo tempore vixerit 193. 7 mortuus 124. 48
Gemoniæ ſcalæ 332. 65
Genera Rerumpub. 176. 42
Generis formam partem appellat Cicero 120. 47
Genitalis pars in homine 300. 25
Genua virem 335. 11
Gens 110. 5
Gens & ſtirps 111. 18
Gentiles Deorum apud Cic. 110. 11
γεωδαίτης 41. 37
Geometria figura & numeri 84. 40
Geometria nomen duas complectitur artes 318. 66
γεωνόμους apud Dionem 35. 61
Georgius Buccananus 92. 22 273. 38
Γέργερα 280. 46
Germani profeſſores Pariſijs 73. 23
Germanum pro ſimili 80. 45
γεῦμα 205. 19
Glaucia 207. 22 prætor 9. 8 11. 25 vir improbiſſimus 212. 4
Gleba 67. 48
Glebarij apud Varronem 67. 49
Globuli notati 21. 24
Gloria virtuti reſonat 316. 14
Gloſſemata 301. 6
γνώσματα 63. 39





Græca columna 61. 39
Græcanicum carminûm genus 85. 29
Græcari 361. 25
Græca ſacra 143. 9
Græcia magna in Italia 316. 30
Græci verſus de fertilitate Corinthi 16. 41 43
Gracchi 76. 51 duo diſerti 33. 38 in tribunitia poteſtate 389. 10
Gracchorum laudes 7. 41 Leges 33. 52 memoria Romanis grata 33. 28. ſeditiones 47. 17
Gracchus 24. 60 42. 16 47. 51 54. 7 12 75. 40 76. 29 178. 57 de cauſa Agrariæ legis 56. 58 annum 17 bello addicit 12. 58
Gradum facere & iacere differunt 78. 65
Gradum facias 207. 11
Gradus vitæ beatæ 89. 16
Graius ſaltus 15. 54
Γράμμα 68. 32
Γραμμισμὸν 68. 35
Granaria 345. 54
Grandes claui 321. 28
Grando calamitas 56. 3
Granium 206. 45
Granum à gerendo 284. 35
Graphiarij 41. 32
Gratiæ coniunctæ 327. 19
Gratiæ tres ſorores 319. 53
Gratidius 29. 48 183. 60
Gratijs 19. 29
Gratitudo non latine dicitur 114. 63
Gratus 122. 36
Greges gergera 280. 46
Gregorius diui Baſilij frater de riſus cauſa 205. 30
Gryphi 303. 14
Γεύτη 345. 60
Gulielmus Peliſſerius Monſpeſſuli epiſcopus 181. 4 274. 55
Guſtare minus quàm ientare 205. 23
Guſtus quid ſignificet 205. 18
Guttus genus vaſis 287. 25
Gymnaſia in Tuſculano Ciceronis 133. 48 Athenis 87. 52
Gymnici Ludi 143. 32
Γύξανες 61. 44

H

Habere pro habitare 289. 50
Habere quis dicatur 81. 48
Habilitates corporis humani 112. 32
Habitare, id eſt, verſari 65. 22
Habitare in ore. apud Plaut. 177. 18
Hæredum cauſſa iuſtiſſima 157. 38
Hæres dicitur cernere & creuiſſe 142. 47
Hæredum inſtitutio duplex 44. 8
Halirrothius Neptuni filius 99. 26
Harpocrates ſilentiarius 278. 9
Harugo hoſtia 282. 55
Haſta graminea 17. 41
Haſtæ ſubijcere 48. 41
Haſta centumuiralis 171. 52
Haſta poſita quid ſignificauerit 17. 32
Haſtarum genera 17. 38
Haſtati milites 283. 11
Hecates 358. 64
Hecatompedon 132. 26
Hederæ natura 14. 60
Hegeſinus 95. 60
Helico pro Heluo 14. 56 vel pro Heluco ead.
Heluo quis iuxta Pompeium 14. 51
Heraclea 338. 55
Heraclides 177. 10
Heraclitus 75. 22
Heracliti ſententia omnia fluxa eſſe 91. 53
Herculanea via 42. 45 43. 13 17
Herculaneū oppidum 43. 14 78. 59
Herculis fanū 44. 40 ſacra 146. 53
Herennius ſereno die fulmine ictus 320. 46
Hermæ quid 167. 45
Hermogeneana ſubtilitas 73. 30
Hermogenes 73. 28
Herodianus de iaculis Maurorum 317. 1 de templo Pacis 154. 61
Herodot. de Cliſthe 154. 65 de Phocæis 335. 21 de Zygantibus 61. 44
Heſiodus de lege optima 154. 56
Heſychius de euripo 131. 5
Hetruſci Haruſpices 142. 26
Hetruſcorum populi decem 142. 43
Hetruſcus ritus 22. 60
Hiarbas 19. 22
Hiempſal 19. 13 22 R. Numidiæ 49. 50 52 56 60 63
Hinnuleus apud Horatium 317. 17
Hippocrates de locis aëre & aquis 61. 61
Hirculatio quid 215. 34
Hirpinus ager 52. 55
Hirtius 22. 5 219. 35
Hiſpania citerior 20. 6
Hiſpania Romanis ſubiecta 16. 48
Hiſpani capillati 79. 31
Hiſtoriæ inſtitutio 103. 35
Homerus 17. 19 64. 22 de Ithacâ Vlyſſi 131. 60 de Nauſicaa 99. 30 de Palma Apollinis 99. 38 de Polyido 150. 38
Homeri verſus deprauatus 205. 10
Homeromaſtix 394. 62
Homines adunci naſi 356. 28 deſperati 10. 37 populares 6. 35
Hominum materia cœleſtis 195. 4
Homo ad vnguem factus 340. 26 356. 1 ad quid natus 113. 44 Cuius tempori 214. 1 dexter 366. 44 fatuus 214. 18 finis rerum 196. 56 monogrammus 265. 20 pars ciuitatis 88. 48 quale animal 108. 54 varius apud Cic. 208. 44
Hōneſtatis locus in bonis 125. 49
Honorarij 257. 64
Honorarium quid 257. 65
Honorem habere 258. 4
Honores tergemini 307. 19
Honoris ædes 141. 43 183. 37
Horatius 15. 7 19. 11 32. 2 34. 34 37. 32 61. 31 70. 42 123. 50
Horat. locus de Ægeo 185. 31 ampullis verborum 65. 44 Annibale 147. 37 apto cum Lare 84. 9 aquis Baianis 214. 30 batillo pro bacillo 59. 64 Capitolio 23. 2 Catio 84. 3 denormare agrum 71. 2 de faſcino 20. 56 formis ſutorum 89. 25 de iure metu inuento 118. 58 199. 46 Lacunari 130. 59 Marſis 59. 15 morbo campano 60. 50 Mytilene 44. 9 Nænijs 166. 27 Pontificum Libris 102. 7 quindecim viris 149. 16 quomodo vſus vocabulo ſicco 14. 41 redigere pecuniam 62. 54 ſiccos pro ſobrios 75. 26 de Syra merce; id eſt, thure 55. 61 tunicatum popellum 60. 55 de vicis Fidenis 62. 51 de voto 144. 12
Horatius Epicureus 119. 58
Horæ ſubſiciuæ 392. 23 397. 8
Horda bos & forda 295. 3
Horrea Sempronia 25. 8
Horreum ab horrido 34. 30
Horridum tumens 34. 29
Hortenſius 8. 41 27. 6 17 231. 7 Rabirium defendit 8. 57
Hoſpites 45. 61
Hoſtiæ maiores 60. 1
Hoſtia maxima 161. 1 ſingula ſingulis dijs 140. 18 varia 140. 18 varia deorum 148. 34
Hoſtilius 53. 37
Hoſtis apud Ciceronem 270. 46
Humana 156. 21
Humandi mos apud Athenienſes 166. 40 59
Humani corporis figura erecta 112. 28
Humanus medicus pro homine medico 267. 61
Humanus quis dicatur more Roman. 273. 24
Humatio Cyri 162. 3
Humatio vſtioni præponitur 162. 10
Humor currit 335. 49
Humus iniecta & obiecta 273. 25
Hyempſal 79. 11 20 21 24
Hygenus de caſtrorū metatione 23. 24
Hyemare ſub pellibus 41. 42
Hyperbole 6. 8 32. 50 53. 5
Hyperides 85. 22
Hypſicrates 283. 1

I.

Iaboleni locus de Granarijs 345. 55
Iacchus 152. 6
Iacere gradum 43. 29 79. 1
Iacobi Fabri Inſtitutiones 269. 4
Iacobus Danielis in comitatu regio relator 269. 60
Ἴακχον 152. 6
Ἰαλέμοι 166. 31
Iambus quid 337. 58

Ἴαμνος 393. 40
Ianiculum 2. 15 22. 13 16 52. 63 64 79. 5
Iani gemini effigies 148. 32
Iani templum 363. 23
Ianuario menſe ruſticatum excurrere 76. 59
Ianus biceps 14. 37 geminus à Numa dedicatus 148. 32 medius 342. 39 ſuperior & inferior 363. 25
Iberica herba 331. 45
Icadius pirata 221. 9
Ichnographia 364. 20
Ictus quomodo fiat 250. 14
Idæa mater 143. 33
Idæa Platonis 90. 64
Iecur anſeris 371. 5
Iecur vlceroſum 317. 67
Ignaua ratio captioſa 255. 41 256. 34 268. 23
Ignem præferre religioſum 356. 8
Igniculi 115. 37
Igniculi virtutis Stoicorum 111. 42 virtutis 197. 50
Ignis æternus 148. 62 Iupiter Stoicis 110. 49 Natura apud Zenonem 94. 1 publici fori 140. 30 40 quid Stoicis 128. 57
Ignitabulum 132. 29
Ignoraſſe Logicam qui ſint apud Cic. Chaldæi 247. 48
ἱκετηρίας 17. 22
Ilia trahere 341. 58
Ilithya dea quæ ſit 336. 30
Illices aues 16. 19 21
Illicium 299. 12
Illigit pro Illicit 299. 15
ἴλιγγον 26. 54
Illuſtratur locus Cic. 38. 40
Imagines apud veteres 11. 10
Imagines cereæ 204. 34
Imago variè vſurpatur 28. 60 64 29. 1 5 11 17
Immanis 50. 67
Immutata oratione 210. 65
Impares in amore 320. 34
Impendium 294. 12
Imperantis cum eo qui paret collatio 170. 25
Imperatores multos conſulatus gerebant 388. 26
Imperatoris poteſtas 48. 13
Imperia quid 109. 52 54 194. 50 extraordinaria 32. 40
Imperia & poteſtates diff. 174. 3
Imperatorum poteſtas in legibus dandis 50. 40
Imperium 36. 5 169. 6 conſeruare populi Romani 9. 23 inhibere Libero 68. 24 ſine prouocatione 75. 63 ſummum & merum differunt 75. 61 triumphale 388. 23
Imponare 67. 26
Importunum apud Ciceronem 51. 4
Impoſitiones 270. 41 46
Impoſitio nominum 270. 38
Im pro enim 165. 61
Imprudentia incauta 119. 1
Impudentiæ nulla eſt quæſtio in iudicijs 82. 3
Impudentiæ fanum 146. 46
Impudentia tuta & honorata 82. 5
Impudici 123. 10
Impurus, id eſt, Heluo 14. 50
Impurus manibus 206. 58
Impurus quis 14. 47
Inanes homines 355. 6
Incauti qui habeantur 118. 63 119. 6
Incendio Cœnam rapere 356. 25
Inceſſus Iunonis 353. 40
Inceſtum quid 145. 21
Inchoata & enodata intelligentia differunt 128. 37
Inchoatum perfecto opponitur apud Cic. 120. 30
Incitega 287. 38
Inclinatio pro mutatione ſtatus apud Cic. 55. 51
Incolumitas apud Cic. 135. 57 27. 52
Increbrui 167. 56
Increpuere 56. 14
Incruſtare 354. 23
Incunabula quid 132. 28
Indicatura 392. 48
In dicta cauſa quomodo intelligendum 7. 2
Indiſſoluta pro indiſſolubilia 62. 9
Inducere agrum 53. 9
Induciarum cura ad ſenatum pertinebat 12. 12
Inductio nouarum tabularum 32. 34
Indutui & amictui 258. 20 25
Induuiæ & exuuiæ 339. 37
Infantes non cremebantur 162. 32
Infelices arbores quæ fuerint 7. 19
Infelix arbor apud Liuium 7. 14
Infeſtum 141. 60 paſſiuè poſitum 55. 67
Inficiens à non faciendo 298. 21
Inflare tibiam 102. 32
Infula quid 17. 8
Ingelida fixum ripa 365. 45
Ingenia mutantur ex aëris regione 222. 12
Ingenioſi 88. 35
Ingenioſi pro Eloquentibus 33. 37
Ingenioſiſſimi 33. 40
Ingenium pro audacia 71. 28
Ingenuæ mulieres albatæ 352. 15
Ingratitudo barbare dicitur 114. 63
Ingratitudo non dicitur 29. 55
Inhibere imperium 68. 25
Inhibere ſpem 68. 20
Inhumatus homo quamdiu diceretur apud Rom. 161. 37
Initia Athenienſium 152. 46
Iniuſtiſſimum quid 122. 9
Innocentiæ vis 316. 65
In propria pelle quieſcere 356. 35
In quadrigis errare Dialecticum 242. 64
Inquiſſe 210. 46
Inſcientia 94. 43
Inſcriptiones apud Græcos 386. 31
Inſcriptio Lib. Cic. de Legibus ex vetere exempl. 97. 45 Librorum Varronis de ling. lat. 270. 16 Sepulchrorum apud veteres 144. 31 164. 20
Inſicium, inſectum 285. 16
Inſignes, inſigniti vnde dicantur 123. 45
Inſignes pueri 200. 10
Inſignia quid 16. 64 17. 2 conſulatus 65. 34 24. 20 non vexilla 75. 42
Inſigniti pueri 179. 22
Inſignium ſignificatio 75. 44
Inſimulare 89. 53
Inſinuare 33. 58
Inſinuatio genus exordij 33. 63
Inſita præceptiones Stoicorum 195. 50
Inſolentia 23. 59 duplicis ſignificationis 63. 33
Inſulæ fortunatæ 335. 22
Inſula Pithecuſa 316. 30
Inſtar quid ſignificet 10. 45 apud Maronem 46. 48 apud Tranquillum 47.
Inſtrumenta cognoſcendi & indicandi 114. 14
Inſtrumentum Logicum & Rhetoricum Rami 77. 1
Integri variæ ſignificationes 25. 39
Intelligentiæ adumbratæ 128. 35 Stoicorum 112. 13 20
Intelligentia Communis 120. 23
Intelligentia inchoata 201 56 enodata & inchoata 128. 37 apud Ciceronem 113. 20
Intemperantia 83. 34 perturbationum mater 93. 28
Intemperia apud Plautum 64. 49
Interanna 25. 28
Intercalatio ad quid in ſacris conferat 148. 17
Intercalationis auctores qui fuerint 148. 27
Intercipere quid 30. 35
Interdicta apud Iudices 70. 18
Intereſt perſonale 390. 44
Inter hoſtiam cæſam & exta porrecta 200. 41
Interiungere 243. 45
Interlunium 317. 41
Intermenſis 294. 40
Inter os & offam 200. 40
Interpretatio Prudentum 105. 51 54
Interpretes Horatij 30. 51
Inter quinq. pedes 200. 35
Interregnum ante Dictatores 119. 26
Interrex 68. 5 173. 52 198. 56
Interrogationis genus ignauum 231. 26
Interrumpere, contexere, oriri 104. 3
Intertrigo 293. 30
Interuallum 58. 46
Interuentores 219. 40
Inteſtabilis 364. 60
Intolerantia 41. 63
Intra quinq. pedes controuerſia 126. 2


Intuſiatum

INDEX.


Intuſiatum 288. 39
Inuerſio genus ironiæ 211. 16
Inuertere vinaria 370. 54
Inuidentia pro inuidia 20. 51
Inuidiæ vis nocendi 363. 8 346. 57
Inuidiæ deprecandæ formula græc. 155. 50
Inuidia 52. 60 ærugo 355. 29
Inuidiam commutare pecuniâ 21. 9
Inuidia paſſiuè 20. 50 aliàs actiuè 51
Inuocatio Deorum apud veteres 4. 29
Ioannes Furdinus 269. 64 306. 12
Io Bacche 352. 64
Iocaſta Laij vxor 231. 51
Ioci iuuenes 338. 10
Iocus Cicer. de vigilante conſule 65. 13
Iocus familiaris 217. 26
Iocus pro cruſtulo 351. 11
Iodocus Badius 193. 7
Ionicus ſaltator 325. 28
Ionium Mare 58. 16
Ionium melos 154. 13
Iouem non tonare 320. 42
Iouis tela triſulca 19. 66
Iouis tres manubiæ 48. 38
Ἱπποτροφεῖν 243. 54. 306. 34
Ἡρῷον βαδίζει 353. 40
Ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφος 92. 6
Ironia 5. 52. 18. 38. 20. 63 37. 10 45. 17 50. 35 52. 9
Irpini populi 69. 21
Irpus lupus 69. 21
Irrogare mulctam cui competat 6. 11
Ἴστιος 219. 36
Iſidis aræ euerſæ 139. 1 poemata 154. 24 ſacerdotes 143. 36 ſacra diuerſa à Romana religione 145. 48
Iſidorus de verſib. hexametris 168. 24
Iſocrates de Athenienſibus 154. 67
Italicæ coloniæ 21. 59
Itare 105. 17
Ite miſſa eſt 159. 15
Ἤθη mores 218. 23
Iuba rex Getuliæ 49. 65
Iuba Rex Numidiæ 79. 24
Iubeo apud Iuriſconſultos 48. 27
Iubere populi, decernere Senatus 120. 10
Iudicaſſit 171. 19
Iudicatum duci 208. 63
Iudicare ad haſtam 17. 37
Iudicare hæreditatem 45. 5
Iudices iurati 5. 6 20. 30
Iudicia arbitria 257. 63 cum voce 184. 23 Magiſtratus 181. 53 publica 42. 25 apud Roman. 118. 14 publica olim non exercebantur 198. 57
Iudicii Perduellionis quinam inſtituerint 7. 57 repetundarum pecuniarũ 50. 22 veri & falſi 129. 23
Iudex pro arbitro apud Cic. 217. 12
Iugula hominũ 223. 55
Iulij 9. 48
Iulius Cæſar. 2. 24 16. 54 42. 15 44. 53 45. 17 58. 4
Iul. Cæſaris in agro Campano diuidendo prudentia 37. 54
Iulius Obſequens de abrogatione collegæ à magiſtratu 180. 58 de ſimulachro Mineruæ 156. 7
Iulius Paulus de incognita religionis inductione 153. 1 de mortuo inferendo 163. 53
Iulius Pollux 68. 35 de vultu hominis 112. 50
Iumenta ornata 59. 18
Iuncta ſcelere 205. 44
Iungere equos 243. 36
Iunia Romana 204. 12
Iunius Amalis dictus 173. 10
Iunius Brutus conſul 65. 21
Iunius Gracchanus 277. 65
Iuno Nouella 296. 14
Iuno Samia 155. 1
Iunonis ædes ibid. nomen 279. 56 ſedes 16. 56
Iunonis ſacra ferre 353. 37
Iupiter inuictus 147. 49 omnia replet 146. 28 tonans & fulminans 312. 30 43
Iupiter pro aëre 325. 60 326. 16
Iura ciuilia 106. 33 Coniuncta 158. 22 gentilitatis 170. 61 Pontificum 157. 34 50
Iuris Conſularis diminutio 177. 40
Iuriſconſulti docendi ignari 157. 25 in infinita diſpertiunt 157. 28
Iuriſconſultorum veterum callidum inuentum 159. 18
Iuriſconſultus quomodo caueat 107. 1
Iuriſdictio 49. 38
Iuriſdiſciplina vnde haurienda 106. 25
Iuris exordium à lege ducendum 107. 20
Iuris interpretatio à XII tabulis 106. 58
Iuriſiurandi formula 369. 51 nomen in execratione 364. 53
Iuris reſpondendi munus 148. 41
Ius Aelianum 164. 55 antiquũ de ſolui legibus 64. 35 agendi quando fuerit apud Rom. 149. 52 agnitionis & ſtirpis 111. 17 augurũ præſtantiſſimum 149. 22 belli 24. 30 Ius ciuile 70. 13 157. 50 ciuitatis 130. 4 diuinũ ibid ſecialium 151. 56 ferendarum rogationum 175. 12 hominis cum beſtijs 113. 60 honorarium 106. 59 hoſpitij 45 64 imaginis 28. 60 77. 18 intercedendi 174. 41 inter homines & beſtias apud Platonicos 109. 11 Locus vbi ius dicitur 106. 63 manium 157. 19 munus eſt 63. 43 171. 36 naturale apud Iuriſconſ. 109. 10 prætextæ ferendæ 166. 22 proferendi pomœrij 339. 12 publicum 107. 8 quintæ relationis 388. 30 Quiritium 28. 50 ſubrogandorũ Sacerdotũ 36. 37 ſubſeciuorum 15. 48 vnum & vna Lex 118. 54
Iuſiurandum apud veter. 331. 57 in Græcia 335. 39 ſanctiſſimum genus confirmationis 35. 1
Iuſſa tria ſenatoris 186. 44
Iuſſitur apud Caton. 175. 35
Iuſſum & ſcitum 188. 23
Iuſta bella 174. 7
Iuſta Imperia 17. 4
Iuſta facere mortuo 161. 47
Iuſtitiæ principiũ vnde ſtoicis 113. 56
Iuſticia calliditas 119. 1
Iuſticia vnde deducta à ſtoicis 128. 49
Iuſtinianus 18. 64
Iuuenalis 28. 14 34. 33 60. 57
Iuuenalis de Ægyptiorũ dijs 114. 56 atrijs auctionarijs 17. 60 cunis pro cunabulis 64. 51 exemplis domeſticis vitiorũ 183. 21 Fidenis 62. 51 poetis pauperibus 75. 51 porta Capena 162. 19 ſuffimentis 198. 66 ſuffitio: purgationis 118. 2 vnco 8. 26
Iuuentus pro Iuuenibus 266. 48
Iuturna fons 280. 1 Nympha 280. 2


K


Κάλιωτρον 359. 14
Κάλλις ἐπαινῶ 345. 37
Κάμιλλον 345. 59
κάρα caput 276. 45
Καταβάτης Iupiter 334. 60
κατὰ quomodo Cic. vertere ſolitus ſit 267. 53
Κατασπένδειν καὶ κατάρχεσθαι 391. 22
Κατὰ στάθμην 267. 47
κατόρθωμα 31. 26 93. 13
Κεράτια 348. 36
Κέρκον 352. 20
κεφαλαιώδης 20. 17
κήρυγμα 46. 32
κινεῖσθαι κίνησιν 350. 29
κλεῖθρα 25. 3
κληρουχίας 67. 37
κοῖλον 272. 43
κοιναὶ ἔννοιαι Stoicorum 195. 49
κοινὰς ἐννοίας 120. 24
κοσμοπολίται 89. 11
κριτήρια 91. 30 114. 14
κριτήρια duo 95. 53
Κρίκοι 284. 30
Κυαθίζειν 357. 20
κύκλος 21. 26 28
κυρβασίαν 101. 8
κυρίαι δόξαι Epicuri 108. 46
κυριεύων λόγος 239. 37 248. 29
Κυψέλη 345. 51


L


Labeo de Loci appellatione 68. 54
Labefactare 69. 2
Labellum 167. 64
Labeonis ſententia de numere 217. 40
Labicana via 62. 52
Labienus 9. 12 36. 38 10. 31 11. 18
Laboria 23. 40. 41
Lactantius Cicer. reprehendit 122. 19 de Ciceronis loco quodam 147. 6 de maturitate rerum 110. 25

de nominibus deorum mutatis 100. 23 de dyſs gentilium 139. 20 ſentit cum Cicer. idem 113. 45
Lacus 273. 52 354. 63
Lacus Lucrinus 78. 58
Lacydes 95. 60
Ladas, curſor egregius 89. 8
Lælius Felix apud Gellium 149. 37
Lælius prætor 36. 35
Lælius Scipio 51. 34
Laërtius de amicitia Stoicorũ 115. 62
Laertius de Chryſippo 114. 37 de comparatione Philoſophiæ cum agro 129. 20 de hominis deprauatione 121. 41 de infinita enunciatio 248. 8 de Platone 91. 52 de Stoicis 93. 38 41 de Stoicorum ſententia circa legem 107. 32 de ſtoicorum virtute 120. 32 de Zenone 126. 55
Laganum 357. 14
Lambinus 60. 37
Lamella ærea 164. 7
Lampridius in Alexandro 33. 33 41. 45 de Quiritibus 28. 53
Lana Oſca 302. 8
Lanam carere 302. 6
Lancilotus Carlus Regienſis Epiſcopus 190. 10 236. 52
Lany & Macellary 62. 65
Lanuuium 62. 53
Lapathum breue 366. 3
Lara dea 280. 30
Lararium 139. 11
Lares 139. 10 familiares 155. 54 publici 155. 54
Lari libare 366. 34
Larua quid 395. 44.
Larum Compitalium ſacra 146. 35
Λασανοφόρος 356. 65
Latinæ coloniæ 21. 59
Latini Iuliani in quo differat à ciuibus Romanis 8. 25
Latini Tibicines 60. 31
Latores legum 175. 56 184. 33
Latrare pro poſtulare 203. 21
λάτρον 302. 5
Latumiæ 290. 60
Latus fodere 345. 27
Laudatio Mulierum in funere 204. 8
Laudationes funebres 166. 24
Laudationes Reorum publicæ 6. 7
Lauatrina 203. 66
Laurea Tullius 83. 24
Laurentalia 295. 52
Lautulæ 291. 48
Laxus ſinus 364. 50
Lecticary 31. 16
Lectica quid 292. 49
Lecti in funere 165. 53
Lectio alia in Cicerone 16. 62 27. 54 34. 18 35. 5 37. 61 38. 7 & ſeqq. ad paginam 60. vſq. 61. 22 62. 53 63. 47 65. 15 66. 4 68. 19 69. 4 70. 6 71. 15 79. 3 83. 31 84. 58 85. 28 86. 61 89. 42 90. 37 91. 30 92. 45 93. 3 95. 27 99. 12 100. 12 & ſequentibus vſque ad 110. pagin. 111. 5 116. 21 117. 55 118. 24 119. 13 120. 27 121. 3 123. 13 125. 6 126. 7 127. 10 128. 37 130. 50 131. 12 133. 24 135. 48 136. 39 137. 10 138. 29 139. 32 140. 8 & ſequentibus ad paginam 167. vſq. 171. 56 172. 43 173. 12 51 174. 15 41 47 176. 6 177. 9 179. 17 57 180. 59 181. 6 182. 14 183. 18 185. 6 186. 26 187. 9 188. 13 189. 54 192. 40 193. 51 201. 42 202. 1 204. 2 207. 5 210. 2 212. 56 214. 20 215. 6 216. 16 217. 3 218. 49 220. 49 222. 31 223. 22 225. 21 227. 11 240. 57 in Horatio 307. 46 312. 13 316. 60 318. 11 323. 66 325. 61 326. 6 331. 10 332. 42 340. 16 342. 57 343. 31 346. 26 347. 44 351. 67 352. 39 354. 55 355. 46 359. 25 361. 8 365. 23 367. 66 369. 17 371. 54 In Plinio ſecundo 387. 40 388. 9 389. 15 390. 3 391. 15 392. 7 393. 12 395. 8 In Varrone 270. 20 271. 1 & ſequentibus vſq. ad pagin. 300. 301. 1 & ſequentib. quinq. paginis.
Legatio ex 12. tabul. 158. 49
Legatio libera 104. 10
Legatio votiua 18. 19
Legationes liberæ 45. 43 47 prouincialibus oneri 178. 10 16 vndè dictæ 178. 20 quinquennales 104. 10 ſenatorum Rom. 104. 6 votiuæ 104. 12
Leges Agrariæ quando latæ 51. 27 Cenſoriæ 7. 32 46 de agrorum conditionibus quæ fuerunt 126. 17 de ciuitatis ſtatu 170. 60 Conſulares 77. 61 de non ſumendo ſupplicio de ciuibus Roma. 6. 32 duæ de ſepulchris 164. 5 Gracchorum 136. 45 Muſicæ 154. 18 Numæ 144. 37 46 præclariſſimæ duæ 187. 62 Rupiliæ 47. 45 ſacratæ 138. 32 tabellariæ 186. 14 vbi ſernatæ 175 43
Legis Agrariæ falſa interpretatio 75. 1 Valeriæ & Corneliæ par iniquitas 68. 14
Legis definitio apud Stoicos 193. 65 apud Ciceron. 134. 33 ſuadendæ ratio 144. 60
Legulus 283. 32
Legum partes capita vocantur 14. 46
Legum rogandarum conſuetudo 176. 9
λεῖμμα 353. 5
Lena Plautina 63. 57
Lentà manu trahere 335. 13
Lentitudo apud Cic. 218. 2
Lentulus 56. 27 34
Leodegarius à Quercu 72. 10
Leodegary emendatio loci cuiuſdam Cic. 59. 42
Leontion meretricula contra Theophraſt. ſcripſit 395. 10
Lepidus 9. 48
Lepiſta genus vaſis 287. 19
Leucippus atomorum auctor 229. 54
Leuidenſis veſtis 285. 62
Leuitas maximum vitium 85. 25
Lesbos Inſula 44. 8 25
Leſſum habere 164. 52
Leſſus quid 164. 59
λέξις εἰρομένη 101. 19 22 26
Lex quid 107. 16 184. 7 æternum quiddam 133. 60 à deligendo 108. 1 cur homines conſecratos coli iubeat 146. 42 emendatrix vitiorum 197. 35 humana quid 107. 31 imperiũ 169. 6 iure lata 175. 42 magiſtratuum domina 169. 41 omnis vera laudabilis 135. 21 ratio ſumma 193. 56 ſapientis ratio 128. 7 ſancta 361. 8 vnde dicta 107. 19
Lex & philoſophia non idem 127. 57
Lex & Tyranni 68. 10
Lex Agraria 13. 53 19. 55 22. 34 25. 49 26. 3 26 31. 48 32. 30 33. 11 34. 17 37. 39 38. 9 51. 29 59. 37 63. 41 67. 58 181. 41 203. 15 Aliena 200. 55 ambitus 175. 65 annalis 173. 6 annalis Ruſcæ 211. 3 Annaria 173. 10 Annõaria 33. 53 antiqua de conciliabulo 22. 45 Arſæ Terentilli 201. 50 Carbonia 184. 37 183. 55 Caſſia 183. 54 184. 35 Cecilia 175 50 Cenſoria 47. 19 centuriata 39. 61 40. 7 41. 3 Cic. iuſtiſſima 186. 32 Cincia 217. 46 Clodia 174. 27 Cornelia 36. 40 52. 65 de Sicarys 9. 4 Cœlia 184. 37 curiata 39. 16 40. 7 41. 178. 25 179. 62 Diagondæ Theba. 151. 51 de ciuica corona 165. 44 de colonia Narbonenſi 203. 47 de hominis ſepultura 163. 32 de interrege 173. 52 prouincys cõſularibus 33. 55 prouocatione 33. 53 de Scẽicis 153. 33 ſuffragys 174. 51 185. 60 de ſummo Imperio Dictatoris 119. 24 Didia 75. 150 Domitia 36. 32 duod. Tab. de addictis 209. 6 Ebutia 37. 46 38. 3 77. 63 Fabia 5. 14 Fabia corruptè à Iurisc. Flauia dicta 5. 53 quæ fuerit 5. 54 Fabiy Maximi 172. 65 Fãnia 217. 32 Fauia 200. 55 frumentaria 136. 40 Gabinia 30. 43 34. 52 183. 53 184. 35 gladiatoria 369. 48 Gracchi 25. 8 Horatia 127. 23 Hortenſia 174. 18 182 25 iudiciaria 33. 53 Iulia 18. 29 23. 8 59. 53 178. 32 Lectoria 256. 65 Licinia 37. 44 38. 3 8 54. 52 77. 63 209. 54 Mamilia 125. 60 126. 1 200. 50 Manilia 46. 61 126. 13 Marci Duelly 174. 24 Maria 185. 62 militaris 33. 52 muneralis 175. 66 217. 37 Mutia 136. 42 Numa 138. 57 143. 51 Papia 20. 38 Papia Poppea 28. 49 Papyria 144. 23 pecuniarũ repetundarũ 174. 14 Peducea 200. 55 perpetua 152. 50 Platonis in Sacrilegos 143. 50 Pompeia 18. 40 38. 55 Porcia 5. 15 6. 27 7. 5 8. 15 11. 13 171. 9 184. 61 Romuli 149. 12 Roſcy 63. 63 76. 55 200. 55 126. 18 Rulli 14. 45 15. 12 19. 17 21. 17 22. 25 32. 46 45. 28 49. 18 51. 40 54. 9 67. 30 ſacrata 179. 10 Scatinia 123. 12 31 Sempronia 6. 63 9. 39 27. 2 78 Seruilia 42. 53 44. 62 45. 27 46. 19 52. 60 54. 59 67. 56 69. 5 ſepeliendi 165. 11 ſocialis 33. 52 Solonis 77. 64 Solonis de ſepulchris 167. 51 Statinia 6. 19 Syllana 54. 62 tabellaria 29. 48 30. 53 183. 48 Teria 216. 49 Tutia 136. 21 Valeria 52. 65. 68. 4 171. 16
Lex vetus 50. 39 200. 62
Lex vltima 96. 59 130. 11 eius author 97. 9 vis apud Sophoclem 97. 11
Libare cœnas 286. 67
Libare dapes 368. 65
Libamina in ſacrificys 140. 1
Libatio deorum 329. 28
Libatio poſt epulas 362. 54
Libelliones 34. 64
Libelli Senecæ inſcriptio 100. 32
Libellus Galeno adſcriptus 100. 45
Libera legationes 178. 10 16. 30
Liberæ legationes vnde dictæ 178. 20
Liberare agros 18. 61 75. 59.
Liberata pro effata 141. 39
Liberatio ſacrorum 159. 30
Liber Cic. de fato mutilus & lacerus 218. 47 de legibus deſiderantur 183. 4
Liber de concordia Stoicorum & Peripateticorum 84. 11
Liber Deus vini 68. 23
Liberi Populi qui 18. 2 4
Libertas campi Martij 6. 47
Libertate donati 133. 39
Libertini 183. 12 Cic. ætate 183. 15
Liber vetus Alexandri 14. 19
Liberũ arbitriũ Chryſippi 245. 27
Liberum puto 216. 61
Libido equina 318. 4
Libido quid 35. 10
Libitina Venus 296. 51
Libonis & Hipſei concurſatio apud Cic. 18. 23
Libo trib. pleb. 188. 28
Library 34. 61. 41. 33
Library legum 189. 48
Librarioli 102. 55
Libri Academici vnde ſic dicti 83. 17
Libri Antiquitatũ Varronis 85. 34
Libri originum Catonis 102. 12 (47
Licentiæ templum 155. 11
Licet conſulere form. loqu. 364. 65
Licinius Craſſus 36. 34
Licinius Macer 5. 1
Licinius Stolo 179. 20 34. 36
Licinius Stolo Tribunus 37. 39
Lictor apud Gellium & Liuium 7. 9 vnde dictus 78
Lictores ante Magiſtratus incedentes 324. 6 curiarum 41. 6 9 triginta 39. 48
Lictorum officium 166. 19
Lignum bes alterum latum 293. 16
ληκυθίζειν 343. 46
λήκυθοι 338. 22
ληκύθους apud Ciceronem 65. 43
Limare pro delibare 352. 35
λιμένες 44. 17
Limes decumanus 22. 58
λῆμμα 264. 51
Lingulaca 280. 63
Linũ quod ignibus nõ abſumitur 288. (42
Liquida vox 317. 30
Liris fluuius 43. 11 108. 37 130. 45 133. (14
Lisboum oppidum 16. 35
Lis finalis 125. 62
Litari ſalſis frugibus 161. 2
Liuia 136. 21
Liuiani modi 153. 14
Liuius Andronicus poeta 154. 25
Liuius Druſus Tri. pleb. 136. 52
Liuius Geminius 100. 30
Liuius de agro Caleno 24. 55 de agro Campano 23. 42 25. 2 56. 33 de agro Italiæ 58. 38 de agro peſtilenti 21. 46 de agro Pupinienſi 62. 41 de Alexandro Appione 47. 29 de Andronico poëta 154. 26 de Anienſi tribu 55. 24 de Annibale 61. 57 apto exercitu 84. 9 de aquis Cumanis 214. 38 de Arpinatibus 131. 30 auro viceſimario 17. 54 de auſpicys 173. 44 de bello Punico 58. 32 59. 30 de campo ſtellate 24. 51 de Canuleio prætore 215. 54 de capitis conſecratione 133. 2 de capta Capua 59. 2 de Caruilio conſule 147. 64 de cenſura 189. 18 de Cherſoneſo 47. 22. de Chio 25. 18 de comitys curiatis 39. 17 de conquiſitoribus 63. 14 de conquiſitione 63. 15 de conſecratione Capitolini templi 147. 1 de corona triumphali 20. 13 de creatione Pontif. Maximi 36. 30 de curiata Lege 39. 18 de decem Legatis Romanorum 47. 45 de Decio Magio 60. 53 de eodẽ magiſtratu gerendo 173. 1. de familia Annaliũ 211. 4 de fecial. 142. 6 de foro & conciliabulo 22. 45 50. 51 de frenis detractis 48. 64 de Inſulis ſupplicum 17. 17 20. 22 de intercalatione 148. 28 de Iudice 172. 55. de iure fecialium 151. 56 de Lege curiata 78. 26 de lege Horatia 127. 24 de legum imperio 178. 5 de L. Iulio trib. pl. 173. 10 de Ludis ſcenicis 153. 32 de M. Cornelio Maluginenſe 210. 32 de Minturnis 43. 12 de Minutia virgine veſtal. 144. 2 de mulcta certatione 171. 28 de Numa 23. 19 101. 2 de numero Augurum 62. 18 de obſoleta veſte 25. 33 de Papyrio 41. 15 de perduellione 184. 57 de poteſtate tribunitia 174. 19 de pugna Cannenſe 62. 1 de Pullario 141. 8 de Punico bello 29. 65 de Romulo 147. 47 de ſuffragys colligendis 65. 60 de ſummo Imperio 172. 48 de ſuperbia Campanorum 24. 42 de Thermopylarum anguſtys 58. 6 de toga prætextæ iure 164. 34 de tribuum numero 30. 59 de Tullio Hoſtilio 6. 32 de vrbe à Gallis recepta 62. 32 de Volſcis 138. 36
Lixa 284. 43
Loca publica quæ 42. 60 pura 274. 45 fulgurita 290. 52
Locare pro collocare 271. 61
Locari 23. 59
Locary 272. 4
Loci pro vtero 272
Locus quid ſit Vlpiano 68. 51
Locus obuallatus 30. 42 publicus 164. 12 349. 64 Religioſus 4. 60
Locus Cic. de enunciationibus 219. 2
Locus de prouidentia 111. 54
Locus Dialect. περὶ δυνατῶν 241 7
Locus & ordo differunt 29. 32
Locus fundus 68. 52 (43
Loc. Horaty de vepallida muliere 60.
Locus Platonis 106. 51 42. 44 47
Locus pro capite vniuerſo 157. 62
Locus emendatus in Catone 279. 25 in Cicerone 15. 33 8. 57 14. 62 29. 4 30. 10 55. 56 65. 30 66. 25 78. 40 80. 18 87. 58 89. 42 90. 34 92. 5 123. 37 125. 59 103. 15 156. 51 162. 60 164. 58 166. 62 179. 19 182. 17 185. 6 188. 15 220. 50 370. 10 in Floro 59. 5 in Horatio 344. 2 362. 10 368. 33 in Liuio 55. 26 62. 42 174. 53 in Platone 168. 20 in Plauto 31. 14 60. 41 68. 22 71. 33 285. 3 in Pompeio 57. 56 in Senec. 65. 26 in Varrone 63. 3 62. 64 270. 32 273. 65 275. 66 277. 27 281. 63 284. 49 286. 20 288. 4 290. 50 292. 60 293. 50 294. 45 295. 56 298. 29 57. 299 19 301. 60 302. 50. 303. 6 304. 40
Locus explicatus & illuſtratus: in Catullo 58. 8 in Cicerone 13. 62 14. 3 17. 25 21. 48 30. 56 31. 4 33. 16 36. 27 47. 12 57. 15 58. 28 63. 29 66. 18 79. 36 86. 27 108. 34 113. 9 125. 57 138. 12 197. 8 220. 26 288. 57 in Horatio 309. 60 313. 12 316. 16 317. 21 322. 5 323. 1 324. 10 329. 27 330. 60 332. 42 333. 3 334. 30 336. 10 338. 59 339. 44 340. 36 341. 11 343. 28 344. 47 346. 1 345. 24 347. 56 348. 1 354. 6 355. 13 356. 3 357. 53 359. 62 360. 35 362. 2 367. 43 368. 6 369. 10. in Plauto 61. 4 in Plinio 324. 15.

Locus Mendoſus in Catullo 352. 32 Cicerone 55. 19 59. 40 65. 23 66 4 80. 34 105. 23 115. 54 116. 50 117. 58 127. 13 159. 21 160. 14 166. 64 220. 24 in Horatio 371. 53 372. 1 in Plauto 193. 14 in Plinio 347. 47 393. 58 in Valerio 127. 21 in Varrone 297. 30 301. 45
Locus reſtitutus in Cicerone 146. 30 161. 11 230. 61 in Liuio 47. 47 in Lucretio 352. 36 in Varrone 298. 39 302. 4 301. 55
Logicè legere 241. 33
Λόγος προφορικὸς & ἐν διαθετος 109. 37
Longæ coronæ 165. 34
Longi verſus 168. 7
Lucania 273. 1
Lucanica farciminis genus 285. 23
Lucanus 48. 50 de Aniene 162. 35 de arbore ſacrata 98. 22 de Arunte Hetruſco 142. 58 de Ionio & Ægeo mari 58. 17 militib. Quiritib. 28. 56. de oraculo Delphico 150. 18 de Polyido 150. 53 de vatib. Thuſcis 142. 23
Lucar à Luco 98. 29
Lucar pecunia 98. 30
Lucere 298. 23
Lucerum tribus 35. 65
Lucianus de Herodoti fide dubitat 101. 30 de dentibus auro vinctis 165. 60 de origine Dialogi 129 32 de Pantomimis 206. 42 de Simulacris 29. 6
Luci caſti 312. 49
Luci in vrbe 139. 9
Lucilij verſus 14. 63 in Albutium 216. 8
Lucillius 22. 6 24. 64 46. 22
Lucilius: aptum pro colligatum 61. 66
Lucius Ælius 85. 3 L. Acilius 163. 45 L. Beſtia 181. 40 Lucius Caſſius 183. 54 L. Cotta 188. 4 L. Craſſus orator 29. 49 L. Cornelij 20. 25 L. Cincius hiſtoricus 102. 63 Luc. & Ca. Memmij 205. 50 L. Gellius conſul 200. 28 L. Lucullus 182. 48 183. 8 L. Manlius Acidinus conſ. 51. 24 L. Munatius Plancus 372. 2 L. Philipp. 44. 43 L. Sextius Conſul 371. 54 L. Sylla 43. 32 54. 62 conſul 18. 52
Lucretia Tricipitinis filia 134. 10
Lucretius 25. 65 39. 5 42. 53 aliena pacis 95. 8 cœlum pro aëre 7. 44 de anſere conſeruatore capitolij 23. 18 de fato 227. 34 de fulgurum locis 141. 28 de generatione animalium 110. 28 intactus pro intangibilis 62. 12 de inclinatione corporum 227. 56 de inſula 17. 11 laqueata templa 130. 60 de Ludis Romanis 153. 28 de matre Idæa 143. 33 motu rerum 229. 18. Naturam latrare 203. 22 de nubibus extructis 20. 44 res apta 61. 65 de ſimulacris 29. 12 de ſtipe Iſidis 143. 43
Lucretij poëma 264. 37
Lucrinum 78. 58
Lucrinus Lacus 43. 16
Lucubratio 393. 55
Lucullus conſul 43. 58
Lucumones 142. 43
Lucus Dianæ ſacer 336. 55
Lucus Martis 336. 55
Ludere 40. 29 trochò 340. 63
Ludi Circenſes 153. 36 compitalitij Romæ 146. 38 florales 171. 64 Megalenſes 171. 64 publici 143. 18. 153. 3 Romani 171. 64 ſolennes 171. 63
Ludorum diuiſio apud Græcos & Latinos 143. 29 31
Lugubres cantus 166. 31
Luna menſes ducebat 327. 10 noctiluca 329. 40 rubens carmine magico 359. 5 ſilet 332. 20
Lupata 310. 60
Luperci 282. 36
Lupini 345. 44
Lupus inſtrumentum 310. 50
Lupus fœmina apud Ennium 163. 28
Luſcini qui 51. 14
Luſcinus apud Valeriũ & Gelliũ 51. 14
Luſtrum 295. 46
Luſtrum infelix 213. 18
Luſtrum condere 213. 28
Lutra non lytra 281. 21
Lycaones 151. 9
Lycium 87. 52 95. 24
Lycurgus de cœlibatus pœna 172. 34
Lydia 43. 54 Lydiæ pro Lyciæ 16. 22
Lydium melos 154. 13
Lyrici poëtæ 338. 7
Lyſiæ orationes 30.

M

MAcedonia Cicer. decreta 27. 14
Macer Rabirio inimicus 48.
Mæſſium per diphth. 304. 25
Machina pro dolo 22. 2
Machinæ Archimedis 357. 21
Machinæ in oppugnationibus 47. 4
Machinator 22. 1. 3
Macrobius 83. 44
Macrobij locus ex lib. Cic. de fato 218. 50 de igne veſtæ 148. 64 de intercalatione 148. 21 de legibus 97. 39 piaculo imprudenter commiſſi 143. 21 de Pontific. Maxi. annalibus 101. 64 de Priſco Tarquinio 7. 17
Mactea 285. 45
Magi Perſarum 145. 53. 146. 1
Magiſter Populi 40. 41. 281. 53 equitum 173. 25 rex. 322. 3
Magiſtratus animi 41. 27 minores 171. 32 Patricius 40. 1. 4 Plebeius 40. 4 Romæ 124. 49 ſerui legis 169. 42 vis 169. 3 vocatio 171. 7
Magiſtratum qui petere prohibeantur 38. 47 51
Magiſtratuũ Athenis nomina 251. 11
Magmentum 285. 37 41
Magnæ corona donaticæ 165. 37
Magnificentia 37. 58
Magnus Liber magnũ malũ 202. 42
Maieſtas populi Romani 3. 56
μαικήνας apud Dionem 371. 28
Maiores hoſtiæ 80. 25 148. 38
Μάκελλα 290. 25
Mala ſcabies 341. 22
Malitia vitij nomen 122. 30
Malthini nomen fictum 352. 2
Mamilius 126. 15 trib. pleb. 216. 34
Mamilla 320. 2
Mamurij Veturij celebre nomen Romæ 296. 54
Mancinus 49. 57
Mandure pro manducari 304. 19
Mangones 348. 20
Maniæ, menia menenia 365. 37
Manibus non puris eſſe 323. 4
Manij nomen 224. 38
Manilius Iuriſconſ. de ſtipulationibus 106. 4
Maninſulæ quid 17. 16
Manius Curius 51. 26
Manlia aqua 58. 9
Manlius 58. 10 Acidinus conſul 210. 28 Capitolinus 26. 62 Torquatus 56. 29
μαντεία τοῦ ὀρνοῦ 174. 34
Mantia Ælius non Heluius 211. 47
μαντικὴ 149. 65
Mantua 24. 11
Manubia 19. 55 48. 33 albæ, nigra 19. 65 ſanguineæ 66. Cimbricæ 50. 19. Iouis 48. 37 vnde dictæ 48. 35
Manubia tertia 307. 48
Manu interficere apud Cicer. 9. 2
Manus laua 206. 55
Manus ſiniſtra & dextra canendi in fidibus modus 79. 47
Marabodius rex 318. 10
Marcellinus Orbem Romanum dixit 15. 17
Marcelli funus 165. 55
Marcellus apud Liuium 24. 39
Marcellus augur 149. 62 de augurali diſciplina ſcripſit 150. 23
Marcianus 50. 21
Marcius Figulus 166. 50 Marcij Figuli dictum 166. 53
Marci Catonis dictũ de Sicilia 25. 17
Marcus Æmilius Scaurus 9. 59
M. Cicero ſenex 212. 30
M. Duellius 174. 24
M. Iunius 189. 44 55
M. Manlius 51. 13
M. Porcius Cato 395. 26
M. Tullius Decola conſul 42. 46
Mare Ægeum 313. 36
Margaritarum pretium apud Roman. 344. 33
Mariana 192. 21
Mariana quercus 98. 36 99. 4
Marica nympha 326. 40
Maria-





Marianum ſcutum 212. 41
Marij reliquia 161. 56
Maris diuitiæ 344. 33
Marius 9. 53 29. 58 30. 19 apud Salluſtium 29. 64 augur 98. 56 Ciceronis poëma 98. 35 Conſul 9. 6 12. 10 68. 1 Gratidianus 185. 26 Gratidius 185. 13 L. Valerius Conſules 3. 55 4. 4 Pater patriæ 11. 52 55 59 12. 3 28 54 62
Marmor pellucens 267. 22
Maro 15. 65 17. 3 21. 37 de inſula 17. 10 de fulm. 20. 1 obductum dolorem 67. 62 64
Marſi 39. 52 78. 14
Marſiæ ſtatua 357. 47
Martialis 50. 4 62. 28 crepans digitis 56. 16 de dentibus fictis 165. 57 tunicata quies 60. 56
Martianus de munere & dono 217. 41
Martius Campus ſanctus 6. 46 eius libertas 46.
Μαρτύρεσθαι 391. 8
Maſſicus mons 52. 11 79 36
Maſſilia Phocæâ potentior 54. 13
Maſiniſſa 19. 24 27
Maſtaneſoſus 79. 24
Maſtruga 61. 52
Mater cupidinum 328. 36
Materia apud Platonicos 89. 44 corporata qualitas 89. 47 naturalis 89. 29 prima 90. 33 Stoicis æterna 128. 61
Materiata non interiunt in nihilum 90. 40
Matronæ Romanæ ante aras 339. 65 Vittatæ 352. 24
Maturitas apud Ciceronem 194. 60
Maturitas Mundi apud Stoicos 195. 12
Mauri non ſine iaculis 316. 58 68
Maxima Comitia 175. 63
Mazaceni 127. 22
Mecœnas Eques Rom. 76. 56
Media inter recte facta & peccata 92. 63
Media pars pro dimidia 75. 13
Mediaſtinus 345. 50
Medicorum cauſa 253. 52 præcepta 135. 33
Medius Ianus apud Ciceron. 363. 41
Mediocritas aurea 323. 50
Meditrinalia 295. 40
Medius belli 324. 55
Medium ferire 257. 52
Medon primus Archon Athenis 251. 20
Megalenſes ludi 171. 64
Megillus Lacedæmonius 106. 17
Mela locus de Faunis & Satyris 314. 48 de mare Mediterraneo 185. 36
Melampus diuinator 150. 57 60
Melandria 280. 58
Melici, Lyrici & Dithyrambici vt differant 328. 50
Melius 26. 61
Membris captus 10. 5
Memmij acerrimi accuſatores 205. 50
Memmius 9. 33 homo prælongus 212. 63
Menda in hiſtorijs 18. 46
Menippeæ Satyræ Varronis 85. 32
Menippus 85. 4 Cynicus 85. 32
Menſa pomorum 366. 24
Mens 90. 65 91. 37
Mens candida 311. 34
Menſes Iudæorum 359. 56
Menſis intercalaras 148. 22 294. 56
Mens non ſine ratione 134. 6
Mens princeps Lex 133. 62 Stoicis eſt Spiritus 94.
Mephitis 276. 59
Mercenaria liberalitas 122. 17
Mercurius cubica figura 167. 47 λόγος καὶ ἀγώνιος 311. 18 Lyræ fabricator 320. 18 vnus è Cabiris 301. 9
Merum Imperium Cicero non dixit 75. 61
Μεσοβασιλέα 173. 54
Μεσοβασιλεὺς 68. 5
Meſonauta 346. 49
Μέσον βάλλειν 257. 52
Meſſala apud Gellium 149. 35 apud Tibullum 29. 26
Metaphora 19. 35 30. 7 75. 42 76. 31 78. 67 87. 57 92. 1 102. 31
Metari & metatio 361. 26
Metelli 9. 48 fato fiunt 213. 5
Metellus 9. 54 10. 8 27. 18 56. 46 celer augur 2. 13 ingenio aſinino 213. 3 Numidicus 181. 41 214. 64
Methodi proprium 157. 61
Metia porta 7. 51
Metonymia 77. 16 89. 52
Metropoleos nomen 21. 64
Μετ γραμμάτων apud Polybium 17. 78
Michaël Hoſpitalis Franciæ Cancellarius 269. 50
Μηχανικός 22. 3
Militare ſignum detrahere 2. 16
Milites ære diruti 293. 59
Militi quid datum ſit ſtipendij loco 25. 14
Milo Crotonienſis 89. 8
Mimi Publij & Laberij 206. 35
Mimus ethologos 206. 33
Mina honoris 164. 12
Mineruam qui docet ineptus 87. 61
Mineruium 55. 5 276. 43
Μινισέριον 357. 43
Minores magiſtratus 171. 32 40
Minturnæ colonia 43. 11
Minuritio apud Cic. 206. 3
Minuritiones apud Pompeium 206. 6
Minutij Baſilij teſtamentum 178. 23
Μινυρίζειν apud Ariſtophanem 206. 7
Miſenum 55. 5
Miſſa & remiſſa pro remiſſione 159. 14
Miſilia 21. 32 34
Mithridates 38. 41 apud Salluſtium 43. 56 44. 2. Armeniæ Rex 318. 11 22 ſuperatus 48. 2
Mitti cum Imperio 194. 53
Mitti in prouincias cum imperio 109. 53
Μητραγύρτης 394. 22
Μητρόπολις 21. 63 133. 5
Mobilium Quiritum turba 371. 40
Moderatio quid 29. 56
Modeſtia 122. 56
Modeſtinus de Roma 132. 34 quid prædium 69. 27
Modi à numeris differunt 154. 34
Modo, pro, mox 268. 2 pro, nunc 268. 7 10
Modo vt, pro, vtinam 65. 7
Modus deducendi coloniæ 22. 56
Modus quid 104. 60
Mæcenas cũ diphthongo in prima 371. 28
Mæcenas claſſi Liburnarum præfectus 330. 37
Mœnire pro munire 289. 52
Mæotidis paludes 48. 6
Mæotis Lacus 48. 8
Moeton antimo 293. 46
Mœrus pro muro 289. 54
Mola ſalſa 140. 2 327. 13 391. 20 396. 59
Moles Adriani 58. 51 virides 58. 54
Molles 154. 1
Moleſtiæ 114. 27
Μώλωπα 260. 18
Mopſo certior, prouerbium 150. 62
Mopſus vates 150. 62
Monimentum 167. 35
Mons Albanus 348. 4 Pyrenæus 15. 54 Querquetulanus 276. 54 Sceptius 277. 8
Monumenta 20. 14 apud Terentium 63. 39
Morborum indicia ex vnguibus 221. 2
Morbus fanaticus 341. 29
Morbus pro impudicitia 322. 41
Μωρίαι oleæ 99. 25
Μορμολύκειον 395. 47
Mors cur acerbiſſima dicta 7. 43
Mortis ſupplicium in vrbe non ſumebatur 7. 49
Mortui liberantur iudicio 11. 33
Morum voluntariæ virtutes 88. 32 35
Mos ab inſtituto differt 28. 40 amicorum in congreſſu 82. 59 Dialogorum 82. 41 ferendi leges 176. 9 humandi apud Athenienſes 166. 58 apud Romanos 273. 16 apud veteres 161. 37 irroganda mulcta 178. 20 laudandi mortuos 167. 5
purgan-

purganda familia 161. 46 Roma. in alloquendo populo 28. 30 vetus Romanorum puniendi Reos mortis 5. 57
Motus atomorũ triplex 229.13 proprius corporum iuxta Epicurũ 260. 28 tertius Epicuri 228. 63 229.13
Motus & tempus diuidi poſſunt 90.44
Mox videro 125. 45
Mucro Tribunitius 178. 2
Muger 392. 42
Muginari 392. 40
Mulieres altè cincta apud Horatium 355. 64
Mulierum laudatio in funere 104. 8
Mulieres nõ diſtinguunt familias 109. 60
Multa pœna 171. 23
Mulcta eius qui non in ſenatum venerat 175. 16
Mulcta certatio 171. 28 irrogandæ mos 171. 20
Mulcta vnde dicta 171. 24
Multa vrna 293. 38
Multifariam pro multis locis 118. 19
Multi meri 321. 55 322. 17
Multiplex & Simplex 109. 5
Multi ſtipendiarij 294. 6
Mulſum frigidum 216. 18
Mummius 16. 40 58. 3
Mundus communis ciuitas 103. 64 Deorum hominumq́; ciuitas 170. 2 ex quibus coagmentatus 90. 49 oppidum noſtrum 194. 40 vnde dictus 272. 40 vnde effectus 90. 6
Mundus muliebris 287. 55
Munera gladiatoria 364. 8
Munichio apud Ciceronem 206. 1
Municipalis ager 18. 67
Municipes Romani 131. 22
Municipia 22. 28
Municipia oppida 132. 39
Municipia in fide Ciceronis 137. 10
Municipibus duplex patria. 131. 33
Munus onus ſignificat 45. 60
Murcia dea 291. 30
Murrata potio 165. 32
Murtatum 285. 20
Muſca nulla fœmina 206. 63
Muſicæ effectus varius 154. 7
Muſica octo chordarum ſimplex 206. 15
Muſices modi varij 154. 12
Muſici Ludi 143. 32
Muſtricola apud Sutores 89. 24
Mutare pecunia vel ære 21. 11
Mutatio muſices quid incommodi ferat 154. 16 temporis 365. 30
Mutationes Pythagoricæ 398. 10
Mutia feſta Aſianorum 213. 58
Mutius 161. 65 Iuriſconſult. de nexu 305. 9 prætor abſtinentiſſ. 213. 53 Mutius Scæuola, Augur 11. 40 Pontifex 11. 40 Q. Mutius 9. 47 10. 10 Pontifex 105. 13
Mutuum reddere 393. 30
Μύδρον 335. 47
Mymecides mirus artifex 299. 23
Myſia 43. 54
Mytilenæi perfidi 44. 21
Mytilene in ſingulari 44. 20
Mytilenæ vrbs 44. 7 25

N.

NActæ fullones 357. 61
Nænia 165. 11 166. 26
Nænia apud Arnobium 166. 28
Nænia vnde dicta 166. 30
Nænia Dea 166. 29
Næuiani modi 153. 14
Næuius poëta 154. 25 207. 24
Ναΐδια apud Polybium 204. 35
Nanus vas aquarium 286. 58
Naphtha 331. 28
Narma 55. 22
Naris obeſæ 334. 50 354. 1
Naſica 217. 16
Naſidiemus Horatianus 371. 6
Νάσσειν 357. 62
Naſo ſuſpendere 356. 30
Natabulum 132. 29
Natalis colonia 22. 62
Natio Dea 272. 59
Natio in pecore 63. 52
Natio quid 63. 51
Naturæ definitio apud Cicer. 135. 10
Natura Deus 350. 46
Natura corporea, Zenoni 94. 19 Deus 194. 6 duplex 89. 26 inchoata nondum abſoluta 197. 9 34 iuris ab hominis natura expetenda 106. 30 locorum varia 221. 48 norma Legis 164. 8 omnium auctor 135. 3 pro naturali 115. 35
Naturale bonum corporis 89. 7
Naturam eſſe, id eſt, naturale 197. 43
Nauis Roſtrata 301. 2
Neapolis 24. 46 otioſorum domicilium 332. 15
Νεάτη 353. 15
Νέαλον 166. 30
Neceſſitas anteambulatrix fortunæ 321. 26. 40
Neceſſitas Diodori 245. 53
Neceſſitudo quid 3. 26
Necti quid 305. 14
Ne in funebri quidem Cœna lauderis 167. 6
Νέμεσις 155. 51
Nepos nequam 15. 7
Nepotini ſumptus 15. 7
Nequa, id eſt, non aliqua 302. 19
Nequinum 80. 15
Neratij Romani 52. 20
Neratius Iuriſconſultus 52. 21
Neronianum 207. 1
Nerui illiterati non minus rigent 333. 3
Νεωκόροι 349. 14
Νεύροσπαστεῖσθαι 370. 1
Νεῦν 274. 59
Nicolaus Pſaulmæus Abbas D. Pauli Vertodun. 396. 1
Nicomedes Rex Bithyniæ 43. 67
Nil admirabantur Epicurei 344. 26
Nihil in rerũ natura indiuiſibile 90. 1
Nili quid 130. 62
Nilus 44. 51 56
Ningulus pro nullus 139. 32
Ninnius 144. 21
Niſi apud Columellam 125. 6
Niſi quid ſignificet 125. 6
Νήτη 166. 30
Nobiles plebei 30. 2
Nobilis mobilis 209. 34
Noctiluca 279. 43 329. 40
Noctilucus 283. 60
Nocturna mulierum ſacrificia prohibita 141. 65
Nodum ſoluere Gratiæ 327. 18 23
Nomenclator candidatorum 283. 28
Nomen inane 24. 22
Nomentanus apud Horat. 370. 41
Nomina decora Deorum 147. 44
Nomina in O. ſtuporem ſignificantia 14. 61
Nomina in vra, ficta in us 67. 18
Nomina mutabant inter Deos relati 100. 22
Nomina Roman. familiarũ 365. 33
Nomophylaces 188. 62
Νομοφύλακες 176. 3 189. 9
Νόμ☉ vnde 107. 64
Non eſt Sextantis 208. 57
Nonius 14. 58
Monius Marcellus de Samis 208. 5 aſſæ nutrices 67. 19 de domino conuiuij 166 14 de Finitoribus 42. 36 de Satyris Varronis 85. 33 de Siſennæ hiſtoria 102. 61 in 3. lib. Acad. quæſtion. 83. 26 in verbo cratera 61. 1
Non modo pro non modo non 23. 6
Non pro ne 268. 8
Non ſinitis pro Non initis 78. 34
Non ſinas, pro ne ſinas 268. 1
Norma naturæ legem bonam à mala diuidit 119. 45
Noſce teipſum 128. 17
Noſmetipſos noſcere 127. 35
Notarij 34. 63
Notatio verborum 91. 65
Notio 49. 38 40
Nouæ Academiæ philoſophi 124. 55
Noua nobilitas 30. 4
Nouare quid 274. 58
Nouendiale ſacrum 296. 9 335. 67
Nouenſides 280. 25
Noui homines apud Romanos 29. 63
Nouiſſimum apud Ciceronem 297. 22
Nouitium pro nouo 387. 21
Nox dea 327. 15 328. 10
Nuceria 24. 46
Nucifrangibula 212. 61
Nucula 208. 52
Nuda veritas 317. 34
Nuda ſubiecti habilitate eſſe 248. 30
Nugæ de Lege Papiria 47. 49
Numæ colloquium cum Egeria 101. 1





Numæ ſepultura 162. 14
Numa 144. 48 rex inauguratus 33. 19 intercalationis autor 148. 27
Numantinum fœdus 49. 57
Num claudicat 207. 17
Numenius de Pyrrhone 95. 59
Numerorum arenarius 319. 12
Numerus prætorum 172. 45
Numerus quid 104. 59
Numidia 19. 29 49. 52 79. 19
Numina dextra & læua 368. 18 nube circumdata 307. 34
Numinis appellatio vnde 326. 15
Num moleſtus pro non moleſtus 210. 24
Numo ſeſtertio addicere bona 368. 6
Nuncupatio pro mãcupatione 390. 35
Nunquid vis occupo 359. 18
Nuptiarum præſides dij 345. 1
Nuſa filius Mithridatis 44. 2

O

OBductum pro ſanato 67. 61
Obeſæ aures 354. 13
Obex pes 387. 44
Oblinia verba Thuſca 271. 49
Obnunciare 298. 52
Obſcidium 283. 17
Obſecrationis & obteſtationis formula 27. 19
Obſeptus locus 30. 11
Obſoleta 86. 57
Obſoletũ & nitidũ contraria 391. 53
Obſoletus color 25. 30
Obſtitum quid 142. 62
Obtegitur vitium 30. 10
Obteſtatio iuſiurandi 27. 26
Obuallare 30. 7
Oceanus vterque 323. 23
Occaſio & cauſa differunt 242. 15
Occluditur taberna 30. 11
Ocium in Imperio 77. 42
Oculi incerti 348. 60
Oculi loquuntur 112. 30
Ocriculana tribus 55. 19 80. 9
Ocriculum 80. 15
Octauij 9. 48
Octauius 180. 55
Octophorum Lectica 31. 18
Odo Cardinalis Caſtilionæus 96. 8
Odo Turnebus 306. 12
Offenſio prælij 156. 20
Officia Academicis vnde naſcantur 89. 18 Iuriſconſultorum 107. 2
Officium boni interpretis 247. 2 virile 339. 2
Οἰκείωσις 120. 4
Οἰώνισμα ὑγιείας 27. 50
Οἰωνιστήριον 277. 31
Οἰωνοσκοπικὰ 150. 38
Olea Palladis Athenis 99. 20
Ὀλιγαρχία 31. 53
Olim ruſca 211. 2
Oliua Athenis precr ita 309. 35
Ollus letho datus eſt: formula loquendi 144. 33
Olores poëtæ 324. 63
Olympus vrbs Pamphiliæ 10. 12 16. 24 47. 8
Ὀλυμπηνός 16. 24
Omnes ſimiles ominum 113. 28 30
Omni pede ſtandum 354. 37
Ὀνοματοθεσία 270. 38
Onomatopœia 58. 31
Operari aliquid 266. 27
Operere pro operiare 266. 31
Opes fundatæ 347. 13
Opes pro potentia 54. 51
Opiconſiua 295. 35
Opimius prætor 59. 13
Opinabile quid Platoni 91. 60
Opinari non eſt ſapientis 94. 62 95. 7
Opinatio 114. 40
Oppedere 359. 59
Oppiani figmentum poëticum 110. 31
Oppidum Caſſinum 70. 59
Oppius mons 276. 62
Opiſthodomus 292. 9
ὁπλοθῆκαι 9. 31
ὀψιμαθεῖς 360. 10
ὀψώνιον ſtipendium 25. 15
Optimates qui 10. 41 32. 12
Optimatum poteſtas 178. 1
Optimo iure quæ 69. 24
Optimus colonus 218. 10
Optimum quid 153. 21
Opus tectorium 167. 44
Oraculum Apollinis 318. 37 Chærephonti datum 87. 48 Laio editum 231. 51
Oram ſoluere 334. 15
Orare & exorare 30. 42
Oratio Cic. contra Rullum quando & vbi habita 23. 13 Rullum quo die habita ſit 13. 59 de leg. agrar. quando habita ſit 76. 13 pro Rabirio quando habita 4. 53 6. 15 Craſſi in L. Cepionis 203. 55 mentis interpres 113. 37 philoſophorum lenis 105. 5. Oratio tracta 101. 20 tumida 338. 24
Orationis vis 112. 33
Orator abſque Dialecticæ adiumento 74. 33
Oratoria vis explicatrix 91. 48
Orbis quid 21. 26
Orbis Romanus 15. 17
Orbona dea 147. 32
Orchas 284. 56
Orchinius 20. 20 22. 29
Orciniana Sandapila 358. 24
Orcus & orcum 279. 37
Ordinaria Imperia 32. 39
Ordines in Republ. 191. 65
Ordinum diſcrimina 192. 13
Ordo Equeſter 76. 49 rogandi in Senatu 171. 18 Sacerdotum apud Romanos 140. 26 Stoicorum cum de Lege diſſerunt 115. 24
Ordo tribuum 30. 64 55. 15
Origenes de dei prænotione 250. 49 de eo quod fieri poteſt 238. 64 de rationibus quib. fatum oppugnatur 255. 57
Origo Eclogarum Virgilij 266. 20
ὁρμὴ 230. 26 234. 38
ὁρμητήριος 23. 26
ὅρμοι 44. 17
Oronda 47. 10
Orori telam 104. 3
Os ad familiam purgandam 162. 62
Oſci populi 357. 44
Oſcilla 304. 29
Os exceptum ad familiam purgandam 273. 30
Oſiris 14. 60
Os reiectum terræ 161. 37
Oſnamentum 298. 18
Os ſupra terram 163. 16
Oſtentare 26. 11
Oſtentum dirum 307. 41
Otho Turnebus 14. 7
Otioſi ſtudiorum 389. 33
Otium quid 32. 53
Oues reijculæ 30. 23
Ouidij Locus de conſulatu S. Pompeij 14. 37 auguſta templa 76. 11 de albo colore 157. 5 de Faliſca 60. 20 de Februario 160. 52 defigere nomina 141. 55 Græcino conſule 17. 50 de iurgijs vitandis 139. 50 de lege ætatis 173. 7 de Manibus placandis 160. 60 de Pompa funeris 164. 40 de Romulo 100. 34 de Sexto Pompeio 17. 48 de ſtipe 143. 46 de victima 60. 6 15
ὀξὺ 311. 11
Oxylapathum 366. 3
ὀξὺ quid ſignificet 329. 24

P

PAcem pro pace apud Plautum 140. 17
Pacis cura ad Senatũ pertinebat 12. 11
Pactumeius 336. 13
Pacuuius 85. 19 pegi 126. 41
Paganalia 295. 65
παιανίζειν 305. 35
παιδοτρίβης 217. 58
Παιδοτροφία 361. 62
Palæſtra quid 133. 33 apud Romanos 133. 31 graminea 17. 42
Palatini Numæ 282. 30
παλευτείας 16. 20
παλιγγενεσία 318. 45
Pallas Romam conſeruat 156. 3
Paluda pro paludata 301. 25
Palumbes 307. 28
Panætius 176. 31
Panathenææ præmia 99. 28
Pandectæ 393. 48
Pangere quid 201. 18
Pango, pegi 201. 16; 126. 40
φαντεχὲς 90. 38
Panther 283. 62
Pantomimi 206. 37
Pannuellum 285. 65
Panus in Lanificio 284. 20
Panyaſis 338. 55

*Papinius* 78. 60
*Papæ meſſū quid dicant ruſtici* 304. 22
*Papyria* 79. 14
*Papyrius dictator* 41. 15
*L. Papirij votum* 145. 36
*Parabilis cibus* 357. 12
*Paradoxum Stoicū de amicitia* 115. 55
Παράγγελμα 266. 60
Παρὰ γράμμα 207. 30
Παραπήχυα 288. 1
Παράσημα καὶ Σύμβολα ἀρχῆς 24. 21
*Parcæ quando in vitam totam ſtatuant* 324. 28
*Parentatio apud veteres* 160. 45
*Parentalia* 160. 59
*Pares & impares qui ſint* 320. 34 *vnde dicantur* 334. 40
*Parilia* 295. 5
*Parire pro parere* 278. 37
*Pariſienſis Acad. celebre nomen* 261. 42
*Parma & ſcutum differunt* 286. 13
*Par numerus infauſtus* 388. 30
Παρῳδία 209. 57
*Parodus poëta* 209. 58
*Paronomaſia* 207. 30
*Pars eſt ſpecies & caſus* 158. 2
*Pars genitalis in homine terra* 300. 25
*Partes Mundi* 90. 54
*Partim quid ſignificet* 43. 5
*Paſſa penſilis* 362. 27
*Paſcere libatis dapibus* 368. 60
*Paſcito linguam* 32. 3
*Paſcua* 15. 50
*Paßio non vocabulum Ciceronis* 8. 19
*Patera* 357. 30
*Pater Ciceronis* 28. 7
*Paterculus de agro Campano* 24. 6 *de Caio* 33. 46 *de Codri filio* 251. 21 *Domitiæ familiæ felicitate* 205. 57
*Paterculus de militaribus colonijs* 66. 15 64. 2 *de Syllæ dictatura* 81. 45
*Pater patratus* 282. 64
*Patriæ municipibus duæ* 22. 29
*Patria duplex municipibus* 131. 32 132. 14
*Patria maior & minor* 133. 4 277. 42 *pro Metropoli* 21. 64
*Patricij & nobiles Romani* 340. 12
*Patritij & plebei* 109. 61
*Patrimonium* 55. 37
*Patroni* 33. 34
*Pauimenta apud Romanos* 130. 55
*Pauli pugna* 214. 3
*Paulus AEmilius* 47. 26 59. 7
*Paulus Iuriſconſultus* 36. 21 *de terminis* 126. 37 *de opt. Max.* 69. 26
*Pauſanias de rapta Orithya* 100. 39
*Peccantes humores pro vitioſis* 268. 7
*Peccare ſuperné* 369. 58
*Peccatum in ſacra duplex* 143. 15
*Pecuaria in Apulia & Calabria* 319. 60
*Pecuarij* 330. 50
*Peculatoria oues* 283. 37
*Peculatus* 5. 26
*Peculiare* 391. 65
*Peculiares loculi* 392. 1
*Pecunia extraordinaria* 32. 40
*Pecuniæ nomen* 20. 35
*Pecuniæ nomine quid intelligatur* 54. 66
*Pecunia à pecore dicta* 15. 49 *bona ſignificat* 158. 41 *præſens, numerata* 15. 20 *ſcriptura* 216. 58 *ſignata* 21. 20
*Pecuniam facere* 41. 65
*Pecus profitendi ratio* 330. 49
Πεδήμερος ἀρχὴ 68. 5
*Pedinſulæ* 17. 16
*Pegi apud Pacuuium* 201. 16
*Pegi non à paciſcor* 126. 41
Πειραστικὸν *genus argumētandi* 247. 15
*Pelamis* 280. 53
*Peligni* 39. 52 78. 14
*Pellis Caprina Iunonis amiculū* 296. 31
*Pellis pro mantica* 356. 61
*Peloponeſus* 58. 13
*Penates* 139. 11
*Penetralia Veſtæ* 350. 13
Πεποιωμένην *materiā vocabant Stoici* 89. 48
*Percepta quid* 224. 20
*Perculit apud Plautum* 181. 2
*Perduellio quid ſit* 2. 26 184. 55
*Perduellionis Pœna* 6. 26
*Perduellionis Reus quomodo accuſatus* 6. 29
*Perduellis hoſtis* 184. 55
*Peregrini Italia eiecti* 20. 36
*Peregrinus* 274. 10
*Perfectum ad vnguem* 349. 20
*Perfricui faciem* 389. 2 396. 38
*Pergamū Aſiam nominant Rom.* 43. 53
Περιαυτολογία 29. 53
Περιβαίνειν 35. 32
Περιβραχιόνιον 365. 16
Περίδειπνον 165. 21
Περὶ δυνατῶν *Diodori* 226. 28
*Perinſignes* 200. 3
*Peripatetici* 90. 42 *à quo deſcendant* 125. 48 *Platonici* 83. 50 *vnde dicti* 87. 28
Περισοβεῖν τὴν κύλικα 165. 28
Περιτειχίζειν, περιχαρακοῦν περισταυροῦν 30. 14
Περὶ τῆς εἱμαρμένης *pro* περὶ εἱμαρμένης 263. 1
*Permittere & condonare* 43. 48
*Perpenna* 59. 11 211. 25
*Per ripam & vmbram* 104. 45 105. 27
*Perſæ non aras non ſimulachra habebant* 146. 2
*Perſæ Medi* 308. 27 325. 21
*Perſarum de delubris religio* 139. 3
*Perſius de Cœna funerum* 165. 23
*Perſius* 28. 46 *orator* 396. 47
*Perſona Satyræ Græca* 340. 5
*Perſtringi* 52. 23
*Pertinacia à pertendo* 270. 25
*Perturbatiōes generales quatuor* 114. 51
*Perturbationes Stoicis vitioſa* 114. 34
*Pes beta* 297. 10
*Pes magnus, planus, quadratus* 283. 35
*Petauriſta* 321. 6
*Petere dupliciter intelligitur* 45. 11 *dupliciter tranſlatum* 25. 16
*Petitor & inficiator in cauſis ciuilibus* 293. 55
*Petri Rami comment. in Cic. orat.* 1. 18
*Petrus Daneſius Delphini Galliarum præceptor* 202. 32
*Petrus Gallandus* 74. 3
*Petrus Victorius in Catonem* 59. 19
*Petrus Ramus antiquorum reprehenſor* 75. 16 *iactitat inuentionem methodi* 73. 21 *inſolentiæ arguitur* 72. 57 73. 6 *Philoſophiam ponit in analyſi* 73 12 *ſemigræcum miſcet artificium* 73. 33 *Syllogiſmo dedalus* 75. 33 *Turnebi collega* 1. 16
*Petulantia* 123. 1
*Phædrus philoſophus* 124. 34
*Phalacræ nymphæ* 282. 27
*Phalæcium tempore Plinij* 387. 38
*Phalereus* 167. 12
*Phalereus Demetrius* 176. 65 177 22
*Phaliſca herba* 14. 47
Φαντασία 94. 5 235. 18
*Phaſelis* 10. 12 16. 25 47. 8
Φέκλη 370. 22
*Philippus conſul* 136. 54 *Druſi leges tollit* 149. 60 *depeculator* 203. 6 14 *L. Philippus* 9. 48 *Q. Filius* 51. 28 *Philippi Regis Macedonum interitus* 221. 29
*Philiſtus hiſtoricus* 20. 16
*Philoctetes* 233. 22 34
*Philodemus græcus* 352. 59
*Philo de vera lege* 135. 11
*Philo Magiſter Antiochi* 86. 43 87. 45
*Philoſophandi genus Socraticū* 83. 18
*Philoſophiæ antiquæ de beatitate ſententia* 88. 56 *cum agro comparatio* 129. 19 *præſtantia* 127. 34
*Philoſoph. & eloquent. coniunctio* 74. 7
*Philoſophia Academia oratori neceſſaria* 220. 7 *antiqua & noua* 198. 11 *moralis* 197. 38 218. 24 *in quibus poſita* 129. 51 *ſectas diuidit* 88. 16 *vnde dicta* 127. 33
*Philoſophia pro Philoſophica* 241. 27 *Philoſophi politici* 177. 7 *Stoici enucleatores verborum* 271. 45 *veteris & nouæ Academiæ* 124. 55
*Philoſopherū ſecta* 10. 19 *ſapiens* 343. 13 *veterum & nouorum diſputandi ratio* 116. 40
*Philoſophus vſurarius* 249. 26
*Philoſtratus* 73. 49 *de mari AEgeo* 185. 33
*Phlegræus campus* 23. 40
*Phociæ apud Herodotum* 335. 20
*Phocenſes opes Oraculi auferunt* 156. 57
φοιτᾶν 105. 16
Φρενόληπτοι 10. 6
Φρουραὶ 30. 7
*Phryges auguri inuentores* 151. 9 *barbari* 333. 15
*Phrygia* 43. 54
*Phrygium melos* 154. 18
*Phyſici philoſophi* 96. 41
*Phyſiognomon* 225. 50
*Picenus ager* 5. 31 10. 21







*Pictæ Inſulæ* 17. 28
*Pictum gallum* 212. 40
*Pictura abſoluta* 201. 63
*Picus Martius vnde dictus* 314. 18
*Pila Horatia* 277. 14
*Pilani milites* 283. 7
*Pileus Flaminis* 101. 11
*Pinacidia* 397. 33
πίνακες 346. 66
*Piraticum Bellum* 38. 42
*Piſare apud Varronem* 273. 23
*Piſcis patinarius* 354. 29
*Piſo apud Salluſtium* 124. 47
*Piſo prætor* 212. 22
*Piſo de plebis Rom. ſeceßione in Auentinum* 179. 8
*Pietatis ædes* 139. 30
*Pithaulæ* 341. 10
*Pithecuſa Inſula* 316. 30
*Pittacus Mitylenæus* 167. 54
*Pituita vitrea* 364. 37
*Placari Deum* 145. 42
*Placentia colonia cur à Cicerone Municipium vocata* 54. 10
*Placideianus gladiator* 370. 11
*Placita Epicureorum* 117. 22
*Plaga apud Democritum* 252. 47
*Planipes mimus* 206. 35
*Plaſma genus potionis* 206. 10
πλάσματα *flexiones* 154. 38
πλάσματα *apud Quintilia* 206. 21
*Plato* 18. 39 73. 56 85. 21 87. 53. 137. 1 *animaduertit in AEruſcatores* 143. 38 *diſtinguit inter Deum & animum mundi* 91. 22 *diuinus* 168. 57 *diuinum quiddam tribuit ſpeciebus* 92. 31 *ex vetere Academia* 95. 46 *initia diſtinguit ab Elementis* 90. 16 *in Menone* 88. 36. 41 *inſtitutionibus definitiones tribuit* 91. 63 *materiam vocat* ὑποδοχὴν 90. 38 *molles dulces* 154. 3. νόμον *quaſi* νοῦν 107. 65 *nunquam nominat Zenonem* 95. 30 *oratoribus iniquior* 92. 8 *ſenſui parum tribuit* 91. 32 *ſimplicem muſicam probat* 154. 14
*Platoni non ſummus Deus eſt Mundi animus* 91. 8
*Platonis familia* 125. 19 *grauitas elegans* 169. 23 *lex de vxore ducenda* 172. 33 *locus corruptus* 106. 44 *ſententia de Fato* 91. 15 *de quinta natura* 90. 23
*Platonis locus de acquiſitione virtutum* 88. 42 *AEgyptiorum muſica* 154. 23 *de animis* 195. 15 *animo mundi* 91. 2. 7 *benè ſeruiente* 170. 41 *conuitijs vitandis* 139. 40 *Damone* 154. 16 *Dialect.* 92. 27 *dialect. & Rhetor* 92. 11 20 *educatione* 183. 1 *Epimenide* 147. 21 *extruendis ſepulchris* 168. 2 *fabricatione corporum* 110. 44 *inuocatione Iouis* 134. 21 *legibus muſicis* 153. 12 *Magiſtratu* 169. 35 *materia & forma* 90. 46 *mente* 91. 34 *de mobiliate rerum* 91. 53. *muſica* 153. 5 182. 58 *natura Titanica* 170. 56 *Nomophylacibus* 189. 13 *Philoſophiæ ſtudio* 84. 64 *de Philoſophia* 85. 24 128. 8 *Principibus in Repub.* 183. 27 *Repub.* 120 31 *raptu Orithyæ* 100. 46 *ſacrificijs impiorum* 155. 31 *ſalubritate cœli Attici* 222. 15 *ſenſibus ſubiectis* 91. 52 *terra non conſecranda* 156. 40 *Triangulis ſcalenis & iſoſceleis principijs* 84. 41 *verborum Notatione* 91. 65 *Veſta* 156. 52
*Plauſus theatralis populi* 324. 37
*Plautus* 15. 30 17 4 18. 34 21. 3 25. 63 26. 32 27. 22 29. 40 30. 36 31 19 33 62 34 29 41. 51 70 66. 83 34
*Plauti locus correctus* 61. 35 64. 52 *emendatus* 19 30 36 216. 22 *reſtitutus* 60. 65 61 2. 10 17
*Plauti locus de agro peſtilente* 63. 64 *de Annone in Pœnulo* 61. 58 *de Capua* 60. 61 *carnifice* 7. 50 *Cereris vigilijs* 152. 41 *comitialibus* 10. 1 *Fidei fano* 143. 54 *fortuna reſpiciente* 147. 57 *inſignitis pueris* 179. 23 *Lare* 139. 10 *Lege munerali* 217. 38 *de leſſo* 164. 50 *nocturnis ſacris* 152. 52 *obteſtandi formula* 27. 28 *de pace expetenda* 4. 34 *in Trinummo.* 35 *pueris inſignitis* 200. 7 *ſacris privatis* 158. 36 *ſervis vapulantibus* 103. 64 *ſortitione* 37. 29 *ſtipulatione* 105. 64 *ſyngrapho* 178. 26 *Treviris* 171. 49 *tributo* 20. 41 *vorſoria* 32. 22 23
*Plauti loquutiones quædam : animi artes* 66. 26 *audacia pro aviditate* 71. 32 *bonan' fide* 65. 10 *conciliare pro emere* 20. 61 *curſura pro curſu* 67. 15 *elutum dixit* 14 54 *exicare pro execare* 103. 51 *inhibere ſpem* 68. 2 *inſignitos pueros* 123. 47 *locare quid* 23. 52 *oppreſſum occupatum* 64. 25 *pictum pro picturam* 67. 11 *piſces lavant dixit* 204. 3 *pro nihil mihi credas quid dixerit* 31. 12 *quid nauteam vocet* 53. 23 *quos ſiccos vocaverit* 14. 40 *regiones in vrbe* 63. 7 *r. ſæpè geminat* 61. 49 *reſidere pro feriari* 161. 17 *ſæpè græcè loquitur* 61 51 *ſemitam facias* 62. 37 *ſiccum pro ſobrio* 75. 24 *ſingulariæ cathenæ* 62. 60 *vſura pro vſu* 67. 14
*Plautini conquiſitores* 63. 19
*Plauti Truculentus* 34. 24
*Plebs aliud quàm populus* 78. 30. *ruſtica* 53. 18 *vrbana* 53. 17
*Plebiſcitum* 184. 8
*Plebis in montem Anienem ſeceſſus* 179. 7
*Plectilis corona* 322. 48
πλεονεξία 39. 3
*Plera antiq. apud Pacuuium* 171. 34
*Plinius* 15. 42 19. 46 21. 11 47. 9
*Plinij interitus* 193. 16
*Plinij locus de Academicis ambulationibus* 105. 21 193. 40 *accumulare* 51 62 *agro Campano* 23. 45 *alite tēporaria* 358. 15 *de Androcyde* 46. 13 *de Antipatre Sidonio poëta* 220. 56. *Antonio Hybrida* 66 10 *auctoritate Equitum* 47. 18 *annulo ſignatorio* 25. 22 *annulo vindicare* 76. 23 *de annona* 25. 13 *arboribus ſacratis* 139. 7 *de Campania* 24. 65 *Catone* 57. 46 *Chilone Lacedæmon.* 128. 13 *Ciceronis Academia* 83. 20 *de corona aurea* V I I. *pondo* 76. 1 20. 5 *coronis Circenſiū ludicro quæſitis* 165. 46 *coronis ſepulchri* 165. 34 *Craßi & Domitij cenſura* 204. 50 *Curio* 131. 51 *defigi deprecationibus* 141. 57 *de epulis quæ rogo inferebantur* 165. 25 *de euripo* 131. 8 *de facie hominis* 196. 1 *febris fano* 147. 30 *herba pulegij* 220. 58 *Iunio Gracchano* 189. 56 *Laboriis* 23. 42 *de Latio* 274. 3 *Marſia coronato* 357. 50 *mortuorum crematione* 162. 29 *de Naphtha* 331. 28 *oculis* 51. 15 *de ortu Ciceronis* 28. 10 *Palma Apollinis* 99. 37 *Pamphilo* 17. 25 *paſcuis* 15. 49. 50 55. *pictis rogis* 164. 23 *de Q. Hortenſio* 127. 25 201. 49 *radendis genis in funere* 164. 46 *de ſanguineis fruticibus* 18. 42 *de ſepulto & condito* 162. 58 *Serano* 51. 22 *Supercilijs* 60. 46 *ſuſpirioſis equis* 341. 63 *de tablinis* 43. 24 *Tauro arbitro* 124. 60 *toſto in ſacrificijs* 139 62 *Trabibus ê lapide* 324. 44 *de vrbe Saturnia* 52 63
*Plinij locus emendatus* 16. 33. 36 64 16 *mendoſus* 215 30 *purgatus* 16. 17
*Plus pro magis & ſæpius* 288. 6
*Plutarchus* 28. 46 33. 43 *Ciceronem arrogantiæ inſimulat* 29. 52 *Herodotum mendacii inſimulat* 101. 29 *in Cæſare* 38. 54 *in Gracchis* 33. 48 52 34 *in Paulo* 28. 38
*Plutarchi libellus de progreßione in virtutibus* 88. 44 *liber de intelligentiis* 112. 22 195. 50
*Plutarchi locus de agrariis* 76. 59 *anima Stoicorum* 94. 15 *Ariſtone* 87. 1 *de C. Mario tribun. pleb.* 186. 15 *Catulo* 147. 51 *Chryſippo* 224. 54 234. 24. 193. 63 *de Chryſippi errore* 257. 30 *de coronis Triumphorum* 20. 10 *Craſſo Cenſore* 14. 4 52 38 *de Decimo Bruto* 160. 48 *de defectu oraculorum* 146. 14 *Democrito* 29 20 *diis nuptiarum* 345. 3 *de diuitiarum cupiditate* 351. 40 *Epicuro & Metrodoro* 117. 32 *Fato* 91. 16 17 *forte fortuna* 147. 62 *fortuna Romanorum* 369. 1 *Graccho* 58. 61 *Iulio Cæſare* 75. 41 *lacerationibus plangentium* 164. 44 *de Latona* 99. 49 *de laudatis mulieribus in fu-*

nere 204. 10 leg. Agraria 51. 35 legibus quas Gracchi tulerunt 33. 53 de L.Gellio 124 30 Luculli villis 183. 17 de Manlio 58.11 Marcione 115. 46 Mario 98. 37 Metrodoro 198. 40 de motu 252 49. 64 de nugis Stoicorum 94.22 Palladis ſimulachro 155. 64 de Phryne 154. 49 de Pompeio 6. 8 48.25 primigeniæ fortunæ delubro 148. 1 ratione fato oppoſita 255. 50 de Rulli poteſtate 35. 16 ſententia Pythagoræ 146 11 ſepulchro Iſocratis 167.63 Simonide 169. 47 de Stoicis 90. 7 107. 53 194. 10 de Stoicorum Natura Deo 135.8 opinione circa virtutem 135. 45 Stoicorum ſententia circa legem 193. 60 de Suadela & Venere 344.49 de Sylla 25. 26 templo libertatis 155. 60 Theſeo 132. 43 de veſtimentis in funere 164. 28 virtute morali ex Stoicor. ſentent. 120. 60
Plutonia domus exilis 309.16
Poculum deſiderij 336. 26
Pœnæ quib. libertas omnino tollitur 8. 14
Pœna ciuium Rom. rerum capitaliũ damnatorũ 5 56 cœlibatus 172. 35 concionum clandeſtinarum 34.13 diuina quæ 155.20 28 inceſtus virgin veſtal. 144. 1 iuſiurandi violati apud Romanos 143. 64 Perduellionis cõdemnatorum 6 26
Pœnio pro punio 293. 41
Poëſis pictura loquens 169. 49
Poetarum eruditio 318 58
Poëtas & oratores pro philoſophis explicabat Ramus 73. 65
ποιότητας 89. 35
ποιότης philoſophorum verbum 89. 45
Polemo 92. 38
Polleta 150. 36
Pollicem premere & vertere 347.30
Pollinctor 165. 20
Polluctum 267. 3
Pollula 292. 55
Pollux de ludis Muſicis 153. 45 de nominibus Magiſtratuum Athen. 251.15 de Nomophylacibus 189. 9
Polubrum 287.30
πολυάνδριον 52. 28
Polybius 17. 18 25. 15 de Campanorum luxurie 62. 5 de Dictatore 173. 40 equitum magiſtro 173. 30 noua Carthagine 47. 31 præfectis prouinciarum 213. 57 de ritu laudandi funera 204. 13 temperatione Reip. Romanæ 176. 39 veſtium differentijs 213. 44.
Polycleti fictoris dictum 340. 25
πολυειδὲς 90. 15
Polyhymnia πεντασυλλάβως 371. 43
πολυμήχανος 309. 29
Pompa Circenſis 291. 12
Pompeij 9. 48. 24. 46
Pompei nomen Romanis gratum 38 36
Pompeius 14. 16 16. 10 19.22 20. 43 21. 23. 28. 19 35. 17 38. 29 39 7 46. 56 47. 58 48. 1 49. 66 50. 37 55. 59 59. 39 cum quibus populis bellum geſſerit 38. 40. in Aſia 38. 50 Magnus appellatus 48. 24 pro conſule mittitur 124. 45 tollit leges de publicis laudibus 6. 8 tribunitiam poteſtatem reſtituit 180. 4
Pompei locus de acerris 165. 42 aduelitatione 61. 15 Arpino 131 31 auguraculo 23. 23 eiuratione 217. 8 facere quid 31. 64 de humano ſacrificio 61. 12 de Imperijs 194 51 Irpinis 69. 22. de Magiſtratu haſtæ 171. 53 manubiis 19. 65 natione 63. 51 Puteolos præfecturam vocat 57. 28 quid ſit conquirere 63. 18 de Romulia tribu. 55. 9 de vectigale 20. 40 vegrande 60. 40 de vocabulo venerari 61. 26 vti poſſidetis 70. 9
Pomponius Atticus Eques Romanus 76. 56 à Cæcilio adoptatus 133. 38
Pomponius auditor Antiochi 125 30
Pomponius Mela de agnatis 110. 2 de ampliſſimorum Rom. reſponſis 105. 42 de iudiciorum formulis 106. 9 de T. Coruncano 160. 20 præeſſe priuatis 69. 16
Pondus cauſa recti in præceps motus 253 19
Ponere pro facere 329. 43 337. 14
Pons ſublicius 281. 66
Pontifex bonus quis 157. 30
Pontifex & Flamen differunt 140. 22
Pontificatus non Magiſtratus 36. 31
Pontifices è ſenatorio ordine 149. 12 ſacra cum pecunia coniungunt 160. 15
Pontificis Maximi creatio 36. 25 30 poteſtas 36. 26
Pontificum authoritas 160. 28
Pontinæ paludes 79. 60
Popa apud Ciceronem 161. 36
Popilia Romana 204. 6
Popilius 185. 8 Popilius Lænas 181. 39
Popularis quis 7. 54 Populares 26. 11 32. 11
Populi fugia 295. 24
Populus Rom. 19. 25
Populi Romani diſtributio 172. 24
Porca arationis 275. 32
Porca præſa 161. 46
Porcam ſuſcipere 163 9
Porci in expiationibus 364. 44
Porcius Cato 6. 33. 51. 26 Porcius Latro 34. 11
Porco fœmina apud Catonem 163. 29
Porcorpor 283. 48
Porcus 283. 46
Porphyrius de Carneade 117. 47 de iuſtitiæ Principio 113. 57 de ratione in brutis 109. 13 de Stoicis 111. 49
Porrigere manum 345. 30
Porrum ſectiuum 192. 63
Portæ biforæ templi Iani 355. 4
Porta Carmentalis 363. 31 Collina 163. 37 Mugiona 292. 37 Portuenſis 359. 28 Romanula 292. 45 viminalis 166. 29
Portenta 48. 54
Porticum ex manubijs Cimbricis 50. 19
Portiones 25. 8
Portorium 20. 40
Portus Carthaginenſium 57. 52
Poſidonius de mente deo 137. 32 Stoicus 93. 49
Poſſe & potiri 147. 46
Poſſeſſiones 68. 55. 126. 11 vocantur agri 67. 47
Poſſeſſio vſus apud Iuriſconſ. 68. 55
Poſſeſſor 70. 35
Poſſibile pro proſtibule 241. 23
P. Poſthumius Tubertus 164.
Poſtremus pro poſteriore 268. 11
Poſtulatio deorum 290. 41
Poſuit pro dixit 133. 22
Potatio in funere 165. 27
Pote pro poſſibile 281. 63
Poteſtas 36. 2 optimatum 178. 1 ſumma conſulum 9 20 Tribunitia 36 3 42. 67 43. 1 peſtifera 178. 49
Præcepti ſignificatio 245. 63
Præcidanea porca 161. 46
Præcipere & percipere 266 52
Præcinctura in Cæſare argument. mollitud. 355. 56
Præcones 37. 67 41. 34 ad haſtam 17. 37 in ſacrificijs 60. 23
Præda 19. 55 62
Prædia quid 275. 39 ſtipendiaria 18. 64
Prædicatio quid 46. 31
Prædium 69. 27
Prædo & Latro 242. 55
Prædones Cilices 212. 35
Præeſſe alicui apud Iuriſconſ. 69. 15
Præfamino 297. 35
Præfatio Adr. Turnebi in orat Cic. pro C. Rabir. I.
Præfectura quid 10. 32 24. 10 quomodo conſtituta fuerit 22. 38
Præfica in planctu 164. 53
Præfiſcine 61. 5
Præmium quid 122. 22
Præneſte 25. 28
Præneſtini 54. 65
Prænomine ſalutare 366. 62
Præ particula negatiua 61 8
Præpoſita Zenonis 92. 61
Præs pro præſtat 298 11
Præſcriptio in lege quid 38. 17
Præſens pecunia quid 15 20
Præſidis nomen vnde 35 30
Præſidium quid 4 8 30 17
Prætextati grandes 220. 2
Prætores Romani 42 27
Prætor Romanus tantum vnus 78. 28 vrbanus 572 41
Prætorum numerus 172. 45
Præuerbia 296. 44
Præuiſio Dei 251. 2
Prœuotiæ 10. 34
Precandi formula in bibendo 326. 60
Precario poſſidere 70. 12
Preco in ſacris 31. 65





Precium immane 365. 11
Premere pollices 347. 30
πρεσβύτατον 154. 59
Primigenia apud Varronem 296. 38
Primigeniæ fortunæ ædes 148. 1
Princeps ſenatus 56. 36 181. 20
Principes Qualitates 89. 56
Principes Rom. verſus ludebant 99. 16
Principes vitioſi 182. 59
Principia Epicuri 228. 4 Pythagoræ 121. 17
Principium 196. 30 iuris apud Stoicos 120. 4
πρῖνινοι ἄνθρακες 344. 15
Priſca verba ſolennia 138. 25
Priuata 69. 4
Priuilegium quid Ciceroni 175. 59. 188. 34
Proauctores generis 65. 2
Probare 67. 24
Proconſul & Pro conſule differunt 124. 42
Proculeius Auguſti amicus 323. 17
Proculus de agro libero 69. 29 in Timæum Platon. 90. 23 de Stoicorum opinione circa virtutem 135. 42
Procuratio ſacrificiam 142. 56
Procurare monſtra 142. 56
Prodixit diem 297. 27
Profiteri 28. 16 38. 53 apud Publicanum 50. 21 magiſtratum 79. 33
Profugi Scythæ 321. 10
Profundere, effundere 21. 41 43
Profuſi 21. 44
προγράφειν 64 14
Prohibeſſit antiq. 171. 17
προηγμένα 93. 10
προηγούμενα 223. 1 228 50
προΐσταμαι 35. 31
προκοπή 88. 44
Prolabi 124. 25
πρόληψις 120. 25 195. 46 quid Epicuro 112. 25 Stoicorum verbum 195. 60
προμαχῶνας 52. 59
Promere, expromere 25. 66
Promulgare 77. 43 Promulgari 33. 12
Promulgatio legis 77. 46
Promulſidaria vaſa 365. 65
πρόνια 91. 10
Propenſio & procliuitas 223. 13
Propertius de ludis Circenſibus 153. 38 de pertica 45. 56 de ſuffimentis 118. 4. 199. 1 de vnco 8. 29
Propinandum dare pro propinare deridendum 268. 2
Propoſitum legis Agrariæ 56. 60
Propria poſſeſſio 69. 7
Propugnacula 52 59
προσβάλλειν 39. 5
προσβάλλειν ὀφθαλμὸν 39. 5
προσοβλὴ ὀσμῆς 39. 6
Proſcribere 64. 13
Proſcriptio Syllana 52. 37
προσεχής 235. 20
Profectum 258. 13
Proſerpens beſtia 279. 52
πρόσωπον vultum ſignificare 196. 7. 12 apud Græcos 112. 50
πρόταιος 264. 44
Protelis boum 16. 34
Protelis frequens verbum apud Lucretium 16. 38
προθύματα in ſacris 139. 60
Protinam 305. 37
Protomen 195. 67
Prouerbium 210. 15 græcum de Medicis 202. 14
Prouinciæ quæ dictæ 19. 38
Prouinciarum conſularium ordinatio 27. 1
Prouocare ad populum 182. 6
Prouocare & Reuocare 67. 2
Prouocatio à duumviris 184. 66 ad Populum 424. in iudicijs 391. 9
Prudentia & diligentia 170. 34 vnde appellata 127. 46
ψαμμίτης Archimedis 318. 39 64
Pſeudophilippus Rex Macedoniæ 79. 12
ψῆφοι 68. 30
ψήφων παιδιάν 68. 35
Ptolomæus Auletes 14. 31 44. 45 ſocius Romanorum 27. Regno eiectus 27. popul. Rom. heredem reliquit 28.
Ptolomæus R. Ægypti 47. 29 Cypriorum Rex 14. 34 Rex Cyrenarum 44 32 Lathurus Alexander dictus 14. 26 32. 36
Ptolomæi error de Carthagine 47. 33
Puberes non lauabant cũ patrib. 203. 60
Pubertas militaris 12. 57
Publica materia apud Horat. 338. 40
Publicare 75. 58
Publicare, imponere vectigal falſè 75. 61
Publica ſacra 143. 3
Publicum quid 18. 36 43. 45
Publiſius vicus 291. 60
Publius Clodius tribun. pl. 25. 9
P Cornelius Naſica Serapio conſul. 65. 21
Publius Licinius Caluus 207. 39
Pudici qui ſint 123. 9
Pudor 122. 59
Puer abige muſcas 206. 60
Puer altè cinctus 370. 23
Pueri diſcebant leges XII. tabul. 163. 42
Pulchellum puerum 211. 30
Pullarius 41. 13 17 18
Puls fritiba 140. 8
Puls Romanorum cibus 284. 21
Pultifagus artifex 284. 22
Puluinaria deorum 322. 36
Punicum bellum 23. 36 65 24. 8
Pupinia 80. 42
Pupinienſis ager 62. 40
Pura haſta 17. 38
Purè aduerbij vſus 342. 6
Purè propera 342. 6
Purgare 349. 64
Purgatio corporis apud veteres 145. 29
Puri menſtruo 138. 52
Purum numen 325. 60 326. 6
Purus locus apud Vlpianum 274. 48
Puſtulæ in mentientium naribus 323. 46
Puteoli 23. 41 24. 46 57. 24 vnde dicti 273. 41
Puteoli Municipium 57. 28
Puticulæ locus ad exquilias 273. 44
Putre in terra 322. 14
Putris in Venerem 321. 64
πύελον 167. 65
Pyra ex lignis non politis 164. 17
Pyrenæus ſaltus 15. 54
Pyrrhonis ſtultiſſima ſecta 95. 58
Pythagoræ dictum de religione 145. 57
Pythagoræ παλιγγενεσία 318. 45
Pythagoras mortem ſimulat 318. 42

## Q

QVædam in commentarijs Turnebi digna cenſurâ 202. 12
Quæſitores varij 8. 12. 42. 25
Quæſtio de diuinatione 245. 56 de fato an mera logicæ 237. 46 238. 29 de fato & de eo quod fieri poteſt diuerſa eſt 237. 60 quibus rebus virtus paretur 88. 37
Quæſtor 42. 33 Quæſtores 171. 41 non iurabant in leges 5. 6 parricidij 281. 39 vrbani 11. 46
Quadrigæ 221. 32 fictiles in Capitolio 311. 58 in Circenſibus 243. 20 266. 9 quam muſca alis tegeret 299. 26
Quale pro cuiusmodi 332. 42
Qualitates corporatæ 89. 47 94. 20
Quam bona dicta teneat 203. 29
Quanti addictus 209. 1
Quatriceps 276. 39
Quatuor cauſæ in literis 271. 2
Quatuor generales perturbationes 93
Quatuor regiones vrbis Roman. 276. 24
Querqnetulanum ſacellum 276. 55
Quid Decius nuculam 208. 30
Quid ſit, alterum vnde ſit 205. 30
Quieſcere intra pellem ſuam 356. 35
Quinquatruum 295. 2
Quinq; ſignatores 367. 32
Quinq; ſolidos pro quinis ſolidis 267. 25
Quinque viri 14. 13 35. 56 367. 30
Quinquies 269. 17
Qui pro Quis 157. 1
Quinta Natura 93. 64
Quintiliani locus emendatus 68. 41 389. 64
Quintilianus tempore Domitiani 193. 17 de addictorum conditione 209. 17 de Clitarcho hiſtorico 103. 3 de cogitatione 105. 11 de Iſaurico 208. 47 de luſu XII. ſcruporum 68. 38 de Pythagora 154. 8 de Terentio Varrone 85. 30
Quintius Cincinnatus ab aratro ad Dictaturam 51 23
Quintum genus é quo aſtra 89. 60
Quintus Cæcilius 33. 7
Q. Catulus filius 11. 38
Q. Cicero 47. 1 poeta 98. 60 de petit conſulat 75. 52
Q. Croto 12. 53
Q. Fuluius Flaccus 51. 24
Q. Mutius Augur 193. 46

Q. Pompeius conſul 18.52 43.33
Q. Scæuola 158. 59
Quintus Valerius Soranus 395. 56
Quinum pedum limites 126. 6
Quirinalia 294. 52
Quirites milites 28 56
Quirites Romani 28. 42
Quiritum mobilium turba 371. 39

## R

RAbirij 83. 60 66
Rabirius 10. 27 11. 24 12. 51 83. 60 Campanus 6. 3 Neapolitanus eod. condemnatur 2 11 prouocat 12 liberatur 17 Poſthumus 5 34 Senator 3. 19 ſororis filium necaſſe accuſatur 5. 11
Radere barbam ignominioſum 76. 53
Ramnium tribus 35 65
Ramus in Quintil. Cic. & Ariſtot. debacchatus 72. 22 multorũ iudicio damnatus 82. 9
Randuſculana porta 292. 34
Rapere Bacchi ſacra 315. 27
Rapere cœnam flammâ 356. 25
Rationis ſignificatio 88. 40
Ratio 113. 32 alia in dijs ac hominibus 107 60 conuerſa 52. 36 duplex Stoicis 109. 37 imitatrix Naturæ 112. 4 in homine infirma 107. 58 in ſapiente perfecta 109. 30 Iouis lex eſt 134 13 philoſophandi triplex 881. 1 perfecta in ſolo Deo 120. 56 recta lex eſt 108. 60 Theologorum in præſcientia Dei 250 52 vocatur Sapientia 108 58
Rationale & irrationale Cicero non dixit 137. 62
Ratitus 276. 20
Reapſe apud Senecam 178. 27
Reatina præfectura 10 32
Recentoricus ager Sicilienſis 19 16
Recipere, id eſt, excipere 204. 42
Recitare 46. 25
Recoquere ſenem 367. 30
Recte viuere 341. 19
Rectores triginta apud Athenien. 119. 20
Rectum quid 135 16
Rectus talus 348. 52
Redigere pecuniam 63. 54
Referre ſummam 79. 34
Refrænare 48 60
Refundere pro reddere 21. 42
Reges Ægypti Alexandrini vocati 14. 20
Reges Romani quomodo appellati 32. 45
Regia Poteſtas Decemviris tributa 18. 30
Regiones in vrbe 63. 6 in agro 8 in prouincia 9.
Regnum hæreditarium 170. 19
Reiecta Zenonis 92. 61
Reipubl. definitio apud Cic. 182. 29
Relationis vnius ius 388. 36
Relaxare & contendere 105. 4
Relicta loca 15. 46 47
Religio 128. 50
Religionis & Superſtitionis differentia 16. 58
Religioſi dies 296. 20
Rem diuinam facere 144. 9
Relinere dolia 325. 49
Rem diuinam qui fecerint 60. 22
Rempub. quid contineat iuxta Platonem 127. 60
Renunciare non proprium eſt Præconum 78. 2
Renunciare quid 37. 15
Reparare pro recuperare 322. 31
Replicare 183. 25
Repotia 361. 53
Reprobare 395. 31
Repulſi ciues 30. 22
Requiſita in ſenatore 186. 45
Res diuina compitalibus laribus facta 146 35
Reſecrare 27. 24
Reſidere, id eſt, feriari 161. 16
Res obducitur 67. 63
Res omnis quomodo æſtimanda 180. 42
Reſponſa Pontific. Rom. 105. 44
Reſpublica Ciceronis ætate qualis 144. 55
Reſpubl. optima 184. 4
Res quæ templis conueniant 156. 42
Reſtibilis ager 274. 51
Reſtitiſſet, à reſto ineptè deducitur 76. 27.
Retinendum duriuſcule poſitum 25. 42
Retrahere fugitiua 270 55
Retrahi quid ſignificet 270. 55
Reuertor pro venio 54. 26
Reus ad petitionem Magiſtratus non idoneus 64. 37
Rhamnetis nomen apud Virgiliũ 326. 34
Rheni capita 360. 20
Rhenus bicornis 329 61
Rhetorica in neutro genere 220. 41
Rica cingulum 288 7
Ricinũ genus veſtimenti 164 23. 288. 61
Ridicula auctionis tabula Neratij 52. 21
Riſus cauſa 205 31
Ritus deducendi colonias 22. 56
Rœcus 324. 59
Rogare quid 144. 59 175. 4
Rogatio quid 184. 8
Rogatores centuriarum renunciatores 210. 35
Ῥοῖκος 324. 58
Roma à quo condita 274. 7 communis patria 57 40 132. 33 ciuitas optime morata quando fuerit 176. 37 in trium numinum tutela 312. 15
Romana Reſpublica temperata 191. 45
Romani Magiſtratus 42. 17
Romani regni nomine abhorrent 32. 44 vitia colebant 147. 30
Romulia tribus 31. 1 35. 67 Ruſticarum prima 55. 10 80. 11 vnde dicta 55 8
Romulus 39. 45 55 9 lacte libauit 145. 36. poſt noſtra ſepultus 335. 34 ſacra Herculis inſtituit 146 53 ſe dicit deum 100. 4
Romuli lex de monſtroſis partubus 179. 26
Roſcius Amerinus 70. 61
Roſcius comœdus 104. 47 Ciceronis familiaris 29 librum edidit 49 ſenex 51
Roſtra vetera & nova 291. 38
Rotunda figura 370. 7
Rubigalia 295. 23
Rubigo vlcus 318. 2
Rudentum ſibilus 271. 24
Rufuli tribuni 171. 39
Rullus Q. Fabij Maximi avus 36. 54
Runa genus teli 179. 55
Runata apud Ennium ibid.
Rupices 14. 65
Rupilius 47. 44
Ruſtici non erant togati 60. 56
Rutilius 9. 45
Ῥυποπῶλαι 345. 62

## S.

SAbazius 152. 54
Sabini 39. 52 78. 14
Sabus Arabum 152. 57
Sacellum quid 42. 64
Sacerdos à Flamine differt 140 24
Sacerdotes religioſi 11. 61 vt ſacrificia acceſſerint 138. 50
Sacerdotum duo genera 140. 31 46 munera 140. 34 ordo apud Rom. 140. 26 gradus 148. 51
Sacra cum pecunia non coniuncta 159. 54 vendi non poſſe 75. 37
Sacra curiarum 40 20 Idulia 276. 48 328. 14 fontinalia 68. 23 laribus facta 139. 16 nocturna apud Romanos 152. 63 358. 55 priuata ad quod ius pertineant 157. 51 Sabazij 152. 62
Sacra via 276. 45
Sacrarium in puppi 313. 18
Sacratæ leges 138 32
Sacrificantur pro ſacrificant 295. 28
Sacrificium bonæ deæ 143. 1 152. 3 novendiale 165. 26
Sacrilegus 153 24
Sacris quomodo quis alligatus fuerit olim 159. 42
Sacrum quid 4. 62
Sacrum commiſſum 140. 14
Sagaleſſos 47. 10
Saginarium pro ſagmario 18. 45
Σάγμα 18. 45
Sagmarium iumentum 18. 44
Sagmina 18. 39
Sagum Punicum 333. 60
Σαίνειν 208. 3
Salapini pro Salpini 79. 55 Salapini 52. 32
Salapia vrbs 53. 32 79. 58 in Apulia 79. 61
Sal dicta & faceta ſignificat 359. 66
Sale ſenſus excitatur 360. 2
Sal fori 61. 54
Saliares cœnæ 322. 24
Salicta ad Minturnas 42. 45 43 11
Saliorum carmen 299. 38
Salis religio in menſa 324. 22
Salluſtius 26. 37 & ſequentib.
Salluſtij locus de animis mollibus 154. 6 artibus animi 66. 26 Aſylo 43. 8 auaritia 123. 52 de Catilina 38. 51 de Cicerone 156. 5 Cicerone in transfuga 46. 63 de Ciceronis Conſulatu 29. 60 66. 33. de Cn. Pompeio 50. 53 dominationem pro tyrannide 77. 39 furta belli 70. 21 de Imperio conſulari 172. 52 impudicis 123. 10 iniuſtis imperijs 171. 5 innocentia 123. de interceſſione tribunorum 181. 18 lege Porcia 5. 61 maiorũ imaginib. 204. 36 Marco Trib. pl. 63. 38 in Marij concione 31. 21 de noua nobilitate 30. 4 Origo pro patria 133. 7 de partib. ciuitatis 192. 13 de poteſtate Magiſtratus 3 58 poteſtate maxima 172. 60 promptiſſ. pro audaciſſ. 71. 32 de Senatuſconſulto 3. 52. ſententia per tabellã 184. 12 de Sylla 24. 36 de Tribunitia poteſtate 177. 60 de triginta Rectoribus Athenienſium 119 22 de triumuiris 171. 47 verberibus 171. 11 de villa Luculli &c. 130. 54
Salmoneus tyrannus 335. 3
Saltus in aſſignatione agrorum 274. 35 nemoroſi 15. 53
Salutare cognomine 366. 62
Samnites 23. 61 gladiatores 289. 62
Samothracum dij 278. 22
Sancire eſt plectere 392. 63
Sanciri 67. 50
Sanctarum inſcitia legum 361. 16
Sanctum à ſagminibus 18. 39
Sanctum vnde dictum 18. 38
Sancus deus Sabinorum 279. 22
Sandalium 316. 44
Sandapila 358. 20
Sanguineæ virgæ 18. 40
Sanguine creari 29. 40
Sanguis & ſemen 29. 40
Sanguis humanus ante rogũ fuſus 164 45
Sanna 207. 63
Sannio 207. 62
Sapere pro olere 64. 55
Sapientiæ officinas inſtruere quid. 116. 49 198. 45
Sapientia 128. 41 mater bonarum rerum 127. 32
Sappho Maſcula 347. 51
Sardanapali ſtatua 56. 19
Sardinia 57. 66
Sarrapis 61. 48
Sarſura 67. 17
Sartum 297. 46
Satellites 23. 54
Satius pro Statius 210. 3
Saturnia 22. 13 terra 275. 58 vrbs 52. 63
Saturninus 1. 32 9. 56 interfectus 3. 34
Saturno Liberi immolabantur 47. 40
Saturnus vndè dictus 279. 3
C. Saufeius 9. 11 Pomponij amicus 108. 39
Saxetum 52. 27
Saxum & lapis 242. 60
Saxum Tarpeium 275. 46
Scabies 341. 22 vndè dicta 121. 51
Scæna per diphthong. 304. 20
Scæptrum per diphth. ibid.
Scæua ibid.
Scæua interfector Saturnini 8. 55 12. 52
Scæuolæ duæ 158. 17
Scæuolæ decreta 163. 13
Scæuola 9. 43
Scalpra Sutoria 364 25
Scantiæ aquæ 15. 42
Scantia Silua 15. 40
Scaurus 9. 53 11. 17. 354 18
Scaurus pes 302. 50
Scena pro parte Actus 268. 4
Scholæ propinquæ duæ philoſophorum 218. 44
Scientiæ definitio 256. 38 profeſſio propria Sophiſtarum 73. 47
Scindere coquum 331. 48
Scipio 9. 48. 59. 7 Africanus Maior 47. 32 Aſiaticus 391. 2 396. 53 Iunior 16. 51 Melaginenſis 78. 3 Naſica 7. 38
Scipio conſecrat Carthaginem 24. 60
Scipionis ambitio 211. 12
Schænicolæ 302 38
Scortum deuium 323. 58
Scratiæ vndè dictæ 302. 44
Scribæ 367. 40
Scribarum ordo Romæ 356. 6
Scribere nummos 363 57
Scribonius Libo 83. 42 211. 51
Scripta duodecim 68. 39
Scriptulum 68. 32
Scriptura 20. 40 pro pecunia 15. 26
Scrupeda 354. 17
Scrupulum 68. 29
Scruta 345 60 66
Scutum in taberna 212 46
Secare pro definire 360. 6
Secta quid 10. 18
Sectas Philoſophoram quid diſtinguat 124. 26
Seculare carmen 316. 42
Secundũ & proximũ differunt 372. 49
Securiclara 280. 65
Securis dolabrata 310. 48
Sedes ſigni 139. 12
Sedium apud D. Auguſtinum 85. 46
Sed tamen 351. 12
Sedium herba 287. 54
Se fraude pro ſine fraude 165. 62
Segeſtria 292. 52
Se in ius vocat 134 51
Σειραῖοι 243. 16
Sella Cyri 323. 28
Sembella 293. 20
Sementinæ feriæ 296. 6
Sementis 61. 50
Semen vndè nomen habeat 274. 40
Semigræcum Rami artificium 73. 33
Semina artium 112. 5
Semineum 29. 42
Semineum nomine quid veniat 274. 31
Semitarij Moechi 323. 56
Sempronius 56. 29 32 Aſellio annalium ſcriptor 102. 35 Gracchus 6. 33
Sempronia 54. 53
Semuncia 368. 9
Senaculum 291. 40
Senator 186. 43
Senatores Clariſſimi 50. 22 cum Decemuiris comparati 45. 44
Senatuſconſulta Rom. 174. 47 182. 24
Senatus ſummus ordo 192. 5
Senecæ locus de beneficijs 122. 20 141. 57 de Dictatore 173 26 Enni Epigrammate quodam 162. 47 exuſtione ſtoicorũ 110. 52 195. 10 fulmine Iouis 19. 64 Gratijs 309. 7 in Liuium Geminium 100. 31 de mundo patria noſtra 194. 42 Pythagora 146. 16 ratione fato oppoſita 255. 52 Stratone 92. 49 Theophraſto 92. 44 de vacationis lege 104. 22 veritas in fundo 95. 35
Senes maturi 338. 33
Senex recoctus 367. 12
Senium id eſt tædium 216. 24
Senſibus prendere 94. 57
Senſus hominũ ſatellites 111 36. 112. 11
Senſus Stoicis eſt ſpiritus 94. 13 59
Senſuum comprehenſio 95. 1 fides iuxta Epicureos 121. 32
Sententia eſt: loquendi formula 145. 4
Sententia aduerſus leges agrarias vſitata 15. 61
Sententia de fato duplex veterum 233. 50
Sentina quid 53. 22
Setin' Senem 210. 6
Seplaſia platea 60. 59 61. 18
Septemdecem vetus 35. 50
Septem Montes Romæ 62. 21
Septem Tyranni 67. 27
Septimontio quæ feriæ Romæ 62. 21
Septimontium Rom. 275. 44
Septimuleius 213. 55
Sepulchra familiæ 161. 7 9
Sepulchretum apud Catullum 52. 28
Sepulchrorum inſcriptio 164. 20
Sepulchr. commun. 358. 32
Sepulchrum Figuli 166. 50
Sepulchrum patris colere 104. 10
Sepulchrum religioſum 165. 6
Sepultura per iniectionem glebæ 318. 53 319. 1 21 plebis Rom. 358 26 Numæ 162. 14
Serere auſpicium 274. 14
Sergia tribus 78. 14
Seri ſtudiorum 360. 10
Sermo facetus 202 56
Sermo legibus vſitatus 19. 50
Serpentis afflatus 371. 20

Serranus 9. 45
Sartor Reſinus 142. 5
Sertorius 38. 41 58. 46
Serua facta 69. 30 31
Seruare de Cœlo 174. 28 182. 9
Serui error de fœtura 387. 26
Seruilius Cepio 203. 52
Seruilius Iſauricus 9. 49 10. 11 16. 25 47. 15
Seruitia pro ſeruis 181. 29
Seruius 21. 37 de lectis in funere 165. 53 de vultu 112. 54
Seruius Rex author comitiorū Centur. 39. 64
Seruilius Rullus Trib. pleb. 13. &c. 20. &c. 30. &c.
Seruius Sulpitius 107. 6
Seruius Tullius compitalia inſtituit 146. 37
Seruorum feria 139. 52
Seſculyſſes 394. 1
Seſquipedalia verba 338. 16
Seſsiones in theatro Rom. 368. 42
Sexagenarij non citabantur in ſenatū 193. 33
Sexagenarios de ponte prouerbiū 186. 17
Sexcenta apud Latinos 230. 59 353. 59
Sexertium 275. 45
Sextius Caluinus 207. 14
Sextus AElius iuriſconſ. 106. 58 163. 45 301. 49
Sext. Peduceus Prætor 49. 25
Sextus Pompeius Chlorus 33. 7
Sextus Tarquinius 134. 10
Sibi intus canit 52. 45
Sibilus pro fiſtula 65. 53
Sibylla Italica 310. 24
Siccus pro Sobrio 14. 39 75. 23
Sicci, id eſt prudentes 75. 22
Sicilia 16. 2 19. 16 57. 66 horreum Rom. 56. 52
Siculi 16. 60 19. 13
Sic viſum ſuperis 320. 30
Siculus Flaccus 54. 53 de agrorum diuiſione 15. 10 de Centurijs 274. 25 de colonijs maritimis 52. 58 de regionibus 63. 10
Signa diuinationis 150. 33
Signum annuli apud Romanos 25. 21
Signum candens 300. 13
Silentio ſurgere 141. 10
Silenium & Siniſtrum auſpicium 141. 10
Silicernium 165. 22
Silius Italicus 28. 19 de Fibreno fluuio. 130. 46 de Sabo Sabini 152. 59 de Tullio Rege Volſcorum 131. 36
Silua Scantia 46. 37
Siluani Martes 314 16 33
Similitudo generis humani 114. 21
Simonides poëta 323. 6 de poëſi 169. 47
Simpulatrices mulieres 185. 17
Simpulū 185. 16 apud Varron. 185. 24 nomen poculi 287. 31
Simpuuium apud Nonium 185. 21
Simulachra cur habenda 146. 31
Simulatio, Venditatio 26. 10
Singularis pro plurali 58. 65
Singularius à Turpilio vſurpatum 61. 59
Siniſtimum 173. 13
Siniſtra aues 173. 13 27
Siniſtra cœli & dextra 141. 23
Sinope vrbs 48. 30
Sinueſſa 43. 12
Sinum laxa 364. 41
Sipontinorum agri 79. 58 53. 31
Siſenna hiſtoricus 102. 42
Sitella ſortis 37. 26
Siticines 162. 41
Siti qui dicuntur 161. 60
Σκιαγραφίαι 128. 34
Σκιαμαχία 177. 19
Σκιοθηεικὸν 294. 34
Σκολοδινιᾶν 26. 54
Σκυτολεγεῖν 367. 57
Smyrna poema 341. 6
Societatem inire 10. 16
Societas homini nulla cum brutis 196. 35
Socij & Amici differunt 187. 14
Socij Pop. Roman. 19. 40 42 Italici 19. 40
Socrates 73. 36 87. 56 95. 16 author moralis philoſop. 83. 47 116. 28 in Phœdro Platonis 133. 43 Philoſophiam ad mores deducit 87. 14 36 ſe nihil ſcire dixit 87. 19 43
Socratica dubitatio 87. 32
Socratis dictum de hominum futilitate 203. 30 nihil ſcire 95. 52 philoſophia 83. 4
Soldurij apud Cæſarem 251. 26
Soleati Romani 346. 31
Solennia Roma verba in condemnatos 7. 4
Sole occaſu in tab. duod. tab. 302. 1
Solium tibi paternum 204 40
Solitaurilia 60 40
Sollicitum 26. 23
Solœciſmus 81. 47
Solſtitialis dies pro ſolſtitio 242. 50
Soluere per æs & libram 159. 50
Solui legibus 64 34
Solon de veſtimentis mulierum in funere 164 26
Solonis lex de ricinijs 166. 44
Solum in maſculino genere 294. 26
Solum pro ſolitum 104. 44
Solutus in amorem 321. 61
Somnium apud Artemidorum 352. 16
Sophiſtarum iactatio 87. 42
Sophocles 85. 21 de Anarchia 169. 54 de Borea 100. 38
Sorites 194. 48
Sorites ſyllogiſmus 348. 9
Sors ex uſura 393. 32
Sortilegi 339. 51
Sortito quid ſignif. 331. 40
Soſipater 35. 49 61. 5 de perduellione 185. 23
Soſius incendiarius 5. 29
Sozomenes de lege cœlibatus antiquata 172. 38
Spadones 333. 28
Spartianus de euripo 131. 9
Σπαρτὸν 215. 36
Spatia 193. 36
Spatium inter Magiſtratus noctis & diei 64. 30
Specimen 205. 19
Spectacula loca contabulata 291. 10
Speuſippus 87. 26 92. 37
Σφαῖρα 21. 26
Σφαιρία 21. 31
Σπινθὴρ, ζώπυρον, ἔναυσμα 115. 38
Splendida bilis 364. 33
Splendo ſiccus 75. 22
Spoliare & paciſci differunt 18. 49
Spoletum 25. 28
Spondere & Reſpondere apud veteres 298. 6
Sp. Caruilius 207. 7
Sp. Torius 75. 7
Squalus piſcis 347. 45
Stans vno in pede 354. 34
Stare ad cyathum 357. 19
Stataſſandi verbum 147. 40
Σπάθμη 250. 12 267. 51
Statij verſus reſtituti 209. 65
Stationes 44. 16
Statius nomen ſeruile 209. 48
Statiua quid 44. 15
Statoris Iouis ædes 147. 47
Statua Cæſaris 100. 14
Στεγανὸν 273. 57
Στέμματα apud Homerum 17. 19
Stellates campus 57. 9 12 19
Stellati campi conſecratio 24. 48
Stephanus Paſchaſius 13. 5
Stili partes 360. 45
Stilpho pro Stilpo 223. 31
Stilum vertere 360. 51
Stilus mordax iocus 390. 19
Stipendij ſignificata 335. 60
Stipulatio pro parte 159. 10 quid apud Pomponium 103. 62
Stirps in arboribus 61. 33
Stirps iuris à Natura 108. 13
Stoicæ diſputationis capita 220. 30
Stoici definitiones rerum in diſceptationibus maximè adhibebant 91. 43 de vi diuina 91. 4 Dialectici 395. 1 pendent ab Academicis 84. 14 quos ſtultos vocarint 120. 13
Stoicis Deus & natura idem 107. 51
Stoicorum communis ciuitas 87. 10 cum Academicis conſenſus 84. 48 opinio de animis 128. 62 de externis commodis 126. 60 de exuſtione 128. 59 Repub. 198. 42 philoſophia 176. 59 ſententia de hominum & Deorum natura 195. 43 de Lege 107. 30 de perfecto virtutum habitu 88. 44
Stoicus Balbus 191. 23

Stobæus



Stobæus de Charonda 170. 51 de procemio legum Zaleuci 137. 13
Stolatæ matronæ 352. 24
Stolo 54. 52 264. 4
Stomachi ſignificatio 393. 12
Strabo 58. 53 de Attalo rege 47. 23 de Aulete R. Ægypti 14. 32 de commentarijs Demetrij 177. 23 de cultu Sardorum 61. 53 Inſula Cotone 57. Pergamo 43. 53 Carthaginis 57. 52 templo Delphico 156. 55 via Herculanea 43. 13 de Zea 23. 46
Strabonem fieri 323. 35
Strabonis codex mendoſus 59. 43
Strato Theophraſti auditor 92. 35 48
Striatæ conchæ 281. 5
Strictabillæ 302. 58
στρυφνότης 19. 10
Strophe & Antiſtrophe 92. 19
Struthea coluthea 61. 52
Suadela & Venus 344. 47
Sub nodis 212. 54
Subornatus quid ſignificet 128. 28
Subſcriptor 38. 11
Subſeciua 192. 60
Subſeciua conceſſa 69. 60
Subſeciuum & ſubſiciuum 103. 50 193. 10
Subſectiuum 192. 62
Subſiciua tempora 103. 44 49 193. 24
Subſico & ſubſeco 193. 13
Subſilles 164. 8
Subtemen 285. 57
Subucula 288. 35
Subuerbuſta 331. 36
Subulo pro ſibilo 301. 11
Suburana tribus 276. 24
Suburrana tribus 55. 20
Succiſiuum 192. 66 non rectè dicitur 103. 54. 57
Suc pro Suburra 276. 52
Suerum pro ſuum 285. 7
Sueta frundice 304. 62
Suetonius epiſtolarū Magiſter 193. 4
Suetonius 21. 32 28. 37 31. 41 de adoptione per æs & libram 160. 5 de Alexandrinis 45. 21 de Alexandro expulſo 14. 31 auguſtum quid ſit 73. 12 in Auguſto 45. 5 in Galba 23. 27 de iure Quiritium 28. 49 proauctorem Appium nominat 65. 2 de Quiritibus 28. 45 de ſalutis Augurio 141. 3 de veſtali virgine 140. 43
Suetonij locus emendatus 23. 29
Suffes apud Carthaginenſes 58. 66
Suffibulum 295. 35
Suffimenta in expiationibus 117. 65
Suffitio quid 117. 2 purgationis genus 198. 64
Suffragationes vnde dicta 99. 2
Suffragia 183. 41 Comitiorum 120. 15 per pontem 186. 17 vnde dicta 65. 59 Tribuum 37. 3
Suffragiorum varietas 77. 25
Suffragium 36. 9 Suffragiū quanti 52. 28 Suffragium vocis 184. 25
Suidas de Dictatore 173. 20 de Polleta 150. 36 de Sagmario 18. 46
Sulcus agri 275. 28
Sulpicius 18. 66 Galba conſul 59. 3 Gallus primus Rom. mathematica didicit 253. 37 Olympus 33. 8 Trib. plebis 136. 39
Summa in homine 112. 45
Summam ferre & profiteri 79. 34
Summum bonum 88. 4
Summum & merum imperium differunt 75. 61
Summus Deus apud Platonem 109. 6
Summus Iupiter 134. 61
Suouetaurilia 80. 28
Superbiæ deriuatio 23. 49
Superne peccare 369. 58
Superſtitioſus pro diuino 16. 60
Supparus 288. 37
Suppeditare à ſocijs 41. 50
Supplicandi genus religioſiſſimum 350. 15
Supplicia inferorum poëtarum portenta 371. 59
Suſpendere verbum cum datiuo 7. 21
Suſpenſi loculos læuo lacerto 340. 33
Suſpitio 23. 12
Suſus pro ſurſus 291. 66
Sutela pro dolo 22. 2
Sybillæ effata 140. 48
συγκαταθέσεις 234. 33
συγκομίζειν 243. 33
Sylla 14. 16 16. 28 20. 20 25. 25 32. 36 Dictator 81. 43 tribunis poteſtatem ademit 179. 3
Syllæ dominatio 24. 36 funus 165. 55
Syllana proſcriptio 21. 1
Συκωτὸν 371. 8
Syllogiſmo dædalus 75. 26
συλλογισμὸν Stoici λόγον vocabant 92. 3
συλλογισμὸς [illegible] 255. 13
Syllogiſmus de ſitu 255. 45
Syluæ [illegible] conſecratæ 139. 6
συμβολὴ 205. 5
Symbolum [illegible] 150. 57
Symmachus de ſententia Enniana 202. 31
συμπάθεια 244. 27
συμπάθεια Stoicorum 220. 50 222. 7
συμπνοια 24. 43
Sympinatrices 185. 20
Sympinium 185. 20
Syphax 19. 26
Συνάφεια 244. 35
Syncope 47. 7
Συνεκτικὰ αἴτια 228. 20
Syneſius de contactu rerum 244. 35
Syngrapha 178. 25
συνημμένον Stoicorum 225. 22
συνθήκη 169. 52
Syracuſa Corintho potentior 54. 18
Syria & Pontus 55. 59
Syrma veſtis 339. 31
Syrtes 317. 4

T

TAbulæ XII. 34. 12
Tabulæ Cenſoriæ 15. 49
Tab. XII. de ære confeſſo 49. 33
Tabulæ expenſi & accepti apud Rom. 215. 58
Tabellæ in ſuffragio 186. 5
Tabulæ teſtantium 367. 10
Tabella candidatorum 30. 47 libertatis vindex 186. 39 ſuffragij 4. 38
Tabelliones 34. 64
Tabula auctionis ridicula 52. 21
Tabulas teſtantium legere 367. 10
Tabularium 5. 28
Tabularium Romæ incenſum 203. 18
Tabernacula 41. 41
Tabernola 276. 44
Tacitus 40. 3 64. 5 de aſylo 43. 6 de Auguſto Imp. 181. 23 de collegio aruſpicum 142. 33 diuiſione Romæ 85. 44 Imperio Auguſti 178. 43 Lege Cincia 217. 46 lege curiata 39. 24 de ſupplicio mortis apud veteres 7. 52
Talus in ſuffragine 348. 56
Tamen ne apud Ciceronem 54. 48
Tangere pro fallere 210. 10
Τάφρον 165. 21
Tardus 214. 55
Tarentum pro Terentum 366. 10
Tarquinius Priſcus in Oſtentario 7. 17
τὰ σῦκα σῦκα 393. 65
Tatienſes & Titienſes 277. 59
Tatienſium tribus 35. 65
Taurij ludi 291. 32
Taurubulæ 43. 58 78. 60
Taurum immolauit 213. 37
Tectum teſtudinatum 292. 16
Tegere latus 366. 51
Tegus 285. 1
Θεία νόμισμα apud Platonem 168. 16
Tela triſulca 19. 66
Tellus prima 362. 11
τέλος quid Ciceroni 196. 57
Temeritas inſignis 95. 41
Temperantia 122. 52
Temperantiam Epicurei retinent 122. 61
Temperatio ciuitatis 170. 35
Temperatio pro qualitate 137. 57
Tempeſtas dea 334. 21
Templa quid 141. 38
Templum Iani 355. 1
Tempora ſubſeciua 193. 24
Tempus apud Cic. 151. 27 Liberum, vacuum 103. 42 ſubſiciuum 44. pro ſtatu 181. 54
Tenatia à teneo 370. 26

Nn 4

Tenebræ 26. 52
Tenere & videre 47. 5
Tenere regnum 45. 29
Tentare 35. 43
Tentoria 41. 41
Θεώρημα 224. 24
Terentius 19. 29 25. 63 26. 29 39. 32 35. 25 39. 4
Terentij locus correctus 19. 32 Locus emendatus 21. 21 de addicto 209. 10 de arte muſica 153. 44 de forte fortuna 147. 59 de loco & ordine 29. 33 in Eunucho 143. 58
Terentij loquutiones quædam dentes labefacere 69. 3 emere pro conciliare 20. 60 modo vt, pro, vtinam 65. 7 oppreſſit pro occupauit 64. 26 quem impurum dixerit 14. 58 regiones in agris 63. 8 transdere in otium 63. 58 vltrò 52. 43
Tergeminum 307. 16
Tergeminus 306. 40
Termentum apud Plautum 273. 10
Termini conſecrati 331. 17
Terpander fidicen 154 47
Ter pede terram ferire 326. 44 360. 31
Terram inijcere 318. 52 319. 1 apud Maronem 162. 63
Terra Threſſa 271. 64
Territorij variæ ſignificationes 273. 3
Tertiæ relationis ius 388. 35
Terticeps 276. 40
Tertullianus de euripo 131. 6 de laribus domeſticis 155. 54 de ludis Romanis 153. 36 quomodo Heluco vocabulo vſus ſit 14. 59 de ſilicernio 165. 22 de ſtipe 143. 44 de vetere decreto in colendis dijs 138. 63
Ter voce lætas dare ſignificationes 324. 33
Teruncius 293. 18
Teſca loca ſacra 300. 3
Teſca vel teſqua 347. 40
Θεσμοφόρια 152. 22
Teſſeras datos vocari 68. 36
Teſtamenta Calatis comitijs facta 39. 59
Teſtamentum per æs & libram 169. 3
Teſtamentum procinctum 160. 3
Teſtio penario 212. 58
Teſtudinata 292. 14
Τετρωποϑεοφεῖν 243. 54 306. 34
Tetrum 45. 38
Teucer cur populo ſe coronarit 310. 38 Salamina conſtituit 372. 14
Teucer Liuij tragœdia 299. 36
Teutones à Mario deleti 12. 34
Texere pro ſpoliare 21. 36
Thaletis ſententia de Dei præſentia 145. 59
Thamyris à Muſis cæcitate mulctatus 264. 1
Thebanus fundus 133. 45
Thelis pro Thetis 303. 44
Themiſtius de Thaletis opinione 146. 20
Θεομάχος 170. 56
Theophanes 44. 23
Theophilus de calatis comitijs 39. 59
Theophraſtus 21. 31 85. 21 à Timæo reprehenſus 137. 5 fregit authoritatem veteris diſciplinæ 92. 32 54 de ficu 215. 20 de vermiculis lignū erodentibus 208. 15 in Calliſthene de fortuna 92. 46 Tyrtamus dictus 92. 43
Theophraſti expoſtulatio cum rerum Natura 95. 34
Theopompi epitomen 101. 30
Theopompus rex Lacedemon. 177. 48
Θεώρημα apud Ariſtotelem 246. 8
Θεώρημα perceptum 266. 50
Θεώρημα præceptum an perceptū vertendum 245. 60 246.
Θεωρικὰ χρήματα 98. 31
Thermæ 24 45
Termopotare apud Plautum 216. 35
Theſſalia 18. 7
Thot Mercurius 278 18
Thracia ventorum domicilium 317. 38
Thraſymachus 123. 31
Threicius Aquilo 335. 8
Thrium edulium 284. 45
Thucydides 20. 17 aptus verbis 84. 10 de crematione cadauerum 166. 61 de Cylone 147. 10 de Theſeo 132. 47
Thuris nomine quid intelligatur 55. 60
Thuſcanicum cauum 292. 20
Thuſcus vicus 276 31
Tiberius Gracchus 26. 63 180. 14 Legem Agrariam fert 180. 34
Tiberius de Chriſto refert ad ſenatum 138. 64
Tibicines in rebus diuinis 60. 25 Tibur abeunt 60. 29
Tibicinum collegium 60. 26
Tibullus de libamine. 140. 4 de Meſſala 29. 26 ſomnia deuenerata 61. 29
Tibur 315. 12
Tiburnus deus 310. 30
Tigris quando Romæ primū viſa 284. 2
Timæus hiſtoricus 137. 3
Timarchides 32. 17
Timotheus Mileſius fidicen 154. 41
Timotheus muſicus 153. 18
Tirenes 351. 64
Titanum genus 170. 54
Titij ſodales 282. 46
Titius 10. 53 57 11. 6 ſimulachra damnat 208. 20 Trib. pleb. 136. 50 Titius ſaltandi genus 11. 8. 212. 20
T. Coruncanus 110. 19
Titus Labienus 1. 40 trib. pleb. 4. 49. militans in Gallia 49
Titus Veſpaſianus iucundus erat 387. 31 Sexies Conſul 388. 39
Toga in oppidis rara 60. 57
Togam componere 364. 1
Togata 295. 29
Tollere pro ſumere 354. 44
Toloſa 96. 12
Tonitrua ſereno cœlo 320. 46 53 61 62
Toral 366. 30
Torquati ſimplares, duplares 25. 11
Torquatus 13. 63 14. 3 160. 34 apud Cic. 199. 56 conſ. 20. 36 45. 18 75. 13
Torulus 292. 64
Toto capite annuere 217. 21
Trabale telum 321. 12
Trabes è lapide 324. 43
Trabs Cypria 307. 19
Tractatio literarum 271. 5
Tragula 286. 14 iaculum 289. 42
Tranquillus 10. 47 15. 36 77. 13 annuas paſcuas vocauit calles 15. 36 de ano Veſpaſiani 63. 59 de Cæſare 38. 55 campo ſtellate 24. 47 57 Claudiorum familijs 110. 9 de euripo 131. 7 de iudicio in C. Rabiriū 1. 30 2. 26 libertinis 183. 13 macellarijs 62. 66 de more maiorum in puniendis hoſtibus 5. 57 ordine interrogandi in Senatu 175. 20 de Veſpaſiano 196 26
Tranſiungere ad edictum 243. 47
Tranſire Tibicinis Latini more 60. 30
Tranſlatio 36. 10
Tranſlatio verbi explicat 34. 44
Trans Tyberina regio 22. 16
Trebla 273. 14
Tres Gratiæ ſorores 319. 49
Tres philoſophorum ſectæ 194. 18
Tres viri 281. 44 Treuiri 171. 51
Triceſima ſabbatha 359. 55
Triarius aureus 249. 23
Tria ſenacula Rom. 291. 43
Tribulare apud Catonem 273. 13
Tribunal Ceſpititium 315. 56
Tribunatus & Tribunitia poteſtas differ. 42. 65 180. 44 389. 6
Tribuni 16. 16 25. 49 27. 2 35. 33 ærariorum 11. 45 cuſtodes vtilitatum plebis 37. 38 deſignati 33. 56 diſſimulantes 14. 10 militares 171. 38 milit. Ruffuli 281. 50 quando deſignati magiſtratū inierint 34. 20 ſacroſancti 179. 17
Tribunitiæ largitiones 13. 58
Tribunitia poteſtas 28. 19 53. 6 174. 19 177. 59 peſtifera 178. 49
Tribunorum Rom. audacia 2. 1 collegium 174. 17
Tribunus 40. 22 pleb. libertatis plebeiæ cuſtos 37. 8 plebeius Magiſtratus 31. 44 35. 7
Tribus in claſſes diuiſi 172. 27
Tribus Rom. 278. 3 78. 12 ignobiliorum 346. 27 populi Rom. 172. 24 Pupinia 39. 51 Ruſticarum prima 31. 1 Sergia 39. 51
Tribus pro plebe 346. 38
Tributa Comitia 77. 24 346. 40 vndè dicta 39. 48 78. 10
Tributaria prædia 18. 64
Tributis Comitijs 35. 52
Tributum 20. 41
Trichila 357. 27
Trigemina porta 291. 63
Triginta Curiæ Romæ 78. 19


Τριοδι-




Τριοδῖτις 358. 53
Tripartita ratio bonorum 88. 51
Tripertita Æliani 164. 55
Τριπολιτικὸν Dicæarchi 177. 14
Tripudio ſoliſtimo augurari 175. 37
Triviæ noctivagæ 358. 62
Trium-maximum 125. 50
Trinûm nundinûm 4. 50 legibus conſtitutum 25. 34
Triumviri 7. 58 281. 43 ad quid creati 14. 12 capitales 171. 46 monetales 66. 30
Trochi ludus 341. 1
Trogus de Imperij ſumma 170. 7
Τροπαὶ 351. 26
Truæ 286. 43
Truculentus & Trux 34. 24
Trulla 286. 40 45
Tuba in funere 164. 38
Tubi quid 131. 13
Tubuluſtrium 17. 63
Tullia Ciceronis filia 86. 58
Tullianum 290. 57
Tullus Hoſtilius auctor ſupplicij perduellionis 6. 32
Tullus Volſcus 28. 18 Volſcis præeſt 131. 35
Tunicæ demiſſæ 352. 2 plebis 60. 54
Turbare pro turbari 15. 4
Turbaſſitur 175. 33
Turmales 211 9
Turma ſtatuarum equeſtrium 211. 10
Turneb. in Tuſani locum ſuffectus 265. 1 Turnebi commentarius in Academicarum Quæſtionum Cicer. Lib 1. 83. 10 in Horatinm 306. in Lib. Varron. de ling. Lat 269 40 in lib. Cic. de fato 218. 20 diſputatio ad lib. Cic. de fato 236. 50 epiſtola græca ad Lancilotum Carlum Epiſcopum 265. 40 Turnebi gens 262. 54 relicta ſcripta pulvere obducta 269. 60
Turpe doctori culpâ redargui 72. 50
Tuſanus 264. 76 Grammaticam docuit 265. 12
Tuſani prælectiones publicæ 265. 16
Tuſculanum 69. 47
Tutela navium 313. 4
Tutelina dea 279. 10 292. 29
Tutia Veſtalis 136. 47
Tutij Romani ibid.
Tutor mimus 210. 21
Tutulum quid 301. 40
Tiberij edictum de iure annulorum 76. 55
τύμβον 165. 65
Τύμβος 167. 16 32
Τύπον vel τύπωσιν vocum dixit Cic. 88. 26
Tyridates rex 318. 12
Tyrus 14. 18 44. 39
Tzani 208. 2


## V.


VAcatio ætatis 193. 32
Vacatio ſexagenarijs data 104. 21
Vacuum aëra 371. 51
Vadimonium 293. 51
Valeo ſtare 359. 40
Valetudo non conſtat famâ 162. 23
Valgius 21. 1 67. 51 70. 60
Valgius Ruffus à ligando lictorem derivat 7. 8
Valgius ſocer Rulli 52. 38 53. 4
Valerius 11 2 M. Valerius 40. 41 Valerius conſul 9. 6 22 Valerius Flaccus 67. 67 Valerius Soranus literatiſſimus 302. 53
Valerij locus emendatus 141 19 de Æmilia Veſtali 140. 43 C. Figulo 166. 50 Cn. Carbone 187. 36 cenſura Craſſi & Domitij 204. 50 Charonda philoſopho 127. 21 Curtio 167. 2 filio pubere 203. 63 de Hetruriæ populis 142. 41 Hetruſca diſciplina 142. 23 de Sabazij ſacris 152. 62 de Titio 11. 8 12 Via Seplaſia & Albana 61. 19 de Zaleuco 136. 64
Valerius ſepultus 163. 62
Vallum 288. 30
Vargula 206. 63
Varia lectio loci Ciceronis 34. 6
Varia lectio loci cuiuſdam 25. 39
Variè apud Plautum 208. 50
Varronis ſcripta vtilia 85. 9
Varronis libri de antiquitatibus 85. 34 37 Libri de lingua latina 83. 36 Lib. de re ruſtica 30. 64 29. 42 80. 44 Liber Siſenna 102. 61 de vita pop. Rom. 85. 40
Varro apud Nonium 19. 36
Varro Antiochi diſcipulus 84. 11
Varro pro Varo 14. 63
Varrones 14. 65
Varronis locus emendatus 21. 30 depravatus 62. 63 reſtitutus 142
Varronis locus de ærarijs 11. 46 Accenſo miniſtro 166. 17 de Apulia 6. 1 aquis ſalubr. 214. 40 de arce capitolij 23. 20 22 augure 149. 38 auſpicijs ſiniſtris 173. 15 de balneis 203. 64 de C. Licinio Trib. pleb. 37. 40 de Cocleis 63. 1 cœnaculo 62. 24 colendo agro 53. 11 conventione 26 18 de diebus nefaſtis 143 16 de effatis 141. 45 equitum magiſtro 172. 25 familiæ purgandæ conſuetudine 161. 49 faſcino 20. 54 fecialibus 142. 8 19 finitione templorum in auſpicijs 141. 35 funere indictivo 166. 7 de M. Iunij commentarijs 189 55 næniјs 166. 27 de nocturnis auſpicijs 175. 38 de Olea à Minerva nata 99 22 pecuarijs 330. 52 provocare & revocare 67. 3 de ricinijs veſtimentis 164. 29 Romulia tribu 55 9 16 ruſticis Romanis 55. 11 de ſacris Græcis 143. 13 ſemita 62. 36 ſimpulo 185. 19 de ſtipe Iſidis 143. 40 ſtipulationis formula 106. 4 de ſubſicivo 103. 48 de tribubus 35. 64 tribu Suburrana 55. 20 tubicine græco 60. 32 de Tubiluſtris 60 33 de villis Romanorum 133. 32
Varronis loquutiones quædam : incertus ager 70. 57 iudices, id eſt, conſules 172. 57 quid Saltus 15. 55 ſarſura, aſſura 67. 16 ſedere pro feriari 161. 19 turbare pro turbari 15. 4
Varronum nomen vnde 14. 64
Vas futile 286. 56
Vas vadis 298. 13
Vaticanus ager 62. 40 collis 62. 38 Deus 62. 39
Vectigal quid 20. 39 51 40
Vectigal ex Aſiæ portorio 55. 54
Vectigalia pop. Rom. 274. 66 nervi Reipub. 46. 14
Vegetius de cuniculis 14. 7
Vegrande 60. 39
Vehementiſſimæ materiæ 350. 22
Vehiculum 289. 44 ætherium Platonis 90. 30 Veneris 328. 28
Veianius gladiator 341. 49
Veij 26. 57
Velabrum minus & maius 276. 1
Vela facere honori 28. 2
Velificari metaphora 28. 1 velificari alicui 28. 3 velificari honori 238. 15
Velificari vnde ductum 76. 45
Velim cures 84. 29
Vellaturam facere 276. 15
Vemens & vementer 350. 16
Venæ arteriæ 226. 18
Venales 387. 25
Venales & Venalitij 345. 14
Venalitiarij 345. 7
Venalitiarij ſervorum 212. 34
Venditare 26. 7
Venditio captatoria 368. 12 imaginaria 160. 4
Venefica ſuccincta 358. 44
Venerari 61. 26 30
Veneriæ conchæ 281. 6
Venter partumeius 336. 15
Ventitare 105. 16
Ventorum effectus 44. 26
Venus amœnitatis dea 308. 62 cluacina 280. 41 marina 327. 41 murtea 291. 28 quomodo præſit hominibus 344. 60
Vera in futuro 250. 38
Verba frequentativa 26. 5 Iuriſconſult. in actionibus vſitata 304. 11 libera Prætoris 78. 54
Verbalia nomina Græcorum 119. 3
Verecundia 122. 57
Veri diſceptatio propria Dialecticæ 91. 30
Veris adventus 317. 18
Vermiculatus 208. 10
Veronius hiſtoricus 102. 21
Verruncare, id eſt, vertere 304. 56
Verſare pro tractare 32. 19
Verſaria apud Plautum 32. 22
Verſus longus 301. 17
Verſus Saturnius 301. 17


Vertunnis

*Vertunnis vt Portunnus* 369. 20
*Veſpa appellativum* 208. 42
*Veſpaſianus delitium populi* 396. 16
*Veſpa* Terentius 208. 21
*Veſper & Veſperum* 309. 61
*Veſtales virgines* 140. 30
*Veſtalium virginum cineres* 163. 59
*Veſta vnde dicta* 148. 46 60
*Veſtigium quid* 24. 30
*Veſtigium temporis* 24. 32
*Veſtimenta ad ſacrificium* 138. 50
*Veſtis pura* 17. 39
*Veterana mancipia* 387. 21
*Veteris Academiæ Philoſophi* 124. 55
*Vetus* Carthago *diruta* 16. 51
*Vetus poëta apud* Ciceronem 29. 2
*Vetuſtas* 270. 51
*Viæ quid* 62. 35
*Vibidius apud* Horat. 370. 43
*Vicani aruſpices* 357. 3
*Vicem humanam convertere* 332. 59
*Vicenariæ ceremoniæ* 145. 31
*Viceſima pars* 17. 55
*Vici quid* 62 34
*Viciſſitudo in terris* 91. 13
*Victoria pro abſolutione* 271. 37
*Victoria curulis* 306. 36 65
*Victorius* 205. 66
*Victor,* Rex 271. 30
*Victrix vnde dicta* 278. 59
*Videre &* Tenere 47. 6
*Villæ* Luculli, Hortensij *&c.* 130. 61 183. Tiburtinæ 211. 62
*Villa* Ciceronis 130. 45 *Villa* Curij 131. 53
*Vinalia* 295. 7
*Vinculum pacis* 46. 46
*Vinitores cuculli* 358. 14
*Vinum Chium* 370. 32 *diffuſum* 344. 20 *mutatum* 361. 46 *Sabinum* 316. 3 *ſanguis terræ* 46. 12
*Viocurus* 271. 19
*Viocuri apud Varronem* 174. 60
*Violari* 64. 20
*Vir bonus* 122. 35 210. 45
*Vir divinus* 169. 15
*Virgeta quid ſignificent* 140. 62
*Virgines Athenis ſacra ferebant* 353. 32
*Virginum Veſtalium numerus* 148. 62
*Virgilius* 10. 46 15. 5 28. 31 29. 47 32. 1 45. 34 47. 38
*Virgilij locus de apice pileo* 101. 12 *de Aſila interprete* 140. 53 *de* Capua 62. 48 *portu Carthaginen.* 57. 55 Echo 28. 64 *faſcinatione* 20. 53 *de haſta pura* 17. 40 Ianiculo 22. 15 *de intempeſta nocte* 26. 48 *Mantua* 24. 13 *maxima hoſtia* 160. 63 *palæſtris gramineis* 17. 44 Tyrrheno *tibicine* 60. 25 *de veſtigio* 24. 31 *de victima* 60. 17
*Virgilij loquutiones quædam: audaciam in bonam partem* 71. 26 *da pro dic poſuit* 85. 56 *depoſiti pro deſperati* 67. 27 *dulcia furta* 70. 22 *inceſtare funere* 145. 23 *illaudati pro illaudabilis* 62. 11 *inacceſſos pro inacceſſibiles* 11 *miſcere pro turbare* 59. 24 *pares aptos* 61. 66 *proprium pro perpetuum* 69. 9 *Tyrij bilingues* 61. 41 *violare pro tingere* 64. 21 *vittas pro infulis poſuit* 17. 19
*Virgulta apud Maronem* 140. 63
*Virtutes quid* Stoicis 84. 15
*Virtutes voluntariæ non in mente* 88. 32
*Virtutis definitio apud* Stoicos 111. 42
*Virtus quid* 111. 28 120. 38 *in arbore* 120. 34 *in equo ibid. pro fortitudine* 38. 34 *quæ propriè* 120. 35 *Zenoni perfecta ratio* 93. 31
*Virtutum genera* 122. 59
*Vitrea bilis* 364. 32
*Vitruvius* 44. 9
*Vitruvius de ædificatione* 62. 26 *de Mytilene* 44 24
*Vis idem quod Bis* 293. 9
*Vis verborum* 32. 7
*Vitæ beatæ gradus* 89. 16 *adiuncta* 88. 46 *brevitas* 12. 32 *ſignificatio* 126. 63
*Vitam cernere* 298. 45
*Vita modica* 201. 20 *quid complectetur* 89 1 *res externas ſignificat* 201. 23
*Vitia quatuor virtutibus totidem oppoſita* 123. 53
*Vitilitigatores* 395. 51
*Vitula dea* 305. 34
*Vitium oppoſitum ſilentio* 141. 51
*Vitruvius de mole* 58. 52
*Vitruvius de Salapia vrbe* 53. 32 79. 59
*Vitrea Circes* 314. 25 51 57
*Vivere convenienter naturæ quid Stoicis ſit* 126. 54
ὀλοχύτας 391. 21
*Vlpianus album à charta diſtinguit* 389. 48
*Vlpiani locus de Adriano Imp.* 163. 51 *de bonis publicis* 18. 36 *de Cœleſto* 47. 41 *duumviris* 59. 50 80. 32 *de gradibus ſervorum* 346. 52 *de iure Quiritium* 28. 50 *municipibus* 132. 37 *perduellionis reo* 184. 54 *poteſtate* 36. 1 *privilegia tollere videtur* 188. 30 *quid imperium* 109 53 *de religione & ſumptu funerum* 164. 4 *de ſenatorum liberis* 33. 34 *Sicilia* 16. 4 *ſignificatione argenti* 25. 59 *de ſtipulatione partis* 159. 9
*Vltima dies hebdomadis* 324. 28
*Vls pro vltra* 282. 1
*Vulpinari* 392. 40
*Vmbilicus centrum hominis* 300. 30
*Vmbilicus mundi* 300. 34
*Vmbilicus terræ* 16. 61
*Vmbones* 286. 16
*Vmbra cornuta* 300. 47
*Vnctura cadaverum* 165. 18
*Vncus in ſupplicijs quid* 8. 25
*Vncus ſeverus* 321. 34 50
*Vni locum video* 206. 51
*Vnionum cenſus* 344. 31
*Vniverſitatis partes* 128. 51
*Vniverſus populus Romanus in tribus conſectus* 35. 63
*Vocabula rerum imagines* 330. 66
*Vocare ad pileum* 12. 61
*Vocis moderatio quid* 113. 1
*Volaterrani* 70. 23
*Volaterranus de campo ſtellate* 57. 20
*Volo, apud Iuriſconſultos* 48. 28
*Volo te curare* ibid.
*Voluntarius accuſator* 189. 34
*Voluptates Epicureorum* 84. 57
*Voluptas boni imitatrix* 121. 25
*Volſci in bellis* 138. 35
*Vox initiatorum* 152. 9
*Vox in ſuffragijs* 183. 44
ἐρανίονος 272. 56
*Vrbicus* 18. 66
*Vris tribus modis dicitur* 281. 15
*Vrna in ſuffragijs erat, non in iudicijs* 77. 59
*Vrnarium* 287. 39
*Vrvum* 287. 44
*Vſtrina* 165. 13
*Vſurpatio quid* 36. 21
*Vſus ante artem non docetur* 73. 66
*Vtilitas à natura non ſeparanda* 115. 15
*Vt, interdum, vbi* 314. 20
*Vti rogas: formula apud Livium* 145. 1
*Vti via vulgi* 342. 60
*Vt ne, pro, ne ut* 245.
*Vt niſi pro non niſi* 125.
*Vt optima lege, formula loquendi* 119. 26
*Vulcanalia* 295. 34
*Vultus & vox* 205. 61
*Vultus* 195. 63 *apud Ciceronem* 196. 12 18 *apud* Terent. 196. 20
*Vultus Lubricus aſpici* 315. 44
*Vultus quid* 67. 7
*Vultus oris quid* 112. 59
*Vxorem non duxiſſe conſorium erat* 210. 51
*Vxorem pependiſſe* ibid.
*Vxorium pependiſſe* 172. 35

X.

*XEnocrates* 92. 37 87. 27
*Xenophon* 21. 54 87. 41 *de diſciplina Cyri* 183. 33 *de Socrate* 85. 50
*XX. viri* 14. 15

Y.

Ὑπαλλαγὴ 211. 1
ὑπάτη 353. 15
ὑπέρβιος 23. 49
ὑπώρειαν *radix montis* 52. 14

Zaleucus



Z.

*ZAleucus* 127. 22 136. 29
*Zenobius de ara contumeliæ* 147. 26
*Zeno Citticus de principio humani generis* 110. 47
*Zeno Eleates dialogorum inventor* 129. 43
*Zeno cauſa novæ Academiæ* 95. 21 *multa ab Academicis habet* 84. 49 *multa in Philoſophia novavit* 191. 7 *quintam naturam non agnoſcit* 94. 9 *ſapientiam affectibus carere voluit* 93. 25 *virtutes morales in mente ponit* 88. 33 *virtutem in ratione poſuit* 120 35
Ζευγοτροφεῖν 243. 54
Ζύγαντες 61. 44
Ζυγίες 243. 23
Ζῶα αὔετα καὶ ἀρετά 216. 63
Ζώπυρον Stoicorum 197. 50

# FINIS.

V. CL.

# ADRIANI TVRNEBI PROFESSORIS REGII OPERVM variorum

## TOMVS II.

### *QVI VERSIONES SELECTORVM QVOrundam Librorum Ariſtotelis, Theophraſti, Plutarchi &c. complectitur.*

### ARISTOTELIS LIBELLVS DE HIS QVÆ AVditu percipiuntur, ab

*ADRIANO TVRNEBO LATINITATE donatus.*

VOCES OMNES ORIRI SOLENT ET SONI, aut corporibus, aut aëre in corpora incurrente: non quòd aër ipſe figuretur, vt quidam putant, ſed quod ſimiliter ipſe contractus & extenſus & comprehenſus cieatur: prætereaq; concuſſus ob ſpiritus & chordarum ictus. Nam cùm proximũ aërem ſpiritus in eum incidens percuſſit, aër iam vi impulſus fertur, hærentem proximúmque ſibi deinceps præ ſe eodem modo ita agens, vt quoquouerſum vox eadem perueniat, quoad aëris agitatio peruadit. Vis enim & impetus motionis eius longius latiúſq; diffunditur, vt & flatus à fluminibus & aliquo tractu ſpirans. Vocum autem quædam cæcæ & nubilæ ſunt, quæ illicò ſtrangulantur: at claræ & limpidæ longè peruadunt, omnémque continentem implent locum. Cæterùm eundem omnes aërem ducimus & reſpiramus: ſpiritum tamen & voces diuerſas edimus, ob vaſorum ſubiectorũ diſparem conditionem, qua cuiuſq; ſpiritus foras commeat: ea ſunt guttur, pulmones, os. Ac magnam quidem vocis diſſimilitudinem efficiunt aëris ictus & oris conformatio: quod ex eo perſpicuum eſt, quia omnes ſonorum diſſimilitudines ob hanc cauſam exiſtunt: & eoſdem videmus imitari voces equorum, ranarum, luſciniarum, gruum, & aliarum ferè omnium animantium eodem ſpiritu & gutture vtentes, quod diſſimiliter ore ſpiritum emittant. ſed & pleræque auium, voces aliarum cùm audierint imitantur, ob eam cauſam quam commemorauimus. Pulmones autem cùm ſunt parui, denſi, duri, neque in ſe multum aëris recipere poſſunt, neque viciſſim foras emittere, neque vehementi validóque ictu ſpiritum ferire. Nam cùm ſint duri, denſi & colligati, in magnum dilatari ſpatium non poſſunt: nec rurſum è magno interuallo ſeipſos contrahentes, ſpiritum validè extrudere: vt nec nos follibus, cùm duri ſunt, nec facilè poſſunt dilatari, aut comprimi. hoc enim eſt quod plagam ſpiritus validam reddit, cùm pulmones è magno interuallo ſe colligentes, violenter aërem expellunt. quod quidem ex eo perſpici poteſt, quia nulla aliarum partium è parua diſtantia validam poteſt plagam inferre. Nam neque crure neque manu vehementer fortitérque pulſare quis poſſit, & quod pulſarit eijcere: niſi vtroque eorum è magna diſtantia plagam deſtinauerit. ſin minus dura quidem plaga ob contentionem & conatum inferetur: longè tamen exturbare percuſſa non poterit: præſertim cùm nec catapultæ longè tela mittere poſſint, neque fundæ, nec arcus ſi durus ſit, neque flecti lentaríque queat, neque neruus longè reduci poſſit. Quòd ſi pulmones molles ſint & firmi, multum aëris concipere poſſunt, eúmque rurſum reddere, eo temperamento & moderatione qua commodum eſt ob mollitudinem & facilem contractionem. At guttur longum & anguſtum cùm eſt, difficilem vox emiſſionem foras habet, & magnopere violentam, ob longitudinem commeatus ipſius ſpiritus: quod ex eo conſtat, quia omnia quæ procerum collum habent, violentum quiddam clangunt, vt anſeres, grues, galli gallinacei. Id tamen etiam clarius patet in tibijs: omnes enim vix implent bombycas, magnáque contentione & negotio ob longitudinem ſpatij. quin & ſpiritus ob anguſtias cùm foras pulſus extra eruperit, ſtatim diffunditur & diſſipatur, vt & aquæ quæ per euripos feruntur, vt vox conſequi non poſſit, neque in longum

ſpatium peruenire. his quoque omnibus neceſſe eſt eueniat, vt ſpiritum non facilè regant & temperent ad vocis miniſterium. Quorum autem guttur valde ſpatioſum eſt, eorum facilè commeat ſpiritus, ſed ob laxitatem loci intus labens diffunditur, & vox quædam inanis & inconſtans oritur: neque poteſt in illis diuidi ſpiritus, cùm ipſorum guttur vndique non connitatur. Quorum autem inæqualis eſt, neque vndique paria habet ſpatia, eos omnes ſentire incommoditates neceſſe eſt. nam & inæquabiliter ſpiritum voci miniſtrare neceſſe eſt, & premi, & in vicem alia ex parte diffundi. Quod ſi breue guttur ſit, celeriter ſpiritum emitti neceſſe eſt, & aëris plagam vehementiorem fieri: omnes tamen eos acutè loqui propter celeriorem ſpiritus impetum. Nec verò tantùm vaſorum diſſimilitudo, ſed & euenta omnia voces mutare ſolent. Nam cùm multo ſuffuſi ſunt humore pulmones & guttur, diſtrahitur ſpiritus, neq; continenter perpetuoq; foras exire poteſt, propter offenſionem & obicem, & quod plenus & humidus & torpidus euadat, vt in diſtillatione & ebrietate vſuuenire ſolet. quod ſi penitus ſiccus ſit ſpiritus, tunc vox durior diſtractaq; exiſtit. Humor enim præſertim tenuis aerem continet & perpetuat, & quandam vocis efficit teneritatem & mollitudinem. Ac vaſorum quidem diſpar conditio & euentorum ipſis accidentium, huiuſmodi voces reddunt. Voces autem videntur eſſe in illis quæq; locis vbi & naſcuntur: ſed eas omnes audimus, vbi ad aures acciderunt noſtras. Aer enim quem ictus pepulit, aliquem ad finem continens labitur, deinde paulatim magis atq; magis ſubinde diuerſus abit & dilabitur: atq; hoc ipſo cognoſcimus omnes longinquiores propinquioreſq; ſonos. quod ex eo intelligi poteſt, quia ſi quis cornu aut tibiam aut tubam ſumat, per eaq; alterius auri admota loquatur, omnes videntur voces proximè aurem mitti, quòd aëris impetus non diſſipetur, ſed ab inſtrumento complectente vox ſimilis conſeruetur. Vt igitur in pictura cùm quis coloribus hoc ſimile diſtanti longinquoq; depinxit, illud propinquo: vna picturæ pars nobis videtur in receſſu poſita eſſe: altera eminere & extare, cum vtrunq; tamen ſit in eadem planitie: ſic & in vocum ſonis, cum aliqua iam diſſoluta ad auditum accidit, alia continua, ambabus ad eundem locum venientibus, vna procul ab auribus diſtare videtur, altera è propinquo eſſe, propterea quod hæc ſimilis eſt longinquæ & remotæ, illa vicinæ. Manifeſtæ autem diſertæq; voces vel maxime euadunt ex ſonorum ſubtilitate. nam fieri non poteſt, niſi hi modis omnibus expreſſi articulatique ſint, vt voces manifeſtæ reddantur: vt nec annulorum gemmæ, niſi ſubtiliter ſcalptæ ſint. Proinde nec pueruli ſermocinantur manifeſtè, neque ebrij, neque ſenes, neque natura balbi, neque in ſumma quorum linguæ oraque impeditiora ſunt tardioráque. Nam vt æramenta & cornua reſonando inſtrumentorum ſonos reddunt manifeſtiores: ſic & in ſermone magnam parit obſcuritatem ſpiritus ex ore elabens non perinde impreſſus. neque enim ſolùm quandam ſui obſcuritatem oſtendit. ſed etiam articulatos ſonos impedit, cùm diſſimilis eorum impeditus ad auditum accidat. Itaque melius vnum audientes intelligimus, quàm plures eadem loquentes: vt & in fidibus: multòque minus cum quis ad tibiam citharam pulſat, confuſis ab alijs vocibus: quod & in concentibus vel maximè patet, ambobus ſe mutuò ſonis abſcondentibus. ob has igitur, quas diximus, cauſas minus manifeſtæ voces redduntur. Claritas autem eis comparatur, vt & in coloribus. nam & illic qui maximè poſſunt aſpectum permouere, eos contingit eſſe colorum clariſſimos. eodem modo voces illas clariſſimas exiſtimandum, quæ ad ſenſum adpulſæ aurem maximè mouere poſſunt: tales ſunt manifeſtæ, denſæ, puræ, & quæ longè peruadere poſſunt. Nam & alijs omnibus in rebus, quæ ſenſibus percipiuntur, quicquid validius, denſius & purius eſt, certiorem quoque manifeſtioremque ſenſum efficit. idque ex eo notum eſt, quod voces omnes ad extremum obſurdeſcunt, aere tandem diſſipato: quod & perſpicitur in tibijs. nam quæ ſecundarum lingulas habent obliquas, molliorem ille quidem vocem edunt: verum minus tamen claram. labens enim aër protinus in ſpatioſam laxitatem incidit, neque vlla contentione rapitur, neque collectus fertur, ſed diſperſus. In lingulis autem duriuſculis, vox & durior & clarior excitatur, ſi quis eas magis labris premat, quod violentiore impetu ſpiritus feratur. Igitur ob eas, quas diximus, cauſas claræ redduntur voces, ex quo nec videntur deteriores eſſe candidis, quæ fuſcæ vocantur. Nam & affectibus & grandioribus ætatibus aſperiores magis conueniunt, & paulum confuſæ, nec claritatem perinde inſignem habentes: ſed & ob contentionem & acrimoniam non perinde in poteſtate ſunt, nec facile obtemperant. Id enim quod impetu rapitur, arduum regere atque moderari. Neque enim, vt commodum eſt, quiſquam facile vel intendere, vel remittere poteſt. In tibijs autem & alijs inſtrumentis voces exiſtunt claræ, cùm ſpiritus erumpens creber eſt atque contentus. Nam & tales exterioris aeris pulſus conſequi neceſſe eſt, vocéſque vel maximè ſic ad ſenſum conſtantes tranſmitti, vt & odores & lumen & calorem. Omnia enim iſta rariora ſenſui occurrentia, minus in-





ſignia ſentiuntur vt & ſapores aqua diluti, & alijs ſaporibus. quod enim ſui ſenſum obijcit, cuiuſque obſcuras reddit vires & poteſtates. ex alijs autem inſtrumentis cornuum ſoni denſi & continentes in aerem incidentes voces non efficiunt claras. Itaque cornu oportet indolem accretionis ſuæ habere æquabilem & læuem, nec celeriter proſilientem. talia enim neceſſe eſt cornua molliora & laxiora eſſe: vt ſoni diſtrahantur, nec continentes ex eis efferantur, nec ſimiliter arguti claríque ſint ob viarum mollitudinem & raritatem: neque rurſus oportet natura eſſe ad creſcendum maligna, neque concretione & coagmentatione eſſe denſa, rigida, tranſitu difficili. qua enim cunque offenderit illatus ſonus, ibi finem modúmque facit, nec extra perrumpit, vt ſurdi & inæquales ſoni ex huiuſmodi cornibus excidant. Quod autem recta regione & via eius impetus feratur, perſpicuum eſt in malis nauium, & in ſumma in omni prolixa materia, cùm eam probant. Nam ſi materia nihil læſa ſit, cùm ab vno extremo percuſſerint ad alterum vſque, continuus decurrit ſonus: ſin minus ad vitium vſque progreſſus, ibi interpellatus deſinit: ſed & nodos circumflectit, neque per eos rectà tranſire poteſt. Id autem etiam perſpicitur in ærarijs officinis, cùm ſtatuarum ſtolas limant eas, quæ ſeparatæ ſunt, aut alas, proptereáque conniuent comprimuntúrque. quocirca ſtridorem magnúmque ſtrepitum ſonitúmque edunt: ſed ſi quis ea faſcia obligarit, ſtrepitus deſinit. eo enim vſque progreſſus tremor, cùm ad molle offendit, ibi ceſſat. Multum autem & aſſatio cornuum ad bonitatem vocis confert. plus tamen iuſto aſſa, ſonum adipiſcuntur tegulæ ſimilem, ex duritie & vſtione. ſin ea quis minus aſſet, ſonum quidem emittunt teneriorem ob mollitudinem, non tamen perinde arguta ſunt & canora. Itaque in his certæ ætatis delectus eſt. nam ſenum ſicca ſunt, meatus habent, laxa ſunt: iuniorũ tenera penitus, & in ſe magnam vim humoris habentia. Oportet autem eſſe cornu, vt dictum eſt, ſiccum, denſum, æquabiliter recti canalis & læue. ſic enim continget vt ſoni denſi, læues, æquabiles per ipſa ferantur, & pares ſiméſque ictus aer exterior excipiat. Nam & chordarum vt quæque læuiſſima eſt & omni ex parte æquabilis maximè, ita optima eſt, atque opere vndique ſimili & confectione conſtat, & neruorum commiſſuras latentes fallentéſque habet. Sic enim euenit vt aeris pulſus vndique perſimiles exiſtant. oportet autem & tibiarum lingulas denſas, læues & æquabiles eſſe, vt per eas ſpiritus læuis, æquabilis, nec diſtractus feratur. itaque paria armamentorum iuga madefacta & ſaliua imbuta, vocaliora canoráque magis redduntur: ſicca deterius ſonant. Aër enim per humidum & ludibricum mollis & æquabilis labitur: quod ex eo cerni poteſt, quia & ipſe ſpiritus, cùm humorem aliquem habet, minus ad armamenta offendit, minuſque diſtrahitur. ſiccus autem, cùm eſt magis, obhæreſcit, & duriorem plagam infert ob violentiam. Igitur diſſimilitudines ſonorum ob eas quas diximus cauſas eueniunt. Cæterum duræ ſunt voces quæcunque ad auditum violenter accidunt: proinde & ſuum maximè vigorem tenorémque præſtant. Tales ſunt quæ difficiliorem molitionem habent, & magna feruntur violentia. Nam quod celeriter cedit, ictum non moratur, ſed antè reſilit: quod hinc patet, quia tela grandiora vehementiſſimo feruntur impetu, & aquæ per euripos incitatæ. Nam hæ in anguſto luctantes, nec velociter cedentes, ſed magna vi impulſæ, vehementiſſimè incitantur: quod idem ſimiliter in vocibus & ſonis euenit. cuius rei hinc fides eſt, quòd omnes violenti ſoni, ijdem & duri euadunt, vt arcularum & cardinum cùm per vim aperiuntur, & æris atque ferri. Nam & ex incudibus durus nec mollis reſonat, cùm iam refrigeratum & durum ferrum ducunt. præterea à lima, cùm ferramenta & ſerras limant & aſperant. quoniam & tonitrua, vt violentiſſima quæque, ita & duriſſima ſunt, & imbrium qui abrupti præcipitéſque vocantur ob violentiam. Nam celeritas ſpiritus reddit vocem acutam, violentia autem duram. itaque non tantùm vſuuenire ſolet, vt ijdem interdum acutiorem, interdum grauiorem vocem mittant: ſed etiam duriorem & molliorem: & tamen nonnulli exiſtimant, ex arteriarum aſperitate voces dureſcere, non ſine errore. hoc enim paulum admodum confert, ſed ſpiritus violenta à pulmonibus percuſſio. Vt enim corpora horum humida ſunt & mollia, illorum dura atque contenta, eodem ſanè modo & pulmones: ita fit vt aliorum ſpiritus mollis exeat, aliorum durus atque coactus. Nam quòd arteria non magnum quoddam momentum adferat, facile eſt intellectu: nulla enim arteria tibiarũ duritiam adæquat: attamen nihiloſecius per arteriam & per tibias ſpiritu labente, alij molliter tibia canunt, alij duriter: quod & ſatis in ipſo ſenſu patet. Nam & ſi quis violentius ſpiritũ intenderit, vis ſtatim illa vocem duriorem reddiderit etiam ſi mollior ſit: idq; eodem modo in tuba. Quocirca omnes cùm commeſſatũ eunt, in tuba de ſpiritus contentione remittunt, vt quam molliſſimũ reddant ſonitũ: quod & in inſtrumentis perſpici poteſt. nam & pluſculũ tortæ chordæ, vt dictũ eſt, voces duriores faciunt, & cornua pluſculum aſſata. & ſi quis tangat chordas manibus violenter, non molliter, neceſſe eſt eas ſic quoque

violentius reſpondere. at quæ minus tortæ ſunt, & cornua crudiora, molliores reddunt voces, & organa quoque maiora. Nam aeris percuſſiones, ob locorum ſpatium, & molliores & tardiores exiſtunt: minimorum inſtrumentorum contra duriſſimæ, ob chordarum tenſionem: quod quidem ex eo perſpici poteſt, quia eiuſdem inſtrumenti voces duriores elici contingit, cùm quis ad medium chordas non tangit, quod & ad iugum & chordarum tendiculam vehementius intenduntur. ſed & inſtrumenta è ferula voces habere ſolent teneriores, quod illati ſoni non pari impetu reſiliant. Aſperari autem ſolent voces, cùm aeris totius non vna plaga eſt: ſed multifariam in parua diſtracta. nam quæque aeris particula, per ſe ad aurem accidens, velut ab alia plaga quandam ſenſus diſtractionem facit, vt vox vna intermittat, altera violentius inferatur, & auditus tactus diſpar diſſimiliſque eueniat. vt ſolet nobis vſuuenire, cùm quid aſperum in corpus noſtrum cadit. quod in lima intelligi facilè poteſt: quia enim ſimul aer feritur in parua multifariam, vel in minuta & multa, ab eis ad auditum aſperi ſoni feruntur. magiſque adeo ſi ad duram materiam atteratur, vt & in tactu accidit. quæ enim dura & aſpera ſunt, violentius ſenſum mouent. idq; ſatis in liquidorum fluxu patet. nam olei ex omni humorum genere ſonus obſcuriſſimus eſt, ob particularum continuationem. Cæterùm tenues ſunt voces, cùm exiguus eſt ſpiritus qui exit. quare & puerorum tenues ſunt & mulierum & eunuchorum, ſimiliter & morbo defectorum, aut labore, aut alimenti inopia. non enim poſſunt ob imbecillitatem multum ſpiritus emittere: idque in neruis patet. nam è tenuibus voculæ tenues, graciles, & quadam pili gracilitate funduntur, propterea quòd aeris plaga in anguſto ſit. Qualia enim cunque principia impulſionis aeris plagæ habuerunt, tales proinde voces ad aurem accidere ſolent: verbi gratia raræ aut denſæ, molles aut duræ, tenues aut craſſæ. Semper enim aer alius alium ſimiliter impellens, vocem omnem ſimilem efficit, vt aſſolet in acumine & grauitate. nam & celeritates plagæ aliæ alias conſequentes, ſimiliter ac principia voces conſeruant. plagæ autem aeri à chordis multæ ſeparatæque inflictæ, propter medij temporis exiguitatem, cùm intermiſſiones auditus non poſſit attendere, vna continénſque nobis videtur eſſe, vt in coloribus. Nam & hi interdum diſtantes diſiunctique inter ſe tamen commiſſi continuique videntur, cùm celeriter mouentur: atque idem iſtud accidit in concentu. quia enim ſoni alij alios aſſequuntur, vnáque tandem deſinunt, interiectæ nos fallunt voces. ſæpius enim in omnibus concentibus ab acutioribus ſonis aer verberatur, ob celeritatem motionis, ſed poſtremum eorum ſonum contingit à nobis ſimul exaudiri, & ſonum grauioris concentus. Itaque cùm ſenſus perſentiſcere non poſſit, vt dictum eſt, medias voces, exiſtimamus nos ſimul perpetuò exaudire vtroſque ſonos. Plenæ contra voces exiſtunt, cùm multus crebérque excurrit ſpiritus: quo fit vt virorum ſint pleniores & craſſiores, perfectarúmque tibiarum. eóque magis ſi quis eas ſpiritu impleuerit: quod ex eo liquet, quia ſi quis iuga preſſerit, acutior & elixior vox editur: & ſi fiſtulas quis dilatet, vel ſi obturet, multiplex vocis magnitudo ob multitudinem ſpiritus exoritur, vt & è craſſioribus fidibus. Sunt & craſſæ hirquitallorum & raucorum, & poſt vomitum ob arterias, & quia non expedita labatur, ſed ibi offendens vox glomerata voluatur, magnitudinémque adipiſcatur, idque vel maximè ob humorem corporis. Argutæ porrò ſunt voces tenues & crebræ, vt in cicadis & locuſtis & luſcinijs, atque adeo illæ omnes quarum gracilitati nullus alienus ſonus conſequitur. Omnino enim neque in magnitudine vocis argutia poſita eſt, neque in tenoris remiſſione & grauitate, neque in phthongorum tactu, ſed potius in acumine, tenuitate, ſubtilitate. Itaq; inſtrumenta tenuia contenta cornu carentia voces habent argutiores. Nam ſonus aquarum, atque in ſumma cùm ab aliquo exortus proſequitur, phthongorum continuationem retinet. fragiles autem ſunt & interruptæ voces, quæ aliquandiu perpetuatæ diſtrahuntur: quod maximè perſpicitur in fictilibus, quæ ex ictu fracta ſonitum fragilem efficiunt: interrupta in ictu motione, vt non iam ſoni exeuntes continui ſint. quod idem & vſuuenire ſolet in cornibus fractis, & in chordis neruos malè coagmentatos habentibus. horum enim omnium aliquem ad finem perpetuus ſonus fertur, deinde diſſipatur, vbicunq; materia non continuata eſt, ita vt non vnà fiat plaga, ſed interpellata, & ſonus fragilis eſſe videatur. ferè enim ſimiles exiſtunt aſperis, niſi quòd hæ aliæ ab alijs exiguis particulis diſtractæ ſunt: at fragiles pleræque principia continua habent, deinde in plures partes diuiduntur. Aſpiratæ autem voces ſunt, quibus cum intus ſpiritum ſtatim anhelamus cum ſonitibus & emittimus. Leues contra, quæcunque citra ſpiritus anhelitum eduntur. abrumpi autem ſolent voces, cùm iam non poſſunt aerem cum plaga emittere, ſed pulmonum regio ob dilationem laborat & ſoluitur. vt enim & vaſa & humeros tandem ob conatum debilitari contingit atque laborare, ſic & pulmonum regionem. Leuis enim foras exit ſpiritus, quòd non violenta plaga exprimatur: ſimul quia eorum vehementer exaſperatur arteria, non poteſt ſpiritus foras conti-





nuus erumpere, ſed diremptus, vt interruptæ ipſorum voces ſint. ac nonnulli arbitrantur, ob pulmonum lentorem, ſpiritum non poſſe foras commeare, qui in errore verſantur. ſonant enim, ſed non argutè nec clarè: quòd robur & contentionem non habeat aëris plaga, ſed tantùm ita vocales ſunt, vt cunque ſpiritus per fauces vi eliditur. Eorum autem qui hæſitantia vocis laborant vitium neque in venis, neque in arterijs hæret, ſed in linguæ motu. Ægrè enim eam transferunt, cùm alium ſonitũ edere oportet. itaq; idem verbum diutius loquuntur, proximũ eloqui cùm nequeant: ſed perpetuò idem eſt impetus, eorumque pulmones, ob copiam vimque ſpiritus, eadem impulſione cientur. Vt enim & totum corpus currentium vehementer & concitatiſſimè, ex impetu in alium motum traducere difficile eſt, eodem ſanè modo & in parte accidit. proinde ſæpenumero verbum proximum effari non poſſunt, quod poſtea ſequitur nullo negotio eloquuntur, vbi aliud motus principium ceperint: quod ex iratis facilè intelligi poteſt, quibus hoc ipſum ſæpe accidit ex violento ſpiritus impetu.

# THEOPHRASTI LIBELLVS DE ODORIBVS,

ab

## *ADRIANO TVRNEBO LATINITATE donatus, & ſcholijs atque annotationibus illuſtratus.*

ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPI MARGARETÆ VALESIÆ, DVCI BITVRIGVM, HENRICI II. CHRIſtianiſs. Gallorum Regis ſorori, ADRIAN. TVRNEBVS S. P. D.

*PVTARESNE FVTVRVM, ILLVSTRISSIMA PRINceps, eximium huius æui ornamentum & decus, vt Philoſophus vnguentariam vnquam faceret, aut vllius huiuſmodi mercis inſtitor vnquam eſſet? Quid de philoſophiæ diſciplina ſperandum eſt, ſi eius profeſſores luxum inſtruunt, & noſtros mores corrumpunt, qui Cenſorum partes in corrigendis vitijs ſuſcipere debuerunt? Ipſa poëſis, quæ hominum licentiæ plerunque liberiùs indulget, quæ vitæ crimina ſæpe fouet, tamen agricolas laudat, à quibus* Non caſia liquidi corrumpitur vſus oliui. *Satyra paſtillos olentem Ruſillum grauiter inceſſit. Quendam vnguentis madentem, gratias agentem pro impetrata præfectura, Imperator Veſpaſianus auerſatus,* Mallem, *inquit,* allium oboluiſſes. *Antalcidas à Perſarum Rege roſarum corona vnguetis perfuſa donatus, malè factum dixit, quòd natiua roſarum ſuauitas illa eſſet corrupella vitiata. Apes non minus fictos odores quàm fœdos oderunt, vnguentaq; redolentes, aculeo acerrimè pungunt. Princeps philoſophorũ Plato ex ea rep. quam omnium optimam ſuo iudicio fingebat, Homerum vnguentis delibutum vittiſq; redimitum per ludibrium emittit, cum Homero, credo, vnguentum etiam exterminans. Socrates apud Xenophontem vnguentum inferri conuiuio non patitur, id viris indecorum prorſus exiſtimans eſſe. Et tamen cùm hæc ita ſint, en Theophraſtus quaſi non philoſophiæ, ſed ſeplaſiæ alumnus vnguentariam aperit tabernam omnis odorum generis. Sed licet philoſophum ſceleris abſoluas, cùm hæc taberna non inſtrumentum nequitiæ, ſed cognitionem naturæ promittat, cuius vis & indoles etiam in hominum vitijs apparet. Itaq; quod Xenophon & Plutarchus præcipiunt vtilitatem ex inimicis capiendam eſſe, id philoſophia facit, quæ cùm vitijs perpetuum bellum indixerit: tamen ex eorum materia ſcientiàm doctrinamq; quærit. Nam licet artificio hominum iſta conſtent, odores miſcentium varieq; confundentium, tamen muneribus naturæ & opibus accepta ferenda ſunt, quæ officinas odoramentis inſtruit. Quæ autem ex illa temperatione & permiſtione vis, quis effectus exiſtat, cuius tandem potius quàm philoſophi fuerit inueſtigare? Neq; verò protinus omnem huiuſmodi voluptatem, illiberalem, parumq; ingenuam conceſſerim, aut elegantiam harum rerum viris indignam crediderim. Nam vt guſtus & tactus lætitiæ ac voluptates, quòd nobis cùm beſtijs communes ſunt, ab hominis præſtantia & dignitate plurimum abhorrere confiteor (quanquam in eas intemperantius ſæpè prolabimur, cùm in res venereas ferè propenſiores ſimus, quique*

*exquiſitiſſimis ſaporum condimentis obſonia mergunt, plurimi faciamus.) ita quæ percipiuntur ex numeris & modis, quæ ex ſignis tabuliſq; pictis, quæ ex odoribus & vnguentis, quòd cum belluis communes nobis non ſunt, quiddam habent proprium, ſi non diuinitatis, at certè humanitatis. Cæterorum enim animalium nullum per ſe vt homo delectatur odore, ſed paſtus tantùm gratia: odoribus alijs vel offenduntur, vt vultures vnguentis, vel certè non mouentur: vt ea homini propria voluptas delectatioq; tributa eſſe videatur. Quid? ſi medicorum officinæ odoribus & vnguentis locupletiores ſunt & inſtructiores, vel ad valetudinis conſeruationem, vel ad morborum depulſionem, tamenne quiſquam rerum tam ſalutarium commoditatem contemnendam, aut reijciendam putabit? Morbum omnium teterrimum peſtem eſſe cenſemus, & maximè abominamur, quæ corrupto cæli tractu regiones totas interdum populatur, contra quam nullum ferè præſentius remedium eſt odorum ſuauitate, cæli noxam corrigentium. Nec me mouent ſuperiora illa exempla, cum alia proferre poſſim, quæ præponderent. Sacris enim quotidie odores incendimus & ſuffumigamus. Moſes omnium vatum Deo acceptiſſimus & gratiſſimus, tabernaculum omnemq; eius ſupellectilem vnguento ſummæ & acerrimæ ſuauitatis vngit, & pontificem inauguraturus, totum eius caput vnguento oblinit. Seruator noſter in quodam conuiuio toto alabaſtro caput ſuum vnguento, in altero pedes perfundi ſinit. Quem alium adſtipulatorem quærimus, qui Deum auctorem & approbatorem habemus? Itaq; cùm hoc argumentum & Dei auctoritate tutum viderem, & ad philoſophiæ cognitionem pertinere intelligerem, non ſum veritus, Illuſtriſſima princeps, ne quid alienum ab amplitudine tua facere viderer, ſi tibi totum Theophraſti myrothecium, omnes arculas, omnia ſcrinia vnguentorum referta mitterem. Et quoniam olim Cenſores edictum Romæ propoſuerunt, ne quis vnguentis vteretur exoticis (hoc enim verbo edixerunt) hæc vt minus peregrina videantur, & pro vernaculis habeantur, ad Romanam conſuetudinem, quando Latina lingua in religione & diſciplinis nobis propè vernacula eſt, traduxi, & latinè vt potui, expreſſi. Huius autem munuſculi æſtimationem, non libri exiguitate, ſed voluntatis tibi deditæ deuotæq; propenſione interpretabere.*

# ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ ΠΕΡΙ ΟΣΜΩΝ.

Αἱ ὀσμαί, τὸ μὲν ὅλον ἐκ μίξεώς εἰσι, καθάπερ οἱ χυλοί. τὸ γὰρ ἄμικτον ἅπαν ἄοδμον, ὥσπερ ἄχυλον. διὸ καὶ τὰ ἁπλᾶ, ἄοδμα· οἷον ὕδωρ, ἀὴρ, πῦρ. ἡ δὲ γῆ μάλιστα μόνη ὀδμὴν ἔχει, διὸ μάλιστα μικτή. τῶν δ' ὀδμῶν, αἱ μὲν ὥσπερ ἀηδεῖς καὶ ὑδαρεῖς, καθάπερ ἐπὶ τῶν χυλῶν· αἱ δ' ἔχουσαί τινας ἰδέας· αἱ δ' ἰδέαι, δοκοῦσι μὲν ἀκολουθεῖν ταῖς τῶν χυλῶν, οὐ μὴν ἔχουσί γε πάσας τὰς αὐτὰς προσηγορίας, ὥσπερ ἐν τοῖς πρότερον εἴπομεν· οὐδ' ὅλως οὕτω διωρισμέναι τοῖς εἴδεσιν, ὥσπερ οἱ χυλοί· ἀλλ' ὡς ἂν τοῖς γένεσιν, ὅτι τὰ μὲν εὔοσμα, τὰ δὲ κάκοσμα· τῆς δὲ εὐωδίας καὶ κακωδίας, οὐκέτι τὰ εἴδη κατωνόμασται, καίπερ ἔχοντα διαφορὰς μεγάλας. ἐπὶ γὰρ τῶν γλυκέων καὶ πικρῶν μᾶλλον· ἀλλὰ δριμεῖα λέγεται καὶ ἰσχυρὰ, καὶ μαλακὴ καὶ γλυκεῖα καὶ βαρεῖα ὀδμή. κοιναὶ δ' ἔνιαι τούτων, καὶ τῶν κακωδῶν. ἡ δὲ καθόλου, καὶ ὥσπερ ἐπὶ πᾶσι τοῖς διαφθειρομένοις, σαπρότης. ἅπαν γὰρ τὸ σηπόμενον κακῶδες· εἰ μή τις τὴν ὀξύτητα λέγει τοῦ οἴνου σαπρότητα, τῇ ὁμοιότητι τῆς φθορᾶς. ἐν ἅπασι δ' ἐστὶν ἡ τοῦ σαπροῦ κακωδία, καὶ ἐν φυτοῖς, καὶ ἐν ζώοις, καὶ τοῖς ἀψύχοις· ἐν ἅπασι δὲ διαφθειρομένοις, ὧν μὴ ἡ σύστασις εὐθὺς ἐκ τοιαύτης ὕλης. ἔχει γὰρ ἔνια καὶ τὴν τῆς ὕλης ὀσμήν· οὐ μὴν ἐπὶ πάντων γε τοῦτ' ἀκολουθεῖ· πολλὰ γὰρ οὐ κακώδη τὰ ἐκ τῶν σαπρῶν, ὡς οὐδ' οἱ μύκητες οἱ ἐκ τῆς κόπρου φυόμενοι. τὰ δὲ ἐκ σήψεως φυόμενα καὶ συνιστάμενα, κακώδη. εὔοσμα μὲν οὖν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, τὰ πεπεμμένα, λεπτὰ, καὶ ἥκιστα γεώδη. τὸ γὰρ τῆς ὀσμῆς ἐν ἀναπνοῇ· κακώδη δὲ δηλονότι τἀναντία. πολλὰ δ' ὥσπερ τῶν γλυκέων, ἐμφαίνει τινὰ πικρότητα, καὶ τῶν εὐωδῶν βαρύτητα ταῖς ὀσμαῖς. ἔχει δ' ἕκαστον ὀσμὴν ἰδίαν καὶ ζώων καὶ φυτῶν, καὶ τῶν ἀψύχων ὅσα ὀσμώδη. πολλὰ δ' ἡμῖν οὐ φαίνεται, διὰ τὸ χειρίστην ἔχειν τὴν αἴσθησιν ταύτην, ὡς εἰπεῖν. ἐπεὶ τοῖς γε ἄλλοις καὶ τὰ παντελῶς ἄοδμα φαινόμενα δίδωσί τινα ὀσμὴν, ὥσπερ αἱ κριθαὶ τοῖς ὑποζυγίοις, αἱ ἐκ τῆς κεδροπόλεως, ἃς οὐκ ἐσθίουσι διὰ τὴν κακωδίαν. ἡμᾶς δὲ καὶ αἱ τῶν ζώων λανθάνουσι τῶν ὀσμῶν δοκούντων· εὐωδίᾳ μὲν οὖν οὐδὲν φαίνεται καθ' αὑτὸ χαίρειν, ὡς εἰπεῖν· ἀλλ' ὅσα πρὸς τὴν τροφὴν, καὶ τὴν ἀπόλαυσιν. πονεῖν δ' ἔνια φαίνεται ταῖς ὀσμαῖς καὶ ταῖς εὐωδίαις, εἴπερ ἀληθὲς τὸ ἐπὶ τῶν γυπῶν, καὶ τῶν κανθάρων. τοῦτο δὲ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, δῆλον, τῶν διὰ ἐναντίωσιν τῆς ἐναντίας φύσεως. ὡς δὲ καθ' ἕκαστον ἅμα δεῖ τήν τε κρᾶσιν τὴν ἑκάστου, καὶ τὴν τῆς ὀσμῆς λαμβάνειν δύναμιν. εἰσὶ μὲν οὖν ἔνιαι τῶν εὐόσμων καὶ ἐν ταῖς τροφαῖς, οἷον αἱ τῶν ἀκροδρύων καὶ ἀπίων, καὶ μήλων· αὗται γὰρ ἄνευ τῆς προσφορᾶς ἡδεῖαι, καὶ μᾶλλον, ὡς εἰπεῖν. οὐ μὴν ἀλλ', ὥς γ' ἁπλῶς διελεῖν, αἱ μὲν εἰσι καθ' αὑτὰς, αἱ δὲ κατὰ συμβεβηκός· αἱ μὲν τῶν χυλῶν καὶ τῆς τροφῆς κατὰ συμβεβηκός, αἱ δὲ ὥσπερ τῆς ἀναπνοῆς καθ' αὑτάς. ὡς γὰρ ἐπίπαν τὰ εὔοσμα, καθάπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, δύσχυλα καὶ στρυφνά, καὶ ὑπόπικρα· ἔνια δὲ τῶν εὐχύλων καὶ κακώδη, καθάπερ καὶ τὸ αἰγύπτιον καλούμενον σῦκον, γλυκὺ ὄν· καὶ εἰ μὴ πανταχοῦ, ἀλλ' ἐνιαχοῦ. καὶ ἡ ἄρκευθος ἐμφαίνει τινὰ τῇ μασσήσει κακωδίαν. γλυ-

κεῖα



κεῖα οὖσα, τὸ δ' οὖρον ποιεῖ εὐῶδες. ἐπεὶ δὲ τῶν ὀσμῶν αἱ μὲν ἐν φυτοῖς καὶ τοῖς τούτων μορίοις, οἷον κλωσί, φύλλοις, φλοιοῖς, καρποῖς, δακρύοις· αἱ δὲ, ὥσπερ διείλομεν, ἐν ζώοις καὶ φυτοῖς, καὶ τοῖς ἀψύχοις, αὗται μὲν φανερὸν ὅτι πέψιν ἕκασται λαμβάνουσιν ἐν τοῖς οἰκείοις, αἷς καὶ τὸ εὐῶδες καὶ κακῶδες ἀκολουθεῖ κατὰ τὰς οἰκείας φύσεις· ἡ δὲ πέψις τῷ οἰκείῳ θερμῷ· ἐν δὲ τοῖς ἀψύχοις ταῖς τῶν ἁπλῶν δυνάμεσι· καὶ γίνονται καὶ μεθίστανται καθάπερ οἱ χυλοί. ὅσαι δὲ δὴ κατὰ τέχνην καὶ ἐπίνοιαν γίνονται, περὶ τούτων πειρατέον εἰπεῖν, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν χυλῶν. ἐν ἀμφοῖν δὲ δῆλον, ὡς ἀεὶ πρὸς τὸ βέλτιον πεδίον ἦν ἡμῖν ἡ ἀναφορά. πᾶσα γὰρ τέχνη στοχάζεται τούτων. εἰσὶ μὲν οὖν καὶ τοῖς ἀμίκτοις ὀσμαί τινες, πρὸς ἃς συνεργεῖν πειρῶνται καὶ ταῖς παρὰ * ταῖς τῶν χυλῶν εὐστό * οὐ μὴν ἀλλ' ὥστε ἁπλῶς εἰπεῖν ἐν μίξει τὸ πλέον, καὶ οὕτως αἱ * δυοῖν μὲν ὡς τῷ γένει λαβεῖν ὑγροῦ καὶ ξηροῦ, τριχῶς δέ γε * ὅταν ἢ ὁμογενὲς ὁμογενεῖ, ἢ παραλλάττον τῷ αὐτῷ * ἢ ὑγρῷ ὑγρὸν, ἢ ξηρῷ ξηρόν. ἐν δυεῖν γὰρ τούτων καὶ ἡ τῶν χυλῶν καὶ τῶν ὀσμῶν γένεσις· ὡς μὲν οἱ τὰ ἀρώματα καὶ τὰ διαπάσματα συντιθέντες, ξηροῖς πρὸς ξηρά· ὡς δ' οἱ τὰ μύρα κεραννύντες, ἢ τῷ οἴνῳ ἐπιχέοντες, ὑγροῖς πρὸς ὑγρά· τὸ δὲ τρίτον, ὃ καὶ πλεῖστόν ἐστιν, ὡς οἱ μυρεψοί, ξηροῖς πρὸς ὑγρά. παντὸς γὰρ μύρου καὶ χρίσματος ἡ σύνθεσις αὕτη. δεῖ δὲ εἰδέναι, ποῖαι ποίοις εὔμικτοι, καὶ ποῖαι ποίοις συνεργοῦσιν εἰς τὸ ποιεῖν μίαν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν χυλῶν. καὶ γὰρ ἐκεῖ ταὐτὸ τοῦτο ζητοῦσιν οἱ μιγνύντες, καὶ οἷον ἀρτύοντες. ταῦτα μὲν οὖν, ἐν οἷς καὶ δι' ὧν αἱ τέχναι ποιοῦνται τὰ τέλη. μίγνυνται δὲ τὰ μὲν αὐτῆς τῆς ὀσμῆς ἕνεκα, καὶ πρὸς ταύτην τὴν αἴσθησιν· τὰ δ' ὥσπερ ἡδύνειν βουλόμενα τὴν γεῦσιν, οἷον ὡς οἱ τὰ μύρα τοῖς οἴνοις ἐπιχέοντες, ἢ τὰ ἀρώματα ἐμβάλλοντες. αἱ γὰρ αἰσθήσεις σύνεγγυς οὖσαι, ποιοῦσί τινα ἀπόλαυσιν ἀλλήλων, ὅθεν καὶ αὐτοῖς τοῖς γευστοῖς ζητοῦσι τὰς εὐοσμίας.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις ἴσως, διατί ποτε μύρον, καὶ τἄλλα εὔοσμα, τοὺς μὲν οἴνους ἡδύνει, τῶν δὲ βρωμάτων οὐδὲν, ἀλλὰ πάντα λυμαίνεται καὶ ἀπύρωτα καὶ πεπυρωμένα· τὸ δ' αἴτιον ὑποληπτέον, ὅτι συμβαίνει τῶν μὲν ξηρῶν ἀφαιρεῖσθαί τε τὸν οἰκεῖον χυλὸν διὰ τὴν ἰσχὺν, καὶ ἅμα συνεπιφαίνειν τὸν αὑτῶν ὄντα στρυφνὸν καὶ ὑπόπικρον. ἅπαν γὰρ τὸ εὔοσμον τοιοῦτον. διαμασωμένοις δὲ μᾶλλον ἐμφανές, διά τε τὴν θλίψιν καὶ τομὴν, καὶ ἔτι τῷ ἐγχρονίζεσθαι· τὸν δ' οἶνον οὐδέτερον ποιεῖ. καὶ γὰρ ὁ χυλὸς ἰσχυρότατος, καὶ πλείων, εἰς τὸ μὴ κρατεῖσθαι· καὶ οὐδένα τῇ γεύσει χρόνον ἐπιδιατρίβων, ἀλλ' ὅσον ἀποθιγγάνων· ὥστε τὸ μὲν ἡδὺ ἐνδιδόναι τῇ αἰσθήσει, τὸ δὲ πικρὸν καὶ δύσχυλον τῇ γεύσει μὴ ἐμφαίνειν· ἀλλὰ συμβαίνειν τῷ οἴνῳ, καθάπερ ἥδυσμα γίνεσθαι τῷ πόματι τὴν ὀσμήν. τὸ μὲν γὰρ γλυκὺ, καὶ μάλιστα δεομένου διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν· τοῖς δ' ἄλλοις, ὥσπερ μιᾶς ἐξ ἀμφοῖν γινομένης, διὰ τὴν μίξιν. ὁ γὰρ οἶνος, ὥσπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, δεινὸς δέξασθαι τὰς ὀσμάς. ἔχει δ' ἀπόρησιν καὶ τόδε· διατί τὰ μὲν ἄνθη καὶ τὰ στεφανώματα ἀσθενέστερα ὄντα ταῖς ὀσμαῖς, καὶ πόρρωθεν ὄζει· ἡ δ' ἶρις, καὶ τὸ νάρδον, καὶ τὰ ἄλλα τὰ εὔοσμα τῶν ξηρῶν ἰσχυρότερα, ἐγγύθεν· καὶ ἔνιά γε προσενεγκαμένοις, ἔνια δὲ καὶ τρίψεως προσδεῖται καὶ διαιρέσεως· τὰ δὲ καὶ πυρώσεως, ὥσπερ ἡ σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς, καὶ πᾶν τὸ θυμιατόν. αἴτιον δ' ὅτι τῶν μὲν ἀνθῶν ἐπιπολῆς τὸ ποιοῦν τὴν ὀσμὴν, ἅτε μανῶν ὄντων, καὶ οὐκ ἐχόντων βάθος· τῶν δὲ ῥιζῶν, καὶ πάντων τῶν στερεῶν, ἐν βάθει· τὰ δ' ἔξωθεν ἀπεξηρασμένα καὶ πεπυκνωμένα. διὸ καὶ ἀφιᾶσι πόρρω τὰς ἀποπνοίας. τὰ δ' οἷον ἀνοίξεως δέονται τῶν πόρων· ὅθεν καὶ αἰρούμενα καὶ κοπτόμενα, πάντ' εὐωδέστερα. τὰ δ' ἄνθη κακωδέστερα, τριβόμενα. τὰ μὲν γὰρ ἐκφαίνει τὸ οἰκεῖον, τὰ δὲ προσλαμβάνει τὸ ἀλλότριον. ὁ δὲ λιβανωτὸς, καὶ ἡ σμύρνα, πυκνοτέραν ἔτι τὴν φύσιν ἔχοντα, προσδέονται πυρώσεως μαλακῆς, ἢ κατὰ μικρὸν ἐκθερμαίνουσα, ποιήσει τὴν ἀναθυμίασιν. ἐὰν γὰρ κόπτῃ τις ἢ τρίβῃ ταῦτα, προσοίσονται μὲν ὀσμήν· οὐχ ὁμοίως δὲ ἡδεῖαν, οὐδ' εὐτιμίατον. τούτων μὲν οὖν τοιαῦταί τινες αἱ αἰτίαι. τῶν δὲ μύρων ἡ σύνθεσις καὶ ἡ κατασκευὴ τὸ ὅλον, οἷον εἰς θησαυρισμόν ἐστι τῶν ὀσμῶν· διόπερ εἰς τοὔλαιον τίθενται. τοῦτο γὰρ χρονιώτατον, καὶ ἅμα πρὸς τὴν χρείαν μάλιστ' ἁρμόττον. ἐπεὶ φύσει ἥκιστα δεκτικὸν ὀσμῆς, διὰ τὴν πυκνότητα καὶ τὸ λίπος. αὐτῶν δὲ τούτων τὸ λιπαρώτατον, οἷον τὸ ἀμυγδάλινον. τὸ δὲ σησάμινον, καὶ τὸ ἐκ τῶν ἐλαιῶν, μάλιστα. χρῶνται δὲ μάλιστα τῷ ἐκ τῆς βαλάνου, τῆς αἰγυπτίας καὶ συρίας· ἥκιστα γὰρ λιπαρόν· ἐπεὶ καὶ τῷ ἐκ τῶν ἐλαιῶν μάλιστα χρῶνται τῷ ὠμοτριβεῖ τῆς φαυλίου. δοκεῖ γὰρ ἀλιπέστατον ἔχειν, καὶ λεπτότατον. καὶ τούτῳ νέῳ, καὶ μὴ παλαιῷ· τὸ γὰρ ὑπὲρ ἐνιαυτὸν, ἀχρεῖον, παχύτερον καὶ λιπαρώτερον γινόμενον. ἔλαιον μὲν οὖν τὸ τοιοῦτον, οἰκειότατον· ἀωδέστατον γάρ. φασὶ δέ τινες, καὶ ἐν τῷ χρώματι τῶν ἐκ τῶν πικρῶν ἀμυγδάλων. πολλὰ δὲ γίνεται περὶ κιλικίαν, καὶ ποιοῦσιν ἐξ αὐτῶν χρῖσμα. φασὶ δὲ, καὶ εἰς τὰ σπουδαῖα τῶν μύρων ἁρμόττειν, ὥσπερ καὶ τὸ ἐκ τῆς βαλάνου. καὶ τοῦτο ποιεῖ δὲ κελύφη αὐτῶν εὔοσμα, εἰς τὸ ἔλαιον ἐμβαλλόμενα· ἐπεὶ καὶ τὰ τῶν πικρῶν. ἰδεῖν δέ πως οὐκ ἐναντίον, ἅμα μὲν τὸ ἀοσμότατον ζητεῖν, ὥσπερ καὶ τὸ ὠμοτριβὲς ἐκ τῶν φαυλίων· ἅμα δ' ἐν τούτοις ποιεῖν. δριμύτητα γὰρ ἔχει τὰ τῶν ἀμυγδάλων. εἰ μὴ ἄρ' ὅτι τὸ ἔλαιον ἑψόμενον κακῶδες. ταῦτα μὲν οὖν ἐπισκεπτέον. χρῶνται δὲ πρὸς πάντα τοῖς ἀρώμασι, τοῖς μὲν ὑποστύφοντες τὸ ἔλαιον, τοῖς δὲ καὶ τὴν ὀσμὴν ἐκ τούτων ἐμποιοῦντες. ὑποστύφουσι γὰρ πᾶν εἰς τὸ δέξασθαι μᾶλλον τὴν ὀσμὴν ὥσπερ τὰ ἔρια τὴν βαφήν· ὑποστύφεται δὲ τοῖς ἀσθενεστέροις τῶν ἀρωμάτων· εἶθ' ὕστερον ἐμβάλλουσιν, ἀφ' οὗ ἂν βούλωνται τὴν ὀσμὴν λαβεῖν. ἐπικρατεῖ γὰρ τὸ ἔσχατον ἐμβαλλόμενον, κἂν ἔλαττον ᾖ· οἷον ἐὰν εἰς κοτύλην, σμύρνης ἐμβληθῇ μνᾶ, καὶ ὕστερον ἐμβληθῶσι κινναμώμου δύο δραχμαί. θαυμάσει ἄν τις ἴσως οὖν τότε, καὶ διατί ποτε τὰ ἀρώματα προεμβαλλόμενα δεκτικώτερον ποιεῖ τοὔλαιον ὀσμὴν ἔχοντα. δεῖ γὰρ ἄωδες εἶναι τὸ δεξόμενον, τὸ δὲ κατειλημμένον ὑφ' ἑτέρου οὐκ ἄωδες· ὥσθ' ἧττον ἐχρῆν εἶναι δεκτικόν. αἴτιον δ' ἀμφοτέρων, ἢ πάντων, τὸ αὐτό· ξηρὰ γὰρ ὄντα, τὸ λίπος ἕλκει πρὸς ἑαυτὰ, καὶ ἀναδέχωνται. διὸ καὶ τὴν συνέχειαν ἐξαιρεῖ. μανὸν δὲ γενόμενον, καὶ τοῦ λίπους ἀφαιρεθέντος, ἐν ᾧ καὶ ἡ οἰκεία μάλιστα ὀσμὴ, δεκτικώτερον ἐγένετ' αὐτοῦ ἐπεμβαλλομένου, διὰ τὸ μὴ ἀντιστατεῖν· ἡ δὲ ἀπὸ τῶν ἀρωμάτων ὀδμὴ, καὶ ἀσθενὴς, ἅτε εἰς τὸ λιπαρὸν ἀνηλωμένη· καὶ ἔτι κατέχωνται τούτῳ, διὰ τὸ πληρῶσαι τοὺς πόρους. ὥστε κατὰ λόγον, κἂν ἔλαττον ᾖ τὸ ἐπιβαλλόμενον ἐπικρατεῖν τὴν τούτου ὀσμήν· εἰς ἀσθενέστατον γὰρ ἐμπίπτει, καὶ δεκτικώτερον. ἀνάλογον δ' ἔχει καὶ ἡ πολυχρονιότης ἡ ἐν ἑκάστῳ, καὶ ἡ πρὸς τὴν πύρωσιν ἀσθένεια, καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα. τὸ γὰρ δεκτικώτατον, οἷον τῆς βαλάνου, καὶ χρο-

νιώτατον, καὶ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν· μάλιστα γὰρ ὥσπερ ἓν γίνεται, καὶ συμφυὲς τὸ μάλιστα δεχόμενον. ἀεὶ γὰρ τὸ τοιοῦτον διαμονώτατον. διὸ καὶ πυρούμενον μάλιστα ἀπαθές. ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἄλλων τὸ σησάμινον. τοῦτο γὰρ δεκτικώτατον. τὸ δ' ἀμυγδάλινον παρακμάζει ταχὺ, καὶ ὀλιγοχρονιώτατον διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν· τὸ γὰρ ἥκιστα δεξάμενον, τάχιστα μεθίησι· τοῦ ῥοδίνου δὲ μάλιστα δεκτικὸν τὸ σησάμινον, διὰ τὴν λιπαρότητα. πυρούμενον δὲ ἐξόζει σησάμου καθάπερ ἀναλούμενον. αἱ μὲν οὖν τῶν ἐλαίων φύσεις καὶ δυνάμεις, τοιαῦται. τὰ ἀρώματα δὲ πάντα σχεδὸν, καὶ εὔοσμα, πλὴν τῶν ἀνθῶν, ξηρὰ καὶ θερμὰ καὶ στυπτικὰ καὶ δηκτικά· τὰ δὲ καὶ ἔχοντά τινα πικρότητα, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς πρότερον εἴπομεν, ὥσπερ ἶρις, σμύρνα, λιβανωτός. ὡς δ' ἁπλῶς εἰπεῖν, καὶ τὰ μύρα. κοινόταται δὲ τῶν δυνάμεων, τό, τε στυπτικὸν, καὶ τὸ θερμαντικὸν, αἷς δὴ καὶ ἐργάζονται. ὑποσύφονται μὲν οὖν πάντα πυρούμενα· τὰς δ' ὀσμὰς τὰς κυρίας ἀντιλαμβάνει ψυχρὰ καὶ ἀπύρωτα. καὶ ἔοικεν, ὥσπερ τῶν ἀνθῶν, τὰ μὲν ψυχροκαφῆ, τὰ δὲ θερμοκαφῆ, παραπλησίως ἔχειν καὶ ἐπὶ τῶν ὀσμῶν. πάντων δὲ ἡ ἕψησις, καὶ εἰς τὴν ὑπόσυψιν καὶ τὰς κυρίας ὀσμὰς ἐνισταμένων, ἡ τῶν ἀγγείων ἐν ὕδατι γίνεται, καὶ οὐκ αὐτῶν τῷ πυρὶ χρωμένων. τοῦτο δὲ, ὅτι μαλακὴν εἶναι δεῖ τὴν θερμότητα, καὶ ἀπουσία πολλὴ γένοιτ' ἂν τῇ φλογὶ χρωμένων· ἔτι καύσησιν ὄζει. ποιεῖ δ' ἐλάττω τὴν ἀπουσίαν, ὅτι πυρούμενα λαμβάνει τὰς κυρίας ὀσμὰς μᾶλλον, ἢ ὅσα ψυχρὰ, διὰ τὸ προσφυρᾶσθαι τὰ πυρούμενα, τὰ μὲν οἴνῳ εὐώδει, τὰ δ' ὕδατι. ἧττον γὰρ ἀναπίνει. τὰ δὲ ψυχρὰ ξηραίνονται μᾶλλον· καθάπερ ἶρις κοπεῖσα. λαμβάνοντος γὰρ τοῦ ἀμφορέως ξηρᾶς ἴρεως κεκομμένης μέδιμνον, καὶ δύο ἡμίεκτα, πολλὴν ποιεῖν φασιν ἀπουσίαν. ἐὰν δὲ μετρίως φυράσῃ, λείπειν ὅσον δύο χοὰς, τὸ δὲ πολλοὺς ἔλαττον. γίνεται δὲ τὸ βέλτιον ἴρινον, ἐὰν ᾖ ξηρὰ καὶ ἀπύρωτος ἡ ἶρις. ἀκραιφνεστέρα γὰρ ἡ δύναμις, ἢ ἐὰν φυραθεῖσα καὶ πυρουμένη. συμβαίνει δ' ὥσπερ καὶ ἐκθλίβεσθαι μᾶλλον ἐκ τῶν προπεφυσωμένων, διὰ τὸ ἧττον ἀναδέχεσθαι, καὶ ἕλκειν εἰς αὐτά. προσύφοντες δ' οὐ πολὺν χρόνον ἐῶσι τὰ ἀρώματα, ἀλλ' ἐξαιροῦσιν, ὅπως μὴ πολὺ ἐκπίνωσι. πρὸς ἕκαστον δὲ τῶν μύρων ἐμβάλλουσι τὰ πρόσφορα τῶν ἀρωμάτων, οἷον εἰς μὲν τὸ κύπρινον καρδάμωμον, ἀσπάλαθον, ἀναφυράσαντες τῷ εὐώδει. εἰς δὲ τὸ ῥόδινον, σχοῖνον, ἀσπάλαθον, κάλαμον. ἡ δ' ἀναφύρασις ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις, ἃ δεῖ τὰ ἁρμόττοντα. τῷ ῥοδίνῳ δ' ἐμβάλλονται καὶ ἅλες πολλοί, καὶ τοῦτ' ἴδιον παρὰ τἄλλα· διὸ καὶ πλείστη ἀπουσία γίνεται. μίγνυνται γὰρ εἰς τὸν ἀμφορέα δύο μέδιμνοι. τῆς δὲ κύπρου, ἡ μὲν ἐργασία παραπλησία τῇ τοῦ ῥοδίνου, πλὴν ἐάν τις μὴ ταχέως ἐξαίρῃ καὶ ἀποθλίβῃ, σῆψις ἐγγινομένη φθείρει τὰ μύρα διὰ τὴν δυσωδίαν. ποιεῖ γὰρ σῆψιν ἀνυγραινομένη. παραπλησία δὲ ἐργασία καὶ τοῦ μηλίνου. προσυφέντος γὰρ ἐλαίου, καὶ τὰ μῆλα ἐμβάλλουσιν εἰς ψυχρόν· εἶτ' ἐξαιροῦσι πάλιν πρὸ τοῦ μελαίνεσθαι, κατὰ πάσας τὰς ἐμβολάς. μελαινομένων γὰρ, σῆψις, διὰ τὸ ἀνυγραίνεσθαι, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς κύπρου. ἅπαντα δὲ συντίθενται τὰ μύρα, τὰ μὲν ἀπ' ἀνθῶν, τὰ δὲ ἀπὸ φύλλων, τὰ δὲ ἀπὸ κλωνὸς, τὰ δὲ ἀπὸ ῥίζης, τὰ δὲ ἀπὸ ξύλων, τὰ δὲ ἀπὸ καρποῦ, τὰ δ' ἀπὸ δακρύων· μικτὰ δὲ πάνθ' ὡς εἰπεῖν· ἀπ' ἀνθῶν μὲν, οἷον τὸ ῥόδινον, καὶ τὸ λευκόϊον, καὶ τὸ σούσινον· καὶ γὰρ τοῦτο ἐκ τῶν κρίνων. ἔτι δὲ τὸ σισύμβρινον, καὶ τὸ ἑρπύλλινον, καὶ ἡ κύπρος· καὶ πρὸς τούτοις τὸ κρόκινον· βέλτιστος δὲ ἐν αἰγίνῃ καὶ κιλικίᾳ. ἀπὸ δὲ τῶν φύλλων, οἷον τό, τε μύρρινον, καὶ τὸ οἰνάνθινον· αὕτη δ' ἐν κύπρῳ φύεται ὀρεινὴ, καὶ πολύοδμος· ἀπὸ δὲ τῆς ἐν τῇ ἑλλάδι, οὐ γίνεται διὰ τὸ ἄοδμον. ἀπὸ ῥιζῶν δὲ, τό, τε ἴρινον, καὶ τὸ νάρδινον, καὶ τὸ ἀμαράκινον ἐκ τοῦ κόστου. τοῦτο γὰρ ὀνομάζουσι τὴν ῥίζαν. τὸ δὲ χρῖσμα τὸ ἐρετρικὸν, ἐκ τοῦ κυπείρου κομίζεται δὲ ἀπὸ τῶν κυκλάδων τὸ κύπειρον. ἀπὸ ξύλου δὲ, ὁ φοίνιξ καλούμενος. ἐμβάλλουσι γὰρ τὴν ὀνομαζομένην σπάθην ξηράναντες. ἀπὸ καρπῶν δὲ τό, τε μήλινον, καὶ τὸ μύρσινον, καὶ τὸ δάφνινον. τὸ δ' αἰγύπτιον, ἐκ πλειόνων, ἔκ τε τοῦ κινναμώμου καὶ ἐκ σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων. ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτου, τὸ μεγαλεῖον· καὶ γὰρ ἐκ κινναμώμου. καὶ ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης, ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν· ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι, καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. τὰ δ' ἄλλα πάντα σύνθετα, πλὴν τὰ μὲν πλειόνων, τὰ δὲ ἐξ ἐλαττόνων. ἐξ ἐλαχίστων δὲ, τὸ ἴρινον. οἱ μὲν οὖν οὕτω λέγουσιν. οἱ δὲ τὴν ἐργασίαν τῆς στακτῆς εἶναι τοιάνδε, τὴν σμύρναν, ὅταν κόψωσι καὶ διατήξωσιν ἐν ἐλαίῳ βαλανίνῳ πυρὶ μαλακῷ, ὕδωρ ἐπιχεῖν θερμὸν, συνίστασιν εἰς βυθὸν τὴν σμύρναν, καὶ τοὔλαιον, καθάπερ ὕλην· ὅταν δὲ τοῦτο συμβῇ, τὸ μὲν ὕδωρ ἀπηθεῖν, τὴν δ' ὑπόστασιν ἀποθλίβειν ὀργάνοις· τὸ δὲ μεγαλεῖον ἐκ ῥητίνης κεκαυμένης συντίθεσθαι, καὶ ἐλαίου βαλανίνου. μιγνύουσι δὲ κασίαν, κινάμωμον, σμύρναν· πλείστην δὲ πραγματείαν περὶ τὸ μεγαλεῖον καὶ τὸ αἰγύπτιον εἶναι· πλείστων γὰρ μίξιν, καὶ πολυτελεστάτων· τῷ δὲ μεγαλείῳ καὶ τὸ ἔλαιον ἕψεσθαι δέχ' ἡμέρας καὶ δέκα νύκτας· εἶτα οὕτως τὴν ῥητίνην ἐμβάλλεσθαι, καὶ τἄλλα. δεκτικώτερον γὰρ ἀφεψηθέν. τὸ δ' ἀμαράκινον τὸ χρηστὸν ἐκ τῶν βελτίστων ἀρωμάτων συντίθεσθαι, χωρὶς ἀμαράκου. τούτῳ δ' οὐ χρῆσθαι μόνῳ τῶν ἀρωμάτων τοὺς μυρεψοὺς, οὐδ' εἰς ἓν μύρον, ἀλλὰ ψευδώνυμός τις ἡ ἐπίκλησις. ποιοῦσι δὲ καὶ τὰ μὲν ἀχρωμάτιστα, τὰ δὲ κεχρωματισμένα. χρωματίζουσι δὲ, ἀμαράκινον, ῥόδινον, μεγαλεῖον· ἀχρωμάτιστα δὲ, τῶν μὲν πολυτελῶν, αἰγύπτιον, μήλινον, κύπρος· τὰ δὲ εὐτελῆ πάντα. ταῦτα δ' ἀχρωμάτιστα, διότι τὸ μὲν αἰγύπτιον, καὶ τὴν κύπρον, λευκὰ εἶναι βούλονται· τὸ δὲ μήλινον, τὴν τῶν μήλων χρόαν, τοῖς δ' εὐτελέσιν οὐ λυσιτελεῖ τὸ χρῶμα προστιθέναι. χρωματίζουσι δὲ τὰ μὲν ἐρυθρὰ τῇ ἀγχούσῃ· τὸ δ' ἀμαράκινον, τῷ καλουμένῳ χρώματι. τοῦτο δ' ἐστὶ ῥίζιον, ὃ ἄγουσιν ἐκ συρίας. συνεργεῖν δὲ δοκοῦσι πρὸς τὰς γεύσεις οὐχ αἱ ὀσμαὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ δριμύτητες, καὶ αἱ θερμότητες ἐνίων. διὸ καὶ τῶν μνίων τισὶ τὰ τοιαῦτα μιγνύντες, ὥσπερ κέντρον ἐμποιοῦσιν. ἔστι δ' ἡ μὲν σμύρνα θερμὴ καὶ δηκτικὴ μετὰ στύψεως· ἔχει δὲ καὶ πικρίαν. τὸ δὲ κινάμωμον δριμύτητά τινα μετρίαν μετὰ θερμότητος. παραπλησίως δὲ καὶ τὸ κόστον. ἡ δὲ κασία τούτων ὑπερβάλλει θερμότητι καὶ δριμύτητι καὶ στύψει. θερμὴ δὲ καὶ στυπτικὴ καὶ ἡ ἶρις· καθ' ὑπερβολὴν δὲ καὶ πικρὰ νέα οὖσα, καὶ τὸν χρῶτα τῶν ἐργαζομένων αὐτῶν ἀφέλκουσι. δηκτικὸν δὲ καὶ τὸ καρδάμωμον μετὰ θερμότητος. τοῦ δὲ βαλσάμου ὁ μὲν ὀπὸς, καὶ τὸ καρπίον ἀνδρειότερα πρὸς ἀμφότερα ταῦτα· τὸ δὲ ξύλον ἀσθενέστερον. παραπλησίαν δ' ἔχει τούτῳ δύναμιν καὶ τὸ κινάμωμον. ὁ δὲ σχοῖνος, δηκτικώτερον μὲν τοῦ καλάμου, καὶ θερμότερον· στυπτικὰ δὲ ὁμοίως ἄμφω. τούτων δὲ στυπτικώτερον τὸ κύπειρον. στύφει δὲ ἡ ἀσπάλαθος, ἡ αὔδης. ἡ δὲ





νάρδος, δηκτικὴ μετὰ θερμότητος. τὸ δὲ μάρον, καὶ τὸ χρῶμα τὸ εἰς τὸ ἀμαράκινον ἐμμιγνύμενον, θερμαντικά. συνεργεῖ δὲ καὶ τῆς ἀγχούσης τὸ ῥίζιον εἰς τὴν χρόαν τοῦ ῥοδίνου καὶ τῆς ἴρεως. νέα μὲν οὖν ὄντα τῶν ἀρωμάτων ἔνια, δυνάμεις μὲν εὐθὺς ἔχει βαρείας καὶ δριμείας, παλαιούμενα δὲ μέχρι τῆς ἀκμῆς γλυκαίνεται, εἶτα ἀναλύεται πάλιν. οἷον ἡ ἶρις, εἰς μὲν τὴν ἐργασίαν ἀκμάζει μετὰ τὴν συλλογὴν τρία ἔτη, καὶ διαμένει δὲ πλεῖστον χρόνον ἓξ ἔτη. τὸ δὲ μύρον, ἔτη δύο. ἡ δὲ σμύρνα, δέκα ἔτη διαμένει, βελτίων γινομένη. παραπλησίως δὲ τούτοις, ἡ τῆς ἀκμῆς διαμονὴ, καὶ τοῦ κινναμώμου, καὶ τοῦ κόστου, καὶ τῆς κασίας. σχοῖνος δὲ καὶ κάλαμος, παρακμάζει ταχύ. τῶν δὲ ἀνθῶν τὰ μὲν εὐθὺς χλωρὰ ὄντα, τὰς δυνάμεις ἔχει, καθάπερ τὸ ῥόδον· τὰ δὲ ξηρανθέντα, καθάπερ ὁ κρόκος, καὶ ὁ μελίλωτος. χλωρὰ γὰρ ὑγρότερα. τὰς μὲν οὖν φύσεις καὶ δυνάμεις τῶν ἀρωμάτων ἐκ τούτων θεωρητέον. δοκεῖ δὲ τὸ μεγαλεῖον ἀφλέγμαντον εἶναι παντὸς τραύματος· τὸ δὲ ῥόδινον ἄριστον πρὸς τὰ ὦτα. ταῦτα δ' οὐκ ἀλόγως. τοῦ μὲν γὰρ ἡ σύνθεσις ἐκ ῥητίνης κεκαυμένης, ὥσπερ ἐλέχθη, καὶ κασίας καὶ κινναμώμου καὶ σμύρνης. ἅπαντα δὲ ταῦτα στυπτικὰ καὶ ξηραντικά. τὸ δὲ ῥόδινον τοῖς ὠσὶν ἀγαθὸν, ὅτι ἅλσιν ἡ ποίησις. ἀναξηραίνει γὰρ καὶ ἐκθερμαίνει, διὰ τοὺς ἅλας. διὸ καὶ ἁλοσάχνη ἀγαθόν. ἀλλὰ τὸ τῆς στραγγουρίας, λόγου δεῖται. καὶ γὰρ ταύτῃ λέγουσι μάλιστα βοηθεῖν. αἴτιον δ' ἂν εἴη, διότι πᾶν τὸ μᾶλλον ἀναλῦσαι δεῖ πρότερον τὸ ὑπαχθησόμενον. τοῦτο δ' οἱ ἅλες ποιοῦσιν. ἡ δ' εὐωδία τὴν ὀσμὴν ἐπέδωκε. διατί δὲ τὸ ἴρινον εὔοσμον μὲν, οὐ ποιεῖ δὲ τὴν ὁρμήν. ἢ διότι στυπτικὸν, καὶ συνάγει τοὺς πόρους, ὥστε συγκλεῖσαι κωλύειν τὴν δίοδον. ἀλλὰ καὶ κοιλίας λυτικὸν, διά τε τὴν θερμότητα, καὶ διὰ τὸ ἀποστύφειν τοὺς ἐπὶ τὴν κύστιν πόρους. ἀποκλειομένων γὰρ τούτων εἰς τὴν κοιλίαν ἡ σύρροη· τὸ δ' ὅλον φαρμακῶδες, καὶ τὸ ἴρινον, καὶ τἆλλα τῶν μύρων. ἡ δ' αἰτία πάντων, ὡς καθόλου εἰπεῖν, ἐν ταῖς δυνάμεσι ταῖς εἰρημέναις, ὅτι στυπτικὰ καὶ θερμαντικά. τὰ ἀρώματα γὰρ τὰ τοιαῦτα φαρμακώδη. ταῦτα μὲν οὖν ἔξω τῆς τέχνης. κρᾶσις δὲ καὶ μίξις οὐκ ἔστιν ὡρισμένη τῶν ἀρωμάτων, ὥστ' ἐκ τῶν αὐτῶν ἀεὶ χρηστὰ καὶ ὅμοια γίνεσθαι. ἀεὶ δὲ συμβαίνει διὰ τὴν ἀνωμαλίαν τῶν δυνάμεων, τῶν ἐν τοῖς ἀρώμασι. τῆς δὲ ἀνωμαλίας αἰτίαι πλείους. μία μὲν, ἥπερ καὶ τοῖς ἄλλοις καρποῖς, ἡ τοῦ ἔτους κατάστασις. αὕτη γὰρ πολυχουστέρας, ὁτὲ δ' ἀσθενεστέρας τὰς δυνάμεις· ἑτέρα δὲ ἐν τῇ συλλογῇ τῷ προτερῆσαι τῆς ἀκμῆς, ἢ ὑστερῆσαι. καὶ γὰρ τοῦτο οὐ μικρὸν διαφέρει. τρίτη δ' ἡ μετὰ τὴν συλλογὴν, ὅσα χρόνου δεῖται πρὸς τὴν ἀκμὴν, ὥσπερ ἐλέχθη. καὶ γὰρ ἐν ταῦθα ἐστὶ τὸ προτερεῖν καὶ ὑστερεῖν. τούτων δὲ τὸ μὲν τῶν ἐτῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, πλὴν εἰς τὸ εἰδέναι τὰ ποῖα σφοδροτέρας καὶ ἀσθενεστέρας ἔχει τὰς δυνάμεις· τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀκμὰς τῆς τε συλλογῆς, καὶ μετὰ τὴν συλλογὴν ἐφ' ἡμῖν ἐστιν, τῷ εἰδότι μᾶλλον τὸ ἐπιτυγχάνειν. ἡ μὲν οὖν γένεσις καὶ σύνθεσις τῶν μύρων, ἐκ τούτων. πολυχρονιώτατον δ' ἐστὶ τό, τ' αἰγύπτιον, καὶ τὸ ἴρινον, καὶ τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον· πάντων δὲ μάλιστα ἡ στακτή. διαμένει γὰρ ὁποσονοῦν χρόνον. μυροπώλης δέ τις ἔφη παρ' αὑτῷ μεμενηκέναι, αἰγύπτιον μὲν ὀκτὼ ἔτη, ἴρινον δὲ εἴκοσι, καὶ ἔτι διαμένειν βέλτιον ὂν τῶν ἀκμαζόντων. ἡ μὲν οὖν χρονιότης ἐν τούτοις, τὰ δ' ἄνθινα πάντα ἀσθενῆ. συμβαίνει δὲ τοῖς ἀνθίνοις, ἀκμάζειν μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν μετὰ διμηνον· μεταβάλλειν δ' ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐνιαυτοῦ περιελθόντος, καὶ περικαταλαβούσης τῆς ὥρας, ἐν ᾗ τὴν ἀκμὴν λαμβάνει τὸ ἄνθος. ἀνάλογον δὲ τῇ ἀσθενείᾳ, καὶ τὸ εὐέκπνευστα εἶναι, καὶ ὅλως οὐ διαπνεῦσαι. τὰ δὲ ἐκ τῶν ῥιζῶν καὶ τῶν λοιπῶν χρονιώτερα. πλείων γὰρ ἡ ὀσμὴ, καὶ ἰσχυροτέρα, καὶ σωματωδεστέρα. διαφθείρει δὲ τὰ μύρα, καὶ ὥρα θερμὴ, καὶ τόπος, καὶ ὁ ἥλιος ἂν τεθῶσι. διὸ καὶ οἱ μυροπῶλαι ζητοῦσι τὰς οἰκίας ὑπερῴους, καὶ μὴ προσηλίους, ἀλλ' ὅτι μάλιστα παλισκίους. ἀφαιρεῖται γὰρ τὰς ὀσμὰς ὁ ἥλιος, καὶ τὸ θερμὸν. καὶ ὅλως ἐξίστησι τῆς φύσεως μᾶλλον τοῦ ψυχροῦ. τὸ δὲ ψυχρὸν, καὶ ὁ πάγος, εἰ καὶ ἀοσμότερον ποιεῖ, διὰ τὸ συστέλλειν, ἀλλ' οὐκ ἀφαιρεῖταί γε τὴν δύναμιν τελέως. ἡ πονηρὰ γὰρ φθορὰ, καθάπερ τῶν οἴνων καὶ τῶν ἄλλων χυλῶν, τῷ τὸ οἰκεῖον θερμόν. διὸ καὶ εἰς ἀγγεῖα μολυβδᾶ ἐγχέουσι, καὶ τοὺς ἀλαβάστρους ζητοῦσι τοιούτου λίθου. ψυχρὸν γὰρ καὶ πυκνὸν καὶ ὁ μόλυβδος, καὶ ὁ λίθος ὁ τοιοῦτος, καὶ ἄριστος τοῖς μύροις ὁ μάλιστα τοιοῦτος· ὥστε δι' ἀμφοτέρου, καὶ τῷ ψυχρῷ καὶ τῷ πυκνῷ, μήτε διέντες ἔξω τὴν ὀσμὴν, μήθ' ὅλως ἐπιδεχόμενοι μηδέν. καὶ γὰρ ἡ ἀναπνοὴ φθείρει, καὶ τὸ ἔξωθεν ἐπεισιὸν καὶ ἀλλότριον. ἐπεὶ καὶ τὰ πνεύματα φθείρει καὶ καταναλίσκει, καθάπερ ἐλέχθη, τὰς ὀσμὰς, ἄλλως τε καὶ τὰς μὴ φυσικάς· κεφαλαλγῆ δὲ τῶν μὲν πολυτελῶν, τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον, καὶ τὸ μεγαλεῖον. τῶν δὲ εὐτελῶν, ὅλως μὲν τὰ πλεῖστα· μάλιστα δὲ τὸ δάφνινον. ἐλαφρότατα δὲ τὸ ῥόδινον, καὶ ἡ κύπρος, ἃ καὶ τοῖς ἀνδράσι μάλιστα ἁρμόττειν δοκεῖ. καὶ πρὸς τούτοις τὸ κρίνον. ταῖς δὲ γυναιξὶν ἡ στακτὴ, καὶ τὸ μεγαλεῖον, καὶ τὸ αἰγύπτιον, καὶ τὸ ἀμαράκινον, καὶ τὸ νάρδινον. διὰ γὰρ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ πάχος, οὐκ εὐκατάπνοα, οὐδ' εὐαφαίρετα ζητοῦσι τὰ χρόνια. ἐπεὶ δὲ τὰ μὲν ἀσθενῆ, τὰ δ' ἰσχυρὰ, καὶ ἰσχυρότερα τὰ ἀπὸ τῶν ῥιζῶν, καὶ τὰ ἄλλα τὰ προειρημένα, διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἄνθινα, μὴ τριβόμενα, εὐοσμότερα· τὰ δ' ἀπὸ τῶν ῥιζῶν, καὶ τὰ λοιπὰ, τριβόμενα. τὰ μὲν γὰρ διαπνεῖταί τε, καὶ ἅμα διαθερμαινόμενα διὰ τὴν τρίψιν, ἐξίσταται καὶ ἀλλοιοῦται· τὰ δὲ διὰ τὴν ἰσχὺν, ὥσπερ ἀνοιγομένων τινῶν πόρων ἐκ τῆς τρίψεως, ἐμφανεστέραν ποιεῖ τὴν ὀσμήν. ὃ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν ῥιζῶν, καὶ ὅλως τῶν στερεῶν συμβαίνει, καθάπερ ἐλέχθη. κατὰ δὲ τῶν ἀνθῶν ἐναντίως τι ἠκολούθηκεν ἑκατέρᾳ τῇ ἀρχῇ. τὰ δ' ἐκ τῆς σμύρνης εὐλογώτατα δι' ἄμφω· καὶ γὰρ μίγνυται μᾶλλον, καὶ θερμότης ἡ τῆς τρίψεως, οὐκ ἀλλοτρία μαλακή τις οὖσα. καὶ γὰρ σμύρνα ζητεῖ τινα πύρωσιν. ἁπλῶς δὲ πᾶν τὸ πολύοδμον, ἄν τε εὐῶδες, ἄν τε κακῶδες, ἄν τε δριμὺ, ἄν τ' ὀξὺ, ἄνθ' ὁποιονοῦν τυγχάνῃ, κινούμενον ἐμφανέστερον. τότε γὰρ ὥσπερ ἐνεργείᾳ ἀναμίγνυται μᾶλλον τῷ ἀέρι. τῶν δὲ μύρων τὸ αἰγύπτιον, καὶ ἡ στακτὴ, καὶ εἴ τι ἄλλο πολύοδμον, καὶ μιγνύμενα τῷ οἴνῳ τῷ εὐώδει ἡδίω. παραιρεῖται γὰρ ἡ βαρύτης αὐτῶν, ἐπεὶ καὶ ἡ σμύρνα αὐτὴ πρὸς τὴν ἀναθυμίασιν βρεχθεῖσα ἐν τῷ γλυκεῖ, καθάπερ ἐν τοῖς πρότερον ἐλέχθη. πρὸς δὲ τὰς δυνάμεις σκοπουμένοις. δόξειεν ἂν ἄτοπον εἶναι τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τοῦ ῥοδίνου. κουφότατον γὰρ ὂν, καὶ ἀσθενέστατον, ἀφανίζει τὰς τῶν ἄλλων ὀσμὰς, ὅταν προμυρισθῶσι. διὸ καὶ οἱ μυροπῶλαι τοὺς ἐπιδιστάζοντας, καὶ μὴ ὠνουμένους παρ' αὐτῶν ἐπιμυρίζουσι τούτῳ πρὸς τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι τὰ παρὰ ἄλλων. αἴτιον δ' ὅτι λεπτότατον ὂν, καὶ προσφιλὲς τῇ αἰσθήσει διὰ τὴν κουφότητα, μάλιστα διικνεῖται καὶ συμπληροῖ τοὺς πόρους. ὡς τῇ αἰσθήσει κατειλημμένῃ, καὶ πλήρους

ὥστε κρίνειν ἀδυνατεῖ. δύο γὰρ εἰσὶ τρόποι, τάχα δὲ τρεῖς, οἱ κωλύοντες τὴν κρίσιν. εἷς μὲν, ὁ νῦν εἰρημένος· ἄλλος δ᾽ ὁ ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν, ὥσπερ μεθύσκων τὴν αἴσθησιν, καὶ καρηβαρεῖν ποιῶν· τρίτος δ᾽, ὅταν προκαταληφθῇ τῷ βελτίονι. τότε γὰρ ἐπεισάγειν τὸ χεῖρον, οὐ ῥᾴδιον. οὐ δέχεται γὰρ ἡ αἴσθησις, ὥσπερ οὐδὲ ἐπὶ τῶν χυλῶν, καὶ ὅλως τῶν κατὰ τὴν τροφήν. καταισχύνειν δὲ δοκεῖ τὸ ῥόδον καὶ τὴν σύνθετον ὀσμήν. ὅταν γὰρ ἀκμάζῃ τὸ ἄνθος, ῥοδίζουσι τὰς συνθέσεις. ἀνοιγόμεναι δ᾽ ἐξόζουσι τούτου μόνου καὶ μάλιστα. παύεται δὲ ταχὺ, καὶ λήγει διὰ τὴν ἀσθένειαν καὶ λεπτότητα, δι᾽ ἣν καὶ ἐξόζει τῶν ἄλλων. λεπτὴ γὰρ οὖσα ἡ ἀναπνοὴ, καὶ ἠθροισμένη τῇ κατακλείσει, προτερεῖται τῶν λοιπῶν, καὶ διαδίδοται πανταχοῦ. διὰ ταυτὸ δὲ τοῦτο καὶ ἀπολήγει ταχὺ, καὶ κατακρατεῖ πάλιν. ἀσθενεῖ γὰρ τὸ λεπτὸν καὶ μαλακόν. ποιοῦσι δέ τινες τοῦτο καὶ τῶν οἴνων, ὥστε προποθέντες ἀπαμβλύνειν τὴν τῶν ὅλων ἡδονήν. ἔνιοι δ᾽ ὥστε μὴ ἐπιδέχεσθαι ῥᾳδίως τοὺς ἄλλους, ὥσπερ ἐρυθραῖος ἁλικός τις ὢν, καὶ μαλακός. τὴν αἰτίαν πειρατέον ἐκ τῶν ὁμοίων λαμβάνειν. ἔχει δὲ τοῦτ᾽ ἴδιον τὸ ῥόδινον, ὥσπερ σχεδὸν καὶ μικρῷ πρότερον εἴρηται. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα πάντα, τὰ πλεῖστα κεφαλαλγῆ. τοῦτο δ᾽ ὥσπερ ἐλέχθη, λυτικὸν καὶ βάρους καὶ ἀλγηδόνος, καὶ τῆς ἀπὸ τῶν μύρων. ἡ δ᾽ αἰτία φανερὰ διὰ τῶν προειρημένων, εἴπερ ἐπικρατεῖ καὶ διαλύεται πανταχοῦ. τὰ μὲν γὰρ ἄλλ᾽ ὅσα κεφαλαλγῆ, βαρέα, διὰ τὸ ἐκ τοιούτων συγκεῖσθαι, τὰ μὲν ῥιζῶν, τὰ δ᾽ ὀπῶν· τοῦτο δ᾽ καὶ τῇ ὀσμῇ ἐλαφρὸν, καὶ τῇ θερμότητι σύμμετρον, εἰς τὸ συμπέψαι καὶ διανοῖξαι τοὺς πόρους. οἱ γὰρ δὴ πόνοι τῆς κεφαλῆς ἢ καθυγραινομένης, ἢ πνευματουμένης τῷ ἐναπολαμβάνεσθαι. ὥστε τὸ μὲν ἐκκρῖναι δεῖ, τοῦ δὲ πέψαι ἢ ἀφελεῖν· πρὸς ἅπαντα δ᾽ ἡ θερμότης χρήσιμον, καὶ εἰς ἀφαίρεσιν, καὶ ἔτι μᾶλλον εἰς τὸ πέττειν καὶ διανοίγειν τοὺς πόρους· εἰς ἃ συμβάλλεται καὶ τὸ ἐν τῷ ἁλὶ πεποιῆσθαι. καὶ γὰρ ἀναστομοῦσι καὶ διαθερμαίνουσιν οἱ ἅλες. ἡ δὲ εὐοσμία καὶ ὁρμήν τινα ποιεῖ πρὸς τὴν κίνησιν· ἀγαθὸν δὲ καὶ δοκεῖ πρὸς τοὺς κόπους εἶναι, τῇ θερμότητι σύμμετρον ὂν, καὶ τῇ κουφότητι, καὶ τῇ διαλύσει πρὸς τοὺς ἐντὸς πόρους. ὡς δὲ τινές φασιν, οὐχ ἧττον ἡ κύπρος ἔτι τούτου. μαλακὴ γὰρ ἡ ὀσμὴ, καὶ προσφιλὴς τῷ χρώματι, καὶ ἡ ταύτης. καὶ ταῦτα μὲν, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ὥσπερ ἴδιον ἂν εἴη. τοῦ ῥοδίνου δὲ αἱ μίξεις καὶ ἐν ταῖς ὀσμαῖς καὶ ἐν τοῖς χυμοῖς, ἐὰν ἡρμοσμέναι τυγχάνωσιν, ἔχουσί τινα χρείαν, αἱ μὲν ἀφαιροῦσαι τὴν βαρύτητα καὶ τὴν ἰσχύν· οἱ δὲ εὐοδμίαν τινὰ, οἱ δὲ γλυκύτητα ἐμποιοῦντες, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν οἴνων. καὶ γὰρ ὁ ἐν Θάσῳ ὁ ἐν πρυτανείῳ διδόμενος, θαυμαστός τις, ὡς ἔοικε, τὴν ἡδονήν, ἠρτυμένος ἐστίν. ἐμβάλλουσι γὰρ εἰς τὸ κεράμιον σταῖς μέλιτι φυράσαντες. ὥστε τὴν μὲν ὀσμὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ, τὴν δὲ γλυκύτητα ἀπὸ τοῦ σταιτὸς λαμβάνειν τὸν οἶνον. συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ κατὰ τὰς τῶν οἴνων μίξεις· οἷον ἐάν τις κεράσῃ εἰς σκληρὸν καὶ εὔοσμον μαλακῷ καὶ ἀόσμῳ, καθάπερ τὸν ἡρακλεώτην καὶ τὸν ἐρυθραῖον, τοῦ μὲν τὴν μαλακότητα, τοῦ δὲ τὴν εὐοσμίαν παρεχομένου. συμπίπτει γὰρ ἅμα καὶ τὰ κακὰ ἀλλήλων ἀφανίζειν, τῇ μαλακότητι θάτερον. πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας οἱ ἔμπειροι λέγουσι καὶ ἴσασι κράσεις· ὃ καὶ ἐπὶ τῶν ὀσμῶν εὔλογον συμβαίνειν, καὶ ἐπὶ τῶν χρωμάτων, ἄν τις λαμβάνῃ τὰς ἁρμοττούσας μίξεις. τοῦτο μὲν οὖν ἴδιον τοῦ ῥοδίνου. τὸ δὲ κοινὸν ἐπὶ πάντων ἀπόρημα, τί δή ποτε ἀπὸ τοῦ καρποῦ τῆς χειρὸς ἥδιστα φαίνεται. διὸ καὶ οἱ μυροπῶλαι τοῦτο μυρίζουσι τὸ μέρος· τὴν δ᾽ αἰτίαν ἐκ τοῦ ἐναντίου ληπτέον, ὅτι τὸ θερμὸν ἐξίστησιν, οὔτ᾽ ἀλλοιοῖ. ταχεῖα δ᾽ ἤδη ἡ αἴσθησις τοῖς μύροις, ἀναμιγνυμένοις τῷ χρώματι. ἀπορεῖται δὲ, διατί οἱ μὲν εἰωθότες μυρίζεσθαι, μᾶλλον ἐξόζουσι τῶν νουνεχῶς μυριζομένων. εἴη μὲν γὰρ ἂν λέγειν, καὶ ὅτι φαντασίαι, καὶ οὐκ ἀλήθειαι διὰ τὸ μὴ εἰωθός. εἰ δ᾽ οὖν καὶ ἀληθὲς, ἔοικε τὸ μὲν οἷον συναναμίγνυσθαι πλείοσιν ὀσμαῖς ἑτέραις, ὑφ᾽ ὧν ἀμαυροῦται, συγκαταμιγνυμένου καὶ τοῦ χρώματος· καὶ τὸ ὥσπερ ἀκέραιον δέχεσθαι τὸ μανὸν, καὶ ἐκφαίνειν τῇ αἰσθήσει χρονιζόμενον. εἴη δ᾽ ἂν καὶ ἐναντίως λαβεῖν, ὡς ἧττον δεχομένου διὰ τὸ σύνηθες. βραδύτερον δ᾽ ἀναμιγνύμενα, πλείω χρόνον ἐξόζειν. καὶ τοῦτο μὲν ἔλαττον, καὶ οὐ φανερῶς ὁμολογούμενον. ἅπτεται δὲ μάλιστα τοῦ χρωτὸς, καὶ κεφαλῆς, καὶ τῶν ἄλλων, καὶ πλεῖστον χρόνον ἐμμένει ταῖς ἰσχυροτάταις ὀσμαῖς, οἷον μεγαλεῖον, αἰγύπτιον, ἀμαράκινον· τὰ δ᾽ ἀσθενῆ καὶ πολύοδμα, κούφην ἔχοντα τὴν ἀναπνοὴν καὶ ταχεῖαν, ποιεῖ καὶ τὴν ἀπόληψιν. ὥστε τὸ, τε ῥόδινον, καὶ ἡ κύπρος. ἔνια δὲ καὶ εἰς τὴν ὑστέραν οὐ χεῖ * ζειν, διαπεπνευκυίας εἴ τις ἦν βαρύτης. τὰ δὲ καὶ ὅλως ἔμμονα μᾶλλον, ὥσπερ ἡ νάρδος, καὶ τὸ ἴρινον, πάντων δὲ μάλιστα ἰσχυρότατα. καὶ τὰ μὲν ἔν τε τοῖς λουτροῖς καὶ τῇ ἀνέσει διατηρεῖ πως τὴν ὀσμὴν, οὐ συγκακύνει· τὰ δὲ κακυνόμενα, πλείω ποιεῖ δυσωπίαν αὐτῶν τῶν ἱδρώτων, ὡς ἂν σήψεώς τινος ἢ διαφθορᾶς γινομένης. καὶ τὰ μὲν περὶ τῆς τῶν μύρων ποιήσεώς τε καὶ δυνάμεως, ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω· τὰ δὲ περὶ τὴν τῶν ξηρῶν μίξιν, ἐξ ὧν διαπάσματα καὶ αἱ συνθέσεις, οὐκ ἔτι ζητεῖ μίξιν τῶνδέ τινων ὡρισμένως, ἀλλ᾽ ὅσῳ ἄν τις πλείω καὶ ποικιλωτέρα μίξῃ, τοσούτῳ καὶ ἡ ὀσμὴ λαμπροτέρα καὶ ἡδίων· ὥσπερ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀρωμάτων τῶν προχείρων. εἰς ταυτὸ γὰρ μιγνύντες ἅπαντα χρῶνται. ζητοῦσι δὲ τούτοις, καὶ σπουδάζουσιν, ὥστε μὴ ἑνὸς, ἀλλὰ πάντων κοινήν τινα τὴν ὀσμὴν εἶναι. διὸ καὶ ἀνοίγοντες διά τινων ἡμερῶν ἐξόζον ἐξαιροῦσιν ἀεί, καὶ τῶν ἰσχυρῶν ἐλάττω μιγνύουσιν, ὥσπερ * τὸ δ᾽ ὅλως οὐ μιγνύουσιν, ὥσπερ τὸ ἐρυσίσκηπτρον, ὑπὲρ οὗ καὶ ἀρτίως ἐλέχθη. βρέχουσι δὲ συντεθέντες τῷ οἴνῳ τῷ εὐώδει. ἔοικε δ᾽ οὖν χρήσιμον εἶναι πρὸς τὰς εὐοσμίας, εἴγε καὶ οἱ μυρεψοὶ χρῶνται. μένουσι δὲ πολὺν χρόνον αἱ συνθέσεις. ἡ δὲ χρῆσις τούτων μὲν εἰς τὴν τῶν ἱματίων ὀσμήν. τῶν δὲ διαπασμάτων εἰς τὴν στρωμνὴν, ὅπως πρὸς τὸν χρῶτα προσαπίπτῃ. καὶ γὰρ ἄρχεται μᾶλλον, καὶ ἔμμονος
* νεώτερον τοῦτο, καὶ ὥσπερ ἀντ᾽ ἐκείνου τοιοῦτο ποιοῦσιν· οἱ δὲ πρότερον ἐνέβαλον οἴνῳ καταβρέχοντες εὐώδει, πρὸς τὸ παραιρεῖσθαι τὴν ὀσμήν. ἔνιοι δὲ καὶ μελικράτῳ· τὸ γὰρ ὅλον ὅμφω ταῦτα συνεργεῖ πρὸς εὐοσμίαν. διαμένουσι δὲ αἱ συνθέσεις. φανερὸν δ᾽ ἐκ τούτων, ὅπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, διότι τὰ ξηρὰ καὶ εὐοσμότερα πρὸς ἄλληλα ταῖς ὀσμαῖς. αἱ δὲ τῶν ζώων ὀσμαὶ, κατὰ τὰς ἰδίας γίνονται φύσεις. ἑκάστῳ γὰρ ἐστί τις οἰκεία κατὰ τὴν κρᾶσιν. αὗται δὴ λεῖαι μὲν καὶ καθαραί, καὶ κατὰ τὰς ἀκμὰς, καὶ ὅταν εὖ ἔχωσιν ἑαυτῶν· ἔτι δ᾽ ἡδίους ἁπαλῶν καὶ νέων ὄντων. πλεῖσται δὲ καὶ κακωδέσταται, περὶ τὰς ὀχείας· καὶ ὅλως συντηκομένων καὶ καμνόντων σωμάτων. διὸ καὶ οἱ τράγοι καὶ οἱ ἔλαφοι καὶ λαγοὶ, καὶ τἄλλα, τότε μάλιστα ὄζει. θαυμαστὸν δὲ φαίνεται, καὶ

ἴδιον



ἴδιον τὸ συμπάσχειν τὰς τραγέας, ὅταν ἡ ὥρα καθήκῃ τῆς ὀσμῆς. αἴτιον δὲ δηλονότι, τὸ ὑπολείπεσθαί τινα ἐν τῷ δέρματι δύναμιν, ἢ ὑγρότητα τοιαύτην, ἀφ᾽ ἧς ἡ ὀσμὴ γίνεται καὶ ζώντων. κινουμένης οὖν καὶ διαθερμαινομένης ταύτης ὑπὸ τοῦ ἀέρος, εὔλογον καὶ τὰ δέρματα καθ᾽ ὅσον ἐπιβάλλει· διὸ καὶ ὡς πρῶτον αἴτιον ἡ διάθεσις· τότε γὰρ καὶ οἱ μὴ ὀχεύοντες ἔξουσι, καὶ οἱ ἄγονοι, καὶ αἱ αἶγες ὅλως· ἡ δ᾽ ὀχεία τότε μὲν μεγάλην μερίδα συμβάλλεται, καθ᾽ αὑτὴν δ᾽ αἰτία γίνεται τῆς διαθέσεως. εὐλόγως δὲ τὰ μύρα φαρμακώδη, διὰ τὴν τῶν ἀρωμάτων δύναμιν. καὶ γὰρ τὰ ἀρώματα τοιαῦτα. δηλοῖ δὲ τα, τι καταπλάσματα, καὶ ἃ δή τινες μαλάγματα καλοῦσιν, οἷον ἀποδείκνυται δυνάμεις, τά τε φύματα καὶ τὰ ἀποστήματα διαχέοντα· καὶ ἄλλα πλείω τῶν κατὰ τὸ σῶμα διαλλοιοῦντα ἐπιπολῆς μὲν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν βάθει, οἷον ἄν τις καταπλασθῇ τὰ ὑποχόνδρια καὶ τὸ στῆθος, εὐθὺς σὺν τοῖς ἐρυγμοῖς ἀποδίδωσιν εὐώδεις τὰς ὀσμάς. ἔνια δὲ καὶ εἰς οὔρησιν ἀλγεῖ, συνεξόζειν ποιοῦν ἑαυτά. ἐπὶ δὲ τούτου μεῖζον, ὅτι καὶ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἄν τις καταπλάσῃ, δίδωσι τὴν ὀσμὴν εἰς τὰ οὖρα, τὴν ἀπὸ τῶν ἀρωμάτων. ἐπείγε κοιλίαν κινεῖ καὶ ἡ ἶρις, ὥσπερ ἐλέχθη. πάντα δὲ ταῦτα ποιεῖ, καθάπερ πολλάκις εἴρηται, διὰ τὸ φύσει στρυφνὰ καὶ ὑπόπικρα, θερμαντικὰ καὶ εὔθυοδα πρὸς τοὺς πόρους εἶναι. τμητικὰ γὰρ ὄντα καὶ θερμαντικὰ, καὶ στύφειν ἅμα καὶ θερμαίνειν δυνάμενα, καὶ ἐξάγειν καὶ ἐκπέττειν δύναται, καὶ τὸ ὅλον ἀλλοιοῦν καὶ μεταβάλλειν· συμβαίνει δὲ τρόπον τινὰ καὶ ἐν ἄλλοις ἡ τοιαύτη συμπάθεια. καὶ γὰρ οἶνος ἅμα τῇ σταφυλῇ δοκεῖ συνα * καὶ τὰ σκόροδα καὶ τὰ κρόμμυα τότε δριμύτατον ὄζειν, ὅταν ἐν τῇ γῇ βλαστάνῃ. πλὴν τούτοις ἅμα συμβαίνει, καὶ αὐτοῖς βλαστάνειν. ὅλως δὲ πάντα κινεῖσθαι τὰ φλοιά, ῥίζα μὴ ἀπεξηρασμένα κατὰ τὰς βλαστικὰς ὥρας. ἡ γὰρ ἐνυπάρχουσα δύναμις, ἐν αὐτοῖς κινεῖται. θαυμασιώτατον δὲ τῶν τοιούτων τὸ ἐπὶ τοῦ στέατος τῆς ἄρκτου συμβαῖνον, ὅπερ ἅμα ταῖς φωλείαις ἐπαίρεται, καὶ ἐπιπληροῖ τὰ ἀγγεῖα. τί δή ποτε Δημόκριτος τοὺς μὲν χυλοὺς πρὸς τὴν γεῦσιν ἀποδίδωσι, τὰς δ᾽ ὀσμὰς δὲ τὰς χρόας οὐχ ὁμοίως πρὸς τὰς ὑποκειμένας αἰσθήσεις. ἔδει γὰρ ἐκ τῶν σχημάτων. ἢ τοῦτό γε πρὸς ἅπαντα κοινόν. ἅπαντες γὰρ, οἱ μὲν μόνης, οἱ δὲ μάλιστα ταύτης τὰ πάθη λέγουσι, καὶ τὰς διαφοράς· ὡς ἐν χρώμασι λευκὸν καὶ μέλαν, καὶ ἐν χυλοῖς γλυκὺ καὶ πικρὸν, οὕτως ἐν ὀσμαῖς. οὐ γὰρ δὴ τοῦτο εὔοσμον καὶ κάκοσμον. ἔτι δὲ τὰ μὲν μικτὰ, τὰ δ᾽ ἀνάμικτα· οὐδ᾽ ἐν ἁπλοῖς· πλείω γὰρ εὐθὺς τὰ ὑποκείμενα, σκληρὸν, μαλακὸν, τραχὺ, λεῖον. ἀλλὰ μᾶλλον ἐν φωναῖς, ὀξὺ καὶ βαρύ. ἄμικτοι χυλοί, οἱ μὲν τῷ μὴ καταμερίζεσθαι, ὥστ᾽ ἐξ ἀμφοῖν, οἷον ὕδωρ, ἔλαιον, φλέγμα, αἷμα, ὅλως πᾶν τὸ ἐπινέον, ἢ τὸ διαιροῦν. ὥσπερ τὸ ὄξος, καὶ τὸ γάλα. τὸ γὰρ τῇ πιέσει καὶ τρίψει μιγνύμενον, ἕτερον εἶδος. ἄλλον δὲ τρόπον οἱ μὴ εὔμικτοι πρὸς τὴν χρείαν, οἱ καὶ λυμαινόμενοι ἀλλήλοις· οἷον ἡ θάλαττα, καὶ τὰ ἰτρώδη καὶ πικρὰ ὕδατα τοὺς οἴνους, καὶ τὰ πότιμα, ἐὰν μὴ εὐθὺς χρῆταί τις. ὀσμαὶ δὲ, αἱ μὲν οὕτως ἄμικτοι πλείους, καὶ ὥστε καθόλου λαβεῖν, αἱ κακώδεις ταῖς κακώδεσιν. ὡς δὲ μὴ ἕν τι τὸ ἐξ ἀμφοῖν ἔργον, εὑρεῖν μὴ ἀδύνατον. εἰς τὴν τοιαύτην δὲ δύναμιν ἅπαν, ὡς εἰπεῖν, πανεύοσμον. ἀλλ᾽ ἔνθα μὲν ἴσως χείρω ποιεῖν· ἔνθα δὲ βελτίων, καθάπερ ἐπὶ τῶν μύρων. τὰ μὲν γὰρ ἀφαιρεῖται τὸ εὔκρατον, καὶ σκληρόν· τὰ δ᾽ ἀποθηλύνει, καὶ ὥσπερ ἐξυδατοῖ τὰς ὀσμάς. ἐν δ᾽ τοῖς ξηροῖς, ἅπασαι πάσαις μικταί. τὰ γὰρ διαπάσματα ὅσῳ ἂν εἴη πλειόνων, ἀμείνω. ποιεῖ δὲ καὶ ἡ τοῦ οἴνου κατάμιξις, καὶ μυρία ἔνια, καὶ θυμιατὰ εὐοσμότερα, καθάπερ τὴν σμύρναν. δοκεῖ δὲ καὶ τὸ μύρον, ἡδύνειν τοὺς οἴνους. διὸ καὶ οἱ μὲν ἐν τῇ οἰνεπίᾳ μιγνύουσιν, οἱ δὲ οὕτως ἐπιχεόμενον πίνουσιν. οὐκ ἄλογον δὲ, συνεγγὺς τὰς αἰσθήσεις οὔσας, καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς ὑποκειμένοις ἔχειν τινὰ ἐπικοινωνίαν. ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πᾶν, οὐδεὶς οὔτε χυλὸς ἄοσμος, οὔτε ὀσμὴ ἄχυλος· τοῦτο δὲ, ὅτι οὐδεμία ἐκ μὴ ἔχοντος χυλόν. συμβαίνει δὲ καὶ μεταβάλλειν τὰς ὀσμὰς ἅμα τοῖς χυλοῖς, ὥσπερ ἐπί τε τοῦ οἴνου, καὶ ἐπὶ καρπῶν τινῶν· ἐνίων δὲ καὶ ἐν τῷ ἄνθει πρότερον, ὥσπερ τῶν βοτρύων. ἡ δὲ τῶν μύρων εἰς ἀκμὴν μόνον, καὶ οἷον φθίσιν. μετακινοῦνται δ᾽ ἐν ταῖς ἐτείαις ὥραις πάνθ᾽ ὡς εἰπεῖν, μάλιστα δὲ τὰ ἀσθενέστατα· τὰ δ᾽ ἄνθινα, καθ᾽ ἣν ὥραν ἀνθεῖ τὸ ἄνθος. τὰς συνθέσεις ποιοῦσιν ἐκ τῶν ἀρωμάτων θραύσαντες πολλὰ, καὶ μίξαντες εἰς ταυτὸ, κλίνουσιν εἰς κιβώτιον. εἶθ᾽ ἀνοίγοντες διά τινων ἡμερῶν, ὅταν μάλιστα ὄζειν δοκῇ, τότ᾽ αἴρουσι· καὶ πάλιν δὲ καὶ πάλιν διαδύοντες χρόνον, ὅπως ἂν μηδενὸς ἐνόζῃ. θαυμαστὴν δὲ ὀσμὴν λαμβάνει τὰ ἱμάτια εἰς ταῦτα τιθέμενα. τὸ δὲ πλατάνου τῆς αἰγυπτίας μύρον, αὐτὸ μὲν οὐκ ἄγαν ἀναπνεῖ· μιγνύμενον δὲ ποιεῖ τἄλλα βελτίω, μάλιστα δὲ τὴν ἶριν. ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ διακοπτομένων τῶν λίθων, ἔνδον ἐμπεφυκότα φαίνεται ἰχθύδια καὶ καρίδες, καὶ ἄλλ᾽ ἄττα ζῶα ἐπίκλη * ἀθήνησι λέγειν εἰς πάντα χαλκὸν κοῖλον ἐμβάλλεσθαι σίδηρον ὁμοίως ἐρυθρὸν καὶ λευκόν. εἶναι δέ τινα λόγον πρὸς τὸν κασσίτερον. ἐμβάλλεσθαι δ᾽ οὐ μεγέθους χάριν, ἀλλὰ τῆς πικρότητος.

THEO-

# THEOPHRASTVS DE ODORIBVS.

ODORES ADMIXTIONE QVADAM OMNINO conſtant, vt ſapores. Quod enim admixtionis eſt expers, protinus etiam omni vacat odore, vt & ſapore. Quò fit, vt ſimplicia corpora, velut ignis, aqua, aër, odoris expertia planè ſint: terra, quòd mixta ſit maximè, potiſſimum quoque ſola odore prædita cernatur. Verùm odorũ partim inertes ſunt & diluti, quemadmodũ in ſaporibus: partim ſuapte quadam ſpecie cenſentur: eorũ autem ſpecies, quanquam ſaporum formas æmulari videntur, non tamen omnes eadem vocabula habent, quemadmodũ antea diximus: nec ſunt ita formis odores diſtincti, vt ſapores, ſed tantùm generibus: cùm præſertim benè olentia quædã, nonnulla malè olentia dicantur: cæterùm ſuauis tetriq; odoris ſpecies vocabulis notatæ non ſint, quanquã in magno alioqui diſcrimine. nam dulcia & amara formis magis deſignata ſunt. verùm acris dicitur, vehemens, mollis, dulcis, grauis odor. Atq; cùm iſtorum nonnulli communes quoque ſint rerum malè olentiũ, tum verò propè perpetuus eſt in omnibus quæ vitiantur putor. quicquid enim putreſcit, malè olet: niſi fortè quis acorem, vini putorem eſſe dicat ex vitij ſimilitudine. In omnibus autẽ ſtirpibus, animantibus, inanimis illa putoris fœditas apparet, in omnibus, inquam, quæ vitiantur, quibus ex iſta ſtatim materia concretio non ſit: quamuis enim etiam horum nonnulla materiæ virus referant, id tamen haud quaquam omnibus euenit: multa quippe ex putribus orta malè non olent, vt fungi è ſtercore naſcentes. Verùm quædam tamen quæ ex rerum tabe naſcuntur & proueniunt, viroſi ſunt & fœdi odoris. Igitur, ne multa, ſuaueolentia ſunt omnia quæ ſunt cocta, ſubtilia, minimè terrena, cùm præſertim in halitu ſitus ſit omnis odor: maleolentia, contraria. Pleraque verò, quemadmodum in dulcibus nonnulla guſtum quendam amaritudinis habent, itidem quoque in ſuaueolentibus odoris grauitatem obijciunt aliquam. Habent autem ſtirpes, animantes, inanima, quæ quidem olent, ſuum quæque, propriúmq; odorem: Sed multa nobis olere non videntur, quòd ſenſum odoratus longè deterrimum habeamus, cùm vel quæ odoris prorſus expertia cenſentur, alijs tamen odoris ſenſum adferant, vt veterinis hordeum cedropolitanum, quo, quia olidum eſt, abſtinent. Nos quoque fallunt odores in animantibus, quæ redolere videntur. Ac nullum quidem odoris iucunditate per ſe ferè delectari videtur, ſed paſtus tantùm cibiq; fruendi gratia: cùm etiam nonnullis odor eiúſque ſuauitas, offenſioni & noxæ videatur eſſe, ſi verum eſt quod de vulturijs & ſcarabæis narratur, quòd vt vniuersè complectar, ex eorum numero perſpicuè eſt, quæ aduerſatia efficiuntur naturæ repugnantia: ſed ſigillatim excutienti vnà cuiuſque temperamentum & vis odoris ſumenda eſt. Ac nonnulla quidem odoris iucunditas eſt etiam in alimentis, velut baccis, pyris, malis, qui vt non veſcaris, tamen iuuat, tantóque prope dixerim, gratior eſt: verùm vt breuiter tamen diuidam, odores quidam per ſe cenſentur, quidam ex conſecutione. Saporum & alimentorũ ex conſecutione, anhelitus & auræ per ſe. Nam magna ex parte quæ fragrant, vt ante dictum eſt, ſaporis ingrati ſunt, acerbi, ſubamari: ſed & nonnulla ſciti ſaporis, odoris fœditate prædita ſunt, vt ficus Ægyptius qui vocatur, guſtu dulcis: idque ſi non vbique, aliquotfariam tamen. Iuniperus etiam dum manditur, quendam fœtorem obijcit, alioqui dulcis, vrinámque bene olentem reddit. Sed quoniam odores partim in ſtirpibus ſunt, & earum partibus, ramis, folijs, libro, lachrymis: partim, vt diſtribuimus, in animalibus & inanimis, perſpicuum profectò eſt, eos coctione quadam matureſcere in ſuis quemq; ſedibus: itaq; odoris gratiam & iniucunditatem pro naturæ proprietate conſequi. Coctio autem natiuum colorem ſequitur: in inanimis ſimpliciũ corporum poteſtates: generanturq; ac mutantur non ſecus quàm ſapores. Sed qui artificio ſolertiaq; odoratus ſuaues, de ijs quoq;, vt de ſaporibus fecimus, demus operam, vt aliquid dicamus. Atq; in vtroq; ſanè nobis ſemper optimi rationem eſſe habendam ducimus, quod ars omnis ſpectare ſolet. Sunt igitur in non mixtis etiam quidam odores, quos adiuuare apparatione nituntur, vt & ſaporum ſuauitates: veruntamen, vt paucis complectar, magnam partem permixtione temperationéque conſtant. atq; ita duabus illi quidem in rebus cernuntur, vt in genere loquar, humido & ſicco. tripliciter tamen temperatis, cùm vel cognata cognatis, vel diuerſa diuerſis miſcentur, eaq; aut humida humidis, aut ſicca ſiccis. In ijs enim duobus omnium ſaporum & odorum cauſa & origo ſita eſt: vt qui aromata & diapaſmata componunt, ſicca ſiccis: qui vnguenta miſcent, aut vino infundunt, humidis iungunt humida: tertium genus eſt omnium frequentiſſimum, quo vnguentarij vtuntur,

tur,



tur, ſiccis humida admiſcentes. Omnium enim vnguentorum & chriſmatum, id eſt vnguinum, iſta compoſitio eſt. Videndum autem qui quibus vnguentis & chriſmatis aptè miſceantur, qui quibus adiumento ſint, ad vnius velut odoris corpus, quemadmodum in ſaporum conditione. nam & in ijs idem ſtudent, qui miſcent, mergentéſque condiunt. Iſta igitur ferè ſunt, in quibus & quorum ope artes illæ ſuum munus præſtant. Sed nonnulla miſcentur odoris ipſius gratia, & vt odoratus moueatur: nonnulla guſtus velut condimenta quædam, vt qui vino vnguentum infundunt, aut aromata inijciunt. Nam horum ſenſuum vicinitas mutuo quodam vſu fruitur. Idcirco lautitijs odoris commendationem quærunt. Quæret aliquis quid ſit, cur cùm vnguentum & reliqua odorata vinum condiant, cibum tamen nullum commendent, ſed omnem corrumpant, ſiue igne domita, ſiue ab eo intacta ſint? Cuius cauſa cenſenda eſt, quòd non modò ſiccorum ſaporem vi ſua præſtringunt, verùm etiam ſuum ſimul obijciunt acerbitate & amaritudine ſuffuſum. Nam quicquid benè olet, huiuſmodi eſt: idq; magis mandendo ſentitur, quòd conficiatur & diuidatur, idque longiuſcula mora: at in vino neutrum fit, cùm & eius ſuccus acerrimus ſit & vberrimus, vt ſuperari non poſſit, & nihil ferè temporis in guſtatu inſiſtat, ſed leuiter attingat: vt ſenſui quod gratum iucundumq; eſt offerat, quod amarum & triſte, guſtui non ſignificet: verùm planè eueniat, vt odor velut condimentum potus efficiatur: dulci quidem vino vel maximè, quòd odorem, cuius eſt expers, præcipuè deſiderat: alijs generibus, quòd miſcendo ex ambobus velut vnus confundatur odor. vinum enim, vt antè dictum eſt, ad imbibendos odores accommodatiſſimum eſt. Illud etiam quæſtione non vacat, Cur flores & coronamenta, odoris alioqui imbecillioris, procul etiam oleant: Iris & nardus, reliquaq; ſicca odoramenta, multo vehementiora, è propinquo: nonnulla etiam commanducari, quædam teri & comminui, quædam incendi quoq; neceſſe ſit, vt myrrham, thus, omniaq; ſuffimenta. Ratio eſt, quòd flores in ſummo cauſam odoris habent, rari præſertim neque craſſi: radices omniaque ſolida, in profundo: exteriora autem retorrida atq; denſa. Quocirca illi halitum longè iactant: hæc viarum quadam patefactione indigent. Proinde comminuta tuſaque, fragrantiora fiunt omnia: flores contrà, triti deteriùs olent: cùm illa vim ſuam oſtendant: hi etiam imbuantur aliena. Thus autem & myrrha denſiore etiamnum natura concreta, molliorèm deſiderant ignem, quo ſenſim concalefacta exhalantur. Nam ſi quis vel tundat vel terat, odorem illa quidem obijcient, non tamen perinde iucundum, neq; quem facilè reponas. Atque iſtarum rerum in his ferè cauſæ verſantur. Cæterùm vnguentorum compoſitio omnis & confectio, velut ad odorum conſeruationem planè comparata eſt. quo fit vt in oleo condantur, quod & ætatem diutiſſimè ferre poteſt, & ad vſum opportuniſſimum eſt: alioqui ſuapte natura omnium minimè odorem concipit, propter denſitatem & pinguitudinem: eorumq; pinguiſſimum quodque, vt ex amygdalis: è ſeſama autem & oliuis vel maximè. Vtuntur autem frequentiſſimè oleo è glande Ægyptia & Syriaca. minimè enim omnium pingue eſt. Nam ex oliuis potiſſimum quoq; vtuntur viridi è phaulia, quæ & liquidiſſimum fundit & minimè pingue: eoque recenti, non veteri. quod enim anniculum ſuperat, inutile eſt, vt iuſto craſſius & pinguius. Igitur oleum tale accommodatiſſimum eſt, vt odoris penitus expers. Chriſmati, id eſt vnguini, etiam nonnulli prædicant oleum ex amaris amygdalis conuenire: vberrimè autem fit in Cilicia, ex eóque chriſma conficiunt. Aiunt & nobilibus vnguentis idoneum eſſe, vt & balaninum. Nam & hoc glandium putamina in ipſum coniecta odorata reddit, quando & amygdalis amaris expreſſum idem facit. Verùm quî iam obſecro iſtud conſentaneum eſt, oleum quærere quàm inolentiſſimum, vt viride è phaulia, & in iſtis tamen condire, cùm amygdalinum acrimonia affectum ſit? niſi quia oleũ fortè dum coquitur ranceſcit. Hæc igitur animaduertenda & conſideranda ſunt. Vtuntur autem aromatis in omnibus vnguentarij, partim his oleum adſtringentes, partim odoris medicamento imbuentes. oleum enim omne adſtringunt, vt odorem magis combibat, velut vellera infecturam. adſtringitur porrò imbecillioribus aromatis, deinde id poſteà inijcitur, cuius odorem concipi velint. Quicquid enim nouiſſimum additur, quamuis minus, potentiſſimum eſt: vt ſi in heminam libra myrrhæ, deinde eôdem cinamomi drachmæ duæ mittantur: quod mirum fortaſsè cuipiam eſſe videatur, vt & illud, quid ſit quod aromata quæ ante inijciuntur, quamuis odorata: oleum tamen ad odorem ducendum accommodatius præſtant. Nam quicquid concipere debeat, nullo odore medicatum eſſe oportet: quod autem ab alio iam occupatum eſt, id inolens non eſt, vt proinde ad imbibendum eſſe deterius oporteat Sed vtriuſque aut etiam omnium eadem cauſa eſt. Sicca enim illa pinguitudinem omnem alliciunt ad ſeſe & receptant: ex quo & perpetuum eius lentorem diſcutiunt: Ita eliquatum ad raritatem & pingui liberatum, in quo maximè eius conſiſtit odor, iam nihil refragans, promptius quicquid iniicitur, haurit: odor autem aromatum fluxus & euanidus redditur, vtpote in pingui conſumptus, quo etiam contine-

tur vndique vias omnes obſidente, vt meritò quamuis minus quod nouiſſimum adijcitur, odore tamen exuperet, cùm præſertim in imbecillius incidat, & ad concipiendum paratius. Quinetiam cuiuſque diuturnitas, & aduerſus ignem firmitas pro portione reſpondet, & cætera eiuſdem generis. Nullum enim hauſtus auidiſſimum, vt balaninum, non idem protinus diuturniſſimum eadem de cauſa eſt. vt enim quidque maximè quid recipit, ita vnum efficitur & coaleſcit maximè: quod ſemper etiam imprimis durabile eſt. quo fit, vt igne adflatum quàm minimum offendatur: quod idem ex alijs & in ſeſamino valet etiam longè capaciſſimo. Amygdalinum autem ocyſſimè ſeneſcit, & breuiſſimè durat contraria de cauſa. Nam quod minimum recipit, etiam celerrimè remittit. rhodinum egregiè concipitur ſeſamino ob pinguedinem, quod tamen dum igne vaporatur coquiturque, velut quando conſumitur, ſeſamam obolet. Genera igitur olei ac poteſtates huiuſmodi ferè ſunt. Cæterùm aromata propemodum omnia & odoramenta, floribus duntaxat exceptis, ſicca ſunt, calida, adſtringentia, mordacia, nonnulla etiam amaritudine quadam affecta, quemadmodum iam ante diximus, vt iris, myrrha, thus, denique etiam vnguenta. Ac ſanè vires adſtringendi & calfaciendi peruagatiſſimæ ſunt, quas etiam perſpicuè præſtant. Igitur adhibito igne coquendoq; adſtringuntur omnia, odores contrà præcipuos frigida ſine ignis ope ducunt. ac quæ in floribus, quorum alij frigido liquore, alij calido merguntur, eadem in odoribus eſſe ratio & conditio videtur. Omnia porrò coquuntur, ſiue ijs adſtringendis, ſiue præcipuis odoribus inducendis operam naues, depoſitis in aqua vaſis, vt nulla ſit cum igne contagio, quòd blandum eſſe calorem oporteat, nimiaq; deceſſio futura ſit vſu flammæ, & vſtionis velut nidorem obolere ſoleant. Minus decoquunt quæcunq; potius feruentia nobiles odores hauriunt, quàm quæ frigida, quòd quæ coquuntur, partim mero fragranti, partim aqua ante macerentur. Minus enim combibunt: frigida contrà, quòd ſicca ſint, vberius, vt iris tuſa. Cum enim quadrantal iridis tuſæ medimnum & ſextarium capiat, plurimum decedere prædicant: modicè maceranti ad duos congios deſiderari, multos autem macerare minus. Sed præſtantius omnino irinum fit ea ſicca nec decocta, cùm vis ſincerior ſit & integrior quàm maceratæ atq; coctæ: atq; vſuuenit, vt ea quæ ante intumuerunt, cum minus in ſe hauriant & alliciant, veluti extrudant. Sed cùm adſtringendo ante curant, odoramenta non diu relinquunt, ſed ſtatim eximunt, ne impenſius ebibant. Et cuiq; vnguento ſua ſibi idoneaq; odoramenta adijciunt: vt cypro cardamomum, aſpalathum, odorato vino macerata: rhodino iuncum, aſpalathum, calamum, eadem maceratione: alijs, quæ accommodata ſunt. Rhodino etiam magna vis ſalis additur, idq; præter alia proprium habet: ex quo etiam magna deceſſio conſequitur, multumq; decoquit. nam in quadrantal medimni duo conijciuntur. Cypri eadem eſt confectio quæ rhodini: tantum niſi maturè cyprum eximas & exprimas, inceſſente tabe odoris diritate vnguentum corrumpit: vuida quippe & madeſcens putreſcit. Similis apparatio quoq; melini. Nam oleo prius ſpiſſato, mala cotonea refrigerato inijciunt: deinde eximunt ſubinde, priuſquàm liueſcant, ſingulis iniectionibus. liuida enim corrumpuntur humeſcendo, vt & cyprus. Cæterùm omnia vnguenta componuntur partim è floribus, partim folijs, partim ſurculis, partim radice, partim ligno, partim fructu, partim lachryma, ſed omnia tamen ferè mixta ſunt: è floribus, vt rhodinum, violaceum, ſuſinum: hoc enim ex lilijs fit: adhæc ſiſymbrinum, ſerpillinum & cyprus: prætereaq; crocinum, quod præſtantiſſimum in Ægina & Cilicia conficitur. è folijs, vt myrteum & œnanthinum. Oenanthe autem in Cypro naſcitur montana, odoriſq; plurimi: è græca propter odoris inertiam & ignauiam non paratur. è radicibus, irinum, & nardinum, & amaracinum ex coſto. Sic enim appellant radicem: chriſma autem eretricum ex cypero, qui ex Cycladibus adfertur. è ligno, palmeum quod vocatur, ſiccata palmæ ſpatha, quam elaten appellant, & iniecta. è fructibus melinum, myrteum, laurinum: & ex multis Ægyptium, cinamomo, myrrha, alijs: & porrò pluribus, megalion. Nam & è cinamomo. E lachryma, ſtacte: nam è myrrha tuſa fluit oleum, quod, quia minutatim ſtillat, ſtacte vocatur. hoc nonnulli ex vnguentis omnibus vnum ſimplex nec compoſitum prædicant. Nam alia omnia vel è pluribus vel è paucioribus compoſita ſunt: ſed omnino è pauciſſimis irinum. Sic ſane quidam cenſent: alij ſtactes confectionem talem eſſe: Myrrhã tuſam & in oleo liquefactam balanino, igne lento fotam, calida perfundi, eamq; cum oleo peſſum velut limum ſidere: quod vbi euenit, aquam collo defundi, & reliquum quod ſubſidit, prelis exprimi. Megalion autem è reſina vſta componi, & oleo balanino: admiſceri quoq; caſiam, cinamomum, myrrham: plurimumq; negotij & operæ in megalio & ægyptio eſſe, cùm plurima & multo cariſſima in ijs miſceantur. Quinetiam megalio decem totos dies totidemq; noctes ex ordine oleum decoqui, demum reſinam cæteraque adijci: quòd decoctum liberaliùs combibat. Amaracinum autem nobile ex optimis quibuſque odoribus componi, ſi ne amaraco tamen. Hoc enim odoramento ſeplaſiarios nihil





vnquam in vnguentis vti, ſed falsò vocabulum increbruiſſe. Sed & alia tingunt, alia nullius coloris pigmento fucant: tingunt amaracinum, rhodinum, megalion: non colorant pretioſa, ægyptium, melinum, cyprum, viliáque omnia. Iſta porrò non inficiunt, quòd ægyptium & cyprum alba expetunt, melinum, cotoneorum colore: vilioribus & nugatorijs non refert coloris medicamentum quærere. Iam rubra inficiunt anchuſa: amaracinum chromate quod vocatur: ea radicula è Syria adfertur. Cæterũ palatũ iuuare non ſolũ odores videntur, verumetiam acrimonia & calor quorundam, vt proinde nonnullis vnguentis iſta miſcentes velut aculeum addant. Iam verò myrrha calida eſt, & cum adſtringendi poteſtate mordax & amara: cinamomum moderatæ cum calore acrimoniæ, vt & coſtum: caſia calfaciendi adſtringendiq; poteſtate & acrimonia iſta exuperat. Calfaciendo etiã & adſtringendo eſt iris, recenſq; ſupra modum amara, & cutem hominum eam curantium vlcerat: mordax quoque cum calore eſt cardamomum. Balſami ſuccus & ſemen ad vtrunque viriliora & efficaciora: lignum imbecillius: cui viribus cinamomum ſimile eſt. Iuncus odoratus mordacior calamo, & calidior, alioqui in vtriſque adſtringendi poteſtate pari: quibus adſtringentius cyperum. adſtringit & aſpalathus odorata: nardus cum calore mordet. Maron & chroma, quod amaracino miſcetur, excalfactoriam vim habent. Confert etiam anchuſæ radicula ad rhodini & irini colorem. Atque aromatum etiam recentia nonnulla virium grauitate & acrimonia pollent, inueterata ad vigorem miteſcunt eadem, deinde exoleſcunt: vt iris ad confectionem, poſteaquam collecta eſt, triennio viget: ac cùm plurimum, ſex annis durat. Maron biennio, myrrha decem annis durat, ad bonitatem proficiens. Itidem vt iſtis, cinamomo, coſto, caſiæ ſuus permanet vigor: iuncus odoratus & calamus celeriter ſeneſcunt. Sed è floribus quidam ſtatim in viriditate, ſua effloreſcunt indole, vt roſa: quidam cum exaruerunt, vt crocus & melilotus, quòd dum virent, humidiora ſunt. Quare aromatum naturæ & poteſtates ex ijs ſpectandæ ferè ſunt. Videtur autem megalion vulnerum omnium inflammationes lenire: rhodinum auribus vtiliſſimum eſſe: nec iſta iniuria. Nam illius compoſitio, vſta conſtat reſina, vt dixi, caſia, cinamomo, myrrha: quæ omnia ſpiſſando ſunt atque ſiccando. Rhodinum autem auribus eſt ſalutare, quòd ſale addito paratur. idcirco enim ſiccat & calfacit: ex quo ſalis quoque ſpuma prodeſt. Verùm quod de ſubſtillo narrant, rationem deſiderat, cui egregiè prædicant opitulari. Cuius rei cauſa fuerit, quod cùm ab ijs quæ mederi debeant, ante reſolui oporteat egerenda, iſtud ſal vtique præſtat, odoriſque fragrantia impetum reddit. Sed quare irinum, fragrantis alioqui odoris, nullum impetum ciet? nempe quod adſtringit, viaſque contrahit, vt anguſtijs tranſitum prohibeat: quinetiam aluum ſoluit, cum ob vim excalfactoriam, tum quod arctat meatus ad veſicam pertinentes, quibus occluſis omnis in aluum colluuies eliquatur. atq; in ſumma & irinum & alia vnguenta medicata ſunt. Ac vt in vniuerſum dicam, omnium cauſa in poteſtatibus quas memoraui, ſita eſt, adſtringendi & calfaciendi, quod talia aromata medicamento ſint. Verùm iſta extra vnguentariorum artem ſunt omnia. Cæterũ temperatio & permixtio aromatum, certa non eſt nec definita, vt ex ijsdem perpetuo proba ſimiliaque reſpondeant vnguenta quod accidit in aromatis ex virium inæquabilitate, cuius multæ cauſæ ſunt. vna, cæteris etiam fructibus communis, anni ſtatus, qui vim interdum multiplicem, interdum defectiorem tribuit: altera in collectione, ſiue maturius ſiue ſerius quàm tempeſtiuitas ferat, decerpas: non enim iſtud parui refert: tertia poſt collectionem, vt quæ temporis indigent ad vigorem, quemadmodum dixi. Nam hîc quoq; & antecapere licet & ceſſare. Ex his anni temperies non eſt in noſtra poteſtate: niſi quatenus intelligamus, quibus vehementior aut imbecillior vis inſit: ſed tempeſtiuitas tum in collectione, tum poſt eam, in nobis ſita eſt, vt peritiſſimo cuiq; iſtud potiſſimum ſuccedat. Ac ex ijs quidem omnis vnguentorum origo & compoſitio conſtat. Diuturniſſimũ autem eſt ægyptium, irinum, amaracinum, nardinum, ſed omnium vel maximè ſtacte. durat enim ætatem. Vnguentarius quidam narrabat apud ſe inueteraſſe ægyptium octo annis, irinum viginti, ac etiamnũ durare florentibus præſtantius. in ijs ætas eorum poſita eſt. Vnguentorum autem genera ἀνθίνων, id eſt, floreorum infirma ſunt omnia, ac poſt bimeſtre ferè vigent, anno progrediente degenerant ac fugiunt, illoq; repetente tempore, quo ſuus cuiq; flos in vigore eſt. Imbecillitati autem reſpondet eorum precox maturitas, atq; omninò ſubita fugitiuaq; exhalatio, cùm facilè diffluentur: diuturniora contrà ſunt, quæ ex radicibus & reliquis conficiuntur. vberior enim eorum eſt odor, & firmior corporatiorq;. Corrumpit autem vnguenta calida tempeſtas, locus, ſol, ſi in aprico ponantur. Quocirca vnguentorum inſtitores cœnacula quærunt, domoſq; non apricas, ſed vmbris opaciſſimas. Sol enim & æſtus odores aufert, & à naturę ſtatu demouet magis quam frigus. Nam frigus & glacies vt minus odorata comprimendo reddunt: ita ingenuam virtutem penitus non auferunt. Id enim vitij demum deterrimum eſt, vt in vino, ſic in alijs ſuccis, natiui caloris diſceſſio. Proinde in plumbea vaſcula diffundunt, & alabaſtros expetunt

ſui lapidis. frigidum quippe denſumque plumbum eſt, & ille itidem lapis, atque vnguentis, vt quiſque talis maximè eſt, ita longè vtiliſſimum eſſe conſtat. Itaque duabus de cauſis ea conſeruant, denſitate & frigore, cum præſertim neque foras odorem tranſmittant, neque intro prorſus quicquam recipiant. Nam & reſpiratio vitiat, & extrinſecus alieni ingreſſio, cùm etiam flatus, vt dixi, corrumpat odores & extinguat, potiſſimumq; non naturales. Caput feriunt è pretioſis amaracinum, nardinum, megalion: è vilioribus pleraq; omnia, ſed laurinum tamen imprimis. leniſſima verò ſunt rhodinum & cyprus, quæ viros quoque decere maxime videntur, prætereaque lilium: vt mulieres ſtacte, megalion, ægyptium, amaracinum, nardinum. Nam diuturna expetunt, quæ propter vim & craſſitudinem, non facile uiroſa ſpurcaque euadunt, nec facilè relinuntur. Sed quoniam nonnulla infirma, nonnulla firma ſunt, firmiora porrò ſunt è radicibus, quæque ante memorauimus: ideò florea, ſi non fricentur, iucundiorem odorem efflant: è radicibus, reliquaque ſi fricentur, ſuauius redolent. Illa enim difflantur & concalefacta fricando degenerant & immutantur: hæc propter inſitam vim, frictione veluti quibuſdam foraminibus patefactis in apertum magis odorem proferunt: quod in ipſis quoque radicibus, atque adeo in omnibus ſolidis vſuuenit quemadmodũ dixi. In floribus contra: proinde vtriuſq; principij ſui ſectam ſequuntur. Quæ autem ex myrrha parantur, vtraq; de cauſa meritiſſimò, cũ & amplius miſceantur, & mollis ille ex frictione calor alienus nõ ſit, cum etiã nonnihil incendi myrrha poſtulet. In ſumma quicquid abundat odore, ſeu malè oleat, ſeu benè, ſeu acre ſit, ſeu acutũ, ſeu cuicuimodi, ſollicitatum ſe magis oſtendit. tũ enim tanquã re ipſa magis aeri immiſcetur. Ex vnguentis ægyptium, ſtacte, & ſi quod aliud odoris eſt plurimi, cum vino mixta fragrante, ſuauiora & gratiora redduntur. eorum enim grauitas emendatur: vt & myrrha quoq; in dulci vnio macerata ad ſuffumigandum, velut ante dictũ eſt. Iam ſi vires eorũ attendas, quod in rhodino ſolet euenire, prorſus mirum eſſe videatur. Nam omniũ multo leuiſſimũ & languidiſſimum, aliorum tamen aurã, hominibus qui ante obliti ſint, obſcurat. Itaq; vnguentarii cunctantes licitatores, nec ab ipſis mercantes, eo deniq; delibutos amittunt, ne vnguenta aliorũ odorari queant. Ratio eſt, quòd cùm tenuiſſimũ ſit & ſenſui gratiſſimum, ob leuitatẽ penitus peruadit, meatuſq; obſidet, vt nimirum ſenſus occupatus & oppletus iudicare non poſſit. Duobus enim modis, & fortaſſe tribus, iudicium impeditur: vno, quem modò dixi: altero, cum valentioribus velut temulentus ſenſus ſtupet: tertio, meliore ſenſum ante occupante. Nam poſtea deterius obducere facile non eſt, ſenſu recuſante, vt nec in ſaporibus, atque adeo in cibis. Quinetiã odoribus compoſitis roſa dedecori videtur eſſe: ſiquidem flore increbreſcente roſa compoſitiones conſpergunt, apertæque eam vnam vel maxime redolent: cæterum breui elangueſcit exoleſcitque, non ob imbecillitatem ſolùm, ſed etiam ob ſubtilitatem, qua aliorũ odorem etiam ſuperat: cùm ſubtilis eius aura incluſione collecta aliis antecellat & quoquouerſum differatur, qua etiam de cauſa citò viciſſim ſuperata ſeneſcit. Nam quicquid tenue eſt & molle illud idem protinus infirmum eſt. Iſtud & quædam vina faciunt, vt prægustata aliorum gratiæ officiant: nonnulla vſqueadeò etiam, vt alia non facile admittantur, velut erythræum quod ſalſum eſt & molle. enitendum enim eſt, vt cauſam è ſimilibus ducamus. Eſt autem iſtud rhodino peculiare, vt ferè & quod ante diximus. Nam prope omnibus capitis dolorem facientibus, hoc, vt dixi, grauitatem omnem & dolorem etiam ab vnguentis creatum diſcutit: cuius ſanè ex ijs quæ memorauimus, perſpicua cauſa eſt: ſiquidem & dominatur, & quocunque peruadit & inſinuat. Nam alia quæ capiti moleſta ſunt grauitatem habent omnia, quòd ex eiuſmodi vel radicibus vel ſuccis conſtent: cum iſtud & odore ſit leue, & calore moderatum, ad concoquendum pariter & meatus aperiendum. Nam capitis dolor vel redundantis vel inflati incluſa noxa generatur, vt partim excernendum ſit, partim maturandum, aut tollendum: quibus prodeſt omnibus calor non tollendis ſolùm, verùmetiam concoquendis multò magis, ſed & meatibus aperiendis. huc etiam facit eius ex ſale apparatio. ſal enim foramina laxat & calfacit, ipſaque odoris iucunditas motus quandam incitationem & impulſionem affert. Sed & laſſitudini quoque conferre rhodinum videtur, ex caloris moderatione, leuitate, & quadã in intimos meatus inſinuatione: & quemadmodum nonnulli prædicant, non minus quàm rhodinum cyprus. Blandus enim eius etiam eſt odor & corpori gratus. Verùm iſta quæque iſtis ſimilia ſunt, velut propria fuerint. Rhodini autem admixtio & in odoribus & ſuccis: ſi commodè fiat & aptè, vſum aliquẽ habet, cùm odorum grauitatem atque vim edomet: ſuccis autem modò odoris gratiam, modo dulcedinem adiiciat, quod & in vini generibus accidit. Nam quod in inſula Thaſo præbetur in prytaneo, mirifica ſuauitate eſt ex conditura: offam enim farris ex melle ſubactam in doliũ mittunt. Nam vinum domo odorem à ſe habet, ſuauitatem ab offa mutuatur. quod & in miſcendis vini generibus accidit, vt ſi quis in duriuſculum & fragrans, lenis & inolentis notã miſceat, velut heracleoticũ & erythreũ, vno lenitatẽ, altero odoris iucunditatem





conferente. Ita fit enim, vt alterum alterius vitium mutuò corrigat, lenitate & odoris bonitate. Multas etiam alias homines periti narrant atque callent temperationes: quod in odoribus quoq; conſentaneum eſt & coloribus euenire, ſi quis commodè ſcitéque miſceat. verùm iſtud quidem rhodini proprium eſt. Quæſtio autem quædam exiſtit ad omnia pertinens, cur à prima palmæ parte ſuauiſſima ſint, vnde vnguentarij eam ſemper partem vnguento tangunt. Cauſa ex contrario ſumenda eſt, quòd calor è ſtatu demoueat atque mutet: vnguentorum autem omnium ſatis celer ſenſus iam eſt ex cutis commercio. Quæritur etiam cur qui vnguentis madere vulgò non ſolent, vehementiùs ijs oleant, quos aſſiduè vnguentatos videmus. ac fortaſsè dici poteſt iſtud ob inſolentiam opinione magis quàm veritate niti: ſed ſi verum eſt, alterum videtur multis alijs, quibus obſcuratur, odoribus tanquam confundi, etiam admixta cute: alterũ velut integrum & ſyncerum rara laxitate concipi, diutiuſq; ſenſui ſignificationem ſui dare. Contrà etiam ratio informari poteſt: minus, quia non conſueuerint, recipi, diutiuſq; redolere, quo tardiùs commiſceantur. Verùm iſtud & aliquanto leuius eſt, nec planè confeſſum. Corpus, caput, aliaq; potiſſimùm feriunt, diuq; ſuis acrioribus valent odoribus, megalion, ægyptium, amaracinum: quæ autem imbecilliora ſunt, nec odoris multi, leuem auram emittentia, celeriter expirant atq; deficiunt, vt rhodinum & cyprus. Sunt quæ in poſterum diem melius olent, difflata, ſi qua inerat, odoris grauitate. Sunt & nonnulla omninò durabilia magis, vt nardus & irinum: ſed omnium vel maximè ea quæ viribus plurimùm pollent. Quædam in lauatione remiſſioneq; animi ac ludo odorem ferè incolumem conſeruant, nec inquinant: quædã ſpurcata ſudorum graueolentiam augent, fœtore quodam & vitio inceſſente. verùm de vnguentorum confectione atq; viribus hactenus. Siccorum permixtio, vnde diapaſmata & compoſitiones conficiuntur, haudquaquam definitam poſcit rerum certarum temperationem, ſed quò quis plura variaq; magis miſcuerit, tantò præſtantior & ſuauior odor extiterit, vt ſpecies iſtas aromatum vulgares promptaſq; ſimul omnes miſcent ad vſum. In ijs dant operam, vt non vnius priuatim, ſed omnium communis quidam odor eſſe videatur. Proinde aliquot dierum interuallo ſubinde arculis recluſis, excellentem odorem eximunt, & vehementiora parcius adhibent, vt coſtum & amomum: quædam in totum non admiſcent, vt eryſiſceptrum, de quo paulò antè verba feci. In compoſitionibus autem ea vino macerant odorato. Vinum enim videtur ad odoris conferre bonitatem, cum præſertim eo quoq; vnguentarij vtantur. Diu porrò permanent compoſitiones, earumq; vſus ad veſtium commendationem valet, velut diapaſmatum ad ſtragulum, vt corpori adijciantur. Nam & inceptant magis olere, & fragant iucundius, atq; hoc illius vice faciunt. Superiores autẽ vino perfuſa odorato conijciebant ad odoris emendationem, nonnulli mulſo: nam iſta duo planè ad odoris bonitatem faciunt. ætatem autem compoſitiones ferunt. Ex ijs perſpicuum eſt, quod ſupra dixi, ſicca inter ſe mixta mutuis odoribus iucundiores odoratus habere. At verò animantibus odores pro ſua cuiuſq; natura attributi ſunt. nam ſuus cuiq; eſt pro temperamento: qui quidem iucundus eſt & ſyncerus in ætatis vigore & optima corporis habitudine. ſuauior etiam in tenera ineunteq; ætatula: acerrimus verò, idemq; viroſiſſimus initus tempore, atq; omninò tabeſcentibus ægriſq; corporibus. Itaq; hirci, cerui, lepores, reliquaq; animalia tum maximè olẽt. Sed admirabile prorſus eſt & ſingulare, quod pellibus hircinis vſuuenit, vt repetente fœtoris tempore contagio ad eas pertineat. Cauſa eſt vim aliquam in exuuijs relinqui, aut humorem eiuſmodi, qui in viuis quoque odorem excitet, quo ab aëre agitato & calefacto, conſentaneum eſſe pelles pro ſua quoq; virili moueri. Itaq; prima cauſa in habitu eſt. Tum enim olent qui neq; coeunt, neq; generando ſunt, atq; adeò ipſæ capræ: ac bonam quidem magnamq; partem coitus tum affert: iuſta tamen per ſe cauſa habitus eſt. Iure verò vnguenta propter aromatum vim medicata ſunt. ea enim natura ſpecies omnes aromaticæ præditæ ſunt. declarant autem cataplaſmata, & quæ malagmata nonnulli vocant, quid valeant, cùm panos & ſuppurationes diſſipent, & alia pleraque mutent, non in ſummo tantùm corpore, verùm etiam in profundo, vt ſi cuius præcordijs pectorique fortè illinantur, is continuò ructus odoratos edat. Non deſunt quæ ad lotium faciant & odoratum reddant. Sed illud multò maius, ſi capiti quis illinat, in vrinam vſque odorem aromatum permanare. Aluum etiam, vt dixi, iris mouet: quæ omnia, vt ſæpe declaraui, faciunt, quòd quæ ſuapte natura acerba & ſubamara ſint, eadem etiam calfaciant, & rectâ corporis foramina ſubeant. Nam cum incidendi vi & calfaciendi prædita ſint, quòd adſtringere pariter & calfacere poſſint, efficitur vt educere etiam queant & concoquere, atque adeò interpolare & immutare. Huiuſmodi autem naturæ conſenſio atq; contagio in alijs etiam quodam modo euenit. Vinum enim cum vua efforeſcens tentari videtur, & allia, cepæque tùm acerrimi ſunt odoris, cùm in terra germinant. Sed iſtis prætereà accidit, vt vnà etiam ipſa germinent: atque omnino omnia quæ tunicata conſtãt radice, modo nõ exaruerint, germinationis tem-

pore mouentur, cùm inſita cuique vis ſollicitetur & excitetur. Sed omnium iſtorum admirationem facilè ſuperat, quod in adipe vrſino euenit, qui latebrarum tempore exundat, intumeſcenſque vaſa implet. Verum cur Democritus ſapores ad guſtatum refert, odores & colores non item ad ſubiectum cuique ſenſum? nam id ex figuris factum oportuit. An verò iſtud in omnes conuenit? cùm præſertim omnes vel ſolius, vel potiſſimum huius attributiones & differentias ediſſerant, vt in colore candidum & nigrum: ſic & in ſapore dulce & amarum, non vt in odoribus. Non enim iſtud eſt benè olens, aut malè: nec quædam facile confundi, quædam admixtionis aliena eſſe: nec in tractabilibus, quibus multa ſtatim ſubiecta ſunt, durum, molle, ſcabrum, leue: ſed in voce potius graue & acutum. Mixturam ſucci fugitant, partim quod ita diuidui non ſint, vt ex duobus res vna coaleſcat, velut aqua oleum, pituita ſanguis, omninoque quicquid ſupernatat aut dirimit, vt acetum & lac: quod enim premendo terendoq; miſcetur, alterius cuiuſdam eſt generis: alio modo qui ad vſum rectè temperari non poſſunt, atque etiam corrumpunt, vt aqua marina, nitroſa amara vinum: atque adeo quæ potui eſt, niſi quis ſtatim vtatur. Odores autem ad hoc ſane exemplum plurimi miſceri inter ſe non poſſunt: atq;, vt in ſummam conferam, omnes qui male olent. Cæterùm illud quidem genus, in quo vna ex ambobus vis non temperetur, inueniri non poteſt Verùm ad hanc rationē omnia ferè iucundè fragrauerint. Eſt tamen vbi fortaſſè deteriora reddant: eſt vbi meliora, velut in vnguentis, quædā enim immoderationem emendant, & tanquā duritiem: quædam odores effœminant & tanquā diluunt. In ſiccis autem omnes omnibus miſcentur. Nam diapaſmata quanto ex pluribus cōfundas, tanto præſtantiora ſunt: quinetiam vnguenta quædam & ſuffimenta vini admixtio commendat, vt myrrham: vnguento contra vinum condiri videtur. proinde quidam vnguentum in vindemia vino miſcent, quidam ex tempore infuſum ebibunt. Non eſt autem abſurdum tantam ſenſuum horum vicinitatem in eadem materia verſantium aliquid habere commercij atque ſocietatis. Nam vt vno verbo complectar, nullus ſapor odoris eſt expers, nullusque viciſſim odor saporis. Atq; huiuſce rei cauſa eſt, quòd odor nullus ex eo oriri poteſt, quod ſapore careat. Vſuuenire etiam ſolet, vt cum ſaporibus immutentur odores, vt in vino & quibuſdam fructibus: quorundam verò etiam maturius in flore, vt racemorum. Ac in vnguentis ſola mutatio eſt vigoris & tanquam ſenectæ. Sed tamen anni temporibus omnia propè dixerim etiam tentantur, maximè vt quæq; infirmiſſima ſunt. Florea verò qua tempeſtate ſuus cuiq; flos viget. Compoſitiones ex odoramentis faciunt, tuſa multa & eodem coniecta in arculas includentes, ijs deinde certo quodam dierum interuallo reſeratis, quicquid plurimū redolere videtur, tollentes, iterumque ac ſæpius interpoſita aliquot dierum mora, ne qua priuatim ſpecies oboleat. Mirificum autem odorem concipiunt veſtes in ijs conditæ. Glandis autem ægyptiæ vnguentum non ſane nimium odoris efflat: admixtum tamen aliorum addit bonitati, potiſſimumque iridis. In rubro mari diffiſſis lapidibus piſciculi intus & ſquillæ aliæque beſtiolæ innatæ incluſæq; viſuntur, quos in omne cauum æramentū, ſimiliter in omne vas ferreum colligi coniiciq; ferunt, rutilum & candidum: nonnihil autem intercedere rationis & affinitatis cum ſtanno: coniici autem non ob capacitatem, ſed ob amaritudinem.

# ANNOTATIONES IN LIBRVM
## Theophraſti de Odoribus.

Ἀνδεῖς) Cùm Theophraſtum eſſe ſcirem vnum ex Philoſophis illis, qui tanquam maiorum gentium numerari meritò poſſunt, equidem ſemper, vt quàm emendatiſſimus in hominum manus veniret, optaui: nullus enim ferè ſcriptor eſt, ex quo vberior fructus percipi poſſit. Sed ita in eo ſunt omnia mendis inquinata, ita vitiata, luxata, mutila, vt ſi eum in manus ſumas, cognitionem & intelligentiam eius deſperes. Exemplarium veterum, quod vnum in rebus egenis & perditis ſubſidium eſt, vt mihi copia eſſet, ſemper deſideraui, diligenterque conquiſiui. Sed fruſtrà deſiderium & conquiſitio fuit: nullum enim reperi. Nunc quando eius rei facultas non eſt, tamen pro mea virili enitar de præſtantiſſimo philoſopho benè mereri, & quantum coniectura conſequi potero, in libello de Odoribus, erroribus mederi conabor, voces loco eiectas reſtituam, exeſa vetuſtate ſarciam, hiantia explebo: in his quæ expleri commodè non poterunt, tamen quid ſupplementi deſiderari mihi videatur, admonebo. quod hinc facere aggredior. Ac ſanè initio ἀνδεῖς nullo modo probo, legendumque cenſeo ἀειδεῖς, vt ſint odores qui nulla ſpecie cenſentur, quòd ignaui & inertes ſint. Cui emendationi ſuffragatur quod mox ſequitur: αἱ δὲ ἔχουσαί τινας ἰδέας. contrarium enim inducitur. Si quis tamen ἀνδεῖς retinet & defendit, interpretetur odores inſuaues & ingratos, vel non iucundos. Διωρισμέναι.) Deſiderari videtur εἰσὶν, vt dicat odores non item, vt ſapores, diſtinctos eſſe formis. Nam διωρισμένας, quod hic quadrare fortaſſe cuipiam poſſe videatur, non ita probem. Idcirco autem formis minus ſunt odores diſtincti, quam ſapores, quia guſtatus ſenſum acerrimum homines habent, inertiſſimum odoratum.

Τοῦ οἴνου σαπρότητα.) Id niſi fallor, propter Platonem dixit, qui in Timæo acorem putorem quædam eſſe interpretatur, cùm ſcribat ea quæ coaceſcunt, antè quadā putredine attenuari: vt hìc videatur Theophraſtus



leuiter ab eo diſſentire. Verba ſunt Platon. τῶν δὲ αὐτῶν προλελεπτυσμένων μὲν ὑπὸ σηπεδόνος, & cæt.

Τὰ πεπεμμένα.) Id vltimo libro De ſtirpiū cauſis à Theophraſto diſſeritur, & à Plutarcho ſic attingitur lib. I. Sympoſiacon. πέψει γάρ τινι τῆς ὑγρῶν ὁ Θεόφραστός φησιν ἐπιγίνεσθαι τὴν εὐωδίαν, ὅταν ἐξαιρεθῇ τὸ βλαβερὸν ὑγρὸν ὑπὸ θερμότητος. id eſt, Nam humorū coctioni Theophraſtus ait odoris ſuperuenire ſuauitatē, cùm ſublatus eſt vi caloris humor noxius. Id etiam infrà à Theophraſto dicetur. Ioannes Damaſcenus ſuauitatē odoris procreari cenſet humore in corporibus percocto vehementer: qui ſi vel imbecillius, vel nullo modo coquatur, ſequi putorem: ſi mediocriter, mediū quendam gigni odorem inter ſuauem & tetrū. Medium enim quendā odorem ponit, quem Theophraſtus non agnoſcit. Κεδροπόλεως.) Idem in libro admirandarum auditionū ſcribitur his verbis: εἶναι δέ φασι καὶ τόπον τινὰ παρ' αὐτοῖς οὐ λίαν μικρὸν, ἀλλ' ὡς ἂν εἴκοσί που σταδίων, ὃς φέρει κριθὰς, αἷς οἱ μὲν ἄνθρωποι χρῶνται, οἱ δ' ἵπποι καὶ βόες οὐκ ἐθέλουσιν αὐτὰς ἐσθίειν, οὐδ' ἄλλ' οὐδέν· ἀλλ' οὐδὲ ὑῶν, οὐδὲ τῶν κυνῶν οὐδεμία τολμᾷ γεύσασθαι τῆς κόπρου τῶν ἀνθρώπων, οἵτινες ἂν ἐκ τῶν κριθῶν τούτων μάζαν φαγόντες ἢ ἄρτον ἀποδιδῶσι, τῷ θνήσκειν. id eſt, Eſſe autem dicunt locū quendam apud eos non ita paruum, ſed triginta ferè ſtadiorū, qui ordeum fert, quo homines veſcuntur, equi & boues veſci recuſant, aliáq; animalia. ſed nes ſus nec canis attingere audet reliquias cibi hominū, qui mazam aut panem ex eo ordeo comederint, quod præſens mors cōſequatur. Cedropolis pars erat Thraciæ ſuper Amphipolin, cuius Ariſtoteles meminit in hiſtoria animaliū, hunc in modū: ἐν δὲ Θρᾴκῃ τῇ καλουμένῃ ποτὲ Κεδροπόλει, ἐν τῷ ἕλει θηρεύουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰ ὀρνίθια κοινῇ μετὰ τῶν ἱεράκων. quod Plinius ita vertit: In Thraciæ parte ſuper Amphipolin homines atq; accipitres ſocietate quadā aucupantur. quæ tamen Plinij verba magis exprimunt, quod in libro θαυμασίων ἀκουσμάτων ſcribitur hunc in modum: περὶ δὲ τὴν Θρᾴκην τὴν ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως, &c. Ex eo autem Plinij capite, quandoquidē occaſio eſt, locos duos annotabo, quos lectoribus æſtimandos relinquam. Quod enim vulgò ita ſcribitur, Ex ijs circū claudū altero pede, in duob. optimis exemplaribus reperi ſic ſcriptū, *Ex ijs Ægithum claudū altero pede.* Emendatores, quòd circū in accipitribus ab Ariſtotele numerari legiſſent, ſuo iure, vt reor, vſi, circū nobis induxerūt, cùm tamen Ariſtoteles de Ægitho id ſcribat, quod à Plinio refertur. Verba eius ſunt: ὁ δὲ αἴγιθος εὔβιοτος καὶ πολύτεκνος· τὸν δὲ πόδα χωλός ἐστιν. id eſt, Ægithus commodè victum parat, prole numeroſus eſt, pedem claudū habet. Sed patronus Plinio quærendus profectò eſt, Ægithum in accipitribus numeranti, qui è paruis auiculis cenſetur, nec video qui defendi poſſit. Sed interdū Plinius res alias agere ſolet, nec ſatis attendere, quæ ſit ſcriptoris voluntas & ſententia. Itaque in multis à Leoniceno cenſoria quadā animaduerſione meritò eſt notatus: à quo etiā reprehendi eodē modo potuiſſet, vt locū iſtum ſine corollario non dimittā, quod cùm ῥάφανος apud Theophraſtū ex ſermonis attici proprietate braſſicam ſignificet, tamen rhaphanū latinè Plinius dicat, radiculam intelligent. Eius verba ſunt lib. XIX. Genera rhaphani Græci fecère tria: quo etiam loco ῥαφανίδα, quæ apud Atticos radiculam ſignificat, napum conuertit, ita ſcribens: *Iidem naporum quinq; genera fecère.* Nam apud Theophraſtū eſt, τῆς ῥαφανίδος πέντε γένη. Quid quod idem velut alienata mente non intellectis ſcriptoribus Græcis, herbas, quæ nullæ ſunt in rerū natura, ſerit? vt cum ita ſcribit: *Idem præſtat apud eoſdem hippice dicta, quod in equis quoq; eundem effectum habeat.* Atqui apud Theophraſtum, vnde iſtud ſumpſit, non hippice, ſed hippace ſcribiur: edulijq; nomen eſt, non herbæ. Eius verba ſunt: διὸ ταύτῃ τε καὶ τῇ ἱππάκῃ διάγειν φασὶ τοὺς Σκύθας ἡμέρας ἕνδεκα καὶ δώδεκα. Eſt autem hippace ſcythicum edulium ex equino lacte concreto. Plinius tanquam reſipiſcens & ad ſe rediens, alio loco caſeum equinū interpretatur, alio loco equi coagulum, quæ vtraq; explicatio etiam apud Dioſcoridē extat. Idem libro XXI. adonio herba rerū naturam locupletat, cùm Theophraſtus, vnde id ſumit, adonidis hortos ſcribat, qui etiā prouerbio noti vulgò ſunt. Eius verba ſunt, χαλεπῶς δὲ καὶ ἀπὸ σπέρματος, θερμοχεύμενον ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ Ἀδώνιδος κῆποι τοῦ θέρους. In Theophraſto malè legitur θερμιχευόμενον. Multa eiuſdem generis in Plinio notari poſſunt, quæ humanitati donanda videntur. Sed redeo ad illud caput, vnde digreſſus ſum: vbi vulgò legitur, Æſalona Græci vocant, qui ſolus omni tempore apparet, exemplaria duo peruetuſta quæ domi habeo, Epileū Græci vocant, habent miro conſenſu: vt non dubitem hoc nomen à quibuſdā, quibus inſolens videbatur, nullis iuſtis vindicijs hæreditate expulſum, & ex Ariſtotele æſalona in poſſeſſionem miſſum eſſe, de quo tamen non tradit idem Ariſtoteles, quod Plinius, vt aliū ſcriptorem Plinius ſecutus eſſe videatur. Certè epileos accedit magis ad id quod Plinius ſcribit eū omni tempore apparere, cùm ea vox, quanquā à me in alio auctore lecta non eſt, ἐπιχώριον ſignificet. Quid quod idem Plinius magno erroe æſalonem auiculam putat, cùm de inimicijs & amicitijs animaliū diſſerit, his verbis: Æſalon vocatur parua auis, oua cerui frangens, cuius pulli infeſtantur à vulpibus, cū apud Ariſtotelem, vnde id mutuatus eſt, apertiſſimum ſit non auiculam, ſed accipitris genus eſſe? De his duobus locis pro ſuo quiſq; ſenſu & iudicio exiſtimet. Τῶν ὀσμῶν δοκούντων.) Et ſenſus & orationis emendatio poſtulat τῶν ὄζειν δοκούντων, aut τῶν ὀσμωδῶν δοκούντων. Odorem autem habent animalia, vt verbi gratia lepores: alioqui quomodo eorum veſtigia ſagaces canes odorarentur? nobis tamen nihil ferè olent. Sed & panthera odore feras ad ſe attrahere dicitur, cum hominibus nihil redolere videatur.

Τὸ ἐπὶ τῶν γυπῶν.) Auctor admirandarū auditionū ſcribit vultures, ſi vnguento inungantur, aut aliquid eo delibutū edendum eis detur, interire, vt & ſcarabeos odore roſæ. Proinde in Theophraſto fortaſſe non malè quis legendum cenſeat τοῖς μύροις καὶ ταῖς εὐωδίαις, vt illud ad vultures, hoc ad ſcarabeos referatur, quanquam nihil mutare auſim. Αἰγύπτιον καλούμενον σῦκον.) Arbor quæ ficum ægyptium fert, à Plinio ficus ægyptia vocatur, à Theophraſto συκάμινος, id eſt morus. Athenæus autem arborem vocat συκάμινον, & fructū συκάμινα, id eſt, mora, ſed & συκόμορα: qui & à Theophraſto diſſentit, eumq; fructum, vbi maturuit, ſuauem odorem ſpirare dicit. Eius verba ſunt: ἐντὸς ἡμερῶν τριῶν πέπονα, καὶ εὐώδη γίνονται. Arbor etiam à Galeno & alijs συκόμορος vocatur, cùm ſit ambigua inter ficum & morum, vtriuſque notas quaſdam referens, & vtranque propemodum miſcens.

Ἐν ζῴοις καὶ φυτοῖς.) Illud καὶ φυτοῖς delendum exiſtimo, præſertim cum antecedat αἱ μὲν ἐν φυτοῖς. Mox etiam pro αἷς καὶ τὸ δυσῶδες, malim ἢ καὶ τὸ εὐῶδες, vt ad πέψιν referatur.

Πρὸς τὸ βέλτιον πεδίον.) Πεδίον expungendū cenſeo: neq; enim conuenit ſenſui, qui integer erit eo eiecto,

niſi ſi quis cenſeat ex eo πάντως aut παντελῶς eſſe faciendum. nam hìc meliorem campum dicere, quod verba græca ſignificant, tranſlatio eſſet indigna Theophraſti elegantia. ſed & mox τούτου lego, non τούτων. Non rarò autem Ariſtoteles ait, quod melius eſt, naturam conſequi ſemper ſtudere, quoad eius fieri poſſit. Interdum eam dicit etiam neceſſitatis rationem habere. Igitur imitatrix naturæ ars, hìc, vbi neceſſitati locus non eſt, melioris rationem habebit.

Καὶ ταῖς παρὰ) Locus iſte pro deplorato eſt: quid putem tamen deſiderari, ex his veſtigijs ſubſcribam: qui coniectura ſagaciore ſunt & ingenio meliore, melius aliquid conijcere poterunt: πρὸς ἃς συνεργεῖν πειρῶνται καὶ ταῖς παρασκευαῖς, ὡς καὶ ταῖς τῶν χυλῶν δυσμίαις. οὐ μὴν ἀλλὰ, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐν μίξει τὸ πλέον καὶ οὕτως αἱ ὀσμαί εἰσι· καὶ δυεῖν μὲν, ὡς τῷ φύει λαβεῖν, ὑγροῦ καὶ ξηροῦ. τριχῶς δὲ γίνονται, ὅταν ἢ ὁμοφυὲς ὁμοφυεῖ, ἢ παραλλάττον τῷ ἀντιπαραλλάττοντι, ἢ ὑγρῷ &c. quæ verba in interpretatione expreſſi. Si pro ἀντιπαραλλάττοντι quis ἐναντίῳ legat, aut ἀντικειμένῳ, non magnoperè repugnabo.

Τὰ ἀρώματα) Aromata ex eo nomen inuenerunt, quòd priſci his ſolis, antequam pecudes immolari conſuetudo eſſet, in re diuina vterentur, ab ἀρέομαι, quod eſt lingua Ionum precor. Appellantur à Latinis interdum odores in plurali numero. Plinius, *Siccis odoribus conſtant, quæ diapaſmata vocantur.* quod ex hoc Theophraſti libro ſumpſit. interdum etiam odoramenta.

Χρίσματος) Chriſma, quicquid illinitur & inungitur, generaliter dicitur: hìc ab vnguento differt, quòd minus operoſum ſit, minuſque multiplex confectione, ac proinde minus carum & fragans, quanquam non ſimplex in Theophraſto eſt: appellauit oleum Plinius. quod enim apud Dioſcoridem eſt, Χρῖσμα δὲ ἐξ αὐτῶν σκευάζεται τὸ καλούμενον μήλινον, latinè dixit libro XXIII. Fit & oleum ex ijs, quod melinum vocauimus: quanquam Dioſcorides quoque libro primo oleum vocat, quod etiam nomen vnguentis tribuit Homerus Iliados ξ ita ſcribens:

— ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ,
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.
Τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ
Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή.

Qui locus Plinium mendacij non inſimulat tantùm, verùm etiam condemnat, ita de vnguentis ſcribentem: *Quis primus inuenerit, non traditur: Italicis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur.* Cùm id ſcriberet, huius loci in mentem ei non veniebat: non enim tam temerè id affirmaſſet. Sed & apud Homerum oleum rhodinum vnguentum eſſe videtur Iliados ψ. — ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ

Ἀμβροσίῳ. Plinio tamen id aliter interpretante, & roſæ ſuccum accipiente, his verbis: *Iam roſa ſucco reperto.* nominatur enim id quoque olei laude. Sic in vetuſtis Plinij libris ſcribitur, non vt vulgò, in olei laude. Dicit enim olei nomine ſuccum eſſe appellatum ab Homero, illo quem citaui loco. Quid quod ſenior Homero & antiquior bello Troiano Moſes vnguentorum meminit? Rurſus de melino ſic ſcribit Plinius, *E malis quoq; cotoneis & ſtrutheis fit oleum (vt dicemus) melinum, quod in vnguenta tranſit, admixtis omphacio, cyprino, ſeſamino, balſamo, iunco, caſia, abrotano.* Quo quidem ex loco ſatis intelligi arbitror multo ſimplicius eſſe chriſma, quàm vnguentum: præterquàm in admodum paucis, vt in ſtacte, quæ ſola per ſe vnguentum eſt, vt Theophraſtus dicet. Xenophon oleum vocat, quod oleis expreſſum eſt: chriſma, id eſt, vnguen, quod alijs, vt ſeſama, amygdalis, terebintho: etiam eo animalium adipem complectitur: vnguentum, quod ex ijs & aromatis compoſitum eſt. Eius verba ſunt lib. 4. anabaſ. πολὺ γὰρ ἐνταῦθα ηὑρίσκον τὸ χρῖσμα, ᾧ ἐχρῶντο ἀντ' ἐλαίου, σύειον, καὶ σησάμινον, καὶ ἀμυγδάλινον ἐκ τῶν πικρῶν, καὶ τερεβίνθινον· ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν τούτων, καὶ μύρον εὑρίσκετο. Malè legitur in Xenophonte pro ἐκ τῶν πικρῶν, ἐκ τῶν πυρῶν, vt exiſtimo.

Οἱ τὰ μύρα τοῖς οἴνοις) Huius rei meminit Plinius hunc in modum: At herculè iam quidam in potu addunt: tantique amaritudo eſt, vt odore prodigo fruantur ex vtraque parte corporis. Nam priſci mixtum cum vino vnguentum, tantus erat eorum luxus, ebibebant. Quod autem eodem capite Plinius ait M. Othonem monſtraſſe Neroni principi veſtigia vnguentis tingere, multo antè factitatum Athenis fuerat, vt ex monumentis Athenei cognoſci poteſt. Nam ex Cephiſidoro hoc carmen affertur:

Καὶ τοῖς ποσὶν χωρὶς πρίω μοι βάκκαριν.

multáque ex alijs ſcriptoribus eius rei teſtimonia proferuntur. Sed & Diogenes Cynicus aliquando vnguentatis inceſſit pedibus, quòd diceret à capite in aërem diſſipari odorem: à pedibus autem ad nares rectà ferri. Et in Aulularia myrobathrarij eſſe videntur, qui calciamenta muliebria vnguentis, vt odorata eſſent, imbuebant: quanquam alij in Plauto myrobrecharij legunt. quo in poetæ etiam loco pro carinarij, quo in ſcopulo grammatici hærent, legendum cenſeo cerinarij, à cerino veſtimento muliebri, cuius in Epidico meminit his verbis: *Plumatile aut cerinum, gerræ maximæ.*

Τὸ μὲν γὰρ γλυκύ.) Puto legendum τῷ μὲν γλυκεῖ καὶ μάλιστα δεομένῳ, διὰ τό. Supra etiam ἀποθυγχάνειν lego, non ἀποθιγγάνειν, ita flagitante loquendi ratione. ex δύχολον quoque feci δύσχυλον, ex ἐμφαίνω ἐμφαίνειν. Dulcia auem vina minus odorata ſunt. Itaque odorem quærebant. Plinius ſcribit crocum vino mirè congruere, præcipuè dulci, ob odorem, vt exiſtimo, id ſcribens. Sed & odoratum vinum gratiſſimum antiquis erat, & ἀνθοσμίας vocabatur. Sic Latini florem vini & liberi dixiſſe videntur vinum fragrans. Ennius, *Hæc annus admodum Frigutit, nimirum ſauciauit ſe flore liberi.* & Næuius, *Florem exanclabant liberi è carcheſiis.* Pacuuius, *Poſtquam eſt oneratus frugum & floris liberi.* Plautus, *Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt: niſi ſi quis hic odorem intelligat.* Iterum, *Quia quæ adeò me compleui flore liberi.* Vinum quoddam antiqui Græci μυρρίνην vocabant, cui vnguentum infuſum fuerat: ſed & ἀνθίνην floribus conditum vinum: etiam conditum appellarunt Latini, & Græci recentiores à Latinis mutuati ſunt, quod aromatis conditum fuerat.

Ὁ γὰρ οἶνος) Liquores eſſe duos ſcribit vltimo libro de ſtirpium cauſis Theophraſtus ad imbibendos odores aptiſſimos, vinum & oleum: vinum etiam, vt ait, è diſtante ſpatio odores trahit.

Καὶ αἰρούμενα.) Puto legendum eſſe καὶ διαιρούμενα, ſententia ita poſtulante.





Εἰς τοὔλαιον τίθενται.) Vnguenta ſic componuntur, vt odores in oleo condiantur, quod omnis expers odoris ſit: quod enim odorem aliquem recepturum eſt, odore vacare oportet, ne ſenſum ſui obijciat & oboleat. quod his verbis in Timæo Plato expreſſit, διὸ καὶ πάντων ἐκτὸς εἰδῶν εἶναι χρεὼν, τὸ τὰ πάντα ἐκδεξόμενον ἐν αὑτῷ γένη· καθάπερ περὶ τὰ ἀλείμματα ὁπόσα εὐώδη, τὰ δεξόμενα ὑγρὰ τὰς ὀσμάς. quod idem elegantiſſimis verſibus à Lucretio ſcribitur:

*Sicut amaracini blandum ſtactæque liquorem,*
*Et nardi florem, nectar qui naribus halat,*
*Cùm facere inſtituas, cùm primis quærere par eſt,*
*Quod licet ac poßis reperire, inolentis oliui*
*Naturam, nullam quæ mittat naribus auram:*
*Quàm minimè vt poßit mixtos in corpore odores,*
*Concoctóſque ſuo contactos perdere viro.*

Αὐτῶν δὲ τούτων τὸ λιπαρώτατον.) Dicit, niſi fallor, oleum, vt quodque pinguiſſimum eſt, ita ad imbibendos odores minimè aptum eſſe. At Plinius hunc locum aliter interpretatus eſt, exiſtimauitq; in olei compoſitione pinguiſſimum oleum à Theopraſto probari: in quo niſi fallor, à ſententia aberrauit. Plinij verba ſunt: *Vnguenta optimè ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo: quod diuturnitati eorum tanto vtilius eſt, quanto pinguius, vt ex amygdalis.* Nam hìc Theophraſtus amygdalinum oleum omnium minimè probat.

Τῷ ὠμοτριβεῖ.) Triplex oleum eſt: vnum acerbum, quod & æſtiuum dicitur, à Græcis ὀμφάκινον appellatur, à Plinio candidum dicitur: alterum viride, quod Græci ὠμοτριβὲς vocant, tanquam crudum, eſtque omnium optimum vnguentis: tertium eſt maturum, quod vnguentis improbatur. Dioſcoridi autem viride & acerbum idem eſt, vt hìc Theophraſto, vt exiſtimo. Phaulia oliua grandiſſimam & maximè pulpoſam baccam habet. eam regiam & maiorinam etiam vocabant.

Ἐν τῷ χρώματι τῶν.) Puto legendum ἐν τῷ χρίσματι τι. Dicit enim, vt reor, oleum amygdalinum non omninò inutile eſſe vnguini. Huius verbi hac in re precor veniam: aliter enim qui latinè chriſma reddi poſſit, non video. Emendationem autem meam locus Xenophontis, quem paulò antè protuli, comprobat. at χρῶμα, quod eſt color, hic nullum locum habet. Paulò antè emendaui ἀνωδέστατον, cum ἀνδέστατον antè legeretur.

Ἰδεῖν δέ πως.) Legendum cenſeo ἤδη δὲ πῶς. Dicit enim conſentaneum non eſſe oleum in condiendis vnguentis quærere inolentiſſimum, balanino tamen & amygdalino vti, quæ odorem habent: quo etiam putamina coniecta imbuantur.

Τοῖς μὲν ὑποστύφουσι.) Id eſt, adſtringentes & ſpiſſantes: Plinius etiam domantes interpretatur, vt cum ſcribit: *Quæ in vnguenta additur ad oleum domandum.* In vnguento autem tria ſunt: oleum quod odorem combibit: στύμμα, quod eſt tanquam ſpiſſamentum, quo oleum adſtringitur, vt auidius odorem ducat & pertinacius retineat. Sic infectores lanam quam tincturi ſunt, antè medicamentis adſtringunt, vt colorem ducat. Idque ſufficere Cicero vocauit in Hortenſio, ſic ſcribens: Vt ij qui è conchilijs purpuram tingunt, ſufficiunt prius eam medicamentis quibuſdam. Tertium eſt ἥδυσμα, tanquam ſcitamentum & condimentum, quod poſt ſtymma additur, & cuius potiſſimùm odore vnguentum commendari volunt. Dioſcorides, κινναμώμινον δὲ ἐκ τε ἐλαίου βαλανίνου καὶ στυμμάτων ξυλοβαλσάμου, καλάμου, σχίνου· ἡδυσμάτων δὲ κινναμώμου, βαλσάμου καρποῦ, &c. Plinius iſta ſic diſtinguit: Ratio faciendi duplex, ſuccus & corpus. Ille olei generibus ferè conſtat, hoc odorum: hæc ſtymmata vocant, illa hedyſmata: vbi ab eo odores in ſtymmata & hedyſmata diuiduntur, vt cenſeo, etſi obſcurius: quod planius & apertius Dioſcordes ſcripſit. Quartus etiam nonnullis vnguentis adijcitur color, vt Theophraſtus & Plinius diſſerunt.

Θαυμάσειε ἄν τις ἴσως οὖν τότε.) Legendum exiſtimo, θαυμάσειε δ' ἄν τις ἴσως τοῦτό τε. Id enim exigit ſententia, niſi me fallit animus. Paulò pòſt pro προσεμβαλλόμενά δεκτικωτέραν, emendaui προσεμβαλλόμενα δεκτικώτερον. Rurſum, ſcripſi δεῖ γὰρ ἀώδες εἶναι, non ὤδες. & paulò pòſt, τὸ δὲ κατειλημμένον ὑφ' ἑτέρου, οὐκ ἀώδες. non vt in omnibus ὑφ' ἑτέρου, εὐῶδες. Ἐγένετ' αὐτοῦ ἐπεμβ.) Exiſtimo legendum, ἐγένετο τοῦ ἐπεμβαλλομένου.

Τὸ γὰρ δεκτικώτατον.) Eſt illud quidem veriſſimum, permanentiſſimum eſſe, quod auidiſſimum eſt, plurimumque haurit: vt mirum videatur, cur Plinius pinguiſſimum, quod omnium minime recipit, diuturnitati vtiliſſimum putarit, vt amygdalinum. Celerrimè enim ſeneſcit & expirat, cùm minus recipiat ob pinguedinem. Pro τάχιστα μεθίησι legendum cenſeo τάχιστα μεθίησι. Si quis μεθίησι probat, interpretetur mutat: ſed illud alterum omninò ſenſui magis conuenit. Paulò antè, vbi legitur ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἄλλων τὸ σησάμινον, vide num legendum ſit, ὡσαύτως δὲ καὶ τῷ ἐκ τῶν ἐλαιῶν τὸ σησάμινον. Nam alioqui prætermiſerit Theophraſtus docere viride oleum quàm capax odorum ſit: quod prætermiſſum non oportuit. Vſitatam tamen lectionem ſecutus ſum: nec quod nunc dico, pro decreto, ſed pro coniectura haberi volo. Paulò etiam antè vſitatam & receptam lectionem non probo, & pro καὶ ἡ πρὸς πλὴν πύρωσιν ἀσθένεια, legendum exiſtimo εὐσθένεια, id eſt, firmitas & robur. Id enim ſenſui magis conuenit.

Σησάμινον.) Fit è ſeſama, cuius color eſt candidus. Seſamæ ſimile eſt in Aſia & Græcia eryſimum, vt ait Plinius: *In Italia idem erat, niſi pinguius eſſet, quod vocant trionum vulgò.* In Plinio malè Irionem pro triono paſſim excudunt. Paulò pòſt pro σηπτικὰ corrigendum exiſtimaui στυπτικά. Sequitur enim non multò pòſt, τό, τε στυπτικόν.

Ψυχροκαφῆ.) Emendandum puto ψυχροβαφῆ, τὰ δὲ θερμοβαφῆ. quòd quidam flores ſine coctura frigidi macerentur, quidam decoquantur. Ex illis dilutum, ex his decoctum habemus. Sed & in floreorum vnguentorum confectione, quò reſpexiſſe Theophraſtum reor, idem fit. Nam aliquorum odor coctione vitiatur, aliorum non læditur. Simili errore in Oeconomico Ariſtotelis καλάκορρος ſcribitur pro καλάβορρος.

Διὰ τὸ προσφυρᾶσθαι.) Legendũ videtur προφυρᾶσθαι, id eſt, quod antè marcerentur. Mox pro τοὺς δὲ πολλοὺς ἔλαττον,

λὺς ἐλάτιον, cuipiam fortaſſe legendũ eſſe videatur, τοῖς δὲ πολλοῖς: nihil tamen mutaui, ſed ſubaudij φυεῖν.

Τὸ κύπρινον.) Cyprus arbor eſt in Ægypto folijs ziziphi, ſemine coriandri, candido, odorato, vt ait Plinius. Semen coquitur in oleo, premiturque poſtea, quod cyprus vocatur. etiam cyprinum vnguentum cyprus appellatur, vt hoc loco à Theophraſto, & ſæpè poſtea. Paulò autem pòſt cum ſcribitur ἀναφυρώμενες τῷ εὐώδει, ſubaudiendum eſt οἴνῳ, niſi ſi quis ἀναφυρώμενες οἴνῳ εὐώδει legat. Scribit enim Dioſcorides in Cyprini confectione, δισὶς οἴνῳ παλαιῷ εὐώδει.

Σχοῖνον, ἀσπάλαθον.) Hanc lectionem Plinius tuetur, qui rhodino adhibet iuncum. In codice tamen Dioſcoridis ſcribitur χῖνος, ſed vt opinor mendoſè. Hic ego quiddam commemorabo non iniucundum cognitu. Sermonis ambiguitas & affinitas efficit plerunque, vt incerti ſententiæ & animi ſimus, ſenſumque ſæpe aliorſum quàm ſcriptor velit, accipiamus, & vocabulo decepti, quod rei alicuius eſt, alij attribuamus: quod in χίνῳ maxime perſpici poteſt. Nam cùm ſignificet in Attico ſermone ſcillam, vt apud Ariſtophanem, συμπαραμιγνύων ὀπὸν καὶ χῖνον, ſcillàque ter florens, tria ſationum tempora monſtret, vt Theophraſtus & Plinius oſtendunt: hoc ad lentiſcum, quæ etiam χῖνος dicitur, tranſlatum eſt, quæ tamen, vt opinor, ter quotannis non floret, nec ter fructus fundit. Cicero,

*Iam verò ſemper viridis ſemperq́ grauata*
*Lentiſcus, triplici ſolita grandeſcere fœtu,*
*Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.*

(Grandeſcere autem fœtu hic dixit Cicero pro fructu augeri.) Id tamen, vt opinor, in eandem etiam ſententiam ſcripſerat Aratus, ne quis Ciceronem culpandum cenſeat, his verbis: τετπλόα δὲ χῖνος κυνέει, lentiſcum intelligens. Aliud eiuſdem generis referam: ἤρυγγον vocant Græci capræ barbam: Latini imitatione Græcorum aruncum. In Ariſtotele κρύγγον malè excuſum cenſeo. Tradit Ariſtoteles, ſi quis arunco capram vnam apprehenderit, totum gregem conſiſtere. Id protinus ad herbam, quàm Græci ἠρύγγιον vocant, tranſlatum eſt à ſcriptoribus, in ijs à Plutarcho. multa poſſunt ijs ſimilia animaduerti & obſeruari: in quibus verborum vel ambiguitas vel vicinitas ſcriptores in diuerſa tulerit.

Λεύκοϊον.) Sæpenumerò Theophraſtus vnguenta nomine eius materiæ quæ principatum in his habet, afficit, vt cyprinum vnguentum antè cyprum vocauit: & nunc vnguentum è violis albis vocat leucoium. eodem modo Plautum ferè, cum dicit,

*—— Nam omnium vnguentûm odor præ tuo nautea eſt,*
*Tu mihi ſtacte, tu cinamomum, tu roſa,*
*Tu crocum, & caſia es, tu bdellium:*

cenſeas de vnguentis loqui eius rei nomine, quæ in vnguento primas habet.

Σούσινον.) Galenus in Hippocratem anthinum vnguentum interpretatur vnguentum ſuſinum & crininum, quod ab oleo anthino differre tradit aromatum varietate. Suſa Perſarum lingua eſt lilium, vnde & Suſa vrbs Perſidis, quòd ea regio lilijs abundet, vt Stephanus ſcribit.

Μύρινον.) ſic optimè: vel μύῤῥινον. Conficiebatur autem hoc myrteum vnguentum è folijs myrti, quæ græcè μυῤῥίνη vel μυρσίνη dicitur: ſed & μυρίνην reperio. Differt ab vnguento, quod μύρτινον paulo pòſt dicet, quod è baccis, quæ μύρτα græcè dicuntur, fiebat. Oleum etiam myrteum Plinius ſcribit fieri è folijs & è baccis. Ideò moneo, ne cùm mox myrteum vnguentum Theophraſtus dicet fieri è baccis, quis conturbetur, aut vitium ſubeſſe ſuſpicetur.

Οἰνάνθινον.) Oenanthinum vnguentum Dioſcoridi & Plinio fit è labruſcæ flore, qui œnanthe dicitur. Eſt & interdum Plinio œnanthe ipſius labruſcæ vua. Theophraſto herba eſt libro ſexto hiſtoriæ ſtirpium, è cuius folio hic fit œnanthinum vnguentum: ei herbæ odor idem qui germinantibus vuis, vt ait Plinius, vnde & nomen.

Τὸ ἄοδμον.) Poſt hæc verba exemplum deeſt eorum vnguentorum, quæ fiunt è ſurculis. Itaque locus aſteriſco notandus eſt.

Πλάτην.) Legendum puto ἐλάτην. vnde apud Dioſcoridem ἐλάτινον μύρον. *Eſt præterea*, inquit Plinius, *arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij elaten vocat, quod nos abietem, alij palmam, alij ſpatham.* Aliter Heſychius, qui tenerum eſſe palmæ germen his verbis ſcribit: ἐλάτη ἡ τοῦ φοίνικος πρώτη ἔκφυσις: quod idem Galenus ſcribit, τὸ ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τοῦ φοίνικος, interpretans. Auctoritate quadam Columellæ adductus Marcellus, corticem palmæ apud Dioſcoridem interpretatur, cum tamen Dioſcoridi ſit inuolucrum fructus palmæ adhuc florentis, qui fructum etiam elaten vocari ſcribit. In Theophraſto eſſe termes aut ſpatha palmæ videtur. Hic autem Theophraſtus more ſuo appellat φοίνικα, id eſt, palmam, vnguentum palmeum. Prætermittitur paulò pòſt lachryma, cuius exemplum, vt reor, myrrha eſt: itaque hic aliquid deſideratur.

Καὶ γὰρ κιννάμωμον.) Deſunt reliqui odores, qui in megalij confectionem conferuntur, quos tamen paulò pòſt reddet. *Fiebat autem*, vt Plinius ait, *ex oleo balanino, balſamo, calamo, iunco, xylobalſamo, caſia, reſina.* Proinde hic locus ſtellula notandus eſſe videtur. Mox emendaui καὶ ἐκ τῆς σμύρνης. Scribit enim, quod à Plinio & Dioſcride relatum eſt, myrrham ſolam per ſe vnguentum ſine oleo facere: quod Lucretio non videtur, qui verſibus illis, quos ſuprà poſui, ſtactæ oleum adhiberi ſcribit. Mox legendum fortaſſe eſt διὰ τὸ καλὰ μικρὸν σάζειν: quanquam etiam μικρὸν σάζειν ferri poteſt.

Συνίσασιν) Legendum puto, συνιζάνειν δὲ εἰς βυθὸν τὴν σμύρναν καὶ τοὔλαιον, καθάπερ ἰλύν. vt eam dicat in imum deſidere, veluti limum & fæcem. Mox emendaui pro ἀπόστασιν ὑπόστασιν, quam dicit Columella quodam loco craſſamentum. vulgò ſedimentum dicunt. id quod deſidit, ſum interpretatus: dicitur etiam, id quod ſubſidit.

Ῥητίνης κεκλυμένης) Emendandum arbitror κεκαυμένης. moueor Theophraſti auctoritate, qui infra ſcribet, τοῦ μὲν γὰρ ἡ σύνθεσις ἐκ ῥητίνης κεκαυμένης. Reſinam autem admiſceri cenſet Plinius ad continendum odorem

dorem



dorem in corpore, qui alioqui celerrimè euaneſceret & deflueret, ſi non eſſet hæc vis addita.

Χωρὶς ἀμαράκου.) Dioſcorides & Plinius amaracum vnguentis miſceri tradunt, vt telino & amaracino. Nec, vt opinor, alia fuit Lucretij ſententia, cùm ſcripſit: *Sicut amaricini blandum ſtactæque liquorem.* Nullis omninò miſceri pertinaciter hic affirmat Theophraſtus, qui falsò iſtam inter homines conualuiſſe opinionem & appellationem vnguenti cenſet.

Μήλων χρόαν.) Deſiderari videtur ἔχειν: niſi quis legat dandi caſu τῇ χρόᾳ: quòd in melino eſſe velint cotoneorum colorem. Paulò pòſt pro τῶν μυίων, exiſtimo legendum τῶν μύρων.

Χρώματι.) Chroma radiculam interpretatur quandam, quæ è Syria affertur. quam etſi alijs quærendam relinquo, tamen ipſe pro mea virili ſymbolam conferam, & ne laborem alijs iniungere videar, quem recuſem, quandam animi mei coniecturam proponam: quam equidem certam & veram eſſe præſtare non auſim. Struthium igitur fortaſſis intellexit, quod Columella lib. XI. radicem ſyriacam appellaſſe videtur. Eius verba ſunt: *Sed ita vt radicis ſyriacæ ſuper hanc menſuram paulò plus.* Iterum, *Nec minus ſi vernum & æſtiuum fructum voles habere, ſyriacæ radicis, & rapæ napiq́ ſemina obrues.* Eam etiam herbam ſignificaſſe videtur in horto, his verſibus,

*Iam ſiſer, aſſyrióque venit quæ ſemine radix,*
*Sectáque præbetur madido ſociata lupino,*
*Vt peluſiaci proritet pocula Zithi.*

Radiculam Plinius appellat, qui & eam eſſe dicit caule ferulaceo cibis expetito, & tingente quicquid ſit cum quo decoquatur, folio oleæ. Præcipua naſcitur in Syria ſponte naturæ.

Ἀφέλκει.) Exiſtimo legendum ἀφελκοῖ, aut ἑλκοῖ, quòd ſua acrimonia eos, à quibus curatur & tractatur, vlceret. Plinius de ea, *Natura eſt feruens, tractatáque puſtulas ambuſti modo facit.* Iris autem flammula vulgo dicitur à ſimilitudine flammularum, id eſt ſignorum equeſtrium, cuius generis illud Caroli magni ſignum fuit à Gallicis ſcriptoribus celebratum, vocatumque aurea flammula.

Ἡ ἄοδμος.) Legendum puto ἡ εὐώδης, ad diſcrimen, quòd aſpalathus ſit duplex: vna odorata, altera iners & hebes, quod ex libro primo Dioſcoridis cognoſci poteſt, in quo vna εὐώδης dicitur, altera ἄοσμος. Grammatici Græci aſpalathum vocatam ſuſpicantur, quòd eius ſpinæ, cum aliquem pupugerunt, vix euellantur: ſed & punctos ab ea ceruos interire narrant.

Τὸ δὲ μύρον, ἔτη δύο.) Puto emendandum, τὸ δὲ μάρον, ἔτη δύο. Non enim de vnguentis hæc differit, ſed de vnguentorum materia. *Maron autem*, inquit Plinius, *naſcitur & in Ægypto peius quàm lydium, maioribus folijs ac varijs: illa breuia ac minuta & odorata.* Deſcribitur & à Dioſcoride.

Ἅλσιν ἡ ποίησις.) Puto ἐν ἅλσιν ἡ ποίησις emendandum, vt infra, καὶ τῷ ἐν τῷ ἁλὶ πεποιῆσθαι.

Ἁλοσάχνη.) Spumã aridam maris Plinius interpretatur, his verbis: *Franguntúrque ictu valido, vt ſpuma arida maris.* Nam apud Ariſtotelem ſcribitur: ἅμα δὲ κόπτοντι καὶ ταῖς χερσὶ θραύοντι ταχὺ διαθραύεται, ὥσπερ ἡ ἁλοσάχνη. Quod autem mox apud Plinium ſcribitur, *Putant ex ſpinis aculeatis:* ex Ariſtotele emendandum eſt, ex ſpinis acus. Eius verba ſubſcribam: δοκεῖ δὲ μάλιστα ἐκ τῶν ἀκανθῶν τῆς βελόνης. Theodorus autem Gaza ἁλοσάχνην, aridum maris florem interpretatur. quod Homerus dixit —— ἀποπτύει δ᾽ ἁλὸς ἄχνην, Videtur poëtico more licentius & generalius adumbraſſe Maro, ſcribens, —— *Salſâ ſpumant aſpergine cautes.* Macrobius etiam auram dixit. Nam quod apud Plutarchum eſt, ἡ γὰρ ἀπιοῦσα τῆς χαλκίτιδος ἄχνη καὶ πίπτουσα τοῖς βλεφάροις ἀδήλως, interpretatus eſt. aura enim, quæ ex ære procedit, in oculos incidens.

Πᾶν τὸ μᾶλλον.) Ex hac lectione ſenſum eruere nullum poſſum, qui ſaltem tolerari queat. Itaque vnius elementi mutatione lego τὸ μέλλον, vt ſubaudiatur βοηθεῖν, vt ſit, quod auxiliaturum eſt. Mox διατί feci ex διότι, cùm interrogationem deſideret oratio. Τὸ μᾶλλον ſi quis legeret, ὑπαχθησόμενον ſine articulo τὸ ſcribendum eſſet, aut βοηθοῦν ſubaudiendum. Τὰς δυνάμεις.) Deſideratur verbum ποιεῖ, ad abſolutionem ſententię, aut aliquid tale: mox ἔχει dicet: ἀσθενεστέρας ἔχει τὰς δυνάμεις: aut πολυχρονιωτέρα & ἀσθενεστέρα legendum.

Τῷ εἰδότι μᾶλλον τὸ ἐπιτυγχάνειν.) Puto τῷ εἰδότας μᾶλλον ἐπιτυγχάνειν legendum eſſe. Quod ſi τῷ γὰρ εἰδότι legeretur, ſenſus optimè etiam cohæreret.

Νάρδινον.) Nardinum vnguentum Theophraſto non è folio paratur, quod foliatum dicitur, ſed è radice. Nondum enim è folio facere vſitatum erat: quod ita poſtea receptum eſt, vt & è ſpica, quod ſpicatum dicebatur. folia autem nardi, vt Plinius ait, diuiſere annonam: id eſt, vt interpretor, pretium mercis. Quod enim microſphæron dicebatur, plurimi vendebatur: quod meſoſphæron, minoris: quod hadroſphæron, minimi: quibus vocabulis etiam ab Arriano malobathri folia diſtinguntur.

Εὐέκπνευστα εἶναι.) Puto legendum εὐέκπνευστα εἶναι, καὶ ὅλως εὐδιάπνευστα. vt enim vnguenta florea facilè maturitatem adipiſcuntur: ita facilè etiam euaneſcunt & defluunt.

Ὑπερῴοις.) Hunc locum ſic attigit Plinius, *Sol inimicus his: quam ob rem in vmbra coquuntur plumbeis vaſis.* μολυβδᾶ autem Theophraſtus dixit, vt σιδηρᾶ: quod frequentius tamen μολύβδινα Græci dicere ſolent. Videtur autem Theophraſtus ſentire, non tàm coqui vnguenta in plumbo, vt Plinius intellexit, quàm in eo etiam optimè conſeruari. Ad illum autem locum τῷ τὸ οἰκεῖον θερμὸν, deſideratur ἀφαιρεῖσθαι, ad perfectionem ſententiæ.

Διέντες.) Legendum eſt διιέντες in præſenti, id eſt, tranſmittentes.

Κρίνον.) Lilium dicit pro vnguento ex lilijs confecto, id eſt κρίνον, pro κρίνινον μύρον: quod etiam vnguentum ſuſinum dicitur. Hoc vnguentum ἄνθινον, ab Hippocrate vocari ſcribit Galenus.

Καὶ τὸ μεγαλεῖον.) De megalio ita ſcribit Plinius, *Poſtea multò ſucceſſit propter gloriam appellatum megalium.* Apud Eubulum, μεγάλλιον ſcribitur hoc verſu, Καὶ τοὺς πόδας —— Ἀλείφετ᾽ αὐτοῦ τῷ μεγαλλίῳ μύρῳ. Atque eam ſcripturam verſus flagitat. μεγαλεῖον tamen cum Plinio verius puto à dignitate & gloria. Ægyptium autem vnguentum, quod Theophraſtus vocat, eſſe reor, quòd à Plinio vocatur mendeſium: niſi ſi quis metopiũ putet, quod etiã in Ægypto fiebat. Coniecturam meam confirmat

confirmat

confirmat Galenus, qui ægyptium vnguentum album apud Hippocratem interpretatur mendeſium vnguentum, quod ex lilijs & aromatis, vt ait, parabatur, ideoque vnguentum non oleum erat: ſed & κεινόμυρον vocatum fuiſſe, & ſuſinum vnguentum etiam ſcribit. Idem ægyptium vnguentum è floribus ægyptiæ ſpinæ appellat, quod etiam metopium vocaretur: ab Hippocrate netopon vocari etiam legi. mendeſium Plinio è balanino fit reſina mixta, magiſque etiamnum metopio. Nominatur & ægyptium ab Antiphane his verſibus, quos ſubſcribam, quòd ijs multa vnguentorum nomina intexta ſint:

Αἰγυπτίῳ μὲν τὼς πόδας ϗ τὰς χέρας,
Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθως ϗ ττθία,
Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
Αμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς ϗ τὴν κόμην,
Ερπυλλίνῳ δ' τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα.

Κατὰ δὲ τῶν ἀνθῶν ἐναντίως τι.) Legendum eſſe arbitror, τὰ δὲ τῶν ἀνθῶν ἐναντία, ὥστε ἠκολούθηκεν ἑκάτερα τῇ ἀρχῇ. Nam contraria dicit eſſe florea ſuperioribus, nec vlla frictione indigere: ſic vtraque ſua ſequi principia. Superiorum enim principijs, id eſt radicibus, conſentaneum eſt adhiberi frictionem: floreorũ principijs, id eſt floribus, diſſentaneum eſt adhiberi, propter infirmitatem & imbecillitatem. Intelligi etiam poteſt ἑκατέρᾳ in dandi caſu, vt dicat vnguenta illa vtrunq; principium, id eſt flores & radices, ſecuta eſſe. Aut potius ſcribendum κατὰ δὲ τῶν ἀνθῶν ἐναντίως. ὥστε ἠκολούθηκεν ἑκατέρᾳ τῇ ἀρχῇ, id eſt, In floribus contra. proinde vtrunque principium ſecuta ſunt.

Ἐν τῷ γλυκεῖ.) Vino dulci myrrha, antequam incendatur, perfuſa iucundiorem odorem efflat. Myrrham autem ab vnguentis, quòd ſimplex, vt reor, eſſet, Romani diſtinguebant. Varro, *Magiſtratus myrrha vnguentiſque vngetur.* Hic libet deſcriptionem myrrhæ à Plinio relatam, ex Theophraſti monumentis traductam, cum Theophraſto comparare, vt lector intelligat multo aliter, quàm hodie excuſa extent, eum quædam legiſſe. Eam habere dicit corticem leuem, ſimilémque vnedoni, in quo ἀδράχνην in Theophraſto legit, cùm hodie ἀνδράχνη, quæ portulaca eſt, editum ſit, vt opinor, malè: quanquam adrachne propriè vnedo non eſt, ſed arbor ſimilis vnedoni, vel ipſo Plinio auctore, qui eam arborem dicit eſſe ſylueſtrem, in planis naſcentem, ſimilem vnedoni. Pergit Plinius, myrrhámque folium habere oliuæ dicit. Ita ἐλαίαν in Theophraſto legit, cùm hodie libri noſtri πτελέαν, id eſt vlmum, exhibeant. Addit ab aliquibus arborem myrrhæ ſimilem iunipero deſcribi: at in Theophraſto τερμίνθῳ, id eſt terebintho ſimilis ſcribitur. Ita Plinius ἀρκεύθῳ, id eſt iunipero perſpicuè in Theophraſto legit. Hæc obiter annotare viſum eſt, quæ lectoribus non iniucunda fore ſuſpicor.

Ὡς τῇ αἰσθήσει.) Emendandum eſt ὥστε ἡ αἴσθησις κατειλημμένη. Paulò pòſt ex περιττεύεται facio περιττεύει τι, ita poſtulante ſenſu. Non multò pòſt pro καὶ κατακρατεῖ πάλιν, legendum eſt καὶ κατακρατεῖται πάλιν.

Ἀπαλμίζειν τὴν τῶν ὅλων.) Emendandum arbitror, ἀφανίζειν τὴν τῶν ἄλλων, vt paulò antè ἀφανίζει τὰς τῶν ἄλλων ὀσμάς. Mox lego τὴν αἰτίαν δὲ, aut potius τὴν αἰτίαν γάρ. Rurſum pro καὶ μικρῷ πρότερον, lego καὶ ὁ μικρῷ πρότερον.

Καὶ διαλύεται.) Corrigendum cenſeo διαδύεται, niſi ſi quis διαδίδοται malit, vt ſuprà διαδίδοται πανταχοῦ. Infrà etiam, vbi ſcribitur, καὶ τῇ διαλύσει πρὸς τοὺς ἐντὸς πόρους, lego διαδύσει. verti autem πόρους, modò meatus, vt Macrobius, modò etiam foramina, auctoritate Celſi adductus, qui ita ſcribit: *Per inuiſibilia foramina iter ſubſiſtendo claudunt.* Lucretius etiam vertit caulas, vt hoc verſu,

*Diſperſumq; foras per caulas eijcit omnes.*

Τῷ χρώματι.) Pro τῷ χρωτὶ dixit, quod nomen cutem & corpus ſignificat, vt & infrà locutus eſt, ἀναμιγνυμένοις τῷ χρώματι. Alias ferè ſemper χρῶμα eſt color. Nec reor defuturos qui hic χρωτὶ emendaturi ſint.

Αἱ μὲν ἀφαιροῦσι) Legendum eſt, αἷς μὲν ἀφαιροῦσι τὴν βαρύτητα καὶ τὴν ἰσχὺν, οἷς δὲ εὐοδμίαν τινὰ, οἷς δὲ γλυκύτητα ἐμποιοῦσι. Vſitatius tamen eſſet τοῖς μὲν & τοῖς δέ. Sed illa etiam non rarò vſurpari ſolent à ſcriptoribus.

Στῖς) Hinc ego deleui aſteriſcum, integritate ſententiæ adductus, & librorum Athenæi. in quibus locus iſte ſine vlla ſuſpicione imminutionis vllius legitur, auctoritate impulſus, etſi neſcio quid in illis mutatum eſt, vt iſtud, ἠρτυμένος γάρ ἐστι, cùm hinc γὰρ abſit, & τοῦδε τὴν δυσομαχίαν, cùm hic melius εὐοσμίαν ſcriptum habeamus. Nam quod δύσμῳ in Athenæo pro ἀόσμῳ legitur, id verò ne notari quidem debet, cùm planè falſum ſit, nec ferendum. στῖς dixi offam, vt & Maro, cum idem ferè quod Theophraſtus loqueretur hoc verſu,

*Melle ſaporatam & medicatis frugibus offam.*

Ita me docuit eſſe in Marone legendum vir huius memoriæ eruditiſſimus, antiquitatis omnis peritiſſimus, & reſtituendæ ſcriptorum elegantiæ ſtudioſiſſimus, ad animalium, ſtirpium, metallorum, lapidum cognitionem reuocandam ac poſtliminio reſtituendam, natus, factus, inſtitutus Gulielmus Peliſſerius Monſpeſſuli epiſcopus, non ſolùm auctoribus veteribus Grammaticis, verùm etiam ratione approbante, cùm & eblandiendus ſæuiſſimus canis fuerit quadã ſaporis iucunditate, nec in melle vis vlla ſit ſoporifera. Eſt etiam offa, tanquam quædam maſſa. Itaque quas Græci παλάθας vocant, Latini offas reddunt: vt quod Plinius dixit, *Purgatum enim tundunt, ſeruántque eius offas,* Theophraſtus παλάθας dixit: & quod apud Dioſcoridem eſt de bdellio, ἀδρόβωλον, παλαθῶδες, Plinius explicat, & in offas conuolutum hadrobolon. Alio loco, quod Græcè μάζαν dixit Dioſcorides in amygdalino oleo, interpretatus eſt offam Plinius. Eius verba ſunt, *& in offam contuſis.* Ennius offam pultem intellexit, interprete Plinio, illo verſu,

*Eripuère patres pueris plorantibus offam.*

Cùm autem ſcribit de ſcilla Plinius, *Coquitur plurimis modis in olla, quæ conijciatur in clibanum aut furnum, vel adipe aut luto illita,* plane vel lapſus eſt, vel incidit in vitioſum codicem, in quo στέατι ſcriptum erat pro σταιτί, cùm inuolutam polenta coqui ex Dioſcoride cognoſcamus, nec profuturus ſit illitus adeps, qui ad primum ca-



mum calorem difflueret. Verba ſunt Dioſcoridis, σταιτὶ δὲ ἢ πηλῷ περιπλάσσεται. Mox pro κεράσῃ εἰς σκληρὸν, malim vt in Athenæo eſt, κεράσῃ σκληρὸν, ſine præpoſitione. Erant autem non Athenis ſolùm, ſed & in alijs vrbibus Græciæ prytanea, quæ Liuius penetralia interpretatur. Eius verba ſunt, *Cyzici in prytaneum,* id eſt, *penetrale vrbis, vbi publicè, quibus is honos datus eſt, veſcuntur, vaſa aurea vnius menſæ poſuit.* Sic igitur Thaſij ſuum prytaneum habebant.

Τῇ μαλακότητι θάτερον.) Deeſſe videtur καὶ τῇ εὐοσμίᾳ θάτερον. Molli enim vino durum emendatur, odorato iners & odoris expers.

Ἀπὸ τοῦ καρποῦ τῆς.) Brachiale vulgò interpretantur. Celſus primam palmæ partem vocat, quem ſecutus ſum. Hunc locum Plinius ſic attigit, *Experimentum eorum inuerſa manu capitur, ne carnoſæ partis calor vitiet.* Quod ſi transferre Theophraſtum volens, καρπὸν inuerſam manum dixit, profectò mirũ eſt. Quod autem apud Theophraſtum eſt, πάχος μὲν οὖν τῆς ῥίζης, καρπὸς ἀνδρὸς εὐρώς, Plinius expreſſit, brachiali radicis craſſitudine. Οὔτ' ἀλλοιοῖ.) Emendandũ puto καὶ ἀλλοιοῖ, tum quòd ratio ita poſtulat, tùm quòd ante ſic locutus eſt, ἐξίσταται καὶ ἀλλοιοῦται.

Διατί οἱ μὲν εἰωθότες.) Emendandum eſt, διατί οἱ μὴ εἰωθότες. Mox pro ἐξόζουσι τῶν νουνεχῶς, legendum ἐξόζουσι τῶν συνεχῶς. Quærit enim quid ſit, quod qui non ſoliti ſunt vnguentis madere, vehementius olent, quàm qui aſſidue ijs delibuti ſunt. Mox pro καὶ τὸ ὥσπερ ἀκέραιον, lego τὸ δ' ὥσπερ ἀκέραιον.

Διὰ τὸ σύνηθες.) Ἀσύνηθες legendum eſſe intelliget, qui Theophraſti ſententiam perſpiciet.

Καὶ πολύοδμα.) Senſus exigere videtur, καὶ οὐ πολύοδμα, velut ex ſuperioribus facile cognitu eſt, in quibus ſcribitur de myrrha & alijs, quæ plurimi ſunt odoris, ἁπλῶς δ' πᾶν τὸ πολύοδμον. rurſum, καὶ ἡ στακτὴ, καὶ εἴ τι ἄλλο πολύοδμον. Mox lego ταχεῖαν ποιεῖ τὴν ἀπόλειψιν, ὥς τό, τε: aut τὴν ἀπόληξιν, id eſt, citò deſinit & deficit.

Οὐ χεῖ * ζειν.) Legendum exiſtimo ὑστεραίαν οὐ χεῖρον ὄζει vt autem Græcè dicitur οὐχ ἧττον pro magis, quod tamen eſt ad verbum non minus: ſic hoc loco οὐ χεῖρον, quod eſt non deterius, valet melius. Emendaui paulò pòſt pro συγκακίνει, συγκακύνει, & pro κακινόμενα, κακυνόμενα, & pro δυσωπίαν, δυσωδίαν. Si quis δυσωπίαν probat, explicet pudorem & turpitudinem ſudoris.

Διαπάσματα καὶ συνθέσεις.) Diapaſmatum Plinius in capite de vnguentis & alijs locis meminit: non meminit ferè compoſitionum. Eius verba ſunt: *Siccis odoribus conſtant quæ diapaſmata vocantur. Diapaſmata autem odorati puluiſculi erant, quibus lecti cubiculares & diſcubitorij conſpergebantur delicatorum, vnde & nomen: nec in diem erant, ſed ſtatim ad vſum adhibebantur.* His etiam vtebantur ad ſudorem cohibendum, vt ſcribit Plinius lib. xxi. de roſa, his verbis: *Diapaſmata inde fiunt ad ſudores coercendos, ita vt à balineis inareſcant corpori, deinde frigida abluantur.* At compoſitiones in veſtiario arcíſque ponebantur ad odoris gratiam, æuoque vt durarent parabantur. vſus igitur erat diapaſmatum in præſens, & temperarius: at compoſitiones in longum prorogabantur.

Ὥσπερ * τὸ δέ.) Exempla eorum aromatum quæ acutiora & acriora ſunt, hìc deſunt, ex Plinio ſuppleri poſſunt, qui vt reor, hinc ſumpſerat. Eius verba ſunt: *Omnia autem acutiora fiunt coſto, amomo, quæ maximè nares feriunt.* Rurſum, acerrima autem per ſe amomo. Legendum autem eſt τὰ δὲ ὅλως, non τὸ δέ.

Ἐρυσίσκηπτρον.) Eryſiſceptrum Dioſcoridi eſt aſpalathus, & Plinio. ea autem fuiſſe videtur aſpalathos, in quam iris incubuerat, cùm opinio eſſet arcu cœleſti innitente odoratiorem reddi, ſed & alias ſtirpes omnes. Heſychius ita ſacram omnem herbam appellat, in quam iris innixa fuerit. In eo malè ἱερόσκηπτον pro ἐρυσίσκηπτρον, & ἱερεῖς pro ἶρις legitur. Itaque appellatum eſſe videtur tanquam ἐρυσίσκηπτον, quòd nimirum irin eliciat, quo ab ea tanquam de cœlo tangatur. Odoratiores autem reddi ſolitas plantas, in quas arcus cœleſtis innixus eſſet, & Ariſtoteles, & Theophraſtus diſſerunt: quod tamen opinione potius valuiſſe, quàm re & veritate conſtare crediderim. Plutarchus in Sympoſiacis, vſque adeò per animos hominum hanc opinionem peruaſiſſe oſtendit, vt ſacerdotes irin precibus elicere ſolerent ad odoris cõmendationem arboribus quærendam. Eius verba ſunt, καὶ τὴν ἶριν ἐξανθοῦντα νέφη καθ' ὧν ἂν ἐπερείσῃ ξύλων, εὐωδίας ἀναπίμπλησι, καὶ ταύτῃ γνωρίζοντες οἱ παρ' ἡμῖν ἱερεῖς αὐτά, καλοῦσι τὴν ἶριν, ὑπολαμβάνοντες ἐπισκήπτειν. Forte tamen in Plutarcho ἐρυσίσκηπτρα καλοῦσι, pro ἱερεῖς αὐτὰ καλοῦσι, legendum eſt, quod & verius puto.

Ἔοικε δὲ οὖν.) Puto corrigendum ἔοικε δὲ οἶνος χρήσιμος. aut ſi οὖν quis retinet, de vino tamen locus intelligendus erit. Liquores autem duos vini & olei odoribus accommodatiſſimos Theophraſtus diſſerit libro ſeptimo de cauſis ſtirpium.

Καὶ ἐμμο * νεώτερον τοῦτο.) Puto legendum καὶ εὐοσμότερον τοῦτο. Si quis ἐμμονώτερον malit, cum eo non magnopere contendam. Non defuturum etiam reor, qui εὐοσμότερον καὶ νεώτερον emendaturus ſit. In loco ita lacero diſtrahi coniecturis variè hominum mentes poſſunt. Rectè qui coniecerit, eum vatem perhibebo optimum.

Αὗται δὴ λεῖαι.) Legendum cenſeo αὗται δ' ἡδεῖαι, præſertim cùm mox ſequatur, ἔτι δὲ ἡδεῖς. Animalium odores ferè minus iucundi ſunt, cùm virus neſcio quod oboleant, aut certe nihil habeant quod fragret, vt ſtirpes. Excipitur pardalis, vt ait Ariſtoteles, quæ quodam cutis, vt ita dicam, aromate omnia ad ſe perlicit animalia. Piſciculus in noſtra Normania naſcitur in oſtio Sequanæ ad maris æſtuaria, fere apuarum generis, violam redolens. Epelanum vocamus. Corpus Alexandri iucundiſſimum efflabat odorem, vt refert Plutarchus, adeo vt eius interior tunica eo compleretur. Plinius Ariſtotelem ſecutus, dubitanter tamen, ita ſcribit: *Animalium nullum odoratum, niſi ſi de pantheris, quod dictum eſt, credimus*: quod & vltimo de ſtirpium cauſis libro à Theophraſto refertur: qui etiam ſcribit eam, vbi conſenuit, feras venari odore allectas. vnguis etiam odoratus in animalibus numeratur iucunde fragrantibus. Paſtus enim odoribus fragrantiam concipit.

Οἱ μὴ ὀχεύοντες ἕξουσι.) Legendum cenſeo ὄζουσι. Docet enim, etſi tempore initus hirci maxime olent, illũ tamen fœtorem potius a corporis cõſtitutione, & habitu proficiſci: quod qui non ineunt, quiq; generando non ſunt, eo tempore oleant, etſi coitus illum fœtorem auget. De pelliũ autem hircinarum fœtore, vnde hæc nata quæſtio eſt, ita ſcribit Theocritus, τὰ δὲ τράγεια τὰ παρὰ τὶν ὄσδοντι κακώτερον ἢ τύ περ ὄσδεις.

*Γίνεται τῆς διαθέσεως.)* Legendum puto nominandi caſu ἡ διάθεσις. Etſi enim amplificatur initus tempore odor: tamen per ſe cauſa eſt, vt ait Theophraſtus, ipſa corporis conſtitutio. Mox pro οἷον ἀποδείκνυται, emendandum reor, οἵας ἀποδείκνυται. pro καταπλαγῇ immutaui καὶ ἀπλανῇ ſermonis Græci conſuetudine ita flagitante. *Εἰς οὖρησιν ἀλγεῖ, συνεξόζειν ποιοῦν ἑαυτά. ὅπῃ δέ.)* Nullus ex his verbis ſenſus elici poteſt. ego ſententiam & verborum ſimilitudinem ſecutus, emendandū arbitror. εἰς οὖρα συνεργεῖ· συνεξόζειν ποιοῦντα αὐτά. ἔστι δέ. Hodie quoque qui metu calculi deglutiunt terebinthinam reſinam, lotium reddunt odoratum, quadam violæ aura nares afflante.

*Στρυφνὰ καὶ ὑπόπικρα.)* Plinius, *Odorato ſapor raró vlli non amarus: è contrario dulcia raró odorata.* Itaque & vina muſtis odoratiora, & ſylueſtria magis omnia ſatiuis.

*Συμβαίνει δὲ τρόπον τινά.)* Hæc videntur cohærere cum ijs quæ de contagione naturæ diſputabat in hircinis pellibus. Itaque quæ interiecta ſunt, non videntur eſſe ſuo poſita loco: ſed & multa hoc in libello perturbata videntur, nec loco poſita.

*Δοκεῖ συνά * .)* Perdifficile eſt hanc lacunam explere: ac vereor, ne ſi coner aliquid ſupplere, non tam Theophraſtum iuuare, quàm ipſe de meo adſcribere & comminiſci videar. Quid tamen ſentiam, dicere non reformidabo: vt enim nihil aliud, voluntas certè laudabitur, quòd voluerim pro mea parte optimo ſcriptori conſulere. Nam cùm in Geoponicis ita ſcribatur, πᾶς οἶνος ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τρέπεται περὶ πλειάδων δύσιν, καὶ περὶ τροπὰς θερινάς, ἢ ἐξανθούσης ἤδη τῆς ἀμπέλου, ferè labor, vt putem hic emendandum eſſe δοκεῖ συνανθεῖν, id eſt, cùm vua florere videtur: quod ad naturæ contagionem pertinet. Nam & quidam vini flos in vitijs vini numeratur à Plinio, & à Geoponicôn auctore. Mox pro τὸ δὲ δριμύτατον emendaui τότε δριμύτατον.

*Φλοιά, ῥίζα.)* Emendo φλοιόρριζα, quòd corticiam & tunicatam radicem habeant: qualia ſunt allium, bulbus, cepe, ſcilla. Hanc emendationem approbat Theophraſtus lib. I. hiſtoriæ ſtirpium: qui de radicibus ſcribens, hæc refert: αἱ δὲ λεπυρώδεις ἢ φλοιώδεις, οἷον ἥ τε τῆς σκίλλης, καὶ τοῦ βολβοῦ, καὶ ἔτι κρομμύου. Aliquando hic putaui emendandum eſſe κεφαλόρριζα, quo etiam nomine hæc à Theophraſto vocantur: quæ ſine magno ſcriptoris detrimento emendatio etiam fuiſſet. Mox pro πλαστικὰς ὥρας, βλαστικὰς excudendū curaui.

*Στέατος τῆς ἄρκτου.)* Hic Plinium legiſſe prope cenſeas, non τοῦ στέατος, ſed τῆς σαρκός, cum ita ſcribat libro octauo, *Mirum dictu, credit Theophraſtus per id tempus coctas quoq; vrſorum carnes, ſi aſſeruentur, increſcere.* Sed nihil mutandum puto. Id enim quod Plinius refert, potuit alio loco tradere Theophraſtus, ac, vt opinor, in libro περὶ τῶν φωλευόντων id ſcripſerat. Hic vt nihil mutem, adducor auctoritate libri illius, qui περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων inſcribitur, in quo eadem res his verbis refertur. λέγουσι καὶ τὸ τῆς ἄρκτου στέαρ, ὅταν διαπεπηγὸς ᾖ διὰ τὸν χειμῶνα, καθ' ὃν ἂν χρόνον ἐκείνη φωλεύῃ, αὐξάνεσθαι καὶ ὑπεραίρειν τὰ ἀγγεῖα ἐν οἷς ἂν ᾖ. Ferunt & adipem vrſinum, cùm ob hyemem concreuerit, quo tempore latitat vrſus, augeſcere, vaſiſque ſuperfundi.

*Ἐκ τῶν σχημάτων.)* Nam ex figuris ſapores effici Democritus exiſtimabat, cùm dulcem putaret globoſum eſſe, magnæque formæ: acerbum, figuræ amplioris, aſperum, anguloſum, minimeque rotundum: acutum, acutæ figuræ, turbinatæ, curuæ, tenuis, non rotundæ: acrem, rotundum, tenuem, anguloſum, incuruum: ſic reliquos, vt Theophraſtus initio libri ſeptimi de ſtirpium cauſis diſſerit.

*Πρὸς ἅπαντα κοινόν.)* Fortaſſe legendum πρὸς ἅπαντας κοινόν. Saporum enim ſpecies, eorumq; originem & cauſas omnes philoſophi perſequebantur diligentius quàm odorum, vt & Plato in Timæo: vt proinde non magis inſimulari Democritus debeat, quam alij philoſophi. Si πρὸς ἅπαντα probas, dices id in omnibus valere, non in ſolis ſaporibus, & à ſaporibus ad alia traducendū eſſe. ἅπαντας tamen omnino malim.

*Οὕτως ἐν ὀσμαῖς.)* Legendum videtur οὐχ οὕτως δ' ἐν ὀσμαῖς. Non enim ita in odoribus ſpecies, vt in ſaporibus & coloribus memorari poſſunt, ſed ne in his quidem quæ ſub tactum cadunt. Proinde illud ἔτι τὰ μὲν μικτά, τὰ δὲ ἄμικτα. (ſic enim legendum eſt, non ἀνάμικτα.) In alienum fortaſſe immigrauit, cùm in illum locum lacerum & mutilum reijci forte debeat, qui ſequitur, ἄμικτοι χυλοί: etſi locus ne ſic quidem ſartus fortaſſe fuerit, ſi legatur hunc in modum, ἔτι τὰ μὲν μικτά, τὰ δὲ ἄμικτα· ἄμικτοι χυλοί. Si quis tamen putet loco non mouendum, eum ſenſum efficiat, quem in interpretatione ſum ſecutus: vt enim nihil mutetur, ita ſententia cohærere poterit.

*Ὥστε ἐξ ἀμφοῖν.)* Deeſſe videntur hæc verba ἐγγενέσθαι. Infra ſcribet ἔν τι ἐξ ἀμφοῖν ἔργον, vnde occaſio emendationis eſt.

*Λυμαινόμενοι ἀλλήλοις.)* Legendū arbitror ἄλλοις. Mox pro τὰ ἰτρώδη, τὰ νιτρώδη, pro τοὺς οἴνους, τοῖς οἴνοις.

*Ὡς δὲ μὴ ἕν τι ἐξ ἀμφοῖν ἔργον δρᾶν μὴ ἀδύνατον.)* Emendandum reor ὡς δὲ μὴ ἕν τι γενέσθαι ἐξ ἀμφοῖν ἔργον, δρᾶν μὲν ἀδύνατον. Negat enim fieri poſſe vt miſceantur odores, quin ex mixtura vis quædam communis efficiatur. Mox lego χεῖρω ποιεῖ, ἔνθα δὲ βελτίω. Neque multò pòſt legendum cenſeo τὸ ἄκρατον καὶ σκληρόν, pro εὔκρατον: & καὶ μύρα ἔνια, non vt libri omnes vno conſenſu habent, μυρεῖα ἔνια.

*Ἐν τῇ οἰνεπίᾳ.)* Emendandum eſt οἰνοποιΐᾳ, id eſt, cùm vinum fit: quòd nonnulli tempore vindemiæ vnguentis vina condirent, alij paulò antequam biberent. qua de re ſic Aelianus in varia hiſtoria ſcribit, μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυρρινίτης: id eſt, Nam vnguento vinum miſcentes ſic ebibebant, vocabatúrque vnguentarium vinum. Iulius Pollux μυρίνην appellat, quòd à quibuſdam vnguento conditum, ab alijs dulce accipi dicit. μυῤῥίνην in Heſychio lego, atque haud ſcio an Comici Latini verbum illud exprimere voluerint, cùm murrhinam dixerunt, in palliatis præſertim fabulis, etſi aliud ſentiunt Grammatici. Ferè idem priſcos Romanos etiam factitaſſe video auctore Plinio, cuius hæc verba ſunt: *Laudatiſſima apud priſcos vina erant, myrrhæ odore condita*, vt apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quanquam in ea & calamum addi iubet. Locū Plauti, quem ſignificat, vel eo libentius adſcribam, quòd inquinatiſſimus eſt, inuſitatis duabus vocibus, quas nondum quiſquam Grammaticorum explicare potuit. Nam ſtruthea & coluthea quid valeant, quis exponit? In eo tamen loco Plauti myrrhæ mentio nulla eſt, vt paulū Plinij memoria vacillaſſe videatur. Commiſce, inquit, mulſum, ſtruthe acoluthe, aquam appara. (Verba autem Græca ſunt στρουθὲ ἀκόλουθε, quæ ſalacem pediſſequum ſignificant.) Benè vt in ſcutris



in ſcutris concaleat, & calamum inijce. Sunt qui murrhinam à Plauto, vt ait Varro, paſſum appellari cenſeant.

*Κλίνουσιν εἰς.)* id eſt, mittunt: aut legendum potius κλείουσιν, id eſt, includunt, cùm mox ſequatur ἀνοίγοντες, quod contrarium eſt. Statim pro ὅταν μάλιστα ὄζειν δοκῇ, τότε: legendum exiſtimo, ὅ, τι ἂν μάλιστα ὄζειν δοκῇ, τοῦτο. præterea pro διαδύοντες χρόνον, fortè legendum διαλείποντες χρόνον, ὅπως ἂν μηδενὸς ἐξόζῃ. Nam & ſupra ita ſcripſit. διὸ καὶ ἀνοίγοντες διά τινων ἡμερῶν, ἐξόζον ἐξαίρουσιν ἀεί: aut ἐνόζῃ in ſe oboleant ſignificabit, διαδύοντες, ducentes & trahentes.

*Τὸ δ' πλατάνου τῆς αἰγυπτίας.)* Emendandum arbitror βαλάνου, vt glandem vnguentariam intelligamus: de qua illud Horatius canit, *Preſſa tuis balanus capillis.* Præfertur autem, vt ſcribit Plinius, ſyriaca ægyptiæ: ægyptia autem erat pinguior & craſſior, cortice rubens, eadem breuior & ſiccior. Myrobalanum Plinius vocat. Idem ſcribit vnguentorum expeditiſſimum, & vt veriſimile eſt, primum fuiſſe è byro & balanino oleo. Platanum idoneam vnguentis nemo, quod ſciam, vnquam ſcripſit.

*Ἀλλ' ἄττα ζῷα ἐπικλη * ἀθλώνησι λέγειν.)* Ita malè hoc loco temporis iniuria acceptus eſt, & atrociter vulneratus Theophraſtus, vt eius propemodum deſperata ſit ſalus. Medicinam huic vulneri facere non potero, tantum obligabo hac tanquam faſcia, καὶ ἄλλ' ἄττα ζῷα ἐγκεκλεισμένα, ἅ τινες λέγουσιν εἰς πάντα χαλκὸν κοῖλον ἐμβάλλεσθαι, σίδηρον ὁμοίως: niſi ſi quis ἐπίκλην ἀθλώνησι λέγειν εἰς πάντα, defendat, pro, quæ nominantur Athenis, nomine tamen deſiderato, ſed & verbo, vnde pendeat λέγειν. Hæc autem quæ dicit, quorſum pertineant, non ſatis conſtat, cùm libri finis deſideretur, in quo id explicabat. Hæc habui quæ in Theophraſtum breuiter annotarem.

# THEOPHRASTI DE LAPIDIBVS LIBELLVS.

## AB ADRIANO TVRNEBO LATInitate donatus.

EORVM QVÆ IN TERRA PROVENIVNT, partim aquæ, partim terræ alumna ſunt. aquæ, genera metallorum omnia, vt argentum, aurum, alia. terræ, lapis & quæcunq; genera lapidum exquiſitiora, & ſi quæ ipſius quoque terræ propriæ ſunt ac peculiares naturæ, vel colore vel leuitate, vel denſitate, vel alia quapiam facultate. Sed de metallis, aliis libris à nobis diſputatum eſt, nunc de his diſſeramus. Hæc igitur omnia, vt in pauca conferam, ex pura quadam & æquabili conſtare materia cenſendum eſt, ſiue vena influat, ſeu collando per aliquid permanet, ſeu, vt ſuprà dictum eſt, alio modo excernatur. Quippe cùm fieri poſſit, vt hoc modo quædam, illo alia, ſecus alia generentur: vnde & leuitas, denſitas, nitor, pelluciditas, & cætera omnia eis eueniunt. eóque magis, quò horum quidque æquabilius & ſincerius eſt. Nam vt cuiuſque concretio & conditio ſinceritatis eſt particeps, pro eo quoque, quæ ex eis eueniunt, omnia conſequuntur. Concretio autem quibuſdam eſt à calore, quibuſdam à frigore, quibuſdam ab vtroque. Nihil enim fortaſſe vetat quominus nonnulla etiam lapidum genera vtriuſque vi concreſcant. alioqui quæ terræ ſunt, ab igne videntur omnia coagmentari, cùm præſertim cuiuſque concretio & liquefactio in contrarijs cernatur. Cæterùm in lapidibus plures ſunt proprietates. Nam in terra coloris, lentoris, leuitatis, denſitatis, ſimiliúmque pleraq; diſcrimina ferè ſpectantur, aliorum rara diſſimilitudo eſt. In lapidibus verò & hæ differentiæ notantur, & præter eas, quæ ex vi, & conditione agendi, aut accipiendi, aut non patiendi cenſentur. Alij quippe liquari poſſunt, alij non poſſunt: quidā vri, quidam non vri. quæq; alia his ſimilia ſunt attributa, cùm in ipſa quoq; deflagratione & vſtione multum interſit. Iam quidā aquam ſibi concolorem ſuapte vi reddunt, vt Smaragdus: alii in lapidem durant condita repoſitaque in ipſis, alii quodam tractu eliciunt, nonnulli aurum & argentum explorant, vt qui index, lapiſque Herculanus & Lydius vocatur. Sed enim vis illa liquabilium, ſi quidem id verum eſt, & admiranda inprimis & multo maxima eſt. Verùm illuſtrior eorum & notior eſt, atque adeo in pluribus cernitur, quæ ex opere manuque ſumitur. Eorum enim nonnulli ſcalpuntur, & torno poliuntur, & ſerra ſecantur: quoſdam ferramenta nihil attingunt, quoſdam malignè ægréque perſtringunt. Sunt & aliæ plures eiuſdem generis differentiæ. ac coloris quidem, duritiæ, mollitudinis, leuitatis, cæterumque id genus, vnde & lautitia & elegantia pluribus inſunt: atque quibuſdam toto loci tractu vt in celebratis lapicidinis Pariorum, Pentelicorum, Chiorum, Thebaicorum, qualis etiam

In Aegypto Thebis Alabaſtrites viſitur, grandis enim ceditur, & Ebori ſimilis Chernites qui dicitur, in quo Darium in peplo conditum ferunt. Et Porus non ſolùm concolor pario, ſed & duritiæ ſimilis, ſua duntaxat pori leuitate notus. Itaque magnificas ædes Ægyptij eius cingulis diſtingunt. Eſt & niger illic pellucidus, Chio ſimilis: & apud alios alij plures. Hæ igitur diſſimilitudines, quemadmodum dixi, ad plures pertinent: ſed quæ ſumuntur è viribus, quas ante memorauimus, haudquaquam perpetuis totiſque inſunt aut lapidum continuationibus aut magnitudinibus. Nonnulli etiam & rariſſimi ſunt & minuti, vt Smaragdus, Sardium, Carbunculus, Sapphirus, ac fere omnes qui in annulorum ſigilla ſcalpuntur. nonnulli & in alijs diffiſſis reperiuntur. Qui autem vruntur & deflagrant pauci ſunt, quorum initio fortaſſe quæ quótque diſſimilitudines ſint explicandum videtur. Nam qui vruntur, partim colliqueſcunt & diffluunt, vt qui in metallis eruuntur (conflator enim & fluit cum ære, argento, ferro ſuus lapis) ſiue ob humorem eorum, quæ complectuntur, ſiue ſuopte ingenio. Itidem quoque pyromachi & molares fluunt & conflantur, vt ea quæ flatores ſuperponunt. Sunt qui omnes præter Marmor liqueſcere cenſent, hoc vri calcémque fieri, verùm ita vltra modum affirmari plane videtur, cùm præſertim multi vapore frangantur & diſſiliant, vri contumaciter aſpernantes, vt & Tegula. Nec iſtud abs re, cùm humore defecti ſint. Nam liquabilia humida ſint oportet omnia, & copioſiori humore prædita. Sed & eorum qui inſolantur, partim exareſcunt prorſus vt inutiles euadant, niſi frangantur & humefiant: partim molleſcunt, fragilioréſque redduntur. ac perſpicuum vtique eſt, humorem vtriſque auferri: ſed denſos ſiccitate durari: laxos, quorúmque huiuſcemodi coagmentatio eſt, fragiles & liquabiles reddi. Nonnullorum etiam fragilitas vrendo in carbonem abit, diutiuſq; permanent: vt Binis in metallo, quos amnis deuoluit. Nam impoſitis carbonibus catenus vruntur, quoad flabellantur: deinde relangueſcentes iterũ accenduntur. ex quo eorum diuturnus vſus, ſed odor teter & grauis. Quem autem Spinum vocant, in Metallis Thraciæ repertũ, ille diffiſſus & ſibi accumulatus in ſtruem ſub ſole accenditur eóque magis ſi vel irroretur, vel aſpergatur. At Lipareus inanitur vrendo & pumicoſus efficitur, vt pariter & colorem & denſitatem mutet. nam priuſquam ignem experiatur, niger eſt, leuis, denſus. Naſcitur autem in Pumice, hic & illic paſſim ſuis tanquam alueolis diſcluſus, nec continens: quemadmodum in Melo quoq; narrant in alio quopiam lapide Pumicem generari. atq; hìc veluti talio quædam & cõpenſatio accidit. Quanquam Lipareo lapis iſte diſſimilis eſt. Iam qui naſcitur in Tetrade) Siciliæ is locus eſt ad Liparam) exinanitur: frequens autem in promotorio Erineade lapis, non ſecus ac Binis: dum vritur, bituminis odorem emittit: quod cremato ſupereſt, terræ exuſtæ eſt aſſimile. Cæterùm quos Carbones appellant è genere foſſilium, ob colorem terrei ſunt, accenduntúrq; & igneſcunt, vt carbones. Proueniunt in Liguria, vbi & Succinũ, & in Elide, qua per montem Olympiam iter eſt, iiſq; ferrarij vtuntur. Eſt & aliquando in Scaptenſulæ fodinis inuentus, ſpecie ligno putri ſimilis, qui oleo perfuſus exardeſcebat, atq; vbi deflagrarat, ſeq; reſtinxerat, velut intactus erat, nec igne afflatus. Eorũ igitur qui vruntur, iſtæ fere differentiæ ſunt. Aliud contra genus eſt lapidũ ingenio penitus diſpari recuſantiũ vri, vt qui Carbunculus vocatur, è quo annulorũ ſigilla ſcalpunt, coloris rutili, aduerſus ſolem ardentis carbonis ſpecie refulgens. Atq; hæc gem̃a longè omniũ cariſſima eſt, cùm vel minima facilè quadraginta aureis permutetur. Affertur Carthagine & Maſſilia. Nec Mileſius lapis vritur, qui anguloſus eſt. viſuntur in eo & ſexangula. Vocant autẽ hunc quoq; Carbunculũ: iſtúdq; mediusfidius permirũ eſt, eum non vri. Simile quippe quodammodo etiã eſt & quod Adamanti accidit. Non enim vt in pumice & cinere humoris inopia fieri id videtur. Nam iſta neq; flagrant, neq; cremantur, quòd omnis humor exceſſerit, præſertim cùm quibuſdã ex vſtione omnis Pumex naſci vtiq; videatur, præterquã qui è maris ſpuma coaleſcit. Cuius etiam rei argumentũ capiunt ſenſus fide, ex ijs qui in Aetnæ crateribus generantur, & è Diabaro lapide, qui incenſus pumicatur. ſed & è locorũ quoq; in quibus gignũtur teſtimonio, cùm in ardentibus potiſſimũ proueniant. Veruntamẽ nonnulli fortaſſe iſto modo, & alij alio generantur, variaq; ijs naſcendi conditio eſt. Quippe cum Niſyreus velut ex arena cõcretus eſſe videatur: cuius argumentũ eſt, quod inuentorũ aliqui inter manus friantur, velut in arenam fatiſcentes nondũ ſolida concretione. Multos autẽ paſſim reperiunt puſillos, pleroſq; circiter manuales aut paulo maiores, egeſta ſumma terra. Eſt autẽ & arena illa mirè leuis: ſed & omnes quoq; in Melo inſula. Nonnulli etiã in alio lapide gignuntur, vt ſuprà dixi. Spectantur autẽ inter ſe diſcrimine coloris, denſitatis. ponderis. Coloris, quòd è Siculo ſpiraculo nigri ſint: denſitatis & ponderis, qualis Siculus è ſpiraculo, & ſalſuginoſus. Nam & talis naſcitur pumex, qui pondere & denſitate cenſetur, & in vſu alijs carior eſt: deterget etiã efficacius è ſpiraculo, quã leues atq; candicantes: ſed ex illius tractus mari omniũ vel maximè, ac de pumice quidẽ hactenus. De lapidibus autẽ qui vruntur, aut non vrũtur, vnde huc digreſſi ſumus, alio loco conſiderandæ





ſunt cauſæ. Aliæ porrò differentiæ lapidum, eorum quoque ſunt ex quibus ſigilla ſcalpuntur. Nam quidam ſpeciei tantùm dote cenſentur, vt Sardium, Iaſpis, Sapphirus: quæ quidem gemma velut auro ſparſa eſt. At verò Smaragdus facultatibus præterea quibuſdam pollet. nam cùm aquam, vt diximus, concolorem ſibi reddit, modica pauculam, maxima totam, deterrima ſibi vicinam: tum oculos etiam reficit & mulcet. Itaque & ſigilla ex ea geſtant, quæ ſpectent. Rara hæc gemma eſt, & parua magnitudine: niſi fortè fides eſt habenda comẽtarijs, qui de Aegyptiorum regibus feruntur. Illis enim narrant aliquando muneri à Babyloniorum rege miſſam, longitudine quatuor cubitorum, latitudine trium. Quinetiam in Iouis delubro obeliſcum è quatuor Smaragdis ſtare quadraginta cubitorum longitudine, latitudine partim quatuor, partim duûm. Horum igitur fides penes eorum commentarios ſit. Cæterùm ex his quæ Tani vulgo vocantur, Tyri omnium maxima eſt. Pila enim eſt prægrandis in Herculis fano, niſi ſi Pſeudoſmaragdus eſt, quod genus etiam naſcitur. Naſcitur autem in locis notis, nec ita longinquis, cùm alijs multis, tum vel maximè in ſecturis ærarijs Cypri, & in inſula quæ Carthagini accolitur, in qua & peculiari quadam ratione reperiunt. nam vt & alia, ſic quoque iſta lapidis natura eruitur. In Cypro inuentas virgatim in ſeriem ipſas per ſe multas digerunt. Raræ autem inueniuntur ſigilli magnitudine, ſed minutiores pleræque omnes: itaque ad auri glutinum abutuntur. quippe vt Santerna glutinat. ac nonnulli eandem exiſtimant eſſe naturam. Nam & colore aſſimles ſunt, ſed vberrima Santerna eſt, non in aurarijs ſolùm metallis, verumetiam multo magis in ærarijs, vt Stobis in ſecturis. Per autem rara eſt Smaragdus, vt dixi, cùm ex Iaſpide fieri videatur. Narrant enim in Cypro lapidem aliquando inuentum, cuius dimidium Smaragdus eſſet, dimidium Iaſpis, vt gemma ab humore nondum mutata. Eius porrò quædam eſt ad nitorem expolitio, cùm initio minimè niteat. Atque hæc quidem gemma poteſtate mirifica eſt, vt & Lyncurium. Nam & ex hoc ſigilla ſcalpuntur, eſtq; duritie tanquam lapidea. trahit enim vt ſuccinum, nec, vt prædicant, feſtucas tantùm, & ligna, ſed æs etiam & ferrum in bracteas tenuata, vt Diocles quoque dicebat. Eſt autem gemma valde pellucida & frigida: præſtantior è feris quàm manſuetis: & è maribus quàm fœminis. quòd & alimentum interſit, laborque & ſegnities, quà humidior euadit. Reperiunt periti effodiendo Lyncibus occultantibus, & lotio facto arenam accumulantibus. Eſt & eius operoſior quædam tractatio & expolitio. Quando autem & ſuccinũ lapis eſt, cùm præſertim foſſile ſit: in Liguria ei etiam trahendi facultas attributa erit, maximè quòd perſpicuum ſit ab eo ferrum quoque allici. Rarus eſt omnino hic lapis, pauciſq; in locis naſcitur. conſimilem ita habere dotem connumeretur. Sunt autem & aliæ gemmæ ſignatoriæ complures, vt quæ vitrea ſpecie Hyaloides appellatur, imaginémq; reddit, & pellucet: Carbunculus, Omphax, adhæc Cryſtallus & Amethyſtus, ambæ tranſlucidæ. Hæ & Sardium inueniuntur ſaxis quibuſdam diuiſis. Aliæ ſunt etiam illæ quidem inter ſe cognomines, verumtamen, vt ſuprà dictum eſt, diſſimiles & diſpares. Nam Sardij ſpecies quæ pellucida quidem eſt, ſed rutilior, fœmina vocatur: quæ in pellucido nigricat paulo magis, appellatur mas. Itidem in Lyncurijs tranſlucidius & aliquanto flauius fœmina dicitur. Sexus quoq; diſcrimen in cæruleo maris fœminæque obſeruatur. Mas autem nigrior eſt. Onychium fuſco candidóque alternis diſtinguitur. Amethyſtus vini colore cernitur. amœna gemma eſt & Achates ab Achate fluuio Siciliæ, quæ impenſo precio venditur. Lampſaci aliquando in aurarijs metallis gemma mirabilis inuenta eſt, quæ Tiræ allata ſigillo ſcalpto Alexandro regi ob eximiam ſpeciem miſſa eſt. Atque hæ quidem cum pulchritudine coniunctam raritatem poſſident. Nam quæ in Græcia naſcuntur viliores ſunt, vt Carbunculus ex Orchomeno Arcadiæ Chio nigrior, vnde & ſpecula faciunt: & Trœzenius punico candidóque maculoſus: varius item Corinthius eadem colorum diſtinctione, tamen in pallidius degenerante. atque omnino tales plerique ſunt: verùm egregij, rari, & è paucis locis: vt Carthagine, Maſſilia, Ægypto, ad Catadupa Sienæ, ad Elephantinen, & regione Pſepho vocata. Cypro Smaragdus & Iaſpis. Quibus verò ad conſerta textu gemmarum monilia vtuntur, è Bactrianis ſunt, quos egreſſi equites circa ſolitudines colligunt, Eteſijs flantibus. nam tum motis arenis venti magnitudine internitentes viſuntur: puſilli ſunt, nec vlli magni. Eſt & in pretio lapillus, qui Margarita, id eſt, vnio, vocatur, pellucidæ naturæ bacca: vnde ſumptuoſas lineas faciunt: naſcitur in conchà pinnæ ſimili. Prouenit in India & nonnullis rubri maris inſulis. In his igitur ferè delitiæ ſitæ ſint. Sunt tamen alij quoq; nonnulli, vt Ebur foſſile nigro maculoſum, & quẽ Sapphirum vocant. Hæc enim gemma nigricat non longè à Cæruleo mare, & Praſitis æruginoſi coloris. Spiſſus etiam Hæmatites eſt & ſquallet, & nomini reſpondens, ſicco tanquam cruore concretus conſtat. Et alius eſt nomine Xanthus, non fuluus tamen, ſed potius exalbidus, quem Dores colorem Xanthũ appellant. Nam Coralium quidem (veluti enim lapis eſt) colore rubet, ceu radix tereti rotunditate: naſcitur in mari: nec longè ab eo ſuapte

natura diſcrepat lapideſcens calamus Indicus. Sed iſta alterius ſunt diſputationis. Varia porrò natura lapidum eſt, & eorum etiam, quæ è terra effodiuntur. Quidam enim aurum ſimul argentumq; continent: ſed argentum tamen ſolum conſpicuum. atq; hi & pondere & odore grauiores ſunt. Sed & Cæruleum reperitur natiuum Chryſocollam habens: alius item lapis colore carbonibus ſimilis, qui vtriq; ponderoſi ſunt. Atque omnino in metallis plurimæ & ſingulares id genus reperiuntur naturæ, partímque terræ, vt Ochra & Minium, partim velut ex arena, vt Chryſocolla & Cæruleũ: partim velut è calce, vt Sandaraca & Auripigmentũ, quæq; iſtis ſimilia. Atq; horũ quidem pleræq; proprietates ſunt in promptu. Nonnulli etiã talem vim quandã & immunitatem, non patiendi, vt diximus, habent, vt ferramento non poſſe cælari, ſed alio lapide: prorſúſq; in opere manuq; plurima eſt maiorũ etiam lapidũ differentia. Nam alij ſerra ſecantur, alij ſcalpuntur, vt dixi, & tornantur, quemadmodũ & Magnes lapis, inſigni ipſe ſpecie, quódq; in admirationem quidam rapiunt citra cognationẽ argenti ſimilitudine. Complures etiã omnem expolitionẽ admittunt. Nam & talis in Siphno effoditur tribus circiter ſtadijs à mari, rotundus inſtárq; glebæ, qui & torno raſilis eſt, & cælo ſculptilis ob mollitiem. Verùm oleo idẽ excalfactus mirũ in modũ nigreſcit dureſcítq;. Ex eo eſcaria vaſa menſis parant. Omnes igitur iſti ferrũ recipiunt, alij lapidibus alijs cauantur, ferri aciem pertinaciter aſpernantes, vt dixi. Alij ferro illi quidem, obtuſiore tamen hebetioréq; ſcalpuntur. Itidem aliorũ ima ferro vulnerantur, aliorũ non vulnerantur: tametſi ferrũ rigidiora alia & contumaciora ſecet, lapide præſertim durius. Quin etiam illud abſurdũ eſt, Cote ferrũ exedi, illam ferro viciſſim diuidi atq; concinnari, tamen in gemmam poliri non poſſe. Rurſus lapis ille, quo gemmas ſcalpunt ex eo genere eſt, ex quo Cotes, aut certè ſimili: affertur ex Armenia. Admiranda verò eius Coticulæ natura eſt, qua aurum probatur. Eandem enim quam ignis vim habere videtur, vnde & quæſtionem quidam mouent, nec admodum ſcitè, cùm eadem probatio non ſit. Ignis enim probat coloris mutatione & interpolatione, lapis attritu: is enim eſt, qui poſſit, vt videtur, cuiuſque naturam excipere. Eum hodie multo meliorem quàm olim inueniri narrant. Non enim ſolùm purum putũ, verumetiam æs auroſum, argentumq; ad obruſam indicat, quantumq; in ſtatere ſit mixtũ. indicia capiunt à minimo. Minimum eſt hordeum, deinde Collybus, mox quadrans vel ſemiobolus obolus, quibus verum probumq; intelligunt. Inueniuntur autem hæ omnes huiuſmodi in fluuio Tmolo: leues ſunt, ſcrupeæ, latæ, non rotundæ, magnitudine quàm maximus ſcrupus duplici. Refert ad probationem, ſupiníſne eorum partibus quæ apricæ erant, an pronis explores. Certius enim ſuma probant, non ab re, cùm ſicciora ſint. Nam prohibet humor experimentum rapere, quippe cùm per æſtum non alia de cauſa deterius explorent, quàm quòd ex ſe ipſis madorem aliquem remittant lubrico ob eum lapſu. quod item cùm alijs lapidibus accidit, tum etiã ijs ex quibus ſimulachra faciunt. Quod quidem ſignum arbitrantur proprium huius generis. Igitur lapidum differentiæ & poteſtatis in his ferè verſantur. Terræ verò ſunt illæ quidem pauciores, peculiares tamen magis. Nam liquari, molliri, rurſumque durari, etiam huic conueniunt. liquatur enim fuſilibus & foſſilibus, vt & lapis: rurſus mollitur factitios lapides parantibus, quorũ varietatem, reliquamq; compoſitionem coquendo, molliendóq; conſequuntur. Quòd ſi vitrũ: vt quidam narrant, ex Hyelide, quam vitreaginem, vel vitream terrã dicere poſſis, conficitur, eius certè adminiſtratio & confectio denſatione conſtabit. Singularis eſt ſuæq; proprietatis, quæ miſcetur æri: præterquam enim quòd liquatur & miſcetur, egregia quoq; vi prædita eſt, vt è coloris gratia diſcrimẽ faciat. In Cilicia genus eſt terræ, qua cocta lenteſcentéq; pro viſco vites inungunt contra inuoluolum. Quin & iſtæ ſumi differentiæ poſſunt earum, quæ ad lapideſcendum idoneæ ſunt. Nam & quæ locorum ſuccos inter ſe diſſimiles reddunt, ſuam quandam naturam habent, vt & quæ ſtirpium. Sed notabiles colorum diſcriminibus, quibus pictores vtuntur, potius enumerare retulerit. Atq; horum ortus, vt initio dixi, vel ex aliquo confluxu, vel ex percolatione eſt. Ac nonnulla quoq; deflagrata exuſtaq; videntur, vt Sandaraca, Auripigmentũ, ſimiliáq;: quæ omnia, vt paucis complectar, è ſicca fumidáq; aſpiratione proueniunt. Reperiũtur autẽ omnia in argentarijs, aurarijſq; metallis, quædam & in ærarijs, vt Auripigmentũ, Sandaraca, Chryſocolla, Rubrica, Ochra, Cæruleũ, paucũ hoc quidẽ & minutatim reperitur: aliorum viſuntur tanquam virgæ, præterquã Ochræ quam vberem ſimul eſſe prædicant. Rubricam autẽ cuiuſquemodi, adeò vt infectores ad ea quæ Andricela vocantur, & Ochra pro auripigmento vtantur, quòd nulla videatur coloris diſtinctio. ac nonnullis etiã in locis Rubricariæ, Ochrariæq; ſimul inueniuntur, vt in Cappadocia, magnáq; vis effoditur. ſed grauiſſimã foſſoribus eſſe venã hanc dicunt. ob ſuffocationis periculum: cùm ocyſſimè momentoq; id contingat. Rubrica eſſe videtur præſtantiſſima Cea, quando pleruñq; factitia eſt, duntaxat earum quæ eruuntur, cùm etiã in ferrarijs metallis reperiatur: item Lemnia & quam Sinopicam vocant. ea è Cappadocia eſt, Sino-

pémque



pémque deuehitur: in parua fodina per ſe ſola effoditur. Tria eius genera, valde rubra, exalbeſcens, media. Hanc quòd ſincera integráque ſit, ſeipſa contentam vocamus, reliquas miſcent contaminántq;. fit & ex Ochra vſta: ſed deterior, Cydiæ inuento. nam incenſa, vt aiunt, taberna, id animaduertit, Ochram conſpicatus ſemiuſtulatam atq; rubefactam. Ponunt autem ollas nouas in caminis vndiq; lutatas, quæ candefactæ eam torrent. Quò autem magis in caminis arſerint, eò magis atram carbonaceámq; reddunt. Cuius rei vel ortus ipſe locuples teſtis fuerit, iſta quippe omnia ignis ope mutari videntur: ſiquidem ſimilis hæc, aut affinis natiuæ cenſenda eſt. Eſtq; quemadmodũ Rubrica, vna natiua, altera artificioſa: item Cæruleum vnũ genitiuum, alterũ factitium, vt in Ægypto. Genera porrò Cærulei tria, Ægyptium, Scythicum, tertiúmq; Cyprium: optimum Ægyptiũ ad meraciora ſaturatioráq; trita, vel lomenta: Scythicũ ad dilutiora. Cæterùm Ægyptium factitium eſt: quíq; regum facta literis mandarunt, hoc quoq; memoriæ produnt, ecquis regum primus Cæruleũ arte adulterarit ſimulatione natiui: munera quoq; cùm ab alijs miſſitata fuiſſe, tùm verò è Phœnice tributum Cærulei partim viui, partim ignem experti. Tradunt qui pigmenta terunt, Cæruleum ex ſe quatuor colores edere, primum è tenuiſſimo candidiſſimũ, alterum è craſſiſſimo nigerrimum. Iſta igitur artificio parantur, velut & Ceruſſa. Ponunt enim in dolijs plumbum ſuper acetum, deinde vbi craſſitudinem habet quantam laterculus, quod decem circiter diebus fit, aperiunt, & deradunt ceu ſitum quendam & canitiem. ídque ſæpius faciunt, quoad materia deficiat. Quod deraſum eſt in mortario terunt, ſempérque coquunt: poſtremò quod ſubſidit, Ceruſſa eſt. Eodem etiam modo fit Ærugo. Nam rutilum æs ſuper fæcem ſtatuitur, quòdque adnaſcitur deradunt, ſic poſitum æruginoſum fit. Eſt & Minium partim natiuum, partim induſtria paratum. Natiuum vt in Hiſpanijs prædurum & lapidoſum, & Colchis: præruptam autem rupem eſſe ferunt, ex qua ſagittis decutiunt. induſtria adulteratum ſupra Epheſum eſſe, paulum duntaxat vno è loco. Arena autem eſt quam colligunt cocci colore pumicantem, quam in alucis lapideis quàm minutiſſimè tritam, in ahenis paulum lauant, quódque ſubſidit, repetitum iterum lauant & terunt, in quo ars conſiſtit. Nam alij ex pari materia multum reficiunt, alij paulum, aut quidem nihil: ſed lotura ſumma vtuntur, ſigillatim, inter ſe velut allinentes. Quod autem deorſum ſidit, Minium eſt: quod ſupra natat largius, lotura. Ferunt autem oſtendiſſe curationem & confectionem inueniſſéque Calliam quendam Athenienſem in argentarijs metallis, qui arenam illam rutilantem aurum habere ſuſpicatus, operam impenderit, collegerítque. deinde vbi nihil auri habere animaduertit, ſpeciem arenæ admiratus ex calore ita demũ ad iſtam confectionem deuenerit. Nec ita pridem iſtud factũ eſt, ſed annis circiter XC ante Praxibuli magiſtratũ Athenis. Ex quo perſpicuũ, artem partim naturæ æmulam eſſe, partim ſui cuiuſdam operis architectam: idq; vel ad vſum & cõmoditatem, vel duntaxat ad ſpeciem, vt alpes, quædam fortaſſe vtraq; de cauſa, vt argentũ liquidum. Nam & eius aliquis eſt color fitq; trito minio in æreis mortarijs piſtilliſq; ex aceto. Atq; huius quidẽ generis pleraq; alia ſumi poſſunt. Ex his autem, quæ eruuntur, effodiunturq;, reliqua ſunt genera earum fodinarum, quæ terræ ſpeciem præ ſe ferunt, quorum origo, vt initio dictũ eſt, è colluuie quadã & excretione ſinceriore æquabilioréq;, quàm alia conſtat? Multiplices autem ducũt colores, & ex materiæ & ex efficientis conditione: ex quibus partim molliendo, partim liquando & terrendo lapides iſtos, qui ex Aſia afferuntur, conficiunt. Verùm natiuæ terræ, quæq; cum elegantia coniunctã habent vtilitatem, tres ferè ſunt, aut quatuor, Melia, Cimolia, Samia, prætereáq; quarta Tymphaica, aut Gypſum. Melino pictores vtuntur ſolo, non etiã Samia terra, ob pinguedinem, denſitatem, leuorem. Nam quod leniter æquabile eſt, & ſine pinguedine accõmodatius picturæ eſt, vt Melinũ ſuapte friabilitate. Sunt autẽ in Melo & Samo diſcrimina terræ plura: ſed in Samijs fodinis nõ recti, ſed reſupini neceſſariò, vel tranſuerſi fodiunt, venáq; longè porrigitur altitudine dupondij, latitudine multo maiore. Cõtinent autẽ eam vtrinq; ſaxa, vnde extrahitur medio diſcrimine, diſcriménq; extimis anteſtat. Rurſus alia atq; alia ad quartam vſq; extrahitur, vltima vocatur Aſter. Huius terræ vſus potiſſimũ vel ſolũ eſt, ad veſtes poliendas. Vtuntur etiam in veſtimentis Tymphaica: eã gypſum vocant montis Atho & tractus illius incolæ. Gypſum prouenit in Cypro, non ſolũ vberrimum, verumetiam egregiũ. Summam enim tellurem modò molientes eruunt: in Phœnice & Syria è lapidibus coquitur. Deinde Thurijs: nam & ibi magna vis naſcitur. Tertiũ Tymphis & in Perrœbis, aliiſq; in locis. Horũ autem natura peculiaris eſt magis ſaxea quàm terrea. Lapis Alabaſtritæ ſimilis: haudquaquam grandis exciditur: verùm cuiuſdam cruſtæ inſtar. Lentor porrò & ardor in madido mirificus. Vtuntur in ædificijs, lapidem iſtũ aqua madefacientes, & ſi quid eiuſdem generis glutinare volunt. Tuſum autẽ aqua infuſa rutris ſubigunt, quòd manu propter calorem non poſſint. Statim ad vſum macerant: ſi paulò antè, mirũ dictu eſt quàm celeriter coeat. Vis eius permagna eſt, cùm lapides

franguntur aut fatiſcunt, rimáſque agunt, aut poſtremò coagmenta laxantur. Sæpe quippe ſubcidua quædam & ſubtracta videas ſummis pendentibus glutinationis vinculo. Poteſt autem eius detractum rudus iterum iterúmq; torreri, & vſui eſſe. In Cypro igitur & Phœnice, his in rebus præcipuè gypſo vtuntur: in Italia vino gypſando. Pictores etiam quibuſdam operibus adhibent. ſed & fullones veſtibus aſpergunt. Antecellere etiam cæteris videtur in fingendis ſigillis, quo & frequentius eo vti ſolent, potiſſimúmq; in Græcia, ob lentorem & leuorem. Vis quidem in his ferè verſatur: materia autem hæc vtriuſque dote prædita videtur eſſe, calcis, terræque calore & lentore: immò verò vtriuſq; exuperantiam habere, cùm & calce calidior ſit, & terra multo lentior. Iam quàm feruidum ſit gypſum, ex eo intelligi poteſt, quòd nauis aliquando veſtiaria madefacta veſte, ignéque concepto, vna quoque ipſa perpetua arſerit. Vrunt etiam gypſum in Phœnice & Syria in caminos ipſum conſtruentes. Vrunt autem potiſſimum marmoroſos lapides: ſed & vulgares adiectis duriſsimis, vt velocius vratur & melius. Nam ſemel incenſum omnium facilè calidiſſimum eſt, diúque durat. Torrefactum, in calcis morem tundunt. ex quo perſpicuum eſt, igneam planè iſtam eſſe naturam.

# THEOPHRASTI DE IGNE LIBELL.

## *ADRIANO TVRNEBO INterprete.*

### *Eiuſdem in eundem Adnotatiunculæ.*

STEPHANO PONCERIO TVRONVM ARCHIEPISCOPO ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.

*IGNIS INVENTIO ARTES OMNES, QVIBVS VIta partim ad neceſsitatem, partim ad elegantiam vtitur, mortalibus extulit: cuius repertor non alio munere prudentiam ſuam & in homines beneuolentiam magis approbauit. Nam cuius perſpicientiæ fuit, rem tam ignotam inuenire, cuius beneuolentiæ tantam vtilitatem cum humano genere communicare, quæ præſtantioris vitæ exordium attulit? Maiorem tamen eius eſſe prudentiam contenderim, qui tanquam ſecundus quidam Prometheus inſtrumenti tam opportuni vim & naturam intellexit: maiora eius in poſteritatem merita, qui diligenter literis mandauit. Primus enim ille Prometheus, quem in ferula ignem clepſiſſe dolo poëtæ ſcribunt, idquod hominis intelligentis erat, vſum rei vidit: alter iſte qui eius naturam perſpexit, nec vſum ignorauit, &, quod propemodum Dei erat, ſolertia conſecutus eſt, vt cauſas & principia cognita haberet, quibus tantæ res ab igne gererentur. Eum eſſe Theophraſtum malim ex eius oratione, quàm ex mea prædicatione cognoſcas. Fidem enim tibi faciet nemini rem eam compertiorem vnquam fuiſſe eius commentarius: quem, tametſi pluribus propè ſcatet mendis quàm verbis (vide quò prorumpat audacia mea) non ſolùm in Latinum conuertere, verùm eam tibi mittere auſus ſum. Quemadmodum autem orator quidam fractis Athenienſium opibus ſe Reip. naufragia adminiſtrare dicebat: ita mihi quoque hic accidit, vt diſiecta literarum naufragia quædam tractarem. itaque veniam eo mihi faciliorem ſpondeo, quòd & culpæ deprecationem librorum errores mihi pollicentur & interpretationem meam rudimentum quoddam operis quod alij perpoliant, haberi volo. Non dubito tamen quin exiſtimationis periculo iſtud à me ſuſceptum ſit: verùm tanti mihi fuerit famæ diſpendium, dum bono publico conſulatur. Hac mercede & omine inuidis & maleuolis quod obrodant à me nunquam deerit. Hoc autem quicquid interpretationis eſt, idcirco tibi dico, quòd ita literas ſacras & eccleſiaſticas colis, vt philoſophiam tamen obſerues: & tua in me beneficia huiuſmodi extant, vt propè ſine ſcelere non potuerim obliuiſci tui. Vale.*

THEO-



# THEOPHRASTI DE IGNE LIBEL.

## *ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

IGNIS NATVRA OMNIVM SIMPLICIVM ſingularibus maximè peculiaribuſque poteſtatibus prædita eſt. Nam aër, aqua, terra, mutuam tantum inter ſe naturæ commutationem exercent, neque quicquam eorum ſeipſum procreat: ignis autem & ſemet generare & perimere ſolet: generare minor maiorem, perimere maior minorem. Multæ quoque ſunt eius & propè violentæ procreationes, cùm & ſolidorum ictu gignatur, vt lapidum: & attritu preſſuque, vt igniariorum, quæque impetu incitata feruntur, velut eorum quæ inflammantur liquanturque. Iam verò ab aere ipſis etiam nubibus conglobatio & compreſſio euenit, cùm rapidæ & præcipites procellæ preſteras & fulmina elidant: & quæcunque tandem alia genera notamus, ſeu ſupra terrã, ſeu in terra, ſeu ſupter terram. nam multæ ferè procreationes non ſine vi quadam extitiſſe videantur. Sin minus, illud quidem certè perſpicuum eſt, multis eum modis oriri, qui nullis alijs vlla ex parte conueniant: præſertim cum ſit omnium naturalis quædã, vt dixi, commutatio & origo: itaq; illa generare noſtro more modóq; non poſſumus. Cum enim aquam fodimus, eam non facimus, ſed aquilegio venas eius ſparſas ſingillatim in apertum promimus. Huius autem non vnus eſſe modus videtur, non ſimplex, ſed multiplex ratio. maximum verò diſcrimen hoc eſſe videatur, quòd cùm illa per ſe ipſa conſtent, neque in ſubiecto hæreant vllo: igni tamen, quod vel ſenſus fide notum eſt, ſiue in elementis numerari debet, ſiue non debet, flamma & carbo ſubiiciatur: cùm illa fumus quidam ſit accenſus, hic terrena quædam ſoliditas. Itidem quoque omnia ignium genera quæ vel in ſublimi, vel in terra inflammantur: quippe cùm omnia vel aër cuiuſdam modi, vel humor, vel aër ſimul & humor & terra, vel omnia, vel duo eſſe videantur. atque adeo quicquid vulgo flagrat & procreationi vt motus adfine eſt: & in natalibus quodam modo emoritur ſuis, & ſtatim quàm materia cremandi deficit, interit. id enim eſt quod à veteribus ferebatur, Ignem ſemper paſtum deſiderare, quòd incolumis abſq; materia eſſe non poſſit. quod quidẽ quodam modo abhorrere & abſurdum eſſe videtur, Idipſum quod primũ eſt & tanquam principium ſine materia cohærere non poſſe. Ita enim neq; ſimplex ignis, neq; ſubiecto & materia prior fuerit: niſi ſi qua eiuſmodi natura in primo fortè globo eſt, vt impromiſcuus ſit & ſincerus calor, qui profecto non vreret. atqui iſta ignis propria natura eſt. Aut certe multiplex variuſque fuerit: illéque in primo globo, purus & impromiſcuus: alter in terrarum orbe, admixtus atq; naſcens. Sed ortus principium vtrúmne tandem ab illo proficiſcitur, an à ſubiectis, cùm inter ſe vel cuiuſdam modi agitatione cientur, vel habitu certo adfecta ſunt, quemadmodũ paulo ante dicebamus, an ab vtriſq;? Nam certa motio & commutatio ad caloris naturam quodam modo referuntur, & ſol ipſe horum omnium temperator & auctor. Rurſus ſi ſolis calor ſpecies quædam ignis eſt, immanem certe quandam diſſimilitudinem habuerit: cum & principium eſt, & ad res ipſas peruenit. Nam & lumen ab eo proficiſcitur, & genitalis in animantibus & ſtirpibus calor: quinetiam huius terreni & flagrantis ignis ardor ab eo gigni poteſt. Itaque multi accendentes, à ſole fulgorem exiſtimant eſſe. quod ſi nec ignis eſt, nec ignis lumen, per illud mirum fuerit: vrétque calor, quanquam non ab eo, tamen illius ope. Cæterùm illud perſpicuum eſt, ignem & ſolem, qui quidem calor eſt, in ſubiecto verſari. ſed & illud rurſum diſſentaneum fuerit, principium quodque primum eſt, in ſubiecto hærere. Nam calidum & eius vis principium eſt. hoc enim communis eſt & latius peruagatur, accommodatiúſque eſt ad mutationem & naturalem procreationem, cum ignis, vt dictum eſt, ſeipſum procreare, alia propemodum omnia conficere ſoleat. ex quo perſpicuum eſt, aliam quandam eſſe ignis, aliam caloris naturam. Nunc autem ignem dicimus, cum in parte terrena & animabili ſicci anhelitus vis aliqua flagrans & vrens ineſt: quam in liquidis verſari non licet, non aliter quàm carnem appellare ſolemus. Verum hæc in maiorem quandam nos conquiſitionem quàm pro inſtituto, euocare videntur, quæ principes cauſas inueſtigat. Apparet enim, ſi quis ita ſumat, calidum & frigidum affectiones rerum aliquarũ eſſe, non principia, nec poteſtates: ſimul ſimplicium natura mixta videtur & mutuo confuſa. Quemadmodum enim ignis ſine aëre aut humore aliquo eſſe nequit, item nec humor ſine igni, neq; terra ſine humore. argumento eſt, quòd humor concreſcit ignis expreſſione, terra conſiſtere non poteſt omni penitus defecta humore. quare promiſcua videntur omnia, & diſcriminis indigent,

indigent, vt intelligatur, ecquonam modo ſimplicia dici oporteat. quæ autem ante iſta mixta ſunt, maiores etiam quæſtiones habent, quemadmodum diximus. Sed illud profectò perſpicuum eſt, ignis naturam ſingularibus præditam eſſe plurimiſq; poteſtatibus, vt initio diſputationis dictum eſt. nam tam numeroſæ eius ſpecies, & omnibus locis eius interuentus proprietatem naturæ indicant. Non enim aliud quicquam ita ſpecie multiplex, ita varium poteſtate, ita natura diſſimile, ita per omnia peruadens tributúmque loca reperias. proinde prætermiſſa maiore prioréque quæſtione, de minoribus dicere conabimur, ducto ab ortu & interitu principio quem ſibi conſciſcit. Hûc autem ſumendum eſt quod paulo antè dictum eſt, ſenſúque compertum, In ſubiecto quodam modo hærere eius naturam, eóque modis omnibus mutabili & fungente. Hoc poſito non ab ratione iam eius ortus & interitus extiterit. nam procreat, dum ſemper vltra graſſando accendit & aſſimilat, cùm tamen interim quibuſdam partibus intermoriatur, humore eorum quæ prima deflagrarant abſumpto. Interimit minore maiori adpoſito, ſiue alimentum detrahendo, ſiue principium tollendo, & arefaciendo cùm robore eualeſcat. Non enim abſque humore quicquam deflagrauerit, neque ſi ſuppetat, vis tamen iuſta non adſit quæ efficiat. Eodem modo & ex ſuffocatione extinguitur. tum enim calor coaceruatus, non effluendo, principium tabefacit, & deſiccat eliſu quodam & compreſſu: proinde non inſcitè ſuffocari ignis dicitur. nam & denſatus aër efficere iſtud poſſet, incenſúſque multo magis & celerius. Iiſdem paribúſque de cauſis & in ſole malignius vrit ignis, quàm in vmbra, & lucernæ minus lucent igni ardente, extinguuntúrque omnino ſupra flamma poſitæ: quòd tum principium á maiore vi impediatur & elangueſcat. Quod autem contrarium eſt, eandem & perſimilem cauſam habet, Quæ cremantur citius deflagrare hyeme quàm æſtate. imbecilliorem enim ignem reddit æſtas, vt & ſol, & ignis ipſe lumen: at hyems & ambiens aëris horror colligunt. quicquid autem collectum eſt, corroboratur: quocirca & in laternis lumen clarius lucet. In totum, conſociata & collecta poteſtas omnis corroboratior eſt ponderis more, quod maius redditur. Multa eiuſdem generis, à calore adſciſcere licet, verbi gratia, vnctorum ſudationes & balnearia hyeme quàm vere, aquilone quàm auſtro calidiora ſunt. nam hyeme circundatus aër contrahit & concludit calorem, & corpora melius cibos concoquunt: & frigoribus omnino robuſtiora ſunt, quod coactus ſit calor, & compulſus vndique teneatur. Iſta de cauſa nonnunquam frigus idem quod calor efficere videtur, & abſolutè, & ſuperlatè. nam frigoribus fructus coqui prædicant, & adurere æſtum & frigus. nec id verè loquuntur tamen: propterea quòd ſic vrere & coquere frigus videtur, non ſua ſponte, ſed ex conſecutione: quia contrahit & cogit calorem huius rei effectorem, qui copioſior, etiam protinus valentior eſt. Eadem cauſa eſt, cur hominibus cum animo male eſt, aquam offundunt, affectu tamen frigido. Obſtruens enim meatus & circuniectum aërem refrigerans, arcet & exire prohibet calorem, quem colligere & reuocare oportet. Itaque præcipiunt nonnulli, ſpiritum quem ducimus, continendum eſſe. ſimul enim incaleſcunt interiora, ſimul ſudor coortus ſoluit animi defectum. frigoribus porrò caleſcit magis ignis, & in vmbra, quàm in ſole: quòd circuniectio ſit frigidior, expreſſo magis & expulſo calore. Et terræ interiora hyeme quàm æſtate eadem de cauſa calidiora ſunt. Sed & nonnulla impenſius feruent: non tamen aqua calida item efferueſcit, vt æſtate. quanquam interdum calidior, quòd immodicus feruor in bullarum eruptione poſitus ſit: quæ non ſimiliter attolli poſſunt propter ambientis aeris rigorem prementem & tanquam euerberantem. Proinde ſubitò collabuntur, numeròque pauciores & magnitudine minores gignuntur: æſtate, contra. Quòd autem valentiſſimum ſit frigus ad colligendum & coaceruandum calorem, documento ſunt ductilia & fuſilia, quæ liquantur & rumpuntur. Stannum & plumbum in Ponto tradunt per immane hyemis frigus & glaciem aliquando tabuiſſe, æs ruptum eſſe: quod profecto fit humore in flatum abeunte, quando conſtringitur calor & coit. flatus enim egrediens erumpit. Sed & à niue terræ fermentatio idem declarat: & nonnullæ beſtiolæ quæ in niue gignuntur: omninoque mutatio omnium in terra vel ab aqua auſpicantibus: quando vapor & anhelitus vberior prouenit, nō ſolùm ex caloris coaceruatione, verùm etiam propter compulſionem terra humeſcente. Ex multis igitur iſtud conſtat, valentiorem eſſe collectum, & imbecilliorem reddi diffuſum calorem. Eôdem illud quoque pertinet, Ignem tectum permanere. cinis enim arcet cohibetque, atque efficit ne adiecto externo aëre reſtinguatur. frigida enim extingunt. Ignem non effluere. ſic enim contabeſcit, humore conſumpto. Flammam, ſi qua ineſt, non coaceruari, quemadmodum apud fornaces carbonarias: ſed ſatis tamen tranſitus habere. Quod autem repugnare videtur, non erutum citius interire, ablato, quàm non ſublato cinere, nihil ſane repugnat. eius enim eam eſſe paucitatem oportet, quæ aeris appulſionem non prohibeat: neque rurſum ex igni tantum effluere, vt admiſceatur & obtineat aduerſus aëris adiectum: quod





in nudo magis certe fieret. ex quo non abs re celerius abſumitur. Eius enim multi ſunt interitus: vnus propè naturalis, omni conſumpto humore, quòdque adeo cremabile eſt. tum enim tanquam ſeneſcit & emareſcit: alij externi, quorum genus vnum ab cognatis rebus, quas paulò ante diximus: alij à frigore, qui proprij magis eſſe videantur, quàm à cognatis: propterea quòd contraria ſuapte natura contrarijs exitioſa ſunt. Itaque frigus etiam incurrens in ignem cinere obductum, eum extinguit, materiáque iam aliqua calida & frigida penetrabilis principium interimit: quando & foco idonea, vt lignum, plus æquo circunfluens: cùm etiam flamma intereat flatus magnitudine. ſic enim & hic extinguitur ferè, interempto, non ſuperato principio motus magnitudine. Proinde ſi quid lucernis ſuperponas, minus extinguuntur. quaſque hodie æreas lucernas fabricant, quibus pro laternis vtuntur, prorſus non extinguuntur, niſi ſæuus flatus inceſſat. non enim facilem ingreſſum præbent, vt attingi principium poſſit: quod quandiu incolume manet, tanquam aquæ caput permanet. Interit etiam, ſi quis nullam reſpirationem concedat. itaque id ne eueniat, cauent qui cinere operiunt. nam ſi effluere prohibeatur, ſeipſum comprimit & elidit. Ac ſi quis thedas vel prunas comprimat, non ſecus quam lucernæ extinguuntur, cum etiam in magnis lucernis eadem de cauſa ignis reſtinguatur. pinguis enim & immotus aër tanquam comprimit & collidit: & velut ſolida perrumpere non poteſt ignis, inane deſiderans, quod affectat & in quo trepidat. Iſta de cauſa aër operarios ſtrangulat, quòd plenus & deſes reſpirationi non concedat: proinde ſpiracula aperiunt, vt motu attenuetur & demigrans locum cedat. Quod autem aer plenior reſpirationem difficilem afferat, quanquam vel ſolo verbo perſpicuum eſt, tamen id etiam nebuloſa & caliginoſa loca declarant. Atque harum rerum iſtas ferè quis eſſe cauſas coniecerit. Cæterùm principij interitum ad extinctionem eſſe efficaciſſimum, hinc perſpicuum fuerit. Picem ardentem aqua non reſtinguit, oleum extinguit: propterea quòd ea tenuius & ſubtilius ad principium peruadit: quanquam omnium ad cremandum aptiſſimum, ſed quicquid deprehenderit & oppreſſerit, extinguit, velut & lucernis ipſis ſuperfuſum. Rurſus acetum eandem ob cauſam quam aqua magis extinguit: cùm ſit tamen reliquorum calidiſſimum. ſubit enim maxime, & magna copia, vt principium attingat. Nam quod frigidum eſt, non quia frigidum, vſque quaque extinguit. quod ex eo perſpici poteſt, quia feruens aqua extinguit. ſed quia principium intercludit & occupat: proinde ambo compoſita, humidum & frigidum vehementius perimunt, cùm præſertim contrarijs à ſuis contrarijs exitium oriatur, igniſque calidus ſit & ſiccus. verum illa tamen ſeparata exitioſa ſunt. nam aer, vt frigidus extinguit: aqua, vt humida. qui quidem interitus naturalibus ſimiles ſunt quos contrarijs ſua afferunt contraria: quem autem ſibi conſciſcit, veluti contra naturam eſt, nec tamen contra naturam eſt, maiorem vim à minore ſuperari. cum etiam quæ propriè exitialia ſunt, exuperantia perimant: quando eatenus amplificant, quoad moderata ſunt: verbi cauſa, humor ipſe ardendo, & frigus comprimendo corroborant: flatus agitatione accendit & exuſcitat. Itaque lucernæ plus olei per flatum conſumunt, & ligna citius cremantur, acriore & maiore motu laceſſente: qui ſi porrò maior ſit & immodicus, extinguit. ideoque lucerna flatu extinguitur: ligna & carbones accenduntur. nec enim modificatum flatum accipere poteſt: ſimul cùm ipſa ardeat, & quod flagret in promptu habeat, externo non indiget afflatu. nam & ellychnium, rarum præſertim & ſiccum, humorem allicit, & oleum ipſum quod flagrat. lignum autem & carbo ardere non poſſunt, niſi adflata, propter terrenam ſoliditatem. crebra quippe foramina eorum omnium ſunt, quæ aperit & peruia reddit igni flatus: & quo plura minutiúſque diuiſa occurrunt, eo magis. Ideo carbones nonnunquam frangentes & inter ſe admouentes aſpirant. nam ex puſillis coeuntibus tanquam laticibus, flamma cumulatur: & igniaria tritu idem iſtud faciunt, ligníſque minutos fomites & cremia adhibentes, carbones afflant. & carbo ipſe afflatus magis citiúſque accenditur, velut in ferrarijs officinis. Atque id non ab nulla ratione fieri videtur, Iuuari ignem flatu. quippe cum ignis flatus quædam natura ſit. Sed quoniam plurima ſunt, eáq; paſſim diſcrepantia, quæ vel cremari, vel igneſcere queant, proinde eorū quoq; poteſtates ſunt diſpares: nec quòd aliud, idem aliud, quoduis protinus efficerit, velut carbo, nō item vti flam̄a illuminat, nec ea & lucerna ſimiliter, nec iſta flagrans & malignius ardens. ſed quo purior flam̄a eſt, eo minus terreni habet & aquei, aut poſtremo quòd officiat, quibus ex rebus fumus & exhalatio vaporatur. eo proinde nomine viridiū lignorum flamma rutilior eſt, quàm coctilium: quòd in ea plus iſtius generis eſt per quod perlucens inficitur, veluti ſol cœlo concretiore. Carbo autem flam̄am præter admodū paucam non gignit: propterea quòd in eo magna vis humoris non eſt, qui in aërem mutetur. humor enim igneſcens flamma eſt. Cùm ergo in his tanta varietas verſetur, non temerariū fuerit à nonnullis minus calidis quædā magis incaleſere, velut harundi-

nis flamma homines & aquam, magis quàm lignorum. quanquam vt ignis à ſolidiſſimis quibuſque eſt, ita maximè calet: cum carbo tamen qui ſolidiſſimus eſt, minime omnium calefaciat: ſolisque vapor homines meritò colorauerit, ignis non colorauerit. In quibus omnibus tenuitatem & craſſitudinem iure quis cauſabitur. Carnem enim & aquam velociſſimè calfacit harundinum flamma, propter ſubtilitatem & crebritatem. ſubtilis enim eſt, quia leuis: crebra, quia continens. Subtilitas autem penetrabilis eſt, calorque ex contagione & admixtione contingit. qua de cauſa etiam flamma quàm toti carbones ad id efficacior, ſimúlque vberior & confertior eſt emanatio. In totum non ijsdem fortaſſe vtrunque calfacit: ſin minus, certè non eodem vtriuſque habitu: ſed ſolidiſſimus quiſque carbo, flamma tenuiſſima & creberrima. His de cauſis nonnulla impenſius flamma calfacir: verum non item torret & vrit: quòd tenuior & imbecillior ſit. Ignis enim in ſolido & terreno calidiſſimus eſt, non æquè tamen ſe effert, ſed denſitate cohibetur, & corpus torridum occupat. Solidum autem propter denſitatem & duritiem, ignitum vrit, quemadmodum ferrum, æs, lapis, oſtrea inania, quorum frigidiſſima ferè natura eſt. continent enim in ſe ipſa calorem & conſeruant. Itaque ex eo carnem maxime torrent. Adhæc flammæ trepidatio, aliquid mutat. proinde qui in flamma manus mouent leuiter, non vruntur. nam celerior manus agitatio etiam partes tranſmouendo, vri prohibet. non enim vrit tantundem non permanenti. Quo fit vt qui in ſole ambulant, minus vrantur ſedentibus, & qui currunt etiam ambulantibus minus: adde quòd his aeris etiam motus aliquid refrigerationis fortaſſis affert. Magni autem refert & ad liquandum & coquendum reliquaq; generis eiusdem, qualis quæq; materia ſit, verbi gratia, flammã ne mollem habeat, an calidiſſimã, an non duram, an rurſum velocem & vehementiorem & confertam. nam à laxis & mollibus mollior quoque oritur calor, à duris & denſis vehementior. Itaque medici vitice clauos adurunt, cuius calor molliſſimus eſt. itidem in fomentis & vnctionibus ab huiuſmodi materijs vaporem ferè flagitant: ſic aliæ artes pro rata portione. quarum enim adminiſtratio vehementioris eſt operis, velut ferrariorum ars, vaporem acerrimum deſiderant: proinde carbones omnium denſiſſimos terrenóſq; maxime ſumunt, ac nonnullos quoq; στιπτοὺς, id eſt ſtrictiuos reddunt, quo maior vis ſit: folleſque adhibent. ſic enim acrior calor eſt & plenior, præterea flatu accendente. In quo & illa quoque quæſtio ſoluitur, quid ſit quòd ſol carnem coloret, ignis non coloret. euenit enim vt ſolis calor tenuis & mollis ſenſim foramina ineat, & ſumma corporis vaporet & inurat. proinde ſine doloris ſenſu ſuſtinetur: ignis calor craſſior & violentior, cum amplius calfaciat, ſtatim ſubeunte ſanguine coloris bonitatem adfert, poſtea non remanet. Si quis tamen eo vehementius vtatur, vt vſtuletur, atrum reddit. nam arbuſta atra ſunt, atque adeo quæ vſtilantur. ex quo & ignis maculæ talem nonnunquam colorem habent, tanquam igni extincto, velut in carbonibus. nihil enim abſque humore nigricat, quo vſto & deflagrato, alba efficiuntur omnia & cineritia quemadmodum & oſſa. Quod autem de fictilibus fertur, ea nigreſcere igni, carnem non nigreſcere, aut verum non eſt, aut diſſimile. nam admixtione aliqua infuſcat, fuliginem & fumum offundens, quemadmodum & ligna, & fictilia, & parietes: quando & carbones eodem ferè modo. ſubit enim penitus fumus, magnam vim terreni tollens, ſimul non omnis humor exuritur, ſi minuitur: quamobrem alijs omnibus grauiores ſunt. nam dum eiuſmodi tollitur anhelitus flatu trahitur, & porrò penetrat: proinde caput grauitate afficit, & totum corpus tentat. atque harum rerum iſtam cauſam exiſtimare conuenit. Quod ſi alijs in generibus calor verſetur, in materia, verbi gratia, humida vel ſicca, maius quoque ex eo diſcrimen extiterit. nam multa calor vterque efficere non poteſt, non imbecillior alioqui, quæ tamen alteruter poteſt: velut aqua feruens, quanquam tactu calidior, aut certe non minus calida quàm flamma, non magnopere liquat. rurſum ignis humorem paulatim educere non poteſt, neque inire & craſſum reddere, ſed propter ſiccitatem externis omnibus foraminibus denſatis, tanquam oua reddit. eodem quoque modo ſi quid oporteat molli calore coquere, vel craſſum reddere, humor tanquam concreſcens mollit. Quamobrem cùm exſiccatus aër eſt, fructus carbunculat, & vbicunque terrarum eſt eius generis, iſtud ſemper euenit: præterquam ſicubi irriguum ſolum ſuccum miniſtrando opitulatur, vel ros cadit, vt ſimul & alimentum capeſſant & maturentur. Has igitur ad res vtilis eſt ignis in humore, vel calor cum humido. Cæterum ad liquandum inutilis humor. cauſa eſt, quòd quæ liquabilia ſunt, cùm aquæ cenſeantur, calore ſicco ſuapte natura indigent vt fundantur: cùm præſertim ſimile à ſimili nihil patiatur. ſimul immoderatio foraminum aduerſatur, vt humor recipi non poſſit, cum grandium ſit partium, nec ab humore ſeparatus calor, ea ingrediatur: imbecilliorque ſit quam vt aperire foramina queat, externis præſertim partibus denſis & continuis. Iſta de cauſa ſiccus calor conuenit liquationi, modum quendam & temperamentum adeptus, cùm ma-





ior eius vis exurat: quædam etiam omnino vel ante diſſolutionem torreat. Nonnulla tanto egent calore, quantus tenuiore gignitur aquæ portione, velut retia & licia quæ coquuntur. nam iſta vapore concalefacta cocturam accipiunt, admixto vnà humore, quòd & illis vtiliſſimum eſt ad firmitatem. Nonnulla item eſculenta ſic coquuntur, quæ humorem auent effugere. Proinde non malè ſuffocationis nomen impoſitum eſt. includunt enim operculantes, & obſtruentes vaporem, vt tertius quidam receſſus à primo & ortus eſſe videatur. Nam humor à ſicco incaleſcit, hoc verò ab humore: niſi quod illud fit admixto quodam modo igne, hoc cùm ſuum & proprium quiddam excernitur & decedit. Sed calor qui in corporibus animatis ineſt, pluribus admixtus & peculiari quodam modo temperatus, viuax & genitalis ad procreationem ſimilium redditur: & illo etiam prior ſolis calor. Is enim etiam genitalis animantium & ſtirpium eſt: qui in aëre impromiſcuus non manet, ſed in eo potius naſcitur, moderationem quandam mollitudinis & ſubtilitatis habens ad generandum, non ignis more duritiam quandam torrentem. Itaque ſemina fricta non germinant, à ſole calefacta ſupra modum (nonnunquam enim aiunt apud Babylonem alijſque in locis calidioribus in areis frumenta tanquam torrida ſalire) nihilo ſecius generant & germinant. Ergo ignis iſtas caloris tot tantáſque diſſimilitudines habet, cum ſuapte natura vrens, tum vero cum alijs & in alijs mixtus. Ex hac ferè cauſa illa etiam ſoluitur quæſtio, quid ſit quod venter numos liquare poſſit, aqua feruens ventre calidior non poſſit. Nam in totum, vt dixi, humor liquationem impedit, ſimul ob mollitudinem & partium magnitudinem diuidere & aperire foramina non poteſt. at ventris calor ſiccus magis terreſtriſque eſt, ſecreto ſemper & peſſum in veſicam eunte humore. Rurſum quamobrem eorum qui in rogo cremati ſunt, reliquiæ quædam ſuperant: qui autem lapis apud Aſſum eruitur, ex quo loculos faciunt, & vbicunque terrarum talis lapis eſt, perpetua corpora conſumit, & in cineres redigit. hic enim etiam calor intereſt. Quod enim iſtud lapis natiuo calore efficiat, argumento eſt calx, quæ ex eo fit. cæterùm quod calidius eſt, & celeriter, & in tenuia comminuit. calidiora enim & agiliora, veluti flamma, celeritatem habent: in puſilla comminuunt, quæ ex minutioribus coaluere particulis, quod quoquouerſum penetrent. cuiuſmodi eſt lapidis illius calor: quando idẽ etiam aër incluſus in loculis efficit, & omnia in cinerem ſoluit: longiore tamen incaleſcens ſpacio. Illius autem lapidis calor eſt ille quidem igne imbecillior, ſubtilior tamen: aëre verò qui incluſus eſt, calidior, ſed tenuis minus, vt iſto celerius, illo diutius, ſed minutius tamen diuidat. Quoniam autem corpulentiora omnia & concretiora impenſius incandeſcunt calefacta, idcirco vbicunque craſſus eſt & caliginoſus aër, ibi maiores concitantur æſtus: proinde tractus nonnulli frigidiſſimi, ijdem æſtuoſiſſimi ſunt. nam aër ſemel incenſus cum in ſe ob craſſitudinem calorem ipſe contineat, locum torret: ſúntque ferè tractus eiuſmodi ab omni ſilentes aura: ſin flatus fortè inceſſat calidum aërem obiectando torretur. Iſta autem de cauſa ex elixis quæ craſſiora ſunt, calidiora etiam experimur, velut lac & ſorbitiones aqua. quod ſi quid adijciatur aquæ, calorem citius concipiet quàm mera. nam id obſtruet, nec foras calorem efflari ſinet, non aliter quàm operculata. Quin etiam calefactum inuicem calefacit. quicquid enim denſitatem habet, ex retentione id efficere poteſt. nam qui in tenui verſatur fluidus ipſe nec permanens, & particulis ſubtilis & minutus eſt, non æquè incenditur: qui ſecus affectus eſt, ex aceruatione vrit acrius & diutius. Omnis autem flamma candidiſſima & liquidiſſima eſt, media, ima & extrema rubeſcit magis & infuſcatur: quod in lucerna maximè apparet, cum à vapore ſinceriſſimum medium ſit. Nam quâ naribus & lucernæ propinquat, meritò nigricat magis, propterea quod eô vapor fertur: ſumma autem, colluuies quædam petit deſinente iam igni & ſimul ineunte in confinio aëre. nam vis omnis flammæ in ſummo eſt, & omnis eius impetus. Itaque illud fumus præcipuè capeſſit, illuc intendit. Fortaſſe ne illud quidem ab re dicetur, immo & verius, nequedum quà gignitur ſimilem eſſe, neque iam quâ interit. nam ima gignitur, ſumma interit ab aëre media mundiſſima & liquidiſſima eſt. proinde hic nihil perſpicitur: ſumma prohibet, quia in acumen coeunt & agitantur. Illud autem ambigitur, quamobrem ſit flammæ figura metæ ſimilis. Ac Democritus quidem ait, alijs omnibus circa frigentibus eam in arctum cogi, poſtremóque acuminari. Nonnulli veterum alij agitatione aëris & flatus incurrentis circuncidi. nam & ſumma flammæ imbecilliora eſſe, & multo ſollicitari motu non refrigerari, propter incurrentis flatus agitationem. Nam ſi ex refrigeratione fieret, eodem ſemper modo euenire oporteret. Sed tamen cùm eorum neutrum verum ſit, ex agitatione potius quàm refrigeratione acueretur. Veruntamen ridicula plane eſt iſta aeris incurrentis impulſio. nam ignis ſuopte mouetur impulſu, aërémque potius mouet, quàm ab eo mouetur repellendo: quando etiam in ſerenitate nihilo ſecius flamma acuitur. Iam illa quoque diſtractio aliena eſt, tanquam leuium & innatantium rerum. Ita-

que iſta pariter euenire omni ex parte oportebat: quóque maior eſſet flatus, eò magis: non vndique frangi & diſiectari: nunc aura ſilente flamma præcipuè faſtigiatur, nullo impedita flatu, qui rectum eius impetum interpellat. hoc ergo præterquam quòd verum non eſt, etiam parum ſolers videtur. Sed cum ſemper agitetur & fluat ignis: fluentia autem ſubinde in minus deſinant, niſi aliunde quid affluat, neceſſe profectò fuerit, eum longius porrectum, continuationémque ſeruantem, tandem magis coarctari. atque iſta plane fuerit in figura flammæ cauſa. Imum quippe primordium & valentiſſimum & vberrimum eſt, tractu deinde minuitur ſemper, deſinénſque imbecillitate elangueſcit continuatione retenta: quod quidem in aquis etiam vſu venit, vſuueniretque ſemper niſi gurgites interuenirent alij. vt enim quicque fonti vberrimo & copioſiſſimo proximum eſt, ita maxime abundat: deinde magis magiſque ſemper minuitur, ac poſtremo deficit: niſi ſi locus aliquis profundus aut inæqualis amplius vel colligat, vel expandat. Idem autem in aëre & flamma non accidit, illo æquali, hac propter locorum inclinationem eandem non eunte viam. Similis nec minus fortè propinqua ſtirpium conditio, quarum incrementa in gracilitatem ſcandunt, & in acumen ad eum finem nititur caloris conatus, quoad aliud à ſe principium nactus ramorum & flagellorum agnationem moliatur. Quod ſi quid ambiens aër vel interpellat, vel detrahit, quod probabile eſt, certè non vt agitatus, ſed vt frigidus id effecerit. amplius autem detrahit de imbecilliori, plúſque pollet in longum porrecto. ac de figura quidem ſatis. Multiplex autem cum ſit ignis interitus, ad vnumquenque ſingula referre tentandum eſt, velut iſta: Cur quæ carnem, non item ventrem vrunt? Cur lucernas in os inditas nonnulli extinguunt, nec vruntur? Cur qui candentia verucula vehementius & arctius premunt, minus vruntur? itaque qui per ignem incedunt præter alia quæ parant, iſtud quoque facere prædicant. Cur vſtulata calore compeſcuntur, nec puſtulas attollunt? Omnia enim iſta, ſi quid ijs ſimile, in illas cadunt cauſas, tum quòd minori maior exitium & tabem affert: tùm quòd principium opprimitur & ſtrangulatur. Idem enim efficit os, venter, preſſus. Non enim effluere ſinunt, cum ignis non effluens minus vrat. harum enim cauſarum iſta vis eſt: quando & ille calcando mutandóque carbones preſſu reſtinguunt. Cæterùm illa humidorum materia ad extinguendum multo accommodatiſſima eſt, quæ ad principium maxime peruadit, quemadmodum de aceto diximus. Quod ſi lentum quiddam immixtum ſit, tum verò multo magis, cum alterum penetret viámque faciat, alterum tanquam quodam vnguine obducat & operculet. Itaque efficaciſſimum & valentiſſimum fuerit ad extinguendum, ſi acetum oui candido admiſceas, quorum vnum lentum, alterum penetrabile eſt, aduerſúſque incendia machinarum præſentiſſimum eſſe auxilium prædicant. Quod ſi cum eiuſmodi humore frigoris vis coniuncta ſit, id etiam ad extinctionem conferre, velut in ſalamandra. nam beſtia frigida eſt ſuapte natura, humore qui effluit lento, eúmque habente ſuccum qui penitus peruadat. Argumento eſt letales reddi aquas & fructus, ſi miſceatur, magíſque ea mortua. Sed & inceſſus quoque languor confert diutius morante, magíſque reſtinguente: nec ignem quantuncunque reſtinguit, ſed pro naturæ viriúmque modo, qui etiam niſi immoretur, reuiuiſcit. Huic conſentaneum eſt, viſcata non vri: ideo quædam ne lædantur, vngunt. nam viſcum frigidum & lentum eſt, vt propter denſitatem non recipiat, & propter frigus extinguat. atque harum quidem rerum iſtæ ſunt cauſæ. Quod autem vſtulata non attollantur, & ſi quid aliud tale eſt, in cauſa eſt maior calor minorem ſuperans & illam exſiccans colluuiem, vnde puſtulæ proueniunt, quemadmodum diximus: principiumqúe arefaciens. ſic extinctiones ſigillatim ſpectandæ ſunt. Quid eſt quamobrem igniaria ex ligno conficiunt? quanquam cùm ex eo ignis non proſiliat, malignius gignitur. immo verò iſtud verũ non eſt, cùm præſertim ex plurimis materijs & melius & celerius concipiatur. Sed tamen ſi ita ſe res habet, hæc exiſtimanda cauſa eſt, ſtatim in materia ineſſe fomites quoſdam igni cognatos: ac ſi nulla alia de cauſa, certe celerius accenditur ob infirmitatem: at lapis nullum fomitem habet, quòd aret exſiccatiſſimúſque eſt. Proinde quod proſilit ignitum candénſque ſtatim fomiti admouent. Accenduntur igniaria facilius aquilone quàm auſtro: propterea quod tum ſicciora facilius & minore attritu incaleſcunt: quo etiam nomine nec ex qualibet, ſed ex certa materia comparantur, quòd ſubeſſe quandam moderationem oporteat. Laudatiſſima fieri quidam aiunt ex hedera: focum alij ex adrachne quæ vocatur: terebrum autem ex lauro: non enim ex eodem fuerit quod facit & quod patitur, quæ natura ſtatim diuerſa ſunt. optima ſunt & è rhamno: potius tamen ad focum. ſed præter ſiccitatem ſuccum aliquem & laxitatem ineſſe oportet, & vt attritus valeat, terebrum firmius & rigidius eſſe. proinde ex lauro optimum eſt. nam ſaluum ſine noxa, ſua etiam acrimonia agit. Cùm autem abſque humore & exhalatione calor non ſit, idcirco calx infuſa aqua magis vrit quàm ſola. nam ea materia eſt reliquijs ig-

nis, velut



nis, velut lucerna. Neque verò id facit vel vetus nimium, vel minuta, ſed non pridem cocta & gleboſa: illam enim diuturnitas temporis reſpiratione difflauit, & minuta paulum admodum ignis habet, eiúſque proinde imbecilli. Idem etiam in phœnicia gypſo euenire prædicant. nam dum ſubigitur vrere narrant. nihil enim refert, natiuúſne an aduentitius & oblatus ſit calor. Nitrum quoque vſtum talem quodam modo dum effoditur poteſtatem ſignificat. infuſa quippe calida calfacit, & tactui ſenſum affert. Semper autem in omnibus iſtis temperamento aliquo eſt opus, vt ſuperetur humor. nam hac de cauſa vinum quoque igni ſuperfuſum, velut à libantibus, flagrat & mare cùm reſtinguunt: ſed & aqua, ſi pauca ſit. coactus enim & coaceruatus ignis eualuerit. Sed in pice quæ crematur, multo magis iſta eueniunt: propterea quòd flamma & præceps magis eſt, & maior vt exiliat, & ædificia comburat. quicquid enim incidit exuperatum & extenuatum inflammatur: quo igneſcente flamma crepitat, calore & humore pugnantibus: quemadmodum & in extinctione accidit. Nam aër interceptus & hic, & illic ſonat. quod etiam in lucernis videre licet, ſi aqua quæ extinguere ſolet, oleo inſit. Iam folia lauri & hederæ, & alia ſimilia diſſiliunt, propter denſitatem & humoris copiam. nec enim multum emittunt, nec tranſmittunt propter denſitatem, vnde & crepitus. Itidem & ligna quæ vruntur, partim diſploduntur & diſſiliunt: partim continentem crepitum edunt, quod nonnulli Vulcanum ridere, alij minari dicunt. nam & hic in aerem extenuato ſemper humore, & præcipiti violentoque impetu erumpente interdum fragor & ſaltus quidam datur: interdum perpetuus crepitus & inflammatio: quod idem quodam modo facit ignis in puteo, cum flatus eſt, eo ſcilicet igneſcente. Fumus autem minus infeſtus eſt, cùm eodem in loco ignis eſt. proinde in ſpeluncis qui obſidentur fumo, ſi ignem habeant, nihil læduntur, calorem fumi reſtinguente igni: quando minor etiam ignis à maiore conſumitur, qui ſi extinguitur, fumus etiam interit. quo fit vt ſol velut ignis ne infumemur auxilio ſit: ſed quem intra ictum habet ignis & vltro incurrentem accendit. Itaque qui propter ignem aſſidet minus laceſſitur, cùm ignis non ſolùm id faciat, verùm etiam tollat & ſurſum pellat. Qua de cauſa magnus etiam & luculentus ignis ſine fumo eſt: propterea quod inflammatur, & à multo igne vincitur. nam quo plus eſt quod cremetur, eo minus eſt quod infumet, cùm vel accendatur, vel vaporetur: & ſiccis lignis in ſtruem crebram compoſitis impoſiti ſupra carbones minus fumoſum reddunt ignem, fumo omni inflammato, qui ſtatim in ignem incidit, & crebritate demergitur. Fumi ſunt moleſti ligna viridia, tortuoſa, tænias habentia, qualis eſt palma. eſſe enim infirmiſſimam materiam oportet, & quam flamma facile carpat. proinde fiſſa non fiſſis, in quibus cortex prohibet, facilius cremantur. Sed & ſi quis moueat, & tranſponat flagrantia, fumoſiora redduntur: propterea quod euenit, vt partim conuerſa extinguantur, partim non ardeant, commodum adiecto igne: ſed tantum fument. nonnulla quæ malignius cremantur, circum vſtulata prolixè cremantur, velut oleagina. Itaque negant eſſe diu flandum, niſi ſi multi ſint codices. Iam acrimonia fumi prouenit ex cuiuſque humore: proinde è ficu acris eſt, lacte plurimo ſuffuſa: thedæ & pini mordax non eſt, pinguis præſertim & oleoſus, & qui nihil, vt fumus, aſperum, nihil terrenum obtineat. Cur autem à ſole ignis accendatur læuium refractione (admiſcent autem & fomites) ab igne non accendatur, in cauſa eſt partium ſubtilitas, & maior ex refractione continuatio, quod in hoc propter diſſimilitudinem fieri non poteſt. proinde ille & ex aceruatione & ſubtilitate ad fomitem peruadens accendere poteſt: hic neutro præditus, non poteſt. Accenditur porrò vitro, ære, argento certo modo fabrefactis, non vt Gorgias ait, & alij nonnulli putant, quòd ignis per foramina elapſus abeat. qui algent ſenſim fouentur, calfiúntque: & qui lauant etiam primum tepida perfunduntur, vt ingrediendo diffundat. nam nimius præcépsque calor foramina præcludit, qui frigidum partim vndique demouens compriménſque horrorem parit, partim egredi non ſinit, vt frigus non deſinat, verùm partim amburantur, partim perfrigeſcant, velut in ijs quæ malè aſſantur, in quibus externa torrentur, interna cruda manent, concreſcentibus, nec tranſmittentibus foraminibus. Itaque mollitudinem aliquam & temperamentum ad aſſandum requirunt, maioríſque operis & artis eſſe prædicant, ritè aſſare, quàm elixare. Carbones autem nigri ſunt, quia fumus ſuapte natura niger in eis includitur, quo tanquam ſuffecti tinguntur: omniúmque nigerrimi ſunt factitij. Sic enim vrunt, vt vaporantes extinguant, & paulum admodum reſpirationis tribuentes. nam ſi inflammaretur ignis, deflagrarent in cinerem. Niger autem eſt fumus, quia ex humore conſtat in flatum & terram diſſoluto, cùm alioqui flatus etiam ater ſit: quippe cùm aër natura nigreſcat. quo ad igitur ignem habent, rubri videntur. nam per nigrum candida punicea cernuntur, velut ſol per fumum & caliginem. proinde carbo quam flamma magis rubet, quando fumus ſecretus ſubtilior eſt, quàm terrenum adhuc inhæreſcens ligno: proinde carbo minus dilucidus eſt, quando & flamma

fumoſior, minus pellucida eſt, & ex viridibus lignis rutila magis. poſt vbi extincti ſunt, ſtrangulatu incluſi, & in eis extincti fumi nigri euadunt ob eam cauſam quam memorauimus. Cæterum excrementa vaporis maximè permanent, propterea quòd afflatus ignis (imprimis enim flatuoſus ignis eſt) intercluditur. Sed his de rebus hactenus dictum ſatis in præſentia ſit: accuratius poſtea de his alio loco diſſeremus.

## ANNOTATIVNCVLÆ IN EVNDEM LIB. DE IGNE, EODEM AVCTORE.

V*T Igniariorum*) Igniaria veteres è ligno parabant. eorum pars vna ἐσχάρα, id eſt focus, vel vt Apollonij interpres ait, στορεὺς dicebatur, id eſt ſtrator: altera τρύπανον, id eſt terebrum. De igniarijs ſic Plinius, *Exploratorum hoc vſu, in caſtris paſtorúmque reperit, quoniam ad excutiendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt.* Teritur ergo lignum ligno, ignémque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis fungi vel foliorum facillimè conceptum. Meminit & Theophraſtus lib. 5. de Hiſtoria ſtirpium, & in huius libelli fine.

*Quæ inflammantur liquantúrque*) velut in aëre motu ipſo & attritu concipiunt ardorem ea quæ longam ſemitam ſignare videmus: & apud Lucretium,

*Glans etiam longo tractu voluenda liqueſcit.*

*Neq; ſimplex*) propterea quòd ex ardore quodam & materia conſtabit: verbi gratia, flamma aeria quædam natura eſt ardens. *Ab eo gigni poteſt*) vt gignitur repercuſſu ſolidorum & læuium. Sic Veſtales extincto igne, triquetro quodam ſcaphio ad centrũ radios colligente ignem accendebant: & apud Ariſtophanem fere vt vulgo, vitrum ignem accendit. Eius verba ſunt,

Ηδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον
Ταύτην ἑώρακας τὴν καλὴν καὶ διαφανῆ
Αφ᾽ ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι; Σ. Τὴν ὕαλον λέγεις,

*Vtetque*) Mirum in modum hæc vitiata ſunt in Græco exemplari: hunc tamen vtcunque ſenſum erui, *Si non ſit ignis ſol, ignem tamen non ab eo illius ope naſci.*

*Quiquidem calor eſt*) ſic verti ſecutus Aldũ: poſſet tamen fortaſſe Græca dictio mutari vertique, Ignem & ſolis calorem. *Nam calidum*) Calorem principium potius eſſe dicit, quàm ignem, cùm ad omnem procreationem ſit accommodatior.

*Nunc autem ignem*) Eum ignem de quo diſputaturus eſt, definit, certóq; afficit vocabulo, æquè ac in re certa carnis nomen ponere ſolemus. Diſſeret igitur non de igne illo ætherio & ardore, ſi modo illic eſt, nec de illa ignea natura, quæ ſuper aërem conuexitati orbis lunæ ſubiecta eſt, ſed de familiari noſtro vſitatóque igne.

*Affectiones*) quibus materia aliqua afficitur, vt in definitione ignis poſuit ardorem eſſe in animabili quadam & terrena natura: ita principium non fuerit, cùm afficiat potius quàm procreet.

*Interimit*) ſcribe, Interimit minorem. maior adpoſitus.

*Efferueſcit*) Quæſtio hæc ab Ariſtotele in problematis ijsdem propè verbis explicatur.

*Ductilia & fuſilia.*) Idem Ariſtoteles referente Plutarcho de plumbi cotibus dixerat. eius verba ſunt, Αριστοτέλης δὲ καὶ τὰς ἀκόνας μολίβδου τήκεσθαί φησι, καὶ ῥεῖν ὑπὸ κρύους καὶ χειμῶνος, ὕδατος μόνον πλησιάζοντος αὐταῖς, id eſt, Narrat Ariſtoteles plumbeas cotes tabeſcere & fluere vi frigoris & hyemis, aqua tantum eis appoſita.

*Terræ fermentatio*) Terram niue fermentari docet Theopraſtus in ſtirpium cauſis. Beſtiolas in niue gigni ſcribit Ariſtoteles in Animantium hiſtoria. hæc autem ſunt argumenta caloris.

*Flammam ſi qua ineſt*) αὐγὴν Aldus. ſi quis αὖ γῆν eſſe legendum cenſeat, terram ſcribat.

*Ablato, quam non*) ſcribe, *Non ſublato quàm ablato cinere.*

*Spiracula aperiunt*) ψυχαγωγεῖα ſpiracula verti ex Virgilio: æſtuaria vocat Vitruuius de puteis fodiendis diſſerens: Sin autem eripietur lumen vi vaporis, tunc ſecundũ puteum dextra ac ſiniſtra effodientur æſtuaria: ita quemadmodum per nares ſpiritus ex æſtuarijs diſſipabuntur. Huius etiam rei meminit Palladius in Auguſto. Quod igitur ſcribit Theophraſtus putearij facere ſolent, & illi qui metalla fodiunt.

*Vel ſolo verbo*) ſcribe *Quanquam verbo perſpicuum eſt.*

*Ad cremandum aptiſſim.*) ſcribe ſi mauis, *Quanquam facillime omnium crematur.*

*Frangentes*) Aldus, καταμιγνύντες, id eſt miſcentes: quæ lectio ſi cui probatur, ita legat. ἐγὼ καταγνύντες legendum putaui.

*Simulque*) Facilior dictio ſic fuerit, minus ad verbum tamen, Simúlq; vberius & confertius emanat.

*Torridum*) hic πυκνότητος potius quàm θερμότητος legendum putaui, ita poſtulante niſi fallor, ſententia. ſolidorum enim denſitas erumpere flammam non ſinit, ſed ignem retinet. ſcribe autem, *Et cremabile corpus occupat.*

*Vitice clauos.*) In Aldi libris locus iſte ſtellatus eſt, legitúrque in eis τῶν ὕσω· ego & affinitate vocabuli, & auctoritate Plinij adductus τῷ οἴσῳ legendum putaui, quod vocabulum ſignificat vimen & viticem. dicitur οἴσυα etiam: Gallicè vocabulo Græco propè retento, oſyer. Plinius id de ſalice ſic ſcribit, quæ generis eiuſdem eſt, *Corticis è ramis primis clauum & callum aqua mixta ſanat.*

*ςιπτοὺς*) ſic emendandũ exiſtimo, cum locus in Aldo ſtellatus ſit, πίπτους que in eo legatur. vt ſic emendarem, mihi perſuaſit Ariſtophanes, qui in ea fabula quæ Αχαρνεῖς inſcribitur, in ſenes carbonarios illudens,



dens, de illis meo iudicio, vt de carbonibus loquitur, quod tamen interpres non intellexit. Ariſtophanis verba ſunt,

Αχαρνικοὶ, στιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι,
Ατεράμονες, μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι·

στιπτοὶ, πρίνινοι, σφενδάμνινοι, perſpicuè ad carbones pertinent.

*Quantus ten.*) ſcribe. Quantus in tenuiore. Significat autem vaporem illum quem efferueſcentes emittunt aquæ, quo ſtamina & licia à veteribus ad cocturam macerabantur. Verti etiam poſſet locus, *Tanto egent calore, quantus in re quadam aqua tenuiore gignitur, vt linum & ſtamina.*

*Suffocationis*) ſic ὠάπνικτα à Galeno memorantur. ſic quædam medici coquunt in vaſe duplici, quod appellatur δίπλωμα, paulo tamen diuerſius. nam hoc modo quæ coqui dicit Theophraſtus, ea non ab aqua, ſed ab aquæ vapore coquuntur. idque eſt quod ait, *Humorem à ſicco*, id eſt, *ab igne incaleſcere:* hoc verò, id eſt, vaporem, ab humore. *Venter numos*) Quiddam huius generis ab Ariſtophane refertur.

Αλεκτρυόνος μ᾽ ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν.
Ταχὺ γοῦν καθέψεις τἀργύριον ἦδ᾽ ὃς λέγων.
*Gallinacei me ventrem habere dicebat.*
*Ergo celeriter, inquit, argentum concoquis.*

*Lapis apud Aſſum*) ſic emendaui ex Plinio & Stephano iſta de ſarcophago ſcribentibus.

*Et minutus eſt*) tolle Eſt. *Simul ineunte.*) ſcribe ſi mauis, *Simul attingente.*

*Nihil perſpicitur*) aër ſcilicet, & aëria fumoſáque vis non perſpicitur, cùm aër ſumma impediat.

*Diſtractio*) ſic verti ſecutus exemplaria Græca, ſi quis περιχισμὸς legendum cenſeat, amputationem ſcribat. habet tamen idoneum ſenſum ſuperior lectio.

*Qui per ignem incedunt*) velut Hirpini apud Virgilium in honorem Apollinis per ardentes prunas illæ ſi nudis incedebant plantis, quod eos Varro quodam medicamento delibutis pedibus facere exiſtimabat. Virgilius,

*Summe deûm ſancti cuſtos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*
*Paſcitur, & medium freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus veſtigia pruna.*

*Nam ea materia*) Reliquiæ quædam ignis latent in calce, quibus alimentum & materia eſt humor: vt, lucerna, id eſt lucernæ oleum igni. Itaque mihi Græcè legendum eſſe videtur, τῷ ἐγκαταλελειμμένῳ πυρί.

*Phœnicea gypſo*) Sic ſum locutus, genus vocabuli Græci ſecutus.

*Flagrat, & mare*) ſenſus eſt, vt opinor, aquam maris, cùm ea reſtinguitur ignis, flagrare ſi pauca ſit.

*Quicquid enim incidit*) cum incidit humor in picem ardentem. *Iam folia lauri*) Lucretius,

*Nec res vlla magis quàm Phœbi delphica laurus*
*Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.*

*Non ſolum id faciat*) id eſt, non ſolum fumum accendat.

*Fument. nonnulla*) Aldus περιφλανθέντα habet, ego περιφλυθέντα, quo vocabulo vtitur Ariſtophanes, legendum eſſe putaui, quod eſt, circumuſtilata, congruente ſententia.

*Lacte plurimo*) ὀπωδέστατον Græcè eſt: ſed cùm Macrobius lactere propriè de ficu dici ſcribat, non florere, lac hoc loco verti, Varronem etiam ſecutus. Alij, inquit, pro coagulo addunt de fici ramo lac & acetum, & aſpergunt item aliquot rebus, quod Græci appellant alij ὀπὸν, alij δάκρυον.

*In hoc*) noſtro igne ſcilicet.

*Excrementa*) ſignificari puto grauem illum halitum, quem carbones emittunt.

# TEOPHRASTI DE VENTIS LIBELL.

*ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

QVIBVS E' REBVS VENTORVM NATVRA conſtet, quoque pacto & quibus de cauſis exiſtant, iam ante diſputatum eſt. Suam autem cuique vim atque adeo conſecutionem & attributionem meritò euenire deinceps docere conandum eſt, quibus propemodum rebus inter ſe diſcrepant, omnes quippe iſtis ferè in rebus diſſimilitudines cernuntur, verbi gratia magnitudo, exiguitas, frigus, calor, procelloſum, tranquillum, pluuium & ſudum, adhæc frequens aut rara ſtato tempore aut incerta vice repetitio, continuatio quoque & æqualitas, contráque intermiſſio & inæqualitas, ac prorſus quicquid cœlo, aeri, terræ, mari ex flatu ſolet vſuuenire. Vt enim paucis complectar, iſtis in rebus quæſtiones omnes verſantur, quibus etiam quæ ad animantium conditionem & ſtirpium pertinent, continentur. Quando autem ſuam cuique

ſedem & regionem eſſe conſtat, eamque quandam naturæ partem, inde potiſſimum omne propè dixerim diſcrimen & facultas, quæque alia memorari poſſunt, accerſi repetique debent: exempli cauſa magnitudo, exiguitas, frigus, calor, multitudo, & paucitas aliáq; plurima. atque partim eadem, partim contraria in contrarijs hærent, nec vtrumque iniuria, vt in Aquilone & Auſtro. Magnus enim vterque perdiúque ſpirat, quòd magna vis aeris ad Septentriones verſus & Meridiem compellitur, plagas ad Solis conuerſionem ab ortu in occaſum meantis obliquas. Eò enim vi ſolis aer extruditur, ex quo illic ſupra modum ſpiſſus & nubilus redditur. Cùm autem vtrobique magna aeris copia cumuletur, maior proinde fluxus exiſtit & plerunq; continentior: vnde magnitudo, continuatio, frequentia eorum, aliáq; generis eiuſdẽ eueniunt. Calor autem & frigus haud dubiè ex locis orta ſignificare ſe videntur. Nam quæ ad Septentriones vergunt, frigent: quæ ad Meridiem, tepent: quæque vtrinque fluunt, ſimilia ſunt. Refert illud quoque quòd minus laxus & liber impetus ſit ex propinquo, vel apertus, cùm qui per anguſtum vehementiúſque incitati graſſantur, frigidiores ſint: in longinquo tandem æſtuoſiores euadant & elangueſcant. Quocirca Auſter illic frigidior quàm apud nos eſt: ac vt nonnulli narrant, etiam Aquilone gelidior. facit & nonnihil in ſpeciem commutatio: ſed ita ſi locus antè ſubſit. atque iſtud vno verbo omnium commune eſt. Cæterùm pluuium & ſerenum, vndoſum & fluſtrum, crebrum & continuatum, inæquabile & æquale, adhæc magnitudo vel ſurgentis, vel cadentis, ad locorum obſeruationem animaduerſionémque nos magis dimittit. Apud eos enim quiſque vnde ſpirat ſerenus eſt, quo aerem pellit nubilus & pluuius. Quamobrem Aquilo ſed & Eteſiæ vel maximè ad meridiem & ortum habitantibus pluuij ſunt: at Auſter quique ex eo cardine flant, ad axem incolentibus. Neque verò hic leue quoddam, ſed vel multo maximum momentum habere cenſendum eſt regionis faſtigium. Nam quocunque nubes appulſæ offendunt & reſiſtunt, illic aquam pluuiam generari neceſſe eſt. Proinde in locorum vicinitate ventos alios alijs pluuios inuenies. Verùm de aquis alio loco pluribus diſputatum eſt. Eadem quoque iſta cauſa eſt, quamobrem Aquilo ſtatim quàm incipit vehementior ſit, Auſter cùm ponit: vnde prouerbij de nauigatione conſilium. Nam ille ſtatim imminet infeſtus ad ſeptem ſtellas incolentibus, hic longo diſtat interuallo: tardius autem quicquid è longinquo effunditur, ac tum demum cùm ſe copia collegerit. Nam Ægypti cultoribus & finitimis contrà incipiens Auſter eſt vehemens. Itaque prouerbium in diuerſum vſurpant. itidem apud illos plerunque creber eſt Auſter, mare ſternit continentius & æquabilius perflat. Vnus enim quiſque proximis huiuſmodi eſt, longinquis inæqualis & diſtractus. Atq; harum rerum iſtæ ſunt exiſtimandæ cauſæ, quæ etiam in alijs minoribus locis perſpiciũtur, & minori ſpatio diſiunctis. Sed nimirũ iſtud minimè conſentaneũ eſſe videatur, quod cùm Auſter ſuis ſemper locis ſerenus ſit, Aquilo cùm acriter hyemat, propinquis ſit nubilus, extra ſudificus. Verùm ratio eſt quod cùm tum propter magnitudinem plurimũ aëris cieat, eum mox deprehenſum priuſquam expellat, congelat. Congelatæ autem nubes ſuapte grauitate manent. At in exteras oras & remotas frigus potius, quod & id efficit, quàm magnitudo peruenit. Auſter verò cùm ei minus materiæ ſuppetat, cumque eam non cogat, ſed pellens alijs tranſmittat, ſerenitatem proximis affert, longinquioribus imbres ſemper potius adducit, valido præſertim incitatus impetu, ſæpiúſque cadens quàm incipiens, quòd ortu paulum aëris pellat, progreſſu plurimum: qui ita glomeratus in nubes denſatur, denſatus aquoſus redditur. Intereſt etiam à maioréne an minore principio oriatur, quòd ab exiguo ſerenus, à magno nubilus & pluuius eſſe ſoleat, propterea quod plus aëris compellat. Quod autem nonnulli narrant Auſtrũ in Ægypti maritimo tractu non ſpirare, quantũ eſt à mari diurni nocturniq; itineris ſpatiũ, ſupra Memphim alioqui vehementem & quibus locis tantundẽ abeſt, verũ eſſe multi negant, & mendacij inſimulant: verumtamen non perinde, ſed remiſſius ſpirat. ratio eſt quòd ſuper inferiorem Ægyptum ſubmiſſam & depreſſam elabitur, cùm ſuperior ſit editior, alioqui propinquitas magnitudinem poſtulat. Iſta quippe ex locis potiſſimum reddenda ſunt, quæ à natura etiam non abhorrent. Permanent autem venti iſti ſimiliter nubili & ſereni, vt modò dixi. Sed quod Aquilo ſuccedit Auſtro, non contrà Auſter Aquiloni, id ad eam profectò cauſam referendum eſt, quæ ex ſitus attributione vtrunque diuidit. Nam apud nos eoſque omnes qui ad Septentriones ſiti ſunt, iſtud verè contingit, meridianis contrà accidit, atque vtriusque eadem cauſa eſt, cùm illis Aquilo, his Auſter propinquus ſit, vt ſtatim ſurgentes ſentiantur, longè ſerius peruadant. Cùm autem frequentiſſimi venti ſint Auſtrini & Aquilonares, vt dixi, vtriſque tamen ſuæ ſunt veluti ſtatæ eorum temporum vices, quibus meritò quoad deſinant plurimum ſpirare ſolent, Auſtrinis hyems & incipiens præcépſque autumnus. Nam & ſolis anfractus vtriſque conducit, & aëre veluti reciprocante compenſatio quædam efficitur. quod enim hyeme expulſum fuerat (Aquilones enim omnino plures ſpirant) & iam





ante ipſa æſtate ab Eteſijs & alijs qui Eteſias ſequuntur, reponitur rurſus in has regiones vere & præcipitante autumno, & ſub occaſum Vergiliarum proportione. Itaque quod admirationi ſolet eſſe, quaſi non eueniat, cur Aquilones Eteſiæ id eſt anniuerſarij ſint, Auſtri non item ſint, euenire quodammodo videtur, præſertim cùm verni Auſtri Eteſiæ quidam ſint, quos albos Auſtros appellant. ſereni quippe ſunt in totum & innubili. Verùm quòd longè abſunt latentes fallunt, cùm Aquilo ſtatim nobis præſto ſit, quæ quidem Eteſiarum origo eſt. Cur autem eo anni tempore atque ita flare ſoleant, cur emerito die ceſſent, neque noctu ſpirent, hæ ferè commemorant cauſæ, flatus ille ex niuis tabe gignitur. Cùm igitur ſol primùm incipit glaciem ſoluere & vincere, prodromi, id eſt antecurſores aut præcurſores, inceſſunt: deinde mox Eteſiæ increbeſcunt. Quod autem cum ſolis occaſu deſinant, neque noctu adflent, ratio eſt quòd ſolis occaſu liqueſcere nix deſinat, neque noctu demerſo ſole liqueſcat. Nonnunquam tamen accidere ſolet vt ſpirent, ſi quando maior fortè copia liquata ſit: atque inæqualitatis hinc cauſa repetenda eſt. nonnunquam quippè magni & continentes, nonnunquam minores & intermittentes eſſe ſolent, quòd cùm niuis liquatio inæqualis ſit, materiæ impetus reſpondere ſoleat. Poteſt & iſta inæqualitas locis attribui, propinquitati, longinquitati, & huiuſmodi diſcriminibus. Itaque ſi verum eſt quod cùm alij, tùm Cretes etiam narrant, maiores nunc hyemes eſſe, vberiorémque niuem cadere, cuius rei argumentum adferunt, olim habitatos montes ſuos fuiſſe, fruges arboreóſq; fructus edidiſſe, conſitis & cultis illic paſſim agris. Nam in Ida monte alijſq; ampliſſimos campos patere, qui nunc quòd infrugiferi ſint non exerceantur, cùm olim, vt dixi, etiam incolerentur. ex quo frequens etiam cultoribus erat ea terra, imbribus tam crebris cadentibus, cùm interea multũ nec ningeret, nec hyemaret. Verumtamen ſi iſta inquam vera ſunt, plures etiam Eteſias eſſe neceſſe eſt. ſin aliquando defecerunt, eoſque Ariſtæus in Ceo inſula Ioui ſacris operatus vt fabulantur reuocauit, non perinde tum frigidi tractus impluebãtur & ningebantur: vt ſi qua hic varietas vel certa vel fortuita reperiatur, eandem continuò ventis vel intermiſſionem vel mutationem vſuuenire neceſſe ſit. Iniquum porrò eſſe videatur, non idem quoque anni ſubſidium meridianis eſſe comparatum, cœlo illic multo candentiore. Hoc igitur iam perſpicuum eſt: rurſum cur fructus nonnulli ſerotini ſint, alij præcoces, alij nihil dum quicquam patiantur, videndum. Quod ſi flatuum omniũ eadem origo eſt, & ab iiſdem rebus profecta, quòd aliquid accipiatur, ſolem eorum auctorem & effectorem eſſe in vniuerſum fortaſſe verum dictu non ſit, ſed aſpirationem potius, ſolem adiutorem. Cæterùm ſol exoriens & mouere flatus & ſedare videtur, quod & augentur ſæpenumero & minuuntur, cùm tamen id vſquequaque verum non ſit. Verùm in quibus iſtud accidit, huiuſmodi cauſa exiſtimanda eſt. Cùm enim minus humoris tollitur, eum ſol in poteſtate facilè habet, & conſumit, ventumq; ita compeſcit: vbi plus tollitur, vltro concitat, & impetum adiuuat. nonnunquam & ſuprema diei tempeſtate ventum ſupprimit, ſubducto quem tribuebat impetu, quemquidem moderatum eſſe & temperatũ oportet, neu euaneſcat, neu diutius à ſe cieri poſſit. Quoſdam occaſu ſolis nihil vetat acrius perflare, vt qui calore prohibentur, & tanquam exareſcunt, torrenturque. quo fit vt meridie potiſſimum flatus ſileſcant, vergente inclinatóque ſole crebreſcant. Luna quoque eorum cauſa eſt, non perinde tamen. Quippe cum veluti ſol quidam imbecillior ſit, proinde noctu atrociores ſunt defectus, & intermenſtrua tempeſtatibus plerunque fœdiora. Euenit igitur vt exoriente ſole flatus interdum ſurgant, interdũ etiam vt ponant & in occaſu item, cùm eos interdum comprimat, interdum velut emittat. Conſiderandum tamen etiam eſt, num quando iſta foruitò contingant, vt in ſiderum ortu & occaſu. In eodem autem genere cauſæ illud etiam propemodum verſatur, quid ſit quòd intempeſta nocte & meridie placidus & ſilens potiſſimum aëris ſtatus eſſe ſoleat. nempe quòd aër nonnunquã vincere, nonnunquam vinci ſoleat: ac ſuper media nocte plerunq; vincit, maximo ſolis interuallo, meridie ſuperat. ſuperior autem & ſuperatus quieſcit: quies, ſilentiũ eſt à ventis. Nec verò temerè flatus deſinere ſolent. Nam vel ſub auroram, vel veſperi oriuntur: qui matutino ſurgunt, aëre ſuperato denique deſinunt. ſuperantur autem meridie, qui veſperi, cùm aër vincendi finem fecerit, quod quidem media nocte accidit. Quod ſi cui ab ratione videatur, quòd flatus præſertim motu ſolis excitati, atque adeo à calore profecti, frigidi ſint, is ſe falsò iſtud ab ratione exiſtimare intelligat. Non enim id in totum ſoli, ſed vt coauctori tribuendum eſt: nec ſemper caloris impulſus calidus aut igneus eſt, ſed eius certa quædam conditio. Nam qui magno agmine perpetuus continénſque erumpit, calidus eſt: qui paulatim per anguſtum elabitur, calidus ille quidem eſt: ſed tamen qui ab eo agitatur aër, qualis ipſe cunque ſit, talem etiam impetum reddit. Satis autem ad exemplum valet oris halitus, quem & calidum & frigidum falsò dictitant. Semper enim calidus eſt. Sed emiſſario exitúque differt. hiantibus quippè & latè diducto rictu plurimum effun-

dentibus, calidus eſt. Sin per anguſtias violentius erumpat, aerémque circiter pellat, isque proximum, ex eorum frigore halitus impetúſque refrigeſcit. quod idem in flatibus etiam euenit. Nam principio flatus,per arctum primo eius impetu ruente, frigidus non eſt: ſed id quod ciet vtcunque vel frigore vel calore affectum eſt, proinde à frigido frigidus, à calido calidus redditur. Itaque æſtate calidi, hyeme frigidi ſunt flatus, tali vtriuſque temporis cœlo. idque vel ex eo liquet,quòd quibuſdam in locis propter vaporem velut ardet. Nam ſi vſpiam flatus ſit qualiſcunque, ſeu calidus, ſeu frigidus: tamen aëris conditio ſi talis ſit aër apparet, ac locis illis & propinquis feruidus redditur flatus, longiuſculè pergentibus non item. Eſt cùm aliunde ex feruidis locis & æſtuoſis, craſſúmque aerem habentibus, adueniens aura ſic imbuta affectáque ardore exuperat: quo fit vt viatores & meſſores ſæpe huiuſmodi afflatu peſtem oppetant in campis lociſque æſtuoſis, partim operam conferente aëre qui vnâ eunque eſt, partim alio diuerſóque, qui flatu incurſúque infertur. Quod autem nec vltro à ſeipſo ſollicitatus, nec à calore ſuperatus aër hoc impetu rapiatur, hinc perſpicuum eſt. Nam ſi frigus aſpiratióque humida cauſa eſſet, deorſum ſuo nutu ferretur, ſin calor ſurſum: cùm illud inſitum ſit igni momentum. nunc tanquam ex vtroque mixtus eſſe motus videtur, neutro ſuperante. Hoc igitur omnium generatim commune eſt, qualiſcunque aër reſpiratióque vſquam locorum ſit, eandem proinde frigoris conditionem in flatibus eſſe ſecuturam: cui ij quoque adſtipulantur, qui à fluminibus aut lacubus frigidi ob humorem aëris funduntur. Quippe deſtitutione ſolis refrigeſcit anhelitus aquarum, & craſſior euadit: adhæc ſi in propinquo naſcitur aura: adeo vt ſi quando incurrat inferatúrque, corpora trudat pellatque. Proinde loca nonnulla depreſſa,& ab externis flatibus tuta defenſáque, infeſto ſuorum rigore laborant. Nam quod à ſole tollitur, cùm illico manere, neque ſoleat, neque poſſit, cietur flatúmque creat. Vnde fluuiales & lacuſtres auræ omneſque adeo à terra oriundæ, matutinis horis refrigeſcente exhalatione, per inopiam caloris ſpirare ſolent. Iſtam enim auram minutatim ſenſimq; generari, cùm alijs de cauſis, tùm ob ſerenitatem conſentaneũ eſt. Cùm autem leuiter irrorat & impluit,magis adflant. Nam tum illa paſſim acceſſione omnia augentur, & tellus terrenos flatus libentius gignit. Ex ſolo Nilo auræ nullæ naſci videntur, aut certè minimæ, quòd tota regio calida ſit: vnde & quà meat, cùm auræ ab humore quodã craſſeſcente proficiſcantur. Quamobrem ne ab vno quidem Africæ flumine auram videas tolli, quòd calida ſint omnia. Quod idem apud Babylonem & Suſa fluuijs vſuuenit, in prouincijſque omnibus calidioribus. & tamen mirum in modum prædicant illic ſublucano refrigerari aerem. Id verò quamobrem videndum,fortaſſis enim refrigeratur, nec tamen longius pergere, nec auras gignere poteſt,omnibus circa locis, quibus receptatur, mox flagrantibus. At ex terreno flatu,auríſque huius generis,reuerſiones altaníque fiunt, humido aere coaceruato. Nam reuerſio tanquam reciprocatio quædam flatus eſt, vt in euriporum æſtuarijs. magna enim vi collecta retro curſum flectit. Id potiſſimum accidere ſolet locis ſinuoſis, & in quibus terreni flatus ſpirant. quod vtrunque meritò euenit. Nam in conuexis quicquid coaceruatur irruens, in apertis diffunditur & ſpargitur. Terrenarum verò aurarum imbecilla natura eſt, vt longè prorumpere non poſſint, earumque reciprocatio pari compenſatione pro multitudine, & magnitudine reponitur, vtrunque terrenæ auræ ſpirauerint. Itidem quoque tempus congruere ſolet,cùm vel ſerius, vel tempeſtiuius inceſſunt. Nonnunquam etiam euenire ſolet vt venti retorqueantur, ſibique aduerſarij reflent, cùm celſis illati & inflati locis ſuperare nequeunt. Quamobrem nonnullis locis nubes contra ventum feruntur: vt apud Lingias in Macedonia, Aquilone aduerſus Aquilonem flante. Ratio eſt, quòd ad editiſſimos montes Olympum & Oſſam illati flatus, non ſuperata altitudine retro reiectantur, vt nubes inferiores in contrarium raptent verrántque. Quod quidem & apud alios accidere ſolet. Sed & circa Eteſias quibuſdam in locis Aquiloni reflatus aduerſarius contingit, propter repercuſſionis anfractum, vti aduerſis velis etiam nauigia currant, quemadmodum in freto Euboico è Chalcide ad Oropum nauigantibus, eos palimboreas, id eſt, reuertentes Aquilones, appellant. Id autem plurimum fit, cùm luculenti ſpirant. tum enim demum longiſſimè excurrere poteſt, cùm magna vis & copia flatus reciproci ſuppetit. Eſt cùm ex offenſione ventus velut fingitur, vt pars huc, pars illuc diuerſa abeat, vt aqua quæ ex vno & eodem capite manat. In ſumma locus in flatibus plurimum mutat: isque cùm alias ſæpè, tum quòd vel vehementiores, vel placidiores reddit, velut ſi per anguſtum vel patulum ſpirent. Rapidiores enim ſemper in anguſto ſunt & concitatiores, vt curſus aquæ. maior enim eorum impreſſio eſt, viſque incitatior. Proinde alijs circa ſilentibus, in anguſto flatus ſemper fremit. Nam aer ille propter multitudinem conquieſcere non poteſt, cuius agitatio ventus eſt. Quapropter in angiportis, ſi quando incluſi concurſent, ſtrenuè luculentéque ſpirant, ſed & in portis: quin feneſtræ quoque flatum ſemper trahunt

hunt



hunt & præſtant: quorum omnium eadem vnaque cauſa eſt, quam iam memorauimus. Rurſum tractus nonnulli ſunt propter deuexitatem ſinuoſi ſalebroſique, & vndique magnis circumſepti iugis: qui tametſi propinqui ſunt, aut propinquiores, quàm alij flatuũ exordijs, tamen prorſus immunes à ventis viſuntur, longinquioribus vento ſtrepentibus, vt in Macedonia & Theſſalia accidit circa Eteſias. Non enim apud eos ſpirant, quod quidem cenſeas: cùm procul in inſulis clarè fremant. Ratio eſt, quòd regiones illæ demiſſæ ſint, ſatiſque aduerſus eos munitæ & tectæ, nullo in inſulis contra impetum obiectu. Iſti autem, atque adeo venti omnes, prohibentur aut loci interuallo (non enim in longinquiora tendere propter ſpatij magnitudinem poſſunt) aut oppoſitu obicis, aut denique ſi patrius aliquis ventus reflat atque obtinet. Cùm autem aliquando contingit, vt Eteſiæ ſuo tempore oriantur, reuerſióque in Macedonia ſpiret, in caſu deputandum eſt. Nam vbique terrarum meridie flatus deſinunt vi ſolis, ſub veſperam rurſum increbeſcunt. Euenit porrò vt eodem ferè tempore reuerſio terrenis ventis reſpondeat, & Eteſiæ rurſus inſurgant. Neque enim repulſio relati ab Olympo & Oſſa venti Eteſiarum cauſa cenſenda eſt, quam quidem ita interpretari non ſolent duntaxat qui mediocriter ſapiunt. Omnes igitur elaborare debent, vt euenta diſtinguant. Cæterùm illud inſolens & propè prodigij ſimile eſſe videatur, quid ſit quod in editis locis, ventis expoſita nullum flatum ſentiant: defenſa tectaque, non leues mediocréſque ventos experiantur: vt Plateis, quod oppidum in terra Bœotia eſt ad Aquilonem ſitum, Aquilo ſerenus eſt, Auſtro atroci & hyemante, quanquam officiente Cithærone. Item præter Eubœæ deuexa, circiter Eteſias, reuerſiones non prætereunt, quæ tam impotenter & violenter Cariſti perflant, vt immanis magnitudo ſit. Eſt & Curiadis locus Phæ nomine celſus & abruptus Auſtrum verſus, quo ingens irrumpit fluctus vento ſilente: ſed & nauigia bona leníque tempeſtate ad loca propè importuoſa appelluntur. idque videre licet. ſed enim cur ad terram ventus non perueniat, cauſa eſt, quod neque decedat aër, neque fluat, obſtantem altitudinem non ſuperans. Quod autem aërem cadere,nec inſiſtere oporteat, vel ex eo perſpicuum eſt, quòd in ædibus, obſeratis foribus, per feneſtras flatus parcius intrat. Domus enim referta aëre eſt, quo non emiſſo externus non admittitur. nam in vacuum impetus eſt. Quocirca vulgo trahi perperàm aiunt. Quæ autem aduerſus Boream atque adeo ventos alios tecta ſunt, idcirco nonnunquam ventis acrius conflictantur: quòd interdum flatus in ſublime collectus ſuperfundatur, repentinóque impreſſionem magno agmine faciat. Nam quà infeſtus incumbit, præceps abrupto pondere infligitur: ac illis in locis plerunque exiſtunt procellæ, quòd illic coaceruetur colligaturque flatus, qui irrumpens veluti plagam infert. violentum enim eſt quicquid vniuerſum continenſque aduenit, vt turbo. Quæ igitur ex locorum conditione eueniunt, huiuſmodi ſunt: quæ quidem multa præſertim & vbique gentium, perſequi ſingula hiſtoriæ fuerit. Verùm iſta omnium communia ventorum ſunt, vt quæ venti futuri ſignificationem præſagiúmque in vno quoque habent. Aër enim caligans denſitate raritatéque, aut æſtu & frigore, non alio eiuſdem generis affectu, ſemper aduentum flatus portendit. Contagionem enim aër ſentit, & ad noſtrum ſenſum ventum præcipit. Itidem ex mari & aquis eadem licet argumenta capere, cùm fluctus antè coortus & prius erumpens ventos præmonſtret. Senſim enim non continenter propellitur, & ſubinde alius quiſque alium à quo antè prouolutus eſt & fluctuatus propellit & inclinat: mox alio flatu prioréque elangueſcente, demum ſic vſque propellendo aduentat. cùm autem præſto eſt quod agitatur, liquet quod agitat adfuturum. Itaque fluctus etiamnum ſolent poſt flatus cunctari. poſterius autem deferueſcunt & deſæuiunt, propterea quod cùm ad motum pigerrimi ſint, tùm ad deſinendum etiam lentiores reperiantur. Sunt & iſta multorum communia, emicantes ſtellarum traiectiones, & arearum circa ſolem ſpecies, & obliteratio, aut interruptio, & ſi quid aliud tale. Antè enim ſupremus aër accipiendo patiendóque naturam venti ſignificat. Sed & maior in fine violentia. id enim permultis commune. Nam vbi vaſto agmine perflarunt, reliquum perexiguum eſt. Hæc igitur vt diximus communia quodammodo naturæ cenſentur. Sunt & priuatim pro ſua cuique natura & ſitu propria quædam eaque partim locis attributa quà & quò ſpirant, partim principijs vnde, partim alijs huiuſmodi rebus. Sed omnium tamen vel maximè ſingulare eſt, quod Septentrioni & Fauonio accidit. Solus quippe Septentrio omnium ad ſe nubes trahit, quemadmodum adagio celebratur, Ad ſe ipſe tanquam Cæcias nubes trahit. Fauonius omnium facilè leniſſimus, atrox tamen interdum & in terra, frigidúſque duobus anni temporibus, vere & autumno: ac nonnullis locis hybernum increpat, vnde eum poëta διουῆ, flabris ſæuum appellauit: nonnullis locis blandè clementerq; ſpirat. vnde Philoxenus proprium illi flatum attribuit. alios inquit educat, alios includit, penituſq; enecat. Ratio in Cæcia eſt quòd circinata ferri

linea

ſinea ſolet: cuius conuexitas in cœlum eſt, non in terram, vt aliorum, ob manantem ex imo flatum: cúmque principium verſus ſe retorqueat, nubes vtique ad ſe rapit. Nam quò flatus ille tendit, nubibus ex iiſdem carceribus eſt curſus. At Fauonius frigidus eſt, quòd ab occiduo limite ex mari æquoribúſque apertis ſpiret. ſed & ineunte vere flat ſecundum hyemem, quòd tum Sol commodum ſuperet, & autumno rurſum, non iam obtinente ſole. minus tamen eſt Aquilone frigidus, quòd ab aqua in flatum euaneſcente, non à niue ſpiret. Continens autem non eſt quòd generatus ſpiritus minimè cohibeatur, qui non vt in terra materiam expectat, ſed per humorem vagatur, quæ in eo æquabilitatis cauſa eſt. Nam Auſtrum verſus & Aquilonem venti per terram feruntur, non mons quisquam, nec terra vlla eſt: ſed Athlanticum pelagus, itáque in terram graſſatur. veſpertinus autem eius flatus eſt propter locum: quippe cùm omnia iſta ſole vel humorem in ea loca diffundente, vel difflante, vel primordium adiuuante naſcantur. Eius igitur aduentu ſeſe flatus tollit, ac noctu quidem ponit, quod ſolis impulſio deſtituat. Sed & maximas adducit nubes, quòd ex mari ſpiret: eáſque ſenſim paulatimque præ ſe pellit, itáque multo antè colligit. Turbidus idem flatúque violentus, cùm ob ea quæ iam antè diximus, tùm quòd ſecundum hyemem ſpirare ſoleat, cælo etiamnum rigidiore. Non enim autumno talis eſt, niſi fortè quis ex magnitudine ſæuitiam interpretatur. Locis enim continentibus & finitimis vehemens perflat, vt & alij: eiúſque ſic ſæuitia fortaſſis accipienda eſt, non quia apud omnes. Sed eius profectò æquabilitas & læuitas, quandocunque illa eſt, gratiam quandam agitationis & curſus habet, vt vbicunque talis ſit, amœnitatem iucunditatémque afferat: niſi fortè euariat, alienúmque vocabulum Fauonij ſibi Cæcias vendicat. hic enim turbulentus eſt. ſed iſta adnimaduerſionis indigent. Quòd autem fructus quoſdam corrumpat, quoſdam nutritius foueat & mulceat, in ſumma dictu quidem verum eſt: idque alijs etiam commune. Nutrit enim quà frigidus ſpirat æſtate, quà calidus enecat. rurſus hyeme & vere quà frigidus enecat, quà calidus fouet & conſeruat, contrà quàm pro temporum conditione ſpirans, qualis eſſe ſolet à mari profectus, hyeme calido, æſtate frigido. Proinde eſt vbi talis Auſter ſit, vt Argis, & apud alios Aquilo. Sed iſta ſimplex omnino eſt communiſque, vt diximus, omnium ratio. Locorum autem euenta ſingulorum ex ſitu alijſq; conſecutionibus ſpectari debent. Iſtis enim in cauſis ferè varietas omnis verſatur, velut Italiæ regio, Locris, finitimúſque tractus, Fauonio gliſcit & exuberat à mari veniente: alia loca fortaſſe non item, vt quædam etiam vltrò offendantur: rurſus in Creta ad Gortynem omnia eius fotu pubent vigéntque. Sita enim eſt in plano, & à mari occurenti aperta eſt. Sed alia fortaſſis ora læditur, in quam à terra montibuſque incumbit. In Maliaco ſinu ſegetes omnes fructuſque arborum vaſtat, quod & in Theſſalia ad Pierium ſinum facit. nam vtriusque loci eadem natura eſt, circumiectuſque ſimilis. Situs enim vterque eſt ortum verſus, altíſque montibus circundatur, OEta continentibuſque iugis. Fauonius autem ab occaſu æquinoctiali ſpirans, calorem à ſole ad montes conceptum, repulſum ſuo ſtatim aduentu in campum defert, carbunculatque omnia & adurit. Itidem & apud alios, ſi quid tale aut proximum fuerit, iſtud eueniet, contráque in contrarijs locis. Omnino enim permagni refert quà & vnde ſpiret, cùm ad alia, tàm ad calorem friguſque (nam & iſta de cauſa non minus algidus eſt Auſter quàm Aquilo, vt prouerbio fertur) quia cùm aër etiamnum algeat ex hyeme & humidus ſit, talem neceſſe quoque eſt flatum accidere, qualis ſit aër, & Aquilo luto ſuperueniens Auſtrino, quem adagio tempeſtatem excitare prædicat, eadē de cauſa excitat. madefactus enim aër frigidus eſt, itidem & manantes à fluminibus auræ, vt ſupra dixi. atque horum proprietas ratione non vacat. Cæterùm venti hyeme mane & ab ortu flare ſolent, æſtate poſt meridiem & ab occaſu, iſta ferè de cauſa. cùm ſol eliciens & trahens tandem aliquando non ſuperat, aër ingrediendo contegit, vnde Fauonij flatus exiſtit: quantumque noſtri ſemiglobi ſummittit incolis, flatus efficitur: contráque æſtate occidens in inferiore latere facit. ex quo flatus matutinus apud nos exoritur, ex conſequente aëre. ac ſi quem alium ventum fortè ſpirantem offendat, is tamen haudquaquam ingraueſcit acceſſione. Ac quemadmodum Fauonius ſemper longéque occiduis ſpirat, item inferis ſub noſtrum iubar ſuamque veſperam alij flatus. Iſta igitur vtraque in plaga ex ſimilitudine quadam eueniunt, ac in extremis diei tempeſtatibus, velut aquæ pluuiæ, aliáque ex conſecutione non certa ratáque, magnam tamen partem contingunt. ſolent autem tanquam ſtata vice interdum ſpirare. ratio quòd infera calent procul amandato ſole, vnde magna vis halitus ſufficitur: ac frequentes omnino ſpirarent, niſi intercederent Eteſiæ, nunc prohibent. Cæterùm Aquilones nocturni triduo ferè cadunt, ex quo prouerbio fertur, *Nocturnum Boream lux nunquam tertia vidit:* quòd flatus omnis à ſeptentrionibus noctu coortus imbecillior eſt. Non enim multum aëris euentilatur, cùm eo tempore ſpirat, propter caloris

exiguitatem



exiguitatem. paucum quippe paucus ciet: omniáque cum ternario modum ſibi ſtatuunt, cùm minima quæque primo quoque deſinunt. quod item in nocturno Auſtri flatu non accidit, propterea quod propinquus eſt ſol Auſtrinæ plagæ, illicque noctes tepidiores, quàm ad ſeptentrionem dies: & alioqui aëris agitatio quàm interdiu non minor: cùm præſertim quò calidiores ſunt dies, eò magis flatus impediatur. æſtu vaporante exſiccanteque humorem. Idque fortaſſis in Aquilone vſuuenit, quòd ſe vniuerſim rapidéque profundit, velut procellæ è nube erumpentes ſe eijciunt. præceps autem rapidorum ſolet eſſe modus, cùm principium magnitudine imbecillum ſit. Eſt autem ferè ſemper Aquilo violentus. Cæterùm Auſter poſt pruinam & niuem plurimum flare ſolet: ex quo prouerbium natum eſt, Auſter poſt aërem eſt ſolitus ſpirare pruinam nimirum quòd vtrunque facta quadam coctione purgationéque cadit ſecundum quam in contrarium viciſſitudo eſt, Auſtro Aquiloni contrario. eademque cauſa eſt, cur poſt imbrem grandinem, talèſque nimbos, plerunque flatus cadere ſoleant: quippe cùm iſta omnia, quæqúe eiuſdem generis ſunt, maturationes quædam & purgationes eſſe videantur. Quoniam autem pro conditione loci, nubili flatus & ſereni ſunt: idcirco prouerbia celebrantur in nonnullis tractibus de ventis, vt de Argeſte & Africo Rhodi Cnidíque vulgo vſurpatur, Libs celer & nubes & ducit aperta ſerena, Nubes Argeſtis ſed comes omnis erit. Nam & illis in locis vtrúnque momento facit Africus, ab huiuſmodi profectus exordio: & Argeſtes celeriter cœlum denſat exaſperátque. nonnunquam veluti quidam ordo eſt flatuum, vt alter alteri ſi aliquid durauerit ſuccidaneus ſit. idque fortaſſis non ab re omnino: ſiquidem ventorum vices ſemper in proximos concedunt, mutationes in contrarios. nam duæ ſunt iſtæ rationes mutandi, aut circitandi, aut penitus exanimatos expirandi: quarum circitatio proximo ceſſio eſt, vt vulturni in ſequentes. nam illa proxima viciſſitudo eſt, in qua nonnunquam etiam ad eundem reuerſio, in tempeſtate præſertim incerta, repetitur. cæterùm mutatio in contrarios efficitur. idque ita fit in omnibus, atque in his compenſatio concedit reciprocationis, & tanquam refluxus non abs re euenit: quod genus terreni ſunt ad reuerſiones. ac iſte multifariam veluti quotidianus mutationis eſt, ordo: nonnusquam tamen non reflat reuerſio, ſed maritimus aliquis ventus, vt in Pamphylio ſinu. nam matutino Dyris ſpirat ab Idyro flumine ingens & creber. Auſter autem Vulturnúſque ſuis flatibus eum ſubſequuntur, mutuóque conflictu atrocem tempeſtatem excitant mare plangentes turbantéſque, illicque vulgo nauigia de cœlo tactu pereunt. nam vbicunque ſic venti confligunt, vaſti inſurgunt fluctus, & tempeſtas inſana miſcetur, veluti cùm inter ſeſe reflantes pugnare ventos dictitant. Nam conſentaneum eſt alios alijs, qui nondum penitus exanimati ſunt, ſuperuenientes tempeſtatem ciere. nam tanquam materiam obijcit alter alteri quod quidem in Aquilone magis apparet. acrius enim hyemat, & oblatam materiam ſtatim adſtringit. Itidem auſter in humorem liquat diluitque, ac nonnullis etiam locis niuoſus eſt, vt in Ponto & Helleſponto: cùm tantus rigor Aquilonis fuerit, vt quæ congelauerit cohibeat. ſed & potius durat, quàm in humorem ſoluit. nimirum flatus ſunt hyberni ſuperuenientes inuicem alij alijs & dimicantes. Cæterùm ſub iugulæ exortum & occaſum flatus immoderatè efferuntur concitanturque, quòd in mutationibus omnia ſemper incerta ſoleant eſſe. Iugula autem exoritur ineunte autumno, cadit hyemis initio: vt cùm tempus vtrunque ſibi non conſtet, vno naſcente, altero deſinente, neceſſe ſit flatus quoque inconſtantes alternóſque variare & turbare: vt proinde illa & oriens & occidens acerrimè & vehementiſſimè ſæuiat, quòd incertus temporis ſtatus ſit. Nam fieri non poteſt, quin turbidus tum ſit & inquietus temporis ſtatus. Hæc igitur ſimiliáque in aëre totóque cœlo eueniunt, alia ad noſtram conſtitutionem pertinent: velut grauitate quadam Auſtrinis diebus homines laborant, imbecillioreſque ſunt: propterea quod humor ex pauco multus euadit, & humoris grauitas per ſpiritus leuitate ſuccedit. Iam verò vis omnis robúrque in articulis ſita ſunt: cùm præſertim articuli moueant, qui nimio humore ſegnes habiliter tendi nequeunt. verùm Aquilo temperamentum quoddam modúmque affert, & ad robur, & ad contentionem. Rurſus ſqualidi penitus nec aquoſi Auſtri febriculoſi ſunt. nam calidum humorem & alienum corporibus inſerunt calidi ſuapte natura & humidi: quæ quidem conſtitutio planè iam febriculoſa eſt, cùm febris ex vtriuſque exuperantia naſci ſoleat. Igitur aquoſi pluuijque ſtatum corporis humore refrigerant: eodem quoque modo quicquid aliud corporibus hoc in genere euenire deinceps ex vtroque ſolet: quod quidem numeroſius eſt, & in pluribus cernitur. quorum omnium vel eædem, vel iſtis affines propè cauſæ ſunt: quinetiam in fructibus, alijsque huiuſmodi nihil mutat. quippe cùm omnia ad humorem & reſolutionem, ad denſitatem & concretionem, & quæcunque alia vtriuſque ordinis cenſentur, referantur: nec ſecus in inanimis, vt cum fides rumpuntur, aut glutinata crepant, quæq; alia accidunt humeſcentibus & laxis, vt in ferri confectione.

plures

ne. plures enim ſtricturas Auſtro quàm Aquilone ducunt, quod Aquilones ſiccant durántque, Auſtri humefaciunt diluuntque. omne enim id liquidius ignauiúſque cernitur, quicquid leuiter obduruit & diffuſſum eſt. Adde quod valentiores etiam multo vegetioréſque Aquilonijs diebus eſſe ſolent. ne multa, omnia ferè huiuſmodi dilucidas habent cauſas: cùm ab vno tanquam apta principio, deinceps alijs proportione prodant. Cæterùm iſtud vtrobique magis ambigitur & quæritur, vt ſi fortè neque rigidus, neque ſiccus, neque creber ſit Aquilo, ſed contrà, itémque Auſter: inſolentia quippe & inuſitata cauſam efflagitant, quæ rectè & ordine eueniunt, protinus etiam ſine cauſa probantur, cùm à quolibet concedantur, quòd vnusquiſque de ſuo facilè ſi quid deſit ſupplere poſſit. ſed enim cur venti frigidi præſertim ſiccare ſoleant, idque citius quàm ſol alioqui calidus præſtent, vt quisque frigidus eſt, vel maximè iſta exiſtimanda cauſa eſt, quòd exhalationem creant, quam rapiunt, potiſſimumque frigidiores: Sol autem relinquit. Verùm quamobrem tandem vulgo dictitant?

*Hybernam à terra ne nubem, à marmore ponti*
*Sed timeas, tellus æſtiuam miſerit atra.*

An quod hyeme calidius ſit mare? vt ſi quid in eo conſtiterit, à valentiori concretum primordio eſſe videatur: nam alioqui euaneſceret in auras loci tepore. Æſtate verò mare frigidum eſt, maritimique flatus, terra calida: ex quo ſi quid ex terra extiterit à maiore quodam conditũ principio fuerit, quòd imbecillitas facilè diſſoluatur. Quod autem aiunt Auſtrum in Ægypto, quantum diei noctíſq; iter eſt, clarè non ſpirare, falſum eſt. Aquilone autem & Coro maximè cœlum aſperatur, Auſtro nubes differente: alios antelucano nubes inducere cœlumque contrahere aiunt, quoad ſol emergat: non tamen pluere, quòd quà ſidant nubes non habeant. Iam Auſtrum & Vulturnum, quíque alij à meridiano cardine ſpirant, ac ortu proficiſci, cum ſole vnà meare: Aquilonem contra & Argeſtem ab occaſu ortum verſus procedere. Cæterùm in Sicilia non Cæciam ſed ſubſolanum appellari ferunt: ac videtur nonnullis haudquaquam idem eſſe, ſed differre: quòd alter cœlum contrahat, alter non contrahat: veruntamen finitimi ſunt. Igitur Cæciam alij Olympiam, alij Scironem nominant, Siculi Circam. Subſolanum autem alij Helleſpontiam, Phœnices Carbam, Berecynthiam in Ponto.

# PLVTARCHI DE FATO.

## *ODO TVRNEBVS CANDIDO LEctori S. P.*

*CVM SVPERIORIBVS DIEBVS INTER PARENtis mei Adriani Turnebi aduerſaria, Io. Furdinus patri chariſſimus aliquot chartas offendiſſet puluere & ſitu propè oblitas: in quibus Plutarchi de Fato libellus erat, nunquam Latinus ante hunc diem viſus: & conuiuium ſeptem ſapientum eiuſdem auctoris: fieri non potuit, vt te illis carere diutius pateremur. Excudendos igitur Typographo dedimus, non tales quidem, quales ſi patri vita diuturnior contigiſſet, eras habiturus. At huiuſmodi tamen, vt ex ijs non mediocrem ad omnes bonarum artium ſtudioſos vtilitatem peruenturam putemus. Bene vale, Lutetiæ Pariſiorum ex ſchola Lexobæa Calendis Aprilis. 1566.*

## DE FATO.

NOSTRAM DE FATO SENTENTIAM, QVANDOQVIDEM TV ILLAM, chariſſime Piſo, flagitas, non ignarus quàm ingenuè à ſcribendo refugere ſoleam, quàm apertiſſimè & breuiſſimè conſequi potero, tibi mittere conabor. Primum igitur ſic habeas, velim: Fatum bifariam & vſurpari & intelligi. Partim enim actione cenſetur, partim natura. Ac primum, actionem ſic adumbrauit Plato, tum in Phædro, quum ait, Lex Adraſtiæ huiuſmodi eſt, vt quicunque animus Dei comes fuerit: tum in Timæo, leges, quas Deus ſecundum vniuerſitatis procreationem immortalibus animis ſanxit: tum in Republica, quum ait, Fatum eſſe rationem Lacheſeos filiæ neceſſitatis non ad tragicas præſtigias, ſed ad Theologicam philoſophiam, opinionem ſuam ex animi ſententia declarans. Quod ſi quis iſta etiam peruagatius requirat, alijs tranſmiſſa verbis deſcribam, In Phædro fatum nuncupari rationem diuinam, propter cauſam, cui nihil refragari & intercedere penitus queat. In Ti-

mæo



mæo legem eſſe conſentaneam vniuerſi naturæ, qua procreata omnia ſuum traducunt æuum. Id enim Lacheſis efficit neceſſitatis verè filia, vt & iam ante accepimus: & poſtea in hac ſcholæ diſputatione vberiùs intelligemus. Atq; illud quidem Fatum, eſt in actione poſitum. Quod autẽ natura cernitur, eſſe videtur totius mundi animus tripertitò diuiſus. In portionem inerrantẽ: in plagam eam, quæ errare cenſetur: poſtremò in eam, quæ conuexo cœlo circum terram ſubnixa eſt: quarũ ſuprema Clotho appellatur, ei proxima Atropos, infima Lacheſis: quæ cœleſtes ſororum actiones receptas conſerit connectitque: et eas porro terrenis eius imperio ſubiectis tranſmittit. Quæ ſit igitur vis & poteſtas fati illius quod natura conſtat, iam expoſitum eſt. Nam quid ſit, quantum, quale, quæ eius ſeries, quo modo conſtitutum & affectum ſit aduerſum nos & ſeipſum compendio & ſumma perſtrinximus. Nam ſingula quæque his in rebus, altera in Republica fabula mediocriter quodam ænigmatis inuolucro ſignificat: noſque pro virili iſta tibi enarrare contendimus. Sed nos rurſum illud fatum, quod in actione verſatur, iteremus, ac de eo diſſeramus. His enim in rebus quæſtionum plurimarum naturalium, moralium, & rationalium diſquiſitio continetur. Quid igitur ſit iam ſatis definitum eſt. Quale ſit deinceps videndum. In quo certe illud plæriſq; permirum perq; abſurdum videbitur: quòd cùm fatum infinitas ex infinito tempore in æuum infinitum conditas naturas ambitu complectatur, ipſum tamen non ſit infinitũ, ſed terminatum. quippe cùm nec lex, nec ratio, nec poſtremò diuinũ quicquam infinitum eſſe poſſit. Iam verò iſtud intelligas ſi cogites illam totam conuerſionem & vniuerſum tempus, quo ſe octo ambitus, vt ait Timæus, confectis ſuis curſibus ad idem caput referunt, cumq; eos permenſus eſt, idem & ſemper ſui ſimilis orbis. Omnia enim iſta, ratione definita in cœlo & in terra à prima rerum origine neceſſariò condita ſunt: vt ſi idem rurſus habitus affectuſq; cœli fuerit, conſiſtant. Sin à primordio ſitus idem reuocetur, eadem itidem poſtliminio reſtituentur. Solus igitur cœli habitus ratus definituſque eſt. non aduerſum ſe modo, verum etiam aduerſus terram & terrena omnia longis temporum anfractibus, tandem aliquando rurſum reuertetur: & deinceps alius quiſque proximus continenſque alternam rerum ſeriem mutuo nexu repræſentat, ſuum quiſque neceſſariò munus abſoluentes. Fac enim, vt res clarior ſit, ea quæ nunc nobis eueniunt accidere cœleſtium efficacia, omnia ſua auctoritate cientium: verbi gratia, me nunc iſta ſcribere: te ita agitare vti nunc agitas. Ergo cùm eadem redierit cauſa, eadem quoque ijdem ipſi eodem modo agemus. Itidem verò & mortales omnes conſequentiaque: deinceps proximæ reſpondebunt cauſæ exorienturque & gerentur. Atque adeo omnia quæcunque vno totoque ambitu exiſtunt in hac vniuerſitate ſigillatim rediuiua reponentur. Perſpicuum igitur iam eſt quod diximus fatum cum infinitum quodammodo ſit, infinitum tamen penitus non eſſe: quodque dictum eſt, ferunt circulum quendam eſſe, ſatis arbitror perſpectum eſſe. Nam & quemadmodum circuli motio, & qui eam permetitur temporis orbis, circulus quidem eſt: Item eorum, quæ orbe quodam eueniunt, ratio: circulus meritò eſſe cenſeatur iſta ferè declarant quale fatum ſit, non tamen particulatim illud quidem neque ſingulatim. Qualénam igitur iſtud eſt ſpecimen? Nempe quod quis ſagaciter conijciat, qualis ciuilis lex. Primum enim plæraque omnia, ſi non omnia ex conditione præſcribit: deinde vniuerſa, quæ ad ciuitatem pertineant, quoad eius facere poteſt, complectitur. Quod vtrunque quale ſit, videndum eſt. Deinceps ciuilis lex diſſerit de forti, & deſertore, & de alijs eodem modo. Verum tamen de hoc, aut illo nullum legitimum ſcitum eſt, ſed vniuerſa, & perpetua præcipuè ſumuntur. Reliqua ijs ſubiecta congruenter intelliguntur. Nam & honorare iſtum, qui fortiter fecerit, & in iſtum animaduertere, qui deſeruerit, legitimum eſſe duxerimus. Proinde quaſi de ijs lex, poteſtate præſcripſerit. quo ferè modo medicorum & exercitorum lex vi atq; poteſtate ſingula cum vniuerſis complectitur. Item lex naturæ vniuerſa præcipue ſingula ex conſecutione ordinat, ſuntq; illa quodam modo fatalia, & iſta omnia ijs confatalia. Sed eorum fortaſſe quiſpiam, qui nimium ſubtiliter iſta limant & exquirunt, contrà cenſeat: præcipuè ſingula ordinari: cùm præſertim eorum gratia vniuerſa videantur eſſe conſtituta. Id autem, cuius cauſa quicquam geritur, præcedit ea, quæ eius cauſa comparantur: Verùm iſtis de rebus alio diſſerendum loco fuerit. Non omnia autem liquidò & diſertè fato contineri, ſed vniuerſa iſtud impræſentia pronuntiatũ & ad conſequentem orationem & ad modo antegreſſam, accommodatum fuerit. modus enim & finis qui diuinæ prudentiæ conſentaneus eſt in vniuerſis potius ſpectatur, ac huiuſmodi eſt lex diuina: ſed & ciuilis. Infinitas autem in ſingulis cernitur. Deinde verò velut ex conditione conſequuntur, ac tale fatum exiſtimare oportet. Ex conditione diximus, quod non ex ſe ſtatuitur, ſed alteri adiunctũ tanquã ex compacto ſtipulatoq; verè inducitur in ijs, quæ conſecutionem declarant. Sanctio Adraſtiæ iſta eſt: Quicunque animus Dei comes in alterum ambitum aliquid eorum peruiderit, quæ verè ſunt, inoffenſum indemnemq; eſſe, ſi ſemper iſtud facere poſſit, innocuũ agitare huiuſmodi eſt, quod ex conditione pariter & vniuerſum dicitur. Quod autem fatum tale ſit, cum ex eius natura, tum ex vocabuli notatione conſtat. Nam εἱμαρμένη, i. fatum vocatur, tanquam εἰρομένη τις, id eſt, tractum aliquid & conſertum. Sanctio autem lexq;, eſt ex eo, quod ijs, quæ gignuntur, congrua conuenientiaq;, ciuili quadam ratione deſcribuntur. Deinceps conſiderandũ, quid ex affectione mutua ſpectetur. Ecquonam tandem modo aduerſum prouidentiam fatum affectum ſit, ecquonam modo erga fortunam: Idq;, quod in noſtra poteſtate eſt, quodq; contingit, & quæ generis eiuſdem. Adhæc diſceptetur quâ verum, quâ falſum ſit, omnia fato euenire. Si igitur omnia fato contineri, arceriq; ſignificat, verum eſſe fatendum eſt, ſiue humana omnia, ſiue in terra cœloq; procreata, in fato reponenda putat. Iſta quoque in præſentia concedantur: ſin quod potius indicare videtur, fato fieri non omnia, ſed id ſolùm, quod ei conſequens eſt, ſignificat, non omnia fato euenire dicendum: ne ſi fato quidem omnia conſtent. Neq; enim legitima, neq; ex lege omnia, cenſenda ſunt: quæcunq; lex complectitur. Nam proditionem, deſertionem, adulterium, multaq; alia generis eiuſdem complectitur: quorum nemo quicquam legitimum dixerit: cùm præſertim ne fortiter quidem facere, vel tyrannũ interficere, aut aliud poſtremò aliquid rectè gerere, legitimũ eſſe cenſeam. Quippe quod legitimũ eſt, legis iuſſum eſt. Id autem ſi lege præcipitur, an non vel inobedientes ſunt & contumaces, vel exleges, qui neq; fortiter faciunt neq; tyrannos interficiunt, neq; ſimilibus officijs & muneri-

bus perfunguntur: aut ſi exleges iſti ſunt, quidni, obſecro te, meritis ſupplicijs affici debeant? Sin iſta ratione vacant, illa ſola dici legitima debebunt, & ex lege, quæ lege definita fuerint in rebus quoquomodo geſtis. Sola autem fatalia, & ex fato, quæ in diuina deſcriptione anteceſſiones conſequentur. Proinde quæ gignuntur omnia, fatum continebit. Plæraq; tamen omnia, quæ in eo verſantur, fereq́;, quæ præcurrunt è fato non propriè dicemus eſſe. Quæ cum ita ſint deinceps dicendum eſt. Id quod in noſtra poteſtate eſt, fortunam. Id quod fieri poteſt, quodq; contingit, ijsq; affinia, ſi in præcurrentibus collocentur: cum ipſa ſalua retineri poſſe tum ab ijs fatum incolume præſtari. Fatum enim omnia continet, quemadmodũ videtur. ea autem non neceſſariò euenient: ſed vt cuiuſq; fert natura. Solet autem, quod fieri poteſt, tanquam genus ante id quod contingit, ſubeſſe: quod contingit, veluti materia antecedit id, quod in noſtra poteſtate. Quod porrò in noſtra poteſtate eſt, herili quodã imperio in id, quod contingit, vtitur: fortuna autem ei, quod in noſtra poteſtate eſt, propter contingentis nutum, & momentum vtramq; in partem propenſum interuenire ſolet. Iſtud autem luculentè intellexeris, ſi cogitaris, quicquid generatur, ortumq; adeo ipſum nunquã ſine poteſtate eſſe, poteſtatem non ſine eſſentia: verbi gratia, ſeu ortus ſit, ſeu quid genitum, id ſine poteſtate non geritur: Hæc autem in homine qui eſſentia eſt cæterũ ex poteſtate quæ tanquam media ſequeſtraq́; interponitur ſubſtantia. Id eſt quod valet, polletq; ortus: & quod gignitur vtrunq; quod fieri poteſt. Cum igitur tria ſint iſta, poteſtas, quod poteſt, quod fieri poteſt, ante poteſtatem quidem vt in rerum naturam quid veniat, quod poteſt conſtat, ante id quod fas eſt poteſtas conſiſtit? Itaq; quod fas eſt, iſto quidem modo dilucidum ſatis eſt. Verum tamen iſta quoq; adumbratione ſeparari poterit. Communius eſt ac peruagatius; quod poteſtate fieri ſolet: propriũ tamen magis ſuumq́; iſtud ipſum eſt, cũ extrinſecus, nihil interpellat, quod fieri vetet: Atq; ex ijs, quæ fieri poſſunt, quædam prorſus prohiberi nefas: velut in cœlo, ortus & occaſus, quæq́; his ſimilia. Alijs intercedi poteſt, vt humana plæraq; omnia: ſed & multa quæ item in ſuperiore plaga. Ergo priora illa, quod ex neceſſitate eueniant, neceſſaria vocantur: Quæ autem in diuerſa cadere poſſunt, contingentia: Ad hunc quoque modum diſtingui queant. Neceſſarium, quod eſt, id poſſibile: ſed tum ei, quod nefas aduerſarium eſt: contingens autem fas, cuius etiam contrarium nefas. Nam ſolem occidere neceſſarium, vna faſque eſt: ſed occaſo ſole, imbrem inceſſere fas ſimul & contingens eſt. Rurſum contingenti vnm plærunque, alterum rarius accidit, aliud ex æquo & vtrunque fert, atque iſtud quidem perſpicuum eſt, ipſum ſibi aduerſari. Cæterum quod plærunque, quodque rarò euenit, inter ſe opponuntur: quæquidem ſunt etiam in arbitrio, & ſponte naturæ: velut in noſtra poteſtate: quod ex æquo euenit. nam æſtus, vel frigus, ſub Caniculam, vnum magna ex parte, alterum rarò: vtrunque naturæ ſubijcitur. Verum ambulare vel non, & quæcunque talia, in vtranque partem æqualia hominum appetitioni ſubiecta ſunt. Idque in noſtra poteſtate ſitum eſſe dicitur, & delectu. Sed generalius omnino eſt, quod in noſtra poteſtate eſt, quippe cùm genera duo ſint: vnum, quod vel iracundia, vel libidine turbatur: alterum, quod iudicio & ratione ſuſcipitur, & iam in delectum cadere dicitur: nec verò eandem rationem habet, quod in appetitione, & noſtra poteſtate eſt: quam fas & contingens, verùm aliter vſurpatur. Nam in poſterũ fas & contingens valet, in præſens quod in noſtra poteſtate & appetitione ſitum eſt. Iſta quoq; diſtinctio fuerit. Contingens enim ipſum & eius aduerſarium, eſt in noſtra poteſtate: altera pars contingentis, quæ ex noſtra iam appetitione geritur. Quod igitur fas, natura ordine contingente prius ſit, & contingens eo, quod in noſtra poteſtate eſt. Quale horum quicq; ſit, & vnde nomen habeat, quæq́; eis adiuncta ſint, propemodum explicatum eſt. Nunc de fortuna, & caſu: & ſi quid præter iſta in diſquiſitionem venire ſoleat, nobis dicendum eſt. Eſt igitur fortuna, in aliquo genere cauſæ numeranda. Sed ex cauſis, quædam per ſe cenſentur: quædam ex conſecutione, & euentu. Verbi gratia: Domus aut nauis cauſa quidem per ſe fuerit, ſtructor & nauium fabricator: ex conſecutione, muſicus, aut geometricus: Atque adeo omne quicquid, vel in ſtructorem, vel nauium ædificatorem, vel animo vel corpore, vel externis rebus conuenire poteſt. Ex quo perſpicuum eſt, quod per ſe ſit illud certum, & vnum eſſe. Quod ex conſecutione attribuatur, non vnum & interminatum eſſe. multa quippe vni attributa ſunt, inter ſe ex toto diſcrepantia: Verum tamen iſtud ipſum ex conſecutione, quod eſt, cùm non tantùm in ijs, quæ alicuius gratia comparata ſunt, verſatur: verùm etiam in quibus delectus valet, tum fortuito euenire dicitur: velut aurum inueniri à paſtinante vt ſerat, aut denique aliquo fungi, aliquidue facere, præter ſolitum: cum vel fugias vel perſequaris aut aliтercunque incedas, aut poſtremo cum te tantum conuertas non eius quod obtigit, ſed alterius cuiuſpiam gratia. Quamobrem improuiſam, & obſcuram humanæ rationi cauſam, veteres nonnulli fortunam eſſe declarauerunt. Sed de Platonicorum ſententia, propius eius rationem accedi: & ſic fortuna definiri poteſt, vt cauſa ſit ex conſecutione eorum, quæ alicuius cauſa fiunt, in his quæ ſub delectum cadunt. Deinde iam tum illud, improuiſam eſſe & hominum ingenijs obſcuram adijciunt, ac eodem certè modo raritas, & admirabilitas in eo, quod ex conſecutione cernitur. Quod quale ſit, ſi non ex altercationibus contradictionum, at certè ex ijs, quæ in Phœdone ſcripta ſunt, apertiſſimum euadit. Sic autem ſcriptum eſt. Ne illud quidem audiſtis quo ſit pacto iudicium ordinatum. Sanè quidem illa nobis neſcio quis nuntiauit, permirumque nobis erat, quod illo iampridem facto, tanto poſt mortuus ſit. Ec quid igitur iſtud erat mi Phædo. Caſus quidem, mi Echecrates, ei accidit. Nam pridie illius diei, quo iudicium factum eſt, puppis coronata fuerat illius nauis, quam Delum quotannis Athenienſes mittunt. Hic enim verbum συνέβη, id eſt, accidit, non pro extitit audiendum eſt: ſed potius, pro concurſione quadam cauſarum ita euenit alijs alio comparatis. Flamen enim coronauit nauem ob aliud: non Socratis gratia. Iudices alia de cauſa eum damnarunt rei capitalis. Euentus admirabilis, & huiuſmodi qualis prouiſione vel humana, vel potiore extiterit. Ac de fortuna quidem abunde diſputatum eſt. Idque, quod vnâ in rerum natura conſtare oporteat dictum eſt: non ſolùm eo, quod ab ipſo cognominatum eſt: verumetiam eo, quod in noſtra poteſtate eſt antecedere. Caſus autem latius, quàm Fortuna omnino patet. nam & eam complectitur, & pleraq; alia, quæ aliter



liter cadere ſolent, continet. Eſt autem ex nominis notatione, quod ἀυτόματον, id eſt, caſus dicitur, id quod alterius cauſa extitit: cum cuius gratia extitit, non adeſt. Quale videtur frigus ſub Caniculam: Interdum enim frigus inceſſit non temerarium. In totum, quemadmodum quod in noſtra poteſtate eſt, pars eſt contingentis: ita fortuna, caſus. Et vtrunque in vtriuſque euentis numeratur caſus contingentis: fortuna eorum, quæ in noſtra poteſtate ſunt: non omnium tamen, ſed quæ à delectu proficiſcantur, quemadmodum ante eſt dictum. Quamobrem caſus communis eſt animatorum & inanimorum. Fortuna eius hominis iam propria eſt, qui actiones ſuſcipere poteſt, argumento eſt, quod fortunatum eſſe & beatum eadem prorſus exiſtimantur. Fœlicitas autem actionum quædam proſperitas eſt. Iſta porrò proſperitas actionum homini ſoli, eidemque perfecto contingit. Igitur quæ fato continentur, iſta ſunt. Contingens, fas, delectus, quod in noſtra poteſtate eſt, fortuna, caſus, quæque ijs adiuncta ſunt, in quibus forſan & fortaſſe vſurpatur. quæ omnia, fatum cohibet, arcetque. Nec tamen horum quicquam fatale cenſendum. Reliquum iam fuerit prouidentia dicere fatum comprehendi. Ergo prouidentia ſuprema, & primaria, principis Dei intelligentia eſt, vel voluntas benefica aduerſus omnes: cuius numine primum omnia omnibus ſæculis, in reb. diuinis pulcherrimè & præclariſſimè ordinata ſunt. Secunda, deorum ſecundorum cœlum peragrantium. Cuius ope mortalia gignuntur omnia, certo ratoque ordine, quæque ad permanſionem & conſeruationem vniuſcuiuſque generis pertinent. Tertia meritò cenſebitur prouidentia, & prouiſio geniorum circum terram agitantium, qui humanarum actionum cuſtodes ſunt, & arbitri. Ergo cum tertia prouidentia agnoſcatur, propriè tamen potiſſimumque prima vſurpetur, equidem adfirmare non reformidem, tametſi philoſophis nonnullis refragari videar, omnia fato, & prouidentia non tamen natura geri: verum res nonnullas prouidentia adminiſtrari: & alias alia, nonnullas fato. Ac fatum quidem modis omnibus, ex prouidentia eſt, non tamen prouidentia vlla ex parte ex fato, de prouidentia nunc loquor, prima & ſuprema: Quod autem ex quoquam eſt, illo poſterius eſt ex quocunque dicitur: vt quod è lege poſterius lege, quod è natura, natura. Item quod è fato, iunius fato fuerit. ac ſuprema prouidentia omnium antiquiſſima fuerit, præterquam cuius illa eſt, ſiue voluntas, ſiue intelligentia. ſiue vtrunque. Eſt autem, vt ante dictum eſt, omnium parentis & effectoris. Dicamus igitur, inquit Timæus, cauſam, quæ impulerit eum, qui hæc machinatus ſit, vt originem rerum, & nouam molitionem quæreret: probitate videlicet præſtabat. probus autem inuidet nemini: Itaq; omnia ſui ſimilia generauit: Hæc nimirũ gignendi mundi cauſa iuſtiſſima. Nam cum conſtituiſſet Deus, bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere, quoad natura pateretur, quicquid erat, quod in cernendi ſenſum caderet, id ſibi aſſumpſit non tranquillum & quietum, ſed immoderatè agitatum & fluitans: Idq;, ex inordinato in ordinem adduxit. Hoc enim iudicabat eſſe præſtantius. Fas autem nec eſt, nec fuit vnquam, quicquam niſi pulcherrimum facere ei, qui eſſet optimus. Iſta igitur quæq; mox conſequuntur ad animos vſq; humanos, à primaria prouidentia exiſtimari debent eſſe conſtituta: quæ autẽ deinceps ſequuntur: Toto igitur omni conſtituto, ſyderibus parem numerum diſtribuit animorum, & ſingulos adiunxit ad ſingula, atq; ita quaſi in currum vniuerſitatis impoſuit, commonſtrauitq; leges fatales, & neceſſarias. Ecquis non iſtis diſertè & luculentè fatum ſignificari, declarariq; cenſeat, tanquam podium quoddam & ciuilem legem, animis humanis conuenientem? Cuius etiam mox cauſam ſubnectit, Secundam prouidentiam, hoc modo notat: Quæ cũ ita deſignaſſet, ſe ſeque, ſi quid poſtea fraudis, aut vitij eueniſſet, extra omnem culpam, cauſamq; poſuiſſet: Alios in terram, alios in Lunam, alios in reliquas mundi partes, quæ ſunt ad ſpatiorum temporis ſignificationem notæ conſtitutæ, ſpargens quaſi ſerebat. Poſt autem eam ſationem dijs, vt ita dicam, iunioribus permiſit, vt corpora mortalia effingerent, quantumq́; eſſet reliquũ ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, & quæ conſequentia eſſent, perpolirent & abſoluerent. Deinde vt hinc animati principes ſe & duces præberent, vitamq; eius pulcherrimè regerent, & gubernarent: quatenus nõ ipſe bene factus, ſua culpa, ſibi aliquid miſeriæ quæreret. In ijs enim illud, ſeſeque, ſi quid poſtea fraudis aut vitij eueniſſet, extra omnem culpam, cauſamq; poſuiſſet, apertiſſimã cauſam conditionemq́; fati demonſtrat. Iam illa deorum iuniorum claſſis & molitio ſecundam prouidentiã ſignificat: & nonnihil etiam tertiam attingit. Siquidem eius cauſa, deſignatio præſcripta eſt, vt ſeſe extra culpam, cauſamq́; poneret: Deus autem, quiquidem improbitatis omnis penitus expers ſit, neq; legis neq; fati vllius indigeat, ſed eorum ſinguli prouidentiam procreatoris conſequentes ſuum munus obeant. Quod autem iſta vera ſint, Platoniq́; placeant luculentis declarari videtur teſtimonijs legiſlatoris, in legibus ad hunc modũ loquentis. Nam ea, ſi quis aliquando benigno quodam numine procreatus, naturæ fœlicitate aſſumere poſſit, Is nihil profectò, legibus imperioſis egeat: Nulla quippe lex, nulla deſignatio præſtantior ſcientia fuerit, nec fas eſt mentem cuiquam obnoxiam eſſe, & mancipatam. Sed eam omnibus imperare natura oportet, ſi vera ſit: & reapſe ingenua. Illa igitur quæ à Platone ſunt, ſic interpretor. Nam cum triplex ſit omnino prouidentia, vna fatum quod ſit eius procreatrix, quodã modo complectitur. Altera, vna cum fato nata etiã cum eo ſimul cohibetur & arcetur. Alia cum fatũ poſterius genuerit, eodẽ ipſa modo ab eo comprehenditur, quomodo quod in noſtra poteſtate eſt & fortunam diximus. Quibus enim cumq; Dei indulgentis & propitij ingenua indoles & natiua poteſtas opitulatur, vt Socrates ait, quandam propemodum legem ingenerat, quanquã non eam Adraſtiæ ſpectatori narrans, ij ſunt, quos & tu ſenſiſti. Extemplo enim mirũ in modum proficiunt: Quod igitur ait nonnullis Deũ opitulari, tertiæ prouidentiæ acceptũ ferendum eſt. Quod autem eos extemplò mirum proficere dicit, fato aſſignandum, nec mediusfidius obſcurum eſſe cuiquam poteſt, quin iſtud ipſum fatum quoddam eſſe videatur. Verum iſto fortaſſe modo haud paulo probabilius eſſe videatur, vt & ſecunda prouidentia fato arceatur, & omnia prorſus quæcunq; gignuntur, ſi modo fatum illud, quod natura cenſetur, à nobis rectè in tres partes diſtributum eſt. Idq; quod de Cathena fertur, cœli conuerſiones ijs, quæ ex conditione eueniunt, accenſet. Verum de ijs non diſputauerim pluribus, vtrûmne ex conditione dicantur, an potius cum fato connexa ſint: cùm præſertim quod fatale eſt, fato præcurrat. Noſtra igitur ratio, vt ſummatim dicam, talis eſt: aduerſaria non tantum fati ditionem complecti-

tur omnia: verùm etiam è fato ſtatuit eſſe. Omnia porro alteri conſonant, quæ autem alteri congruunt nimirum etiam alteri conſenſerint. Iſta ergo ratione contingens, & quod eſt in noſtra poteſtate, ſecundum dictum eſt, tertium fortuna & caſus, eorumq; attributa laus & vituperatio: iiſq; affinia quarta. Quintum, & omnium poſtremum, deorum precatio, & ceremonia dicatur. Cæterùm ignauæ & meſſoriæ rationes, illaq; quæ præter fatum vocatur, reuera captiones ſunt hoc in genere diſputationis: in aduerſario præcipua ac prima eſſe videtur, nihil ſine cauſa gigni, ſed omnia fieri antecedentibus cauſis: altera mundum adminiſtrari natura, ipſum ſibi conſpirantem & conſentientem. Adhæc tertia teſtimonium potius quoddam videtur. Aduocatur enim primum diuinatio, quę cum hominum opinione floret, tamen etiam in Deo reuera ineſt: deinde in ijs, quæ eueniunt ſapientū approbatio, omnia rectè ordineq; fieri prædicantium. Poſtremò peruagatum illud, pronunciatum omne verum aut falſum eſſe. Horum autem hactenus mentionem fecimus, vt paucis fati vis & ditio cognoſci poſſet, quæquidem peruestiganda acriore vtriuſq; rationis diſquiſitione. ſed hæc ſingulatim poſtea perſequemur.

# PLVTARCHI CONVIVIVM SEPTEM SAPIENTVM.

NÆ DIES IPSA, NICARCHE, MAGNAS OFFVNDET REBVS TEnebras, perpetuamque obſcuritatem inducet: cum hodie tum in recenti memoria rebuſque vſque adeo nouis, ſermones falſi, & ficti in vulgus fidem habeant. Neque enim, vt vos audiſtis, in conuiuio ſeptem tantum interfuere: ſed duplo plures, quo in numero & ipſe eram, cùm mihi cum Periandro arte familiaritas, cum Thale hoſpitij ius intercederet. Is enim apud me Periandri iuſſu diuerſabatur. neque qui vobis iſta narrauit, ſermones eorum rectè retulit: neque eorum vnus fuiſſe videtur, qui adfuerunt. Verum quoniam & in præſentia otium eſt, & ſenectus idonea præs non eſt, vt narrationis prorogationem ſpondeat, omnia iam inde à principio, quando vobis ita lubet exponam. Conuiuationem Periander non appararat in vrbe, ſed Lechæi in cœnatione ad Veneris fanum, cui res etiam diuina fiebat. Nam cum poſt inceſtum illum matris amorem, quæ vltrò vitam deſpondiſſet, adhuc Veneri non ſacrificaſſet: tunc primum quibuſdam Meliſſæ ſomnijs adductus, diuam colere, venerariq; cœpit. Cæterum cùm ijs, qui vocati erant, præſto vehicula ſingulis fuiſſent exquiſitè & eleganter ornata. Erat enim æſtas, totamq; viam hominum plauſtrorumq; multitudo celebrarat, & ad mare puluere & tumultu repleuerat. Thales tamen vehiculum ad fores conſpicatus, renidens dimiſit. Itaq; per rura de via degreſſi, conuentum vitantes placidè incedebamus. Tertius nobiſcum erat Niloxenus Nancratites, vir ſanè probus, & qui in Ægypto Solone & Thale familiariter vſus erat. Is autem iterum ad Biantem mittebatur, quo nomine, quibus de rebus ne ipſe quidem ſatis nouerat, niſi quod ſuſpicabatur ferè ſe alteram ei quæſtionem afferre in codicillo obſignatam, atq; ſibi iniunctū fuiſſe efferebat, ſi Bias deficeret: vt ſapientiſſimis Græcorum oſtenderet. Ac per, inquit, opportunè Niloxenus mihi obtigit: vt vos omnes hic vnà conuenirem: mecum enim codicillum ad cœnam defero, ſimul eum nobis oſtendit. Hic Thales ridens, ſi quid, inquit, mali rurſus Prienem. Bias enim ſoluet vt iam rogatum prius fecit. Ecquod inquam rogatum? Hoſtiam, inquit, ei miſerat orare iubens vt excerptam peſſimam, & optimam offam ſibi remitteret. At ille noſter ſcitè linguam excerptam miſit: ex quo eum liquet exiſtimatione & admiratione florere. Non iſto Niloxenus tantùm, inquit, nomine: verùm etiam, quod non refugiat regum amicus eſſe, quemadmodum vos, alioqui cùm in te alia admiratur multa: tùm vero Pyramidis dimenſionem mirificè amplectitur, qui nullo negotio, ſine inſtrumentorum ope, deſtituto baculo ad vmbræ finem, quam Pyramis iactabat, cùm triquetra duo vmbræ contactu fierent, oſtenderis quam vmbra cum vmbra temperationem haberet, eandem Pyramidis cum baculo eſſe. Sed quemadmodum dixi, in offenſionem incidiſti quòd percrebruerit te regum oſorem eſſe. Sed & ei contumelioſa quoq; nonnulla tua dicta referuntur, vt quod interrogatus ab Ione Molpagora, quid præter opinionem vnquam vidiſſes, ſenem Tyrannum reſponderis. Rurſus quodam in conuiuio cùm de animantibus ſermo incidiſſet, longè teterrimum animalium dixeris de feris, tyrannum: de manſuetis, aſſentatorem. Iſta enim reges tametſi valdè à tyrannis ſe differre ſimulant, non ſatis æquis animis audiunt. Hic Thales, atqui iſtud, inquit, Pittaci dictum eſt: quo in ioco aliquando in Myrſilium alluſit. Ego verò potius, inquit, mirer, non ſi Tyrannum, ſed ſi gubernatorem ſenem videam. Sed quod ad commutationem iſtam attinet, mihi profectò illud adoleſcentis cuiuſdam vſu venit, qui cùm in canem iecisſet nouercamq; percuſſiſſet, ne ſic quidem, inquit, omnino malè. Proinde Solonem ſapientiſſimum iudicaui, qui dominatum non recepiſſet: & Pittacus, niſi ad dominationem acceſſiſſet, nunquam eſſe difficile pronunciaſſet, bonum eſſe. Periander autem tyrannide tanquam patrio morbo correptus, non malè ſeſe recipere videtur, qui adhuc ſalubri hominum conſuetudine vtatur, & vltro prudentium congreſſus accerſat, quas autem illi decacuminationes eminentium Thraſybulus meus ciuis ſuadet, non probet. Nam ab agricola locuſtas, & aues pro tritico & hordeo congerere cupiente, Tyrannus ille nihil diſcrepat, qui mancipijs, quàm viris imperare mauult. Vnum enim pro multis malis commodum ineſt poteſtatib. honos & gloria, ſi bonis meliores imperent, ſi magnis maiores eſſe videantur. Cæterùm qui ſecuritatem vnam prętermiſſo honeſto amplexantur, ouium gregibus & boum equorumq; armentis, non hominib. præeſſe oportuit. Sed enim hoſpes iſte in ſermonem nihil attinentem nos coniecit, interimq; quærere & diſſerere neglexit, quæ ſunt officia ad cœnam euntibus decora, an non exiſtimas quemadmodum conuiuatoris, ſic & cœnaturi apparatum aliquem eſſe? Nam & Sybaritæ olim anno ante mulierū vocationes inſtituunt, vt otioſè liceret veſte, auro, mundoque muliebri comparatis ad conuiuium venire.





Ego verò diuturnioris temporis indigere cenſeo verum hominis lepidè epulaturi apparatum, quanto decorum moribus ornatum, quàm corpori exquiſitū & inutilem reperire difficilius eſt. Non enim ſe homò cordatus in conuiuium vt impleat, tanquam vas affert: Sed vt in partem iocoſa ſeriaque loquatur, audiat, & iuſtam orationis partem in ijs perſequatur, quæ tempus in congreſſionibus ſuadet hominibus, ſi commodè inter ſe iucundeque futuri ſint. Nam malum obſonium licet aſpernari, & ſi vinum malum ſit ad limphas perfugere licet. At compranſor cerebroſus, capitis non ſani, moleſtus, rudis, importunus omnem vini & obſonij, omnem fidicinæ gratiam corrumpit, & contaminat. Nec talem offenſionem deponere promptum eſt: ſed in nonnullis, per totam vitam reſidet implacabile quoddam inter ſe odium tanquam pridiana quædam contumeliæ & iracundiæ in vino natæ crapula. Proinde ſcitè heri Chilo cùm vocaretur, non ante ad Periandrum promiſit, quàm percontatus ſingulorum nomina qui vocati eſſent. Aiebat enim conuectorem & contubernalem iniuſtum & improbū importunius ferri oportere, quibuſcū vna nobis vel nauigandum vel militandum neceſſariò eſſet. Verum in compotorum cœtum ſe temerè conijcere, hominis non eſſe prudentis. Nam Ægyptius ille mortuus, quem in conuiuia necopinatò inferebant conuiuas monentes, meminiſſent ſe propediem ſimiles futuros, tametſi ingratus & intempeſtiuus commeſſator ſuperueniebat, attamen ſuam quandam oportunitatem habebat & ſi non ad compotationem & voluptatem: certè ad amicitiam tamen, & charitatem mutuam inuitabat, ſuadebatq; ne vitam alioqui breuem, moleſtis negocijs longam nobis redderemus. Inter iſtos ſermones, viam emenſi ad ædes peruenimus: nec Thales lauare voluit. Iam enim, inquit, vnctus ſum: ſed obire cæpit ambulationes & palæſtras luſtrare, & amœnum ſecundum mare lucum inſpicere, egregrè comparatum. Nihil iſtorum ille quidem admirans ſed veritus ne Periandrum deſpicari, neu eius elegantiam & lautitiam contemnere videretur. alios ſubinde, vt quiſque vel lauerat, vel vnctus erat, ſerui in cœnationem per porticum ducebant: qua in porticu cùm fortè Anacharſis ſederet, & ante eum puella cæſariem eius fingens ſtaret, eam humaniſſimè obuiam accurrentem Thales oſculatus eſt: & renidens ſic, inquit, pulchrum nobis hoſpitem effice, vt qui manſuetiſſimus eſt, idem ne vultu truculentus & ferus eſſe videatur. Hic, cùm eum de puella rogarem, quænam eſſet: Doctam, inquit, & celebrem Eumetim ignoras? ſic enim eam pater appellat, vulgus de patris nomine Cleobulinem. Niloxenus nempe ſolertiā inquit eius & prudentiam in texendis ſcirpis prædicas: nam in Ægyptum vſque nonnulli ab ea propoſiti peruenerunt. Minimè vero Thales iſtud quidem, inquit, his enim illa tanquam talis, vtcunque fert, luſitare ſolet, & eos quos conuenit laceſſit. Sed mira etiam ineſt animi magnitudo, mens adminiſtrandæ rei publicæ non ignara, humaniſſimi porrò mores, patrem denique ciuibus æquiorem in poteſtate & imperio reddit. Et Niloxenus quin populariorem illam quoque cenſeas, inquit, ſi vilem eius & ſimplicem cultum ſpectes. Sed Anacharſim vndenam obſecro tanto obſequio ſtudioque curat? Nempe quod ille vir eſt, inquit, & probus & multarum rerum eruditione præditus, victumque ei & luſtrationem, qua in ægrotis vtuntur Scythæ, prolixè perlibenterque expoſuit. ac nunc quoque vt arbitror, hominem ſic demeretur, & officioſè colit & obſeruantia obſequioque proſequitur, aliquid de eo diſcens vnaque diſſerens. Cum iam propè cœnationem eſſemus Alexidemus Mileſius, is Thraſybuli tyranni nothus erat, nobis occurrit: exierat autem planè perturbatus, neſcio quid ſecum iracundè, quod non intelligeremus, obmurmurans. Is vbi Thalem conſpicatus, paulum ad ſe redijt, ſeque collegit. quantam, inquit, in nos contumeliam admiſit Periander, qui oram ſoluere parantem, me non ſiuerit, ſed etiam vt cœnam iſtam expectarem, precibus contenderit: nunc tamen ad condictum venienti, locum indigniſſimum attribuerit, Æoles & inſulanos neſcio quos, atque adeo quem non Thraſybulo anteponens. Traſybulum enim à quo miſſus ſum, in me planè ignominia notare ſtudens, & in ordinem cogere, ſatis ſignificat à ſe contemni. Thales itanè verò, inquit, vereris ne, quemadmodum Ægyptij narrant, ſtellas in altitudine & humilitate conſtitutas, qua commeant meliores, & deteriores effici? ſic ne tibi quoque ex loco obſcuritas aliqua & humilitas contingat? Et Lacone deterior eris, qui in chorea quadam in vltimo loco collocatus à magiſtratu, præclarè, inquit, reperiſti quomodo hunc locum honoratum redderes. Non capto loco poſt alios, inquit, decumbimus: ſed potius vt accubantibus aptè congruamus. principium quoddam & quaſi quandam amicitiæ anſam ſtatim præ nobis ferentes, imo vero iam ex eo habentes, quiquidem non modò ſuccenſeamus, verùm etiam vltrò laudemus: quod nos cum viris talibus collocati ſimus. Nam qui accubationis locum indignè fert, collocatori magis, quàm vocatori ſuccenſet, & vtranque offendit. Alexidemus verba ſunt, inquit, iſta. Nam & vos ſapientes video factis honorem perſequi, ſimulque cum dicto præterijt & abijt. Hic Thales, nobis hominis importunitatem ſtupentibus. Veſanus eſt, inquit, natura & inſolens. Nam & is etiam num adoleſcentulus vnguentum egregium, quod Thraſybulo allatum erat, fuſum in ingentem frigidarium calicem vino adfuſo totum ebibit, pro amicitia ſimultatis conciliator. miniſter deinde egreſſus iuſſit, inquit, orare Periander, vt tu adhibito Thale, quod modò ſibi allatum eſt conſideres, vtrum temerarium ſit, an ſignum quoddam & portentum. Ille enim non leuiter conturbatus videtur, vitium exiſtimans & labem ſacris interueniſſe. ſimul nos in quandam circum hortum diætam ducere cœpit illic adoleſcens, vt videbatur, paſtor nondum veſticeps, ſpecie non inſtrenuus. explicata ſcortea, partum nobis oſtendit, equa, vt dicebat, editum: cuius ſumma collo manuumque tenus hominum formæ ſimilia, reliqua equorum erant: voce infantium modò genitorum more vagientem. Igitur Niloxenus dij prodigiales locutus vultum auertit. At Thales adoleſcenti ſe diu applicauit mox ridens, ſolebat autem in me ſemper illudere de arte. Nempe tu Diocles expiationem, inquit, & procurationem aliquam iam cogitas, & dijs depellentibus moleſtus & odioſus eſſe paras. Proinde quaſi dirum aliquid & obſcœnū euenerit. Quidni inquam parem? Seditionis enim iſtud & diſſidij ſignum eſt, ac vereor ne ad nuptias procreationiſque ætatem ante veniat, quàm deæ iram placemus, iam iterum nobis, vt vides, præſignificatam. ad id nihil Thales reſpondit, tacituſque diſceſſit. Periandroque qui nobis ad fores præſto fuerat de ijs quæ videramus interroganti, me dimiſſo, comprehenſa eius manu: Quæ Diocles, inquit, ſuadet, otioſè cenſeo facias. Tibi autem au-

ctor ſum, vel ne armentarios equarum habeas, vel vt ijs mulieres tribuas. Ergo hac oratione mihi mirificè viſus eſt delectari Periander. Nam & cachinnum ſuſtulit, & Thalem complexus, ſuauiari cœpit. Et ille, iam arbitror inquit, Diocle, prodigium iſtud finem habere. vides enim quantum malì acciderit, cùm Alexidemus nobiſcum vnà cœnare recuſarit. Poſt vbi ingreſſi ſumus, Thales clariore voce. Vbinam inquit vir ille accumbere dedignabatur? Monſtratoque loco, eo progreſſus, noſque illic collocat. Sed & libenter, magno, inquit, emiſſem eiuſdem eſſe menſæ cum Ardalo particeps. Erat autem Ardalus Troezenius aulædus & ſacerdos Ardaliarum muſarum, quas priſcus olim Ardalus Troezenius conſecrarat. Æſopus autem, is enim à Crœſo nuper ad Periandrum, & Delphos ad Apollinem miſſus fuerat, & conuiua in humili ſeliquaſtro, propè Solonem, qui ſuperior accumbebat, forte ſedebat. Mulus, inquit, Lydius in flumine ſuam contemplatus imaginem, admiratuſque pulchritudinem & magnitudinem corporis, quaſi equus excuſſa iuba quadrupedans currere cœpit: deinde cogitans ſe aſini filium eſſe, ſtatim curſum repreſſit, ferociamque, & animos poſuit. Tum Chilo Laconico ſermone, tu quoque, inquit, ipſe tardus es & illum muli curſum niteris. Dehinc Meliſſa aduenit, & iuxta Periandrum diſcubuit. Eumetis inter prandium ſedit. Hic Thales me appellans, qui ſupra Biantem accubueram. Quin tu, inquit, Diocle, Bianti dicis rurſum Naucratitem hoſpitem ad eum cum regijs quæſtionibus veniſſe, vt ſobrius & attentus rem accipiat? Et Bias, enimuero iandudum, inquit, iſte me eadem ſuadens territare non ceſſat. Ego verò Liberum patrem cùm aliarum rerum potentem, ac prudentem eſſe ſcio, tùm Lyſium, id eſt, ſolutorem ex ſapientia vocari intelligo. Itaque minimè vereor, ne Dei plenus timidius pugnaſſe videar. Iſta inter ſe cœnantes, cauillabantur: mihi autem cœnam ſolito frugaliorem ſpectanti, mecum cogitare ſubijt, doctorum & bonorum receptum, & vocationem ſumptui nihil addere potiuſque eum reprimere: cùm & obſoniorum luxum detrahat, vnguenta exotica, & bellaria, pretioſas tot generum vini diffuſiones remoueat: quibus cùm quotidie Periander in Tyrannide, opibus, negotijs impenſius vti ſoleret: tùm tamen apud conuiuas illos frugalitate & tenuitate ſumptus venditabat. Non enim ſolùm rebus alijs elegantiam, ſed vxori quoque conſuetum cultum & mundum ademerat, eamque leuiter & modicè ornatam oſtendebat. Sublatis poſtea menſis, cùm diſtributis à Meliſſa coronis libaſſemus, & tibicina libationi accinuiſſet: ea remota, Ardalus Anacharſin infit percontari, an apud Scythas eſſent tibicinæ. Ille ex tempore, ne vites quidem inquit. Cùm iterum Ardalus dixiſſet, Attamen deos Scythæ habent. Sanè quidem inquit humanæ linguæ intelligentes, nec item, vt Græci, qui cùm ſe melius quàm Scythas loqui cenſeant, à Dijs tamen oſſa & ligna iucundius audiri putant. Et Æſopus quid ſi inquit hoſpes huius ætatis tibiarios ſcias proiectis hinnuleis aſininis vti, quod canoras magis dicant: Proinde Cleobulum hinnuligena ad tibiam phrygiam, tibia mirari cornigeram aurem impulit propter ictum, vt magnopere mirandum ſit, quod aſinus animantium omnium alioqui pinguiſſimus, & à modis muſicis alieniſſimus, os tenuiſſimum & maximè ſonorum præbeat. Et Niloxenus, Enimuero iſta iam nobis inquit Naucratitis etiam obijciunt Buſiritæ: Nam ad tibiam iam aſininis vtimur, illis autem vel tubam audire nefas, aſino ſimile ſonantem. Aſinum porro apud Ægyptios, ob Typhonem ſcitis vtique infamia flagrare. Secuto autem ſilentio, Periander cùm videret loqui Niloxenum cupere, ſed incipere tamen ſubuereri: equidem, inquit, conuiuæ cùm & vrbes, & principes laudo, qui exteris primum, deinde ciuibus operam dare ſolent: tùm in præſentia mihi optimum factu videtur, vt ſermones noſtros conſuetos, præſertim & vernaculos aliquandiu prorogemus. Primum autem tanquam concionem Ægyptijs illis, & regijs demus, quos optimus attulit Niloxenus Bianti, cùm præſertim Bias communiter de ijs nobiſcum commentari velit. Hic Bias, nam vbi tandem, inquit, locorum, aut quibuscum libentius ſi neceſſe ſit, periclitari iſtis reſponſis males? Cùm alioqui rex iuſſerit, vt à me principium duceretur, circum tamen vos omnes, res deferretur. Ita tum codicillum Bianti redidit Niloxenus, quem is in medium, coram omnibus legere iuſſit. Sententia autem iſta literarum erat. Rex Ægyptiorum Amaſis Bianti Græcorum ſapientiſſimo Salutem dicit. Rex Æthiopum contentionem ſapientiæ mecum inſtituit, ſed in alijs omnibus ſuperatus, ad extremum improbum, & moleſtum iuſſum edixit: vt ebibam mare. Ac iſtud diluenti, multos eius vicos, & vrbes obtinere ius fuerit: non ſoluenti, elephantina cedendum. Tu igitur rem diſpice, & quam primum Niloxenum remitte, ſi quid vel amicorum vel ciuium tuorum cauſa fieri à nobis oportuerit, officium meum non deſiderabis. His lectis, non multum moratur Bias, cùm ſecum paululum meditatus eſſet, & aliquantulum cum Cleobulo, qui propter eum accubabat, caput contuliſſet: Quid inquit Naucratita narras? Siccine tot mortalibus imperat Amaſis, & tantæ, tamque præſtantis regionis poſſeſſor, ob viculos ignobiles, & inopes epotare totum mare volet? Niloxenus, Tute, inquit, Bia, tuo videris aribtratu fierine poſſit? Nuntiet igitur inquit Æthiopi, vt influentes in pelagus amnes, retineat, dum mare, quod nunc eſt, ebibat. De eo enim iuſſum conceptum eſſe, non de eo, quod in poſterum eſſet. Quod ſimul atque Bias dixit, præ lætitia continuò Niloxenus ſe tenere non potuit, quin eum amplexaretur, quin ſuauiaretur. Secuta autem omnium approbatione, & laudatione: Chilo ridens, hoſpes, inquit, Naucratita antequam mare ſic epotum abſoluatur, hinc nauigato & Amaſidi nunciato ne quærat quemadmodum tantum ſali exſiccet: ſed potius quemadmodum regnum dulce & potulentum ſubditis præbeat. Earum enim rerum Bias non ſolùm peritiſſimus eſt, verùm etiam magiſter optimus, quas ſi didicerit, nihil apud Ægyptios eguerit aureo pollubro: verum illum vltrò obſeruabunt, & probum diligent, vel ſi infinitis partibus ſit obſcurior & indignior. Atqui Periander operæpretium, inquit, fecerimus, ſi primitias, vt Homerus ait, ἀνσπακὰς, id eſt, pro virili Regi conferemus. Nam & ei ſic pluris fuerit aduentitia acceſſio, quàm iuſtum mercimoniū, & nos ſummam vtilitatem perceperimus. Hic cùm Chilo dixiſſet æquum eſſe Solonem ordiri ſermonem, non ſolùm quòd omnibus maior ſit natu, primuſq; decumbat: verumetiam quòd ampliſſimum & abſolutiſſimū magiſtratum Athenienſium. Legiſlator ge-



lator gerat. Hic ad me placidè Niloxenus, næ multa Diocle, inquit, falsò creduntur, multique gaudent alieniſſimos de ſapientibus hominibus rumores ſibi fingere, & ab alijs perlibenter accipere. Quod genus & nobis in Ægyptum vſque de Chilone nuntiatum eſt, eum Soloni amicitiam, & hoſpitium renuntiaſſe, quòd leges Solon pronuntiaſſet mutabiles eſſe. Ego ridiculum inquam iſtud dictu. Iſta quippe ratione omnium primum Lycurgus cum ſuis legibus amandandus eſſet: quiquidem totam Lacedæmoniorum Rempublicam cum legibus commutauit. Paulùm moratus Solon, ſic inquit ſentio regem eum illuſtriſſimum fore: & tyrannum, qui ciuibus ex vnius dominatione ſtatum quendam popularem præſtet. Secundus Bias. Si primus inquit, patriæ legibus vtatur. Poſt eum Thales, ſe eam demum exiſtimare dixit principis fœlicitatem, ſi in ſenecta, fato naturæ migret è vita. Quartus Anacharſis, ſi ſolus, inquit, ſapiat. Quintus Cleobulus, ſi familiarium nemini credat. Sextus Pittacus, ſi ſuos ita comparet, vt non ipſum, ſed ipſi timeant. Poſt eum Chilo principem dixit animo nihil mortale agitare debere: ſed immortalia omnia. His ita percenſis, poſtulabamus, vt & ipſe Periander aliquid diceret. Ille autem non hilari admodum vultu, ſed contracto, Igitur, inquit, ita pronuntio, ſuperiores propè ſententias omnes hominem benè ſanum ab imperio deterrere videri. Tum Æſopus ſtudio reprehendendi incitatus. Ergo iſtud inquit remotis ab vnoquoque veſtrum arbitris, factum oportuit: non ab ijs, qui ſe conſiliarios & amicos profiterentur principum, accuſationem inſtitui: Sed eius caput demulcens Solon, & ſubridens, quid? Nonne tibi, inquit, videtur principem moderatiorem, & tyrannum æquiorem præſtare, qui ei perſuadet ſatius eſſe non imperare, quàm imperare? Ecquis inquit, tibi iſtud credat, aut etiam Deo, qui iſtam tibi ſortem edidit.

*Fortunatam vrbem quæ præconem audiet vnum.*

Et Solon. Atqui præconem inquit Athenienſes vnum hodieque audiunt, & principem legem conſtituta populi poteſtate. Tu autem ſolers auditor es coruorum & graculorum, cùm tuam ipſius vocem interim non ſatis exaudias: qui quidem cenſeas, de Dei ſententia, beatiſſimam illam vrbem eſſe, quæ vnum audiat. Conuiuij tamen laudem exiſtimes, ſi de omnibus omnes diſputent Æſopus nondum quippe, inquit, ſcripſiſti ne ſerui ſe inebrient, velut ne ament, neu ſiccis vnctionibus vtantur. Hic cùm riſum ſuſtuliſſet Solon Cleodemus medicus: Atqui ſimile, inquit, eſt vngi, & in vino madidum loqui. Iucundiſſimum enim eſt Chilo ſuſcipiens ergo ædepol eo multo magis, inquit, abſtinendum. Iterum Æſopus: At enim Thales, inquit, dicere viſus eſt, futurum vt citiſſimè conſeneſcat. Itaque renidens Periander, dedimus, inquit Æſope: pœnam pro commerita noxia: quiquidem contra quàm inſtitueramus, priuſquam introduceremus omnes Amaſidis ſermones, in hanc diſputationem, dedita opera, deuenerimus. Igitur Niloxene reliquam epiſtolam vide, & hominibus dum vna adſunt, vtere. Niloxenus enimuero, inquit, illud Æthiopis edictum non aliud, quàm triſtem ſcytalem eſſe dixeris. Verum tuus hoſpes Amaſis, humanior multo, & concinnior in iſtiuſmodi propoſitis fuit. Poſtulauit enim vt diceret, quid vetuſtiſſimum eſſet, quid pulcherrimum, quid maximum, quid ſapientiſſimum, quid communiſſimum, atque mediusfidius, præterea quid vtiliſſimum, quid damnoſiſſimum, quid fortiſſimum, quid facillimum. Quid igitur, inquit, ad ſingula reſpondit, & ecquo tandem modo enodauit? Iſto Niloxenus modo inquit. Vos autē re audita exiſtimabitis. Nihil enim rex æquè laborat ac ſtudet, quàm ne calumniari reſponſa videatur: ac ſicubi reſpondendo fallitur, iſtud non ſibi optat ſine reprehenſione diſſimulatum abire. Vobis autem de tabella recitabo quemadmodum reſponderit. Quid vetuſtiſſimum? Tempus. Quid maximum? Mundus. Quid ſapientiſſimum? Veritas. Quid pulcherrimum? Lumen. Quid communiſſimum? Mors. Quid vtiliſſimum? Deus. Quid nocentiſſimum? Genius. Quid fortiſſimum? Fortuna. Quid facillimum? Quod iucundum eſt. His perlectis Nicarche ſequuto ſilentio, Niloxenum Thales interrogauit an omnes enodationes Amaſis adprobaſſet? Is cùm dixiſſet quibuſdam eum acquieuiſſe, nonnullas improbaſſe. Iſta quidem obliuione præteriri non poſſunt, cum omnia magna peccata habeant, & cum ignorantia coniuncta. Tempus enim dicis cauſa, qui tandem vetuſtiſſimum fuerit, ſi partim præterijt, partim inſtat, partim poſterum eſt? Tempus enim quod poſt nos futurum eſt, & rebus huius tempeſtatis & hominibus iunius videtur. Iam veritatem exiſtimare ſapientiam, non mihi diſſimile videtur, ac ſi quis lumen oculum eſſe pronuntiet. *. De cæteris, illud de dijs & genijs reſponſum, audacia & periculo non vacat. De fortuna à ratione alieniſſimum eſt. Non enim ſic ex facili titubaret, ſi rerum omnium fortiſſima, & valentiſſima eſſet. Neq; vero mors communiſſima eſt. Nihil enim ad viuos pertinet. Sed ne in aliorum ſententias inquirere videamur, noſtras contra comparemus. Ac me ipſum, ſi Niloxeno videtur, primum de ſingulis interrogandum dabo. Interrogata igitur & reſponſa, vt tum fuere, ordine exponam. Quid vetuſtiſſimum? Thales, Deus, inquit, ortus enim & natalium expers eſt. Quid maximum? Locus. Nam reliqua mundus, ipſum autē locus etiam arcet. Quid pulcherrimum? Mundus. quicquid enim ordine, & deſcriptione conſtat, portio eius eſt. Quid ſapientiſſimum? Tempus. Nam & alia iam reperit, & alia poſtmodum reperiet. Quid communiſſimum? Spes. Nam & quibus nihil quicquam aliud, illa adeſt. Quid vtiliſſimum? Virtus. Nam & alia probè vtendo opportuna, & vtilia reddit. Quid damnoſiſſimum? Vitioſitas. Etenim adueniens plæraq; omnia corrumpit. Quid fortiſſimum? Neceſſitas Nā ſola inuicta eſt. Quid facillimum? quod ſecundum naturam eſt. Nam in voluptatibus homines etiam ſæpenumero deficiunt. Hic omnibus Thalem approbantibus Cleodemus, Iſta Niloxene reges, inquit, decet, & rogare, & reſpondere. Barbarus autem ille, qui Amaſidi mare propinabat, illo Pittaci dicto eget, quo in Alyatten vſus eſt, Leſbijs neſcio quid ſuperbè literis imperantem, nihil reſpondit. Tantum monuit, vt cepis & calido pane veſceretur. Hic ſuſcipient Periander: Verum tamen, inquit, priſcis olim Græcis iſta conſuetudo fuit, ad hunc modum quæſtiones inter ſe ponendi: Fando enim accepimus, ad Amphidamantis funus vndiq; poëtas, quorū tum doctrina vigebat, Chalcidē conueniſſe. Erat autem Amphidamas, vir in adminiſtratione Reip. verſatus, qui cùm multis incōmodis Eretrienſes affeciſſet: poſtremò in illis, de Lilanto prelijs occubuerat. Sed cū verſus à poëtis parati difficilē & arduā in commiſſione diſceptationē haberent, pari controuerſia Homer. & He-

ſiodus compoſiti, propter celebritatem & gloriam, magnam dubitationem, & verecundiam iudicibus adferrent, ad has interrogationes ſe conuerterunt, & quemadmodum ait, miſimus in medium dicta.

*Muſa mihi memora quæ nec quandoque fuère*
*Nec quandoque futura*

Subitò Heſiodus reſpondit:

*Sed Iouis ad tumulum cum quadupedante tumultu*
*Currum rumpet equus palmam feſtinus apiſci.*

Quo nomine prædicant eum admirationi fuiſſe, & cortina donatum eſſe. Ecquid Cleodemus iſta diſcrepant inquit, à ſcirpis Eumetidis? quos iſti fortaſſe ludenti & nectenti, vt aliæ cingula ſolent, & plagulas mulierculis obiicere, non dedecet. verùm homines mentis compotes, in aliquo ſtudio iſta ponere ridiculum ſit. Hic libenter vt videbatur Eumetis ad iſta dictura, præ pudore ſe retinuit, toto vultu rubore ſuffuſa. Æſopus autem quaſi eius vindex, An non, inquit, obſecro, ridiculum magis eſt, neſcire iſta ſoluere? cuiuſmodi eſt quod paulo ante prandium nobis propoſuit

*AEs ſuper ipſa viro vidi qui glutinet igne.*

Hoc quid ſit, ſi dicere potes, cedo. Ego vero ne diſcere quidem Cleodemus velim inquit. Immo vero, te nemo inquit iſtud vel callidius nouit, vel melius facit, ſi negas teſtes laudauero cucurbitulas. Proinde adriſit Cleodemus: vnus enim omnium ſuę ætatis medicorum cucurbitulis maximè vtebatur, & de eo remedium illud præcipuè celebrari cœpit. Tum Mneſiphilus Athenienſis Solonis ſodalis, & æmulus. poſtulo, Periander, inquit, vt ſermo quaſi vinum nec ex cenſu, nec ex Optimatum factione: ſed tanquam in populari ſtatu, ex æquo communiter omnibus pariterque tribuatur. Cum quæ modo de imperio & regno ſermocinati eſtis, nihil ad nos omnino, qui populariter viuimus, pertineant. proinde cenſemus æquum eſſe vnumquenque veſtrum rurſus de Republica æquabili, ſententiam aliquam in medium conferre. exorſo iterum Solone, itaque facere placuit. Et princeps Solon. Tu quidem Mneſiphile, cum omnibus, inquit, Athenienſibus, meam de Repub. ſententiam, iam audiſti. veruntamen quoniam nunc quoque eam audire vis: ea mihi ciuitas demum beata videtur eſſe, popularemq; ſtatum egregiè tueri, in qua eum qui iniuriam fecerit, non minus qui læſi non ſunt, quàm qui læſus eſt, auerſantur & puniunt. Secundus Bias optimam eſſe popularem poteſtatẽ dixit, in qua legem omnes tanquam tyrannũ formidant. Poſt eum Thales, quæ neque nimis diuites, neque pauperes ciues habet. Deinde Anacharſis vbi in cæterorum pari definitione, virtute præſtantia æſtimatur, improbitate calamitas. Quintus Cleobulus ille mihi videtur, inquit, populus optimè moratus eſſe, vbi municipes infamiam magis timent, quàm leges. Sextus Pittacus, vbi nefas improbis præeſſe, probis fas eſt. Secundum quem Chilo Rempublicam optimam eſſe pronunciauit, quæ plurimum leges, minimum oratores audit. Poſtremus rurſum Periander tanquam diſceptator, omnes dixit popularem ſtatum, optimatium adminiſtrationi quàm ſimillimum, laudare videri. Sed & hac quæſtione ad finem profligata, poſtulabam, vt de domo, quomodo ea vti oporteret, item nobis edicerent. Paucos enim eſſe regnorum, & ciuitatum rectores: Larem familiarem & domum ad omnes pertinere. Itaque ridens Æſopus, minimè verò, inquit, ſiquidem in omnibus Anacharſim numeras, cui nulla vſquam domus eſt, quinetiam hoc ſe miratur, & gloriatur, quod domo carens, plauſtro non ſecus vtatur, quàm prædicant ſolem curru vehentem aliam aliâs cœli plagam luſtrare depaſcentem. Tum Anacharſis nempe iſto, inquit, nomine vel Deorum ſolus, vel præcipuè liber, ſuæ ſpontis & iuris ſit, qui omnium imperator & arbiter, qui nulli obnoxius regnet, & aurigetur. Verum tamen ignorare mihi videris, qualis eius currus ſit, quàm pulchritudine eximius, magnitudine mirandus. Non enim eludens ad ludibriũ, eum noſtris plauſtris comparaſſes. Domum porrò tu mihi videris Æſope, lutea iſta, & fictilia tecta exiſtimare. Proinde quaſi cochleam teſtam eſſe cenſeas, non ipſam animantem, vt meritò tibi riſum præbuerit Solon, quòd cum regiam Crœſi, magnificis operibus exornatam ſpectaret, non ſtatim pronuntiarit poſſeſſorem fœliciter habitare. Bonorum enim eorum ſpectator eſſe malebat, quæ in eo, quàm quæ penes eum eſſent. At tu ne tuam quidam vulpeculam videris meminiſſe, quæ ſuſcepta fortè de varietate cum pardo controuerſia, poſtulabat, vt iudex interiora ſua exploraret. Illinc enim ſe variam magis viſum iri. At tu ſtructorum, & lapicidarum opera pererras domum arbitratus, non intima cuiuſque, & domeſtica, liberos, coniugem, amicos, familiam, quibuſcum prudentibus & bonæ frugis, ſi vel in formicino cauo, vel nido, quis fortunas & commoda communicat, domum incolit vel fortunatiſſimam. Hæc igitur ſimul & Æſopo reſpondeo & Diocli confero. Cæteros ſuam quenque ſententiam in partem pronuntiare æquum eſt. Tum Solon optimam ſibi videri domum dixit, in qua pecuniam neque quærenti iniuria, neque cuſtodienti ſuſpectio, neque ſumenti pœnitentia ſubeſt. Bias, in qua paterfamilias talis ſua ſponte eſt, qualis propter legem foris. Thales, in qua patrifamilias quam plurimum quieſcere licet. Cleobulus, ſi patremfamilias plures diligant, quàm formident. Pittacus, optimam domum eſſe dixit, quæ copijs omnibus vel rerum neceſſariarũ, vel ſuperuacanearum ſuppeditatur. Chilo domum quam ſimillimam oportere dixit eſſe ciuitati, in qua regnetur. Addiditq; Lycurgum, petenti cuidam vt in ciuitate populi dominatum conſtitueret, reſpondiſſe: Tu domi tuæ primus imperium populi conſtituito. Atq; iſta diſputatione habita, Eumetis cum Meliſſa triclinio exceſſit. Hic cùm Periander prægrandem pateram Chiloni propinaſſet, Chilo Bianti, ſurgit Ardalus Æſopumq; appellans: Quid non huc inquit, tandem ipſe ad nos poculum mittes? cùm iſtos videas tanquam Bathyclis pateram inter ſe tranſmittere, alij nato nemini impertientes. Et Æſopus ne iſtud quidem, inquit, poculum populare eſt, ſed iamdudum ſoli adpoſitum Soloni. Mneſiphilum autem infit percontari Pittacus, quamobrem Solon non biberet: ſed contra ſua poëmata teſtificaretur in quibus ſcripſit

*Nunc Cypriæ ſunt chara mihi nunc munera Bacchi*
*Muſarúmque, viris gaudia quæ pariunt.*





Sed occupato ſermone Anacharſis, Te enim Pittace; tuamque, inquit, ſæuam legem formidat, quia per ebrietatem delinquenti duplo maiorem, quàm ſicco & ſobrio pœnam irrogaſti. Et Pittacus, Tu autem ita in meam, inquit, legem illuſiſti, vt anno ſuperiore, ſed & nunc quoq; temulentus præmium tamen & coronam poſcas. Anacharſis quidni, inquit, poſcerem. primus omnium madidus, propoſito plus potanti præmio? Aut mihi narrate, Ecquis alius finis ſit multum meri potandi, quàm madeſcere? Ridente Pittaco, Æſopus fabulam talem dixit. Lupus paſtores conſpicatus in tabernaculo veſcentes oue, propius accedens: quanta, inquit, conſternatio & tumultus vobis eſſet, idem ſi facerem? Et Chilo, Rectè ſuam vicem nos, inquit, Æſopus vlciſcitur, dudum à nobis occluſo ore, hiſcere nõ ſitus, cùm ab alijs videat nunc Mneſiphili ſermonem ſubductum. Nam de Mneſiphilo quæſitum erat, vt pro Solone reſponderet. Tum Mneſiphilus certò ait ſe ſcire Soloni videri, omnium artium, & facultatum humanarum iuxta & diuinarum officium munuſq; potius eſſe, quod efficitur, quam cuius ope efficitur: finemq; potius, quàm quæ ad eum pertinent. Textor enim, vt opinor, ſuum potius opus eſſe duxerit, Chlamydem, aut pallium conficere, quàm regulas collocare, aut inſilia excitare. Et faber ferrarius glutinationem ferri, & ſecuris aciem potius, quàm quæ eo comparantur: velut carbonum ſuccenſionem, & marmorarij pulueris copiam. De nobis porro quereretur multo magis architectus, ſi opificium eius, non nauem, non domum diceremus: ſed materiæ terebrationem, & luti macerationem. Muſæ verò modis omnibus ſuccenſeant, ſi earum munus eſſe cenſeamus fides & tibias, ac non potius morum conformationem & perturbationum ſedationem in ijs qui numeris & modis muſicis vtuntur. Proinde nec Veneris officiũ fuerit, complexus & concubitus: nec Liberi patris, ebrietas & vinum: ſed quæ iſtorum ope & beneficio nobis ingenerantur: charitas, & deſiderium, conſuetudo, & familiaritas mutua. Iſta enim diuina munera Solon vocat: eaq; ſe in ſenecta conſectari libenter, & amplecti prædicat. Eſt autem Venus concordiæ, & beneuolentiæ virorũ aduerſus mulieres conciliatrix, quæ ex voluptate cum corporibus, animos commiſcet & colliquefacit. Liber autem pater, multis non admodum alioqui familiaribus, nec planè notis, molliendo mores tanquã igne mulcens & humectans principium mutuæ temperationis cuiuſdam & amicitiæ præbet. Vbi vero, quales in præſentia Periander nos vocauit, eodem conuenere, nihil ſanè, vt opinor, opus eſt calice, nihil cyatho: ſed Muſæ oratione, quæ voluptate iocis & ſerijs fœcundiſſima eſt, tanquam cratera abſtemia, in medio poſita, excitant, irrigant, diffundunt hilaritatem, ac plerunque ſinunt cyathum ſuper craterem quieſcere. Quod vetat Heſiodus inter potores mediusfidius potius quàm diſputatores.

*Grauigenæ quanuis alij nam crine decori* *Admenſum potent, ſemper tibi pocula plena.*

Nam inuitationes ipſas, inquit, audio veteres dicere, vnoquoq; admenſum, vt Homerus ait & ad modum bibente, poſtea quod Aiax facit, partes proximo tradente. Quæ cùm Mneſiphilus eſſet locutus, Cherſias poëta: is enim nuper crimine liberatus, deprecante Chilone, in gratiam cum Periandro redierat. Ideóne inquit, Dijs immortalibus Iupiter, vt Agamemnon Græcorum proceribus, potum ad modum præbet, quod apud eum alij alijs epulantes propinant? Hic Cleodemus. quid ſi Ambroſiam, inquit, Cherſia Ioui columbæ adferunt, vt vos dicitis, Planctas ægrè ſuperuolantes, none cenſes etiam nectar ipſum vix parabile, & rarum eſſe, vt id Iupiter parcè cuique & reſtrictè præbeat? fortaſſe iſtud quidem Cherſias inquit. Sed quoniam de re familiari ſermo inſtitutus eſt, ecquis nobis reliquum ediſſeret? Reſtat enim, vt opinor, facultatum modum præfinire, quarum ſuppeditatio ſatis ſit futura. Tum Cleobulus, enimuero bonis, inquit, modum lex ipſa præſtituit. De improbis matris meæ fabellam memorabo, quam fratri narrabat. Aiebat enim lunam aliquando matrem rogaſſe, vt amiculum ipſi aptum texeret, eam reſpondiſſe: Amabo, qui tibi aptum texere queam. cum te nunc videam plenam, nunc in cornua curuatam, nunc vtrunque in orbem ſinuoſam? Itidem ſodes homini ſtulto, & improbo nullus eſt fortunarum modus. Temporibus enim, ob cupiditatem animi, & euenta rerum, alius ſubinde in vſu reperitur: velut Æſopi canis, quem iſte ait, hyeme in ſe collectum & conuolutum propter algorem, cogitaſſe de ædificanda domo, verum æſtate, toto corpore porrectum & dormitantem, magnum ſibi viſum eſſe, minimeque neceſſarium, & vel ò alioqui operoſum exiſtimaſſe tantam ſibi domum circundare: vel non, inquit, vides mi Cherſia, quam homines tenues, nunc in arctum ſe contrahant, proinde quaſi contentè, laconicoq; ritu victuri ſint: nunc niſi omnes omnium, & priuatorum, & regum fortunas poſſideant, per inopiam ſe emorituros exiſtimant. Cum hic Cherſias ſileret, Cleodemus ſuſcipiens, Atqui vos quoque. qui ſapientes, inquit, eſtis videmus, inæquabili inter vos modulo poſſeſſiones tributas habere. Et Cleobulus: lex enim cuiq; noſtrum quaſi textor quidam, decorum, aptum, conueniens accommodat: & tute ita ratione, tanquam lege, ægros paſcendo, victum præſcribendo, medicando non tantundem cuique, ſed omnibus, quod æquum eſt, tribuis. Excipiens Ardalus, Quid igitur, an Epimenidem, inquit, ſodalem noſtrũ, Solonis hoſpitem lex aliqua alijs omnibus cibis abſtinere iubet? Sed materiæ alimæ, id eſt, famem arcentis, quod ſcitamentum ipſe componit momento in os indito impranſum & incœnatũ die toto durare? Hæc oratio cùm omnes conuiuas aduertiſſet, Thales cauillans ſapere Epimenidem dixit qui moleſtias habere nolit molendis cibariis, & ſibi coquendis, vt Pittacus. Hoſpitam enim, inquit, audiebã, Lesbi cum eſſem, ad molem canentem. Mole mola mole. Nam & Pittacus Rex magnæ Mitylenæ molit. Solon autem, Ardalum ait ſe mirari, quod legem illam victus Epimenidi conſuetam, Heſiodi verſibus conſignatam non legerit. Eum enim primum Epimenidi iſtius alimenti ſemina ſuppeditaſſe, & quærere docuiſſe,

*Quanta ſit vtilitas maluarumque aſphodelique.*

Periander, Quid? Cenſen, inquit. Heſiodum huiuſmodi quicquam cogitaſſe, ac non potius laudatorem ſemper parſimoniæ ad frugaliſſimas epulas, vt iucundiſſimas, nos inuitare? Nam eſu grata malua eſt. guſtu ſuauis alburus. At iſta alima, & adipſa, quæ vocantur, quod ſitim & famem propulſent, medicamenta potius, quàm cibaria audio mel & barbaricũ, neſcio quem caſeum recipere, & plurima quoq; vulgariũ & parabilium ſeminũ. Quod ſi iſta tanto apparatu egent, nonne Heſiodo planè clauus in fumario collocandus fuerit?

fuerit? nonne boū mulorûmq; labores perierit? Ac mihi quidem ſubit, Solon, hoſpitem tuū mirari, quod cùm magnū illud nuper luſtrū conderet Delijs, apud eos nō animaduerterit primi cibi monumenta, & ſpecimen cū alijs ſponte naturæ prouenientibus, maluam quoq; & alburū adferri? quorum veriſimile eſt, nobis ab Heſiodo frugalitatem, & tenuitatē commendari. Minimè verò iſtud, inquit, tantū Anacharſis. Sed & ſalubritas vtriuſq; oleris præcipuè laudatur. Et Cleodemus. Rectè tu quidem, inquit. Perſpicuū n. eſt, Heſiodum medicū fuiſſe, qui nec indiligenter, nec imperitè de victus rationē diſputarit: de vini temperatione: de virtute aquę: de lauatione: de mulieribus: de coitꝰ tempore: de infantiū ſeſſione. Sed multo iuſtiùs, vt mihi videtur, Æſopus ſe Heſiodi diſcipulū ferret, quàm Epimenides. Huic n. primordiū bellæ iſtius, & variæ, & tā multiplicibus linguis diſtinctæ ſapientię dediſſe videtur accipitris cū Luſcinia ſermonicatio. Verū ego iſtud perlibenter de Solone audierim, quē veriſimile eſt præſertim tamdiu Athenis cum Epimenide verſatū rogaſſe: qua re, aut conſilio feciſſet, vt ad eum victū deueniret. Hic Solon, Quorſum eū, inquit, iſta de re retulit interrogare? Etenim ſi primaria conditio eſt, nihil quicquā alimento egere, quis non videt proximum ſummo & præſtantiſſimo bono votū eſſe, quam minimo egere? Cleodemus. minimè verò iſtud quidem, inquit, aſſentior, ſi quod ſentias eloquendū eſt, adpoſita præſertim menſa, quam quidem funditus tollunt alimento ſublato, amicitiæ & hoſpitij numinibus conſecratam. Quod autem Thales ait, ſublata terra perturbationem, & confuſionē toto mundo conſecuturam: Itē domus tota diſſoluitur. Nam cùm ea tollitur penetralis ignis, focus veſtæ, craterę, receptio, hoſpitalitas, humaniſſimę & primę inter homines ſocietates, atq; adeo tota prorſus vita labefactatur & euertitur, ſiue aliqua eſt hominis occupatio, actionū quendam decurſum habens, & negotiorum tractationem quarum alimenti neceſſitas & comparatio plurimas ſuadet: Iam verò atrox iſta fuerit agriculturæ calamitas, cuius ruina terra nobis deformis, & horrida relinquitur, materia paſſim infrugifera, & luxuriante: aquarum proluuie improbè per vaſtitatem graſſante: eadem artes etiā omnes & quæſtus ſimul euerterit. quorū tanquam pręcentrix eſt, quibus ſedem & materiam præbet, quæ nulla ſunt, ſi iſta peſſundetur. Honos quoq; deorum immortaliū ſubuertetur, ac exiguam Soli: Lunæ verò multo minorem gratiā luminis tantū & temporis homines habebunt. Ioui porrò pluuio, & aratoriæ Cereri, & arboratori Neptuno ara vbi terrarum excitabitur? vbi res diuina fiet? Iam quo tandē pacto Liber pater lætitiæ dator erit, ſi nullis eius muneribus egebimus? Quid porro vel ſacrificabimus, vel libabimus, vel præmeſſum offeremus? His enim in omnibus magnarum rerum ſubuerſio & perturbatio verſatur. Atq; omnem quidem, & modis omnibus voluptatē conſectari, imprudentiæ fuerit: omnem verò fugere modis omnibus, ſtuporis. Igitur quanuis animas voluptatibus quibuſdā potioribus vſurpandas eſſe concedatur: corpori tamen nulla vſura voluptatis iuſtior, quā quæ ex cibo capitur, inueniri poteſt. Quod mortalē neminem fallit. Iſtam enim voluptatem cœnā & menſam inter ſe vulgantes, in propatulo communicant. Veneri noctem & denſas tenebras obtendunt, rati hanc communicare, impudentiæ profligatæ eſſe: illam non communicare, feritatis immanis. Intermittente Cleodemo, orationem ſuſcipio: & illud quidem inquam, etiā non addis ſomnū, cum alimento vna exterminari. qui ſi non ſit, nullum ſomniū fore: ſed vetuſtiſſimum diuinationis genus nobis periturum. vita verò planè vnius modi fuerit, ac ferè corpus animo fruſtra circumiectum: Cum plurimæ eius, & opportuniſſimæ ad inſtrumentū alimenti partes munifices pertineant: Lingua, dentes, ſtomachus, iecur. Nihil enim horum ignauū eſt, & immune, aut alio comparatum: vt qui alimento non eget, corpore non egeat: quod eſt ſemetipſo nihil egere: cum vnuſquiſq; noſtrum cum corpore ſit. Iſtas igitur ventri ſymbolas conferimus. Si quid Solon, vel alius quiſpiā accuſat, audiemus. Nos vero Solon, inquit, ne vel Ægyptijs imprudentiores cenſeamur, qui exenteratum mortuū Soli oſtendunt, mox inteſtina in profluentem abijciunt: ita demū reliquum corpus purgatū curant. Nam reuera, iſta noſtri corporis labes eſt, & tartarus velut apud Acherontē odioſis fluentis & flatu ſimul igneq; contaminato, & mortuis refertus. Non enim viuus de viuo paſtū capeſſit: Sed animata trucidantes, & terra nata, quæ quod nutriūtur adoleſcuntq; vita ſunt aucta, enecantes improbè facimus. Nā à ſua degenerat natura, quod in aliud mutatur, & omni exitio, & internecione perit vt alterius alimentum fiat. Nam ſe carnibus abſtinere, quod priſcum Orpheum feciſſe loquūntur hiſtoriæ: id fraudē potius facere eſt, quàm luxuriæ flagitium effugere. fuga autem vna, piaculumq; ad iuſtitiam abſolutum reddit, ſi quis ſeipſo contentus ſit, nihiloq; egeat. Cui autem ſalutē abſq; alterius iniuria Deus expeditā eſſe noluit, ei naturam primordium iniuſtitiæ adiunxit. An non igitur ſodes, æquum eſt vna cum iniuſtitia ventrem, ſtomachum, iecur execare? Quæ nullum honeſti ſenſum, nullamq; appetitionem afferunt, ſed partim ſupellectili coquinariæ, velut cultri, & lebetes: partim molitoriæ, caminis, putearijs & piſtorijs inſtrumentis reſpondent. Etenim quis non vel è vulgo intelligat animū planè in corpore, tanquam piſtrino, operto capite circulantem currere ad alimenti vſum? veluti deniq; nos paulo antè, neq; inter nos videbamus, neq; audiebamus: ſed proni pro ſe quiſq; paſtus neceſſitati inſeruiebamus: nunc menſis defuncti & liberati, vt vides, coronati vltro citroq; colloquimur, vnâ ſumus, & vacamus, cibi iam nihil indigentes. Nonne igitur, ſi ita toto vitæ tempore affecti conſtitutiq; eſſemus, vt nunc ſumus, neq; paupertatem formidantes, & diuitias ignorantes perpetuò mutua conſuetudine foueremur? Nam ſuperuacaneorū cupiditas extemplo conſequitur rerū neceſſariarū vſum, ſimulq; cum eo immigrat. Sed alimentū eſſe oportere cenſet Cleodemus, vt menſæ & crateræ ſint, quæq; Cereri & Liberæ ſacrificantur. Licet alius prælia & bella poſtulet, vt mœnia, naualia, armamentaria habeamus, Hecatomphonia immolemus, quod apud Meſſenios lege receptū eſt: nec verò deeſſe arbitror qui ſuccenſeat. valetudini, indignumq; eſſe putet, ſi nemine ægrotante, nullus iam vel ſtragulæ veſtis, vel mollis lecti ſit vſus: ſi nec Æſculapio, nec Auerruncis dijs ſacra faciamus: ſi medicina cum omni ſuo inſtrumento, cum medicamentis omnibus ingloria & recondita in ſitu iaceat. aut quid iſta ab illis diſcrepant cedo? nam cibus famis medicamentū adhibetur: & ſe curare dicuntur, qui diæta ſuſtentantur, & aluntur. Proinde quaſi non gratum aliquid, aut iucundum: ſed naturæ neceſſarium faciant. Nam multo plus doloris ex paſtu, quā voluptatis percenſere licet: immo verò voluptas & parum loci, & exiguum temporis, in corpore poſſidet: at in epularum apparatione occupatio & adminiſtratio.

quid



quid attinet memorare quot indignitatibus, quot moleſtijs nos obruit? Equidem iſta ſpectantem Homerum in Dijs immortalitatem ex eo potiſſimum argumentatum eſſe putem, quod non alantur.

*Nec fruges mandant nec vina liquentia ducant,*
*Exangues hinc ſunt immortaleſque vocantur.*

Proinde quaſi non tantùm vitæ, verùm etiam mortis vtenſile & viaticum ſit cibus. Hinc enim contracti in corporibus ingraueſcunt morbi, nec malum inedia leuius, repletionem habent. Sæpenumero quoque operoſior eſt omni comparatione cibi, coaceruatione, conſumptione, eius viſcera ingreſſi digeſtio & diſſipatio. Verùm quemadmodum ſi dubitent Danaides, quam vitam poſthac colant, quid rerum gerant, defunctæ illo dolij miniſterio & aquatione: Item nos quoque dubitamus, ſi quando deſinamus in corpus inexplebile congerere tantam eduliorū copiam, terra mariq; quæſitam, quid acturi ſimus, honeſti inſcitia, boni conſulentes vitam in rebus neceſſarijs occupatam. Igitur veluti ſerui manumiſſi, quæ antea heris miniſtrantes faciebant, ea nunc ſibi ſuaq; cauſa faciunt: ita nunc animus corpus alit, & ſuſtentat multo labore & moleſtia: ſin miniſterio defunctus ſemel fuerit, adepta libertate, ſeipſum alet, vitamque ſic exiget, vt totus in ſe & veritatem conuerſus ſit nulla re, neque diſtrahente, neque auocante. Iſta ferè de cibo Nicarche memini tum eſſe diſputata. Sed dum loquitur Solon, ecce tibi Gorgias Periandri frater interuenit. Miſſus enim Tænarum fuerat, vt ex quibuſdam oraculis, Neptuno hoſtias, & thenſas duceret. Vbi eum ſalutauimus, Periander verò etiam ſuauiatus eſt, propter ipſum ſedit in lecto, & quædam ſoli ſummiſſa voce narrauit. Ille verò ſedulò auſcultans variè affici videbatur. nam modo dolere, modo indignari, ſæpe non credere, deinde mirari putares. Poſtremò ad nos ridens. Equidem, inquit, in præſentia ſtatui vobis, quod mihi adlatum eſt, exponere. Veruntamen vereor, vt qui Thalem audierim aliquando, cum diceret credibilia memorare oportere, incredibilia tacere. Excipit Bias, & ſcitum etiam, inquit, illud Thaletis eſt. inimicis ne in rebus quidem certis oportere fidē habere: amicis, vel in incredibilibus oportere. Inimicos autem, vt interpretor, vocat improbos, & imprudentes: amicos, probos & cordatos. Proinde iſtud, inquit, vt actutum Gorgia coram omnibus vide narres, vel potius in recentes iſtos Dithyrambos inducas clarè quod adfers perſonans. Tum Gorgias cœpit. Ait enim cum rem diuinam triduo faceret, vltimoq; die peruigilationem cum choreis, & luſu in littore celebraret, Luna mare colluſtrante, nullo inceſſente flatu, ſed aura ſilente, & tranquillo latè mari, longè proſpici cœpiſſe horrorē quendam ad promontorium pertinentem æſtu ſuo ſpumam, & fremitum circiter excitantem: vt omnes protinus mirabundi concurrerent, quo aduentare videbatur. Cæterum antequam præ celeritate facilis eſſet coniectura quid aduentaret, Delphinorum agmen partim latera ſtipantium, partim præeuntium, qua leuiſſima applicatio erat: partim tanquam ad officium ſubſequentium apparuiſſe. Sed & à mari molem neſcio quam ignotam, & incertam inuehentis corporis extare viſam, quoad poſtremo connixi dato impetu, impreſſioneq; facta hominem expoſuerunt ſpirantem & mouentem. Eoſque mox retro ad promontorium redeuntes, maiore quàm antea laſciuia, ſaltus ex lætitia, vt videbatur, dediſſe. Noſtrum porrò plerique, Gorgias ait, conſternati amenteſq; à mari fugere, pauci mecum accedere auſi, Arionem Citharœdum agnoſcunt: nomen ſuum edentem, & ipſo cultu notabilem: ornatum enim ludicrum gerebat, quo fidibus canens vti ſolebat. Eum ergo in tabernaculum deferimus ſaluum & incolumen, niſi quòd ex celeritate, & curſus ſtrepitu languere & laborare videbatur. Illic rem omnibus præterquam nobis, qui exitum vidimus, incredibilem audiuimus. Narrabat enim Arion, cùm multo ante ex Italia proficiſci decreuiſſet, acceptis Periandri literis, ſe magis accenſum, oblata fortè oneraria Corinthia, & ſtatim conſcenſa prouectum eſſe: cumq; leni vento crebreſcente, ſenſiſſet nautas vitæ ſuæ inſidias facere: mox etiam gubernatoris indicio, clam comperiſſet eos deliberaſſe, proxima nocte facinus patrare: ſeſe tum igitur deprehenſum auxilio inopem, & conſilij incertum, generoſa quadam & diuina animi propoſitione corpus ornaſſe, inferiaſque ſibi ludicram pallam dum viueret ſumpſiſſe: poſtremò exodium vitæ canere ſtatuiſſe: nec oloribus in eo degenerem magis fuiſſe. Cùm igitur ſic ornatus dixiſſet cupiditatem animo inceſſiſſe carmen Pythium decantandi pro ſua, nauis, vectorum incolumitate, in puppi ad foros conſtitiſſe: & quadam Deorum marinorum ſalutatione citata, proluſiſſet, carmen exorſum eſſe: circiter medium in mare ſolem occidiſſe: Peloponneſum apparuiſſe. Hic nautis noctem non operientibus, ſed ad cædem ſe accingentibus micantes gladios conſpicatum, & gubernatorem caput tegentem, in arduum enixum quàm longiſſimè potuerit ab oneraria, ſe in profundum ieciſſe. Cæterum antequam totum corpus mergeretur, ſubeuntibus Delphinis ſubleuatū: magno ſe primo ſtupore animi eſſe incertum: magna ignoratione & conſternatione perculſum fuiſſe. Poſt vbi vehiculi commoditatem animaduerterit, plurimoſq; amicè circum ſe aggregari, & muneris tanquam neceſſarij, & ad omnes pertinentis functionē vicibus obire viderit: onerariam autem longo relictam interuallo ex celeritate ſenſerit, aiebat neq; tantam ſibi mortis formidinem, neq; tantam vitæ cupiditatem tum fuiſſe, quantum ſalutis ſtudium, vt & dijs immortalibus charus videretur, & certā de ijs opinionem comprehenderet. Simul cū cœlum ſtellis refertum cerneret, lunam verò illuſtrem, & nitida ſpecie ſurgentem, mare latè ſine fluctu ſtratum, quaſi curſui viam aperire videret: ſecum cogitaſſe, non vnū tantum iuſtitiæ oculum eſſe: ſed omnibus illis Deum omnia, quæ vel terra vel mari gererentur arbitrū perindeq; luſtrare. Iſtiſq; cogitationibus aiebat, corpus fatigatū & ingraueſcens ſibi recreatum & refectū eſſe. Poſtremò dum arduū & abruptum promontoriū quod occurrebat, euitant, & flectunt, dum oram penè radentes legunt: dum tanquā in portum nauim tutam peruehunt: ſeſe prorſus ſenſiſſe vecturā illam quadam Dei gubernatione factā eſſe. Iſta Gorgias vbi Arion, inquit, expoſuit; interrogare cepi quô nauim appulſum iri putaret. Ille pro certo Corinthū reſpondit: verū longè ſubſequi. Nam qui ſe veſperi ieciſſet, putare non minus quingentorum ſtadiorum curſum emenſum eſſe tranquillitate confeſtim, & malacia ſecuta. Seſe autem Gorgias, & nauiculatoris nomen percontatū, & gubernatoris, & nauis inſigne, dimiſiſſe nauigia, & milites dicebat, qui appulſus obſeruarent. Arionē autem opertū ne ſal-

ſum

uum præſentientes fugerent, ſecum ducere. itaq; diuina quadam ſorte cecidiſſe, vt ſimul atq; venerint & captam à militib. nauem audiuerint: & mercatores nautaſque comprehenſos eſſe. Ibi tum Periander Gorgiæ imperat, vt ex conuiuio ſurgat, & homines in cuſtodiam conijciat. quo nec ad eos quiſquam adſpiraret, nec Arionem ſaluum nunciaret. Tum Æſopus, & meos inquit graculos & coruos irridetis inter ſe colloquentes, cum Delphini iſta facinora edant? Hic ego aliud inquam, Æſope, dicimus ex quo iſtud apud nos & in literas relatum, & creditũ eſt, amplius mille annos præterijſſe, vel vſq; ab Inus & Athamantis ætate ſuſcipit Solon: At iſta Diocle, proximè inquit Deos accedunt, & ſupra noſtrum captum ſunt: humanum autem & noſtri generis eſt, quod Heſiodo accidit: fortaſſis enim rem audiſti. Minimè verò inquam. Atqui per, inquit, dignum auditu eſt. Cùm enim Mileſius quidam, quocum & hoſpitium & victus communis apud Locros intercedebat Heſiodo, hoſpitis filiæ clam vitiũ offerret, & in ea deprehenſus eſſet, venit in ſuſpicionem conſcientiæ occultandiq; flagitij prorſus inſons & extra noxiam: ſed in iræ tempus & offenſionem nullo ſuo merito incurrens. nam fratres puellæ eum, locatis inſidijs, ad nemus Locricum interfecerunt, vnâ eius etiam comitem, cui Troilo nomen erat. Cùm autem cadauera in mare prouoluiſſent, Troili corpus in Daphnum flumen eiectum ad ſcopulum, quem fluctus circumluebat, adhæſit: non longè à mari, ac vſq; hodie Scopulus Troilus vocatur. Heſiodi autem cadauer Delphinorum grex ſtatim à terra exceptum, Rhion & Molycriam deuexit. Erat autem tum Locris ſolenne ſacrum Rhiorum & conuentus. Quod hodieq; illic ſplendidè agitant. Atq; vbi oblatum corpus vidère, mirabundi, vt aſſolet, ad littus illicet decurrunt, agnitoque recenti cadauere, omnia inquiſitioni cædis, ob gloriam Heſiodi, poſthabuerunt. Illicoq; interfectores inuentos mari viuos merſerunt: & eorum domum complanarunt. Heſiodus porro conditus eſt ad Nemæum: cuius ſepulchrum exteri plerique ignorant, cùm de induſtria Nemæi locum celent quærentibus, vt aiunt, Orchomenijs, & ex oraculo eius reliquias tollere, & domi ſepelire cupientibus. Quod ſi tanta humanitate proſecuntur mortuos, multo probabilius eſt viuis eos opem ferre: præſertim tibijs & carminibus delinitos. Nam iſtud omnes ſcimus hoc animantis genus, impensè muſica delectari: eamq; vltro ſectari: & adnatare nauibus, quæ ad cantum & tibiam remis propelluntur illecebris curſus amœnitate captum: gaudent & puerorum natationibus: vrinandoq; contendunt. Proinde lex quædam non ſcripta, fide publica eis cauta eſt, nec eos quiſquam vel piſcatur, vel violat, niſi quod retia ingreſſi, læſa præda, velut pueri, qui deliquerint, vapulant. Memini etiam me de Lesbiis audire, quod pro certo adfirmabant, puellam quandam ex mari, ope Delphini ſeruatam. Atqui Pittacus, iſtud quidem, inquit, & celebre refers, & quod commeminere multi. Nam cum edita ſors eſſet, conditoribus Lesbi, vt quandoque nauigantes in muricem quendam, nomine Meſogæum inciderent, tunc Neptuno Taurum, Salaciæ & Nereidibus viuam virginem demitterent. Cum igitur ſeptem principes & reges eſſent, octauuſque Echelaus Apollinis Delphici oraculo, coloniæ deductor pronuntiatus, etiam num celebs: ſeptem, quibus liberi innupti erant, ſortitis, matri Sminthei iſtud ſortito obtigit, quam veſte & auro ornatam, poſteaquam eo peruenerunt, parabant, votis factis, demittere. Sed forte fortuna quidam adoleſcens vnâ nauigans eam deperibat, non, vt videtur, inſtrenuus: cuius etiam nomen Enalum memorant. Ille tum incredibili ſtudio incenſus auxilij virgini ferendi, ſubitò impetum facit & eam complexus, vnâ ſecum in mare præcipitem dat. Ac ſtatim incerta quædam, toto exercitu, ſed tamen multis credibilis fama percrebruit, ſaluos illos & ſoſpites peruectos eſſe: poſteaque ferunt Enalum in Leſbo viſum narraſſe ipſos Delphinis inuehentes ſine noxa in continentem enataſſe. Verum alia etiam iſtis multo diuiniora, & vulgus in ſtuporem conſternantia, & iucunditate mulcentia referre licet. Cæterùm omnium fidem facere perdifficile eſt: nam cùm immanis circum inſulam fluctus intumuiſſet, omnibus deterritis, ſolum mari ferunt occurriſſe, eumq; ſecutos eſſe polypos in Neptuni fanum: ſed & lapidem quem maximus omnium ferebat, Enalum ſumpſiſſe, dicaſſeque: cuius etiam ex illo eſſe dicimus, omninoque ſi quis memoriter & meditatè nouit, quid diſtent nefas & inſuetum, temerarium & inopinatum: is præcipuè Chilo, neque vtrunque credendo, neque temerè diffidendo, tuum illud ne quid nimis ſeruauerit. Poſt eum Anacharſis, non eſſe, inquit, mirandum, cùm de præclara Thaletis ſententia in omnibus præcipuis, & maximis mundi partibus animus inſit pulcherrima geri Dei opt. max. numine. Animi quippe inſtrumentum corpus eſſe, Dei animum. Et quemadmodum animus multis ex ſe motionibus cietur: ſed plurimis tamen & pulcherrimis ab animo. Item animum partim ſuopte impulſu agere, partim Deo ſe tradere regendum, & torquendum quocunque velit, cùm ſit inſtrumentum omnium habiliſſimum, & maximè decorum. Alieniſſimum quippe fuerit, inquit, à ratione, ignem inſtrumentum eſſe, animam, aquam, nubes, imbres, quorum ope multa tuetur, & educat: multa enecat, & perimit. Animantibus enim nihildum prorſus vti, naturarum: quas procreat gratia quæquidem credibile eſt ex Deo præſertim ſuſpenſa magis atque magis inſeruire, & morem gerere Dei impulſionibus, quàm Scythis ſuos arcus, Lyras & tibias Græcis. Secundum iſta Cherſias poëta, cùm alios referebat præter ſpem incolumes ſeruatos, tum Cypſelum patrem Periandri memorabat, quem qui infantem modò genitum miſſi fuerant interfectum, oblatum vltro declinarunt, paulò poſt pænitentia ducti, quæſitum non inuenerunt? à matre in cypſela, id eſt, cumera conditum. Proinde Cypſelum Delphis cellam ædificaſſe, quaſi tum à Deo, vt conquiſitores lateret, vagitu repreſſo: Et Pittacus Periandrum compellans. Bene, inquit, à Cherſia factum, qui cellæ meminerit. Nam ſæpenumero animus mihi fuit, de te ſciſcitari, ranarum illarum cauſam, quid tam numeroſæ circum radicem Palmæ ſculptæ ſint. quid poſtremò vel ad Deum vel ad dedicatorem pertineant. Hic cùm Periander iuberet, vt Cherſiam interrogaret, vt qui ſciret, quique interfuiſſet cum Cypſelus cellam conſecraret. Cherſias renidens, equidem iſtud inquit, nuſquam hodie prius eloquar, quàm de his percontatus fuero, quid ſibi velit, *nequid nimis: Noſce teipſum:* & illud, quod multos celibes, multos infideles, nonnullos etiam mutos reddidit. *Sponde, noxa præſto:* Quid tu Pittacus noſtra, inquit, explicatione hic eges? qui iampridem Æſopi fabellas in ſingula huius; vt videtur, generis compoſitas dilaudes. Et Æſopus, quando Cherſiæ quidem, inquit, in me iludere &





cauillari placet, ſed cùm extra iocum horum inuentorem prædicat Homerum, apud quem ait Hectorem ſeipſum noſſe. Nam cùm alios omnes inuaderet,

*Ille manum Telamone ſati pugnamq; cauebat.*

Vlyſſem autem nequid nimis laudare Diomedi præcipientem,

*Ne nimium culpare caue, nimiúmque probare.*

Sponſionem porro quidam ab eo inceſſi vt calamitoſam, & miſeram cenſent, cùm ait δειλαί τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασθαι. Cherſias autem iſte, noxam ab Ioue præcipitatam ait, quòd ſponſioni interfuiſſet: cuius ſponſor Iupiter in Herculis natalibus deceptus eſſet. Suſcipiens Solon, nos igitur, inquit, ſapientiſſimo credamus Homero.

*Nunc iam nocteſcit nocti parere probandum.*

Proinde Muſis, Neptuno, Salaciæ libemus & fuſis libamentis, conuiuium ſi placet ſoluamus. Iſtum finem Nicarche cœtus ille habuit.

# PLVTARCHI CHAERONEI COMMENTARIVS DEPRIMO FRIGIDO, ADRIANO TVRNEBO interprete.

## *V. C. PETRO MONTAVREO CONSILIARIO ET BIBLIOTHECARIO REGIO ADRIANVS Turnebus S. P. D.*

*DVAE SVNT, PETRE MONTAVREE VIR CLARISSIME, in rerum natura qualitates, quarum ope Deus opt. max. omnia in orbe terrarum efficit, calor atque frigus: cuius rei hæc certiſſima fides fuerit, quòd non ſolùm annus, qui rerum procreationi ſeruit, per vtrunque ſuis vicibus & ſpacijs decurrit: verùm etiam dies & noctes inter ſe ſortitò iſta diuidunt. Sed tamen cùm tam aperta ſit vtriuſque vis & poteſtas, quæ ſit origo non perinde conſtat, frigoris præſertim. Nam ab aere naſci Stoici cenſent, Peripatetici ab aqua: ſi quis etiam à terra putet, ne ei quidem defuturas probabiles rationes Plutarchus exiſtimat: eòque rem perducit, vt in rebus obſcuris, & in profundo demerſa, vt Democritus dicebat, veritate, non temerè aſſentiendum pronunciet. Ego verò ſi tantis de rebus ſententiam meam veterum auctoritati interponere auſim, ipſius naturæ tacitis adductus indicijs, exiſtimem à cœlo calorem omnem, à diſtantiſſima regione frigus propagari: vt quemadmodum contraria ſunt, ita quoque diſiunctiſſimas & maximè contrarias locorum oras obſideant, cum calori mobilitas & agilitas, frigori ſtabilitas & immobilitas conueniat. Nocturnum enim frigus vnde tandem niſi à terra naſcitur? brumale verò quem alium ortum habet, niſi ab illa orbis terrarum plaga, quæ à ſole remotiſſima eſt: vnde horrifer,*

*Aquilonis ſtridor gelidas molitur niues?*

*vt certe non ſine cauſa terram Plato in Timæo igni oppoſuiſſe videatur. Hic tamen tutius fortaſſe fuerit vt in pleriſque, Academiæ inſtituto temeritatem aſſenſionis à lapſu continere, & pronunciare, vt in iudicijs veſtris interdum ſoletis, non liquere. quod animaduerti placuiſſe Fauorino, cuius ſententiæ Plutarchus in frigore ſuffragatur. Is enim in rebus ferè omnibus Acedemiæ dubitationem ſequebatur, vt Galenus ſcribit in libello de Optimo genere docendi. Sed tamen cum primi frigoris naturam, ſi modo ad eius cognitionem perueniri poſſet, dignam eſſe iudicarem, in qua homines elaborarent: feci libenter vt quem ea de re commentarium Plutarchus reliquerat, in Latinum conuerterem. Tibi verò, cui ratiocinandi & metiendi artes naturæq; inueſtigatio præcipuè placent (neque enim tu is es, quem nihil niſi ius & forum delectet) quæ Græcè cognouiſti, vt Latinè recognoſcas, interpretationem meam mitto dicoq; Vale.*

# PLVTARCHI CHÆRONEI COMMENTARIVS DE PRIMO FRIGIDO,

## *ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

ENIMVERO EST, FAVORINE, QVOMODO CALORIS IGNIS, ITA FRIgoris vis aliqua princeps atque materia, cuius præſentia & perceptione reliqua frigida ſiant omnia: aut certe potius vt lucis tenebras aiunt, motus quietem: ita frigus quoque caloris priuatio fuerit: cùm præſertim frigus quietum, calor mobilis eſſe videatur, & calidorum feruor nullius rei acceſſu, ſed caloris abſceſſu refrigeſcat. Nam ſimul ac magna vis eius exceſſit, corpus ſtatim reliquum refrigerari videtur. Vapor enim quem efferueſcentes remittunt aquæ, cum diſceſſu caloris e-

migrat. quo ſit vt rei molem refrigeratio diminuat, vt quæ nullo ſuccedente calorem foras emittat. An verò hæc ratio primum in ſuſpicionem ex eo venire poſſit, quod poteſtates rerum pleraſque illuſtres euertat, vt non iam qualitates aut habitus ſint, ſed habituum atque qualitatum priuationes cenſeantur, velut grauitas leuitatis, duritia mollitudinis, nigrum albi, dulce amari, atque ea denique omnia quæ ſuapte vi aduerſaria ſunt, non habitus & priuationis ritu? Denique quòd omnis priuatio ignaua ſit & ocioſa, vt cæcitas, ſurditas, ſilentium, mors: cum & formarum ſit à ſuo ſtatu dimotio & naturæ euerſio, nec ſit vlla per ſe natura. atqui frigus corpora quibus inhæret, non minus quàm calor & immutare & afficere ſolet. Eius enim efficientia multa conglaciant, multa rebus ipſis accumulata accreſcunt, multa denſantur: nec eius profectò ſtabilitas & pigritia iners cenſeri debet, ſed robore valens atq; firma, in quo momentum atque vigor inſit coercendi atque cohibendi. Quocirca priuatio contrariæ poteſtatis defectio eſt & receſſus: at permulta frigeſcunt, in quibus multum caloris eſt, & nonnulla ſi feruidiora frigus deprehendat, vltrò acrius conſtringit & vehementius cogit, vt ferrum quod in lacu tingitur. Stoici quoque ſpiritum dicunt in corporibus infantium vndique frigefactum velut aciem concipere, ac mutatione quadam ex natura animum fieri: id tamen controuerſum eſt. Sed cum multa alia frigus moliri & efficere videatur, priuatio dici profectò non debebit. Iam vero nulla priuatio neque accretionis, neque diminutionis eſt particeps: nec certe dicas qui oculis ſint capti, ex ijs alium alio magis eſſe cæcum: nec qui ſilent, ex ijs alium alio minus loqui: nec qui non viuunt, ex ijs alium alio magis eſſe mortuum. at in frigidis magis & minus, admodum & parum, atq; omnino intenſio & remiſſio longè & latè patent, vt in calidis. Quocirca cum materiam nunc vehementer, nunc modice poteſtates aduerſariæ adficiant, fit proinde vt ex ſe alijs alia vel calidiora, vel frigidiora reddat. Nam & habitus miſceri cum priuatione nequit, neque vis vlla contrariæ priuationis inductionem & communionem patitur, ſed contra inſurgit: eſt tamen quatenus calor cum frigore ſe miſceri ſuſtineat, nigrum cum candido, graue cum acuto, dulce cum auſtero: quæ quidem iſta conſociatione & harmonia infinitos colores, ſonos, medicamenta, opſonia, mirabili ſuauitate & iucunditate pariunt. Priuationis enim & habitus repugnantia hoſtiliter infeſta eſt & implacabiliter diſſentit, cùm vnius ortus alterius ſit interitus: at tempeſtiua contrariorum conflictione non ſolùm artes multum vtuntur, verùm etiam natura, tum in rerum procreatione, tum in aëris mutatione, alijſque in rebus quarum deſcriptione & deſignatione deus harmonicus & muſicus vocatur: non medius fidius quia mutuo ſonos graues & acutos temperet, aut atra & alba amica inter ſe conſuetudine deuinciat, ſed quia in mundo caloris & frigoris fœdus & diſſidium, vt moderatè & concilientur & diſſideant, procuratione ſua vtriuſque exuperantiam coercens, in officio contineat. præterea frigus non ſecus atque calorem ſenſu percipimus: priuatio autem neque aſpectabilis eſt, neque tractabilis, neque auditu aut alijs ſenſibus cognoſci poteſt. Alicuius enim rei ſenſus eſt: vbi autem nulla apparet natura, intelligitur priuatio, cùm ſit ipſa naturæ velut negantia, quemadmodum aſpectus cæcitas, vocis ſilentium, corporis ſolitudo & inanitas. Neque enim inane ſub ſenſum tactus cadit, ſed vbi nullius corporis ſubeſt tractatio, inane cogitamus: neque ſilentium audimus, ſed ſi nihil audiamus, ſilentium intelligimus: eodem modo cæcos, nudos, inermes ſenſu non percipimus, ſed ſenſus negatione intelligimus. itaque neceſſariò nullus eſſet frigoris ſenſus, ſed frigus, ſi caloris eſſet priuatio, eius demum abſentia intelligeretur: nunc autem cum vt calor tepore carnis & ſecretione: ita frigus concretione & denſitate ſentiatur, perſpicuum profectò eſt quemadmodum caloris, ſic frigoris etiam proprium & ſuum principium atq; fontem eſſe. quid quòd ſingulis in formis priuatio ſingularis eſt & ſimplex? at in naturis numeroſas diſſimilitudines & poteſtates animaduertimus. Eſt enim ſilentium vniuſmodi, vox autem varietate diſtincta eſt, vt interdum ſenſum offendat, interdum ſuauitate perfundat: eaſdem in coloribus & figuris diſſimilitudines reperias, quibus variè quemlibet occurrentem afficiunt: quod autem intractabile eſt, quod coloris & qualitatis penitus eſt expers, differentiam nullam habet, ſed ſemper ſimile eſt. Ecquid igitur iſtis priuantibus frigus eſt ſimile, vt variè & diſſimiliter nunquam afficiat? an contra magnis voluptatibus & ſalutaribus corpora permulcet, offenſionibus importunis, doloribus & aſperitatibus lædit? cum interea non fugitet, nec cedat ſemper calor: verum ſæpenumero interceptus repugnet atque dimicet, cui pugnæ horror & tremor nomen eſt: ſed calore profligato rigor & torpor ſuccedit, victor diffuſione ſuaui & tepore corpus liquefacit: quod Homerus *ἰαίνεσθαι* vocauit. atque iſta quidem cuiuis perſpicua & plana ſunt: his que vel maximè affectionibus declaratur frigus calori, vel vt naturam naturæ, vel vt affectionem affectioni aduerſari, non vt negationem & priuationem: nec frigus interitus profectò eſt caloris & labes, ſed tabifica quædam eius natura & poteſtas: vel hyemem ex anni temporibus, boream è ventorum numerò tollamus, vt auſtri & æſtus priuationes, principioque carentes ſuo. Atqui cum quatuor prima ſint in vniuerſitate rerum corpora quæ ex multitudine, ſimplicitate, efficacitate plurimi rerum aliarum elementa & principia ponunt, ignis, aqua, anima, terra, totidem eſſe ſimplices & primas qualitates profectò eſt neceſſe. quænam igitur aliæ tandem fuerint quàm calor, frigus, ſiccitas, humor, quarum ope elementa efficiunt atque patiuntur? Vt autem in literaturæ elementis breue & longum, in muſicæ graue & acutum, aliorum alia priuationes non ſunt: ſic in naturalibus corporibus elementi loco caloris cum frigore, humoris cum ſiccitate conflictio ſtatuenda eſt, vt & rationis & ſenſus fidem ſeruemus: aut vt priſcus ille Anaximenes cenſebat, neque frigus in materia, neque calorem relinquemus, ſed functiones quaſdam & affectiones materiæ ex mutatione aduentitias & tumultuarias putabimus. Eius enim contractionem & denſitatem frigus, raritatem & laxitatem (*χαλαρὸν* ipſe dicit) calorem eſſe ait. Nec proinde abſurdè dici, hominem ex ore frigidum & calidum efflare. ipſo enim labiorum preſſu ſpiritus coactus frigeſcit, ſed ore laxo effluens raritate liquidus incaleſcit. hoc ergo hominis inſcitiæ & ignorationi tribuit Ariſtoteles. Nam laxato ore calidum ex nobis ipſis anhelari: cum labris contractis efflamus non aerem à nobis conceptum, ſed frigidum eum qui ori offuſus eſt protrudi & prius incurrere. Sed ſi

qua



qua frigoris & caloris materia relinquenda eſt, in ſequentia deinceps orationem prouehamus, vt quænam materia, principium, natura frigoris ſit exquiramus. Quibus igitur placet ex triquetris inæquabilibus, figuriſque quarum triangula ſit forma, in corpore hærentibus rigorem, tremorem, horrorem, quæq; iſtis affectionibus affinia ſunt, propter aſperitatem naſci, etſi in ſingulis forte peccant, vnde tamen oportet principium arceſſunt. Debet enim, vt ſic dixerim, tanquam à Veſta, ſic à totius rei natura conquiſitionis initium proficiſci, qua potiſſimum re à medico, agricola, tibicine, differre philoſophus videtur. Illis enim eſt ſatis poſtremas cauſas inſpicere. nam ſi proximam affectionis cauſam peruidere poſſint, velut febris, intenſionem, & interuentionem: rubiginis, quod flagrantiſſimo ſolis æſtui imber ſucceſſerit: grauitatis tibiarum inclinationem & inter ipſas adductionem, abundè ſit artifici ad ſuum munus & opus: homini autem rerum naturalium inueſtigatori contemplationis gratià veritatem conſectanti, nunquam vltimæ cauſæ cognitio finis erit, ſed principium, velut ſuſcipiendæ profectionis, ad primas & ſupremas cauſas. Itaque rectè nec Platonis nec Democriti, cum quidem cauſas caloris & frigoris inquirerent, nec in terra, nec in igne inſtitit oratio, ſed cum res ſub ſenſum ſubiectas ad principia quæ intelligentia comprehenderentur, referrent, ad minutiſſima vſque tanquam ſemina proceſſit. Veruntamen corpora iſta ſenſus mouentia, in quibus Empedocles, Strato & Stoici poteſtatum naturas ponunt, antè oratione tanquam impellere præſtiterit. Ac Stoici quidem aeri, Empedocles & Strato humori primum frigus tribuunt: fortaſſis etiam non deſit cui in terra primum frigus ineſſe videatur. Primum tamen illorum ſententias videamus. nam cum ignis calidus idem & lucidus ſit, nimirum contrariam ei naturam frigidam & tenebroſam eſſe neceſſe eſt. etenim vt ſplendori obſcuritas, ſic calori frigus aduerſum eſt: cum præſertim quemadmodum tenebræ oculorum aciem, ita quoque frigus tangendi ſenſum confundat: calor contra tractantis ſenſum diffundat, vt cernentis fulgor. Quòd igitur in rerum natura primò tenebroſum eſt, idem quoque primò frigidum erit. Atquine Poëtas quidem latuit, aerem primò tenebroſum & opacum eſſe, qui tenebras aerem appellant.

*Obducebat enim naues denſiſſimus aer,*
*Candida nec cælo fulgebat luna.* ruſum,
*Aëra dimouit, nebulam & cito diſpulit atram,*
*Phœbus at illuxit, patueruntq́; agmina tota.*

huc accedit quod *κνέφας* aerem luce carentem vocant, vt coniectura eſt, quia ſit *κενὸν φάους*, id eſt, luce vacet: & *νέφος* glomeratus & denſatus aer tanquam lucis negatione dicitur: appellatur item caligo & nebula: atque adeo quæcunque luminis perſpicientiam oculis auferunt aeris diſcrimina ſunt: quodque ex eo nec colore imbuitur, nec oculis vſurpatur *ἄδης* & *ἀχλύων* nominatur. Vt igitur diſcedente luce tenebroſus redditur aer, ita calore etiam migrante ſupereſt frigidus aer, nec aliud quicquam. proinde ex frigore tartarus appellatus eſt: quod Heſiodus ita declarat, *Tartaron aerium*: & verbum adeo Græcum *ταρταρίζειν*, quòd eſt algentem quaſſari & contremiſcere. Iſta igitur hanc ferè rationem habent. Sed quoniam interitus omnis rerum eſt intereuntium in contrarium viciſſitudo, videamus ecquid rectè dictum ſit, ignis obitum aëris ortum eſſe. Nam ignis vt animantes, vel vi extinctus, vel ſua tabe confectus interit: ſed extinctio manifeſtiorem vtique eius in aerem mutationem exhibet: quippe cum fumus aeris ſpecies quædam ſit: & ille etiam apud Pindarum aeris nidor recalcitrans fumo. Sed & paſtus inopia tabeſcente & emoriente flamma videas, verbi gratia, in lucernis ſummum apicem in aerem atrum & caliginoſum effundi. quinetiam ex eorum corpore quibus poſt lauationem & fomentum frigida offunditur, erumpens halitus abundè declarat calorem in aerem interire & mutari, aeremque igni ſuapte natura contrarium eſſe: cui conſequens ſit aerem primò tenebroſum & frigidum eſſe. Ac certe cum frigoris vis nulla ſit acrior & violentior in corporibus quam glacies, eſt illa quidem affectio aquæ, ſed aeris tamen effectio. humor enim ſuapte natura liquefactus & dilapſus diffunditur omni concretione vacans & ſoliditate, ſed aeris frigore conſtrictus, rigeſcit & cogitur. Quocirca illud celebratum eſt,

*Auſter ſin borean exciuerit illicò ninget.*

humor enim velut materia ab Auſtro cumulatus, aeris borealis ſucceſſione conſtringitur & alligatur: quod quidem vel maxime perſpicuum eſt in niuibus quæ ſimul ac aerem tenuem & frigidum remiſerunt atque reſpirarunt, ſtatim fluunt. Ariſtoteles quoque plumbeas cotes prodit admota duntaxat aquâ ipſo horrore hyemis & frigoris tabefactas ſolui atque labi: aer autem corpora frigore compulſa, vt conijcere licet, frangit atque rumpit. proinde hauſtus ex fonte humor vehementius congelaſcit. minus enim quod eſt, facilius victor aer in poteſtate habet. Quod ſi quis frigidam ex puteo perenni tractam rurſus in puteum eatenus demittat, vt vas aquam ne tangat, ſed in aere pendeat, breui frigidior erit. quo quidem perſpicuè declaratur principem frigoris cauſam non in aqua, ſed in aere verſari. Quinetiam fluuiorum ingentium nullus alte congelat. nec enim totum flumen peruadit aer, ſed quæ ex contagione & propinquitate circunfundit frigore, ea gelu ſiſtit. atque hac de cauſa barbari proiectis vulpibus amnes pedibus traijciunt. Nam ſi non craſſa, ſed tenuis ſit glaciei cruſta, id aquæ ſubterfluentis ſtrepitus auguratæ reuertuntur. Nonnulli etiam piſcantur calida, glaciei aliquid ſoluentes & relaxantes, piſcibus tum lineam appetentibus. Vſque adeo nihil in profundo flumina à frigore patiuntur: cum alioqui in ſummo tanta ſit immutatio ex glacie, vt quemadmodum narrant qui hoc tempore cum Cæſare ad Iſtrum hyemarunt aqua contracta in ſe atque compreſſa naues elidat. Enimuerò & illud quod nobis vſuuenire ſolet, idoneum huius rei teſtimonium fuerit. Nam poſt balnea & ſudationes vehementius perfrigeſcimus: quòd corpore remiſſo atque diffuſo multum cum aere frigoris recipimus: quod idem aquæ accidit. magis enim antè calefacta refrigeratur, vt quæ aeri magis tum obnoxia ſit: cum qui feruentes ſurſum exanclant aquas & ſublimes tollunt, haud alia ſanè de cauſa id faciant, quàm vt aere multo admiſceantur. Eorum ratio Fauorine, qui primam frigoris vim aeri attribuunt, huiuſmodi probabilitate nititur: ſed &

illorum diſputatio qui aquæ, ſimilia ſumit principia, præſertim cum Empedocles dicat,

*Lucentem aſpicito ſolem penitúſque calentem:*
*Aſt imbrem tenebris fœdum penitúſque rigentem.*

Nam calidi cum frigido, & lucidi cum atro conuentione occaſionem ratiocinandi præbuit eiuſdem eſſe naturæ frigidum & atrum, vt eiuſdem lucidum & calidum. quod autem humor, non aër ſit niger, ſenſus adſtipulatur, cum ab aëre nihil propè infuſcetur, ab aqua omnia. Nam ſi vel lanam vel veſtem candidiſſimam in aquam miſeris, nigreſcet, dum humorem calor arefecerit: aut eum præli tormentum aut pondus expreſſerit: & terræ aqua conſperſæ qui locus ſtillis contactus eſt nigricat, reliqua ſimilia manent. igitur humor quâ altiſſimus cunque eſt, ex copia opaciſſimus videtur: quâ autem aër vicinus eſt, colluſtratur & tanquam ridet. Sed & ex alijs humoribus oleum pellucet maxime, vt multo infectum aëre: indicio eſt leuitas, qua omnibus ab aëre ſubleuatum innatat: tranquillitatem quoq; in mari facit fluctibus inſperſum, non quia per lubricam eius læuitatem ventus labatur, vt Ariſtoteles credit: ſed quòd omni humore verberatus fluctus diſcutiatur. proprium autem illud olei eſt, quòd lucem & claritatem in gurgitibus facit, diſpulſo per aërem humore: nec ijs ſolùm qui in ſumma pernoctant aqua, ſed vrinantibus etiam in profundo ſpongiatoribus efflatum ore in mari lumen præbet. Nigrum igitur non magis aërem attingit quàm aquam: frigidum verò multo minus. Itaque oleum vt omnium liquorum aërium maxime eſt, ita minime frigidum eſt, molliterque congelaſcit. Nam aër quo admixtum eſt concretionem dureſcere non ſinit. Acus vero ferreaſque fibulas & reliqua opera non aquæ, ſed oleo intingunt, ſummum aquæ horrorem metuentes, quo torquentur. his enim notis verum exquiri præſtiterit quàm colorum indicijs: præſertim cum grando, nix, glacies & candidiſſimæ ſint & frigidiſſimæ: pix contra melle ſit & calidior & nigrior. Veruntamen mirari ſubit eos qui aërem ex opacitate frigidum eſſe cenſent, non videre alios ex leuitate frigidum eſſe contendere. non enim frigori tenebræ ita familiares & cognatæ ſunt, vt grauitas & ſtabilitas. Nam multas reperias naturas caloris illas quidem expertes, ſplendoris tamen participes: ex frigidis nihil leue, nihil mobile, nihil quod ſublime feratur. adeo vt nubes quandiu ad animalem ſpirabilemque naturam pertinent, ſupera capeſſant, in humorem mutatæ ſtatim in pronum labantur, & inceſſente frigore non minus leuitatem, quàm calorem deponant: calore contra ſubeunte momenta viciſſim conuertant, vt ſimul ac in aërem mutatæ ſint ſurſum ferantur. Nec profecto quod de interitu afferunt verum eſt. Non enim quod perit in contrarium, ſed à contrario interit, velut ignis ab aqua in aërem. Vt Æſchylus etſi tragicè, verè tamen dixerit, *Vndam ignis pœnam ſiſtito*. Rectè etiam Homerus qui fluuio Vulcanum, Neptuno Apollinem naturaliter magis quàm fabuloſè in dimicatione oppoſuerit. Nec Archilochus certè de ea cuius contraria voluntas erat male,

*Vndam,* inquit, *doloſa gerebat altera manu*
*Flammam altera.*

atque etiam apud Perſas genus erat ſupplicandi ſine omni recuſatione multo maximum, ſi ſupplices igne ſumpto in fluuium deſcenderent, ac minarentur niſi impetrarent ignem ſe in aquam miſſuros. Nam optata obtinebant, quibus potiti ob denunciationem legi & naturæ repugnantem plectebantur. Ac illud quidem quod omnibus in ore promptum eſt, ignem aquæ miſcere, prouerbio iactatum de eo quod fieri non poteſt, ſignificare quoque videtur igni aquam inimicam & infeſtam eſſe, ignemque ab aqua deleri & extingui, non ab aëre, qui mutari materiam recipit. ſi enim id quô mutantur conſumpta, contrarium eſt, profecto non aëri potius ignis, quàm humor aduerſarius erit. nam concretus in aquam mutatur, in ignem diffuſus: vt item liquor ſecretione in aërem interit, concretione in terram: cuius vt opinor rei cauſa eſt vtriuſque adfinitas & cognatio, non infeſta inimicaque contentio. Illi autem vtrumcunque dixerint, argumentum ſuum labefactabunt. Verum tamen humorem iactare ab aëre durari, cuius tandem eſt prudentiæ, cùm aërem nunquam gelu adſtrictum fixumque cernamus? nubes enim, caligo, nebula congelatio non eſt, ſed concretio quædam & craſſitudo aeris vdi & vapore redundantis: nec aer qui aridus & ſiccus ſit, ad eam vſque mutationem refrixerit: præſertim cum montes nonnulli ſint innubili, non roſcidi, caligine nulla obſeſſi, ſuis iugis in aërem liquidum & humore vacuum euecti. Quo quidem vel maximè perſpicuum eſt imam iſtam cœli huius pinguis & concreti craſſitudinem humoris & frigoris admixtione aëri contingere. Ima porro magnorum fluminum merito non congelant. nam ſupera exhalationem gelu adſtricta non tranſmittunt, quæ incluſa & recidiua humorem in fundo calore adficit. cuius rei certa hæc fides ſit, quòd vbi glacies regelauit ſolutaque eſt, ex humore magna vis vaporis effertur: proinde animantium corpora hyeme calidiora ſunt: quòd calorem ab externo frigore intro compulſum arceant & cohibeant. Iam vero cum ſurſum exanclantur ſurſumque tolluntur aquæ, non ſolùm ea res calorem, ſed frigus etiam attenuat. Itaque quibus valde frigida eſt opus, ij niues & ab illis compreſſam aquam quàm minimum commouent: quod vtrunque motus exturbet. Verum quòd non aëri, ſed aquæ vis iſta frigoris tribuenda ſit, ſic de integro quis confirmauerit. Principio veriſimile non eſt aërem in illa vicinitate ardoris & contagione flammeæ conuerſionis vi contraria præditum eſſe: nec alioqui fieri poteſt, cum eius oram & determinationem attingat: nec certè probabile eſt naturam conſumptori & confectori deinceps quod conficeret adpoſuiſſe: perinde ac ſi non ſocietatis nec conuenientiæ, ſed belli ac dimicationis eſſet effectrix. Nec verò ijs quæ vel intemperanter, vel contumaciter inter ſe affecta ſunt, vtitur: ſed quendã collocationis ſitum & ordinem, non interitus auctorem, ſed quodam fœdere, ſocietatis conciliatorem & adiutorem in medio tanquam nexũ interponit. quam regionem obtinuit aer igni ſuffuſus antea quàm: qui & vtriq; porrò tradit, & vtrunq; copulat, vt qui neq; calidus ſit, neq; frigidus, ſed caloris & frigoris mediũ quoddam temperamentũ & communio, quæ in eo miſcentur in offenſa temperatione molliter immittente & receptante aduerſarias extremitates. Deinde vbiq; terrarũ æqualis eſt aer, non tamen vbiq; pariter hyemat, nec ſimiliter frigus infeſtat. ſed in orbe terrarũ non-





nulla algida & humida ſunt, nonnulla torrida & exſiccata: nec tamen fortuito, ſed quòd eadem ſit frigoris & humoris natura. Nam Libyæ pleraque æſtuoſa ſunt & ſiticuloſa: Scythiam, Thraciam, Pontum qui peragrarunt, magnas habere paludes narrant, profundiſque & frequentibus amnibus perflui. Quin & in mediterraneis ſi qua vel lacuſtria ſunt, vel paludibus adiacent, propter expirationes humoris vehementer inhorreſcunt. Poſidonius autem cum cauſam frigoris eſſe ait, quòd aer ille lacuſtris & humidus recens ſit, argumentum credibile non diluit, ſed credibilius reddit. Non enim aer vt quiſque recentiſſimus eſſet, ita frigidiſſimus videretur, niſi ab humore frigus naſceretur. Melius igitur Homerus, *Algidus è fluuio flatus* dixit, velut ad fontem frigoris digitum intendens. Quocirca nos ſæpenumero ſenſus fallit, cum aut veſtes, aut lanas frigidas tractantes, humidas ſentire videmur: nimirum quòd vtriuſque qualitatis natura ſit communis, eaque propinqua perque familiaris. Accedit quod in illis cœli inclinationibus, in quibus hyems eſt ſæuior, multa frigus ahena & fictilia rumpit, non inania, ſed plena omnia, frigore humoris impreſſionem faciente. Quanquam Theophraſtus ait, ab aere vaſa rumpi, qui humore tanquam ſole vtatur. Sed vide ne iſtud amœnius quàm verius dictum ſit. hac enim ratione oporteret vaſa picis vel lactis rumpi potius ab aere. Sed profecto aqua ſuapte natura & primò frigida videtur eſſe. Nam frigore ignis feruori aduerſaria eſt, vt humore ſiccitati, grauitate leuitati, atque omnino dirimit ac diſſipat ignis, aqua glutinat & copulat, vt quæ humore ſuo contineat & coagmentet. Ex quo etiam ſuſpicionem Empedocles attulit, quaſi ignem exitioſam contentionem, humorem amicitiam tenacem ſubinde vocet. Nam ignis pabulum eſt, quod in ignem commutatur: commutatur autem quod familiaritatem & cognationem habet: at contrarium, vt aqua, vix commutabile eſt, quæ nec ipſa deflagrare poteſt, & materiam omnem, herbam viridem, ligna madentia ad vrendum difficilia reddit igni, flammamque propter viriditatem atram & malignam frigore ſuo cum calore, vt hoſte, pugnans effert. Hæc igitur argumenta conſiderato, & cum ſuperioribus comparato. Sed quoniam Chryſippus cùm exiſtimaret in aere primum frigus propter tenebras ineſſe, eorum duntaxat meminit, qui aquam ab ardore maiore dicerent interuallo diſtare, quàm aerem: & cum in eos aliquid afferre vellet, hanc rationem vt improbam & abſurdam aſpernatus, Iſto, inquit, modo in terra primum frigus eſſe dicere liceret, quod ab ardore longius diſiuncta ſit: equidem declaraturum eſſe me confido, ne terram quidem probabilibus argumentis eſſe deſtitutam, ab eoque potiſſimum ordiar, quo Chryſippus vel maxime, vt aeri frigus aſſerat, vtitur. Quid autem iſtud eſt? nempe quòd primò tenebroſus ſit. Nam ſi duarum poteſtatum oppoſitione ſumpta alteram alteri conſequentem neceſſariò arbitratur, ſexcentæ profecto ſunt ardoris & terræ repugnantiæ & diſſenſiones, quibus & hanc æquè conſequentem quidni quis opinetur? Nec enim ſolùm vt grauis leui, nec vt prona ſupino, nec vt denſa raro, nec vt tarda & ſtabilis veloci & mobili contraria eſt, ſed vt grauiſſima leuiſſimo, vt denſiſſima rariſſimo, poſtremo vt ſuapte natura immobilis ſuopte impulſu mobili, vt in media ſede librata, ſemper in orbem circumque volubili. Non igitur abſurdum fuerit, tot tantiſque oppoſitionibus caloris & frigoris contentionem eſſe conſequentem. At enim non vt ignis clarus eſt, item terra tenebroſa, imo verò omnium & tenebroſiſſima eſt & opaciſſima. Primus enim aer lucis eſt particeps, celerrimeque mutatur, & oppletus claritatem, cui ſeſe præbet, quoquouerſum tribuit. Nam ſol vt Dithyrambicus quidam poëta inquit, exortus ſtatim aerium iſtud vaſtumque ventorum domicilium lumine conſerit: deinde ex eo paludibus & maris æquoribus lucis partem deſcendens largitur, & vada fluminum renident pro eo quantum ad ipſa aeris penetrat. Sola corporum tellus nec colluſtratur, nec plagam accipit vllam ab eo, quod ſolis & lunæ radijs illuminat. ab illis tamen fouetur & intepeſcit, quanquam calore non longe ſubeunte, lucem nullo modo præ ſoliditate tranſmittit: ſed ſumma duntaxat terræ ſola illuminantur, interiora, caligo, chaos, orcus, nominantur. ac profecto Erebus ille terrenarum eſt tenebrarum obſcuritas. Quid quòd poëtæ noctem è terra natam fabulantur: Mathematici vmbram terræ argumentantur officientis ſoli? Aer enim à terra tenebris offunditur, vt à ſole luce completur, eiuſque quâ patet opacitas, ea noctis eſt magnitudo, quantum vmbra terræ occupat. Proinde externo aere homines etiam noctu & beſtiæ vtuntur, cum per tenebras pleræque paſtus capeſſant, quòd aliqua etiam tum lucis veſtigia & claritatis inſperſos lapſus habeat: domeſticus contra tectiſque clauſus, quòd eum vndique terra complectitur, mirum in modum cœcus & opacus eſt. Atque etiam pelles & cornua animantium incolumi integritate ob ſoliditatem non pellucent, ſecta vel raſa aeris admixtione pellucida redduntur. Equidem arbitror etiam à poëtis vulgò atram vocari noctem ob tenebras, & lucis vacuitatem: vt præclara illa tantique æſtimata tenebrarum cum claritate contentio, terræ potius quàm aëris cenſenda ſit: ſed tamen ab eo quo de agitur remota eſt, præſertim cum & in lucidis frigida multa, & in obſcuris & tenebricoſis calida oſtendantur. Illæ magis affines ſunt frigoris poteſtates, firmitas, ſtabilitas, denſitas, immutabilitas: quarum ne vnam quidem in aere, in terra magis omnes certe quàm in aqua reperias. Quin etiam frigidum quod eſt, imprimis ſenſu durum eſſe conſtat, durare, & rigidum eſſe. Piſces enim tradit Theophraſtus aeris horrore rigentes ſi in terram dimittantur, vitri aut fictilium ritu frangi atque comminui. Sed & Delphis ipſe quoque audiebas eorum qui in Parnaſum aſcenderant, vt bacchis procellæ ſæuitia & niuis aſperitate interclusis opem ferrent, ita ex gelu pallia obduruiſſe & tanquam in lignum obriguiſſe, vt diſtenſa fatiſcerent & rumperentur. Præterea neruos inflexibiles, linguam mutam immobilitate ſua & duritia frigus immane reddit, quicquid in corpore humidum eſt & molle intemperanter adſtringens: quæ cum cernamus, ſic mihi deinceps quod efficitur vide. Vis omnis quæ quidem ſuperat quod ſuperatur in ſuam naturam commutare & conuertere ſolet. Nam quod à colore ſuperatur ingreſcit, quod ab aere, in flabilem euaneſcit naturam, quod in aquam incidit, niſi effugiat pariter, diffuſum in liquorẽ diluitur. proinde neceſſe quæ vehementer refrigeſcant in id quod primò frigidum eſt mutari. at refrigerationis exuperantia glacies eſt. glacies autem in commutationẽ naturæ ſaxeumq; rigorẽ deſinit, cum frigore penitus dominante expreſſo calore conglaciat humor. Ergo demerſa

in profundo terra eſt propemoda gelida quædam concretio & glacies. nam immoderatũ frigus in nullam ſe relaxans mollitiã, procul ab ardore illuc detruſum nidulatur. Hæc tamẽ quæ in aperto ſunt præcipitia, ſcopulos, rupes Empedocles ab igne in viſcerib. terræ deliteſcente & exæſtuante ſolida attolli, & ſuſtentata exaggerari putat: cùm potius appareat quorum calor expreſſus euolarit ea prorſus omnia à frigore concreſcere, ex quo etiam πάγοι Græcè vocantur: & multorum ſumma quà calor euaſerit ambuſtis ſimilia videntur. Quædã enim magis, quædam minus frigus adſtringit: ſed omnium tamen maxime quibus primum inhæret. vt enim ſi caloris eſt alleuare, vt quicq; calidiſſimum erit: ita leuiſſimum reperietur, ſi humoris mollire vt quicq; humidiſſimum ita moliſſimũ erit: eodem modo ſi frigoris eſt adſtringere frigidiſſimum quicque, concretiſſimum erit, cuiuſmodi terra eſt. quod autem frigidiſſimũ eſt idem natura & primò quoque frigidum: ex quo efficitur & natura & primò frigidã eſſe terram. quod quidem vel ſenſu deniq; percipi poteſt. lutum enim frigidius eſt aqua, & ignem ingerenda terra extinguimus: ſed & fabri ferrarij candenti liqueſcentique ferro marmor aut lapidum decuſſa cementa inſpergentes, immodicam fuſionem prohibent & refrigerant: puluis etiam athletarum corpora refrigerat, & ſudorem extinguit. quid porrò ſibi vult illa conſuetudo & vſus qui quotannis nos domicilij commutatione traducit, cum hyeme procul à terra in ſublimes cœnationes fugiamus: contrà æſtate imis hæreamus, ſubeamus atque ſectemur perfugiorum commoditates, vitamque noſtram libenter in ipſis veluti telluris vlnis deponamus? an non iſtud facimus ipſo frigoris ſenſu nos ad terram deducente, & quod primum natura frigidum eſt indicante? Itaque cum in maritimis hybernamus, terram quodam modo fugimus, & quantum poſſumus ob rigorem, eam relinquimus: aërem verò maritimum & pelagium qui calidus eſt, nobis circundamus: rurſum æſtate terrigenam & mediterraneum propter æſtum expetimus: non quia frigidus ipſe ſit, ſed quia ex eo naſcatur, quod & natura & primò frigidum ſit, & vi terræ vt ferrum tinctura imbutus ſit. Nam & profluentium aquarum frigidiſſimæ ſunt quæ ex ſaxoſis montoſiſque manant, vt putealium altiſſimæ. His enim in depreſſa altitudine externus iam non miſcetur aer: illæ per ſinceram & puram terram delabuntur, velut ad Tenarum quam appellant Stygis aquam de ſaxo exiliter ſcatentem, cuius rigor tantus eſt vt alio vaſe nullo, ſed aſinina duntaxat vngula contineatur, cætera frangat atque rumpat. Iam verò à medicis accepimus omne terræ genus adſtrigendo & frigefaciendo eſſe, multaque è metallicis numerant quæ conſtringendi ipſis & cohibendi vim in medicamentis ſuppeditant. Neque enim eius elementum vel ad incidendum idoneum eſt, vel ad mobilitatem aptum, non ſubtilitatem, non acumen habet, non molle eſt, non facile circunfunditur, ſed ſtabile eſt, vt teſſera ſuoque nixu ſe continet. Itaque & pondus habet, & frigus, ſiquidem vis eius eſt, denſandis, compellendis, extrudendis humoribus, in corporibus ob inæqualitatem, horrorem & tremorem generat: quòd ſi vincat, calore penitus fugato aut extincto, moribundum congelantis corporis habitum deſtituit. Quo fit, vt nullo modo vratur terra, vel malignè vixque ignem concipiat. Aer enim ex ſe perſæpe flammam emittit, incenſuſque fluit, & coruſcat: verum humoris pabulo calor vtitur. Non enim ſoliditas, ſed humor ligni exuritur, quo exſiccato, quicquid ſolidum & aridum erat, cinefactum relinquitur. Qui autem oſtendere conantur id mutari & conſumi, adipe & oleo ſæpius inungentes & ſubigentes nihil proficiunt: verum eo quod adipale eſt exuſto, terrenum illud omnino ſuperat, & extat. Proinde eam non ſolùm à loci mutatione immobilem, ſed natura etiam immutabilem, & vero nonnunquam in deorum domicilio manentem, priſci ἑστίαν, id eſt, Veſtam appellauerunt, ex ſtatu & concretione, cuius vt Archelaus Phyſicus ait, frigus eſt vinculum: cum eam nihil relaxet, & emolliat, vel æſtuantem, vel tepeſcentem. Verum qui frigidum ſe ſpiritum ſentire & humorem, non item terram prædicant, proximam iſtam ſpectant quæ permixtione quadam & congerie aëris, humoris, caloris ſolis redundat: nec quicquam ab illis differunt, qui non ardorem natura & primò calidum eſſe dicunt, ſed efferuentem aquam candenſque ferrum, quibus adpoſiti ſunt, quæque tractant: cùm primum illum liquidum & cœleſtem ignem non contingant: quemadmodum nec hi terram in profundo demerſam, quæ vel maximè tellus intelligi debet, ab alijs ſegregata naturis. Cuius ſpecimen hic quoque ex ſaxis capi poteſt, ingentem ex alto rigorem & ægre tolerabilem proferentibus. Quibus autem frigidiore potu eſt opus, ſilices in aquam mittunt. propter enim lapidum frigus quod recens & purum effertur, aqua rigidior redditur, & veluti aciem ducit. Itaque priſcos ſapientes illos & eruditos viros terrena & cœleſtia omni inter ſe admixtione liberata poſuiſſe exiſtimandum eſt, non plagis, tanquam in libra ſumma cum imis examinata conferrent, ſed poteſtatum diſſimilitudine, cum feruorem, lucem, celeritatem, leuitatem immortalibus & ſempiternis corporibus attribuerent, tenebras contra, frigus, tarditatem mortuorum & inferorum infelicem aſſignationem pronunciarent. Nam & animantis corpus quandiu ſpirat, & vt poëtæ loquuntur, viret, calore fruitur & vita: quibus ſimul ac caruit, in reliqua terræ portione continuo dominatur frigus, vt in omni potius corpore, quàm terreno calor natura conſiſtere poſſit. Hæc Fauorine cum aliorum argumentis comparato: quæ ſi credibilitate magnopere nec cedunt, nec excellunt, opiniones valere ſinito, aſſenſionis retentionem in rebus obſcuris è philoſophiæ dignitate magis exiſtimans eſſe, quàm approbationem.

*Stoici* ) Fœtus in vtero Stoicis vitam ſtirpis viuit. cum ex vtero prodit, animatur, calido ſpiritu vi frigoris quandam velut aciem concipiente & firmitatem: idq; eſt quod ait Plut. *Ex natura animum fieri.* nam ſtirpes ſola natura ſuſtineri Stoici putant, quorum ſententiã medici ſequuntur, qui vim illã animi quæ in iecore verſatur, φυσικὴν appellare ſolent quodam Stoicorum errore: interdum etiam φυτικήν. ſed illam Stoicorum ſententiam in libro de Stoicorum repugnantijs ſic explicat, γίνεσθαι μὲν γάρ φησι τὴν ψυχὴν, ὅταν τὸ βρέφος ἀποτεχθῇ, καθάπερ στομώσει τῇ περιψύξει τοῦ πνεύματος μεταβαλόντος.

*Intenſionem* ) Sententiam attingit Eraſiſtrati, qui febrim gigni putabat, cum ſanguis arterijs interueniebat, quas eſſe vaſa ſpiritus volebat, aut cum ſpiritui occurrebat. itaque legendum putem ἔνστασις ἢ παρέμπτωσις, id eſt occurſus & interuentus ex lib. Galeni contra Eraſiſtratum.

*Exanclantur*)



*Exanclantur*) ἀνορύττειν Aldus habet, & infra, ἀναρρύσεις. alij ἀναρρίπτειν & ἀναρρίψεις veriſſimam puto ſcripturam, ἀναρύτειν & ἀναρύσεις, quam ſecutus ſum in interpratatione.

*In mediterraneis* ) lege, & medijs in locis.

*Veſtam*) κλῖτα in Aldo legitur male. in quodam manu ſcripto, σύγα. ἑστίαν, legendum putaui. ſequitur enim διὰ τὴν στάσιν.

In codice Græco, pro ὡρῶν, lege ὀρῶν. pro ὅτι, σκοτεινὸν, legendum ὅτιν, ἡ μὲν σκοτεινὸν pro χεῖον, legendum λεπτὸν.

# PLVTARCHI CHAERONEI DE PROCREATIONE ANIMI IN TIMÆO PLATONIS

*ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

## ADRIANVS TVRNEBVS PETRO GALLANDIO LATINARVM LITERARVM REGIO Profeſſori S. D.

*EXPLICANTI MIHI TIMAEVM PLATONIS, PETRE GALlandi, quem in dialogum, quicquid de rerum natura commodè cogitare potuit philoſophorum princeps, id omne contulit, venit in mentem commentarium Plutarchi in procreationem animi, in Latinum conuertere: quod cum feciſſem, de noſtro, credo, diuturno conturbernio tuiſque in me meritis ſtatim occurriſti, cui hoc quicquid eſt interpretationis, & , vt ait Catullus, libelli donarem. Nam vt in ſomnis Ennio ſæpenumero Homerus obuerſari videbatur, de quo vigilans crebrò cogitabat: ita tu quoque, quocum diu vixi, de quo ſæpè loquor, & cuius in me beneficia ſemper recordor, mihi hic fortaſſe dormitanti & tanquam ſomnianti, (vide quàm verbis munus exornem meum) ſtatim adeſſe viſus es, cui hoc offerrem. Iſtud autem meum etſi minus eſt, quàm vt te mouere debeat (non enim te dignum eſt) tamen quia eſt, vt ait idem,* μνημόσυνον *tui ſodalis, non minus gratum tibi fore confido animum æſtimanti, quàm ſi pluris eſſet. Nam quod ad me attinet, culpa ingenij mihi videor ſcriptum Plutarchi doctiſſimum vel detriuiſſe, vel contaminaſſe. Ita plerique omnes ſolemus: libros alienos male vertendo iam vſitatis vindicijs noſtros facimus, & de præclaris ſcriptoribus ſic meremur: quanquam ſi reuiuiſcat Plutarchus ne Græcum quidem aſſerat, vt iſta tibi ſint de malis Græcis deteriora Latina. Hoc autem neque vt in æſtimationem accipias, neque in ſolutum poſtulo, præſertim cùm ita tibi obnoxius ſim, vt fides mea liberari non poſſit, niſi beneficio tabularum nouarum. extare tantum argumentum volui tuorum erga me meritorum, vt inuidi & vituperatores tui quemadmodum antea tua diſertiſſima & eruditiſſima oratione doctiorem te, quàm vellent, maxima cum animi ægritudine experti ſunt: ita nunc cùm teſtimonio meo & promeritorum in me tuorum profeſſione te multo meliorem virum & beneficentiorem, quàm velint, intelligent, animi mœrore miſerè contabeſcant. Vale.*

## PLVTARCHI CHÆRONEI DE PROCREATIONE ANIMI IN TIMAEO Platonis

*Interprete Adriano Turnebo.*

### PATER AVTOBVLO ET PLVTARCHO S. D.

QVONIAM QVÆ ET SÆPENVMERO DIXIMVS, ET ALIA ALIIS LOcis diſpersè ſcripſimus, Platonis ſententiam explicantes, quam eum de animo habuiſſe exiſtimabamus, in vnum redigenda cenſetis, ſuaque priuatim ſcriptione rem iſtam comprehendendam putatis, haud ſanè alioqui tractatu facilem, & quòd pleriſque è Platonis ſecta refragabitur, ſubſidij firmamentique indigentem, dictionem primum, vt in Timæo ſcripta eſt, proponam.

*Ex ea materia quæ indiuidua eſt & quæ ſemper vniuſmodi ſuique ſimilis, & ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuit, quod eſſet eiuſdem materiæ & alterius: idque interiecit inter indiuiduum atque id quod diuiduum eſſet in corpore. Ea cum tria ſumpſiſſet in vnam ſpeciem temparauit, natu-*

*tamque illam quam alterius diximus, vi cum eadem coniunxit fugientem & eius copulationis alienam, permiſcens cum materia. Et cum ex tribus feciſſet vnum, id ipſum in ea quæ decuit membra partitus eſt. Iam partes ſingulas ex eodem & altero & ex materia temperauit. Fuit autem talis illa partitio.*

Primum quidem quàm multas iſta diſſenſiones interpretibus pepererint, cùm arduum factu fuerit in præſentia percenſere, tùm apud vos quoque qui plurimas legiſtis, ſuperuacaneum. Sed quoniam è ſpectatiſſimis partim Xenocrates ad ſe pellexit, qui animum eſſe pronunciauit numerum ſeipſum mouentem: quidam ſe ad Crantorem Solenſem applicauerunt, animum miſcentem ex ea natura quæ ratione conprehenditur, & ex ea quæ opinabilis in rebus ſenſum mouentibus conſidit, equidem arbitror ſi iſta ad liquidum enodentur, quendam nobis tamquam orſum eſſe præbitura. Ac certe perbreuis eſt vtriuſq; ratio, cùm alteri mixtione diuiduæ & indiuiduæ naturæ nihil aliud, quàm numeri procreationem ſignificari putent: quippè vnum indiuiduum eſſe, multitudinem diuiduam, ex quibus numerum exiſtere, vno multitudinem definiente & infinitioni terminum modumq; apponente, quam dyadem vocant interminatam. Atque iſtam Zaratas Pythagoræ magiſter numeri matrem vocabat, vnum patrem: vt proinde numeri præſtabiliores illi ſint qui vnum æmulentur: verumtamen numerum iſtum videri nondum animum eſſe, propterea quòd agitatio & immobilitas in eo deſideretur: eodem autem & altero commixtis, quorum vnum motus & mutationis, alterum ſtatus & quietis primordium eſt, animum extitiſſe, qui non minus ſiſtente natura ſtanteque cenſeatur, quàm agitante mouenteque. Crantor autem cum animi officium munuſque eſſe præcipuè crederet, de ijs quæ ſub intelligentiam ſenſumq; cadunt exiſtimare, omneſque eorum in ipſis & alternas mutuaſq; inter vtraque genera ſimilitudines diſſimilitudineſque dijudicare, ex omnibus vt omnia cognoſcat, animum eſſe temperatum prædicat. Ea porrò eſſe numero quatuor, ratione comprehenſibilem, ſemper vniuſmodi & ſui ſimilem naturam, tùm in corporibus patibilem fungentemque & mutationi obnoxiam, ad hæc eiuſdem & alterius, quod illarum vtraque diuerſi & eiuſdem vendicatione teneatur. Cæterùm omnes iſti animum non eſſe à temporis principatu procreatum vno ore iuxta conſentiunt, neque verò natiuum eſſe, ſed eum eſſe multis poteſtatibus præditum, in quas commentationis gratia retexta eius natura, verbo à Platone natum temperatumque poſitum eſſe, eadem ſane etiam de mundo ſentiente, quippe quem ſempiternum & ingenitum agnoſceret. ſed quì non facile factu videret, vt qua deſcriptione & adminiſtratione conſtet ab eis intelligeretur, qui neque eius ortum, neque concilium cœtúmque procreantium principio ſtatuiſſent, iſtam potiſſimum viam ingreſſum eſſe. In ſumma, cum iſta fere vtrique dicant, neutros tamen Eudorus à probabili ſententia recedere putat: mihi autem vtrique à Platonis opinione plurimum videntur aberrare, ſi probabilitatis amuſſim adhibeas, nec tua placita contexas, ſed Platoni conſentanea dicere velis. Nam illa naturæ ſenſum & intelligentiam mouentis temperatio, quam narrant, nihil ſanè explanat, cur animi potius quàm aliorum quorumlibet procreatio ſit. Nam & mundus ipſe, & vnaquæque pars eius ex corporata intellectaque natura cohæret: quarum illa materiam & ſubiectionem, hæc formam & ſpeciem rei genitæ præbet: & quicquid materiæ vendicatione & adumbratione naturæ eius quæ intelligentia percipitur, informatum eſt, ſtatim tractabile & aſpectabile euadit, cum animus aſpectum omnem oculorum effugerit. Iam verò animum Plato nunquam numerum eſſe dixit, ſed agitationem ſe ſuapte vi & ſponte ſemper cientem, agitationiſque perennem fontem & principium, numeris tamen & proportione & concentione ſubiectam eius naturam digeſſit, quæ pulcherrimam ſpeciem hac deſignatione conſecuta eſt. Ego verò exiſtimem, animum numeris conſtare, & eius naturam numerum eſſe, non idem valere, præſertim cùm concentione conſtet, nec tamen concentio ſit, velut ipſe in ſermone de Animo oſtendit. Planè autem ab iſtis ignoratum eſſe videtur quid eſſet idem & alterum. Aiunt enim vnum ſtatus, alterum motionis vim facultatemque conferre ad animi procreationem, cùm Plato diſertè in Sophiſta id quod eſt, idem, alterum, adhæc ſtatum & motum inter ſe quæque diſcrepantia & quinque numero ſeparata diſtinxerit. Quod autem & iſti communiter, & familiares plerique Platonis tantopere verentur & anguntur, ideoque omnia moliuntur, vrgent, torquent, quaſi odioſum quiddam & infandum obtegi modis omnibus debere & negari cenſentes, mundi animique eius originem & coagmentationem non ex æternitate cohærentium, neque infinito temporis æuo habitu iſto vigentium, id cùm ſuam proprie diſputationem locumque habuit, tùm in præſentia tantum dixiſſe ſatis fuerit: omne certamen diſputationemque de dijs qua ſe Plato enixius ex ambitione & præter ætatem aduerſus impios vſum eſſe fatetur, ab iſtis conturbari atque adeo in totum labefactari atque conuelli. Si enim ingenitus mundus eſt, prorſus illud Platoni perierit, animum corpore antiquiorem, omnis agitationis & mutationis auctorem eſſe, vtpote imperatorem & operis principem, vt ipſe dixit, in corpore collocatum. Cuiuſmodi porrò animus, & cuiuſmodi corpore, prior & ſenior extitiſſe dicitur, progreſſus orationis monſtrabit: cuius ignoratio videtur & perplexæ difficultatis plurimum adferre, & à fide veræ opinionis auocare. Primum igitur qui ſit meus iſtis de rebus ſenſus, expromam, probabilibus rerum argumentis confirmans, & ex veræ rationis inſolentia & admirabilitate, quoad eius facere potero, deonerans. Deinde ad dictionem accommodabo, interpretatione pariter & argumentatione concilianda. Ita autem, vt mihi quidem videtur, ſeſe res habet. MVNDVM iſtum, vt ait Heraclitus, neque deorum, neq; hominum quiſquam fecit: proinde quaſi vereatur ne abdicato deo, hominem aliquem eius fuiſſe effectorem exiſtimemus: quo melius fuerit Platoni ſubſcribere, & mundum à deo genitum clara voce canere, nedum prædicare. nam hic rerum genitarum pulcherrimus eſt, ille cauſarum optimus. Cæterùm naturam & materiam ex qua extitit, generatam non eſſe, ſed opifici ſemper ſubiectam fuiſſe, ad collocationem & ordinem, & quantum conſequi poſſet, aſſimulationem ſui. Non enim ex nihilo procreatio fit, ſed ex in concinno & rudi, vt domus, veſtis, ſtatuæ. Nam ante mundi ortum indigeſta quædam & inornata congeries erat, non illa quidem vel incorporea, vel immobilis, vel inanima, ſed informe & inconditum corpus à temeraria & rationis experte impulſione agitatum: quod nihil aliud erat quàm animi proportione carentis non apta & incommoda comparatio. neque enim deus in-

corporeum



corporeum corpus, neq; inanimum animum reddidit: ſed quemadmodum ab eo qui modos numeroſq; facit, nec vocem nec motum vt faciat poſtulamus, ſed modulatam ab eo vocem & motum numeroſum requirimus: item Deus neque corporis tractationem & ſoliditatem, neque animi partem viſa concipientem & ad motum impellentem finxit, ſed ſumptum vtrumq; principium, alterum obſcurum & tenebroſum, alterum turbulentum & veſanum, vtrunq; tamen inchoatum & ſuis numeris partibuſque defectum & interminatum, collocauit, digeſſit, aptauit, pulcherrimumq; & abſolutiſſimum animantem ex ijs reddidit. Illius igitur corporis ingenium, quam omnium receptatricem naturam appellat, ſedemq; & nutricem omnium quæcunque generantur, dicit, non aliud profecto eſt. At animi indolem in Philebo infinitatem vocauit, quæ eſt omnis numeri & proportionis priuantia, defectus & exuperantiæ, differentiæ & diſſimilitudinis nullum in ſe finem modumque continens. In Timæo autem cum animus indiuidua admixtus & temperatus natura & corporibus diuidua eſſe dicitur, neque multitudinem in vnitatibus & punctis, neque longitudines aut latitudines dici exiſtimandum eſt: quæ & corporibus conueniunt, & corporibus magis quàm animis attributa ſunt: ſed inordinatum & interminatum, ſuâ tamen ſponte mobile mouensque principium illud, quod multis locis neceſſitatem, in Legibus apertè animum inordinatum & maleficum nominauit. Iſte quippe ſolus per ſe animus erat, mente autem, ratione ſolertiaque aptæ concentionis auctus eſt, vt animus mundi fieret. Nam illa vniuerſorum capacitas & materia amplitudine, interuallo, loco patebat: cæterum pulchritudinis, formæ, & aptæ moderatæque figuræ indigebat: quæ conſecuta eſt, vt in terræ, maris, cœli, ſiderum, ſtirpium, animantium corpora omne genus & inſtrumenta deſcriptione concederet. Qui autem in Timæo neceſſitatem, in Philebo ex maioris minoriſque defectione & exuperatione immenſitatem & infinitatem materiæ acceptam ferunt, non animo, quo tandem modo tuebuntur, quod à Platone dicitur, materiam ſemper informem eſſe, omni figura carere, omni qualitate & facultate propria vacuam eſſe, & oleo inolenti comparari, quod vt imbuatur ab vnguentarijs ſumitur? Non enim fieri poteſt, vt quod de ſe qualitatis expers eſt, quod ignauum, quod non propenſum, id Plato cauſam principiumque mali ſtatuat, & infinitionem fœdam & maleficam vocet: rurſus neceſſitatem Deo contumaciter ſæpe repugnantem & frenum excutientem. Illa quippe neceſſitas, quæ vt in Politico ſcribitur, cœlum retorquet & replicat in aduerſum, & cognata libido, veteriſque olim naturæ contubernium educationis magna præditum ordinis perturbatione, antequam hunc in mundum veniſſet, vndenam rebus ingeneratum eſt, ſi ſubiecta ſubſtrataque materia omni qualitate vacabat, & omnis exors erat cauſæ: bonus autem artifex omnia ſui ſimilia, quoad natura pateretur, reddere ſtudebat? Tertium enim præter iſta relinquitur nihil. Nos enim Stoicæ deprehendunt difficultates, qui malum de nihilo ſine cauſa, ſine ſtirpe & origine inducere quærimus, præſertim cum eorum quæ ſunt, neque bonum, neque illlam qualitatibus vacuam naturam veriſimile ſit mali indolem ortumque peperiſſe. Verum non idem Platoni quod poſteris vſuuenit, nec prætermiſſo vt illi, tertio inter Deum & materiam interiecto primordio & poteſtate, rem omnium ſtultiſſimam ſuſcepit, vt neſcio quo pacto velut exodium quoddam extra numerum malorum naturam ſponte fortuitóque proueniſſe diceret. Nam Epicuro ne minimam quidem atomi declinationem concedunt, vt commentitiam ſine cauſa fingenti motionem ex nihilo, cùm ipſi interim vitioſitatem & miſeriam tantam, aliaque ſexcenta corporis exitia & detrimenta in primordijs cauſam non habentia, ex conſecutione quadam prodiiſſe tradant. At non item Plato, ſed materia omni penitus ſpoliata diſcrimine, & à Deo procul malorum cauſa relegata in Politico iſta de mundo ſcripſit: Nam à conditore omnia decora conſecutus eſt, à priſtino habitu quicquid in cœlo odioſum & iniquum, id ex eo, cùm ipſe haurit, tùm animantibus etiam ipſis inſerit. Paulumque progreſſus, Procedente, inquit, dein tempore, & obliuione in eo tandem conualeſcente, magis dominatur valetque veteris inconcinnitatis prauitatiſque labes, vt diſſolutus à periculo prope abſit rurſus ſubeundi profundam voraginem diſſimilitudinis. Atqui diſſimilitudo in materia qualitatis & diſcriminis experte nulla fuerit: idque cum alijs multis ab Eudemo ignoratum eſt, in Platonem leuiter illudente, quod non eam quam ſæpenumero matrem & altricem appellauerit, nunc malorum cauſam, ſtirpem, principium pronunciet. nam Plato matrem & altricem vocat materiam: cæterum malorum cauſam materiæ impulſionem & motionem in corporibus diuiduam, inordinatam illam quidem & ratione vacuam, non tamen inanimam, quam in Legibus, vt dictum eſt, animum aduerſarium & infeſtum benefico nuncupauit. Animus enim auctor motionis & principium eſt: mens ordinis & concordiæ in motu. Nam Deus nunquam profecto materiam reſidem & ignauam retinuiſſet: nunc retinuit à temeraria & immoderata concitatam impulſione. Neque verò primordia viciſſitudinum & affectionum materiæ indidit, ſed in perturbationibus immanibus verſanti, & mutationibus, inordinatis æſtuanti, quicquid interminatum prauumque inerat, adhibitis concinnitatis, proportionis, numerorum inſtrumentis, ſuſtulit: quorum partes ſunt, non alterna viciſſitudine neque motu diuerſitatis & differentiæ tumultum rebus importare: ſed eas inerrantes potius & ſtabiles, & eorum quæ eiuſdemmodi ſunt, ſimiles præſtare. Iſta igitur Platonis, vt mihi quidem videtur, eſt ſententia: cuius illa fides prima fuerit, quod ea quæ apud eum eſſe memoratur & videtur, repugnantia & diſſenſio, plane tota diluitur: quæ ne in Sophiſtam quidem temulentum, nedum in Platonem conuenit, vt quas diſputationes omnium diligentiſſimè accurarit, in ijs tanta perturbatio & inconſtantia reperiatur, vt eandem rem & ingenitam pronunciet, & natiuam: ingenitum, verbi gratia, in Phœdro animum ponat, in Timæo natiuum. Ac illa quidem Phædri dictio omnibus propemodum in ore eſt, quæ ortus remotione eum ab interitu vindicat, & quòd à ſe moueatur ortum non habuiſſe confirmat. In Timæo autem, Non quemadmodum, inquit, nunc poſteriorem dicere aggredimur animum, ita Deus iuniorem corpore inchoauit. maius enim natu minori parere cum eo copulatum nunquam ſiuiſſet: ſed nos neſcio quo modo inconſideratè iſta & temerè loquimur. nam & ortu & virtute priorem & antiquiorem animum, vt dominum & imperantem parenti præfecit corpori.

Iterum

Iterum cum dixiſſet ipſum ſeſe conuerſantem diuinum induxiſſe perennis ſapientiſq; vitæ exordium, Ac corpus quidem, inquit, cœli aſpectabile effectum eſt, animus autem oculorum obtutum effugit, veruntamen rationis & concentionis particeps & compos, ab optimo omnium quæ ſempiterna ſunt & ſub intelligentiam cadunt, omnium quæ generata ſunt, optimus effectus eſt. Hic medius fidius cùm omnium quæ ſempiterna ſunt Deum optimum eſſe dicat, animum omnium quæ generata, perſpicuo diſcrimine & contentione ei æternitas origine vacua detracta eſt. Ecqua verò præſto alia fuerit emendatio, quàm quæ ab eo cuiuis accipere volenti ſuppeditatur? ortu caruiſſe animum prodit eum qui ante mundi natales turbidè penitùs & inordinatè iactabat omnia: rurſus genitum dicit & natum quem Deus cum ex iſta, tum ex perenni illa & verò præſtantiſſima materia ſapientem & ordinatum molitus, cùm ſicuti ſpeciem, ſenſui mentem, agitationi ordinem de ſuo tribuiſſet, in vniuerſitate imperatorem & moderatorem locauit. ſic enim & vniuerſitatis corpus ex parte non generatum, ex parte generatum fuiſſe prædicat. Nam cùm ait, omne quod aſpectabile eſſet, non quietum nec tranquillum, ſed immoderate agitatum & fluctuans Deum accepiſſe, & in numerum digeſſiſſe: rurſumque à quatuor generibus, igne, aqua, terra, anima, priuſquam ex eorum deſcriptione ſumma rerum compta conſtitiſſet, materiam exagitatam, & ab ea viciſſim illa concuſſa propter inæquabilitatem fuiſſe, nimirum corpora illa vſpiam ante mundi originem extitiſſe ſignificat: cùm rurſum dicit, iunius animo corpus ſatum eſſe, & mundum eſſe generatum, quod aſpectabilis & tractabilis & corporatus ſit, quæ & ortum habere & gigni comperimus, nonne perſpicuum eſt originem naturæ corporis ab eo tribui? Sed profectò plurimum ab eo abeſt, vt pugnantia loqui ſecumq; diſſidere videatur ſic apertè, præſertim in grauiſſimis rebus. Non enim eodem modo, neq; idem vſquequaq; corpus, & à Deo generatum eſſe dicit, & antequam gigneretur extitiſſe. iſtud enim hominis fuerit fuco præſtigiarum illudentis. Sed quid ortum audire oporteat, vltrò ipſe docet. Nam antea, inquit, omnia iſta ſine ratione turbulentè immoderateq; comparata erant, verum poſteaquam cœpit rerum ſummam diſponere & diſcludere rerum ſator, primum ignis, aqua, terra, anima ſuis quibuſdam impreſſa veſtigijs ſic affecta erant, vt probabile eſt, ſicunde Deus abſit. Ea proinde cum ita eſſent, figuris numeriſq; conformauit: quin etiam præfatus haudquaquam vnius proportionis munus fuiſſe, ſed duarum, ſoliditate & craſſitudine præditam mundi molem colligare, vbi narrauit inter ignem & terram aqua aereq; interiecto cœlum à Deo colligatum & coagmentatum fuiſſe, Ex iſtis, inquit, huius generis naturis numero quatuor mundi corpus proportione conſtitutum ſibi aptum conſentienſq; effectum eſt: amicitiamq; ex eo & charitatem ſui conſecutum, vt ſeipſum aptè complexum ab alio quam à quo colligatum eſt, diſſolui non poſſit. vbi clariſſimè docet neque corporis neque concretionis cuiuſquam, neq; materiæ, ſed modificationis in corpore & concinnitatis & ſimilitudinis Deum parentem & effectorem fuiſſe: quod idem de animo cogitandum eſt, alterum ſcilicet neq; à Deo procreatum, neq; mundi animum eſſe, ſed vim quandam viſorum informatricem & opinatricem, ſuapte illam quidem ope perenniter mouentem: temeraria tamen & turbida agitatione impetuq; percitam: alterum à Deo ſuis numeris & rationibus aptatum, & generato mundo imperatorem impoſitum, natiuum eſſe. Quod autem iſte fuerit eius his de rebus ſenſus, neq; dicis cauſa ad diſputandum geniti mundi & animi coagmentationem & ortum iuxta induxerit, hoc præter alia multa fidem fecerit, quod animum, vt prædiximus, & genitum & ingenitum dixit, mundum ſemper genitum & natiuum affirmauit, nunquam ingenitum neq; perpetuum. Cuius rei teſtimonium quid attinet ex Timæo proferre? totus enim perpetuuſq; commentarius in mundi origine à principio ad vmbilicum conſumitur. De reliquis libris in Atlantico Timæus venerans, Deum nominat qui iam olim opere manuque, modo oratione ſit effectus: in Politico verò Parmenidius hoſpes mundum à Deo compoſitum dicit multum boni conſecutum eſſe: ſin quid incommodi maliq; inſit, ex priſtina affectione inconcinna & rationis experte eam admixtionem inſediſſe. Iam in Republica de numero quem nuptias nonnulli vocant, dicere Socrates exorſus, Enimuero eſt, inquit, Deo natiuo ſua conuerſio, quam abſolutus numerus complectitur, haud aliud quicquam Deum natiuum appellans, quàm mundum. *

* hic enim prima copulatio vnius & duûm eſt, altera trium & vnius, tertia quinque & ſex, quarum nulla quadratum creat, neq; per ſe ipſa, neq; cum alijs coniuncta: quarta octo & decem, quæ alijs accumulata 36 quadratum edit. Illeque numerorum à Platone explicatorum quaternarius pleniorem & vberiorem ſortitus procreationem eſt, cùm interuallis paribus paria, imparibus imparia multiplicentur: vnum autem commune initium parium & imparium is continet, eique ſubiecta duo & tria plana prima, quatuor autem & nouem prima triangula, 8 & 27 principes in numeris teſſeras, vno de albo ſummaq; expuncto. Ex quo ſatis ſignificat non ad lineam recta ſerie, ſed alternos voluiſſe priuatimque pares inter ſe collocari & impares. itaq; ſubſcriptum eſt. Sic & coniugationes ſimilium cum ſimilibus inſtituentur, & numeros parient illuſtres mutuis compoſitionibus & multiplicationibus: compoſitione ſic, ex duobus & tribus quinq; proueniunt, ex quatuor & nouem tredecim, ex octo & viginti ſeptem, triginta quinque. Ex iſtis numeris Pythagorici quinq; altricem, id eſt, ſonitum vocabant, primum illud toni interuallum ſonare poſſe cenſentes: tredecim λεῖμμα, id eſt, defectionem, ſicuti Plato, parilem toni diſtributionem abdicantes: trigintaquinque concentionem, quòd & ex duabus teſſeris conflata ſint, quæ ex pari & impari principes gignantur, & ex quatuor numeris coaleſcant, 6, 8, 9, 12, arithmeticam & harmonicam proportionem continentibus. Sed id profectò ex deſcriptione dilucidum omnino magis fuerit.




Eſto parallelogrammum rectangulum ABCD, cuius latus vnũ AB ſit quinque, alterum AD ſeptem partium: minoreq; bifariam ſecto in duo & tria ad E, maiore in tria & quatuor ad F. à ſecturis perpetuæ traiiciantur lineæ rectæ ſeſe interſecantes ad EGH, & FGI: ſic AIGF 6

erunt,



erunt, EBGF, 9 GHDI octo, GFHC 12: quod parallelogrammum è triginta quinque omnes concentuum primorum rationes in partitis illis numerorum loculis complectitur. Iſtic enim ſex & octo comparationem ſexquitertiam habent, in quo diateſſaron: ſex & nouem ſexquiplicem, in quo diapente: ſex & duodecim duplicem, in quo diapaſon: ſed & toni proportio ineſt ſeſquioctaua in nouem & octo. quamobrem numerum iſtas comprehendentem rationes omnes modulationem vocarunt, qui quidem ſexies congeminatus decem & ducentorum ſummam creat, quot diebus ſeptimeſtres fœtus ad partum abſoluti maturantur. De integro autem ab alio primordio ex multiplicatione bis tria ſex efficiunt, quater verò nouem 36, octies 27, 216: eſtq; numerus ſex perfectus, ſuis exæquatus partibus, & nuptiarum nomen meruit ex copulatione paris & imparis. Quid quòd ex principio coaluit & ex pari primoq; impari? Eſt autem numerus 36 primus quadratus ſimul & triquetrus: quadratus à ſex, triquetrus ab octo profectus, prouenitque multiplicatione duorum quadratorum cumulatus, quatuor & nouem geminantibus. Compoſitione quoq; trium teſſerarum integratur. vnum quippè, octo, viginti ſeptem compoſita numerum antè ſcriptum edunt: adde quod ex duobus lateribus procerius excurrit, quod heteromeces, id eſt ſtrigam vocant, tribus duodecim, quatuor nouem multiplicantibus. Quocirca expoſitis formarum lateribus, quadrati ſex, triquetri octo, & duûm parallelogrammorum, vnius nouem, alterius duodecim, nimirum illi numeri rationes modulationum reddent. Erunt quippe duodecim ad 9 diateſſaron, vt ima chorda, quam netenappellant, ad medianam: ad 8 diapente, vt ima ad parameſen: ad 6 diapaſon, vt ima ad ſummam. 216 teſſeram efficient à capite ſex ambitui ſuo adæquatam. Itaque cùm explicati numeri iſtis virtutibus præditi ſunt, tùm verò ſingulare quiddam poſtremo attributum eſt 27, vt cum antecedentibus compoſitus æqualis omnibus ſit: idem in luna ſpacia luſtrationis metiens, & in modificationum interuallis Pythagoricum tonum ſuo numero definiens, ex quo 13 defectum appellant, quod vno minus dimidium ſit. Iſtis autem numeris rationes modulationum contineri, cognitu promptum eſt. Nam comparatio duplex eſt duorum ad vnum, in quo diapaſon cernitur: & ſexquipla trium ad duo, in quo diapente: & ſexquitertia quatuor ad tria, in quo diateſſaron: & tripla nouem ad tria, vbi diapaſon & diapente: & quadrupla duorum ad octo, vbi diſdiapaſon eſt: & ſexquioctaua proportio octo ad nouem, vbi conſonantia toni notatur. Igitur ſi vnum promiſcuè paribus imparibuſque accenſetur, vniuerſus numerus decuſſis multitudinem gignit. nam 5. & 10 quæ ab vno ad decem coaceruantur, triquetrum ex quinque conficiunt: impar autem compoſitione in aſſem 40 colligit ex 13 & 27 nata, quibus omnium modulationum interualla Mathematici inſigniter metiuntur, vnum dieſin, alterum tonum appellantes: qui multiplicando vi quaternarij exiſtit. primos enim deinceps quatuor numeros, per ſe quenque quadruplicatum ſi ſumas, naſcuntur 4, 8, 12, 16, quibus 40 conflantur modulationum rationes omnes complectentia. Nam 16 ſexquitertia 12, 8 dupla, 4 quadrupla: 12 autem ſeſquipla 8, 4 tripla: quæ quidem proportiones diateſſaron, diapente, diapaſon & diſdiapaſon continent. Iam verò 40 duobus quadratis, & duabus teſſeris ſimul aggregatis æqualia ſunt. Nam 1, 4, 8, 27, ex quibus componuntur, in teſſeras & quadrata euadunt: vt quaternarius Platonicus Pythagorico diſtinctione multo numeroſior ſit, & abſolutior. Sed quoniam illis medietatibus, quas inducit, poſiti numeri regionem non tribuunt, maiores aſſumi fines oportuit, eadem tamen comparatione. Dicendum autem qui ſint, verum prius de medietatibus diſſerendum. Earum vnam pariter ad numerum exuperantem & exuperatam ratiocinatores noſtræ memoriæ Arithmeticam vocant: alteram eadem portione extremorum exuperantem & exuperatam, Aduerſariam. Ac fines quidem Arithmeticæ ſunt, 6, 9, 12. vtique, cùm nouem parili ad numerum æquabilitāte ſex ſuperent, & à duodecim ſuperentur. Aduerſariæ, 6, 8, 12: cum 8 duobus 6 ſuperent, à 12 quatuor ſuperentur, in queis duo ſex, quatuor duodecim trientes ſunt. ex quo euenit vt in Arithmethica comparatione eadem parte medium præſtet ſupèreturque: in aduerſaria, eadem portione extrèmorum ab altero abſit, alterum excedat. Illic enim tria medij trientem efficiunt: hic quatuor & duo vtriuſque extremi trientes: ex quo & contraria vocitatur. Harmonicam autem etiam nominant propterea quod ſuis finibus primas modulationes oſtendit, maximo erga minimum, diapaſon: maximo aduerſus medium, diapente: medio erga minimum, diateſſaron. Fine enim maximo in ima chorda conſtituto, minimo in ſumma, medius ad mediam occurrit, qui ad maximum diapente facit, ad minimum diateſſaron reddit: ſic vt octo ſint ad mediam, duodecim ad imam, ſex ad ſummam. Quo autem pacto medietates quas memoraui accipiendæ ſint, Eudorus ſimpliciter & dilucidè declarat. Ac principio in Arithmetica vide. Etenim ſi expoſiti vtriuſque extremi ſumas dimidias componaſque, numerus conflatus finis medius fuerit, pariter in duplis triplisque. In aduerſaria, in duplicibus ſi extremis numeris explicatis, minoris trientem, maioris ſemiſſem capias, qui coaceruatur medius efficitur: in triplicibus contra, ſemiſſem minoris, maioris trientem accipere oportet. qui enim ſic componitur, medius efficicur. Sunto enim in triplici ratione 6 minimus finis, 18 maximus: ſi igitur 6 ſemiſſem 3 acceperis, & 18 trientem 6 in aſſemq; compoſueris, 9 habueris eadem parte extremorum præſtantia ſuperatáque. Hunc in modum medietates ſumuntur, quas illic oportet alternas in ſeriem interlocare, & explere dupla & tripla interualla. Sed numerorum expoſitorum partim nullum prorſus vacuum in medio locum relinquunt, partim non ſatis laxum, proinde ex eorum amplificatione ijſdem rationibus ſeruatis, medietatibus quas diximus idonea receptacula inſtituunt. Ac primum quidem minimum vnius vice ſex ſtatuentes, cum hic numerus dimidium & trientem primus habeat, omnes numeros ſeſcuplices ſubijciunt, vt ſubſcripti ſunt, vtraſque medietates recipientes duplis interuallis. Cùm autem dixiſſet Plato, Seſquialteris autem interuallis & ſexquitertijs & ſexquioctauis ſumptis ex his colligationibus in primis interuallis ſeſquioctaui interuallo ſeſquitertia omnia explebat, cùm particulam ſingulorum relinqueret. Eius autem particulæ interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemque in extremis, quam habent 256 cum 243: hæc dictio planè coegit eos reuocare numeros, maioremque ſummam inire: duo quippe ſeſquioctaua fieri oportebat. cumque nec de ſe ſeſqui-

octaua

octaua ſenarius haberet: ſin ſecaretur comminutione vnius in particulas, impedita & perplexa inſtitutio futura eſſet, res ipſa multiplicem ſummam dictauit, velut in harmonica mutatione tota perpetuaque deformatione ſimul cum primo numero intenta. Proinde Eudorus Crantorem ſecutus, primum ſumpſit numerum 384, qui colligitur 6 in 64 multiplicatis. Eos autem huc induxerunt 64, quæ ſeſquioctauum habent 8, quam habet comparationem 81 cum 72. Sed orationi Platonis conſentaneum magis fuerit dimidium ponere. Huius enim defectio ſeſquioctauorũ rationem in numeris illis, quos Plato edidit 256 ad 243. obtinebit, primis 192 poſitis: ſin huius duplex primus ſtatuatur, defectio proportionem eandem reddiderit, numerum autem altero tanto maiorem, cuiuſmodi ſunt 512 ad 484. Fiunt enim ſeſquitertia centum nonaginta duûm 256, & trecentorum octoginta quatuor 512. Nec verò abs re ad iſtam ſummam reuocatur numerus, vt quæ Crantori operæ precium abſoluerit. Nam 64 teſſeram reddunt ex primo quadrangulo, & quadrangulum ex prima teſſera, ac ſi per tria ducantur, qui numerus primus eſt impar, primus triquetrus, primus perfectus & ſeſquiplex, 192 conſummarint, quæ & ipſa, vt monſtrabimus, ſeſquioctauum habent. Cæterum quid ſit defectio, quæ Platonis ſententia, magis omnino perſpicietis, antegreſſa breui earum rerum admonitione, quæ in Pythagoricis ſcholis aſſolent dici. Eſt enim interuallum in numeris & modis, quantum inter duos ſonos patet tenore diſſimiles. Interuallorum vnum tonus vocatur, quo diapente modulatione diateſſaron maius eſt. Hunc bipartitum æqualiter harmonici cenſent interualla duo gignere, quæ hemitonia vocant. Pythagorici æquabilem eius partitionem aſpernantur, ſed portionum inæqualium minorem defectionem nominant, à dimidio defectam. Quocirca modulationem diateſſaron illi duûm tonorum & hemitonij vnius eſſe putant: hi duûm & defectionis. Aſtipulari autem videtur harmonicis ſenſus fides: Mathematicis argumentatio, hunc in modum: ſumpſerunt, quod quidem inſtrumentis perſpectum eſt, diapaſon altero tanto maius eſſe, diapente ſeſqui, diateſſaron triente, tonum ſeſcuncia. hodieq; licet ad verum explorare, aut libramentis duobus inæqualibus ad chordas appenſis, aut duarum parium tibiarum altera duplicis longitudinis facta. Nam procerior grauius inflabit, velut ſumma ad imam: chorda autem quæ duplici pondere tendetur, acutius ſonabit, vt ima ad ſummã, quod diapaſon eſt. Itidem tria ad duo ſi ſumas, vel in longitudinibus, vel in ponderibus, diapente efficient: quatuor ad tria, diateſſaron: è queis vnum comparationem habet ſeſquitertiam, alterum ſeſquialteram: ſin quaſi nouem ad octo, inæquabilitas ponderum aut longitudinum, interuallum toni gignet, non conſonum illud quidem, veruntamen modulatum aliquantulum: propterea quòd ſonos, ſi alterni pſallunt, ſuauiter iucundeq; reſonantes præbet: ſin ſimul, cum ingrata offenſione: in conſonantia, vel ſimul, vel in vicem crepantibus, iucundus ad ſenſum concentus accidit. Quin etiam id ratione oſtendunt. Nam in modis muſicis diapaſon ex diapente & diateſſaron integratur: in numeris duplum ex ſeſquiplo & ſeſquitertio conficitur. Nam duodecim ad nouem ſeſquitertia ſunt, ad octo ſeſquipla, ad ſex dupla. Itaq; conflata eſt dupli proportio ex ſeſquiplo & ſeſquitertio, quemadmodum comparatio in diapaſon ex diapente & diateſſaron. Sed & illic diapente quàm diateſſaron tono, & hic ſeſquiplum quàm ſeſquitertium ſeſquioctauo maius eſt: proinde videtur diapaſon ex dupla proportione conſtare, diapente ſeſquialtera, diateſſaron ſeſquitertia, tonus ſeſquioctaua. Hoc demonſtrato videamus ecquid ſeſquioctauum bifariam diuidi poſſit. ſi enim non poteſt, nec tonus poterit. Quando igitur 9 & 8 quæ primam ſeſquioctauam comparationem efficiunt, medium nullum interuallum habent: geminatis autem vtriſque, numerus qui medius interuenit, duo interualla reddit, perſpicuum eſt, ſi ea æqualia ſint, ſeſquioctauum bipartitò diuidi. Verum cum duplicentur 8 in 16, 9 in 18, mediaq; recipiat 17, euenit vt interuallorum vnum maius, alterum minus ſit. Prius enim ſeptimadecima, poſterius ſextadecima parte antecedit: propterea ſecabitur inæquabiliter ſeſquioctauum: quod ſi eſt, tonus etiam. Neutrum igitur eo dimidiato ſegmentum hemitonium efficitur, ſed meritò à Mathematicis defectio appellatur. Atq; id eſt quod à Platone dicitur, ſeſquitertia Deum ſeſquioctauis expleſſe, cum particulam ſingulorum relinqueret, comparationemq; extitiſſe quam 256 habent cum 243. Sumatur enim diateſſaron in numeris duobus comparationem ſeſquitertiam habentibus, 256, & 192. quorum minor 192 ſtatuatur quà tetrachordi ſonus grauiſſime reſonat, maior 256, quà acutiſſimè tinnit, oſtendendum eſt, eo duobus ſeſquioctauis expleto, interuallum relinqui tantum, quantum inter 256 & 243 patet. Nam ſi grauius tono intendatur, qui quidem ſeſquioctauus eſt, fiunt 216: quòd ſi tono rurſus altero intendatur, colliguntur 243, à quibus exuperantur 216, 27: & à 216, 192, 24, in queis 27, 216 ſeſquioctaua ſunt, & 24, 192. Quocirca in tribus iſtis numeris maximus medij ſeſquioctauus efficitur, & medius minimi, minimiq; interuallum ad maximũ, id eſt à 192 ad 245, duorum tonorũ totidem explemus ſeſquioctauis: quo dempto reliquum ſupereſt ſummæ totius interuallum quod inter 243 & 256 patet, ſcilicet 13, ex quo numerum iſtum λεῖμμα nuncupabant. Equidem iſtis in numeris arbitror plane & inſigniter Platonis ſententiam declarari. Alij fines collocant ex modo diateſſaron, acutum in 288, grauem in 216, reliqua deinceps pro rata parte ſimiliter tranſigunt: præter quàm quòd λεῖμμα duorum interpoſitorum accipiunt. Nam ſi grauius tono intendas, fiunt 143: ſi acutius tono remittas, 256. Sunt enim 243 ſeſquioctaua 216, & 288, 256, vt interuallum vtrunque toni ſit: relinquatur autem inter 243 & 256 non hemitonium, ſed hemitonio minus. Nam 288, 256 præſtant 32: 200 autem 43, 216 antecedunt 27: 200 autem 56, 243 antecellunt 13. Iſta autem exuperationis vtriuſque dimidio minora ſunt. Itaq; duorum tonorum & defectionis, non duorũ tonorum & dimidij, deprehenditur modulus diateſſaron. Iſta igitur hunc in modum demonſtrantur. Cæterum illud haudquaquã perſpectu difficile eſt ex ijs quæ iam ante diximus, cur Plato cum diceret interualla ſeſquitertia ſeſquioctauis explendo, effici ſeſquipla ſeſquitertia & ſeſquioctaua interualla, ſeſquiplorum non meminerit, ſed prætermiſerit. Nam ſeſquiplum ſi ſeſquitertium ſeſquioctauo, aut ſeſquitertio ſeſquioctauum addas, expletur. His iam demonſtratis, interuallorum expletio, & medietatum interpoſitio ſi à nemine antea tentata eſſet, tamen eam vobis exercitationis gratia relinquerem: nunc iſto loco cum à plurimis & eximijs viris perpolito, tùm verò à Crantore, Clearcho, Theodoro Solenſibus pertractato, pauca quædam de eorũ diſſenſione attingere incommodum nõ fuerit.

Theodorus



Theodorus enim non vt illi, duos inſtituit ordines, ſed ad lineam normamq; deinceps numeros duplos triplosq; in ſeriem exponit. Ac primum quidem nititur illa naturæ fiſſione quæ in porrectum dicitur, quæ duas quaſi ex vna partes efficit, non quatuor è duabus: deinde medietatum interiectiones ita locari oportere contendit, alioqui perturbationem confuſionemque ſecuturam. ſtatimq; in primum tranſit triplum ex primo duplo, ſupplementis vtrunq; explere debentibus. Verum Crantori ſuffragatur collocatio parium & imparium numerorũ, in qua plana cum planis, quadrangula cum quadrangulis, teſſeræ cum teſſeris ex aduerſum iugata ſunt: illiq; ſumptioni quæ non ſtriga quadam nec ſerie continetur, ſed vicibus parium & imparium alternatur * vniuſmodi eſſe dicit, velut formam & ſpeciem: quod ex corporibus diuiduum gignitur, velut receptaculum & materiam: mixtum, quod ex ambobus promiſcuè conflatum eſt. Igitur diuiduam naturam, quæ vna atq; eadem ſemper eſt, ne quis ex paruitate quemadmodum minutiſſima corpuſcula partitionis fugientem eſſe cenſeat. Eius enim vis illa ſimplex, impatibilis, ſincera, ſingularis vniusq; formę, expers & indiuidua dicta eſt, quę in compoſitis diuiduis, diſſidentibus ſui contagione multitudinem cohibet & ſiſtit, & ad vnam habitudinem ſimilitudine redigit. Quæ autem in corporibus diuidua gignitur, ſi quis cognominatè materiam vocare velit, illi vtiq; ſubiectam & illius participem naturam, nihil ad ſententiam retulerit. Qui autem corporatã materiam cenſent cum indiuidua miſceri, falluntur. Primum quod nullo eius nomine impræſentiarum Plato vtitur. Nam illam ſemper conceptaculum vocare conſueuit, & omnium receptatricem, & nutricem, quæ non mediusfidius corporibus diuidua eſt, ſed corpus potius ſingulatim diuiduum. Deinde quid ab origine mundi ortus animi diſcepabit, ſi vterq; materiatus eſt, & ex ijs quæ ſub intelligentiam cadunt cohæreſcit? Atqui ipſe Plato velut abdicans illam animi ex corpore procreationem, omne quod corporeum erat ei factum interitus à Deo prædicat: deinde extrinſecus ab eo circumiectum eſſe: demumq; exornato & abſoluto proportione animo, poſterius inducit materiæ diſputationem, quòd nihil ea, cum animum conderet abſq; materia generatum, indigeret. Similia fere iſtis contra Poſidonium etiam dicere licet. Non enim longè à materia recedit, ſed cenſens naturam extremorum ex corporibus diuiduam appellari; extremaq; cum eo quod intelligentia comprehenditur miſcens, animum pronunciat ſpeciem eſſe eius quod interuallis quoquouerſum diſtat, numerorum modulatione conſtantem. Etenim Mathematica inter prima illa quæ intelligentia comprehenduntur, & ea quæ ſenſu percipiuntur, media interuenire: animiq; qui & ratione comprehenſibilium æternitate præditus eſt, & ſenſum mouentiũ functionibus offenſionibusq; obnoxius & infeſtus, naturam meritò in medio tanquam ancipitem ambigere. Nam & is animaduertiſſe non videtur, Deum corporum extremis, animo iam abſoluto, ad materiæ conformationem vti cœpiſſe, vt diſſipabilem vndiq; nec compactam definiret. & aptis triangulorũ libramentis comprehenderet. Iam illud maioris inſcitiæ, animum ſpeciem facere, cum ille mobilitate vigeat, hæc immobilis ſit: hæc ab eorum quæ ſenſum pellunt commercio incontaminata ſit, ille ſit in corpore incluſus: Deusq; ſpeciei tanquam exemplaris imitator fuerit, animi tanquam operis molitor & effector. Quod autem Plato animi naturam non eſſe numerum ſtatuat, ſed eum numeroſa collocatione conditum, iam antea dictum eſt. Vtriſq; autem communiter reſponderi poteſt, neq; in extremitatibus, neq; in numeris vllum illius facultatis veſtigium inhærere, qua quæ ſenſibus obuerſantur, animus diiudicet. Mentem enim & intelligentiæ ſenſa, primordii particeps ſub intelligentiam cadentis conſecutus eſt: opinionem & aſſenſionem, à parte viſorum informatrice & patibili quæ à corporis qualitatibus afficitur. Quod profecto nemo quiſquam nec ex vnitatibus, nec lineis, nec libramentis ingenerari poſſe intellexerit. Non ſolùm autem mortalium animi partis ſentientis iudicio facultateq; præditi ſunt, verùmetiam animum mundi ait ſeipſum conuerſantem, cum materiam mutabilem arripuit, & cum rurſus indiuiduam, omnem ſe in ſeipſo mouentem, diſcernere quid ſit eiuſdem generis & quid alterius, quid cuiq; rei ſit maxime aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat, quomodo quicque vel erga quicq; affectum ſit, vel à quoq; patiatur, tam in ijs quæ gignuntur, quam in ijs quæ ſunt ſemper vniuſmodi. Hic cùm decem categoriarum lineamenta quædam ſimul adumbrans iſtud declarat, tum verò in ſequentibus multo magis. Ratio enim, inquit, vera cum eam partem attingit qua ſenſus cieri poteſt & orbis alterius generis rectus incedens omni eius animo denunciat, tum opiniones aſſenſionesq; firmæ veræq; gignuntur: cùm autem illis in rebus vertitur quæ intelligentia continentur, & circulus eiuſdem generis volubilis ea denunciat, ſcientia neceſſaria efficitur: quæ quidem cui ingenerantur, ſi quis aliud quàm animum pronunciauerit, is profecto quiduis potius quàm verum dixerit. Ergo magni fuerit operis explicare vnde animus iſtam agitationem rerum ſenſum mouentium perceptricem & opinatricem adeptus ſit, aliam ab intelligente & in ſcientiam deſinente, niſi ratum firmumque ſtatuas, nunc ab eo non abſolutè animum, ſed mundi animum ex ſubiectis naturis confici, vna præſtantiore & indiuidua, altera deteriore, quàm corporibus diuiduam appellauit: quæ non alia profecto eſt, quàm agitatio opinatrix & viſorũ informatrix cum his quæ ſenſum cient conſentiens: haud ſane natiua illa quidem, ſed non ſecus quàm altera ex æterno cohærens: natura quippe cùm intelligentem vim ſortita ſit, etiam opinationem habebit, ſed illam immobilem, impatibilem, in materia ſemper manente confidentem: iſtam diuiduam & vagam, vt quæ materiam ſemper mouentem & caducam apprehendat. Neque enim quod ſenſum mouet ordinatum erat, ſed deforme & interminatum, in eoq; collocata vis neq; opiniones articulatas, neque motiones conſtantes & ratas habebat, ſed plerunq; inani quodam ſomnij ludibrio fucatas & temerè turbulenteq; ſe iactantes, quibus quod corporatum erat ſollicitabatur & perturbabatur; niſi forte fortuna meliorem in partem incurreret. Nam media inter vtranque erat vtriuſque conſentientem & cognatã indolem ſortita, ſenſu materiam vſurpans, iudicio quæ intelligentia continentur vendicans: idq; ferè ſic verbis ipſe declarat: Iſta, inquit, meo calculo ſubducta ratio in ſummam reddatur: id quod eſt, locum, originem tria trifariam in rerum natura vel ante cœlum conditum extitiſſe. Nam & materiam appellat locum, veluti ſedem interdum & receptaculum; id quod eſt, quod mentis conformatione percipitur: originem autem mundo nondum genito, nihil aliud quã mutationibus & agitationibus obnoxiam

GG

naturam imprimentis impreſſiq; mediam, illinc huc imagines prodentem. Ergo & iſta de cauſa diuidua dicta eſt, & quod cum ſenſo quod ſentit, cum viſo & impulſione cogitationem quæ viſionem conformat, pariter diuidi & æquè pertinere & patere oporteat. Etenim agitatio ſentiendi cum animi propria ſit, ad id quod ſenſui obuerſatur foras emicat, mens ipſa ſecum ſtabilis & immota erat, verum animo ingenerata & imperio potita, in ſe tota conuertitur, anfractumque luſtrat conuerſionis id quod eſt ſemper in manentibus potiſſimum attingentis. Proinde difficilis cuiuſdam temperamenti fuit earum ſocietas, quæ cum diuiduo indiuiduum, omnibus modis immobili prorſus agitabile miſceret, & alterius cum eodem congreſſionem ingratijs imperaret. Eſt autem alterum, non motus, quemadmodum nec idem ſtatus, ſed differentiæ & diſſimilitudinis principium. vtrumq; enim ab altero principio proficiſcitur, idem ab vno, alterum à duobus. Ac primum hic in animo miſcentur numeris & proportionibus & medietatibus harmonicis colligata, affertq; alterum eidem inſitum differentiam: idem alteri ordinem, velut perſpicuum eſt in primi animi poteſtatibus, quæ ferè ſunt iudicandi & impellendi. Ergo motio ſtatim in cœlo oſtendit in eodem alterum ex inerrantium conuerſione: in altero idem ex errantium ordine. in illis enim idem euincit: ſed in terrena plaga contra. Iudicium porrò duo primordia habet, mentem ab eodem ad vniuerſorum perceptionem, & ſenſum ab altero ad ſingulorum cognitionem: quibus ex ambobus ratio temperata fit in ijs quæ intelliguntur intelligentia, in ijs quæ ſentiuntur opinatio: inſtrumentiſq; medijs animi conformatione & memoria vtitur, quorum partim in eodem alterū, partim in altero idem efficiunt. Eſt enim intelligentia intelligentis motio in manente, opinio permanſio ſentientis in mouente: conformationem autem animi opinationis cum ſenſu copulationem & connexionem in memoria ſtatuit & ſiſtit quod idem eſt: alterum rurſus mouet, cùm in diſcrimine præteriti & inſtantis eiuſdem & alterius vim arripiat. Enimuero ordinationem deſcriptionemq; qua mundi corpus comparatum eſt, imaginem aſciſcere proportionis oportet, qua animus aptus connexuſq; eſt. Nam illic extrema ignis & terra malignam & difficilem temperationis rationem inter ſe habebant: immo verò quæ neq; temperari, neq; cohærere vllo modo poſſet. Itaq; in medio collocauit aërem ante ignem, aquam ante terram, iſtaq; primum inter ſe temperauit, deinde horū beneficio illa & cū his, & inter ſe miſcuit & copulauit. Hic autem rurſum idem & alterum contrarias poteſtates & aduerſarias extremitates in vnum conduxit, non ipſorum ope, ſed alterius naturæ interuentu, eidem indiuiduam naturam, alteri diuiduam, nonnihil vtramq; vtriq; affinem præponens: deinde illis quas miſcuerat poſtea vtrunq; inuergens & temperans, ſic totam demum contexuit animi formā, quoad eius fieri poterat, ex diſſimilibus ſimilem, ex multis vnam. Nonnulli autem cenſent non rite à Platone alterius naturā mixtionis alienam eſſe dictam, non modo ab ea non abhorrentem, verumetiam mutationis amantiſſimā: quin etiam eiuſdem conditionem, ſtabilem præſertim & ægre mutabilem, non facile mixtionem admittere, ſed aſpernari atque fugitare, vt ſimplex permaneat, ſincera, viciſſitudiniſq; neſcia. Sed qui iſta inſimulant, ignorant idem eorum ſpeciem eſſe quæ eodem modo ſeſe habeant, alterum eorum quæ diſſimiliter: huiuſq; munus eſſe quæcunq; attigerit, diſtrahere, mutare, numeroſa reddere: illius, cogere & coagmentare, cum per ſimilitudinem multa in vnam ſe formam induant & poteſtatem. Iſtæ ſunt igitur poteſtates in animo vniuerſitatis. Cæterùm in mortalia & patibilia penetrantes inſtrumenta, quæ caducis etiam corporibus concreta ſunt, duorum interminatam partem magis omnino ſignificant: ſpeciem ſimplicis & ſingularis partis obſcurius immerſam & inſignitam habent. Veruntamen neq; hominis perturbationem facile quiſquam penitus orbatam ratione notauerit, neq; cogitationis agitationem, in qua nullum cupiditatis aut ſtudij, nullum lætantis aut dolentis veſtigiū hæreat. proinde philoſophi nonnulli perturbationes rationes affirmant eſſe, quòd omnis libido, omnis ægritudo, omnis iracundia iudicium quoddam eſſe videatur. Alij virtutes functionis & perpeſſionis eſſe pronunciant. Fortitudinem enim idem quod formidoloſum eſſe: temperantiam, quod voluptuarium: iuſtitiam & bonitatem, quod quæſtuoſum. Iam verò cùm animus & cognitione rerum pariter & actione valeat, cumq; vniuerſa & ſingula conſideret, illa tamen intelligere, hæc ſentire videatur, communis ratio ſemper in eodem cum altero conſueſcens, & in altero cum eodem verſans, definitionibus & partitionibus ſegregare vnum & multa, quod expers eſt & quod diuiduum aggreditur: neutrobi tamen pura & liquida, propterea quòd primordia inter ſe alterno nexu conſerta implexaq; ſunt, & inter ſe confuſa. qua de cauſa illud naturæ conceptaculum ex diuidua & indiuidua materia Deus eidem & alteri conſtituit, vt in differentia ordo naſceretur: eaq; rerum origo erat. Nam alioqui & idem differentia caruiſſet, ex quo impulſu & ortu: alterum ordinis expers fuiſſet, proinde coagmentationis & originis. Nam ſi idem diuerſum eſt ab altero, rurſus alterum aliud eſt quàm idem: nimirum eorū mutua impartitio nihil fœcundum reddiderit: ſed iſta eguerint tertia quadam tanquam materia receptatrice, quæ ab vtriſq; afficiatur: quam quidem primam condidit, cum eorum ſtabilitate quæ intelligentia continentur infinitatem mobilitatis corporibus inhærentis terminaſſet. Quemadmodum autem vox aliqua eſt rationis expers & ſignificationis: oratio autem dictio eſt in voce mentis interprete: concentio porrò ex ſonis & interuallis conſtat: ac ſonus quidem vnum idemq; eſt: interuallum ſonorū diſſimilitudo & differentia, quibus mixtis canticum & modus efficiuntur: eodem modo pars animi in qua perturbationes commouentur, nihil terminati, nihil penſi habebat: poſt vbi terminus & ſpecies ingenerata ſunt diuiduæ & variæ modis omnibus agitationi, definita eſt: cumq; idem & alterum ſimilitudinibus & diſſimilitudinibus numerorum ex diſcrepantia conſenſionem gignentium comprehendiſſet, vita vniuerſi prudentiæ compos ipſa extitit, & concentio ac ratio neceſſitatem ſuadela mixtam ducens, quod fatum appellare vulgo ſolent, Empedocles amicitiam & odium, Heraclitus intentionem mundi tanquam lyræ & arcus refugam: Parmenides lucem & tenebras, Anaxagoras mentem & infinitionem, Zoroaſtres Deum & genium, quorum vnum Oromaſdem, alterum Arimanium vocat. Verum Euripides non recte quòd pro coniunctione disiunctionem vſurpauit:

*Mens Iuppiter mortalium aut neceſſitas*
*Natura.* ——





Neceſſitas quippe & mens vis eſt per vniuerſa pertinens: quocirca id Ægyptij obſcure inuerſis verbis innuunt cùm aiunt Oro ſupplicium commerito ſpiritum & ſanguinem patri, matri viſcera & adipem tribui. Cæterum nihil animi ſincerum, nihil merum, nihil ab alijs ſecretum relinquitur. Concentio enim latens manifeſta melior eſt, vt Heraclitus inquit, in qua temperator Deus differentias & diſſimilitudines demerſas occultauit. veruntamen in eius apparet parte quæ bruta eſt, perturbatio: in ratione, conſtantia: in ſenſibus, neceſſitas: in mente, ſuæ ſpontis & ſui iuris libera poteſtas. Poteſtas autem definiendi, vniuerſa & indiuidua propter cognationem amplectitur, contraq; diuidendi ex diuiduo ad ſingula pergit: quodque totum & integrum eſt, mutatione quæ propter idem cietur quò flagitat, alterius gratia gaudet: tamen vel maxime diſtinctio honeſti & turpis, voluptatis & doloris, amantium vecordiæ & conſternationes & contentiones ſatis habent argumenti, vt partem dignitatis diligentem & flagitioſam, ex diuina & impatibili, ex mortali & in corporibus patibili particula temperatam intelligamus. Quarum alteram, libidinem voluptatum inſitam & innatam appellat: alteram, aduentitiam opinionem, optimi diligentem. vim enim illam animus in qua turbatur ex ſe ipſe promit, mentem à potiore principio ingeneratam habet. Ac geminæ iſtius ſocietatis ne cœli quidem natura exors eſt, ſed alterā in partem propendere, eiuſdem ambitu obtinente, & mundum gubernare cernitur: aduenietq; annis voluentibus dies tandem aliquando, & plerunq; iam extitit, qua acies eius partis quæ prudentia viget obtundatur & hebeſcat dormitetque, obliuione ſuarum rationum ei obrepente: vis autem quæ corpori familiaris iam inde à principio conſentit, attrahat & oneret ac replicet in dextram incitatum vniuerſi lapſum: veruntamen funditus conuellere non poſſit, ſed meliora rurſus recuperentur, & ad exemplar Dei conuertentis & corrigentis reſpiciant. Ita nobis vndiquaque animum non omnino Dei opificium eſſe oſtendit, ſed cùm inſitam haberet mali portionem, ab illo adornatum eſſe, qui vnius ope infinitatem determinauerit, vt natura determinationis eſſet particeps: eiuſdem & alterius poteſtate ordinem & mutationem, differentiam & ſimilitudinem commiſcuerit: quibus omnibus quoad eius fieri poterat, ſocietatem mutuam & charitatem conciliarit numeris & concentu. His autem de rebus etſi ſæpenumero iam audiſtis, in multoſq; ſermones & commentarios incidiſtis, non improbum tamen fuerit aliquid me quoq; breuiter perſtringere, tamen ante propoſita Platonis dictione.

*Vnam principio partem detraxit ex toto, ſecundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam quæ eſſet ſecundæ ſeſquialtera, primæ tripla: deinde quartam, quæ ſecundæ dupla eſſet: quintam inde, quæ tertiæ tripla: tum ſextam octuplam primæ: poſtremo ſeptimam quæ ſeptem & viginti partibus antecederet primæ. Deinde inſtituit dupla & tripla interualla explere, partes rurſus ex toto deſecans, quas interuallis ita locabat, vt in ſingulis eſſent duæ medietates; earumq; altera eadem parte extremorum præſtaret, eademq; ſuperaretur: altera pari numero præſtaret extremis, pariq; ſuperaretur. Seſquialteris autem interuallis & ſeſquitertijs & ſeſquioctauis ſumptis, ex ijs colligationibus in primis interuallis ſeſquioctaui interuallo ſeſquitertia omnia explebat, cùm particulam ſingulorum relinqueret. Eius autem particulæ interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemq; in extremis, quam habent 256 cum 243.*

In his primùm quæritur de numerorum ſumma, mox de ordine, tertiò de poteſtate: de ſumma, qui ſint quos in duplis interuallis ſumat: de ordine, vtrum in verſum omnes vna ſerie explicari debeant, vt Theodorus cenſet, an potius vt Crantor in Λ figuram, primo in vertice collocato, duplis tripliſque ſeorſum in duobus verſibus ſubiunctis: de vſu & poteſtate, quam vim habeant ad animi conſtitutionem adſumpti. Ac primum quidem in primo eos reiiciemus qui aiunt in proportionibus ipſis ſatis eſſe ſpectare quę ſit interuallorum conditio & mediorum ipſa explentium, cùm quibuſcunque numeris poſitis, in quibus ſedes ſint mediæ & memoratarum proportionū capacitates, eodem modo doctrina abſoluatur. Nam vt quod aiunt verum ſit: tamen diſciplina obſcurior fuerit abſque exemplorum illuſtratione: & ab alia quoque contemplatione excluſerit quandam iucunditatem & gratiam habente à philoſophia non abhorrentem. Igitur ſi ab vno auſpicati duplos triploſque in partem ſigillatim, vt præſcribit, collocemus: deinceps exponentur hinc ſecundus, quartus, octauus: illinc tertius, nonus, viceſimus ſeptimus: in ſumma ſeptem: vnoque communi ſumpto ad quaterna multiplicatio progredietur. Non enim hic ſolùm, ſed etiam multifariam quaternarij cum ſeptenario conſenſio perſpicuè cernitur. Itaque quaternarius ille tam ambitioſe à Pythagoricis celebratus, ſex & triginta, mirificum quiddam habere videtur, quòd coaleſcat ex primis paribus quatuor, totidemq; primis imparibus. Exiſtit autem quarta coniugatio numeris deinceps compoſitis. Nam prima eſt vnius & duorū, altera imparium. vnum enim quod commune eſt ambobus, præponitur, ita octo ſumit, deincepsq; 27, ferè nobis indicans, quam vtriq; generi regionem attribuat. Verùm iſta aliorum fuerit accuratius exquirere: reliquum, operis ſuſcepti proprium. Non enim ad oſtentationem Plato eruditionis mathematicæ ad inſtitutionem & argumentum naturæ, cum minime referret, medietates arithmeticas & harmonicas induxit: verum quod animi conſtitutioni ratio iſta potiſſimum conueniret. Quanquam nonnulli alij in pernicitate errantium globorum, alij potius in ſpaciorum intercapedine, alij in ſtellarum magnitudine qui ad amuſſim rem exigere videntur in epicyclorum medianis lineis proportiones quas memorauimus quærunt: proinde quaſi hac gratia effector animū ſeptem in partes diſtributum cœleſtibus accommodarit. Multi huc etiam Pythagorica transferunt, à medio corporum interualla triplicantes: quod quidem fit in igne vno poſito, in antichthone tribus, in terra nouem, in Luna vigintiſeptem, in Mercurio octoginta vno, in Lucifero 243, in ſole 729: qui numerus vnà quadratus & teſſellatus eſt. itaq; ſolem interdum quadratum & teſſeram vocant: ſic alias quoque ſtellas triplicando redigunt: in quo plurimum hallucinantur, & à vero aberrant, ſi qua hic geometricarum rationum vtilitas eſt: eoſq; ad fidem locupletiores comparari poſſe oſtendunt qui ab iſtis proficiſcuntur: quanquam ne ad vnguem quidem ipſi explorata produnt, ſed vt æſtimatio conſtet, proxime verum loquuntur, medianæ ſolis lineæ ad medianam terræ proportionem eſſe dodecuplam: medianæ rurſus lineæ orbis terræ ad medianam lunæ triplam: quæ autem minima ſtellarum inerrantium cerni poteſt, eius medianam lineam non

eſſe minorem triente medianæ lineæ orbis terræ, orbemq; terrarum lunæ globo vigintiſeptem partibus antecellere lutiones in iugo lyræ & teſtudine & epitonijs quærit, ridiculus eſt, tametſi iſta ſcitè modificata eſſe oportet inter ſe longitudinis & craſſitudinis momentis, veruntamen iſtam modulationem in ſonis ſpectare oportet: itidem veriſimile eſt ſtellarum corpora & orbiũ interualla & celeritates conuerſionum tanquam inſtrumenta, rato ordine inter ſe modificata eſſe, & vniuerſi comparatione, tametſi modus ipſe nos latet. Veruntamen proportionum illarum & numerorum, quibus effector eſt vſus, munus exiſtimatote ipſius animi conuenientiam & concordiam ſibi concinentis, quibus cœlum ipſo auctum infinitis commodis repleuerit, omniaq; in orbe terrarum, anni temporibus, commutationibus moderatis diſtincta & notata præſtantiſſimè & pulcherrimè,& ad rerum procreationem,& ad eorum quæ procreantur ſalutem & incolumitatem ornata digeſſerit.

# PLVTARCHI CHAERONEI DE ORACVLORVM DEFECTV LIBER, AB ADRIANO TVRNEBO LATINITATE DONATVS, & Annotationibus quibuſdam illuſtratus.

## ILLVSTRISSIMO CARDINALI CAROLO LOTHARINGO, Adrianus Turnebus S. P. D.

*NVLLIVS FERE REI, CARDINALIS ILLVSTRISS. HOMINES maiore ſtudio & cupiditate ducuntur, quàm futura præſagiendi: humanúſq; animus, cùm præterita recordando complectatur, præſentia ſenſu vſurpet, augurio etiam poſterum & conſequens prænoſcere conatur. Sed verendum eſt, ne, quemadmodum hominibus immortalitatis irritũ deſiderium eſt (ea enim conditione nati ſunt vt moriantur) ita præſenſionẽ iſtam & præſagitionem falsò ſibi promittant, cùm ſine Dei beneficio, quod ante pedes eſt, vix videre poſſint. Ea certè res magnæ fraudi eſt & hominibus & religioni, cùm homines improbi partim quæſtu capti, partim, vt credo, malorũ geniorũ furiis agitati, noſtra illa futuri auiditate ad artificia diuinationũ condenda abutantur, non humanis tantũ legibus interdicta, verùm etiam ſacris effatis improbata. Nec verò ceſſat nefarius ille genius errorem propagare, ſed ſe interponit, & partes ſuas diligenter agit, infinitaq; genera diuinandi & vaticinandi ſuggerit, & vel noua excogitat, vel vetera renouat, vt illo errore implicati nec Deum agnoſcamus, nec colamus. Itaq; quis nõ ægerrimè ferat eas tenebras olim ſalutaris Euangelij luce fugatas, ac tot ſæculis intermortuas, hoc potiſſimũ tempore reuiuiſcere? Quis enim non hodie plus propè fidei Mathematicis & Chaldæis, quàm ſacris libris habet? Quis non ex hora ſua ſeriem euentorum ſuorum trahi putat, & rectè facta ac vitia ſideribus potius quàm ſibi adſcribit? Quinetiam, quod omnem impietatem ſuperat, eò progreſſus eſt cuiuſdam veſanus & ſceleratus furor, vt horã natalitiam Seruatoris noſtri deſcriberet, & eum ſideribus ſubiiceret, cuius numini non modò ſola terrarũ, verùm etiam rerum ſumma paret. Nos tamen ita dormitamus & ſtupemus, vt eiuſmodi ſcelera impunita dimittamus, quæ ſi ſaperemus, acerrimè vindicanda erant. Quanquã ſi quid vnquã veri prædicerent, ac nõ omnia impudenter mentirentur, ignoſci nobis poſſet, qui eos ferremus: nunc cùm ita è mendacio toti concreti ſint, vt prodigij ſimile eſſe videatur, ſi quid aliquando veri eis excidat, quid cauſſæ dicemus, cur eos conſuli ſinamus? Liquet mihi iurare, de Syluio, quo & quanto viro, Dij immortales! audiuiſſe me, non magis fidẽ Aſtrologis iſtis habendã, quam hominibus vaniſſimis & fallaciſſimis eſſe. Vt enim mihi dicebat, ſemel ſtatuas, quantũ eis tribuere debeas, quid dicam attende. Tantũ abeſt, vt natio iſta hominũ euenta vitæ prædicere queat, vt ne de anni quidem conſtitutione & habitu, qui tamen certiores habet vices, ad verum decernere quicquam poſſit, præter ea quæ vel idiotis nota ſunt. Nã præter quadripartitas anni commutationes omnibus notas, non dubitẽ reliquarũ propè rerum præſenſionẽ eis detrahere. Sæpenumerò quò fidem artis illius experirer ſtatim anni initio in ephemeride, vbi pluuiũ illi ſcribebant, ego ſudum notaui: vbi illi tranquillũ, ego ventoſum: vbi illi ſerenũ, ego nubilum: & euentum obſeruaui, annoq; vertente ſummam feci vtriuſq; prædictionis, ac me multis partibus meliorẽ & certiorem aſtrologum reperi: vt ſcias qualis illa ſit ars, quam qui negligat & irrideat, artifex propemodũ videri queat. Mihi quidem, Illuſtriſſ. Cardinalis, mirũ eſſe videtur, quenquam hodie eorũ eſſe, qui poſt anni ſuperioris prædictiones, cui ſimilem ætas noſtra non vidit, frontẽ ſuam hominibus oſtendere auſit. Totus eius anni ſtatus eluuiones & inundationes habuit: aſſiduis imbribus agri natarunt: ſegetes partim merſæ interierunt, partim in pabulã eluxuriarunt: vuæ anni humore & frigore non maturuerunt. nihil horum ante exitum Aſtrologi viderunt. Nihilò ſpectatior eorũ hoc anno fides fuit, qui ſiccitate exuperat, vt ille humore redundauit: ac, vt opinor, ne inducias quidem hodie haberemus niſi ſæuiſſimum nobis bellum eſſent in hunc annũ minati. Hæc ego breuiter diſſerui contra eã diuinationem, quam hodie maximè vigere intelligo: alia etiã infinita diuinandi genera, ridicula, ſuperſtitioſa, anilia, inepta, antiqui ſuſceperant, quorum vanitas vetuſtate euanuit, à ſtultis quibuſdam hodie reuocatur. Vnum ex ijs erat in oraculis poſitum, magna diuinitatis opinione, cùm in ijs Deorũ oratio ineſſe putaretur. Atqui ea nõ Deorũ, ſed vel dæmonũ vel impoſtorũ, vt Euſebius ait, oratio erat, ad hominũ captionẽ & fraudem fallaciter comparata. Proinde oracula quoq; tandẽ extabuerunt, & magnã hominibus eruditis, in ijſq; Plutarcho, quæſtionem attulerunt, quænam cauſſa ea deleuiſſet: alijſq; iam tacentibus, Ciceronis ætate Pythium, quod omnium celeberrimum, & clariſſimum fuerat, iam diu minori dignitate & gloria erat: &, vt Satyra loquitur, Delphis oracula ceſſabant. Poſtremò religione Chriſtiana Conſtantini pietate propagata, clauſiſq; gentium templis, Apolline ex adyto extracto, in totum ambigua illa & flexiloqua oracula ſiluerunt, & illud venerabile gentibus Apolinis ſimulachrum Delphis deuectum, ludibrio expoſitum, Conſtantinopoli in hippodromo iacuit. Quamobrem nos omnia diuinationis genera, quæ ſacris effatis recepta non ſunt, improbemus, & vel hominum calliditate, vel dæmonum ſcelere reperta cenſeamus, nobiſque gratulemur, qui diuinitus edocti, multo plus hic videmus quàm doctiſſimus Plutarchus, qui vix exilem lucem diſpicit in iſta de Oraculorum defectu diſputatione quam à me è Græco in Latinum conuerſam, tibi nuncupaui, Card. Illuſtriſſ. qui in hoc orbis terrarum gymnaſio, literarumq; domicilio, ingenuam doctrinam, humanitatiſq; artes, muſarum patronus hac tempeſtate ſolus foues atque ſuſtines, vt de te canere illud meritò debeamus:*



Et ſpes & ratio ſtudiorum es Carole tantùm:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexti.

*Nam abſque te foret, de illis actum eſſet, & florentiſſimum hoc regnum ea gloria careret. Homines enim nonnulli, boni illi quidem, ſed malè nati & peius inſtituti, ſupercilij ſeueritate & ordinis auctoritate freti, odium in bonas literas conceptum intimis pectoribus fouentes, clandeſtinas inſuſurrant calumnias quibus tu nunquam aures patefeciſti. Debebunt hoc tibi Camœnæ, quòd hinc profugæ non exulabunt, nec nouas ſedes quærere cogentur. Tu è regio ſtemmate ſanguinem ducis, multæq; victoriæ & trophæa claras maiorum tuorum imagines nobilitant & inſigniunt, non erit tamen indecorum generi veſtro iſtam defenſarum literarum*

Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros. *Vale.*

# PLVTARCHI CHÆRONEI DE DEFECTV ORACVLORVM LIBER,

## *ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

AQVILAS QVASDAM, PRISCE TERENTI, VEL OLORES, AB VLTIMIS terrarum oris fabulantur mediterranea petentes, eôdem Pythona conuolaſſe, quâ vmbilicus dicitur. Quodam poſtea tempore ferunt Epimenidem Phæſtium, cùm apud Deum eam fabulam reprehenderet, oraculumque obſcurum & ambiguum accepiſſet, dixiſſe:

*Non eſt vmblicus quiſquam terraúe mariſue,*
*Sed ſi quis, notus Dijs, haud mortalibus vllus.*

Ergo eum merita pœna Deus multauit, qui fabulæ priſcæ, tanquam tabulæ pictæ, manus adferebat. Paulò autem ante Pythia, quæ magiſtratu Calliſtrati commiſſa ſunt, noſtra memoria à contrarijs orbis terrarum extremitatibus viri duo ſancti Delphos conuenere, Demetrius Grammaticus domum cupiens, è Britanniaque Tarſum repetens, & Cleombrotus Lacedæmonius diu in Ægypto & Troglodytica terra peregrinatus, & longè in rubrum mare nauigatione prouectus, non mercaturis faciendis, ſed viſendi, claritatiſque parandæ ſtudio. Nam vir locuples & copioſus, nec rem familiarem, quòd larga foret, pro magno habens, otium ijs in rebus ponebat, hiſtoriamque colligebat, tanquam materiam Philoſophiæ, quæ Theologiam, vt ipſe vocabat, finem ſibi propoſitum haberet. Is nuper ad Ammonem profectus, cætera haud ſanè admiratus eſſe magnoperè videbatur: verùm de lucerna perpetua, rem attentione dignam à ſacerdotibus narrari memorabat. Nam omnibus deinceps annis minorem olei conſumptionem eſſe dicebat, & illos ex eo augurari annorũ inæquabilem varietatem, quæ poſterum arctioribus quàm antegreſſum temporis anguſtijs includat, eſſe enim conſentaneũ minori ſpatio minus conſumi. Hic omnibus, qui præſentes aderant, obſtupefactis, cùm Demetrius ridiculum eſſe iactaret, minutis è rebus tam magna inueſtigare, non, vt inquit Alcæus, ex vnguibus leonem pingentes, ſed è ſcirpo & lucerna cœlum & rerum ſummam immutantes, & Mathematicorum ſcientiam funditus euertentes: Tum Cleombrotus, Nihil inquit, horum viros illos commouerit, nec ſubtilitate & accuratione Mathematicis ceſſerint, quos, in tanta præſertim motuum & conuerſionum longinquitate, tempus facilius effugerit, quàm ipſos olei modus fefellerit, quem ſemper ex rei prodigio & euentu inſolito perdiligenter obſeruant. Non concedere autem, Demetri, parua ſæpenumerò rerum magnarum indicia eſſe, multis artibus officit, cùm præſertim rerum multarum demonſtrationes hinc, prædictioneſque tollantur. Atqui cùm apud Homerum nouaculam legitis, haudquaquam exiguum eſt, quod argumentamini, heroas olim corpus nouacula leuaſſe: ſed & pecuniam eos fœneraſſe, quia quodam loco *Nomen deberi* haudquaquam paruúm ue recéns ue dixerit: proinde quaſi ὀφέλλεσθαι, quod eſt deberi, augeri ſignificet. Quid quod cùm θοὴν. i. citam dicit noctem, perlibenter vocabulo adhæretis, & ab eo ſignificari dicitis terræ vmbram à globoſo corpore metæ forma faſtigiatam reddi? Quis porrò ex eorum numero, qui parua rerum magnarum ſigna negant eſſe, medicinam ſinet ex araneorum multitudine, & vernis fici frondibus cornicis pedem referentibus, æſtatis præſagire peſtilentiam? Quis feret, vt ad aquæ congium vel heminam Solis magnitudinem metiamur? Quis poſtremò patietur illum laterculum, cuius angulus acutus ad planitiem inclinatus, elationis illius menſura eſſe dicitur, qua vertex, qui ſemper apparet, ab orbe finiente eleuatur? Hæc ab Ammonis flaminibus lice-

bat audire. Itaque alia quædam in eos dicamus, ſi volumus ſolis, more inſtitutoque patrio, receptas vices immutabiles rataſque reddere. Coram ergò Philoſophus Ammonius exclamauit, ne Solis tantùm, verùm etiam vniuerſi cœli diceret, cùm ſit neceſſe ſpatium luſtrationis à brumali reuerſione ad ſolſtitium contrahi, nec iam tantam eſſe finientis orbis partem, quantam Mathematici prædicant: ſed ſemper ad Boream minui, cùm auſtralis pars in anguſtum adducatur: æſtatem etiam nobis breuiorem & frigidiorem eſſe, cùm interius ſe ipſe Sol inflectat, & grandioribus circinationibus puncta reuerſionis attingat. Iam verò Syenæ Solis vmbilicos, quos Græci γνώμονας vocant, ſine vmbra ſolſtitiali die non videri: ſed & è ſtellis inerrantibus multas, interualli inopia, ſub alias ſucceſſiſſe, quaſdam inter ſe continuatas & confuſas eſſe. Quòd ſi dicant in pari reliquorum conſtantia, Solis vnius curſum errare, ne cauſam quidem iſtius accelerationis ex tot ſideribus in vno Sole commemorare poterunt, multarumque rerum, quæ ſub oculos cadunt, perturbatio conſequetur: eiuſq; imprimis cum Luna viciſſitudines non reſpondebunt, vt nihil olei menſura ad diſſimilitudinem coarguendam egeamus. Nam id defectiones oſtendent, cùm & ipſe in Lunam ſæpè incidat, & Luna viciſſim in vmbram terræ: nec ſanè pluribus ſermonis illius vanitas euoluenda eſt. Atqui Cleombrotus, Menſuram, inquit, his oculis vidi: multa enim monſtrabant: ac anni modus non parum ab antiquis aberat. Suſcipit iterum Ammonius, &, Iſtuccine, inquit, reliquos tandem mortales latuit, apud quos ignis colitur, & immenſo propè tempore ſeruatur? Quòd ſi quis id verum eſſe ſtatuat, nonne ſatius obſecro fuerit, alicui frigori aeris aut humori cauſam adſcribere, quo ignis extabeſcens multū alimenti neq; conficiat, neq; requirat, aut contrà ſiccitati vel calori? Equidem audiui, qui dicerent, ignem hyeme, appulſu frigoris in ſe collectum atq; denſatum, aucto robore acrius ardere: ipſo contrà æſtu remiſſum imbecillitate quadã & infirmitate languere, ac ſi in Sole accendatur, malignius depaſci, lignumq; molliter libare, & lentius conſumere. Accedit quòd huius rei cauſa oleo vel maximè attribuenda eſſe videatur, cū incredibile non ſit olim è nouella ſtirpe expreſſum, minus alimenti, aquæ plus habuiſſe, poſtea tempeſtiua maturitate è iuſta perfectaq; arbore natum valentius ex modo pari fuiſſe, & vberius aluiſſe. Sic apud Ammonios oportuit rem illam, quamuis admirabilē & prodigij ſimilem, defendi. Cùm finē feciſſet Ammonius, hic ego. Quin tu, inquam, Cleombrote, de oraculo nobis potius explicas: nam olim permagna fuit illic diuinitatis opinio: nunc exoleſcere quodam modo videtur. Hic tacente Cleombroto, terramq; intuente, Demetrius, Nihil, inquit, opus eſt de illo percontari, atq; quærere, cùm hic oracula præter vnum aut alterum omnia obſcurata eſſe, defeciſſeq; videamus. Verùm illud potius videndum, quænam cauſa ſic ea debilitauerit? Atq; alia quidem quid commemorare opus eſt, cùm Bœotiam olim, quod ad oracula attinet, tam vocalem, hoc tempore oracula tanquam latices deſeruerint: & magna diuinationis ſiccitas ſqualorque regionem occuparit? nuſquam enim niſi Lebadiæ Bœotia deſiderantibus diuinationis hauſtum ſuppeditat. Reliqua vel ſilentium, vel immanis ſolitudo inuaſit. Attamen temporibus Medicis non minus florebat Amphiarai oraculum: atq; vtriuſque fidem experti ſumus. Nam apud Lebadiam operti Vates lingua Æolica vti ſolitus, ita Barbaris oraculum edidit, vt nemo ſanctorum religioſorumq; virorum intelligeret: diuini furoris adflatum ad Barbaros non pertinere: eos audientem dicto Græcam vocem habere non poſſe. Miſſus autem ad Amphiaraum ſeruus, ſecundum quietem viſus eſt Dei miniſtrum videre, à quo primùm, vt Deo non præſente, voce pelleretur, deinde manibus extruderetur: poſtremò cùm reſtitaret, grandi ſaxo in capite feriretur: quæ quidem tanquam futurorum obnuntiationes fuerunt. Nam Mardonius victus eſt non à Rege, ſed à tutore adminiſtratoreq; regio Græcorum duce: & lapide ictus, vt in ſomnis Lydus cædi ſe viderat, occubuit. Illa quoq; tempeſtate Tegyris oraculum florebat, vbi Apollinem etiam natum eſſe tradunt: riuiq; duo præterlabuntur, quorum vnus palma, alter oliua, hodiéque, vt nonnulli prædicant, vocatur: Ac ſanè Medico bello Echecrate antiſtite victoriam belli que decus penes Græcos fore illic Deus reſpondit. Bello autem Peloponneſiaco Delijs inſula eiectis, allatam ferunt Delphis ſortem, quæ iuberet, locum, vbi natus eſſet Apollo, requirerent, & ſacra quædam facerent. Hic admiratione perculſis, rogantibuſq; an non apud ipſos, verùm alibi vſquam Deus natus eſſet? Pythiam denuò reſpondiſſe, Cornicem locum ipſis indicaturam. Illos igitur abeuntes Chæroneam petijſſe, cauponamq; fortè audiuiſſe, quandã cum peregrinis Tegyras proficiſcentibus, de oraculo colloquentem: qui cùm in diſceſſu mulierē conſalutaſſent, Cornicémque, quod eius erat nomen, vocaſſent: oraculum intellexiſſe, Tegyriſq; operatos ſacris non multò pòſt reſtitutionem obtinuiſſe. Sed & recentiores his extiterunt illorū oraculorum claritates, cùm planè hodie defecerint, vt mutationis cauſam non ſit indignum apud Pythium ipſum quærere. Iam à fano paululū progreſſi, ad fores conciliabuli Gnidiorū veneramus. Ingreſſi amicos, ad quos ibamus, ſedentes, noſq; expectantes offendimus: & ab alijs, quòd ea eſſet diei hora, ſilentium erat, cùm vel vngerentur, vel athletas ſpectarent. Tum Demetrius renidens, Mentiar, inquit, an verum mage proloquar, nullam mihi magnopere videmini memorabilē quæſtionem in manibus habere. Nam magna cum animi remiſſione vultúſq; hilaritate vos ſedere conſpicor. Hic Megarenſis Heracleon: Non enim, inquit, quærimus, verbū βάλλω, quod eſt iacio, vtrum lambda de duobus in futuro amittat: nec à quibus nominibus ſimplicibus peius & melius, peſſimè & optimè formentur. Hæc enim & his ſimilia vultum adducunt & contrahunt: de reliquis licet immoto ſupercilio, leni, non truci obtutu, non infenſos ijs qui adſint: philoſophari atq; quærere. Nos ergo, Demetrius, ſeſſum, inquit, recipite, & nobiſcum diſputationem accipite, quæ nobis incidit, tum huius loci propria, tum verò quæ Dei cauſa omnes attingat. Sed ne in diſſerendo ſupercilia ducatis, etiam atq; etiam videte. Vt igitur conſedimus, & Demetrius quæſtionem in medio propoſuit, Didymus Cynicus, cognomento Planetiades, id eſt erro, continuò exiliens, terra bis aut ter baculo percuſſa, Eheu eheu, exclamans, Enimuerò rem, inquit, diſceptatu difficilem, & magnæ conquiſitionis indigentem nobis affertis. Scilicet mirandum eſt tanta prauitate ſuffuſa, ſi non ſolùm pudor & nemeſis, vt Heſiodus cecinit, vitam hominum reliquerunt, verùmetiam Deorum prouidentia oraculis, tanquam vaſis collectis, hinc aufugit. Quin contrà quæſtionem vobis ponam, cur non tum quoque defecerint, nec iterum Hercules aut alius aliquis Deus Cortinã fœdis & impijs oppletam interrogationi-

bus, quas



bus, quas à Deo percunctantur, ſubduxerit. Alij enim vt Sophiſtam tentant, alij de theſauro, hæreditate, inceſtis nuptijs interrogant: vt manifeſtò conuictus Pythagoras teneatur, qui tum denique longè optimos homines fieri dicebat, cùm ad Deos accederent. ac videlicet honeſtum erat, cùm animi morbos & perturbationes coram ſeniore vel negares, vel obtegeres, ea tamen vltrò ad Deum nuda & aperta deferre. Cum is plura pararet, Heracleon lacinia pallij eum prehendit: & ego, qui omnium ei ferè familiariſſimus eram, Deſine, inquam, chare Planetiade, Deum irritare: iracundus enim eſt, minimeq; lenis. ſummè tamē propitium ſe mortalibus præbere, vt Pindarus ait, damnas eſt: ac ſiue Sol eſt, ſiue Solis dominus & parens vltra omnem aſpectabilem naturam, eum non eſt veriſimile, hoc tempore homines voce ſua dedignari, quibus auctor ſit ortus, victus, ſtatus, ſenſus: nec veriſimile eſt prouidentiam, quæ vt benigna & indulgens mater omnia noſtra cauſa paret atque conſeruet, in ſola diuinatione iniquam & maleuolam eſſe, vt eam, quam initio donauerit, adimat: proinde quaſi tum in maiore hominum frequentia, non maior quoq; improborum turba eſſet, cùm multifariam in terris oracula extarent. Hic igitur rurſum, ſede ſis, & cum vitio, quod ſemper oratione inſectaris, Pythicas pactus inducias, aliam nobiſcum cauſam defectus oraculorum exquire, Deumque bona cum gratia beneuolum & placatum retine. Iſta locutus, eatenus profeci vt Planetiades foribus egrederetur tacitus. Secuto deinde aliquandiu ſilentio, Ammonius me compellans, Vide ſis, inquit, Lampria, quid agamus, & ades animo: vt ne Deum ab huius rei cauſa remoueamus. Nam qui alia aliqua vi, non Dei numine obliterata oracula defeciſſe putat, is profectò affert, vt ea nec extitiſſe, nec eſſe Deo auctore, ſed alio quodam modo ſuſpicemur. Non enim alia vlla fuerit vel ſuperior vel præſtantior vis, quæ diuinationem, Dei præſertim opus, euertere ac delere poſſit. Nec verò mihi Planetiadis oratio probatur, cùm ob alia, tùm quòd inconſtantiam ꝑ Deo ponit, quem nunc auerſantem & aſpernantem vitia, nunc admittentem & fouentem facit: perinde ac ſi rex aliquis aut tyrannus improbos alijs foribus excluderet, alijs intromitteret, cum ijſq; colloqueretur. Sed cùm opus id demum ſit è Dorum dignitate, quod ampliſſimum, quod expletum, quod nuſquam ſuperuacaneum, quod vbique ſit ſatis, ſi quis hoc poſito dicat communis hominum infrequentiæ, quam ſuperiores ſeditiones & bella in orbem terrarum inuexerunt, maximam partem ſenſiſſe Græciam, vix vt hodie tria millia militum armare vniuerſa poſſit, quot olim ad Plateas vna Megarenſium ciuitas miſerit: ac ſi quis interpretetur, nihil aliud eſſe multa deſeri à Deo oracula, quàm ſolitudinem Græciæ coargui, equidem ei plus ſatis orationis ſuppeditare poſſim. Quid enim commodi afferret oraculū, quod olim Tegyris & Ptoi vigebat, vbi interdiu hominem inuenires pecus paſcentem? Nam & hoc Apollinis opertum tempore vetuſtiſſimum, fama illuſtriſſimum narrant à Dracone fœmina, bellua dira obſeſſum, diu deſertum, hominibuſq; interclusum fuiſſe, vaſtitatem non rectè, ſed præpoſterè interpretantes. Solitudo enim potius belluam illexerat, quàm bellua ſolitudinem fecerat. Poſteaquam Deo viſum eſt, vt Græcia conditis vrbibus conualeſceret, locuſque hominum multitudine frequentaretur, duabus vti cœperunt antiſtitis viciſſim deſcendentibus, tertia tanquã ſupernumeraria deſignabatur. Nunc ſacerdos eſt vnica, nec conquerimur, cùm ſit vna conſulentibus ſatis. Neq; verò Deus ipſe culpandus eſt, cum quod diuinationis adhuc ſupereſt, omniū deſiderio ſatisfaciat, abſolutoſq; domum dimittat. Quemadmodum ergò nouem præcones adhibebat Agamemnon, vixq; concionem hominum turba tumultuantem continebat: hic autem paucis poſt diebus vocem vnam ad omnes permanantem videbitis: ſic pluribus tum vocibus plures alloquebatur diuinatio. Nunc verò contrà mirari potius conueniret, ſi Deus diuinationē inutiliter aquæ moræ labi ſineret, aut, vt ſaxa & cautes, paſtorū & pecudum voci in ſolitudine reſonantem obſtrepere permitteret. Quæ cùm Ammonius dixiſſet, & ſilerem, Cleombrotus me appellans: Itá ne tu, inquit: iſtorum oraculorū Deum concedis & conditorem & euerſorem eſſe? Minimè verò, inquam: nullum enim opertum, nullum oraculum auctore Deo deleri prædico: ſed quemadmodū cum alia plurima ad noſtrum commodum, opportunitatemq; moliatur & paret, quibuſdam tamen interitum labemq; natura affert: imò vero materia ipſa, quæ labes eſt quædam & priuatio, fugitans ſæpenumero ſoluit, quod præſtantior cauſa coagmentauit: ſic fatidicas ipſas poteſtates arbitror aliunde obſcurari & extingui. Deo multa, eaque præclara hominibus largiente, immortale tamen nihil: adeo vt, quod Sophocles ſcribit, quæ à Deo proficiſcuntur, omnia moriantur, non Deus. Earum autem rerum naturam atque vim cenſeam non incallidos naturæ & materiæ interpretes ita inueſtigare debere, vt Deo tamen, quod æquum eſt, principium ſeruetur. Per enim ineptum ſit & puerile, Deum ipſum exiſtimare, velut engaſtrimythos, id eſt genios è ventre hariolantes, quos olim Euricleas vocabant, nunc Pythonas dicunt, in vatum ſe corpora condentem, eorum ore & voce, ceu inſtrumentis, vtentem profari. Nam qui Deum negotijs humanis interponit, eius amplitudini non parcit, maieſtatem virtutiſq; magnificentiam eius non tuetur. Tum Cleombrotus: Rectè tu quidem, inquit: ſed quoniã perdifficilis eſt explicatio & præſcriptio, quemadmodū & quatenus prouidentia ſit adhibenda, idcirco & qui nullius omninò rei auctorem Deum, & qui vniuerſorū dicunt, vtrique à mediocritate & decoro aberrant. Scitum quidem eſt, quod nonnulli prædicant, ex inuentione elementi qualitatibus, quæ gignuntur, ſubiecti, quod tum materiam, tum naturam appellant, à Platone Philoſophos magnis & multis difficultatibus eſſe liberatos: ſed mihi maiores & plures dubitationes ac ſcrupulos exemiſſe videntur, qui Dæmonum (Latinè Lares aut Genij dicuntur) genus inter homines & Deos interiectum, qui quodam modo ſocietatem noſtram in vnum concilient atque coniungant, inuenère: ſiue Magorum & Zoroaſtris iſtud inuentum eſt, ſiue ad Thraces ab Orpheo manauit, ſiue Ægyptiorum fuit, ſiue Phrygum, vt ex vtrorum initijs conijcimus, in quibus ſacrorum ceremonias & ritus admixtum neſcio quid mortale & luctuoſum præ ſe ferre videmus. Ac de Græcis quidem Homerus promiſcuè nominibus vti videtur, & Deos nonnunquam Dæmonum vocabulo afficere. Heſiodus autem princeps dilucidè & diſtinctè quatuor genera animantium ratione præditorum explicauit: Primùm Deos, mox Dæmonas multos & bonos, deinde Heroas: poſtremò Homines: vnde mutationem ducere videtur, aurei quidem generis in Dæmonas multos bonoſq;, ſemideis in heroum partem ſecretis. Alij non aliter ac in corporibus, mutationes in ani-

mis cieri & effici dicunt: vt quemadmodum ex terra humorem, ex humore animam, ex anima ignem materia ſupera capeſſente generari cernimus: ſic ex hominibus in heroas præſtantiores animi, ex heroibus in Dæmonas mutentur: ex dæmonibus autem animi perquam pauci, virtutis ope, longa temporis diuturnitate prorſus expurgati, diuinitatem conſequantur. Nonnullis etiam euenit, vt impotes ſui, & incontinentes ſint, rurſusque ſeſe demittentes & ad mortalia corpora relabentes, obſcuram & tenebroſam vitam ſeu exhalationem ducant. Quinetiam Heſiodus cenſet certis temporum curriculis Dæmonas interire. Nam in perſona Naidis, etiam tempus illud ſignificans ait,

*Terna vireſcentum ter vincere garrula cornix*
*Secla virum iuſto viuendi limite fertur:*
*Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus:*
*Alipedem ceruum ter vincit coruus, at illum*
*Multiplicat nouies Phœnix, Iouis alma propago,*
*Quem decus veſtro Nymphæ præuertitis æuo.*

Temporis huius immenſam ſummam conficiunt, qui ſeculum perperàm accipiunt, cùm ſit annus, vt ſi in aſſem colligas, nouies mille ſeptingenti viginti anni Dæmonum vitæ tribuendi ſint: vt Mathematicorum plurimi ſummam æui minorem cenſeant: maiorem, ne Pindarus quidem dicat, qui æquali arborum & confatali æui fine canit Nymphas frui, ac proinde Hamadryadas eas appellat. Eo adhuc loquente ſermonem ſuſcipiens Demetrius, Ecquonam tu tandem, inquit, pacto, Cleombrote, hominis ſeculum annum eſſe dictum arbitraris? neq; enim vireſcentis, neq; ſeneſcentis, vt quidam in Heſiodo legunt, tempus hominis tantulum eſt. Sed qui vireſcentum legunt, ſeculum de Heracliti ſententia, triginta annis definiunt: quo quidem ſpatio parens, quem procreauit, ad generandum idoneum exhibet: contrà qui ſeneſcentum, non vireſcentum ſcribunt, ſeculo octo & centũ annos tribuunt: nam quinquaginta quatuor annos, dimidiatam hominis vitam, compoſitos eſſe ex vnitate, primis duobus planis, duobus quadratis, duabus teſſeris, quos etiam numeros ad animi procreationẽ Plato adhibuit. Ac ſanè videtur id ab Heſiodo per ænigma ad ſignificationẽ exuſtionis dici: quo tempore veriſimile eſt Nymphas cum humore perituras eſſe,

*—— queis & ſaltus habitantur amœni,*
*Et fluuialis aquæ fontes atque herbida prata.*

Et Cleombrotus: Equidem iſta de multis, inquit, audio, & planè Stoicam deflagrationem, vt Heracliti & Orphei monimenta, item Heſiodi verſus occupaſſe & fucum facere intelligo. Sed neq; orbis interitum, quem prædicant, approbo, nec quæ fieri non poſſunt, quæq; voces ipſæ, maximè tamen cornix & ceruus, admonent, in tantam annorum ſuperlationem excedere patior. At verò annus initium & ſummam omnium, quæ vel tempora ferunt, vel terra parit, continet, vt non incommodè hominis ſeculum appelletur. Nam & vos hominis vitam, ſeculum ab Heſiodo appellari fatemini. An non ita eſt? Et annuente Demetrio; Atqui iſtud quoque, Cleombrotus, perſpicuum, inquit, eſt, ſæpenumerò menſuram, & ea quæ metimur, eodem vocabulo nuncupari, velut heminam, chœnicem, quadrantal, medimnum. Quemadmodum igitur vnitatem, quæ omnium numerorum menſura eſt minima, & principium, numerum vocamus: ſic annus, quo primo vitam hominis metimur, quadam nominis ſocietate, & gentilitate eius rei, quam metitur, ſeculum nominauit. Nam quos illi numeros ponunt, nihil habent, vt in numeris, vſitatæ claritatis atque ſplendoris: at hæc ſumma nouies mille ſeptingentorum & viginti, compoſitione ex quatuor numeris iam inde vſque ab vnitate deinceps quater multiplicatis naſcitur. Vtroque enim modo quadraginta efficiuntur, quæ quinquies in triangulos redacta, propoſitam ſummam abſoluunt. Sed nihil nobis neceſſe eſt, hiſce de rebus cum Demetrio digladiari. Nam ſiue longinquiore, ſiue breuiore tempore, ſiue conſtituto & rato interuallo, ſiue fortuito & temerario, Dæmonis animum & Herois vitam Heſiodus immutari cenſet, quod tamen vult illuſtri antiquorum auctoritate & teſtimonio oſtendetur, naturas eſſe quaſdam tanquam in confinio hominum & Deorum interpoſitas, mortalibus perturbationibus, neceſſarijsque mutationibus obnoxias, quas more inſtitutoq; maiorum Dæmonas exiſtimare, nominare, colere, ius faſque ſit. Cuius rei Xenocrates Platonis ſodalis, exemplum poſuit triangulos: lateribus æquabili, Deum: inæquabili, homines: cruribus exæquato, Dæmonas comparans. ille enim eſt omni ex parte par & æqualis, iſte totus vndique diſpar, hic partim æqualis, partim inæqualis, vt Dæmonum natura, quæ & mortalium perturbationem, & Deorum poteſtatem miſcet: ſed & natura imagines ſub ſenſum cadentes, & ſimilitudines aſpectabiles repræſentat, Deorum Solem ac ſidera, mortaltum fulgores, ſtellas cincinnatas, faces: quemadmodum Euripides expreſſit:

*Modo hic vigeſcens corpore, vt cœlo cadens*
*Sidus repentè extinctus eſt, & ætheris*
*Efflauit animam per plagas ſpirabiles.*

Mixtum autem corpus, & Dæmonum planè ſimulachrum, Lunam. Itaque cum erroribus Dæmonum, Lunam diminutionibus, accretionibus, mutationibus obnoxiam, conſentire viderent, partim aſtrum terrenum, partim Olympicam tellurem, partim terreſtris & cœleſtis Proſerpinæ poſſeſſionem appellauerunt. Vt igitur aërem Lunæ terræque interfuſum, ſi quis de medio tollat & ſubtrahat, continuationem & conſociationem vniuerſitatis labefactarit medij ſpatij inanitate & diſſolutione: ita qui Dæmonum genus non relinquunt, omnem rationem atque commercium hominum ac Deorum tollunt, cùm interpretem, vt ait Plato, naturam & adminiſtram remoueant: aut omnia nos miſcere & perturbare cogunt, qui Deum affectibus & negotijs humanis adhibeamus, & vt Theſſalæ mulieres Lunam deripere dicuntur, ad hominum vſus detrahamus. Sed illarum calliditas in vulgus mulierum fidem ex eo inuenit, quòd Aglaonice Agetoris filia, ſiderum perita, vt aiunt, in Lunæ laboribus ſemper eam fingeret ſuis veneficijs & cantionibus deduci. Nos autem nec eos audiamus, qui diuinationem aliquam eſſe cenſent

numinis



numinis expertem, neq; qui initia aut orgia vlla à Dijs negligi prædicant, neq; tamen in ijs Deum verſari, intereſſe, implicari cenſeamus, ſed quibus ius faſque eſt Deorum miniſtris ea attribuentes, tanquam accenſis & ſcribis, Dæmonas quoſdam arbitros diuinorum ſacrorum, & initiorum auſpices & auctores, alios ſcelerum grauium & immanium vindices terram luſtrare putemus: quoſdam etiam Heſiodus ritè *Sanctos munificos, regale hoc munus habentes*, appellauit, quòd benè mereri regium ſit. Eſt enim vt in hominibus, item in Dæmonibus virtutis diſſimilitudo: partiſque patibilis & rationis expertis, in quibuſdam etiamnum obſcuræ & exiles reliquiæ remanent, ceu excrementum quoddam, in alijs multum reliquiarum ineſt, quæ non facilè reſtingui queant: quarum rerum veſtigia & notas, nonnuſquam ſacrificia, initia, fabulæ inſperſas & inſignitas ſeruant & cuſtodiunt. Sed de myſterijs, in quibus ſignificatur, & ex quibus perſpicitur luculentè Dæmonum veritas, mihi, vt Herodotus ait, lingua fauendum eſt: cæterùm ferias & ſacrificia, tanquam dies, nefaſta & triſtia, in quibus epulæ crudæ, & laniatus, ieiunia, & planctus, ſæpenumerò etiam verborum obſcœnitates verſantur, furoris quoque & vlulatus concitationes cum capitis iactatione, nemini Deorum, ſed ad depulſionem malorum Dæmonum fieri affirmauerim, vt placentur, atque leniantur. Et verò vetuſta illa ſacrificia humanarum hoſtiarum, neque Dijs optanda, neque grata fuiſſe veriſimile eſt, nec temerè Reges & duces ſuos dabant liberos, eoſque ipſi mactabant atque iugulabant: ſed vt iracundiam & acerbitatem dirorum geniorum auerruncarent, atque ſatiarent: nonnullorum etiam inſanos & tyrannicos amores explerent, qui cum corporibus, & per corpora conſueſcere, cùm neque poſſint, neque velint, vt Hercules amore puellæ captus Oechaliam obſedit, ſic præpotentes, violentique Dæmones hominis animum corpore clauſum dedi ſibi poſcentes, cùm corporis interuentu eo frui non poſſint, ciuitatibus peſtilentias, & agrorum ſterilitates inuehunt, bella & ſeditiones miſcent, donec delitijs & amoribus ſuis potiantur. Nonnulli contrà, vt in Creta diu commoratus animaduerti, vbi quandam feriarum celebrationem ſanequam abhorrentem vidi, quibus ſimulachrum hominis ſine capite oſtendunt, aiuntque talem fuiſſe Molum Merionis patrem, qui cùm Nymphæ per vim probrum obtuliſſet, ſine capite ſit inuentus. Iam verò quotquot in fabulis & hymnis celebrant, & canunt Deorum raptus, errores, latebras, fugas, ſeruitutes, non Deorum, ſed Dæmonum caſus ſunt & euenta ex perſonarum potentia & virtute memorabilia: ac ſanè ſic dixit Æſchylus:

*Et caſtum Apollinem exulem à cælo Deum.*

Sic Sophocleus Admetus:

*Illum excitabat gallus ad molam meus.*

Plurimùm autem à vero aberrant Delphorum theologi, qui quidem credunt hîc Deo cùm ſerpente de oraculo certamen fuiſſe, atque iſta ſinunt Poëtas & Oratores in theatri commiſſionibus dicere, velut de induſtria teſtimonio ea oppugnantes, quæ in religioſiſſimis ſacris faciunt. Hîc admirante Philippo (hiſtoricus enim ille aderat) & quænam ſacra ab eis, qui componerentur in theatro, tanquam teſtimonio oppugnari putaret, rogante: Enimuerò ea, inquit, quæ ad hoc oraculum pertinent, quibus hæc ciuitas ad Tempe vſque progreſſa omnes vltra Pylas modò Græcos velut initiauit. Nam & tabernaculum, quod in area excitatur nono quoq; anno, non eſt latebroſum draconis cubile, ſed tyrannicæ aut regiæ arcis ſimulachrum: & tacita in tabernaculum per Doloniam, vt vocant, irruptio, mox pueri patrimi & matrimi cum ardentibus thedis inductio, & tabernaculi ſuccenſio, euerſioque menſæ, & celerrima nunquam retro reſpicientium & per fani fores ſe proripientium fuga, poſtremò pueri errores & ſeruitus, eiuſque ad Tempe expiatio, magni cuiuſdam ſceleris & facinoris ſuſpicione non carent. Eſſet enim, mi Philippe, perridiculum, Apollinem interfecta bellua in Græciæ fines ad piacula profugere, ibique libationibus quibuſdam perfundi, eaque obire, quæ homines Dæmonum illorum iracundiam deprecantes, atque placantes, quos Alaſtoras id eſt, quanquam minus aptum videri poteſt, lemures, & palamnæos, id eſt, laruas appellant, vt nunquam obliuiſcendorum & veterum ſcelerum atque fraudum recordatione cruciantes, agere ſolent. Quod autem aliquando audiui de iſta fuga, atque migratione, eſt illud quidem abhorrens valdè atque admirabile: ſed ſi quid in eo veri eſt, ne exiguum eſſe putemus, nec vulgare facinus, quod tum ad oraculum patratum eſt. Verùm ne, vt eſt in Empedoclis ſententia, diſſerere videar,

*Annectens diuerſa alijs faſtigia ſummis,*
*Sermonum nec idem ſectans iter,*

quæſo ſinite vt prima, ſuo congruentique fine concludam. Iam enim ad eum re profligata peruenimus: audeamuſque poſt multos & ipſi dicere Dæmonibus, qui opertis & oraculis præpoſiti ſunt, deficientibus, ea pariter deficere: tum autem fugientibus aut demigrantibus, vires oraculorum ceſſare: deinde longo, reuerſis interuallo, vt inſtrumenta ſonare, quòd præſto ſint, qui tractent & vtantur. Cùm iſta Cleombrotus diſſeruiſſet, Heracleon, Nemo hic, inquit, ſuperſtes adeſt è profanis nec initiatis: nemo, cuius ſententia de Dijs cum noſtra cohæreſcere non poſſit: ipſi modò demus operam, ne inepta & magna principia imprudentes in diſputatione poſuiſſe videamur. Et Philippus: Rectè tu quidem, inquit: ſed cuius te tandem maximè eorum, quæ Cleombrotus poſuit, pudet ac piget. Hîc Heracleon, Nempe oraculis, inquit, non Deos, quos à rebus terrenis immunes & liberos eſſe decet, ſed Dæmonas Deorum miniſtros præſidere, bellè mihi dici videtur: verùm Dæmonibus iſtis, abruptè propè dixerim ex Empedoclis verſibus, offenſiones, calamitates, errationes diuinitus inferre, ad poſtremum mortales, vt homines decernere, maioris aliquanto audaciæ & barbariæ exiſtimo. Tum Cleombrotus Philippum interrogauit, ecquis adoleſcens ille, & cuias? auditoque nomine & ciuitate: Minimè verò nos, inquit, imprudentes, ô Heracleon, in iſto ſermone abſurdo verſamur: ſed fieri non poteſt, vt quis in magnis rebus ſine magnorum inſtitutione principiorum fidem & probabilitatem opinione conſequatur. Quin tute potius ipſe imprudenter, quod concedis, id tollis? nam qui eſſe Dæmonas fateris, cùm tamen neque improbos, neque mortales eſſe cenſeas, iam hoc ipſo ne

Dæmonas

Dæmonas quidem tueris. Quid enim inter Deos & Dæmonas intererit, cùm, ſi naturam ſpectemus, interitus: ſi virtutem, perturbationum atque peccatorum ſint expertes? Cùm quid ad hæc Heracleon poſſet, tacitus ſecum cogitaret, ad eum Philippus: Atqui maleficos, inquit, Dæmonas eſſe, mi Heracleon, non ſolùm Empedocles ſcriptum reliquit, verùm etiam Plato, Xenocrates, Chryſippus: ſed & Democritus, cùm ſalutares & fauſtas imagines ſibi precibus optat, ſatis indicat alias ſe importunas & diras nouiſſe, quæ animi quadam propoſitione appetitioneq; præditæ ſint. De Dæmonũ porrò obitu narrationem quandam de homine nec ſtulto nec vano accepi: nam Æmiliani Rhetoris, ex quo nonnulli etiam veſtrum hoc audierunt, Epitherſes pater fuit, municeps meus, Grammaticæ profeſſor: is narrabat cùm aliquando Italiam cogitans nauigium conſcendiſſet, quod non ſolùm merciũ magnam vim, ſed vectorum etiam magnam turbam ferret, ſub veſperam ad Echinadas inſulas penitus flatum ſiluiſſe, nauiq; in ſalo fluitante, & tandem ad Paxas delata, plurimis tum vigilantibus, multis etiam poſt cænam compotantibus, è Paxis repentè vocem auditam eſſe cuiuſdam, Thamũ inclamantis, ita vt admirarentur. Erat autem Thamus Ægyptius gubernator, multis, qui in naui erant, nomine ignotus. Bis igitur inclamatũ ſiluiſſe, tertiùm vocanti, paruiſſe: illum maiore vocis contentione imperaſſe, vt cùm ad Palodes peruectus eſſet, Pana magnum mortuum eſſe nuntiaret. Hoc audito Epitherſes conſternatos omnes ſtupore dicebat: cumq; deliberarent, quod imperatum erat, faciendum eſſet nécne, hac de re ſic Thamum cenſuiſſe, ſi flatus ſpiraret, ſilentio prætereuehendum eſſe, ſin à ventis eſſet eo in loco quies & tranquillitas, quod audierat, eſſe prædicandum. Igitur ad Palodes perlatis, cum aura nulla eſſet, nec vnda, proſpectantem è puppi Thamum in terram, exclamaſſe vt audierat, Pana magnũ eſſe mortuum: continuoq; cum vix dum finijſſet, ſecutum eſſe ingentem non vnius, ſed multorum gemitum admiratione mixtum: & quòd multi adfuiſſent, narrabat rei famã celerrimè diſſipatam eſſe Romæ, Thamumq; à Tiberio Cæſare accerſitum: Tiberiũ verò vſq; adeò huic rei fidem adiunxiſſe, vt quis ille Pan eſſet, interrogaret & quæreret. Doctos autem homines, quos circum ſe frequentes habebat, cenſuiſſe, Pana eum eſſe, qui ex Mercurio & Penelope natus eſſet. Atq; hæc quidẽ Philippus, quorundam etiam qui aderant, memoria atteſtante, qui de Æmiliano ſene ſe audiuiſſe dixerunt. Demetrius autem narrauit earũ inſularum, quæ ſunt propter Britanniam, pleraſq; deſertas & ſparſas eſſe, quarum nonnullas Dæmonibus & heroibus eſſe dicatas: ſeſe autem cognoſcendi viſendiq; cauſa Imperatore mittente nauigaſſe ad vnam deſertis proximã, paucis habitatã cultoribus, quos Britannis ſacroſanctos & inuiolatos omnes eſſe: non multò autem pòſt quã eò veniſſet, fœdam cæli perturbationẽ, & prodigioſam tempeſtatem eſſe coortã: procellas in abruptum lapſas cecidiſſe, ardentiũ fulminum iactus fuiſſe, quibus ſedatis inſulanos dixiſſe, aliquem è præſtantioribus interijſſe. Nam vt lucerna dum accenditur, noxia nemini eſt, dum extinguitur, multis tetrũ odorem adflat: ſic animos magnos, dum accenduntur, propitios & innoxios eſſe: dum extinguntur & intereunt, ſæpenumerò, vt modò, ventos & procellas miſcere, interdũ peſtilenti lue cælum inficere. Iam verò illic inſulã quandam eſſe, in qua Saturnus carcere clauſus à Briareo cuſtodiatur ſopitus: ſomnum enim illi pro vinculo eſſe: multos autem ei Dæmonas eſſe circũ pedes atque ſeruos. Tum Cleombrotus: Ipſe etiam talia quædã, inquit, commemorare poſſim: nunc ſatis eſt propoſito nihil repugnare, neq; impedimentum ſic ei vllum adferri: Quanquam non me latet, inquit, Stoicos non ſolùm mecum de Dæmonibus ſentire, ſed etiã in tanto Deorum populo, vnum ſempiternum & immortalem, alios natiuos & interituros exiſtimare. Nam Epicureorũ irriſiones & cachinnos nihil moror, quibus etiam contra prouidentiam, fabulam appellantes, abutuntur. Nos contrà fabuloſam potius infinitatem dicimus, quæ mundũ, in tanta eorum innumerabilitate, Dei procuratione nullum adminiſtratũ habet, ſed omnes fortuitò & temerè genitos atq; coagmentatos. Quod ſi in Philoſophia locus riſui eſt, profectò ridendi ſunt, qui, vbi locorum imagines ſurdæ, cæcæ, inanimæ, infinitis annorum curriculis maneant, emergentes & quoquouerſum euagantes, tum autem partim è uiuis: partim iam pridem crematis aut putridis emanantes, meras nugas & vmbras in rationem naturæ inducunt: qui tamen, ſi quis Dæmonas eſſe dicat, qui non ſolùm natura, ſed etiam ratione incolumitatem & permanſionem diuturnam habeant, ægrè ferunt. Hæc autem cùm dicta eſſent, Ammonius, Rectè quidem, inquit, Theophraſtus pronuntiaſſe mihi videtur. Quid enim vetat vocem recipere ſanctiſſimam, maximeque philoſophicam? Nam ſi reijcitur, multa, quæ euenire queunt, nec certa tamen argumentatione concludi poſſunt, euertet: ſin ponitur, nihil quicquam, quod vel fieri, vel extare non queat, ſecum eliciet & trahet. Quod tamen ſolum Epicureos audio afferrẽ aduerſus Dæmonas, quos Empedocles inducit, fieri non poſſe, vt ſi improbi & vitioſi ſint, beatam longæuamque ducant, cùm præſertim cæca temeritate vitium rapiatur, & in labefactantium impulſionem offenſionemque incidat, ſtultum & ineptum eſt. Iſta enim ratione Epicurus deterior Gorgia ſophiſta: & Metrodorus Alexide comico videbitur. Nam iſte quàm Metrodorus amplius altero tanto, ille quàm Epicurus plus ſeſquitertio vixit. Aliter enim firmam eſſe virtutem imbecillum vitium dicimus, non ad permanſionem & diſſolutionem corporis referentes: quando & in animalibus tardi multa animi & ſtupidi, multa intemperantiæ & petulantiæ dedita, diuturnioris & viuacioris ſunt vitæ, quàm intelligentia & callida. Itaque Deo non rectè æternitatem tribuunt ex cautione & repulſione offenſionum. In eius enim, quod beatum eſt, natura mali & interitus immunitas, ſine ſollicitudine vlla ineſſe debuit. ſed in abſentes declamare, animi fortaſſe non ingenui nec æqui eſſe videatur. Proinde Cleombrotus orationem illam de migratione & fuga Dæmonum, à qua aberrauit, repetat. Tum Cleombrotus. Atqui mirer, inquit, profectò, niſi ijs, quæ antè dicta ſunt, ineptior vobis eſſe videatur: tametſi naturæ rationem ſequitur, eiuſque primordium à Platone profectum eſt, qui, etſi non diſertè pronuntiauit, ſed timidè ex opinatione quadam exili & obſcura, velut per ænigma, ſuſpicionem iniecit, tamen magnis etiam aliorum Philoſophorum clamoribus exagitatus & vexatus eſt. Sed quoniam fabulis & ſermonibus temperatus crater in medio poſitus eſt, & beneuolentiores quis auditores nactus, hos fortaſſe ſermones vt peregrinam pecuniam probauerit, haud equidem verebor vobis id gratificari, quod de barbaro homine audiui, quem ad mare rubrum ſemel quotannis cum hominibus colloquentem, reliquo tempore cum





agreſtibus Nymphis & Dæmonibus, vt ipſe dicebat, commorantem, multis erroribus, magna indicij mercede, vix tandem repertum conueni, ad ſermonem ab eo admiſſus & comiter exceptus. Erat autem ille quidem omnium, quos vnquam viderim, ſpecie formoſiſſimus, & ſingulis ſemel menſibus quendam herbæ fructum medicatum & amarum guſtans, ſe ſine vlla valetudinis tentatione tolerabat: idem multas linguas exercebat, ac mecum magnam partem Doricè loquebatur quodam penè carmine, eòque loquentẽ mirifica odoris ſuauitas ex ore toto loco ſpargebatur. Ac reliqua quidem doctrina & eruditio ſemper aderat, cæterùm ad vaticinationem omnibus annis ſemel adflabatur, & ad mare deſcendens, fata prædicebat, eò conuenientibus dynaſtis, regumque ſcribis, deinde diſcedentibus. Ille igitur diuinationem ad Dæmonas referebat, & quod Delphi narrant, iucundiſſimum ei erat, nihilque, quod de Libero patre homines hic loquuntur, vel ſacris operantur, ignorabat. Sed & iſta magnos eſſe Dæmonum caſus dicebat, & illa quæ de Pythone traduntur. Nec verò percuſſori nouem annorum exilium ad Tempe fuiſſe, ſed eum huius orbis ſolum alio orbe mutaſſe, & illinc nouem magnorum annorum anfractibus purgatum, & verè Phœbum, id eſt, mundum reuerſum, oraculum, quod interea à Themide cuſtodiebatur, accepiſſe. Eiuſdem generis eſſe res Typhonis & Titanum. Dæmonum enim contra Dæmonas fuiſſe pugnas: mox eorum, qui victi fuerant, fugas eſſe ſecutas, & à Dijs irrogata ijs ſupplicia, qui talia deliquerant, qualia in Oſyrin Typhon, in Cœlum Saturnus commiſiſſe fertur: qui aut obſcurius honorantur, aut quia in alium orbem demigrarunt, prorſus obſoleuerunt. Nam & Solymos Lycijs finitimos audio Saturnum eximiè coluiſſe, verùm poſteaquam cæſis eorum principibus Arſalo, Dryo, Troſobio profugit, & quocunque tandem terrarum conceſſit (neque enim dicere habent) eos Saturnum negligere cœpiſſe: Arſalum autem, Dryum, & Troſobium ſæuos Deos appellaſſe, & in eorum nomen publicè priuatimque execrationes concipere ſolitos eſſe. Multa eiuſdem modi ſumi poſſunt ex ijs, quæ de Diis feruntur. Nec verò, ſi vſitatis Deorum vocabulis Dæmonas aliquos afficimus, mirandum eſſe hoſpes dicebat. Cui enim Deo attributus quiſque eſt, & à quo potentiam & honorem habet, eius ſe nomine vocari gaudet. Nam & in hominibus alius Iouius eſt, alius Athenæus, id eſt, Mineruius, alius Apollonius, alius Dionyſius, id eſt, Liberalis, alius Hermæus, id eſt, Mercurialis. Ac nonnulli quidem, quanquam fortuitò: rectè tamen ſunt appellati: multi tamen non aptè, ſed perperàm ex Deorum vocabulis nominati ſunt. Cùm tacuiſſet Cleombrotus, eum ſermonem admirari omnes cœperunt: cumque Heracleon rogaſſet, ecquid hæc Platonem attingerent, & ecquonam modo is huic rei primordium dediſſet, hic Cleombrotus, Probè tu quidem meminiſti, inquit: nempe quòd mundorum infinitatem protinus improbauit, verùm de eorum certa definitaque multitudine dubitauit: & qui numero ad quinque de ſingulis elementis ſingulos conſtituerent, credibilitatem eis conceſſit, ſeſe tamen in vno tenuit. Idque Platonis proprium videtur eſſe, cùm alij tantoperè multitudinem reformident: proinde quaſi eos, qui materiam vno mundo non definiant, ſed excurrant, ſtatim interminata aſperaque infinitas excipiat. Tum ego, hoſpéſne ille, inquam, item vt Plato de mundorum numero definiebat, an verò toto conſuetudinis tempore hac de re eum non conueniſti, neque quid ſentiret, tentaſti? Egóne Cleombrotus, ſi nihil, inquit, aliud, non hac in re ſaltem diligens & ſedulus auditor eſſe debui, præſertim cum ſe ſic facilem præberet & traderet? Cæterum ille neq; infinitos mundos, neq; vnum, neq; quinq; eſſe dicebat, ſed centum octoginta tres, ea ſerie collocatos, vt trianguli formã efficiant, cuius ſingula latera ſexagenos habeant mundos, qui reliqui tres ſunt, ſingulos angulos obſideant: eos porrò inter ſe deinceps contingere, ac velut in chorea leniter ſe torquere. Æquor autẽ trianguli communẽ eſſe omniũ focũ, & campum veritatis vocari, quo in loco rationes, formæ, exemplaria cuiuſq; rei genitæ & gignendæ immobilia ſint poſita: cumq; ea circundet æui æternitas, labentem eius in mundos tanquam defluxum tempus eſſe: arbitros autem & ſpectatores eſſe decies milleſimo quoq; anno humanos ſemel animos earum rerum, ſi honeſtè vitam egerint. Quin auguſtiſſimas hic ceremonias illius ritus ac ceremoniæ, veluti ſomnia quædã eſſe: ac propter illius loci pulchritudinem, aut certè fruſtrà, homines de literis commentari philoſophariq; memorabat. Iſtos, inquit, his de rebus explicatus diligenter audiebam; cùm interim, vt in ſacris & initiatione aſſolet, nullã certam rationis concluſionem, nullam probationem adferret. Hic ego Demetrium appellans, Cedo ſis, inquam, verſus procorum in arcus tractatione Vlyſſem admirantiũ: quos vt ſuggeſſit, Enimuerò, inquam, eos in mentem mihi venit de hoſpite vſurpare: *Ille quidem venator erat, furaxq; decretorum rationumq; variarum, vt literas multum peruagatus, nec Barbarus natione, ſed Græcus multa Græcorum eruditione tinctus.* Eum quidẽ certè mundorum numerus planè indicat, qui nec Ægyptiorũ eſt, nec Indorũ, ſed Dorum ex Sicilia, ab homine Himereo Petrone profectus, cuius libellum non ſanè legi, atq; haud ſcio an extet: Hippys tamẽ Rheginus, cuius Phanias Hæreſius meminit, iſtam narrat Petronis opinionem atq; rationem, centum octoginta tres eſſe mundos mutuò ſe elemento tangentes. Sed quid elemento tangere vocet, neq; declarat, neq; aliam probabilitatẽ vllam adhibet. Excipit Demetrius, &, Ecqua verò, inquit, iſtis in rebus credibilitas eſſe poſſit, cum Plato, etſi nihil aut conſentaneũ aut credibile adferebat, tamen planè eam opinionẽ euerterit. Et Heracleon: Atqui vos, inquit, Grammaticos audimus ad Homerum opinionẽ iſtam referre. Quòd eum dicatis vniuerſitatis diſtributionem in quinque mundos feciſſe, cælum, aquã, aerem, terram, olympũ: quorum duos communes reliquerit, terrã omnium inferorum, olympum omnium ſuperorũ, tres interiectos tribus Deis attribuerit. Similiter Plato videtur pulcherrimas & primas corporũ formas & figuras, vniuerſorũ diſſimilitudini diſtribuens, quinq; mundos vocare, mundum terræ, aquæ, aeris, ignis: vltimum hos continentem & arcentem dodecaedri mundum, longè lateq; diffuſum & volubilem, vt figuram animorum volubilitati & motui aptam ac decoram, reddidit. Tum Demetrius: Quorſum, inquit, in præſentia Homerũ citamus: fabularum enim plus ſatis eſt. Plato autem plurimum ab eo abeſt, vt quinque illas mundi diſſimiles naturas, quinque mundos appellet: atque vbi eos oppugnat, qui infinitos mundos eſſe ſtatuunt, ſingularem eum & vnigenam Deoque charum, ex tota materia corporea integrum & perfectum, ſeipſoque contentum, eſſe procreatum dicit. itaque iure quis miretur, qui factum ſit, vt cùm verum ipſe dixerit, incredibilis tamen &

men & ratione carentis ſententiæ alijs auctor fuerit. Nam qui mundum vnum non teneat, is quodammodo cauſam argumentumque eius rei habeat vniuerſi infinitatem: qui tot circunſcriptè ſtatuat, nec plures quinque, nec pauciores ponat, omninò præter rationem, fidemque faciat: niſi, ad me conuerſus inquit ille, tu forſan quid ad hæc. Tum ego: Siccine, inquam, placet omiſſa iſta de oraculis inſtituta diſputatione, vt iam profligata & confecta, aliam adſumere? Minimè verò, inquit ille, omiſſa, ſed hac tamen non prætermiſſa, quæ tanquam manum nobis inijcit. Neque enim immorabimur, ſed eatenus attingemus, quoad probabile aliquid eliciamus: deinde mox ad inſtitutum reuertemur. Tum ego: Primùm, inquam, quæ mundorum infinitatem prohibent, ea quo minus vno plures faciamus, nihil impediunt. nam vt in ſingulari, ita quoque pluribus in mundis, diuinatio poterit extare, prouidentia, exiguus fortunæ interuentus, in plurimis maximiſque rebus ordo & conſtantia, ortus præterea & commutatio, quorum nihil in infinitione poteſt eſſe. Deinde conſentaneum profectò magis eſt, nec vnigenam, nec ſoliuagum eſſe mundum. Nam cùm probitate perfecta excellat, nullius certè virtutis indiget: minimè autem omnium iuſtitiæ & amicitiæ, quæ non ſolùm ipſæ pulcherrimæ ſunt, verùm etiam Dijs decoræ. nihil porro fruſtra Deus aut inutile habere ſolet. Quare alij ſunt foris Dij & mundi, in quos virtutibus illis in communitate & ſocietate poſitis vtitur: neque enim aduerſum ſe aut aliquam ſui partem, iuſtitia, gratificatione, bonitate quis vtitur: ſed aduerſum alios. Quamobrem veriſimile non eſt, mundum hunc amicitiæ, vicinitatis, coniunctionis expertem, in infinita inanitate tanquam fluitare: cùm præſertim naturam videamus ſingula generibus & formis, tanquam vaſculis & ſeminum folliculis, continere. Nihil enim in rerum natura ſolitarium vnumque numero reperias. Neque verò communis alicuius rei ratio eſſe, neque communis appellationem adipiſci poteſt, quæ non communiter, quale aliquid eſt, ſed propriè declarat: atqui mundum negant eſſe communiter qualem. Ecquo igitur tandem pacto qualis ſit ex diſſimilitudine, quæ mutuò intercedere cum alijs cernatur, qui ſibi vni cognatus atque vnius modi, talis eſſe procreatus agnoſcitur? Nam ſi neque homo ſingularis, neque equus eſt in rerum natura, neque ſtella, neq; Deus, neque Dæmon, quid vetat non vnicum in natura mundum, ſed plures extare? Etenim qui adfert in eo vnicam eſſe terram, vnicum mare, quod promptum & perſpicuum eſt, non videt, res eſſe aliquas, quæ partium ſimilitudine cenſeantur. Terram enim in partes eiuſdem nominis diuidimus, & mare: at mundi partes non item mundus vocantur, cùm ex diuerſis naturis ſit coagmentatus. Nam quod nonnulli tantopere formidant, atque ideò vniuerſam materiam in hunc mundum conſumunt, ne, ſi quid foris eius reliquum ſit, impulſionibus & plagis huius coagmentationem labefactet & diſturbet, temerè formidant. Plures enim ſi mundi ſint, ac priuatim cum ſua quiſque ſubſtantia & materia modum & terminum certum definitumque ſortiatur, nullæ vacabunt tanquam reliquiæ vel ordinis vel deſcriptionis expertes, quæ extrinſecus inferantur. Quippe cùm cuiuſque ratio materiæ contributæ compos atq; moderatrix, nihil erumpere & euagari in alium, nec ex alio in ſe ſit permiſſura: præſertim cum eorum turbam nec interminatam nec infinitam habeat natura, neque motum temerarium & inordinatum. Quòd ſi quid ab alio ad alium permanet, id cognatum blandumque eſt, & cuique accommodatum miſcetur, vt ſiderum fulgor & mutua temperatio: tum autem beneuolo conſpectu inuicem ſe mundi intuentes oblectantur, & Deis plurimis & optimis vnumquenque incolentibus, congreſſus & inuitamenta conciliant. Nihil enim horum fieri non poteſt, nihil horum fabuloſum eſt, nihil horum à ratione alienum. niſi fortè quis Ariſtotelis decreta veretur, vt naturalia: quòd cùm, vt ait, corporum quodque ſuum propriumque obſideat locum, neceſſe ſit terram vndique ad medium ferri, quam humor, ſuopte nutu leuioribus ſubſidens, inundet. Quocirca ſi plures ſint mundi, futurum, vt multifariam terra igni ſit & aere ſuperior, multifariam inferior: ſimiliter vt in alijs aer & aqua in naturali ſede conſiſtant, in alijs minimè: quod cum factu ſit nefas, vt cenſet, neque duos, neq; plures mundos eſſe putat, ſed hunc vnum ex vniuerſa materia compoſitum, ita natura collocatum, vt corporum diſſimilitudini conuenit. Verùm id credibilius quàm verius dictum eſſe videtur. Sic enim, mi Demetri, rem conſidera. Cùm corporum partim ad medium & deorſum ferri dicit, partim à medio & ſublime, partim circùm & in orbem, cuius tandem comparatione medium ſumit? non enim inanis, quod de eius ſententia nullum eſt, & de quorum eſt, medium tamen non habet, vt nec principium, nec extremum. Nam hi ſunt termini, cùm infinitas ſit interminata. Quòd ſi quis eum oratione cogat audere infinitum inane fateri, ecqua in eo tamen motionum differentia corporibus cieri poſſit. Neque enim in inani corporum vis ineſt, neque corpora impetum aut propoſitum habent, quòd medium appetat, & eò vndique contendat: verùm inexplicabile eſt intellectu, corpora inanima ad incorporeum & indifferens ferri, & vel ex ſeipſa cieri, vel ab illo trahi & allici. Relinquitur igitur medium, non loci ratione, ſed corporis dici: nam cùm mundus hic ex plurimis diuerſiſque corporibus vna continuatione & conſenſione cohæreat, diſſimilitudo alias atque alias motiones neceſſariò ciet: quod vel ex eo perſpicuum eſt, quia, quorum natura immutatur, eadem quoque protinus locum commutant. Quippe cùm diſſipatio materiam à medio ſubuolantem circùm diſtribuat, concretio atque denſatio peſſum deprimat, in mediumque compellat: qua de re pluribus hic diſſerendum non eſt. Quam enim cunque quis iſtarum affectionum & mutationum cauſam effectricem & tanquam architectam eſſe ſtatuet, ea ſanè mundum quemque in ſuo ſtatu continebit. Singulis enim ſuum erit mare, ſingulis ſua terra, cùm ſuum quiſque medium habeat, mutationes, adfectiones, naturam, poteſtatem, quæ eodem in ſtatu quemque tueatur atque conſeruet. Quod enim extra eſt, ſiue nihil excedit, ſiue immenſa infinitas patet, medium, vt dixi, præbere non poteſt: at verò ſi multi mundi ſint, ſuum quiſque medium habebit, vt proinde motus ſit proprius alijs eò, alijs inde, alijs circum id, vt ipſi partiuntur. Qui autem poſtulat, vt in mediorum multitudine, omnium vndique ponderum momenta in vnum depellantur, nihil ab eo diſcrepat, qui in tanta hominum frequentia, in vnam venam vndique omnem ſanguinem confluere debere cenſeat, vnaque membrana omnium cerebrum contineri, nefas videlicet arbitratus, ſi non omnia, quæ natura noſtris in corporibus ſolida ſunt, vnam obtineant regionem, viciſſimque mollia vnam

sedem.



ſedem. Nam & iſte ineptus ſit, & ille inſulſus, qui moleſtè ferat, quòd quæ integra ſint, ſuas habeant partes ſitu naturali & ordine collocatas. Illud enim ſtultiſſimum eſſet, ſi quis diceret aliquem eſſe mundum, qui lunam ita locatam haberet, vt ſi in calcibus homo cerebrũ gereret, cor in temporibus. Sed qui multos faciunt mundos interuallis inter ſe diſiunctos, ſi eadem opera totis illis & integris ſic diſiunctis partes dirimant & diſtribuant ſuas, improbè non faciant. Nam cuiuſq; terra, mare, cœlũ, ita vt naturæ conuenit, poſita erunt: tum ſupera, infera, ambitum, medium, nõ alterius collatione, neq; extrinſecus habebit, ſed intra ſe quiſq; ſuiq; comparatione. Quem enim extra mundum lapidem nonnulli fingunt, is non ferè vllam ſtatus aut motus facultatem adfert. Quo enim modo aut grauis inſiſtet, aut ad mundum, vt reliqua pondera, feretur, cum nec pars eius numeretur, nec ei ſit contributus? Terra autem, quæ in alio mundo colligata & conſtricta teneatur, dubitare non oportuit, qui fiat vt huc non ſuo pondere abrupta transferatur, præſertim cùm videant naturam & firmitatem, qua quæq; partes continentur. Quòd ſi non ex ipſo mundo, ſed extrinſecus ſupera & infera ſumemus, in eaſdem difficultates, in quas ſeipſe Epicurus, nos etiã induemus, qui quidem omnia indiuidua corpuſcula in regiones pedibus ſubiectas detrudit: proinde quaſi aut inane pedes habeat, aut in infinitate quicquam, quod ſuprà ſubterq; ſit, cogitare poſſimus. Itaq; mirari Chryſippum licet, atq; adeò quærere, quid ei venerit in mentem, vt diceret mundum in medio locatũ eſſe, eiuſq; naturam vſurpato ex æternitate medio loco, maximè conſtabilitam & confirmatã eſſe ad permanſionem & velut incorruptã quandam perpetuitatem. Iſta enim libro quarto περὶ δυνατῶν, id eſt de eo quod fieri poteſt, dicit: cùm medium loci infiniti non rectè ſomniet, inſulſamq; permanſionis mundi cauſam ab eo medio, quod nullum eſt, repetat: præſertim cùm alibi ſæpè dixerit naturam ijs motibus, quibus aut ad medium ſuum, aut à medio ſuo cietur, tanquã diſpenſari atq; contineri. Iam verò reliqua, quæ Stoici obiiciunt, rogantes, ecquonammodo fatum vnum, vna prouidentia manſura ſit, ac non potius multi Ioues futuri ſint in mundorum multitudine, quis pertimeſcat? Primum enim ſi multos eſſe Ioues ineptum eſt, an non obſecro, quæ ab eis dicuntur, multo ineptiora erunt? Nam Soles, Lunas, Apollines, Dianas, Neptunos in infinitis mundi conuerſionibus infinitos faciunt: Deinde cur neceſſe eſt multos eſſe Ioues, ſi multi mundi ſint, ac non potius in vnoquoq; Deum quendam principem ac præſidem totius ſummæ eſſe, mente & ratione præditum, cuiuſmodi eſt, qui apud nos omniũ dominus & pater vocatur: aut quid vetat Iouis prouidentiæ & fato omnes obtemperare, eumq; viciſſim omnes luſtrare atque moderari, omnibus principia, ſemina, rationes eorũ, quæ gerantur, largientem? Non enim hic vnum ſæpè corpus è deiunctis corporibus coaceruabitur, velut concio, exercitus, chorus, quorũ in quoq; & vita & intelligentia & diſciplina inſit, vt Chryſippus cenſet, & in vniuerſitate decem vel quinquaginta, vel centum mundi, qui vna vtantur ratione, ad vnumq; principium pertineant, ineſſe non poterunt: imò verò deſcriptio talis & deſignatio imprimis è Deorum dignitate fuerit. Quippe cùm minimè deceat, vt examinis duces, item Deos nunquã extra prodeuntes inducere, nec ſæpimento quodam materiæ clauſos, imò verò circumuallatos tenere: velut iſti Deos, cùm aëris certos quoſdam habitus faciant, aquæ & ignis certas quaſdam poteſtates credant in ipſis fuſas, pariter cũ mundo & generant & exurunt, non tamen ſolutos & liberos, vt aurigas & gubernatores, ſed vt ſigna ſuæ baſi adfixa, & tanquã adplumbata cohæreſcunt, ſic in corporeã molem incluſos habent, & tanquã cuneolis quibuſdam iniectis illigatos, tandiu cũ ipſa conſociatos, dum interitus, diſſolutio, vniuerſaq; commutatio ſequatur. Illa verò ratio eſt, vt exiſtimo, & præclarior & magnificentior, vt Tyndaridæ tempeſtate iactatis opem ferunt, aduentu ſuo ſtatim violentiã ponti præcipiteſq; ventorum flatus mulcentes, cùm tamen haudquaquam vnà nauigent & periclitentur, ſed ſalutares ſoſpiteſq; ſuperueniant: ſic Deos remoto omni herili imperio liberos ſuiq; iuris, aliàs aliũ ſubire mundum ſpectaculi voluptate captos, & cum ipſa natura ad regendũ conſpirantes. Nam Homericus Iuppiter non admodum longè oculos à Troia in Thraciam deflectit, & Nomadas Iſtrũ accolentes: at verus Iuppiter honeſtas habet & decoras multis in mundis vices, non in vacuum infinitũ extra intuens, nec de ſeipſo, nulla autem alia de re, vt nonnulli arbitrantur, cogitans: ſed plurima Deorum & hominum opera, motus aſtrorum & curſus, quorum ſtatæ ſunt conuerſiones, aſpiciens. Nec enim Deus à mutationibus odio quodam abhorret, ſed ſi quid ex ijs, quæ ſub oculos cadunt, augurari licet, cœleſtibus viciſſitudinibus & conuerſionibus vehementer oblectatur. Quo fit vt infinitas modis omnibus amens ſit & inconſiderata, nuſquamq; Deũ adhibeat, verùm in rebus omnibus fortuna & temeritate vtatur: ſed mihi in definita mundorũ multitudine & numero procuratio & prouidentia nullũ habere munus illiberalius nec laborioſius videtur, quàm ea, quę vni implicata eſt corpori & innexa, quod infinitè aliter atq; aliter interpolare, inſtaurare, renouareque ſoleat. Quæ cùm dixiſſem, finem feci. Hìc Philippus nõ multò pòſt, Equidem iſtis, inquit, de rebus, vtrùm ne ita ſit an ſecus, nihil affirmare auſim: ſed ſi Deũ extra vnum educimus mundũ, cur quinq; ſolùm mundorum, non plurium effectorem eum molitoremq; faciamus, & quæ huic numero cum ea multitudine ratio intercedat, libentius intelligam, quàm quo conſilio hic ει conſecratũ ſit. Neq; enim triangulus eſt, aut quadratus, neq; perfectus, aut teſſellatus, neq; vllam aliam oſtendit elegantiã iis qui talia amplectuntur & ſuſpiciunt: illa autem ab elementis profecta ratio, quam ſubobſcurè Plato ipſe innuit, omninò intellectu difficilis eſt, nullumq; argumentũ præ ſe fert, quod eum induxerit, vt diceret, quemadmodum quinq; corpora angulorum, laterum æquorum æqualitate comprehenſa in materia generantur: item quoq; æquum eſſe protinus totidem mundos ex ijs effici. Tum ego, Enimuerò Theodorus, inquam, Solenſis explicans ea, quæ apud Platonẽ mathematica ſunt, non malè eam rationem videtur hunc in modum tractare: Pyramis, Octaëdron, Icoſaëdron, dodecaëdron, quæ prima Plato ponit, cùm omnia pulchra ſunt, & commenſione proportionum & æquabilitate, tũ nihil naturæ ijs præſtabilius, nec aliud quicquã ſimile relictum eſt, quod vel condat vel coagmentet: nec tamen ſunt omnia vnam coagmentationem ſortita, nec ſimilem originem habent, ſed omnium minima eſt & tenuiſſima pyramis, maximũ & partibus numeroſiſſimum dodecaëdron. De reliquis duobus icoſaëdron multitudine triangulorũ maius eſt amplius duplo quàm octaëdron. Proinde ortũ omnia habere ſimul ex vna materia nefas: nam tenuia, parua, & tanquã fabricatione &

cōſtructione ſimpliciora, prima molienti fingentiq; materiā parere:& effici neceſſe eſt,& ante ea oriri quę partibus grandioribus integrata & corporatiora ſunt, quorū è numero molitionē operoſiorem habentiū, eſt dodecaëdron. Ex quo efficitur eſſe corpus primū ſolam pyramidem,aliorū nullum, vt quæ natura ſint ortu poſteriora. Huius ergo incommodi remedium præſto eſt,materiæ diſtributio & partitio in quinque mundos. Alibi enim pyramis, prima in lucem prodit,alibi octaëdron,alibi icoſaëdron: ex eo autem,quod antè extiterit, reliqua deinceps originem ducent, cùm viciſſitudo quædam eueniat, omnibus in omnia concedentibus per partium concretionem & diſſipationē,quemadmodum ipſe Plato omnia ferè percenſens declarat, nobis breuiter didiciſſe ſatis erit. Quoniam aër ignis extinctione naſcitur, viciſſimq; attenuatus de ſe ignem edit,in vtriuſq; tanquā ſeminario, & affectus & mutationes ſpectandæ ſunt. Seminariū autem ignis eſt pyramis,ex viginti quatuor primis triangulis: aeris octaedron ex iiſdem quadraginta octo. vnum ergo gignitur aeris elementum è duobus ignis commiſtis atq; cohærentibus: contrà aer minutatim diſpertitus, in duo ignis corpora diſſipatur, rurſumq; compreſſus & in ſe conſidens, in humorem abit: vt in omnibus, quod prius extat, ſemper facilem alijs ex mutatione originem ſuppeditet, nec vnum ſit tantum, quod primum habeatur, ſed omnibus eiuſdem nominis ſocietas ſeruetur, cùm aliud in alio corpore anteceptam quandam & principalem originis ſuæ vim obtineat. Tum Ammonius, Hic quidem, inquit, & pro ſua virili & ſplendidè Theodorus elaborauit: veruntamen mira ſunt, ni ſe ſumptiones, quibus vſus eſt, mutuò euertere videantur. Cenſet enim eodem tempore illa quinq; nequaquā componi, ſed vt tenuiſſimum quicq; eſt & minimi negotij ad coagmentandum, ita antè alia in lucem prodire: deinde tanquam conſequens ac non repugnans ponit, non omnem materiam primum, quod ſimpliciſſimum eſt & leuiſſimum, proferre, ſed nonnunquam ea, quę ponderoſa ſunt & partibus numeroſa, è materia prima ad ortum emergère. Ad hæc cùm quinq; prima corpora ſubſint, ac totidem ideo mundi eſſe dicantur, in quatuor ſolis fidem facit, teſſeram, vt in calculorū luſu ſubducit, cùm teſſera in illa ſuapte natura mutari non poſſit, nec illis, vt in ipſam mutentur, poteſtas ſit, quòd trianguli non ſint eiuſdem generis. Commune enim omnibus illis ſubijcitur ſemitriangulum, huic ſingulare ſoli iſoſceles, quod cum ſemitriangulo nulla copulatione temperationeq; coniungi poteſt. Igitur ſi, cùm quinq; corpora prima ſint, totidemque mundi, teſſera in quoque, vbi prima nata eſt, principatum originis habet, nullum aliorum exiſtet: quippe cum in illa commutari teſſera non poſſit. Omitto quòd dodecaëdri, quod dicitur, elementū aliud facit, non illud Scalenum, ex quo Pyramidem, octaëdron, icoſaëdron Plato componit. Itaq; ridens Ammonius, Aut iſta tibi ſunt, inquit, diluenda, aut de communi iſta quæſtione proprium aliquid dicendum. Atq; ego, nihil, inquam, in præſentia credibilius, quod dicā, habeo, verùm ſatius fortaſſe ſit in diſquiſitionem vocari, ſuā quàm alienam opinionem præſtantē. Rurſus igitur iam inde ab ipſo exorſus capite dico, naturæ cùm ſubſint duæ, altera quæ ſenſui opinionem ſui affert, ortu & interitu mutabilis atq; vltro citroque variè commeans, altera ratione & intelligentia comprehenſibilis, quæ vna & eadem ſemper eſt, permirū ſit ſodes, cum illa, quæ ratione ſapientiaq; continetur, diſpertita ſit, & in ſe diſſimilitudinē habeat, ſi quis corporeā & patibilem cohærentem ſuoq; nutu in ſe conuerſam non relinqui, ſed dirimi atq; diſtrahi indignè moleſteq; ferat. Quippe cùm manentia quæ ſunt & diuina, arctiori ſe complexu tenere debeant, omnemque, quantum fieri poteſt, diuiſionem diſtractionemq; fugere: & tamen vis alterius attingens ea, quæ intelligentia continentur, maiores omni loci diſiunctione & diſtantia, in iis rationis & formæ diſſimilitudines efficit. Quapropter Plato eos, qui vniuerſum eſſe dicunt vnum, oppugnans, & id quod eſt, dicit eſſe, & idem & alterum, præterea motum & ſtatum. Itaque cùm iſta quinq; ſint, profectò admirandum non eſt, corporeorum illorum quinq; elementorum ſingula ſingulorum ſimulachra & imagines naturā eſſe molitam, non integra tamen neq; ſincera, ſed quodq; cuiuſque poteſtatis maximè particeps. Nam teſſera planè ſtatus proprium corpus eſt propter æquorum ſtabilitatē & firmitatem: pyramidis autem igneam mouentemq; naturam in gracilitate laterum & angulorum acumine quiuis agnoſcat: at dodecaëdri natura, quæ alias figuras complectitur, eius quod eſt imago in vniuerſitate corporata extitiſſe videtur: è duobus reliquis icoſaëdron alterius formam, octaedron eiuſdem adepta ſunt, quorum vnum aerem, qui naturam omnem in ſua ſpecie continet, alterum aquam, quæ temperatione in plurima qualitatum genera conuertitur, edidit. Quamobrem ſi natura æquabilem tributionem omnibus in rebus poſtulat, veriſimile eſt mundos quam exemplaria, neq; plures, neq; pauciores extitiſſe, vt exemplar quodque in quoq; principatus conditionē poteſtatemque quemadmodum habet in corporibus componendis, obtineat. Sed hæc ad illos oratio pertinet, quibus mirū eſſe videtur, quòd naturam ortu & mutatione variam in tot genera diuidamus. Nunc ad illud mihi omnes pariter animum attendite: è ſupremis vltimiſq; principijs, vno, inquam, & interminata dyade, hæc omnis deformitatis & perturbationis elementum, infinitas vocatur: illa autem vnius natura terminando & comprehendendo infinitatis inanitatem, à ratione vacuitatē, & interminationem informat, & vt appellationē in ijs, quæ in ſenſibus conſidunt, demonſtrationis comitem ſubeat & recipiat, vtiq; efficit. Quæ quidem principia primùm in numero cernuntur, atq; adeò ne multitudo quidem numerus omni ex parte eſt, niſi tanquam forma, quicquid materiæ ex interminationis infinitate aliàs vberius, aliàs exilius ineſt, deciderit. Tum enim demum quæque multitudo numerus efficitur, cùm vnitate terminatur. Sin vnitas tollatur, rurſus omnia conturbans interminata dyas, numerum ad infinitatem immenſitatemque redigit. Sed quoniam ſpecies non eſt materiæ labes & euerſio, ſed eius ſubiectæ conformatio & diſpoſitio, neceſſe eſt in numero vtrunque principium ineſſe: vnde prima & ſumma differentia & diſſimilitudo extitit. Nam interminatum principium tanquam architectatur numerum parem, velut principium melius imparem: in paribus autem prima ſunt duo, in imparibus tria, ex quibus quinq; naſcuntur, numerus compoſitione amborū communis, poteſtate impar. neceſſe enim erat, cum plures in partes, id quod ſenſum pellit corporatumq; eſt, propter cohæſionem diuidatur alterius neceſſitate, neq; primū numerum, parem eſſe, neq; primum, imparē: ſed tertium ex ijs conflatū, vt ab vtroq; proficiſcatur principio, tū eo quod parē efficit, tū eo quod imparē: fieri enim nō poterat, vt alterū ab altero

diſcederet,



diſcederet, cùm vtrunq; principij naturam & poteſtatem obtineat. Ambobus igitur copulatis præſtabilius principium, interminatione, quæ dirimere ſolet, coërcita ac ſuperata, corporeum quod eſt comparauit, & cùm materia vtrobiq; diſtraheretur, mediæ vnitatis interiectu, ne vniuerſa bipertitò diſcederent, perfecit. Verùm mundorum quidem multitudo exorta eſt, ex eo quod in terminatione diuerſum eſt & differens: multitudinem verò imparem eius, quod idem eſt & definitū, poteſtas extulit: huiuſmodi porrò imparem multitudinē edidit, quòd non longius naturā, quàm commodum eſſet, progredi permiſit. Nam ſi quod vnum eſt, merū & purum fuiſſet, nullum prorſus materia diſceſſum, ſecretionemq; haberet: nunc quia diſſipante dyade admiſtum eſt, diuiſionem & partitionem recipit, quæ illic impari parem cohibente inſtitit. Proinde ab antiquis πεμπάζεσθαι numerare in conſuetudine ſermonis dicebatur, atque arbitror πάντα id eſt omnia, à πέντε, id eſt quinque, deducta eſſe, non abs re, cùm præſertim pentas ex primis numeris integrata ſit. Nam & alij numeri cum alijs multiplicati in diuerſum numerum abeunt: at quinarius ſi pariter ſumatur, decem perfectum numerum edit: ſin impariter, ſe rurſum procreat. Omitto quòd primùm è duobus primis quadratis quinarius conſtat, vno & quatuor: deinde quòd cùm princeps tantundē, quantū duo eū antecedentes numeri, valeat, triangulum rectangulorum ſplendidiſſimū conſtituit: quod deniq; princeps proportionē ſeſquialteram parit. Non enim iſta propoſito fortaſſe negotio conueniunt: verùm illud potius, hoc in numero vim ineſſe accommodatā ad diuidendum, eoq; naturā plurima partiri. Nam & quinq; ſenſus poſſidemus, & totidem animi partes, naturam, ſenſum, cupiditatem, iracundiam, rationem, & huius numeri in vtraq; manu digitos, & fœcundiſſimū ſemen quinquepartitum eſt. Non enim temerè proditum eſt, vllam mulierem plures quinq; vno vtero enixam eſſe, & Rheam Ægyptij quinque Deos peperiſſe in fabulis narrant, quinq; mundorū ex vna materia procreationem obſcurè adumbrantes. In hac quidem rerū vniuerſitate terra quinq; cingulis, cælum quinq; circulis diſtinguitur, arcticis duobus, totidem tropicis, medio æquinoctiali: quinq; ſunt etiam ſtellarum errantium ambitus, cùm Sol, Lucifer & Mercurius ſocia pariq; luſtratione verſentur. Sed & ipſa mundi conſtructio concentus eſt particeps, vt quod apud nos in fidibus intentum eſt, in quinq; tetrachordorum collocationibus, ſummarū, mediarum, coniunctarū, diſiunctarum, ſuperlatarū: modulata quoq; totidem interualla ſunt, dieſis, hemitonium, tonus, ſeſquitonus, ditonū. Ita videtur natura magis delectari rebus omnibus quinis procreandis, quàm figura, vt Ariſtoteles cenſet, globoſa. Dicet aliquis, Cur, obſecro, Plato quinq; mundorū numerum ad quinq; figuras retulit, cùm dixit Deum in vniuerſi deſcriptione quinto corpore vſum eſſe? deinde cùm de multitudine quæſtionem inducit, vtrum ne vnū, an quinq; genitos eſſe verè oporteat dicere, ecquamnam propterea ſuſpicionē præ ſe ferre videtur? nempe quòd, ſi eius informanda credibili coniectura ſententia eſt, conſentaneum id eſſe cernebat: cum præſertim neceſſariò ſtatim motuum diſſimilitudo, comes ſit diſſimilitudinis corporum & figurarū illarum, quemadmodum ipſe docet, in concretionibus & diſſipationibus cum rei mutatione locum etiam pariter commutari prædicans. Si enim ex aëre naſcatur ignis octaëdro diſſoluto, & in metas diſſipato: aut viciſſim aër ex igne in octaëdron coacto atq; compreſſo, fieri non poteſt, vt in priſtina ſede maneat, ſed alias in oras fugit & rapitur, quicquid occurrit & obſtat, oppugnans, atq; perrumpens. Atque id quod tum euenit, illuſtrius etiā imagine quadam declarat: ſimiliter atq; ea, quæ ventilabris & inſtrumentis ad triticum purgandum comparatis excutiuntur & euannuntur, elementa dicens materiam mouentia, & ab ea viciſſim agitata, ſimilia ſemper ad ſimilia accedere, aliamq; alijs ſedem fuiſſe, vel antequam ab eis hæc rerum ſumma exornata & compta eſſet. Cùm igitur tum ſic affecta & conſtituta materia eſſet, vt par eſt illa affecta eſſe, vnde Deus abeſt, ſtatim quinq; primæ qualitates ſua quæque momenta habentes, ſuopte nutu diuerſæ ferebantur, non tamen omni ex parte puræ, nec ſincerè mereq; ſecretæ, quòd in omnibus rebus, quæ permiſtæ ſunt, ſemper quod ſuperatur, contra naturā, ea quæ ſuperant, ſequatur. Quocirca cùm alia aliò mouerentur, pares corporum generibus partes diſtinctioneſque extiterunt: vna ignis non puri, ignea tamen forma: altera ætheris non liquidi, ſed æthereà ſpecie: alia non terræ per ſe meræ, terrena tamen forma: ſed vel maximè tamen aeris & aquæ natura promiſcua fuit, propterea quòd, vt dictum eſt, alijs multis admixta generibus diſceſſerit. Materiam enim Deus locis, neque diſcluſit, neque diremit, ſed ipſam ſua ſponte direptam, & in diuerſa euntem, cùm valde inordinatam accepiſſet, proportionis & medietatis temperatione & moderatione ordinauit atq; accommodauit. Deinde cùm rationem cuique vt præfectam cuſtodemque præpoſuiſſet, mundos totidem, quot erant prima corpora, condidit. Atque hæc quidem Platonis elegantiæ propter Ammonium nuncupata & dicata ſint. Ego verò de mundorum numero nunquam affirmauerim tot eſſe: tametſi eam opinionem quæ plures vno, nec tamen infinitos ponit, ſed certos atque definitos, neutra earum à ratione alieniorem puto, cùm præſertim materiam naturà diſſipabilem & diuiduam intelligam, neque intra vnum conſiſtere, neque ratione refragante in infinitos progredi poſſe. Quod ſi quo alio in loco, hic certè academiæ imprimis memores ex animis noſtris credulitatem detrahamus, fidemque firmam, vt in loco lubrico & periculoſo in infinitate ſola teneamus. Quæ cùm dixiſſem, Demetrius, Rectè quidem Lamprias, inquit, ſuadet: multis enim modis Dij nos, non, vt Euripides ait, captionum, ſed rerum fallunt, cùm tantis de rebus velut ſcientiā complexi audemus pronunciare. Sed referenda nobis oratio eſt, vt idem ait, ad diſputationem initio ſuſceptam. Quod enim dictū eſt, diſcedentibus & relinquentibus oracula Dæmonibus, vt artificibus inſtrumenta, ea & ignaua iacere & mutà, maiorem quandam excitat diſputationem, quænam cauſa ſit atque vis, qua furoris inſtinctu adflatos, & viſionum impulſione præſagos reddunt diuinos atq; diuinas. Nec enim fieri poteſt, vt deſertionem cauſam eſſe ſtatuamus, cur oracula conticeſcant, niſi ſciamus, quo pacto Dæmones ijs præſideant, atq; ea ſua præſentia operoſa & fatidica reddant. Tum ſuſcipiens Ammonius, Aliud ne, inquit, arbitraris Dæmonas eſſe, quā animos, qui de Heſiodi ſententia circumeant aëre amicti? Quæ enim eſt hominis diſſimilitudo cum homine, vel tragœdiam, vel comœdiam agente, mihi eam habere diſſimilitudinem videtur animus cum animo, qui hac in vita corpore ſit indutus. Non igitur aut mirandum eſt, aut à ratione abhorret, animos in animos incidentes, futuri viſionem eis & imaginem

obiicere: velut inter nos non omnia voce declaramus, ſed & literis, & ſolo tactu & aſpectu, multa & præterita indicamus, & futura præſignificamus: niſi quid tibi Lampria videtur ſecus. Nuper enim ad nos cuiuſdam ſermone allatum eſt, te multa hiſce de rebus Lebadię in peregrinis diſſeruiſſe, quorum tamen nihil auctor ille exploratè certoq; memorabat. Atq; ego, Non ſanè mirum, inquam: multorum enim eodem tempore negotiorum interuentus & occupationum, quæ propter oraculum & ſacrificium incidebant, effecit, vt ſermo noſter diſiectus ſpargeretur, atq; diſſipatus. Et Ammonius, Atqui nunc, inquit, & auditores nactus es otioſos, & qui omni contentione remota, concertationiſq; ſtudio, venia autem, vt vides, & libertate omni ſermoni data, ad exquirendum diſcendumq; parati ſint. Eò me alijs adhortantibus cùm paululum reticuiſſem, Enimuerò nunc fortuna quadam, inquam, tute Ammoni, illi ſermoni, qui tum habitus eſt, principium ingreſſumq; præbuiſti. Nam ſi animi à corpore ſecreti, aut qui nunquam corporis participes fuerunt, de tua & diuini Heſiodi ſententia Dæmones ſunt, *Sancti, terricolæ, atq; hominum cuſtodia*, cur animos in corporibus incluſos ea virtute priuamus, qua dæmones futura prænoſcere, & prænunciare poſſunt? Neque enim veriſimile eſt poteſtatem vllam aut partem animis corpore exutis accedere, quàm antè non poſſederint, ſed ſemper eaſdem habere: verùm dum corporibus immixti ſunt, vitioſiores ac deteriores habere, partim etiam penitus exiles & latentes, partim infirmas & obſcuras, nec aliter quàm qui per nebulam aſpiciunt, vel in humore mouentur, in munere fungendo laborioſas atque tardas, magnam quandam eius, quod ſuum eſt, curam & recuperationem deſiderantes, eius quod fallit, detractionem & purgationem. Quippe quemadmodum Sol, non cùm effugerit nubes, tum demum ſplendore colluſtratur: ſed ſemper luminoſus eſt, tum autem nobis in nebula caliginoſus apparet, & obſcurus: Sic animus, non cum è corpore tanquã nube exceſſerit, diuinam vim vt aduentitiam acquirit, ſed ea nunc quoq; præditus, cæcus tamen quodammodo eſt: quòd cum corpore mortali confuſus atq; permiſtus ſit. Neque verò admirabile, aut incredibile debet videri, cùm ſi nihil aliud, in animo certè videamus, quantum opus memoria, quæ diuinationi è regione reſpondet, declaret præterita ſeruando atq; cuſtodiendo. præterita autem? imò verò præſentia. Nam quod fuit, nullum profectò eſt, nec vſquam extat, ſed actiones, ſermones perpeſſiones, tempore tanquam fluctu rapiente ſimul ac ortæ ſunt, intereunt: at hæc animi vis, neſcio qua comprehenſione ea, quæ præſentia non ſunt, viſo quodam conformat, & tanquam in rerum natura ponit. Nam quod oraculum Theſſalis de Arna editum eſt, dicere iubebat: *Quis ſurdi auditus, quæ viſio cæci:* at memoria nobis ſurdarum rerum eſt auditus, cæcarumq; aſpectus. Quamobrem non eſt, vt dixi, mirandum, animum, cùm quæ iam non ſunt complectatur, multa quæ nondum facta ſunt, antecapere: quippe cùm hæc magis ei affinia ſint, & ab his cognatione quadam & conſenſu afficiatur. In poſterum enim incumbit, & ſe applicat, & à præteritis & finem adeptis, præterquam recordando ſeſe remouet. Cùm igitur hæc vis animis natura inſita ſit, etſi obſcura & ad viſorũ informationem difficilis: tamen in nonnullis animis, tum in ſomniis, tum in ſacris effloreſcit, & exuſcitatur, cùm vel corpus integrum ac purum eſt, vel temperamento quodam ad id apto viget, aut cùm ratione & cogitatione relaxata, & à rebus præſentibus liberata & auocata, pars ea, quæ ratione vacat, & viſis pellitur, in futurum intenta eſt. Non enim, vt Euripides ait, *Benè qui coniiciet vatem hunc perhibebo optimum*, ſed hominem dicam non imprudentem, qui eius animi partis, quæ ratione prædita eſt, & probabili argumento ducit, viam ſequatur: at verò illa animi pars, in qua diuinatio viget, tanquã codicillus, ſuapte natura, illiterata eſt, & rationis ac determinationis expers: quæ cùm fungendo viſiones recipiat & præſentiat, ſine ratiocinatione vlla futurum auguratur, cùm à præſenti maximè receſſit. Recedit autem, cùm ea eſt corporis temperatio & habitus, vt immutetur in eum, quem inſtinctum afflatumq; diuinum vocamus. Ac eo quidem modo ſponte naturæ ſæpè corpus conſtitutũ & affectum eſt: at verò terra cùm aliarum multarum poteſtatũ fontes hominibus aperit, qui partim mentem è ſua ſede & ſtatu demoueant, morbos & lethum inferant, partim commodi ſint, iucundi, vtiles, vt, qui experiuntur, ſentiunt: tum verò diuinationis æſtus & halitus diuiniſſimus & ſanctiſſimus eſt, ſiue per aërem ſolus, ſiue cum humore ſcantente tollatur. Nam infuſus corpori, inſolitam quandam & inuſitatam temperationem affert, cuius proprietatem liquido explicare difficile eſt, multis tamen modis, vt de eo ſuſpicemur & coniiciamus, ratio ſuppeditat. Veriſimile eſt enim, calore & diffuſione ab eo foramina quædam aperiri, in quibus vis inſit, quadam impulſione futurum præſagiens: quemadmodum vinum excitatis vaporibus cùm alios multos impetus ciet, tùm reconditos animi ſenſus & latentes detegit. Bacchatio enim & inſania, vt Euripides ait, multũ diuinationis habet, cum animus concalefactus & inflammatus timorem expulit, quem prudentia mortalis ſecum trahens, ſæpè diuinum inflatum auertit, atq; reſtinguit. Non temerè forſitan quis etiã dicat, vi ſiccitatis cum calore in corpus inſinuantis ſpiritum ſubtilem, ætherium, purumque reddi. Splendor enim ſiccus, vt Heraclitus ait, animus eſt ſapientiſſimus: at humor non tantum oculos & aures obtundit, verum etiã contagione ſui, ſpeculo nitorem, aëri ſuffuſione ſui, lucem eripit. Contrà etiam fortaſſe fieri poteſt, vt ſpiritus refrigeratione & concretione, tanquã quadam ferri tinctura, pars illa animi, quæ præſagit in nobis, exoriatur, aciemque ducat. Quin etiam vt ſtanno illiquefacto æs rarum & crebris foraminibus laxum, eadem opera ſimul adſtringitur atq; denſatur, ſimul ſplendidius atq; nitidius redditur: ita nihil prohibet, à diuina illa aſpiratione, quiddam affine & cognatũ animis noſtris habente, quæ laxa raraq; ſint, expleri, & apta inter ſe contineri. Nam alia aliis accommodata ſunt & idonea, velut purpuræ colorem faba, cocci nitrum, ſi miſceantur, elicere & ducere videntur: atque, vt Empedocles ait, *Glaucus miſcetur byſſo crocus.* De cydno quidem & ſacra Apollinis ſeceſpita, quę Tarſi eſt, te, Demetri, narrante, accepimus, ab illo fluuio ferrũ illud valentius tergi, neq; alia aqua, quàm illa mundari: quemadmodum Olympiæ cinerem adfingunt atq; obducunt aræ, aqua Alphei infuſa glutinantes, cùm ex alio flumine id tentantes, cinerem cogere & agglutinare non poſſint. Quamobrem mirandum non eſt, cum è terra multa effluant, ab his ſolis animum furibundum reddi, & futuri imagines concipere: ſed & ſine controuerſia huic rationi fama ſuffragatur. Produnt enim vim eius loci tum primùm cognitam fuiſſe, cum eò forte fortuna paſtor quidam incidiſſet, furenteſque voces edidiſſet, quibus primum ab





eis, qui aderant, contemptis, poſtea autem, quæ ille prædixerat, euentus fide teſtatis, admirationem eſſe ſequutam: ac Delphorũ eruditiſſimi, nomen quoq; hominis Coretam fuiſſe memorant. Autem maximè videtur animus cum diuino anhelitu ſic temperari atque cohæreſcere, vt aſpectus cum lumine conſentiente atque congruente. Nam cùm oculus cernendi vi præditus ſit, non tamen ad ſuum munus fungendum ſine lumine aptus eſt: itidem ille tanquam animi oculus diuinationis particeps, re aliqua accommodata indiget, qua exacuatur & exuſcitetur. Itaque multi maiorum noſtrorum Apollinem & Solem vnum & eundem Deum eſſe credebant: qui autem bellam illam & ſapientem analogiam callent atque colunt, quam comparationem corpus cum animo, aſpectus cum mente, lumen cum veritate habet, eandem eiſe in vi Solis proportionem cum Apollinis natura comparatam cenſebant, ab hoc, qui ſemper eſt, illum, qui ſemper gignitur, generari propagariq; exiſtimantes. Sol enim in ſenſu, deſpiciendi vim accendit, promouet, & excitat: in animo diuinationem Apollo. Qui autem opinantur vnum & eundẽ Deum eſſe, meritò Apollini & Terræ commune oraculum tribuunt, vt qui exiſtiment, à Sole affectionem illam & temperationẽ ingenerari terræ, vnde diuinus anhelitus emittatur. Ipſam igitur terram, quemadmodum Heſiodus rectius quàm nonnulli philoſophi ſentiens, firmum omniũ ſolum appellauit, item & nos ſempiternam illam quidem eſſe & interitus expertem exiſtimamus: eius tamen poteſtates alijs locis aboriri, alijs oriri, aliunde demigrare, aliò immigrare veriſimile eſt, & huiuſmodi vices in ea ſæpenumerò toto æuo quodam orbe volui, vt ex ijs, quæ videmus, coniectura capi poteſt. nam lacus, & amnes, & verò ſæpius aquæ calidæ alibi deficiunt, & in totum pereunt, alibi tanquam aufugiunt & obliteſcunt: deinde longo poſtea temporis interuallo, vel ijſdem, vel propinquis locis ſcatere cernuntur: metalla etiam euaneſcere non mirum, vt argenti venas in Attica, & æris in Eubœa, vnde fabricabantur durati aquæ rigore gladij, vt Æſchylus ait, *Aciem rigentem is enſis Euboici capit*: nec ita ſanè pridem vena illa Caryſti molles lapidum glomos, qui in licia deducerentur, ſuppeditare deſijt. Nonnullos enim veſtrum arbitror, mantilia, plagulas, retia, ex ea materia texta vidiſſe, quæ neq; amburerentur, & ſi vſu ſorderent, in flammã coniecta nitida & ſplendida referrentur. Nunc obſoleuit, & vix tanquam fibræ quædam & capillamenta tenuia in illis metallis intercurrunt: atque horum quidem omnium Ariſt. in terra effectricem eſſe tradit exhalationem, qua cùm tales naturas pariter deficere, locum mutare, contraq; tanquam effloreſcere neceſſe ſit. Idem igitur, de anhelitu, quo ad diuinationem inflamur, ſentiendum eſt, in eo non eſſe vim ſempiternam & ſenij expertem, ſed viciſſitudini & mutationi obnoxiam. nam & imbribus immenſis extingui probabile eſt, & fulminum iactu diſſipari potiſſimùmque cùm terra mouit, & altè facta labe deſedit, & in imo ſequuta conturbatio eſt, exhalationes locum mutare, aut penitus excæcari, vt hic extare magni terræ motus veſtigia narrant, qui etiam vrbem euerterit. Orchomeni dicunt, graſſante peſte multos interijſſe mortales, ac tum oraculum Tireſiæ in totum extinctum eſſe, & ad hanc diem ignauum mutùmque permanſiſſe. Idém ne verò Ciliciæ oraculis acciderit, vt fando audiuimus, nemo te, Demetri, nobis melius narrauerit. Et Demetrius, Haud equidem, inquit, qualia nunc illa ſint, ſcio: iampridem enim, vt ſcitis, à patria peregrinor. Illic autem cùm eſſem, etiam tum Mopſi & Amphilochi opertum vigebat: ac quiddam de Mopſo maximè admirandum commemorare poſſum. Ciliciæ præſes, vt infirma perfidia eſt (ſceleratus enim erat, & nefarius) de Dijs immortalibus dubius animi & incertus hærebat. Is cùm haberet circum ſe quoſdam Epicureos, qui bella illa naturæ ratione freti rebus huiuſmodi, vt ipſi loquuntur, illudunt, libertum vt in hoſtium regionem ſpeculatoris ornatu mittit, cum obſignata tabella, in qua nemine conſcio ſcripta interrogatio erat: qui cùm in delubro incubuiſſet, vt conſuetudo eſt, & obdormiſſet, vbi illuxit, tale ſomnium renuntiauit, viſum ſibi eſſe hominem videre coràm formoſum, qui tantum loquutus nigrum, nihilque præterea, continuò diſceſſiſſet. Id verò nobis omnibus abſurdum videri, & magnam dubitationem afferre. Præſes autem perculſus, admirari, venerari, reſignataque tabella interrogationem ita ſcriptam nobis oſtendere: vtrum tibi candidum bouem an nigrum immolabo? Quo factum eſt, vt & Epicurei erubeſcerent, & ille ſacrificium illud faceret: perpetuoq; Mopſum coleret. Quæ Demetrius cùm dixiſſet, ſiluit. Ego verò hic cùm vellem ſumma quadam concludere diſputationem, ad Philippum & Ammonium, qui vnà ſedebant, fortè reſpexi. Itaq; vt viſi ſunt aliquid diſſerere velle, me retinui. Atque Ammonius, Habet, inquit, Lampria Philippus, quod de ijs, quæ dicta ſunt, loquatur: exiſtimat enim ipſe, vt & plerique, Apollinem non diuerſum à Sole Deum eſſe, ſed eundem, mea autem maior eſt dubitatio, maioribuſque de rebus inſtituitur. Modò enim neſcio quo pacto diuinationem à Dijs remouimus, & in Dæmonas apertè amandauimus: nunc eos hinc exigere & expellere videmur, cùm principium diuinationis, atque adeò naturam & vim in oraculo & cortina ad ſpiritus vapores expirationéſque referamus. Quam enim diximus temperationem, calorem, & tanquam ferro tingendo conceptam aciem atque firmitatem, quanto magis animos à Dijs abducunt, & talem quandam cauſæ excogitationem inducunt? quali facit vti Cyclopem Euripides:

*Tellus coacta ſeu velit ſeu deneget,*
*Pecus ſaginat graminis fœtu meum.*

Verum negat ille quidem ſe Dijs immolare. ſed ſibi ſoli, & maximo Dæmonũ ventri: nos autẽ qua tandem mente, quo conſilio ob oracula, Dijs victimas cædimus, Deos precibus veneramur, ſi in ſeipſis animi diuinationem gerunt, quam animabilis quædam temperatio aut flabilis excitet. Iam antiſtitarum conſtitutio quid ſibi vult? quid quòd ſors non editur, niſi hoſtia toto corpore, dum libamentis mactatur, ab imis vſque articulis ſuccutiatur & contremiſcat? Neque enim ſatis eſt quaſſari caput, vt in alijs ſacrificijs, ſed omnibus pariter artubus tremorem oportet cum trepido ſtrepitu agitationeq; inceſſere. Quod ſi non fiat, oracula negant ab operto reddi, nec introducunt Pythiam: atqui veriſimile eſt eos, qui iſta faciunt, & ex ritu obſeruant, Deo, aut Dæmoni maximam cauſam adſcribere: vt autem tute dicis, non eſt veriſimile. Quippe cùm aſpiratio ſiue hoſtia tremat, ſiue non tremat, pręſens adflatum allatura ſit, & eodem modo

animum adfectura, non Pythiæ ſolùm, verùm qualecunq; etiam corpus attingat. Itaque ſtultum eſt vna muliere ad oracula vti, eique negotia exhibere, iniungenda perpetuæ caſtitatis conſeruatione & incorruptæ puritatis. præſertim cùm Coretas ille, quem primum Delphi ferunt in oraculum incidiſſe, virtutémque loci hominibus indicaſſe, nihil à reliquis caprarijs & opilionibus differret, ſi modò id fabuloſum non eſt, nec fictum, vt mihi quidē videtur. Cùm enim mecum reputo, quas vtilitates hoc oraculū Græcis attulerit in bellis gerendis, in oppidis condendis, in peſtilentia, in annonæ penuria, iniquum eſſe iudico fortunæ caſusq; temeritati, non prouidentiæ ac numini, eius inuentionē primordiumq; attribui. Aduerſus, inquit, iſta velim Lamprias diſſerat: ac obſecro, Philippe, expectes. Et Philippus: Ego verò, inquit, ac libenter quidem, adeoq; omnes iſti. Nos enim omnes oratio tua commouit. Tum ego Philippū compellans: Me, quidem, inquam, Philippe, non ſolùm commouit, verùmetiam planè conturbauit, præſertim cùm in hoc veſtro tot tantorumq; hominum conſeſſu videar quadam orationis probabilitate præter ætatem inſolenter me venditans, aliquid ex ijs labefactare & conuellere, quæ verè pieque de Deo ſentiuntur: reſpondebo tamen, Platonemq; teſtem & patronum adhibebo. Vir enim ille priſcum Anaxagorā reprehendit, quòd naturalibus cauſis nimis implicatus, & effectus, qui perpeſſiones & functiones corporum neceſſariò conſequuntur, perſequens & exquirens, finem & efficientem, quæ præſtantiores cauſæ ſunt & principia, prætermiſerit. Ipſe autem vel primus, vel certè Philoſophorū vnus maximè, vtraſq; cauſas perſequutus eſt, vt qui Deo principiū attribuat eorum, quorum molitio ratione conſtat, nec materiam tamen ſpoliet cauſis operi neceſſarijs, ſed intelligat iſtam aſpectabilis huius vniuerſitatis deſignationem, nec puram, nec ſynceram eſſe, verum materia rationi copulata & coniuncta ortum adeptam. Ac primum in opificijs, ne longè abeas, vidés ne vt hic celebris illa crateræ ſedes & natura, quam Herodotus Hypocrateridium appellauit, cauſas habet materiales ignem, ferrum mollitudinem ab igne, à lacu tincturam, quę ſi deſint, opus non fuerit? cùm principium tamen etiam præſtabilius, quod ea moueret, & eorum ope aliquid molliretur, ars & ratio operi tabuerit. Atqui imitatis iſtis & effictis ſimulachris, auctor & artifex inſcribitur:

*Excidium hac Thaſius Troianum pinxit in æde*
*Patre Polygnotas Aglaophonte ſatus.*

vt eum ſanè pinxiſſe conſtat: non tamen abſq; pigmentorū coloribus ſimul tritis & inter ſe contaminatis fieri poterat, vt pictura eum habitū ſpeciemq; haberet. vtrum igitur qui materiale principium attingat, qui exquirat & doceat eas perpeſſiones & mutationes, quas ſinopis cum ochra miſta, cum atramento melinum temperatū ſuſcipiat & ſubeat, de Polygnoti gloria detrahat? Qui porrò, vt ferrū aciem & mollitudinem ducit, diſſerat, quòd igni ſcilicet remiſſum & ſolutū ducentibus & tundentibus morē gerat, deinde in frigidā merſum recentem & frigore ob exortam ab igne teneritatem & laxitatem conſtrictum & compreſſum, firmitatē & rigorem acquirat, quod Homerus appellat ferri robur, idcircó ne minus artifici cauſam operis ſeruet? equidē non cenſeam. Nam & medicæ materiæ aliqui vires explorant & probant, nec tamen medicinā euertunt. Deniq; nos Plato videre cùm cenſet oculi fulgore cum Solis luce quadā temperatione confuſo: audire aëris plaga, non inficiatur nos ratione, & prouidentiæ conceſſu ac munere vim audiendi & deſpiciendi conſecutos eſſe. In ſumma cū, vt dico, omnis procreationis duæ ſint cauſæ, priſci illi theologi & poëtæ ad præſtantiorē ſolam animū adiecerunt, peruagatum illud rebus omnibus accinentes,

*Principium, mediumq; Iouis, Ioue cuncta creata:*

ad naturales & neceſſarias cauſas non itē acceſſere: ijs poſteriores, qui phyſici vocati ſunt, contra quā illi, à præclaro diuinoq; primordio digreſſi, in corporibus & corporū affectionibus ſummā poſuerunt: quorum vtrorumq; ratio inchoata eſt, neq; ſuos numeros habet, cùm alteri, cuius vi & à quo, alteri, ex quibus & per quæ quæq; oriantur, vel ignorent, vel prætermittant: qui autem primus vtranq; cauſam perſpicuè & planè attigit, & rationeagenti cientique, neceſſariò quòd acciperet & fungeretur ſubiecit, is omnem etiā pro nobis ſuſpicionem & calumniā diluit. Non enim diuinationem Deo rationeq; ſpoliamus qui quidē materiam ei humanū animum, ſpiritū autem furore inſtigantem & anhelitum, tanquam inſtrumentum & ſtimulum attribuimus. primùm quidē cùm generet illas expirationes ipſa terra, ſol omnē terræ temperationis & mutationis cauſā affert, qui maiorū ritu & inſtituto Deus eſt. Deinde genios lareſq; cū præfectos circitores, cuſtodes relinquimus qui hanc temperationē, tanquā modulatam & numeroſam concentionem, pro re intendant & remittant, & effrænatiorem eius impetū ac perturbatiorem moderentur & regant, innocuam autem ſine offenſione vlla impulſionē vtentibus adhibeant, nihil à ratione alienū, aut factu nefas facere videmur: neq; verò antè ſacrificando, neq; infulis vittiſq; victimas coronando, neq; libamentis mactando, contra rationem iſtam facimus. Nam ſacerdotes, & qui hoſtiā ſe ſacrificare dicunt & immolare, eiuſq; motum & horrorē obſeruare, idcirco iſta faciunt, vt Deus reſponſa edat. Victimā enim ſacro aptam, eſſe oportet & animo & corpore, purā integram incontaminatam. Quarum rerū documenta in corpore peruidere non eſt perdifficile: at animā explorant, in tauris polenta, in capris cicere adpoſito: ſi enim non guſtent, ſana eſſe non putant. Capram frigida deprehendit, quòd animi non ſit, vt natura fert, conſtituti, cùm inuergitur humor, nihil affici nec commoueri. Ego verò, vt pro certò conſtet argumentū eſſe Dei vaticinaturi, immolationem litatam eſſe, contra non litatā non vaticinaturi: non tamen video quid iſtud officiat ijs quæ diximus. vis enim omnis melius vel deterius in tempore, id quod valet, efficit & præſtat: occaſioniſq; præteritæ Deū ſigna quædam dare veriſimile eſt. Quare non putē eundem ſemper habitum eſſe reſpirationis illius, ſed interdū remitti, interdum incitari. atq; eius rei argumentū, quo nitor, teſtatum eſt, & multorum exterorū fide, & eorum omniū auctoritate, qui delubrum hoc colunt. Nam cella, in qua conſultores oraculi ſedere iubent, nec ſæpè, nec ſtato tempore, ſed incertis vtcunq; interuallis fragrantia repletur & aura, qualem ſuauiſſima & precioſiſſima vnguenta ex adyto tanquā fonte effunderent. Eam enim veriſimile eſt, aut calore, aut alia quapiam inoleſcente vi foras efferri. Quòd ſi cui iſtud fortè probabile non videtur, at certè Pythiam alias aliter ac diſſimiliter affectā habere eam animi partem, ad quam adflatus pertinet, nec vnum ſemper temperamentum, quaſi concentum immutabilem, omni tempore retinere





tinere confiteamini. Nam cùm multæ ſentienti, tum verò multo plures cæcæ & obſcuræ corpus ſollicitant, & in animum clam influunt moleſtiæ & impulſiones, quibus oppletam illuc ire non retulerit, nec ſe Deo dare, non omni præſertim ex parte puram, tanquam inſtrumentum conſtructum & ſonorum, ſed perturbationis tumultuſque plenam. Nec enim vinum ſemper eodem modo ebrioſum afficit, nec tibia fanaticum: ſed ijdem modò remiſſius, modò vehementius, vel ad bacchationem incitantur, vel ad temulentiam impelluntur, temperamento in ipſis mutato. Imprimis autem pars illa animi, quæ viſis pellitur, corporis mutationibus obtemperare, atque pariter commutari videtur, vt ex ſomnijs perſpici poteſt. Interdum enim fit, vt in multis & varijs ſomniorum viſis verſemur, interdum vt perpetua ſit ab ijs tranquillitas & quies. Cleonem quidem iſtum Daulienſem nouimus, qui multis annis, quibus vixit, nullum vnquam ſomnium ſe vidiſſe affirmat: quod etiam ex antiquioribus de Thraſymede Heræenſi memoratur. In cauſa eſt corporis temperatio: contrà melancholici inſomnioſi ſunt, multæq; eis viſorum imagines obuerſantur: quanquam videntur eorum ſomnia pleruńq; veraciora. Alio quippe atq; alio ſubinde ea cogitatione, quæ conformationes & imagines effingit, conuerſa, vt qui multum iaculantur, ſæpè collimant. Cùm igitur pars ea, quæ viſis pellitur & diuinat, probè affecta eſt ad adflatus, tanquam medicamenti, temperationem, tum in vatibus diuinum furorem generari neceſſe eſt: ſin ſecus, vel non oriri, vel oriri tumultuoſum, importunum, turbulentum, vt cognouimus in Pythia, quæ nuper mortua eſt. Nam cùm exteri quidam ad oraculum veniſſent, victimam ferunt primas libationes inconcuſſam, nihilq; commotam pertuliſſe: deinde ſacerdotibus certatim vrgentibus modumque tranſeuntibus, vix tandem latice obrutam & inundatam ceſſiſſe. Quid igitur accidit Pythiæ? nempe inuita, vt narrant, nec alacris ad opertum deſcendit: ac ſtatim in primis reſponſis ex aſperitate vocis perſpectum eſt afflatui imparem eſſe, cùm more nauis properè currentis, muto & improbo ſpiritu abundaret: demum penitus conſternata, & cùm horrendo clamore in exitum properans, ſeſe abiecit, vt non ſolùm, qui ad oraculum conſulendum venerant, ſed etiam antiſtes Nicander, & quicunq; ſancti aderant, fugerent. Eam tamen paulò pòſt ingreſſi ſuſtulerunt reſipiſcentem & mentis iam compotem, dieſq; paucos ſuperuixit. His de cauſis Pythiæ corpus à rebus venereis caſtum, & totam eius vitam prorſus à contagione & commercio alienigenarum remotam cuſtodiunt, & ante oraculum ſigna capiunt, Deo notum eſſe exiſtimantes, ecquando probè conſtituta & affecta ſit, vt furoris afflatum ſine noxa excipiat. Neq; enim omnes, neq; eoſdem eodem ſemper modo adficit adflatus, ſed tanquam fomitem & principium præbet, vt diximus, ijs, qui ita comparati ſunt, vt ſint ad perpeſſionem & mutationem accommodati. Ac vis eſt illa quidem adflatus planè diuina, non tamen inexhauſta, nec interitus & ſenij expers, nec perennis infinito tempore, cui omnia inter Lunam & Terram interiecta noſtra ratione ſuccumbunt: nec deſunt, qui ſumma illa cæli templa ætatem non ferre prædicent, ſed æternitate æui infiniti tandē fatigata & deficientia, celeriter immutari atq; renouari cenſeant. Hæc & mihi & vobis magnoperè auctor ſim, vt ſæpè, etiam atq; etiam conſideremus, cùm præſertim multas reprehenſiones habeant, ſuſpicioneſque, quæ in diuerſum ferant, quas non eſt operæ nunc omnes perſequi. Quare & hæc differantur, & quæ Philippus de Sole & Apolline addubitat.

# ADRIANI TVRNEBI IN EVNDEM LIBRVM DE DEFECTV ORACVLORVM, ANNOTATIONES.

AQVILAS) Credidit antiquitas Delphos orbis terrarum medium eſſe, qua ex opinione ab Ouidio ſcriptum eſt,

*—— & orbe*
*In medio poſiti caruerunt præſide Delphi.*

& ab auctore obſcœni carminis,

*Pallas Cecropias tuetur arces,*
*Delphos Pythius orbis vmbilicum.*

Huic famæ accedebat fabula, quam interpres Pindari refert, Ioui cupiditatem inceſſiſſe medium terrarum metiendi: itaque eum dimiſiſſe duas aquilas, paris celeritatis (alij, quemadmodum Strabo ſcribit, coruos dixerunt) vnam ab ortu, alteram ab occaſu, quæ Pythona concurrerint: in eiuſque rei argumentum aureas duas aquilas illic poſtea dicatas eſſe. Pauſanias ſcribit, qui à Delphis appellatur vmbilicus, eum è lapide candido factum eſſe, & à Delphis medium terræ cenſeri. Ita veteres vmbilicum Delphos dicebant, & locum quendam Delphis. In vetere Poëta, qui ſcripſit,

*O ſancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines:*

reprehenduntur leuiter à Varrone quidam, quòd vmbilicum dicerent ab vmbilico noſtro dictum, quòd is medius locus terrarum ſit, vt vmbilicus in nobis: quod vtrunque ait Varro falſum eſſe, quòd neque is locus medius terrarum ſit, neque noſter vmbilicus hominis medius: ſed Delphis in æde ad latus foraminis eſſe quiddam, vt theſauri ſpecie, quod Græci ὀμφαλὸν dixerunt, id eſt vmbilicum. attamen vt verum ſit, quod Varro ait, vetuſtas credidit Delphos eſſe terrarum medium, vt ex ijs quæ poſui, apparet: ſed & ex Liuio ſic ſcribente, *Verum etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum Galli ſpoliauerunt: & locum quendam præterea illic* ὀμφαλὸν *appellauit.*

*Epimenidem*) qui parum tribuebat diuinationi, cùm tamen ipſe vates eſſet, verùm non de futuris vaticinabatur, ſed de præteritis, quæ obſcura & ignota aliis eſſent. Ariſtoteles, ἐκεῖ δὲ περὶ τὸ γεγονὸς, ὃ ἐπιστὸν ἤδη καὶ τοῖς μάντισιν, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ κρής. ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν ἀδήλων δέ. Paulò pòſt in Codice Græco lego, καὶ τῷ πλείονα. rurſum, τὸν ὕστερον τοῦ φράζοντος, non

τὸν ἕτερον: præterea καὶ γέλοιον φάντος cenſeam legendum, non ἀφέντος. mox etiam, ἐμφύεσθε, non ἐμφύεσθαι. Hic tamen non conſtitui codicem Græcum emendare, niſi paucis admodum locis: nam omnium emendatio maioris eſſet operis.

*Nouaculam*) Locum ſignificat, vt reor, qui apud Homerum Iliad. κ. extat, νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς. Locus proximus de fœnore extat lib. 3. ὀδυσσείας, quo ex poëtæ loco Plutarchus ita emendandus eſt, ὅτι τοῦ χρείος ὀφέλλεσθαί φησιν ἔτι νέον ἠδ' ὀλίγον περ, ὡς τοῦ ὀφέλλεσθαι τὸ αὔξεσθαι δηλοῦντος.

*Citam*) Variè θοὴν νύκτα Grammatici exponunt, quidam quietam, quia membra deponunt ſomno animantia, à θῶ, quod eſt pono: alij velocem explicant, à θέω, curro, quòd nobis non ſentientibus & dormientibus citò præterire videatur. Alij citam, acutam & faſtigiatam per metalepſin interpretantur: quam ſententiam hic commemorat Plutarchus, quòd vmbra terræ, quæ nox eſt, in metam ſe colligat: ſed & alio in loco idem ſcribit, καὶ τῆς σκιᾶς αὐτῆς λεπτὸν ὂν τὸ ἄνω καὶ στενὸν, οὐδὲ Ὅμηρον, ὥς φασιν, ἔλαθεν, ἀλλὰ τὴν νύκτα θοὴν, ὀξύτητι σκιᾶς προσηγόρευσεν. id eſt, & ſummum vmbræ eius tenue & anguſtum eſſe, ne Homerum quidem latuit, vt aiunt, ſed noctem citam ob acumen vmbræ appellauit. Crates citam ſimpliciter accepit, quod vt Sol celerat, ita nox è regione properet. Locus Homeri eſt Iliad. κ.

Ἤν ὤγει δὲ μ' ἰόντα θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν. & Odyſſ. μ.
Ἀλλ' αὔτως διὰ νύκτα θοὴν ἀλάλησθ' ἀνώγεις.

*Congium vel heminam*) Ptolemæus, Proculus, Cleomedes ſcribunt, veteres magnitudinem Solis eſſe menſos clepſydris, obſeruatis aquæ cyathis, qui fluxiſſent, dum ſe proferret ſuper finitorem Sol, & qui fluxiſſent, dum circumacto orbe ad alterum ortum veniſſet. Ita enim cyathorum numero inito, & comparatione perſpecta, eos collegiſſe quota eſſet Sol orbis ſui pars: hoc tamen genus menſuræ non probat Ptolemæus.

*Laterculum*) Nomen habet hoc inſtrumentum à parui lateris figura, quæ quadrata eſt, procerior tamen, cuius formæ quadrantes ad horarum inueſtigationem inumbrantur à Mathematicis. In eo laterculo linea quædam, vt ex Vitruuio cognoſci poteſt, planities dicebatur, in quam incidebat æquinoctialis vmbra, index eleuationis cardinis Septentrionalis. Nam cùm ex ea vmbra declinatio æquinoctialis intelligatur, etiam eleuatio Septentrionis eadem opera cognoſcitur, cum radio æquinoctiali ad rectos angulos reſpondeat axis mundi. Ptolemæus laterculo explorat declinationes Solis brumam verſus & ſolſtitium lib. primo Magnæ conſtructionis. Laterculum etiam Plautus pro panificio quodam quadrato operis dulciarij poſuit a forma. Eius verba ſunt,

*Nil niſi laterculos,*
*Seſamum, papauerem'q;, triticum & frictas nuces.*

*Syenæ*) Plinius: *Simili modo tradunt in Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, Solſtitij die medio nullam vmbram iaci: puteumq; eius experimenti gratiâ factum, totum illuminari, ex quo apparere tum Solem illi loco ſupra verticem eſſe.* Idē & à Strabone refertur lib. decimoſeptimo. Sed & illud Maronianū,

*Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas,*

quidam de eo puteo expoſuere. γνώμονα dixi Solis vmbilicum, Plinium ſecutus qui ita ſcribit: *Solis itaque vmbilici (quem gnomonem appellant) vmbra, & cætera.*

*Ignis colitur*) In Prytaneis, quæ erant, vt interpretatur Liuius, vrbium penetralia, ignis perpetuus & inextinctus erat. Suidas πρυτανεῖον πυρὸς ταμεῖον, ἔνθα ἦν ἄσβεστον πῦρ, καὶ ηὔχοντο.

*De oraculo potius*) Ammonis oraculum erat olim, vt Mella ſcribit, fidei inclytæ, vbi reſponſa oratione non dabantur, vt Delphis, quemadmodum ſcribit Strabo, ſed nutu & ſignis: qui & oracula minore in dignatione fuiſſe ex eo dicit, quòd Romani, qui rerum potiebantur, alia diuinationis genera colerent ex auibus, extis, libris Sibyllinis.

*Quàm Lebadiæ*) Græcè legendum eſt, ἢ ἐν Λεβαδίᾳ ἢ Βοιωτίᾳ, in Euſebio legitur, ἢ περὶ Λεβαδίαν. erat autem Lebadiæ Trophonij oraculum.

*Atque vtriuſque fidem*) Hic miſerè deprauata ſunt verba Græca, vt intelligi nequeant: voluiſſe tamen Plutarchum dicere exiſtimo, oraculum barbaris barbara voce editum fuiſſe, ita vt ab antiſtibus & flaminibus non intelligeretur, qui barbarè neſciebant. Id quod hic Plutarchus de Amphiarai oraculo refert, Pauſanias narrat de oraculo Apollinis Ptoi: eius verba adſcribam. μαντεῖον ἦν αὐτόθεν ἀψευδές. καὶ ποτε ἄνδρα Εὐρωπέα, ὄνομα δὲ οἱ εἶναι Μῦν, τοῦτον ἀποσταλέντα ὑπὸ Μαρδονίου τὸν Μῦν ἐπερέσθαι τῇ φωνῇ τῇ σφετέρᾳ, καὶ οἱ χρῆσαι τὸν θεὸν, οὐχ ἑλλάδι φωνῇ, ἀλλὰ τῇ αὐτοῦ διαλέκτῳ τῇ βαρβαρικῇ id eſt, oraculum erat illic minimè mendax, atque aliquando hominem Europeum nomine Mun, à Mardonio miſſum, oraculum conſuluiſſe ſua voce, eique Deum reſpondiſſe, ne ipſum quidem Græcè loquentem, ſermone barbarico. Proinde legendum in Plutarcho puto, ἀποπειρᾶσθαι μὲν, ὡς ἔοικεν ἀμφοτέρων, ὧν ὁ μὲν τοῦ μαντείου προφήτης φωνῇ Αἰολίδι χρώμενος, τὸν πρὸς τοὺς τῶν βαρβάρων χρησμόν. ſed & paulò poſt lego ὁσίων παρόντων ἐκεῖνον. cùm præſertim ſcribat in huius libri calce Plutarchus, καὶ τὸν προφήτην Νίκανδρον, καὶ τοὺς παρόντας τῶν ὁσίων: & in Hellenicis ſcribat quinque ὁσίους fuiſſe Delphis perpetuos toto vitæ tempore, qui in rebus diuinis antiſtitem adiuuabant.

*Seculum*) Seculo nonnulli, vt Artemidorus ait, ſeptem tribuerunt annos: Zeno, vt ait Cenſorinus, xxx. Heraclitus, ſi Cenſorino credimus, xxv. annos. nam Plutarchus Heraclitum dicit xxx. annos dediſſe ſeculo: alij centum octo, vt Plutarchus hic ſcribit: quod autem Plutarchus ipſe dicit, nouum eſt & inauditum, ſeculo annum ſignificari. γενεὰ autem dicitur, quia orbis ætatis eſt triginta annorum ſpatium, vt Cenſorinus ſcribit. Orbis autem ætatis eſt, dum natura humana ad ſementem reuertitur.

*Ex vnitate*) id eſt ex vno, duobus, tribus, quatuor, nouem, octo, vigintiſeptem.

*Deflagrationem*) Stoici cenſent mundum longinquis temporibus modò eluuione perire, modò deflagratione, poſtea renouari: quam opinionem etiam nonnulli in Heſiodi & Orphei poëmatis & Heracliti libris nimis ingenioſa interpretatione reperire conabantur, & eam ſententiam illis auctoribus tribuebant, de qua nihil vnquam fortaſſe cogitarant. Locus proximus valde corruptus eſt, è quo ſenſum, quem potui, erui: puto tamen legendum in eo eſſe pro ἐπὶ τοὺς, ἐπ' ἐνιαυτούς: & mox, ὁ δὲ ἐνιαυτὸς & περιέχων.





*Olympicam tellurem*) Plutarchus in libro, qui inſcribitur περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης, Lunam terram eſſe diſſerit contra Peripateticos & Stoicos, vbi ne aſtrum quidem eſſe contendit. Illic etiam Olympicam terrā vocat his verbis, πολλοῦ δέομεν ἄνθρωποι τὴν σελήνην γῆν οὐ ζᾶν ὀλυμπίαν, ἄψυχον ἡγεῖσθαι σῶμα καὶ ἄνουν καὶ ἄμοιρον, ὧν ἀπάρχεσθαι θεοῖς προσήκει. habitari etiam: vt Cicero ait, Xenophanes in Luna putauit, eamq; terram eſſe multarum vrbium & montium: quod & Plutarchus ſcribit in eo lib. Cæterum in Plutarcho pro μικρὸν δὲ σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνιον, legendum cenſeam, μικτὸν δὲ σῶμα καὶ μίμημα δαιμόνων. ſi quis μικρὸν defendit, exiguum interpretetur.

*Cum capitis iactatione*) Codex Græcus ex ſeptimo Sympoſiacōn libro eſt emendandus, vbi integrior ſcriptura extat verborum Pindari, μανίαις τ' ἀλαλαῖς τ' ὀρινόμεναι. Libro tamen primo Sympoſ. legitur, vt hic, ἄλλαις τε, pro ἀλαλαῖς τ'. mox pro οὔτε μάχλῳ ἀνέχονται, lego οὔτε μάτῃ ἀνέχονται. ſed & pro καὶ ἐρχόμενοι καὶ ἐλαττοῦντες, ex Euſebio emendandum eſt, καὶ κατερχόμενοι καὶ σφάττοντες.

*Palma alter*) Nam ferunt Latonam prope oleam & palmam peperiſſe: Catullus, *Quam mater prope Deliam depoſiuit oliuam.* Homerus ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε. Tegyris autem prope riuos duos ita vocatos eam peperiſſe quidam cenſebant. Hic ex vetere libro in Plutarcho legendum eſt, θάτερον δ' ἐλαίαν καλεῖσθαι.

*Conciliabulum*) Habebant enim multi populi ſuos Delphis theſauros. Illic quoque locus quidam conciliabulum dicebatur. Sic verti λέσχην. eius loci ſic meminit Pauſanias, ἔστιν οἴκημα γραφὰς ἔχον τῶν Πολυγνώτου, ἀναθήματα μὲν Κνιδίων· καλεῖται δὲ ὑπὸ Δελφῶν Λέσχη, ὅτι ἐνταῦθα συνιόντες τὸ ἀρχαῖον, τά τε σπουδαιότερα διελέγοντο, καὶ ὁπόσα μυθώδη. id eſt, domus eſt picturas habens quaſdam Polygnoti, à Cnidijs dicatas: vocatur autem à Delphis Leſche, propterea quòd eò olim conuenientes, & ſeria & fabulas narrabant.

*Nec iterum Hercules*) Narrabant Delphi, vt Pauſanias ſcribit, Xenocleam Pythiam Herculi Amphitryonis filio oraculum conſulenti, reſpondere noluiſſe propter Iphiti cædem, ac eum Cortinam continuò rapuiſſe, & extra templum tuliſſe: Pythiam, id cùm videret, Herculi reſpondiſſe, eumque Cortinam repoſuiſſe. Poëtæ etiam Herculem cum Apolline de oraculo delphico pugnaſſe canunt.

*Deſine Deum irritare*) Apollinem intelligit, quem quidam Solem eſſe cenſent, alij Solis patrem, & dominum, qui ſub oculos non cadat.

*Pythicas pactus*) Hanc diſputationem fingit habitam Pythiorum tempore Plutarchus: eo autē tempore, etiam ſi bellum eſſet inter Græcos, vt illius celebritatis & ſacri participes eſſent, induciæ erant.

*A Dracone fœmina*) quam Græci Poëtæ δελφύνην appellauère: etſi etiam nonnulli maſculino genere.

*Euryclēas*) Eurycles, inquit Ariſtophanis interpres, ventriloquus fuit Athenis, qui vera hariolari cenſebatur, quòd genium haberet intra viſcera. Ab eo harioli ἐγγαστρῖται & εὐρυκλῖται vocabantur. Suidas, Eurycles, omnis ventriloquus, inquit, vocatur: ab Eurycle, qui talis hariolus fuit. Ariſtophanes mentionem eius his verſibus facit:

Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.

Nec verò tantùm homines ſic vocabantur, ſed etiam genij, qui ventres hominum ſubibant, vt in hoc Plutarchi loco. Mox neſcio quid tale deeſſe integritati ſententiæ in codice Græco videtur, ὁ γὰρ θεὸν ἐγκαταμιγνύς. ſed & paulò antè pro φασὶ, cenſui melius legi φημί. quòd ſi quis illud alterum probat, dicunt, interpretetur. *Poſtremò homines*) Plus eſt aliquanto in Euſebio, quàm in codice Græco Plutarchi: additur enim ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολὴν, τοῦ μὲν χρυσοῦ γένους, εἰς δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς τῶν δ' ἡμιθέων & cætera. quæ quidem interpretationi meæ expreſſa Latinè intexui. Paulo poſt autem pro ἀναλυομέναις τοῖς σώμασι, vide num ἐνδυομέναις melius legatur.

*Terna vireſcentum*) Verſus Heſiodi latinè ſic redditi ſunt:

*Ter binos deciēſque nouem ſuperexit in annos*
*Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum:*
*Hoc nouies ſuperat viuendo garrula cornix:*
*Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus.*
*Alipedem ceruum ter vincit coruus: at illum*
*Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales,*
*Quam vos perpetuo decies præuertitis æuo*
*Nymphæ hamadryades, quarum longiſſima vita eſt.*

Horum autem verſuum interpres, quem Virgilium nonnulli, alij Auſoninm fuiſſe dicunt, in Heſiodo non ἡβώντων, ſed γηράντων legit.

*Ad Tempe progreſſa*) Plutarchus in Hellenicis, tres Enneeteridas dicit à Delphis celebratas fuiſſe, Septerium, Heroida, & Charilan. Septerium imitatio erat pugnæ Apollinis cum Dracone, & fuga poſt pugnam ad Tempe. Nam Apollinem alij eò dicebant fugiſſe ad expiationem cædis, alij ſecutum eſſe Pythonem ſaucium & fugientem, ea via, quæ ſacra dicebatur.

*Alaſtoras*) Plutarchus in Hellenicis, ἀλάστωρ, inquit, κέκληται ὁ ἄληστα καὶ πολὺν χρόνον μνημονευθησόμενα δεδρακώς. ἀλιτήριος δὲ, ὃν ἀλεύασθαι καὶ φυλάξασθαι διὰ μοχθηρίαν καλῶς εἶχεν. i. Qui non obliuiſcenda, ſed diu memoriæ hæſura patrauit, Alaſtor appellatus eſt: Aliterius autem, quem vitare & cauere ob improbitatem & ſcelus conuenit. Ac de hominibus illic accipit Plutarchus, hic παλαμναῖοι & ἀλάστορες mali ſunt genij, illi à nomine παλαιὸς, quod eſt vetus: hi ab ἄληστος, quod eſt inoblitus, appellati. Latini eos genios ſæpè etiam appellant furias, laruas, intemperias, lemures.

*Empedoclis verſibus*) Verſus quidam Empedoclis referuntur de Dæmonum pœnis, quos ſubſcripſi:

Πόντος δὲ χθονὸς οὖδας ἀπέπτυσε, γαῖα δ' ἐς αὐγὰς

Ἠελίου

Ἠελίε ἀκάμαντος· ὁ δ' αἰθέρος ἔμβαλε δίναις·
Ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται, στυγέουσι δὲ πάντες.
Αἰθέριον μὲν γάρ σφε μένος πόντονδε διώκει.

Hunc Plutarchi locum citat Theodoritus in lib. de oraculis.

*Ad eum Philippus*) ex Euſebio perſonam inſerui. Itaque Græce legendum eſt, πρὸς αὐτὸν ὁ φίλιππος, ἀλλά.

*Democritus*) Eadem Democriti verba Plutarchus in vita Æmylij, ſtatim initio refert, quæ hic adſcribam: Δημόκριτος μὲν γὰρ εὔχεσθαί φησι δεῖν, ὅπως εὐλόγχων εἰδώλων τυγχάνωμεν, καὶ τὰ σύμφυλα, καὶ τὰ χρηστὰ μᾶλλον ἡμῖν ἐκ τοῦ περιέχοντος ἢ τὰ φαῦλα καὶ σκαιὰ συμφέρηται. id eſt, Democritus enim optandum eſſe dicit, vt ſimulachra fauſta nobis obtingant, & vt ex circuniecto aëre, ſecunda & felicia potius quàm dira & ſiniſtra eueniant. *Ad Palodes*) Trapezuntius in Euſebio, ſi libri non ſunt deprauati, vertit paludem: ego putem, παλῶδες verbum eſſe Doricum, & ſic illis in locis locum appellatum à cœno & luto, vt & Paxæ & Paxi Doricè vocantur à πήγνυμι, quòd, vt reor, illic ſcopuli ſint & cautes. Sed & quodam loco de quodam mari ſcribit Plutarchus hunc in modum, βραδύπορον γὰρ εἶναι καὶ πηλῶδες ὑπὸ πλήθους ῥευμάτων τὸ πέλαγος, quod etiam dicitur de mari ad oſtium Acheloi.

*Propter Britanniam*) Mella ſcribit Senam in Britannico mari eſſe Oſiſmicis aduerſam litoribus, Gallici numinis oraculo inſignem, cuius antiſtites perpetua virginitate ſanctas, numero nouem eſſe tradi, quas Galli Senas vocent. Sic in Pomponio lego, aut vt in ſcripto lib. Zenas, non vt vulgò Gallicenas. Ea inſula vna ex ijs fortaſſis eſt, quas hic memorat Plutarchus. Dionyſius Afer in illis inſulis à mulieribus ſacra Baccho fieri ſcribit:

Ἀγχι δὲ νησιάδων ἕτερος πόρος, ἔνθα γυναῖκες
Ἀνδρῶν ἀντιπέρηθεν ἀγαυῶν Ἀμνιτάων
Ὀρνύμεναι, τελέουσι κατὰ νόμον ἱερὰ Βάκχῳ.

Plutarchus in lib. περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης de inſulis iſtis Britannicis multa diſſerit, & in earum vna Saturnum vinctum eſſe ſcribit his verbis, ἐν ᾗ μιᾷ τὸν Κρόνον οἱ βάρβαροι καθεῖρχθαι μυθολογοῦσιν ὑπὸ τοῦ Διός. dicit autem ex eo mare Cronium eſſe vocatum, & incolas ſacros cenſeri, inſulamque eam eſſe egregia aëris temperie: Saturnum autem in antro profundo pumicis aurei dormientem teneri. eſſe enim ei ſomnum ab Ioue pro vinculo immiſſum: aues ambroſiam adferre, cuius odore totus locus flagret: Dæmonas famulos ei multos additos eſſe, à quibus obſeruetur, à quibus ei miniſtretur & ſeruiatur.

*Stoicos*) Stoicis in exuſtione Dij omnes præter Iouem moriuntur, & rerum vniuerſitas in vnum Iouem, id eſt, ignem tota mutatur. Ita non ſolùm Dæmonas mortales eſſe Stoici cenſent, ſed etiam Deos.

*Fabulam appellantes*) Velleius Epicureus apud Ciceronem de Nat. Deorum. Audite, inquit, non futiles commentitiáſque ſententias, non opificem ædificatoremque mundi Platonis de Timæo Deum, nec anum fatidicam Stoicorum πρόνοιαν, quam Latinè licet prouidentiam dicere.

*Vocem ſanctiſſimam*) Puto ſignificari Dæmonem. id eſt, quidni Dæmonas eſſe dicamus? Itaque hic legendum Græcè cenſeo, οὐδὲν συνεφέλκεται, non πολλά.

*Non ad permanſionem*) Eam eſſe puto ſententiam Plutarchi quam expoſui, vt codex Græcus caſtigandus ſit in hunc modum εἶναι ἀθάνατους λέγομεν, ὁ πρὸς. mox etiam caſtigo ἐπεὶ καὶ τῶν ζώων. Nam malè eſt & vitioſè, vt reor, in omnibus, θείων.

*Temperatus Crater*) Poſt conuiuium ſolebant Græci craterem in medio conuiuarum ponere, à qua conſuetudine illud Plutarchus in Sympoſio ſcripſit, ἀλλ' αἱ μοῦσαι καθάπερ κρατῆρα νηφάλιον ἐν μέσῳ προθέμεναι τὸν λόγον: & à Marone canitur,

*Poſtquam prima quies epulis, menſæq; remotæ,*
*Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.*

etſi aliter locus is à Seruio exponitur. Tum enim libatio fiebat remotis menſis, & inuitatio.

*Propter peregrinam pecunia*) Hos ſermones non multo pluris quàm pecuniam peregrinam, quæ non eſt tanti quanti vernacula, ſæpéque improbatur, fecerit, cùm rationibus nitantur parum firmis, multáque in diuerſum occurrant.

*Herbæ fructum*) Epimenides cibum quendam medicatum ſibi parabat, cuius exiguo momento ſe ſuſtinebat, vt Plutarchus in Sympoſio ſcribit, cuius verba ſunt, ἀφοῦν, ἔφη, καὶ τὸν ἑταῖρον ὑμῶν, Σόλωνος δὲ ξένον Ἐπιμενίδην, νόμος τις ἀπέχεσθαι τῶν ἄλλων σιτίων κελεύει, τῆς δὲ ἀλίμου δυνάμεως, ἣν ἠδέως αὐτὸς συντιθεὶς, μικρὸν εἰς τὸ σῶμα λαμβάνοντα διημερεύειν ἀνάριστον καὶ ἄδειπνον, id eſt. An igitur, inquit, Epimenidem ſodalem veſtrum, Solonis hoſpitem lex aliqua omnibus alijs abſtinere cibis cogit, verùm materiæ alimæ, id eſt famem arcentis, quod ſcitamentum ipſe componit, momento in os indito impranſum & incœnatum diem totum durare? Eius rei ita meminit in lib. περὶ ἀρχῆς ἐμψύχων Porphyrius, ὡς εἴθε τὴν μυθολογουμένην ἄλιμον καὶ ἄδιψον πόρον ἦν κτῆσθαι. i. quod vtinam alimon illam & adipſon, de qua fabulantur, liceret comparare.

*Naturam ijs motibus*) Permanſionem mundi alijs in locis tribuit Chryſippus non medio vniuerſitatis, ſed motionibus illis, quibus corpora à medio mundi aut ad medium mouentur. Plutarchus in lib. quem modo citaui, ex lib. Chryſippi de motu hoc affert, πιθανὸν πᾶσι τοῖς σώμασιν εἶναι τὴν πρώτην κατὰ φύσιν κίνησιν πρὸς τὸ τοῦ κόσμου μέσον τῷ μὲν κόσμῳ οὕτω κινουμένῳ πρὸς αὐτὸν, τοῖς δὲ μέρεσιν, ὡς ἂν μέρεσιν οὖσιν.

*Ioue*) Nam Deus, prouidentia, fatum, natura, fortuna, Stoicis eadem ſunt, vt ex lectione auctorum intelligitur.

*Mundi conuerſionibus*) Exuſtionibus rerum ſummam cenſent Stoici interire, poſtea renouari. Ita fit, vt infinitis temporum curriculis infinitæ renaſcantur Lunæ, infiniti Soles, cùm infinitæ eueniant exuſtiones: ſed & vt alij Dij infiniti ſint, cùm omnes præter Iouem intereant in exuſtione.

*Tanquam adpumblata*) Plutarchus locum Platonis cupiá videatur eſſe imitatus, qui in Timæo ita ſcribit: ἀλλὰ



bit: ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις ξυντήκοντες: ſed ſolent illiqueſacto plumbo ſigna ſuæ baſi adfigi, quò reſpexit Plutarchus. Tale eſt illud Euripidis,

Κάθησ' ἑδραία, καὶ γὰρ εἰ πέριξ σ' ἔχει
Τηκτὸς μόλυβδος, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ.
*Stabilis ſedeto: nanque te excitauero,*
*Etiam liquato vincta ſi plumbo hæreas.*

*Quo ſit vt*) Mundorum infinitas, quam Epicurei ponunt, eſt omninò à ratione aliena. Stoici mundum vnum ponunt, quem exuſtionibus perire & renouari, & inſtaurari poſtea dicunt.

*Hic εἰ conſecratum ſit*) εἰ in veſtibulo templi Delphici conſecratum erat, qua de re librum Plutarchus ſcripſit: eo quidam quintam literam acceperunt. Nam quam literam e, vocamus, priſci εἰ appellabant, alij, es accipiunt, alij ſi. *Quinque corpora*) Pyramidem intelligit, icoſaëdrum, dodecaëdrum, cubum, octaëdrum: De quibus epigramma Græcum extat,

Σώματα πέντε Πλάτωνος, ἃ Πυθαγόρης σοφὸς εὗρε·
Πυθαγόρης σοφὸς εὗρε, Πλάτων δ' ἀρίδηλ' ἐδίδαξεν·
Εὐκλείδης δ' ἐπὶ τοῖσι κλέος περικαλλὲς ἔτευξεν.

De ijs Euclides ſcribit in ſolidis.

*Semitriangulum*) Appellat ſemitriangulum, dimidium trianguli æquilateri: alii triangulum æquilaterum è ſex ſcalenis rectangulis componunt. Cubi autem principium eſt Iſoſceles, cùm quadratum ex Iſoſcelibus quatuor fiat: ſed & dodecaëdri principium eſt, & elementum, cum pentagonum ex Iſoſcelibus componatur, quod principium eſt dodecaëdri.

*Id quod eſt*) Plato in Sophiſta quinque ponit principia, Id quod eſt, Idem, & alterum, motum, & ſtatum, quibus ex principijs argumentatur hoc loco quinque mundos eſſe Plutarchus. Horum principiorum etiam meminit in libro περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας.

*Specie continet*) Veteres quidam Philoſophi, in ijs Stoici potiſſimum, exiſtimauerunt aerem & ſpiritum per totam rerum naturam peruadere, & penetrare, omniaque in ſuo ſtatu & ſpecie continere, appellaruntque συνεκτικὸν αἴτιον: ad quam ſententiam hoc loco reſpexit Plutarchus.

*Æquabilem tributionem*) Hæc Iſonomia ab Epicuro inducta eſt, à qua argumentatur hic Plutarchus. Eius ſic meminit lib. 1. De nat. Deorum Cicero: *In qua*, inquit, *intelligi neceſſe eſt eam eſſe naturam, vt omnia omnibus, paria paribus reſpondeant.* hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id eſt æquabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, ſi mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem: & ſi quæ interimunt, innumerabilia ſint, etiam quæ conſeruent, infinita eſſe debere.

*Inanitate*) Philoſophi quidam, vt Ariſtoteles ait, materiam inane eſſe putauerunt, quò Plutarchum reſpexiſſe putem. Itaque cenſeo τὸ κενὸν legendum eſſe: ſi cui probatur τὸ στενὸν, vt eſt in libris excuſis, anguſtias vertat. *Πεμπάσαι*) Idem à Plutarcho ſcribitur in libello de εἰ, quod Delphis conſecratum erat, his verbis, cùm de quinario loquitur, ἀφ' οὗ τὸ ἀριθμεῖν οἱ παλαιοὶ πεμπάζειν ὠνόμαζον. quo quidem etiam in loco valde quinarium celebrat, & nuptias appellatum fuiſſe refert, ex coniunctione duorum & trium, qui primi numeri ſunt, vt hic etiam diſſerit, præſertim cùm par numerus fœminam referat, impar marem.

*Triangulum eorum qui*) E tribus, quatuor, & quinque, nobiliſſimus triangulus ſcalenus rectangulus conſtituitur. Nam in numeris Iſoſceles rectangulus conſtitui non poteſt: à quinario autem eum dicit effici, quia & latus maximum eius trianguli efficit, & quadratum, quod ex eo efficitur, tantundem valet, quantum duo quadrata à tribus & quatuor edita. His numeris ad deformationem emendatæ normæ eſt vſus Pythagoras huius trianguli inuentor, qui in lib. de Repub. à Platone ſummoperè laudatur, vt auctor eſt Proclus in Euclidem.

*Summarum, mediarum*) Sic verti verba Muſicorum Græca, quo res facilior eſſet: quæ tamen Latini pro ſuis retinent, ea ſunt τετράχορδον ὑπατῶν, μέσων, συνημμένων, διεζευγμένων, ὑπερβολαίων id eſt tetrachordum ſummarum, mediarum, coniunctarum, diſiunctarum, ſuperlimitarum: in quibus chordarum nomen ſubaudiendum eſt, vt cùm dicitur δὶς διὰ πασῶν, id eſt, bis per omnes chordas, non vt vulgò dicunt, bis per omnia. De his autem tetrachordis & alij, & Vitruuius conſulendus eſt.

*Ventilabris*) Multis in huius libri locis mihi diuinandum fuit, & augurium animi potius & coniectura, quàm ſcriptura & editio ſequenda, ac è nonnullis locis impeditis & obſcuris, vtcunq; potui, expedire & extricare me conatus ſum: hic planè deprehenſus captuſq; hæſiſſem, niſi Plato ſubueniſſet, è cuius Timæo ſic codicem Græcū reor emendandū: εἰκόνι τὸ συμβαῖνον ἐνδείκνυται, τοῖς ἐπὶ τῶν πλοκάνων καὶ ὀργάνων τῶν περὶ τὴν τοῦ σίτου κάθαρσιν σειομένοις καὶ ἀναλικμωμένοις ὁμοίως. & paulò pòſt, ἄλλων τε χώραν ἄλλα ἴσχειν πρὶν ὑπ' αὐτῶν: & mox, ὡς ἔχειν ἅπαν εἰκὸς, ὧν θεὸς ἀπῇ. hæc enim verba in Platone reperiuntur.

*Quinque primæ qualitates*) Qualitates pro corporibus & Stoici & Academici vſurparunt. Cicero in Academica ad Varronem, *Sed quod ex vtroque, id iam corpus & quaſi qualitatem quandam nominabant.* Iterum, *Earum igitur qualitatum aliæ ſunt principes; aliæ ex ijs ortæ.* Sic hoc loco apud Plutarchum quinque qualitates ſunt prima corpora, quatuor ſcilicet elementa, & cælum.

*Materiam eam Deus*) Plutarchus in lib. περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας docet materiam à Deo ex inordinata & incompta ordinatam & comptam fuiſſe, & ad moderationem quandam & temperationem eſſe reuocatam numeris & proportionibus: quod & hoc loco diſſerit.

*Et purgationem*) Poſt hæc verba periodus, quæ in codicibus Græcis extat, à me prætermiſſa eſt, quod annotatio ſit, quæ è margine in literam irrepſit. Continet enim ſententiam eorum, quæ hic Plutarchus diſſerit, ineſſe in animis vim diuinandi, quæ obſcuretur & imminuatur, cùm obducti craſſo hoc corpore ſunt.

*De Arna editum eſt*) In codice Plutarchi De Anna ſcriptum eſt: ſed Arna ſcribi debet, vt reor, cùm Arna oppidum

oppidum fuerit Theſſaliæ, quod aliquando tenuerint Bœoti: ſed & Arna oppidum etiam in Bœotia fuit.

*Siccus animus*) Heracliti ſententia eſt referente Galeno in libro, Quod animi mores ſequantur temperamentum corporis, αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη. id eſt, ſplendor ſiccus, animus prudentiſſimus, vt fortaſſe in Plutarcho hoc loco pro αὐτὴ legendum ſit αὐγὴ hunc in modum, αὐγὴ γὰρ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη. id eſt, Nam ſplendor ſiccus, animus eſt prudentiſſimus. quam lectionem ſecutus ſum, etſi è recepta & excuſa etiam elici aliqua ſententia poteſt.

*Cinerem adſingunt*) E cinere hoſtiarum, quæ Ioui immolabantur, ſumma pars aræ Iouis Olympij conſtruebatur, vt Pauſanias ſcribit in Eliacis. Is autem cinis Alphei aqua glutinabatur, aliâ non poterat: proinde cenſebatur Alpheus Ioui Olympio amiciſſimus.

*Coretam*) Idem ferè ſcribit Diodorus lib. 16. bibliothecæ, cùm illis in locis nondum ædificatis & habitatis ſpecus eſſet, fortè fortuna capras, quæ eò acceſſiſſent, vt furore correptas, mirum in modum ſaltare cœpiſſe, & varias voces edidiſſe: cùm paſtor ipſe eò veniſſet admiratione rei captus, furibundas eum quoque voces fudiſſe, & hariolatum eſſe: proindeque, quòd halitus ille à terra manaret, initio terræ oraculum tributum fuiſſe.

*In flammam coniecta*) Idem Strabo ſcribit, ἐν δὲ τῇ Καρύστῳ καὶ ἡ λίθος φύεται ἡ ξαινομένη καὶ ὑφαινομένη, ὥστε τὰ ὑφάσματα χειρόμακτρα γίνεσθαι, ῥυπωθέντα δ᾽ εἰς φλόγα βάλλεσθαι, καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τῇ πλύσει τῶν λίνων ὁμοίως. id eſt, Caryſti lapis etiam naſcitur, qui carminatur & texitur quæ texuntur, mantilia: ſunt quæ ſordida in flammam conijciuntur, ac ſordibus emaculantur non ſecus quàm lota.

*Quo ad diuinationem*) Eadem eſt Quinti Ciceronis ſententia lib. priore De diuinatione, his verbis: *Poteſt autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ diuino afflatu concitabat, euanuiſſe vetuſtate, vt quoſdam euanuiſſe & exaruiſſe amnes, aut in alium curſum contortos & deflexos videmus.* Iterum, *Quo de genere Apollinis operta prolata ſunt.* Credo etiam anhelitus fuiſſe quoſdam terrarum, quibus inflatæ mentes, oracula funderent.

*Tellus coacta*) Locus eſt apud Eurypidem in Cyclope.

*Anaxagoram reprehendit*) Reprehenſio eſt in Phædone: nam cùm mentis deſignatione mundi deſcriptionem confectam eſſe dixiſſet Anaxagoras, in reddendis tamen poſtea rerum cauſis nihil illa mente vtebatur. Verba ſunt Platonis, ὁρῶ τὸν ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινος αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα· ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καὶ ἄλλα πολλὰ ἄτοπα.

*Hypocrateridium*) Sic emendandum puto codicem Plutarchi, in quo ἐπικρητηρίδιον legitur malè: locus eſt apud Herodotum lib. primo, καὶ ὑποκρητηρίδιον σιδήρεον κολλητὸν, θέης ἄξιον διὰ πάντων τῶν ἐν Δελφοῖσι ἀναθημάτων Γλαύκου τοῦ Χίου ποίημα, ὃς μοῦνος δὴ πάντων ἀνθρώπων σιδήρου κόλλησιν ἐξεῦρε. Locus autem iſte Plutarchi, Vallæ interpretationem refellit, qui ὑποκρητηρίδιον paruam crateram eſſe putauit, cùm ſit fundus & baſis crateræ. In ea autem baſi lamina ferri laminæ agglutinata erat, ſine vlla fibula & clauo, ſed ſolo glutinis vinculo, vt Pauſanias ait, tam mira arte, vt Glauci ars in prouerbium abierit, qui ferrum illud glutinarat.

*Excidium*) In Gnidiorum conciliabulo, quod erat ad fanum Pythium, Polygnotus pinxerat excidium Troiæ, vt ſcribit Pauſanias: cuius hic Plutarchus meminit, quòd hæc diſputatio eo in loco habita eſt.

*Polygnoti gloria*) Puto græcè ſcribendum πολυγνώτου, aut τεχνίτου, non, vt codices omnes habent, σιδήρου. Non omittam ſuprà multò antè, vbi de Dæmonum vita diſſeritur, cùm in Plutarcho μετὰ μαρτύρων σαφῶν καὶ παλαιῶν legatur: quam lectionem ſecutus ſum & interpretatus, in Theodorito tamen & Euſebio ſcribi σοφῶν. id eſt, doctorum: quod fortaſsè melius & verius eſt.

*Phyſici*) Omnes ante Socratem philoſophi, qui poſt priſcos & fabuloſos Theologos Græcorum fuerunt, vocabantur phyſici, quòd omnis eorum oratio in inueſtigatione & indagatione naturæ conſumeretur.

*Sacerdotes & qui*) Secutus ſum codicem græcum, in quo ὅσοι ſcribitur: cùm tamen conſtet ſacrificos quoſdam fuiſſe Delphis, qui ὅσιοι dicerentur. Non deerit fortaſsè, qui ὅσιοι legendum putet.

*Thraſymede*) Videor legiſſe hoc ſcriptum fuiſſe à Theopompo, quod Plutarchus de Thraſymede refert. Quod narrat de Atlantibus Herodotus, & ex Herodoto Mella & Plinius, quos aiunt nunquam ſomniare, vt opinor, Plutarchus hic memoraſſet, niſi fabuloſum & falſum exiſtimaſſet.

*Reſipiſcentem*) In quodam libro manu ſcripto legi ἔκφρονα, id eſt, amentem. lectionem tamen vſitatam ſequi malim.

*Cæli templa*) Hæc ſententia Stoicorum eſt, qui mundum immutari & renouari exiſtimant. Folio autem vndecimo, quod omittendum non fuit, vbi legitur, *Vtroque enim modo quadraginta efficiuntur, deeſt aliquid, cùm modus vnus ſcriptus extet, alter deſideretur.*

## ANNOTATIONVM CHARTA VNA INTERCIDERAT: EAM TANDEM EXCVSO PROPE LIbro repertam, quanquam non ſuo loco, ſubiungendam tamen putauimus.

A*THEMIDE cuſtodiebatur*) Ante Apollinem Themis oraculum Delphicum tenuiſſe dicitur. Proinde Ouidius ſcribit eam oraculo præfuiſſe diluuij tempore:

*Fatidicamq; Themin, quæ tunc oracla tenebat.*

Æſchylus in Eumenidibus primam omnium terram oraculum Delphicum tenuiſſe dicit: deinde Themin: poſtea Phœben: poſtremò Phœbum. Eius verba ſunt:

Πρῶτον



Πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
Τὴν πρωτόμαντιν γαῖαν· ἐκ δὲ τῆς Θέμιν,
Ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ᾽ ἕζετο
Μαντεῖον, ὡς λόγος τις· ἐν δὲ τῷ τρίτῳ
Λάχει θελούσης, οὐδὲ πρὸς βίαν τινὸς
Τιτανὶς ἄλλη παῖς χθονὸς καθέζετο
Φοίβη, δίδωσι δ᾽ ἡ γενέθλιον δόσιν Φοίβῳ.

*Arſalo, Dryo.*) In Theodorito ſcribitur Arſalus, Aryus, Toſobis. In Euſebio, Arſalus, Arytus, Toſobis. In quibuſdam etiam exemplaribus ſcribit interpres Theodoriti, ſcribi pro Aryo, Bryum.

*Centum octoginta tres*) Procli verba è commentario in Timæum adponam, quæ ad hunc locũ valdè pertinent: ἤδη γάρ τινος ἤκουσα δόξης βαρβαρικῆς, ἣν Πλούταρχος ἱστόρησεν ὁ Χαιρωνεὺς, ἐν ἑνὶ τριγώνῳ ἰσοπλεύρῳ, κατὰ μὲν τὸ μέσον εἶναι τὸ νοητὸν, καὶ καθ᾽ ἑκάστην δὲ πλευρὰν περὶ ἐκεῖνο κόσμους ἑξήκοντα, καὶ καθ᾽ ἑκάστην γωνίαν ἕνα, τοιούτους οἷος ὁ ἡμᾶς περιέχων. ὥστε εἶναι τρεῖς ἡγεμόνας, καὶ τρὶς ἑξήκοντα ἄλλους ὑπ᾽ αὐτούς. ἡγεμονικωτέρους γὰρ εἶναι τοὺς γωνιακοὺς τῶν πλευρικῶν. &c. id eſt, Iam etiam quandam audiui barbaricam ſententiam, quam Plutarchus Cheronenſis memorauit, in vnius trianguli æquilateri medio eſſe, id quod intelligentia comprehenditur: circum autem id in ſingulis lateribus mundos ſexaginta collocatos eſſe, & in ſingulis angulis ſingulos, tales eos qualis hic qui nos circundat: ita vt tres duces ſint, & ter ſexaginta ſub eis. angulares enim lateralibus ad ducendum acccommodatiores eſſe.

*Et campum veritatis vocari*) Vt hìc regio falſi eſt, & opinabilis (nihil enim hìc ferè certi eſt, paucaq; admodum certò exploratoq; ſcimus, ſed vel plerunq; fallimur, vel opinamur) ita in eo mundo, qui ratione & intelligentia percipitur, in quo formæ & exemplaria rerum ſunt, ineſt veri regio & ſedes. Huius campi veritatis meminit in Phædro Plato his verbis: οὗ δὴ ἕνεκεν ἡ πολλὴ σπουδὴ, τὸ ἀληθείας ἰδεῖν πεδίον οὗ ἐστιν, id eſt, Cuius quidem cauſſa magnum ſtudium eſt cognoſcendi, vbinam veritatis campus ſit. Quod etiam mox de tempore Plutarchus ſcribit, & de animis humanis, quam proximè accedit ad Platonis ſententiam.

*Opinionem euerterit*) κατέβαλε puto græcè legendum potius quàm κατέλαβε: quanquam hìc non inſtitui codicem græcum emendare, qui infinitis ſcatet mendis. Dicit autem Platonem verbo nulla adiuncta ratione ſubuertiſſe opinionem illam de mundorum multitudine, cum ſcripſit in Timæo, dictu verius eſſe, vnum mundum eſſe.

*Probitate perfecta*) Non ſolùm animatum eſſe mundum dicit, verùm etiam omni virtute præditum, & vt Plato & Stoici cenſent, Deum.

*Ne ſi quid foris eius*) Platonis eſt in Timæo ſententia, vniuerſam materiam in hoc mundo eſſe collocatam, ne qua pars extra excederet, quæ aliqua impulſione mundũ labefactaret & frangeret, & ad morbum ſenectutemq; compelleret, quæ ſententia non magnoperè Plutarchum hic mouet.

*Ad incorporeum & indiffer.*) Eadem ferè eſt contra Ariſtotelem diſputatio in libro περὶ τοῦ ἐμφαινομένου προσώπου τῷ κύκλῳ τῆς σελήνης. Nam corpora inanima quomodo mouebuntur ad incorporeum, id eſt, ad medium, quod indiuiduum eſt, corporeq; caret? ac mirum eſt reliqua omnia ſupera vocari, centrum ſolum, quod indiuiduum eſt, imum: ſic fiet, vt nulla pars terræ in imo ſit, cùm pars nulla indiuidua ſit, ſed terra ſuum ambibit locum, non occupabit.

Περὶ δυνατῶν) Locus ex lib. 4. περὶ δυνατῶν à Plutarcho in lib. de repugnantiis Stoicis, cum Chryſippi reprehenſione affertur, qui ita habet: ἀλλ᾽ ἔν γε τῷ τετάρτῳ περὶ δυνατῶν μέσον τινὰ τόπον καὶ μέσην χώραν ὑποθέμενος, ἐνταῦθά φησιν ἱδρῦσθαι τὸν κόσμον· ἔστι δὲ ἡ λέξις αὕτη. διὸ καὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου ῥητέον αὐτὸν φθαρτὸν εἶναι, λόγου οἰόμενον δεῖσθαι. οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον ἐμοὶ φαίνεται οὕτως ἔχειν. οἱονεὶ δὲ εἰς τὴν ὥσπερ ἀφθαρσίαν πολύ τι αὐτῷ συνεργεῖ, καὶ ἡ τῆς χώρας κατάληψις, οἷον διὰ τὸ ἐν μέσῳ εἶναι.

# PLVTARCHI LIBELLVS DE FLVVIORVM ET MONTIVM NOMINIBVS, ET QVÆ IN IIS REPERIVNTVR.

## *E GRÆCO IN LATINVM AB ADRIANO Turnebo conuerſus.*

### CLARISSIMO VIRO CLAVDIO LAVALLO ARCHIEPISCOPO EBREDENNENSI Ang. Ver. S.

N*IHIL EST IN RERVM NATVRA MAIORE DIGNVM gloria & honore Clariſſime Archiepiſcope, quàm multarum rerum cognitio & ſcientia. Itaq; cùm omnes natura maximo cognoſcendarum rerum ſtudio ducantur, ad eas perfruendas auidiſſimè rapiuntur, vt cùm conſtiterit quid interſit inter eos qui ad ſcientiam peruenire poſſunt, & eos qui fruſtrà nituntur: tum deniq; illuſtres & diuini illis vt indoctis eſſe videantur: nec ſanè quiſquam inficias iuerit, quin hoc philoſophiæ munus ſit. Eius autem munera præſertim cùm dona quædam ſint diuinitus à prouidentia hominibus in terram demiſſa, eximia ſunt, nec laude tantùm, ſed etiam honore*

*digna omnibus qui quidem ſapiunt: niſi ſi qui ita veſani ſunt & amentes, vt hominis vmbram potius, quàm hominem gerant: quorum ſtudium ac ſcientia in voluptate & corporis cura conſumatur, in quibus ſolis cùm felicitatem poſitā eſſe ſtatuant, amentia & deſidia occupati, rebus præclaris & honeſtis animum nunquam adiiciant. Proinde cùm te viderem virtutis & ſapientiæ perſtudioſum, permultaque, quæ mundus continet, cognoſcendi auidum, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi tibi curarem excudendum paruum hunc Plutarchi commentariolum, (qui illiúſne Chæronei ſupra omnes multarum rerum cognitione clariſsimi ſit, an alterius cuiuſpiam eius gentilis, haud equidem certò ſcio) non ſolùm quòd elegans eſt & iucundus, neq; antè à quoquam è Græco in Latinum conuerſus: verùm etiam quod cùm fabuloſas multas hiſtorias complectitur, poëtarum lectioni profuturus eſt. In eo autem diſſeritur de fluminibus, unde, & cur ſic nominentur, & de montibus, hiſque, quæ in iis gignuntur, vt gemmis & plantis, aliiſque rebus admirabilibus, quas cognoſcere impensè deſideras. Quare vt beneuolus & propitius hoc donum accipias, etiam atq; etiam te rogo: nec id tàm magnitudine æſtimes, quàm vtilitate: nam & exiguus vnio, maius auri & argenti pondus plerunq; pretio æquauit. Vale.*

# PLVTARCHI LIBELLVS DE FLVVIORVM ET MONTIVM NOMINIBVS, ET QVÆ IN IIS REPERIVNTVR.

HYDASPES. Cùm Chryſippe propter iram Veneris in amorem parentis ſui Hydaſpis incidiſſet, nec eam, quæ præter naturam eſt, cupidinem refrænare poſſet, nocte obſcura, cum eo, nutricis ope accedente, concubuit. Infortunatus verò tali caſu rex, anum inſidiatricem viuam terra obrui iuſſit, & filia in crucem ſublata, ipſe præ ingenti animi mœrore in fluuium Indum ſe præcipitem dedit, qui ab eo Hydaſpes denominatus eſt. Eſt autem in India rapidè defluens in Syrtem Saroniticam.

Naſcitur in eo lapis Lychnis appellatus, olei colorem repræſentans, & feruidus omnino. Luna autem creſcente inuenitur ad cantum tibiarum, eoq; vtuntur artifices.

Reperitur ibidem iuxta Pylas, vt nominantur, herba ſimilis Heliotropio, qua contrita ſucco eius aduerſus Solis æſtus vncti, tolerant facilimè quantumuis ingentes calorum vapores. Indigenæ porrò virgines eas quæ impiè conuerſatæ ſunt, ad crucem affixas in eum deiiciunt, patria lingua hymnum Veneri canentes.

Defodiunt & quotannis anum quampiam iudicio damnatam iuxta montem Thyrogonum à feris ibi naſcentibus ſic appellatum. Ad ipſam autem vetulam reptilium ingens copia ex cacumine montis deſcendit, & quæ conuolant animalia rationis expertia deuorat, vt teſtatur *Chryſermus lib. 80. rerum Indicarum*, & plenius refertur ab *Archelao lib. 13. de fluuijs.*

Adiacet ei mons ELEPHAS appellatus hac de cauſa. Cùm Alexander Macedo in Indiam cum exercitu ingreſſus eſſet, & Indigenæ communi conſenſu bellum ei inferre decreuiſſent, Pori regis loci Elephas derepentè furore correptus, Solis montem aſcendit, & humana voce loquutus, dixit: Domine rex qui genus à Gegaſio deducis, nihil aduerſus Alexandrum feceris: ipſe enim Iouis eſt Gegaſius: & cùm hæc protuliſſet, extinctus eſt. Quibus auditis, Porus exterritus, ad Alexandri genua procidit, pacem expetens, qua iuxta preces impetrata montem nominauit Elephantem, vt refert *Dercyllus lib. 3. de montibus.*

ISMENVS, fluuius eſt Bœotiæ iuxta vrbem Thebas, dictus antea Cadmi pes, talem ob cauſam. Cùm Cadmus fontis cuſtodem draconem iaculis confeciſſet, & aquam eius veneno infectam cerneret, eam abhorrens, circuiuit regionem ad inueſtigandum fontem. Cumque ad Corycæum antrum perueniſſet, voluntate Dianæ dextrum pedem in limum altius defixit, vnde fluuium exeuntem, heros, boum ſacrificio facto, Cadmi pedem nominauit, vt author eſt *Soſtratus lib. 2. de fluuijs.*

Adiacet ei mons CITHÆRON, antea vocatus Aſterius hac ratione. Bœotius Poſidonis filius cùm ex duabus illuſtribus fœminis eam quæ ſibi magis profutura eſſet, deſponſatam vellet, & in cacumine montis cuiuſdam incerti nocte vtramq; operitur, repentina de cælo delapſa ſtella, Eurythemiſtes humeris incidit, & euanuit. Bœotus itaque hoc ſigno indicium ſibi factum ratus, virginem in vxorem accepit, & montem ab euentu Aſterium nominauit. Poſteriori verò tempore dictus eſt Cythæron ob hanc cauſam. Teſiphone vna Eumenidum amore pueri formoſi Cithæronis correpta, intantum eo exarſit, vt de concubitu apud eum verba faceret. Qui horrenda eius corporis figura exterritus, ne reſpondere quidem dignatus eſt. Quapropter illa deſyderio ſuo fruſtrata, ex crinibus ſerpentem vnum euulſit, & in contemptorem ſuum emiſit. Serpens verò nexibus ſuis eum aſtringens, in montis Aſterij cacumine oues paſcentem interemit. Deorum porrò prouidentia mons ab eo Cythæronis nomen accepit, vt teſtatur *Leo Byzantius in hiſtoria rerum Bœoticarum.*

Hermeſianax verò Cyprius huiuſmodi hiſtoriam recenſet. Helicon & Cithæron fratres inter ſe cùm eſſent diuerſis moribus, & animi affectibus fuerunt. Ille enim humanior & benignior parentes in ſenectute indulgenter enutriuit. Hic econtrà auarus, & vniuerſam ad ſe hæreditatem trahere impiè molitus, patre prius è medio ſublato, cùm fratrem deinde ex inſidijs adortus præcipitaret, ipſe cum eo delapſus interiit. Deorum autem prouidentia in montem ſui vterq; nominis transformatus eſt. Cythæron quidem ob impietatem, furiarum fabula: Helicon autem in honorem pietatis erga parentes Muſarum amœnum domicilium.

HEBRVS,



HEBRVS, fluuius eſt Thraciæ, appellationem ſortitus à vortice vehementis impetus aquarum. Caſſander porrò rex circa eum locorum accepta in vxorem Crotonica, filium Hebrum ex ea ſuſcepit. Repudiato deinde prioris vxoris contubernio, nouercam filio Damaſippam Atraci filiam ſuperinduxit: quæ in amorem priuigni ſui illapſa, ad concubitū ſermonibus eum ſollicitauit. At illo velut furiam auerſante nouercam, intemperans mulier, non facta voti compos, continentem iuuenem ſtuprum ſibi inferre voluiſſe, falsò inſimulauit. Caſſander itaq; zelotypia accenſus, cum impetu in ſyluam abiit, ſtricto enſe filium, vt paterni thori inſidiatorem, inſequutus. Qui cùm iam comprehendendus eſſet, in fluuium Rhombum deſiliit, qui ab eo deinde Hebrus appellatus eſt, vt teſtatur *Timotheus lib. 11. de fluuijs.*

Mons adiacet ei PANGÆVS, huiuſmodi occaſione ſic nuncupatus. Pangæus Martis & Critobules filius natam à ſe imprudenter cognitam grauiſſimè ferens, in Carmanium montem ſeceſſit, vbi præ doloris impatientia euaginato gladio manus ſibi intulit, vnde Deorum voluntate locus ab eo Pangæus appellatur.

Naſcitur in ſupradicto fluuio herba Origano ſimilis, cuius extrema decerpentes Thraces, poſtquam cibo ſatiati ſunt in ignem coniiciunt, & ſuffitum inde aſcendentem hiatu captantes, inebriantur, & profundo ſomno obdormiſcunt.

Prouenit autem in Pangæo monte herba Cithara dicta ex huiuſmodi cauſa. Quæ Orphea Bacchæ diſcerpſerant, membra eius in fluuium Hebrum deiecerunt: & caput quidem mortui prouidentia Deorum draconis formam accepit. Lyra autem ex Apollinis voluntate lugubre carmen cecinit. Ex profluente verò ſanguine apparuit herba quæ Cithara nominatur, quæ eo tempore quo Bacchanalia celebrantur, Citharæ ſonum emittit: & Indigenæ Nebrides, ſeu ceruinas pelles induti, thyrſósq; geſtantes, hymnum canunt, vt teſtatur *Clitonimus lib. 3.* Τεχνικῶν.

GANGES, fluuius eſt Indiæ ſic ob hanc cauſam appellatus. Ex Indo Nympha quædam Calauria filium præſtanti forma Gangem nomine ſuſcepit, qui per ebrietatem inſcienter matrem diuorum eum quempiam eſſe exiſtimantem, cognouit. Interdiu autem à nutrice de rei veritate certior factus, præ doloris magnitudine in fluuium Chiarum ſe miſit, qui ab eo Gangis nomen accepit.

Naſcitur ad eum herba ſimilis Bugloſſo, cuius tritæ ſuccum expreſſum reſeruant, eoq; intempeſta nocte ſpeluncas Tigridum oblinunt: quæ virtute profuſi liquoris egredi prohibitæ moriuntur, vt author eſt *Calliſthenes lib. 3. de venatione.*

Adiacet ei mons, ORIENS hac ratione vocatus. Cùm Sol Anaxibiam nympham in agris tempus terentem intueretur, amore incenſus eſt, ita vt potiundæ eius deſiderio, cùm temperare ſibi nequiret, eam inſequeretur. Quæ vt manus iam ſibi imminentis euaderet, confugiens ad Dianæ Orthiæ templum, quod ſitum erat in monte, cui nomen erat Apex, conſpectui eius ſubtracta eſt: imminens autem à tergo Deus cum nuſquam dilectam conſpiceret, in ſignum ingentis doloris, illinc oriri voluit: vnde Indigenæ Apicem ab euentu Orientem nominauerunt, vt teſtatur *Camaron lib. 10. rerum Indicarum.*

PHASIS, fluuius eſt Scythiæ circunfluens ciuitatem. Prius Arcturus dicebatur nomine accepto à ſitu regionis ſub frigida Zona poſitæ: ſed nomen hac occaſione mutauit. Phaſis, Solis & Ocyroes filius, cùm matrem in adulterio à ſe deprehenſam interfeciſſet furiarum apparitionibus in inſaniam actus, ſe in Arcturum præcipitauit, qui ab eo deinde Phaſis appellatus eſt.

Naſcitur in hoc fluuio Virga dicta Leucophillus, hoc eſt, alba folia proferens. Inuenitur autē in arcanis ſacris Hecates circa diluculum ad Paniſmum diuinū, in principio Veris. Quam zelotypi mariti collectam in thalamum virginalem proiiciunt, vt caſtum & incontaminatum thori coniugalis fœdus conſeruetur. Si quis verò petulantius diſcedat per ebrietatem impiè quicquam molitus, & locū ingrediatur, extra ſenſum rapitur, & confeſtim apud omnes confitetur quæcunque præter leges aut fecerit, aut facturus fuerit. Circunſtantes verò eum arreptū & corio inuolutum præcipitant in locum, cui nomen eſt Os putei impiorum. Eſt autem is figura rotunda, in formam putei. Quodcunq; autem in eum deiectum eſt, poſt 30. dies eiicitur in Mæotim paludem vermibus ſcatentem. Et vultures ex improuiſo apparentes, cùm aliàs à nemine videantur, quod proiectum illic eſt, dilaniant, vt refert *Creſippus lib. 2. rerum Scythicarum.*

Adiacet huic mons CAVCASVS, antea Boreæ cubile talem ob cauſam appellatus. Boreas flagrans amore Chloridis nymphæ, raptam eam in montem Nyphantem aſportauit, & ex ea filium Hyrpacem ſuſcepit qui Heniocho in regnum ſucceſſit. Mons autem Boreæ cubile dictus eſt. Poſtea verò Caucaſi nomen hac occaſione ſuſcepit. Poſt prælium Gygantæum Saturnus, Iouis minas declinans, ad cacumen cubilis Boreæ profugit: & in crocodilum transformatus, cùm apud quendam ex Indigenis paſtorem requieſceret, is cogitationibus animi eius intellectis, hoſtes non procul abeſſe indicauit. Iuppiter autem ſuperueniens, patrem quidem ligatum laneo vinculo ad Tartara demiſit: & in honorem paſtoris Caucaſi, monti ab eo nomine impoſito, Promethea alligauit, cui aquilam viſcera eius depaſcentem in perpetuum cruciatum addidit, vt teſtatur *Cleanthes lib. 3. de prælijs Deorum.* Prouenit in eo herba Promethei vocata, qua collecta & contrita erga antipathias patris Medea vtebatur, vt idem author eſt.

ARAR, fluuius eſt Galliæ nomen ex eo ſortitus, quod immiſceatur Rhodano. Delabitur enim in eum iuxta regionem Allobrogum. Antea nomen ei erat Brigoulus, quod hanc ob cauſam mutauit. Arar cùm venandi ſtudio ſyluam ingreſſus eſſet, inuento fratre ſuo Celtibero à feris abſumpto, talem animo dolorem concepit, vt certis ſibi vulneribus illatis, in fluuium Brigoulum inſilierit, qui exinde ab eo Araris nomine appellatus eſt.

Naſcitur in eo ingens piſcis, Scolopidus ab indigenis nuncupatus, qui creſcente luna albus eſt, decreſcente ea, nigrum colorem aſſumit. Pinguefactus autem ſuis ſe ipſe ſpinis ſuffocat, vt refert *Calliſthenes Sibarites lib. 13. hiſtoriæ Galatarum*, à quo argumentum mutuatus eſt Timagenes Syrus.

Adiacet ei mons LVGDVLVS ideo ſic dictus, quod cum Momorus & Atepomarus à Seſerone imperio deiecti ex oraculo vrbem ſuper eo condere vellent, fundamentis effoſſis, ex improuiſo corui apparentes expanſis alis, quæ circumcirca erant arbores occupauerunt. Vnde Momorus augurandi peritus vrbem

Lugdolon nominauit. Lougon enim patria eorum lingua coruum ſonat: doulon verò excellentem, teſte *Clitophone lib. 13. rerum conditarum.*

PACTOLVS, fluuius eſt Lydiæ prope vrbem, Sardes antea dictus Chryſoroas. Chius enim Apollinis & Apathippes filius, mechanicam artem exercens, & vitam inopem ducens, nocte obſcura theſauris Crœſi regis apertis, aurum inde ſublatum familiaribus largiebatur. Deprehenſus autem à vigilibus cùm ab ijs comprehendendus foret, in fluuium hunc ſe deiiciens, ei nomen dedit.

Pactolus autem poſtea vocatus eſt à Pactolo Æoli & Leucothoes filio, qui in Veneris arcanis ſacris ſororem Demodocem à ſe cognitam moleſtè ferens, præ animi impatientia in fluuium Chryſoroam ſe præcipitem dedit, nomenq; eius ſuo commutauit. Naſcitur in eo ramentum Darici auri quod defertur in ſinum fœlicem, ſed & lapis Aroulaphilax dictus, argenti ſpeciem repræſentans, qui ægrè admodum inuenitur: cùm ramento enim delato vnà miſcetur. Hanc autem habet vim & naturam. Qui apud Lydos diuitiis principes ſunt, emptum eum in veſtibulo theſauri ſui deponunt, vt ab omni externo metu aurum repoſitum tueatur. Quotieſcunque enim fures ingrediuntur, tubæ vocem emittit. Vnde illi tanquam ſatellitibus inſequentibus ſurſum & deorſum præcipitantur. Vocatur autem locus eorũ qui violenta morte occubuerunt, Pactoli cuſtodia. Prouenit ibidem herba purpureo flore, dicta Chryſopola. Ad hanc propinquæ vrbes aurum ſyncerum explorant: ſimulatq; enim in fornace fuerit conflatum, herbam accendunt. Et ſi germanum aurum fuerit, folia deaurantur, & materiæ ſubſtantiam retinent: ſin autem adulterinum, commutatam humiditatem reſpuunt, prout teſtatur *Chryſermus lib. 3. de fluminibus.*

Adiacet ei mons TMOLVS, omnigenarum ferarum copia abundans. Antea dictus fuit Carmanorius, à Carmanore Dionyſij & Alexiriæ filio, qui in venatione occubuit, apri dente percuſſus. Poſteriore inde tempore Tmolus vocatus eſt hac ratione. Tmolus Martis & Theogones filius, rex Lydiæ dum in Carmanio monte venaretur, conſpecta Arripe virgine, quæ cum Diana verſabatur, eius potiundæ deſyderio inflammatus, eam inſequebatur. At illa vt vim eius effugeret, ad Dianæ delubrum confugit. Cuius religione deſpecta, Tyrannus ſtuprum ei in ipſo templo per vim intulit. Qua illa contumelia affecta præ dolore laqueo ſibi mortem conſciuit. Indignata autem Dea talem impietatem, furibundum Taurum in eum immiſit, à quo in ſublime proiectus, & ad rupes alliſus, in tormentis & cruciatu vitam finiuit. Theoclynus autem eius filius humato patre nomen ab eo monti indidit. Naſcitur ibi lapis pumici non diſſimilis, qui ægrè admodum reperitur: quater enim in die colorem mutat. Cernitur autem à virginibus quæ per ætatem nondum ſapere poſſunt. At cùm iam nubiles & maturæ viro factæ ſunt, ſi eum conſpexerint, nullam vim à quoq; pati poſſunt, vt author eſt *Clitiphon.*

LYCORMAS, fluuius eſt Ætoliæ, Euenus appellatus hanc ob cauſam. Idas Apharæi filius, cùm in Marpiſſam deperiret, raptam eam in Pleuronem deportauit. Quam iniuriam Euenus indignè ferens, raptorem filiæ ſuæ eſt inſequutus: cumq; ad Lycornam perueniſſet, nulla iam aſſequendi eius ſpe reliqua, in fluuium ſe mittens, ei nomen reliquit. Prouenit in eo herba haſtæ formam præ ſe ferens, contra oculorum hebetudinem plurimam vim habens.

Adiacet ei mons MYÆNVS, à Myæno Theleſtoris & Alpheſibeæ filio ſic nominatus. Qui à Nouerca adamatus, cùm patris thorum inceſtu polluere nequaquam vellet, in Alphium montem ſeceſſit. Cumq; Theleſtor pater eius zelotypus mutato habitu cum ſatellitibus ad eum comprehendendum infeſtus veniret, præueniens patris minas, ſeipſum de monte præcipitauit, qui Deorum voluntate Myænus ab eo vocatus eſt. Producit is herbam Leucoion, hoc eſt, albam violam quæ nominata Nouerca marceſcit, quemadmodum refert *Dercyllus lib. 3. de montibus.*

MÆANDER, fluuius eſt Aſiæ prius appellatus Aſcendens. Solus enim ex vniuerſis fluuiis, ad fontes ſuos vnde ortum habet, reuocato curſu relabitur. Dictus fuit Mæander à Mæandro Cercaphi & Anaxibię filio. Qui cum Peſſinuntiis bellum gerens, vouit matri Deorum, ſi victoria potitus eſſet, ſe primum, quicunque de victoria ſibi congratularetur, ei immolaturum, trophæumque erecturum. Redeunti itaque parta victoria domum primus occurrens Archelaus filius cum matre & ſorore congratulabatur, vnde voti facti neceſſitate conſtrictus, proximos ſuos ad aras immolandos adducere coactus fuit. Quod tantam ei miſericordiam & dolorem conciuit, vt in aſcendentem fluuium ſe deiiceret, qui ab eo Mæandri nomen mutuatus eſt, quemadmodum ſcribit *Timolaus lib. 1. rerum Phrygiacarum.* Cuius etiam meminit Agathocles Samius in Repub. Peſſinunt. Demoſtratus autem Apamæus huiuſmodi hiſtoriam recenſet. Mæander dux exercitus contra Peſſinuntios deſignatus, cùm præter ſpem victoria potitus eſſet, Anathemata matri Deorum conſecrata, militibus ſuis donauit. Vnde Dea immittente in inſaniam prolapſus, vxorem & filium ſtatim interemit. Cumq; ad ſanam mentem reuerſus facti pœnitentia duceretur, in fluuium ſe deiecit, qui ab eo Mæander nominatus eſt.

Naſcitur in eo lapis per antiphraſin Moderatus dictus, quem ſi cui in ſinum iniicias, ſtatim furor cum inuadit, & propinquorum aliquem interficit. Placata demum ſacrificiis matre Deorum, malo liberatur, vt ait *Demaratus lib. 3. de fluuijs.* Et meminit *Archelaus lib. 1. de lapidibus.*

Huic adiacet SIPYLVS mons, appellationem ſortitus à Sipylo Agenoris & Dioxippes filio. Qui matre per imprudentiam interempta, cùm furiarum facibus exagitaretur, in Ceramium montem ſecedens, præ incredibili dolore, laqueo vitam finiuit. Mons verò Deorum voluntate Sipylus ab eius nomine dictus eſt.

Naſcitur in eo lapis Cylindro ſimilis, quem inuentum pij liberi in delubro matris Deorum reponunt, & nunquam exinde vel minima impietatis parte delinquunt; ſed amore parentes proſequuntur, & propinquorum calamitatibus condolent, vt ſcribit *Agatharcides Samius lib. 4. de lapidibus.* Et diffuſius meminit *Demaratus lib. 4. hiſtoriæ Phrygicæ.*





MARSYAS, fluuius eſt in Phrygia iuxta vrbem Celenas, antea fons Midæ appellatus hanc ob cauſam. Midas rex Phrygiæ cùm per deſertam & incultam regionem iter faciens, aquæ penuria laboraret, terra pede ab eo pulſata, aureus exiuit fons, cuius nimirum aquæ in aurum vertebantur. Siti itaque ingenti preſſus, & militibus ſeſe affligentibus, Bacchum inuocauit qui ad eius preces affluentem aquarum copiam erumpere iuſſit: & ita Phrygum ſiti reſtincta, Midas fluuium inde promanantem, Midæ fontem appellauit, qui Marſyæ nomen poſtea talem ob cauſam accepit. Superato ab Apolline Marſya & pelle ei in pœnam detracta, procreati ſunt ex effluente ſanguine tum Satyri, tum fluuius eius nomine Marſyas appellatus, vt author eſt *Alexander Cornelius lib. 3. rerum Phrygicarum.* Euemeridas autem Cnidius huiuſmodi hiſtoriam commemorat. Vter Marſyæ temporis vetuſtate detritus, à terra in Midæ fontem impulſus decidit: cumq; ſuper aquas ad tempus aliquod fluctu deferretur, in piſcatoris cuiuſdam manus incidit. Piſiſtratus autem Lacedæmonius oraculi iuſſu ad reliquias Satyri vrbe condita, Noricon ab euentu nomen ei eſſe voluit, quòd Phrygiorum lingua Vtrem ſignificat.

Naſcitur in hoc fluuio herba Tibia nomine, quæ ad ventum agitata, muſicam ædit harmoniam teſte *Dercyllo lib. 1. Satyr.*

Adiacet ei mons BERECYNTHIVS, à Berecynthio primo Sacerdote matris deorum nomen ſortitus. In hoc naſcitur lapis dictus Machæra: eſt enim ferro perſimilis, quem ſi quis eo tempore, quo matris deorum myſteria ſacra peraguntur, inuenerit, Lymphaticus efficitur, quemadmodum refert *Agatharcydes in Phrygiacis.*

STRYMON, fluuius eſt Thraciæ, iuxta vrbem Hedonidem, prius appellatus Palæſtinus à Palæſtino Neptuni filio. Qui erga finitimos bellum gerens, cùm in ægritudinem fortè incidiſſet, filius Aliacmon ab eo præfectus copiarum miſſus, inconſultius prælio commiſſo interfectus eſt. Qua tanta calamitate intellecta Palæſtinus ingenti dolore obrutus, clam ſatellitibus in fluuium Conozum ſe præcipitauit, qui ab eo Palæſtinus vocatus fuit. Poſteà autem Strymon, Martis & Helices filius, audita morte Rhœſi, præ mœrore in eundem ſe deijciens, nomen ei ſuum poſtremo reliquit. Prouenit in eo lapis Pauſilypi nomen ex ipſa re ſortitus, quem ſi quis, dum luget, adeptus fuerit, remittitur confeſtim omnis, quæ eum affligit, calamitas, vt teſtatur *Iaſon Byzantius in Tragicis.*

Adiacent ei montes RHODOPE & HÆMVS, qui fratres inter ſe cùm eſſent, mutuo alter alterius amore correpti, hic quidem eam Iunonem, illa autem eum Iouem dilectum appellabat. Quam contumeliam grauiter ferentes dij, in montem ſui vtrunque nominis transformauerunt. Inueniuntur in ijs lapides Philadelphi vocati, atro colore, hominum imitatores. Si enim ſeparatim collocati nominentur, confeſtim diſſoluuntur, vt ait *Thraſyllus Mendeſius lib. 3. de lapidibus,* & latius tractat in Tragicis:

SAGARIS, fluuius eſt Phrygiæ, prius Xerabates dictus, quia æſtiuo tempore plerunque ſiccus apparet. Sagaris nomen habet à Sagare Myndionis & Alexiroes filio, qui plæraque matris deorum myſteria deſpiciens, Sacerdotes & gallos eius contumelijs afficiebat. Quod impatienter dea ferens, inſaniam ei immiſit: qua exagitatus, in fluuium Xerabatem ſe miſit, qui ab eo deinde Sagaris appellatus eſt. Prouenit in eo lapis Autoglyphus nomine, qui matris deorum effigiem impreſſam deprehenditur habere. Quem, cùm difficilis inuentu ſit, ſi ex caſtratis quiſpiam inuenerit, non alienatur, ſed viuam naturæ opificio inditam faciem repræſentat, vt teſtatur *Aretaſ[?]s in Phrygiacis.*

Adiacet ei mons BALLINÆVS nomine, quod interpretatur regius, à Ballenæo Ganymedis & Medeſigeſtes filio ſic appellatus. Qui cùm patrem ſenſim extingui animaduerterat, Ballenæum feſtum popularibus, in hanc vſque ætatem ſic nuncupatum, indixit. Naſcitur in eo lapis Aſter, qui per noctem inſtar ignis ingrediente Autumno lucere ſolet. Nomen habet apud indigenas Ballim, quod regem ſignificat, teſte *Hermeſianace Cyprio lib. 2. de rebus Phrygiæ.*

SCAMANDER, fluuius eſt Troiæ, qui cùm Xanthus antea diceretur, nomen mutauit, quia Scamander Corybantis & Demodoces filius inter celebrandum arcana Rheę ſacra ex improuiſo viſus, cùm furor eum inuaſiſſet, cum impetu ad eum delatus ſe præcipitem dedit, & ita ab eo Scamander appellatus eſt.

Naſcitur in eo herba SITRVS, ſimilis Erebintho, quæ acinos habet obſcuros vnde & nomen inuenit. Hanc ſiquis penes ſe habeat, nec ſpectrorum, nec Dei præſentia deterretur, vt ſcribit *Demoſtratus Samius lib. 2. de fluuijs.*

Adiacet ei mons IDA, antea GARGARVS dictus, vbi Iouis & matris deorum aræ conſpiciuntur. Ida porrò vocatus eſt hanc ob cauſam. Ægiſtius Dioſpori filius cùm amore Idæ puellæ teneretur, eius concubitu potitus, Idæos digitos (ſic enim nominantur) ex ea procreauit. Poſtea autem cùm ob arcana Rheæ ſacra conſpecta, in inſaniam prolapſa eſſet, in honorem eius montem nomine Idæ appellauit. Naſcitur in eo lapis Chryphius, id eſt Secretus, qui niſi dum myſteria deorum celebrantur, nunquam apparet, vt ait *Heraclitus Sicyonius lib. 2. de lapidibus.*

TANAIS, fluuius eſt Scythiæ, prius Amazonius vocatus, quia Amazones in eo lauari conſueuerunt. Nomen mutauit hanc ob cauſam. Tanais Beroſſi & Lyſippes vnius Amazonum filius caſtiſſimæ vitæ, ingenti ſexus muliebris odio Martem ſolum colebat, & cœlibem vitam, contemnens matrimonio iungi, exercebat. Venus autem matris propriæ amorem ei immiſit, cui in initio pro viribus reluctabatur: tandem ſuperante malo cùm ad eam impietatem deſcendere non vellet, in Amazonium fluuium ſe præcipitauit, qui Tanais ab eo dictus eſt. Naſcitur in eo planta quædam, Halindea nomine, cuius contritæ ſucco expreſſo regionis incolæ lignum oblinunt, eóque deinde calefacti, frigoris rigorem patienter tolerant. Nominant patria lingua Beroſſi oleum. Inuenitur & in eo lapis Cryſtallo non diſſimilis in morem hominis coronatus. Defuncto autem rege ad hunc fluuium comitia regni celebrantur, & quicunque lapidem eum penes ſe habere deprehenditur, eueſtigiò rex deſignatur, & ſceptra præmortui ſuſcipit, vt refert Chetiphon libro tertio de plantis. Et plenius eo commemorat *Ariſtobulus libro primo de lapidibus.*

Adiacet ei mons inhabitantium lingua vocatus BRIXABA, quod interpretatur Arietis frons, hanc

ob cauſam tali nomine ei indito. Phrixus poſtquam in Euxino ponto ſororem Hellem demerſam amiſiſſet, mortem eius, prout naturæ ratio dictat, impatienter ferens, in faſtigio montis cuiuſdam vitam ſolitariam agebat. Conſpectus autem à Barbaris quibuſdam, cùm ad eum cum armis properarent, Aries aurei velleris oculos tollens, viſa aduenientium multitudine, humana voce eum quieſcentem excitauit, ſuſceptumque in tergum, Colchos vſque deuexit. Vnde mons ab euentu frons Arietis appellatus eſt.

Naſcitur in eo herba, quam Barbari lingua ſua Phrixam nominant, quod interpretatur Malos odio proſequens. Rutæ autem eſt perſimilis, quam priuigni colligentes, ab omni nouercarum periculo ſecuri fiunt. Quotieſcunque enim cuiquam inſidiæ à nouerca ſtruuntur, flammas herba emittit. Quo ſigno admoniti, quibus nouerca ſuſpecta eſt, non difficulter imminens periculum ſubterfugiunt, vt refert *Agathon Samius lib. 2. rerum Scythicarum.*

THERMODON, fluuius eſt Scithyæ ab euentu nomen ſortitus. Cùm prius enim diceretur Cryſtallus, quòd æſtate gelu conſtringatur, peculiari natura regionis per quam delabitur, nomen hac occaſione mutauit.

* Deſunt in Græco reliqua.

NILVS, fluuius eſt Ægypti prope vrbem Alexandriam antea Niger vocatus à Nigro Neptuni filio. Ægypti nomen talem ob cauſam accepit. Cùm Ægyptus Vulcani & Leucippes filius locorum circa eum rex eſſet, fluuio ob inteſtinum bellum ex more non aſcendente, fames regionem inuaſit. Vnde conſultus Apollo ſignificauit frugum vbertatem prouenturam, ſi ad auerruncandam iram deorum, rex filiam ſuam immolaſſet. Quod cùm extrema malorum neceſſitate compulſus tyrannus producta ad aram filia adimpleret, immolata ea tantum animo dolorem concepit, vt præ impatientia in Nigrum fluuium deſilierit, qui exinde nomine eius Ægyptus appellatus eſt. Poſtremo Nili appellationem hac de cauſa ſuſcepit. Garmathone regionis circa Ægyptum regina cùm filium Chryſoroam in primo ætatis flore ablatum amiſiſſet, cum domeſticis eum inconſolabiliter lamentabatur. Sed Iſide ex improuiſò ſuperueniente, luctum ad tempus remiſit, & compoſito ad hilaritatem, vt potuit, vultu, Diuam hoſpitaliter excepit. Quæ pietati eius erga ſe parem referre gratiam volens, Oſiridi imperauit, vt ex inferis filium eius ad vitam reduceret. Eo itaque mulieris precibus obtemperante, Cerberus, quem terribilem aliqui nominant, latratum emiſit. Nilus autem Garmathones maritus repentino furore correptus, in fluuium Ægyptum ſe præcipitem dedit, qui ab eo Nilus vocatus eſt. Naſcitur in eo lapis fabæ ſpeciem habens, ad cuius conſpectum canes non latrant. Magnam quoque virtutem habet pro dæmoniacis. Simulatque enim naribus admotus eſt, egreditur dæmonium. Proueniunt ibidem & alij lapides qui Collotes nominantur. Quibus contra impetum Nili collectis, hirundines murum Chelidonium, vt appellatur, conſtruunt: qui fluxum aquæ retardat, & regionem ab inundationis periculo & ſubmerſione tutatur, vt author eſt *Thraſyllus in Ægyptiacis.*

Adiacet huic mons ARGILLVS, in quem Iupiter Argem Nympham, cuius amore tenebatur, ex Lycto vrbe Cretæ raptam detulit, ex eaque filium Dionyſium procreauit. Qui cùm ad ætatem maturam peruenit, in honorem matris montem Argillum ab ea nominari voluit, & ad arma Panas & Satyros concitans, Indiam imperio ſuo ſubiugauit. Superata deinde Iberia, Panem nomine ſuo præfectum ei reliquit, qui à ſe regionem Paniam appelllauit. Et inde poſteri deriuatione ſumpta Spaniam eam vocarunt, vt ſcribit *Soſthenes lib. 13. hiſt. Iberica.*

EVROTAS, Hymerus Taugetes nymphæ & Lacedæmonis filius, ſorore Cleodice, propter iram veneris, in feſto nocturno Dianæ, per ignorantiam à ſe violata, cùm ſequenti luce facti veritatem cognouiſſet, præ ingenti dolore in Marathonem fluuium ſe mittens, ei nomen ſuum reliquit. Poſteriore inde tempore Eurotas vocatus eſt hanc ob cauſam. Cùm Lacedæmonij bellum cum Athenienſibus gerentes plenilunium expectarent, Eurotas dux eorum nulla eius religionis habita ratione, in aciem ſuos, fulminum & coruſcationum prodigijs nequicquam deterrentibus, produxit. Amiſſo itaque exercitu in fluuium præ immenſo luctu ſe coniecit, qui Eurotæ nomen ab eo retinuit.

Naſcitur in eo lapis galeæ formam referens THRASYDYLVS dictus, vocabulo audaciam cum metu coniunctam habentem, ſignificante. Simulatque enim tubæ ſonitum audierit, in ripam proſilit, & nominatis Athenienſibus in profundum deſilit. Iacent multi conſecrati in templo Chalciacæ Mineruæ, vt ait *Nicanor Samius lib. 2. de fluuijs.*

Adiacet huic mons TAVGETVS nomine ei indito, à Taugete Nympha, quæ à Ioue vim paſſa præ doloris magnitudine, laqueo ſibi, in faſtigio montis Amyclæi, mortem conſciuit, vnde Taugetus ab eo vocatus eſt. Naſcitur in eo herba Chariſium, quam, ingrediente Vere, mulieres ad collum ſibi ſuſpendunt, vt ardentiorem in ſe virorum amorem excitent, teſte *Cleantho lib. 1. de fluuijs, & Soſthene Cnidio,* qui id diffuſius tractat, à quo argumentum ſumpſit Hermogenes.

INACHVS, fluuius eſt Argiuæ regionis, dictus primò Carmanor. Inde cùm Haliacmon genere Tirinthius viſo inſcienter Ioue cum Rhea coeunte mente alienatus, præceps in eum ſe miſiſſet, nomine eius Haliacmon appellatus eſt. Poſtremò denique Inachi nomen hac occaſione ſumpſit. Inachus Oceani filius nata ſua Io ab Ioue conſtuprata, diris & imprecationibus deum à tergo inſequens deuouebat. Quod cùm Iuppiter moleſtè ferret, Tiſiphonem furiarum vnam in eum immiſit, à qua diuexatus in fluuium hunc ſe deiecit, qui ab eo Inachi nomen retinuit.

Naſcitur in eo herba Cyoura, rutæ ſimilis, quam mulieres, vt ſine periculo abortiuum faciant, vino irrigatam vmbilico ſuperimponunt. Inuenitur in eodem lapis Berillo non diſſimilis, qui ſi à quoque teneatur, qui falſum teſtimonium dicere parat, nigrum colorem aſſumit. Repoſiti ſunt multi in delubro Iunonis Proſymneæ, quemadmodum refert Timotheus in Argolicis, & meminit Agathon Samius lib. ſecundo de fluuijs. Agathocles verò Mileſius in libris quos de fluminibus conſcripſit, author eſt Ina-





chum à Ioue ob verſutiam ſuam fulmine percuſſum exaruiſſe.

Adiacent ei montes, Mycenæ, Apæſantus, Coccygius, & Athenæus, nomina tali occaſione ſortiti. Apæſantus primò dicebatur lunaris. Iuno enim cùm ab Hercule pœnas ſumere vellet, auxiliatricem ſibi lunam adhibuit, quæ incantationibus vſa magicis ſcrinium quoddam ſpuma referſit, ex qua creatus eſt ingenti magnitudine leo, quem Iris cingulo ſuo alligatum, in montem Ophelitium deduxit. Vbi cùm paſtorem quendam indigenam, cui Apæſantus nomen erat, laniatum occidiſſet, deorum prouidentia mons ab eo Apæſantus vocatus fuit, vt ſcribit *Democritus lib. 1. hiſtoriæ Hercul.*

Naſcitur in eo herba quæ luna appellatur, cuius ſpumam decidentem circa principium æſtatis colligentes paſtores, vt à ſerpentibus non lædantur, pedes ea oblinunt. Mycenæ vero cùm Argus antea dicerentur ab Argo cuncta vidente, nomen id huiuſmodi ob cauſam amiſerunt. Meduſa à Perſeo necata, Steno & Euriale ſororis interfectorem perſequutæ, cùm ad hunc montem perueniſſent, nulla iam aſſequendi eius ſpe reliqua, mugitum præ miſeratione emiſerunt, vnde montem indigenæ Mycenas ab euentu appellauerunt, vt refert *Cteſias Epheſius libro primo Perſeidos. Chryſermus porrò Corinthius lib. 1. de rebus Peloponeſiacis* talem hiſtoriam commemorat. Perſeus cùm per aërem iter faceret, apud hunc montem manubrium gladij ſui delapſum amiſit. Cumque poſtea Gorgophonus rex Epidauriorum imperio excidiſſet, oraculo iuſſus eſt Argolicas vrbes peragrare, & vrbem vbi gladij capulum reperiſſet, ædificare. Ad montem igitur Argium cùm perueniſſet, eburneo manubrio illic inuento, vrbem eodem loco conditam ab euentu Mycenas appellauit.

Naſcitur in eo lapis Corybas, quem inuentum ſi penes te habeas, nullo prorſus horrore ad aſpectum rerum quantumuis formidabilium, concutiere. Mons autem Apæſantus à filio Acriſij dictus: qui cùm circa locum eum venaretur, conculcato ſerpente venenoſo extinctus eſt. Rex itaque ſepulto filio, montem qui Selinuntius antea dicebatur. Apæſantum à filio vocari voluit. Mons verò Coccygius, hanc ob cauſam ita dicitur. Iupiter cùm amore Iunonis ſororis teneretur, concubitu eius voluntate impetrato, Martem ex ea progenuit. Et mons cui Dyceius nomen erat, Coccygius ab euentu vocatus eſt, vt refert *Agathonymus in Perſide.*

Naſcitur in eo arbor Palinurus nomine, ſuper qua ſi animal aliquod rationis expers ſederit, tanquam viſco impeditum retinetur, excepto ſolo cuculo cui parcit, quemadmodum Cteſiphon refert lib. 1. de arboribus. Poſtremò denique mons Athenæus nomen accepit à Minerua. Poſt excidium enim Troiæ Diomedes Argos incolumis reuerſus, conſcenſo monte Geraunio, delubrum Mineruæ ædificauit, montemque Deæ nomine Athenæum nuncupauit. Naſcitur in eius cacumine radix rutæ ſpeciem habens, quam ſi quæ mulier fortè guſtauerit, confeſtim mente alienatur. Eſt autem ei nomen Adraſtia teſte *Teleſimacho lib. 2. Peregrinationum.*

ALPHÆVS, fluuius eſt Arcadiæ iuxta Piſam Olympiæ, dictus anteriori tempore Stymphilus, à Stymphilo Martis & Dormotheæ filio. Qui amiſſo filio Philippo Alcmæone, immenſo dolore affectus, in Nyctinum fluuium deſilijt, qui ab eo Stymphilus vocatus fuit. Alphæi nomen poſtea huiuſmodi occaſione accepit. Alphæus vnus ex ijs qui à Sole deſcenderunt, cùm de virtute cum fratre certamen haberet, eum interemit. Paſtoribus verò eum inſequentibus in fluuium Nyctinum ſe præcipitauit, qui exinde Alphæi nomine ab eo appellatus fuit. In hoc fluuio prouenit herba Cenchritis, faui ſimilitudinem præ ſe ferens, cuius coctæ ſuccum medici bibendum propinant ijs qui inſania laborant. confeſtim enim ab ea liberantur, vt author eſt *Cteſias lib. 1. de fluuijs.*

Adiacet ei mons SATVRNIVS, ad quem cùm poſt Gygantomachiam Iouis minas deuitans Saturnus perueniſſet, nomen eius, cùm Cturus diceretur, commutatum, à ſe denominauit: ibique ad tempus aliquod latitans, captata fugiendi opportunitate, ad Caucaſum Scythiæ montem inde delatus eſt. Inuenitur in hoc monte lapis, cui Cylindrus nomen ex re ipſa impoſitum eſt: quotieſcunque enim fulgurat aut tonat Iupiter, toties à cacumine montis præceps præ timore deuoluitur, vt tradit *Dercyllus lib. 1. de lapid.*

EVPHRATES, fluuius eſt Parthiæ iuxta vrbem Babylonem, dictus antea Medus à Medo Artaxertis filio: qui conſtuprata per vim Roxane Cordyi filia, cuius amore deperibat, cùm poſtridie ad ſupplicium à rege quæreretur, metu territus, in fluuium Zarandum deſilijt, eique nomen ſuum impoſuit. Poſterius autem Euphrates hac occaſione nominatus eſt. Euphrates patre Arandaco natus, cùm filium Axurtam cum matre fortè quieſcentem inueniſſet, Mœchum eſſe ſuſpicatus ſiniſtro indignationis Zelo, iugulum ei ſtricto gladio amputauit. Quem errorem ſera pœnitentia ſequuta, cùm rei veritatem cognouiſſet, ne tam incredibili facinore perpetrato ſupereſſet, in fluuium præ dolore ſe præcipitem dedit, qui ab eo nomen poſtremò retinuit. In hoc inuenitur lapis Aſtiges, quem obſtetrices aluo mulierum difficultate partus laborantium, ad partum ſine cruciatu eliciendum, ſuperimponunt. Naſcitur ibidem herba Exalla, quod interpretatur calida, qua ſuper pectus febri quartana laborantium depoſita, morbus ſuperueniens eius virtute reprimitur, prout author *Chyrſermus Corinthius lib. 13 de fluuijs.*

Huic mons adiacet DRIMYLLVS, in quo lapis inuenitur Sardonichæ ſimilis, quo reges in imperio ſuo vtuntur: qui etiam contra oculorum cæcutientiam plurimùm valet, ſi in aquam calidam prius demergatur, teſte *Nicia Maliote* in libris quos de lapidibus conſcripſit.

CAICVS, fluuius Myſiæ prius Aſtræus ab Neptuni filio Aſtræo nominabatur. Cùm enim ille in nocturno feſto Dianæ, ſororem Alcippem ignarus per vim compreſſiſſet, detractoque digitis eius annulo, ſororis ſigillum poſtridie cognouiſſet, in doloris & pœnitentiæ teſtimonium ſe in fluuium Adurum deijciens, nomen ei ſuum impoſuit. Caicus autem poſtremò dictus eſt à Caico Mercurij & Ocyroes nymphæ filio, qui nobilis cuiuſdam Timandri à ſe interfecti propinquos formidans, in Pauræum fluuium ſe proiecit, qui ab eo Caici nomen accepit. Naſcitur in eo papauer, quod pro fructu lapides habet,

E quibus nigra quædam ſunt, ſimilia lyris: quos in terram recens aratro ſubactam Myſi abijcientes, ſterilitatem frugum futuram intelligunt: ſi quod proiectum eſt, immobile manet. Vbertate econtrà prouentura, lapilli locuſtarum in morem ſubſiliunt. Naſcitur ibidem herba, cui Pharmacus nomen eſt, qua medici mulieribus menſtruatis ſuperimpoſita, ſanguinis per venas fluxum intercipiunt, vt inquit *Timagoras lib. 1. de fluuijs.*

Adiacet huic mons THEVTRAS à Theutrante Myſorum rege ſic nuncupatus: qui cùm venandi gratia Thraſyllum montem conſcendiſſet, conſpecto immenſæ magnitudinis apro, cum ſatellitibus eum eſt inſequutus: at ille præcurrens ſupplicis inſtar, ad Dianæ delubrum confugit, quod cùm omnes certatim vi irrumpere iam conarentur, ſus humana voce altè exclamauit: Parce ô Rex alumno Deæ, qui in ſublime impetu elatus animal interfecit: quod Diana in numinis ſui contemptum accipiens, iuſto indignationis dolore accenſa, aprum ad vitam reuocauit, & facti authori impetiginem cum mania immiſit. Quibus ille cruciatus cùm in cacumine montis commoraretur, Lyſippe filij ſui calamitate conſternata, in ſyluam excurrens vatem vnà ſecũ Polyidum Cyranij filium protraxit. Ex quo totius rei veritate inueſtigata, boum ſacrificio facto Deæ iram mitigauit, filioque in priſtinam ſanitatem & mentem reſtituto, aram Dianæ Orthoſiæ ædificauit, & aprum aureum facie humana fabricauit, qui venatoribus inſequentibus templum ingredi, & vocem humanam in hanc vſque ætatem proferre videtur. Theutras porrò præter ſpem priſtina forma recuperata, montem à ſe Theutrantem appellari voluit. Naſcitur in eo lapis Antipathes nomine, qui ſingularem virtutem habet ad vitiligines & lepras ſanandas in vino contritus, authore *Cteſia Cnidio lib. 2. de montibus.*

ACHELOVS, fluuius eſt Ætoliæ, dictus olim Theſtius hac de cauſa. Theſtius Martis & Piſidices filius ſtatu domeſtico aliquam ob cauſam perturbato, in Sicyonem peregrinatum abijt, vbi ad tempus aliquod moratus, cùm in patrium ſolum iterum reuerteretur, filium Calydonem cum matre fortè quieſcentem repperit. Quem mœchum ratus, per errorem imprudens interfecit. Veritate demum cognita, infœlicis à ſeipſo erroris pœnas expetens, in fluuium Axenum deſilijt, qui ab eo Theſtius appellatus fuit. Poſtremò denique cùm Achelous Oceani & Naidis nymphæ filius ob cognitam à ſe inſcienter filiam Cliſtoriam præ dolore in fluuium Theſtium ſe miſiſſet, Achelous ab eo nominatus eſt. Naſcitur in eo herba Zaclum, lanæ non diſſimilis, quæ poſtquam contrita eſt, in vinum iniecta, in aquam vertitur, & odorem eius accipit, vim tamen nequaquam. Inuenitur ibidem lapis, cui ab euentu Linurgus nomen impoſitum eſt. Proiectus enim in linteum, naturali quodam conſenſu & ſympathia, figuram eius induit, & albus efficitur, quemadmodum refert *Antiſthenes lib. 3. Meleagridum.* Et diffuſius tractatur *à Diocle Rhodio in Ætolicis.*

Adiacet huic mons CALYDON, à Calydone Martis & Aſtinoes filio ſic nuncupatus: qui inſcienter conſpecta Diana ſe lauante, cùm in Petræ formam ab ea commutatus eſſet, deorum voluntate mons Cyrus ab eo nomen accepit. Naſcitur in eo herba Myops, quæ ſi in aquam deiecta fuerit, eaque faciem deinde quis abluat, viſu priuatur, quem placata demum Diana in priſtinum ſtatum reſtituit, vt ſcribit *Dercyllus lib. 3. Ætolicon.*

ARAXES, fluuius eſt Armeniæ nomen ſortitus ab Araxo filio Pyli, qui ſuper regni poſſeſſione contra auum decertans, eum ſagitta interfecit. Furiarum inde vltricibus flammis exagitatus, in Bactrum fluuium ſe deijciens, nomen ei dedit. Quemadmodum autem refertur *à Cteſiphonte lib. 1. Perſicæ hiſtoriæ*, Araxes rex Armeniorum erga finitimos Perſas bellum gerens, explicatis in aciem copijs, oraculum accepit, victoriam penes eum futuram, ſi duas nobiliſſimas virgines dijs malorum depulſoribus immolaſſet. Cùm itaque naturali parentum in liberos affectu, ſuis filiabus parceret, duas vnius ex ſubditis filias nobiles ad aram protractas, dijs ſacrificio facto, mactauit. Quarum pater Mneſalces cùm indignè factum ferret, diſſimulato ad tempus animi dolore, ſimulatque ſe primùm occaſio dedit, ex inſidijs tyranni filias adortus interemit, & patrium ſolum exilij cauſa vertens, in Scythiam nauigauit. Araxes verò tam improuiſa calamitate ictus, præ animi impatientia ſe præcipitauit in Almum fluuium, qui ab eo Araxes nominatus eſt. Naſcitur in eo herba, cui Indigenæ Araxa, id eſt, virgines odio habens, nomen impoſuerunt. Simulatque enim eam contingit à virginibus inueniri, ſtatim velut exanguis facta marceſcit. Inuenitur etiam in eodem lapis Sicyonus nomine, qui nigrum habet colorem. Quotieſcunque autem oraculum ſuper cæde hominis commiſſa, æditum eſt, lapis hic, altaribus deorum mala auertentium, à duabus virginibus ſuperimponitur. Sacerdote inde eum gladio contingente, ſanguinis ingens copia erumpit, eoque tempore ſacra celebrantes cum vlulatibus diſcedunt, lapidem in templum deferentes, vt author eſt *Dorotheus Chaldeus lib. 2. de lapidibus.*

Adiacet huic fluuio mons DIORPHVS, à Diorpho Gygante ſic vocatus, de quo talis fertur hiſtoria. Mithras cùm filium habere deſideraret, & muliebrem ſexum odio proſequeretur, petram quandam calefecit, quæ prægnans facta, impleto partus iuſto tempore, filium ædidit Diorphum, qui naturæ ætatis factus, prouocato ad virtutis certamen Marte, eius ſub manibus occubuit, deorumque prouidentia in montem ſui nominis transformatus eſt. Naſcitur in eo arbor magnam ſimilitudinem cum malo Punico habens, quæ pomorum abundantem fructum producit, è quibus maturum deceptum, ſi Martem nominaueris, viride deuenit, vt author eſt *Cteſiphon lib. 13. de arboribus.*

TIGRIS, fluuius Armeniæ præceps decurrens in Araxen, & Arſacidem paludem, Sollax antea, id eſt, procliuis, appellabatur. Tigridis nomen hac occaſione accepit. Bacchus immiſſo à Iunone furore exagitatus, terras & maria pererrabat, vt aliquod malo ſuo leuamen inueniret. Cumque Armeniæ vicina loca ingreſſus, fluuium hunc tranſmittere nequiret, inuocato Ioue Tigridem ab eo miſſam accepit, cuius tergo ſine vllo periculo in alteram ripam tranſuectus, fluuium in memoriam





facti Tigridem nominauit, vt ait *Theophilus lib. 1. de lapid. hermeſianax.* Porrò Cyprius huiuſmodi hiſtoriam commemorat. Bacchus cum amore Alpheſibeæ nymphæ incenſus, nec donis, nec precibus in voluntatem ſuam, eam perducere poſſet, in dictam Tigridem ſe transformauit. Et ita metu incuſſo, amatam aſſumpſit, fluuioque tranſmiſſo, ex ea Medum filium procreauit. Qui poſtquam ad ætatem maturam peruenit, in honorem rei geſtæ fluuio Tigridis nomen impoſuit, vt teſtatur *Aryſtonimus lib. 3.* Prouenit in eo lapis Myndam inſigniter candidus, quem quicunque penes ſe habet, à feris nullum periculum metuit, teſte *Leone Byzantio lib. 3. de fluuijs.*

Adiacet huic mons GAVRAN, appellationem à Roxanis Satrapa Gauran ſortitus, qui cùm pius cultor deorum exiſteret, mutuam ab ijs gratiam conſequutus eſt. Solus enim ex omnibus Perſis trecentos vitæ annos habuit: cumque ſine vlla præcedentis morbi moleſtia mortem obijſſet, in cacumine montis Mauſori ſepulchrum meruit magnificum: deorum enim voluntate mons ab eo Gauranus appellatus eſt. Naſcitur in eo herba agreſtis hordei ſpecie, quam Indigenæ ad ignem calefaciunt, eiuſque oleo inuncti, in extremum diem vitæ ab omni morbo ſecuri & immunes euadunt, prout ſcribit *Soſtratus lib. 1. de fabuloſæ hiſtoriæ compoſitione.*

INDVS, fluuius eſt Indiæ prærapido curſu in Ichthyophagorum terram properans. Antea Mauſolus dictus fuit à Mauſolo Solis filio. Nomen mutauit hanc ob cauſam. Cum Bacchi arcana ſacra celebrarentur, indigenis omnibus religione occupatis, Indus quidam nobilis iuuenis Damalcidem Oxyalci regis filiam caniſtrum ferentem ex more, per vim conſtuprauit. Cumque à Tyranno ad ſupplicium quæreretur, metu territus in Mauſolum ſe deiecit, qui ab eo Indi nomine deinde vocatus fuit. Naſcitur in eo lapis eiuſdem nominis, quem virgines apud ſe geſtantes ab omni ſtupratorum iniuria, eius præſentia defenduntur. Naſcitur ibidem & herba Bugloſſo ſimilis, quæ inſignem habet virtutem contra Icterum ſeu regium morbum, data ægrotis cum hauſtu aquæ tepidæ, vt ait *Clitiphon Rhodius lib. 10. rerum Indicarum.*

Adiacet huic mons LILÆVS, à Lilæo paſtore ſic nominatus, qui ſolius lunæ cultui deditus, noctis intempeſtæ ſilentio ſacra eius myſteria celebrabat. Indignantibus porrò reliquis dijs ob honorem ſibi ex æquo non delatum, duo ingentes ab ijs leones in eum immiſſi, laniatum vita orbarunt. Luna verò cultorem ſuum in montem eiuſdem nominis commutauit. Inuenitur in eo lapis Clitoris inſigniter nigro colore, quem ornatus gratia in Soterijs indigenæ geſtant, vt teſtatur *Ariſtoteles lib. 4. de fluuijs.*

# PHILONIS IVDAEI DE VITA MOSIS LIB. III.

## *ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.*

## AMPLISSIMO CARDINALI ODONI CASTILIONEO ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.

*DVABVS FERE RATIONIBVS HOMINVM VITA AD VIRTVtem erudiri videtur, præceptorum inſtitutione & exemplorum propoſitione: quas ſi quis conferat ita reperiet, præceptionem factis non teſtatam, frigidam plerunque & inanem eſſe. Præclarè enim comicus, Sine virtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica. Quis enim non videt ſanctiſſimam doctrinam de ſuggeſto declamari ſolitam, tamen hodie in animis nonnullorum frigere, quòd eius oratores ad officium non ſatis, ad eloquendum nimium inſtructi eſſe videantur? contrà caſta & integra vitæ diſciplina etiamſine doctrina ſatis ſemper habuit momenti ad homines virtutis ſtudio inflammandos. adeo hic vt in alijs rebus omnibus, dictis facta potiora ſunt. Quod vtinam huius ætatis mores non probarent, quæ quod paucos habet idoneos virtutis auctores, multos tamen eius profeſſores, ſacra & profana miſcet, cum ad verba aures obſurdeſcant, oculi exempla deſiderent. Itaque tantum hodie id homines fas habent, quo manus abſtineant quod manu contingere non poſſunt, reliqua pro hoſtilibus ferri agiq; licere putant, conceptis verbis peierant, depoſitum abiurant, nullis perſcriptionum cautionibus, nullis tabulis teneri queunt, omnia tribunalia fatigant, ſcortantur, adulterant, fænerant: idq; ſe iure facere credunt, quòd ijs vitijs implicatos vident qui ijs primi carere debuerunt. Quod cum viderem, exiſtimaui, non tàm libros philoſophorũ de moribus hominibus huius ætatis peruolutandos, quàm hominum virtute præditorum exempla cognoſcenda. Sic enim futurum credidi, vt homines tandem aliquando non putarent, quemadmodũ Horatius ait, virtutem eſſe verba, vt lucum ligna. Qui enim hominem omnibus ornatũ virtutibus legerit, is profectò cum Epicuro non exiſtimauerit honeſti inanem ſonũ eſſe, cui nulla res ſubiecta ſit. Itaq; cum Moſem non ſolùm virtutis & religionis eximium doctorem, verùm etiam*

*viuum quoddam & abſolutum vtriuſq; exemplum eſſe cogitarem, quem deus eo nomine populo ſuo ducem & legiſlatorem delegiſſet, eius vitam Græcè à Philone ſcriptam Latinè vt potui expreſſi, vt & homines pij documentum vitæ exemplumq; haberent, & in profano ſcriptore recognoſcerent, quæ in ſacris libris legerunt, multorumq; locorum perobſcurorum explicationem addiſcerent. Huic meo labori duplex reprehenſio proponitur: vna eorum, qui dictionem meam totam vt redundantem & audaciorem aſpernabuntur: qui ſi cogitauerint interpretis munus eſſe, non ad arbitrium ſuum, ſed ad formulam & præſcriptum loqui, fortaſſe de ſententia decedent, cùm Philonis copiam & verborum licentiam quibuſdam locis propemodum poëtarum conſuetudini parem animaduerterint. quæ profectò interpreti adumbranda erat: niſi ſi vt mali pictores faciunt, ex forma ſic imago expingenda fuit, vt quiduis potius quàm exemplar referret. Altera eſt hominum iniquorum & de ingenijs huius ætatis malè exiſtimantium, qui omnem huius temporis ſcripturam, etiam loco ad audientiam capto, faſtidiosè & ſuperbè damnant, & luteæ ædificiorum ſtructuræ comparant. Quorum auctoritate certè moueremur, niſi hic negocium ſuum agere viderentur. Nam alienæ induſtriæ non modum ſtatuendo, ſed ocium imperando, vel ſuæ deſidiæ excuſationem quærunt, vel opinionem eruditionis tueri ſtudent, cui ne quid decedat alijs ſcribentibus verentur. Verùm nihil eſt quod ea de cauſa cuiuſquam langueſcat induſtria. Idem olim ijs quos hodie admiramur, accidit: ſuos enim habuerunt inuidos. Illorum hominum iniquitate & vituperatione potius ſtudium confirmari in ijs debet, qui ſcribendi facultate famam conſecuti ſunt, quàm vlla ex parte debilitari: quorum capiti etiam Ouidio auctore illud canant,*

Rumpere liuor edax, magnum iam nomen habemus:
Maius erit, tantum quo pede cœpit, eat.
Sed nimium properas: viuam modo, plura dolebis.

*Me quidem, etſi minime omnium ad ſcribendum aptus ſum: neſcio tamen quomodo hominum illorum malignitas excitat, vt libentiſſimè ſi poſſim quod eis doleat, facturus ſim. Hæc autem, vt illi appellant, & ipſe ſentio, lutea & fictilia, ineptiſſimus huius ætatis Prometheus offerre tibi Card. ampliſſ. ſum auſus. Nam cum ſcias Samijs capedunculis eſſe dijs aliquando libatum, non modò his, vt opinor non offendêre, verùm etiam lætaberis: cùm à me profecta intelliges, qui vt parem amplitudini tuæ & meritis honorem tibi deferre non poſſum, ita gratam debiti officij voluntatem quomodo poſſum libenter teſtor. Vale.*

# PHILONIS IVDÆI DE VITA MOSIS, ID EST, DE THEOLOGIA ET PROPHETIA, lib. I.

*Adriano Turnebo Interprete.*

VITAM MOSIS, VT NONNVLLI CENSENT, IVDÆORVM LEGISLAtoris, vt nonnulli, legum ſacrarum interpretis, literis mandare conſtitui, viri facile rebus omnibus ampliſſimi & abſolutiſſimi: quem equidem hominibus qui eum ignorare non merentur, notum reddere decreui. Nam cùm legum gloria quas reliquit, orbe terrarum peragrato vltimas oras peruaſerit, eum tamen haud ſanè multi quis mortalis fuerit verè nouerunt: quem nobiliſſimi Græciæ ſcriptores vel inuidia fortaſſis impediti, vel diſſidio adducti legum vrbibus ſcriptarum à latoribus in multis diſcrepantium, memoria literarum Græcarum proſequuti non ſunt: quorum plerique quam ſibi facultatem doctrina compararant, eam fœdè numeris & oratione ſoluta cotaminarunt, comicis fabulis & ſybariticis obſcœnitatibus condendis ad inſignem probri turpitudinem: quos ſuo par fuerat ingenio potius ad proborum virorum commendationem, & honeſtæ vitæ commemorationem vti, ne honeſtas vel priſca vel recens taciturnitati tranſmiſſa obſoleta iaceret, quæ ſuo fulgore eniteſcere poſſet, neu idoneis argumentis prætermiſſis auditu indigna ſequuti eſſe viderentur, flagitioſa bonis verbis pronunciare ſtudentes ad opprobrij prædicationem. Verum præterita eorum inuidentia, viri res geſtas indicabo, partim ex libris ſacris mihi compertas, quæ ille ſapientiæ ſuæ admiranda monumenta poſteris reliquit: partim ex ſermone ſenum quorundam popularium, qui fando audita cum ijs quæ legerentur ſemper contexebant, eaque de cauſſa memoriter magis certeq; hominis vitam quàm alij vlli tenere videbantur. Exordium autem ab eo potiſſimum ducam, vnde neceſſario incipiendum eſt. Moſes genere Chaldæus, ortu educatuque Ægyptius fuit. maiores enim eius diuturna fame conflictati Babylonem omnemque circà regionem premente, cum omni familia ad alimenta quærenda domo profecti, in Ægypto conſederant, cuius ager campeſtris eſt: ſolum pingue & omnium fœcundiſſimum, quæ hominum vita poſtulat, in primiſque frugum ferax. Eius enim amnis æſtate adulta, quo tempore fluuios alios aiunt decreſcere, torrentes & perennes, auctis aquis exundans ſuperfunditur aruis ſtagnanti gurgite, quæ imbrium nihil egentia, vbertatem omnis generis bonorum toto anno prolixè largiuntur, niſi dei indignatio intercedat, conualeſcente cultorum impietate. Patrem & matrem habuit ætatis ſuæ integerrimos, quos quanquam tribules, concordia tamen magis quàm genus coniunxerat. hic ſobole ſeptimus eſt ab illo aduena, qui totius Iudeæorum gentis auctor extitit. Educationem regiam meruit iſta de cauſſa. Ægyptiorum rex, Iudæorum iuuentute ſemper augeſcente, veritus ne incolæ numeroſiores manu validiore tandem cum

dem cum



indigenis de imperio contenderent, nefarijs conſilijs vires eorum imminuere cogitauit. Itaque edicit, vt nati ſtirpis fœmineæ tollantur: quando mulieres ob ſexus imbecillitatem bello inertes ſunt: ſtirpis virilis, vt occidantur, ne in vrbibus iuuentus propagetur. vires enim felici pubis prouentu ſubnixæ munitionem habent, nec ad expugnandum facilem, nec ad euertendum paratam. Sed enim natus puer ſtatim indolem præ ſe tulit, quàm pro priuato aliquanto liberaliorem & honeſtiorem, vt edicta Tyranni parentes quantum potuere contempſerint. Itaque tres ex ordine menſes aiunt clam omnibus eum domi ab ijs lacte nutritum fuiſſe. verum cum, vt aſſolet, in regno quidam penetralia domorum ſcrutarentur, ſemperque nouam aliquam fabulam auribus regis quærerent, veriti ne dum vni ſalutem proſpiciunt, multi vnà cum eo malam peſtem oppeterent, miſerè comploratum puerum exponunt ad amnis ripas, gementéſque reuertuntur ſuæ conquerentes neceſſitudinis vicem, ſeſe interfectores & liberorum parricidas appellantes, ſortem pueri miſerantes & inopinatum exitium: tum vt in rebus iniquis & aſperis aſſolet, ſe maioris fuiſſe calamitatis ſibi auctores inſimulabant. Cur enim, malùm, aiebant, natum ſtatim non expoſuimus? qui mitiorem cibum nondum attigerit, eum ne hominem quidem vulgo eſſe cenſent: nos autem malè ſeduli vltro perpetuos tres menſes aluimus, maiorem nobis mœrorem, tetriorem ei pœnam accerſentes: vt qui voluptatis & doloris per ætatem ſenſum magis percipere poſſet, funeſtiore malorum acerbitate vitam finiret. Illi futurorum ignari miſerabili luctu oppreſſi diſcedebant: expoſititij ſoror adhuc virgo paulum diuerſa, ex præcipuo charitatis aduerſum ſuos affectu, quô res eueniret expectabat: quæ mihi omnia diuinitus accidiſſe videntur, deo de pueri ſalute ſollicito. Erat enim regi filia chariſſima & vnica: eam multò antè nuptam fama tenet, quòd non peperiſſet, prolis præſertim virilis, vt veriſimile eſt, cupidiſſimam, quæ fortunatã hæreditatem paternarum opum & imperij acciperet, nepotũ inopia ad alienos conceſſuram, animi mœſtam ſemper & gementem, illo maximè die magnitudini doloris ſuccubuiſſe: eamq; ſolitam domi vſq; deſidere, nec foribus pedem efferre, cum ancillis in fluuiũ forte tum exiſſe, quâ puer expoſitus erat: deinde lauare & purificare ſe parantem, quâ herbis denſiſſima fluminis alluuies erat, puerum vidiſſe, afferriq; iuſſiſſe: mox totũ à capite ad talos inſpectum, habitu formaq; probata, ploratu perditum conſpicatã miſerari cœpiſſe, animo iam eius ſe flectente, maternamq; pietatem tanquam in legitimum filium induente: auguratam deniq; Hebræi alicuius eſſe veriti ſæuitiã edicti regij, de educando ſecum deliberare cœpiſſe: non enim tutũ exiſtimaſſe ſtatim in regiã ferre. hic hærenti pueri ſororem tanquam de ſpecula dubitationem auguratã accurriſſe, ac rogaſſe, num ab Hebræa aliqua recenti puerpera nutriri puerũ vellet: cum velle diceret, ſuam pueriq; matrem adduxiſſe, vt alienã: quam libenter promptéq; per cauſam merendæ mercedis recepiſſe, ſolertia numinis prima alimenta puero legitima conciliante. Mox ergo in manus tradit: nomen puero indit Moſem ex re, quòd ex aquis eũ ſuſtuliſſet. nam aquam Mos vocant Ægyptij. Celerius autẽ quàm pro tempore incrementa capeſſentem ſurgentemque, ocyus proinde mamma depulſum mater eademq; nutrix ei quæ tradiderat, refert, iam non lacte indigentem, ſed honeſta ſpecie & generoſa decorum. Eum quã pro ætate formoſiorẽ conſpicata, ex aſpectu maiore quàm antea charitate proſequuta, filiũ adoptat, antè ſibi vteri tumorẽ mentita, vt verus, non ſuppoſitus partus cenſeretur. Deus autẽ omnia ex facili reddit expedita quæcunq; vult vel difficillima. Alimentis igitur iam regijs & ſeruorũ familia dignatus, non pro infante laſciuia ludoq; delectabatur: quanquã quibus eius cura commiſſa erat, remiſſiones ei concedentibus, nullámq; ſeueritatem oſtendentibus, ſed pudorẽ & grauitatem præ ſe ferens auditiones & ſpectacula quæ animo prodeſſent, ſectabatur. Doctores ſtatim alius aliunde præſtò fuerunt, partim ex vicinis populis Ægyptiorumq; præfecturis voluntarij, partim ex Græcia magnis emolumentis euocati: quorũ facultatem breui tempore ſuperauit, cũ & ingenij felicitate doctrinam anteuerteret, vt planè non diſciplinam, ſed recordationẽ eſſe approbaret, & de ſuo multa perſpectu obſcura ingenioſè excogitaret. Multa enim indoles egregia ad ſcientiã nouare ſolet: & quemadmodũ corpora optimè affecta & conſtituta omnibuſq; artubus vigentia exercitores ſuos omni cura liberant nihil aut paulum admodũ ſui muneris conferentes, & agricolas feliciter pubentes & generoſæ ſtirpes quæ ſua ſponte lætiores adoleſcunt: eodẽ modo animus à natura benè informatus ſermoni ſolet occurrere, & ſuapte vi magis quàm præceptorũ inſtitutione iuuatur, comprehenſoq; ſemel alicuius ſcientiæ primordio, vt prouerbio fertur, equus in campũ emicat. Numeros igitur & geometriam, præterea pedum, modorum, verſuum ſcientiam, totámq; adeo muſicam, inſtrumentorũ vſu, & præceptione artiũ explicationeq; locorum Ægyptiorum eruditi tradiderunt: adhæc notationibus inuolutam philoſophiæ cognitionem, quam in literis ſacris, quas appellant, oſtentant. & in animalium cerimonia deliteſcentem quæ deorum honoribus proſequuntur: reliquam tralatitiam eruditionem Græci docuerunt: ex vicinis populis Aſſyriorum literas rerumque cœleſtium Chaldaicam peritiam, ſed & ab Ægyptijs mathematica præcipuè colentibus aſſumpſit: ac quibus in rebus vtriſq; vel conueniret, vel diſſidium eſſet cùm diligenter cognouiſſet, controuerſijs tamen ſine pertinaci concertationis ſtudio prætermiſſis, verum perueſtigabat, cùm eius animus falſi nihil admitteret, vt ſolent contentioſi pugnacéiq; ſectatores, qui propoſitis ſemel decretis qualia illa cunque ſint, patrocinantur, an proba ſint nihil exquirentes: qui profectò idem mihi facere videntur, ac qui mercede cauſas agunt, & quibus æqui bonique nullus reſpectus eſt. Poſteaquam autem ex pueritiæ finibus exceſſit, prudentiam multo acrius intendere cœpit, non vt nonnulli adoleſcentiæ cupiditates effrenatas eſſe ſinens, cùm alioqui mille fomites & illecebræ non deeſſent ex copia rerum & abundantia, quam regna ſuppeditare ſolent: ſed modeſtia & continentia velut habenis eas coercens, efferueſcentem impetum retinebat. Ac reliquas quidem perturbationes inſanas & ſuapte natura rabidas, eicurando tamen & manſuefaciendo deliniebat & edomabat, atque etiam ſi quando paulum modo ſe commouerent, & tanquam alis geſtirent, grauiora remedia verborumque caſtigationem adhibebat, prorſuſque primas animi ſuſceptiones & impulſiones quaſi tenacem & contumacem equum obſeruabat, veritus ne ante rationem quàm aurigari oporteret excurrentes, omnia modis omnibus perturbarent. Iſtæ enim bonorum cauſſæ ſunt & malorum: bonorum, cum imperio rationis obediunt

bediunt

ſediunt: malorum, cùm imperium detrectantes inſoleſcunt. Ergo, vt par erat, & qui vnà verſabantur, & alij omnes in nouo ſpectaculo perculſi ſtupebant, & ecqua obſecro mens, inquiebant, eius corpus incolit & tanquam ſimulachrum inſignit? & humanáne eſſet, an diuina, an ex vtroq; mixta quærebant: quòd nullam multitudinis & vulgi ſimilitudinem redderet, ſed emineret, & ad auguſtiora & magnificentiora euaderet. nam ventri vltra neceſſitatem tributi à natura imperati nihil indulgebat, nec voluptatibus quæ abdomini ſubiectæ ſunt, ante legitimorum ſatum liberorum inſeruiebat, ac ne earum quidem meminerat, cùm præſertim eximiè frugalitatem exerceret, & ad delicatorum vitam, vt nemo alius, illuderet. animo enim ſolo viuere concupiſcebat, non corpore. Philoſophiæ verò præcepta quotidianis vitæ officijs oſtendebat, cum & ea quæ ſentiret loqueretur, & verbis conſentaneas actiones redderet, ad ſermonis & vitæ conſenſionem, vt qualis eſſet oratio, talis quoque vita reſponderet, cum vtranque velut in muſico inſtrumento concinentem exigeret. ac plerique quidem omnes, ſi tenuis modò aura felicitatis aſpirarit, inflati magnumque ſpirantes animos tollunt, obſcurioresque ſuperbè deſpicantes, purgamenta, moleſtias, onera terræ, cæteraque generis eiuſdem in eos increpant, proinde quaſi ſtabilem proſperitatem apud ſe tanquam annulo obſignatam affirmarint, ipſi ne in craſtinum quidem eodem in ſtatu fortaſſe permanſuri. nihil enim fortunâ commutabilius & incertius, quæ rerum humanarum ſurſum deorſumque aleam quandam ludit, quæ ſæpenumero vno die in excelſo conſtitutum deprimit, aut depreſſum in altum ſubuehit. & tamen cum quotidiana & vſitata videant iſta, compertaque habeant, illos & neceſſarios contemptum eunt: leges quibus nati ſunt & creuerunt, violant, patriæ mores de quibus nemo queri meritò poſſit, ad inſolentiam profligati loco mouent, ac in præſentium vſurpatione nihil iam vetera commeminere. At Moſes ad humanæ beatitudinis ſummam progreſſus, & tanti regis ex filia nepos creditus, mox etiam imperij auiti ſpe omnium ſucceſſor deſtinatus (nam quid aliud quàm iunior rex iam audiebat?) gentilem tamen maiorumque ſuorum diſciplinam æmulatus eſt, cùm eorum à quibus adoptatus fuerat, bona etſi ad tempus ſplendidiora, fucata tamen & adulterata exiſtimaret: parentum contra ſuorum, quanuis ad breue tempus obſoletiora, vera tamen & germana cenſeret: isque adeo incorruptus exiſtimator & iudex eorum à quibus procreatus & à quibus adoptatus eſſet, illos pietate & charitate flagrantiſſima, hos grata beneficiorum recordatione proſequebatur, gratiamque ſemper habiturus videbatur, niſi à rege nouum & immane parari ſcelus animaduertiſſet. Nam Iudæi, quemadmodum antea dixi, exteri & hoſpites erant (cum auctores generis fame coacti per inopiam alimentorum Babylone & ex ſuperioribus Satrapijs profecti in Ægyptum demigraſſent) & quodam modo ſupplices tanquam in fanum inſpoliatum ad fidem regis & habitatorum miſericordiam confugerant. Nam hoſpites me iudice licet recipientium ſupplices adſcribantur: incolæ præterquam quòd ſupplices, etiam amici, qui in eadem quæ ciues iura concedere expetant, in eandem iam vicinitatem commigrarint, nec ab indigenis multum differant. Eos igitur qui patriam reliquerant, in Ægyptum aduenerant, vt in altera patria tutò habitaturi, regionis imperator ſeruilem in modum vexabat, & tanquam belli iure captos aut tanquã vernas de iuſto domino emptos opprimebat, & pro mancipijs habebat, qui non modò liberi erant, verùm etiam hoſpites, ſupplices, inquilini, nullo metu nullaq; reuerentia dei liberalis, hoſpitalis, ſupplicabilis, domeſtici, huius generis officiorũ arbitri & præſidis. mox etiam iuſſa ſupra vires imperabat, laborem labore alio ſubinde cumulans, deficienteſq; ferrum ſequebatur. Nam curatores operum importuniſſimos & abſque omni miſericordia & venia ſæuiſſimos impoſuit, quos ex re ἐργοδιώκτας, id eſt, opera vrgentes vocabant: opus autem faciebant, alij lutum in laterem formantes, alij acus conuehentes (nam acus lateris vinculum eſt) alijs aſſignatæ erant ædium, mœnium, vrbium conſtructiones, foſſæque ducendæ, materiam ipſis noctu iuxta interdiuque abſque ſucceſſione comportantibus ſine omni intermiſſione, vt ne ſomno quidem vlla ceſſatio concederetur, cùm omnia & opificum & miniſtrorum munia facere cogerentur, vt breui feſſis corporibus deficerent, cùm animos ante deſpondiſſent. Itaque alij ſuper alios paſſim cadebant, velut peſtilenti lue funera vulgante: quos extra fines inſepultos abijciebant regij, glebam inijcere non modò non ſinentes, verùm ne cognatos quidem aut amicos flere ſic miſero conſumptos exitu concedentes: quinetiam animi affectibus qui mancipari nequeunt, quod vnum nobis liberum & immune natura reliquit, dominatum herilem impij minitabantur, intolerabili pondere neceſſitatis impotentioris opprimentes. Iſta igitur cum indigniſſimè ferret, nec vel vlciſci iniurioſos, vel læſis ſubuenire poſſet, quod vnum poterat verbis iuuabat, curatoribus ſuadens blandè appellando, vt æquiores ſe præſtarent, & de acerbitate imperij aliquid remitterent & relaxarent, operarijs vt præſentem ſortem generoſè ferrent, animiſque ſe viros exhiberent, neu fatigatis corporibus animis elangueſcerent & debilitarentur, atque ex malis meliora ſperarent. Nam in mundo ſemper in contrarium mutationes eſſe, ſic nubilum in ſudum, flatuum procellas in aeris tranquilitatem, maris fluctum in malaciam & quietem abire: vices tamen iſtas humana eò magis ſentire, quò incertiora ſunt. Iſto tanquam carmine medici optimi more, morbos quanquam grauiſſimos ſe leuare poſſe cenſebat: illi verò, ſi quando interquieſcerent, reuerſi tamen paulo pòſt adoriebantur, prorſus aliquid ex reſpiratione noui mali ſuperiori ærumna multo infeſtioris inuehentes. Nam curatorum nonnulli vehementer immites & rabioſi videbantur, diritate & ſæuitia nihil à venenatis beſtijs aut viſcere veſcentibus feris diſcrepantes, belluæ hominis ſpeciem præferentes, corporis formam ad opinionem manſuetudinis fraudi & inſidijs prætendentes, ferro & adamante contumaciores. Ex his vnum omnium violentiſſimum, poſtquam non modò monendo ad æquitatem non leniebatur, vt etiam vltro exaſperaretur, vt qui non imperata ſtatim citra interſpirationem ſtrenua manus celeritate perageret, cæderet, ad mortem pulſaret, omni contumeliarum & plagarum genere malè multaret, interficit, ius faſq; ratus iſtud eſſe. & quidem ius erat, eum qui ad hominum exitium peſtemq; viuebat, de medio tolli. Rex audita re, ſtomachari indigneq; ferre, non quòd quiſquã aut cædem feciſſet, aut interfectus eſſet iure vel iniuria: ſed quòd nepos cum





ipſo non conſentiret, nec eoſdem hoſtes & amicos iudicaret: ſed quos amaret odiſſet, amaret quos execraretur, miſeraretur in quos rigidus & inexorabilis eſſet. Occaſionem ſemel nacti proceres, adoleſcentem ſuſpectantes (eum enim ſuorum maleficiorũ memorem aliquando fore ſciebant, & in tempore vindicem) apertis aui auribus mille calumnias hinc & inde infundere, etiam metũ amittendi principatus incutere. Sic enim loquebantur, Adorietur, nihil paruum cogitat, ſemper aliquid attentat, ante tempus regnum affectat: alios captat, alijs minatur, indicta cauſſa interficit, tibi beneuolentiſſimum quenq; peſſimè odit. Quid expectas, ac non quæ facere cogitat iam pateris? magna inſidiatori opportunitas eſt & merces, eius qui inſidiis appetitur procraſtinatio. Iſta in ſuſurrantibus, infinitimam Arabiam ſeceſſit, vbi commorari tutum erat, Deum implorans & obteſtans, vt Iudæos ex rebus egenis & calamitoſis liberaret: Ægyptios qui nihil ad iniuriam reliqui feciſſent, malis exemplis perderet, ac ſibi vtrunq; videri duplicatâ lætitia concederet. Audit preces Deus, mores eius admiratus honeſti ſtudio & improbitatis odio inflammatos: nec ita multo poſt diiudicat regionis cauſſam, vt Deum decebat. Sed dum illam diſceptationem parat, interim virtutis certamina Moſes obibat, aliptem intus habens nobilem & luculentum animum, à quo ad præſtantiſſimæ vitæ genera, contemplationẽ & actionem, exercebatur, philoſophiæ decreta ſemper reuoluens, facili mentis curſu illa perluſtrans, & apud memoriã fideliter citra obliuionem vllam deponens, officiaq; vitę ſuæ ſtatim ad omne laudis genus accommodans, non opinionis & in vulgus exiſtimationis cupidus, ſed veritatis, vt qui ſcopum vnum animo deſtinaſſet, rectam naturæ rationem ſequi, quod vnum eſt virtutis caput, qui vnus fons. Alius proinde qui implacabilem iram regis profugiſſet, & ad alienigenas ſe contuliſſet, nondum compertis populi moribus, nondum planè gnarus quibus gaudeant, à quibus abhorreant, operam daret vt vſurpatione quietis multitudinem clam fallens in obſcuro vitã agitaret, aut ſi in mediũ prodiret, optimates & opulentos aſſiduis obſequiis demereretur, à quib⁹ commodi & præſidij ſpes eſſet, ſi quis inecta manu abducere fortè tentaret. Ille verò contrariã viam ingreſſus, rectas animi impulſiones ſecutus eſt, nullam ſupplantari ſinens: quocirca quædã ſupra vires interdum audebat: vires voluntarium æquitatis ſubſidium interpretatus, qua fretus vltro ad opem infirmioribus ferendam rapiebatur. Quoddam autem illius temporis eius facinus referre libet, quod etſi opinione paruũ videbitur, à magna tamen animi propoſitione eſt profectum. Iumenta vulgo paſcunt Arabes, eaq; armenta non viri tantum, ſed & mulieres atq; adeo adoleſcentes & virgines, liberi non contemptorum tantùm hominũ & ignobilium, verùm etiam honeſtiſſimorum & clariſſimorum. Itaque ſeptem puellæ ſacrifici patris pecus agentes ad puteum quendam venerant, ſituliſq; de troclea ſuſpenſis inuicem alia alij ſuccedentes æqualiter partito labore ſtrenuè lacus qui propter erant implebant: forte quadam ſuperueniunt alij paſtores, qui contempta virginum infirmitate eas cũ pecore à lacu abigere tentant, ſuumq; pecus ad paratã aquam appellunt alieno labore fruituri. quod Moſes vt vidit (non enim procul aberat) contento curſu aduenit, ac propè ſtans: Non deſinetis, inquit, iniurij eſſe, ſolitudinem vobis commoditatem rati? Siccine ignauã brachia lacertóſq; ſegnes fouere non erubeſcitis? vos quidem carnes & villi profundi tantum eſtis, non viri. Puellæ mediusfidius iuuenilem præſtant virtutem, nullam defugientes rerum agendarum functionem: iuuenes contrà puellarum in morem delicijs diffluitis. non hinc faceſſetis? non cedetis prioribus, quarum hauſtus eſt? quiquidem eis merito, quo maior copia ſit prætereà hauriatis: & paratam aquam ademptum properatis? quod cœleſtem Iuſtitiæ oculum adiuro, omniũ etiam in ſolitudinibus vaſtiſſimis arbitrum non facietis. Itaq; me non id expectantem opitulatorem eis deſignauit: harum quibus iniuriam infertis me propugnatorem profiteor magna manu, quam à facinoroſis nefas conſpici: verum eam ex occulto ſauciantem ſentietis, niſi animum mutatis. Iſta differente, veriti, quando inter verba diuino furorẽ inſtinctus in vatem mutatus videbatur, non oracula & effata caneret, morem gerunt, & gregem virginum ad lacum ſuo depulſo appellunt. Virgines lætiſſimæ domũ reuerſæ, factum quod præter opinionem euenerat, narrant, ac patri mirificum hoſpitis deſiderium afferunt. Itaq; animum earum ingratum ſic increpabat, Quid, malum, quẽ huc ſtatim adductum oportuit, miſſum feciſtis, & ſi recuſaret, exoratum? num quod me erga homines odium concepiſſe animaduertiſtis, aut non iterum in ſceleratorum manus vos deuenturas ſperatis? gratiæ immemores opitulatorem deſiderare neceſſe. Sed vos properè (nam adhuc peccatum ſanari poteſt) currite, & hominem vocate, quem hoſpitali primum munere, deinde remuneratione (debetur enim ei gratia) proſequemur. Illæ curriculo profectæ, non longe à fonte hominem aſſequuntur, expoſitiſq; patris mandatis, ad ſe domum vt diuertat perſuadent. Earum pater habitum hominis ſtatim, conſilium paulò poſt admiratus (nam egregia indoles de ſe facile perſpicua breui tempore cognoſcitur) filiarum pulcherrimam ei nuptũ collocat: quo vno facto ampliſſimũ omnis probitatis & integritatis ei teſtimonium dedit, & honeſtatem vel ſolam per ſe amabilem eſſe docuit, quæ nihil alienæ commendationis indiget, ſed commendationis argumenta ſecũ circumfert. Poſt nuptias greges paſcebat, in quo ad imperium prædocebatur. nam ars paſtoritia, meditatio & commendatio quædam eſt regni manſuetiſſimo hominum gregi imperaturis, vt venatio hominum militarium exercitatio: venationes enim ante meditantur, qui ad ductandos exercitus ſe comparant, mutis animantibus tanquã materia propoſitis ad proluſionem imperij vtriuſq; temporis, belli paciſq;. Ferarum enim venatio, imperatoria eſt in hoſtes exercitatio: manſueti autẽ pecoris curatio & præfectura, regium erga eos qui ditioni parent, munus & commentatio. Quo fit vt reges populorum paſtores non ad contumeliam, ſed ad honoris præſtantiam appellentur: ac mihi rem verè mecum, non ex hominum opinione reputanti (rideat qui volet) ille demum perfectus rex fore videtur, qui paſtoritiæ artis peritus, in minoribus animantibus maiorũ adminiſtrationem didicerit. Nam vt ante parua magna peragantur, fieri non poteſt. Cum igitur omniũ ætatis ſuæ paſtorum optimus eſſet, omniumq; pecoris vtilitatũ experiens & induſtrius conquiſitor, quòd nihil per ſegnitiem defugeret, ſed ſua ſponte promptus: voluntariaq; animi indictione omnia obiret, greges alacriter & fideliter amplificabat, vt iam alijs paſtoribus inuidioſus eſſet, nihil ſimile in ſuo grege cernentibus, fortunatamq; ducentibus abundè eundem pecoris habitum: quæ quotidie non proficiente diminutio notatur,

propterea quòd propagari ſolet opimum & pingue beato prouentu pulchritudinis: fœcundum & ſalubre, multitudinis. Moſes autem pecus ſemper ducebat in locum aquoſum & paſcuum, multi graminis vberem ouillo pecori. Itaq; dum quodam in ſaltu forte paſcit, ecce tibi ſpectaculum repente ſtupendum videt. Rubus erat frutex ſpinis horrens & infirmus, is à nemine ſuccenſus repente flagrare cœpit: & quanquam totus à ſtirpe ad ſurculos multa correptus erat flamma, tanquam fontis quadam ſcatebra imbrem ſummittente, incolumis tamen ſaluuſq; permanebat, nec vrebatur, proinde quaſi impatibilis quædam natura, nec ignis materia foret, ſed ignem ipſe pro pabulo haberet. Ex media flamma ſpecies extitit auguſtiſſima rei nulli aſpectabili ſimilis, inſtar quoddam & ſimulachrum perſimile diuinæ formæ, lumine quouis igni ſplendidiore effulgens, quam eius qui eſt, imaginem quiuis exiſtimaſſet: verum angelus, id eſt nuncius appelletur, quòd prope omnia quæ futura eſſent denunciauerit, ſilentio & taciturnitate clariore & diſertiore quauis voce, per illam ſpeciei maieſtatem & magnificentiam. Ardens enim rubus ſignificatio & nota erat eorum qui læſi fuerant, flagrans ignis, eorum qui iniuriã inferebant: quod autem id quod ardebat, non deflagraret, id vero ſignificabat eos qui violabantur ab ijs à quibus iniuria appetebantur, minime interituros eſſe, ſed his irritum & inutilem conatum fruſtra fore, illis innoxia aduerſariorũ improba conſilia. Ac nuncius erat ille quidem prouidentiæ dei, qui quæ truculenta maximè obijciuntur, præter omnium ſpem nullo negocio delinit. Eſt autem ſpecies etiam atque etiam conſideranda. Rubus vt dixi, frutex eſt infirmiſſimus, nec aculeis tamen inermis, vt ſi quem modo tangat, vulneret: is nec conſumptus eſt igni ſuapte natura rerũ confectore, contraq; conſeruatus eſt, integerq; qualis erat permanens, prater quam quod nihil flagrando amiſit, fulgorẽ etiam adeptus eſt. Iſtud nimirũ omne deſignationem quandam habet conditionis, qua gens tota eo tempore conflictabatur prope calamitoſis clamantem, Ne animũ deſpondete: imbecillitas veſtra robur eſt, quod male pungit & ſauciat quàm plurimos: ab ijs qui veſtrũ genus delere tantopere concupiſcunt, ipſorũ ingratijs ſalus vobis potius parta fuerit, quàm interitus. nihil detrimenti his malis acceperitis: quàm vos maximè aliquis aliquando profligatũ iri ſperauerit, tam maximè ad decus & gloriã tum emicaueritis. Adhæc, ignis natura eſt confectrix & exitioſa, ferociores & contumaciores ſic caſtigans, Ne veſtris viribus freti animos tollatis: cũ inuicta peſſum trahi robora cernatis, modeſtiam colite. Vſtrix illa vis flammæ, velut lignũ vritur: lignũ natura cremabile, pro igni perſpicuè vrit. Prodigium iſtud & miraculũ cum oſtendiſſet Moſi deus, ad illuſtrem eorũ quę gerenda erant admonitionem, oraculis quoq; cœpit eum hortari ad ſuſcipiendã gentis curam, non ſolũ auctorem libertatis futurum, verùm etiam colonię illinc propediẽ deductorem, ſuum præſto fore auxiliũ vbiq; pollicitus. Hominũ enim, inquit, iampridẽ ærumnoſorum & intolerandas contumelias perferentium, nemine eorũ vicem nec ſubleuante nec miſerante, me miſeret. nã & priuatim ſingulos, & vniuerſos vno conſenſu ad ſupplicia obteſtationeſq; conuerſos, video auxiliũ meum ſpectare. Sum autẽ natura mitis, ac verè ſupplicibus propitius. Propera igitur ad regionis regem, caue ſis timeas. nam prior à quo inſidiarũ metu profugiſti, exceſſit è vita: nunc alteri regnũ mandatum nullius tui facti maliq; memori, aſſumptoq; gentis ſenatu corã expone, gentem oraculo meo monitã eſſe, vt tridui viam extra fines regionis progreſſa, ritu patrio rem diuinã faciat. Hic Moſes cũ minimè dubitaret, quin verbis, nec populares ſui, nec omnes alieni fidẽ habituri eſſent: Si igitur, inquit, me rogent, ecquod nomẽ eius ſit, cuius miſſu veniã, nec dicere queam, an non obſecro fallere planè videar? Ille, primũ eis, inquit, dicito me eũ eſſe, qui ſit, vt intellecto diſcrimine eius quod eſt & quod non eſt, addiſcant nullũ prorſus nomẽ in me propriè conuenire, cui ſoli eſſe ſuppetat: ſin imbecilliore ingenio cognomentũ forte requirant, ne tantũ illis declarato me deum eſſe: verùm etiam triũ hominum virtutis propè gentiliũ numen eſſe prædicato, Deum Abraham, deũ Iſaac, deum Iacob: quorũ vnus ſapientiæ eius quæ doctrina: alter, eius quę natura: alius eius quę exercitatione comparatur, regula fuerit. Quod ſi ne tum quidẽ fidem habeant, ſignis admoniti tribus de ſententia deducentur, quæ nemo dum mortaliũ vel vidit vel audiuit. Signa illa erant: virgã quam tenebat humi iacere iubet: ea vero illico animata cœpit ſerpere, & immani magnitudine princeps animantiũ pedibus carentiũ repentè iuſtus efficitur draco. Ille vero cum metu amens à bellua refugeret, reuocatur, iuſſuq; dei fiduciã pariter inſpirantis cauda prenſa draco etiamnũ volumina ſinuans ad tactũ rigeſcit: & in longum porrectus, in priſtinũ ſcipionem reſtituitur: vt in vtraq; mutatione mirum in modũ attonitus ſtuperet, nec ſtatuere poſſet vtra miranda magis eſſet, animo vtraq; imagine pariter perculſo. Atq; iſtud quidem primũ fuit. Alterũ non multo poſt miraculum edit: Manum alteram iubet in ſinũ conditam paulo poſt promat: cum iuſſa feciſſet, manus niue candidior repentè extitit: quæ rurſum in ſinũ dimiſſa & educta, ſuam ſpeciẽ verſipellis recuperauit. Atq; iſta ſolus à ſolo docebatur, vt apud magiſtrũ diſcipulus domi prodigiorum habens inſtrumenta, manũ & ſcipionem, quo tanquã viatico antè inſtructus erat. Tertium nec circunferre erat, ortũ ex Ægypto ducens, nec prædocere: non minori tamẽ ſtupori futurum. Aquæ, inquit, fluminis quantumcunq; hauſeris in terramq; effuderis, rutilus ſanguis euadet, ac præter colorem etiã poteſtate prorſus degenerabit. huius rei fidẽ omnino faciebat, vt apparet, non ſolũ auctoritas loquentis minime mendax, verùm etiã oſtentata iam in manu & baculo miracula. quanquã autem ad credendũ Moſes abducebatur, nihilominus tamen munus illud modis omnibus recuſabat, voce exilem, lingua tardum, oratione infacundũ ſeſe prædicans, eo magis poſtquam diſſerentẽ deum audiuerat. Nam qui hominum facundiã cum veritate comparatam, infantiam ducebat mutã & elinguem eſſe, natura alioqui ipſe paulo timidior: tum vero ſe ſummittebat magis, ex præſtantia magnitudinem rerũ exiſtimans, nõ ex facultate ſua: aliũ deniq; deligi optabat, qui facile expediteq; mandata perageret. deus approbato hominis pudore, Tun' eum ignoras, inquit, qui hominẽ ore donauit, qui linguã & guttur parauit totamq; humanę vocis machinationem? is ego ſum: proinde timeas caue. meo quippe numine articulata fuerint omnia, & in melius cõmutata, quãdo ſine offenſione ex lympido fonte cogitationũ tuarũ perennis latex æquabili volubilitate fluet. Quod ſi interprete ſit opꝰ, adminiſtrũ & vicariũ os fratris præſto habebis, vt ille multitudini ſententiã tuã exponat, tu illi diuinã. His auditis (nõ enim recuſatio tuta eſſe, nec periculo vacare videbatur) profectionẽ cũ vxore & lib. adornat illa via quę in Ægy-

ptum fe-



ptum ferebat, fratriq; illac occurrenti memorandis Dei oraculis perſuadet vt vnà ſequatur. Ille verò animo iam antè Dei ſolertia ad parendũ ſubornatus erat, vt ſine retrectatione rem comprobaret, confeſtimq; ſequeretur. Quid multis? in Ægyptum profecti vno & animo & ſenſu, concilio primum ſenatorũ gentis clanculum aduocato operta referunt, Deumq; memorant eorum miſertum, libertatem & illinc demigrationem in meliores ſedes polliceri, ſeq; viæ ducem promittere: deinde regem etiam audent conuenire, vt populũ extra fines emittat ſacris operaturũ: ſacra enim patria in ſolitudine fas eſſe celebrari, non aliarũ gentium ritu, ſed ceremonia moreq; promiſcuã & profanam communionem fugitante, ob eximia & ſingularia gentis inſtituta. Ille iam inde ab incunabulis maiorũ faſtu deprauatũ habens animum, nullumq; prorſus Deũ extra aſpectabiles intelligentia comprehenſibilem ratus eſſe, cõtumelioſè reſpondet, Ecquis eſt ille tandem, cui me parere æquũ cenſetis? Neſcio nouum iſtum quem memoratis dominum. Equidem populum non dimittã per cauſam feriarum & ſacrificiorũ rebellaturũ. Mox ille ingenio violentus, odio acerbus, ira ſæuus & inexorabilis, in pręfectos operũ iubet ignominioſè conſuli, quòd remiſſionẽ & ocium indulſiſſent, remiſſionis & ocij eſſe clamans, de ſacris & ferijs cogitare. hominibus enim neceſſitudine circumuentis nihil horum in mentem venire, ſed ijs qui facile agitant, & quorũ vita bonis rebus & delicijs circumfluit. Itaq; cũ grauiores quàm antea ſufferrent ærumnas, Moſi iraſcerentur vt impoſtori, eũ clam palàmq; maledictis omnibus inceſſerent, impietatis inſimularent, qui in deũ improbè mentitus videretur: demum oſtendere prodigia aggreditur quæ edoctus antè fuerat, eos ratus, qui vidiſſent ab incredibilitate & peruicacia, ad eorũ quæ narrabat fidem facile ſe traducturũ. ſtudio fuit prodigiorũ etiam ſpectaculum regi Ægyptiorũ eiuſq; purpuratis. Cùm ergo omnes in regiam optimates conueniſſent, ſcipionem moſis frater quaſſando oſtentans, mox humi abiicit: ille verò ſtatim draco fit. hic tota vndiq; corona ſpectare, admirari, deinde metu ceſſim fugere. At Sophiſtæ & Magi qui forte aderant, quid, aiebant, conſternamini? Nos iſtiuſmodi rerũ expertes nõ ſumus, ſed arte vtimur iſta molliente. Ita baculo à ſingulis abiecto turba draconũ extitit: ſed in eos omnes circũ ſe glomeratos vnus is longè potentior coortus, ſublime elatus, dilatato pectore os pandens, violentiſſimo ſpiritus hauſtu quaſi iactũ piſcium vndiq; verriculo vallatũ attrahit, iiſq; deuoratis in priſtinũ baculũ redintegratur. Igitur iam ex iniquorũ animis ſpectaculi magnificentia ſuſpicionẽ remouebat, ne hominũ calliditate & artibus ad ludibriũ & præſtigias ea fieri exiſtimarent: ſed numine quodam diuiniore iſta geri ducerent, quod ex facili quodcunq; ageret. poſt ubi rerũ perſpicua fide in medio fateri coacti, nihilominus tamẽ ferociter inſultabant parem immanitatem & impietatẽ pro certiſſimis amplexi bonis, nec iniuſta ſeruitute preſſos miſerantes, nec imperata facientes, cũ præſertim deus oſtentorũ & prodigiorũ repræſentationibꝰ quouis oraculo diſertioribus voluntatẽ ſuam ſignificaſſet: tum deniq; aſperius inſurgendũ fuit. ita numeroſis plagis ſtulti caſtigantur, quos verba nõ emendauerant. Decem inferuntur regioni ſupplicia, in eos qui perfectè deliquerant perfectus pœnarũ numerus: pœna ab vſitatis conſuetiſq; abhorrebat. Nam elementa vniuerſi, terra, aqua, anima, ignis, ex quibus mundus conſtat, de ſententia Dei optimi maximi infeſta ad euaſtandã impiorũ regionem inferuntur, imperiũ potentiamq; qua Deus vtitur, oſtendentia, qui quidem eadem ſalutariter ad rerũ procreationẽ temperet, & cum commodum eſt ad impiorum exitium conuertat. partitur autem ſupplicia, ac tria ex craſſiſsimis & concretiſſimis elementis, terra & aqua, vnde corporis qualitates conflantur, committit Moſis fratri: totidem ex anima & igne ad animi ortum efficaciſſimis, Moſi ſoli mandat: vnum vtriq; relinquit commune: tria alia ad denarium numerum explendum ſibi ſumit. Ac primum quidem ab aqua pœnas infligit, propterea quòd cum aquam ſupra modum Ægyptij colerent, originem rerum omnium & principium eſſe ſtatuerent, eam primam æquũ eſſe putauit, ad eorũ quibus tantopere probabatur, reprehenſionem & caſtigationẽ aduocare. Quid igitur mox accidit? nempe à Moſis fratre imperio Dei baculo profluenti incuſſo, fluuius ſtatim ad mare ex Æthiopia vſq; in cruorẽ conuertitur: vnà cum eo cruentantur lacus, foſſæ, aluei, riui, putei, fontes, vniuerſa in Ægypto aquę vis, vt potus inopia riparũ accolas miſerrimè angeret, apertæq; humoris venæ velut in profluuio ſanguinis rapidos cruoris ſalientes emitterent, nec vllus cerneretur lympidus latex. Interibant autẽ vulgo genera piſcium omnia vitali poteſtate in tabificã mutata, vt odoris fœditate omnia complerentur, tam multis repentè puteſcentibus corporibus. magna verò etiam hominũ turba ſiti conſumpta in triuijs aceruatim iacebat, cùm familiæ ſepulchris mortuos inferre propinqui non poſſent. nam per ſeptẽ dies malum graſſatũ eſt, quo ad deniq; Ægyptij Moſem, Moſes deũ precatus eſt, vt miſericordia hominum perditorũ tandem commoueri vellet: qui natura clemens ſanguinem in aquam potu iucundã commutat & fluuio priſtinũ gurgitem purũ & ſalutarẽ reſtituit. Deinde paulo poſt ad parem crudelitatẽ & ſcelus præcipites ferebantur, quaſi vel ius ex hominibus prorſus ſublatum eſſet, vel qui ſemel ſupplicio defunctus eſſet, iterum vapulare non ſoleret. ſed illi malè mulctati pro pueris infantibus non contemnere docebantur. Nam pœna è veſtigio ſubſequens, cunctantibus morabatur: cæterũ ad iniuriã curſitantes pone feſtinans aſſequebatur. rurſus enim frater Moſis iuſſus, foſſis, lacubus, paludibus virgam tenſam incutit: illa vero tenſa, tanta repente ſubrepſit ranarũ vis, vt non ſolũ fora omniſq; ſub diuo locus, verum etiã ſtabula, domꝰ, ſacra, profana, priuata, publica complerentur: proinde quaſi natura vnũ aquatiliũ genus in coloniã emittere cogitaret in ſedẽ contrariã. Terra enim aquæ contraria eſt. Cum igitur nec in publicũ prodire iam ante angiportis oppletis, neq; domi manere poſſent (nam & ædiũ penetralia occuparant ad altiſſima quæq; etiã ſubrepentes) in extremis verſabantur ærumnis, ſalutiſq; deſperatione. ergo ad eoſdẽ confugiunt, rege Hebræis pollicito liberũ commeatũ. Illi à deo precibus pacem veniamq; expoſcunt: quo annuente, partim ranarũ in amnẽ receſſit, partim in compitis ſtatim interijt. itaq; cumuli paſſim viſebantur, aceruatim etiã illuc aggerantibus Ægyptijs domo, propter intolerandũ odorẽ, quẽ mortua corpora præſertim talia reddunt, quæ etiã viua ſenſui plurimũ moleſtiæ obijciunt. Poſt vbi paulũ modo à pœna reſpirarant, vt in ludis Athletę facere ſolent, ſic collectis viribꝰ de integro maiori mole cooriuntur, & ad ſuũ mox ingeniũ redeunt, malorũ quæ adhuc perpeſſi fuerant obliti. Deꝰ autẽ illas ab aqua pœnas inhibet, alias à terra aggreditur, vindicem eundem adhibens: qui cum ſcipione ſolum percuſſiſſet, prouentus culicum eru-

pit, in modumq; nubis ſe pandens, totam longe lateq; Ægyptum occupauit. beſtiola autē eſt, quanquam puſilla, importuniſſima tamen: vt quæ non ſolùm ſumma lædat, pruriginē adferens moleſtā & noxiam, ſed etiā per nares & aures intima irrumpat, & oculorum pupillā aduolans niſi caueas offendat. cautio autē ecqua eſſet aduerſus tantā multitudinē, deo præterea pœnas irrogante? Quiſpiā hic forte roget, quamobrē ſic vilibus & neglectis beſtiolis regionē perſequebatur, prætermiſſis vrſis, leonibus, pantheris, alijſq; generibus ſæuiſſimarum belluarū quæ hominum viſceribus paſcuntur: quod ſi iſta prætermittebat, cur aſpidas ſaltem Ægyptias non adhibebat, quarū morſus præſentaneam mortem ſine mora adfert? Is autem ſic habeat, primùm deū regionis cultores corripere quàm delere maluiſſe. nā ſi penitus delere poſtulaſſet, belluis profecto nunquā eſſet vſus tanquam adiutricibus cœptorum, ſed malis illis quæ diuinitus inuehuntur, fame & peſtilentia. Adhæc illud etiam documentū toti vitæ pernéceſſariū addiſcat. Quodnam iſtud? Nimirum homines cum bellum faciunt, firmiſſima ſociorū auxilia ad ſubſidiū circunſpicere, quæ ipſorum infirmitatē ſuppleant: deum autem ſupremā maximamq; poteſtatem nullius inopē, ſi quando velut inſtrumentis vti ad puniendū velit, non firmiſſima quæq; & maxima deligere, de eorū viribus minime laborantem, ſed exiguis inuictum & indomitum robur comparare, ijſq; ſceleratos, vt impræſentia, vlciſci. Quid enim minutius culice? tantū tamen potuit, vt tota Ægyptus deficeret, & exclamare cogeretur, digitum dei eſſe. Manū enim dei ne totus quidē terrarū orbis quantus quantus eſt, ab extremo ad extremū ſuſtineret: imo vero ne vniuerſus quidē mund⁹. Huiuſmodi per Moſis fratrē irrogatę pœnæ ſunt: nunc quarū adminiſter Moſes ipſe fuerit & ex quibus naturæ partibus conſtiterint, deinceps conſiderandū. Aer igitur & cœlū puriſſimæ vniuerſitatis portiones, terræ ſuccedunt & aquæ, ad Ægyptiorum caſtigationē Moſi curatori mandatam. Ac primū quidem aerē impellere cœpit. Ægyptus enim ſola ferè, ſi eas regiones excipias, quæ auſtrali inclinationi ſubnixæ ſunt, in annuis temporum commutationibus hyemis vices nullas experitur: fortaſſis vt ferunt, quòd non procul à cingulo exuſtæ plagæ abſit, illinc vapore & æſtu clam ſe propagante & omnia circiter tepefaciente: fortaſſis etiā, quòd ſolſtitiali ſydere exundans fluuius nubila ante hyemē abſumat. Creſcit enim æſtate ineunte, reſidit deſinente: quo etiā tempore Eteſiæ ex aduerſo hoſtiorū eius increbreſcunt: à quibus cum effundi prohibeatur, mari violentia flatus altè intumeſcente, & decumanos fluctus pro longis mœnibus obiectante, intra ſe volutatur: mox occurſante duplici aquarū agmine à fontibus deſcendentiū & repercuſſu recurrentium, quæ foras ire debebant, cum ſe dilatare non poſſit (premit enim eum vtrinq; riparū margo) ſublimis vt æquū eſt, attollitur. Fortaſſis poſtremò quòd in Ægypto hyems etiā ſuperuacanea erat futura. quā enim vtilitatē adferunt imbres, eandē per arua reſtagnans fluuius præſtat annuis ſegitibus. Natura autē operaria non eſt ſuperuacanea, vt pluuiā regioni nihil egenti largiatur: ſed multiplici & numeroſa ſolertiū operū varietate delectatur, vniuerſiq; concentū ex contrarijs aptè temperat. Quocirca alijs ſuperas de cœlo, alijs inferas ex fluminibus & fontibus opportunitates aquarū comparauit. Cùm is igitur ſit regionis habitus, ea temperies, vt brumali die vernet, maritimis locis tenuibus tantùm ſtillis imbuatur, ſuper Memphin Ægypti regiā, nulla niue vnquā conſpergatur: aer tamē tantā repente rerū inſolentiam nouauit, vt omnia quæ in locis illis eueniunt in quibus acerrimè hyemat, ingruerent, imbriū nymbi, plurima & altè exaggerata grando, ventorū confligentium & obſtrepentiū procellæ, nubium fragores, fulgetra & tonitrua alterna crebraq; aſſidua fulmina, longè prodigioſiſſima ſpecie. Nam vulgo per grandinē in tanta naturæ repugnantia graſſantia, tamen nec eam liquabant, nec ab ea extinguebantur, ſed eadē vſq; durantia & ſurſum deorſum curſitantia, grandinē incolumen conſeruabant. Nec vero ſolùm inſanus omniū impetus populares ad extremā deſperationē adducebat: ſed etiā rei inſolentia. ſuſpicabantur enim, id quod erat, quæ euenerant deorū ira contracta eſſe omnia, aere vt nunquā antea, ad labem & perniciē ſtirpium & fructuū ſine more inſoleſcente: quod & non paucis animantibus ſimul exitio fuit, tum frigoris rigore, tum graui lapidatione cadentis vulgo grandinis, tum etiā ignis conſumptione. ſed & nonnulla ſemiuſtulata remanſerant fulminū plagas & argumenta ad ſpectantiū emendationē gerentia. Cum deſæuiſſet malum, rexq; & qui circū eum erant, rurſum ferocius agitarent, deo iubente Moſes virgam in cœlum ſuſtulit. Mox igitur auſter rapidiſſimus ventus præceps irruit, tota nocte dieq; ſemper ingraueſcens, qui cum ſuapte vi perquā noxius eſt (ſiccus enim eſt, caput tentat, aures obtundit, faſtidium & tædiū gignit) tum in Ægypto vel maxime ad auſtrinā plagam pertinente, quâ ſydera lucē ferentia commeant: vt ſimul atq; is increpuerit, continuò ſolis vapor illuc compellatur, & omnia exurantur. Sed enim cum eo immenſum examen locuſtarū ſtirpibus peſtiferum inferebatur, in morē fluminis omnia depaſcens, quæ fulminibus & grandini ſuperfuerant, vt nihil in tanta regione virens vſquā cerneretur. Tum deniq; vix tandē optimates & primos ordines rerum ſuarū verior aliquanto cogitatio ſubijt: regem igitur rectà adeunt. Et quouſq; tandem, inquiunt, hominibus iſtis miſſionem non concedis? an nondū intelligis hac rerū acerbitate Ægyptū planè perijſſe? Ille vero vti videbatur in ſpeciem concedit: maloque laxato Moſis precibus ſuccedens à mari ventus, locuſtas diſturbat. ijs diſſipatis, rege tamē in gentis miſſione tergiuerſante, malū prioribus grauius ſuperuenit. Nam claro die ſubito tenebræ ingentes offunduntur, fortaſſis oborto ſolis defectu ſolitis & vſitatis pleniore, fortaſſis ipſarū nubiū continuatarū crebritate frequentiſſima & denſitate confertiſſima lapsū radiorū prohibente, vt dies nihil à nocte differret. differret autē? imò verò vt nox vna cenſeretur longiſſima, par trib⁹ diebus totidemq; noctibus. Eo tempore narrant alios qui in ſtratis iacebāt ſurgere auſos nō eſſe, alios quos aliqua naturę neceſſitas vrgeret, parietē, aut aliud palpantes velut cæcos ægrè prodijſſe. Nam vtilis iſtius ignis lumen partim præſens procellæ vis extinguebat, partim profunda tenebrarum opacitas obſcuratum opprimebat, vt aſpectus omniū ſenſuum maximè neceſſarius, hominibus nihil proſpicientibus, integer & valens ſeipſo captus & orbatus eſſet: nec eo ſecius alij ex principis ſenſus calamitatē, obnoxij præſertim, commutationē ſenſerant. Nec enim fari quiſquā, nec audire, nec cibum capere ſuſtinebat: ſed quiete & famè producebantur, & ſenſibus vacantibus toti iſta clade auferebantur: donec rurſum Moſes eorum miſericordia ductus, Deum ſuplex orat: ille verò lucem pro tenebris, diem pro nocte multa ſerenitate nitentem inducit. Iſtas à Moſe ſolo profectas



profectas fuiſſe animaduerſiones ferunt, vnam grandinis & fulminis, alteram locuſtarum, tertiam tenebrarum nullam lucis ſpeciem admittentium. Communis ipſi cum fratre vna etiam mandata eſt, quam mox declarabo. Imperio dei cinerem quem de camino ſumpſerant, Moſes particulatim in aerem diſpergebat: cum ecce coortus repentè puluis in homines & bruta illatus, tetris & incurabilibus pene vlceribus totam cutem obſerebat. Itaque tota ſtatim corpora effloreſcente paſſim eruptione in tumore erant, purulentis ſcatentia puſtulis, quas exiſtimaſſes ſubter occultè ſufferueſcentes ebullire. Dolore autem & cruciatu, vt æquum eſt, propter exulcerationem & inflammationem oppreſſi, magis adeo aut certe non minus animis laborabant, angoribus confecti. Quippe à capite ad pedes vlcus continuatum cerneres, ijs quæ per membra & artus ſparſa erant, in vnam & eandem ſpeciem confuſis: quoad rurſum obſecratione legislatoris, quā pro affectis fecit, morbus alleuatus eſt. Meritò autem illis communiter iſta commiſſa eſt animaduerſio: fratri inquam, ob illatum hominibus puluerem, cum is omnium pœnarum à terra profectarum ſortito curam obtineret: Moſi, ob aerem in popularium luem immutatum. Is autem omnes ab aere & cœlo clades adminiſtrabat. Reliqua ſunt tria ſupplicia nullo hominum miniſterio repræſentata, quæ ſingillatim, quoad eius facere potero, commemorabo. Ac primum quidem irrogatum eſt per beſtiam omnium quas habet natura parens audaciſſimam, κυνόμυιαν, id eſt, muſcam caninam, quam verè nominum impoſitores (ſapientes enim fuerunt) iuncto ex animantibus impudentiſſimis vocabulo, muſca & cane, appellauerunt: cum ſit alter terreſtrium longè audaciſſimus, altera volucrum: nam muſcæ ſine metu aduolant & incurrunt, ac ſi abigas, peruicaci tamen pertinacia obnituntur, dum ſanguine carneque obſaturentur. Igitur κυνόμυια, id eſt muſca canina, adſcita vtriuſque animantis audacia, inſidioſa & mordax beſtia eſt. Nam & eminus quaſi telum ſe cum ſtridore iaculatur, & vehementer irruens pungit acerrimè. Tum verò clades iſta diuinitus inuehebatur, vt inſidiarum malum geminaretur, cum illa non ſolùm natiuis adiumentis niteretur, verùm etiam aduentitia dei ope, quæ beſtiam armabat, & ad vim contra indigenas incitabat. Dehinc alia ſequuta pœna eſt ſine hominum ope, pecudum ſtrages. Nam magna boum armenta, magni caprarum & ouium greges, omnia iumentorum genera & pecorum, vno die tanquam ſigno dato gregatim leto ſternebantur, hominum interitum paulo pòſt ſecuturum præſignificantia, vt in peſtilentia aſſolet. Itaque morborum peſtilentium proluſio quædam eſſe fertur, ſubita brutorum ſtrages. Inde decima & vltima clades ſuperiores omnes exuperans excipit, Ægyptiorum mors, non omnium (non enim regionem vaſtare deus, ſed commonefacere decreuerat) nec plurimorum promiſcuè virorum & mulierum cuiuſque ætatis, ſed conceſſa alijs vita, ſolos primigenios capitis damnauit: idque auſpicatus à grandiſſimo liberorum regiorum ad obſcuriſſimæ piſtricis filium perduxit. Nam circiter mediam noctem qui primi patres & matres appellarant, ab eiſque viciſſim primum filij nominati fuerant, corporibus firmis & valentibus nulla de cauſa repentè omnes populariter ſublati ſunt, nullamque tum familiam prædicant iſtius exortem calamitatis fuiſſe. Vbi diluxit, ſua quiſque cernentes chariſſima pignora acerbo fato præter opinionem intercepta, quibuſcum pridie vixerant, & ad veſperam menſam produxerant, pro eo ac debebant grauiſſimo luctu oppreſſi, queſtu & comploratione omnia replebant. Quo factum eſt, vt in communi conſternatione repente omnibus promiſcuè vociferantibus, vna lamentatione ab extremo ad extremum tota regio perſonaret: ac quandiu quidem domi ſedebant, alieni quiſque mali ignarus, ſuam vicem duntaxat gemebant: domo egreſſi, cognita aliorum calamitate, duplici mœrore angebantur, domeſtico publicum mox fatum adiungentes, minori & leuiori maius & grauius, ſpe præſertim conſolationis funditus ſublata. Quis enim conſolationem cuiquam adhiberet, cum ea ipſe potius egeret? Quod autem in huiuſmodi malis aſſolet, præſentia rati maiorum exordia eſſe, de viuis iam ſolliciti & timentes, luctu perditi, conſciſſa veſte, in regiam concurrere, regemque omnium acerbitatum auctorem magno clamore criminari. Si enim ad prima Moſis poſtulata gentem emiſiſſet, horum nihil quicquam experturum fuiſſe: dum conſuetæ ſuperbiæ morem gerit, ipſum quoq; importunæ pertinaciæ in promptu præmia tuliſſe. Mox alius alium hortari, vt populum omni ſtudio & ope ex tota regione primo quoque tempore exigerent, vel ad vnius dieculæ vſuram atque adeo vnius horæ, retinere ſibi fore funeſtiſſimum interpretati. Ii cum ſe exigi pellique ab Ægyptijs viderent, generis ſui nobilitatem recordati, facinus aggrediuntur, quale liberos homines decebat, inſidiarum non immemores & offenſionum. plurimum enim prædæ egeſtum partim ipſi properantes vrgentibus Ægyptijs portarunt, partim iumentis impoſuerunt, non medius fidius auaritia inducti, aut vt quiſpiam inſimulauerit, alieni cupiditate. Vnde gentium? ſed primum perpetui miniſterij debitam mercedem exigebant: deinde per iniuſto ſeruitio & famulatu in minoribus & imparibus ſuam vicem ipſos vlciſcebantur. Etenim quis paria ſtatuerit pecuniæ detrimentum & libertatis ademptionem? pro qua non ſolùm facultates profundere homines prudentes, verùm etiam emori audent. Vtrunque igitur recte ordineque fecerunt, vel in pace mercedem ab inuitis recuperantes, qua diu ab inficiatoribus lentis fraudati fuerant: vel bello res hoſtium ferri agique æquum eſſe cenſentes victorum lege. illi enim primi ſceleratas manus attulerant, hoſpitibus & ſupplicibus, vt antea dixi, captiuorum more in ſeruitutem redactis: hi oblata occaſione maleficium vindicarunt, ſine armorum apparatu pro pugnatione & patrocinio iuris freti. His Ægyptus animduerſionibus & plagis caſtigabatur, cum interim Hebræos quanquam in ijſdem vrbibus, vicis, ædibus habitantes, nihil iſtorum attingeret, terra, aqua, aere, igne, naturæ partibus, quam effugere non eſt, inuadentibus. Ac ſanè mirandum erat ab ijſdem eodem tempore & loco illos interire, hos incolumes ſeruari. fluuius in cruorem ſpurcatus erat: non Hebræis tamen, quibus haurientibus in potum conuertebatur. Rana ex aquis in ſiccum erepſerat, fora, ſtabula, domos impleuerat: ab Hebræis tamen ſolis recedebat, quaſi internoſcere ſciret, quos punire oporteret, quos non oporteret. Non culices, non muſcæ caninæ, non locuſta, quæ plantas, fructus, animalia, homines magnopere læſerunt, ad hos aduolarunt: non pluuiæ, non grandinis, non fulminum perpetui lapſus ad eos peruaſerunt: illorum vlcerum

quæ teterrima perpeſſu erant, ne vel per ſomnium quidem ſenſus eis vllus: alijs altiſſimarum tenebrarum opacitate circumfuſis, in nitida puraque luce agitabant, diei lumine eos colluſtrante: Ægyptiorum primogenitis cadentibus, nullum apud Hebræos caput deſideratum eſt. neque enim æquum erat, cum infinitarum interitus pecudum nullum apud eos gregem ad exitium ex contagione traxiſſet. Ac mihi quidem videtur ſi quis tum ijs interfuiſſet, nihil aliud planè Hebræus exiſtimaturus fuiſſe, quàm in incolumitate alienorum ſpectatores malorum: nec id ſolum, verum etiam pulcherrimæ & vtiliſſimæ doctrinæ pietatis diſcipulos. Non enim vllo vnquam tempore ſic perſpicua bonorum & improborum dijudicatio extitit, his exitioſa, illis ſalutaris. Ex eorum numero qui demigrabant, virilis ætatis ſupra 600. hominum millia fuére: reliquæ multitudinis ſenum, puerorum, mulierum non facilis ratio: mixti generis conuenarum & ſeruitij ingens vnà turba exceſſit, tanquam adulterini & inſitiui cum germana ſtirpe. Hi erant quos ex mulierculis Ægyptijs Hebræi ſuſtulerant, & patrio generi acceſſerant. quicunque præterea eorum hominum pietatem admirati, aduenas ſe adiunxerant, & ſi qui iam magnitudine multitudineque aliarum ſuper alias cladium ad frugem correcti, ſententiam mutarant. Eorum omnium dux Moſes declaratus, imperio regnoq; potitur, non quomodo nonnulli, qui præcipites ad poteſtates & imperia feruntur, armis & machinis, equeſtribus, pedeſtribus, naualibus copijs freti, ſed bonis artibus, virtute & probitate, & beneuolentia qua ſemper omnes proſequebatur, dei præterea beneficio, qui virtutis & honeſti amantiſſimus meritum ei premium largitus eſt. Nam quando Ægypti regnum, ſcelera quæ illic patrabantur pertæſus, regis ex filia nepos reliquit, ſpem valere iubens ab illis, à quibus adoptatus fuerat, prolixè affulgentem (ea animi nobilitate & magnitudine & inſito aduerſus improbitatem odio præditus erat) omnium moderatori & adminiſtratori placuit, regno eum remunerari numeroſioris & potentioris populi, qui ex omnibus vnus antiſtes eſſet futurus, & pro vniuerſo genere humano preces facturus ad malorum depulſionem, & bonorum adeptionem. Imperium adeptus, non vt nonnulli, familiam ſuam augere, non liberos (binos enim habebat) ad opes promouere ſtuduit, vt in præſentia participes, poſtea ſucceſſores declararet. Nam qui iudicio ſine omni malitia ſyncero in paruis magniſq; vteretur, naturalem erga liberos charitatem tanquam optimus iudex incorrupta animi ratione ſuperabat. Vnus enim ei propoſitus erat finis omnium maxime neceſſarius, ijs quibus præerat prodeſſe, omniaque modis omnibus pro eorum commodis re verboque experiri, nulla occaſione commoditatum ad rem bene gerendam prætermittenda. Solus ille omnium qui vnquam in imperio & poteſtate conſtituti ſunt, non aurum non argentum condidit, non tributa coegit, non ædes, non poſſeſſiones, non pecudes, non familiam domeſticam, non fructus vllos, non aliud quodquam inſtrumentum luxuriæ vel abundantiæ poſſedit, tametſi omnium rerum copijs circunfluere poterat: verùm cum exiſtimaret animi paupertatem eſſe illam diuitiarum materiam probare, cœcas illas diuitias contempſit, naturales & oculatas prætulit, earum vt mortalium nemo quiſquam æmulus. In cultu victuq; & degenda vita nihil ad faſtum & ſpeciem ambitioſe exquirens, frugalitatem & tenuitatem priuati hominis æmulabatur: cæterùm magnificentiam verè regiam in ijs in quibus principem honeſtum erat excellere: ea erant continentia, tolerantia, temperantia, ſolertia, perſpicacia, ſcientia, labos, functio, voluptatum contemptio, iuſtitia, adhortatio ad optima ſuſceptu, vituperatio & animaduerſio in ſontes legitima, laus & honos ex lege rectè factis. Itaq; eum qui longum valere iuſſerat pecuniæ ſtudium diuitiaſque, quæ apud mortales tantos ſpiritus gerunt, honore deus afficit, ampliſſimis & abſolutiſſimis eum opibus remuneratus. eæ ſunt, æqualitas vniuerſæ terræ, maris, fluminum, & reliquorum omnium elementorum quæcunq; tandem concretio eſt. nam ei quem partis ſuæ conſortia dignũ cenſuerat, totum mundum vt hæredi iuſtam poſſeſſionem permiſit. Ergo elementorum quodq; velut hero obtemperabat, vim ſuam immutans, & dicto audiens: nec id fortaſſe mirum. ſi enim, vt prouerbio fertur, amicorum omnia communia ſunt, prophetam autem conſtat amicum dei prædicatum eſſe, ex conſequutione nimirum poſſeſſionis eius particeps & ſocius in vſu fuerit. Nam deus cum omnia propriè poſſideat, nullius indigens ipſe eſt: vir probus & integer, cum nihil ille quidem propriè ſuum poſſideat, ne ſe ipſum quidem, quantum tamen valet poteſtque, repoſitarum dei gazarum particeps eſt: nec mediusfidius iniuria, mundi præſertim ciuis: vt hac de cauſa Moſes nulli orbis terrarum ciuitati adſcriptus ſit, haud ſanè regionis partem, ſed mundum totum hæreditate complexus. Quid quod maiore quoque aduerſus vniuerſitatis parentem conditoremque ſocietate iunctus tenebatur, qui non ſolùm eandem appellationem promeritus ſit (vocatus enim eſt totius gentis & regum deus) ſed & in eam caliginem vbi deus erat ſucceſſerit, hoc eſt in naturam rerum exemplarem ſubierit, informem, inaſpectabilem, corpore vacantem, mortali naturæ incomperta mente amplexus? ac veluti tabulam pictam egregio artificio perpolitam, ſe ſuamque vitam in medio omnibus honeſtum & diuina quadam auguſtaque maieſtate præditum opus coram, imitari volentibus exemplum conſtituerit? Ac perbeati certè illi ſunt qui effigiem animo ſuo vel impreſſerunt, vel imprimere ſtuduerunt. nam animus perfectam virtutis ſpeciem potiſſimum ſuſcipiat: ſin minus, at adipiſcendæ formæ haud dubium deſiderium præ ſe ferat. Iam verò nemo illud ignorat, obſcuros homines illuſtrium & clarorum imitatores eſſe, & quarum illi rerum ſtudio duci videntur, eò ſuas appetitiones conferre. Itaque quandocunque princeps ad voluptatem peſſundatus, in molle & delicatum vitæ genus propenſus eſt, omnes propemodum qui eius ditioni parent, in abdominis cupiditates minime neceſſarias & libidines abdominis comites prorumpunt: niſi ſi qui forte indolis felicitate freti, animum non inſidiatorem, ſed beneuolum & propitium poſſideant: ſin ſæueriorem & grauiorem vitæ ſectam & diſciplinam ſequatur, vel ad nequitiam profligatiſſimi metu aut pudore ad continentiam immutantur, opinionemque hominibus afferre cupiunt ſe ſimilium ſtudiorum æmulos eſſe: neque profecto vnquam vſuueniet vt deteriores meliorum facta vel per inſaniam improbent. fortaſſis etiam propterea quòd legislator eſſe debebat, tanto ante viua quædam & animata atq; adeo ratione prædita lex diuina quadam prouidentia ipſe reddebatur, quæ legislatorem non expectantem deſignauit. Poſteaquam igitur ſuorum voluntate imperium adeptus eſt omnia moderante &

approbante



approbante deo, coloniam deducere parat in Phœnicen, Cœleſyriam, Paleſtinam, quæ tum Chananæorum regio vocabatur, cuius fines tridui itinere ab Ægypto diſtabant. mox eos ducere inſtituit non viarum compendijs, ſimul veritus ne cultores metu expulſionis & captiuitatis obuiam venirent, ortóque bello retro in Ægyptum redire cogerentur, ab hoſtibus ad hoſtes, à recentibus ad veteres, ludibrio eis & ridiculo futuri, & grauiora deterioráque quàm antè perpeſſuri: ſimul per vaſtam ſolitudinem longa ductando via, periclitari cupiens quàm non copioſè ſuppeditati, ſed ſenſim diminuti morigeri futuri eſſent. proinde à recta via diuerſus, tranſuerſum callem nactus, ratúſque eum ad rubrum mare pertinere, illac iter facere cœpit. prodigioſum autem quoddam tum naturæ facinus extitiſſe prædicant, quod nondum quiſquam eueniſſe memoria ſuperiore meminit. Nubes enim ingens columnata ante multitudinem incedebat, interdiu ſolis quodam lumine effulgens, noctu flammeo vapore, ne in itinere deerrarent, ſed vt inerrantem certiſſimumque ſequerentur viæ ducem. Fortaſſe verò quiſpiam dei Opt. Max. præfectus interpres occultus, dux itineris nube includebatur, quem corporis oculis conſpici nefas erat. Hic cum Ægypti rex eos inuia ſequi putaret, perque confragoſa aſpreta, nec hominum pedibus trita ſola loca incedere, itineris errore magnoperè lætatus, velut indagine incluſis exitum nullum patere credidit. Itaque dimiſſionis pœnitens, eos inſequi ſtatuit, multitudinem vel metu reducturus & iterum in ſeruitutem redacturus, vel cæſa vniuerſa pube rebellionem vlturus. Igitur aſſumpto omni equitatu, aſſumptis iaculatoribus, funditoribus, hippotoxotis, & reliqua leui armatura, pulcherrimiſque falcatis curribus numero ad ſexcentos proceribus attributis, vt decora maieſtate ſubſequerentur in expeditionem, nulla remiſſa celeritate perſequi contendebat, improuiſo cupiens incautos opprimere. Nam inſperatum malum expectato multo aſperius accidit, quanto neglecta & omiſſa inſidijs opportuniora ſunt, quàm quod curæ habeas. Is iſta cogitans ſequebatur, ſperans ſe primo ſtatim clamore victorem fore: illi vero iam ad maris littus caſtrametati corpora curare parabant, cum repentè ingenti fremitu primum perſonare omnia cœperunt, tanta præſertim hominum iumentorumque multitudine feſtinante, vt tabernaculis egreſſi, ſummis inſiſtentes articulis omnia circumſpicerent: & auribus captarent. deinde non multo poſt in tumulo ſublimes aduerſariorum copiæ in armis ad pugnam explicatæ viſuntur. Hic malo nec opinato conſternati, nec ad propugnandum inſtructi armorum inopes. (non enim in bellum, ſed in coloniam proficiſcebantur) cùm fugere non poſſent (à tergo enim pelagus imminebat, à fronte hoſtis, ab vtroque latere vaſta, nec cuiquam calcata mortali ſolitudo) amentes & malorum magnitudine animum deſpondentes, vt in huiuſmodi calamitatibus aſſolet, imperatorem criminabantur. Atq; ita loquebantur, Siccine quaſi in Ægypto monumenta non eſſent, in quibus mortui funeraremur, huc nos eduxiſti vt interfectos exequaris? Quid? non omnis ſeruitus morte malum leuius eſt? multitudini ſpe libertatis illectæ vt grauius de vita periculum impenderent, effeciſti. Siccine noſtra tibi ſimplicitas ignota erat? ſiccine Ægyptiorum acerbitas & odium? Magnitudinem malorum vnde emergi non poteſt non cernis? quid opus facto, cedo? ſcilicet inermes cum armatis manum conſeremus, aut fugiemus, vndiq; velut indagine circumuallati vel ab immitiſſimis hoſtibus, vel ab inacceſſa ſolitudine, vel à pelago innauigabili? & vt nauigari poſſit, vnde tamen ad tranſmittendum nauium copia? Iſta audiens ijs veniam dabat, oraculorum tamen meminerat, mentemq; & orationem eodem tempore diuerſe diuidens, altera in obſcuro deum conueniebat, vt ex incitis & deſperata calamitate liberaret: altera bono animo eſſe iubebat: leniebatq; occlamitantes, Ne animis, inquiens, concidatis: non item deus & homines vlciſcuntur. quid ad probabilia tantum veſtram fidem adiungitis? nullo opus eſt apparatu deo vindici impedita expedire dei munus eſt. quod homini nato nefas, ſolus deus vel ad manum poteſt. atque iſta quidem animo compoſito ſedatoq; loquebatur: paulum autem modo moratus numine corripitur, & conſueto afflatus ſpiritu vaticinans profatur iſta, Quem nunc exercitum videtis armis decorum, nunquam poſtea vobis oppoſitum cernetis. Funditus enim perpetuoq; totus occidet, merſúſque profundo delebitur, vt nullæ ſuperſtites eius reliquiæ compareant: neque vero in diem iſtud, ſed proxima nocte. is iſta loquebatur: cùm ſol autem in occaſum præcipitaſſet, vehementiſſimus ſtatim auſter coortus pelago incubuit, quo refugiente & alioqui ſe reſorbere ſolito, tum verò multo magis plangente vento, littori quod alluebat, ſubducebatur velut in voraginem aut charybdin: nullaque ſtella lucebat, ſed atra & opaca nubes cœlum totum occupabat, caligine nocti obducta ad inſequentium terrorem. Hic iuſſus Moſes ſcipione mare ferit, quod diuiſum diſceſſit in partes, quarum proxima diuiſioni ſublimè exaggerata tollebantur, ſolidaq; more munitionis & firma ſtabilitate concreta hærebant & quieſcebant: poſtrema conſtricta & frænata velut cæcis quibuſdam habenis, ne vltro prolaberentur, retinebantur: medium quà mare diſceſſerat, reſiccatum latam & militarem viam aperuerat. Quo viſo Moſes mirari, lætari, & gaudio perfundi, ſuoſque ad fiduciam excitare, & vt caſtra mouerent hortari. Hic tranſmittere parantibus oſtentum omnium prodigioſiſſimum accidit. Nubes enim quæ antea dux viæ ante principia antecedebat, retro in terga conceſſit, vt poſtrema clauderet: & tanquam diſcrimen interiecta inter inſequentes: & ab inſequentibus infeſtos, hos velut habenis tractandis ſalutariter tutoque præ ſe agebat, illos arcebat & repellebat adoriri parantes. Quæ Ægyptij cum cernerent, omnia tumultu & conſternatione complebant, ordineſque metu turbabant, alij in alios incurrentes & iam fugam ſpectantes, quando nihil iam referebat. Nam Hebræi ſicco limite ante quàm diluxiſſet, cum vxoribus & pueris infantibus traijciunt: illos maris partes vtrinque coeuntis ſuperuolutæ viris & curribus obruunt, refuſa alluuie aquilonis flatu & altis fluctibus reciprocata, vt ne ignifer quidem, vt aiunt, reliquus eſſet, qui in Ægyptum calamitatem repentinam nunciaret. Factum iſtud ingens & ſtupendum Hebræi mirati, quòd ſine ſanguine inſperata victoria potiti eſſent, cum cernerent temporis puncto hoſtium internecionem, duas choreas, vnam virorum, alteram mulierum in littore inſtituunt: & Moſe viris præcinente, eius ſorore mulieribus, gratulationem deo cecinerunt. nam ij præſultores chorearum fuerunt. A mari profecti aliquandiu iter fecerunt, nihil ab hoſte metuentes; poſtea defecti aqua triduo, ex ſiti rurſum in de-

ſperationem adducti, iterum ſuas fortunas queri cœperunt, proinde quaſi nulla antea beneficia ſenſiſſent. ſemper enim præſentium malorum aſperitas præteritorum commodorum voluptates adimit. forte tamen animaduerſis tunc fontibus accurrunt ad hauſtum geſtientes, ſed inſcitia veri fruſtra fuere. (nam amari erant) moxq; ad guſtum nec opinatò perculſi & corporibus elanguerant, & animis conciderant, nec tàm ſuam, quàm puerorum infantium vicem dolebant, quos potum petentes ſiccis oculis intueri non poterant. Nonnulli quoque plus æquo omiſſiores, & ad pietatem infirmiores, ſuperiora facta culpabant, quòd non magis bono fuiſſent, quàm ad funeſtiorum malorum perpeſſionem eueniſſent, cum ſatius eſſe dicerent ter, non ſemel mortem hoſtili manu mandatam oppetere, quàm ſiti miſerum in modum interire. Nam celerem & ſine cruciatu facilem è vita diſceſſum homini cordato nihil ab immortalitate diſcrepare: contra verò lentam necem atque cruciantem verè mortem eſſe, non mortis, ſed ſolùm moriendi terrorem oſtentantem. Iſta quiritantibus, Moſes rurſus Deum ſupplex deprecatur animantium imbecillitatem hominumque præcipuè cognoſcentem, omnemque corporis neceſſitudinem cibo obnoxij, & acerbiſſimis heris paſtui & potui obligati: ignoſcat conſternatis, omnium rerum penuriam expleat, non in longinquam diem, ſed ſubitum munus nec comperendinatum, coram repræſentet, propter inſitum hominibus contemptum, qui præcipitem ſubſidij opportunitatem flagitant. Ille propitio ſuo numine occupat opem ferre, & aperire ſupplicis peruigilem & excubitorem oculum. Lignum enim quoddam oſtendit, quod in fontes demitti iubet, fortaſſe ſic à natura conditum, vt certam vim antea ignoratam haberet, fortaſſe etiam tum creatum ad eum vſum, cui deſtinatum erat eius miniſterium. Cum igitur imperata feciſſet, fontes ſtatim dulceſcere cœperunt in humorem potulentum mutati, vt an ante vnquam amari fuiſſent, ne diſcerni quidem poſſet, quòd nullum veſtigium reliquum priſtini vitij reſideret. Ita duplici voluptate ſedata ſiti, quòd inſperatum commodum magis, quàm eius fructus lætitiam cumulare ſolet, oppletis vrnis illinc mouent, tanquam ab epulo tempeſtiuoque & hilari conuiuio curatis corporibus, madentes non vini ebrietate, ſed ſobria hauſtus inuitatione, quam ſui principis pietate conſecuti erant. Veniunt autem ad ſecunda ſtatiua aquarum perennitate ſcatentia, & arborum viriditate pubentia. loco nomen eſt Ælim, fontibus duodecim irriguo: apud quos nouellarum palmarum ſtirpes proceris patuli ramis numero ad ſeptuaginta, hominibus acri mentis acie intuentibus emolumentorum gentis illuſtria indicia & argumenta erant. Tribus enim gentis ſunt duodecim, quarum quæque ſi piè faciat, fontis rationem habebit, pietatem iugem perennemque ſuppeditantis, & honeſtarum actionum munera nunquam deficientia. Nam auctores generis vniuerſæ gentis ſeptuaginta fuerunt palmæ arborum præſtantiſſimæ merito comparati, quæ & aſpectu, & fructuum prouentu pulcherrima eſt, quæ vitalia non item vt reliquæ in radicibus habet defoſſa, ſed altè ſublata cordis more in medijs ramis collocata, quorum ſatellitio tanquam principatus vndique ſtipatur. Eadem prædita indole eſt hominum mens ſanctitatis guſtu imbuta. Nam ſupera ſpectare & capeſſere didicit, ſublimiáque peragrans & luſtrans, & diuinarum rerum perueſtigans pulchritudinem, ludibria cenſet terrena hæc & iocularia, illa verè ſeria exiſtimat. Non longo poſtea interiecto tempore, ex annonæ penuria famem experti ſunt, velut rebus neceſſarijs eos ſucceſſione quadam viciſſim oppugnantibus. Nam dominæ graues & acerbæ fames & ſitis mala ſortitæ in partem vrgebant, eueniebatque vt priore remittente altera ſuperueniret: quod ſentientibus malum intolerandum erat, quippe paulo ante ſiti ſe defunctos rati, inſidiantem mox famem imminentémque reperiebant. Erátque non ſolùm præſens penuria illis moleſtiæ, verùm etiam in reliquum tempus rerum neceſſariarum deſperatio. Vaſtam enim circa ſolitudinem cernentes vtenſilium prorſus ſterilem, animos planè deſpondebant. nam vbique vel horrebant aſperæ abruptæque cautes, vel campus ſoli ſalſugine infamis erat, vel montes ſaxoſi, aut arena profunda in immenſum exaggerata, nec vllus interea fluuius vel perennis vel torrens viſebatur, nullus fons, nulla ſeges, nulla ſtirps vel manſueta, vel ſylueſtris, non animal vllum, vel volucre vel terreſtre, præter venenatos ad hominum exitium angues & ſcorpios. Igitur tum recordati refertam Ægyptum, eiuſque vbertatem & copias cum præſenti rerum omnium indigentia comparantes, iniquo animo ferebant, ac vulgo in circulis alius cum alio huiuſmodi ſermones iactabant, Qui ſpe libertatis demigrauimus, ne facili quidem vitæ conditione & vſura fruimur: ducis promiſſis beati, re atque factis omnium mortalium miſerrimi. Quis tandem modus ſic irritæ longæque viæ futurus eſt? omnibus nauigantibus, & terra iter facientibus, finis quô perueniant, propoſitus eſt, illis emporia & portus, his vrbs aliqua vel regio: nobis ſolis inacceſſa & inuia ſolitudo & ſpes aſperrima. Nam porro progredientibus velut immenſum profundumque pelagus occurrit indies magis magiſque ſe pandens. quos verbis inflauit & extulit, quorum aures inani ſpe onerauit, eorum ventrem fame exercitum habet, ne alimenta quidem neceſſaria ſubminiſtrans. Coloniæ nomine quantæ multitudini os ſubleuit, quam ex habitata primum & celebri prouincia in deſerta & ſola loca duxit: deinde ad orcum, quæ poſtrema vitæ via eſt, deducit. His laceſſitus, non tàm maledictis dolebat, quàm lubricam incertámque populi ſententiam indignè ferebat. Nam qui ſexcenta nec opinatò præter ſolitum eueniſſe ſenſerant, profecto nulla iam rerum probabilitate & veriſimilitudine duci debebant: ſed ipſi fidem accommodare perſpicuis inducti argumentis, omnibus in rebus veracem eſſe: ſed cùm rurſus in mentem ei veniret indigentiæ, quo nullum maius malum hominibus eſt, ignoſcebat, vt qui turbam ſciret natura incertam, & in promptu è re nata mobilem, quod præteritorum obliuionem affert, in poſterum ſpem difficilem proponit. Itaque omnibus in extremo mœrore verſantibus, & vltimas ærumnas expectatione iam imminere & præſto eſſe cenſentibus, Deus partim inſita ſua bonitate & humanitate, partim ſtudio eius quem ducem deſignarat ornandi, atque adeo omnibus qua is præditus eſſet pietate & ſanctitate in rebus certis & incertis declarandi, miſericordia ductus calamitati medetur. Itaque inuſitata quædam beneficia inſtituit,



cia inſtituit, vt in luculentioribus iam ſignificationibus erubeſcerent indignari, ſi quid ex animi ſententia non procederet, toleranterque ferrent meliora in reliquum ſperantes. Quid igitur accidit? poſtridie eius diei circiter auroram ros multus & altus vndique circa caſtra viſebatur, quem lenta tanquam niue inſolitum & extraordinarium imbrem demiſerat: non tamen aqua, non grando, non nix, non glacies erat (nam iſta nubium mutationes reuerſionibus hybernis moliuntur) ſed milium minutiſſimum & candidiſſimum, quæ incredibilis ſpecies ante tabernacula aceruatim profuſa ex crebro & frequenti lapſu iacebat. Itaque miraculo perculſi ducem interrogabant, Ecquis ille & quò imber extitiſſet, quem nondum quiſquam hominum vidiſſet: ille diuinitus afflatus, deique ſpiritu actus iſta vaticinatur. Mortalibus planities pinguis conceſſa eſt, quam ſulcis proſciſſam vertant & ſerant, & reliqua agricultura exerceant, fruges annuas ad rerum neceſſariarum copiam quærentes: deo autem non vna ſummæ rerum portio, ſed mundus vniuerſus ſubiectus eſt, eiuſque oræ & regiones omnes in quencunque vocet vſum, vt hero mancipia ſeruiunt. Quocirca nunc ei placuit aerem humoris vice alimentum ferre, quando & terra ſæpenumero imbrem tulit. Nam Ægypti fluuius quotannis incrementis diluuiorum arua rigans, quid aliud eſt obſecro, quàm imber ex imo profuſus? iſta res ſanè admiranda contigerat, ſi iſthic conſtitiſſet: nunc alijs magis admirabilibus ad portentum innouata exaugebatur. Vaſis enim alius aliunde depromptis comportabant, vel iumentis vel humeris impoſitum, in prouiſionem penoris diuturniorem: verum neque conditiuum erat, neque aſſeruari poterat, dona ſubinde recentia deo largiri volente. Nam eo quod neceſſitati & vſioni in præſens ſatis eſſet apparato iucundè veſcebantur: quod in craſtinum redundaret ſaluum & incolume non reperiebant, ſed immutatum & odore tetrum, illiſque beſtiolis ſcatens quæ ex putore naſci ſolent. Eo igitur proiecto, alium cibum paratum in promptu reperiebant, quo cum rore quotidie tanquam ningebat. ſed eximio quodam munere ſeptimus quiſque dies cenſebatur. Quando enim nihil fas eſt in eo agere, ſed ab omni opere magno paruoque ceſſare reſidereque iniunctum eſt, quod congerere non poterant, duplici annona pridie pluebat, ferreque deus iubebat quenque bidui iuſta diaria: quæ tamen comportata nihil degenerabant, nulla vt antè illis tabe inceſſente. Enimuero aliquid etiam hoc admirabilius commemorabo. Nam in 40. perpetuos annos viatoribus tanto profugis æuo rerum neceſſariarũ ſuppeditatio illis quas diximus temporis ſtationibus ſubminiſtrabatur, quemadmodũ in ſtellatura & canone frumentario virilis cuique demenſaque attributio. ſimul optabilem illum diem edocebantur. Nam qui tanto ante quæſiuiſſent quis eſſet mundi natalis, quo hæc rerum ſumma abſoluta eſſet, & eam à patribus & maioribus quæſtionem indiſſolutam accepiſſent, vix tandem inuenire eum potuerunt, non ſolum oraculis, verum etiam argumento clariſſimo edocti. nam alijs diebus eo quod ſuperabat, putreſcente, quod ante ſeptimum diem depluebat, id non mucebat ac vitiabatur, verum etiam duplici menſura cumulabatur. Is autem vſus erat. Cùm prima luce colligentes quòd ningebat, molebant vel pinſebant, mox coquentes ſcitum edulium tanquam opus dulciarium liguriebant, nihil piſtorum ſuperuacanea opera egentes. Quinetiam non multo poſt delicijs abundabant, non ſecus quàm in beata & frequenti regione deo illis in ſolitudine affatim magnam rerum copiam largiente. Nam quaque veſpera ortygometrarum continens nubes à mari aduentantium tota caſtra inumbrabat, humili volatu capturam adiuuantium. Itaque capientes apparanteſque vt cuique collibebat, carne iucundiſſima fruebantur, neceſſario ſcitamento & cupedia cibum lenientes. Sed harum rerum in larga & prolixa agitantes copia nunquam deficientium, aquæ rurſum atrox inopia opprimebat. Itaque ad deſperationem ſalutis ſpectantibus, Moſes ſumpto ſacro lituo, quo in Ægypto prodigia deſignarat, numine actus ſaxum ſolidum & abſciſſum ferit. Illud verò ſiue fontis qui ante ſuberat patefacta inſigni vena, ſiue tum primum aqua cæcis cuniculis ad illud ſaxum repente confluente, & ſuo impetu laticem expreſſum extrudente, apertum ſalientis modo aquam effudit, neque ſolùm in præſens remedium ſitis attulit, verùm etiam longo tempore tot hominum millibus largitatem potus præbuit. Omnes enim vrnas impleuerunt, vt & antea ex fontibus qui natura amari dei numine dulciores euaſerant. Quod ſi quis his fidem non habet, is neque deum nouit, neq; eum vnquam inueſtigauit. ſtatim enim intellexiſſet, ſtatim firmè modis omnibus percepiſſet, miracula iſta & inuſitata prodigia, dei planè ludicra eſſe ad ſeriam & ampliſſimam aliorum magnificentiam comparata, cœli originem, errantium & inerrantium ſtellarum choros, lucentis interdiu fulgorem ſolis, nocturnas lunæ vices, terræ ſitum in medio vniuerſi loco defixum, continentium & inſularum immenſas magnitudines, animantium & ſtirpium inenarrabiles formas, adhæc æquorum inundationes æſtus & feruores, fluuiorum perennium & torrentium impetus: iugium latices fontium, quorum alij frigidis, alij calidis aquis ſcaturiunt: aeris omne genus commutationes, temporum anni diſtinctiones & viciſſitudines, aliaque infinita decora. Nam ſingula percenſere volentem vita defecerit, atque adeo aliquam maiorem & ſolidiorem mundi partem, quanuis hominum viuaciſſimum & annoſiſſimum futurum. Sed iſta prorſus miranda conſuetudine negliguntur: quicquid autem inſuetum eſt, tametſi paruum, inſolita ſpecie perculſi ex nouitatis ſtudio ſtupentes miramur. Iam autem vaſtis & inuijs locis peragratis, fines apparuere loci culti & tanquam ſuburbana regionis in quam demigrabant. eam regionem Phœnices incolunt. Sed qui vitam ſibi ſerenam tranquillamq; ſpoponderant, longè opinione falſi ſunt. Rex enim qui locis illis præſidebat, metu populationis & vaſtationis, excita ex vrbibus iuuentute prohibiturus hoſtem potiſſimum obuiam venit: ſin vim facerent, manu propulſaturus nullo negotio, ſuis præſertim ad pugnã recentibus nulloq; labore fractis, de via laſſos & à cibo laborantes & potu, quorum penuria in vicem eos inuaſerat, aggreſſurus. Moſes comperto per exploratores non procul abeſſe hoſtiũ exercitum, delecta centuriataq; pube imperatoreq; eis vno ex præfectis impoſito nomine Ieſu, ad maius auxilium ipſe properabat. Nam ſolita aſperſus luſtratione, conſcenſo celeriter proximo tumulo, deum veneratur, vt opem propitius volenſq; ferat, victoriamque & adoream Hebræis præſtet, quos grauioribus periculis & malis alijs iam liberarit, non ſolùm calamitatibus

lamitatibus quæ ab hominibus impendebant diſſipatis: verum etiam ijs ærumnis quas elementorum impotentia in Ægypto & in itinere irrita fames nouauerat. Atque iam confligere parantibus prodigioſiſſimus affectus manibus eius euenit. Nam leuiſſimæ viciſſim & grauiſſimæ erant: ac ſi quando ſublimè leuiores tollerentur, corroborabantur partes & ſtrenuè pugnando eualeſcebant: ſin graues in pronū vergerent, conualeſcebant hoſtes: notatione quadam deo ſignificante aliorum propriam eſſe poſſeſſionem terram & ſummæ rerum vltimas oras, aliorum auguſtiſſima ardoris templa: & quemadmodum in vniuerſo regnat & imperat terræ cœlum, ita gentem illam hoſtibus potiorem & ſuperiorem futuram. Itaque aliquandiu manus tanquam lances vicibus leuabantur, & ingraueſcebant, quando ambiguum certamen æqua manu miſcebatur: poſt vbi repentè ponderis expertes digitis pro alis vſæ, ſublimes in altum emicare cœperunt, volucrum in morem aera capeſſentes, ſurſum ſubnixæ permanſerunt, quoad Hebræi victoria ſine controuerſia potiti ſunt omni hoſtium pube occidione occiſa, & quæ in alios conſulere nefariè cupiebant, iure perpeſſa. Tunc Moſes ara poſita, quam ex euentu dei perfugium nominauit, pro victoria rem diuinam fecit, votorum gratulationem perſoluens. Poſt illam pugnam optimum factu eſſe cenſuit regionem in quam migratura multitudo erat inſpici (iam autem alter peregrinantibus annus appetebat) ne, quod aſſolet, ignaros forte pigeret, ſed vt ijs quæ fando ante audiuerant, certiſſima rerum illarum fide compertis, quid facto opus eſſet conſulerent. Ita viros duodecim, numero tribuum pares, ſingulos ex quaque ſpectatiſſimos, ex omni optimatum numero tribunos deligit, ne ſi qua pars plus minúſue ferret ſimultates exiſterent, & vt omnes pariter per ſuos proceres, ſi miſſi veraces eſſe vellent, de cultorum rebus certo cognoſcerent. ijs delectis hunc in modum loquitur: Certaminum & periculorum quæ adhuc ſubijmus & ſuſtinemus, precium merceſque agrorum metatio & aſſignatio eſt: cuius vtinam ſpe ne excidamus, qui numeroſiſſimam gentem in coloniam deducimus. longè autem opportuniſſima cœptis noſtris fuerit locorum, hominum, rerum cognitio, vt ignorantia damnoſiſſima. quocirca vos deſignauimus, vt veſtris oculis arbitris & mentibus illa ſpectaremus. Ergo tantæ turbæ, aures & oculi ſitis ad eorum certam fidem quæ noſſe refert. quæ autem ſcire auemus, tria iſta ſunt: primum quanta habitatorum multitudo: deinde quæ vires ciuitatum, ſitus opportunitas, conſtructionis munitio, aut contra. ad hæc num ager ſit ſoli feracis & pinguis, idonei ferendis omnis generis fructibus ſegetum & arborum: an tenuis & exilis: vt aduerſus vires & multitudinem habitatorum paribus copiarum opibus nitamur, aduerſus locorum munitionem machinas & helepoles comparemus: regionem autem permagni refert cognoſcere, an ſit eius ager lætus nécne. nam pro ſterili voluntaria pericula ſubire, inſcitiæ fuerit. Cæterùm arma noſtra, machinæ, omneſque opes in vna dei fiducia ſitæ ſunt: iſto freti apparatu nulli ſuccumbemus terrori. poteſt enim inuicta hominum robora, habitus præſtantia, audacia, vſu, multitudine, longo interuallo ex facili ſuperare. Itaque eius ope in vaſta ſolitudine omnium rerum copiæ nobis, quibus vrbes bonis fructibus abundant, ſuppetunt. Anni porrò tempus quo potiſſimum regionis virtus probatur, vernum eſt, quod nunc inſtat. Nam veris temperie ſata grandeſcunt, arbores parturiunt. ſed tamen ſatius omnino fuerit adultam illic expectare æſtatem, & fructus deferre velut ſpecimen beatæ regionis. His auditis exploratum exeunt tota multitudine proſequente. verebantur enim ne ab hoſtibus excepti interficerentur, neu res duæ omnium aſperrimæ eodem tempore contingerent, hominum qui cuiuſque tribus oculi erant, atrox cædes, & omnium quæ apud hoſtes imminentes gerebantur ignoratio, quæ ſcire ipſorum magni intereſſet. Aſſumptis autem ſpeculatoribus & ducibus viæ prægreſſoſque ſecuti, vbi propius hoſtes venere in altiſſimum omnium circa montium ſuccedentes regionem proſpiciebant, cuius ingens planities frumentaria hordei triticique ſegete, & larga pabuli copia exuberabat: montana non minora, vitibus & alijs ſtirpibus referta erant: tota arboribus conſita & hortentia, fluminibuſque & fontibus diſtincta ad aquationis commoditatem: vt à verticibus ad primores pedes tota montium decliuitas vmbraculis arborum contexeretur, ſuis tamen potiſſimum ceruicibus, & ſi quæ interueniebant, profundæ conuexitates. Spectabant & vrbes munitiſſimas dupliciter, opportunitate ſitus & mœnium firmitate: cultores etiam qui tenerent explorantes, videbant numero infinitos, immani proceritate gigantes, aut enormi facie magnitudinis & roboris ad gigantes accedentes. His inſpectis ad affirmandam tamen certius fidem remanſere. nam prima ſpecies lubrica & fluxa eſt, vixque tandem in animo conſignatur: ſimul ſtudebant decerptos fructus non deformatos modo, ſed iam matureſcentes multitudini oſtendere eius generis, qui non facile vitiantur. Eos autem vitis fructus imprimis obſtupefaciebat. nam vuæ prægrandes per totos palmites & malleolos porrectæ incredibile ſpectaculum afferebant. Vnam denique deſectam & de medio ſuſpenſam tigillo, cuius extrema iuuenum humeris hinc inde vicibus gerentium prioribus ſemper fatigatis imponebant (nam grauiſſimum pondus erat) deportauerunt, de rebus neceſſarijs non perinde conſentientes. proinde ſexcentæ inter eos ante reditum rixæ natæ ſunt inter viam, leuiores tamen, vt nec ijs reſipiſcentibus, nec alijs aliud renunciantibus ſeditio in multitudine gliſceret, poſt reuerſionem capitaliores. Nam alij de oppidorum munitionibus & oppidanorum frequentia narrantes, & in maius omnia efferentes, metum audientibus inferebant: alij quæ viderant eorum amplitudinem extenuantes, hortabantur, ne animo debilitarentur, ſed coloniam ſequerentur, in procinctu primo ſtatim clamore victores futuri. Nullam quippe vrbem tantæ multitudinis incurſum repentinò inuadentis ſubituram, ſed mole oppreſſam manus daturam eſſe. Quinetiam vtrique ſuos præterea affectus animis audientium adhibebant, malè fortes timiditatem, interriti audaciam cum ſpei fiducia. Sed hi ad deterritos vix quinta pars erant, illi contra generoſos quinque partibus ſuperabant. Paucitas autem fortium obruitur non audentium numero, quod ſane tum vſu veniſſe ferunt. Duos enim optima factu explicantes decem contra loquentes, nullo negocio vicerunt, vt multitudinem ab alijs alienatam, ſibi conciliatam in poteſtate habuerint. De regione idem omnes loquebantur, vna ſententia pulchritudinem camporum montiumque referentes:

hic illi,



hic illi, Quæ, malùm, vtilitas nobis, ſtatim ſucclamant, alienorum bonorum, præſertim manu valida firmaque ſeptorum, ne auferri poſſint? Denique duos impetu facto paulum abfuit, quin lapidibus obruerent, aurium voluptatem vſui, & fraudem verò anteponentes. Ea verò dux dolere, ſimul vereri ne quod malum diuinitus inueheretur hominibus ſic improbè oraculis diffidentibus. Quod & accidit. Decem enim illi exploratores timidi peſtilenti lue cum eo vulgo, quod eiuſdem amentiæ particeps fuerat, conſumpti ſunt: ſoli duo qui non ad metum, ſed ad ſtudium coloniæ conſulebant, ſalui incolumeſque ſeruati ſunt, quod oraculis paruiſſent, egregio munere donati vitæ non amittendæ. Iſta cauſa fuit, quamobrem non maturius regionem in quam proficiſcebantur, attigerint. Nam cum altero quam ab Ægypto demigrarant anno Syriæ vrbes poſſidere, & agrorum aſſignationes metari poſſent, ferentis compendio viæ digreſſi, auios ineunt calles longos & impeditos, alios ſubinde atque alios irrito corporis & animi labore, nefariæ impietatis debitas luentes pœnas. Itaque perpetuos triginta octo annos vltra præteritum, quod humanæ vitæ prope ſpatium eſt, ſurſum deorſum miſerè iactati & afflicti, & inuias ſolitudines remetientes, vix tandem quadrageſimo deniq; anno ad regionis fines peruenerunt, quo iam ante venerant. In eius aditu ſedes habebant, cum alij, tum ipſorum conſanguinei, quos belli cum vicinis populis gerendi ſocios potiſſimum ſe habituros opinabantur, & coloniæ adiutores: ſin vererentur, ſaltem bello ſuperſedentes neutris in partibus futuros. Nam vtriuſq; gentis auctores Hebrææ, & illius quæ tanquam ſuburbana incolebat, germani duo fratres fuerant eodem patre & matre geniti, atq; adeo gemini, quibus numeroſa ſobole liberorum auctis, nepotum & poſterorum deinceps prole feliciter propagata, in magnam & frequentiſſimam nationem vtraq; familia diffuſa erat. Sed altera patrias ſedes amarat, altera, vt ante dixi, per famem in Ægyptum profecta, longo interuallo reuertebatur: veruntamen propinquitatis iura conſeruabat, quanquam tandiu disiuncta, aduerſus eos qui iam patriorum inſtitutorum nihil retinebant, ſed à vetere maiorum diſciplina deſciuerant, rata ingenijs humanis & liberalibus decorum eſſe indulgere aliquid & tribuere cognationis nomini. illa verò moribus & verbis charitatem omnem immutarat, conſilia & facta infeſta ſine omni bona pace, & implacabilia exercens, & patrias ſimultates exuſcitans. Gentis enim auctor vendita fratri ætatis prærogatiua, paulo poſt quod ceſſerat vltrò vindicabat, pactum violans, & mortem minitans niſi redderet. vetus iſtud hominis vnius in vnum odium gens tot poſtea ætatibus renouarat. Cæterum dux Hebræorum Moſes, tametſi primo ſtatim clamore eos vno incurſu ſubigere armis poterat, propter cognationem tamen noluit: verum ſibi tantum viam per regionem dari poſtulauit, nihil niſi pacatum ſe facturum affirmans, non locum populaturum, non pecus, non prædam abacturum, atque ſicubi potus inopia eſſet, precium numeraturum, & reliquæ venalis annonæ. Illi iuſtiſſima poſtulata aſpernantur, bellum vltro denunciantes, ſi fines ingreſſos eſſe atque adeo attigiſſe modo ſenſiſſent. Hic omnibus reſponſum indignè ferentibus, & ad vindicandum paratis, loco ad audientiam capto, Veſtra quidem viri indignatio, inquit, merita & iuſta eſt. nam animo placido æquiſſima orantibus nefaria mente improbiſſimè reſponderunt. Non tamen ſi meritò pœnas crudelitatis ſuæ iſti pendant, idcirco nobis protinus eorum ſupplicia inuadenda ſint, propter generis verecundiam, vt hic quoque boni ab improbis differamus, qui non tantùm exquiramus, ſintne aliqui pœna digni, ſed etiam an idonei qui à nobis iſta patiantur. Deinde vbi vias omnes regionis præſidijs obſeſſas videt ab ijs qui nihil detrimenti capturi eſſent, ſed ex inuidentia & malignitate compendio viç progredi non ſinerent, flectens alio itinere multitudinem ducere cœpit. Atque iſta doloris erat manifeſta fides, quem ex liberatione gentis capiebant, læti ſcilicet acerba eius in Ægypto ſeruitute. Quippe neceſſe eſt, quibus aliorum commoda ægritudini ſunt, eos ipſorum malis, licet non fateantur, lætari. Iam enim vt eadem ſentientibus & ſtudentibus, quicquid triſte & iucundum experti erant, narrauerant ignari ad pernitiem profligatos eſſe, & ex voluntaria ſimultate, & gratuita offenſione futurum, vt rebus Hebræorum proſperis ingemiſcerent, aduerſis gauderent. & tamen eorum peruerſitate & maleuolentia patefacta, nihilominus à duce Hebræi ad manus venire prohibiti ſunt. In quo rerum duarum longè pulcherrimarum argumenta oſtendit prudentiæ & bonitatis. Nam cauere ne ſuorum quis quid pateretur, prudentiæ erat: ſed conſanguineos ne vlciſci quidem velle, id verò humanitatis. itaque præter eorum vibes duxit. Cæterum rex quidam, qui in confinio regnabat, nomine Chananes, cognito per ſpeculatores agmen non procul abeſſe, incompoſitum ratus, & ſi aggredi occuparet, ſe nullo negocio victorem futurum, ſtatim cum tota iuuentute inſignibus armis decora domo mouet eis occurſurus. primoſque in quos incidit, ad pugnam imparatos fundit fugatque, & captiuis potitus inſperato ſucceſſu inflatus incedebat, reliquos omnes exiſtimans ſe in poteſtatē redacturum. Illi vero nihil debilitati ordinis vnius prægreſſi offenſione, hauſta etiam maiore quàm antea animi fiducia, inopiam captorum egregia animi alacritate primo quoque tempore explere feſtinabant, & alius alium ne deficerent, hac oratione acuebant: Quin expergiſcimur, qui iam regionem ingredimur. quin interri tam fiduciæ firmitatem præſtamus. ſæpe finem primordij conditio diſceptauit: in aditu cultores perterrefaciamus, quaſi vrbanis copijs ſuppeditemur, & cum ipſis ſolitudinis inopiam commutemus. His ſe hortantes, ſimul vota nuncupant ſeſe deo regionis primitias dicaturos regis vrbes earumque municipes omnes. Ille votis annuit, & inſpirata Hebræis audacia perfecit, vt profligarentur hoſtium copiæ: quibus occidione occiſis, voti damnati in votiua gratulatione nullas manubias auerterunt, & vrbibus cum habitatoribus, omnique gaza conſecratis, ex euentu regnum donarium appellarunt. Vt enim religioſi homines ex hornis frugibus & fructibus quos ex ſuis poſſeſſionibus collegerint, deo libant: ita tota gens magnæ regionis in quam demigrabat magnam portionem, regnum ſtatim captum tanquam coloniæ primitias dicauit. Non enim fas eſſe putabat, vel agros diuidere, vel vrbes incolere, antequam regionis & vrbium primitiæ perſoluerentur. Paulo poſt inuento fonte, qui toti multitudini potum largè præbuit) erat autem fons ille puteo depreſſus in regionis finibus) proinde quaſi non aquam, ſed merum duxiſſent, ad hilaritatem & lætitiam animis effuſis nouum pij mortales deo aſſignatori, & vero coloniæ deductori canticum citant, tripudiumq; circum puteum inſtituunt,

quòd ex

quòd ex vaſta ſolitudine primum frequentia & culta ingreſſi quámque poſſeſſuri regionem erant, hauſtum aquæ vberem inueniſſent, decorum rati fontem illum ſine ſignificatione non prætcrire. Non enim priuatorum manibus, ſed regum effoſſus fuerat, qui non ſolùm, vt fama eſt, in inuenienda aqua, verùm etiam in puteo conſtruendo elaborarant, vt ex ſumptu regium opus illud cenſeretur, eorúmque qui à principio conſtruxiſſent, magnificentia cerneretur. Lætus autem ſtatim Moſes inſperatis ſemper bonis, porro ire pergit, diuiſa iuuentute omni in principia, & poſt principia, ſenibus, pueris, mulieribus in medium agmen receptis, vt præſidium vtrinque habent, ſeu à fronte, ſeu à tergo hoſtis inferretur. Paucis deinde interiectis diebus Amorrhæorum terram ingreſſus, legatos ad regem mittit, Seon ei nomen erat, ad eadem illa eum ad quæ eius ante cognatum adhortans. Ille verò non ſolùm contumelioſè ijs qui venerant reſpondit, vt qui à cæde eorum non temperaſſet, niſi ius legationis ſanctum impediſſet: verùm etiam collecto exercitu contra mouere cœpit, penes ſe ſtatim arbitria victoriæ fore exiſtimans. ſed commiſſo prælio non ſibi cum rudi tyrone & inexercitato certamen eſſe intellexit: ſed cum inuictis bellatoribus, qui paulo antè multa & egregia facinora feciſſent, qui corporum robur, animi præſentiam, virtutis magnitudinem oſtendiſſent, quibus perduelles longo interuallo facilè ſuperaſſent, nec tamen prædæ quicquam attigiſſent primis manubijs deo ſacratis: qui tum ab eodem conſilio & apparatu inter ſe validè conferti ſigna intulerunt, ſimul inſuperabilibus iuris ſuppetijs freti, cuius ope & audaciores & certatores acriores, promptioréſque erant. Cuius rei certiſſima hæc fides fuerit, quòd altero prælio dimicatum non eſt, ſed primo vnóque decretum, quo omnes aduerſariorum copiæ inclinatæ & euerſæ internecione deletæ ſunt. vrbes autem vno eodémque tempore frequentes & vaſtas videre erat: inanes priſtinorum ciuium, plenas victorum. eodem modo in agris villæ ſuis deſtitutæ multis partibus meliores colonos commutarunt. Bellum iſtud cùm omnibus Aſiæ populis magnum terrorem incuſſit, tum verò finitimis præcipuè quo propius periculum erant. Vnus itaque vicinorum regum nomine Valaces, qui bonam magnamque partem orientis hominum frequentia celeberrimam ſubegerat, antequam ad manus veniſſet præcepta deſperatione, aperto marte occurrendum non iudicauit, iuſti belli armis infeſtis gerendi fugitans: cæterum ad aues ſe, & diuinationem conuertit, ratus ſe diris quibuſdam & execrationibus indomitum Hebræorum robur poſſe ſubuertere. Erat autem illa tempeſtate vir diuinationis opinione clariſſimus, Meſopotamiam incolens, qui cùm omnia diuinationis genera memoriter alia didicerat, tùm ex augurij prudentia præcipuè in exiſtimatione & admiratione erat, multiſque ſæpenumero incredibilia memoratu & ingentia eius rei documenta dederat. Nam alijs præſagierat æſtate flagranti imbrium proluuiem, alijs ſiccitatem & æſtum media hyeme, alijs ex bonis fructibus ſterilitatem, contra ex perdita fame rerum copiam, alijs fluuiorum inundationes, purgationes, peſtilentium morborum curationes, & alia ſexcenta, quorum quoduis prædicere videri glorioſiſſimum ei fuerat: ac fama quoquouerſum ſemper incedente, ad magnam gloriam peruenerat. ad hunc igitur miſit ex amicorum numero qui venire hortarentur: munera etiam partim repræſentabat, partim ſe daturum pollicebatur, quo nomine eum vocaret declarans. Ille verò non genéroſa animi propoſitione, nec firma, ſed ferè vrbanè eludens, quaſi vnus è primarijs vatibus eſſet, nec quicquam omnino abſque oraculis agere conſueuiſſet, recuſabat, negans à deo ſibi concedi illuc ire. Igitur qui venerant, irriti retro ad regem ſe recipiunt, qui mox alios allegat è ſpectatiſſimis & probatiſſimis cum maiori in præſens pecunia, & magnificorum munerum in futurum pollicitatione. Ille verò & oblatis ineſcatus, & reliqua ſpe captus, & rogantium dignitatem reueritus, ijs ſeſe dedit, deum tum quoque non pro bono cauſatus. Igitur poſtridie eius diei ad profectionem ſe accingit ſomnia narrans, quorum ſe certiſſimis impulſum viſis dicebat cogi, non amplius domi manere, ſed legatos ſequi. Commodum progrediebatur, cum ecce inter viam manifeſtum obijcitur prodigium negocij quò contendebat inauſpicati nefaſtique. Nam iumentum quo vehebatur rectam inſtans viam, repentè primùm reſiſtit, deinde proinde quaſi ex aduerſo quiſpiam vi inhiberet & repelleret, ſucciduis pedibus recellitur, rurſus ad dextram læuamque huc & illuc temerè errabundum inquies agitabatur, tanquam vino & ebrietate caligans: multoque verbere pulſatum plagas negligebat, vt ſeſſorem penè deijceret, & quanuis ſedentem malè mulctaret. propinqui vtrinque fundi forte macerijs & ſeptis clauſi erant, quibus cùm inferebatur & impingebatur, domini genua & crura tuſa preſſaque deſtringebantur & pedes. obijciebatur nimirum diuina quædam ſpecies quam iumentum iandudum obſeruantem horrebat, homo non videbat: quod argumentum ſtuporis erat, bruto eius oculos vincente, qui non ſolùm mundum, verùm etiam mundi effectorem ſe videre iactabat. Itaque vix tandem aduerſantem angelum conſpicatus, non ſanè quòd eo ſpectaculo dignus eſſet, ſed vt indignitatem ſuam & nequitiam agnoſceret, ad preces ſupplex ſe conuertit, veniam pacemque petens, imprudentia non ſponte in peccatum lapſo. Tum igitur cum redire domum deberet, de ſpectro percontari infit, an domum reuerteret: angelus cognita hominis diſſimulatione indignatus. quid enim attinebat de eo percontari, quod tam illuſtrem de ſe ſignificationem haberet, nec vllam orationis fidem requireret? niſi forte aures oculis veraciores putandæ ſunt, & rebus verba ſpectatiora. Perge, inquit, ire viam quô profectus es. nihil enim profueris, me quod dicto opus eſt ſine tua mente ſuccinente, & vocis inſtrumenta flectente quâ ius faſq; eſt. Nam tua non intelligentis lingua fata canes, orationem meo arbitratu regam. Rex vbi eum appropinquare audiuit, cum prætoria cohorte obuiam procedit. In congreſſu primum vt aſſolet, gratulatio & dextrarum copulatio, mox leuis expoſtulatio de tarditate & quòd venire non maturaſſet: poſtea epulæ & ſumptuoſa conuiuia, reliquaq; omnia luxus regij inuitationi accipiendorum hominum conſueta, ad apparatus magnificentiam & dignitatem auctiora multo & ampliora. poſtridie eius diei vbi diluxit, vatem Valaces in tumulum ſubducit, in quo ſignũ collocatum erat deæ cuidam, quã ipſius populares colebant: illinc partem caſtrorũ Hebræorum quæ in conſpectu erat, velut è ſpecula mago oſtendebat: ille caſtris conſpectis, Tu quidem, inquit, ſeptem aris excita-





tis vitulum rex, arietemq; in vnaquaq; immolato: ego petito ſeceſſu Deum conſulam quid loquar. Extrà progreſſus extemplo numine corripitur fatidico ſpiritu inceſſente, qui omnem artificioſam vaticinationem ex eius animo exterminauit. Nefas enim erat afflatum ſanctiſſimum, magicis præſtigijs contubernalem eſſe. Mox reuerſus conſpectis ſacris & aris ardentibus, quaſi interpres alio ſubiiciente hariolatur iſta, ex Meſopotamia me Valaces accerſiuit, vſque ab oriente longinquam profectum viam, vt diris Hebræos deuoueat. Ego verò quo tandem modo capita Deo non abominata execrabor? Equidem eos ab altiſſimis iugis deſpiciam, & cogitatione complectar: veruntamen lædere non poſſim eum populum qui ſolus habitabit nullis cum gentibus numeratus alijs, haud ſanè ex locorum aſſignatione & agri vſurpatione: ſed ex ſingulari & eximia inſtitutorum proprietate nullis alijs promiſcuorum, ne mos patrius & diſciplina corrumpatur. Quis enim primam generis huius ſtirpem verè inuenerit? Eorum corpora humano ſemine formata ſunt, animi Deorum ſatu creati. Itaq; arcta Dei cognatione genteq; tenentur. quod vtinam animus meus vita corporis defungatur, vt inter animos iuſtorum numeretur, quales iſtorum eſſe contigit. Iſta Valaces audiens, intimis ſenſibus angebatur, vtq; finem fecit, magnitudinem affectus non capiens, Ad deteſtationem, inquit, hoſtium euocatus, eis bene precari non erubeſcis? Ergo imprudens in fraudem memet induxi, te mihi amicum ratus, qui quidem occultè pro hoſtibus in procinctu ſtabas: quod nunc adeò compertum eſt. Num tu aduentum differebas ea gratia, quòd in animo tuo hæreret quædam erga illos indulgentia & beneuolentia, à me meiſq; alienatio? Vetus enim verbum eſt, perſpecta dubijs fidem afferre. Ille remiſſo afflatu, Equidem iniquiſſima, inquit, calumnia circunuenior. nihil enim meũ loquor, ſed quæcunq; ſuccinit Deus: neq; verò nunc primum iſtud vel ego loquor, vel tu audis: ſed & iam ante cum legatos miſiſti, eadem iſta reſpondi. Hic rex ſeu vatem non bona fide agere ratus, ſeu Deum immutari arbitratus, locorumq; mutationibus in eo animi firmitatem labaſcere, vatem alium in locum abductum ſtatuit in edito tumulo, vnde partem hoſtilium copiarum oſtendebat, mox ſeptem inſtauratis aris, totidemq; quot ante hoſtijs cæſis, vatem auſpicatum miſit, de cœloq; ſeruatum. Ille verò ſolus deſtitutus repentè numine afflari agique, ac ceu mente capti, nihil quicquam intelligere, ſed quod ſubiiciebatur eloqui, iſtaq; fata canere. Surge ſis, inquit, rex, atque auribus arrectis audi. non vt homines, falli Deus item poteſt: nec eum vt hominum genus piget, vt quod ſemel confirmauit, in eo non ſtet. Nihil quicquam omnino loquitur, quod non fideliter certeq; ad finem perducatur, quando dictum ei factum eſt. Ego ad bene precandum, non ad execrandum adhibitus ſum: nulla vel ærumna vel calamitas Hebræos attigerit. Deus pro illis manifeſtò propugnat, qui malorum quoq; Ægyptiacorum eis depulſor fuit, vt quaſi hominem vnum tot milia poſſet educere. Itaq; nihil auguria morantur, vel reliquam diuinationem vno mundi imperatore freti. populum video ceu leonis catulum exurgentem & ferociter ſe efferentem. venatione veſcetur, & potu fruetur ſauciorum cruore: ſaturatuſq; lumina ſomno non declinabit, ſed vigil canticum victoriæ citabit. Hic indignè ferens ſibi præter ſpem, aſperam fœdamq; diuinationem eueniſſe. Tu homo, inquit, ne malè neu benè precator. potior enim eſt tuta ſine periculo taciturnitas ingrata oratione. Iſta fatus mox tanquam immemor eorum quæ dixerat, animi quadam leuitate aliò vatem rapit, vnde exercitus Hebræorũ parte in conſpectum data poſtulabat execrationem. vates autem abſq; manibus illius, quanquam contra criminationes omnes vna defenſione vera vtebatur, ſe ſuum loqui nihil, ſed à numine poſſeſſum, & furore percitum aliena denunciare: tamen cum domum diſcedere, non ſequi deberet, deducentem vltro præcurrebat, ſimul malo magno perſuaſione ſui laborans, ſimul animi inductione, ſi voce non eſſet licitum, deteſtari, deuouereq; exoptans. vbi ad montem peruentum eſt ſuperioribus altiorem, longo ſe porrigentem iugo, idem ſacrificium inſtaurari iubet, & ſeptem rurſum excitatis aris, quatuordecim hoſtiis paratis, vitulum & arietem ſingulis adſtitui imperat: nec ipſe iam, vt cenſeas, ad omina ſe & auſpicia accingebat, artem ſuam miſerè damnans, veluti tabulam pictam vetuſtate exoletam, & coniecturis ſagacibus orbatam: vixq; adeò tandem intellexit voluntatem regis à quo conductus fuerat, cum Dei ſententia non conſentire. Itaq; in ſolitudinem conuerſus cernit tributim Hebræos caſtra metatos tetendiſſe, multitudinemq; & ordinem velut vrbis non caſtrorum cum ſtupore admiratus, numine ſtatim correptus ita profatur: Homo qui verè videt, iſta loquitur, qui in ſomnis euidentem Dei ſpeciem in ſomni & peruigili mentis oculo vidit. quàm decora domus tua Hebræorum exercitus, tabernacula tua tanquam inumbrantes opaciq; ſaltus, tanquam horti ſecundum flumen, tanquam cedrus propter aquam. exorietur aliquis aliquando ex vobis qui multas nationes ſuperet, cuius regnum quotidiano proceſſu ſublime euehatur. populus iſte vſq; ab Ægypto totius itineris ducem Deum habuit vno cornu multitudinem ductantem: proinde multas aduerſariorum nationes exedet, & quicquid in illis eſt opimum ad medullam ſumet, aduerſarioſq; miſſiliũ iactu malè perdet: requieſcet procumbens vt leo aut catulus leonis generoſo contemptu neminem formidans, ſed alijs vltro terrorem incutiens: miſer fuerit qui irritatum excitarit. qui tibi benè precantur bonis ominibus & precationibus digni ſunt: nefaſti & deteſtatione digni, qui te execrantur. Iſtis rex valde indignatus, Ad hoſtium deuotionem, inquit, euocatus, ſiccine iam tertium pro illis precaris? fuge hinc ocyus: præceps eſt perturbatio iracundia, ne quid in te admittere cogar. quantam vim pecuniæ & munerum ſtultiſſimè tibi ademiſti? quanta porrò gratulatione & gloria ô vecors te fraudaſti? Domũ ex regione extera nihil reportabis, vt videtur, præter opprobriũ & dedecus, tua ſcientia qua tibi tantum nominis & auctoritatis partum erat, ſic in ludibriũ verſa. ille ſuſcipit, Quæ prius, inquit, dixi oracula ſunt omnia & vaticinationes: de reliquo quæ loquar, animi mei coniecturæ erunt: prehenſaq; dextra remotis arbitris ſoli ſolus conſulebat, quibus rationibus quoad fieri poſſet, hoſtium copias effugeret: in quo ſe maximæ impietatis inſimulabat. Quid enim, dicet aliquis, ſeceſſo conſultoq; tibi opus fuit contraria præſertim effatis monituro? niſi fortè conſulta tua oraculis valentiora putas: Age verò præclara eius monita videamus, quibus artibus inſtructa fuerint ad certiſſimam offenſionem eorum qui ſemper vincere poterant. Cum enim intelligeret Hebræos vna tantũ ratione capi poſſe, violata facinore aliquo lege, per ſtupri libidinem & intemperantiam magna mala, ad maius impietatis ſcelus inducere ſtu-

debat voluptatis eſca. Huius enim alebat, regionis, ô rex, mulieres ſpecie reliquis longè præſtant: viri autem nulla re facilius, quàm mulieris forma expugnari poſſunt: proinde ſi formoſiſſimis queſtũ facere proſtareq; permiſeris, iuuentutem aduerſariorum velut hamis capient. ita autem doceri eas oportet, ne ſtatim floris ſui volentibus copiã faciant. Nam moleſtus ille aculeus ſimulatæ recuſationis libidinem acrius excitabit, & amorem accendet, actiq; libidine tanquam obtorto collo trahantur, quiduis & facere & pati in animum inducent. Amatorem igitur vt quæq; ſic affectum nactã erit, quæ ad venationem illam ſubornantur, ferociter dicat, tibi conſuetudine mea frui nefas eſt, niſi à patrijs inſtitutis deſciueris, mutataq; ſententia eadem iuxta mecum colere cœperis: cuius defectionis fides ea demum mihi perſpecta fuerit, ſi libamentorum eorundem & ſacrorum particeps eſſe volueris, quę ſimulachris & ſtatuis reliquiſq; ſignis ex ritu facere ſolemus. Ille verò multiplicibus laqueis implicatus, & argutia orationis irretitus, nullum ſumptum recuſans, exturbata ratione miſer imperata faciet, ſeruuſque perturbationi auctoratus adſcribetur. Sic igitur ille tum conſulebat: rex iſta non abs re dici ratus, ſublata de adulteris lege, & abrogatis omnibus de ſtupro, corruptelaq; ſanctionibus proinde quaſi nunquam rogatæ eſſent, liberam facit mulieribus quibuſcũ vellent conſueſcendi poteſtatẽ licentia & impunitate data adoleſcentulorũ multitudinem illiciebant, multo ante eorũ animis circunuentis & illecebrarũ præſtigijs ad impietatem impulſis: dum poſtremo pontificis filius Phinees, facta iſta ſupra modum indignatus. (teterrimũ enim ei videbatur eodem tempore corpora & animos pro dedititijs, illa voluptatibus, hos ſceleri & impię fraudi tradi) iuuenilis audaciæ memorabile facinus, viroq; dignũ forti edidit. Nam quendam ſui generis ſacris operatũ ad ſcortum ingredi conſpicatus, neq; ſummittentem in terrã vultum, neq; latere cupientẽ, neq; vt aſſolet, clanculum aditum ſuffurantẽ, ſed inuerecundam fiduciæ intemperantiã præ ſe ferentem, & in flagitio ridiculo velut in re præclara magnificè ſe efferentẽ, exacerbatus indignitate rei & iuſta repletus ira, curſu irrumpens adhuc in lecto iacentes amatorẽ & meretriculã confodit, genitaliaq; eis præterea deſecat, quibus inceſtum ſatum patrarant. Iſtud exemplũ aliqui continentiæ & religionis ſtudioſi iuſſu Moſis imitati, omnibus qui initiati fuerant ſimulachris manu factis, propinquis iuxta neceſſariiſq; occidione occiſis, ſcelus gentis expiarunt inexorabili ſceleratorũ ſupplicio: reliquos qui pietatis ſuæ certiſſimã defenſionem attulerant, ſeruauerunt, nullũ ſui ſanguinis damnatũ miſerati, nec vlla miſericordia cuiuſquã delictum prætergreſſi, interfectores puros & integros arbitrati. Itaq; nulli obnoxio ſontiq; viã ad effugium ferentẽ conceſſerunt, quæ veriſſima laus eſt: vnoq; die viginti quatuor millia hominũ cæſa ſunt, & vnâ ſtatim ſublata eſt communis labes, qua totus exercitus maculoſus polluebatur. Ita facto piaculo, forti dignũ & meritum præmium pontificis filio, qui primus ſcelus vindicarat, Moſes quærebat, ſed per oraculũ Deus eũ donare occupat maximo pacis præmio, quod mortalium nemo largiri poſſit, pacemq; cumulat perpetua propriaq; ſacerdotij poſſeſſione, ipſi familiæq; hæreditaria, & nullis vindicijs adimenda. Poſt vbi malorũ ciuilium nihil ſuperabat, verũ omnes pro perfugis vel proditoribus ſuſpecti pœnas dederant, tempeſtiuũ viſum eſt in Valacem expeditionem ſuſcipere, hominem non ſolùm voluntate, verùm etiam factis modis omnibus peſſimè meritũ: voluntate, per vatẽ quem deuotionibus diris copias Hebræorũ delere poſſe ſperauit, factis per mulierũ obſcœnam libidinem & proteruam petulantiam quę corpora conſueſcentiũ ſtupro debilitarant, animos impietate profligarant. Nec tamen copijs omnibus bellũ eſſe gerendum exiſtimauit, gnarus multitudinem omnẽ extra fines circũ ſe collabi & diffluere ſolere, ſimul è Republica ratus præſidiorũ ſtationes relinqui, quæ ſocijs laborantibus fatigatiſq; opem ferrent. ſed delectu iuniorũ habito ſtrenuiſſimum quenq; centuriat, & mille ex vnaquaq; tribu conſcribit, numeroq; ad 12 millia: tot enim erant tribus, conficit, & Phinee belli duce lecto qui iam imperatoriæ fortitudinis ſpecimen dederat, proſperis ſacris cũ litaſſet, militem emittit, huiuſmodi oratione acuens: Non de imperij ſumma, neq; alieni vſurpatione certamen impræſentia eſt, quibus de rebus aut ſolum, aut maximè bella naſcuntur, ſed de pietate & ſanctimonia, à quibus propinquos noſtros & neceſſarios abalienarunt hoſtes, malis artibus ad exitiũ acerbum fraudemq; impulſos. Stultumq; planè fuerit ſuorũ qui deliquerant interfectores, ab hoſtibus qui nefariè magis fecerint manus abſtinere, alioſq; ex diſciplina iniuriæ per vim morte multatos eſſe: auctoribus doctrinam inultam & impunitam relinqui, quibus omnia ferri accepta debeant, quæ illi vel fecerunt vel paſſi ſunt. His illi vocibus confirmati, virtuteq; quicquid in animis ante ſuberat, tanquam fomitibus excitata, quaſi victoriæ certi, alacribus & inuictis ſtudijs ad bellum ferebantur. Itaq; prælio congreſſi, tantam virium & audaciæ exuperantiã præſtiterunt, vt hoſtes immolaſſe viſi ſint, ipſi ad vnũ omnes incolumes ſoſpiteſq; reuerterint, nullo ſuorũ deſiderato, ac ne vulnerato quidem. Quòd ſi quis ignarus facti redeuntes vidiſſet, nõ tàm ab acie & bello, quàm à traductione ad armorũ recenſionem recentes eſſe credidiſſet, quæ in pace ad meditationẽ & exercitationem fieri ſolet in hoſtes commentantibus. Ac vrbes quidẽ partim dirutas & in planũ datas, partim igne deflagratas ita deleuerunt, vt ne dici quidẽ poſſet vtrũ aliquando locatæ eſſent. Iam captiuorũ corporum immani multitudine abducta viros omnes & mulieres interfecerunt: viros, quòd conſilijs & manu iniuriã facere occupaſſent: mulieres, quòd Hebræorũ iuuentutẽ effaſcinaſſent, quã ad flagitium & impietatẽ pellexiſſent, poſtremò ad acerbam mortẽ induxerant: impuberibus pueris & virginibus valde teneris pepercerunt, obliuionẽ culpę ætatula merente. Magna autẽ vi prædę potiti ex regia gaza, ex priuatis ædibus, ex villis (nõ enim vici minus, quã oppida abundabant) in caſtra redeũt omnibus hoſtium opibus & facultatibus onuſtis. Moſes & duce Phinees & bellatoribus collaudatis, quòd non ſolùm fortiter feciſſent, verùm etiam arbitria victoriæ & operæ precia non vindicaſſent intercipienda præda, quam omnes in medium communicaſſent, vt qui in tabernaculis remanſerant participes eſſent, imperat, vt dies aliquot extra caſtra tendant: deinde à prælio reduces per pontificem maximum piacularibus ſacris ſuſceptis cæde expiat. Nam vt legitima hoſtium cædes ſit, attamen qui hominem interficit, quanquam iure, quanquam vim propulſans, quanquam coactus, nõ inſons eſſe videtur nec extra noxiam, propter vltimam illam & communem hominum inter ipſos cognationem. Quo nomine piacula ſuſcipienda fuerunt interfectoribus ad luendum ſcelus, quod conceptum cenſebatur. Non multo poſt





prædam diuidit, ijsque qui ſtipendia illa fecerant ad reliquam, quæ in caſtris remanſerat, multitudinem omnino paucis dimidium prædæ attribuit, altero dimidio eos qui remanſerant, animiſq; ſaltem pugnauerant, æquum eſſe ratus, prædæ participes eſſe, proſequitur. Nam ſubſidiarij qui non minus promptis animis, quàm pugnatores imminent, tempore & pręceptione ſolum vincuntur. poſt vbi pauciores plus, quod primi periculum adierant, plures minus quòd in caſtris ſubſtiterant, tulerunt, placuit prædæ totius primitias conſecrare. Itaq; qui in caſtris ſubſederant, quinquageſimam contulerunt, qui pugnarant quingenteſimam. Cæterùm primitias eorum qui meruerant illo bello, magno flamini dari præcipit: eorum qui remanſerant, æditimis, quibus Leuitis nomen eſt. Iam tribuni & centuriones, reliquuſq; eorum numerus, qui manipulos aut ordines duxerant, pro ſua militumq; ſalute, pro victoria omnem verborum commemorationem ſuperante, voluntarij eximias primitias obtulerunt, ornamenta aurea quæ quiſq; in manubijs reperit, vaſa etiam aurea maximi precij: quæ Moſes accepta pietatem eorum admiratus, in conſecrato tabernaculo dicauit, perpetua grati eorum animi monumenta. Ac præclara profecto illa primitiarum partitio fuit. nam eorum qui non militarant, & dimidiatam quandam virtutem, ſtudium ſine opera nauarant, æditimis tribuit: eorum qui dimicauerant, animiq; & corporis periculo ſolidam virtutem præſtiterant, magno flamini æditimorum magiſtro aſſignauit, centurionum quòd imperatoriæ eſſent opt. max. vniuerſorum imperatori deo. Hæc omnia bella geſſerunt nondum tranſmiſſo Iordane, illius regionis amne, cum vlterioribus beati & vberis ſoli cultoribus, quod plerunq; & campis frumentarijs & gramineis ad iumentorum pabulum cenſetur. Itaq; ſimulac hanc regionem viderunt duæ tribus pecuariæ, vniuerſi exercitus ſexta pars, cum Moſe agunt, ſibi vt illic aſſignationibus datis, conſidere permittat. per enim oportunum eſſe locum narrabant habendo pecori, aquis præſertim ſcatentem & paſcuis vberem, gramenq; ouillo pecori magna copia ſponte ſubminiſtrantem. Ille verò eos ratus vel ex prærogatiuæ ambitione partitionem & præmia emerita ante tempus poſtulare, vel ad proxima bella animo debilitari pluribus regibus adhuc imminentibus, qui quicquid regionis intra flumen erat, ditione tenebant, indignatus iracundè reſpondet: &, Siccine ergo vos, inquit, ocioſi cum minimè refert, & ignaui hic ſedebitis, cùm veſtros interim neceſſarios, propinquos, amicos, reliqua bella miſerè angent & exercebunt, & manuprecium merceſq; vobis ſolis tanquam omnibus iam benè geſtis repræſentabitur, prælia, labores, ærumnæ, ſummáq; pericula alios manebunt? Enimuero æquum non fuerit vos pace, paciſq; emolumentis perfrui, alios bellis & immemorabilibus malis conflictari, totumq; in additamenti parte numerari. contra enim partes ſummæ cauſa ad perticæ iura perueniunt. par omnium conditio & ius, genus vnum, ijdem patres, vna domus, ijdem mores, legum ſocietas, alia ſexcenta, quorum vnumquodq; neceſſitudinem adſtringit, & beneuolentiam conciliat. Quid igitur eſt, quod in tanta maximarum rerum & maximè neceſſariarum æquabilitate, tamen in diuiſione ſuperiores plus ferre poſcitis, proinde quaſi vel principes ſubiectos, vel heri ſeruos contemnatis? vos quidem par iam fuerat aliorum exemplis ſatis doctos eſſe. Nam prudentium eſt non expectare, dum in ſe graſſentur & expetant mala. Nunc exempla domeſtica illorum, cum in promptu habeatis, qui primi hanc regionem luſtrauerant, cum illorum calamitates recordemini, & eorum qui paris vecordiæ conſortes fuerant (omnes enim extra duos tetrum exitium hauſerunt) nihil tale cum à vobis approbatum oporteat, timiditatẽ tamen, ô mente capti, ſectamini, proinde quaſi munitiores hoc modo futuri, expugnationiq; minus opportuni. Sic alacritatem labefactatis omnem ex animis eorum, qui ad fortiter faciendũ ſe accingebant, & ſpiritus frangitis ac debilitatis. Ergo qui peccare properatis, etiam ad ſupplicium feſtinare vos putate. Solet enim iuſtitia primum ægrè moueri, verùm ſemel ſollicitata & excitata confeſtim qui effugerint, præuertitur. Quamobrẽ cum hoſtes profligati fuerint omnes, neq; bellum vllum in expectatione reſederit, nulliq; ex hac ſocietate, cum in eos anquiſitũ erit, ſontes comperti fuerint, nec ordinem, nec militiã deſeruerint, nec aliud quicquã ad offenſionem belli admiſerint, ſed ab initio ad finẽ in fide permanſerint & animis & corporibus: toti autẽ regioni vaſtitas & ſolitudo à priſtinis habitatorib⁹ fuerit, tum deniq; emerita præmia virtutis ergô, & arbitria victoriæ tribubus ex æquo dabuntur. Illam autem obiurgationẽ æquo animo ceu liberi legitimi pij parentis ferentes (Illum enim pro certo habebãt nihil imperij fiducia pro poteſtate ſuperbius in ſe conſulere, ſed omnibus proſpicere, iuri & æquabilitati ſeruire, odiũ cum improbitate, non ad contumeliam, ſed ad eorũ frugem qui meliores reddi poſſent, exercere.) Non iniuria profecto, inquiunt, ſi iſtã de nobis opinionẽ concepiſti, ſtomachare, quòd belli gerendi ſocietate relicta, ante tempus perticã & metatorem petere properemus: ita tamen pro certo habeas velimus, nihil cum virtute coniunctum formidini & terrori nobis eſſe, quanuis laborioſum & moleſtũ. Nam illud demũ virtutis officiũ exiſtimamus, tibi præſertim tali duci obtemperare, nec periculis deeſſe, ſed omnia futuræ militiæ ſtipendia merere, dum ad exitum omnia fauſtũ perducantur. Nos igitur compoſito vt antea agmine, armati, Iordanẽ tranſmittemus, nulliq; militi moræ iuſtã cauſam præbebimus: pueros, puellas, matres, mulieres, omne pecus ſi per te licet, relinquemus, pueriſq; & mulieribus domos, pecori ſtabula prouidebim⁹, ne quid ex ſubita incurſione, ſine munitione pręſidioq; deprehenſi incommodi fortè patiantur. Ille verò & placido vultu & blandiore voce, Vos quidẽ, inquit, ſi veraces eſtis, manent aſſignationes quas poſtulatis. Quare mulieres, pueros, pecus relinquite: ipſi centuriatim cum alia omni copia, omni armatura ornati ad præliũ explicatis ordinibus, vt mox ſi neceſſe ſit acie pugnaturi flumen traijcite. Poſtea profligatis omnibus hoſtibus, paceq; parta, cum regionẽ victores partientur, domum ad veſtros redibitis, & partem quam optaſtis fruendã. Vbi iſta fatus pollicituſq; eſt, alacritate & gaudio onerati, ſuos cum omni pecore in munitionibus firmiſſimis pleriſq; manu factis tuto collocant, ipſi ſumptis armis promptius quàm reliqui commilitones excurrunt, proinde quaſi vel ſoli bellaturi, vel certè manũ ante cum hoſte conſerturi. Nam qui ab aliquo donatus eſt, ipſo munere auctoratus impigriorem ſe militiæ præbet, exiſtimans ſe neceſſarium debitum luere, non gratiam promereri. Quæ in regno ab eo geſta ſunt, iam oſtendimus: deinceps quæ in pontificatu & legiſlatione rectè & ordine fecerit, dicendum. Nam duas iſtas artes adſciuit, vtranq; regno præcipue conuenire arbitratus.

# PHILONIS IVDÆI DE VITA MOSIS LIBER II. ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.

PRIMVS LIBER DE MOSIS ORTV CONSCRIPTVS EST, EDVCATIONE, inſtitutione, imperio, non ſolùm ſine culpa, verùm etiã magna cum laude geſto, de ijs quæ in Ægypto, in itinere, in mari rubro, in ſolitudine adminiſtrauit, quæ omnẽ profectò vim orationis & facultatem ſuperant: de ærumnis quibus feliciter perfunctus eſt, de aſſignationibus quas parti militũ attribuit. nunc eam libri confectionẽ inſtituimus, quæ reliqua deinceps conſequentiaq; perſequatur. Quidam non ab re tũ demum ciuitates in melius proceſſuras eſſe dicunt, cũ vel reges philoſophabuntur, vel philoſophi regnabunt. ille verò non tantùm arte vtraq; regnandi & philoſophandi vltra modum præſtitiſſe videbitur, verùm etiam vltro tribus alijs eas cumulaſſe, quarũ vna in legiſlatione occupata eſt, altera in pontificatu. poſtrema in prædictione & præſagitione: quibus de rebus hoc tempore mihi dicendũ exiſtimaui neceſſariò nam in eundẽ omnia conuenire arbitratus ſum, ſiquidem Dei numine rex, legiſlator, pontifex. propheta extitit, & in omnibus primas tulit. Cur autẽ in eundem omnia conueniant, explicandum eſt. Regis munus eſt, quod oportet imperare, quod non oportet vetare: ſed rerum agendarum præſcriptio, non agendarũ interdictio legis propria eſt: vt protinus rex, lex quædam animata: lex autem, rex quidam iuſtus eſſe videatur. Atqui rex & legiſlator non humana ſolùm, ſed etiam diuina ſpectare debent: cum præſertim abſq; diuina beneuolentia, neq; regum, neq; eorum qui eis parent, res bene fortunari poſſint: ex quo euenit, vt viro tali primùm ſacerdotio opus fuerit, vt perfectis ſacris, perfectaque ſcientia Dei colendi, malorum depulſionem, bonorum adeptionem ſibi & ſuis à propitio Deo & precationibus annuente poſceret. Quidni enim Deus preces ratas redderet, præſertim natura beneuolus, & veros ſui cultores prærogatiua proſequi ſolitus? Verum quando ſexcenta regi, legiſlatori. pontifici rerum diuinarum & humanarũ incomperta ſunt (nam tametſi tantis & tam prolixis ſucceſſuum opibus circundatus incedit: nihilominus tamen & natus & mortalis eſt) neceſſaria etiam ei prædictio fuit, vt quæ ratione conſequi non poſſet, ope diuina comprehenderet. quò enim mens non aſpirat, eò prædictio peruenit. Ac illarum quidem quatuor virtutum honeſta copulatio, & omni ex parte modulata eſt. nam in ſe implicatæ, mutuoq; nexu conſertæ vnà choros exercent inuicem participantes aliæ alijs, atq; reddentes, virgines gratias imitantes, quibus inconcuſſa naturæ lex eſt, nunquam diſiungi: in quibus illud quiſpiam meritò vſurpauerit, quod de virtutibus dici ſolet, qui vnam habeat, eundem omnes habere. Ac primum dicendum eſt de ijs quæ ad legiſlationem pertinent. Haud equidem ignoro, quin eum, qui optimus legiſlator futurus ſit, integris & perpetuis generibus virtutum omnibus præditum eſſe oporteat: verùm quando vt in familia alij ſtirpe proximi ſunt, alij remoti: omnes tamen inter ſe cognatione coniuncti: item è virtutibus quædam nonnullis rebus adiunctiores, quædam minus propinquæ exiſtimandæ ſunt: legiſlationi profectò quatuor imprimis artes germanas & affines eſſe arbitror, humanitatem, æquitatis ſtudium, bonitatis amorem, improbitatis odium. nam horum quodq; eum cui cupiditas inceſſit legum ferendarum ferè incitare ſolet: cum præſertim humanitas in medium conferre ſententias publicè & in vulgus profuturas doceat: iuſtitia ad æquabilitatem & ad tribuendum cuiq; pro dignitate vocet: bonitatis amor ea quæ natura honeſta ſunt, approbare ſuadeat. & ea dignis ad vberrimum vſum reſerata ſuppeditare: odium improbitatis impellat ad eos qui virtutem ſpernunt auerſandos, & pro communibus generis humani hoſtibus ſuſpectandos. ac magni quidem operis fuerit, vel vnam quamlibet memoratarum artium complexum eſſe: ſed admiratione profectò dignum vniuerſas animo conceptas habere poſſe, quod vnus Moſes aſſequutus videtur, in ijs quæ ſanxit, virtutibus iſtis luculentè declaratis. Atque id intelligunt omnes qui ſacros libros peruolutarunt, nunquã eũ, niſi talis fuiſſet, præeunte Deo, perſcripturũ fuiſſe, tradituruműq; dignis hominibus poſſeſſionem longè pulcherrimam eorum exemplarium, quæ in animo circumferebat, quorum imagines & adumbrationes leges illæ extiterunt, virtutes quas diximus præclariſſimè ſignificantes. Quod autem omnium legiſlatorum qui vſquam terrarum apud Græcos iuxta Barbaroſq; extiterunt, præſtantiſſimus fuerit, eiuſq; leges non ſolùm pulcherrimæ, verùm etiam diuinæ ſint, ſine vlla prætermiſſione rerum ſalutarium, certiſſima fides hæc fuerit: Aliorum leges ſi quis mente perluſtret, ſexcentis de cauſis mutatas eſſe reperiet, bello, dominatu, aut alia poſtremo rerum aſperitate, quam fortunæ inſolentia inuexerit. ſæpenumero etiã luxus larga rerum abundantia & copijs ſuppeditatus leges euertit, nimium ſecundam fortunam multitudine non tolerante: ſed ex ſatietate in intemperantiam peſſum eunte legibus inimicam. At huius vnius firmæ, immotæ, inconcuſſæ perſtiterunt, tanquam ſignis naturæ ipſius obſignatæ, iam inde vſque ab illo die quo primum ſcriptæ ſunt ad hanc memoriam, ac porro manſuras in poſterum ſpes eſt, & inueteraturas omnibus ſeculis, dum ſol, luna, cœlum ipſum, mundus denique vniuerſus extabit. Itaq; cum tantas vtramq; in partem rerum ſecundarum & aduerſarum viciſſitudines Iudæorum natio experta ſit, ne minima quidem vlla lex tamen labefactata eſt omnibus, vt reor, diuinam quandam earum maieſtatem venerantibus. Ergo quæ neq; fames, neq; peſtis, nec rex, nec tyrannus, non animi, non corporis, non perturbationum, non vitiorum coorta rebellio, non aliud vel diuinitus importatum, vel ab hominibus ortum malum perculit, quidni & omni contentione expetenda, & omni orationis facultate ſuperiora cenſeantur? Sed nondum iſtud mirum eſt, quanquam per ſe magnum merito exiſtimandum, omni tempore ſuam conſtare legibus illis auctoritatem: verum illud, vt arbitror, multò mirabilius, non ſolùm Iudæos, verùm etiam alios propè omnes, eoſq; potiſſimũ quibus virtutis maius ſtudium eſt, ad earũ approbationem honoremq; ſe conſecraſſe. hoc enim eximiũ præmium, quod nullæ leges aliæ habent. id eo argumento perſpici poteſt, quod cũ nulla propè dixerim, vel Græca vel Barbara ciuitas, alterius Reipub. leges honore proſequatur, ſuas vix perpetuò tueatur ad rerum & temporũ conuerſiones ſubinde ſe commutantes (Athenienſes enim Lacedæmoniorũ iura & inſtituta aſpernantur: Lacedæmonij viciſſim





Athenienſium: nec in Barbaria Ægyptij Scytharum leges cuſtodiunt, aut Ægyptiorum Scythæ, aut vt vno verbo complectar, Aſiæ cultores Europeorum, aut Aſianorum Europei: ſed propemodum ab oriente ſole ad cadentem regio omnis, natio, ciuitas, à peregrino iure abhorrent, patriarúmque legum eam demum comprobationem arbitrantur & amplificationem, ſi alienas contemnant) id tamen noſtris non accidit. omnes enim mortales ad ſe pelliciunt & conuertũt, Barbaros, Græcos, continentis habitatores, inſulanos, gentes eoas, occiduas, Europam, Aſiam, vniuerſum denique orbem terrarum à finibus ad fines. Quis enim ſacrum illum ſeptimum diem non colit, remiſſionem laborum & indulgentiam ſibi & ſuis, non liberis tantùm, ſed etiam ſeruis, atque adeò iumentis concedens? nam quies illa ad omnem gregem pertinet, & ad omnia quæ ad ſeruitium hominis procreata ſunt, tanquam mancipia naturalem herum colentia: ad omnem deniq; arborum & ſtirpium ſpeciem peruenit. non enim ſtipitem, non ramum, ne frondem quidem cædere licet, aut fructum vllum decerpere, omnibus eo die immunibus, & tanquam libertatem vſurpantibus, publico quodam interdicto attingere vetante. Ecquis verò ieiunium quod appellatur non admiratur? ecquis non veneratur? præſertim illud cuius ſolenne ferijs omnibus & ſeueritate & maieſtate anteſtat. nam illæ profuſo mero, menſa ſumptuoſa, omnium rerum quæ ad paſtum & potum pertinent, largo apparatu circunfluunt, quibus inſatiabiles abdominis voluptates creſcunt, in libidinem ventri ſubiectam prorumpentes. In hoc non eſculentum quidquam, non potulentum attingere fas eſt, vt pura mente, nulla interpellante & moram obijciente perturbatione corporis, quales ſolent ſaturitatem ſequi, ferientur fauſtis precibus & ominibus vniuerſitatis parentem placantes, quibus veterum noxarum obliuionem, adeptionem & vſuram nouorum bonorum poſcere conſueuerunt. Quod autem illarum legum ſanctimonia, non ſolùm Iudæis, ſed alijs omnibus ſit admirationi, & ex ijs quæ iam commemoraui perſpicuum eſt, & ex ijs quæ deinceps dicam. Olim leges Chaldaica lingua ſcriptæ, perdiu ſine commutatione ſermonis in eadem permanſerunt, quandiu ſuam pulchritudinem per alios mortales non oſtenderant. poſt vbi ex quotidiana meditatione & aſſidua commentatione hominum illis legibus viuentium, alios ſenſus earum pepulit, & claritas quoquouerſum proceſſit, (nam honeſta tametſi inuidia ad breue tempus aliqua vmbræ obſcuritate opprimuntur: beneuolentia tamen naturæ tempeſtiuè poſtea eluceſcunt) quidam indignum rati, leges illas in altera portione generis humani tantum reperiri apud Barbaras nationes, Græcum nomen earum expers eſſe, ad earum interpretationem animum adiecerunt. quæ quidem res quando & magni operis erat, & in commune profuturi, non priuatis hominibus, non magiſtratibus, qui magno in numero non ſunt, ſed regibus, regumque facilè ſpectatiſſimo mandata eſt. Ptolemæus cognomento Philadelphus tertius ab Alexandro ſucceſſor Ægyptum tenuit, imperatorijs virtutibus, non ſolùm hominum ſuæ memoriæ, verùm etiam omnis vnquam antiquitatis facilè præſtantiſſimus, cuius in hodiernum diem tanto interuallo gloria celebratur, multis documentis & monumentis magnificentiæ in vrbibus & regionibus ab eo relictis, vt prouerbij more immanis munificentia, ingentéſque operum conſtructiones, philadelphię ex illo vocentur. ne multa, cùm Ptolemæorum domus egregiè præter alia regna floruit, tùm inter Ptolemæos Philadelphus præcipuè emicuit. nam quæ vnus cum laude coniuncta geſſit, vix cuncti illi ſi conferantur in vnum, feciſſe reperientur: qui velut in animante quod principatum habet, regum quodammodo caput fuiſſe videatur. Is igitur cum legum noſtrarum deſiderio & cupiditate teneretur, de ijs è Chaldæa lingua in Græcam transferendis agitare cœpit, miſſiſque protinus legatis ad Iudææ pontificem & regem (idem enim erat) voluntatem ſuam declarat, & per eos cum illo agit, vt legis interpretes ſibi optimos quoſque deligat. Ille verò, vt æquum eſt, lætatus, nec ſine dei numine ratus regi illius rei ſtudium inceſſiſſe, quos Hebræis noſtris probatiſſimos putabat præter patriam diſciplinam Græca eruditione inſtitutos, libenter mittit. qui vt venere, hoſpitio inuitati, honeſtis & præclaris ſermonibus conuiuatorem ſuum inuicem paſcentes accipiebant. is enim cuiuſque prudentiam tentabat nouis nec conſuetis quæſtionibus ponendis, quas illi certa manu, & deſtinato ictu, pro tempore perſtringentes, quando operæ non erat longius loqui, propoſitas ſoluebant. Sic probati continuò munus honeſtæ illius legationis exequi cœperunt: ac ſecum reputantes quanti eſſet operis, leges diuinis oraculis editas interpretari, vt neque quicquam detrahas, neque addas, neque mutes: ſed priſtinam earum formam & inſigne conſerues, circa vrbem locum ſibi puriſſimum circunſpiciunt. nam regiones quæ intra pomerium erant, omni genere animalium refertas, ob morbos, interitus, & impuras valentium actiones ſuſpectas habebant. Inſula Pharus contra Alexandriam prominet, cuius ceruix tæniæ quodam diſcrimine ad vrbem porrecta, non alto, ſed plerunque vadoſo mari alluitur, vt fluctuum incurrentium ingens ſonitus & fremitus, longo ante interuallo frangatur. hunc locum ex omni circa regione accommodatiſſimum iudicantes ad requietem & tranquillitatem, & ad capeſſendas animo ſolo ſolas leges, ibi commorati, ſumptis ſacris libris, manus ſupinas cum eis in cœlum tendunt, deum orantes ne à propoſito aberrarent. Ille eorum votis annuit, vt maximam partem, vel vniuerſum denique hominum genus demereretur, ad emendationem vitæ præclaris & philoſophicis vſurum inſtitutis. Itaque remotis arbitris in ſecreto ſedentes, nullius in præſentia præterquam ipſarum naturæ partium, terræ, aquæ, aëris, cœli, de quarum ortu principio diuina quædam effata auſpicaturi erant (nam mundi fabrica legum primordium eſt) tanquam numinis inſtinctu, non alia alij vaticinari cœperunt, ſed eadem omnes vocabula & verba canere, velut monitore cuique clanculum ſubijciente. quanquam quis neſcit omnem ſermonem: Græcum tamen imprimis abundare, vt idem ſenſus traducenda oratione, aut interpretatione explananda, varia dictionis accommodatione multis modis formari poſſit? quod in hac tamen legiſlatione negant accidiſſe, verum eò conueniſſe propria nomina proprijs nominibus, Græca Chaldaicis, reſpondentia, rerum ſignificationi egregiè congruentia. quemadmodum enim, vt arbitror, in Geometria & Dialectica quæ ſignificantur, orationis varietatem aſpernantur, ſed ſua eis dictio à primordio impoſita, immutabilis manet, eodem, vt reor, modo illi quoque conſentientia rebus vocabula inuenere,

quæ ſola ſententiam ſignificatione luculenta declaratura erant. cuius rei illud perſpicuè fidem fecerit. nam qui Chaldæi linguam Græcam, vel Græci Chaldaicam didicerunt, & vtranque ſcripturam attingunt, Chaldaicam vel interpretatam, pro germanis, atque adeo pro vna & eadem rebus & vocabulis ſuſpiciunt atque venerantur, illos non interpretes, ſed ſacrorum antiſtites & vates vocantes, quibus integra & ſyncera mente licitum ſit cum lympidiſſimo Moſis ſpiritu conſpirare. Itaque ad hanc ætatem annuæ feriæ magno conuentu & celebritate aguntur in Pharo inſula, quò non Iudæi ſolùm, verùm etiam aliorum magna multitudo tranſmittit ad loci venerationem, vbi illa primùm interpretatio eluxit, & ad gratulationem pro veteri beneficio ſemper recente deo habendam, ſecundum preces & gratulationem, partim in littore tabernaculis collocatis, partim ſub dio in littoris arena corporibus proſtratis, cum amicis & neceſſarijs epulantur, omni regio ædificio littoris crepidinem honeſtiorem exiſtimantes. Sic leges noſtras omnibus hominibus priuatis iuxta & in honore conſtitutis ſtudio eſſe, magnáque contentione certatim expeti oſtendimus: cum tamen multis iam ſeculis natio noſtra fortunata non admodum ſit, & in obſcuro latere ſoleant eorum res qui non florent. Quod ſi quid aliquando ad ſplendorem accedat, quantam accretionem fore ſpes eſt. Equidem omnes arbitror, dimiſſis ſuis patrijsque inſtitutis, & ijs valere iuſſis, in horum honorem cultumque conceſſuros eſſe. Nam cum proſpera gentis fortuna legum claritas ſimul explendeſcet, & alijs omnibus tenebras offundet, vt alijs ſyderibus ſolis exortus ſolet. Atque ea quidem quæ adhuc diximus, ad ampliſſimam laudem legiſlatoris ſatis eſſe queunt: ſed alia porro vberior & maior eſt, quam ipſi ſacerrimi libri continent, ad quos conuertenda oratio nobis eſt, vt ſcriptoris virtutem oſtendamus. Eorum pars altera in hiſtoriæ explicatione, altera in iuſſis & vetitis verſatur, de qua poſterius diſſeremus, ea quæ ordine prior eſt antè pertractata. Atque eius quidem partis quæ in hiſtoriæ narratione occupata eſt, partim in mundi origine conſumitur, partim in generis per ſeriem deductione: huiúſque pars quædam in ſupplicio impiorum, pars in honoribus bonorum poſita eſt. Cur autem inde ſit potiſſimum exorſus, iuſſaque & vetita ſecunda collocarit, dicendum eſt. non enim ſcriptorum more rerum priſcarum memoriam relinquere ſtuduit poſteris, ad inutilem animi oblectationem, ſed antiquitatem percenſuit ab vniuerſi origine profectus, vt res duas perneceſſarias oſtenderet, vnam, parentem & effectorem mundi, & veritatis legiſlatorem: alteram, qui ijs legibus vteretur, eum ſectam naturæ amplexaturum, & ex vniuerſorum deſcriptione victurum, concentu quodam & conſenſu factorum cum oratione, & orationis cum factis. Atque ex legiſlatoribus quidem alij ſtatim ab eorum quæ agenda, quæ non, præſcriptione orſi, pœnas in eos qui ea migrarint ſanciunt: alij qui meliores eſſe videntur, inde primordium non duxere, ſed condita verbis ante ciuitate & collocata, deinceps quam eſſe conditæ vrbi aptiſſimam & decentiſſimam Rempublicam cenſuerant, legibus ſciſcendis accommodauerunt. is prius illud tyrannicum & herile ratus eſſe, abſque delinimento omni, non vt liberis imperare, ſed mancipijs, poſterius ſcitum illud quidem, non tamen omni ex parte laudandum, omnium planè iudicio in vtroque ſuperior eſſe videatur. Nam & in iuſſis maiorem partem ſuadet & lenit, quàm iubet, præfationibus & perorationibus pleraque vel neceſſaria maximè præcipiens ad hortandum magis quàm cogendum. vrbis autem hominum opera manuque ædificatæ collocationem, ſcriptionis primordium eſſe humilius interpretatus quàm pro legum dignitate: amplitudinem & decus vniuerſæ legiſlationis acerrima mentis acie contemplatus, eámque potiorem & auguſtiorem arbitratus, quàm vt aliquo certo in terra pomerio definiretur, ingentis illius ciuitatis ortum induxit, ſuas leges mundanæ Reipublicæ expreſſam imaginem exiſtimans eſſe. Itaque quæ ſigillatim præſcripſit, ſi quis eorum vim & momenta diligenter exquirat, is profectò reperiet ad vniuerſi concentum aſpirare, & rationi illi concinere naturæ ſempiternæ, qua probos larga bonorum copia cùm eorum quæ in bona corporis conſtitutione cernuntur, tùm eorum quæ ad diuitias, gloriam & externas alias proſperitates pertinent, donatos prodit: virtutem autem aſpernantes, nec neceſſitate, ſed libera voluntate & ſuſceptione fraudem & alias improbitates pro magnis compendijs, maxima detrimenta ſectantes, proinde quaſi non hominum hoſtes ſint, ſed cœli ipſius atque mundi, ſolita perpeſſos eſſe ſupplicia negat, ſed nouas & inuſitatas luiſſe pœnas, quas aſſidens deo iuſtitia prauitati infeſta immanem in modum irrogauit, efficaciſſimis vniuerſitatis elementis, igni & aqua adorientibus, vt voluentibus annis partim aquarum eluuionibus interierint, partim deflagratione conſumpti ſint. Nam maria intumeſcentia, fluuijque ſublimes elati, iuges & torrentes vrbem omnem campeſtrem inundarunt, & peſſum dederunt, montanam interdiu noctúque continentes & aſſidui imbrium lapſus deleuerunt. Poſtea ex reliquijs amplificato genere & in hominum turbam aucto, cum maiorum calamitates poſteri pro modeſtiæ documento non habuiſſent, ſed ad intemperantiam & nequitiam omnem profligati eſſent, & importuniorum ſectatores ſtudiorum extitiſſent, eos igni conſumere decreuit. Tum igitur, vt oracula declarant, fulmina de cœlo lapſa, impios impiorúmque vrbes concremarunt: ad hancque ætaté monumenta infandi exitij in Syria oſtenduntur, ruinæ, fauilla, ſulphur, fumus, & obſcura etiam nunc caligine flamma erumpens, quaſi ardente illic igni: in quo & impij ſupplicia quæ diximus, expenderunt, & homines bonitate præſtantes meritam & debitam virtuti mercedem conſecuti, beneficijs affecti ſunt. Nam illo fulminei ignis impetu deflagrantibus hominibus, & tota circa regione, vir vnus dei munere & conceſſu inquilinus ſeruatur, quòd ab inceſtis regionis illius & ſceleratis impuritatibus abhorreret, cùm tamen inquilini ad ſecuritatem in peregrina ſtudia degenerare ſoleant, imminente contemptoribus ab indigenis periculo, nec tamen ille ad ſummam peruenerat ſapientiam, vt tantum præmium perfectæ eius indoli tributum putemus, ſed tantum quòd multitudini non conſenſerit ad delicatum voluptuariúmque vitæ genus propendenti, & omnem voluptatem omnemque libidinem larga ſuppeditatione, velut ſulphure & aggeſta materia flammam ſuccendenti. In vaſta autem & funeſta illa eluuione, vniuerſo propè hominum genere deleto, Noe familiam omnis expertem mali fuiſſe fama obtinet, quando domus ſenior & paterfamilias, nullum crimen voluntate ſuſceptum in ſe admiſerat.



miſerat. Quo autem modo ſaluus euaſerit, ex libris ſacris referre operæ precium fuerit, cùm ob magnitudinem rei, tùm ad vitæ & morum diſciplinam. Nam cum idoneus habitus eſſet, qui non ſolùm communis exitij expers foret, verùm etiam alteram hominum ſobolem deinceps exordiretur, imperio dei monentibus oraculis, ligneum opus maximum fabricatus, cubita 300. longum, 50. latum, 30. altum, continentiaque conclauia architectatus, non ſolùm in plano, ſed etiam in edito contabulata ternûm & quaternûm contignationum, prouiſis alimentis, ex vno quoque animalium genere terreno & volucri marem & fœminam introduxit, ſemina reſeruans ad inſequentium temporum redintegrationem, reconciliata tandem dei gratia. mitem enim dei naturam nouerat, ac ſi ſpecies ad internecionem euaſtarentur, attamem generum incorruptam incolumitatem pro ſimilitudine quæ ipſis cum eo intercedit, neu qui quam ex eius propoſitione generatum nunquam diſſolueretur, permanſuram eſſe. quo factum eſt vt omnia in officio & poteſtate eſſent, & ad eam diem efferata manſueſcerent, & tanquam paſtorem & armentarium cicurata ſequerentur. Omnibus ingreſſis, ſi quis onus illud cernens, imaginem quandam vniuerſæ terræ dixiſſet, ferentem eorum genera, quorum ante inenarrabiles formas tellus tuliſſet, & deinceps latura eſſet, profectò non erraſſet. quod autem coniecerat, non multo poſt euenit. malũ enim deſæuiebat, & eluuionis exitium in dies ſingulos minuebatur, imbribus repreſſis, & omni illa aquarum proluuie quæ ſe effunderat, partim æſtu ſolis conſumpta, partim in impreſſos ſolo alueos, voragines, aliaque caua & conceptacula terræ recepta. Nam vnaquæque natura, velut imperio dei mutuum quod crediderat recuperabat, mare, fontes, fluuij. omnis enim gurges in ſuas ſedes redibat. poſt illam expiationem omnis ſubter lunam plagæ, eluta terra atque renouata, eamque præ ſe ferente ſpeciem qua præditam fuiſſe veriſſimile eſt, cùm initio rerum cum toto mundo condita eſt, prodit è ligneo tecto ipſe, vxor, liberi, eorum vxores, & cum familia gregatim omnia animantium genera quæ conuenerant, ad ſimilium ſatum & procreationem. Iſta proborum præmia ſunt & operæprecia, quibus non ſolùm ipſi & animantium ſecula ſalutem meruerunt, maximis euitatis periculis, quæ omnibus qui vſquam terrarum erant, ex elementorum inſolentia intentabantur & imminebant: ſed & recreandi reficiendique generis duces & principes extitere, & alterius anfractus & conuerſionis auctores, tanquam fomites reliqui hominum, præſtantiſſimi animantium generis, quod in orbe terrarum imperium & principatum obtinet, æmulum diuinæ virtutis ſimulachrum, imago naturæ, inaſpectabilis conſpicua, immortalis genita.

# PHILONIS IVDÆI DE VITA MOSIS LIBER III. ADRIANO TVRNEBO INTERPRETE.

DVAS IAM PARTES VITÆ MOSIS DECVCVRRIMVS, REGNVM ET legiſlationem: tertia de ſacerdotio reddenda eſt. Ergo pietatis artem quæ & maxima & perneceſſaria pontifici eſt, præcipuè coluit, felicitate etiam quadam naturæ præditus, quam velut aruum bonum philoſophia nacta honeſtorum contemplatione decretorum in melius prouexit, nec ante conquieuit, quàm & oratione & officio maturos virtutis fructus ederet. Itaque cœleſti quodam adflatus amore, inter paucos & dei diligens, & deo dilectus fuit, non ſolùm eximiè imperatorem vniuerſi veneratus, ſed etiam ab eo viciſſim honoratus. Honos autem is demum ſapienti decorus fuerit, id quod verè eſt, cultu & cerimonia proſequi, quod ſacerdotium profitetur. eo munere, quo nullum maius bonum extat, dignatus, oraculis omnes cerimonias ſacroſque miniſteriorum ritus edocetur. Sed vt animum, ita quoque corpus ab omni impuritatis contagione incorruptum ante oportebat eſſe, & ab omni mortali natura eſcæ & potus, & conſuetudine mulierum caſtum. Verum hanc multo iam ante contempſerat, ex quo ferè primum vaticinari, inflatuque diuino corripi cœperat, optimum factu ratus oraculis præſto ſemper eſſe: cibum autem & potum totos ex ordine quadraginta dies neglexit, paſtum nimirum meliorem contemplationis nactus, cuius ſupero cœleſtique afflatu, animus primum, deinde per animum corpus proficiebat ad vires & habitus bonitatem, vt ijs qui poſtea viderint, incredibile eſſet. Nam cum dei iuſſu in omnium circa montium editiſſimum & ſanctiſſimum aſcendiſſet, qui & inacceſſus & inuius erat, ad illud duraſſe tempus dicitur ſine vllis cibarijs: quadrageſimoque denique die, vt dixi, multo quam cum aſcenderet aſpectu formoſior deſcendit, vt planè ſpectatores admiratione & ſtupore defigeret, nec oculis ſufferre poſſent radiatum quoddam ſolis inſtar lumen effulgens. In iugo commoratus, omnibus ſacerdotij muneribus initiatur, ac primùm de fani conſtructione, eiuſque omni inſtrumento docetur. Quod ſi locum quô demigrabant iam tenuiſſent, magnificentiſſimum templum de lapidibus chariſſimis locari in auguſtiſſima ſede oportuiſſet, ei magna circundari mœnia, plurima domicilia ædificari æditimis, locum denique ſanctam ciuitatem appellari. Sed in ſolitudine adhuc errantibus, & ſolum ſubinde vertentibus, nec firma ſede hærentibus, delubrum eſſe debuit, quod circunferri poſſet, vt in profectione & caſtrorum metatione ſacris operarentur, omniaque quæ ad rem diuinam pertinent, ritè facerent, omnibus ſuppeditati rebus quos oppidanos habere oportet. Ergo tabernaculi ſanctiſſimũ opus ædificari placuit, cuius conſtructionem diuinis oraculis in monte Moſes edocebatur, corporatorum operum ſpecies corporis expertes animo intuens, ad quas oporteret, tanquam ab archetypa tabula, & exemplaribus quæ intelligentia perciperentur, res ſub ſenſum cadentes imitatas effingi. æquum enim erat vt vero pontifici fani conſtructio committeretur, vt facultate multis partibus ſuperiore operi conſentaneas & congruentes ſacerdotij ceremonias redderet. Igitur formæ exemplum in animo prophetæ conſignabatur, quæ expingebatur & ante clanculum effingebatur inaſpectabili quadam ſpecie

abſque omni materia. Operis autem fabrica ad formam dirigebatur, artifice illa ſimulacra in idonea materia imprimente. Operis ratio hæc erat: 48. columnæ ex incorruptiſſima cedro proceris deciſæ ſtipitibus, profundo auro inducebantur: mox ſingulis binæ baſes argenteæ ſubijciebantur, quarum faſtigio capitulum aureum imponebatur. eas in longum columnas artifex ordinabat, vtrinq; vicenas abſque vllo intercolumnij interuallo deinceps continuatas collocans, vt velut muri vnius perpetua facies occurreret. Verum in intima latitudine reliquas conſtituebat, ſex medio in ſpatio, ſingulas vtrinque ad medianos angulos dextra læuaque. in veſtibulo rurſum quatuor alias excitabat, ſingulas pro binis columnarum è regione reſpondentium baſes habentes, reliqua ſimiles: ſecundum quas foris quinque ponebat, ſola differentes baſi. erat enim ærea. vt planè totius tabernaculi abſque illis duabus in abdito angularibus, omnes in aſſem eſſent columnæ in aperto 55. qui numerus ab vno expletur ad decem, quibus ſumma perfectionis continetur. Quod ſi quis velit eas propylæi quinque columnas ſeparare, quæ ad ſpatium illud ſubdiuale pertinent, quod aream vocauit, exiſtet ſanctiſſimus 50. numerus, in quo vis ineſt triquetri rectanguli, vnde vniuerſorum procreationis exordium proficiſcitur, illis columnis expletus, cùm vicenæ ex vtroque latere ad quadraginta ſint, ſex mediæ præter eas quæ in angulis latent, quatuor anteriores, quibus velum intentum eſt. Cauſam autem quamobrem quinque illas, quas 50. adnumeraui, nunc ſepono, explicabo. 5. numerum ſenſuum definiunt, qui quidem in homine partim foras eminent, partim ad mentem reſpiciunt, cuius lege naturæ miniſtri ſunt. proinde illis 5. regionem confinij attribuit, cum earum interna ad tabernaculi adyta, quæ notatione quadam res ſub intelligentiam cadentes ſignificant, pertineant: externa ad ſubdiualia & aream ſpectent, quæ quidem res ſunt ſenſum mouentes, ex quo etiam baſi differunt quam habent æream. Sed cum ſenſus noſtri caput & principatus in mente poſitus ſit, extremitas & tanquam ſedes in rebus ſenſum pellentibus, mentem auro, quæ ſenſum mouent æri, comparauit. Moduli autem hi columnarum fuerunt: decem cubita longitudinis, 5. ſemis latitudinis, vt tabernaculum omnibus ſuis partibus æquale cerneretur. Id pulcherrimo eximiaque varietate diſtincto opere textili complexus eſt, hyacintho, purpura, quiſquilio, byſſo ad texturã vſus. Decem .n. aulæa quæ ſcriptura ſancta appellat, ex illis generibus quæ modo memorabam facienda curabat, longitudine vicenûm octonûm cubitorum ſingula, latitudine quaternûm, vt & decem perfectionis ſummam comprehenderent, & quatuordenarij naturam, & 28. perfectum numerum ſuis ad æquatum partibus, & quadraginta numerum ad animantium procreationem fœcundiſſimum, quo hominem aiunt in officina naturæ figurari. Ac illi quidem viceni octoni cubiti aulæorum talem partitionem habent: decem lacunari tribuuntur (ea enim tabernaculi latitudo eſt) reliqui vtrinq; noueni ad latera tenduntur ad tegumentum columnarum, relicto à ſolo cubito, ne pulcherrimum & fano digniſſimum texile traheretur. at cubitorum 40. qui ex 10. aulæorum latitudine conſummantur, longitudo 30. occupat (ea enim tabernaculi longitudo eſt) nouem poſticum: reliquum in propylæo conſumitur, vt totius circumiectus vinculum ſit. Propylæum inumbrat velum, quo in numero propemodum aulæa poſuerim, non ſolùm quòd tectum & parietes integunt, verùm etiam quòd generibus eiſdem contexta ſunt, hyacintho, purpura, quiſquilio, byſſo. eiſdem autem ex generibus velum & tegmen quod appellatur, comparata erant: vnum intus ad quatuor columnas, vt adytum tegeretur: alterum foris ad 5. ne quiſquam qui ex ſacerdotum ordine non eſſet, ſanctuarium intueri poſſet. Cæterum operis textilis materiam probatiſſimam & ſpectatiſſimam ex infinita copia diligenter deligebat, elementorum numero parem eorum ex quibus mundus conſtitit, planeque reſpondentem terræ, aquæ, aëri, igni. nam è terra byſſus naſcitur, ex aqua purpura, hyacinthus aëri comparatur, qui ater natura eſt: quiſquilium igni, vtroq; rutilante. erat quippe neceſſe, vt qui parenti & imperatori huius vniuerſitatis templum manu ædificare parabant, materias illis naturis ſimiles ſumerent, quibus ſummam rerum conſtruxerat. Ita tabernaculum velut ſanctiſſimum delubrum, quemadmodum memoraui, exædificatum eſt: cui fanum circundatũ vndique eſt 100. cubitorũ longitudinis, 50. latitudinis, columnas habens interſe interuallo diſtantes quinũ cubitorum, numero ad 60, 40. in longitudinem, in latitudinem 20. deſcriptas, vtrinque dimidias: earum materia interior cedrus, ſumma argentum, baſis omnium ærea, quinûm cubitum altitudo. nam artifex conſentaneum eſſe iudicauit altitudinem areæ quæ dicitur, toto dimidio ſummiſſiorem eſſe, vt tabernaculum duplo celſius proſpiceretur. Tenuia autem carbaſa per totam longitudinem & latitudinem velis ſimilia columnis aptabantur, vt ne quis impurus locum ingrederetur. ſitus huiuſmodi erat: Medium erat collocatum tabernaculum longitudine 30. cubitorum, latitudine 10. cum craſſitudine columnarum: ac tribus partibus pari ſpatio ab area diſtabat, duobus inquam lateribus, & poſtico, quod quidem interuallum vicenis cubitis permenſus erat: ad veſtibulum 50. cubitorum ſpatium laxius erat ob multitudinem, vt veriſimile eſt, ingredientis populi. ſic centum areæ cubiti explebantur, illis poſtici 20, & 30. quos continebat tabernaculum cum 50. liminis compoſitis. Nam veſtibulum tabernaculi tanquam medius limes vtriuſque quinquagenarij collocatus erat, & exortiui quâ limen erat, & occidui quâ longitudo tabernaculi, & poſtici ambitus. maximum autem & pulcherrimum aliud veſtibulum ad introitum areæ quatuor columnis inſtituebat, quibus varium textile intendebatur, eodem quo illa tabernaculi opere ſimilique materia comparatum: quo cum vaſa etiam ſacra vnà parabantur, archa, candelabrum, menſa, acerra, ara. Ac ipſa quidem ara ſub diuo poſita erat contra tabernaculi introitum, tanto loci interuallo, quantum ad quotidiana ſacra ſacrificis ſatis eſſet: archa in penetrali adyto intra catapetaſma ſumptuoſe intus foriſque auro cælata, cuius tegumentum erat & tanquam operculum, quod in ſacris libris propitiatorium dicitur. Huius autem longitudo & latitudo indicatur, altitudo tamen nulla, libramenti & extremitatis geometricæ inſtar: in quo notatio ineſſe quædam videtur, ex natura, propitij numinis: ex moribus, cogitationis cuiuſdam ſibi propitiæ, quæ perſuaſionem ſui ad excelſitatem ſine ratione erigentem & inflantem modeſtiæ & pudoris ſtudio, adiunctaque ſcientia, coercere & reprimere poſtulat. Sed archa illa legũ eſt tabularium, cum in ea recondita ſint edita oracula: operculũ quod propitiatorium vocatur, ſedes eſt alitũ duorum, quę vernaculo & patrio ſermone





Cherubim vſurpantur, vt Latini dicerent, agnitio & ſcientia multa. ea nonnulli aduerſo obtutu poſita argumenta putant notatione quadam habere vtriuſque ſemiglobi ſuperi & inferi (cœlum enim volucre eſt) ego verò putem ſignificari quadam ſuſpicione duas antiquiſſimas & ſupremas eius quod eſt poteſtates, effectricem & regalem: ac poteſtas quidem effectrix illa deus dicitur, qua poſuit, effecit, deſcripſit hanc rerum ſummam: regalis dominus, qua genitis imperat, iureq; ac ditione firma temperat. Cum enim ſolus verè ſit, etiam haud falsò effector eſt, quando quæ non erant, ad ſtatum & conditionem naturæ perduxit. Idem natura verè rex, quoniam natus nemo iuſtius quàm auctor & effector imperauerit. In illarum 4. & 5. columnarum diſcrimine, quod verè pronaum appellare licet, duobus diremptum textilibus, quorum penetrale catapetaſma dicitur, externum tegmen, reliqua tria vaſa memoratæ ſupellectilis collocabat mediam acerram, aquæ & terræ notam, cum grati animi ſignificatione, quem pro ijs quæ ab vtroq; proueniunt, præſtare oportet. Medium enim illa mundi locum ſortitò obtinent. candelabrum auſtrum verſus erigitur, quo aſtrorum luciferorum motus obſcurè innuit. ſol quippe & luna aliaq; ſidera procul ab aquilone ablata, auſtrales luſtrant conuerſiones. Proinde ſex rami, vtrinq; terni, ex medio candelabro enaſcuntur in ſeptenarium numerum, quibus totidem lampades & lucernæ impoſitæ ſunt, illorum ſiderum argumenta quæ Phyſici errantia vocant. Nam vt candelabrum, ita quoque ſol medius inter ſex collocatus in quarta regione, tribus ſuperioribus totidemque inferioribus lumen fœnerat, muſicum veréque diuinum inſtrumentum accommodate intendens & aptans. Menſa in qua panis eſt & ſal, ad aquilonem poſita eſt, tum quòd flatus eius mirificè alit, tum quòd à terra & cœlo alimentum omne proficiſcitur, altero impluente, altera ſemina irriguis aquis fota ad perfectionem procreante. Cœli autem & terræ imagines propinquas adſtituit, velut oratio noſtra oſtendit, cœli candelabrum, terrenæ plagæ, vnde ἀναθυμιάσεις, id eſt exhalationes reſpirantur, θυμιατήριον, id eſt acerra. Verum aram ſubdiualem ſolet appellare θυσιαστήριον, vt conſeruatricem & cuſtodem ſacrificiorum, quæ vltrò conſumit ipſa, haud ſanè membra nec artus victimarum quæ igni deflagrare ſolent, ſignificans, ſed offerentis propoſitionem. Nam ſi is ingratus & iniuſtus ſit, polluta ſacra ſunt, ritus profani, preces obſcœnæ & fœdæ, perpetuum exitium diramque peſtem ſubeuntes. Cùm enim vota fieri videntur, non fraudum liberationem, ſed earum recordationem afferunt: ſin caſtus iuſtusque ſit, firma manent ſacra, quanuis viſcera adoleantur, atque adeò ſi nullam admoueas hoſtiam. Etenim verum ſacrificium ecquod tandem fuerit, niſi animi pij ſanctimonia, cuius gratulatio immortalitate perfruitur, & apud Deum optimum maximum in tabulas refertur, cum ſole & luna, totoque mundo ad æternitatem inueterans? Deinceps futuro pontifici ſacram veſtem artifex adornabat honeſto & mirando panni textu. Texta autem duplicia erant, ſubucula & amiculum: ſed ſubucula impromiſcui magis generis. perpetuus enim hyacinthus erat, præter imas limborum oras quæ punicis minutis, aureis tintinnabulis & floridis plexibus diſtinctæ erant. Amiculum autem luculento & ſolerti opere perfectiſſima ſcientia adornabatur illis quæ ſupra memoraui generibus, hyacintho, purpura, byſſo, quiſquilio, auro etiam vnà implexo. nam bracteæ in tenuiſſima ſectæ capillamenta licijs omnibus contexebantur: lapilli ſummis humeris inſerebantur duo, precioſiſſimi ex ſmaragdo chariſſima, nominibus vtrique ſenis cælati eorum qui tribuum auctores fuerant, omnibus numero ad duodecim. præterea in pectore aliæ erant maximi precij gemmæ coloribus exquiſitiſſimis ſignatorijs ſimiles, in quatuor ex ternis verſus explicatæ, quibus λόγιον, id eſt rationale quod appellatur, conſertum erat. Logium autem quadratum, duplexque velut baſis quædam conficiebatur, vt duarum ſimulachrum virtutum gereret, declarationis & veritatis, totumque catellis aureis ad amiculum annexum vinciebatur, ne quando laxaretur. Aurea autem bractea quaſi corona affabrè facta, quatuor habebat cælaturas nominis eius, quod ijs ſolis qui linguam & aures ſapientia expurgauerunt, & audire fas eſt, & in ſanctuario eloqui, alibi vſpiam prorſus nemini fas. quatuor literarum nomen Theologus appellat fortaſſe ea argumenta exponebat primorum numerorum, vnitatis, binarij, ternarij, quaternarij. quando omnia quaternario continentur, punctum, linea, libramentum, ſolidum, rerum omnium moduli: præſtantiſſimi quoque muſices modi & concentus, διατεσσάρων, in quo ineſt ſeſquitertia comparatio: διαπέντε, in quo ſeſquialtera: διαπασῶν, in quo dupla, & δὶς διαπασῶν, in quo quadrupla. ſed & alijs quoque inenarrabilibus virtutibus quaternarius eſt præditus, quarum plurimas in commentario de numeris accuratè percenſuimus. Bracteæ mitra ſuberat ne caput tangeret: etiam cidarin parabat, quo reges orientis ſolent pro diademate vti. is pontificis ornatus erat: cuius quæ ratio ſit & partium eius, ſilentio prætermittendum non eſt. Etenim veſtis illa tota quandam imaginem & imitationem vniuerſorum habet: & partes, ſingularum partium. ducendum autem principium eſt à tunica talari. Ea tota perpetuáque hyacinthina eſt, ad aëris exemplum, qui ater eſt, & à lunæ determinatione ad orbem terræ porrigitur quoquouerſum diffuſus: ex quo & tunica illa à pectore vſque ad pedes toti circunfuſa corpori eſt. ex ea ad malleolos, punicula, flores, tintinnabula pendent: in quis flores terram, vnde effloreſcunt & pubent omnia, nota quadam ſignificant: punicula (ῥοΐσκους vocant Græci) ex fuſione vocabulum adepta, aquam: tintinnabula earum naturarum concordiam & concentionem. Neque enim terra ſine aqua, neque aqua ſine terra locuples ad procreationem fuerit, ſed vtriuſque concilium & temperatio. cuius rei luculentam fidem fecerit vel loci teſtimonium. vt enim in vltima lacinia talaris tunicæ collocata punicula ſunt, flores, tintinnabula: ita quoque ea quorum notationem referunt & ſignificationẽ habent, imã in mundo regionẽ obtinent, terra & aqua, quæ certè definitis temporũ curriculis mundi cõcentioni conſonãtia, tempeſtiuè ſuas oſtentãt poteſtates. Ergo triũ elementorũ ex quibus mortalia & caduca conſtant omnia, & in quibus verſantur, aëris, aquæ, terræ, talarem tunicã cum maleolorũ appendicibus accommodatè notam eſſe oſtendimus. Vt enim tunica vna eſt, item tria quæ diximus elementa vnius formæ ſunt: præſertim cũ omnia quæ luna ſunt inferiora, mutationes experiãtur & viciſſitudines. Ac quemadmodũ ex tunica apta ſunt punicula & flores, itidẽ quodam modo aqua & terra ab aëre qui eas continet, librata pendent. Quod autẽ amiculum cœli notã præ ſe ferat, probabilibus

libus freta coniecturis oratio comprobabit. Primùm in ſummis humeris ſmaragdi duæ rotundæ indicant, vt nonnulli cenſent, ſidera duo diem & noctem ducentia, ſolem & lunam: vt ad verum propius quis dixerit, vtrumq; ſemiglobum. Æquales enim vt gemmæ ſunt inferus & ſuperus, neuterque more lunæ decreſcere & augeſcere ſolet. aſtipulatur & color, cum cœli ſpecies ad ipſum oculorum adiectum ſmaragdo ſimilis occurrat. Ac neceſſario vtraque gemma ſenis nominibus inſculpta eſt, quum vterque ſemiglobus bipartitò diuidens ſigniferum circulum, ſigna totidem intercludat. Deinde illæ duodecim pectoris gemmæ coloribus diſſimiles, in quatuor externis verſus deſcriptæ, cuius tandem alterius rei quàm ſigniferi circuli argumentum & ſpecimen habent? Nam & is quadripartitò ex ternis ſignis diſtributus, efficit anniuerſaria tempora, ver, æſtatem, autumnum, hyemem, quatuor reuerſiones, vt earum cuiuſque ternis ſignis finis determinatus in ſolis ambitu, ex numerorum inconcuſſa & certiſſima vereque diuina ratione cognoſcatur. Itaque rationali quod dicitur, merito inſerebantur. nam reuerſiones & anni tempora, ſtata quadam & rata firmaque ratione conſtant: & quod monſtri ſimile eſt, ex tempeſtiua commutatione perpetuam ſui permanſionem declarant. Illud etiam rectè & pulchrè, quòd omnes illæ gemmæ coloribus differunt, vt nulla ſit altera alteri ſimilis. nam vnaquæque ſtella ſigniferi ſuum quendam propriumque colorem, in aere, aqua, terra efficit, & illarum naturarum affectiones creat: atque adeò animantium & ſtirpium genera omnia. Cæterùm duplex rationale eſt non ab re. Nam duplex eſt cùm in vniuerſo, tùm in hominis natura ratio. in vniuerſo rerum corpore vacantium formarúmque exemplarium, ex quibus mundus is qui ſapientia percipitur, coaluit: & rerum aſpectabilium, quæ imitata ſunt illarum formarum ſimulachra, ex quibus mundus iſte qui in ſenſu conſidit, confectus eſt. In homine verò vna recondita, altera in lingua prompta: quarum illa ceu viuus fons eſt: hæc reſonans, ab illa manat: ac illius quidem regio in animi principatu verſatur, huius quæ pronunciatione cenſetur, in lingua, ore, & reliqua vocis machinatione. Cæterùm figuram artifex quadratam rationali tribuit, tacitè ſignificans honeſta notatione, & naturæ & hominis rationem omnibus ſui partibus ſtabiliter inſiſtere oportere, nuſquamque vacillare. ex quo & duas illas quas memorauimus, artes ei attribuit, declarationem & veritatem. nam & naturæ ratio verax imprimis eſt & omnium rerum declaratrix, & ſapientis ratio illius æmula præcipuè à mendacio abhorrere & virtutem colere debet, neq; quicquam per inuidentiam obſcuritate vmbrarum obtegere, quorum explanatio vtilitatem ſit illis qui doceantur allatura. Quinetiam duabus rationibus quæ in vnoquoque noſtrum inſunt, eloquente & cogitante, ſuas propriaſq; virtutes duas attribuit, eloquenti declarationem, cogitanti veritatem. nam cogitationem nihil falſi recipere conuenit, elocutionem nihil quicquam quod ad explanationem accuratiſſimam pertineat, impedire. Sed rationis profectò nullus fuerit vſus honeſta & præclara celebrantis, niſi congruentes actiones & officia reſpondeant. Proinde rationale de ſuperhumerali, id eſt, amiculo, ita ſuſpendit, vt non laxaretur, rationem à factis ratus diſiunctam eſſe non debere. humerum enim operis omnis & actionis notam facit. ac veſtis quidem ſacræ ſignificatio huiuſmodi eſt. Cidarin autem diadematis loco capiti imponit, in quo poſtulat, vt qui ſacerdotia gerunt, quo tempore rem diuinam faciunt, omnibus præſtent non tantùm priuatis, verùm etiam regibus. Supèr uarea ineſt bractea quatuor literarum cælatura inſignita, quibus eius qui eſt nomen indicari tradunt, quòd abſque dei inuocatione nulla natura conſiſtere poſſit, cùm omnium rerum eius bonitate & propitia poteſtate concilium & moderatio contineatur. In hoc ornatu cum ſummus pontifex ad rem diuinam procedit, totus cum eo mundus ingreditur his ſimulachris repræſentatus, cùm præſertim imaginem aeris, talarem tunicam gerat, aquæ puniculum, terræ florem, ignis quiſquilium, cœli amiculum: atque in ſpeciem duorum ſemigloborum in ſummis humeris rotundas ſmaragdos, in quibus vtrobique ſenæ ſculpturæ cælatæ ſunt, ſigniferi limbi & duodecim in pectore gemmas ex ternis in quatuor verſus diſpoſitas: rationale rationis vniuerſitatem continentis atque temperantis. erat enim neceſſe vt is qui mundi parenti operaturus eſſet, filium eius perfecta virtute præditum adhiberet, non ſolùm ad obliuionem peccatorum, verùm etiam ad largam bonorum ſuppeditationem: fortaſſis etiam dei veneratorem præmonet, vt ſi effectore mundi non poſſit, mundo ſaltem ſe dignum ſemper præſtare nitatur: cuius cum ſimulachrum induat, debet cuius mundi exemplum ſtatim circumferat animo, in eius naturam ex homine concedere, ac ſi dicere fas eſt (fas autem eſt verum ſine mendacio proloqui) paruus mundus eſſe. Extra veſtibulum in aditu peluis eſt ahenus, nequaquam rudi materia ab artifice ad operis confectionem ſumpta vt ſolet, ſed vaſis elegantis artificij ad alium vſum adfabrè factis, quæ per ſe mulieres omni ſtudio & contentione contulerunt, de pietate cum viris certantes, honeſtamque dimicationem inſtituentes, vt quantum in ipſis erat, viris ſanctimonia inferiores non viderentur. Nam ſpecula quibus ad formæ commendationem exornantur & poliuntur, imperante nemine, voluntario quodam ſtudio & alacritate, temperantiæ, & ſuæ in connubio pudicitiæ, atque adeo quid aliud quam pulchritudinis animi libamentum decorum libauere? Artifici placuit ea conflare ex iiſque nihil aliud quàm peluim efficere, vt aſperſionibus ſacerdotes fanum ingreſſuri ad obeunda præſcripta ſacrorum munera vterentur, qui pedes potiſſimum & manus abluunt: qua quidem in re notatio latet inculpatæ vitæ, & in officijs laudandis puræ atque caſtæ, quæ non aſperam & ſalebroſam improbitatis viam, ac vt verius loquar, eius auium, ſed virtutis conſularem viam rectâ ire pergat. Veruntamen, inquit, qui aſpergetur meminerit huius vaſis materiam ſpecula fuiſſe, vt is tanquam in ſpeculum ſuam inſpiciat mentem: ac ſi qua appareat ex perturbatione rationis experte deformitas, vel contra naturam voluptate nos erigente, & res nouas moliente, vel dolore contra contrahente & deprimente, vel metu rectas animi appetitiones auertente & declinante, vel libidine per vim ad ea quæ abſunt nos rapiente, & tanquam obtortò collo trahente, eam curet atque ſenet, veram & incorruptam ſectans formæ dignitatem. Nam corporis pulchritudo in partium proportione, coloris & habitus bonitate poſita, breue vigoris tempus habet: animi dignitas in opinionum concordia, virtutum concentu collocata, temporis longitudine non emarceſcit: ſed quanto magis inueterat,





renouatur atq; iuueneſcit, egregio colore veritatis ornata & conuenientia factorũ cum verbis verborum cum factis, & conſiliorũ cum vtriſq; exculta. Ergo cùm eſſet ſacri tabernaculi exemplaria edoctus, viciſſimque ipſe docuiſſet eos, qui ſolerti ingenij acie præditi erant, ad accipienda & perficienda quæ neceſſariò erant peragenda: nimirũ abſoluto iam fano, ſacerdotes idoneos deſignari oportebat, erudiriq; quo ritu ſacra ducenda, rebuſque diuinis operandum eſſet. Ergo fratrem ex omni optimatũ numero pontificem legit, eius liberos ſacerdotes creat, non generi & familiæ prærogatiuã quærens, ſed pietati & ſanctimoniæ, quas in eis ineſſe videbat priuilegiũ tribuens: cuius ea certiſſima fides fuerit, quòd cum liberos binos haberet, neutrũ tamen eo honore proſecutus eſt, vtrunq; ſanè lecturus, ſi quid honoris ſuorũ charitati putaſſet eſſe tribuendum. Deſignauit autẽ, vt oracula præſcribebant, totius populi ſuffragio noua quadã & inuſitata ratione dignaq; memoratu. Primùm eos lauat puriſſimo fontis viuoq; latice: deinde ſacrũ largitur amictũ, fratri tunicam talarem & amiculũ tanquã loricam quandam, textumq; omni varietate diſtinctũ & vniuerſitatis ſimulachrũ: fratris liberis tunicas lineas, cingula etiã & caligas omnibus: illa, vt expediti & paratieſſent ad ſacrorũ adminiſtrationẽ laxo tunicarũ ſinu ſuccincto: has ne quæ celari fas cernerentur, præſertim cùm aſcenderent ad arã, aut ex ſuperiore loco deſcenderẽt, & omnia ſtudio & celeritate adminiſtrarent. Nã niſi diligens fuiſſet ornatus ad cautionẽ eorũ quæ incerta euenire poſſunt, per contentam adminiſtrationis celeritatem, renudati decorũ ſacris & ſacrificis cultum ſeruare non potuiſſent. Poſt vbi veſtitu eos ornauit, fragrantiſſimo vnguento, vnguentariorũ arte perfecto, primùm quæ ſub dio erant aram & peluim perunxit, ſepties aſpergens: deinde tabernaculum, ſacrorum vaſorum vnumquodq;, archam, candelabrum, acerram, menſam, capedines, phialas, reliqua quæ ad ſacra neceſſaria ſunt & vtilia. Poſtremo pontificis coràm adducti caput multo adipe delibutũ reddit. His peractis vitulum & arietes duos ritè adduci piaculares iubet: vnum, vt pro expiatione peccatorum faceret, tacitè ſignificans omni nato etiamſi virtute præditum ſit: tamen quiddam quod peccet ingeneratũ eſſe, quo nomine deum precationibus & ſacris placare oporteat, ne incitatum inſurgat. Arietum alterum ad ſolidum quoddam incenſum gratulationis cauſa pro vniuerſorum diſpenſatione, qua pro rata portione ſua cuiq; virilis pars eſt in elementorum vtilitate fruenda, terræ ad domicilium, & capeſſendum ex ea alimentum: aquæ ad potum, lauationem, nauigationem: aeris, ad reſpirationem & ſenſuum comprehenſiones: quando omnium aer inſtrumentum & machinator eſt: annuas præterea temporum vices: ignis partim neceſſarij ad coquendum & calfaciendum, partim cœleſtis ad lucem & ea quæ cernuntur omnia, alterum ad abſolutam ſacerdotum omnis puritatis caſtimoniam, quem verè perfectionis appellauit, quando cultoribus & munificibus dei cerimonias conuenientes rituſq; edocebantur. Ipſius autem ſanguinis partim per totum aræ ambitum libat, partim ſubiecta patera recipit, indeq; tres corporis partes eorum qui ſacerdotes inaugurantur, tangit vngens, ſummam aurem, ſummam manum, ſummum pedem, dextra omnia, quo denunciat eum qui perfectus ſit, & re, & verbo, & tota vita purum eſſe oportere. nam orationi auris iura dicit, manus nota eſt factorum, omnis in vita ingreſſionis pes. quando autem vnumquodq; eorum dextrũ & ſummum eſt, exiſtimandum eſt ſignificari cuiuſq; incrementa cum quadam dexteritate, ſummæ felicitatis & finis cupiditate teneri, quô adſpirare oportet, & omnes actiones referre, vt in ſagittarum emiſſione, velut ad ſcopum vitæ deſtinantes. Antea ergo victimæ vnius quæ perfectionis appellabatur, mero ſanguine tres memoratas ſacerdotũ partes vngebat, nunc ex eo cruore ſumens qui apud aram eſt ex omnibus confuſus victimis, & ex vnguento eo quod vnguentariorũ opera perfectũ eſt, cruori illius temperationis oleo commixto, illa temperatione ſacerdotes eorumq; veſtes aſpergebat, vt non ſolũ foris & ſub dio ad puritatẽ luſtrarentur, verũ etiam penetralibus: quando intus operaturi erant. interiora autẽ erant omnia oleo delibuta. iam cum præter ſuperiora ſacra, etiã feciſſent, partim ſacerdotes pro ſeipſis, partim ſenatus pro populo, Moſes tabernaculum ingreditur fratrem adducens. Erat autẽ inaugurationis octauus & poſtremus dies, cum ſuperioribus ſeptem eum & eius liberos ſacra docens initiaſſet. Ingreſſus ceu bonus magiſter docilem diſcipulum erudiebat, quo ritu antiſtitem interiora ſacra obire conueniret. Deinde egreſſus vterq; ante caput ſublatis manibus ex puriſſimo & ſanctiſſimo pectore decoras populo preces concepere. Dum vota faciunt, miraculum omnium prodigioſiſſimum accidit. Nam ecce tibi ex adytis, ſiue adeo lympidiſſimi ætheris abrupta portio. ſiue aeris pro elementorum naturali inter ipſa commutatione in ignem ſoluti, repentina quædam flamma exarſit, rapidoque impetu aræ illabitur, & in ea omnia abſumit, illuſtri, vt opinor, ſignificatione, nihil eorum quæ tum gerebantur abſque dei numine fieri. Eximium enim quoddam donum tribui æquum erat hominibus ſanctis, non ſolùm in his quæ operoſis artibus homines efficiunt, verùm etiam in puriſſimo rerum igne, ne familiaris iſte nobiſque vſitatus aram attingeret, ſexcentis fortaſſe maculis inquinatus. Non enim ſolùm animalium rationis expertium contagione inficitur, dum aſſantur ad iniquam miſeri abdominis ingluuiem, ſed hominum etiam inſidijs interemptorum, nec duorum aut trium, ſed numeroſarum multitudinum. Itaque ingentes ſæpenumero copias nauales; iacti miſſiles maleoli exuſſerunt, & totas vrbes deleuerunt, quę ad fundamenta deflagratæ in cinerem conſederunt, vt ne veſtigiũ quidem priſtinæ habitationis vllum reliquũ ſit. Iſta, vt arbitror, de cauſa ignem iſtum vtilem vt pollutum, Deus à ſacratiſſima ara reiecit, cuius vice flamma cœleſti impluuit ad diſtinctionem ſacrorum & profanorum, humanorũ & diuinorum. Nam ſacrificijs incorruptiorẽ ignis naturam attribui oportebat ea quæ vſui vitæ humanæ deſeruit. Cæterũ cum multa neceſſariò ſacra quotidie fierent, potiſſimum tamen in celebritatibus & ferijs, priuatim pro ſingulis, & publicè pro omnibus, ſexcentis nec iiſdem de cauſis, vt in numeroſo religioſoque populo, æditimorum multitudo deligenda fuit ad miniſteria ſacra, quorum deſignatio noua quadam & inſolita ratione extitit. Vnam duodecim tribuum ex omni optimatum numero delectam deſignauit, pij facti quod tale fuit, arbitria & præmia tribuens. Cum enim Moſes in proximum montem ſucceſſiſſet, compluresq; dies cum deo ſolus colloqueretur, eius abſentiam opportunam ſibi exiſtimantes illi quorum infirmius ingenium erat, proinde quaſi tum imperium nullum eſſet, effrænati ad impietatem ruebant, omniſque aduerſus verum deum ſanctitatis

obliti, Ægyptiaca figmenta æmuli ſequebantur: mox etiam facto tauro aureo, quod ſimulachrum erat animalis illius, quod in illa regione ſacratiſſimum eſſe videtur, ſacra nefanda ducebant, choreas infauſtas inſtituebant, & cantica canebant à funebribus nænijs nihil diſcrepantia, multoque ingurgitato mero, ebrietate duplici depoſitis ſenſibus correpti erant, vini & ſtultitiæ, comeſſanteſque & peruigilantes, futuri imprudentes in iucundiſſimis malis viuebant imminente pœna, aut certè non proſpicientes quod commeriti ſupplicium eſſent. Poſt vbi in totis caſtris aſſiduæ exclamationes per cœtus numeroſos coaceruatis vulgatæ longè procedebant, vt vſque ex montis iugo ſignificationes exaudirentur, Moſes ſimul ac eius aures ſonus pepulit, perculſus & amens erat, præſertim cum in Deum pius & in homines humanus, nec illic collocutionem qua ſolus ſolum conueniebat deſerere vellet, neque multitudinem negligere illis calamitatibus redundantem, quæ ſi imperium nullum ſit, naſci ſolent. Sonum enim intellexit, cùm is eſſet qui ex voce inarticulata nec expreſſa proprietates affectuum alijs obſcurorum & ignotorum auguraretur, tumultumque illum qui miſcebatur temulentiæ percepit eſſe, intemperantia gignente ſatietatem, ſatietate proteruam petulantiam. Itaque vtraque ex parte huc & illuc variè diſtractus, quid facto opus eſſet neſcire. Ei iſta verſanti & alternanti, deus effatur iſta, Abi ſis ocyus: hinc deſcende. populus ad ſcelus properauit: deum manu fabricati tauri inſtar, non deum adorant, ſacriſque mactant, quæ viderunt quæque audiuerunt omnium obliti ad pietatem ferentium. Obſtupefactus Moſes, coactuſque incredibilia credit, ac vt deprecator & orator non ſtatim inde ſe proripuit, verùm ante pro gente eius deprecatio interceſſit, qua veniam peccatorum orabat. Mox imperatore placato & exorato, patronus & deprecator reuertitur, lætus pariter & mœſtus: lætabatur, quòd ſupplicis preces non eſſet aſpernatus Deus: conturbatus erat & ægritudine affectus, quòd populi ſcelere angeretur. Vbi ad media caſtra peruenit, repentinam populi prauitatem & prolapſionem admiratus, quantamque vanitatem cum quanta veritate commutaſſent, animaduertens non ad omnes morbi contagionem peruaſiſſe, ſed quoſdam etiamnum ſanos & integros ſingulari odio improbitatem proſequi, internoſcere cupiens inſanabiles, & factis illis indoleſcentes, & ſi quos fortè iam peccatorum pigebat, per præconem edictum promulgat (erat autem tanquam certiſſimus index cuiuſque cogitationis, quo quiſque pacto ad religionem aut ſecus adfectus eſſet in ea prædicatione) Si quid, inquit, domini eſt, huc ad me venito. Verbum breue, magna tamen ſignificatio: cuius hæc ſententia eſt, Si quis nihil manufactum, ſi quis nihil natum in deorum numero reponit, ſed vnum imperatorem vniuerſitatis deum credit, ad me accedito. Itaque aliorum, partim ob æmulationem ſtultæ ſuperſtitionis Ægyptiorum, velut excuſſis frænis dicto audientes non erant, partim ſupplicij metu propius accedere non audebant, vel à Moſe pœnam veriti, vel à multitudine oppreſſionem (ſemper enim vulgus in eos quos ſuæ vecordiæ ſectatores non videt, inuadit) vna tamen ex omnibus Leuitica tribus audito edicto, velut ſigno dato magna contentione accucurrit, velocitate ſtudium declarans, præcipitemque ſuum ad pietatem impetum ſignificans. quos vbi Moſes vidit velut à carceribus emiſſos contendere, Ecquid non tantum, inquit, corporibus iſto ad me celeretis aduentu, verùm etiam animis mox oſtendetis. ſumpto quiſque in manus ferro, homines mille neces meritos ſuo facinore, qui veri dei deſertores & transfugæ, falſi nominis deos ſibi finxerunt, caducis & natiuis naturis vocabulum ingeniti & immortalis attribuentes, propinquos & neceſſarios interficito, propinquitatem & neceſſitudinem exiſtimans vnam proborum virorum religionem atque pietatem. Illi dicto citius, quando animis erant alienioribus ex quo ferè ſcelus illud viderant, puberes numero ad tria millia paulò ante chariſſimos obtruncant: quorum cadaueribus cum forum medium conſtratum multitudo videret, eorum vicem miſerata, & percuſſorum feruidam adhuc audaciam & iracundiæ plenam verita, terrore corrigitur. Moſes approbata fortitudine præmium excogitauit & confirmauit facto accommodatum. oportebat enim eos qui pro honore dei voluntarium bellum ſuſcepiſſent, & temporis momento rectè feciſſent, mandato ſacerdotio, dei cerimonia munerari. Sed cum ordo non eſſet vnus ſacerdotia gerentium, verum alij præeſſent precibus & ſacris, alijſque ſacrificiorum ritibus, ad penetralia accedere fas erat: alijs nullum harum rerum munus commiſſum eſſet, ſed curatio & cuſtodia mandata noctu & interdiu fani, & quicquid in eo erat, quos æditimos nonnulli vocant: illa de principatu contentio & ſeditio, quæ multis ſæpenumero infinitorum malorum cauſa fuit, hic etiam exorta eſt, æditimis in ſacerdotes coortis, & eorum honores intercipere conantibus: idque ſibi ex facili fore ſperarunt, cùm eſſent multis partibus plures. Ne autem ſua priuatim ſententia rebus nouis ſtudere viderentur, antiquiſſimam duodecim tribuum ad conſenſionem & conſpirationem pelliciunt, cuius auctoritatem plerique leuiores ſequuti ſunt, proinde quaſi in ea eſſe poſſet imperandi principatus. machinam iſtam & munitionem in ſe parari Moſes ſenſit, cùm præſertim fratrem pontificem ex editis oraculis legiſſet, inſimulareturque quod oracula ementitus eſſet, & eum pro fraterna propinquitate & beneuolentia deſignaſſet. quibus pro eo ac par erat dolore affectus, ſi non ſolùm in ſuſpicionem ipſius veniret fides, cuius tanta documenta dederat, verùm etiam in ijs quæ ad honorem Dei pertinerent, improba calumnia culparetur, ob quæ ſola hominem etiam alijs in rebus mendoſum & falſum, veracem eſſe oportuiſſet (eſt enim veritas dei comes) oratione eos de ſuo inſtituto docendos eſſe non putauit, gnarus arduum eſſe factu de præcepta opinione homines demouere: ſed precari deum cœpit, vt luculenta eis exempla ſtatueret, nihil ſe in ſacerdotij creatione mentitum eſſe. Deus autem imperat, vt 12. virgas tribuum numero pares ſumat, vndecimq; ex ijs principis cuiuſque tribus nomine inſcribat, reliquam fratris & pontificis: deinde ad templum in penetrale perferat. Ille cum imperio paruiſſet, euentum expectabat. poſtridie eius diei oraculo percuſſus, omni populo adſtante ingreditur, & virgas effert reliquas, nihil illas quidem immutatas, vnam verò nomine fratris inſcriptam inſigni miraculo nouatam. Nam velut generoſa ſtirps, tota ſtatim frondeſcere pubereq; cœpit, & fructu fœcundo ingraueſcere: nuces autem erant quæ contrariam alijs fructibus naturam ſortitæ ſunt. Nam in pleriſq;, vua, oliua, malo, ſemen & quod eſculentum eſt differunt, ipſis etiam locis diſcluſa, cùm eſculentum

quod



quod eſt, foris ſit, ſemen intus includatur. At in nuce idem & ſemen eſt & quod eſculentum eſt, vtriſque in vnam ſpeciẽ concretis, vnaq; intus regio eſt, munita & duplici obuallata ſepto, vno è cortice bene profundo, altero è putamine, quod nihil à ligneo domicilio abeſt. hinc perfectam virtutẽ adumbrat. Quemadmodum enim in nuce idem eſt principium & finis. nam principium eſt, quia ſemen: finis quia fructus: ita quoq; in virtutibus comparatum eſt, cum in vnam quanq; conueniat, vt principium & finis ſit: principium, quod non ex alia poteſtate, ſed ex ſeipſa naſcatur: finis, quod ad eam vita quæ è natura viuitur, contendit. Vna hæc cauſa eſt, altera refertur maioris quàm ſuperior ſignificationis. Quod in nuce eſt corticium, amarum eſt: intus quod obductum eſt tanquam ligneum vallum, valde rigidum & firmum, quibus vtriſq; nucleus incluſus, in promptu non eſt: eam eſſe voluit notam animi ſeſe exercentis, qua ad virtutem hortandum putauit, docens in laborem neceſſariò prius incurrendum. Amarum autem, rigidum, durum eſſe conſtat eum laborem vnde bonum exiſtit, vt lentè & molliter agendum non ſit. Nam qui laboris eſt fugitans, is à bono refugit: contra qui toleranter & fortiter perfert ea quorum perpeſſio moleſta eſt, is ad felicitatem contendit. Neq; enim cum hominibus voluptarijs & animo effœminatis & corpore diffluentibus ex quotidianis & perpetuis delicijs, virtus commercium habere ſolet, atq; ex mala tractatione miſſo nuncio, ad eum qui rectam rationem inſtituit, demigrat. Sed ſi verum dicendum eſt, ſanctiſſimum prudentiæ & temperantiæ, fortitudinis & iuſtitiæ ſodalitium vltro experientes & induſtrios affectatur, eoſq; qui aſperam & duram viuendi diſciplinam, qui continentiam & tolerantiam cum frugalitate & parſimonia æmulantur, quibus ratio quæ in nobis principatum habet, ad ſalubrem ſanitatem & habitus bonitatem conualeſcit, graui illa corporis munitione euerſa, quam vinolentia, cupedia, venus, & aliæ inexplebiles libidines excitarunt, ingenio aduerſariam procreantes multæ carnis pulpam. Ferunt autem omnium arborum, quæ vere frondent, primam florere amygdalam, prouentum baccarum nunciantem, eandemq; frondes amittere poſtremam, longiſſimè ſenectutis ſuæ viriditatem prorogantem: quorum vtrunq; inſigne facit ſacerdotalis tribus, tacitè denuncians eam & primam & vltimam vniuerſi hominum generis florituram, quandocunq; Deo placitum erit, vernis conuerſionibus ſimilem reddere noſtram vitam, inſidioſa illa auiditate calamitatis fonte ſublata. Quoniam autem in perfectiſſimo imperatore, res quatuor ineſſe debere diximus, regnum, legiſlationis facultatem, ſacerdotium, vaticinationem, vt per regnum imperij maieſtate valeat, per legiſlationem, quod opus eſt facto præſcribat, quod non oportet, prohibeat: per ſacerdotium, non ſolùm rerum humanarum, verùm etiam diuinarum curam gerat: per vaticinationem quæ ratione percipi nequeunt præcinat: ac de primis tribus diſputauimus, Moſemq; oſtendimus optimum regem, legiſlatorem, pontificem, ad poſtremum accingor, vt eum vnum prophetarũ ſpectatiſſimum fuiſſe planum faciam. Nec equidem ignoro omnia quę ſacris literis mandata ſunt oracula eſſe ab ipſo effata: verum quæ propria peculiariaq; magis ſunt, ea memorabo, illud præfatus: oracula partim ex perſona Dei intreprete diuino propheta referri, partim per interrogationẽ & reſponſionem concini, partim ex Moſis perſona inſtinctu diuino correpti. Ergo prima illa virtutum Dei tota declarationem habent, propitiæ & beneficæ, quibus cum mortales omnes ad integritatem & probitatem inſtituit, tum verò vel maximè cultores ſui, quibus viam ad felicitatem ferentem munit: ſecunda, admixtionem quandam & communicationem habent, interrogante, quibus de rebus quærebat, vate, reſpondente & docente Deo: tertia legiſlatori tribuuntur, cui præſagiendi virtutem Deus impertierat ad futuri prædictionem. Ac prima quidem illa quæ maiora ſunt, quàm vt ab homine laudentur, prætermittenda ſunt: cùm præſertim vix à cœlo ipſo & mundo, atq; adeo ab vniuerſa rerum natura pro merito commendari queant: quæ quidem etiam per interpretem referuntur, cum interpretatio & vaticinatio differant. De ſecundis mox explicare pergam, tertiam eis ſpeciem attexens, in qua diuinus furor loquentis apparet, ex quo præcipuè & propriè vates exiſtimatur. Sed promiſſum hinc exordiendum eſt. Loci quatuor ſunt per interrogationem & reſponſionem ſcitis oraculorum ſanciti, mixtam quandam habentes poteſtatem. partim enim vates interrogans diuino furore concitatur: partim rerum parens profatur ſermone & reſponſione eum dignatus. Ac primus quidem non modò Moſen vnum qui vnquam fuerunt ſanctiſſimũ & religioſiſſimum, verùm etiam quencunq; qui paulum modo pietatis deguſtaſſet, irritaſſet. Homo quidam hibrida, diſſimilibus creatus parentibus, Ægyptio patre, matre Iudæa à patrijs matris inſtitutis deſciuerat, ad Ægyptiacam, vt ferunt, impietatem deflexerat. Soli enim omnium gentium Ægyptij, terram tanquam quadam munitione in cœlum obuallarunt, diuino honore & dignatione eã proſequentes, cœlo nullum præmium eximium tribuentes: proinde quaſi ante regiam vltimas oras colere conueniat. Nam in mundo auguſtiſſima regia eſt, cœlum: ora vltima terra, illa quidem per ſe ſtudio digna, verum cum æthere comparata, tanto deterior poſteriorq;, quanto tenebræ lumine, nox die, interitus immortalitate, mortalis Deo. Nam cum regio illa non cæterarum more imbribus irrigetur, ſed annuis fluminis incrementis ſtagnare ſoleat. Nilum commentitium Deum ratione quadam indigitant Ægyptij, vt imitatorem cœli, ac de regione ſua honorificè prædicant. Ergo homo ille mixti generis cum vno ſacerdotalis & eruditi generis altercans, cùm per irã exiſſet è poteſtate, & impietatis Ægyptiacæ æmulus eſſet, à terra in cœlum impietatem nefandam & ſceleratam inceſtus iactabat, animo contaminato & lingua polluta, totoq; vocis inſtrumento eum execrans inſanum in modum, quem ne ab omnibus quidẽ laudari fas eſt, ſed ab optimis ſolis qui perfecta purgatione luſtrati & expiati ſunt. Proinde vecordiam miratus, & audaciæ exuperantiam, quanquã ſtrenua & prompta animi præſentia præditus, & hominem ſua manu confodere cupiens, tamen veritus eſt, ne leuiorem exigeret pœnam. parem enim tantæ impietati pœnam excogitare mortalis nemo potuiſſet. Sed cum Deum non veneranti protinus adiunctum ſit, nec parentes, nec patriam, nec bene meritos obſeruare, qui præterquam quod non veneratur, etiam appetere maledictis vltrò audet, ecquam prauitatis ſuperlationem relinquit? tametſi maledictum ſi cum execratione conferatur leuius eſt. Petulantia verò linguæ & effrenatum os cùm ex legi ſubſeruit amentiæ, plane quiddam homo, deſignatur nefariũ. Deum quiſquámne execratur? ecquemnam alium inuocans Deum vt diras preces ſanciat? an non ſcilicet eum

MM

ipſum contra ſeſe? Apageſis iſta profana & ſcelerata cogitata: optimum factu fuerit miſerum animũ elui voce violatum, miniſtris auribus vſum, ſenſu cæco. nec tamen lingua tam nefaria loquentis reſoluta eſt, nec audituri obturatæ ſunt aures. niſi ſi iuſtitiæ quadam prouidentia factum eſt, quæ neq; bonũ eximium, neq; maximum malum ad apertiſſimum probitatis & improbitatis argumentũ, vlla vmbra obſcurari cenſet oportere, vt illam approbatione, hanc animaduerſione proſequatur. Itaq; illum in carcerẽ coniectum vinciri imperat, Deumq; pace & venia orata neceſſitati ſenſuum reconciliatum, quibus cernimus & audimus quæ cernere & audire nefas, quadam imploratione conſulit, vt ſignificet quam pœnam ſufferre oporteat inuentorem impietatis & ſceleris immanis & inuſitati. Iubet eum lapidari Deus, iuſtum, vt arbitror, ſupplicium ratus lapidationis, in hominem animi ſaxei & præduri: ſimul omnes illius nationis, quos ſanè quàm aſperè & acerbè id tuliſſe ſciebat, cædemq; ſpirare, ſupplicij partem attingere volebat. Tot autem hominum millia ſolam adminiſtrare poterant pœnam iactu conſtantem. Poſt illam ſcelerati & impij pœnam, noua ſanctio perſcripta eſt, quæ ſanè nunquam ſponte & voluntate ſcripta eſſet, ſed rerum nec opinata inſolentia, legum nouitatem ad peccatorum propulſationem deſiderat. Ergo ſtatim lex huiuſmodi irrogatur, Quicunq; Deum execratus fuerit, ſceleris alligatus eſto: Qui nomẽ domini nominauerit, moritor. Rectè ô rerũ omnium prudentiſſime, ſolus ſynceræ ſapientiæ hauſtu mades: nominare quàm execrari deterius exiſtimaſti. nunquam enim grauiſſimæ impietatis auctorem ſubleuaſſes, te delictis humaniorem præbens: in eum autem qui minus iniuſtè feciſſe videretur, ſummum ſupplicium ſanxiſſes. ſed hic, vt apparet, Dei non primi neq; omnium procreatoris commeminit: verùm Deorum popularium, & falſa vocabula obtinentium, pictorum & fictorum artificio perfectorum. Simulachrorũ enim & ſtatuarum, ſimiliumq; ſignorum, orbis terrarum refertus eſt, quorum deteſtatione abſtinendum ſit, ne quis è Moſis ſectatoribus conſueſcat appellationem Dei aliqua ex parte contemnere. Semper enim maieſtatem amabilis illius nominis ſuum ius obtinere oportet. Quod ſi quis non verbo contumelioſo violet hominum & Deorum dominũ, ſed intempeſtiuè modo & importunè nomẽ eius eloqui audeat, mortis pœnam ſufferat. Neq; enim eorum à quibus ſati ſunt, quanquam mortalium, nomina proferunt illi quibus aduerſus parentes pietatis reſpectus eſt, ſed propria ex quadam religione & obſeruantia mittentes naturæ vocabulis patrem & matrẽ vſurpantes appellant, quibus ſignificant promerita eorũ inexuperabilia gratamq; ſuam voluntatem. Nunc etiam veniã mereantur qui per volubilitatem linguæ intempeſtiuè loquuntur, & orationis ſupplementum adhibent, ſanctiſſimum & diuinum nomen. Secundum venerationem parentis vniuerſorum, ſacrũ diem ſeptimum propheta in honorem ponere aggreſſus eſt, acriori oculorum acie dignitatem eius contemplatus in cœlo & vniuerſo conſignitam mundo, cuius etiam imaginem natura præ ſe ferat. Primùm enim diem illum matris expertem reperiebat, fœminei ſexus exortem, à ſolo ſatum patre ſine ſemine, generatumq; ſine grauiditate. Deinde non ſolùm iſta perſpexit, formoſiſſimũ eſſe & matris expertem, verùm etiã perpetua virginitate cenſeri: vt qui nec ex matre nec mater ſit, nec ex vitio, nec vitiandus: tertio animaduertit re perueſtigata mundi natalem eſſe. quem celebrat cœlum, celebrat terra, quæq; in ea ſunt, in modulatiſſimo ſeptenario iucundè acquieſcentia & gaudentia. Hanc ob cauſam, omni in re facilè ampliſſimus Moſes, cenſuit in ſacram ciuitatẽ adſcriptis legi naturæ parentibus, feriandum eſſe in hilari lætitia agitantibus, omni ad quæſtum arte & opere vacantibus, omni negociatione defunctis ad ſubſidium vitæ, inducias habentibus atq; liberatis ab omni laborioſa & moleſta cura, non, vt nonnulli faciunt, ioco aut ludo operam dantibus, aut in mimorũ, aut ſaltatorum ſpectaculis occupatis, quæ depereunt propè emorientes nonnulli theatrorum inſania laborantes, per principes ſenſus aſpectum & auditũ in ſeruitutem emancipantes animũ natura regem: ſed vrũ philoſophiæ totos ſe dedentibus non quàm vocabulorum captatores & Sophiſtæ ſectantur, qui vt alia venalia in foro, ſic decreta ſua & verba nundinantur, qui philoſophia contra philoſophiam, ô terra & ſol, perpetuò non erubeſcunt abuti: ſed ad germanam philoſophiam ſeſe applicantibus quæ tribus ex rebus contexitur, conſilijs, orationibus, factis vnam in ſpeciem conſentientibus ad adeptionẽ fructumq; felicitatis. Iſto quidam edicto contempto, etiamnum effata in auribus reſonantia de ſacro ſeptimo die exaudiens, quæ ſine propheta Deus proloquutus erat, & ſpectabili voce, quod prodigioſiſſimum erat, oculos adſtantium magis quàm aures commouerat, per media caſtra lignatum exibat, non ignarus in tentorijs omnes quieſcere, atque in ipſo facinore manifeſto deprehenditur. Nam extra portas quidam in tranquillum progreſſi, vt puro in loco & quieto receſſu Deũ orarent, nefandum ſpectaculum cernentes ligna comportantem, grauiſſimè offenſi, hominem interficere parabant: ſed ratione mox edomita ira, ne priuati ante magiſtratũ in aliquem animaduertere viderentur, eumq; indemnatũ, quanquam ſceleris compertum atq; manifeſtum, néue cædis piaculum quanuis iuſtiſſimæ diei ſanctimoniam violaret, hominem comprehenſum ad magiſtratũ ducunt, cui tum aſſidebant ſacerdotes, totius multitudinis corona adſtabat ad audiendum. Receptum enim moribus erat cum alias quandocunq; commodum eſſet, tum verò præcipuè ſeptimo quoq; die, vt ante docui, philoſophari, imperatore præcipiente & docente quid facto aut dicto opus eſſet: populo vita & moribus ad integritatem & frugem proficiente: ex quo hodieq; Iudæi ſeptimo die de patria commentantur philoſophia, tempus illud in ſcientia & contemplatione naturæ conſumentes. Nam illa oppidatim oracula, quid aliud obſecro ſunt, quàm ſcholæ & ludi prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, iuſtitiæ, pietatis, ſanctitatis, atq; adeo vniuerſæ virtutis, qua percipiuntur humana & diuina omnia, & rectè adminiſtrantur? Tanti patrator ſceleris ſtatim in carcerem rapitur. Moſes pœnæ in hominẽ incertus: nam etſi morte dignam noxiam admiſiſſe ſciebat, tamẽ quòd exemplũ ſtatueret conſtitutũ nõ habebat: mente ſenſum oculorũ fugiente ad tribunal inaſpectabile venit iudicis omnia vel ante auditionẽ comperta habentis, rogatũ quid facto opus iudicet: ille ſententiã pronunciat eũ mori debere, ſed non aliter quã lapidatione facta: quoniã huic æquæ ac priori animus in ſurdum lapidem mutauerat, facinus auſo quod modis omnibus in legẽ commiſerat, quoq; alia ferè continentur omnia, quæcunq; de veneratione ſeptimi diei ſancta ſunt. Quid ita? quia non ſolum artificia ſordida, verum etiã artes aliæ & negociationes, ac potiſſimũ quæ in quæſtu, rebuſq; ad victũ cultumq; neceſ-

ſarijs



ſarijs occupatæ ſunt, aut igne vtuntur, aut in ijs quæ non ſine ignis adminiculo parantur. Itaque ſæpenumero vetat eo die ignem accendere, proinde quaſi primaria ſit cauſa & res antiquiſſima: quo quieſcente animaduertit reliqua etiam generatim conquietura. Ignis autem materia lignum eſt: vt qui lignatur crimen affine & cognatum accendenti perpetrare videatur: culpa tamen geminata, tùm quòd imperata quiete congeſſerit, tum quòd talia congeſſerit, quæ alimentum igni præbent artium primordio. Ambo igitur iſta quæ memoraui, pœnas impiorum per interrogationem & reſponſionem edictas complectuntur: alia duo ſunt non eiuſdem, ſed diuerſi generis: vnum de ſucceſſione hæreditatis, alterum de ſacrificio quod intempeſtiuum eſſe videatur, de quo prius dicendum. Principium æquinoctij verni primum menſem in literas refert Moſes in annuis anfractibus, non quemadmodum nonnulli tempori magis prærogatiuam tribuens, quam gratiæ & beneficentiæ, quam natura hominibus extulit. tum enim neceſſaria ſegetũ annona matureſcit, arborum fructus pubentium commodum generatur ſecundum obtinens locum. Itaq; ſerotinus eſt. ſemper enim in natura non admodum neceſſaria, neceſſarijs poſteriora ſunt. Ergo pernecеſſaria ſunt, triticum, hordeum, reliqua alimentorum genera, ſine quibus vita degi nequit. Oleum autem, vinum, baccæ non numerantur in neceſſarijs, cùm præſertim ſiue his ad longiſſimam ſenectam viuaces annoſiq; homines durent. Huius menſis circiter quartum decimum diem toto lunæ orbe colluſtrato lumine, populares tranſmiſſionis celebrantur, quæ Paſca Chaldaicè dicuntur, quibus haud ſanè priuati victimas aræ admouent, quas ſacerdotes immolent: ſed legis imperio tota natio ſacrifica eſt, vno quoq; pro ſe litante & ſacris operante. Ergo reliquus omnis populus lætabatur & hilaris erat, cũ ſe quiſq; ſacerdotio ornatum exiſtimaret: alij in lamentis & gemitu agitabant, ſuis nuper fato functis, quos lugentes duplicem capiebant dolorem, ad propinquorum mortem accedente voluptatis ex ſacrificio & honoris amiſſione: ijs enim nec ſe expurgandi, nec reſpergendi ius erat illo die, cùm haud dum exacto tempore eluxiſſent. Itaq; poſt celebritatem ad magiſtratum adeuntes, mœſtitia luctuq; perditi, calamitatem narrant, recentem propinquorum mortem, neceſſarium luctum: ea de cauſa ſibi non licuiſſe tranſmiſſionis ſacrificium obire exponunt, rogantq; ne deteriori loco ſint quàm alij, neu incommodum propinquorum leto datorum ipſis incommodo eſſe velit: neu pœnam potius quàm miſericordiam ſpectet, alioqui exiſtimaturos deteriorem eſſe ſuam, quàm mortuorum ſortem, quibus nullius acerbitatis ſenſus ſit, cùm ipſo opinio futura ſit viuos viuenteſq; mortem quandam cum ſenſu coniunctam oppetiſſe. His acceptis animaduertit non alienam excuſationem eſſe, curque antè non ſacrificauerint iuſtam cauſam fuiſſe, miſerationemq; ab ijs ſtare. Verum alternans ſententia, & velut in libra huc & illuc inuicẽ pronus (hinc enim miſericordia & æquitas præponderabant: inde lex ſacrorũ tranſmiſſionis contra propendebat, in qua & menſis & decimus quartus dies ſacro cauetur) inter negandum & aſſentiendũ anceps & ambiguus, eundem obſecrat vt iudex eſſe velit, & oraculo ſententiam declaret. Ille re audita effatum pronunciat, non ſolùm de quibus conſultus fuerat, verumetiam de poſteris quibus idem caſus eueniret, additoq; cumulo, etiam de ijs qui alia de cauſa ſacrificare non potuiſſent, in vniuerſam gentem oraculum edit. Quæ ſint autem ea oracula explicandum eſt. Propinquorum, inquit, luctus, neceſſarius ille quidem mœror conſanguinitate coniunctis, non tamen culpæ adſcribitur. Donec igitur exactus ſit, extra conſeptum ſacrũ arcentor, quòd ab omni non ſolùm voluntaria, verùm etiã non voluntaria labe puros & caſtos eſſe oportet: exacto luctu ne æqua parte ſacrificiorũ priuantor, ne viui acceſſiones mortuorũ eſſe videantur. Ad rem autem diuinam vt ſecundi ſecundo menſe eunto, quartodecimo rurſum die: itemq; vt priores ſacrificanto, eademq; lege & ritu quo priores hoſtijs vtuntor: quod idem ius eſt ijs qui non ob luctũ, ſed ob longinquã perfectionem ſolenne ſacrificij ad diem præſtitutã cum reliquo populo obire non potuerint. Non enim peregrini, qui alijs in locis habitant, improbè faciunt, vt æquo honore priuari debeant, cùm præſertim populi multitudinem capere non poſſit illa regio, coloniaſq; multas in terras dimiſerit. His à me diſputatis de ijs qui conditione & caſu aliquo voluntate nõ contracto cum reliqua multitudine populi ad ſolenne tranſmiſſionis occurrere nõ potuerunt: explere tamẽ etſi ſero tandẽ aliquando id cui defuerant, ſibi neceſſe putauerunt, ad poſtremũ edictum tranſibo de ſucceſſione hæreditatis, quod eodem modo mixtũ eſt, ex interrogatione & reſponſione conſtitutũ. Vir quidam ſpectatus fuit nomine Salpaat, ex tribu non ignobili: huic filiæ quinque, mas nullus naſcitur. Illæ poſt mortem patris, aſſignatione paterna ne priuarentur veritæ, quòd poſſeſſiones tribuantur maribus, magiſtratũ adeunt eo pudore qui virgines commendat, non diuitias ſpectantes, ſed nomen & dignitatẽ patris conſeruare cupientes: ac nobis quidem, inquiunt, pater diem obiit, obiitq; nulla vnquam in ſeditione verſatus, quæ infinitos mortales perculit, ſed vitam priuatã & à negocijs abhorrentẽ coluit, niſi fortè ei in peccato ponendũ eſt, liberos ſtirpis virilis non reliquiſſe. En tibi coram adſumus nos hominum opinione orbæ, reuera te patrem habituræ. Nam legitimus magiſtratus iis quibus præeſt procreatore propinquior eſt. Ille indolem virginũ admiratus, & pietatem aduerſus parentẽ, hæſit duplici cogitatione diſtractus, cũ viros reputaret aſſignationes mereri debere, operę preciũ habituros militiæ & belli, quo perfuncti erant: quorũ certaminum cum mulieribus vacationẽ natura dediſſet, etiã præmia belli eis non impertire. Ergo non abs re animo in diuerſa inclinante & diſtracto, controuerſiam ad Deũ refert, quem vnũ ſciebat nec mendacibus nec errantibus iudicijs exigua rerũ diſcrimina ad veri & æqui declarationẽ ritè diſtinguere. Ergo ille ſummæ rerum effector, ille mundi parens, qui terrã, cœlum, aquã, aërem, quæq; ex vnoquoq; eorũ conſtant, nutu continet, & in poteſtate habet, ille Deorum & hominum imperator, orbis puellis non eſt dedignatus ſe diſceptatorem præbere: qua quidem in diſceptatione plus eis aliquanto conceſſit, quàm pro legitimo iudice beneuolus & propitius, qui benefica ſua poteſtate omnia penitus compleuit. Is enim virginum laudem commemorauit. quonã te pacto domine quiſquam laudauerit? quo ore, qua lingua, qua vocis machinatione, quo animi principatu? an ſtellæ choro conſtituto dignum te carmen concinent? an cœlum in vocem totum ſolutum virtutum tuarum partem vllam enarrare poterit? Rectè ſunt, inquit, filiæ Salpaat locutæ. quanta ſit iſta laus Dei teſtimonio vtiq; ſubnixa ecquis neſcit? prodite nunc in medium glorioſi & arrogantes homines, qui magnos ſpiritus ex proſperi-

tatibus geritis, qui ceruices ſupra naturam effertis, qui ſupercilia tollitis, apud quos mulierum viduitas, ludibriũ eſt, incommodumq; miſerandum, ſolitudo orbæ pueritię ſuperiori calamitate miſerabilius illuditur: compertoq; qui adeo humiles & miſeri videntur, apud Deum pro neglectis & obſcuris non cenſeri, cuius imperij ignobiliſſima pars, in iſtis paſſim orbis terrarum regnis ſita eſt, cum præſertim omnis iſte terrarum ambitus vltima eius operum ora & determinatio ſit, neceſſarium vobis documentum & monitum accipite. Moſes collaudata virginum allocutione, neq; eas non donatas dimiſit, neq; ad parem hominibus bellatoribus honorem vocauit: his enim aſſignationes vt emerita præmia tribuit pro ſuis fortibus factis: illas gratia & humanitate, non præmio proſecutus eſt, quod luculentiſſimè ipſis vocabulis indicauit. Nam dationem & donum dicit, non remunerationem, neq; reſtitutionem. hæc enim propria recuperantiũ, illa gratificantium. Ita quibus de rebus ab orbis puellis conuentus fuerat, cum decreuiſſet, legem proponit perpetuam de ſucceſſione hæreditatis: primum filios ad vſurpationem pecuniæ patriæ vocans, qui ſi nulli ſint deinceps ſecundas filias, quibus hæreditatem ait inducendam tanquam externi cuiuſdam & aduentitij ornamenti vice, non vt ſuam cognatamq; poſſeſſionem. Etenim quod inducitur nulla propinquitate contingit id cuius ornamentum eſt, cum ſit ab omni eius compactione integritateq; remotum. Secundum filias, tertios fratres vocat, quartum locum tribuit patruis, ſignificans tacitè etiam filiorum patrem hæredem eſſe. Nam valde inſcitum fuerit exiſtimare ab eo tribui fratris filij hæreditatem patruo propter cognationem patris, patri ſucceſſionem denegari. Sed quoniam naturæ lex eſt, liberos parentũ hæredes eſſe, non parentes liberorum, hoc vt malè ominoſum & inauſpicatum deprecatus ſubticuit, ne pater & mater ex acerbo natorum interitu inſolabilem luctum percipere videantur, verum obliquè eos vocauit patruis concedendo, in quo duarum rerum rationem habuit, decori & bonorum non alienandorum. Poſt patruos quintus eſt locus, genere proximorum, quorum primis ſemper hæreditatem tribuit. His ita neceſſariò explicatis de ijs quorum mixta conditio eſt, deinceps effata declarabo ea, quæ diuini furoris inſtinctu propheta cecinit: id enim me facturum recepi. Ac principium quidem ei fuit afflatu diuino hariolandi, idem quod genti felicitatis, ab Ægypto in Syriæ vrbes ad ſedes quærendas in coloniam infinita multitudine proficiſcenti. viri enim promiſcuè & mulier[illegible]ſta ſolitudine & inuia peragrata ad mare rubrũ quod appellatur, cum tandem perueniſſent, pro eo ac debebant, ſcilicet perculſi ſtupebant, conſilij inopes, quibus nec ad tranſmittendum nauium facultas eſſet, nec idem iter remetiri tutũ videretur. Ita conſternatis maius ſuperuenit malum. Nam Ægyptiorum rex aſſumpta non contemnenda manu equitum & peditum in eos infeſtus contendebat, properans aſſequi & profectionem vlciſci, quam luculentis oraculorum imperijs conceſſerat: ſed vt videtur hominum improborum incerta ſententia eſt, & velut in lance minimo momento in diuerſum prona vergit. Ergo medij inter hoſtes & mare clauſi, ſalutem deſperabant: alij in expetendis numerantes miſerrimam & teterrimam mortem: alij potius eſſe cenſentes ab ipſis naturæ partibus exitium haurire, quam ludibrio hoſtibus eſſe, ſe in profundum abiicere cogitabant: ac ponderibus onuſti in littore ſedebant, vt ad conſpectum propinqui hoſtis, ſaltu dato facilius peſſum grauitate ferrentur. ſic illi ancipiti neceſſitate conſternati miſeram trahebant animam. Vates autem cùm cerneret conſternatione perculſam vniuerſam gentem, velut iactum piſcium reti iaculo circundatã eſſe, iam tum impos ſui diuinitus correptus, hæc profatur: Metus quidem neceſſarius eſt, cum ſit terror in propinquo, magnumq; periculum: ante vaſtum obijcitur pelagus, nullam ſtationem ad perfugium oſtendens, nauium eſt inopia, à tergo legiones hoſtium imminent, quæ magnis itineribus ne animam quidem recipientes aduentant. quo ſe quiſquam vertat? quo ſpectet? vndiq; omnia repente coorta ſunt, terra, mare, homines, elementa naturæ. ſed bono eſte animo, ne debilitemini, veſtris animis inconcuſſi conſiſtite, inuictũ à Deo auxilium expectate: vltro vobis & ſponte iam occurret: pro vobis non conſpectũ propugnabit. Sæpe iam auxilij illius vim experti eſtis clàm mala propulſantis. id ſe nunc ad pugnã accingere, & hoſtium ceruices in laqueum induere proſpicio: in mare trahit, more plumbi in fundum ſidunt: adhuc viuere eos ſentitis, ego ſpeciem mortuorum video, hodiernoq; die conſpicietis mortuos. Ille hæc omni ſpe maiora locutus eſt, ipſi re & exemplis oraculi veritatem comperère. Nam Dei numine quæ effatus erat fabulis incredibiliora, euenerunt: maris diſceſſio, vtriuſq; partis abruptæ receſſio, concretio per totam altitudinem fluctus, quâ mare diſceſſerat, vt pro validiſſimis muris eſſet: directa ſecta viæ magna molitione miraculi parata: limes inter aquas quæ conglaciarant: iter populi per mare grandientis ſine periculo, non aliter quàm in ſicca ſemita & ſaxeo ſolo. Nam arena ſe attenuauerat, & ſparſa eius natura in vnũ coaluerat: hoſtium magnis itineribus ſine reſpiratione contendentium & ad ſuum feſtinantium exitium incurſio: nubis tanquã terga cogentis aurigatio, in qua diuina quædam ſpecies ignis ſplendore effulgurans inerat: maris quod adhuc retentũ dehiſcebat reciprocatio, partis diuiſæ & reſiccatæ inundatio, hoſtium internecio, quos mœnia glacialia ſubuerſa conſopitos obruerunt, æſtuſq; pelagi illam in viam tanquam in conuallem illati, demerſerunt, demonſtratio calamitatis corporibus emergentibus, & ſummum æquor paſſim conſternentibus, vehemens fluctus quo omnia cadauera aceruatim in vlterius littus eiecta ſunt, neceſſario ſeruatis expoſita ſpectaculo, quibus non ſolùm euadere pericula licitũ fuit, verùm etiam ſuos hoſtes ſpectare, non humanis viribus, ſed diuinis ſupra quàm dici poſſit miſerum in modum profligatos. Itaq; iure benemeritum gratulationum carminibus veneratur, ac in duos choros diuiſa gente, vnum virorum, alterum mulierum, præſultorem virorum choro ipſe ſe præbet, ſororem mulierum choro præſulem conſtituit, vt cantica in parentem & effectorem canerent, occentu quodam modulationis conſonantes, temperatione morum & modorum, illis ad eaſdem feſtinantibus gratiæ vices, his ex conſonantia grauium & acutorum conſtitutis, cùm præſertim hominum vox grauis ſit, mulierum acuta, ex quarum modificata temperatione iucundiſſimi & modulatiſſimi cantus cientur. Tot autem hominum milia ad confuſionem impulerunt idem canticum illico concinendi prodigioſa illa miracula tanta deſignatione adminiſtrata, quæ paulo ante commemoraui: quarum rerum lætitia vates affectus, ſimul ingens populi gaudium cernens, impos amplius continendæ lætitiæ, carmen præcentor exorditur.

illi in



illi in duos diuiſi choros, audita concinebant. Hoc Moſi primordium fuit per afflatum diuinum vaticinandi: deinde alimento, quę res & prima eſt & neceſſaria, vaticinatur, quod terra nõ ferebat, ſterilis pręſertim & infœcunda, cœlum ipſum non ſemel, ſed quotidie in quadrageſimum annum ſub auroram cœleſtis fructus rore milij inſtar pluuit: quem Moſes conſpicatus, colligi iubet, & afflatus numine, Deo, inquit, fidendum eſt, vltra ſpem expertis eius beneficia. annona iſta neque aſſeruator, neque conditor: ne quis in diluculum proximum quicquam eius reliquum facito. His auditis nonnulli ad pietatem minus obfirmati, rati verba illa fortaſſis ſortes non eſſe, ſed magiſtratus conſilium, aliquid in poſterum diem reſeruant. Id autem ſua tabe primum caſtrorum orbem odoris grauitate afflauit: deinde in vermes quibus ex interitu rerum origo eſt, putruit. Quæ quidem Moſes vt vidit, meritò aduerſus non perſuaſos exacerbatus eſt. Quidni enim faceret, cum qui tot tantarumq; rerum ſpectatores fuiſſent, quæ quanuis ad credibilitatis & veriſimilitudinis ſpeciem fieri non poſſent, nullo tamen negocio numinis fauore perfectæ fuiſſent, non dubitarent ſolùm, verùmetiam omnes indocilitate ſuperantes, non crederent? ſed parens ipſe duobus euidentiſſimis argumentis effatum vatis comprobauit, quorum alterum coràm ſtatim repræſentauit reliquiarum vitio & odoris fœditate, & in vermes beſtiam omnium viliſſimam commutatione: alterum poſterius. ſemper enim vt quicque à multitudine quod redundaret comportabatur, ita ſolis diſſolutum radijs & tabefactum conſumebatur. Iterum non multo poſt diuinitus inſtinctus de ſacro ſeptimo die ſortem profatur. Eum enim in rerum natura prærogatiuæ & priuilegij dignatione præditum, non ſolùm ex quo mundus conditus eſt, ſed etiam ante cœli & huius vniuerſitatis ſub ſenſum cadentis originem, homines ignorabant, fortaſſe quia propter illas eluuionum & exuſtionum continuas & alternas internециones, poſteritas à maioribus memoriam excipere conſequentiæ & ordinis in ſeriem temporis non poterat: quod ignoratum adflatu correptus, ſorte euidentiſſimo ſigno teſtata patefecit. Signum tale erat, prioribus diebus minor vtique prouentus alimenti ab aëris plaga depluebat, tum duplex: ſuperioribus diebus ſi quid relinqueretur, ita madeſcendo tabeſcebat, dum penitus in liquorẽ conuerſum conſumeretur: tum autem nihil immutatum in eodem ſtatu permanebat. quibus nunciatis ſimul & conſpectis, Moſes admiratione perculſus, non magis coniectura quam dei inſtinctu, vaticinatione ſanxit ſeptimũ diem. Omitto dicere tales coniecturas vaticinationis affines eſſe. non enim mens ſic ictu certo & deſtinato collineaſſet, niſi eam diuinus ſpiritus ad veritatem deduxiſſet: nec prodigium ſolum ex annonę duplicatione ſignificabatur, neq; ex eius præter ſolitũ integritate & incolumitate, ſed etiam quòd ambo iſta ad ſextũ diem conuenirent, ex quo ab aëre alimentũ ſuppeditatum eſt, cui ſacerrimus numerus ſeptimi diei illuceſcere debebat. Itaq; reputando reperies conuenienter originì mundi alimentũ cœleſte datum eſſe. Cœpit enim ſenarij primo die mundũ moliri, & alimentũ quod diximus imbre fundere, ſimili prorſus imagine. Quemadmodum enim de nihilo ad ſtatum & rerum naturã opus abſolutiſſimum, mundũ ipſum extulit eodem quoq; modo vbertatem & largitatẽ annonæ in ſolitudine edidit, elementis mutatis ad vſum neceſſarium, vt vice terræ, aër cibaria, victumq; ſine omni labore & moleſtia facilẽ præberet hominibus, quibus in receſſu ſolitudinis non eſſet ociũ cibum apparandi. Poſthæc tertiã effatur ſortem omniũ prodigioſiſſimam, ſeptimo die aërem ſolitum alimentũ non eſſe largiturum, in terramq; ne minimũ quidem monumentum eſſe caſurum, quod quidẽ re ipſa euenit. Nam cùm pridie iſtud ceciniſſet, quidã moribus minus conſtituti ad congerendũ profecti, fruſtrata ſpe, irriti reuertũtur, ſe vltrò inſimulantes quòd credere noluiſſent, prophetam autem verũ ariolum, diuinitatis conſultum, rerum obſcurarũ ſolum præſagium clamantes. Iſta de cœleſti alimento numine correptus cecinit, alia deinceps neceſſaria illa quidem, tamen potius ſimilia admonitionũ eſſe videantur quã oraculorum: quo ex numero eſt quod cecinit in illa de qua ante memoraui, à diſciplina patria defectione, cũ fabricato aureo tauro ad vecordiæ Ægyptiacæ imitationẽ choreas inſtituebant, aras excitabant, ſacrificia ducebant, veri immemores dei, auitã nobilitatem, quæ pietate & ſanctimonia creuerat, peſſundantes. Quibus ex rebus Moſes non mediocrẽ capiebat animo dolorem, ſi primum totus populus repentè ſic oculis captus eſſet, qui paulo ante omniũ populorũ acerrima acie fuiſſet: deinde vanũ fabulæ commentum tantũ veritatis ſplendorem obſcurare potuiſſet, quam neq; ſol, nec vniuerſus ſiderũ chorus deficiens opacauerit. ſuo enim lumine illuſtratur in intelligentia conſidente & corporis experte: quo cum iſtud quod ſub ſenſus cadit comparatũ, nox ad diem eſſe cenſeatur. Itaq; iam non eodem habitu exilit formæ atq; mentis, & hariolans, Ecquiſnam, inquit, errori ſuffragatus nõ eſt? ecquiſnam auctoritatẽ infirmis & male ratis non adſciuit? omnes illi ad me veniunto. Cum autẽ tribus vna non minus animis quàm corporibus acceſſiſſet, quæ iandudũ in impios & conſceleratos cædem anhelabat, imperatorem autẽ & ducem quærebat, qui idoneũ tempus & modum ſceleris vindicandi oſtenderet, concitatos nactus audaciæq; & animi plenos, multo quã antea magis deo ciente, Quiſq; veſtrum, inquit, ſumpto gladio totis decurrito caſtris, nec alienos ſolùm, ſed amicorũ & cognatorum familiariſſimũ quenq; & perneceſſariũ in orbem vndiq; obtruncato, factũ minime piaculare ratus pro veritate & dei honore, pro quibus propugnare labos omniũ leuiſſimus ſit. Illi verò primo ſtatim clamore tribus hominũ millibus qui ſceleris potiſſimum principes fuerant, interemptis, non ſolùm defenderunt, affines crimini ſe non fuiſſe, verùm etiam hominibus fortiſſimis adſcripti ſunt, ac præmio ſacerdotij honeſtati rebus quas geſſerant congruenti. Eos enim demum religionis cultores eſſe oportebat, qui pro ea fortiter dimicauerant & fecerant. Referre poſſum aliam quoque ſortem aliquanto notabiliorem, iam ante à me memoratam, cum de pontificatu prophetæ diſſererem, quam etiã numine correptus edidit, non longis poſtea temporibus comprobatam, ſed tum cum concinebatur. In miniſterio templi ordines erant duo, vnus potior ſacerdotum, alter inferior æditimorum. Erant autem illa tempeſtate ſacerdotes tres, æditimorum multa millia. hi ſuorum multitudine ſufflati, ſacerdotum paucitatem contemnebant, ac in vno facinore duo peccata contexebant: vnum ſuperiorum imminutionem, alterum inferiorum amplificationem, velut ad ordinis quo nihil melius eſt & publicè ſalutarius, confuſionem, ſubditis ſuos imperatores adorientibus. Mox coeuntes & collecti in prophetam magno clamore increpabant, quòd propinquitatis fautor, fratri

& fratris liberis ſacerdotium tribuiſſet, & in eorum deſignatione quæ feciſſet quemadmodum diſſeruimus, dei auctoritatem ementitus eſſet. Quibus ille grauiter offenſus, & vehementer dolens, quanquam omnium leniſſimus & manſuetiſſimus: ſic tamen ad iuſtam iracundiam ex improbitatis odio exacuitur, vti deum obſecrauerit vt eorum ſacrificium auerſaretur: non quia iuſtiſſimus iudex ſacrificationem impiorum accepturus eſſet, ſed quòd animus viri religioſi, deumque amantis, quantum in ipſo eſt, non reticet, magno ſtudio ne ſcelerati ſecundum curſum teneant, ſed vt ſemper à cœptis aberrent. Etiam tunc autem legitima indignatione ſuccenſus & præferuidus bacchatur, & in vatem mutatus iſta hariolatur, Non credere res ſolis diffidentibus infeſta eſt, quos non oratio, ſed facta erudiunt: malo docti, quàm verax ſim denique intelligent, quoniam docti non intellexere: id quod ex vitæ exceſſu tandem agnoſcetur. Nam ſi naturali fato decedent, oracula ſum commentus, ſin noua quadam & inuſitata ratione, ſtudioſus veri ſum iudicandus. labes terræ vaſtas video in immenſum diſcedere, magnam hominum multitudinem interire, familias totas à ſtirpe peſſum trahi, domos in abruptum abſorberi, homines ad orcum deſcendere. Vbi finem fecit, terra motu concuſſa rumpitur, quà potiſſimum impiorum tabernacula erant, vt ſublapſa repente contecta ſint. Partes enim quæ diſceſſerant, eo quamobrem diſceſſerant effecto, denuo coiere. Paulo pòſt ſeditionis duces numero ad ducentos & quadraginta repentè delapſa fulmina totos abſumpſere, nulla corporis parte relicta, quæ ſepulturæ mandaretur. Altera autem ſuper alteram pœna, & vtriuſque magnitudo illuſtrem & celebrem vatis pietatem oſtendit, fidem oraculorum teſtante deo. Operæprecium quoque fuerit, ne illud quidem præterire, impietatis pœnam & animaduerſionem, terram & cœlum eſſe ſortita, ſummæ rerum principia. Nam animi ſui prauitatem humi defixam in cœlum tetenderunt, vſque adeò ſublimem extulerant, vt vtrunque elementum ſupplicium inflixerit: terra, vt peſſum traheret & hauriret eos abrupta & dehiſcens, quorum mole tum grauabatur: cœlum, vt exureret & abſumeret, nouo imbris genere, magno ignis agmine pluens. Exitus autem & iis quos terra hauſit, & iis quos fulmina peremère idem vtriſque fuit: neutri quippe comparuerunt, illi terra operti hiatu coeunte, & in planum & æquum redintegrato: hi fulminum vapore toti perpetuique conſumpti. Inſequenti poſtea tempore, cùm tandem hinc in cœlum colonus eſſet migraturus, & relicta mortali conditione immortalitatem adepturus, à patre acceſſitus, qui eum duplicem, corpus inquam & animum, ad ſimplicem naturam redigeret, omni ex parte ad mentem ſolis ſpecie micantem immutatum: tum denique occupatus numine, non genti vniuerſæ iam fata canere videtur, ſed ſingulatim vnicuique tribui quæ in poſterum euentura ſint, quorum partim euenere, partim expectantur, quoniam conſequentium fides præteritorum exitu perſpicitur. Æquum enim erat, vt qui ſatu differebant, potiſſimumque materna ſtirpe, qui variis conſiliorum generibus, inenarrabilibus inſtitutorum & ſtudiorum vitæ diſſimilitudinibus, velut hæredium quandam oraculorum & effatorum permanſionem haberent. hæc profecto admirabilia ſunt, ſed omnium vel maximè admirabilis ſacrorum librorum finis, quod velut in animante caput totius legiſlationis eſſe dixerim. Cum enim iam in eo eſſet vt adſciſceretur, & tanquam in carceribus ſtaret, vt ſubuolans curriculum in cœlum conficeret, viuus adhuc diuinitus adflatus, quæ vt iam mortuo ſibi fiant memoriter vaticinatur. ſe è vita exceſſiſſe qui nondum exceſſerit: ſe nemine præſente ſepultum eſſe manibus ſcilicet non mortalibus, ſed immortalibus poteſtatibus: ſe maiorum ſepulchro illatum non eſſe, eximio donatum monumento quod homo natus nemo viderit: ſe menſem vnum totius gentis lachrymis deploratum eſſe, quæ priuatum & communem luctum pro beneuolentia & patrocinio eius erga vnumquenque & vniuerſos maiorem, quàm vt commemorari poſſit oſtenderit. Hæc vita, hic exitus Moſis regis, legiſlatoris, pontificis, prophetæ, à libris ſacris refertur.

# DEMETRII PEPAGOMENI, LIBER DE PODAGRA, ET ID GENVS MORBIS.

## *AD IMPERATOREM, MICHAELEM PALAEOLOGVM: ADRIANO TVRNEBO interprete.*

DOCTISSIMI ET DISERTISSMI VIRI, DOMINI DEmetrij Pepagomeni liber de Podagra, quem ab eo petiuit imperator Michael Palæologus, ab Adriano Turnebo latinitate donatus.

*Proœmium ad eius rei declarationem.*

CVM MIHI PRO IMPERIO PRÆSTANTISSIMVS ET SANCTISſimus dominus & imperator noſter iniunxit, vt ſcriptis mandarem de podagra quid ſentirem, & diſſererem quid facto eſſet opus, tum in victu, tum in medicamentis, tum his quæ imponuntur, vt caueretur iſta valetudo: & morbo commiſſo, itidem oſtenderem quibus modis profligaretur, in prima tentatiuncula valetudinis, in incremento, vigore, declinatione: hiſque de rebus omnibus diligenter & accuratè pro captu meo explicarem: ſane par erat, vt ne quid iſta de re in totum ſcribere tentarem, cùm tam multi veteres & maximi medici perdiligenter & copioſè de ea perſcripſerint: præſertim ad imperatorem talem, qui ampliſſima admirabilique & veriſſima ſcientia præditus eſt, atque adeo quàm hac in re, nemo, vt mihi quidem videtur, pro eo ac meretur, oratione explicare poſſit, cum omnes huius ætatis præclara eius iſta imperatoria ſcientia inferiores eſſe videantur: in tanta alioqui egregiorum apud eum & optimorum medicorum copia. Cùm itaque talis princeps planè intelligeret intelligentiæ & ingenij mei vim perexiguam eſſe, nec facile me rem tantam aggreſſurum eſſe, mihi imperauit vt hoc mandatum explerem, vt qui quantum facere potuiſſem, ipſius naturam penitus comprehendiſſem: vt diu multumque recuſare non potuerim, cùm præſertim ſcirem, quæ maximus omnium magiſter, Hippocrates dicat, *Naturæ à naturis multum differunt, & à locis loca.* Oportet igitur medicum, vt communem omnium naturam cognoſcere: ſic & propriam cuiuſque compertam habere, atque adeo occaſionis & loci, tametſi difficile iſtud eſt & operoſum. ac rurſum idem, *Ob occaſionis,* inquit, *celeritatem ſæpenumero errare fallique video, non ſolùm quoslibet, verùm etiam præſtantiſſimos medicos.* Et eximius ille Galenus, *Fieri non poteſt,* inquit, *vt curet is, qui priuatam ſuámque cuiuſque hominis naturam ignorat. nam in omni curatione cognoſci debet qualitas & quantitas, & occaſio, & natura, ratioq; vtendi.* Quoniam igitur ſacratiſſimus imperator mihi iſtud iniunxit, qui quidem è decuria ſum medicorum præſtantiſſimi domini & imperatoris, & eius naturam & temperamentum & proprietatem quoad eius fieri poteſt, perſpectam habeo, cum perdiu cum eo verſatus ſim, idcirco quæ meæ ſunt opis & captus, imperatoris iuſſa ſecutus, iam hinc ſcribo. Primum autem ſigillatim diſſerendum eſt de huius morbi cauſa & notitia. nam qui probè nouerit, is demum optimè etiam curauerit: deinceps de reliquis ordine.

### *VNDE PODAGRAE MORBVS ORITVR, ET QVOMODO CONCOctiones fiunt, iocinoris, venarum, arteriarum, & omnium partium corporis: & quomodo excernuntur, qualidque ſunt eorum excrementa, & vnde proueniunt.* I.

NAtura cùm ſit illa quidem rationis expers, quæ rationis tamen ſunt, facit. *Nam,* vt ait Galenus, *ea eſt quæ omnibus animantibus accommodatas impulſiones ingenerare poſſit ad valetudinem & ſalutem, ſine fine operoſa & actuoſa.* proinde cùm homines veſcuntur & nutriuntur, poſt concoctionem quicquid vtile eſt, idonne ad ſalutem animantis & acceſſionem adſumit: quicquid inutile eſt & ſuperuacaneum, eijcit. quo eodem etiam munere fungitur in ſingulis concoctionibus, iocinoris videlicet, arteriarum, venarum, & omnium aliarum partium. multorum enim inſtrumentorum ope natura poteſtates comparauit, & inſeuit corpori, quæ purgarent & ſecernerent excrementa, & partim traherent, partim tranſmitterent, partim deducerent, partim excernerent.

### *QVOMODO STOMACHI RECREMENTA PER INTESTINA excernuntur: quomodo iocinoris, venarum & arteriarum, atque totius corporis.* II.

AC quod ad primum quidem attinet, ſecernitur excrementum, & deducitur per omnia inteſtina ad ſinum vſque recti inteſtini: cuius ad extremum muſculi incumbunt, qui cohibent, continent, arcent, vetant, ne intempeſtiuè excrementa effluant. Iocinoris autem excrementum duplex, & itidem aſſimile, vt Galenus ait, partim tanquam flos eſt, qui vino innatat, partim ceu fex: quorum vnum ab adiuncta elicitur iocinoris veſica, alterum à ſplene: atque illic collecta excernuntur: vnum, ſub primordium gracilium inteſtinorum: alterum, in ipſum ventriculum. Atque illud quod in inteſtina deſcendit, quod flori vini reſpondet, flaua bilis eſt: quod in ventrem egurgitatur, atra bilis & acida. Quocirca Galenus ſcribit hoc excrementum à natura prouiſum, ad excitandam ventriculi appetentiam. At verò arteriarum & venarum excrementum, tanquam ſerum quoddam in preſſo lacte cenſeas: quod quidem & renes expurgantes veſicæ tranſmittunt, ibique colligitur ſimiliter atque illud de quo ſupra diximus. nam veſicæ quoque muſculus incumbit tranſuerſus, ita eius oſculum arctè laudens, vt nihil intempeſtiuè profluat. Reliqua excrementa in ſingulis partibus generantur ex eo alimento, vnde quæque nutriuntur, indéque ſecernuntur. Ac tenuiſſimum quidem excrementum facile excernitur, ſudorque ac humor vocatur. Sunt & alia excrementa quæ ob tenuitatem effugiunt oculorum aciem, quæ fuliginoſa vocantur.

### *QVOMODO, QVAQVE DE CAVSA FLVXIONE laborant articuli.* III.

CVm igitur articuli, de quibus inſtitutus eſt ſermo, ſemper moueantur, ſi ſint eorum poteſtates & vires firmæ, quas diximus, vt purgare, ſecernere, tranſmittere poſſint inutilia & craſſa recrementa: quæ autem vtilia & tenuia ſunt, adſumere, ſalubre corpus eſt & omnes eius partes: ſin & copioſiora & inutilia, & craſſa ſint excrementa, nec poſſint inſtrumentorum poteſtates, quas natura ſanitati corporis, & optimo habitui comparauit, ea expurgare & ſecernere, vt diximus, tum ſanè excrementa præpotentia, copia eorum exuberante, & per calorem putreſcente (omnis enim humor putreſcens, in bilem degenerat) ſanguine bile & pituita vitiato, podagræ morbum committunt. *nam ex bile & pituita,* vt ait Hippocrates, *morbus iſte generatur:* alij tamen, ac ferè omnes, ex omni humore cenſent. Atque, vt arbitror, ſic compendio orationis inſeruiens loquutur. in iis enim ineſt humor, ſiccitas, calor, frigus.

### QVOMODO CREANTVR DIVTVRNIORES DOLORES, ET CRVCIATVS *vehementiores liberatu ſanatuq́ difficiles, & immobilitates, & reſolutiones.* IIII.

ORto autem vitio, vt diximus, caloris vehementius impulſa excrementa, quocunque ſe profundent influentia, ibi morbum committunt. *Nam redundantes venæ*, vt Hippocrates ait, *laxioréſque factæ, propterea quòd capere non poſſunt, dolorem & cruciatum vehementem creant in omnibus partibus, in quas influunt. Et ex affecta parte vocabulum morbus inuenit, iſchias, podagra, arthritis, odontagra. Nam nomina*, vt doctiſſimus Hippocrates dicit, *morborum propagines ſunt. Pro eo igitur quod in tenuiſſimas*, inquit, *venulas peruadet, proinde etiam dolores acerrimi in neruis & oſſibus multis ac crebris generabuntur: ac eodem modo morbus maximè perdurat, vixq́ liberatur.* Quinetiam vijs obſtructis ſæpenumerò immobilitas, reſolutio, debilitas in totum committuntur.

### QVOMODO EIVSMODI FLVXIO ET IN CEREBRVM FERTVR, ET *in iecur, & in cor: quodq́ & celeriter & vehementer purgationibus egent.* V.

NEc verò tantùm in manus, pedes, omnes articulos, tales feruntur fluxiones: verùm etiam in cerebrum, iecur, atque adeo ipſum cor, quæ quidem ſunt teterrimæ, & liberatu difficilimæ. Sæpenumerò autem à multis excrementis profectæ, mortem conciliant, niſi celeriter & vehementer purgentur. fluxionis enim in iſta prolapſus turgeſcentis eſt. Ac morbus quidem podagræ, iſchiadis, arthritidis, chiragræ, vt liberatu ſanatuque difficilis ſit: non tamen letalis eſt. conſuetudo enim fluxionis in habitum cum conceſſerit, non ſinit magnam ingentemque copiam colligi: verùm ex facilitate perpetiendi, in conſuetos articulos excrementa illabuntur.

### QVOMODO HVIVSMODI MORBVS FAMILIARIS FIT, ET FA- *miliæ ſucceſſione quadam excipiunt.* VI.

VSqueadeo autem morbus hic familiaris euadit, vt familiæ aliquæ, quemadmodum ſcriptum reperimus, eius hæreditatem quadam ſucceſſione ſtirpis adeant, niſi certa victus ratione, multis purgationibus rectè & ordine factis id emendent: cùm tamen initio hic etiam morbus nullam à maioribus ſucceſſionem habens, ab ingluuie & cibi prauitate proficiſcatur.

### QVAENAM PROCREANT ET AVGENT HVIVS- *modi affectum.* VII.

HOs autem affectus procreant cruditates aſſiduæ, & aliæ ſuper alias ſaturitates, meri potus & ingurgitationes crapulæque, atque adeo multo magis, ſi quis veneri operam det: immoderatus præter ſolitum labor, vt & quies: conſuetarum excretionum retentio, & exercitationum omiſſio, frequens venus. neruoſi enim corporis firmitatem labefactat ipſius voluptas, præſertim ſi magno impetu cieatur. Lædunt & concoctionis difficultates, cùm propius ad cruditatem quàm concoctionem accedant.

### QVOMODO, SI FIRMI SINT QVIDAM ARTICVLI, ET EXCRE- *menta quæ à cruditate proueniunt, eijciantur, acriores inferunt, & diuturniores, ac vehementiores reliquis articulis dolores.* VIII.

QVandoquidem autem ſuccus qui è cruditate prouenit, inutilis eſt, propterea quòd non probè concoctus eſt, idemque impurus qualitate, & modo copioſus, & venæ omnes eum eliciunt & hauriunt à craſſis venis, vt Hippocrates ait, alimenti cauſa, & pro conſuetudine omnium corporis partium, nerui quoque, & oſſa, ſi firmiores & valentiores partes corporis ſint, illarum quas diximus facultatum ope & beneficio, eum ſuccum abſque excrementis ſincerum accipiunt. Sin vires excretricis facultatis ſint imbecilliores, iſta quòd corrupta & vitiata ſint, vehementer iactantur: &, vt ante diximus, minutatim influunt: & quocunque impetum ceperint, illic huius morbi domicilium ſedemque collocant. Ob hanc igitur cauſam, quando partes ſunt imbecilliores, tanto vehementius in eas defluunt, longoſque & triſtes affectus pariunt. nam è valentibus corporis partibus, propter ipſarū robur excrementa eijciuntur, & imbecillioribus conuerſo impetu inferuntur, cùm aliæ partes illæſæ remaneant ſuapte vi, vt dictum eſt.

### QVOMODO, SI VALENT SANIQVE SVNT OMNES ARTICVLI, *excrementa non excipientes, ea eijciunt: quæ paulatim collecta, magnos acreſq́ morbos committunt.* IX.

QVod ſi, vt mihi videtur, omnium corporis partium poteſtates firmæ ſint, vt eliciant illæ quidem ſuccum à cruditate crapularum ortum, verum quæ ſuperuacanea tamen ſunt, eijciant, omnes ſanè corporis articuli & partes valent: ſed cum pigritia tamen & moleſtia. Talia porrò excrementa, tametſi propter excreticis facultatis vim earum partium, nihil illa quidem influunt, attamen ſenſim & minutatim collecta, & in copiam exuberantia, magnos morbos tandem committunt, vt Hippocrates ait. *Paulatim enim*, vt ait, *collecta excrementa, & longinquitate temporis copia coaceruata, ad morbum duxere: quicquid autem forte eo tempore homines egerint, quo in valetudinem incidere, hoc accuſant quod accuſandum non eſt.*

DE



### DE PRAECAVTIONE MORBI. X.

NOs igitur quæ huius morbi cauendi cauſa facere oporter, dicamus: quæ ſanè verbo dicere facile eſt, re facere difficile & permoleſtum. Nam cùm contraria contrariorum remedia ſint, cauendæ ſunt continuæ cruditates: quod ſane non aliud eſt, quam tantum eſſe & bibere quantum commodè concoqui poteſt à ſtomacho: quando de ſententia Hippocratis verum verbum eſt *Si homo paulum bibit & paulum comedit, nullum ſibi morbum creat.* Et vt breui veráque oratione complectar, ſi quis comedit & bibit, quantum commodè concoquere poteſt, & accommodatum eius naturæ eſt ad facilitatem concoctionis, is nullam cruditatem vnquam ſubit. Ad eundem modum & alias cauſas huius morbi quas ſigillatim commemorauimus, cauere licet, quæ leuiores ſunt. Nam vt bibere & eſſe omnium maximè neceſſarium eſt, vt viuamus: ita reliquæ cauſæ tanto inferiores & minores eò cenſenda ſunt. Nam ſi homo nec edat, nec bibat fieri profecto non poteſt vt viuat. hiſque moderatè qui vtitur, atque adeo rectè ſibi propagat vitam. Aliæ autem cauſæ, quas antè diximus, ſi non adſint: tamen mortis efficientes non fuerint. Idcirco penuriæ earum facilior eſt conditio, quàm vel crapulæ vel edacitatis. Atque, vt exiſtimo, Hippocrates cum dixit, *Cibus, potus, labor, ſomnus, venus, mediocria:* rectè atque ordine iſta adiunxit, cùm cibos & potum præpoſuiſſet, vt maximè neceſſaria, reliquis ſubiunctis.

### QVOMODO ETIAM QVAE NON POTEST CONCOQVERE, STO- *machus requirit, quóque modo excitatur appetentia, edimúſque ac bibimus libenter.* XI.

SEd enim victus diſciplinam, vt ratio poſtulat, tenere, omnibus fere hominibus perdifficile eſt. etſi enim rectè natura ventriculum prouidit, qui omnibus cibum largiretur: attamen propter inſignem appetentiam, etiam quæ concoquere non poteſt, quoad refertus ſit, aſſumit: appetit enim natura quæ deſiderat, ad hanc partem corporis implendam, & æquandam, vt Hippocrates ſcribit, *& quæ vacua & inanis eſt in corpore, quos quatuor fontes nominauit: hac de cauſa libenter & comedimus & bibimus, vt ait, id cuius deſiderio tenemur.* atque hac de cauſa non poteſt concoquere: proindeque cruditates crebræ & aſſiduæ conſequuntur, quæ, vt diximus, morborum cauſæ ſunt. hinc etiam impletiones, & iſti affectus eueniunt: idcircoq́ opus aduerſus eos auxilio eſt, de quo etiam diſſeremus, viæ duces & aſtipulatores in his habentes doctos medicos.

### QVOMODO AD HAEC OMNIA CONFERT INANITIO. XII.

DIco igitur iſta omnia inanitione egere. nam, vt ait Hippocrates, *Quæcunque repletio parit, inanitio curat.* hæc enim repletionem & antequam naſcatur, naſci prohibet, & natam curat.

### DE VOMITV, QVOD QVE VTILISSIMVS EST, *multis rationibus.* XIII.

SEd ante omnia purgantia, tutiſſimum, à periculo remotiſſimum, & accommodatiſſimum ſtatuo eſſe vomitum. nam in alijs purgantibus, pro facultate & ſcientia medicorum, prodeſſe quidem licet, ſi probè notus ſit humor qui lædit: ſin malè notus ſit, offendere. *Si enim talia purgentur, qualia purgari oportet, vtile eſt, & faciles ferant: ſin minus, contra:* cùm præſertim ſtomachus ſit, ceu omnium fons & caput: ex eo autem & fons, & principium, & origo alimenti eſt & repletionis: ex eoque ſolent etiam naſci omnes ſucci. Itaque cùm repletus eſt, ex eo omnes deinceps corporis partes replentur: cùm inanitus, inaniuntur, dum & ipſæ penitus exhauriantur. nam ipſe auctor eſt omnium & ſalubrium & inſalubrium alimenti ſuccorum. Quia autem commune præceptum eſt in omnibus, cauſam aduerſariam ei cauſæ quæ incommodum attulit, inducere: idcirco alijs purgantibus antèpono vomitum. Vomitus enim non ſolùm ſtomachum & corporis partes, quæ ex eo alimentum acceperunt, purgat: ſed & ipſos humores.

### EXEMPLVM, QVOMODO CORPORIS PARTES OMNES CI- *bo replentur, & inanitione inaniuntur, quo etiam modo corpus omnem cibi humorem trahit.* XIIII.

ARbitror enim, quemadmodum pratum, quod omne in ſe genus arborum, ſtirpium & herbarum fert: & in cauo fontem aquæ ſcatentem habet, ſuo fonte quicquid in ſe eſt rigat, animat, & alit: quæ ſi modicè & pro eo ac ratio poſtulat humore nutriantur, alimenti cauſa ſui, bono habitu ſunt: verum copia in eis exuberante, multo humore redundantia, non conſeruant viriditatem; propter humoris copiam: cumque humor ex ijs vacuatur, quod vacuatur in cauum ſe recipit, vt fons, quod largitus eſt, poſtliminio recipiat: item & ventrem facere qui quidem omnibus eſt corporis partibus fons: in quo ſi repletio ſit, propterea quòd conſuetum alimentum non accipiunt ſolitæ corporis partes; eum refertum eſſe: ſi inanitio, rurſum eas inaniri, vt doctus cenſet Hippocrates. ait enim, *Vbi in ventriculum delapſus eſt cibus & potus, e ventre corpus eo fruitur, & cum fontibus repletur: verum vbi ven-*

*vbi venter inanitur, retrorſum humor redditur, quemadmodum & corpus accepit* : & rurſum, *Venter corpori omnium fons eſt, cum plenus eſt: verum vacuus, fruitur corporis tabe & conſumptione* : & rurſum, *Vbi comedit & bibit homo, ad ſe corpus elicit è ventre ex ſucco iam dicto, & fontes è ventre per venas trahunt, ſimilis humor ſimilem, & dilargiuntur corpori, quemadmodum in ſtirpibus è terra ſimilis humor ſimilem attrahit.*

### *QVOD VOMITVS NON MODO PRAECAVTIONIS GRATIA EST vtiliſsimus, ſed etiam in ipſo frequenter vigore morbi: quodq́; per eum vniuerſarum partium excrementa vacuantur.* XV.

HOrum enim cauſa, & præcautionis gratia, & purgationis excrementorum, etiam in ipſo fluxionis vigore ſæpenumero, vomitus omnium vtiliſſimus eſt. Nam quia vis illa cui prouiſio & procuratio attributa eſt excrementorum purgandorum, plurima eſt, cùm in ventre, in iecinore, in arterijs, in venis, tum vero etiam in ſingulis particulis: particulis tamen imbecillioribus, neceſſe eſt maiorem vim excrementorum colligi: eſtq; ſtomachus omnium quæ corpori accedunt & adijciuntur auctor, vt ante latius diſſeruimus: idcirco commodum & conducibile, & omnium optimum iudico, huiuſmodi inanitionem omnium iſtorum moliri per ſtomachi vomitum.

### *QVAS AD RES VOMITVS VTILIS SIT.* XVI.

H*As autem ad res*, vt Galenus dicit, *vtilis eſt vomitus, pituitam exinanit, caput leuat, qui auidius comederunt, & largius vino ſe ingurgitarunt, lædi prohibet. opitulatur & vomitus purgatio, corporibus immodicè obæſis, prodeſt & immoderatè emaciatis. Omnes affectus à fluxione profectos perſanare ſolet: ſed & vlcerationem renum, veſicæ, aliarum partium, & malum corporis habitum, & articulorum cauſas, ſic autem vomendum eſt.*

### *QVAE CVM VOMENDVM EST, COMEDENDA SVNT, quoq; pacto vomitus ciendus.* XVII.

PRimum quidem comeſſe oportet cibos varios & cuiuſque generis, exceptis duntaxat adſtringentibus, & ſiccis: ac cibos eſſe eos magna ex parte oportet dulciores: ſed ante omnia vt efficaciora ſumi debent, radiculæ, & ſalſamentum vetus: hæc enim neceſſaria magis ſunt: cæparum aliquantum, porrum, eruca, origanum, pinguis caro: (nec ſunt magnoperè mandenda:) amygdalæ etiã in mel tinctæ: vinum trium generum bibendum, ſed dulcius præoptandum. Cum ſic pro virili ederint & biberint, ad tertiam horæ partem expectandum, deinde aquam tepidam copioſam ex melle vbi biberint, vomant, digito inſerto, aut pinna, oleo irino aut cyprino delibutis: ac rurſum aqua tepida porrigenda eſt: vomantque eouſque dum ſola aqua reddatur. vbi ſatis vomuerint, vino vetere os colluant, ſalutis & cuſtodiæ dentium cauſa, & in loco tepido leuiter ambulent aliquandiu, deinde quieſcant: noctu pane ex vino diluto ſumpto, dormiant: poſtero die paulum comedant, nec valde frigida ſumant.

### *ALIVS MODVS HIPPOCRATIS DE VOMITV.* XVIII.

POrro iuxta Hippocratem, maxima ex parte hyeme vomendum eſt. *Oportet autem*, vt ait, *caldæ copioſa lotum hominem primum antè bibere dilutam potionem: deinde cibos cuiuſque generis promiſcuè ingerere, nec inter cibum bibere, nec à cibo, ſed ſe ſuſtinere tandiu, dum decem ſtadia peragrari poſſint: deinde vini tria genera commixta dare bibenda, auſterum, dulce, acidum: initio meracius, paulatim tamen & longo interuallo, deinde dilutius, crebrius, & largius. Qui autem conſueuit*, inquit, *his quotquot menſibus vomere, ſatius fuerit, ſi duobus deinceps diebus continentibus id faciat, quàm decimoquinto quoque die: quod tamen contrà nonnulli faciunt. Qui autem ad cibos*, inquit, *vomendos accommodati non ſunt, aut quibus non facile deſcendit aluus, his omnibus confert ſæpius die eſſe, & omne genus ciborum & opſoniorum variè apparatorum vorare: vinaq; duo vel tria bibere, ac ſic vomere.* Sed & de his ita ſcribit, *Qui homo ſapiat, eum reputantem quanti hominibus ſit valetudo, ſcire in morbis à ſua prudentia auxilium petere oportet.*

### *ALIVS MODVS ALEXANDRI.* XIX.

ALexander autem ita ſcribit, *Si igitur tibi paret, noxios humores vomitu purgandos eſſe, caue alia vtaris medicina, ſi vomitum concitare potes. Facile autem*, inquit, *innatabunt & reijcientur redundantia, ſi largè & ſæpius vino diluto vtaris. Nam mulſa, etſi vomitum mouet, veruntamen in his fugienda eſt. quandam enim occultam & inteſtinam intemperiem corpori affert. melius igitur feceris, ſi diluto tantum vino vtaris. Quòd ſi cum alijs, vitellis etiam ouorum, aut cremore ptiſanæ eum nutries, priuſquam vinum dilutum des, deinde aliquantum interualli facias, facile vomitum prouocabis.*

### *QVOMODO VOMITVS VTILISSIMVS, QVEMQVE CONCITARE non expedit, ſed alui inanitionem moliri.* XX.

AC iſte vomitus, & minimè moleſtus eſt, & maximè ſalutaris. Atque ita quidem, ſi æger ad vomitum accommodatus aptuſq; ſit, tractandus eſt, aut cogendus ſtomachus. nam vehementius vellicare & conuellere eum, id verò eſt appetitum ſubuertere. In ijs igitur ſatius eſt, materiam in aluum concitare. Nam qui humido & temperato cibo vſus ſit, prompte purgantibus materiam obtemperabit: ſenſim autem etiam per purgantia ſtomachus confirmandus eſt. Cum autem plurima commoda è vomitu proueniant, ad huius morbi præcautionem, omnibus ferè qui pedum morbo laborant.



### *QVOD VOMITV NON CONCITATO, ALVI PVRgatio confert.* XXI.

TVm altera ratio præcautionis eſt, ventris purgatio, ſi fieri poteſt quotquot menſibus, eaque ſimplex & moderata, cuius compoſitio talis eſt.

### *COMPOSITIO SIMPLICIVM PILVLARVM purgantium.* XXII.

ALoes pars vna, hermodactyli dimidium, glycaniſi aut cinamomi, quòd hermodactylus ſtomacho ſit infeſtus, dimidium: ſcammoniæ pulcherrimæ ſextans: ex ijs fiant pilulæ, denturque pro viribus, materiæ copia, & natura eius medicamenti, quod datur, & tempore. Quando autem cautionis gratia, diximus exiguo cibo vtendum, & potu, atque omnino probè concoquendum, itemque alia: nec tamen ita vt ratio flagitat, viuendi rationem & diſciplinam tenere facile eſt, velut antè diximus: quo factum eſt vt vomitu & purgationibus eſſet opus, vt de ijs diximus: ſed & homines, quia valent, interdum ea quæ perſcripſimus negligunt, ex quo & fluxio oritur: etiam dicendum eſt quid poſt fluxionem commiſſam faciendum eſſe videatur.

### *SI QVI PRAECAVTIONEM NEGLEXERINT, FLVXIOQVE oborta fuerit, quid faciendum.* XXIII.

IN prima morbi tentatiuncula, ſiue fluxionis, ſanguis mittendus eſt. ac ſi in dexterum pedem influit, dextri cubiti renalem venam incidito: ſin in ſiniſtrum, ſiniſtram pertundito: idque ita fiat quacunque hora. Quòd ſi ſtomachus cibum etiamnum continet, neque dum concoxit, euomere oportet, ne è miſſione ſanguinis naſcatur perpetua cruditas. hoc igitur ita facto, & fluxione ſuppreſſa, poſt biduum fere aut triduum, altero pede fluxione laceſſito, ad primam tentationem & commotionem rurſus ſic facito.

### *QVAE SIT RATIO VENAE SECANDAE IN PRIMA MORBI tentatiuncula, ad omnem humorem influentem.* XXIIII.

NAm ad primam commotiunculam nondum in venis ſanguis corruptus eſt. Qualis autem cunque noxius humor eum morbum committat, ſanguis mittendus eſt: quia qualiſcunq; eſt, certe in venis continetur, modo potius quàm qualitate nocens.

### *QVOMODO MAGIS LAEDVNT QVAM IVVANT VENAE ſectiones.* XXV.

TOto autem ſanguine corrupto, & fluxione patefacta, ſanguinis miſſio lædit, vt quæ humores multo magis laxet in partes eas in quas influunt: eoq; homine, tenui vtendum victu, ex intubo, vua, malo punico, cucurbita, oleribus, quæ quoq; anni tempore inueniuntur. Quòd ſi febris manifeſta eſt, etiam cremor ptiſanæ conuenit: ſin ſine febri eſt æger, etiam minutos piſciculos comedat, cæterum vino abſtineat.

### *QVOD VINVM NON MODO LAEDIT EOS QVI FLVXIONE LAborant, ſed etiam fluxionis cauſa eſt.* XXVI.

NAm vinum non ſolùm lædit eos qui fluxione infeſtantur, verumetiam vltro auctor fluxionis eſt. dicunt enim, ſi fieri poſſit, eos qui hoc morbo laborant, per totam vitam abſtemios eſſe oportere.

### *QVOD INEDIA LAEDIT BILIOSOS, DOLORES AVGENS, ITIDEM & valde humidus victus humidos, augens & ipſe fluxiones.* XXVII.

VErùm inedia cauenda: nam qui biliosi ſunt, eos vehementer offendit, cùm bilem acriorem reddat, & amplificationem dolorum afferat. Itidem non admodum humido victu vtendum. humor enim fluxiones auget, cùm ſuccos putrefaciat, & ad influendum impellat. miſſione autem ſanguinis, vt diximus, poſt fluxionem eſt ſuperſedendum, quòd humores laxare ſoleat; niſi ſi quis eius vſus eſt; cùm malum ſenuerit.

### *QVOD, SI NOTVM SIT FLVXIONEM A SOLO SANGVINE ORTAM eſſe, confert venæſectio.* XXVIII.

QVòd ſi planum ſit à ſolo ſanguine fluxionem ortam eſſe, & verum eius rei indicium ex his quæ ſub aſpectum cadunt, perſpicuè cognoſcatur, tunc ſecurè ſanguis mitti debet.

QVOD

### QVOD POST DOLORES, ET IN DOLORIBVS, PVRGANS MEDICAmentum prodeſt. XXIX.

VErùm in omnibus purgare oportet, ad abundantiam humoris exinaniendam, non ſolùm in declinatione, verumetiam in vigore. Sic enim conferre, & ipſi experimento comperimus, & de Hippocratis ſententia didicimus dicentis, *Cùm dolor eſt, medicamentum deorſum propinandum.*

### QVOD POST PVRGANS MEDICAMENTVM, SERVM LACTIS bibendum eſt, & quæ bibendi ratio ſit. XXX.

EOs porrò oportet qui id facere inſtituunt, poſt medicamentum, lactis bubuli ſerum bibere. ſic autem faciendum eſt: vbi ſerum ſecretum fuerit, bis aut ter feruefacito, portiunculam aceti inſtillans, vt quàm maximè ſeroſum euadat: deinde ſalis triti mittens circiter ſextulas duas, aut etiam plerunque eo amplius in ſingulas ſumptiones, dato ſeri quantum haurire poterit: & expleta purgatione quæ ex eo ſequitur, iterum dato, ſtomachoque hac purgatione defuncto liberatoque, tertiò item dato. Poſt vbi purgatio eorum vniuerſa deſierit (ea enim breui fit) cibus ſolidior porrigendus piſciculorum aut auium.

### QVOD POSTEA, QVI SIC PVRGANTVR, SEMEL THERIACAM bibant oportet. XXXI.

EOs autem opus eſt qui ſic purgantur, etiam ſemel bibere theriacam, inſtar ſeptem pilularum. Non enim ſolùm imbecillitatem à purgantibus ortam medicamentis emendat, verumetiam ad morbum conducit.

### QVOD EX HERMODACTYLI ANTIDOTO PVRGATIO AD OMNES humorum influxiones vtilis eſt. XXXII.

CÆterùm compoſitio eſt purgantis medicamenti, experimento nobis certo explorata & probata, quæ in omni humore datur, confectio videlicet podagrica, ex hermodactylo, quam pro viribus ægri metimur, & pro fluxionis concitatione & impetu, & copia humoris: ea quouis humore influente, adiumento eſt, vt certis experimentis didicimus. Hanc autem antidotum ante bimeſtre paratam habere oportet, aut minimum ante menſem, vt ſpecierum vis & natura in vnum corpus coaleſcat.

### EIVS CONFECTIO, ET QVANTVM DARI debet. XXXIII.

EIus autem apparatio talis eſt: hermodactyli vncia vna: cymini, pyrethri, ariſtolochiæ, agarici, ſij, zeduaræ, ſingulorum ſcriptula ſex: alypiadis ſcriptula totidem: maſtiches ſcriptula duo: ſtachyos, gentianæ, galangæ, ſingulorum ſcriptula duo: moſchi ſcriptula duo. dantur ſcriptula quatuor ex mulſa & ſcammonia, pro purgationis inſtituto. Atq; iſta omnium purgationum optima aduerſus fluxiones præbetur. Quòd ſi ſæpius fluxio fit à mera bile, & obſcura febris oriatur, tum iſtud medicamentum proficit.

### ALIA CATAPOTII COMPOSITIO. XXXIIII.

HErmodactyli vncia vna, glycaniſi ſextulæ tres, floris cinamomi ſextulæ duæ, ſenæ ſextulæ quatuor, mannæ vncia vna. arida ſcitè contundito, & macerato: deinde paulum cum ſcammonia feruefacito, & pro voto & viribus cuiuſque bibendum dato.

### ALIA PILVLARVM APPARATIO. XXXV.

HErmodactyli ſextula vna, aloes ſextulæ dimidium, maſtiches ſextulæ tres partes, croci grana tria, floris cinamomi ſextulæ quatuor partes, dacrydij, pro magnitudine fluxionis, & viribus ægri. facito pilulas, & dato.

### ADVERSVS EOS QVI DICVNT COMMODAS NON ESSE NEC vtiles purgationes, apologia. XXXVI.

NOnnulli tamen prædicant, purgationes non eſſe ſalutares, nec vtiles in huiuſmodi morbis: qui quidem medicæ artis officia ignorant. *Si enim qui iſta dicit, ſcit,* iuxta Hippocratem, *medicinæ inuenta multa & præclara eſſe, longo tempore excogitata, & reliqua inuentum iri: qui autem ijs abiectis & improbatis omnibus, alia via & ratione quærere inſtituit, ac ſe aliquid inueniſſe dicit, eum & falſum eſſe & falli: fieri enim non poſſe.* Si inquam iſta probe nouit, & reliqua quærit, rectè dicit: ſin ita ſuapte impulſi libidine, aut potius inſcitia & ignorantia, & animi prauitate, improbè & non verè loquuntur: qui enim cedo. Nam ſi medicinæ lex eſt, acceſſio & deceſſio: hæc autem mala procreat acceſſio humorum, profectò neceſſe eſt iuuentur purgationibus & victus diſciplina. Quòd ſi, vt ipſorum fert ratio, officiunt & lædunt purgationes, certè hoc malum ab acceſſione profectum non fuerit: & quandoquidem contraria contrariorum remedia ſunt, proderit edacitas, ingurgitatio & crapula, meraci hauſtus, alimenti copiæ, & alia omnia quæ adiectionis cauſæ ſunt. quòd maximè diſſentaneum eſt, cùm iſta ad valetudinis & ſalutis rationem minimè accommodata ſint.

QVOD



### QVOD SI SAEPENVMERO PVRGATIONES LAEDANT, in cauſa eſt medicorum imprudentia. XXXVII.

QVòd ſi reuera ſæpius purgationes offendunt, non eſt in eis offenſionis & noxæ culpa, ſed in medici imprudentia, qui humorem fluxionum auctorem internoſcere & purgare non potuerit. hæ enim purgationes non modò non proſunt, verumetiam magnoperè lædunt.

### SVPERVACANEVM ESSE VACATIONEM, SI ITA DIligens & accurata ſit ac tuta victus ratio, vt ex ea cruditas nulla ſequatur. XXXVIII.

SVperuacanee autē inanitio eſt, ſi vſqueadeo diligens eſt & emendata victus ratio, vt nulla ex ea ſequatur cruditas aut adiectio. atque iſta morbi præcautio eſt: ſed ſi ita non fiat, adhibeatur inanitio per vomitum & aluum, prouiſionis & præcautionis cauſa, vt diximus. Hæc autem niſi ita vt ratio poſtulat, fiant, aut niſi poſt fluxionem inſignis purgatio ſequatur cruciantis humoris, & viuendi ratio idonea cuſtodiatur, medicus prædicere debet dolores vehementes & diuturnos fore, inſomnias, nodos, clauditates idque maximè ſi magna copia fluxionis, præſertim craſſioris ſit: reuerſiones & recidiuas, morbi ingraueſcentes impreſſiones, motus difficultates.

### QVID EIS FACIENDVM QVI PVRGATIOnes non admittunt. XXXIX

QVi autem à purgationibus abhorrent (nam ſunt nonnulli ad eam rem timidiores, aut perſæpe etiam naturæ impulſu à purgationibus alieni ſunt) ijs neceſſariò clyſteres modicè calidi parandi ſunt, & medicamenta quæ vmbilicis imponuntur, ex eòque ἐπομφάλια vocantur, quæ ſuperpoſita vmbilico, aluum mouent: quod genus ſunt cyclamini ſuccus, elaterium, & alia quæ ventrem citant. Aggredi autem etiam in his oportet vnctiones diſcutiendi vim habentes, & modicas frictiones, & alia quæ excrementa à partibus fluxione infeſtatis exhaurire poſſunt. Sed & fugienda in his ſunt ea quæ reprimendi facultate prædita ſunt.

### SI VT RATIO POSTVLAT, PROCESSIT PVRGATIO, CONferre reprimentia medicamenta, partibus corporis fluxione vexatis adhibita. XL.

QVòd ſi, vt ratio poſtulat & oportet, purgatio proceſſerit, tum denique repellentia audacter adhibeto partibus dolentibus: cuiuſmodi ſunt, ſolanum, portulaca, ſedum, hyoſcyamus, intubus, papaueris folia, roſæ virides, mica hordeacea ex aqua macerata, aut adeò frigida ex panniculo impoſita, aut alio leni.

### QVAE VTILISSIMA SINT IMPOSITV, VSV comperta. XLI.

CÆterùm ante purgationem, aut etiam ſæpenumero poſt eam, ſi mediocris ſit dolor, braſſica etiam applicata benè facit perdiligenter trita, aut apij folia, aut duo iſta ſimul. Sunt etiam vtilia ex pane in aqua antè macerato, & ouorum luteo, & oleo roſaceo, & exiguo aceto, ſcitè pulchrèque in vnum commiſta & impoſita Porrò initio ante purgationem, vſu compertum habemus, mirum in modum valetudine hac liberare verbaſci folia ſic impoſita: hæc benè contuſa, in nouam ollam mitto, diligenterque operculata ardentibus imponito prunis, ollamque aſſiduè agitans & quatiens vſque eo in igne ſinito, dum opineris magnum ea ex igne concepiſſe calorem. deinde ea panniculo impoſita tam magno, vt vndique etiam gyro partium ſanarum aliquid attingat, quàm calidiſſima ferre æger poterit, tam maximè applicato. tandiu autem ſinito, dum calor ſuperet. deinde aliud ad eundem modum imponito, ac ſic cum iterū aut ter feceris ea deligato, & eam ex ijs inuenies leuationem, ſi rectè & diligenter feceris, vt admiraturus ſis. plus tamen adiumenti hoc adfert, cùm fluxio vel in pollicem, vel in alios pariter digitos illabitur. eſt & aliud auxilium in ijs qui aſperius cruciantur, quod & nos vtile eſſe vſu comperimus.

### ALIVD EX OLEO ROSACEO: ET ALIVD EX CVcurbita. XLII.

SVmito olei roſacei partes duas, aceti albi partem vnam: hæc feruefacito, & locum dolentem foueto quàm calidiſſimum ferre poterit: nam acetum eximiè diſcutit, & foramina aperit: & roſaceum penitus ingrediens diſcutit & lenit. Sed & cucurbiteæ viridis ramenta impoſita impensè adiuuant. quòd ſi vehementiſſimus ſit dolor, vt & impoſita nihil proficiant, nec poſſit æger dolorem ferre, hoc ceratum applicato.

### CERATI COMPOSITIO AD VEHEMENTISSIMOS DOLOres, quibus reliqua non proſunt impoſita. XLIII.

CERÆ vncia vna, croci ſextula, opij ſextulæ quatuor, roſacei quod ſatis ſit. maceretur autem opium & crocus in lacte vaccino: deinde bellè terrantur, & in vnum cogantur cum cera &

NN

oleo, fiátque ceratum: deinde in panno explicata, imponito quâ dolor ſentitur, vt etiam aliquid loci ſani amplectaris.

### *SEDATIS FLVXIONIS DOLORIBVS, IMPONENDVM ESSE quod διὰ χυλοῦ vocatur: deinde quod διὰ κρόκου: & tum demum medicamentum è palmulis.* XLIIII.

VBi fluxio ſedata erit, medicamentum διὰ χυλοῦ imponito: deinde ſuperante etiamnum dolore, declinante morbo, imponito quoq; medicamentum διὰ κρόκου. nam & hoc, vt ſcimus, pulchrè iuuat. & vbi in totum fluxio finem fecerit, medicamentum è palmulis adhibeto, quòd partibus quæ fluxione laborarunt, vim & robur addat.

### *ALIAE PILLVLAE PRAECAVENTES, QVAE PERSICAE appellantur, quóq; modo conficiantur.* XLV.

INuenimus autem & præcautionis gratia, multo vſu & experimento, pillulas cognomento Perſicas, bis ſingulis hebdomadibus, ternas ſumptas, purgare quicquid humoris illis diebus inhæſerit, & ſtomachũ quantum fieri poteſt conſeruare, ne cruditates gignat. tales autem ſunt, Caryophyllorum, floris cinamomi, ſingulorum ſextula vna: maſtiches, agarici, ſingulorum ſextula vna ſemis: floris lentiſci ſextula vna: ſtachyos, ſextulæ duæ: caſiæ ligneæ ſextulæ dimidium: carpobalſami & xylobalſami, ſingulorũ ſextulæ dimidium: ligni aloes ſextulæ duæ partes: caſiæ ſextulæ dimidium: trium ſantalorum ſextula vna: moſchi grana ſex: aloes ſextulæ dimidium: vini Cretici è Monembaſia, ad diluendum, quod ſatis.

### *PERORATIO.* XLVI.

HÆc ego diſſerui, placita artis, & ſcientiam hominum harum rerum prudentium ſecutus. Quod ſi quis præeunte diuino ſupernè auxilio, cum interceſſione immaculatæ deiparæ Virginis, rectè & inculpatè his quæ dixi vſus fuerit, propediem quod quærit, obtinebit, & magnam ex eo, deo iuuante, vtilitatem capiet.

# ARRIANI PERIPLVS PONTI EVXINI ADR. TVRNEBO INTERPRETE.

## *IMPERATORI CAESARI TRAIANO ADRIANO AVGVſto Arrianus S. D.*

TRAPEZVNTEM VENIMVS VRBEM GRÆCAM, VT XENOphon ille dicit, maritimam, Sinopenſium coloniam. Ac Pontum quidem Euxinum libenter illinc vnde tu & Xenophon aſpeximus. Aræ iam excitatæ ſunt, ſaxi tamen ſcabri, ac proinde literis quæ celatæ ſunt non ſatis planis & apertis. Græca inſcriptio etiam vitioſè ſcripta eſt, vt ab hominibus barbaris. Itaque decreui aras dicare ſaxi candidi, & inſcriptionem incidere literis inſignibus. Nam ſtatua tua ipſo quidem habitu bellè poſita eſt, cùm mare oſtendat, verùm opere nec tibi ſimilis nec ſatis honeſta. Quare eiuſdem habitus ſtatuam mittas cenſeo dignam nomine tuo. eſt enim locus ad perpetuam memoriam aptiſſimus. Templum de quadrato lapide factum eſt non inhoneſtum: niſi quod Mercurij ſignum neque templo neque loco dignum eſt. Si tibi videtur mitte ſimulachrum Mercurij quinque pedum, cuius moduli fano conueniet, vt mihi videtur, & alterum Phileſij quatuor pedum. Non enim ineptũ fuerit ſi in ijdem ſedibus & aris, quibus generis ipſius auctor, ponatur: ac qui fanum ingredientur alius Mercurio, alius Phileſio, alius vtriſque rem diuinam faciet: in quo & illi Mercurio & Phileſio gratũ facient, Mercurio quòd eius nepotem venerentur, Phileſio quòd ipſius auum honorent: velut & ego bouem hic immolaui, non vt Xenophon in vrnæ portu abrepto de plauſtro boue, victimarum inopia, ſed eximia à Trapezuntijs hoſtia parata. Ibidem de extis edimus, & ſecundum exta libauimus. Cui autem primo benè precati ſimus non ignoras, qui & animum noſtrum perſpectum habeas, & tibi ſis conſcius eſſe te dignum, cui omnes meritiſsimò bona optent minoribus etiam quàm nos à te beneficijs prouocati. Trapezunte ſoluentes eodem die ad Hyſſi portum adpulimus, & eius loci milites decurſione militari exercuimus. Eſt enim, vt ſcis, ſtatio illa peditum, equites numero ad viginti tantum ad miniſteria habet, quos etiam lanceas iaculari coegimus. Inde prouecti nauigabamus primùm auris, quæ ex fluminibus mane ſpirant, & remis vſi. nam frigidæ erant, vt Homerus ait, auræ, nec tamen celeriter nauigare volentibus ſatis idoneæ. Deinde tranquillitas ſecuta tanta eſt, vt ſola remigatione vteremur. Poſteà repentè nubes coorta, ab Auſtri parte rupta, atrocem flatum inuexit nobis aduerſum, quod vnum vel maximè nobis bono fuit. Nam breui ſic mare tumefecit, vt non ſolùm quà remi ſunt, verùm etiam extra remigium ſuper foros vtrinque magna vis aquæ infunderetur, quodq; Tragicus ſcribit, aqua hæc exhauriebatur, influebat alia. tamen obliquus non inferebatur fluctus, quo factũ eſt vt remis vix ægreq; eluctati procederemus. Sed tamen in tantis incommodis Athenas tandem aliquando venimus. Eſt enim locus etiam in Euxino Ponto huius nominis, vbi & Græcanicum Mineruæ templum, quæ mihi cauſa videtur fuiſſe ſic nominandi loci: & munitio quædam neglecta. Statio eſt quæ veris tempore non admodũ multa nauigia recipiat, & ab ijs Auſtrum defendat & Vulturnũ. Quin & ab Aquilone tuta fuerint nauigia illic ſtantia, nõ tamen à Septentrione, neq; Traſcia qui dicitur in Ponto, quem Græcia Scironem vocat. In noctem tonitru vehemens & fulgur tenuit, nec iam idem flatus, in Auſtrum conceſſerat, & paulatim ab Auſtro in Africum mutauerat. Itaq; non perinde nauibus ſtatio tuta erat. Proinde priuſquam ſæuiret mare quot Athenarum locus capere potuit ſubduximus, præter triremem, quæ tuto ſaxo ſubiecta in ſalo ſtabat. Reliquas viſum eſt in proxima littora dimittere quo ſubducerentur, itaq; ſubductæ ſunt, vt omnes ſaluæ & incolumes præter vnam fuerint, quam in appulſu ante tempus conuerſam fluctus tranſuerſam littori illiſit & fregit, nihil tamen ex ea deſideratũ eſt, non modò vela, armamenta nautica, homines, ſed ne claui quidem, etiam cera deraſa, vt nulla alia re quàm materia nauali ad ædificandum opus eſſet, cuius vberrimam copiam, vt ſcis, Pontus miniſtrat. Hæc tempeſtas biduum tenuit, ac manere neceſſe fuit. nam nec illas quidem Ponticas Athenas à nobis præternauigatas oportuit, vt deſertam & ſine nomine ſtationem. Inde prouecti ſub auroram obliquum fluctum experti ſumus. procedente autem die lenis Aquilo ſpirans mare placauit & quietum reddidit, ampliusque quingenta ſtadia emenſi ante meridiem Apſarum tenuimus, vbi ſeptem cohortes poſitæ ſunt. ibi ſtipendium dedi militibus, arma inſpexi, murum, foſſam, ægros, quantus commeatus. Quibus de rebus quid ſentiam literis Latinis ſignificaui. Apſarum autem aiunt olim Abſyrtum vocatum fuiſſe: illic enim Abſyrtum à Medea interfectum, cuius & ſepulchrum viſitur: poſtea ore accolarum barbarorum, vt multa ſolent, vocabulum corruptum eſſe. Nam & Tyana Cappadociæ olim Thoana nominata eſſe narrant de Thoantis Taurorum regis nomine, quem fama eſt Oreſtem & Pyladem perſequentem ad illa loca veniſſe, morbóque è vita migraſſe. Cæterum à Trapezunte flumina præteruecti ſumus Hyſſum, cuius gentilis eſt Hyſſi portus, qui à Trapezunte ſtadia centum octoginta abeſt, Ophin qui ab Hyſſi portu circiter nonaginta ſtadia diſtat, regionemq; Colchorum & Thiannices dirimit. deinde Pſychrum qui triginta ſtadijs ab Ophi diſtat. poſtea Calon pari à Pſycho interuallo. deinceps eſt Riſius fluuius centum viginti ſtadijs à Calo, à quo triginta Aſcurus alius fluuius, & ab Aſcuro ſexaginta Adienus, vnde Athenas centum octoginta ſunt ſtadia. Athenas Zagatis ſeptem ferè ſtadiorum ſpatio diſtans alluit. Athenis profecti Prytanim ſuperauimus quà regia eſt Anchiali. diſtat Prytanis Athenis 40 ſtadia. Prytanim ſequitur Pyxites interuallo 90 ſtadiorum. Inde ad Archabin par ſpatium. ab Archabi ad Apſarum 60 ſtadia. Apſaro profecti Acampſim noctu ſuperauimus, qui circiter 15 ſtadia Apſaro diſtat. ab Acampſi Bathys fluuius 75: à Bathy Acinaſis 90: ab Acinaſi Iſis totidem. Horum nauigabiles ſunt Iſis & Acampſis, qui antelucanas & matutinas emittunt auras ſanè acres. Ab Iſi Mogrum ſuperauimus: inter Mogrum & Iſin 90 patent ſtadia, eſtque Mogrus nauigabilis. Inde Phaſim inuecti ſumus ſtadia diſtantem à Mogro 90. Is omnium quos equidem nouerim fluuiorũ leuiſſimam aquam præſtat & coloris inſoliti. nam leuitatem non ſolùm pondere licet explorare, verùm etiã ex eo potius exiſtimare, quod non confuſo gurgite mari innatat: quemadmodum Homerus Peneo Titareſium ſuperfundi tradit, ritu pinguis oliui: ac innatanti aquæ vrna immerſa, dulcis aqua hauriebatur, altius demiſſa, ſalſa. quanquam totus alioqui Pontus dulcioris & mitioris ſaporis aquas habet, quàm quicquid extra maris eſt: cuius cauſa in fluminibus eſt, quorum nec numerus nec magnitudo iniri poteſt. Argumentum dulcedinis fuerit, ſi argumentis in eo eſt opus quod ſenſui patet, quod accolæ omnia pecora ad Pontum ſolent potum appellere, quæ & iucundè bibere cernuntur, & fama eſt eam aquam dulci ſalubriorem eis eſſe. Color Phaſidi eſt ceu aqua plumbo aut ſtanno tincta, ſed vbi ſubſedit puriſſima liqueſcit. Itaq; non ſolent innauigantes Phaſim aquam importare, verùm alueum ingreſſi, quicquid in nauibus aquæ habent, effundi præcipiunt. Sin minus opinio eſt qui hoc facere neglexerint infeliciter nauigare. Phaſidis autẽ aqua non corrumpitur, ſed ſincera & incorrupta amplius decem annos durat, tantum paulo magis dulceſcit. Phaſim inuectis ad læuam Phaſiana dea adiacet, quam de habitu Rheam eſſe conieceris. nam & cymbalum in manibus habet, & ſubſella leones, atque ita ſedet vt in fano matris Deorum illa Phidiæ Athenis. Hic etiam Argus anchora oſtenditur, ſed ferrea: vetus mihi non videbatur. quanquam non ea qua hodie noſtræ magnitudine eſt, & forma inuſitatior: tamen illo tempore recentior mihi viſa eſt. Alterius ſaxeæ vetuſtæ oſtendebantur fruſta, quas potius eſſe conijciam reliquias anchoræ Argus. Nullum aliud ijs in locis monumentum erat fabularũ quæ de Iaſone memorantur. Cæterum caſtellum in quo quadringentorum delectorum militum præſidium eſt, & natura loci muniſſimum eſt, & ſitus opportunitate aptiſſimum ad nauigantium tutelam, duplexque foſſa vtraque lata muro circundata eſt. ac ante quidem terreus erat murus turribus ligneis impoſitis, nunc ex latere coctili & murus perpetuus & turres ductæ: firmaque fundamentorũ ſubſtructio, & machinis diſpoſitis, omnibúsque rebus breui tempore ſic inſtructum eſt caſtellum, vt barbarum nullus ad id accedere, nedum ad obſidionis periculum deducere præſidium auſit. Sed & cum ſtationem tutam nauibus eſſe oporteret, & quæcunque extra munitionem incoluntur ab hominibus, qui emeritis ſtipendijs miſſione donati ſunt, & à nonnullis mercatoribus, mihi optimum factu viſum eſt, à duplici foſſa quæ murum ambit aliam ducere ad fluuium pertinentem, quæ & naualia & quicquid extra murum ædificiorum eſt complecteretur. A Phaſide Carientem fluuium nauium patientem præterijmus, hoc ſpatium 90 ſtadiorum eſt. Inde Chobum flumen innauigauimus, totidẽ ſtadijs confectis, quo claſſem applicauimus. Id quamobrem fecerimus, quidque illic geſſerimus Latinæ literæ te certiorem facient. A Chobo Singamem fluuium ſuperauimus nauigabilem: à Chobo abeſt circiter ducenta decem ſtadia. deinceps eum ſequitur Tarſuras interuallo centum viginti ſtadiorum: à quo Hippus centum quinquaginta ſtadia diſtat: ab Hippo Aſtelephus triginta. quo præterito ante meridiem Sebaſtopolim aduenimus, illis ab Aſtelepho 120 ſtadijs confectis, vt eodem die ſtipendiũ militi numerauimus, equos, arma inſpexerimus equites quos conſcendentes ſpectauerimus, ægros, frumentum, murum, foſſam obierimus. Stadia ſunt à Chobo Sebaſtopolim 630. Trapezunte Sebaſtopolim 2260. Sebaſtopolis Dioſcurias olim dicèbatur Mileſiorũ colonia.

Has gentes præterijmus. Trapezuntijs quemadmodū dicit Xenophon cōtermini ſunt Colchi, & quos eſſe dicit bellicoſiſſimos, & Trapezuntijs infeſtiſſimos, appellatq; Drillas, quos eſſe cenſeā Sannos. nam hodieque bellicoſiſſimi ſunt, & Trapezuntijs infeſtiſſimi, loca incolunt munita, non regnantur. olim Romanis ſtipendiū pendebāt, ſed latrocinij aſſueti penſiones non præſtant perpetuò. Sed nunc Dijs propitijs præſtabunt, aut nationē tollemus. His proximi Machelones & Heniochi, quorū rex Anchialus: quibus finitimi Zydritæ Pharasmani parent. Zydritas attingunt Lazi, quorū rex Malaſſas beneficio tuo regnū habet. Lazis propinqui Apſilæ, quorū rex Iulianus à patre tuo regnū conſecutus eſt. Apſilis finitimi Abaſci, quorū rex Resmagas à te regnū adeptus eſt. Quibus propinqui Sanigæ, vbi Sebaſtopolis condita eſt. Sanigarum rex Spadagas regno à te donatus eſt. Cæterū ad Apſarū ortū verſus legebamus Euxini dextrū latus. Apſarus mihi viſus eſt longitudinē Ponti finire. Inde enim curſum Septentrionem verſus fleximus ad Chobum vſq; flumen, & vltra Chobū ad Singamem. à Singame in læuū fleximus Euxini latus ad Hippū flumē. ab Hippo ad Aſtelephū & Dioſcuriadem Caucaſum montē videbamus Alpes Celticas altitudine æquantem. ac vnū oſtendebatur Caucaſi cacumen nomine Strobilus, vbi Prometheū Iouis imperio à Vulcano ſuſpenſum fuiſſe fabula eſt. Cæterū à Boſphoro Thracio ad Trapezuntem hæc ferè ſunt. Iouis Vrij templū Byzantio diſtat 120 ſtadia: quà arctiſſimū eſt os Ponti quod dicitur, & Propontidem irrūpit: iſta tibi narro ſcienti. à fano dextrá legenti oram Rhebas fluuius occurrit, ſtadijs à fano Iouis 90. deinde promontoriū Melan quod dicitur 150. à Melane ad Artanem fluuiū, vbi ad Veneris fanū ſtatio idonea eſt paruis nauigijs, alia ſunt 150 ſtadia. ab Artane ad Pſilim fluuium 150: ac nauigia parua ad eminentem illam petram non longè à fluuij oſtio commodos appulſus habuerint. Inde ad Calpes portum 210 ſtadia. Calpes autem portus qui locus ſit, quæ ſtatio, quod irriguus ſit perenni fonte frigidæ & puriſſimæ aquæ, quod materia nauali ad mare abundet, quod ſiluæ ipſæ feras habeant, Xenophon ille ſenior memorauit. A Calpes portu ad Rhoem ſtadia 20. vbi paruis eſt nauigijs ſtatio. à Rhoe ad Apolloniam inſulam paruam à continente non longè remotam totidem. Sub inſula portus eſt. Inde Chelas ſtadia 20 à Chelis ad oſtiū quo in Pontum Sangarius euoluitur 180. Inde ad oſtia Hippij altera 180. ad Lillium autem emporium ab Hippio 100. à Lillio ad Elæum 60. Inde ad Caletem aliud emporium 120. à Calete ad Lycum fluuiū 80. à Lyco ad Heracleam vrbem Græcam Megarenſiū coloniam ſtadia 20. Heracleæ nauibus ſtatio eſt. ab Heraclea ad Metroum quod vocatur ſtadia 80. Inde ad Poſidæum 40. atq; illinc ad Tyndaridas 45. quindecim inde ad Nymphæum: & à Nymphæo ad Oxinam fluuiū 30. ab Oxina ad Sandaracam 90. Sandaraca ſtatio nauibus eſt paruis. Inde ad Crenidas 60. & à Crenidis ad Pſyllam emporiū 30. illinc ad Tium vrbem Græcam Ionicam Mileſiorū & ipſam coloniam mari appoſitam 90. à Tio ad Billæū fluuiū 20. à Billæo ad Partheniū fluuiū centum. Hactenus Bithyni Thraces tenent, quos in hiſtoria Xenophon memorat bellicoſiſſimos omniū Aſiæ populorū, multiſq; incommodis & malis exercitū Græcorū illis in locis conflictatū eſſe refert digreſsis à Chiriſophi & Xenophontis manu Arcadibus. deinceps iā Paphlagonia. à Parthenio ad Amaſtrim vrbem Græcam ſtadia 90. vbi nauibus ſtatiua. inde ad Erythinos 60. & ab Erythinis ad Cromnam altera 60. illinc ad Cytorum 90. Cytoris ſtatiua nauigijs. à Cytoris ad Ægialos 60. ad Thymena 90. & ad Carambin 120. Cæterùm à Zephyrio ad Aboni teichos paruum oppidum 150. ſtatio nauibus malè fida: vbi tamen innocuæ quieſcant modò non atrox tempeſtas cōcitetur. ab Aboni teiche ad Æginetim altera 150. hinc ad Cinolim emporiū alia 60. Cinoli idoneo anni tempore naues in ſalo ſtare poſſint. à Cinoli ad Stephanem 180. vbi tuta nauibus ſtatio. à Stephane ad Potamos 150. Inde ad promontorium Leptem 120. à Lepti promontorio ad Harmenem 60. ibi portus: & Harmenæ Xenophon meminit. inde ad Sinopem ſtadia 40. Sinopenſes Mileſiorum ſunt coloni. à Sinope ad Caruſam 150. ibi naues in ſalo ſtare poſſunt. inde ad Zagora alia rurſum 150. Hinc ad Halym fluuiū 300. hic fluuius olim terminus erat regni Perſarū & Crœſi, nunc ſub Romanorū imperio fluit, non vt Herodotus ait à meridie, ſed ab oriente ſole. qua autē in Pontū illabitur, agros Sinopenſiū & Amiſenorū diſterminat. Ab Haly flumine ad Nauſtathmū ſtadia 90. vbi & lacus eſt. Inde ad Conopeū alium lacū alia rurſum 50. à Conopeo ad Euſenē 120. inde ad Amiſum 160. Amiſus vrbs Græca eſt Athenienſiū colonia mari appoſita. ab Amiſo ad Anconem portū, quà Iris in Pontū influit, ſtadia 160. ab Iris oſtio ad Heracleū 360. ibi ſtatio nauibus. Inde ad Thermodontē fluuiū 40. hic Thermodon eſt quē accoluiſſe Amazones ferūtur. à Thermodonte ad Berim fluuiū ſtadia 60. inde ad Thoarim fluuiū 60. à Thoari ad OEnoem 30. ab OEnoe ad Phigamuntem fluuiū 40. inde ad Phadiſanem caſtellū centū quinquaginta. inde ad Polemoniū vrbem ſtadia decem. à Polemonio ad promontoriū Iaſoniū quod vocatur ſtadia 130. inde ad Cilicū inſulam 50. à Cilicū inſula ad Boona 75. Boonis ſtatio nauibus eſt. illinc ad Cotyora 90. huius vt vrbis Xenophon mentionē facit, traditque Sinopenſiū eſſe coloniam, nunc vicus eſt, ac ne is quidē admodū magnus. à Cotyoris ad Melanthiū fluuiū ſtadia circiter 60. inde ad Pharmatenū alium fluuiū 150. illinc ad Pharnaceā 120. hæc Pharnacea olim Ceraſus vocabatur, Sinopenſiū & ipſa colonia. inde ad Arretiadem inſulā 30. atq; inde ad Zephyriū 120. vbi ſtatiua nauigijs. à Zephyrio ad Tripolim 90. ſtadia. inde ad Argyria 20. ab Argyrijs ad Philocaleā 90. inde ad Coralla centū. à Corallis ad ſacrū montem 150. à ſacro monte ad Cordylā 40. vbi nauibus ſtatio eſt. à Cordyla ad Hermonaſſam 45. atq; ibi etiā ſtatio eſt. ab Hermonaſſa ad Trapezuntē 60. vbi tu portū facis. nam antea ſtatiuū modò erat, cuius ſalo idoneo anni tempore nauigia reciperentur. à Trapezunte ad Dioſcuriadem ſpatia fluminibus dimenſa iam diximus: atq; in aſſem à Trapezunte ad Dioſcuriadem quæ Sebaſtopolis hodie vocatur ſtadiorū duo millia ducenta ſexaginta colliguntur. hæc ſumma locorū eſt eorū quæ à Byzantio dextra nauigantibus ad Dioſcuriadem numerantur, quo limite definit Romanū imperiū dextra pontū innauigantibus. Sed quoniā accepi Cotym regem Boſphori Cimmerij exceſſiſſe è vita, dedi etiam operam, vt tibi nauigatio tota ad Boſphorū vſq; explicata eſſet, vt ſi quid forte de Boſphoro deliberares, non ignorata nauigatione ſtatueres. Igitur à Dioſcuriade profectis primū ſtatiuū erit Pityunte quod ſtadia diſtat 350. hinc ad Niticam ſtadia ſunt 150. vbi quondā natio quædā Scythica habitabat, cuius Herodotus hiſtoricus meminit, qui & eos homines dicit pediculis veſci: nam hodieq; de eis hæc fama obtinet. à





Nitica ad flumen Abaſcum ſtadia 90. Borgys autem Abaſco diſtat 120. & Neſis Borgy, quà & Heracleum promontorium habet, ſtadia 60. à Neſi ad Maſaiticam ſtadia 90. inde ad Achæuntem 60. quod flumen Zinchos & Sanichas diſterminat. Zinchorum rex eſt Stachemphax, qui & beneficio tuo regnum adeptus eſt. ab Achæunte ad promontorium Heracleum 150. Hinc ad promontorium quod Thraſciam & Aquilonem defendit 180. inde in veterem Lazicā 120. dehinc in veterem Achaiam 150. hinc ad Pagræ portum 350. à Pagræ portu ad ſacrū portum 160. inde in Sindicam 300. à Sindica ad Boſphorū Cimmerium & oppidū Boſphori Panticapæū 540. inde ad flumen Tanaim 60. qui Europam ab Aſia dirimere dicitur: atq; per Mæotidem paludem lapſus in Euxinum influit. quanquā Æſchylus in Prometheo ſoluto, Phaſim Europæ & Aſiæ limitem facit. Itaq; apud eum Titanes Prometheo dicunt, vincla Prometheu pœnáſq; tuas Viſere in iſtas venimus oras. deinde percenſent quantū terrarum peragrauerint, Nos hinc geminū montem Europæ Ingentem, Aſiæ hinc Phaſim finem. Mæotidis autē paludis nauigatio qua cingitur ſtadiorum circiter nouem milliū. Cæterùm à Panticapæo vrbe ad vicū Cazecam mari appoſitū ſtadia ſunt 320. inde ad Theodoſiā vrbem vaſtā 280. Hæc olim Græca vrbs erat Ionica Mileſiorū colonia, ac multis ſanè in literis eius memoria eſt. hinc ad portū Scythotaurorū deſertum 200. atq; inde ad Halmitidem Tauricæ regionis 600. à Lampade ad Symboli portū Tauricū & ipſum ſtadia 520. hinc ad Cherroneſum Thauricam 180. à Cherroneſo ad Cercinetim 600. à Cercinetide ad pulchrum portū, qui & ipſe Scythicus eſt, alia ſeptingenta. à pulchro portu ad Tamyracā 300. intra Tamyracam lacus eſt non magnus. inde ad emiſſariū lacus alia 300. ab Emiſſarijs lacus Eones ſtadia 380. Inde ad flumen Boryſthenem 150. ad Boryſthenem in mediterranea nauiganti vrbs Græca ſita eſt Olbia nomine. à Boryſthene ad inſulā paruam deſertā & nomine carentem 60. hinc Odeſsū 80. Odeſsi ſtatiua nauibus ſunt. ab Odeſſo ſequitur Iſtrianorum portus ſtadiorum 250 interuallo. Huic proximus eſt Iſiacorū portus 50. ſtadiorū ſpatio. Inde ad os Iſtri quod Pſilū vocatur, 1200. quæ interſunt & vaſta & ſine nomine omnia. Ad iſtud caput rectà velificanti ſeptentrionibus in pelagus inſula adiacet, quam alij inſulam Achillis, alij curſum Achillis, alij Leucā ex colore nominant. Hanc dicitur Thetis filio edidiſſe, eamq; Achilles dicitur incolere, atq; in ea eſt Achillis fanum, & ſignum antiqui operis. Inſula autem eſt illa quidem ab hominibus deſerta, verùm à paucis tondetur capris, quas qui eò appellunt Achilli conſecrare narrantur. Ac in templa multa alia munera dicata ſunt, phialæ & annuli & gemmæ pretioſiores: hæc omnia gratulationis ergo Achilli dicata ſunt. ſed & epigrammata partim Latina, partim Græca, alio atq; alio verſus genere, in Achillis, quædam etiā in Patrocli laudem. Nam & Patroclum venerantur cum Achille, quicunq; Achilli gratum facere cupiunt. Aues autem plurimæ in inſula ſtabulantur, fulicæ, mergi, cornices marinæ, quas aues numero comprehendere non ſit. Aues hæ Achillis fanum colunt. mane quotidie ad mare deuolant, deinde imbutis & madefactis mari alis, ad fanum celeriter reuolant, ædemq; aſpergunt: quod vbi ritè fecerunt, tum ſolū munditias facientes euerrunt alis. Tradunt eos qui ad ipſam applicant, ſi eò dedita opera nauigent, hoſtias in nauibus afferre: quarū partim immolent, partim Achilli liberas dimittant. Cæterùm qui tempeſtate eiecti inferuntur, eos ab ipſo Deo victimā petere, de victima eum conſulentes, optimumne ipſis ſit factu ſacrificare quamcunq; paſcentem pecudem delegerint, pretiúmq; ſtatim eos repræſentantes quod æquum videatur ipſis: oraculo negante (eſſe enim in templo oracula) pretio adijci, adhuc vetante etiamnum addi, concedente oraculo intelligere ſatis mercedis eſſe. victimam autem mox ſponte ſua præſto eſſe ſtareq;, neq; iam fugere. Ita magnam vim pecuniæ ex hiſtoriarum pretio heroi conſecratam eſſe. Sed & Achillem in ſomnis videri ijs qui ad inſulam appelluntur, ſed & nauigantibus vbi non longo ab ea ſpatio diſtant, ac denunciare in quam inſulæ partem commodior ſit appulſus, & vbi melior ſtatio. Alij narrant ſibi vigilantibus apparuiſſe Achillem in malo aut cornu antennæ, vt Caſtores: tantum hoc inferiorem eſſe Caſtoribus Achillem, quòd Caſtores omnibus qui vſquam locorum nauigant clari illuſtresque cernuntur, & conſpecti ſalutares ſunt, Achilles tantum inſulæ iam appropinquantibus. Alij etiam commemorant ſibi viſum in ſomnis eſſe Patroclum. hæc ego de inſula Achillis ſcripſi fando audita ex ijs qui vel ad eam acceſſerunt, vel de alijs audierunt, nec mihi incredibilia videntur eſſe: præſertim cùm Achillem imprimis adducar, vt ſi quem alium, Heroem eſſe credam, perſuaſus, & eius nobilitate, & formæ dignitate, & amici virtute, & eius ex hominum vita iuuenis exceſſu, & Homeri in eum poemate, & in amores propenſione, & ſodales ſtudio, adeo vt ſuis amoribus & delitijs ſuperſtes eſſe diutius recuſarit. Ab Iſtri oſtio quod Pſilum vocatur, ad alterum oſtium ſtadia ſunt 60. Inde ad oſtium quod pulchrum dicitur 40. à pulchro ad Naracum quartum Iſtri oſtium, quod ſic appellatur 60. inde ad quintum 120. vnde ad vrbem Iſtriam 500. inde ad Tomos vrbem 300. à Tomis ad Callantram vrbem alia 300. vbi nauibus ſtatiuum eſt. Illinc ad Carum portum 180. terra quæ portum cingit Caria vocatur. à portu Carum ad Tetriſiadem ſtadia 120. inde Bizum locum vaſtum & deſertum 60. Bizo Dionyſopolim 80. inde Odeſſum 200. hic nauibus ſtatiuum eſt. Odeſſo ad Æmi radices, quæ in Pontum deſcendunt 360. atque hic etiam nauibus ſtatio eſt. ab Æmo Meſembriam 90. hic nauibus eſt ſtatio. Meſembria Anchialum 70. Anchialo Apolloniam 180. hæ omnes vrbes Græcæ ſunt, in Scythia conditæ, ad læuam Pontum innauiganti. Apollonia ad Cherroneſum ſtadia 60. nauibus ſtatio. A Cherroneſo ad Aulæi teichos 250. inde ad Thyniadem oram 120. à Thyniade Salmydeſſum 200. Huius loci mentionem facit Xenophon ſenior, & eò vſque exercitum Græcorū dicit progreſſum eſſe, cuius dux erat, quando poſtremò cùm Seuthe Thrace militauit: ac de loci importunitate multa retulit, eò ſcilicet nauigia tempeſtate iactata eijci, finitimóſq; Thracas inter ſe de naufragijs dimicare. à Salmideſſo in Phrygiam ſtadia ſunt 330. inde ad Cyaneas 320. hæ Cyaneæ ſunt quas poetæ dicunt olim errabundas fuiſſe, per eáſque primam Argonauim curſum tenuiſſe, quæ Colchos Iaſonem vehebat. à Cyaneis ad fanum Iouis Vrij, qua Ponti òs eſt, ſtadia 40. inde ad portum Daphnes cognomento furioſæ 40. à Daphne Byzantium 80. Hæc etiam itineris ſumma eſt à Boſphoro Cimmerio ad Boſphorum Thracium, & vrbem Byzantium.

# OPPIANI DE VENATIONE LIBRI IIII. ITA CONVERSI AB ADR. TVRNEBO, VT SINGVLA VERBA SINGVLIS RESPONDEdeant. In eorum gratiam qui Græca cum Latinis coniungere volunt.

## OPPIANI DE VENATIONE LIB. I.

*Tibi fortunate cano, terræ illuſtre præſidium,*
*Lumen martiorum amabile Romanorum,*
*Auſonij Iouis dulcis ſtirps, Antonine,*
*Quem magna magno procreauit domina Seuero,*
*Beato nupta, & beatum enixa,*
*(Sponſa præſtantiſſimi mariti, puerperáq; pulcherrimi partus,*
*Aſſyria Venus, & non deficiens luna,)*
*Nihilo inferiorem Iouis Saturnij prole.*
*(Propitij ſitis Titan Phaëthon, & Phœbus Apollo)*
*Quem quidem pater magnis cum formaſſet palmis,*
*Conceſſit vt haberet omnē tellurem, totúmq; mare.*
*Tibi enim floreſcens parturit almus ager,*
*Rurſumq; tranquillū paſcit inſignia genera mare:*
*Tibiq; omnes fluunt ab Oceano amnes,*
*Lætéq; ridens currit illuſtris Matuta. (niſſe:*
*Tibi equidem velim venationis nobiles artes ceci-*
*Iſtud mihi Calliope imperat, iſtud Diana ipſa.*
*Audiui, vt fas eſt, diuinam audiui vocem:*
*Et deæ reſpondi viciſſim: prior autem me ſic compellauit:*
*D. Surge ſis, & aſperam ingrediamur viam,*
*Quam mortalium nondum quis ſuis calcauit carminibus.*
*P. Faue veneranda dea: quæ in animo tuo agitas,*
*Nos ſub noſtra humana eloquemur oratione.*
*D. Nolo triennalem te nunc montanum Bacchū canere,*
*Non choreas Aonij ad gurgites Aſopi.*
*P. Mittam, vt imperas, Bacchi celebrare nocturna ſacra:*
*Perſæpe duxi choreas Thyonæo Libero patri.*
*D. Ne genus heroū dicas, ne nauigantem Argū,*
*Neque prælia hominum, ne mihi funcſtum Martem canas.*
*P. Non dicam bella, non Martis facinora pernicioſiſſima.*
*D. Noui Parthorúmq; clades, & Cteſiphontem:*
*De bellis nefarijs taceto ac relinque ceſtos.*
*Odi quos dicunt luſus marinæ Veneris.*
*P. Audiuimus te, diua, nuptiarū expertem eſſe.*
*D. Cane pugnas & ferarū, & virorū venatorū:*
*Cane genera canum, & equorum pernices cœtus,*
*Conſilia ſolertia, indaginis ſagacis & quæſtuoſæ of-*
*Odia mihi ferina dicito, amicitias canito, (ficia:*
*Et thalamos in montibus lachrymis carētis vene-*
*Et partus inferis obſtetrice carentis nixus. (ris,*
*P. Huiuſmodi iuſſa Iouis magni filiæ:*
*Audiui, cano. vtinā autem mittā collineatū carmē.*
*At tu qui ab oriente ad Oceanum vſq; imperas,*
*Placide ambroſijs ſub ſupercilijs tuis renidens,*
*Dextram præbe manſuetā, felicitatis largitricem*
*Terræ, & vrbibus, & de pſpera venatione verſibus.*
*Triplicem venationem deus conceſſit hominibus,*
*Aëriam, terreſtrem, & marinam amœnam:*
*Verum non par labor. nam qui tandē paria fuerint,*
*Piſcem trepidantem è gurgitibus eduxiſſe,*
*Et paſſis volantes alis aues è cœlo traxiſſe,*
*Aut cum feris cruentis in montibus certaſſe?*
*Sed tamen nec piſcatori, nec vtcunq; aucupi*
*Venatio citra laborem: at laborē vnà oblectatio ſe-*
*Sola, & labor nullus: at incruenti ſunt. (quitur*
*Nempe ille ſcopulis inſidens littoreis*
*Flexis calamis, & hamis ſæuis*
*Intrepidus piſcator impedijt ſolertem piſcem:*
*Oblectatio verò (eſt) quando ferro ſubter malis cōfixum*
*Perquam ſublime emicantem ſuper æquora frementem*
*Marinum tollit per aërem ſaltatorem (piſcem.)*
*Iam verò aucupi labor iucundus (eſt.) quippe ad venationem*
*Non enſem, non falcatum gladium, non ferreas haſtas ferunt.*
*Sed ipſos ad ſyluas comes ſequitur accipiter,*
*Et longæ funes, humidúmq; mellei coloris viſcus,*
*Quique aëriam calami calcant viam.*
*Ecquis hæc auſit dicere paris momenti?*
*Aut regi leoni quis aquilam opponat?*
*Cum veneno autem pardorū quis murænā cōparet?*
*Aut thoas cum accipitribus, aut rhinocerotas cum echinis?*
*Aut larū cum capris, aut cete omnia cū elephanto?*
*Venatores lupos interfecerunt, thynnos verò piſcatores:*
*Prædatores oues, columbas ceperunt calamis aucupantes:*
*Vrſum venatores, & mormyrum piſcatores:*
*Tigrin autem equites, & mullos piſcatores:*
*Aprum veſtigatores, & luſcinias viſco fallentes.*
*Verum tu mihi Nereu, & dij Amphitrites,*
*Et aues amantium Dryadum cœtus propitij ſitis.*
*Quippe viciſſim me charæ vocant camœnæ:*
*Dijs ferarum vaſtatoribus conuerſus eo cantatum.*
*Primū quidem adoleſcentes ne mihi valde obeſi ſunto.*
*Etenim inter ſcopulos conſcendere valde ingentem equum*
*Opus neceſſarium (eſt:) opus porrò foſſam ſaltu ſuperare:*





*Sæpenumero etiā in nemoribus neceſſe ferā ſectari,*
*Vt pedibus agilem & leuibus artubus.*
*Itaque ne obeſi ad venationis certamen eant,*
*Ne quid graciles. etenim aliquando dimicare*
*Cum feris bellicoſis neceſſe multū venantē virum.*
*Proinde mihi corpore ſic tēperati eant (venatum,)*
*Vtrunq; & veloci ad currendū, & forti ad dimi-*
*Quinetiā dextra quidē vibrēt iacula (candū*
*Gemina longa: enſem autē falcatū in medio cingu-*
*Quippe feris amarum dolorem pararint, (lo.*
*Et aduerſus improbos tulerint præſidia viros.*
*Læua autem pedes quidem ducat canes, eques verò*
*Equorum regat moderatrices habenas.*
*Expeditè autē tunicā & genuum tenus aſtrictam*
*Geſtet, connectatur autem alternis loris:*
*Ceruicis deinde ex vtraq; parte pendulū è manibus*
*Palliū conſtrictū habeat pone, validos ſup humeros*
*Faciliorem ad laborem: nudis autē pedibus adeant*
*Illi quibus veſtigia curæ ſunt notatu difficilia fera-*
*Vt ne feris ex oculis ſomnum adimat (rum:*
*Strepitus eorum qui teruntur pernicibus pedibus calceorum:*
*Nec vero palliū habere multo ſatius eſt: quia palliū*
*Sæpenumero motum flatu increbreſcentis venti,*
*Feras perterrefecit: exilierunt autem ad fugiendū.*
*Sic quidem bene ornatum habuerint velox corpus venatores.*
*Tales enim amat Diana iaculatrix.*
*Aliàs autē alio tempore in feras proficiſcantur,*
*Die ineunte, & die cadente, (tenebris*
*Et medio, nōnūquā veſpertino, nonnunquā etiam*
*Feras ſub radijs lunaribus domuerunt.*
*Aurora quidem tenditur vtilis venatori*
*Omnis ſerena ad perpetes curſus,*
*Vere frondoſo, & folia decutiente autumno.*
*Egregiè enim ſunt & equis, & hominibus,*
*Et canibus ſæuis, ad currendum moderata tempora:*
*Vere aureo, gelidarum nubium expulſori,*
*Quando nauitis apertum eſt nauigantibus mare,*
*Alba pandentibus veliuolarū armamenta nauium:*
*Quando terra hominibus ſtirpes colētibus gaudet:*
*Quando & calycibus & floribus nodos ſoluit:*
*Aut rurſus extremis autumnalibus cōuerſionibus,*
*Quando domus floret fructus legentis agricolæ,*
*Fructus Mineruæ fœcundū quando alucum implet,*
*Et vua vitium premens prælum gaudet.*
*Aluearia apum quando floridi faui premunt.*
*Hyeme autem media, medio die venatum eas:*
*Cùm aliquis in ſyluis ſub antrum ſe recipiens*
*Fomitibus collectiſq;, & breui flamma cumulata*
*Prope ignem recumbens, parauit prandiū lignator.*
*At æſtate oportet vitare flammeas minas,*
*Incrementumq; ſolis: iubeo autē in certamē venire*
*Primum ſub diluculum, quando mane ruſtici*
*Temonem ſubter ſub affabrefacta ſtiua*
*Terram proſcindens iuuencis aptant aratrum:*
*Aut rurſum veſperi, quando ſol iuga flectit,*
*Quando dant ſignum ſuis gregibus paſtores,*
*Cùm vadunt ad ſua rurſum ſtabula*
*Graues mammiſq;, & vberibus exundantes:*
*Qui autem à lapideis vſque prodeunt ſeptis*
*Omnes circum ſuas charas laſciuiunt matres:*
*Nempe circū formoſas oculos iuuencas truces vituli*
*Cæterum circum corniger as oues balantes agni,*
*Circumq; capras hœdi, & circū equas veloces equu-*
*Iam verò tot ferant ad montes ſaltuſq; (lei.*
*Adminiſtratores ſtrenui venationis illuſtris inſtru-*
*Armaq; venaticā multū ſpirantia cædē (menta,*
*Caſſes, nexiliáque vimina, ingentemque panthera,*
*Retiáque, varróſque, laqueorúmque triſtes nexus,*
*Spiculum triſulcum, lanceam capitatam,*
*Telum leporarium, haſtiliáque & pennatam velocem ſagittam,*
*Enſes, ſecureſq;, leporum interfectoremq; triden-*
*Vncinos curuos, plumbo vinctoſq; annulos, (tem*
*Spartæum funem, beneque textam pedicam,*
*Nexúſque, vallóſque, maculoſáſque plagas.*
*Equos autē venatū inprimis generoſos ducant,*
*Mares: non ſolùm quòd deteriores ſunt pedibus*
*Fœminæ, ad peragendū longū curſum in ſaltibus:*
*Verùm quòd vitare neceſſe eſt cubilis amantem animum*
*Equorum velocium, equam autem procul tenere,*
*Vt neque hinniant cupidi coitus,*
*Atque audientes planè, triſtem fugam ineant*
*Hinnuli, capreæque veloces, & timidus lepus.*
*Equorum autem varia genera, quot nationes infinitæ hominum, (bus*
*Quot mortalibus genera diuiſa ſunt fruge veſcenti-*
*Verum tamen dicam qui inter omnes præſtantes (ſunt,)*
*Quique equeſtribus excellunt pugnis:*
*Tyrrheni, Siculi, Cretenſes, Mazaces, Achæi,*
*Cappadoces, Mauri, Scythæ, Magnetes, Epei,*
*Iones, Armenij, Afri, Thraces, Arabes.*
*Equum autem inter omnes egregium obſeruarunt*
*Periti curriculorū circenſiū, & armentorū cuſtodes,*
*Forma qui huiuſmodi toto corpore ornatus eſt:*
*Argutum ſuper ceruicem arduum altè caput*
*Tollat, ingens ipſe qui ſit teretibus membris,*
*Alto capite: extrema autē mala verſus collū vergat:*
*Latum ſit lætumque ſuperciliorum diſcrimen: ex temporibus autem*
*Circū frontem comarum crebræ alludant capronæ*
*Oculus acer, flammeus, palpebrarum ſuggeſtu truculentus,*
*Patulæ nares, os autem latum, aures breues,*
*Curuum collum ſic ceruicem habentis hiſpidā equi,*
*Vt cùm crinita iuba nutat galea:*
*Amplum ſit pectus, longum corpus, lata terga,*
*Et ſpina duplex in medio coxas opimas reddens:*
*Extendatur autē magna ponè pilis profuſa cauda:*
*Fœmora autem compacta, muſculoſa: cæterū ſubter*
*Rectæ prolixæque pedum longæ tibiæ,*
*Ac valde graciles, & carne carentia crura,*
*Cuiuſmodi cornigeris ventoſis pedibus ceruis:*
*Et talum flexū habeat, obeat autē rotunda vngula*
*Alte ſatis à terra, denſa, cornea, ſolida.*
*Talis mihi eat in acre ferinum bellum (quus.*
*Animoſus, certaminis ſocius, martius, ſtrenuus e-*

Tyrrhenique tales, atque Armenij, & Achæi,
Cappadocéſque præclari, ante Taurum (montem) paſcuntur.
Miraculum porrò Cappadocibus ingens animaduerti pernicibus.
Quandiu quidem primæuum in ore dentem,
Et molle ferunt corpus, ſunt ſegnes:
Velociores autem ſunt, quanto magis conſeneſcunt.
Illos ad bella fortia armato,
Sæuáſque in feras. nam egregiè animoſi ſunt,
Ad armis occurrendum, ad denſamque rumpendam aciem,
Ad feraſque aduerſum martias dimicandum.
Quo pacto enim in prælijs martius audiat equus
Clangorem pugnam incitantem longarũ bellicum tibiarum?
Aut quomodo contrà aſpexit inconniuentibus oculis,
Iuuenibus cohortem confertam armatis,
Et æs ſplendidum, & coruſcans ferrum?
Et didicit quando manere oportet, quandoque rurſus impetum facere
Et didicit audire fortium teſſeram ducunt?
Sæpe etiam hoſtium virorum acceſsit ad arces:
Quietus ſcutatum, pinnatum: quando mortalibus
Clypeus ſupra caput tranſuerſum clypeum firmat,
Quando cupiunt hoſtium vrbem excidere
Et æquor extruunt ſublime ſeptem boũ tergoribus,
Artificioſum, denſum, multis vmbonibus vallatum, ac contra ſplendor
AEs emicat ſolaris: repentè autem retro
Reflexo radio fulget multus æther.
Quippe equis egregie natura largita eſt ſolers
Hominũ audaciã, & in pectoribus docilẽ animum.
Semper agnoſcunt ſuum charum equiſonem,
Et hinniunt conſpicati illuſtrem ducem,
Et qui bello ceciderit multum gemunt ſocium.
Equus in pugna fregit aliquando vincula ſilentij,
Et naturæ leges ſuperauit, & accepit vocem
Humanam, & linguam ſimilem hominibus.
Equus verò martius Macedonis regis
Bucephalus armis contrà dimicabat.
Equus ſuper ſpicas currebat leuibus pedibus:
Alius ſuper mare, neque vngulam tinxit.
Equus ſuper nubes chimæræ interfectorem vexi virũ:
Et hinniens aliquando equus equiſonis dolis
Fecit Perſarum Aſianorum regem.
Eximiè autem rurſum venerantur naturam: iſtud penitus incredibile,
Ad coitum accedere ad quem nefas: ſed manent
Impolluti ſcelerum, caſtam autem complectuntur venerem.
Audiui vt olim locuples quidam paterfamilias,
Egregiũ habebat in agris equorũ armentalẽ gregẽ,
Quas omnes deinde cùm peremiſſet funditus
Equinus morbus reliquit duos, matrem ſolam,
Et matris charæ ſubrumum adhuc pullum.
Cæterum poſtquã adoleuit, tentabat improbus vir
Matrem nati ſui in vlnis mittere.
Eos verò vbi vidit recuſantes ad miſſuram,
Et nuptias vtriſque interdictas, ſtatim deinde
Nefaria moliens, doloſum conſilium texebat,
Sperans ſe reuocaturum ſobolem equis denuo.
Ambo quidẽ primũ obuoluit, altius dolos verſans,
Alio corio, deinde verò perungit vnguento
Totum corpus odorato, fragrante ſperabat ſane
Odorem ducem ſe obliteraturum amicitiæ:
Ac fefellit, dij veſtram fidem, faciens ſceleratè & perpetratæ ſunt
Communes execrandæ nuptiæ, inuiſiſſimæ equis,
Cuiusmodi apud homines contractæ ſunt olim
Thebanæ nuptiæ inceſtæ miſeri OEdipi.
Illi autem vbi nudati ſuum ſcelus intellexerunt,
Obliquis verò aſpexerunt triſtes oculis,
Illa quidẽ miſera non natũ natũ: cæterũ ille repente
Miſer maritus, inceſto pollutus cubili, non matrem matrem infelicem,
Altè ſanè ſe arrexerunt implacabiliter frementes,
Vinculiſque ruptis ibant clarè hinnientes,
Veluti deos beatos teſtes implorantes ſceleris,
Diráſque precantes damnoſo pronubo.
Tandem autem lugenteſque & effrenato impetu ruentes
Aduerſis ſcopulis ſua capita illidentes
Oſſa comminuerunt: ſuam autẽ vitam peremerũt,
Suæ ſibi necis auctores, inclinatis alterius in alterum capitibus.
Sic fama vetus gloriam equis magnam canit.
Equorum autem quotcunque genera educauit immenſa tellus,
Celerrimi Siculi, Lilybeum quique depaſcuntur,
Et tricipitem montem, vbi operimentum Enceladi
Flamma æetherea ructantis fulminis
Siculæ AEtnæ feruet æternus ignis.
Velociores autem Siculis ad Euphratis fluenta
Armenij, Parthique profunda coma ſunt:
Attamen & Parthis eximie excellunt Iberi
Velocioribus pedibus quadrupedantes ſolo:
Illis forte ſola contrà comparari poſsit
Aquila in ætherijs præpeti emicans volatu plagis,
Aut accipiter paſsis volans alis,
Aut delphis per canos labens fluctus:
Tantum Iberi ſunt pernices pedibus ventoſis:
Verũ parui imbecilliq́ viribus, & male fortes animo,
Et curſu in exiguis deprehenduntur ſpacijs.
Speciem autem inſignem inclyto corpori induerũt:
Vngulam verò non firmam, luti alumnam, latè calceatam.
Maurorum autem velocia genera multo præſtant omnibus,
Curſibúſque longis, & laboribus duris.
Et Libyci poſt eos, longum curſum perficiunt.
Species autem vtriſq́ ſimilis, præterquàm ſanè
Maiores aſpectu Libyci fortes ſunt:
Sed corpore longi. lateribus enim amplectuntur
Aliorum latera, coſtam, pectinemq́, quocirca ſunt
Ampliores ſpecie & maiores ad ſtatim capeſſendos curſus:
Boni autem ſolis ferre æſtuòſum impetum,
Et meridionales ſitis acres minas.
Equi autem Tyrrheni, & ingentia Creſia genera,
Vtrunque & veloces ad currendum, & longi ſunt:





Mauris velociores Siculi, ſed Siculorum animo,
Et cæſii ſunt, & eximie oculis micantes,
Et ſoli ferunt magnum rugitum leonis.
Quippe feras in alias alia genera
Equorũ idonea multa (ſunt,) quæ tibi loquũtur oculi.
In pedibus inſignes ceruos, cæruleos armato:
In vrſos, glaucos: & in pardos, ſanguineos:
Flagrantes autem equos igneis oculis, in apros:
Cæterum oculorum acie fulgentes, cæſios, in cæſios leones.
Pulchritudine autẽ inter omnes eſt eximius equus
Niſſæus, quem ducunt locupletes reges,
Pulcher aſpectu, molliſq́ ad ferendũ, parẽte habena,
Argutus quidem capite. verum numeroſus profunda iuba ceruice,
Exultans vtrinque flauis iubis.
Quinetiam aliud genus decorum ſpectato,
Maculoſum, conſpicuum, quos orynges vocant:
Aut quòd pulchricomis in montibus creſcunt,
Aut quòd valde cupiunt in fœminas ruere.
Duæ autem in oryngibus ſunt vario flore diſtinctæ formæ.
Quippe alij ceruicem, & crine decora lata terga
Picta habent longis crebro cingulis,
Tigres quo pacto, velox celeris Zephyri ſoboles.
Alij autem rotundis in orbem variantur
Maculis crebris ſimiliter ac pardi:
Quos adhuc pullos pinxerunt artifices viri
Candente ære, longum pilum inurentes.
Sæpe autem alia mortales ſolertiſsima excogitarunt
Pullum pingere, etiamnũ in vtero matris agentem.
O quanta ſolertia, quanta mortalibus ineſt mens!
Fecerunt vtcunque volunt, reddiderunt varia ſpecie inſignes equos,
Matris adhuc lacteis qui concipiuntur ilibus.
Quando enim fœminã puaſit libidinoſus impetus,
Equum autem prope vadentẽ inclytum magnanimum expectat,
Tunc pingunt maritum formoſum: vndique autem
Totum corpus maculoſis circũ coloribus delineant,
Et ad cubile adducunt forma ſuperbientem.
Vt vero quiſpiã adoleſcens ab ornatricibus mulieribus
Veſtibus candidis, & floribus purpureis
Redimitus, ſpiranſque Palæſtinum vnguentum,
In thalamum vadit, Hymen hymenæum cantans:
Sic equum properantem, nuptialiáque hinnientem
Coram ſua coniuge illuſtrem maritum ſpumantem,
Diu retinent chari cupidum cubilis:
Tandem tamen dimittunt amabilẽ in complexum.
Ea autẽ grauida facta maculoſũ generauit pullum,
Vtero mariti fœcundo ſemine hauſto,
Accepta verò forma diſcolore oculis.
Eadem etiam illi quibus calami curæ ſunt,
Excogitarunt ſolerti ingenio aucupes,
Quando variant & tingunt columbis pipiones.
Cùm enim in venerem veloces columbæ vadunt,
Quæ miſcentur roſtris gemebundis coniugis,
Tùm conſilium texuit inclytum manſuetarius vir:
Iuxta autem fœminas poſuit coloribus varia multa
Pallia purpurea: at illa limis oculis iactatis
Animo oblectatæ pariunt, purpureos pullos.
Quin etiã ſic Lacedæmonij callida commenti ſunt,
Suis charis vxoribus, quando ventre catuliunt,
Pictas in tabulis prope poſuerũt ſplendidas formas,
Eos q olim effulſerũt ſpeciei nter homines ephebos,
Nireum & Narciſſum, fortem Hyacinthum,
Caſtoremque galea inſignem & Amyci interfectorem Pollucem,
Adoleſcenteſq́ iuuenes, quiq́ inter diuos egregij,
Phœbum laureatum, & hederigerum Bacchum.
Illæ verò oblectantur venuſtam formam conſpicatæ
Pariuntque formoſos pulchritudine attonitæ.
Hactenus quidem de equis: verum deſcende chare anime
In viam canum: ac qui plurimi ex omnibus canibus
Inprimis cenſentur, valdeq́ venatoribus curæ ſunt
Pæones, Auſonij, Cares, Thraces, Iberi,
Arcades, Argolici, Lacedæmonij, Tegeatæ,
Sarmatici, Gallici, Cretici, Magnetes, Amorgi,
Et quotquot AEgypti arenoſas ad ripas
Armentorũ cuſtodes (ſunt) Locri, glauciq́ Moloſsi.
Quòd ſi tibi miſcere placuerit generoſa genera,
Vere primum cubile præbeto canibus.
Vere enim magis venerea curæ eſt res
Et feris & canibus & exitioſis anguibus
Aërijſque auibus, & marinis piſcibus.
Vere quidem tetro vipera ſuffuſa veneno
Addit cubile ad littus marinæ coniugis.
Vere mare totum etiam perſtrepit venere,
Et piſces coeuntes ſurriunt in tranquillitate.
Vere etiam columbæ ruunt in columbas:
Equi autem armentales in equas armantur:
Tauri verò agreſtes in iuuencas feruntur,
Et arietes tortuoſi vere oues ineunt,
Et apri ignei ſubant ſues,
Et hirci hiſpidis inequitant capris:
Atque adeo ipſis hominibus vere magis amores.
Vere enim popularis ingraueſcit venus.
Genera verò tibi canum admiſcenti curæ ſunto,
Congruæqúe inter ſe, ſimileſqúe egregiè ſtirpes,
Arcadicos cum Eleis miſceto, cum Pannonijs Creticos,
Caricos cum Thracibus, Tyrrhenam ſtirpem cum Laconibus:
Sarmaticumq́ maritũ adducas ad Ibericã ſponſam:
Sic quidem benè miſcueris, veruntamen præſtantiſsima omnium
Genera manent ſimplicia: iſta præcipue notarunt
Viri venatores, eæ verò infinitæ ſtirpes ſunt:
Quarũ nimirũ & formæ, & ſpecies huiusmodi ſunt
Longum, validum corpus, amplum, & caput
Leue, oculis decorum: cærulei fulgeant oculi:
Dentibus ſerratũ, diductũ ſit os: paruæ autẽ ſupernè
Auriculæ tenuibus obducantur membranis.
Collum longum, & pectora ſubter valida,
Lata: priores verò breuiores pedes ſunto:
Recta crurum, longæ, prolixæ tibiæ,
Lati armi, coſtarum obliqui proceſſus,
Lumbi toroſi, non pingues: cæterum ponè
Gracilíſque & porrecta ſit longa cauda.

*Tales quidem ad longos armentur curſus,*
*In damas, & ceruos, & ventoſo pede currentem leporem.*
*Pugnaces rurſus alteri, quibus ad hoſtem ſuſtinendum virtus.*
*Qui etiã tauros adorti ſunt grandia palearia habentes*
*Et apros violentos irruentes interfecerũt:*
*Qui neque leones ſuos timent reges,*
*Ampli, collibus ſimiles in agris faſtigia tollentibus.*
*Paulo magis ſima quidem ſunt facie, minacia verò ſupernè*
*Prominent orbi ſuperciliorũ frontis diſcrimina, & flammei*
*Oculi, glauca micantes acie:*
*Pellis tota hirta, firmum corpus, lata terga.*
*Veloces autẽ non ſunt, verùm virtus intus multa,*
*Et robur immemorabile, ſyncerum, & animus nihil verens,*
*Igitur iam ad venationẽ armato huiuſmodi genera*
*Pugnacium canũ, qui belluas omnes perſequuntur.*
*Colores autem albique perquàm mali, nigríque.*
*Neque enim ſolis perferre vim facile poſſunt,*
*Neque niuoſi vim hyberni temporis.*
*Illi autem inter omnes præſtant canes,*
*Quibus ſimiles formæ multùm feris crudiuoris,*
*Ouiũ interfectoribus lupis, aut tigribus pernicibus,*
*Aut etiam vulpibus, celeribúſque pardis:*
*Aut qui Cereri per ſimilem ſpeciem habent*
*Tritico concolores. valde enim veloces ſtrenuíque ſunt.*
*Quòd ſi tibi ſolers catulorum educatio curæ eſt,*
*Ne vnquam lactentur catuli recenti mamma*
*Caprarum, aut ouium, neque domeſticis canibus:*
*Quippe ſegnes atque nullius precij ingraueſcerent:*
*Sed aut ceruarum mamma manſuetæqúe leænæ,*
*Aut caprearum, aut noctiuagæ lupæ.*
*Nam ſic & fortes, & celeres admodum reddideris,*
*Similes ipſis lactiferis nutricibus.*
*Cæterum paruulis nomina catulis*
*Breuia impone, velocia omnia, velocem vt vocem audiant.*
*Equis autem validis familiares venatorijs,*
*Iam inde à paruulis ſint, hominibusqúe omnibus*
*Aſſueti, & blandi, ſolis autem feris infeſti:*
*Ne latrare velint. quandoquidẽ valde venatoribus*
*Silentiũ ſanctũ eſt, potiſsimũ tamen indagatoribus*
*Genera porro veſtigationis obſcuræ ſunt duo,*
*Virorum & canum: nempe homines callidi*
*Oculis notarunt, & deprehenderunt vias:*
*Naribus verò canes veſtigia omne genus ſignarunt.*
*Iam verò hominibus eſt commodum tempus*
*Hybernũ, indagant autẽ nihil laborantibus oculis.*
*Propterea quod in niuibus ſcripta omnia ſimul cernuntur,*
*Et luto manent impreſſa ſimilia pedi.*
*Infeſtum verò ver canibus, commodus autem eſt autumnus.*
*Vere enim plantis abundè herbarum nutrix tellus*
*Floribus referta eſt, odorata: vndique autẽ paſſim*
*Florida prata citra cultum purpuraſcunt,*
*Et omnem indagatoribus ſagacibus canibus*
*Odorem veterem obliterant arua.*
*Sed frugifero dulcibus vuis fœcundo autumno*
*Herbæ & plantæ & flores ſeneſcunt:*
*Nudus autem catulis manet ferinus odor.*
*Eſt porrò quoddam catulorum genus ſtrenuum vevestigatorum,*
*Paruum: verum tamen quod magna dignum ſit celebratione:*
*Quos educarunt ſæuæ gentes Britannorum tergo pictorum:*
*Cæterum nomine eos Agaſſæos nominarunt:*
*Quorum nempe magnitudo ſimilis vilibus*
*Liguritoribus domeſticis ad menſam paraſitantibus canibus:*
*Curuum, veſcum, hirtum, oculis languidum:*
*Verum vnguibus pedes armatos habens ſæuis,*
*Et crebris dentibus munitum venenatis:*
*Naribus porro longe præſtantiſsimus eſt Agaſſeus,*
*Et ad veſtigandum optimus: quoniam & terram peragrantium*
*Ad veſtigium inueniendum multum ſagax (eſt:) verum & ad ipſum*
*Solers aerium valde notandum odorem.*
*Atque aliquis venatorum explorare catulos*
*Cupiens, ante portas excelſas,*
*Aut mortuum, aut viuum fert manibus leporem:*
*Vadit autem prorſum tractum ſemitæ*
*Primum quidem rectum, deinde obliquum ducens,*
*Læua, dextra, ſinuoſam viam vndique implicans:*
*Verùm vbi valde longe ab vrbe & portis*
*Venerit, tùm ſane foſſa facta infodit.*
*Reuerſus autẽ in vrbẽ retrorſum extemplo adducit*
*Prope viam canem acrem: cæterum ille ſtatim*
*Excitatus eſt, fremitque leporario ex odore:*
*Veſtigia verò indagat per terrã, nec valde inuenire*
*Cupiens poteſt: valde autem ſolicitus vagatur.*
*Quemadmodum autem quando aliqua puella decimum circa menſam lunæ*
*Primipera puerperij à doloribus icta,*
*Soluit quidem crines, ſoluit verò ornamenta mammarum:*
*Ac ſine tunica miſeraq́; & abſq́; redimiculo capitis*
*Errat quocunque per ædes, & dolore cruciata,*
*Modo in veſtibulum pergit, modo rurſum*
*In cubile tendit, modo in pulueribus abiecta*
*Lamentatur roſeas lacerans genas:*
*Sic ille animum exedentibus affectus doloribus,*
*Huc & illuc properat, & ordine ſcrutatur*
*Omnem lapidem, & omnem cliuum, & omnem tramitem,*
*Arboréſque, vitéſque, & ſepes, & fundos.*
*Verum vbi veſtigium tandẽ aërium nactus fuerit,*
*Geſtit, gannitque lætus. quemadmodum paruæ*
*Laſciuiunt iunices circum iuuencas vbere grandes:*
*Sic etiam illi valde animus gaudet: ruens autem*
*Vertitur obliqua incedens per ſpacia.*
*Neque verò eum adduxeris ne ſi longiſsime quidem ducas:*
*Recta autẽ tendit pertinaciter, ſuaui apprehenſo odore,*

Quod



*Quoad finem laboris, & ad metam peruenerit.*
*Quòd ſi eum armes in non captos lepores,*
*Clangulum quidem accedit, in veſtigium autem veſtigium figit,*
*Summiſſus ſub vitibus tectus, aut ſtipulis.*
*Quemadmodum prædo hædorum raptor, quíque paſtorem*
*Dormientem prope obſeruans, placidè accedit:*
*Verum vbi ad luſtra leporaria propinquauit,*
*Celeriter exilit ſagittæ ſimilis, aut angui*
*Sibilanti, quem excitauit ſuum ante quieſcentem*
*Venenatum latibulum meſſor, aut aliquis arator:*
*Sic ille lætus celer exilit: quòd ſi ceperit,*
*Facilè quidem acutis perempto vnguibus,*
*Et malis capto onere magno occurrit:*
*Celeriter adfert laborans, onuſtúſque accedit.*
*Cuiusmodi autem ex ſegete vehit fruges meſsis,*
*Onuſtumque tritico in villam vadit plauſtrum:*
*Id autem conſpicati prodierunt frequentes ruſtici,*
*Ilicet obuiam occurrentes, alius rotas vrgens,*
*Alius vehiculum, alius axem bobus adiuuans:*
*In villã autẽ vbi peruenerunt, ſoluerunt temonem:*
*Tauri verò ſudantes reſpirarunt à labore:*
*Animus autem fatigati valde lætatur aurigæ:*
*Sic ille venit onus malis portans.*
*Cæterum hic occurrit lætus celer venator:*
*Ambos autem ſublatos, à matre alte terra,*
*Amplectitur feram, & illum feræ interfectorem.*

# OPPIANI DE VENATIONE LIBER II.

*NVNC ageſis mihi Iouis filia decora pedibus Phœbe,*
*Virgo aurea ſuccincta Zona, gemina ſoboles cum Apolline,*
*Narra hominum quiſnam fortiúmque heroum*
*A tua manu acceperit illuſtres artes venationis.*
*Vtrinque in imo cliuoſæ Pholoes, ventoſæ ſæua genera*
*Feris mixta, hominum quidem lumborum tenus, verum à lumbis*
*Equorum ſemihominum, pomeridianum inuenerunt venatum.*
*Verum inter homines primus qui Gorgonis ceruicem ſecuit,*
*Iouis aurei filius inclytus inuenit Perſeus:*
*Sed pedum velocibus ſublatus alis,*
*Et lepores, & thoas capiebat, & genus caprarum*
*Ferarum, dorcadáſque pernices, orygumque ſecula,*
*Aut vero ipſorum ceruorum inſigniũ ardua capita.*
*Equeſtrem autẽ venationem lucifer reperit Caſtor,*
*Et quaſdam interfecit in ſcopum recta iaculum*
*Deſtinans, quaſdã rurſum pernicibus equis agitans*
*Feras cepit in luſtris meridiano curſu.*
*Verũ ad certamina ferarũ canes armauit truculentos*
*Nobilis primus Lacedæmonius Pollux.*
*Etenim pugilatu nefarios interfecit homines,*
*Et catulis celeribus varias domuit feras.*
*Egregiè verò in ſtatarijs montanis pugnis.*
*OEnei filius effulſit bellicoſus Meleager.*
*Caſſes rurſum & laqueos, & ſinuoſa retia primus*
*Hippolytus hominibus venatoribus oſtendit.*
*Schœnei verò prima inclyta filia Atalanta*
*Feris cædẽ pinnatã apri interfectrix inuenit puella.*
*Nocturnas autem fraudes, nocturnã fallaciſsimam venationem,*
*Orion primus excogitauit aſtutus.*
*Tot quidẽ venationis fortes olim auctores (fuerũt.)*
*Multos autem rurſum poſtea amor inceſſit acris.*
*Non enim quiſquam ſtimulis tactus venationis amœnæ,*
*Poſtea lubens reliquerit: tenent autem eum ingentia vincula*
*Quã ſcilicet ſuauis ſopor in floribus veris tempore:*
*Quã porrò rursũ æſtate dulcis in ãtro cubatio humi:*
*Cuiusmodi porrò in rubibus venatoribus cibum capere*
*Voluptas: quanta autem iucunditas eos ſequitur*
*Carpentes ipſos melliti florem autumni.*
*Iam frigida ex antro profuſa argentea aqua,*
*Qualis fatigatis potus, dulcéque lauachrum.*
*Quàm porro in ſaltibus grata munera ferunt*
*In dulcibus fiſcellis prope greges paſtores.*
*Verum ageſis taurorum riualis impatientem penitus nationem*
*Primum canamus, & ingentẽ valde contentionem,*
*Quo pacto de thalamo ſæuiſsime pugnare ſoliti ſunt.*
*Vnus rex in armento dominans, longe præſtantiſsimus*
*Minoribus tauris, & fœminis imperat:*
*Horret autem armentum cornigerũ magnũ ducem:*
*Ipſæ autem rurſum formidant ſuum maritum excandeſcentem,*
*Cum mugierit, feræ boues: verùm vbi in alium*
*Taurus ſecedens ab armento, latam ceruicem excutiens*
*Solus vadit, etiam ille rex ſuis imperans:*
*Tunc certe vtrique funeſtum inſtat prælium.*
*Primum quidem aduerſus oculis alter in alterum intuentes,*
*Acerbè excandeſcente indignatione vehementer ſæuiunt,*
*Et igneum ſpirant, & metunt pedibus terram,*
*Quaſi qui puluere ſparguntur: prouocantur autẽ vtrinq́;*
*Alte frementes bellico fremitu.*
*Verum vbi tuba ſignum dederunt ad pugnã triſtem*
*Indomita vi irruunt: ſuis autem ilico cornibus*
*Totum corpus alter alteri inuicem ſauciant.*
*Quemadmodum autem in bello nauali, quando naualis mars*
*Certamen excitat, duæ egregiæ naues*
*Fulgentes crebris è diuerſo militibus,*
*Aduerſo impetu proris in frontem concurrunt,*
*Impulſæ ventóq́; vehementi, manibusq́; nautarum*
*Circum arma verò ærea crepat fragor virorum,*
*Et nauium quæ franguntur: plangit autem totus vndarum æſtu Nereus:*

Talis

*Talis etiam tauris in aerem ſtrepitus abit,*
*Dum ſe feriunt ſine fine, & feriuntur cornibus,*
*Quoad alter ferat charā alterū iuuantē victoriam.*
*Cæterum ille haudquaquam fert ſeruile iugum: ſed erubeſcens*
*Et grauiter gemens in opacam abit ſyluam.*
*Solus autem in ſcopulis voluentibus annis*
*Nutritur montanis ſeorſum in nemoribus,*
*Veluti aliquis athleticam exercens: firmum autem cum robur videt,*
*Et vires dubias, mugijt extemplo in montibus:*
*Cæterum ille remugijt, inſonuítque ſaltus.*
*Aſt vbi cōfidere cœpit vehementioribus mugitibus,*
*Tum certè ex montibus in hoſtem ipſe vltro venit:*
*Facile autem vicit. alimentis enim ſuum corpus firmauit,*
*Tandem in ſyluis vires eneruantis veneris.*
*Formæ vero multæ ſunt & mores innumeri tau-*
*AEgyptij nempe ſunt ad ripas fructu nobiles ris:*
*Nili frumentarij multifidi amnis,*
*Niuei colore, magnitudine omnium longè præſtantiſsimi.*
*Diceres per terram incedere profundam & ingentem nauem.*
*Placido verò ſunt animo, & familiares hominibus.*
*Quodcunq; autē mortales iubent, iuuenes perferūt.*
*Phrygij, colore quidem inſignes ſunt*
*Flauiq;, rutiliq;: profundæ autem in ceruice pulpæ:*
*Globoſum autem ſupernè ſublime in alto tuber:*
*Prodigioſa verò in cornibus natura illis eſt.*
*Non enim firmis ſuper capitibus fixa erant,*
*Verum mouent cornua, & inclinant vtrinque.*
*Solipedes (ſunt) Aonij, varium genus, vnicornes*
*Et ex media cornu exitioſum attollunt fronte.*
*Armenijs geminum quidem, ſed tamen cornu anfractu conuolutum,*
*Cuſpidibus ingens exitium retortum pendet.*
*Syriaci tauri verò Cherroneſsi ſoboles,*
*Editamq; qui circum Pellam bene conditā paſcūtur*
*Nigri (ſunt) validi, generoſi, lata fronte,*
*In agris ſtabulantes, robuſti, cornu valentes, feroces animo,*
*Mugitores, torui, æmuli, lato præditi mento,*
*At non obeſi corpore amplo graueſcunt,*
*Neque rurſum macilenti ſuo corpore infirmi ſunt.*
*Sic deorū p̄clara munera tēperata habentes ferunt,*
*Vtrumque & pernices ad currendum, & fortes ad pugnandum*
*Illi, quos fama erat Iouis filium Herculem*
*Fortē, ærumnas ſubeuntē abegiſſe antea ex Erythia*
*Quando ad Oceanum certauit cum Geryone,*
*Et interfecit in ſpeculis: quoniam laborem alium parabat*
*Non Iunoni obire, neque Euryſtei iuſsis,*
*Sed Archippo ſocia Pellæ duci amœnæ.*
*Quippe antea ad radices Embloni*
*Totus campus ſtagnabat. nam ingens ſemper Orontes*
*Ruebat properans, glauci autē obliuiſcebatur maris,*
*Incenſus amore Nymphæ cæruleæ Oceani filiæ:*
*Immorabatur autem ad montes, tegebat autem ad ſementem aptum ſolum,*
*Nolens relinquere perditum amorem Melibœæ.*
*Montibúſque vtrinque cinctus circundatus erat,*
*Attollentibus vtrinq; inter ſe iuga.*
*Ibat ab ortu Diocleum corpus arduum:*
*Cæterum ab occaſu læuum cornu Embloni:*
*Ipſe autem in medijs rapidè ruens campis,*
*Semper creſcens. & prope mœnia iens,*
*Continentem ſimul & inſulam, meam patriam al-*
*Itaq; mox parabat Iouis filius vtriſq; (luens.*
*Gurgitem metiri, claua & manibus validis:*
*Aquæ autem ex campo ſeorſum coercere*
*Pulchricomi lacus, & rapidi fluminis.*
*Peregit autem magnū laborem, vbi faſtigiū excidit*
*Circumiectorū montiū: ſoluit autē ſaxea vincula,*
*Et fluuiū emiſit erumpentē per montiū crepidines,*
*Violentè æſtuantem, & immaniter murmurantē.*
*Tetendit recta porrò in littora: fremuit autē mare, deinde*
*Et Syriaci fragorem edidit atrum corpus littoris.*
*Non tales ex vtraque parte ſonori maris*
*Aduerſo currentes alueo fluuij deſcenderunt vndæ rapidæ:*
*Illinc quidem aquilonis ſecans candida fræna,*
*In Scythiā Iſter ſtrepit vehementer vndiq; prorſus,*
*Labens per præcipitia & aquoſa iuga montium:*
*Illinc rurſus ex Africa ſacrum flumen AEgypti,*
*Circum ſe fractum formidat ſonorus pontus.*
*Vt fluuius edebat ingens in littoribus Orontes*
*Horrendum mugitum: vehementer autem reſonabant littora*
*Recipientia ſinu recentis vndam maris:*
*Terra autem reſpirauit nigra potens vbere glebæ*
*Vndis emerſa, nouus campus Herculis.*
*Vbiq; autem etiam nunc ſpicigera ſunt arua.*
*Paſsim autem opera boum florentes onerant areas*
*Memnonis circum fanum, quando Aſſyrij incolæ*
*Memnona lugent inclytum filium Auroræ,*
*Quem aliquando ad Troianis auxiliandū profectū*
*Audax maritus celeriter domuit Deidamiæ.*
*Verum quidē vt decet canemus ampla ornamenta*
*Patriæ noſtræ amœno Pimpleo carmine:*
*Nunc autem conuerſo itinere pergo ad inclytum de venatione carmen.*
*Eſt atrox cruentis tauris genus,*
*Quos vocant Biſtonas, quia ex patria ſunt*
*Biſtonide Thracia: verū ſortiti ſunt formas tales:*
*Horrentem iubam quidem in armis quatiunt*
*Circum ceruices opimas & circum mollia palearia:*
*Et quemadmodū iubati inſignem formam habent,*
*Fului, torui, ferarum imperatores leones.*
*Acuti porro cornuū inſigni cuſpide minaces mucro-*
*AEreis inflexis per ſimiles hamis. (nes*
*Verum non vt alijs ex aduerſo alter in alterum*
*Imminent infeſtorum cornuum obliqua cuſpide:*
*Verum reſupini ſpectantes in cœlum funeſti ſtimuli.*
*Quocirca quando aliquem inuaſerint adſecuti,*
*Aut hominem, aut aliquā feram, ſublimem tollunt.*
*Lingua verò anguſta quidē, verùm aſpera maximè*
*Quaſi*



*Quaſi ferrum exedentis eſt inſtrumentum ferri.*
*Lingua porrò cruentantes cutem lambunt.*
*Quinetiā velocium ceruorū genus nutrijt terra*
*Cornigerum, grandibus oculis, inſigne, tergo variū,*
*Notatū, egregiū, fluuios tranans, altè caput attollēs,*
*Obeſum tergo, & gracile cruribus:*
*Tenuis ceruix, & minima rurſum cauda, (tus:*
*Quadrifidæ nares, quadruplices reſpirationū mea-*
*Imbecillum cor, & animus intus imbellis.*
*Et inutiles cornuum mucrones tantum exurgunt.*
*Nunquam enim capite contra pugnauerint,*
*Non cum feris validis, non cum acribus canibus,*
*Neque cum ipſis timidis crura hiſpida habentibus leporibus.*
*At aſper rurſus ceruis amor, multáque venus,*
*Et animus ad cubile incenſus toto die,*
*Veluti ſemper ſtrenuis gallinaceis pugnatoribus,*
*Omnibúſque floridis pennigeris alitibus.*
*Occulunt autem lumbis ſub ipſo intus ventre*
*Geminos canales, quos ſi quis execuerit ferro,*
*Ilico fœminam reddiderit: totum autem defluxerit è capitibus*
*Acutum cornuum affabre factum elegans ramale.*
*Neq; vero ad cubile nuptialis lex, quemadmodum*
*Alijs, inuſitatáque libido illis curæ eſt. (feris*
*Neque enim ſtantes in ſaltibus agreſtibus,*
*Neque iacentes humilibus in floribus graminis,*
*Cum fœminis ceruis vnà concumbunt:*
*Sed pedibus celeribus currens aſſecutus eſt currentē,*
*Fugientem autem prehendit, & amplectitur coniugem.*
*Verum nec ſic quidem perſuaſit: geſtans verò maritum tergo*
*Vſque fugit, inexorabilem animum habens.*
*Cæterùm ille ſequens duobus velociter pedibus,*
*Non remittit libidinē, nuptiales autē abſoluit leges.*
*Verùm cum poſtea voluentibus lunis*
*Fœmina parit, ſemitam hominum vitat,*
*Proptereáque quod viæ hominum feris inuiſæ ſunt.*
*Egregiè autem inter feras pulchritudine efferuntur*
*Maſculi cornigeri, elegantem (cornuum) plantam habentes.*
*Vbi enim pulchrifida cornua ſtato tempore ceciderint,*
*Foſſam quidem humi excauantes defoderunt,*
*Vt ne quis capiat in ſulco nactus.*
*Occultantur autē ipſi remotiſsimis, denſiſq; dumis:*
*Erubeſcentes feris capitibus eiuſmodi videri*
*Nudis, quæ antea altè tollebant.*
*Duobus autem elementis viuunt cerui. etenim terram peragrant:*
*Et mare tranant, gregalem inter ſe*
*Nauigationem nauigantes, cum traijciunt mare,*
*Ante quidem vnus ceruis porrecto ordine dux eſt,*
*Veluti gubernator tenens clauum nauis:*
*Ei autem alius à tergo innixus ponè*
*Ceruice & capite, ſimul per mare gradiens,*
*Alius autem alium deinde ferens, ſecant mare.*
*Verùm vbi natantem labor primum occuparit,*
*Ordine is relicto abijt in tergum agminis:*
*Requieuit autē reclinatus in alterū paulū à labore,*
*Alius autem rurſum gubernacula habens: in mare progreditur.*
*Omnes autem natantes per vices duces,*
*Pedibus quidē tanquā remis verrunt atrā aquam:*
*Altè autem attollunt cornuum egregium decus,*
*Tanquā vela nauis permittentes ventis. (cent*
*Iam verò inimicitias inter ſe exitiales ſemper exer-*
*Omne anguium & ceruorum genus: paſsim autem inueſtigat*
*Montis in callibus ceruus audacem ſerpentem:*
*Verum vbi vidit ſpiris plicatum longis*
*Veſtigium ſerpentis, valde lætus peruenit*
*Prope latibulum, nares autem admouit latibulo,*
*Spiritu violento attrahens ad pugnam*
*Serpentem pernicioſū: eum autem nolentē pugnare*
*Halitus violentus intimo extraxit cubili.*
*Continuo enim vidit hoſtē, & in aërem altè tollit*
*Tetram ceruicem: candidos autem prompſit dentes*
*Acutis mucronibus horrentes, complodítque malas*
*Amara anhelans ſibila venenata fera.*
*Extemplo autē rurſum ceruus, & renidenti ſimilis*
*Lacerat ore fruſtra pugnantem.*
*Et eum inuolutum genibus, & circum ceruicem*
*Vſque mandit: humi autem multæ iacent ſparſæ*
*Reliquiæ micantes & palpitantes cede, (ſit,*
*Ac fortaſſe te eius miſereret, tametſi immitis valde*
*Crudiuorus, diſiectus in multa diuiſis cædibus.*
*Equos autem paſcentis Libyæ in finibus multus vagatur*
*Innumerus, exitioſus exercitus varius anguium.*
*Verùm cum proſtratus ceruus arenoſis in iugis*
*Solus fuit, eum ſtatim inuaſit vndique infeſtum*
*Examen infinitorum anguium, inuiſæq; phalanges*
*Venenatæ: cuti autem amaros impreſſerunt dentes,*
*Artubus omnibus cerui vndique circunfuſi.*
*Alij quippe ſupernè conuerſo capite,*
*Cilia & frontem lancinant malis:*
*Alij autem gracile collum & pectus infernè,*
*Et ilia & ventrem ore laniant:*
*Alij rurſus vtrinque circum latera hærent:*
*Fœmora rurſus alij & tergū ſuperne depaſcuntur:*
*Alius vero alia ex parte infeſte infixus pendet.*
*Cæterum ille omni genere abundans dolorum,*
*Primum quidem effugere cupit pernicibus pedibus:*
*Sed nō vires habet. huiuſmodi ipsū innumera turba*
*Varia circundat truculenta ſerpentum.*
*Tum igitur oppreſſus reſtitit vehementi ſubactus neceſsitate:*
*Mandit autem ore infinita hoſtilia genera:*
*Gemiſcens verò doloribus quoquouersū vtraq; ex parte*
*Nihil effugiens genus reptile profligat:*
*Verùm illi non remittunt, ſed morientes manent,*
*Intrepidū animū habentes impudēti audacia men-*
*Et partim quidē malis laniauit, partim pedibus (tis*
*Et vngulis interemit: fluit autem in terrā infinita*
*Sanies cruenta ab anguibus: membra autem ferarū*
*Artúſque ſemicomeſi humi palpitant:*
*Alia autem in lateribus fert rurſum ſemilaniata.*

*Quippe etiam mortui tenent acribus dentibus.*
*Cuti autem inhærentia capita ſola conſtricta ſunt.*
*Cæterũ ille ſciens diuinitus quod ſortitus eſt donũ,*
*Paßim inueſtigat tenebroſum fluuÿ gurgitem.*
*Illinc cancellos charis malis mandens,*
*Medicamentum quod per ſe didicit habet exitialis*
*noxæ.*
*Statim autem amarũ quidem in terram reliquæ fe-*
*rarum*
*Deciderunt è cute ante pedes ſponte deuolutæ:*
*Vulnera autem vtrinque coaleſcunt dentium.*
*Viuit autem rurſus ceruus longũ tempus: verè autẽ*
*Hominum genus eum celebrauit quattuor cornicũ*
*ætatem viuere.*
*Alios autem vocant homines rurſum platycerotes:*
*Omnino cerui ſunt: naturam autem cornuũ ſuprà*
*Qualem nomen feris ineſſe ſignificat, gerunt.*
*Alios autem vocant in ſaltibus damas,*
*Et illis cerui corpus: pellem autem in tergo*
*Maculoſam totam ferunt inſigniter variam, & vt*
*Pantherarum notæ in pelle ſplendent.* (*ferarum*
*Bubalus rurſum eſt minor corpore platycerote,*
*Minor platycerote: verũ caprea multo præſtantior:*
*Oculis ſplendidus, amœnus colore, hilaris aſpectu:*
*Et cornuum recti quidem ex capite naſcuntur*
*Rami longi: in ſummo autẽ rurſum tergum verſus*
*Retrorſum flectuntur recuruis mucronibus.*
*Mirifice porrò iſtud genus ſuam domum amat,*
*Conſuetáque cubilia, charúmque in ſyluis tectum.*
*Quòd ſi eum tortis vinctum laqueis*
*Venatores ducant in alia protinus loca:*
*Procul autem in ſaltibus liberum illic relinquant,*
*Facilè ad dulces ædes venit, vbi antè habitabat:*
*Neque ſuſtinuit hoſpes aliquis apud exteros vagari.*
*Non igitur ſolis chara patria hominibus,*
*Etiam maculoſarum deſyderium quoddam infu-*
*ſum eſt animis ferarum.*
*Iam verò pernicißimorũ damarũ nota genera,*
*Formamq́; nouimus omnes, ſimiliter & magni-*
*tudinem, & vires.*
*Perdices verò pugnaces, ignei, collo verſicolores*
*Cum damis amicitiam in ſaltibus inierunt,*
*Familiaréſque ſunt, & inter ſe contubernales:*
*Cubiliaq́; propinqua habent, neque ſeorſum paſ-*
*cuntur.*
*Profecto poſtea aliquando ſocietatem ilico amaram,*
*Et amicitiam ſenſerunt triſtem, quando homines*
*Aſtuti in miſeros callida conſilia moliti ſunt,*
*Perdices in damas charos illecebras comparantes:*
*Viciſſim autem damas in ſocios pariter perdices.*
*Caprarum autem rurſum ſunt, ouiúmque im-*
*manſueta genera,*
*Non multo his ouibus & villoſis capris*
*Maiores, verum ad currendum veloces, fortéſque*
*ad pugnandum,*
*Contortis in caput armati cornibus.*
*Robur autem rurſum ouibus in infeſtis frontibus:*
*Sæpenumero autẽ dato impetu in ſyluis ſtrauerunt*
*Etiam apros violentos humi palpitantes:*
*Nonnunquam autem inter ſe cominus irruentes*
*Pugnant: ingens autem in cœlum fragor venit:*
*Neque fugere fas eſt hoſtem eis:*
*Sed victoriam alterutri ferre inconcuſſa neceßitas,*
*Aut mortuam iacere. huiuſmodi inter eas conten-*
*tio coorta eſt.*
*Capris autẽ feris quidã eſt per ipſos meatus dentes*
*Tenuis ſpiritus inter cornua, inde deinde*
*Ad ipſum cor, & in pulmones rectà peruadit.*
*Quòd ſi quis capræ ſylueſtris ceram cornibus cir-*
*cumlinat.*
*Vitæ interclußit vias, reſpirationíſque meatus.*
*Mirum autem in modum mater teneros adhuc in-*
*fantes*
*Suos liberos fouet: in ſenectute autẽ matrem liberi.*
*Vt autem homines parentem impeditum improbis*
*Senectutis vinculis, pedibus grauem, artubus in-*
*curuum,*
*Imbecillum manibus, tremulum corpore, oculis ca-*
*ligantem,*
*Omni pietate proſequentes prorſus indulgentißime*
*tractant,*
*Rependentes laborem educationis in pueritia mo-*
*leſtæ:*
*Sic caprarum fœtus charos fouent parentes*
*Decrepitos, cùm vincula triſtia artus illigant:*
*Pabulum nempe porrigunt roſcidum floridum*
*Decerptum ore, potum autem labris ſummis*
*Ex flumine ferunt hauſta atra aqua.*
*Lingua autem fouentes totum corpus tergent.*
*Quòd ſi laqueis ſolam matrem ceperis,*
*Protinus etiam manibus ceperis teneros agnos.*
*Illam enim cenſueris liberos verbis abigere*
*Precantem tali eminus balatu,*
*Fugite mihi chari liberi infauſtos venatores,*
*Ne me miſerã capti non matrem matrem reddatis.*
*Huiuſmodi fari putes: eos autem ſtantes coràm*
*Primùm quidem occinere lugubrem næniam circũ*
*matrem.*
*Cæterùm deinde proloqui dixeris humana voce*
*Rupto balatu, oréque ſic ſonare*
*Loquentibus ſimiles, & precantibus pares:*
*Per Iouem precamur, per ipſam Dianam ſagittiferã*
*Liberato matrem mihi charam, preciumq́; redem-*
*ptionis accipe,*
*Quod pendere poſſumus miſeri pro matre calami-*
*toſa,*
*Nos miſero natos fato: flecte tuũ immitem animũ,*
*Verens & beatorum fas, & patris ſenectutem.*
*Certè tibi pater locuplete in domo relictus eſt.*
*Talia quis cenſuerit precantes dicere.*
*Verum vbi illius cor inclemens viderint,*
*(Pudor ô quantus, quantũ deſyderium eſt paren-*
*tum)*
*Sponte vincti incedunt, & voluntarÿ tranſeunt.*
*Sunt autem oues rufæ, vltimæ in finibus Cretæ,*
*In humili regione Gortynia, quaterna habentes*
*cornua:*
*Villus autem purpureus tergori obductus eſt,*
*Numeroſúſque, nec mollis, penè capræ ſimilis eſt,*
*Durißimis pilis aſper, non ouibus.*





*Talem ferè etiam ſubus habet rufum aſpectu*
*Colore ſplendidus, verùm non iam villoſum*
*Neque rurſum quaternis munitum cornibus,*
*Verùm duobus validis ſuper lata fronte.*
*Ambiguæ vitæ etiam ſubus: nam etiam ille incedit.*
*Quando enim in profundum vadit, celeres fluctus*
*ſecans,*
*Tũ certe ingens multitudo ſimul per mare gradiens*
*Piſcium ſequitur, membra autem lambunt,*
*Delectati cornigero amico molle corpus habẽte ſubo.*
*Præcipuè vero pagri, & viles melanuri,*
*Et acus, & muli, & aſtacus vtrinque ſequuntur.*
*Miraculũ eſt iſtud, miraculũ ingens, quando beſtias*
*Alieni ſolicitant amores & immanes illecebræ.*
*Non enim inter ſe tantum amoris mutui*
*Fœdus neceſſarium tribuit deus, neq́; quatenus eorũ*
*Genus propagaretur ſemper ſoboleſcentis vitæ.*
*Miraculum quidem erat etiam illud, obnoxia eſſe*
*bruta genera* (*tire,*
*Vinculis voluptuarÿs, & ſui generis illecebras ſen-*
*Et cupidinem non intelligentem in ſe miſcere:*
*Quemadmodum hominibus & prudentia & mens*
*Oculos aperuit, amorémque hauſit animo.*
*Quòd ſi etiã alienis inſaniunt in ſublimi amoribus:*
*Cuiusmodi deſyderium eſt illuſtribus ceruis*
*Attagenum? quantum porrò erga longis cornibus*
*damas*
*Perdicũ? quî vero rurſum pernicibus gaudent equis*
*Otides, quibus vernat ſemper hiſpidißima auris?*
*Pſittacus rurſum lupúſque vna alius cum alio pa-*
*ſcuntur.*
*Semper enim deſyderant lupi herbidi coloris auem.*
*Potentißime amor quantus es, quanta tua immen-*
*ſa poteſtas,* (*dis.*
*Quantũ cogitas, quantũ imperas quantũ diue lu-*
*Tellus eſt ſtabilis: telis tamen tuis quatitur.*
*Inquietus eſt pontus, tu tamen etiam eum ſiſtis*
*Veniſti in ætherem, nouit verò te vaſtus olympus.*
*Timent autem te omnia, & cœlum latum ſupernè*
*Et ſub terra quæ ſunt & gentes miſeræ mortuorũ,*
*Qui obliuionis hauſerunt in os moleſtiæ expertem*
*aquam,*
*Et effugerunt dolores omnes, te tamen etiamnum*
*formidant.*
*Tuis porrò viribus etiam procul terminus, quantũ*
*nunquam cernet*
*Sol lucidus: tuo demum igni etiam lux cedit*
*Formidans, & Iouis ſimiliter cedunt fulmina.*
*Huiusmodi ſæue deus habes ignitas ſagittas,*
*Amaras, feruidas, mentis corruptrices, ſtimulatri-*
*Tabẽ ſpirantes, inſanabiles, quibus etiã ipſas* (*ces,*
*Beſtias concitaſti ad nulla coniunctione deuinctos*
*amores*
*Miraculum eſt, quando per cornigerum ceruum*
*pennati*
*Attagenes tergis maculoſis inſilientes,*
*Aut damis perdices alas denſas inÿcientes*
*Sudorem refrigerant, & recreant animum,*
*Vapore æſtuoſo paßis alis:*
*Aut quando anteit ſonipedem equum*
*Otis labens per aërem amabilis:* (*bum*
*At ſargi ad caprarũ greges acceſſerunt: ante vero ſu-*
*Genus omne piſcium vagabundum inſanÿt.*
*Sequuntur autem ſimul omnes, quando per ſæuos*
*fluctus tendit.*
*Eunt verò vtrinque læti: circùm autem mare*
*Spumat candidis verberatum pinnis.*
*Verum ille non curans alienam amicitiam impius,*
*Marinos ſocios vorat ore cruento*
*Mandens: at illi necem oculis cernentes*
*Ne ſic quidem oderunt, neque relinquunt interfe-*
*ctorem.*
*Sube improbe, nefarie, etiam ipſi tibi poſtea*
*Marinum venatores parant exitium,*
*Tametſi doloſus es, & interfector piſcium exiſtis.*
*Eſt autẽ quædã ſyluarũ incola acutis cornibus fe-*
*Sæui animi, oryx, formidãdus beſtÿs maximè.* (*ra*
*Huius ſcilicet color quidem tanquam verni lactis,*
*Solis in ore nigricantibus genis.*
*Duplex autem ei ponè dorſum opimum adipe:*
*Acuti porro cornuum altè prominent*
*Mucrones tetri, nigram ſpeciem habentes:*
*Et ære acuto, ferróque atroci,*
*Saxóque duro ſuperiores ſunt,*
*Venenati, inanẽ autem naturã cornibus prædicant.*
*Sed animus rurſus orygibus audax & immanis.*
*Neque enim ſagacis canis formidant latratum,*
*Non ſuis feri in rupibus fremitum:*
*Neque verò tauri vaſtum mugitum timent:*
*Pantherarum autem non vocem triſtem horrent.*
*Neque ipſius fugiunt ingentem rugitum leonis,*
*Neq́; mortales curant impudentia audacia animi.*
*Sæpenumero autem in iugis perÿt robuſtus vir*
*Venator, cum orygibus cruentis congreſſus.*
*Quando autem viderit oryx animoſam feram,*
*Aut aprum exertis dentibus, aut ſerratis dentibus*
*leonem,* (*humi*
*Aut tetrorum vrſorũ exitioſam audaciam, ſtatim*
*Inclinat caputque, frontémque prorſus obfirmat*
*Connixus, & defixis humi acerbis telis*
*Irruentem expectat: eum autem interfecit ventris*
*impetus.*
*Obliquam enim inclinans paulum cornigeram frõ-*
*tem,*
*Armis acutioribus obſeruans incidit in feram.*
*Verùm illa non curat, ſed effrenatè rectà incurrit.*
*Acutis horrentibus innitens rupibus.*
*Quemadmodum autem in ſyluis irruente leone,*
*Dianæ muneribus ornatus ſtrenuus vir,*
*Venabulum fulgens tenens validis manibus,*
*Diducto paſſu expectat: eum autem immaniter ex-*
*candeſcentem*
*Excipit prominens ferens vtrinque ſcindens ſpicu-*
*Sic oryges expectant irruentes tũ feras* (*lum:*
*Sibi necem inferentes, ſua vecordia oppetentes.*
*Facilè enim in pectoribus labuntur cuſpides (cor-*
*nuum.)*
*Multum autem cruorem atrum ex vulneribus v-*
*trinque*
*Profuſum linguis ſuum ilico lambunt.*

*Neque verò effugere, ne cupientibus quidem licet:*
*Verum ſeſe interficiunt mutua cæde.*
*Ac quiſpiã ruſticus, aut armentarius, aut aliquis a-*
*Duo cadauera ante pedes nactus, (rator*
*Prædam opimam habeat valde attonito animo.*
*Deinceps inter beluas corniger as genera*
*Canere par eſt immanium elephantorum.*
*Illa enim in malis immania ſpicula duo,*
*Similia dentibus exertis, in cœlum eminentia,*
*Alij quidem ex vulgo tetros ſecuerunt dentes*
*Errantes: nobis vero cornua appellare*
*Placet. ſic enim nobis natura cornuum oſtendit.*
*Argumenta vero non perſpicua ſunt liquidò ad con-*
*ijciendum*
*Quippe ferus ꝓpagines malis ex ſuperioribus (ſunt)*
*Quæcunque cornibus, ſurſum ſe exerunt:*
*Sin deorſum ſpectent, plane ſunt dentes.*
*Illis porrò duobus elephantinis cornibus*
*Radices quidem primum ex capite naſcuntur.*
*Ex magno magnæ tanquã fagorum: ſubter autẽ de-*
*Latentes ſub cute, ſubeuntes tempora (inde*
*In malã extruduntur, è malis vero nudæ exeuntes.*
*Falſam vulgo opinionem præbuerunt dentium.*
*Quin etiam aliud hominibus illuſtriſſimum eſt ar-*
*gumentum.*
*Omnes enim beſtijs non flexibiles ſunt dentes,*
*Neque artibus cedunt: ſed implacabiles manent:*
*Quos arte reddere cornuum ſtructor ſi velit*
*Latos, reluctantur pertinaciter: ſin cogantur,*
*Franguntur in fruſta refractarij: è cornibus autem*
*Arcúſque rotundi, & infinita conficiuntur opera.*
*Sic autem cornua illa, quæ appellent dentes*
*Ad flectendum, ad dilatandum eborarijs cedunt.*
*Iam beſtijs proceritas quidẽ aſt quantã non in terra*
*Alia fera fert: dixeris conſpicatus elephantum.*
*Aut iugum montis immenſum, aut nubem tetram*
*Hyemem ferentem miſeris mortalibus, per terram*
*ingredi.*
*Potens autem caput, cum aures exiguæ ſint,*
*Cauæ, politæ: verum oculi ſunt*
*Minores quàm pro illo corpore tametſi magni ſunt,*
*Inter iſtos autem excurrit ingens naſus,*
*Graciliſque, obliquúſque, proboſcida eum vocant.*
*Illa beluæ eſt manus, illa qua volunt*
*Facile faciunt: pedum tamen non pares moduli.*
*Alte ſanè anteriore parte multo magis attolluntur.*
*Pellis autẽ rursũ corpus ſcabra & aſpera circundat,*
*Fœdiſſima firmiſſimaque quam non ſane ne vali-*
*dum quidem*
*Acutum omniáque domans penetrarit ferrum.*
*Animus immanis eſt in opaca ſylua,*
*Sæuus: cæterum inter mortales cicur hominibúſque*
*blandus.*
*Nempe in viridantibus, cliuoſiſque ſaltibus,*
*Et fagos, & oleaſtros, & ardua genera*
*Palmarum, radicitus humi ſtrauit:*
*Incurrens acutis ingentibus genis.*
*Verùm vbi in hominum validis eſt manibus,*
*Obliuiſcitur quidẽ ſæuitiæ: reliquit vero os ſæuum*
*Tulit etiam iugum, & labris recepit frænos, (cor:*
*Et pueros tergo fert præceptores operum.*
*Fama autem quòd elephantes inter ſe loquuntur,*
*Vocem ex ore humanam barrientes.*
*Verum non omnibus audire poteſt beluina vox.*
*Illam autem intelligunt ſoli manſuetarij viri:*
*Miraculum verò etiam iſtud audiui, validiſſimos*
*elephantos*
*Diuinum in pectoribus habere cor: animo autem*
*Præſentire ſuæ mortis aduentantem neceſſitatem.*
*Non igitur ſolis in auibus ſunt*
*Olores vates fletum vltimum concinentes:*
*Sed etiam inter beluas ſuum mortis terminum*
*Augurantes iſtud genus, næniam ſibi faciunt.*
*Rhinoceros autẽ oryge quidẽ eſt corpore violento*
*Non multo maior, paulum autem ſuper ſummum*
*naſum*
*Attollit cornu ſæuum acutum, atrocem gladium:*
*Illo æs perforarit impetu facto,*
*Feriens durumque diuiſerit ſaxum.*
*Ille, tametſi validum, inuadens elephantum,*
*Sæpenumero in puluere mortuum talem & tantum*
*reddidit.*
*Leuiter porro in flaua pulchricoma fronte,*
*Et tergo, guttæ crebro purpuraſcunt.*
*Omnes autem maſculi ſunt, neque vnquam fœmi-*
*na cernitur:*
*Atque vnde, non didici: dico autem, non quòd di-*
*dicerim:*
*Siue adeo è ſaxo ſæuum iſtud genus exijt,*
*Siue eius loci indigenæ ſunt, oriuntur autẽ ex terra,*
*Siue alij ex alijs monſtrum ferum enaſcuntur*
*Abſq; amore, & abſq; nuptijs, & abſq; partu. (ris*
*Iam etiã in humidis liquidas habentibus vias ma-*
*Gurgitibus ſponte naſcentia germina, & matre ca-*
*rentia genera*
*Oſtreum, imbecillæq; apuæ, concharumq; genera,*
*Et teſtacea, & turbines, & quæ in arena naſcuntur.*
*Muſa chara de paruis non mihi fas eſt canere.*
*Imbecillas relinquito feras, quibus non vires ſup-*
*petunt,*
*Pantheras glaucas, & feles maleficas,*
*Quæq; in domeſticos armantur nidos:*
*Et paruulos, teneros, infirmóſque glires:*
*Qui quidem toto dormiunt immoti*
*Hyberno tempore, corpus ſopore ebrium habentes,*
*Miſeri, vt neq; cibum capiant, neq; lucem cernant.*
*Verum in latebris ſuis ſoporem tantum habent,*
*Aut mortui iacent, gelida morte oppetita.*
*Verum cùm veris prima renidere cœperit facies,*
*Floréſq; in pratis recenter pubuerint,*
*Pigrum mouent corpus intimo exluſtro,*
*Luminaq; aperuerunt, & aſpexerunt ſolis lumen,*
*Et iucundi noua quadam illecebra paſtus memine-*
*runt.*
*Rediuiui autem rurſum reuixerunt glires.*
*Relinquo etiam hirtum genus imbecilli ſtiari:*
*Qui quidem æſtatis mediæ feruido tempore,*
*Caudã erigit tegumentũ ſponte laqueati domicilij:*
*Quomodo nempe pauones ſuam domum inſignem*
*Curuam opacant elegantem, tergo toto diſtinctam.*
*Quibus*



*Quibus nihil hominibus Iouis fabricata eſt pru-*
*dentia*
*Formoſius, iucundis oculis ad aſpiciendum,*
*Nec quæcunq; munificam per terram parentem in-*
*cedunt,*
*Nec quæcunq; pennis per aera vaſtum meant,*
*Nec verò quæcunq; in gurgitibus ſæuos fluctus ſe-*
*cant,*
*Huiuſmodi in alitibus egregijs micat*
*Auro purpureo mixtus ardens ignis.*
*Non memorabo horridum genus aſperi erinacei*
*Maioris: duplices enim erinaceis aculeatis*
*Tetræ ſpecies, horrénſque vndique ambiens tegu-*
*Nam alij parui & imbecilli ſunt (mentum.*
*Paruis horrentes in eminentibus aculeis:*
*Alij verò etiã proceritate multo maiores, & vtrin-*
*Infeſtè horrent maioribus ſpiculis (que*
*Relinquo tria genera improbarum ſcurrilitatem ſi-*
*miarum.*
*Quis enim non oderit eiuſmodi genus, fœdum ſpe-*
*cie,*
*Imbecillum, inuiſum, aſpectu fœdum, verſutum?*
*Illæ etiam charos catulos deformes geminos cum pe-*
*pererunt,*
*Non vtriq; æqualem ſuã impertierũt charitatem:*
*Sed alteram partem amant, alterã oderunt fœtus.*
*Ipſis autem vlnis ſuorum trucidauit parentum.*
*Neque verò talparum terrigenam gentem*
*Herbis veſcentiũ, cæcorũ, canere volunt carmina:*
*Tametſi fama incredibilis per homines peruaſit,*
*Talpas regis ex ſanguine ſeſe iactare.*
*Nam Phineum aliquando fulgidus infenſus fuit*
*Titan,*
*Phineo, quem nutriebat inclyta Threſſa Colone*
*Fatiloqui Phœbi indignatus ob victoriam,*
*Et ei lucem ademit. obſcœna autem genera miſit*
*Harpyias, pennigeram, domeſticam, acerbam na-*
*tionem.*
*Verum cùm nauigaret ad aurei velleris præmium*
*In Argo naui Iaſoni opem ferentes,*
*Liberi boreales, Zetes, Calaiſq; inclyti,*
*Miſerati ſunt ſenem, & interfecerunt gentem,*
*Et iucundum membris dederunt ori cibum.*
*Verùm ne ſic quidẽ ſol iram ſedauit, verùm ipſum*
*repente*
*Talparum fecit genus qui antea non erant,*
*Idcirco nunc & cæcum manet, & vorax cibi.*

# OPPIANI DE VENATIONE LIB. III.

*SEd quoniam cornigerarum cecinimus gentes*
*ferarum,*
*Tauros & ceruos, & platycerotas inſignes,*
*Et damas, oryges, & ſplendidas capreas,*
*Et alia quibus ſuprà capita armata ſunt:*
*Nunc age ſis ſerratis dentibus truculenta, muſa me-*
*moremus*
*Carniuorarum ferarum, & exertis prædita denti-*
*bus genera.*
*Primũ autem leoni inclytũ tribuamus carmen.*
*Iouis erant altores præpotentis Saturnij*
*Infantis Curetes, quando recens natum ipſum*
*Sublatum, parentem immitem Saturnum*
*Decipiens furto filij Rhea in àntris Cretæ:*
*Cœli filius autẽ cum videret fortem tenerũ filium,*
*Primos mutauit Iouis cuſtodes illuſtres,*
*Et feras reddidit mutatos Curetas.*
*Illi autem poſteaquã conſilio dei humanam ſpeciem*
*Exuerunt Saturni, & induerunt leones,*
*Munere poſtea Iouis præclare imperant*
*Feris in montium luſtris ſtabulantibus & horrifi-*
*cum pernicem currum*
*Opis partu beatæ ſub iugo vehunt.*
*Varia autem genera illis & formæ feris ſingulis.*
*Quos igitur ad gurgites ſonori fluuij,*
*Ad Iſtrum latè fluentem peperit ſagittaria*
*Armenia, & Parthorum frugifera paſcua terra,*
*Rutili ſunt & non vſque adeo generoſi.*
*Toroſiorem quidem ferunt ceruicem, atq; prægran-*
*de caput,*
*Oculos autem fulgentes, & ſupercilia prominentia*
*Valde hiſpida ad nares, torua: ex ceruice autem*
*Et genis vtrinq; agiles luxuriant iubæ.*
*Quos autẽ educat munifica Arabum rurſum tellus,*
*Quam gentes hominum felicem vocant,*
*Colla etiam illis & pectora iubata,*
*Et ignis emicant ab oculis fulgores.*
*Egregiè porro inter omnes eximij ſunt:*
*Verum rarum horum genus habet immenſa tellus.*
*Magna autem in Africa gleboſa ſiticuloſa terra*
*Multitudo rudit validorum rugitum leonum,*
*Non iam iubata: exiguus autem ſupercurrit fulgor,*
*Horrendo autem ore, & ceruice, in omnibus autem*
*artubus*
*Leuiter atrum cæruleò fert infectum florem:*
*Vis autem in membris immenſa, & inter leones*
*Imperatorios, Libyci longe præſtant leones.*
*Aliquando autem ab Æthiopia in Libyam venit*
*terram,*
*Miraculum magnũ aſpectu, nigricans & iubatus,*
*Vaſto ſuprà capite, pedibus villoſis, oculis autem ni-*
*gris,*
*Solo flauo rutilus ore.*
*Vidi, non audiui illã aliquando feram truculentã,*
*Imperatorióſque venit miſſus ad oculos.*
*Paſtu non egent ſingulis diebus genera leonum:*
*Verum vnus cibis tribuitur, alter autem rurſum*
*laboribus:*
*Neque ſomnum vltimis capit in ſpeluncis ſaxorũ,*
*Palam verò dormit animi præſtantia fretus:*
*Dormit autem vbi oppreſſerit præpotens veſperti-*
*na nox.*
*Audiui rurſum etiam illud ex præfectis leonum cu-*
*ræ iuuenibus,*

Dextra ſub manu ferre violentum leonem
Torporem celerem, eo omnia ſoluere genua ferarũ.
Quinquies autem fœmina in partu ſoluit zonam.
Fama verò eſt planè falſa, quòd vnum pariat.
Quinque parit primum: verum quattuor deinde
Parit catulos, & deinceps pauciores:
Ex vtero tertio tres exierunt, ex quarto autem
Duo catuli, vltimum autem vnum edidit mater
Ex ventre felici partu inclytum regem leonem.
Pardi autẽ funeſti duplex genus, alij quidẽ ſunt
Maiores ſpecie, & toroſiores latis tergis:
Alij autem etiam minores quidem, at viribus nihil deteriores.
Formæ autem vtriſq; ſimiliter varietate diſtinctæ ſunt,
Præter vnam caudam, qua ſecus quàm ſpectantur:
Minoribus quidem maior eſt, proceris autẽ minor:
Compacta fœmora, longũ corpus, oculus fulgens,
Glaucæ ſunt pupillæ cilijs ſubter ſplendentibus,
Glaucæq́; ſimul ſunt, & intus rubeſcunt,
Flagrantibus ſimiles, igneæ: cæterum infra
Luridíque, venenatíque in ore dentes:
Pellis varia, & in colore candido,
Fuſca, crebris nigricantibus oculis.
Perniciſſimè currit, atq; ſtrenuè recta contrà inuadit.
Diceres, cùm videris, per aërem ſublimem ferri.
Itidem etiam iſtud genus canunt poëtæ
Olim fuiſſe Bacchi vuiferi nutrices:
Idcirco nunc quoq; vino mirum in modũ gaudent,
Cum accipiunt ore Liberi patris ingens munus.
Quæ res ex hominibus venuſtas mutauerit mulieres
In hoc pantherarũ genus ſæuũ, poſtea canã.
Iam verò aliud pernix geminum genus videas,
Lynces venuſtas: quædam enim ſunt ſpecie
Paruulæ, & in minores ſe armant lepores:
Aliæ autem maiores ſunt, adoriunturq́; facilè
Cornigeros ceruos, & violentos oryges,
Formáq; gemina penitus ſimili amictæ ſunt,
Pares quidem genis, ab oculis fulgores
Blandè micant, capita autem vtriſque
Læta ſunt, breuéque caput, & flaccida auris.
Solus autem aſpectu diſſimilis eſt color:
Minores quidem lynces ambit pellis rutila:
Maiores autem croceúſque ſulphuriq; ſimilis flos:
Præcipuè autem iſta genera charam amant ſobolem
Oculis blandæ lynces, & oculis ardentibus truculenti leones,
Pantheræq́; tetræ, & tigres pernices.
Harum autem vbi catulos teneros in ſyluis
Clàm rapuerunt intrepidi venatores,
Ipſæ autem deinde retro reuerſæ viderunt
Repente vacuáſque domos, & deſertas ædes,
Lugent flebiliter magno fletu: longe autem
Gemitum mittunt querulum, quemadmodũ patria
Expugnata ſub haſta & incenſa igni rapido,
Amplexæ natos miſerè plangunt mulieres:
Scilicet tantum & fœtus & recentis ac teneræ ſobolis
Amorem cordi inſtillauit deus, neque ideo ſolis
Hominibus, qui omnia ingenio inuenerunt,
Verum etiã ſerpentibus, & piſcibus, atq; etiam ipſis
Beluis crudiuoris, & præpetibus gregibus
Alitum: vſq; adeo natura firmiſſima (eſt) ex alijs rebus.
Cuiuſmodi educationẽ catulorũ in fluctibus delphis
Semper agit, glaucúſque cæſius, vitulusq; marinus tetrum olens.
Ecquò verò pacto in alitibus charitatem immutabilem habent
Suorum natorũ, oſſifragæq́;, gemebundæq́; columbæ,
Et aquilina genera, viuacéſque cornices.
Quomodo verò gallina in ædibus, contubernalis hominibus
Quæ paulo ante peperit, teneros luſitans circum pullos
Accipitrem ſuper tecta delabentem conſpicata,
Acutè quidem vociferatur repente, & proſilit acutè cucuriens:
Ceruicem autem altè ſuſtulit in aerem incuruans,
Et omnibus vtrinque ſuis inhorreſcit pinnis,
Et alas totas laxat in terram: illi autem trepidi
Sub muro alis optimè munito milites pipiunt pulli:
Ea autem etiam rurſum terruit, & repulit alitem impudentem,
Seruans charos liberos, quos adhuc teneros alit,
Implumes, deglabrantium thalamorum liberatos vinculo:
Sic etiam in feris rugientes leænæ,
Et pantheræ celeres, & tigres maculoſæ,
Pro catulis propugnant, & cum venatoribus decertant,
Atque pro ſuis liberis ſuſtinent interfici,
Contrà cum armatis congredientes hominibus
Neque vnquã horrent pro ſua in certamine ſobole,
Non multitudinem adorientem iaculatorũ iuuenũ,
Non æs fulgens, & micans ferrum,
Neque iactus miſſilũ celeres, & molarium crebros.
Feſtinant autem aut antè mori, aut catulos ſeruare.
Vrſi autem feri, crudele genus, callidum,
Villo quidem denſo, aſpero amicti ſunt:
Forma autem non honeſta, penitus triſti & tetra facie,
Aſperis dentibus, pernicioſum, magnũ os, ater naſus
Oculus acris, pes celerrimus, corpus vaſto capite præditum,
Manus manibus hominum ſimiles, pedeſq́; pedibus
Horrendus rugitus, fraudulentũ cor, ſubdolus animus,
Et multa venus, & ſine modo inceſſens.
Diebus enim & noctibus cupidæ amoris
Ipſæ fœminæ valde mares appetunt,
Paulum intermittentes nuptiale iucundum cubile,
Fætu prægnantes, vtero quando catuliunt.
Non enim feris cõſuetudo, venter quando grauidus eſt,
In cubile euntibus patrare venereum opus,
Solos præter lynces, imbecillóſque lepores.
Vrſa autem nuptiarum cupida, & pertæſa cubile
Viduũ habere, tam grauia in fœtũ ſuſtinuit moliri.
Antequã partus veniat tempus, antequã ſtatus dies
Ventrem expreſſit: vim autẽ adfert lucinæ Iunoni.
Tanta libido eſt, tantus impetus ad venerem.





Parit autem ſemiperfectũ, & non formatũ fœtum:
Carnem autem rudẽ, inarticulatã: informẽ ſpecie.
Simul autem libidini educationíque dat operam:
Recénſque fœta cùm eſt cum mare ſtatim cubat:
Lambitque lingua charum fœtum, quemadmodum iuuenci
Lambunt linguis, inuicem alter ab altero
Oblectantes, gaudet autem bouis cute pulchricornis bos:
Neque diſcedent priuſquam dulcis voluptas abierit
Animum autem ſequentis lætitia afficiunt paſtoris:
Sic vrſa lingens, charos formauit fœtus,
Donec gannitu turpiter rugiant.
Iam verò hybernam mirum in modũ horret tempeſtatem
Quãuis villoſa ſit. nix autẽ cum omnia conſternit
Occiduo Zephyro densè ſpargente
Conditur in ſpelunca, vbi tegmen idoneum latum:
Et cibo egens, pedes manuſque lingit
Tanquam ſugens, & ventris fallit impetum.
Talia in gurgitibus lato æquore potentis maris
Polypi tortuoſi in fluctibus fecerunt,
Hyeme qui media gelidas ſpirante minas,
Conduntur in vadorum crepidinibus, ſua flagella rodentes.
Cæterùm vbi ver humidum almũ florere cœperit,
Rami eis celeriter noui rurſum creſcunt:
Rurſumq́; flagella habentes vaſtum nauigant mare.
Deinceps memoremus pedibus valentẽ, aërium
Pernicem, ventipedem, vngulis firmiſſimum, rapidum onagrum
Qui quidem eſt lætus corpore, amplus, latus aſpectu
Argenteus colore, auribus magnis, perniciſſimus curſu.
Faſcia autem nigra medium dorſum redimit.
Niueis vtrinque cincta ſeptis:
Fœno veſcitur, nutrit eum affatim herbas nutriens terra.
Verùm ipſe validis iucundus cibus eſt feris.
Genera autem ventipedum æmula ſunt prorſus onagrorum,
Multíſque mulieribus gaudentes inſoleſcunt.
Fæminæ autẽ ſequuntur quocunq́; maritus deducit.
Paſtum eunt, cùm volunt imperare.
Ad fontes fluminum, ferarũ vinũ, rurſumq́; ſtatim
Ad nemoroſas domos, cùm veſper ſomnum adducit.
Riualitatem autẽ maribus omnibus in ſuos concitat
Liberos infantes immanis furor impudens.
Cùm enim fœmina habet partum Lucinæ,
Propè valde ſedens ſuam ſobolem contrà obſeruat:
Et cum fœtus ad matris pedes cecidit,
Siquidem fœmina eſt, amat fœtum, & vtrinque
Lingua lambens charam ſobolem mulcet.
Marem autem ſiquidem videat, tum ſane tum animum concitat
Tetra æmulatione ignea parente immanis fera:
Proſilit autem cupiens pulli malis execare
Pudenda, ne quando recenti iuuentute pubeſcat.
Illa autem, quanquam fœta, & imbecilla partu,
Nato miſero bello appetito mater opitulatur.
Quemadmodum autem aliquando in bello funeſto coram matre
Infantem interficiunt truculenti milites,
Ipsámque retro diuellunt adhuc palpitanti cæde
Filio implicatam, perquàm flebiliter lamentantem
Laniantem teneràmque genam, & ſub mammis
Sanguine perfuſam calido, tepidóque lacte:
Sic etiam fœmina onager ob natum omnino ſimilis eſt
Miſerum in modũ flenti & infeliciter lamentanti.
Diceres calamitoſiſſimam ſuum natũ defendentem
Blandè fari, & precantem dicere:
Mi vir, quid tuus vultus exaſperatur?
Quid porrò oculi rubeſcunt qui antea fulgebant?
Non frontem cernis ſaxificæ coram Meduſæ,
Non fœtum veneniuorum immaniſſimæ dracænæ,
Non catulum nefarium montiuagæ leænæ?
Natum miſera illũ pariebam, quẽ optabamus à dijs.
Natum tuum malis tuis non marem reddes?
Cohibe te mi vir, ne caſtres. quid mihi caſtraſti? quid feciſti
Nato, nullum reddidiſti, toto corpore mutilato.
Miſeram me, prorſus calamitoſa ſum incommodiſſimum ob partum:
Et tu nate miſerrimus es ob ſceleratiſſimũ parẽtem.
Miſeram me, ter miſera ſum inanẽ fœtũ quæ peperi.
Et tu nate, exectus non vnguibus leonum,
Verum infeſtis malis leoninis parentis.
Talia quiſpiam calamitoſiſſimam, ſuum circa infantẽ pullum
Fari dicat: illum autem nihil curantem, cruento
Vorare ore nefandas nati dapes.
Iuppiter pater, quàm eſt æmulationis ferus animus.
Illam etiam natura ſuperiorem videri
Feciſti ô rex: dediſti autẽ ignis acerrimũ impetum.
Dextra autẽ ferendũ adamantinũ præbuiſti enſem.
Non liberos ſeruauit charos iucundis parentibus,
Non ſocios, affinéſque graſſans, non nouit conſanguineos,
Quando ſæua & immanis inuadit.
Illa etiam olim in ſuos armauit liberos
Ipſos ſemideos & inculpatas ſemideas,
AEgiden Theſeum, & AEoliden Athamantem,
Et Atticam Prognen, & Thraciam Philomelam,
Colchidémque Medeam, illuſtrémque Themiſto.
Verùm tamen ſecundũ genus mortaliũ miſerorum
Feris Thyeſteam nefariam appoſuit menſam.
Eſt autem in præcipitijs in finibus AEthiopum
Ferorum equorum magna vis armata venenatis
Duobus dentibus exertis: pedum verò non vnam vngulam:
Vngulã autẽ rurſum habent bifidam ſimilem ceruis
Iuba autem ceruicis medium dorſum cingens,
Ad caudam extremam pertinet, neque hominibus
Seruitium ſuſtineret vnquam ferox genus tetrum,
Verùm ſi etiã aliquando capiant bene nexis laqueis
Equum ferum doloſis inſidijs colorati Indi,
Neque cibum vult in labris protinus mandere,
Neque bibere: improbus autem eſt ad ferendum iugum ſeruile.

*Spectato duo genera infauſta, infeſta dẽtibus ſerratis,*
*Ouiumq́ interfectorem lupum calligantemq́ rurſum hyanam.*
*Hunc quidem ouilium, & caprilium profligatorem:*
*Illam autem hoſtem catulis, validioribúſq; canibus.*
*Illũ quidẽ nocturnũ ob ventris ineuitabilẽ impetũ*
*Candidorum hædorumq́ verſutum raptorem:*
*Illam autem noctu ſpatiantem, & noctiuagam*
*Propterea quòd ei noctu lumen eſt, tenebræ rurſum interdiu.*
*Formæ autem vtriſque diſsimiles feris ſæuis.*
*Alterum enim canibus perſimilem cernas*
*Maioribus paſtoralibus, villoſa autem addita eſt cauda.*
*Altera verò incuruatur medio dorſo, vtrinque autem paſsim*
*Hirta eſt, conſultum autem eſt corpus tetrum*
*Nigris vtrinque crebrò faſcijs:*
*Graciliſque longáque eſt, & dorſum, & caudam,*
*Pellémque vtriſque prædicant dentibus*
*Horrificam: ex huius autem (corio) ſecans circum pedes*
*Si geſtes fers canum magnũ terrorem validorum,*
*Et te canes in illis incedentem calceis*
*Contrà non allatrant, cùm tamen anteà latrarent.*
*Quòd ſi lupum deglubant, ex corio conficias*
*Tympanum ſonorum Didymæum ſterile,*
*Solum vtique inter omnia rauciſonum clangit ſonitum,*
*Et ſolum ſtrepit: alia autem ſonora quæ anteà erant*
*Tympana ſilent, compeſcuntque omne murmur.*
*Nam & mortuæ oues mortuum lupum timent.*
*Prodigium porrò etiam iſtud audiui de maculoſis hyænis:*
*Marem & fæminam mutari annua vice.*
*Et quidem interdum eſſe caligantem ſponſum,*
*Aſsiduè cupidum nuptiarũ, nonnunquam rurſum videri*
*Fæminam coniugem, & fætam matrem ſedulam.*
*Verum luporum ſunt cana quinque genera:*
*Formas autem inter ſe diſsimiles obſeruarunt*
*Homines paſtores, quibus infeſtiſsima genera:*
*Primùm quidẽ quem vocant audacem ſagittariũ,*
*Argutus quidem toto habitu, verùm teretes artus*
*Et caput geſtat multò maius, & velocia crura:*
*Ventrem autem albicantem habet cana aſpergine,*
*Horrendum autem in modum vlulat & altè prorſus inuadit,*
*Semper quatiens caput, & trucibus cernens oculis.*
*Alter autem rurſum magnitudine procerior: planè*
*Longus, inter omnes celerrimus lupos: (autem*
*Quem homines accipitrémq; & raptorem vocant.*
*Magno autẽ cum fremitu valde arduus it ad prædam*
*Sub primum crepuſculum. facile enim indiget cibo.*
*Color autẽ candidus ſplendet in lateribus & cauda:*
*Incolit autem montes vaſtos, eos autem vbi hyemis tempore*
*Ex nubibus profuſa nix gelida operuit,*
*Tum ſanè quoque prope vrbem venit fera ſæua,*
*Omni impudentia operta cibi cauſa:*
*Clámque accedit valdeque quietus, quoad capram*
*Inuadat: eam autem repentè pernicibus vnguibus inuncat.*
*Eſt autem aliquis Tauri niuoſis in rupibus*
*Verſans, Ciliciburq; montibus, & tumulis Amani,*
*Pulcher ſpecie inter feras eximius, quẽ quidẽ vocãt*
*Aureum, fulgentem abunde comantibus villis:*
*Non lupus, verum lupo præſtantior ſæuiſsima fera,*
*Labris æreis armata, ingens robore.*
*Sæpenumero itaq; & æs rigidum, ſæpenumero ſaxũ*
*Fortiter terebrauit, & ſpiculatum ferrum:*
*Et canem ſirium nouit, & exorientem timet.*
*Itaque ilico hiatum ſubit latæ terræ.*
*Aut in ſpeluncam tenebroſam, quoad æſtus*
*Sol finem fecerit, & diræ caniculæ ſidus.*
*Infatigati rurſum duplices cruentũ genus ceruice parui,*
*Latiſque armis, verùm hiſpidis fæmoribus:*
*Et pedibus, & capite parui, oculis exigui.*
*Quorum alter candido tergo, & ventre albo*
*Nitet: niger autẽ ſolorum ſummis extremitatibus pedum,*
*Quem quidam miluium canum homines vocarunt*
*Cæterùm alter colore atro ſpectatur,*
*Minor quidẽ priore, cæterùm roboris non indigens*
*Venatur autem mirum in modum in lepores ruens,*
*Omnéſque ex artubus recti horrent pili.*
*Sæpenumero autem rurſum lupi etiam cum pantheris cruentis*
*Ad cubile acceſserunt, vnde duriſsimi tergoris genera,*
*Thoes. ſimul autẽ ferunt duplicẽ mixtum colorem,*
*Matrem quidẽ pelle, capite autẽ rurſum parentem*
*Tigridis autem deinceps inſigne corpus canamus*
*Qua non venuſtius natura præbuit ſolers*
*Oculis ad ſpectandũ, in ferarũ magna multitudine.*
*Tantum autem inter feras facilè excellit tigris,*
*Quantum inter aerias pauo pulcher volucres*
*Omnino eam cernas monticolam tanquam leænam*
*Præter ſolam pellem, qua varia circundata eſt,*
*Variè purpuraſcente, & floribus micante.*
*Talem quidem flammeum ſub cilijs oculi*
*Fulgorem iaculantur, corpus autem tale eſt,*
*Validum, opimum talis longa cauda:*
*Tale circa rictum oris roſtrum, tale ſuprà*
*Prominet ſuperciliũ, eodem modo frendent dentes.*
*Eſt autem pernicior pernicibus multò feris.*
*Ipſa enim curſu ſimilis eſt fauonio parenti,*
*Neque tamen parenti, quis enim iſta probare poſsit,*
*Quòd feræ comprimantur ſub aëre ſponſo?*
*E[illegible] enim illa vana fama, quod iſtud genus*
*Fæmineum totũ eſt, & expers concubitus maris eſt.*
*Interdum enim videas floridũ formoſum marem.*
*Facilè enim non videas: quippe relicta ſuo ſobole*
*Rapidè fugit, venatores vbi viderit.*
*At illa ſequitur catulos, ex animóque mæſta*
*Voluptas magna venatoribus, ad caſſes ilico venit.*
*Aper autem maritus multum præſtat inter feras*
*Cubilia*



*Cubilia quidem deſiderat vltimis in receſsibus præcipitiorum.*
*Mirificè autem odit ſtrepitum frementem ferarũ.*
*Fæminam autem ſine fine appetens errat,*
*Et amore valde vecors ferocit, in ceruice autem rigidæ (learum.*
*Horrent ſetæ, tanquã profuſa criſta comantiũ ga-*
*Et ſpumã ſtillatim fundit in terrã, verùm dentium*
*Multum plangit candorem anhelitu feruido,*
*Et ira in nuptijs multò magis quàm verecundia.*
*Fæmina autem ſiquidem ſe ſummittens maneat,*
*Extinguit omnem iram, placat autem feræ impetũ*
*Quòd ſi aſpernans fugiat venereum cubile,*
*Extemplo percitus feruido & igneo œſtro,*
*Aut nuptias peregit per vim impetu violento ſubacta fæmina,*
*Aut moribundã humi abiecit dentibus exertis ruẽs.*
*Eſt autem quædam apri fama, in albo dente*
*Ocultas inſtus eſſe feruidas igneas minas.*
*Argumentum autẽ hominibus perſpicuũ conſtat.*
*Cùm enim magna turba conferta venatorum*
*Cùm canibus audacibus humi feram proſtrauerunt*
*Venabulis longis crebro iaculatu conficientes,*
*Tum certè ex ceruice ſi quis euulſum pilum tenuem,*
*Feræ adhuc anhelantis admoueat denti,*
*Celerrime in orbem recurrit torridus pilus.*
*Quinetiam ipſis canibus in lateribus vtrinque,*
*Vbi apri malarum percuſſerunt feruidi dentes,*
*Veſtigia aduſta per pellem porriguntur.*
*Hyſtricibus autẽ nihil quicquã eſt in opaca ſylua*
*Formidandum magis aſpectu, neq; funeſtius aliud.*
*Horum nempe magnitudine quidem quemadmodũ lupis ferocibus,*
*Paulò minus eſt firmũ corpus: vtrinq; autem pellis*
*Aſperis hiſpidis vndique horret aculeis,*
*Cuiuſmodi armantur erinaceorum varia genera.*
*Verum cùm eum perſequuntur multò valentiores beluæ,*
*Tum certè molitur talia, acutis autem inhorreſcit aculeis,*
*Atque retrorſum dorſo præpilatum volucri*
*Rectà iaculatur noxium telum. vtrunq; autem*
*Et fugit rapidè, & fugiens pugnat.*
*Sæpè interficit canem aſperis dentibus truculentũ:*
*Iuuenem arcus peritũ iaculari. (ſic diceres*
*Proinde quando eum venatores cernunt,*
*Non canes dimittunt, dolum autem moliuntur,*
*Quem poſteà dicam, ferarũ cædem cùm memorabo.*
*Ichneumon paruus quidẽ, verũ æquè ac magnæ*
*Deſcribi feræ meretur ob ſolertiam,*
*Et ob virtutem ſtrenuam in imbecillis artubus.*
*Quippe dolis interfecit duo genera*
*Et reptiles angues, & truculentos crocodilos*
*Illos Niloos, cruentum genus. cùm enim aliqua*
*Ex feris truculẽtis dormit, triplici ſerie cõſtantibus*
*Labris, & hiatu vaſto, & ingenti vario clauſtro,*
*Tum certè ichneumon fraudulentũ conſiliũ texens,*
*Limis oculis vaſtam beluam obſeruat,*
*Quoad ſanè altum ſoporem in animo compertum habuerit.*
*Statim autem in arena, & in luto volutatus*
*Ilicet emicat, portam tranſuolans mortis*
*Audaci corde, per latas autem peruaſit fauces.*
*Cæterum ille ex ſopore grauiter anhelo expergiſcitur miſer,*
*Et malum in ilibus gerens tantum inſperatum,*
*Quocunq; furens, & conſilij inops circumuagatur,*
*Interdum quidem in fundum ruens vltimi fluuij:*
*Interdũ autẽ rurſum in arenis ſe voluens in terrã,*
*Sæuum in modum ſpirans, ſeſe verſans vndiq; ex doloribus: (paſtu.*
*Cæterum ille nihil curat, iucundo verò delectatur*
*Iecori autẽ prope quàm maxime aſsidens epulatur.*
*Tandem autem relicto inani corpore exilit è fera:*
*Ichneumon, ingens miraculum, ſtrenuiſsime, ſolertiſsime,*
*Quantam tuum cor audaciam capit, quantum (periculum) ſubiſti,*
*Proxime mortem tuum corpus vndiq; qui conſtituiſti. (ſilijs.*
*Cæterũ aſpidem virulentã eiuſmodi interfecit con-*
*Totum corpus in arena occuluit feræ inſidians,*
*Præter ſolam caudam & oculos igneos.*
*Nam cauda ei procera anguineaq; eſt,*
*Summitatibus more capitis ſimilibus apicibus*
*Coràm nigricans, ſerpentum ſquamis ſimilis.*
*Eam autẽ vbi turgidam viperam ſibilantẽ vidit,*
*Contrà in gyrum colligens prouocauit anguem teterrimum:*
*Aſpis autem venenatum cominus erexit caput,*
*Pectúſq; tumefecit, durumq́ ſubter exéruit dentẽ,*
*Pugnans malis incaſſum peſtiferis.*
*Verum non ichneumon tunc bellicoſus in arenis*
*Moratur, amaras verò exiliens cõprehendit fauces.*
*Mordet autem malis ſe volutantem vtrinque,*
*Et mortuam ilico reddit fruſtrà expuentem*
*Acerbum, mortis amicum, plurimo felle ſuffuſum venenum.*
*Iam verò aſtuta inter agreſtes maxime*
*Feras eſt vulpes, oppido martia animo,*
*Et prudens habitat vltimis in latibulis;*
*Septiferos referens domos, perforataq; cubilia*
*Procul inter ſe, ne ei venatores viri*
*Circum ianuam inſidiantes in laqueos inducant:*
*Sæuiſsima malis eſt, etiã ad comminus pugnandum*
*Cum feris fortioribus, & venaticis canibus.*
*Quando autem hyems eſt rigida, cibo autem eget:*
*Nudæ verò vites racemis circum circa cernuntur,*
*Tum certè etiam in feram acerbum conſiliũ ſtruit,*
*Et in alitibus dolo capiendis, & liberis lèporum.*
*Memora mihi etiã illa ô facunda muſa arguta*
*Mixta natura ferarum ex duobus confuſa genera,*
*Pantherã tergo variã, & ſimul cõmunem camelo.*
*Iuppiter pater quã ſolers, quot genera nobis ſeuiſti,*
*Quanta mortalibus tribuiſti, quãta marinis piſcibus:*
*Qui iſtud feciſti, prorſus camelorũ variam formã*
*Induens pellibus ſæuis pantheris,*
*Splendidum, amœnũ, manſuetũ genus hominibus.*
*Collum ei longũ, maculis pictũ corpus, aures breues,*
*Glabrum*

Glabrum ſupra caput, longi pedes, latæ plantæ,
Crurum autem non pares moduli, pedes non omnino ſimiles:
Verum ei priores ſunt longiores, poſteriores autem
Multò breuiores, & ſubſidentibus ſimiles.
Cæterū ex medio capite duo cornua rectà emergūt,
Non cornu corneū, verū ſecundū aures in medio capite
Imbecilli in temporibus oriuntur mucrones:
Satis patulum vt cerui tenerum os; tenuéſque
Intus fixi ſunt lactei vndiq; dentes.
Splendorem fulgentem vibrant oculi.
Cæterum cauda breuis quemadmodū velocibus damis,
Summis ponè nigricantibus villis.
Enimuero aliud genus meis vidi oculis,
Geminum, ingens prodigium, cum paſſere camelū,
Quam tamen velocibus annumeratam auibus,
Etiam volucrem mea canent carmina,
Propterea quod noſtræ eam cepit ratio aſtuta venationis.
Non enim alitum eam domuit funeſtum viſcum,
Neque aëream calami calcantes viam,
Verum equi catuliq; pernices, & oculti laquei.
Cuius ſcilicet magnitudo quidē immanis eſt, vt ſuperne
Dorſo lato geſtet tenerum puerum,
Et pedes proceri, ſimiles pigris camelis,
Veluti crebris compacti ſquamis
Rigidum vſq; ad duplex genu: altè autem tollit
Paruum quidem caput, magnū autem prolixis obductum pilis collum
Cæruleū: illis magna (eſt) ala, non tamen ſuperne:
Boream autem verſus fremente roſcido Auſtro,
Euro autem ineunte currit ad Fauonij auras,
Inceſſente autē Zephyro, perniciter in eurū tendat:
Aëris altiuaga natant in via.

Veruntamen ad currendū pedibus pernicibus ſunt,
Ipſis habent parem celeritatem auibus.
Neque verò auibus ſimilis aſcenſus in cubile,
Quemadmodum bactrion genus, habent auerſam venerem.
Parit autē ingens ouū, quod capiat tantam alitem,
Vndique lapideis munitum putaminibus,
Lepores canamus venationis vberrimū fructū.
Corpus eſt paruum, hirtum, longiſſima auris
Paruum ſuper caput, parui pedes, non paria crura.
Colore autem amicti ſunt diſſimili: alij quidē ſunt
Cærulei: obſcuri autem atra in terra.
Rutili autē rurſum alij in campis veluti miniatis.
Cæterū grandibus pupillis præditi, cæſia fulgent oculi
Acie, vigiliis armata. nunquam enim
Soporem in cilijs dormitantes ceperunt,
Timentes & ferarum impetum, & hominum celerem ſolertiam.
Noctu etiam vigilant, & ad venerem paratæ ſunt,
Perpetuo autem cupiunt nuptias: prope etiamnum cum ſint,
Nunquam recuſant mariti ſalacem impetum:
Ne tum quidem cum in vtero geſtant fæcundā velocem ſagittam.
Præcipuè enim iſtud genus ex ijs quæ immenſa nutrit terra,
Fæcundum eſt. alius nempe extra vterum
Fætus exit perfectus: alium autem intus
Abſque pilo geſtat, alium autem inchoatum auget:
Aliū autē informem habet mucoſum fætū aſpectu.
Ordine verò parit, & nunquam fæmina impudens
Obliuiſcitur libidinis, facit verò quicquid animus ſuadet,
Ne in ipſo quidē partus dolore recuſans venerem.

# OPPIANI DE VENATIONE LIB. IIII.

SPecies tam multæ ferarum, tot in opaca ſylua
Nuptiales amores & conſuetudines ſunt,
Odiáq;, atrocéſq; pugnæ, ſylueſtriáque cubilia:
Laboribus autem fungentium virorū opus ingens canamus,
Vtrunq;, & ſtrenuam virtutē, & callidum conſiliū,
Fraudeſq; varias, ſagacibúſque dolis
Munitū cor: iſtud quippe cum atrocibus generibus:
Pugnat, quibus deus virtutem largitus eſt & audaciam generoſam,
Et mentem, neq; ipſis multo minorem venatoribus.
Modi multi ſunt inclytæ numeroſæ venationis
Idonei & feris, & nationibus, & ſaltibus
Infinita. ecquis omnia vna mente percipere poſſet,
Vt memoret aptè canoris carminibus?
Ecquis verò omnia videre queat? quis autem tantum contueri poſſit.
Mortalis qui ſit? ſoli verò dei facile omnia cernūt.
Ego verò dicam, quæ meis vidi oculis,
Venationem ſplendidam obiens in ſyluis:
Et quæ ex hominibus didici, quibus illa curæ ſunt,

Callida variæ amœnæ myſteria artis:
Cupiens iſta omnia Seuero Iouis filio
Canere: tu verò veneranda dea domina venationis
Propitia velocibus imperatorijs memorato auribus.
Vt tuorum operum prædoctus diſciplinam omnem,
Feras interficiat, beatus pariter manu & cantu.
Ex feris quædam ſunt prudentes, callidæ,
Verum corpore paruæ: aliæ contrà fortes,
Conſilio autē in pectoribus imbecillæ: aliæ autē pariter
Et corde timidæ, & membris ſunt debiles,
Verum pedibus pernices: quibuſdam verò deus largitus eſt omnia
Conſilium aſtutum, validas vires, velocia genua.
Intelligunt autem quæq; ſuæ naturæ præclara munera,
Vbi & debiles, & vbi ſunt atroces.
Non ceruus cornibus (eſt) audax, ſed cornibus taurus:
Non malis oryx fortis, malis leones:
Non pedibus rhinoceros fretus, pedes arma leporū:
Panthera nouit teterrima manuū funeſtū venenū,
Et robur atrox ouis magnum lapideæ frontis:
Et aper vires nouit ſuorum immanes dentium.

Quæ



Quæ igitur ſunt venatoribus atrocibus
Seorſum in ſcopulis conſiliáque laqueiq;,
Diſtinctas memorabimus venationes in vnaquaque fera.
Communia autem iſta ſunt, ſimile autem ſortiuntur carmen.
Communes porro venationes caſſium, communes pedicæ,
Communia autem hominibus velocia omnia genera,
Equis & canibus perſequi: interdum autem rurſum
Et ſolis equis abſque canibus rapidè agitare,
Equis (inquam) illis, qui in Mauritania terra
Nutriuntur, aut Libycis, qui non vi manuum
Anguntur lupatis vrgentis fræni.
Parent autem viminibus quocunque homo ducit.
Quocirca equites illorum ſeſſores equorum,
Et canes relinquunt charos, freti autem venantur
Equis, ſolíſque radijs, & abſque adiutoribus.
Commune porro iaculari, & contrà ſagittis ferire
Feras maiores, quæque cum hominibus audacter pugnant.
Verſus autem caſſes neceſſe eſt dirigere gubernacula venationis,
Et flatum ventorum fugere, & ventum obſeruare,
Quemadmodum autem pontigradorum lemborum ſcanſores viri
Sedentes in puppibus nauium tractantes clauos,
Aerem circunſpiciunt, & albis auſtris
Parentes, pandunt veliuolarum carbaſa nauium:
Sic etiam in terra iubeo venatores viros
Obſeruare vtrinque ſpirantes ventos:
Vt retia tendant, voceque agitent prorſus
Vento occurrentes, quandoquidem valde feris omnibus
Sagax eſt narium odoratus: quod ſi perceperit
Aut varorum odorem, aut extenſorum retium,
Retro contendunt, conuerſa autem fuga fugiunt
Contra ipſos venatores, laborem autem vanū reddiderunt venationis.
Itaque mihi obſeruent ſpirantes ventos
Ferarum interfectores, varoſque indaginemq; adminiſtrent
Aduerſum venti flatum, à tergo autem agitent
Auſtrum verſus, ſudifico ſpirante aquilone,
In boream autem, ſuſurrante humido auſtro,
Euro autem flante, currant in fauonium ventum,
Crebreſcente verò fauonio, celeriter in eurum agitent.
Verum tu mihi primum leonum eximiam venationem
Percipito, & virorum ſtrenuam audaciam:
Locum quidem primum notarunt aduenientes,
Vbi in antris rugiens iubatus leo
Stabulatur, ingens terror boū, & ipſorū paſtorum:
Feræ autem deinde horrendam circunſpiciunt
Ex veſtigijs tritis viam, in qua frequens
Iucundum potum potaturus flumen tranans rectà commeat.
Vbi ſcilicet foueam quidē rotundā circū foderunt

Latam, & immenſam: cæterùm in media fouea
Columnam extruunt magnam, altam, arduam.
Ab iſta autem ſuſpenderunt ſublimem abripientes
Agnum tenerum abreptum à parente recens fœta.
Extra autem foueam ambientem ſepſerunt
Maceriam extructam crebris lapidibus,
Ne appropinquans doloſam foueam cernat.
Et quidem altè ſuſpenſus ſubrumus agnus balat:
Illius autem famelicum cor percuſſit balatus.
Quærens autem properat chao lætus animo,
Veſtigium ſequens balatus, huc & illuc
Circunſpiciens, igneis oculis, cito autem venit prope dolum:
Circúmque vertitur, vehemens autem eum fames vrget.
Extemplo autem maceriam tranſilijt ventri obſequutus.
Excepit autem eum hiatus vaſtus vndique ſeptus, neque intellexit
Quòd in foueam venerit improuiſi barathri.
Quocunq; autem vertitur, reciprocus ſemper ruens
Qualis circum metam certator pernix equus,
Preſſus manibus & aurigæ fræno.
Ex ſpecula autem conſpicua conſpicati
Venatores accurrunt, ſectilibus autem loris
Religatam demittunt bene textam affabrefactam caueam,
Et illic aſſum dolum occultatum ponunt cibum.
Cæterum ille ex fouea obſeruans ilico fugit.
Sic ſane in arenoſa Afrorum ſitiente terra.
Cæterum ad bene fluentis ripas Euphratis,
Equos quidem cæſios generoſos parantes
Ad ferinum prælium, quandoquidem cæſij ſunt
Perniciſſimi ad currendum, & audaces ad fortiter pugnandum,
Et ſoli perferunt leonum coràm rugitum.
Alij autem timent, & declinant oculos,
Timentes principis ſui micantem oculum,
Quemadmodum dixi etiam ante in equinis carminibus.
Pedites autem expendunt retium ſinuoſam indaginem,
Caſſes crebrioribus extruentes varis.
Tantum autem rurſum vtrinque ſinuatur cornu,
Quantum inflectitur cornu recentis lunæ.
Tres autem explorant in retibus venatores,
Vnus medius, duo autem in ſummis cornibus,
Ita vt ex medio voce aliquid ſignificante vtriſque,
Audiant vtrinque deorum extremæ alæ hominum.
Alij autem erigunt more belli funeſti
Faces ardentes igne micantes vndique habentes.
Virorum autem vnuſquiſque habet ſcutum in manu læua,
Clypei in fragore, qui feris maximus eſt timor cruentis.
Dextra autem fert ex picea flagrantem ignem.
Valde enim timet ignis vim iubatus leo.
Neque intueri ſuſtinet inconniuentibus oculis.
Illi autem vbi viderunt leonum generoſum pectus,
Omnes pariter equites irruunt: vndiq; autē pedites

Sequuntur

Sequuntur concrepantes, clamor autem æthera peruadit.
Feræ autem non manent, ſed conuerſa fuga diſcedunt,
Animo mordicus infrendentes, pugnare recuſantes.
Vt enim piſces per noctem aſtuti piſcatores
In retia dirigunt velocibus lembis geſtantes
Ardentes faces: illi autem timent cernentes
Piſces, neq; ferre poſſunt micantem fulgorem:
Itidem leones reges conniuent oculis,
Et tunc formidantes multitudinem hominum, & flammam thedarum,
Sponte ad nexa retium ilia acceſſerunt.
Eſt autem quædam venationis tertia ratio AEthiopum
Infatigati laboris, magnum miraculum: iſtud viri valentes
AEthiopes virtute freti quattuor faciunt:
Texta ſcuta conficiunt nexilibus viminibus
Fortia, & lateribus rotunda: corium autem bubulum
Siccum intendunt in clypeis rotundis,
Vt præſidium ſit aduerſus vngues ſæuos, maláſque funeſtas.
Ipſi autem ouis flore vniuerſum corpus induerunt,
Vincientes supernè crebris faſcijs,
Et caſsides tegunt capita: ſola autem cernes
Labra, & naſum, & oculos micantes.
In feram autem vadunt cum impetu fragoſo,
Plagis crebris per aërem inceſſentes.
Cæterùm ille ex antro egreſſus immanis,
Rugit pandens funeſtum rictum contra viros,
Intuens cæſiis oculis fulgentem ignem,
Ira feruidus, ſimilis infeſtis fulguribus.
Non huiuſmodi Gangis fluentum ſolem verſus
Indicam ſuper terram fuſcum populum peragrans
Rugit mugitum horrendum, cùm è rupibus
Erumpens operuit veniens corpus littoris:
Quiq; etiam quanquam latiſsimus eſt, etiã viginti alijs
Incuruatur fluminibus intumeſcens rapido gurgite
Reſonat velut ſylua mirum in modum, & ſcopuli
Ad rugitum funeſtum, infremit autem totus æther.
Atq; ille quidem ſtatim impetũ facit cupiens ſe viſceribus ſatiare,
Procellæ hibernæ perſimilis: verum illi expectant
Immoti flammeum ingruentem fremitum.
Cæterùm ille & vnguibus & malis funeſtis
Indomitus, quemcunq; ceperit irruens diſcerpit.
Eum autem alius ponè apprimè vigens adoleſcens
Reuocat, & ſonitum excitans, & clarè vociferans.
Repente autẽ conuerſus magnanimus iubatus leo,
Impetũ facit relicto eo quem ceperat in ore, & rurſum alius,
Ex obliquo iubatam ſtimulat feram nigram.
Alij autem alia ex parte eum crebri agitant
Coryſ freti, clypeisque ac faſcijs,
Quas neque validi malarum ſecant dentes,
Neque ferreorum vnguium penetrant cuſpides.
Cæterùm ille irritũ conſumit laborẽ temerè furens.
Alium quidem relinquens, alium autem à terra repentè tollens
Sublimem, alium autem rurſum indomitus rectà adoriens.
Quemadmodum autem cum in bello martium virum fortem
Hoſtilis cinxit corona feruidi prælij:
Cæterùm ille ſpirans virtutem martis, huc & illuc
Ruit, manu quatiens cruentam haſtam.
Tandem autem eum interficit martius manipulus virorum
Omnes ſimul ingruentes, ille autem ſuccidit in terram
Confixus crebris longa præditis radice ſpiculis:
Itidem ille defatigatus irritis laboribus
Tandem mortalibus dedit præmia omnia pugnæ.
Spumam autem ſtillat humi oculo demiſſo.
Quemadmodum autem vir multis redimitus coronis
Pugillatus in certaminibus, ab homine valenti,
Comminus autem crebris ſub plagis ſubactus,
Stat quidem primum madidus ſanguine largo,
Tanquam ex temulentia titubans, & in diuerſum quaſſans caput.
Deinde verò in terram ſuccidu o poplite ſternitur:
Sic ille in arena exanimatos artus porrigit.
Illi autem tunc vrgent multo magis, ſtatim autem ſuperne
Omnes trahentes validis vinciunt vinculis
Nihil repugnantem, ſed valde quietũ manentem.
O multum audaces, quantum animo conceperunt, quantum patrarunt:
Truculentum illud monſtrum, tanquam manſuetum arietem tollunt.
Audiui quòd foueis & ſimili fraude
Venantur etiam thoas impudentes, & genera
Pantherarum fallunt, verùm multò minoribus foueis.
Columnam autem non lapidibus, verum quercus ſecant ſtipitem.
Neque verò ſublimem capræ fœtum ſuſpenderunt,
Sed canis: eius rurſum genitalia ligarunt loris
Tenuibus: ille autem ſtatim cruciatus doloribus
Vlulatu latrat, & pantheras inclamat.
Eæ autem valde gaudet, & per quercum rectà ruit.
Veluti cum piſcatores naſſæ fraudem ſtatuerunt,
Quam texuerunt vimine Salaminio, & in viſceribus (naſſæ)
Polypum aut capitonem aſſantes poſuerunt.
Nidor autem in vada venit, & in naſſam
Piſces ſponte induxit, neq; poſſunt
Rurſum redire, malam autem inuenerunt peſtem:
Sic illa catulum eminus audiens,
Accurrite & ſalit, nullam arbitrata fraudem eſſe,
Ventri autem parens penetralia ſubijt barathri.
Pantheras & munera Liberi patris ſubegerunt,
Venatoribus vafris doloſum potum miſcentibus,
Nihil timentibus diuini iram Liberi patris.
Pantheræ nunc quidem ferarum genus, verum antea





Non feræ truculentæ, ſed glaucis oculis erant mulieres,
Temulentæ pampinigeræ triennalia celebrantes, floribus redimitis capitibus,
Bacchi furioſi choreas excitantis nutrices.
Infantem enim Bacchum Agenoris neptis educauit Ino,
Mammam præbens primo lacte manantem filio Iouis.
Simul autẽ pariter nutriuit, & Autonoe & Agaue,
Veruntamen non in Athamantis nefandis ædibus,
Verum in monte, quem fœmur cognomine vocabant.
Iouis enim magnam coniugem valde formidantes,
Et Pentheum tyrannum filium Echionis timentes,
In abiegna ciſta Iouis ſobolem condiderunt,
Pellibus autem hinnulorum texerunt, & ſe coronarunt baccis
In antro etiam circa puerum archano ritu tripudiarunt.
Tympana autem pulſabant, & cymbala manibus quatiebant,
Pueri vagitus latebras: primum autẽ oſtendebant
Bacchi ſacra occultam circũ ciſtam: cum his autem
Bœoticæ occultè orgia celebrabant mulieres.
Ex monte autem fidis cœtum ſocijs
Parabant vt irent Bœoticam extra terram.
Parabat enim iam, parabat inculta quæ ante fuerat
Terra ſtirpibus vigere ſub moleſtias diſcutiente Baccho.
Ciſtam autem archanam ſacer cœtus tollentes
Mittentes tergo firmarunt aſini:
Euripi autem venerunt ad littora, vbi inuenerunt
Senem cum liberis piſcatorem: circũ autem omnes
Piſcatores fundebantur, fretum lembis vt tranſmitterent:
Ille autẽ reuerentia ductus ſacras recepit mulieres.
Atque ei virens florebat in tranſtris ſmilax,
Puppem autem formoſum apium & hedera tegebant:
Et ſuper mare in caput ſaltaſſent piſcatores,
Terrore ingenti conſternati: verùm ante
In terram ratis appulſa eſt: in Eubœam autem mulieres
In Ariſtei ædes deuenerunt Bacchum deportantes:
Qui quidem ſummum incolebat montem procul ab vrbe.
Plurima autem ruſticam vitam docuit hominum,
Primus ouium gregem conſtituit, primus ille
Baccas agreſtis pinguis triuit oliuæ,
Et coagulo primus lac preſsit, & in aluos
Ex quercu ſumptas manſuetas incluſit apes.
Qui tum etiam Liberum patrem infantem ſuo in antro
Inoes educauit acceptum ex ciſta.
Cum Dryadibus autem nutriuit, & apiarijs nymphis,
Et cum Euboicis puellis, & Bœoticis mulieribus.
Iam autem puer cum ſocijs pueris ludebat,
Ferula antè ſecta, dura ſauciabat ſaxa.
Illa autem deo vinum iucundum ediderunt ex vulneribus.
Interdum autem agnos cum ipſis diſcerpebat pellibus,
Et membratim concidit, mortuos autem abiecit humi.
Rurſum autem membra manibus nuper iuuenum coniungebat.
Illi autem ilico viuebant, viride autem capeſſebant pabulum.
Etiam thiaſis curæ erat, & per totum
Orbem terrarum ſparſa erant munera Thyonæi Bacchi.
Quocunq; autem mortalibus numen proficiſcebatur oſtendens.
Tandem autem & Thebas adiit, & circum puerum
Omnes obuiam profectæ ſunt Thebanæ: cæterũ veſanus
Pentheus non ligatas manus ligabat Bacchi,
Et Deum homicidis minitabatur manibus ſe dilaniaturum,
Non Tyrij Cadmi reueritus capillum canum,
Neque adulotam ſuis pedibus Agauen.
Rapere autẽ miſerè morituris ſuis imperabat ſocijs,
Rapere (inquam) & includere, cœtumq; abigebat mulierum.
Igitur Bacchum Penthei ſatellites
Vinculis exiſtimabant ferreis duci,
Aliique Thebani: Deum autem non attingebant vincula.
Dolore autem cœpit irritari cor euantibus: omnes autem in terram
Proiecerunt ex temporibus coronas, & thyrſos ex manibus.
Omnibus autem ſtillabant euantibus lachrymæ ex genis.
Statim autem exclamarunt, Euohe be. . e, ô Bacche,
Accende fulgur ſplendidum paternum, & concute
Terram, atroci autem irrogato pœnam celeriter tyranno.
Efficito autem in iugis montibus, igne ſate, Pentheum taurum,
Taurum quidem Pentheum infandum, nos autem feras
Crudiuoras atrocibus armatas vnguibus:
Vt eum, ô Bacche, ore diſcerpamus.
Sic fatæ ſunt precantes, cito autem audiit Nyſius princeps,
Pentheũ quidem taurinum fecit, atrocem oculum,
Ceruicemqúe ſuſpendit, cornu autem excitauit ex fronte.
Illis autem glaucum fecit feræ oculum:
Et malas armauit, notauit autem in dorſo
Pellem maculis autumnalibus, & ſæua fecit genera,
Illæ autẽ Dei numine mutatæ ſunt corpore pulchro,
Pantheræ, Pentheum in rupibus dilaniarunt.
Talia autem canamus, talia animis credamus,
Quæq; Cytheronis in cliuis facinora mulierum.
Aut infandas illas alienas à Baccho
Matres, non ſanctè mentiuntur poetæ.

*Venator autem aliquis ſic laqueum cum ſocÿs alÿs*
*Feras vini amantes inſtituit pantheras:*
*Fontem nacti, Africæ in ſiticuloſa terra,*
*Quiq; exiguus perquã vaſto aqua carente in tractu*
*Improuiſè obſcuram ſtillat nigram aquam:*
*Neque longè funditur murmure, ſed perquàm malignè*
*Manatq́ue, reſeſque manet, & in arenã conditur.*
*Vnde pantherarum genus immane vadit interdiu*
*Potaturum, illi autem ilico noctu profecti*
*Venatores ferunt viginti amphoras*
*Vini ſuauis, quod vndecimo anno*
*Calcauit quis in vineis colendarũ ſtirpiũ ſtudioſus:*
*Aquæ autem immiſcuerunt ſuaue vinũ, & relicto*
*Fonte rubro, non longè cubant,*
*Sedulò tegentes corpus validum, aut ſtragulis,*
*Aut ipſis retibus, quoniam operimentum aliquod non poſſunt*
*Reperire, neq; à lapidibus, neq; frondoſis arboribus.*
*Tota enim porrigitur arenoſa, & arboribus carens regio.*
*Eas autem à flagrante ſole percuſſas,*
*Vtrunque, & ſitis, & iucundus allicit odor.*
*Ad fontem autem acceſſerunt Bacchicũ, & atram aquam*
*Lambunt Bacchum: aliæ autem in alias omnes*
*Saltitant quidem primùm, tripudiantibus ſimiles,*
*Deinde corpore ingraueſcunt, capitibus autem in terram vaſtam*
*Senſim nutant deorſum, deinde tandem omnes*
*Sopor violentus humi proſtrauit alibi aliam.*
*Vt autem cum in celebri conuiuio haurientes ex crateris*
*Æquales adhuc pueri, adhuc pubentes lanugine prima,*
*Vinum ſuaue canunt prouocantes poſt epulas*
*Alÿ alios vtrinque mutuis poculis.*
*Serò autem deſierunt, eos autem ſtrauit alium ſuper alium*
*Et ex præcordiis & oculis ingruens vis vini:*
*Itidem illæ prorſus feræ aliæ in alias fuſæ*
*Abſque labore magno ſub venatoribus fuerunt.*
*In vrſos moliuntur inſignem admirandam venationem,*
*Tigrin qui incolunt: & Armeniam arcu inclytam.*
*Magna multitudo proficiſcitur in altitudines ſyluarum,*
*Periti numellatis cum ſagacibus canibus,*
*Veſtigia veſtigarunt ſæuarum errabunda ferarum.*
*Verùm vbi viderunt canes ſigna pedum,*
*Sequuntur, venatoreſq; veſtigantes ducunt ſimul,*
*Nares quidem longas prope ſolum ponentes,*
*Retro autem ſi quod recentius viderint*
*Veſtigium properantes, emicant ilico geſtientes,*
*Obliti ſuperiorũ veſtigiorum: vbi autem ad finem peruenerunt*
*Feliciter errantis veſtigationis, & ad feræ ſolers cubile,*
*Statim ille proſilit è manu venatoris*
*Miſerum in modum latrans latus mirificè animo,*
*Quemadmodum autem cùm virgo lacte exuperantis veris tempore,*
*Nudis pedibus per montes omnes vagatur,*
*Flores quærens, ipſi autem valde longè exiſtenti*
*Fragrantẽ antequam videat violã nunciauit odor:*
*Eo autẽ valde gaudet, exultat autẽ animus facilis:*
*Vagatur autem inſatiabilis, redimito verò capite*
*Proficiſcitur in ruſticorum ædes canens parentum:*
*Itidem canis lætatur animus audax, venator autẽ*
*Etiam valde ipſum præcipitem vi retinens loris*
*Exultans, reuertens repetit turbam ſociorum.*
*His verò & luſtrũ feræ indicauit, & ferã amaram.*
*Ipſe etiam particeps certaminis vbi inſidiantes reliquerunt:*
*Illi autem feſtinantes perticas erexerunt validas,*
*Retiaq; expenderunt, & caſſes circundederunt.*
*Duos autem ſedere fecerunt in duobus vtrinq; cornibus*
*Viros in ſummis cuſtodientes retibus in melinis rupibus,*
*Iam ex ipſis cornibus, & iuuenibus ianitoribus,*
*Ad læuam quidem funem bene tortum porrigunt*
*Longum lineum, paulum ſupra terram,*
*Quoad ad vmbilicũ hominis veniat funis tortus,*
*Ex quo quidem ſuſpenduntur variè illuſtres*
*Colores faſciarum, verſicolor formido ferarum.*
*Ex eo autem ſuſpenduntur pinnæ infinitæ coruſcantes,*
*Auium quidem aeriarum formoſæ alæ,*
*Vulturum, alborumq; olorum, procerarumq; ciconiarum.*
*Dextra autem inſidias ſub rupibus collocant,*
*Quæ virentibus frondibus celeriter conſtruxerunt vmbracula.*
*Paulum autem alÿ ab alÿs quaternos contexerunt in vno quoque*
*Homines, ramis totum corpus circundantes.*
*Cæterùm vbi, vt decet, parata omnia ſunt,*
*Claſsicum increpat horrendum in modum: illa autem ex cubili*
*Acute rugit proſiliens, & acute circumſpicit rugiẽs.*
*Iuuenes autem inuadunt conferti, vtrinq; autem*
*Contra beluam vadunt cateruatim territantes:*
*Illa autẽ tumultũ relinquens & viros rectà fertur,*
*Nudum vbi videt campum vaſtum: illinc deinde*
*Maximo cum fragore excitant ad ſuperciliũ lineæ*
*Pellentes, & formidinem verſicolorem: illa autem improba*
*Incerta ſui omnino propulſa fertur.*
*Omnia autẽ ſimul timet, cateruam, fragorem, tubam, clamorem,*
*Formidoloſam lineam: nam ſpirante vento*
*Faſciæ ſuprà per aerem agitant,*
*Agitatæ autem pennæ argutæ ſibilant.*
*Itaque cernens in caſſes rectà tendit,*
*Inſidit autẽ in lineas plagas: qui autem prope ſunt*
*In ſummis retium cornibus emicant, & properantes ſuperne*
*Tormentum ſparto confectum tendunt: rotundum autem aliud ſuper aliud*

*Cumula-*



*Cumularunt rete. valde enim tum ſæuiunt*
*Vrſi, & malis, & improbis manibus.*
*Sæpenumerò autem repente effugerunt viros venatores,*
*Retiaq; euaſerunt: territam autem reddiderunt venationem.*
*Verùm tum fortis aliquis vir manum vinxit*
*Vrſi dextram, ademit autem omnem impetum.*
*Vinxitq; ſcienter, tetenditq; ad fuſtem aliquam,*
*Et rurſum incluſit cauea ex arbore picea,*
*Quæ multis voluminibus ſuum corpus inuoluerat.*
*Oportet autem à iugo quidem arduo & monte*
*Perſequi deſiderantem pernicia genera leporum,*
*Et in pronum prudente calliditate pellere.*
*Ilico enim canes & venatores vbi viderunt*
*In collem rectà contendunt. nam certò ſciunt*
*Quod anteriori parte ſunt breuiores pedes ipſis.*
*Itaque faciles leporibus ſunt colles,*
*Faciles* (inquam) *leporibus, difficiles equitibus.*
*Iam verò à via inſulta pellere.*
*Leuiores enim ſunt in callibus, & pedibus agiles.*
*Facile enim inſultant. in dura autem terra,*
*Et æſtate ingraueſcunt pedes, & hyemis tempore*
*Crurum tenus tetram ſoleam ferunt.*
*Quod ſi capias damam, caueto ne poſt multum*
*Porrectum, longumq; curſum, & finem laboris*
*Paulum requieſcat, ex ilibus autem vrinã reddat.*
*Nam damæ mirificè curſibus in medÿs*
*Veſica vexantur, neceſſario imbre*
*Grauatæ, ilia autem ad coxam vſque ſubſidunt.*
*Quod ſi paulum reſpirarint ex anhelis faucibus,*
*Multò vegetiores celerioreſq; ſunt,*
*Genibus agilioribus, & extis leuioribus:*
*Vulpes autem neque laqueis capi poteſt, neque retibus,*
*Neq; caſsibus. poteſt enim ſolertia deprehendere:*
*Poteſt autem rurſum funẽ ſecare, & nodos ſoluere,*
*Et callidis fraudibus euadere mortem.*
*Verum canes eam ceperunt crebri, neque tamen illi,*
*Tametſi validi ſint, ſiue ſanguine interfecerunt.*

# Μ. ΤΥΛΛΙΟΥ ΚΙΚΕΡΩΝΟΣ ΠΑΡΑΔΟΞΑ Δ.

ΕΡΜΗΝΕΙΑ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΤΟΥΡΝΕΒΟΥ ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥ βασιλικοῦ.

Τετράστιχον Fed. Morelli.

QVÆ *Marcus* παράδοξα, *penu deprompta Pelaſgo,*
*Donarat Gazæ Tullius Auſoniæ:*
*Illa probus doctuſq́ue tibi, gens Attica, reddit,*
*Attamen haud Græca* TVRNEBVS *ecce fide.*

## Μ. ΤΥΛΛΙΟΥ ΚΙΚΕΡΩΝΟΣ ΠΑΡΑδοξα ἑρμηνευθέντα ὑπὸ Αδρ. Τουρνέβου.

ΚΑΤΩΝΑ τὸν σὸν πρὸς μητρὸς θεῖον πολλάκις, ὦ Βροῦτε, κατενόησα, ὅτε δὴ ἐν τῇ συγκλήτῳ τὴν γνώμην ἀπεφήνατο, τόπους τινὰς ἐκ τῆς φιλοσοφίας κομιδῇ σπουδαίους μεταχειρίσασθαι, ἀλλοτρίους δὲ καὶ τῆς ἀγορᾶς καὶ πολιτείας· ὅμως δ' οὖν τῇ εὐρεσιλογίᾳ ποιεῖν, ὥστε τῷ δήμῳ ἐκείνους μάλα πιθανοὺς δοκεῖν. ὃ δὴ ἐκείνῳ ἐκ τούτου μείζονος ἦν δυσχερείας, ἤ σοι ἢ ἐμοί· ὅτι δηλονότι ἐκείνῃ φιλοσοφίᾳ μᾶλλον χρώμεθα, ἣ τὴν τῶν λόγων δύναμιν ἐγέννησε, καὶ ἐν ᾗ τὰ λεγόμενα οὐ παρὰ πολὺ ἀπὸ τῆς δημώδους ὑπολήψεως ἀφίσταται. ὁ δὲ δὴ Κάτων ἐντελής, οἶμαι, Στωϊκός, ταῦτά που δογματίζει, οἷς ὁ πολὺς ὅμιλος οὐ συγκατατίθεται. καὶ ἐκείνης τε τῆς αἱρέσεως ἔχεται, ἥτις οὐδεμίᾳ λέξεως αὐθολογίᾳ ἐφέπεται, οὐδὲ τὸ ἐπιχείρημα πλατύνει. ἀλλὰ σμικραῖς ἐρωτήσεσι, καὶ οἱονεὶ κέντροις, τὸ προτιθέμενον συμπεραίνει. οὐδὲν μέντοι ὅμως ἐστὶν οὕτως ἀπίθανον, ὃ μὴ λόγῳ πιθανὸν γένηται. οὐδὲν οὕτως κατεσκληκός τε καὶ ἄκομψον, ὃ οὐχὶ τῷ λόγῳ λαμπρυνῆται, καὶ οἱονεὶ θεραπεύηται. τοῦτο δὴ οὕτως ὑπολαβὼν προθυμότερον διὰ τοῦτο καὶ θαρραλεώτερον, ἢ αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ Κάτων, οὗ πέρι τάδε φημί, ἐποίησα. Κάτων μὲν γὰρ μόνον περὶ μεγαλοψυχίας, περὶ ἐγκρατείας, περὶ θανάτου, περὶ ἀρετῆς κάλλους, περὶ θεῶν ἀθανάτων, περὶ τῆς πρὸς τὸν πατρίδα φιλίας, τὸν Στωϊκὸν τρόπον, ἄνευ ῥητορικοῦ κόσμου εἴωθε διαλέγεσθαι. Ἐγὼ δέ σοι ἃ μόγις οἱ Στωϊκοὶ πολλῆς σχολῆς τυγχάνοντες, ἐν τῇ διατριβῇ, πιθανῶς κατασκευάζουσιν, οἷον παίζων εἰς τόπους κοινοὺς συντέθεικα ἅπαντα θαυμάσια ὄντα, καὶ πᾶσιν ἀπίθανα, ἀπὸ ἐκείνων δῆθεν καὶ παράδοξα ὀνομάζεται· πειρᾶσθαι ἠθέλησα εἰ δυνηθείη εἴς τε τὸ φῶς προάγεσθαι, τοῦτό ἐστιν εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ οὕτω ῥηθῆναι, ὥστε προσίεσθαι παρὰ πάντων, καὶ εὐδοκιμεῖν· ἢ τάχα ἄλλος εἴη λόγος ὁ φιλόσοφος, ἄλλος ὁ δημοτικός. τοσούτῳ δὲ καὶ φιλοτιμώτερον γέγραφα, ὅτι ταῦτα τὰ λεγόμενα παράδοξα μάλιστά μοι Σωκρατικά δοκεῖ εἶναι, καὶ πολλῷ γε ἀληθέστατα. σὺ γοῦν μικρὰν ταύτην πραγματείαν συντομωτέραις ταῖς δὲ νυξὶ ἐξειργασμένην ἀποδέξῃ· ἐπεὶ ἐκεῖνο δὴ μειζόνων ἀγρυπνιῶν σύνταγμα ἐπὶ τῷ σοῦ ὀνόματι ἐξεφάνη. καὶ σὺ μὲν οἷον ἀπογεύσῃ τὸ τῶν ἐμῶν μελετῶν γένος, αἷς χρῆσθαι εἴωθα, ὁπότε τὰ ἐν ταῖς χο-

λαῖς θετικὰ ὀνομαζόμενα, εἰς τοῦτο τὸ ἡμέτερον λόγων ῥητορικῶν γένος μεταφέρω. τὴν δὲ ὅμως τὴν πραγματείαν ἐκδοθῆναι οὐδὲν δέομαι. τοιαύτην γε δὴ οὐκ οὖσαν, ὥστε ἐν τῇ ἀκροπόλει, ὥσπερ τινὰ τοῦ Φειδίου Γαλλάδα, ἀνατίθεσθαι· ἀλλὰ γοῦν ἵνα ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐργαστηρίου ἐξεληλυθέναι δοκῇ.

## ΟΤΙ ΜΟΝΟΝ ΤΟ ΚΑΛΟΝ, ΑΓΑΘΟΝ.

Φοβοῦμαί γε δὴ μήτις ὑμῶν ἐμὲ τοῦτο ἐκ τῶν Στωϊκῶν διαλόγων εἰληφέναι, οὐχὶ δὲ ἐκ τῆς ἡμετέρας ἐπινοίας τε καὶ αἰσθήσεως εὑρηκέναι οἴηται· ὅμως δ' οὖν τὸ μοι δοκοῦν φράσω, καὶ φράσω δὴ τάχα συντομώτερον, ἤπερ τηλικοῦτον πρᾶγμα εἰρῆσθαι δύναται· οὐδέποτε νὴ δία ἔγωγε οὔτε τούτων χρήματα, καὶ πλεονεκτήματα, οὔτε λαμπρὰς οἰκίας κατασκευῶν πολυτελείας, οὔτε δύναμιν, μήτε στρατηγίαν, μήτε δὴ ὑφ' ὧν σαγηνευθέντες ἀγρεύονται ἡδονὰς, ἢ ἐν ἀγαθοῖς ἢ ἐν αἱρετοῖς ἠριθμησάμην· ἅτε δὴ ὁρῶν τοὺς ἄνδρας τούτων περιρρεόντων καὶ ὑπεραντλῶν, γλιχομένους ὅμως ὧν ὑπερεμπίμπλανται. οὔποτε γὰρ ἢ ἐμπίμπλαται, ἢ ἐς κόρον ἐμφορεῖται τὸ τῆς ἐπιθυμίας δίψος· οὐδὲ μόνον οἱ ταῦτα ἔχοντες τῷ τοῦ αὔξειν ἔρωτι ἀδημονοῦσι καὶ ἐνοχλοῦνται, ἀλλὰ δὴ καὶ τῷ μὴ ἀποβάλλωσιν ἐκεῖνα φόβῳ λυποῦνται. καὶ ἐνταῦθα τὸν τῶν προγόνων, ἐγκρατεστάτων δήπουθεν ἀνθρώπων, λογισμὸν καὶ φρόνησιν συχνάκις ἐπαινῶ, ὅτι τάδε τῶν χρημάτων μέρη εὐτελῆ ὄντως καὶ ἄστατα, ὀνόματι μὲν ἀγαθὰ εἶναι ὑπέλαβον, ἔργῳ δὲ καὶ τοῦ βίου τρόπῳ λίαν ἑτέρως ἐνόμιζον. δύναται γὰρ τὶ ἀγαθὸν ὂν βλάπτειν ποτέ τινα; ἢ ἄρα τις ἐν παμπλήθει ἀγαθοῦ πληροφορίᾳ καὶ περιουσίᾳ, αὐτὸς οὐκ ἀγαθὸς εἶναι; ἀλλὰ μὴν τὰ τοιαῦτα κακοῖς τε παραγίνεται, καὶ ἀγαθοὺς τὰ πολλὰ βλάπτει. τοιγαροῦν γελάτω πλατὺν γέλωτα, καὶ χλευαζέτω, εἴ τις ἐθέλῃ· πλεῖον δὲ ὅμως παρ' ἔμοιγε ὀρθὸς ὁ λόγος ἰσχύσει, ἢ πολλοῦ τοῦ ὁμίλου ὑπόληψις. οὔτε ἔγωγέ ποτε τἀγαθὰ ἀπολωλεκέναι, τὸν ἢ τὰς ἀγέλας, ἢ τὰ ἔπιπλα ἀποβαλόντα, φήσω. καὶ δὴ καὶ συχνάκις τὸν σοφὸν ἐκεῖνον Βίαντα ἐπαινέσω, τὸν ἐν τοῖς, οἶμαι, ἑπτὰ ἀριθμούμενον· ὅστις τῆς πατρίδος ὑπὸ τῶν πολεμίων κατὰ κράτος ἑαλωκυίας, ἁπάντων τε πολιτῶν ἀμεταστρεπτὶ φευγόντων, καὶ τῶν ὑπαρχόντων ὁπόσα ἐδύναντο ἐκκομιζόντων· ὑπό τινος προτρεπόμενος ταὐτὸ ποιεῖν, Καὶ μὴν, ἔφη, ποιῶ· τὰ μὰ γὰρ ἅπαντα συμπεριφέρω. οὗτος τάδε τῆς τύχης ἐμπαίγματα καὶ ἀθύρματα, τὰ ὑφ' ἡμῶν ἀγαθὰ ὀνομαζόμενα, οὐχ ἑαυτοῦ ἐνόμιζεν εἶναι. τί ἄρα, φήσει τις, ἀγαθόν ἐστι; νὴ δία εἰ τὸ ὀρθῶς, καλῶς καὶ ἐναρέτως πραττόμενον, τοῦτο εὖ καὶ καθηκόντως πράττεσθαι ἀληθεύεται, τὸ ὀρθὸν δηλαδὴ καὶ κατορθούμενον τὸ καλὸν καὶ ἐνάρετον ἀγαθόν ἐστι μόνον. ταῦτα μέντοι ἀσαφέστερά πως εἶναι δοκεῖ ἀνειμένως ἄνευ παραδειγμάτων διαληφθέντα, ἅπερ καὶ ἔργοις καὶ παραδείγμασι διασαφηθέντα ἀνδρῶν ἐξοχωτάτων λόγοις ἀκριβέστερον ἢ ἐχρῆν διαλεχθῆναι δοκεῖ. ἐρωτῶ γὰρ ὑμᾶς, μῶν τινα οἱ τήνδε πολιτείαν ὑμῖν καταβαλόμενοι λαμπρῶς οὕτω, καὶ θεμελιώσαντες, ἔννοιαν ἐσχηκέναι δοκοῦσιν, ἢ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πρὸς κιμβίαν, ἢ καλλιχωρίας πρὸς θυμηδίαν, ἢ ἐπίπλων πρὸς τρυφὴν, ἢ βρωμάτων πρὸς ἡδονήν. προβάλλου, καὶ πρὸ ὀφθαλμῶν λάμβανε ὅντινα βούλει τῶν βασιλέων· βούλει ἀπὸ τοῦ Ῥωμύλου ἀρξώμεθα; βούλει μετὰ τὴν πόλιν ἠλευθερωμένην ἀπὸ τῶν αὐτῆς ἐλευθεριωτῶν; τίσιν γὰρ κλίμαξι καὶ βήμασιν εἰς οὐρανὸν ἀνέβη ὁ Ῥωμύλος; ἆρα χρήμασι, ἅπερ παρὰ τούτων ἀγαθὰ ὀνομάζεται; ἢ μᾶλλον κατορθώμασι, καὶ καλαῖς πράξεσι, καὶ ἀρεταῖς; τί δὲ, τοῦ Νουμᾶ Πομπιλίου πότερον σκυφίδια πήλινα, ἢ ὑδρίας κεραμέας ἧττον προσφιλεῖς θεοῖς νομίζομεν γενέσθαι, ἤπερ τὰς ἄλλων σκαφίδας καὶ ἐκπώματα, καὶ φιάλας τὸν τρόπον ἐντετορευμένας; τοὺς ἄλλους παραλείπειν μοι δοκῶ· εἰσὶ γὰρ ἀλλήλοις ὁμοιότροποι, πλὴν ἑνός γε Σουπέρβου. Βροῦτον δὲ εἴ τις ἔροιτο, τί αὐτὸν ἐν τῇ τῆς πόλεως ἐλευθερώσει πεπρᾶχθαι νομίζοι· εἴ τις τοὺς ἄλλους ταύτης συμβουλῆς μετεσχηκότας, τί ἐσκόπουν, τί προῃροῦντο· ἆρά τις αὐτῶν γένοιτο, ὅστις ἐκεῖνα προαιρέσει, ἢ τῆς ἡδονῆς, ἢ τῶν χρημάτων πεπραχέναι, οὐχὶ δὲ τῷ ἔργῳ ἀνδρείου, καὶ μεγαλοψύχου ἀνθρώπου φαίνοιτο; τί γὰρ Μούτιον Σκαίβλαν εἰς ἀναίρεσιν Πορσένου βασιλέως, ἄνευ γε οὐδεμίας ἐλπίδος σωτηρίας, προήγαγε; ποία ἀνάγκη Ὁράτιον Κόκλιτα πρὸς ἅπασαν πολεμίων δύναμιν ἕνα ὄντα ἐν τῇ γεφύρᾳ κατέσχε; ποία Δέκιον τὸν πατέρα, ποία τὸν υἱὸν κατηράσατο, καὶ εἰς ὡπλισμένας τῶν ἐναντίων φάλαγγας εἰσώθησεν; τί δὲ ἡ ἐγκράτεια Καίου Φαβρικίου; τί δὲ σώφρων καὶ εὐτελὴς βίοτος Μ. Κυρίου ἐβούλετο; τί δὲ οἱ Σκιπίωνες δύω, ὑμέτερα δηλαδὴ τοῦ πολέμου Καρχηδονίου προβλήματα καὶ οἷον ἀκροπόλεις, οἱ τοῖς ἑαυτῶν σώμασι τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπέλασιν οἱονεὶ διετειχίσαντο; τί Ἀφρικανὸς ὁ μείζων; τί ὁ ἐλάττων; τί ὁ τούτων ἡλικίαις παρεμβληθεὶς Κάτων; τί δὲ μύριοι, καὶ ἀνάριθμοι ἄλλοι; ἡμεῖς μὲν γὰρ παραδειγμάτων οἰκείων εὐποροῦμεν. πότερον τί ἐν τῷ βίῳ ἑαυτοῖς αἱρετὸν ἐνθυμηθῆναι, ὅ, τι μὴ ἐπαινετὸν ἢ καλὸν φαίνοιτο; ἡκέτωσαν τοίνυν οἱ τήνδε τὴν γνώμην τε καὶ ῥῆσιν διασύροντες, καὶ ἤδη δῆθεν κρινέτωσαν, πότερον αὐτοί τινι τούτων τῶν οἰκήμασι μαρμαρέοις, ἐλέφαντι καὶ χρυσῷ ἀποστίλβουσι, τῶν ἀνδριάσι καὶ γραφαῖς, χρυσώμασι καὶ ἀργυρώμασι ἐντετορευμένοις, καὶ ἐγγεγλυμμένοις, καὶ Κορινθιουργέσι, δι' εὐπορίαν γαυριώντων, προσεοικέναι μᾶλλον ἐθέλοιεν, ἢ Καίῳ Φαβρικίῳ, τῷ τῶνδε μηδὲν ἐσχηκότι, μηδὲν ἔχειν ἐθελήσαντι. πλὴν ἀλλὰ ταυτὶ τὰ νῦν τῇδε, νῦν ἐκεῖσε μεταφερόμενα, ῥᾳδίως γε ἀναπείθονται, μηδὲ ἀγαθὰ νομίζειν· τούτου δὲ προσφυῶς ἔχονται, καὶ ἀντιλαμβάνονται, καὶ ἀκριβῶς ὑπερδιατείνονται καὶ ὑπερμάχονται, τὴν ἡδονὴν τέλεον καὶ ἀκρότατον ἀγαθὸν εἶναι. ἥδε δὴ φωνὴ οὐχ ὅπως ἀνθρώπου, ἀλλὰ μᾶλλον θρέμματος καὶ βοσκήματος εἶναι φαίνεται. σὺ γὰρ ἢ ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἤγουν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὑπὸ παμμήτορος τῆς φύσεως τῷ νῷ καταξιωθεὶς, οὗ τί ἄλλο χρῆμα βέλτιον, τί θειότερον; οὕτω σεαυτὸν καταβαλεῖς, καὶ χαμαὶ καταστρώσεις, ὥστε μεταξὺ σαυτοῦ, καὶ τετραπόδου μηδὲν νομίζειν διαφορᾶς; ἔστιν ἄρα τί ἀγαθὸν, ὅπερ τὸν ἔχοντα οὐ βελτίω ἀπεργάζεται; ἕκαστος γὰρ ὅτι μάλιστα τοῦ ἀγαθοῦ μετέχων, εἶτα καὶ δὴ ἐπαινετώτατός ἐστιν· καὶ δή καὶ ἀγαθὸν οὐδέν ἐστιν, ἐφ' ὅτῳ οὐχὶ καλῶς ὁ κεκτημένος καυχήσειεν. τί δὲ τούτων τῇ ἡδονῇ πρόσεστιν; πότερον ἢ βελτίω ἢ ἐπαινετώτερον ἀποφαίνει τινά; ἆρά τις ἐπὶ τῇ τῶν ἡδονῶν ἀπολαύσει, ἑαυτὸν ἢ καυχήσας, ἢ ἐξαγορεύσας καὶ ἀνακηρύξας διαρρήδην ἐπαίρει; καὶ μὴν εἰ ἡδονὴ ἡ πολλῶν γε συνηγορίαις καὶ ἐπικουρίαις προβαλλομένη καὶ ὀχυρωμένη, τοῖς ἀγαθοῖς οὐκ ἐναριθμεῖται. καὶ ἥδε ὅσῳ μείζων,



ζῶν, τοσούτῳ μᾶλλον τὸν νοῦν ἐκ τοῦ καθεστηκότος ἐξίστησιν· οὐδὲν ἄλλο δῆθά ἐστιν εὖ καὶ εὐδαιμόνως ζῆν, εἰ μὴ καλῶς καὶ ὀρθῶς βιοτεύειν.

## ΟΤΙ ΑΥΤΑΡΚΗΣ ΑΡΕΤΗ ΠΡΟΣ ΕΥΔΑΙμονίαν.

Ἐγὼ δὲ Μάρκον τὸν Ῥέγλον οὐδέποτε ἄθλιον, οὔτε κακοδαίμονα, οὔτε δυστυχῆ ἡγησάμην. οὐ γὰρ αὐτοῦ ἡ μεγαλοψυχία ὑπὸ Καρχηδονίων ἐβασανίζετο, ἡ βαρυπρέπεια, ἡ πίστις, ἡ εὐστάθεια, ἡ ποία τις ἀρετή, ἡ ἀμέλει αὐτὴ ἡ ψυχὴ, ἥτις ἐν τοσούτων ἀρετῶν φρουρίῳ, τοσαύτῃ τε συνελεύσει καὶ συνοδίᾳ οὖσα, ὁπότε τὸ αὐτοῦ σῶμα κατελαμβάνετο, καταλαμβάνεσθαι γοῦν οὐκ ἠδύνατο. Καίον μέντοι Μάριον ἑωράκαμεν, ἄνδρα ἐν μὲν ταῖς εὐπραγίαις καὶ εὐτυχίαις τῶν εὐτυχεστάτων ἕνα, ἐν δὲ ταῖς συμφοραῖς καὶ δυσημερίαις τῶν ἐπιεικεστάτων καὶ ἐξοχωτάτων ἐμοὶ γοῦν δοκοῦντα, οὗ τινος τί ἄλλο μείζονος εὐδαιμονίας ἀνδρί γε καὶ θνητῷ ὅτι εἶναι δύναιτο; ἀγνοεῖς τοίνυν, ὦ ἀφρονέστατε, τὴν τῆς ἀρετῆς δύναμιν ὁπόση καὶ πηλίκη; τοὐνόματος δὴ μόνον ἀντιλαμβάνεις· τί δύναιτο αὐτὴ, οὐκ οἶδας. τὸν ἐξ αὐτοῦ ὅλον ἐξηρτημένον, καὶ ἐν ἑαυτῷ ἅπαντα τιθέμενον, ἀνάγκη πᾶσι καὶ εὐδαιμονέστατον γενέσθαι. ὁ δὲ καὶ τὴν ἐλπίδα, καὶ τοὺς λογισμοὺς, καὶ τὰς διανοίας ἐκ μόνης τύχης ἐξαψάμενος, τούτῳ δὴ βέβαιον, οὐδὲν καθέστηκε, οὐδὲν ὅπερ καὶ μίαν μόνην ἡμέραν πιστῶς παραμείνειεν. σὺ μὲν οὖν δεδίττου καὶ φόβει, ὅντινα βούλει, ταῖς δὲ ἢ φυγῆς ἢ θανάτου ἀπειλαῖς. ἐμοὶ δὲ ἐν πόλει οὕτως ἀχαρίστῳ καὶ ἀγνώμονι, ὅ, τι ἂν συμβήσηται, τοῦτο οὐχ ὅπως ἀνταιρομένῳ συμβεβηκὸς ἔσται, ἀλλ' οὐδὲ παραιτουμένῳ. τί γὰρ ἐγὼ ἐπονησάμην, τί δὲ ἐποίησα, ἢ ἔν τινι δὴ πράγματι αἱ φροντίδες μου καὶ λογισμοὶ ἐγρηγόρασι, εἰ τοιοῦτον οὐδὲν ἐπορισάμην, ὥστε ἄχρι ταύτης τῆς τάξεως καὶ ἀξιώματος ἐφικέσθαι, ἣν οὔτε ἡ τῆς τύχης αὐθάδεια διαφθείρειεν, οὔτε ἡ τῶν ἐχθρῶν ἀπόνοια; θάνατον ἄρα ἀπειλεῖς μοι, ἵνα ἀπ' ἀνθρώπων, ἢ δῆθα φυγὴν, ἵνα ἀπὸ τῶν κακῶν, καὶ βδελυρῶν μετοικήσω; ὁ μὲν οὖν θάνατος ἐκείνοις φοβερὸς ἔστω, ὧν περ ἅπαντα συναποσβέννυται τῷ βίῳ· οὐ μὲν τοὔπιστε ὧντινων ὁ ἔπαινος οὔποτε ἀπολεῖται. ἡ δὲ δὴ φυγὴ, οἷς τόπους τίς πρὸς οἴκησιν περιγέγραπται καὶ περιώρισται, οὐχὶ τοῖς τὸν σύμπαντα κόσμον μίαν εἶναι πόλιν ἡγουμένοις. σὲ μὲν οὖν δυστυχίαι πᾶσαι καὶ πόνοι πιέζουσι καὶ στενοῦσι τὸν εὐδαίμονα σαυτῷ καὶ μακάριον δοκοῦντα, καὶ δὴ αἱ ἐπιθυμίαι διαστρεβλοῦσί σε. σὺ νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ἄγχῃ, ἅτε δὴ οὔποτε ὄντος αὐτάρκους σοι τοῦ παρόντος, καὶ φοβουμένου σοῦ, μήποτε τοῦτο ἐφήμερον καὶ μὴ παράμονον. σὲ τὸ τῶν σῶν παροινιῶν καὶ κακουργημάτων συνειδὸς κεντεῖ καὶ νύττει σὲ ὁ τῶν δικῶν καὶ νόμων φόβος ἀδημονεῖν καὶ ἀθυμεῖν παρασκευάζει. εἰς ὅ, τι οὖν ἀπέβλεψας, ὥσπερ τινὲς ἐριννύες, οὕτω δὴ σαυτῷ ἰδίᾳ ἀπαντῶσιν ὕβρεις καὶ παρανομίαι, αἳ οὐδέν σε ἀναπνεῖν ἐῶσαι. τοιγαροῦν ὡς κακούργῳ καὶ ἄφρονι καὶ δειλῷ οὐδενὶ καλῶς καὶ εὖ οὐδέποτε οἷόν τε εἶναι· οὕτως ἄρα ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ φρόνιμος καὶ ἀνδρεῖος, οὔποτε ἄθλιος γενήσεται· καὶ δῆθα τοῦ καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ ἦθος ἐπαινετοῦ, ἐπαινετὸς καὶ ὁ βίος τυγχάνει ὤν. οὐδὲ ὁ βίος ἐπαινετὸς φευκτέος· φευκτέος γε ἂν ἦν, ἄθλιος ὤν. τοιγαροῦν τὸ ἐπαινετὸν τοῦτο δὴ καὶ μακάριον καὶ ἀνθηρὸν καὶ ἀρετὸν ὀφείλει φαίνεσθαι.

## ΟΤΙ ΙΣΑ ΤΑ ΑΜΑΡΤΗΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΑ ΚΑΤΗγορήματα.

Μικρόν τι φῇς τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ μὴν οὐ σμικρὸν τὸ ἁμάρτημα. οὐ γὰρ δὴ τὰς ἁμαρτίας ταῖς τῶν πραγμάτων ἀποβάσεσι, ἀλλὰ ταῖς ἀνθρώπων κακίαις μετροῦμεν, ἐν ᾧπερ ἁμαρτάνεται, τοῦτο ἄλλου καὶ μεῖζον καὶ ἔλαττον εἶναι δύναται. τοῦτο δὲ τὸ ἁμαρτάνειν, ὁποιδήποτε ἑαυτὸν ἐπιστρέψειας, ἓν καὶ ταὐτὸ ὑπάρχει. πλοῖον χρυσοῦ ἀνάμεστον ἀνατρέψειεν ὁ κυβερνήτης, ἢ ἄρα ἀχύρων ἀνάπλεων, ἐν τῷ χρήματι ὀλίγον διαφορᾶς ἔνεστιν, ἐν κυβερνήτου δ' ἀτεχνίᾳ οὐδέν· τινὸς ἀσέλγεια ἐπαρῴνησεν εἰς ἄγνωστον καὶ τὸ τυχὸν γύναιον, ἡ λύπη γοῦν ἐπ' ἐλάττους διήκει, ἤπερ εἰ ἠσέλγαινεν εἰς γυναῖκά τινα καὶ εὐπατρίδα παρθένον· οὐχ ἧττον δ' ὅμως ἡμάρτηται. εἴπερ τὸ ἁμαρτάνειν ἐστὶν, ὥσπερ τὰς γραμμὰς ὑπερβάλλεσθαι, καὶ ὑπερπηδᾶν· ὅπερ ὁ ποιήσας ἐνέχεται τῇ ἁμαρτάδι· ἄχρις οὗ παρελαύνοι, ὅσον πόρρω παρέρχοιτο ὁ ἅπαξ παραβεβηκὼς, πρὸς τὸ αὔξειν τῆς παραβάσεως πλημμέλημα οὐδὲν διαφέρει. τὸ μὲν γὰρ πλημμελεῖν οὐδενὶ ὅσιον. τὸ δὲ μὴ ὅσιον, παρὰ τοῦτο μόνον ἐστὶν, εἰ μηδενὶ πρέπειν ἀποδείκνυται. καὶ δὴ εἰ τοῦτο μήτε μεῖζόν ποτε, μήτε ἔλαττον γενέσθαι δύναται. τῷ δὲ δηλονότι προσόντος ἀδικήματός τις εἰ μηδὲ ὅσιον· τούτου γε ἑνὸς καὶ μόνου ὄντος, ἀνάγκη πολλὴ τὰ ἐξ αὐτοῦ γινόμενα ἁμαρτήματα ὑπάρχειν ἴσα. εἰ δὲ καὶ ἀρεταὶ ἀλλήλαις ἴσαι τυγχάνουσιν οὖσαι, καὶ αἱ κακίαι προδήλως εἶεν ἂν ἴσαι. τὰς δὲ ἀρετὰς ἰσοτίμους ὑπάρχειν, μήτε ἀνδρὸς ἀγαθοῦ βελτίω τινὰ, μήτε σώφρονος σωφρονέστερον, μήτε ἀνδρείου ἀνδρειότερον, μήτε σοφοῦ σοφώτερον, γίνεσθαι οἷόν τ' εἶναι, δῆλον καὶ συμφανὲς ῥᾳδίως ἅπασι. ἆρά γε δίκαιον ἐρεῖς ἄνδρα, τὸν παρακαταθεμένας, δέκα χρυσοῦ λίτρας, οὐ παρόντος μάρτυρος, κερδαίνειν δυνηθέντα, καὶ ἀποδόντα· ταὐτὸ δὲ ἐν μυρίαις λίτραις μὴ ποιήσαντα; ἤγουν σώφρονα, τὸν μιᾶς τινὸς ἐπιθυμίας ἑαυτὸν ἐπέχοντα, εἰς ἄλλην δὲ ἀφειδῶς ἐκχέοντα; ἀρετὴ μία τις ἐστὶν συνομολογοῦσα καὶ τῷ λόγῳ καὶ ἐνδελεχεῖ εὐσταθείᾳ. οὐδὲν προστίθεσθαι οἷόν τε, ἵνα μᾶλλον ἀρετὴ λέγοιτο. οὐδὲν ἀφαιρεῖσθαι, ἵνα τὸ ἀρετῆς ὄνομα σώζοιτο. εἰ γὰρ καλαὶ καὶ ἀγαθαὶ πράξεις κατορθώματα εἰσὶν, καὶ οὐδὲν ὀρθοῦ ὀρθότερον, τοῦ ἀγαθοῦ δήπουθεν βέλτιον οὐδὲν εὑρεθήσεται. συμβαίνει τοίνυν ἐκ τούτου καὶ συμπεραίνεται, καὶ τὰς κακίας ἴσας ὑπάρχειν, εἴπερ δὴ τὰς τῆς ψυχῆς λώβας καὶ διαστροφὰς ὀρθῶς καὶ προσηκόντως ἔχει κακίας ὀνομάζειν. εἰ μέντοι αἱ ἀρεταὶ ἰσότιμοι ὑπάρχουσι, καὶ τὰ κατορθώματα, ὡς δῆτα ἀπὸ τῶν ἀρετῶν γενηθέντα, ἴσης ἀξίας τυγχάνειν προσήκει· τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τὰ ἁμαρτήματα, ὡς ἐκ τῶν κακιῶν παροχετευθέντα, ἐξισοῦσθαι ἀνάγκη. ἀλλὰ σὺ μὲν παρὰ τῶν φιλοσόφων τάδε χρησθέντα καὶ δεδανεισμένα λαμβάνεις. ἐφοβούμην ἄρα μὴ παρὰ μαστροπῶν φήσειας. ἀλλὰ Σωκράτης τοῦτον τὸν τρόπον διελέγετο: εὐφημεῖς μὲν οὖν καὶ καλῶς λέγεις. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ

πεπαιδευμένον τε καὶ σοφὸν ἄνδρα γεγονέναι, μνήμη εἰς ἡμᾶς παραδέδοται. ἀλλὰ ὅμως ἐρωτῶ σε (ἐπειδήπερ ἡμεῖς λόγοις οὐχὶ κονδύλοις διαγωνιζώμεθα) πότερον τοῖς χρηστοῖς ζητητέον ἐστὶν, τί τοῖς βαστάζουσι καὶ ἐργάταις περί τινος φαίνεται, ἢ τοῖς ἀνδράσιν εἰς ἄκρον τῆς παιδείας ἐξεληλακόσι; ὅπουγε τῆς δὲ τῆς γνώμης καὶ διανοίας, οὐχ ὅπως ἀληθεστέρα, ἀλλὰ οὐδέ γε ὠφελιμωτέρα τῷ βίῳ ἐξευρίσκεσθαι δύναιτο. τί γὰρ ἂν μᾶλλον ἀνθρώπους πάσης ἀδικίας ἀπείργοι, ἤπερ τὸ ὑπολαμβάνειν μηδεμίαν ἐν ταῖς ἁμαρτίαις εἶναι διαφορὰν καὶ ἀνισότητα; ὁμοίως τε ἁμαρτάνειν τοὺς καὶ ἰδιώτας, ὡς ἄρχοντας ἀδίκως δέροντας; εἰς ὁποίαν οὖν οἰκίαν ὑβρίζοιεν τῇ μοιχείᾳ καὶ τῇ πορνείᾳ, ὁμοίαν καὶ ὁμόζυγον εἶναι τῶν ἀφροδισίων κηλῖδα; πότερον ἄρα, φήσει τις, μηδὲν διαφέρει τὸν πατέρα, καὶ τὸν δοῦλον ἀπεκτονέναι; ταῦτα δὴ οὕτω ψιλὰ τεθέντα ἐξ ἑαυτῶν ὁποῖα εἴη οὐ δύναται διακρίνεσθαι. τὸν πατέρα ζωῆς ἀποστερεῖν, ἄγος ἐστὶ κατ' αὐτό. τοιγαροῦν οἱ Σαγουντῖνοι οἱ τοὺς τεκόντας μᾶλλον ἐν ἐλευθερίᾳ ἀποθανεῖν προῃρημένοι, ἢ ἐν δουλείᾳ διαγαγεῖν, πατραλοῖαι γεγόνασι. οὐκοῦν τοκεῦσί ποτε ἂν ἀναμαρτήτως ἀφαιροῖτο, καὶ δούλῳ πολλάκις οὐκ ἂν δικαίως. ταυτὶ μὲν οὖν οὐχὶ ἡ φύσις, ἀλλὰ ἡ αἰτία διακρίνει. ἥπερ ὁποτέρωσε οὖν προσαπτῆται, εἰς καταρροπὴν ἐπικλίνει, δηλονότι ἑκατέρῳ προστεθεῖσα, ἐξισώσει καὶ ἐξομαλίσει. παρὰ μέντοι τοῦτο ἐστὶν ἡ διαφορὰ, παρ' ὅσον ἐν τῷ δούλῳ μὲν φόνῳ ἅπαξ ἁμαρτάνεται. ἐν δὲ τῇ πατροκτονίᾳ, πολλά. ὁ γὰρ ἡμᾶς γεννήσας, καὶ ὁ θρέψας, καὶ ὁ παιδεύσας, καὶ ὁ ἐν πατρίδι, καὶ οἰκίᾳ, καὶ πολιτείᾳ καταστήσας, ἀδικεῖται. τῶν τοίνυν ἁμαρτημάτων πλήθει προύχει, διὸ καὶ μειζόνων ἄξιός ἐστι προστίμων. ἀλλὰ μὴν ἐν τῷ βίῳ, οὐχὶ τὰ τῶν πονηρευμάτων ἑκάστῳ ἐπιτίμια προσήκοντα ἐπισκεπτέον, ἀλλὰ εἰς ὅσον ἑκάστῳ ὅσιον καὶ θέμις. τὸ γὰρ μὴ δέον, φαῦλον· τὸ μὴ ὅσιον, ἐναγὲς ὑπολαβεῖν δεῖ. ἢ δῆτα καὶ ἐν τοῖς σμικροτάτοις; ναί· εἴπερ τῶν πραγμάτων μέτρον ῥυθμίζειν καὶ διαλαβεῖν οὐ δυνάμεθα, τῶν δὲ ψυχῶν κανόνα διευθύνειν οἷοί τ' ἐσμέν. ὑποκρίτης μὲν οὖν εἰ ὀλίγιστον πέρα τοῦ ῥυθμοῦ ἐξωρχήσατο, ἢ εἰ τὸ μέτρον ἐρρήθη καὶ ἐξηγγέλθη προμηκέστερον μιᾷ μόνῃ συλλαβῇ, ἢ καὶ μειότερον, ἐκσυρίττεται, ἐκκηρύττεται, ἐκκρούεται. εἶτα ἐν τῷ βίῳ πάσης ὑποκρίσεως ἀκριβεστέρῳ, καὶ παντὸς μᾶλλον ἡρμοσμένῳ εἶναι ὀφείλοντι, ὡς ἐν μιᾷ συλλαβῇ ἐξημαρτηκέναι φήσεις. ποιητὴν οὐκ ἀποδέχομαι ἐν τοῖς φληνάφοις καὶ λήροις ἁμαρτάνοντα, ἐν δὲ τῇ τοῦ βίου κοινωνίᾳ ἀκούσομαι πολίτου, τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας, οἱονεὶ δακτύλοις, ἀναμετροῦντος; τὰ βραχύτερα δοκοῦντα, καὶ δὴ καὶ ἐλάττω δοκείτω. πῶς ἄρα τοῦτο; εἴπερ πᾶν ἁμάρτημα συγχύσει τοῦ λόγου καὶ ἀταξίᾳ ἁμαρτάνεται; συγκεχυμένου δὲ ἅπαξ τοῦ λόγου καὶ τῆς τάξεως, οὐδὲν προστίθεσθαι οἷόν τε, ἐφ' ᾧτε μᾶλλον ἁμαρτάνεσθαι δοκεῖν.

## ΟΤΙ ΠΑΣ ΑΦΡΩΝ ΜΑΙΝΕΤΑΙ.

Ἐγὼ μὲν οὖν σε οὔτε ἀνόητον, ὡς πολλάκις, οὔτε κακοῦργον ὡς ἀεὶ, ἀλλὰ καὶ ἄφρονα καὶ μανιώδη, δι' ἀναγκαίων ἐπιδείξω ἐπιχειρημάτων. ἡ σοφοῦ ψυχὴ τῷ τῆς βουλῆς μεγέθει, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ὑπομονῇ, καὶ τῆς τύχης ὀλιγωρίᾳ, καὶ τῷ ἀρετῶν ἁπασῶν χορῷ, ὥσπερ τείχεσι, περιβεβλημένη, ἢ νικήσεται, ἢ κατὰ κράτος ἁλωθήσεται, ἢ μηδὲ ἐκ τῆς πόλεως ἐκβάλλεσθαι καὶ ἐξορίζεσθαι δυναμένη; τίς γάρ ποτε πόλις ἐστί; ἢ δῆτα πᾶσα ξύνοδος, καὶ δὴ καὶ ἀγρίων ἀνθρώπων καὶ θηριωδῶν; ἢ δῆτα ὁποιουνοῦν δραπετῶν καὶ λῃστῶν συνειλεγμένον εἰς ἕνα τόπον πλῆθος; δηλονότι οὐ φήσεις. οὐκοῦν τότε ἦν πόλις, ὅτε ἐκεῖ μηδὲν οἱ νόμοι ἐδύναντο, αἱ δίκαι δὲ ἀποβεβλημέναι ἔκειντο καὶ καταπεπατημέναι, τὰ ἔθη καὶ τὰ νενομισμένα ἔφθαρτο, πρόρριζα καὶ αὐτόπρεμνα, ὅτε τῶν ἀρχόντων βίᾳ καὶ σιδήρῳ ἐκποδὼν γεγονημένων, τῆς συγκλήτου ὄνομα ἐν τῇ πολιτείᾳ οὐχ ὑπῆρχε; ἐκείνη δήπουθεν ἡ λῃστῶν συνέλευσις, καὶ παρὰ σοῦ ἡγεμόνος λῃστεία ἐν τῇ ἀγορᾷ καθεστηκυῖα καὶ ἱδρυμένη καὶ συγκεκροτημένη, καὶ τὰ συνωμοσίας λείψανα ἀπὸ τῶν Κατιλίνου ἐριννύων εἰς τὴν σὴν βδελυρίαν τε καὶ μανίαν συνεστραμμένα, οὐχὶ πόλις ἦν. ὥστε ἐγὼ μὲν ἐκ πόλεως μὴ οὔσης οὐκ ἐξεβεβλήμην, εἰς δὲ τὴν πόλιν μετεπεμπόμην, ὑπάτου ἐν τῇ πολιτείᾳ ὄντος, ὃς τότε μὴ ὑπῆρχε· οὔσης συγκλήτου, ἣ τότε ἐτετελευτήκει· ὄντος ἐλευθέρου καὶ συμφωνοῦντος τοῦ δήμου, ἀνανεουμένης καὶ τοῦ δικαίου καὶ τῆς ἐπιεικείας, ἅτινα τῆς πολιτείας ἐστὶ δεσμὰ, μνήμης· καὶ ὅρα δὴ ὅπως τῶν τῆς λῃστείας σοῦ βελῶν ὠλιγώρησα. ἐφειμένην καὶ ἐπιπεμφθεῖσαν ὡς ἐμὲ παρὰ σοῦ παγκάκην καὶ ἄδικον ὕβριν, ἀεὶ ᾠήθην· ἐμοῦ δὲ καθικέσθαι καὶ καθάψασθαι, οὐδέποτε ἡγησάμην. εἰ μὴ τάχα ὁπότε τοίχους κατέβαλλες, ἢ τοῖς οἰκήμασιν μιαρὰς εἰσέφερες δᾷδας, τῶν ἐμῶν τι χρημάτων, ἢ καταπίπτειν, ἢ κατακαίεσθαι ὑπελάμβανες. μηδὲν μήτε ἐμόν ἐστιν, μήτε ἄλλου τινὸς οὖν, τὸ ἢ ἀφαιρεῖσθαι ἢ ἀποβάλλεσθαι δυνάμενον. εἰ ἐμὲ ἀφείλου θείαν τῆς ψυχῆς ἐμβρίθειαν καὶ εὐστάθειαν, καὶ τὸ τῇ ἐμῇ φροντίδι, ἀγρυπνίᾳ, βουλῇ, καὶ σοῦ ἄκοντος, ἑστάναι τήνδε τὴν πολιτείαν· εἰ τούτου ἀθανάτου δῆτα καὶ ἀειθαλοῦς εὐεργετήματος μνήμην ἐξήλειφες, μᾶλλον δὲ εἰ καὶ τὸν νοῦν ἐκεῖνον, ὅθεν τοιαῦται βουλαὶ ἐξέφυσαν, ἀφείλου· τότε ἂν δὴ τότε τῆς σῆς ἀδικίας καὶ ὕβρεως ὡμολογησάμην αἰσθέσθαι. εἰ δὲ σὺ μήτε ταῦτα διεπράξω, μήτε διαπράττεσθαι ἠδυνάσω, ἐπάνοδον ἔμοιγε ἔνδοξον ἡ σὴ ἀδικία παρεσκεύασε, οὐχὶ ἔξοδον κακοδαίμονα καὶ ἄθλιον. τοιγαροῦν ἐγὼ ἀείποτε πολίτης ἦν, καὶ τότε δὴ μάλιστα, ὁπότε ἡ σύγκλητος τὴν ἐμὴν σωτηρίαν, ὡς δήπουθεν καλοῦ κἀγαθοῦ πολίτου, τοῖς ἀλλοφύλοις καὶ ἔθνεσιν ἀλλοτρίοις ἐπέσκηπτε καὶ συνίστα. σὺ δὲ μηδὲ νῦν πολίτης, εἰ μὴ ἄρα ὁ αὐτὸς πολίτης καὶ πολέμιός ἐστι. ἆρα σὺ τὸν πολίτην ἀπὸ τοῦ πολεμίου φύσει καὶ τόπῳ, ἀλλὰ μὴ διανοίᾳ καὶ πράξει διακρίνεις; φόνον ἀνδρῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ πεποίηκας, διὰ καθωπλισμένων λῃστῶν τοὺς νέως κατείληφας καὶ κατέσχηκας, ἴδιά τε τῶν πολιτῶν οἰκίας, καὶ ἱερὰ τῶν θεῶν κατέπρησας. διὰ τί ὁ Σπαρτιακὸς πολέμιος, σοῦ πολίτου ὄντος; ἆρα σὺ πολίτης, ὅπου σὺ ποτὲ ἕνεκα πόλις οὐχ ὑπῆρχε; εἶτα καὶ με τῇ σαυτοῦ ἐπωνυμίᾳ καθυβρίζεις, καὶ ἀποκαλεῖς φυγάδα, συμπάντων, ἐμοῦ φεύγοντος, ἐν τοσούτῳ τὴν πολιτείαν ἐξοριασθῆναι οἰηθέντων; οὐδέποτε, ὦ ἀνδρῶν ἁπάντων ἐμπληκτότατε, εἰς ἑαυτὸν περιόψει καὶ περιστρέψῃ; οὐδέποτε μήτε τῶν παρὰ σοῦ ποιησομένων, μήτε λαληθησομένων, ἐπιμελήσῃ; ἀγνοεῖς τὴν φυγὴν αὐτουργημάτων καὶ πονηριῶν εἶναι πρόστιμον; ἐκείνην δὲ τὴν ἐμὴν ἀποδημίαν, διὰ τὰ πράγματα ὑπ' ἐμοῦ καλῶς καὶ εὐκλεῶς καὶ ἐπιφανῶς ἀποδειχθέντα καὶ κατορθωθέντα, ἐνστησαμένην; ἅπαντες τοίγαρτοι αὐτόχειρες, κακοῦργοι καὶ ἀνόσιοι, ὧν σὺ ἡγεμὼν εἶναι γαυριῶν κηρύττεις, ὧν οἱ νόμοι



νόμοι φυγὴν καταγινώσκουσι, φυγάδες εἰσὶν, καὶ περ τὴν γῆν πατρίδα μὴ καταβεβληκότες. οὐ πάντων δὴ τῶν νόμων σε φεύγειν κελευόντων καὶ ἀναγκαζόντων, φυγὰς οὐκ ἔσῃ; οὐχὶ ἐχθρὸς καλεῖται, ὁ σὺν βέλει εὑρεθείς; ἀλλὰ μὴν τὸ σοῦ ἐγχειρίδιον πρόσθε τῆς συγκλήτου κατεφωράθη. ὁ ἀνδροκτονήσας, σὺ δὲ παμπόλλους ἀνῄρηκας. ὁ πυρπολήσας; τὸ Νυμφαῖον ταῖς χερσὶ σου ἐνεπρήσθη. ὁ τοὺς θεῶν νέως καταλαβών; σὺ δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ κατεστρατοπεδεύσω. ἀλλὰ τί τοὺς κοινοὺς καὶ ἐπιχωρίους νόμους προφέρω, ὧν προστάγμασιν φυγαδεύῃ; ὁ σοῦ ἐπιτηδειότατος περὶ σαυτοῦ προνομίαν εἰσηνέγκατο, ἐφ' ᾧτε σὲ, εἰ εἰς ἄδυτον τῆς ἀγαθῆς θεᾶς εἰσίεις, ἐκ τῆς πόλεως ἐκδιωχθῆναι καὶ ἐξοριασθῆναι. ἐπὶ τούτῳ δὴ καὶ σὺ ἀλαζονεύῃ ἄντικρυς, καὶ γαυριᾶς ὁμολογῶν. πῶς ἄρα ὑπὸ τοσούτων νόμων φυγαδευθεὶς, τὸ φυγάδος ὄνομα οὐχὶ ὀρρωδεῖς; ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπιδημῶ, φῄς. ἀλλὰ καὶ εἰς ἄδυτον εἰσέφρησες. οὐ τοίνυν ὅπουπερ γῆς τις ἐνδιατρίβοι, τῶν ἐκείνου τόπου δικαίων ἐπήβολος ἔσται, εἴπερ ἐνταῦθα διάγειν καὶ μένειν τὸν ἄνθρωπον οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσι.

FINIS TOMI SECVNDI.

# INDEX RERVM ET VERBORVM, QVAE IN SECVNDO HOC, ADRIANI TVRNEBI OPERVM, TOmo continentur.

*Prior numerus paginam: poſterior lineam notat.*


ABSTINERE carnibus. pag. 58. lin. 46
Abſyrtum 147. 19
Acetum magis extinguit 35. 27
Acetum oui candido admixtum 38. 31
Achates lapis 29. 41
Achelous fluuius 104. 20
Achilles in ſomnis apparet 149. 41
Achillis Inſula 149. 31
Aculeus vnguenti 15. 8
Acus lateris vinculum 108. 41
Adamas 28. 44
Adeps vrſinus 18. 2 26. 30
Adflatus vis diuina 91. 29
ἄδης, ἀχέρων. 63. 32
Adoleſcentes ad venationem apti 150. 57
Adoleſcentis in nouercam dictum 52. 54
Adraſtia herba 103. 30
Adraſtiæ ſanctio 49. 51
Ἀδρόβωλον apud Dioſcoridem et Plinium 24. 60
Aduerſariæ Arithmetices 71. 41
Æditimorum multitudo contra ſacerdotes 137. 64
Ægithus auis 19. 22
Ægyptij terram venerantur 132. 48
Ægyptiorum eruditi 107. 48
Ægyptius mortuus in conuiuijs 53. 13
Ægyptus hyemis expers 112. 20
Ἀειδεῖς odores 18. 56
Ælianus de vino vnguentario 26. 56
Ænygma de cucurbitulis 56. 14
Ænigma Heſiodi 80. 25
Æquinoctium vernum 135. 8
Aër caligans 45. 38 Communis vox diuerſa 1. 36 ex ignis extinctione 86. 8 gelu non aſtrictus 64. 44 incenſus 37. 34 in duo ignis corpora 86. 12 per humida æquabilis 3. 31 primum tenebroſum 63. 22 quomodo tranquillitatem in mare efficiat 64. 11 terræ vice fungitur 136. 28 vbiq; æqualis 64. 66
Aëris diſcrimina 63. 30 percuſſio in ſonis 4. 2 ſtatus cur nocte in tempeſta placidus 43. 47 varia mutatio 86. 11
Ærugo 31. 20
Æſalon 19. 43 50
Æſchylus de oraculo Delphico 96. 65
Æſopus 54. 8
Æſtus reddit ignem imbecilliorem 34. 22
Æſtuaria apud Vitruuium 40. 47
Æſtus diuinationis 88. 44
Æthiopum ratio venandi leones 168. 10
Agamemnonis nouem præcones 79. 36
Ager Ægypti 106. 57
Aglaonice Ageteris filia 80. 65
Agriculturæ calamitas 58. 20
Alaſtor 93. 59
Ἀλάστορες 93. 62
Alexandri corpus 25. 58
Alexandri modus de vomitu ciendo 142. 54
Alexidemus Mileſius 53. 35. 52
Alia Lectio: vide Lectio
Alima & adipſa 94. 56 57. 64
Alimenti fons ſtomachus 141. 44
Alimentorum genera neceſſaria 135. 13
Aliterius 93. 61
Allegoria rubi ardentis 110. 11
Allegoria decem fontium & ſeptuaginta palmarum 116. 28
Alphæus fluuius 103. 33
Alterum & idem 74. 51
Alus purgatio 143. 1
Amaracum 23. 2
Amaſis Rex Ægypt. 54. 53
Amazonius fluuius 101. 56
Amethyſtus 29. 34 41
Amicorum omnia communia 114. 43
Amiſus vrbs 148. 46
Amor potentiſſimus 159. 33
Amphiaraum oraculum 78. 33
Amphidamus 55. 65
Amygdala arbor prima floret 132 20
Anacharſis 53. 22
Anaximenes 62. 61
Anchora Argus 147. 49
Ἀνδρόσαιμον 20. 58
Anguium genus Ceruis inimicum 157. 10
Animalia matre carentia 160. 34
Animalium odores 17. 36 25. 55 quorundam ſympathia 159. 25
Animam quæ explorent in victimis 90. 55
Animi aëre amicti 87. 64
Animi corpore exuti 88. 13
Animi agitatio ſentiendi & intelligendi 73. 46 natura non eſt numerus 73. 34 pars illiterata 88. 37
Animus DEI inſtrumentum 60. 47 in corpore tanquam piſtrino 58. 52 mundi 69. 16 prior corpore 68. 51 quomodo cum anhelitu diuino temperetur 89. 3 vniuerſa & ſingula conſiderat 74. 44
Annuæ feriæ in Inſula Pharo 126. 5
Annus hominis ſeculum 80. 31
Antalcidas 5. 43
Antipathes lapis 104. 17
Antiphanes de vnguento Aegyptio. 24. 6
Antoninus Imperator 150. 16
Apaſantus mons 103. 20
Aper 165. 1
Apes fictos odores oderunt 5. 44
Apex mons 99. 31
Apollinis opertum dracone obſeſſum 79. 30
Apollinis ſimulachrum 77. 5
Apollo & Sol vnus DEVS 89. 7
Appollo non diuerſus deus à Sole 89. 49
Apollo vbi natus 78. 45
Apologia aduerſus eos qui purgationes vtiles eſſe negant 144. 56
Appetentia ſtomachi 141. 23
Apſarum 147. 18
Apſilæ 148. 9
Aquâ Alphei cinis glutinabatur 96. 8
Aqua cur offundatur hominibus quibus animo malè eſt 34 1 34
Aqua decem annos incorrupta 147. 46
Aquæ alumna 27. 31
Aquæ frigidiſſimæ quæ ſint 66. 22 mitioris ſaporis in Ponto 147. 39
Aqua in cruorem verſa 111. 43 natura frigida 65. 15 omnia reddit ad vrendum difficilia 65. 20 vt frigidior efficiatur 63. 53 66. 47
Aquilo 42. 26 ſuccedit Auſtro 42. 51 violentus 47. 8
Aquilones nocturni 46. 58
Aquilones venti 48. 1
Arar fluuius 99. 57
Aratus de lentiſco 22. 19
Araxa herba 104. 47
Araxes fluuius 104. 37
Archa legum 128. 66


Archelaus




Archelaus Phyſicus 66. 40
Archelaus de anu defoſſa apud Indos 98. 38
Arcus cœleſtis vis in herbas 25. 40
Ardalus Troezenius 54. 7
Ardens rubus quid deſignauerit 110. 11
Argillus mons 102. 35
Argutio vocis vbi poſita 4. 42
Aridus maris flos 23. 36
Arimanius 74. 65
Arion Citharœdus 59. 34
Ariſtæus Eteſias reuocans 43. 25
Ariſtoph. de concoquente in ſtomacho argent. 41. 12 de Eurycle 93. 34 de vitro ignem accendente 40. 21 in ſenes Carbonarios 41. 3
Ariſtoteles de Circo 19. 20 de Epimenide 91. 5 de plumbi coctibus 40. 40
Ariſtotelis locus emendatus 21. 64
Arma ad venationem idonea 151. 8
Arna oppidum 96. 1
Aromatum effectus in curatione 15. 24 in vnguentis 13. 47 præparatio 14. 18 qualitates 14. 12. recentium & inueteratorum vires 15. 17
Aromata vnde dicta 20. 12
Aroulaphilax lapis 100. 10
Arriani Periplus Ponti Euxini 146. 31
Ars naturæ æmula 31. 34
Ars paſtoritia 109. 55 venatoria 109. 58.
Arteria quid in voce præſtet 3. 52
Articulorum vires 139. 58
Aruncus herba 22. 21
Aſcendens fluuius 100. 42
Aſcurius 147. 26
Aſini oſſa tenuiſſima 54. 34
Aſpalathos 25. 36
Aſpalathus duplex 23. 24
Aſperatio vocum 4. 7
Aſſare ritè artis eſt 39. 51
Aſterius mons 98. 50
Aſter lapis 101. 41
Aſtiges lapis 103. 54
Aſtræus fluuius 103. 62
Aſtrologis quæ fides habenda 76. 42.
Atalanta 155. 49
Athenæ in Euxino Ponto 147. 1
Athenæus de arbore moro 19. 60
Athenæus mons 103. 28
Athlanticum pelagus 46. 10
Attributio ventorum 41. 56
Aucupij labor iucundus 150. 35
Auditor ſolers graculorum 55. 51
Aues ad fanum Achillis 149. 31
Augentia podagræ affectum 140. 32
Aura apud Macrobium 23. 38
Auræ terrenæ 44. 39
Aurea flammula 23. 23.
Auripigmentum 30. 7
Aurora venatori vtilis 151. 33
Auſter 42. 30
Auſter frigidior 42. 15
Auſter in Ægypti maritimo 42. 45
Auſter niuoſus 47. 37 nocturnus. 47. 2 quibus ſerenitatem afferat. 42. 40
Auſtri albi 43. 5 febriculoſi 47. 52. humefaciunt 48. 2 verni 43. 4
Autoglyphus lapis 101. 36
Αὐτόμαλον 51. 1.


B


BAcchatio 88. 49
Bacchus 169. 44
Ballinæus 101. 39
Balnearia quando calidiora 34. 27
Barbarus homo cum dæmonibus verſatus 83. 1
Bathys fluuius 147. 31
Berecynthius mons 101. 15
Beroſſi oleum 101. 63
Beſtiolæ in niue 34. 50
Bibere ad modum 57. 30
Bileam Iſraëlitis benedicit 121. 48 vir diuinationis 126. 28
Binis lapis 28. 22 32
Bœotia ex oraculo vocalis 78. 30
Boetius Poſidonis filius 98. 50
Brachiale 25. 8
Brigoulus fluuius 99. 58
Brixaba mons 101. 67
Buſiritæ 54. 36


C


CAdmi pes 98. 45
Cadmus 98. 46
Cæcias 45. 60
Cæruleum 30. 3 7 31. 9
Caicus fluuius 103. 62
Callias Athenienſis 31. 30
Calidiora agiliora 37. 26
Calidum principium 33. 48
Calor genitalis 37. 11 in aërem mutatur 63. 41 in animatis corporibus 37. 9. lapidis eiuſdam 37. 28 non abſque humore 38. 60 portus 148. 22 principium 40. 29 ſiccus conuenit liquationi 36. 60 ſolis 33. 41 ventris 37. 20 vnde propagetur 61. 37
Calx aqua infuſa cur magis vrat 38. 60
Calydon mons 104. 32
Camelus 165. 54
Camelus cum paſſere 166. 20
Campus veritatis 97. 19
Candelabrum 129. 11
Canis Æſopicus 57. 43
Canum colores 154. 21. educatio 154. 31. formæ & ſpecies 153. 50 genus mixtum 153. 38 Nomina 154. 39 varia genera 153. 14. veſtigatorum genus 154. 6.
Capitis dolor vnde generatur 16. 46
Capræ feræ 158.
Caprarum genera 158. 51
Carbo 39. 59
Carbones cur nigri 39. 52
Carbones foſſilium 28 33
Carbunculus lapis 28. 39 29. 34 45
Carmanor fluuius 102. 57
Carmanorius mons 100. 19
Carolus Cardinalis Lotharingius 77. 10
Caroli Magni ſignum 23. 22
Caſſander Rex 99. 1
Caſtellum ad amnem Phaſidem 147. 54
Caſus & fortunæ diſcrimen 51. 6.
Catapotij compoſitio 144. 44
Cathena Platonis 51. 64
Caucaſus mons 99. 47 148. 15
Cauſa cur à ſole ignis accendatur 39. 40 cur Eteſiæ emerito die ceſſent 43. 7 cur Iſraëlitæ non citò in terram promiſſam venerint 119. 7 diuerſitatis vocum 1. 40. figuræ flammæ 38. 7 imbecillitatis vnguentorum 15. 52 inæqualitatis virium in aromatis 15. 39 obſcura vocatur fortuna 50. 51 princeps frigoris 63. 55
Cauſarum diſtinctio 50. 41
Cedropolis 19. 15
Cella oraculi 90. 62
Cenchritis herba 103. 38
Cenſores odorum 6. 19
Centrum terræ 97. 36
Centum octoginta tres Mundi 83 37 53


Cephiſidori

*Ceph ſidori carmen* 20. 47
*Cerati compoſitio ad dolores podagr.* 145. 64
*Cerebroſus compranſor* 53. 6
*Cerui duobus viuunt elementis* 157. 51
*Ceruorum cum anguibus inimicitia* 157. 10
*Ceruorum genus* 157. 3
*Ceruſſa* 31. 6
*Ceruus Bubalus* 158. 22
χαλαζὸν 62. 63
*Chananæorum regio* 115. 2
*Chariſium herba* 102. 54
*Chernites lapis* 28. 1
*Cherubim* 129. 1
*Chordarum quæ optima* 3. 25
*Chori Iudæorum deo pro liberatione, gratias agentes* 136. 59
*Chriſma* 20. 16
χρῶμα 24. 42
*Chroma radix* 23. 8
*Chryphius lapis* 101. 54
*Chryſippi opinio de frigore* 65. 23 *de loco mundi* 85. 15
*Chryſopola herba* 100. 15
*Chryſoroa* 100. 3
*Cibus mortis vtenſile* 59. 5
*Cic. de anhelitu Pythiæ* 96. 20 *de Lentiſco* 22. 14
*Cidaris* 130. 34
*Ciliciæ præſes dubius de dijs* 89. 36
*Cinis in ara Olympia* 88. 63
*Circitatio ventorum* 47. 22
*Circuli motio* 49. 31
*Cita nox, variè interpretatur* 92. 7
*Cithæron mons* 98. 50
*Cithara herba* 99. 15
*Ciuitas beata quænam* 56. 25
*Claudius Lauallus Archiepiſc. Ebredennenſis* 97. 53
*Cleombrotus Lacedæmonius* 77. 38 50 78. 14 79. 41 82. 60
*Cleon Daulienſis* 91. 9
*Clitoris lapis* 105. 27
*Clyſteres* 145. 23
*Coccygius mons* 103. 22
*Cœli habitus ſolus definitus* 49. 21
*Colchi* 148. 4
*Collatio Legum Moſis cum alijs* 124. 48
*Collotes lapides* 102. 31
*Colorum materia* 30. 50
*Columbæ vt purpureos pullos pariant* 153 1
*Columella de radice Syriaca* 23. 11
*Comparatio animi cum ſole* 88. 18 *nucis cum virtute* 132. 4 *vocis cum pictura* 2. 22
*Commune venationis* 167. 20
*Communiſſimum* 55. 40 56
*Compoſitio vnguentorum* 14. 38
*Concentio latens* 75. 3.
*Concentuum rationes* 71. 5
*Conceptaculum Plat.* 73. 16
*Conciliabulum Delphis* 93. 17
*Concoctiones iecinoris* 139. 20
*Concretio lapidum vnde* 27. 42
*Confectio purgationis ex Hermodactylo* 144. 36
*Conſanguinei Iſraëlitarum* 119. 25
*Conſilium Bileami ad ſeducendos Iſraëlit.* 122. 1
*Contingentia* 50. 23 36
*Controuerſia Hom. & Heſiodi* 56. 1
*Conuiuium quomodo accedendum* 53. 2
*Conuiuium ſeptem ſapientum* 52. 18
*Coralium* 29. 59
*Coreta paſtor* 89. 2 96. 10
*Coretas primus in Oraculis* 90. 3
*Coriceum antrum* 98. 47
*Cornua Elephanti habent non dentes* 160. 10
*Cornuum æſtatio* 3. 18 *qualitas in ſonis edendis* 3. 3 23
*Corpora quatuor prima* 62. 54
*Corpulentiora impenſius incandeſcunt* 37. 32
*Corpus Alexandri odoriferum* 25. 58
*Corpus primum* 86. 3
*Corruptionis cauſa in vnguentis* 15. 55
*Corybas lapis* 103. 19
*Cos* 30. 20 26
*Cotes plumbeæ* 63. 50
*Coturnices in caſtris Iſraëlitarum* 117. 37
*Cotyorum vrbs* 148. 52
*Cotys rex Boſphori Cimmerij* 148. 64
*Crantoris opinio de anima* 68. 17
*Crater fabulis temperatus* 82. 65
*Crater in conuiuijs Græcorum* 94. 40
*Credibilia tantum memoranda* 59. 21
*Cremati in rogo* 37. 22
*Creta Inſula* 46. 32
*Crocodilus interficitur ab Ichneumone* 165. 58
*Crocum vino congruere* 20. 56
*Cryſtallus* 29. 34
*Cryſtallus fluuius* 102. 12
*Cyclops Euripidis* 89. 55
*Cylindrus lapis* 103. 44
*Cyoura herba* 102. 63
*Cyprus arbor* 22. 2
*Cypſelus pater Periandri* 60. 56


D


*DÆmonas maleficos eſſe qui dixerint* 82. 3
*Dæmones quomodo animis hominum potiantur* 81. 20
*Dæmonum genus* 79. 58 80. 60 *natura* 80. 49 *obitus* 82. 6 *vita* 80. 15
δάκρυον 41. 42
*Damarum genera* 158. 38
*Danaides* 59. 8
*Darius conditus* 28. 2
*Datio & donum* 136. 9
*Decem ſupplicia Aegypto illata* 111 31
*Deflagratio Stoicorum* 92. 64 94. 63
*Dei nomen* 110. 40
*Delphinus muſicâ delectatur* 60. 23
*Delphos orbis terrarum medium* 91. 42
*Delubrum ſanctiſſimum* 128. 42
*Demetrius Grammaticus* 77. 37 47 78. 27 53 80. 18
*Demetrij Pepagomeni lib. de podagra* 138. 42
*Democritus cur ſapores ad guſtatum retulerit* 18. 2
*Democriti opinio de ſaporibus* 26. 33 *de ſimulachris* 93. 8
*Dentes animalium non flexibiles* 160. 26
*Deorum iuniorum claſſis* 51. 46
*Deſcriptio gallinæ pullos defendentis* 162. 13
*Deus fati non indiget* 51. 48 *harmonicus* 62. 28 *quomodo Mundum conſtituerit* 69. 3
*Diabarus lapis* 28. 48
Διὰ χυλῶ *medicamentum* 146. 7
Διὰ κρόκου *medicamentum* 146. 7
*Diapaſmata* 25. 25
*Diapaſmata præſtantiora* 18. 20
*Diapaſon cum Diapente comparatur* 72. 21
*Didymus Cynicus Planetiades* 78. 62
*Differentiæ in lapidibus* 27. 48
*Dijudicatio bonorum & malorum inſignis & rara* 114. 7
*Diodorus de Coreta paſtore* 96. 10
*Diogenis Cynici opinio de odore* 20. 48
*Dionyſius Afer de Inſulis Baccho ſacris* 94. 20
*Diorphus mons* 104. 55
διαυῆ 45. 58
*Diſcalceatus venator* 151. 18
*Diſciplina victus* 141. 23
δὶς διὰ πασῶν 95. 47
*Diſpoſitio Elementorum* 74. 24
*Diuinationis halitus* 88. 44
*Documentum vitæ perneceſſarium* 112. 10
*Dolores diuturniores quomodo creantur* 140. 1 *vehementiores in articulis* 140. 42
*Domus quid* 56. 42 *quæ optima* 56. 52


Doulon




*Doulon* 100. 1
*Draco è virga factus* 110. 44
*Drillæ* 148. 5
*Drimyllus mons* 103. 59
*Dryus & Troſobius ſæui dij* 83. 20
*Duodecim virgæ tribuum* 132. 61
*Duo genera eorum quæ in noſtra poteſtate ſunt* 50. 32
*Dura & aſpera in tactu* 4. 14
*Dyades* 68. 12
*Dyas interminata* 86. 53
*Dyceius mons* 105. 24
θυσιαστήριον 129. 22


E


*EBibere mare* 54. 56
*Ebur foſſile* 29. 55
*Echimadæ Inſulæ* 82. 10
*Edictum de ſucceſſione Regis Ægypt. horrendum* 136. 30 107. 1.
*Effectus Fauonij* 46. 12
Ἐγγαστρῖται 93. 32
*E I in veſtibulo templi Delphici* 95. 9
Εἱμαρμένη 49. 54
*Elates arbor* 22. 46
*Elementorum diſpoſitio* 74. 24
*Elephas* 160. 6 *facilè manſueſcit* 160. 58 *humana voce loquutus* 98. 40
*Elephantorum cornua* 160. 10 *cor diuinum* 160. 8 *forma* 160. 38 *loquutio inter ſe* 160. 4 *proceritas* 160. 35
*Elephas mons* 98. 39
*Empedocles* 64. 1
*Empedoclis verſus de Dæmonum pœnis* 93. 65
*Enalus adoleſcens* 60. 36
*Engaſtrimythis* 79. 50
*Enneeteridæ* 93. 55
*Ennius offam pultem intelligit* 24. 62
*Epelanus piſciculus* 25. 58
*Epicurei prouidentiam irrident* 82. 38
*Epicuri opinio de indiuiduis corpuſculis* 85. 13
*Epicurus* 82. 52
*Epigramma de quinque corporibus Platonis* 95. 11
*Epileos* 19. 47
*Epimenides Vates* 91. 64
*Epimenidis cibus* 94. 49
*Epiſtola Regis Ægypti ad Biantem* 54. 46
*Epitherſes Grammat.* 82. 8
Ἐπομφάλια 145. 25
*Equi ad venationes idonei* 151. 17 *cæſii* 167. 34
*Equorum colores* 153. 17 *docilis animus* 152. 32 *genera* 152. 28
*Equus Armenius* 152. 34 *Cappadox* 152. 3 *ferus in Æthiopia* 163. 49 *Iberus* 152. 41 *Libycus* 152. 50 *maculoſus vt generetur* 153. 33 *Niſſæus* 153. 12 *Parthus* 152. 34 *Siculus* 152. 29 *Tyrrhenus* 152. 58
*Eraſiſtrati ſententia de febri* 66. 65
Ἐργοδιῶκται 108. 40
*Ericleæ* 79. 50
*Erinaceus duplex* 161. 8
*Error Theologorum Delphicorum* 81. 30
*Eryſimum* 21. 57
*Eryſiſceptrum* 25. 36
ἐχάρα 40. 10
Ἑστία 66. 39
*Eteſiæ* 42. 20 43. 3
*Eteſiarum origo* 43. 6
*Eudemus in Platonem* 69. 46
*Eudorus de numeris* 72. 3
*Euenus fluuius* 100. 31
εὔοσμῳ pro ἀόσμῳ 24. 49
*Euphrates fluuius* 103. 47
*Eurotas fluuius* 102. 41
*Eurycles ventriloquus* 93. 31
Εὐρυκλῖται 93. 32
*Exalla herba* 103. 56
*Excidium Troiæ pictum* 96. 35
*Excrementa carbonum* 41. 43
*Excrementa non excipientes vt ea eijciant* 140. 56
*Excrementum in homine* 139. 37
*Exemplum quomodo corpus cibum trahit* 141 54
*Expeditio Iſraelitarum in Valacem* 122. 34
*Exploratio in catulis venatorum vt inſtituenda* 154. 23
*Extinctiones* 38. 45
*Exuſtio ſtoicorum* 94. 63


F


*FAbula Æſopi de lupo* 57. 6
*Fabula de luna* 57. 40 *de medio terræ inuento* 91. 50
*Facillimum* 55. 41 58
*Fanum Achillis* 149. 33 *Memnonis* 156. 38
*Fas & contingens* 50. 25
*Fas quid* 51. 31
*Fatalia* 50. 3
*Fato non omnia fieri* 49. 61
*Fatum* 74. 62 *bifariam vſurpatur* 48. 54 *ex prouidentia* 51. 21 *in actione* 49. 11 *omnia continet* 50. 7 *quodammodo infinitum* 49. 29 *quod natura cernitur* 49. 3 *terminatum* 49. 15
*Fauonius* 45. 56 46. 3
*Ferarum varia attributa* 166. 50
*Fictilia cur nigreſcunt* 36. 37
*Ficus Ægyptia* 19. 60
*Ficus Ægyptius* 12. 43
*Fides manifeſta doloris* 119. 39
*Filia Regis Ægypt. ſterilis* 107. 18
*Filiæ quinque Salpaat* 135. 48
*Fines Arithmeticæ* 71. 40
*Flamines Ammonis* 77. 63
*Flamma aëria* 40. 19
*Flamma agitatione acuitur.* 37. 57 *harundinum calidior lignorum* 36. 1 *quando impenſius cale faciat* 36. 4 10 *quid* 35. 59
*Flammæ color* 37. 42 *trepidatio cur minus vrat* 36. 15 *variatio ob materiam* 36. 20 *vis vbi* 37. 47 *figura* 37. 53
*Flatus deſinunt meridie* 45. 11 *poſt nimbos cadunt* 47. 12
*Flatuum ordo* 47. 19
*Flaua bilis* 138. 34
*Flos liberi apud Neuium* 20. 59
*Flos vini* 20. 58 26. 18
*Fluuiorum ima cur non congelent* 64. 49
*Fluxio articulorum* 139. 54 *in cerebro & iecore* 140. 13
*Fluxio obortâ quid faciendum* 143. 22
*Fœlicitas quid* 51. 8
*Fœmur mons* 169. 13
*Fœtor in hircis* 25. 65
*Folia lauri & hederæ* 39. 14
*Fons Africæ* 170. 1 *largiſſimus* 119. 66 *Midæ* 101. 1
*Fontes amari* 116. 3
*Forma tabernaculi à Moſe extructi* 128. 1
*Fortiſſimum* 55. 41 58
*Fortuna commutabilis* 108. 15 *in genere quodam cauſarum* 50. 40 *quomodo interueniat* 50. 10
*Fouea Leonum* 167. 60
*Frigeſcimus vehementius poſt balnea* 63. 63
*Frigida non ſunt leuia* 64. 24
*Frigidum durum eſt* 65. 55 *quomodo extinguat* 35. 29
*Frigoris primi principium* 63. 11
*Frigoris vis in aqua* 64. 56
*Frigus ad colligendum calorem valentiſſimum* 34. 45 *nocturnum vnde* 61. 40 *nonnunquam idem quod calor efficit* 34. 29 *quid* 62. 52 *quomodo vrat* 34. 31 *rumpit ahena & fictilia* 65. 11 *vnde propagetur* 61. 37
*Frigutit apud Ennium* 20. 58
*Frons Arietis* 102. 5
*Fructus ſerotini & præcoces* 43
*Frumenta torrida ſalientia* 37. 15
*Fumi acrimonia* 39. 37
*Fumus* 39. 21 *cur niger* 39. 56
*Furorem in vatibus quid impellat* 91. 14


G


*GAlenus de Aegyptio vnguento* 24. 1 *de Natura* 139. 26 *de qualitate ægrotantis* 139. 12 *in Hippocratem* 22. 32
*Ganges fluuius* 99. 21
*Gargarus mons* 101. 56
*Gauran mons* 105. 8
*Gelu in monte Parnaſſo* 65. 58


Gemi-

[illegible] cum paſſere Camelus 166. 20
γυιά 92. 61
Genera veſtigationis venaticæ 154. 47
Geoponica Theophraſti 26. 16
Glandis Ægyptiæ vnguentum 18. 34
Glans Ægyptia 27. 10 Syriaca 27. 9 vnguentaria 27. 8
Glauciurs 96. 33
Glires 160. 43
Gnidiorum conciliabulum 78. 51 96. 35
γνῶμαι 78. 7
γνώμον ſolis vmbilicum 92. 36
Græcia debilitata viribus 79. 25
Græci ſcriptores cur mentionem Moyſis non fecerint 106. 43
Græcorum conſuetudo in quæſtionibus proponendis 55. 63
Grandeſcere fœtu 22. 18
Grando Ægyptijs res inſolita 112. 40
Gulielmus Peliſſerius Monſpeſſuli Epiſcopus 24. 53
Guttur in vocibus formandis 1. 60 2. 2
Gypſum 31 52 in Phœnicia 39. 3
Gypſi vſus 32. 3

H

Habitus Venatoris 151. 12
Hadroſphæros 23. 50
Hœmatites lapis 29. 57
Hæmus mons 101. 27
Hæreditatis controuerſia 135. 48
Halindca planta 101. 61
Halys fluuius 148. 43
Hamadryades 80. 17
Harpyiæ 161. 37
Hebrus fluuius 99. 1
Hecatomphonia 58. 59
Heliotropio ſimilis herba 98. 31
Heniochi 148. 7
Heraclea vrbs 148. 27
Heracleon Megarenſis 78. 55
Herba ab omni morbo conſeruans 105. 11 amorem concilians 102. 54 contra icterum 105. 22 contra ſerpentum morſum 103. 8 ebrietatem inducens 99. 12 mulieres inſanas reddens 103. 30 nouercarum odium mitigans 102. 8 ſacra 25. 38 vinum vertens in aquam 104. 27 virginibus odioſa 104. 48
Hercules 78. 67 cortinam rapuit 93. 22 Oechaliam obſedit 81. 18
Herculis certamen cum Geryone 156. 50
Hermeſianax Cyprius 98. 61
Hermodactyli antidotum 144. 28
Heſiodus 57. 29
Heſiodus medicus 58. 6
Heſiodi cadauer 60. 15 Sepulcrum 60. 20 opinio de interitu
Dæmonum 80. 6 verſus latinè redditi 93. 44
Heſychij locus emendatus 25. 38
Heteromeces 71. 13
Himeræus Petro 83. 51
Hippice & hippace differunt 19. 35
Hippocratis dictum de naturis 139. 8 de cruciatu vehemente 140. 4 de inuentis medicinæ 144. 56 de neceſſarijs vitæ 141. 16 de vaena parte in corpore 141. 28 de ventre inanito 141. 66 de vomitu 142. 41
Hippolitus retia inuenit 155. 48
Hirpini per ardentes prunas incedentes 41. 22
Hiſtoria de adoleſcente cum virgine in mare ſe præcipitante 60. 31 de Arione 59. 39 de Delphinis 59. 30 de Equorum caſta venere 152. 52 de quodã Mileſio 60. 9
Homeri Locus de nocte cita 92. 14
Homerus de immortalitate deorum 59. 2 de vnguentis 20. 20
Homines cur Auſtrinis diebus imbecilliores 47. 47 inertiſſimum odoratum habent 18. 60
Hominis cuiuſdam barbari hiſtoria 83. 2
Hominum mutatio in heroas 80. 2
Homo cur vno ore frigidum & calidũ efflet 62. 64 delectatur odore 6. 4 hibrida cœlo maledicens 133. 47 ligna colligens ſabbatho 133. 50
Hordeum cedropolitanum 12. 32
Horror & tremor 62. 48
Humanarum hoſtiarum ſacrificia 81. 14
Humidum & ſiccũ in odoribus 12. 56
Humor ad liquandum inutilis 36. 54 cauſa quos res nigricat 36. 36 igneſcens 35. 58 nimius impedit vocem 2. 10 nocens 88. 54 non aër niger 64. 5 putreſcens 139. 63
Hyaloides 29. 33
Hyæna 164. 61
Hydaſpes fluuius 98. 26
Hydaſpes Rex 98. 23
Hypocrateridium 90. 20
Hyrpax 99. 48
Hyſſi portum 146. 58
Hyſtrix 165. 30

I

Ἰαίνεσθαι 62. 50
Iaſpis 29. 2 49
Ichneumon 165. 47
Ida mons 43. 20 101. 50
Idem & alterum 68. 41 74. 51 60
Ieſus dux belli 117. 65
Ἥδισμα 21. 36
Iecinoris excrementũ duplex 139 41
Ignem aquæ miſcere 64. 37
Igniaria ex ligno 38. 45 50 40. 13
Igniaria apud veteres 40. 10
Ignis aërem mouit 37. 58 à ſole læuium refractione accenſus 39. 40 cauſa primaria 135. 2 flatus natura 35. 49 hyeme acrius ardet 78. 19 interitus multiplex 38. 19 naturalis 35. 1 natura 110. 24 obitus, aeris ortus 63. 36 omnium naturalis origo 33. 20 paſtum ſemper deſiderat 33. 30 quomodo extinguatur 35. 1 ſine aëre & humore non eſt 33. 87 ſine fumo 39. 27 ſuffocatur 34. 17 Tectus cur permaneat 34. 54 verſatur in ſubiecto 34. 9
Imperator perfectiſſimus 133. 25
Impetus ſoni rectâ viâ fertur 3. 10
Impietatis poena 138. 18
Impoſitu vtiliſſima 145. 41
Imprudentia medicorum in purgationibus 145. 1
Impulſionis principium ſonum informat 4. 20
Inachus 102. 57
Inanitio 141. 37 ſuperuacanea 145. 12
Indagationis venaticæ tempus 154. 50
Indigentiâ nullum maius malum 116. 61
Indoles animi 69. 8
Indus fluuius 105. 15
Inedia bilioſos lædit 143. 57
Inimici qui 59. 23
Inimicitia anguium & ceruorum 157. 10
Inſtrumenta patibilia 74. 36
Inſula Achillis 149. 24 Pharus 125. 51
Inſulæ dæmonibus dicatæ 82. 25
Inſulæ propter Britaniam 82. 25
Intelligentia 74. 18
Interitus naturalis in igne 35. 1 principij ignis 35. 22
Interpretes Legum in Inſula Pharo 125. 60
Interualla corporum Cœleſt. 75. 60
Interuallum in numeris 72. 14
Ioann: Damaſceni opinio de odoris ſuauitate 19. 5
Io. Furdinus 48. 40
Ioues multi 85. 22
Iouis Vrij templum 148. 17
Iratus in loquendo præpoſterus 5. 12
Irin precibus elicere 25. 43
Irinum cur impetum non ciat 15. 32
Iris herba 15. 10 19
ἰσύγγιον 22. 22
Iſmenius fluuius 98. 45
Iſonomia 95. 27
Iſraëlitæ rectè ne fecerint deportantes vaſa Ægyptiorum 113. 50
Iſtri oſtium 149. 52
Iudæi in ſeruitute Ægypt. 108. 33
Indicij primordia 74. 14
Iugula ſydus 47. 41
Iulius Pollux de vino vnguentario 26. 58

Iuncus



Iuncus odoratus 15. 13
Iuniperi odor 12. 44
Iupiter Homericus 85. 42
Iupiter ſponſor 61. 8
Iuſticia ſollicitata 123. 49

L

Lacheſis neceſſitatis filia 49. 2
Lacon 53. 44
Lactere apud Macrobium 41. 93
Lacuſtres auræ 44. 23
Lapicidinæ celebratæ 27. 60
Lapidationis ſignificatio 134. 9 64 ſupplicium 134 9
Lapides rariſſimi 28. 7
Lapidum attributa 27. 48
Lapidum glomi 89. 22
Lapis amorem parentum concilians 100. 62 apud Aſſum erutus 37. 23 canum latratum compeſcens 102. 30 Caryſti natus 96. 15 colorem quater in die mutans 100. 27 contra oculorum cæcitiam 103. 60 contra ſtupratorum iniuriam 105. 20 corpora conſumens 37. 23 extra mundum 85. 7 falſum teſtimonium prodens 102. 64 Herculanus 27. 53 lepram ſanans 104. 17 Smaragdiaſpis 29. 21
Laterculi vſus 92. 25
Laterculum vnde dictum 92. 22
Laterculus apud Plautum 92. 28
Latona palmam peperit 93. 14
Lazi 148. 8
Lebadia Bœotiæ 78. 31
Lectio alia in Plutarcho 67. 1 45 92. 53 93. 9 16 94. 5 36 95. 33 96. 45 49 97. 8 25 in Theophraſto 19. 43 58 20. 10 54 66 21. 23 28 43 50 66 22. 7 44 60 23. 6 20 24 24. 12 21 23 27 34 43 25. 2 81 20 35 50 54 64 26. 1 37 41 50 27. 3 40. 45 53 56 59 41. 20 37
Leges chaldaicâ linguâ ſcriptæ 125. 21
Legiſlationis artes 124. 35
Legiſlator quid ſpectare debeat 124. 18 30
λεῖμμα 72. 55
λεῖμμα Pythagoricorum 70. 57
Lemures 81. 44
Leo 161 38 Æthiopicus 161. 44 Africus 161. 37 Arabicus 161. 30 Armenicus 161. 55 Lybicus 161. 43 Parthicus 161. 55 timet ignem 167. 50 venando exercitus 168. 40
Leonum cibus 161. 50 color 161. 41 partus 162. 5 ſomnus 162. 1
Lepus 166. 44
Leſche Delphis 93. 21
Leucophillus virga 99. 38
Lex Adraſtiæ 48. 56 de adulterio ſublata 122. 12 de Dephinis 60. 6 de ſucceſſione hæreditatis 135. 6 diuina 49. 48 medicinæ 144. 62 naturæ 49. 41 naturæ de hæreditate 136. 17 quæ complectitur non omnia ſunt legitima 49. 62 quaſi textor 57. 50
Libatio Græcorum 94. 45
Licurgus legislator 55. 5
Ligna ad igniaria facienda apta 38. 54
Lignum quomodo exuratur 66. 34
Lilæus mons 105. 24
Limes Europæ & Aſiæ 149. 9
Lingulæ duriuſculæ & obliquæ 2. 46
Liuurgus lapis 104. 28
Liparius lapis 28. 26
Liquabilia humida 28. 17
Liquores ad odores imbibendos aptiſſimi 20. 64
Liuius de omphalo 91. 62 de prytaneis 25. 3
Loci quatuor ſcitis oraculorum ſanciti 133. 43
Locris in Italia 46. 30
Locus emendandus Plutarchi 93. 10
Locus emendatus Ariſtotelis 92. 1 Plutarchi 92. 5 93. 38 94. 38 95. 50 65 96. 28 37 Theophraſti 18. 55 60 19. 41 52 65 67 20. 1 55 21 43 59 60 22. 57 62 65 23. 28 31 40 45 59 24. 31 33 35 46 42 25. 14 22 47 50 26. 3 5 20 24 48 51 55 27. 8 13 40. 63 41 17 Xenophontis 20. 40
Locus Maronis de offa 24. 52
Locus Planti inquinatus 26. 63 plurima mutat in flatibus 44. 54 Plutarchus corruptus 93. 1 explicatus 92. 46 Theophraſti, ambiguus 24. 21 de flore vini 26. 16 de radicibus 26. 21 diſturbatus 26. 10 lacunoſus 22. 53 vitiatus 40. 26
Locuſtæ in Ægypto 112. 50
λόγιον pontificiale 129. 38
Lotium odoratum 26. 6
Loucoion herba 100. 40
Lougon 100. 1
Lucerna accenſa ſalutaris 82. 30
Lucernæ æreæ 35. 10
Lucernæ cur minus luceant ſupra flamma poſitæ 34. 18
Lucerna perpetua 77. 43
Lucretius de compoſitione vnguenti 21. 4 φθόης vertit caulas 24. 40
Luctus propinquorum 135. 35
Lugdulus mons 99. 65
Luna herba 103. 8
Lunam terram eſſe Plutarchus ſcripſit 93. 4
Luporum quinque genera 164. 33
Lupus 164. 61 accipiter 164. 43 argutus 164. 36 ater 164. 21 aureus 164. 7 celerrimus 164. 43
Lynces maiores & minores 162. 33
Lychnis lapis 98. 29
Lycormas fluuius 100. 31
Lydius lapis 27. 53
Lyncurium 29. 24 38

M

Machelones 148. 7
Machæra lapis 101. 16
Mæander fluuius 100. 42
Magiſtratus procreatore propinquior 135. 53
Malagmata 17. 48
Maledicti cum execratione collatio 132. 65
Maleolentia 12. 26
Maliacus ſinus 46. 34
Man cœleſtis fructus 135. 64
Mannæ ſiue roris cœleſtis vſus 117. 33
Mantilia exuſtionis expertia 89. 23 96. 17
Manus niue condidior 110. 50
Manuum Moſis mira affectio 118. 2
Mardonius 78. 39
Mare æſtate frigidum 48. 17 Cronium 94. 26 diuiſum in exitu Iſraëlis 115. 50 135. 41
Margareta Valeſia 5. 20
Margarita lapillus 29. 52
Marmor non liqueſcit 28. 14
Marſyas fluuius 101. 1
Materia alima 57. 54 flammam variat 36. 20 altrix 69. 48 inordinata 87. 7 labes quadam & priuatio 79. 44. lapidum 27. 36 ſemper informis 69. 21
Mathematicorum dimenſio modulationum 71. 29 ratio de vmbra 65. 44
Mauſolus fluuius 105. 15
Maximum 55. 40. 53
Μᾶζα apud Dioſcoridem 24. 60
Medicamentum contra dolores podagra ex oleo roſaceo 145. 58 purgans 144. διὰ κρόκου ἢ χυλοῦ 146. 7
Medicamenta reprimentia 145. 33
Medietates 71. 37
Medium 84. 51
Medus fluuius 103. 47
Megalion 14. 55
μεγάλλιον apud Eubulum 23. 62
Megarenſium ciuitas 79. 26
Meleager venator 155. 47
Melia terra 31. 44
Mella de Sena in mare Britannico 94. 16
Memoria reſpondet diuinationi 88. 22

Memphis Aegypti 112. 34
Mens auctor ordinis 69. 51
Menſis primus 135. 9
Meſeſpheros 23. 50
Mercurij ſignum 146. 49
Michaël Palæologus Imperator 138. 54
Microſpheros 23. 50
Mileſius lapis 28. 42
Minium 30. 6 31. 22
Miraculum in rubo ardente 110. 26 prodigioſiſſimum 131. 47
μέρῥινον & ἀνθίνον græci habebant 20. 61
Mixtio frequentiſſima in vnguentis 12. 60
Mixtura in ſuccis 18. 20
M. Otho 20. 44
Moderatus lapis 100. 55
Modulatio Pythag. 71. 5
Modulationum rationes 71. 16
Modus triplex impediendi odoratus inditium 16. 28
Mogrus fluuius 147. 33
Molus Merionis pater ſine capite 81. 23
Momorus & Atepomarus 99. 65
Monumenta exitij in Syria 126. 56
Mopſi oraculum 89. 35
Mors primogeniorum in Aegypto 113. 30
Mortuus apud Aegyptios 58. 40
Moſes adoptatur 107. 35 à filia regis educatur 107. 27 coloniam deducere parat 115. 1 cum vxore & liberis in Aegyptum redit 110. 66 cur ab aqua prodigia cœperit 111. 40 curatorem Aegypt. interficit 108. 61 criminatur à populo 115. 29 de impoſtura ſit ſuſpectus 111. 15 de ſuo ex hac vita diſceſſu & ſepultura loquitur 138. 34 dux populi 114. 13 eximius doctor 105. 66 fugit in Arabiam 109. 8 genere Chaldæus 106. 54 patria Aegyptius 106. 54 lactatus 107. 6 Legiſlator præſtantiſſimus 124. 46 nepos ex filia creditus 107. 35 108. 21 nulli ciuitati adſcriptus 114. 47 paſtorum optimus 109. 63 primordium vaticinandi 137. 1 propheta ſpectatiſſimus 133. 30 quem finem ſibi propoſuerit gubernationis 114. 25 quomodo Imperium adeptus 114. 22 quomodo pontificem deſignârit 131. 5 Rex, Legiſlator, Pontifex 133. 30 vxorem ducit 109. 52
Moſis commilitones 108. 1 educatio 106. 63 ex ephebis exceſſus 107. 59 indoles 107. 43 nomen 107. 32 oratio ad duodecim viros in terram promiſſam ablegandos 118. 20 parentes 106. 61 pietas in parentes 108. 25 præceptores 107. 40 preces in belli diſcrimine 118. 1 ſepultura 136. 32 ſoror 107. 27 ſtudium in philoſophia 107. 48 vita externa 108. 8 vita moderata 107. 63 virtutes regiæ 114. 30
Multitudo quatenus numerus 86. 56
Mundi anima 73. 41 corpus proportione conſtitutum 70. 27 natalis 117. 29 134. 34 partes non vocantur mundi 84. 26 permanſio 94. 57
Mundi centum octoginta tres 83. 37 53
Mundorum infinitas 94. 7
Mundorum multitudo vnde exorta 87. 4.
Mundus ex quib. cohæreat 68. 33 non multiplex 84. 1 30 43 virtute præditus 97. 29 vnde 68. 58 vnicus 84. 43.
Munera Achilli dicata 149. 27
Bacchi Thyonæi 169. 11
Murus Chelidonius 102. 32
Mus Europæus oraculum conſulit 92. 53
Muſca canina 113. 15 cur ſic appellata ibid.
Muſculorum effectum 139. 40
Muſicorum verba græca 95. 44
Mutatio ventorum 47. 24
Myenus mons 100. 36
Mycenæ montes 103. 2 9
Myndam lapis 105. 6
Myops herba 104. 34
Myrobalanum 27. 10
Myrobathrarij 20. 50
Myrrha 15. 8 24. 19
μυῤῥίνην apud Heſichium 26. 59
μύρτινον vnguentum 22. 36


## N


Narratio de quodam Barbaro homine 83. 2
Natalis mundi 117. 29 134. 34
Natatio ceruorum 157. 4
Natura 34. 3 delectatur numero quinario 87. 26 diuidua 73. 10 ignis & caloris differt 33. 51 imagines repræſentat 80. 50 non eſt operaria ſuperuacanea 112. 30 non generata 68. 62 rationis expers 139. 36
Naturæ duæ 86. 31
Natura inter Deos & Homines poſita 80. 45
Nauigatio ceruorum 157. 52
Nebrides 99. 19
Neceſſaria 50. 22
Neceſſarium & fas 50. 25
Neceſſitas & mens vis eſt 75. 1
Neceſſitatis ſuadela mixta appellationes 74. 62
νέρου 63. 29
Ne quid nimis 60. 64
Nicander Antiſtes 91. 23
Niger fluuius 102. 16
Nilus fluuius 102. 16 auras non gignit 44. 28
Nilus commentitius deus 133. 55
Niſyreus lapis 28. 51
Nitrum 39. 5
Noæ ædificium 127. 3
Nocentiſſimum 55. 41 56
Nomen proprium Dei quale 110. 38
Nomen quatuor literarum 129. 44
Nomina morborum propagines 140. 8
Noſce teipſum 60. 64
Noxa ab Ioue præcipitata 61. 7
Nox cita 77. 57
Nox cur atra dicta 65. 51
Nox è terra nata 65. 44
Nubes columnata 115. 9 55
Nubes contra ventum quare nonnunquam ferantur 44. 44
Nubes quid 64. 44
Numerus Iſraëlitarum Aegypto decedentium 114. 8
Numerus quinarius 95. 36
Numerus XIII. defectus 71. 21
Numerus XXXVI. 71. 10
Numerorum proportio apud Pythag. 70. 56
Nux perfectam virtutem deſignans 133. 1


## O


Ὦ ἀ πνικτά 41. 9
Obeliſcus è ſmaragdis 29. 9
Ochra 30. 6 52
Octaëdron 85. 62 65
Odo Cardinalis Caſtilioneus 105. 41
Odor deo gratus 6. 12 ex admixtione 12. 1 fluxus in aromatis 13 60 in pellibus hircinis 17. 41 in thure & myrrha 13. 28
Odoris iucunditas in alimentis 12. 38 varia ratio 13. 20
Odores animalium 25. 55 diluti 12. 10 ex confectione 12. 41 in animantibus 17. 36 inertes 12. 10 in non mixtis 12. 53 per ſe 12. 40 pro aromatis 20 13 quomodo à ſaporibus diſtincti 12. 14
Odorum cauſa & origo 12. 58 diſtinctio 12. 14 generatio 12. 49
Olentia procul, & è propinquo 13. 20
Oleum aëreum 64. 16 balaninum 13. 42 è glande Ægyptia 13. 36 & vnguentum quid apud Xenophontem 20. 37 ex amaris amygdalis 13. 41 rhodinum apud Homerum 20. 29
Oleum triplex 21. 18
ὠμοτριβὲς oleum 21 19
ὀμφάκινον oleum 21. 18
ὀμφαλὸν 91. 60
Omphax 29. 34
Onager 163. 30
Onychium 29. 40
ὀφέλλεσθαι 77. 57
Optimo 74. 18


Opiniones




Opiniones variæ de dæmonum nominibus 79. 63
Oppiani de venatione lib. 150. 1
Oracula diuina 133. 32
Oraculis non dij ſed dæmones præſident 81. 59
Oraculum Ammonis 92. 40 Apollinis Ptoi 92. 49 Delphicum 96. 64 Senæ 94. 16 Tegyris & Ptoi 79. 28 Themidis 96. 62 Theſſalis de Arna ortum 88. 26 Tireſiæ extinctum 89. 31
Orbis ætatis 92. 62
Ordeum hominibus vtile reliquis animalibus nocens 19. 12
Ordines in templi miniſterio 137. 63
Orion venator nocturnus 155. 53
Ornatus Pontificis explicatio 129. 51
Oromaſdes 74. 64
Orontes 156. 56
Ortygometrarum nubes 117. 37
Oryx fera 159. 17
Ὅσιοι ſacrifici 96. 45
Os putei 99. 43
Oſtia Iſtri 149. 52
Oues rufæ 158. 60
Ouid. de Delphis 91. 44
Ouium genera 158. 51


## P


Pactoli cuſtodia 100. 15
Pactolus Aeoli filius 100. 7
Pactolus fluuius 100. 3
πάρι 66. 5
Palæſtinus mons 101. 19
παλαμναῖοι 93. 62
παλάθαι 24. 59
Palimboreæ 44. 50
Palinurus herba 103. 26
παλῶδες verbum Doricum 94. 12
Pangæus mons 99. 9
Panæa regio 102. 39
Pan magnus 82. 14 22
πάντα ἃ πέντε 87. 10
Panthera 166. 1
Pantherum odor 19. 54
Papauer pro fructu lapides proferens 103. 67
Paradoxa Ciceronis græcè interpretata ſtudio Turnebi 171. 19
Parallelogrammum rectangulum 70. 60
Pardalis 25. 56
Pardi duplex genus 162. 10
Parnaſus 65. 58
Partus equo editus 53. 58
Paſca feria 134. 12
Paſtoritia ars 109. 55 60
Patibilia inſtrumenta 74. 36
Patria chara 158. 35
Patroclus in ſomnis viſus 149. 46
Pauſanias de oraculo Apollinis Ptoi 92. 49
Pauſilyppus lapis 101. 25
Paxa & Paxi 94. 12
Pellis hircinæ fœtor 17. 41
Peluis ahenus quid notârit 130 50
πεμπάσασθαι 87. 9
Pentheus veſanus 169. 15 in taurum verſus 169. 48
Perdices damis familiares 158. 40
Perſeus primus Venator 155. 32
Perturbationes hominum 74. 39
Peſtis odorum ſuauitate pellitur 6. 9 viatoribus & meſſoribus vt accidere ſoleat 44. 10
Petra in fontem verſa 117. 41
Petrus Gallandius 67. 20
Petrus Montaureus Bibliothecarius Reg. Gall. 61. 22
Petulantia 133. 65
Phæa Locus Curiadis 45. 22
Pharaonis faſtus 111. 8
Pharmacus herba 104. 3
Pharnacea 148. 55
Phaſiana dea 147. 47
Phaſis fluuius 99. 34 147. 43
Phaulia oliua 21. 21
Philadelphi lapides 101. 30
Phileſii ſignum 146. 50
Philippus hiſtoricus 81. 33
Philonis Iudæi Libel. de vita Moſis 106. 30
Philoſophari de ſeptimo 134. 55
Philoſophia contra Philoſophiam 134. 43
Philoſophia vera tribus conſtans 134. 44
Philoſophi phyſici 96. 41
Philoſophus à medico differt 63. 6
Φιλοσοφία in capris ſylueſt 158. 12
Philoxenus de Fauonio 45. 58
Phinees Pontificis filius 122. 16
φλοιόεσζα 26. 20
Phœbus, id eſt, mundus 83. 13
Phrixa herba 102. 7
Picem ardentem cur Aqua non extinguat 35. 23
Pillulæ Perſicæ 146. 14
Pillularum apparatio 144. 48
Pillularum ſimplicium purgantium compoſitio 143. 10
Piſciculi in diffiſſis lapidibus 18. 36
Piſciculus violam redolens 25. 57
Piſcium amor erga ſubum 159 7
Pix quæ crematur 39. 9
Plagæ Ægypti Hebræos non attingebant 113. 60
Planities in laterculo 92. 24
Platææ ciuitas in Boetia 45. 18
Platanum 27. 12
Platicerotes cerui 158. 14
Plato Anaxagoram reprehendit 96. 24 animum genitum & ingenitum dixit 70. 37
Platonis locus de animo 68. 36 de acore 18. 62 de diſcretione mundi 70. 21 de materia 97. 31 de Mundo 68. 26 de veritatis campo 97. 22 Platonis vacillans opinio 69. 60
Plauti locus animaduerſus 20. 51 de laterculo 92. 28 de vnguentis 22. 28 plerunque & rarò quæ eueniunt 50. 27
Plinij error de hippace 19. 37 de pinguiſſimo permanenti ſ. 21. 48 de raphano 19. 31 de ſcilla 24. 64
Plinij locus annotatus 19. 20 caſtigatus 21. 58 de Adonidis horto 19. 40 de animalium odore 25. 60 de arbore Elate 22. 46 de carne vrſorum 26. 26 de compoſitione vnguenti 21. 39 de diapaſmatis 25. 26 de igniarijs 40. 12 de iride herba 23. 21 de Marone herba 23. 29 de megalio 23. 62 de Melino oleo 20. 33 de myrrha 24. 21 de ſpuma arida maris 23. 32 de ſucco roſæ 20. 30 de Syene oppido 92. 32 de vino mixto vnguentis 20. 42
Plinius à ſententia Theophraſti aberrat 21. 14 cenſoria animaduerſione dignus 19. 27 χρίσμα vocat oleum 20. 18
Plutarch. Lib. de Fato 48. 50 de fluuiorum & montium nominibus 98. 20 de Oraculorum defectu 77. 30 de procreatione animi 67. 50
Plutarchi Commentarius de primo frigido 61. 20 60
Plutarchi Locus de vita nocte 92. 10 de corpore Alexandri 25. 59 de Epimenidis cibo 94. 50 de Inſulis Britannicis 94. 24 de iride 25. 44 de motu 94. 59 de Theophraſto 19. 2 περὶ δυνατῶν 97. 40
Podagra vnde generetur 139. 20 59.
Podagræ morbus cur in ſucceſſione familia 140. 25 non letalis 140. 21 141. 14
Poema Solonis de Bacchi munere 56. 63
Pœna Ægyptiorum cur in beſtiolis potius quàm in beluis ſæuiſſimis 112. 4 in execrantes deum 134. 14
Pollux Lacedæmonius 155. 43
Polygnotus pictor 96. 35
Pontica Athena 147. 14
Pontificialis veſtis 129. 30
Portus ad Trapezuntem 148. 58
Porus lapis 28. 2
Porus Rex 98. 40
πόρος 24. 37
Poſidonij cauſa frigoris 65. 3
Poteſtas definiendi & diuidendi 75. 6
Poteſtates primi animi 74. 12
Poteſtates terræ 89. 15


Qq

Præcautio morbi podagræ 141. 1
Prædæ diuiſio Iſraëlit. 123. 1
Primitiarum partitio 123. 7
Principia quinque Platonis 95. 21
Principium interminatum 86. 62
Priuatio accretionis & diminutionis expers 62. 15 ignaua 62. 5 non miſcetur cum habitu 62. 20 quid ſit 62. 33 ſenſibus non cognoſcitur 62. 31
Proboſcida Elephantis 160. 43
Procellæ 45. 33
Procli verba de mundis ſexaginta 97. 10
Procreationis cauſæ duæ 90. 36
Procreatio vnde fiat 68. 64
Procreatus ſine matre 134. 31
Promethei herba 99. 55
Prometheus 32. 44
πρόνοια Stoicorum 94. 34
Prouerbium de Auſtro 46. 4 47. 10 de Borea 46. 58 de ventis 47. 15
Prouidentia Dei intelligentia 51. 13
Prouidentia triplex 51. 13 54
Proportio Solis cum Apolline 89. 9
Prudentiæ & bonitatis argumenta 119. 45
Prytanea in Græcia 25. 3
Prytanea quid 92. 38
Prytanis 147. 29
ψυχαγωγεῖα 40. 47
Ptolomæorum domus 125. 35
Ptolomæus Philadelphus 125 35
Puella ſeptem paſcentes oues 109. 28
Pugna dæmonum contra dæmonas 83. 14
Pulcherrimum 55. 40 54
Pulmones quid in vocibus præſtent 1. 45 58
Pumex 28. 30 57
Purgans medicamentum 144. 1
Purgatio ex Hermodactyli antidoto 144. 27
Purgationes non admittentes 145. 22
Puſtulæ vnde 38. 44
Putoris fœditas in omnibus apparet 12. 20
Pyramidis dimenſio ex vmbra 52. 44
Pyramis 85. 65 62 86. 5
Pyramis ſeminarium ignis 86. 9
Pythagoras inuentor trianguli 95. 42
Pythiæ mors 91. 20
Pythiorum tempus 93. 28
Pythium oraculum 77. 2

Q

Quadrata figura 130. 22
Qualitates duæ rerum naturalium 61. 30
Qualitates pro corporibus 95. 55
Quaternarius Platonis 70. 48 71. 35 75. 48
Quatuor prima corpora 62. 54
Quatuor res in perfectiſſimo Imperatore 133. 25
Quinarius numerus 87. 11 20 95. 36
Quinque Pythagorici vocant altricem 70. 56

R

Ranæ circum radicem palmæ ſculptæ 60. 61
Ranarum multitudo in Ægypto 111. 55
Ῥάφανος apud Theophraſtum et Plinium 19. 30
Rationale duplex 130. 16
Rationes ad virtutem duæ 105. 45
Recrementa ſtomachi 139. 34
Reges cur paſtores appellati 109. 60 fontium foſſores 120. 3 philoſophi 124. 10
Regiones à ventis immunes 45. 4
Regio terræ promiſſæ 118. 4
Regnum potulentum ſubditis præbere 54. 60
Religionis cultores veri 137. 59
Reſinæ effectus in vnguentis 22. 66
Reſpirationis meatus in cornibus caprarum ſylueſt. 158. 6
Rex Ægypt. iraſcitur Moſi 108. 66 chananes 119. 48 illuſtriſſimus 55. 6 Phœnicum 117. 60
Rhea Ægyptij 87. 19
Rhinoceros 160. 15
Rhinoceri omnes maſculi 160. 24
Rhodinum 16. 40 50
Rhodope mons 101. 27
Rhombus fluuius 99. 7
Riſius fluuius 147. 26
Roſa 16. 32 cur breui elangueſcat 16. 32
Ros cœleſtis 117. 3
Rubrica 30. 52 54. 58
Rubrica Sinopica 31. 1
Rubus flagrans 110. 4
Rubus frutex qualis 110. 16

S

Sabbatho ligna colligens cur morte mulctatus 134. 50
Sabbatho quomodo feriandum 133. 34
Sacerdos vnica Apollinis 79. 34
Sacerdotij poſſeſſio hæreditaria facta 122. 31
Sacerdotum ordines 131. 45
Sacra oraculi in theatro Delphico 81. 34
Sacrificia hoſtiarum humanarum 81. 14
Sacrificia nefaſta & triſtia cur facta 81. 11
Sagaris fluuius 101. 32
Salamandra 38. 35
Salmydeſſum 149. 62
Salpaat vir ſpectatus 135. 47
Sanctio quid 49. 55
Sandaraca 30. 7
Saniga 148. 11
Sanni 148. 6
Santerna 29. 19
Sapientiſſimum 55. 40 55
Sapor non expers odoris 18. 25
Sapphirus 29. 2 26
Sardium 29. 2 35
Saturnius mons 103. 41
Saturnus carcere clauſus 82. 33 94. 25
Scalenum Platonis 86. 28
Scamander fluuius 101. 44
Scaptenſulæ fodinæ 28. 36
σχῖνος 22. 13
Scipio Moſis fit draco 111. 20
Sciron 147. 5
Scirpi Eumetidi 56. 9
Sciurus 160. 54
Scolopidus piſcis 99. 62
Scythæ 54. 29
Sebaſtopolis 148. 2 11
Seceſpita ſacra Apollinis 88. 61
Sectiones venæ quomodo lædunt 143. 41
Seculo quot anni attributi 92. 58
Seculum 80. 14 20
Seditio in Moſen 136. 63
Seditio ſacerdotum 131. 48
Semina fricta 37. 14
Semitriangulum 86. 24 95. 17
Senectus non idonea præs 52. 26
Senſus manifeſtior vnde 2. 43
Senſus odoratus deterrimus 12. 30
Sentiendi agitatio 74. 3
Seon Amorrhæorum Rex 120. 8
Septentrio nubes trahit 45. 54
Septerium imitatio pugnæ 93. 56
Septimus dies ſacer 117. 22 134. 28
Sequana 25. 57
Serum lactis quomodo bibendum 144. 10
Seſama 21. 57
Sexus in lapidibus 29. 40
Sicca mixta iucundiores odoratus habent 17. 35
Siccorum permixtio 17. 22
Siccus animus 96. 2
Sicyonus lapis 104. 49
Signum Sabbathi 135. 15
Silentium venatoribus ſanctum 154. 46
Simiarum tria genera 161. 16
Similium coniugationes 70. 53
Simplicia odoris expertia 12. 9
Sinopica 30. 60
Sipylus mons 100. 58
Sitrus herba 101. 47
Smaragdus 29. 3. 20. 49
Socrates vnguentum in viris reprehendit 5. 47
Sol deus 90. 47 quomodo flatus moueat & ſedet 43. 32 ſemper luminoſus 88. 18 verſatur in ſubiecto 33. 46
Solis magnitudinem vt inueſtigarint veteres 92. 17 vapor colorat, ignis non 36. 3 30 vmbilicus Syenæ 78. 7




INDEX.


Sollax fluuius 104. 62
Solon Legislator 54. 67
Somnij cauſa 91. 10
Somnium ſerui præſidis Ciliciæ 89. 40
Soni duri 3. 43 molles 3. 43 violenti 3. 41
Soni impetus rectâ viâ fertur 3. 10
Sonus 74. 57
Sophiſtæ vocabulorum captatores 134. 42
Sophoclis dictum de DEO 79. 47
Species eorum quæ fieri poſſunt. 50. 20 in rubo ardente 110. 8 oraculi diuini tres 133. 32
Spinus 28. 24
Spiritus ſiccus in voce 2. 13
Splendor ſiccus 88. 53 96. 5
Sponde, noxa præſto 60. 65
Spuma arida maris 25. 32
Stacte 14. 49 20. 36
ςαῖς offa 24. 50
Statua Traiani Imp. 146. 44
ςεαπ pro ςαιπ 24. 65
Stephanus Poncerius Turonum Epiſcopus 32. 30
Stirpes in gracilitatem ſcandentes 38. 14
Stoica deflagratio 80. 28
Stoicorum deflagratio 92. 64 opinio de vita Fœtus in vtero 66. 59 de Spiritu in corporibus infantum 62. 12
Stomachus principiũ alimenti 141. 44
ςορεὺς 40. 11
Strages pecudum Ægyptiorum 113. 23
Strobilus Caucaſi cacumen 148. 16
ςρυθὲ ἀκόλυθε 26. 67
Struthe acoluthe apud Plautũ 26. 65
Struthium 23. 11
Strymon fluuius 101. 19
ςύμμα 21. 33
Stymphilus fluuius 103. 33
Suaueolentia 12. 25
Subus improbus 159. 7
Succeſſio hæreditatis 136. 10
Succi vt Mixturam fugitent 18. 9
Succinum lapis 29. 30
Succus inutilis 140. 42
Sudor & humor 139. 51
Sufficere apud Ciceronem 21. 35
Suffocationis nomen 37. 4
Suidas de Eurycle 93. 33 de prytaneo 92. 39
Supplicandi genus apud Perſas 64. 34
Supplicia nullo hominum miniſterio Ægyptijs repræſentata 113. 14
Suſa quid Perſis ſignificet 22. 33
Sybaritæ 52. 66
Syene vrbs 92. 32
Συκάμινον apud Athenæum 19. 60
Sympathia quorundam animalium 159. 25
σιλυέβη 50. 61
συνεκτικὸν αἴτιον 95. 26

T

Tabernaculum Moiſis 127. 61
Tabernaculi ſancti explicatio 128. 15
Talparum terrigena gens 161. 26
Tanais fluuius 101. 56
Ταρταρίζειν 63. 35
Tartarus vndè dictus 63. 34
Taugetus mons 102. 52
Taurorum formæ multæ 156. 17
Taurorum prælium 155. 40
Taurus Ægyptius 156. 18 Aonius 156. 33 Armenius 156. 35 armenti Rex 155. 28 Biſtonius 156. 45 Phrygius 156. 25 Syriacus 156. 37
Taurus aureus Iſraëlitarum 137. 42 132. 1
Tegyreum Oraculum 78. 40
Tempus indagationis venaticæ 154. 50 venationi commodum 151. 29
Tenebræ Ægypti 112. 56
Terra aſtringit 66. 26
Terræ interiora quando frigidiora 34. 39
Terra Ciliciæ 30. 44 imbrem tulit 117. 13 impios dehiſcit 136. 8 naturâ frigida 66. 10 niue fermentata 40. 43 Olympica 93. 5 tenebroſiſſima 65. 36
Τέτερον 40. 11
Thamus Ægyptius 82. 12
Thaſius pictor 90. 24
Themis fatidica 96. 63
Theodorus 73. 1
Theodorus Solenſis 85. 60
Theodoſia vrbs 149. 14
Theophraſtus alter Promotheus 32. 46
Theophraſtus de ſtirpium cauſis 19. 1
Theophracti Libellus de igne 32. 20 de Lapidibus 27. 20 de ventis 41. 15 de odoribus latinitati donatus 5. 20 Theophraſti ſcripta mendis vitiata 18. 46
Theriaca bibenda 144. 21
Thermodon fluuius 102. 12 148. 48
Theſſalæ mulieres 80. 63
Theſtius fluuius 104. 20
Theutras mons 104. 6
Thraces bellicoſiſſimi 148. 33
Thraſydylus lapis 102. 48
Thraſymedes Heræenſis 91. 10
Thyrogonus mons 98. 35
Tiberius Imperator 82. 21
Tibia herba 101. 13
Tigris 164. 31
Tigris fluuius 104. 62
Tinctura vnguenti 15. 1
Tmolus fluuius 30. 30
Tmolus mons 100. 19
Toni proportio 71. 4
Traianus Adrianus Auguſtus 146. 37
Trapezus vrbs 146. 39
Tremor in hoſtijs 89. 61
Tria in vnguento 21. 32
Trianguli inuentor 95. 42
Triplex temperatio in odoribus 12. 56
Trœzenius 29. 46
Troilus 60. 14
Trophonij oraculum 92. 44
Tyana 147. 20
Tympanum ex corio lupi 164. 23
Tymphaica terra 31. 51
Tyrannis Ægyptiorum in Iudæos 108. 45
Tyrannus teterrimum animal 52. 50

V

Valaces rex 120. 23
Vapor efferueſcentis aquæ 61. 66
Varro de Myrrha 24. 20 de vmbilico 91. 57
Vaticinatio & interpretatio differunt 133. 40
Venæ ſecandæ ratio 143. 34
Venæ ſectio in fluxione 143. 65
Venatio damarum 171. 53 Imperatoria exercitatio 109. 58 Leonum 167. 51 leporum 171. 40 Pantherarum 169. 1 170. 1 Thoum 168. 23 triplex 150. 16 vrſorum 170. 45 Vulpium 171. 1
Venationis modi multi 166 53
Venatores Libyci 167. 14
Venatoria inſtrumenta 151. 6
Venatoris habitus 151. 14
Veneris officium proprium 57. 18
Venter numos liquat 37. 18
Venti cur æſtate calidi, hyeme frigidi ſint 44. 5 cur ſiccare ſoleant 48. 10 qui frequentiſſimi 42. 56
Ventorum Circitatio 47. 22 conflictus 47. 31 Mutatio 47. 24 prænuntia 45. 47 varia nomina 48. 25
Ventris calor 37. 21
Ventus aëris agitatio 44. 58 Aquilonaris 42. 5 Auſtralis 42. 5 & aura in venatione 167. 24 Septentrionalis 45. 54
Verbaſci folia 145. 44
Ver ad res venereas aptiſſima 153. 23
Ver & Autumnus venationibus apta tempora 151. 35
Veſpaſianus Imperator 5. 42
Veſtales vt ignem accenderint 40. 20
Veſtigationis venaticæ genera duo 154. 47
Vetuſtiſſimum 55. 39 52
Victima qualis eſſe debeat 90. 53
Victoria Iſraëlitarum 122. 58
Victus ratio accurata 145. 11
Vina dulcia 20. 56 mixta 16. 59
Vini admixtio vnguenta commendat 18. 20 ſuccus acerrimus 13. 14

*Vinum ad odorem confert* 17. 30 *fluxionis cauſa* 143. 30 *fragrans* 20. 58 *quando acerrimi odoris* 17. 59 *vnguenta moderatur* 16. 20
*Virga Aronis* 131. 64
*Virga Moſis animata* 110. 44
*Virgines Arabum paſcunt iumenta* 109. 26
*Virium mutationes in aromatis* 15. 17
*Virtutis diſſimilitudo in Dæmonibus* 81. 6
*Virtus verba vt lucus ligna* 105. 64
*Viſcata non vri* 38. 40
*Vis flammæ vbi* 37. 47 *in anhelitu diuino mutationi obnoxia* 89. 27 *ſuperans ſuperatum in ſuam naturam conuertit* 65. 63 *vaticinandi in animis* 88. 30
*Vita caſta quid momenti habeat* 105. 53
*Vitis fructus ingens* 118. 52
*Vitrea terra* 30. 40
*Vlcerum genus in Ægyptijs* 113. 5
*Vmbilicum Delphos* 91. 55
*Vmbilicus* 77. 33
*Vmbra potius quàm homo* 98. 1
*Vnguenta cur à prima palmæ parte ſuauiſſima* 17. 4 *ex tribus conſtant* 21. 32 *medicata* 17. 46
*Vnguentorum compoſitio* 13. 32 14. 38 *conſeruatio* 16. 2 *durabilis ſoliditas* 15. 47 *genera infirma* 15. 50 *ſpecies variæ* 14. 40 *tinctura* 15. 1
*Vnguentum Ægyptium* 23. 65 24. 3 Κύπινον 22. 32 23. 61 *cur vina condiat cibum corrumpat* 13. 10 *glandis Ægyptiæ* 18. 34 *Mendeſium* 23. 66 *myrteum* 22. 35 *Metopium* 23. 66 24. 4 *Nardinum* 23. 47 *Oenanthinum* 23. 40 *Spicatum* 23. 48 *Suſinum* 23. 61 24. 3
*Vnguis odoratus* 25. 62
*Vnitas numerorum menſura* 80. 36
*Vniuerſitatis diſtributio in quinque mundos* 83. 58
*Vnum commodum pro multis malis in Tyrannis* 52. 61
*Voces abruptæ* 4. 56 *acutæ* 3. 46 *argutæ* 4. 40 *aſpiratæ* 4. 54 *cæcæ & nubilæ* 1. 34 *claræ* 2. 57 *craſſæ* 4. 38 *duræ* 3. 35 *fragiles* 4. 46 *fuſcæ* 2. 52 *hæſitantes* 5. 4 *interruptæ* 5. 1 *leues* 4. 55 *manifeſtæ* 2. 27 *plenæ* 4. 33 *quomodo audiantur* 2. 16 *tenues* 4. 16 *vnde* 1. 24
*Vocis claritas* 2. 39 *varietas vnde* 1. 40
*Vocum aſperatio* 4. 7
*Voluptas venationis* 155. 56 *in brutis* 159. 20 *in corpore* 58. 65
*Vomitus ad quid proſit* 142. 18 *quomodo ciendus* 142. 27 *vtilis* 141. 42 142. 10 63
*Vox dei de Septimo die colendo* 133. 43
*Vox è Paxis audita* 82. 11
*Vox, oratio, Concentio* 74. 55
*Vrſus ferus* 162. 40 *fœmina nuptiarum cupida* 162. 56
*Vtiliſſimum* 55. 41 56
*Vtilitas ex inimicis capienda* 5. 52
*Vtilitas vomitus* 141. 42 142. 18
*Vulpecula Aeſopica* 56. 46
*Vulpes* 165. 45
*Vulturnus* 47. 29

*X*

*XAnthus lapis* 29. 58
*Xenocrates Platonis ſodalis* 80. 47
*Xenocratis ſententia de animo* 68. 6
*Xerabates fluuius* 101. 32

*Y*

Ὑποκριτικευθὲν *apud Vallam* 96. 31

*Z*

*ZAclum herba* 104. 26
*Zaratas Pythagoræ magiſter* 68. 13
*Zoroaſter* 79. 60
*Zydritæ* 148. 8

FINIS



# V. CL. ADRIANI TVRNEBI PROFESSORIS REGII VARIOrum opuſculorum

## TOMVS III.

*IN QVIBVS DE EIVSDEM VIRI OBITV Orationes, Epiſtolæ* [redacted] *quoq; continentur.*

## ADRIANI TVRNEBI LIBELLVS.

### DE METHODO.

NVLLVM nomen vulgò in ſcholis noſtris celebrius eſt, nullum frequentius auditur, nullum iucundius ſonat, quàm Methodi vocabulum: & cùm alia, ſi ſæpius vtaris, nauſeam quandam auditoribus pariant, hoc vnum nunquàm faſtidium ſui mouet: quiq; eo vti parcunt, auditori epulas iniucundè condire & inſuauiter apparare videntur: qui ſæpè vtitur, ambroſiam & nectar dapéſque Deorum eis apponere putatur. Nos quidem qui tantam in hoc cibo guſtus illecebram non percipimus, vix vnquam adhibemus: & ſi in auctoribus fortè interpretandis reperimus, leuiter attingimus: cùm in eo non tantùm latere deliciarum credamus, vt non ſtatim ad eius myſteria & penetralia duobus verbis omnes induci poſſint. Sed quoniam non tàm iudicio, quàm inſcitia de ea declamare videmur, vt nos non omni ex parte eius ignaros eſſe homines intelligant, decreui mediocri libello teſtatum relinquere, quid de ea ſentiam. Et locum quidem iſtum diligenter accuratéque à Petro Ramo excuſſum diſputatúmque eſſe recordor: neque nunc, quod me quicquam, quod eum lateat, proferre poſſe putem, ſuſcepi tractandum: ſed vt iuuentuti ſatisfaciam, noſtram iſta de re ſententiam flagitanti, cuius deſiderio deeſſe non debeo. Feret igitur ille æquo animo me in eius diſputationis ſocietatem venire, quam nobiliſſimè & glorioſiſſimè explicauit, nec in malam partem interpretabitur, ſi in hac quęſtione aliquid tentem, quam perfectè exquiſitiſſimèque conſcripſit, præſertim cùm, non vt de eius laude & gloria quicquam decerpam, ad ſcribendum acceſſerim, qui quidem potiùs eam amplificatam eſſe optem, quàm vlla ex parte à quoquam diminutam. vt igitur nobiliſſimos & illuſtriſſimos philoſophiæ locos poſt magiſtrum Ariſtotelem Theophraſtus tractare non eſt veritus, de hiſque ſcribere, neque propterea quiſquam à diſcipulo læſam violatámque dignitatem doctoris putauit: ſic cùm poſt doctiſſimum præceptorem & diſputatorem, ego penè in hoc genere nouitius & tyro ſcribam, obſecro quæſóque omnes, qui hæc legent, ne malignè interpretentur, me voluiſſe de eius exiſtimatione famáque derogare. Principiò autem ponendum eſt, quod mihi faciundum in his videtur eſſe, quæ ambiguitate quadam diuerſas recipiunt ſententias, methodi nomen non vnum tantum interpretari ſenſum, neque vnam tantum notionem continere. Nam methodus eſt doctrina, ſcientia, diſciplina, vt apud Ariſtotelem: *πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος.* Iterum, *ἐπειδὴ τὸ εἰδέναι καὶ τὸ ἐπίστασθαι συμβαίνει περὶ πάσας μεθόδους.* Eſt & ratio quam ſequimur in excogitandis argumentis & rationibus: vt cùm vel cauſas, vel euenta nobis proponimus, ſimilia aut diſſimilia, vt à Galeno accipitur. Etiam ars hac voce cenſetur & præceptio: vt methodi Logicæ apud eundem Galenum. Denique etiam ratio & via rerum tradendarum, quæ ordinem quendam & collocationem ſibi proponit, neque res aut præceptiones temerè confuſéque miſcet, ſed locis diſtributas diuiſáſque quadam ſerie & momentis diſpoſitionéque deſcribit, methodus etiam dicitur: atque iſta eſt, in qua obſtupeſcunt auditores, quam admirantur & ſuſpiciunt, qua eorum aures titillantur & permulcentur, quæ tam ſuauiter in eorum intimos influit & illabitur ſenſus, vt vel in fortunatorum inſulis inter heroas ſe verſari putent: cùm vocem illam audiunt, aut in cœlo inter cœlites ſe collocatos credant. Nomen ex eo videtur adepta, quod via res perſequatur, ad eáſque contendat & peruenire conetur. Proinde enim quaſi eat, antecedentes vel præcurrentes ſequatur vt adipiſcatur, methodus appellata cenſetur, quod poſt eas gradiatur & feratur. Nam Græcis *μετιέναι,*

μεταπορεύεσθαι, μεταδιώκειν, μεθοδεύειν perſequi, & ad verbum, poſt ire & ſubſequi ſignificat. Poſtremum autem eorum etiam in dolo & fraude ponitur, ex artis ſignificatione quæ methodo continetur. Sed nos originem vocabuli inueſtigantes ab incunabulis repetere debuimus, non à poſtera ſecutáque & aduentitia ſignificatione, & adiunctione, & conſecutione ducere. hæc eſt illa nobilis & pulchra methodus, quæ aurea magis eſt, quàm illa poëtarum Venus, qua freti putant ſe artium fines regere poſſe melius Iuriſconſultis omnibus aut arbitris à Prætore datis, ſe Cenſoria quadam ſeueritate, auctores ſuæ profeſſionis artíſque limites egredientes ſperant notatos reprehenſóſque ad ſpatia regionéſque reuocaturos, in omni diſputatione & inſtitutione, in omni arte, velut agro, finalibus lapidibus poſitis, quos mouere reuelleréque nefas ſit. ſed & tam perſpicuè ordinatéque præceptiones artium tradituros pollicentur, vt prima principem locum obtineant: ſecunda ſequantur, poſtrema velut in ſubſidiis ſucc[illegible]t in bello in prima & ſecunda acie principes & haſtati ordinantur, triarij in poſtrema ſubſidunt. ac medius fidius ordine nihil præclarius, vt confuſione & perturbatione nihil fœdius, rerúmq; natura, vt veteres fingunt poëtæ, nec iniuria, è congerie rerum inconditóque aceruo iſtam deſcriptionem rerum deſignationemque, cuius ſpectaculo ſatiari non poſſumus, exemptam & eductam diſpoſuit atque digeſſit. vnde & nomen atrributum Mundo Græci lingua ſua putant. Iuuet igitur nos veſtigia parentis ſectantes, via & ratione omnia ſuſcipere atque tractare, temeritatémque, & errorem, & diuortia in auium auferentia vitare: ſed, velut conſulari via & militari labore munito itinere, rectà ad finem profectionis noſtræ peruenire. Neque enim, vt in prouerbio eſt, *quo nos pedes ferant, ſed quo via ducat nobis eundum eſt*: & vt gratum acceptumque multitudini accepimus Gracchum ex munitione viarum: ſic debemus in tradendis diſciplinis iſta tanquam popularitate legis viariæ emereri iuuentutis ſtudia atque voluntates. Nam ſi per loca aſpera & ſaltuoſa nulliúſque pedibus calcata in præcipitia rupéſque rapiamus, periculum vitæ creemus? ſi longo anfractu & ambage circunducamus, fatigemus: ſi plana directáque via ducamus, ſine labore & fatigatione ad hoſpitia optata veluti peruehamus. Sed illa via vtrum ſingularis & vnica tantum eſt, an verò duplex, an etiam multiplex, id in controuerſiam vocatur, de eoque Iudicibus tabella ferenda eſt. Nam ſi vna tantum eſt, *Brunduſium Numici melius via ducat an Appi*, non dubitabimus, neque hanc, an illam inſiſtamus viam, quæremus, ſed rectam continuò capeſſemus & ſpatia corripiemus, ad finemq; euolabimus. ſin plures ſunt ſectæ viæ, commoditatem multorum itinerum eodem ferentium improbare non debemus, ſed viatorum voluntati relinquere, vt hac aut illac proficiſcantur. Nam alia quàm alia interdum melius ſtrata & munita eſt, interdum minus lutulenta, interdum minus puluerulenta, melioráque & opportuniora habet diuerſoria. *minus iſt*, inquit poëta, *grauis Appia tardis*. fac minus directam, minus breuem eſſe: attamen tanti eſt eius longitudo, vt eam nobis emetiendã putemus eiuſdem amœnitate compenſatam. Idem in diſciplinis etiam iudicare debemus, vt ſi multæ ſint viæ, ne in eas anguſtias nos redigamus, vt ſemper eadem ſemita nobis eundum putemus: ne ſi ea multitudine hominum nimium conferta ſit, in turba luctemur & affligamur. Quod ſi in liberalibus artibus idem quod in Iudiciis faciendum eſt, in quibus ſæpenumero maximæ lites teſtium dictis tenentur & diiudicantur: tamen cùm magni teſtes produci poſſint in hanc & illam partem, Iudex autoritate eorum motus, incertior ſententiæ reddetur & dubius hærebit: ne, ſi ſecundum vnum litem det, nullà alterius reuerentia pudoréque motus fuiſſe videatur. Sed tamen quid vetat eorum teſtimonia recitare, vt cùm ipſa literarum columina in vtraque lingua ea de re non idem ſentire videamus, non ſine cauſa in quæſtionem eſſe deductam intelligamus? Et quoniam magiſter eſt non ſolùm eloquendi, ſed etiam intelligendi Plato, ætatéque ijs antecedit quos producturi ſumus, age ab eius tanquam Iouis teſtimonio exordiamur. Ergo is in Phædro duas agnoſcit vias: vnam, qua ex infinitate & confuſione res in vnam ſpeciem redigimus: alteram, qua ex vna ſpecie in multa partimur & diſtribuimus. Sic enim loquitur: εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῆ διεσπαρμένα. Rurſum: τὸ πάλιν κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν κατ' ἄρθρα ᾗ πέφυκε. Scio equidem magni nominis ſcriptores hic à Platone contendere vnam informari inſtituíque rationẽ docendi: ſed recitatis teſtimoniis ita me planum eſſe facturum argumentis & exemplis arbitror duas illas ſectas & vias eſſe diuerſas, & vtriuſque ita magnas eſſe in artibus opportunitates, vt neutra carere poſſint: vt ſi quis contradicat, concertationis ſtudioſior, quàm veritatis amantior eſſe videatur. Ariſtoteles autem acerrimi philoſophus ingenii & iudicii, cuius teſtimonium Mineruæ ſententia videri poſſit, vnam illam multis frequentat locis & toto libro commendat; quæ ab his proficiſcitur, quæ naturæ notiora ſunt & antiquiora. exordium tamen naturalium diſputationum ducit ab ea, quæ ab ijs quæ nobis exploratiora notioráque ſunt & nobis priora, progreditur. Sic enim dicit: πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ

σαφεστέρων



σαφεστέρων ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα. Idem in libris de moribus viam eſſe vnam dicit à principijs, alteram ad principia: rectéque Platonem addubitaſſe & quæſiſſe, vtrumnè à principijs, an ad principia proficiſcendum eſſet: vt in curriculo, vtrum curſus initium eſſet à munerarijs ad calcem, an contra. Incipiendum enim eſſe à notis, quorum non vna ſit conditio. Quædam enim eſſe nota nobis, quædam abſolutè nota eſſe. Seſe autem inceptурum eſſe profitetur ab his, quæ notiora nobis ſunt. Sed magnis iſtis philoſophis, Latini nominis ornamentum & decus Cicero, velut facundus quidam Mercurius contrarium teſtimonium elegantiſſima oratione, & ad perſuadendũm accommodatiſſima dicet. Denique iam multis fidem fecit, vnam eſſe docendi viam atque rationem. ab eo enim manauit eorum ſententia. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus ex alio genere quodam, quod ſibi totum Philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam diuulſámque conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Sit ergò in iure ciuili finis hic, legitimæ atque vſitatæ in rebus cauſíſque ciuium æquabilitatis conſeruatio. Tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatémque reuocanda. Genus autem eſt id, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem ſunt quæ generibus ijs, ex quibus emanant, ſubijciuntur. Omniáq; quæ ſunt vel generum vel partium, definitionibus, quam vim habeant, eſt exponendum. Rurſum vt primùm omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deindè eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat: tùm propriam cuiuſque vim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis. Sed iſti tam diſerto homini contrarium excitabo teſtem, neque minus verboſum & multo doctiorem, non ſolùm Æſculapij ſcholæ, ſed etiam Apollinis & Muſarum alumnum Galenum, qui affirmare audebit, tres eſſe docendi vias, quæ ordinem ſequantur & ſeruent: vnam ex finis notione per reſolutionem aliquid quaſi retexentem: alteram ex compoſitione & tanquam coagmentatione rerum per reſolutionem incertarum, artem aliquam velut telam contexentem: tertiam à definitionis diſſolutione profectam, artes in ſua membra partéſque diuidentem. Sed ab hominibus ad negotia, à dictis ad res, à teſtimonijs ad argumenta quæſtionem hanc auocemus. Contendo igitur non vnam eſſe tantum docendi viam atque rationem. quo id firmamento, quo adiumento probare conor? eo ipſo quod & tàm clarum erit & tàm firmum: vt nemo tam hebes ſit, qui non perſpiciat: neque tàm obſtinatus, qui non cedat manúſque det. Neminem enim exiſtimo eſſe paulo humaniorem, qui non putet rerum parentem naturã eximio quodam artificio & ſingulari ad rerum procreationem vti ſolere. Nihil enim in ea fortuitum, nihil temerarium cernitur, ſed conſtantia quædam erroris expers, certa quædam ſecta & progreſſio ad finem, modò nihil interpellet & intercedat, perueniens. Nam à principijs orſa, quo profecta eſt, tendit gradatim, cùm ex principijs fabricetur quatuor primigenia corpora ex quibus reliqua poſtea architectatur. hanc igitur eius coagmentationem & fabricam qui ſequatur, vtrum certiſſimam ducem ſectetur, an errorem ſoliuagûm Scytharum more in plauſtris per ſola loca vagantium luſtret? Igitur ſi ars, ſi ratio, ſi doctrina naturæ æmula eſt, vt conſtare video, qui in ipſius naturæ veſtigijs pedem ponat, qui eadem ſpatia conficiat, non is ſummo artificio in rebus tradendis docendíſque videatur vti, & qui eum ordinem culpet, non is eadem opera rerum naturam reprehendat, Momóque ſimilis eſſe videatur, qui in eam ſuam quoque reprehendendi libidinem deprompſit? Philoſophus igitur naturalis, quem vt augeres Iouis, ſic naturæ conſilium & ſagacitatem interpretari oportet, quem naturæ vt dominæ parẽre, quem inueſtigare, rimari, odorari quæ quibus natura præſtruat, quæ quibus moliatur & præparet, ſi in inſtitutione Philoſophiæ ijſdem paſſibus vadat, idem iter teneat, credo verendum ei erit ne optimam ſectam, optimam rationem æmulatus non eſſe videatur: an non potius culpari deberet, ſi ab ea quam pro ſpeculo & exemplo ſibi ſemper ob oculos proponit, voluntate aut imprudentia vnquam recederet? Sed natura credo in rebus coagmentandis integrandíſque tantum certa graditur via, in diſſoluendis retexendíſque non idem facit, ſed palatur vagatúrque: vt ea re nec diſſolutionis vel reſolutionis vllus conſtitui ordo, vlla via inſtitui, duce natura, poſſit. Immo verò & in rebus dirimendis diſtrahendíſque ſui ſimilis eſt, nec ebriorum more titubante vacillantéque greſſu incedit: ſed velut quodam animi ſtabili propoſito ſuum opus diſſoluit, & ex quibus compoſuit, in eadem redigit. Quod igitur naturam facere videmus, idem nos imitari pudebit, nec fiducia eius vituperatorum & reprehenſorum leuitatem & inſcitiam contemnemus? Quid ſi illa rerum reſolutio & tanquam in cinerem elementáque ſua reuocatio propè ſub oculos cadit, faciliúſque à nobis percipitur: tamen hanc diſcendi commoditatem, docendi quoque magnam vtilitatem & facultatem habere negabimus? Nam res natura per tacitum cæco quodam & clandeſtino opere molitur, cuius ratio ipſi conſtat, nobis ex diſſolutione percipitur magna ex parte, vt eo nomine in-

muneribus naturæ ab his quæ nobis compertiora ſunt, eundum, Ariſtoteles callidè vereq; peruiderit. Nam quia ſaxa & lapides in quandam teredinem & cariem prima ſtatim reſolutione fatiſcunt, & in elementa reuertuntur, vnam in eis compoſitionem eſſe conijcimus: quia in ligno plures deprehendimus, non vnam tantum compoſitionem auguramur eſſe: ſed plures. Nam ſi viridem de arbore materiam deſecueris in focumque conijcias, humor aduerſarius contumaciter igni repugnabit nec ardebit: ſin humor ille conſumptus ſit, coctum iam lignum velut tæda quædam, ſi pinguis ſit flamma, collucebit: reliquus tamen etiamnum erit carbo, quo deflagrato cinis relinquetur penitus diſſolutus. Triplicem igitur in compoſitione ligni humorem reperio, innatantem & fluentem, qui & aqueus eſt, neque ignem paſcere poteſt: alterum pinguem & vnctuoſum, ignis fomitem & pabulum: tertium continuantem & continentem, quo conſumpto cinefactus carbo in puluerem diſſipatur. Qui igitur iſta naturæ monita ſequatur & in literas referat, an non præclaram quandam rationem & viam cognoſcendi veri conſecutus ſit? Ars quædam eſt & prudentia, qua corpus humanum à medicis diſſecatur, quam anatomen appellant: eamque rationem bonam magnamque partem, ſi non empirici, at methodici & logici, eſſe medicinæ meritò cenſent. Quænam ergo commodior via iniri eius ſcientiæ poteſt, quàm ſi corpus in caput truncúmque & pedes diuidatur: truncus autem in pectus & ventrem: eáque deinceps in partes minores inſtrumentáque partiantur ex alienigenis partibus conſtantia, dum ad particulas diſpertita indiuiduas eiuſdémque generis & nominis deueniatur? Omnes conſulo interrogóque qui vſquam terrarum ſunt, an melior via, an commodior ratio iniri poſſit. Equidem tàm hoc clarum, tàm apertum iudico, vt vel idiotis patere exiſtimem, hàc iter habendum eſſe, hàc proficiſcendum. hoc tamen eſt diſiungere quæ natura coniunxit: diuidere quæ natura copulauit, & à naturæ notioribus degredi, & à nobis compertioribus progredi. Compoſitiora enim nobis notiora ſunt, naturæ ſimpliciora. huius autem artis anatomicæ non pars aliqua, ſed tota perpetuáque inſtitutio hoc docendi genere continetur. Inuadit aliquis magnifico quodam audacíque propoſito rerum naturæ hiſtoriam. ab vniuerſo incipit Mundo, quem in partes diſtribuit: elementa quatuor, quæ in ſublimi rerum natura nouat, attingit. ad terram deſcendit, eius partium, prouinciarum, regionum, vrbium, fluuiorum, montium cenſum quendam agit. ad animalia tranſit, principatum homini iure tribuit, & vt eum terræ aliiſque animantibus ob dignitatem præſtantiámque rerum natura imperatorem impoſuit, ſic ab eo incipit. proximum locum animantes terreſtres ſibi vindicant, dein aquatilium genera, mox auium in aëre pendentium greges, poſtremò inſectorum, vt ita dicam, populi. gradum inde facit ad ſtirpes, plantas, herbas & vrbanas & ſiluaticas, arborúmque genera, fruticum, viuiradicum, graminum percenſet. Poſtremò ad metalla, gemmas, lapides tranſcendit finémque ſcribendi facit. An quiſquam eſt qui hunc ordinem vituperare poſſit, quo tota naturæ deſcriptio deſignatióq; comprehenditur? Et tamen magna ex parte à natura regreditur retroq; it, & tandem in minus concreta deſinit, metalla, lapides, gemmas, & à compoſitioribus incipit, vt mundo, homine & animantibus. Nam & mundus concretior eſt, quàm elementa: homo & animantes, quàm ſtirpes & plantæ: ſtirpes & plantæ, quàm metalla & lapides. hunc tamen ordinem qui non approbet, qui non artificioſum putet, magis fatuus eſſe, quàm beta, minus ſapere, quàm putidus fungus videatur. Age verò curandi methodus inſtituenda eſt, res præclara & hominũ generi ſalutaris, in qua tamen error omnis propè capitalis ſit. Cautè ergo pedetentimq; eundum eſt, & bene prouiſa ponenda ſunt veſtigia, ne cadamus aut labamur. Quid ſi in ea doceo ferè ſemper ab his quæ nobis notiora ſunt, progrediendum ad ea, quæ naturæ explorata ſunt? Id ex vna curatione ſatis patebit, ad alias transferri poterit. Pars eſt aliqua corporis vlcerata caróque diminuta eſt. attende quæſo diligenter, qua ſit graſſandum via. Ergo quod diminutum eſt, explendum exæquandúmque. Id autem fiet carne cuius origo è ſanguine, qui neque modo nimis copioſus eſt, neque genere vitioſus. ſanguinem porrò gignit natura, & ex eo carnem parit. ſed procreationem quædam conſequuntur ſanioſa excrementa & ſordida, quæ conatum naturæ officiúmque impediunt. Siccantibus igitur & tergentibus vtendum medicamentis. ſic ad principiũ curationis peruenitur, & quod poſtremum dicitur, primum expediendum eſt. In hac igitur diſciplina regreſſio potius, quàm progreſſio eſt, & retrò relegenda veſtigia ſæpenumero ſunt, retrorſumq; curſus agendus. Idque ſanè optimo iure. nam, vt præclarè à Philoſopho diſputatur, cùm in rebus naturæ neceſſitas non ſit abſoluta, ſed ex conditione, ſi à primis prorſum pergas, neceſſitudinem nullam habebit præceptio. non enim ſequitur, eſt ferrum, ergo ſerra eſt. ſin rurſum regrediaris, vtique neceſſitate præceptio deuincta conſtrictaque erit. Si enim ſerra eſt, eſt vtique vel ferrum vel æs. Quo fit vt in rebus naturalibus à notioribus nobis plerunque proficiſcendum. At enim in artibus naturalibus tàm multæ definitiones, tam frequentes





ſunt eas conſequentes partitiones. quis hoc negat? ſed hæc omnia ſarmentis & palmitibus & flagellis vitium ſimillima ſunt, quæ niſi ſtatuminibus & pedamentis attollantur, humi depreſſa iacent. Senſus exteriores enumerat quinque Philoſophia, verbi gratia. partitio iſta vel populo nota, non ſolùm Philoſopho: ſed vis ſenſuum ipſorum qualis ſit, ſoli Philoſopho cognita eſt. Qua id methodo quæſo? Sanè pulcherrima: ex actione & officio. officium & actio è medio & oblata ſpecie: vt, verbi gratia, in aſpectu, colore: vt aſpectabilis eſt, moueri corpus perſpicuum, quod reipſa tale eſt, id eſt quod eſt illuminatum, dicimus ab hoc ſenſus inſtrumentum, id eſt oculum, ab inſtrumento vim quæ eſt in ſpecie, laceſſi & moueri ad iudicandum. Vis igitur illa & poteſtas, vis eſt animi qua cernimus. eadem ſemita, eodem tramite reliquos ſenſus perſequitur Philoſophia: &, vt venaticus canis, ſagaciter veſtigando, eorum, vt ita dicam, luſtra & cubilia deprehendit. Id autem eſt à nobis notioribus proficiſci. At verò definitiones & partitiones nunquam ad eam cognitionem aſpirare poſſunt, neque doctum hominem efficiunt. definiebant & diuidebant Themiſon & Theſſalus: peſſimi tamen & capitaliſſimi medici fuerunt, nobiliſſimámque artem ſua carnificina inuidioſiſſimam reddiderunt, cùm homines potius efferrent, quàm ſanarent: eorúmque cruentæ curationes ita populo notæ erant, vt Satyra canat, *Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.*

Et tamen iſti, vt dixi, definiebant, diuidebant, ſe denique methodicos dicebant, cum optimæ methodi prætermiſſione, vel improbatione, vel ignoratione multis ante ſeculis ab Hippocrate inuentæ, iterum à Galeno reſtitutæ, longiſſimè à vera & accurata medicinæ ſcientia aberrarent. Definitiones enim & diuiſiones in artibus admonitiones quædam ſunt & ſignificationum comprehenſiones circumſcriptionéſque, quæ aduertunt nos quo quicque referre debeamus, nunquam tamen artificem facient. Nam ſi in eis ea vis eſſet, cùm vno die plurimarum artium definitiones & partitiones perdiſci poſſint, liceret medius fidius vno die multas ſcientias artéſque perfectè cognoſcere & percipere. Sed definitiones iſtæ & diuiſiones in artibus liberalibus illud ferè ſunt, quod in tabulis pictis prima lineamenta & adumbrationes, quibus deſignatio figuræ & effigiei prima manu ducitur: colorum autem viuorum & floridorum illitio & perpolitio, & ipſius imaginis tanquam animatio vt ſpirare videatur, ſummáque manus, in alijs poſita eſt. Age verò, de moribus ſcribere propoſitum ſit. obſecro te, nonnè huius velut ædificij præclarum veſtibulum collocabitur Felicitas, vt tantæ rei præmij adeptione & mercede, ad virtutis dignitatem homines excitentur? Attamen huiuſmodi inceptio & ingreſſio non, vt in ſtadio, à carceribus decurrat, ſed à meta: nec à principio exordiatur, ſed à fine. Cùm autem docuerit tribus bonorum generibus fortunæ, corporis, animi, eam parari, ſed animi bonorum maximum momentum pondúſque eſſe: ſic felicitatis elementa, virtutes omnes explicabit, atque ita ab opere ad efficientiam, à toto ad partes & elementa regreſſus fiet. Iactet & oſtentet qui volet aliud docendi genus, ego nullum hoc magnificentius, nullum præclarius, nullum præſtantius eſſe exiſtimo, nullum conformandis hominum moribus, & ſtudijs ad virtutem inuitandis, & velut ſublato ſigno vocandis accommodatius arbitror. Sed, vt apud optimum poëtam eſt ſcriptum, -- *à te principium, tibi deſinet.* Qui virtutibus cogitationis prudentiæque deſcriptis, quibus mens ratióque exornatur, contemplandi felicitatem beatámque vitam comparari ſcripſerit, & eam felicitatem extremam collocarit, velútque faſtigium operi impoſuerit, is non rectè & ordine feciſſe videbitur? & an nouam in fundo feciſſe ſemitam, non tritum limitem ſecutus cenſebitur? Iſtas docendi vias optimis philoſophis vſitatas qui non probat, haud equidem ſcio quid ſit quod probare poſſit. Nam clamare vnam tantum docendi rationem eſſe, in his quæ dixi conniuere aut diſſimulare, vel impudentiæ eſt non ferendæ, vel arrogantiæ intolerandæ: obtinere ſcilicet velle, ceu tyrannico quodam edicto, vnam tantum viam eſſe: quas alij ſequantur rationes, non eſſe compendia itinerum, ſed diſpendia viarum, atque adeò ſoliuagas errationes vociferari. Et quoniam tantopere iſtos iuuat declamare, omnem inſtitutionem artificioſam ab antiquioribus naturæ incipere debere, tametſi ex ijs quæ ante diſſeruimus, ſatis confidimus eorum ſententiam fractam & debilitatam iacere: tamen etiam diſputare pergamus, vt pluribus firmamentis nixa veritas munitior ſit & tutior aduerſus ficta mendacia. Mihi videntur iſti exiſtimare rem ſibi factam eſſe, cùm præcipiunt, ſemper initio definiendum, mox diuidendum eſſe. Quid? definitiones ipſæ ſumi ne noſtro iure & noſtro arbitratu poſſunt, an non plerumque magna contentione & dimicatione ſunt obtinendæ? Nam cùm genus principem in definitione locum habeat, & eo ignorato, definitio non poſſit expediri: de eo interim non conſtat, eſtque magna controuerſia. Eſt tibi de animo dicendum. ſubſtantiam eſſe dices, non aſſentientur, qui concentum eſſe cenſent: non aſſentientur, qui temperamentum quoddam corporis & habitum: ſtatim igitur in primo limine præſto tibi eſt qui

vbi occurrat & euntem moretur. Subſtantiam autem opinor ab his, quæ nobis priora notioráque ſunt, docebis eſſe. pars enim eſt animantis, animantiumq; partes ſubſtantiæ ſunt, vt & animantes ipſæ. age ſubſtantiam eſſe docuiſti: mox ſumis eſſe incorporatam. ſed huic voci refragabitur tota Zenonis ſchola: reclamabit tota Epicureorum natio. hoc igitur tibi etiam probandum eſt. Dices igitur animos eſſe animantium formas, porrò incorporeas eſſe ſubſtantias, animum igitur incorporatum: ac niſi ita eſſet totum corpus, non fore animatum, aut corpus per corpus penetraturum, quod nefas eſt. Ita licet in omni definitionis particula reperire moratorem aliquem, qui manum nobis inijciat, & conſiſtere nos cogat. Quiſquámne igitur poſthac audebit declamare, à notioribus naturæ ſemper exordiendum eſſe? & damnare quiſquam audebit huius, vt ita dicam, curationem viæ, quæ à nobis notioribus munitur & ſternitur ad ea quæ naturæ cognita ſunt? Si Deus optimus maximus rerum ſator & auctor, ſi natura rerum parens Dei adminiſtra & tanquam vicaria, qui in rebus moliendis condendiſque vnam nouere viam ſibi notiora ſumendi & conglutinandi, nos homunculos docerent: tamen, vt ad captum noſtrum deſcenderent, viam ſibi non vſitatam, non notam, ſed nobis planiorem & expeditiorem aperirent, vt quæ traderent intelligeremus. & nos tàm inſaniemus, tàm vecordes erimus, vt quod eos facturos eſſe ſcimus, ſi nos inſtituant, ſequi & imitari nolimus. Scribere mihi in animo eſt quibus rationibus adducti ſint Aſtrologi, vt tot & tam varios multiplicéſque orbes in siderum curſibus explicandis excogitauerint, qua de re præclarum extare commentarium ſapientiſſimi philoſophi nouimus. an non omnis ea conſcriptio à notationibus & obſeruationibus hominum ducetur? vt, verbi gratia, in ſole, cur eum in abſide faciunt moueri, cuius non ſit idem qui mundi cardo. ſic vt opinor eos primùm obſeruaſſe, demùm ratiocinatos eſſe dicam: parem numerum non reperiſſe dierum ab æquinoctio verno ad autumnale, & ab autumnali ad vernum. non eſſe autem verum, tribuere vllam errationem & inconſtantiam inæqualitatémque cœleſtibus corporibus, à quibus æquum eſt ea eſſe libera & immunia, ne primus motionis & impulſionis auctor fatigari videatur, & rerum ſumma intereunte tandem motu tota perpetuáque occidat. Illam igitur ex noſtri comparatione & ſitu, qui centrum mundi incolimus, inæqualitatem oriri: cæterùm aſtrum ipſum in ſuo orbe pariter conſtantérque celerare, cuius centrum non ſit hæc infima plaga, quam habitamus. Quis hic non videt à ſenſu ad intelligentiam profectionem eſſe, & ſenſu nos admoneri, vt orbem nouum comminiſcamur, & in alijs ſideribus, in quibus maior varietas inæqualitáſque deprehenditur, orbium multorum ſubſidio vtamur? hanc igitur viam qui tollit, qui obſepiendam putat, artem nobiliſſimam & ſubtiliſſimam eadem opera de medio tollit, quam qui inuenere, ea quam docui via ingreſſi ſunt. Sed tamen nihil his permouentur ſempérque illud ſuum pertinaciſſimè tuentur atque defendunt, eſſe principio definiendum, vt, tanquam in actionibus & formulis, qua de re agitur, intelligatur. etiam ne ſi id quod in controuerſiam cauſámque deductum eſt, incertum ſit, an in rerum natura ſit? fac enim quæri de Felicitate. an tu ante, quid ea ſit, tibi conſtituendum putabis, quàm docendum actionibus & negotijs officijsque noſtris aliquem eſſe finem propoſitum. nam ne iſtam quæſtionem, vt leuem & ſuperuacaneam tibi prætermittendum putes, Solon, qui in ſeptem ſapientibus Græciæ numeratus eſt, nullam hic in vita mortali beatitudinem putauit eſſe. atque, vt opinor, ante an locus ſit, quàm quid ſit, explicandum erit, ne ſi omnia vſpiam eſſe dixeris: Zeno veniat qui locum vſpiam fore contendat, atque ita rem nullum habituram exitum pronunciet: ſi loco locus ſit neceſſarius, & ex eo nullum eſſe locum ratiocinetur, ſed & eius natura & ratio, longa & anxia diſquiſitione & plerunque ab his quæ nobis notiora ſunt, erit exquirenda, ſi philoſophi inſtituto potius, quàm legislatoris imperio vtendum tibi putes. Eſt enim legislatoris præſcribere & imperare, philoſophi docere atque confirmare. quod & diligentiſſimè ab Ariſtotele in perueſtiganda loci definitione factum videmus. ita refutandis aliorum ſententijs eliciendiſq; communibus notionibus & attributionibus loco congruentibus, definitionem eius poſtremò educit. & verò ignorata interdum definitione, contentioſa præſertim, eáque controuerſia indiſcuſſa, nihil vetat ad reliqua progredi. Itaque in conſtituenda methodo Galenus non magnopere laborat, ſitnè morbus vitium actionis, an affectio actionem functionemque lædens. ſed & ſi affectum actionem offendentem, in quam ſententiam eſt propenſior, eſſe dicas, ab his quæ nobis compertiora ſunt, exordieris. Nam vt morbus eſt euentus, ita affectus eſt: & in quærendis morborum cauſis, affectuum cauſæ exquiruntur. Ita ſcriptio quæ antecedit, ordine naturæ poſterior eſt: quæ ſequitur, ordine naturæ eſt potior & antiquior. Sed dices fortaſſe te eius rei non ſuſcepturum tractationem, quam non certum habeas in rerum natura eſſe. Quaſi verò tu tibi tantùm ſcribas non alijs, & non vt veræ opiniones aliorum animis inſerendæ ſunt, ſic falſæ eripiendæ. Ita fit vt in obſcu-



in obſcuritate naturæ definitiones ſæpenumerò diſputatione ſint eruendæ: & cùm effectus definitur, profectò ab his quæ ex cauſis eueniunt, id eſt, ab his quæ nobis notiora ſunt, inſtitutio proficiſcitur cauſarum comparatione. admirationem autem illud vehementem mihi mouet, quod cùm eam rationem probent, qua in Phyſicis Ariſtoteles vtitur: improbant eam, quam in dialecticis adhibet. & tamen gemina & par vtraq; ratio eſt, támque ſimilis quàm, vt aiunt, aqua aquæ, aut lac lacti. Nam in phyſicis è principijs corpora componit initio ſimpliciora, quæ elementa vocantur: deinde compoſita magis. idem eum in Dialecticis animaduerti facere. Initiò enim notiones ponit ſimplices, quę decem ſummis generibus cõtinentur: deindè eas mox notiones componit, vt enunciationes efficiat, magiſque etiam poſtremò componit: vt ratiocinationes conſtituat. quæ omnia tamen in Dialectica, quia eſt mentis interpres & internuntia oratio, ſermone effici Ariſtoteles cenſet: cùm à ſermocinatione nomen Dialectica apud Græcos habeat, non à cogitatione neq; à ratione: præſertim cùm is nec διανοητικὸς à cogitatione, nec εὑρετικὸς ab inuentione, ſed διαλεκτικὸς à ſermocinatione & diſputatione nomen inuenerit, nec Dialecticam Cicero latinè diſceptatricem interpretatus eſt: vt multi cenſent, (non enim tam ignarus linguę Græcę erat) ſed eius officiũ eſſe exiſtimauit veri falsiq; diſceptationem. aliud autem eſt de officio loqui, aliud vocabulum interpretari & latinè reddere. Sed nec apud Platonem in *Alcibiade* λόγῳ χρῆσθαι, eſt ratione vti, ſed ſermocinatione: ne huius poſthac loci fiducia abutantur ad confirmandum errorem ſuum. Verùm in iſta veluti paulum diuertens & deflectens de via, egreſſus ſum nunc; vt ait ille, è diuerticulo repetenda eſt fabula. * Sed modis omnibus eſt nobis enitendum, vt hanc quæſtionem obtineamus, & vndiq; nobis aduocanda auxilia, vndique exempla corroganda ſunt, eáque tàm illuſtria, vt nemo dubitare, nemo inficiari poſſit. Age de animalibus ſcribendum eſt. non negabis opinor hoc artis eſſe, & artificioſè ad hoc negotium accedendum confiteberis. Ergo animal ſi vis, definiemus. hoc tibi concedo, quod alius fortaſsè non obtineret à me, etiam diuidemus. vide quantum de iure cedam meo: vt tamen te conuincam. Nam cùm in ſpecies diſtribueris & digeſſeris, opinor: deinceps in partes, membra, artus, viſcera diſſecabis: & porrò in minores particulas concides, dum ad eas peruentum ſit, quæ ſuapte natura indiuiduæ ſunt. hoc ſi te facturum eſſe negabis, naturæ ſolertia, ars, prudentia, conſilium ignorabitur, fruſtáq; docendi ſuſceptus erit labor: cùm quæ integra ſint & concreta, intelligi probè non poſſint, niſi ijs ex quibus conſtant, partibus perſpectis. Hæc autem inſtitutio à compoſitis ad ſimplicia, ab effectis ad cauſas, ab euentis ad primordia, à concretis ad elementa regreditur: eadémq; ratio eſt in omni rerum integritate & concretione conſideranda. Non igitur ea ſola docendi via eſt, quam vnicam prædicas. Quid quòd tota illa animaliũ hiſtoria alteri comparata conſcriptioni, diſciplinæ tuæ penitus repugnat? Eorum enim omniũ quæ in hiſtoria reperta ſpectatáq; ſunt, inueſtigandæ & eruendæ ſunt cauſæ. Hiſtoria enim, quæ animali cuiq; conueniunt, oculis ſubijcit noſtris: ſed ratione, cauſa cuiuſq; informanda & quærenda eſt. Ita hiſtoria tanquam quæſtionem nobis ponit, quam enodemus. oſtendit enim, verbi gratia, in boue, oue, capra ſebum, in alijs generibus adipem eſſe. Cur in his animantibus ſebum ſit, eſt dicendum: terrenum magis harum animantium habitum & conſtitutionem dices. proinde & eorum pinguetudinem eſſe duriuſculam & terrenam magis. hic ergo non poteſt obſeruari lex & ordo naturæ: vt exordiamur ab his, quæ ei ſunt exploratiora, totáque conuerſa eſt ratio. à nobis enim notioribus ducendum principium, nec dicere potes cauſas ante hiſtoriam perſequendas. Eſſet enim præpoſterus ordo & ante quæſtionem poneretur quæſtionis enodatio, quod ridiculum eſſet. Ita fit vt hiſtoria animalium prior ſit animalium cauſis: cùm ea nobis ſuppeditet & demonſtret, quorum cauſæ ediſſerendæ ſunt. Eadem via & ratio eſt apud nobiliſſimum & doctiſſimum Philoſophum Theophraſtum in ſtirpium hiſtoria & cauſis, eadem apud clariſſimum & ingenioſiſſimum medicum Galenum in adminiſtratione anatomica & partium vſu. Qui iactant vnam eſſe methodum, iſta ſi poſſunt commodius diſponant, iſta melius deſcribant, aut iſtis meliorem aliquam accommodent collocationem. Sed fortaſsè, eam diſputationem ea, quam defendunt via, totam, deduci litigioſè pugnabunt, quod vnam eandémq; profectionem eſſe dicant à notis nobis & notis naturæ. In quo, vt in flagitio turpiſſimo deprehenſis, eſt vehementer erubeſcendum. Quod enim in philoſophia grauius peccatũ committi poteſt? Si enim eadem ſunt nobis & naturæ nota, cœlũ terræ permiſcere licet, & diſiunctiſſimorum concentuũ diuerſiſſimos modos Dorios & Phrygios eoſdem affirmare: deniq; ſenſum mentem eſſe dicere. neq; enim iſta à nobis, niſi munere & officio ſuo diſtingui poſſunt. munus autem in cognoſcendo & percipiendo eſt. Itaque ſi vtriuſque eadem perceptio eſt, eadem cognitio, eadem comprehenſio, vterq; idem erit. Sic ſolo ſenſu, vt beſtiæ, vigebimus, neq; vlla animi vi eis antecellemus. quo quid inconſideratius, quid ſtultius fingi aut cogitari poteſt? Quid non ſolùm à philoſophia, ſed

etiam à ſenſu communi magis alienum? Nota enim ſunt nobis quæ ſenſibus comprehenduntur, nota naturæ quæ intelligentia & mente continentur: ſed ſenſus ſingula comprehendit, intelligentia vniuerſa. Non igitur eadem ſunt nota nobis & naturæ. Iſti quidem videntur, & ſine naribus odorari poſſe, & ſine oculis cernere, & ſine auribus audire, & ſine lingua guſtare. his enim rebus, quæ horum ſenſuum propriæ ſunt, ſi mens mouetur, vt inquit ille, effoſſis oculis Lyncei erunt, polypoſa nare ſagaces & odori, aure ſurda imò nulla, vt poëta loquitur, auriti, elingues & ſine palato, regum prægustatores. At enim, inquiunt, cùm aliquem eminus aduentantem videmus, primum animal ſentimus, deinde hominem videmus, poſtremò propinquantem Socratem cernimus. vniuerſa igitur & ſingula ſenſu percipimus. huic ratiunculæ ſe nimium credulos præbuêre, captioſæ præſertim & fallaci: ſed ea ſe ſoli implicarunt & induerunt, vt de alijs queri non debeant, & tamen eos ex ſuis expediam plagis. nego iſta ratione effici à nobis vniuerſa ſenſu percipi, ſed tantùm ſingula. Initiò enim conturbatior & confuſior ſenſus, non animal, quod vniuerſum eſt: ſed illud animal, quod obiectum ſenſui eſt, videt: mox illum hominem cognoſcit, non hominem perceptione quadam etiamnum minus certa & conſtituta: clariore tamen & certiore quàm anteà, poſtremò Socratem cognitione ſenſus explorata & liquida. omnia tamen indiuidua ſunt. Illud generis, iſtud ſpeciei, hoc proprietatis & perſonæ. genus enim & ſpecies cogitantur: indiuidua præſentia ſentiuntur. quod ſi ſenſu percipi animal, cùm animal venire vides, exiſtimas, ſequitur genus indiuiduum eſſe, cùm qui aduentat, indiuiduus ſit. Itaque qui iſta tanto interuallo diſiuncta, tam differentia, eadem putat & coniungit, à quibus vt extremis vltrò citróque commeatur, & vnde, vt à carceribus, curſitatur hûc & illûc, non mirum eſt, ſi idem plures docendi rationes in vnam confundit, nec earum diſcrimen animaduertit. à quo enim capite oriantur, cùm ignoret: à quo fonte manent, cùm neſciat: neceſſe eſt profluentes riuos non cognoſcat: cùm vtriuſque gentem & genus permiſceat, vt plebeiæ familiæ & patriciæ, neceſſe eſt vtriuſque ſtatum & conditionem confundat. Ne tamen fateri cogantur duas ſaltem eſſe docendi vias, cùm probamus ab effectis ad cauſam regreſſionem eſſe, huc confugiunt: vt hoc inuentionis, non diſpoſitionis eſſe dicant. in quo nos quidem eis ſuum reponemus. Nam & definitionem inuentionis eſſe dicemus, diuiſionem etiam inuentionis eſſe probabimus. in quo ſi reſpondeant hæc ſingula eſſe inuentionis: ſed eadem multa collocata certa lege & momento, eſſe artificioſæ methodi: nos idem eis viciſſim referemus, cùm ab effectis certa ſerie per multas peragramus medias cauſas gradatim, dum ad originem principiúmque deueniamus, nos rectè & ordine facere, & pro eo ac docendi ratio poſtulat. vt, intolerabilis eſt fœtor excrementorum ægri. aliquid igitur in corpore intus corruptum & putridum eſt. quod ſi ita eſt, calorem ſuperare febrilem & noxium oportet. Id ſi ita eſt, neceſſe eſt vinci naturalem, & proinde vitam quæ eo nititur, in extremo periculo verſari. hæc methodus, quæ veluti fatali quadam lege cauſam cum cauſa ſigillatim conſerit, vt euenti rationem perſpiciat & aperiat, tam neceſſaria in obſcuris & inuolutis artibus & in coniectura poſitis non diſſimulabitur tantum, verùm etiam eſſe negabitur. Is verò erit artium illarum interitus, labes, internecio. Viam autem vtramque tractandarum & tradendarum nobiliſſimarum artium à duabus illis animi partibus, quibus exiſtimandi iudicandique arbitrium tributum eſt, quæ Græci κριτήρια vocant, eſſe profectam ortámque cenſet. Nam & cùm ſenſus fides aduocationem aliam non deſideret, ſed vltro patrocinium aliis quæ controuerſa ſunt, impertiat, commodo ſuo aduerſabitur, qui ſibi viam apertam & patentem intercludet. A ſenſu igitur eſt plerunque ducendum docendi primordium: in animo etiam noſtro, vt Stoici dicunt, inſignitæ quædam ſunt intelligentiæ, doctrinarum primordia multarum. Inde igitur ſæpenumero tanquam anchora nobis erit tollenda: inde ora, vt nautæ loquuntur, ſoluenda: inde remigandum & velificandum erit. De morbis libri ſcribendi ſunt. eorum opinor genera & formas numero comprehendemus & percenſebimus, obſeruatione cognitas & cõpertas. ab ea mox ſpectata & comperta animaduerſione ſenſus fide nexa, cauſas eorum probabiles anquiremus, & effectum ſequetur perueſtigatio ſtirpis eorum & originis. Sic pulſuũ varietates omnes obſeruatas diſtinctè enumerabimus: mox cuiuſque proxima opera cauſam perſcrutabimur atque rationem. Idémque in ſymptomatum differentijs & cauſis faciundum erit. Nec verò hic retrò ire licet, vt à cauſa ad effectum veniatur. Eſſet enim ſine materia & quæſtione diſputare, & eius quod non eſſet, vt Chimæræ aut Scyllæ, aut quod ignoraretur an in rerum natura eſſet, rationem inquirere. Iſta etiam ratione, mehercules, oporteret in quæſtionibus naturalibus & philoſophicis, cuius generis ſunt Ariſtotelis problemata, cauſæ antegreſſionem tribuere, eam rem qua de agitur conſequi, quod non ſolùm ineptum eſt dictu, verùm etiam factu ridiculum. Sed inuentionem cauſæ fortaſſe dices non eſſe collocationis, quod equidem fateor: diſpoſitionis tamen eſt & ordinis,





opus operi, librum libro, tractationem tractationi anteponi; vt libros de morborum generibus, libris de morborum cauſis. Sed dices fortaſſe non eſſe hanc materiam iſtius methodi capacem quam inſtituis. quæ eſt igitur, per Deum immortalem, iſta Dialectica quæ minores artes & faciliores ope ſua adiuuat, maximas & obſcuriſſimas deſerit? atque illarum, vt exiſtimo, cauſa nunquam Dialectica expetita eſt: ſed iſtarum, quæ denſiſſimis inuolutæ tenebris, Dialecticam velut facem prælucentem deſiderabant. Vt enim ſubtile Dialectices iudicium deſit: quadam tamen naturæ prudentia præceptiones Grammaticæ & Rhetoricæ non incommodè ordinaremus. at eius tamen ope in philoſophia carere non poſſumus, cuius ea de cauſa in inſtrumento & ſupellectile à viris doctiſſimis numerata eſt. Quare ſi Dialectica tua ſe ducem itineris in philoſophia mihi non præbet, valeat, nihil eam moror, eius opera in leuibus non vtor, quam mihi in grauibus non præſtat. aliam Dialecticam mihi comparabo, quæ ſine errore, ſine flexu & ambage, rectà me, quò volo, perducat: cui etiam Dialectica tua ſi ſe in diſciplinam tradat, rectè faciat & ſapiat. Ingreſſum enim & aditum ad artes præclariſſimas ſibi aperiri ſentiet, quarum veſtibulum aſpicere aut ſalutare non audet. Sed quid Philoſophiam queror ab ea deſertam? quaſi verò alijs artibus præſtò ſit, poëtas quidem non adiuuabit Odyſſeam aut Æneidem nobili carmine cantantes, qui pro perpetua lege habent, contra hominum opinionem & expectationem, non à principio, ſed à medio initium ſcribendi facere, prima deinde interponere, & rerum ordinem peruertere. & tamen iſta collocatio in grandi & graui poëmate legitima eſt, tantámque admirationem habet, vt diſertiſſimus Chriſtianus ſcriptor cùm hiſtoriam Chariclеæ & Theagenis fingeret, non tàm ad docendum, quàm ad delectandum, ea collocatione ſibi vtendum eſſe putauerit, ſine qua pari ſe venere & gratia in animos lectorum influere non poſſe credidit. hiſtoria verò nihil huius Dialecticæ inſtitutis & præceptis, nihil inſtruitur ad rerum narrandarum ordinem. non enim à prioribus natura incipit: ſed temporis ordinem conſeruat, rebuſque ſuo ſibi tempori aſſignandis & annali quadam lege conſeruandis opus ſuum contexit. Ne oratori quidem vel in populari concione, vel in forenſi iudicio, vel in Senatoria ſententia quicquam profuerit. Nam exordiri, narrare, confirmare, refutare, perorare, nihil habent commercij & rationis cum glorioſa iſta & iactabunda methodo. Ita fit vt ei relinquatur frigida tantum quædam technologia, quæ artiũ præceptiunculas in ſcholis ordine diſtribuat atque decantet: artifices tamen ipſos in ſerijs muneribus, in grauiſſimis diſputationibus, in rerum geſtarum explicationibus, in carminum confectionibus, in facundis dictionibus deſtituat, & tamen, tam longè latéq; patere debet diſpoſitionis officiũ, quam inuentionis excogitatio. Nam cùm cogitata diſponenda ſint, qui inuẽtioni ita laxat habenas, vt eam quoquo verſum dimittat, eas non debet diſpoſitioni adducere, ne inuentis confuſionem pariat. & tamen iſti diſpoſitionem in tam anguſtum arctumq; gyrum includunt: vt quantũ inuentionem relaxant, tantum iſtam aſtringant, vnamq; tantum artis eſſe ſpeciem dicunt, reliqua omnia prudentiæ tribuunt. Ita fit, vt extra technologiam nullum extet artificioſæ methodi, eorum ratione, officium, & per illorum Dialecticam cæteris in rebus omnibus tantum inuenitur, nihil diſponitur. quod ſi eam prudentiæ dicant, quàm vellem me eam docerent, cuius tam frequens & aſſiduus vſus eſt in humana vita & maximis artibus. Nam technologiam ludis & ſcholis dicatam non æquè vtilem, non perinde vſitatam, non tam frequentem, non tam vberem animaduerto. nunc ad artem ordine diſcendam præcepta mihi fortaſſe tradunt non incõmoda, vel ab alijs potius infinitis ante ſæculis tradita ſibi vendicant. cùm artis officio & munere vtendum eſt, ne quid errem, ne quid turbem, ne quid non loco ponam, ne titubem ordinis prætermiſſione, nihil me docent: tantũ monent quandam eſſe prudentiæ methodum, & ſe ſic perfunctos eſſe, ſic euaſiſſe putant: non effugient tamen, & moleſtum importunúmq; interpellatorem ſentient. eſt enim prudentiæ locus, vbi delectui locus eſt, & vbi vtrumuis licet. At ſi Hiſtoricus tempora perturbet, & vt cancri non prorſus eat, ſed rurſus cedat, grauiſſimè peccet. Eſt igitur certæ & conſtitutæ præceptionis iſta ratio, non prudentiæ: ſui quoq; ordinis, ſuæ collocationis certam legem, præceptoq; cautam habent oratores & poëtæ, à qua cum recedunt, ſi id imprudentes faciunt, ſui muneris ignari putantur: ſin prudentes, ſi conſilium rectum & propè neceſſarium videatur, laudantur: ſin minus, vituperatur quod poëmatis & orationis legem iuraque migrarint. ***

# ADRIANI TVRNEBI DE CALORE LIBELLVS.

VT NVLLVM eſt vocabulum, quod in ore homines frequentius habeant, quàm Calor & calidum: ita nulla res fortaſſis eſt, cuius origo minus hominibus nota ſit: in quo tamen eò magis elaborare debuerunt: quòd non ſolùm omnes prudenter intelligendi, verùm etiam induſtriè efficiendi artes eius opera & munere conſtare propè videntur. Non enim homines in eo ceſſare debuerunt, quod tantas opportunitates habet, quod in hominum vita tam longè latéque patet: præſertim cùm in rebus minoribus tam ſtudioſè & operoſè verſentur. Ego verò etſi hæc quæſtio fortaſſis eſt ſupra ingenij mei vires: tamen quid de ea ſentiam ſcribere non verebor: nec ab hoc propoſito deterrebor hominum quorundam inuidentia & iniquitate, ex ſecta potius quàm ex re omnia æſtimantium, & ex faſtidio & deſpicientia alienorum ſcriptorum, auctoritatem ſuam improbè tuentium: eorum prauitate tantùm abeſt, vt elangueſcat induſtria mea, vt ad iſta potius commentanda excitetur: nec ij nos non ſatis inſtructos ad hæc prodenda venire dicere poſſunt, quin in ſe ſuſcipiant vel inſcitiæ vel improbitatis crimen. Quippe cùm ijs & docentibus & ſcribentibus operam dederimus, non potuimus profectò ignorare, quæ iſtorũ hac de re ſententia fuerit: niſi in nobis tarditatis, in ipſis vel ſententiæ malitioſè diſſimulandæ, vel veri turpiter ignorandi culpa hæreat: his autem quæ ſcribemus tarditatis culpam facilè, vt opinor, diluemus. De natiuo autem calore tam multæ odioſæque extant recentium diſputationes, tàm iurgioſæ quotidiè altercationes in ſcholis miſcentur: vt homines ferè quid ſequantur, conſtitutum ſatis exploratúmque non habeant: & nimium, vt inquit ille, altercando veritatem amittant. Ac omnem quidem calorem à cœlo proficiſci certum habeo, eiúſque perennem & iugem eſſe fontem Solem, reliquis tamen ſtellis in partem conferentibus. Nec enim mihi perſuaſerint Aſtrologi vllam earum frigidam eſſe, quanuis maximus eis Vates aſtipuletur, qui canit, *Frigida quò ſeſe Saturni ſtella receptet.* Non poteſt in illo vigore luminis cœleſtis torpidum & iners inhærere frigus. Stella fortaſſis vna quàm alia plus feruoris complexa ſit, vel magnitudine amplior, vel propinquitate citerior, vel ardore clarior. omnes tamen igneæ ſunt feruentiſque naturæ: quod ſi qua frigida dicenda eſt, ex eo profectò ſit, quod cùm minus caleat, frigori quoque quòd à diſtantiſſima plaga, id eſt, ab ipſo cardine mundi ſe propagat, minus reſiſtat. Nam à medio terræ centro ſe promit, & quoquo verſum diffundit frigus, vt à cœli culmine ſe calor deorſum demittit. Id ex eo probari poteſt, quod ſicut terra immota & defixa hæret: ita quoque frigus pigrum & contractum torpet: vt cœlum volubile & in orbem incitatum eſt: ita calor mobilis & actuoſus cernitur. Media autem vtriuſque expers natura ſpirabilis & animabilis interiecta eſt, opportunum vtriuſque, vt ſic loquar, vehiculum. vt enim nullo colore infectus à colore afficitur, nullo odore imbutus odore adflatur: odorem autem & colorem ſuum ſignificaret, non alienum verè nunciaret, ſi quo ſuo præditus eſſet. Ita quoque caloris & frigoris expers ab vtroque inuicem tentatur, noctu & hyeme obtinente frigore, interdiu & æſtate calore. Eámque cauſam eſſe putem cur Ariſtoteli calidus, Stoicis frigidus, Galeno hic animi ambiguo, modò frigidus, modò calidus viſus ſit. Nam cùm vtraque qualitate vacet, vtrique tamen vicinus ſit, minimo momento in hanc & illam partem impellitur: vt modò frigidus, modò calidus eſſe videatur: natura tamen vtriuſque expers. Ita enim aër conſtitutus eſt, vt omne temperamentum recipere poſſit, non aliter quàm oleum odorem imbibit in vnguentis condiendis, quo tamen caret. Itaque mihi paulo aliter quàm Platoni aër nodus quidem & vinculum vniuerſitatis eſſe videtur, qui extremorum vires & recipiat & tranſmittat. Ac ne ei quidem humorem tribuerim: in quo quàm ſe nonnulli impediunt, & in quos ſe induunt laqueos: vt aëri nullo iure nulliſque vindicijs alienum addicant. Recurrunt enim ad ſubtilitatem, vimque afferunt non ſolùm vocabulis, ſed & hominum notioni. quis enim humore nominato aquam non audit? Illi aërem volunt. quod ſi humorem ex tenuitate & ſubtilitate metiuntur, cur non obſecro etiam Solis lumen humidum eſſe dicunt? cuius radijs iſta mundi immenſitas, vel ante oculi nictum, completur. Iam ſi quod ignis elementum eſt ſubnixum lunæ conuexitati, nonne aëre ſubtilior erit? Ita horum ratione ignis humidus fuerit. facilius enim quàm aër quoquo verſum pertinebit atque penetrabit. quod ſi ita humorem interpreteris, quæ communio inter aquam & aërem in vicino fuerit, quæ ſocietas præterquàm vocabuli, cùm in aëre humor ſubtilitatem, in aqua madorem ſignificaturus ſit? Sed inconſiderate loquentes nihil eſt negotij refellere, ſi fidelibus rerum indicijs potius quàm vanis hominum auctoritatibus ſtandum eſſe tibi

putaueris.



putaueris. Sic luminis & tenebrarum vices recipit vtriuſque natura exors, quorum vnum à cœlo, alterum à terra ſe profundit. Omnia denique iſta ab extremis profecta in aërem excurrunt, de eo inter ſe velut de finibus decertantia, & ad tempus alterum alteri eam poſſeſſionem cedentia, vſurpantiáque quodam fœdere. hæc autem ſententia minimum moleſtiæ habebit, eique in expedito erunt omnia, quibus conflictantur opiniones hominum ei vel calorem, vel frigus tribuentium: in hominumque ſat ſcio potius incidet reprehenſionem, quàm argumentorum. Eſt igitur inter cœlum & terram medius aër interpoſitus, qui extremorum vires & poteſtates vltrò citróque traduceret. nec video ſi conſtet in cœlo ardoris elementum eſſe, cur ſuper aëris oram & determinationem, ante cœlum regio aliqua igni aſſignanda ſit: vt inter terram & cœlum. accedit enim elementum aquæ globo terræ: elementa duo, vnum aëris, alterum ignis collocanda ſint. Otioſum enim elementum illud fuerit, ſi à cœlo feruor ortum duxerit. Eſſe autem Solem igneæ naturæ, declarat aſpectus & tactus fides: quorum alter illum igneo lumine effulgentem radiatúmq; cernit: alter ſe eius calore vaporari ſentit: quoque ad meridiem magis vergunt inclinationes cœli, eo ex Solis propinquitate coloratiora corpora hominum reddunt, dum perueniatur vſque *ad nigra virûm percoctáque ſecla calore.* Sed & ſolis acceſſio & abſceſſio calorem adducit & abducit. Nunquam enim ſatis argumenti eſſe credidero in radiorum motu, vt tantum ardoris concipere poſſint, præſertim ita tenues ac minuti & momento ſparſi. quod ſi eſſet ex euentu & conſecutione, temeréque propè ac fortuitò gignerentur omnia. cùm enim quæ naſcuntur omnia, & quæ creſcunt, caloris indigeant, cum non cœlum rebus ſuapte vi infunderet, ſed aduentitium quodámque caſu prouenientem & motum ſequentem non immitteret, verùm radij fortè adiectum perferrent, quod profectò à vero abhorret. Quid quod lumen eiúſq; radios corpora negant eſſe? vt mirum profectò ſit cui calor inhæſurus ſit, cùm corpus nullum ſibi ſubiectum habeat. multa alia ſuſcipere coguntur incommoda, qui Solem calore ſpoliant. Nec eſt quod vereantur, ne eum ſuus depaſcatur & conſumat ardor, impatibilis eum comprehendit natura, nulli deflagrationi obnoxia, cuius rei hic nonnullam imaginem videre licet in asbeſto lapide, ex quo parata ellychnia flammæ inconſumpta ſufficiunt. ita vindicato Soli calore & cœlo, ad rerum naturam fruendam, non video quis locus ſuperſit ignis elemento, quod conuexitati lunæ ſtatim ſubijciunt. Aiunt enim tantæ molis aſſidua conuerſione incitatu, impulſu & agitatu, aërem ferueſcere proximum: itaq; ignem creari. Id ſi ita eſſet ignis elementũ aëre poſterius ortu & natura eſſet, nec ſuapte vi & natura conſtaret: ſed euentus quadam conditione oriretur, impulſionémque orbium cæleſtium ſequeretur eius origo. Tam autem per ſe cohærere ignem, ſi quis alius quàm cœleſtis eſſet putarem, quàm reliqua elementa nec ortum aliunde precarium fœnerari. Deinde motus in ſolido calorem, in ſubtili frigus potius gignit. Id declarat aër qui flabello ventilatus refrigeratur, immotus caleſcit. Theophraſtus autem ex ſchola Peripatetica philoſophus nobiliſſimus, affirmare pro certo non eſt auſus, propè cœlum ignem eſſe, iſti diffidens ſententiæ. Itaque id dubitanter & ex conditione ponit hunc in modum: niſi forte aliqua in primo globo huiuſmodi natura eſt, vt impromiſcuus quidam & purus calor ſit, qui profectò non iam vreret, quæ quidem propria ignis natura eſt, niſi ſi plures diſcrepantéſque ſtatuantur. Viden' quàm in re ſibi non ſatis comperta prudenter ſententiam ſuſtineat. Sed profectò ita ſe res habet, ſi cœlo primus calor aſſeratur, ſuperuacaneum planè videri iſtud ignis cœlo proximi elementum. vt enim frigoris, ita caloris principium vnum ſatis ſuperq; fuerit. aut enim ſimilis vterq; calor fuerit, aut diſſimilis: ſi ſimilis, quid obſecro pluribus caloris initijs ad molitionem rerum vtitur natura, quæ vt rerum procreatione locuples eſt & copioſa: ita principiorum ſemper paucitate parca, nec vnquam otioſa, cùm vnum ſatis eſſe poſſit? Sin diſſimilis, tùm profectò alter alteri officiet, impedietúrque naturæ fœcunditas ex eorum pugna quadam & rixa. Itaq; cùm ad liquidum Solem calidum eſſe docuerimus, planè alterum caloris elementum euertimus. Domeſticus autem iſte & opifex ignis, ab elementi ſimplicitate plurimum abeſt, fœdiſſimóq; errori affines ſunt, qui eum in elementis numerant: præſertim cùm conſtet & compoſitus ſit ex aëris vel humoris quadam inflammatione, & à calore ætherio, vt docebo, proficiſcatur. Ergo ignis ille ætherius puriſſimo & liquidiſſimo lumine ſuffuſus, omnia hoc in mundo, quæ perpetuo rigore torpeſcerent, & denſiſſima tenebrarum caligine opacarentur, fouet atque colluſtrat, ſeque deorſum contra naturam, ex alta cœli ſpecula per lumen, à quo diuelli non poteſt, in terram demittit. Nam cùm quoquo verſum ſe lumen ſpargere ſoleat, corporaque pellucida afficere: ita euenit, vt luminis agitationem comes ignis ſequatur, contráque naturam deorſum moueatur. Sunt enim momenta duo igni attributa ſecundum naturam, vnum, quo ad rectam lineam ſedem ſuam capeſſit: alterum, quo in orbem in ſede ſua conuertitur. Cùm enim mouens illa ignis natura conquieſcere non poſſit, nec adepta ſede rectà ferri, relin-

quitur

quitur, vt in orbem torqueatur, quæ videri cauſa poteſt conuerſionis in cœlo. Epicureorum enim ineptiſſima ratio eſt, qui cœlum volui putant aëris lapſu, vt fluuios verſare rotas atque hauſtra videmus. Quod ſi terra mobilitatem haberet, non autem ſegnis, ſtolida & grauis eſſet, ne in ſede quidem ſua quieſceret. Illam autem ignis mobilitatem declarat animantium calor aſſiduè micans: hæc enim aduentitia ſunt, non vt nonnulli cenſent, ad ſpiritum tantum ducendum & fuliginem excernendam, ſed ad natiuam agitationem exercendam, qua continetur vita. Sed ille caloris in animantibus motus à cœleſti degenerat: vt mortalis ab immortali, in eóque plus recti, quàm rotundi ex alterna contractione & dilatatione perſpicitur. Ille autem primus ignis ardentiſſimus eſt & flagrantiſſimus. Id declarant illi terrarum tractus, qui æſtu vaſti ſolitudines ſine vllo cultu ſteriles pandunt, iniquo ſidere omnia torrente. Nec ſolùm noſter iſte ignis conſumptor & confector rerum omnium eſſe videtur: verùm etiam ille cœleſtis, qui vitalis & ſalutaris cenſetur. qui enim ijs vocabulis eum afficiunt, plagam illam æſtuoſam non recordari videntur, in qua aut nihil, aut certè admodum pauca naſcuntur. quanquam non iuerim inficias, ignem quo vtimur eſſe multo maligniorem & infeſtiorem, *quo fricta*, vt in fabulis eſt, *vel afflata modò ſemina ſtereleſcunt:* cùm, vt Theophraſtus ſcribit, in ſegetibus Babyloniorum ſic torreatur triticum, vt dum in area teritur torridum ſaliat, nihilominus tamen genitale ſit, nec tamen omni ex parte à ſuo parente deſciſcit, reliquamque habet ad generandum ſcintillam aliquam. Nam plantæ alſioſæ, quæ hyemis rigore emoriuntur, eius calore recreatæ, ſe recuperant, & hoc præſidium aduerſus inclementiam aëris homines comparauêre: nonnullíque iam rigidis frigore artubus, ignis fomento velut reuixêre. moribundos etiam catulos ad ignem ſternentes reſtituimus plerumque: quod argumenti ſatis eſt, in igne neſcio quid vitale ineſſe: poteſtque ea arte & moderatione temperari: vt ex ouis pullos animet & excludat, vt eius immoderatio nocere potius videatur, quàm natura. Quinetiam eius exuperantia, non tantùm temperamentum, gignere aliquid poteſt. Itaq; quod miraculi propè ſimile eſt, in illo feruentiſſimo fornacum vapore apud ærarias Cypriorum officinas beſtiolæ gignebantur: vt Ariſtoteles ſcripſit: quod falſi conuincit Ouidium ſic ſcribentem:

*Nil aliud Veſtam quàm puram intellige flammam,*
*Natáq; de flamma corpora nulla vides.*

Itaque ſuos natales ignis refert, nec ita diſturbat omnia, vt non potius immoderatione, quàm natura nocere videatur. Quod idem facere Sol quoq; videtur, vt non alia de cauſa tàm longè à terra remotus ſit, quàm ne exureret omnia: cùm tamen etiam nunc partem ſuo ſubnixam orbi in tanto interuallo flammis euaſtet. Id enim quod alijs omnibus calorem impartiturum erat, ardentiſſimum eſſe conueniebat: quemadmodum in media mundi ſede frigus acerrimum, vt pari manu & mole bellum diſſidentes qualitates gererent, & ad moderationem aliquam ſeſe reuocarent. rerum origini accommodatam. Ac mihi quidem ſatis fuerit caloris regionem & ſedem oſtendiſſe: primigenia illa triangulorum elementa metam efficientium, ignémque gignentium à Platone memorata prætermittam. Tantum dicam ignem tenuem eſſe, penetrabilem, mobilem. nihil enim eius natura ſubtilius & minutius, nihil vi ac poteſtate ad quodcunque penetrandum, ſeſéque inſinuandum, penitùs efficatius & valentius, nihil ad agitationem & motum promptius & velocius. his itaque viribus præditus, ſuo raptus celerrimo luminis vehiculo, quo etiam tenuior eſt, altè per ſolida deſcendit, non vt lumen, in ſummo inſiſtit, nec vt lumen tantum extrema tingit, in quibus colorem gignit: ſed intima & viſcera peruadit, res immutans & nouans. Meritò autem per alia penetrat omnia, cùm & mobilitate ſumma vigeat, & tenuitate maxima affectus ſit, reliquaq; omnia eo concretiora & craſſiora ſint: vt tamen tanta ſubtilitas, quæ dilaberetur planè & difflueret, retineretur, eius fonti, vt & toti cœlo quæſita quædam ſoliditas eſt, vnde aſſiduè manaret ille quidem: verùm tamen vt in foco fomitem ſuum & ſtabilem ſedem haberet. Sed, cùm eſſe ſolidum omnino & tractabile nihil poſſit ſine terra: lucidum & aſpectabile ſine igne, non ineptè Plato ratiocinatus, cœlum ex igne terraq; in Timæo componit. Etenim ſi puriſſimus ignis eſſet, omnis alterius expers concretionis & admixtionis, eſſe profectò aëre multo tenuius & tenerius oporteret. Nam etſi tenerum appellari cœlum audimus, alio tamen, vel interprete Plinio, ſenſu accipimus. ſic enim intelligimus lubrica quadam æquabilitate læuigatum & politum. in illo autem verſiculo, *Qui tenero terram circumiectu amplectitur*, Euripides mollitudinem ſignificauit, non tamen aquæ vel aëri parem: alioqui ſummam rerum *hæc cærulea cæli cortina*, vt ab Ennio vocatur, non ſatis firmo complexu circundaret: alioque ipſa ſepto egeret ne diffugeret. Verùm illa cœli templa ab Homero ex firmitate ærea appellantur, & oculis nos quoque percipimus, opus eſſe ſempiterni ciuſdam roboris & ſoliditatis. Ex aqua etiam & aëre à Platone componitur: cuius rei hæc ſunt argumenta, quòd cùm nihil particularum ſuarum continuationem & coniunctionem





habere poſſit, ſine humoris nexu arctiſſima iunctione teneri partes omnes mundi lucentis cernimus. Aëris autem in eo plurimum eſſe oſtendit ſubtilitas & perſpicuitas, quæ aëris propriæ ſunt. In ſidere verò lunæ etiam pluſculum terreni eſt. Id declarat eius tenebroſa obſcuritas, quæ claritati ſolis officit, & tenebras terræ proprias æmulatur. Sed illic tamen plus ignis eſt, minus multo reliquorum, quæ vt ſubter lunam impura ſunt, & fecis cuiuſdam & ſedimenti ſimilia: ita in cœlo puriſſima plurimumque formæ, materiæ minimum habentia: vt cenſeas fuſoris ope per vaporarium purgata, ad nitorem abſolutiſſimum naturæque integritatem eſſe perducta. quo fit vt terra oneroſam grauitatem illic deponat, ſtabilitatem & ſoliditatem retineat. quidam etiam, vt Pythagorici, bis quaterna ſtatuunt in cœlo elementa. Lunam enim terram eſſe ætheriam ſcribunt, eámque poſſeſſionem terreſtris Hecates nonnulli prædicabant olim. Anaximenes verò etiam in ea habitari cenſuit. Proximum mercurij ſidus aquam ætheriam: Veneris aërem: Solis ignem: ſupra ſolem Martis ignem rurſum, ſed cœleſtem: Iouis aërem cœleſtem: Saturni aquam cœleſtem: inerrantium terram cœleſtem. Sic illis fuſores reſpondere metalla prædicant, & lapides pretioſos ac gemmas. Plato in Phædone telluris ætheriæ ſpecimen quoddam eſſe narrat. Sic qui diligentiores ſunt, omnia in hoc orbe terrarum ad ea referunt, ex affinitate naturæ: nec immeritò, cùm ab illis & forma omnis & vita proficiſcatur, húcque demanet per lumen: vt non abs re antiquus poëta ſcripſerit, *animam æther adiugat*. Quippè lumen & calor cæcam quandam & tacitam deuehunt poteſtatem in terram tanquam rerum primigenia ſemina, formas rebus inducentia. Proinde nonnulli deciduis inde ſeminibus mare genitales cauſas accipere ſcribunt, ac per illam humoris luxuriam, perplexis principijs & implicatis, ſæpè monſtra procreare. vitam autem à cœlo duci, atque ex eo formam docet Ægyptus: vbi ſedata amnis diluuione, glebis cœlum animam infundit. Docent etiam animalia omnia quæ ex putredine naſcuntur. Lucretius,

*Intempeſtiuos cùm putor cepit ob imbres,*
*Scire licet gigni poſſe ex non ſenſile ſenſus.*

Itaque cùm tanta rerum varietas, tam diſcolor ſpecies à cœlo proueniat, fieri non poteſt, vt tàm ſimplex ſit, quàm volunt illi philoſophi, qui corpus quintum & tanquam quintum elementum eſſe ſtatuunt. Nec enim cœli orbes tàm diſparibus conuerſionibus incitarentur, nec in terra tàm diſſimiles formæ materiatæ gignerentur. Ariſtoteles autem formas à cœlo duci ſentire videtur, cùm ita ſcribit de procreatione animalium. *Ac omnium quidem animorum vis alterius corporis particeps eſſe videtur, eiúſque diuinioris quàm elementa, quæ vocantur. quæ enim animorum eadem quoque conditio fuerit formarum.* In quo illud quoque obſeruandum eſt Ariſtoteli videri, cum illa formæ poteſtate è cœlo delibari & carpi aliquam particulam, cui illa inſideat. ex quo credidit Cicero prima Tuſculana, animum ab Ariſtotele poſitum eſſe corporatum: cùm aliud tamen Ariſtoteles ſenſiſſet, & ad illa, quæ Plato animis attribuit, vehicula alluſiſſe videretur. Non igitur ſimplex cœlum eſt, vt docui, ſed è quatuor elementis ita conflatum, vt in cœlo quidem vbiq; exuperet ignis, in alijs tamen eius partibus quàm alijs vberior, vt in Sole & ſtellis. Calori autem inſitam eſſe vim, & poteſtatem illam formæ perſpici ab eóq; eam deuehi, ex eo poteſt: quòd ignis noſter ſuam referens originem, ſpecies rerum nouat, resq; interpolat, & in alias induit formas, quod fuſorũ ars dilucidè docet: vſq; adeo autem formę genitales inſitæ ardori cœleſti ſunt, vt in incondita & inepta materia, veram effigiem plerunque aſſimulet, & rudimenta quædam ludat. Sic in conchis cælatæ ſerpentum effigies viſæ ſunt, tàm expreſſis lineamentis, vt ars & manus aſſequi eam abſolutionem non poſſet. Sic in Chiorum lapicidinis ſaxo diffiſſo caput extitit Paniſci: & vulgo coclearum clauiculatæ & intortæ formæ in lapidibus viſuntur: ita certis impreſſæ lineamentis, vt certam naturæ ſectam non errantem caſus temeritatem declarent. Caſus enim omnes numeros veritatis habere non poteſt. formas autem inducit calor quadam concoctione materiæ, vt ab Ariſtotele præclarè poſitum eſt. Nec verò calor ille radio iunctus, qualitas ſimplex fuerit, quanquam refragatur Peripateticorum natio huic ſententiæ: ſed corpus tam tenui textu præditum, vel tam ſubtili filo deductum: vt per alia penetrare poſſit omnia, etiam per ſolidiſſima quæque permanare. huius rei fidem faciunt illa ſpecula, quæ vel referendis vel reflectendis radijs ignem accendunt: quod profectò non fieret, niſi tenuia quædam corpuſcula eſſent. Nec verendum eſt ne penetrando, corpus corporis alterius locum obſideat. Sunt enim inanitates quædam interpoſitæ, per quas radij elabuntur. Nec enim ſumma rerum ita conferta eſt, vt non crebræ inanitates interiectæ ſint. Id declarat aër qui modò laxus remiſſuſque eſt, modò ſpiſſus & contractus. Eius enim laxitas & raritas, quid aliud eſt obſecro, quàm foraminum eius dilatatio? eius contractio, quàm foraminum compreſſio, vt minutiora ſint quàm prius? alioqui cùm ſe laxat aër, ecquod tandem corpus vacua eius ſpatia impelt? cùm ſe denſat

nonne in eadem reſidit? Id adeo ſub oculos ab Herone in pneumaticis ſubijcitur, vt nemo qui legerit, contradicere quicquã poſſit, ac ad tranſmiſſionem partim luminis, partim caloris, partim vtriuſq; vacuitates iſtas omnibus corporibus inſeuit natura, ne ſi ſoliditate continuata conſtarent omnia, excluſo lumine & calore, nihil hic rerum gerere poſſet. Altera eſt inanitas vaſta quædam lateque patens, quam refugit natura, cuius cauſa miracula molitur, & grauia ſurſum pellit, quæ tamen effici poteſt. Nam ſi pilam vitream perforaris, & per foramen ſiphunculum in eam immiſeris, diligentérque ad foramen adplumplaris, ore interiorem aërem elicies, magnáque intus relinquetur inanitas, cuius argumentum hoc fuerit. Si enim priuſquam externus ſubeat aër, ſiphonem digito opercularis, & in aquam inuerteris, amoto digito humor ſuccedet, ſurſúmque in pilæ ſinum feretur. feruor autem ille ætherius, quem omnis caloris initium dicimus, vt Platonici volunt, non vrit, vt proinde ei quærendum non ſit alimentum, quod Stoici faciunt, qui cùm ignem omnem paſtu indigere cenſeant, Solem ſuſtentari tradunt aquæ vaporibus, longo ſpatio extenuatis: ſigniferóque circulo vaſtum ſubijciunt mare, cuius littoribus reuerſionum metas ſolſtitiali & brumali reuocatione definiunt. ne ignem quidem lunæ ſubiectum vrere exiſtimant, vt nec Peripatetici. nec enim illam naturam exitioſam eſſe, ſed vitali calore ſuffuſam, puritate, ſplendore, illuminandi poteſtate nitentem. Sed iſta non ſatis conſideratè dici videntur ab hominibus, exuſtas terræ plagas non cogitantibus. Ita tamen ſe res habet minorem multo eſſe illum, quàm in noſtro igne ardorem. Itaque niſi longo ante interuallo materia tractata & calefacta, vt in bituminoſis ſubter terram locis, aut collectis radijs, collatóque calore, vt ſpecula faciunt, ignem gignere non poteſt. Ita tamen ſola terrarum vaporat, vt non aliter ſtirpes omnes, quàm igne torridæ videantur eſſe. Nec tamen vrere eius proprium videtur, quod quidem ei accedit ex materiæ vitio. Id ſatis indicat genus illud aquæ, quod à fuſoribus in vaporario coquitur, cuius ardor innocuus eſt nihílque exurit. Vt enim ignis vrat, neceſſe eſt vt pluſculum vna contrahatur: non vt liquidus ſpargatur. itaque tenuitas radiorum nihil vrit, niſi collectorum, nec ſubtilitas aquæ viuæ, eaque quæ ad tenuitatem ſupparem accedunt, leuiter vrunt: contra intolerandi ſunt ardoris quæ plurimum ignis accumulant ex denſitate, vt ferrum, & quæcunque picea inflammantur & bituminoſa, gradúſque varij & facultates interſunt plurimæ ex materiæ conditione diſcrimen parientes. Quod autem Ariſtoteles ſcribit, finitimum cœlo aërem ignoſcere: quo tandem pacto verum eſſe poteſt? cenſet enim calorem ab aſtris & lumen naſci, illorum impetu aëre attrito: cùm inflammare ſoleat motus lapides & ſaxa, etiam plumbatas liquare: quod quidem totum diſſimile eſt. Nam vt ante dixi, eam vim in ſolido poteſt habere motus, in inani, vt aëre, vis illa euaneſcit, frigúſque potius inducit. Nec aëri attritus aut ictus, vt lapidi, ignem excutere & elidere poteſt, cùm eius mollities tantam plagam accipere non poſſit, nec vlla cauſa eſt, cur aër vicinus cœlo, potius ignis ſit, quàm totus plagæ torridæ circumfuſus: cùm illic propè terram aër magis candeat, quàm propè cœlum, radijs non ſolùm rectà impactis, verùm etiam repulſis, calorémque geminantibus. quod ſi illic aërem terræ vicinum ignem vocandum nemo putat, ne cœlo quidem propinquus erit. Vtilis autem iſte noſter ignis: cœleſtis illius quædam propago eſt. Id declarant ſpecula incendiaria, quibus materia accenditur, & ſcaphia illa Veſtalium triquetra, quibus relatis radijs fomites & cremia inflamabantur, & puriſſima cœleſtis flamma exceptabatur. quaſi verò non eadem eſſet reliquorum ignium origo. ſiue *fulmen detulit in terras mortalibus ignem*

*Primitus, vnde omnis flammarum diditur ardor,*
*Seu ramoſa olim cum ventis pulſa vacillans,*
*Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor,*
*Exprimitur validis extritus viribus ignis,*
*Et micat interdum flammai feruidus ardor,*
*Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur:*
*Quorum vtrumque dediſſe poteſt mortalibus ignem.*

Siue conceptus ardentis alicuius montis ſpiraculis, velut Ætnæ, primò homines perculit & conſternauit, deinde conſuetudine & admiratione propius adduxit. Poſtremò perſpecta commoditate ad ſumendum & alendum impulit, ſiue ictus expreſſit, ſiue motus edidit. Si quis enim caſus mortalibus ignem peperit, iam materiæ venas ante feruor cœleſtis calore affecerat, & principium dederat. Ignis autem iſte miniſtratorius quia ſemper paſcitur, velut attributio quædam corporum potius eſſe videtur, quàm eſſentia per ſe aliqua: quod tamen ſecus eſt. carbone enim & ligno pro materia vtitur, non pro ſede: illiſque conſumptis, cùm vltra paſtum non duret, interit. in cœlo autem & Sole, quod ignis eam vim cremandi nõ habeat, liquidior præſertim & purior, quæ ignis, vt docuimus, propria non eſt,

apertius



apertius multo per ſe conſtat & cohæret: cùm materiam ad alimentum non requirat, cui attributionis more inhærere videatur. Proinde iuſta non fuit cauſa, cur nonnulli huius ætatis iſtud à Theophraſto poſitum pro certo affirment. rectéque ſentit Alexander, ignem in ſubiecto non eſſe. Eius autem variæ ſunt diſſimilitudines & mirifici effectus ex materiæ natura. nam flamma & carbo lumine plurimum differunt. illîc fumo ardente, hîc terreno flagrante. ligna quoq; viridia rutilam magis flammam, quàm coctilia reddunt: cùm in altero plus ſit quod inficiat, in altero minus. quorundam ignis eſt ille quidem calidus, minus tamen ex tenuitate, vel citius calefacere poteſt, vel liquare. celerius enim homines & aqua, igne arundinum incaleſcunt, quàm lignorum. Ignem quoque de paleis auro fundendo aurifices adhibent. eius enim ſubtilitas, & continens quædam crebritas, penitus ſeſe inſinuans in minuta auri foramina, materiam omnem afficit, nullamque particulam intentatam eſſe ſinit: quod alius ignis craſſior efficere non poteſt, cùm foris excludatur. Itaque quæ aditum prohibent ignis, ab incendio materiam vindicant. Sic in Athenarum obſidione turrim ligneam alumine obitam Sylla incendere fruſtra conatus eſt: lignáque viſcata & ouo perfuſa, veſtis contacta à deflagratione, vt ſcribunt Theophraſtus & Plinius, tuta ſunt. Nec dubito quin olim illi, qui apud Hirpinos per prunas ardentes nudis incedebant veſtigijs in Apollinis honorem, aliquo huiuſmodi medicamento delibutis pedibus id facerent. De ijs ſic Virgilius ſcribit,

*Summe Deûm ſancti cuſtos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo*
*Paſcitur, & medium freti pietate per ignem,*
*Cultores multa premimus veſtigia pruna.*

Idem Dianæ Peraſiæ antiſtitæ in Cappadocia faciebant. Quædam etiam materies tam ſpiſſè ſolidata eſt, vt eam ignis lambere non poſſit, vt larix: larignámque munitionem Cæſar in Alpibus nullis malleolis, nullis faſciculis ſuccendere potuit. Nullus tamen ignis tenuior & ſubtilior eſt, quàm cœli Soliſque: vt mirum non videatur, ſi fuſores plerunque fruſtra ſunt, cùm inſtrumento caloris non tàm idoneo, quàm rerum natura vtantur. Prorſus autem, vt iam dixi, conditionem materiæ ſequitur ignis, & ex laxa & molli mollior naſcitur calor, ex denſa & dura acrior & vehementior. Tanta autem caloris varietas efficit, vt homines admiratione quadam ſtupidi, nonnulla caloris effecta formæ & proprietati naturæ attribuant: vt quod paſſer marinus, quem ſtruthocamelum Græci vocant, ferrũ concoquat. Id enim leonem aiunt non facere, cuius maior ſit calor. Sed non magnitudine caloris, ſed certa quadam temperatione iſtud efficitur, foramina ſubeuntis & particulas ſollicitantis. Nam ferro quod tàm contumax eſt, ſi pingue aliquid ſubijcias, & ſtannum liquidum ſuperfundas, ſic fragile reddes: vt malleis cudi non poſſit. ſtatim enim ad ictum minuatim diſſiliret: cùm tamen ignis valentiſſimus iſtud efficere non poſſit. Sed noſtri philoſophi ſolent omnem vim caloris æſtimare ex prima elementorum mixtione, non ex ſecunda, tertia, quarta temperatione: quæ tamen omnia ſunt animaduertenda: præſertim cùm docuerim ex materiæ conditione, ignis naturam variari. Nam non in hac re ſolùm citari forma debet, verùm etiam propemodum in omnibus muneribus naturæ, in quibus ferè finis adeptio à forma eſt, anteceſſio ab inſtrumentis alijs, verbi gratia, in alimento, cùm pars nutritur, eius ipſius forma agit: cùm alimentum concoquitur & maturatur, calor inſtrumentum naturæ deſeruit. Attamen ſi quis affirmauerit plus eſſe caloris in ventre paſſeris marini, quàm leonis, non peccauerit. illam enim partem habent in auium genere pleraque calidiſſimam, vt galli gallinacei, qui arenam, calculos, nummos, concoquunt. Id feſtiuiſſimus poëta Ariſtophanes ita ſignificat:

*Turpiſſimè nam ſcurra mihi Lyſiſtratus*
*Subleuit os mecum drachmam qui acceperat:*
*Is me fefellit in foro piſcario,*
*In permutatione ſquammas ceſtreõ.*
*Mihi tres in os indit: ego verò exiſtimans*
*Obolos eſſe, accipio, ſed odor illutilis*
*Teterque fecit, vt expuerem ſtatim, traho*
*Mox hominem in ius: quid ille ad hæc verò rogas?*
*Me habere gallinacei inſit dicere,*
*Ventrem, citò ædepol ergo argentum coquis.*

Eadem cauſa eſt cur cicuta ſturno cibus ſit, veratrum coturnici, vtrumque homini venenum. firmior enim eorum venter & calidior quàm hominum, & alia caloris temperatio. Paſtorem tamen refert Theophraſtus, qui totos veratri manipulos comeſſe ſoleret: vt ſcias repugnantiam formæ non eſſe. Is enim ita conſuefaciendo corroborarat ventrem: vt ve-

ratri virus edomaret. Memorat doctiſſimus philoſophus Albertus puellam quæ araneas captabat, & eis veſcebatur. Quod ſi ex repugnantia formæ id eueniret, vt illi volunt, profectò vt odioſè ſemper inter ſe ignis & aqua pugnant: ſic iſtis nunquam inter ſe conueniret, ſemperque hominem perimerent, niſi medicamento obtunderentur: vt diuturno etiam potionis vſu medicatum corpus contra venena Mithridates reddiderat. In ijs autem omnibus gradus potius & facultatis diſcrimen, craſſitudinis & tenuitatis diſſimilitudo cernitur, quàm illa formæ vis, & illa proprietas naturæ quam iactant. quod idem de purgantibus medicamentis ferè etiam decerni poteſt, ex calore & aura quadam eorũ. Etenim cùm corpora noſtra leuibus & mitibus ſuccis alantur, aut ijs ſaporibus, quos calor noſter mitificare poſſit, euenit, vt quæ dulcia ſunt, in purgantibus, complexum ventriculi lubrico quodam veſtigio fallant, & eius vires tanquam inungendo obtundant: alia partim ita diri ſint & viroſi ſaporis, vt ſalubris ad alendum corpus ſucci nihil in eis inſit: partim ita vehementis & acris, vt calor ventriculi perdomare non poſſit. in his ergò quæ medicamenta certos humores expurgant, vt rhabarbarum bilem flauam, epithymum atram, non prima commixtione caloris, ſed multo citeriore temperatione formę ſubſeruiente ſimiliter temperata & affinia trahunt quodam ſpiritu. Nam cùm ea natura quæ aliena ſunt pellat, fit vt calore & ſiccitate, & corporis perturbatione & tumultu, præterea ſpiritu tanquam inſtrumento, humores ſibi natura propinquos & familiares primùm, mox alios diſſimiles trahant. Igitur à forma illa quidem actio proficiſcitur: beneficio tamen caloris & ſpiritus humor elicitur. forma enim materiata quæ iſta molitur, ſua quædam inſtrumenta habeat neceſſe eſt. Sic magnes ſuo ſpiritu & aura ferrum trahit. quodam autem ſpiritu pellici hinc ſcias. ex magnete enim permulta ſemina æſtúſq; aſſiduè, vt Lucretius ait, fluit, quem allium impediendo tractum quoque prohibet: ſpiritus autem morem gerit formæ, & ei grata conquirit. ſpiritu quoque cœli magnes axem verſus rapitur. Ineſt enim in ea cœli plaga vis quædam pellax magnetis, quam profundit forma. vt enim in corpore noſtro ſua quædam propria habent partes, officia & munera: ita quoque in cœlo vſuuenit, in quo primigeniæ rerum formæ ſunt. hinc aquas & humida potiſſimum reſpicit Luna, quas ſuo ſidere & ſpiritu non ſolùm fundit, verùm etiam ſuſpenſas & intumeſcentes poſt ſe trahit. Magnetem etiam impedit æs interpoſitũ: vt Lucretius canit,

*Exultare etiam Samothracia ferrea vidi,*
*Et ramenta ſimul ferri furere intus ahenis*
*In ſcaphijs, lapis hic magnes cum ſubditus eſſet.*

Cùm enim ſpiritum & auram iactet æs, cui ſpiritus magnetis per æs penetrans ſuccedit, efficitur, vt pellat potius quàm trahat. Spiritu autem quodã iſta geri declarat ſuccinũ, quod frictum & concalefactum ſpiritum excitat & paleam allicit, quod alioqui non perinde facit. Iſtarum rerum miracula Thaleti perſuaſerunt, rebus inanimis animum tribuere, cùm in eis quoddam vitæ rudimentum ineſſe videatur. Itaque animantem pronunciauit magnetem, qui aura quadam ferrum ad ſe rapit, vt alimento fruatur: quo ſi diutius careat, ſeneſcit: ſi tandem aliquando potiatur, renouatur ac reſtituitur: vt lepidè canit Claudianus,

*Ex ferro meruit vitam, ferríque rigore*
*Veſcitur, has dulces epulas, hæc pabula nouit.*
*Hinc proprias renouat vires, hinc fuſa per artus*
*Aſpera ſecretum ſeruant alimenta vigorem.*
*Hoc abſente perit, triſti morientia torpent*
*Membra fame, venáſque ſitis conſumit apertas.*





# ADRIANI TVRNEBI DE VINO LIBELLVS.

EQVIDEM non dubito, quin hic meus liber vino iniquior, multorum in me partim odia prouocaturus ſit, partim riſum laceſſiturus. Nam qui ſine vino vitam degi non poſſe putant, & ipſi viuere recuſant, planè pro generis humani parricida libri auctorem exiſtimabũt, & pro vino libentius, quàm pro aris & focis pugnabunt. Qui autem paulò æquiores erunt, tamen inſolentia ſcriptionis perculſi, rem ludibrio habebunt, & inter ea ingeniorum prodigia numerabunt, quæ magno hominum malo ætas noſtra tulit. Ac vereor ne me non ſatis ſanum eſſe cenſeant, qui id damnare inſtituam, notata propè orbis terrarum vita, cuius inuentor à grata poſteritate propter beneficium eximium, olim conſecratus ſit. Sed dum publicè proſim, tanti mihi fuerit hominum in me vel odium, vel ludibriũ, quæ nunquam apud me potiora veri conſcientia erunt: nec ſi quis ad ſcribendum accedit, vt vitam iuuet, aſſentationi potius, quàm veritati ſeruire debet. Qui patrocinari hominum voluptati cupit, fabulas doceat: vt in theatro ſpectatori plaudenti riſum aut fletum moueat. Qui vitæ prodeſſe magis, quàm placere cupit, hominum iudicia nihil moretur, quæ in tanta morum prauitate corrigenda potius, quàm emerenda ſunt. Vereor etiam ne quis me non ex animi ſententia iſta ſcribere, ſed iocosè ludere dicat: cùm præſertim à vino ſodales & gregales mei me calamo alieniorem, quàm poculo prædicare poſſint. Non defuturos etiam reor, qui me non ſobrium, ſed madidum & temulentum iſta ſcripſiſſe dicant, aut ex pridiana crapula languentem, vini noxam hoc ſcripto vindicare iactent. Per me cuique fuerit tàm liberum iudicare, quàm mihi ſcribere: neque recuſo quo minus me ex eo hominum genere exiſtiment, qui meliora probant, deteriora ſequuntur. Sic vita eſt hominum, præſertim hoc tempore, vt facilius, qui vitia accuſent, reperias, quàm qui virtutem ſequantur. Ego à tempeſtiuis conuiuijs, & vini compotationibus non perinde abhorreo, ex quibus hoc tamen boni mihi conſecutus videor, vt quid vinum noceat, imprudentium exemplo, meo potius quàm aliorum periculo didicerim. Alij ſuam fortè vinolentiam ſemper amplexentur, neque ad ſobrietatem vnquam reſipiſcant, vinum in omni ſermone, in delicijs habentes, etiam extra conuiuia propè temulenti: ego ex eo hominum genere ſim, qui vini illecebris capiantur, & vt humana ſunt, inſidioſo hoſti latus apertum præbeant: tandem tamen aliquando, quanquam ſerò, intelligant, quanta inſint in vino incommoda. Ac ſi quis, vt paulò antè dixi, me non eam ad ſcribendum religionem, quam ad teſtandum afferre putet. ſcio enim hominibus noſtris vix probari poſſe, vllum in orbe terrarum vini oſorem eſſe: is iudicium omittat meum, verum ipſum per ſe expendat, quod non teſtimonijs hominum, ſed momentis rerum ponderandum eſt. Si quis autem hic auctoritatem potius eorum, qui valetudini tuendæ præſunt, quàm noſtram ſententiam requirat: is ſic habeat, me non ita rudem & imperitum huius artis eſſe, vt non & ipſe per me aliquid inuenire, & de aliorum in hoc genere ſcriptis exiſtimare poſſim: neque ſi quid ipſe viderim, aut ſalutariter excogitarim, expectandam aliorum potius mihi ſcripturam fuiſſe, quàm meam primo quoq; tempore prodendam: cùm omnes in medium ſua libenter conferre, & de ſuis ciuibus & popularibus omni ope benè mereri velle debeant. Miſera autem nobis vitæ conditio proponitur, ſi ita circumſcribamur: vt cùm ſine medico eſſe & bibere poſſimus, ſine medico noſtram de cibo potúque ſententiam declarare non auſimus: cùm illìc magis noſtra interſit medicũ adhibere: hìc res intra verba ſine periculo conſiſtat. Quid quod eam miſeram & deploratam eſſe vitæ rationem ducimus, quæ ex medicorum præſcripto & formula degitur? Ergo vt eius artificij ſum indoctior, eam meis ſcriptis homines veniam quæſo tribuant, quam ſuæ vitæ libenter indulgent, nec à ſcriptore medicinam magis, quàm à potore flagitent: quanquam nominare poſſim, ſi neceſſe ſit, ex nobiliſſimo medicorũ collegio primarios homines & claros, huius diſputationis meæ approbatores, quorum nominibus parcam, fraudabóque potius me eorum teſtimonio, quàm eos nonnullorum inuidiæ obijciam. faceſſat hinc iſta inſimulatio, medicus non eſt, réſque ipſa potius, quàm vocabula hominum putentur: cùm præſertim ſoleant medici ſeruire locorum & hominum conſuetudini (quo enim alio pacto curarent?) & alimenta vſitata pro bonis habere. Ipſi à conſuetudine, vt philoſophia poſtulat, aliquantum nos abducemus, & non quid fiat, ſed quid fieri oporteat, exquiremus: eáque præcepta edemus, quæ ſi homines ſequantur, non valetudinem ſolùm tuebuntur, verùm etiam diuturniorem vitam colent. Nam vel ſum, qui mortali corpori æternitatem adijci non poſſe putem: ita cenſeam alimenta quædam eſſe, quibus vitæ additur, quædam, quibus demitur. Atq; medicinæ munera eſſe cre-

do, non ſolùm quæ pleriq; pollicentur valetudinem ſecundam conſeruare, aduerſam profligare: verùm etiam hominum vitam propagare, & corporis dignitatem & formam hominibus parare. Etenim cùm viderem nonnullis in regionibus homines eſſe, & procera corporis facie eminentes, & æuo viuaci fata prorogantes, in alijs homines breuitate ſtaturæ puſillos, & anguſtis vitæ curriculis circumſcriptos eſſe, mihi cauſam huius rei quærendam putaui. Statuere enim non poteram, tantæ rei non aliquam eſſe magnam grauémque cauſam, cùm ſine cauſa nec Deus optimus maximus, nec parens rerum natura quicquam gerere ſoleant. Nec mihi probari poteſt eorum hominum ratio, qui id omne cœli inclinationi acceptum eſſe ferendum putant: cùm habitus corporis inſignia diſcrimina, in pari cœli plaga tractúque videamus. vt id non ex cœlo, ſed ex alia cauſa haurire videamur. Sed illi ſic rem conſtituunt, immanes corporum proceritates gigni in diſtantibus mundi oris, exuſta & glaciali, illîc ex caloris nixu ſupera capeſſentis, hîc ex alimento humoris corpora diffundentis: medio in tractu modicum corporis habitum gigni, humore & calore temperatis. Significari ab ijs puto Æthiopes eos, qui Macrobij vocabantur, quos omnium mortalium celſiſſimos & pulcherrimos fuiſſe hiſtoriæ tradunt, & Germanorum populos præſtantia corporũ excellentes. Attamen & in Æthiopum cœlo breues Pygmæi naſcebantur, & multis gentibus eundem cœli, quem Germani ſpiritũ ducentibus, parem ſtaturam natura non largiebatur, vt cœlum aliquid, non tamen omnia poſſe videatur. Ac ſi cœli potiſſimum hoc ratio habenda ſit, magis adoleſcere oporteat gentes medias incolentes plagas, quàm extremas. vt enim ad procreandum accommodatiſſima eſt caloris & humoris temperies; ita quoque ad incrementum promouendum calore efficaci, humore ſequaci, cùm ad Septentrionem frigus, ad Auſtrum ſiccitas impedire videatur. Ita fieret vt benignitate cœli mediæ inclinationes proceriora corpora hominum gignerent, quàm vltimæ. Sed profectò ille nimis longè cauſas repetit, qui ex cœlo ducit, cùm multæ ſint citeriores & propinquiores, quarum prætermiſſio ſemper mendacij Aſtrologos condemnat. qui vt in mutis brutiſque animantibus, quod tamen non conceſſerim, ex cœlo iſta decernere poſſint, naturam ſemper eandem ſine varietate obtinentibus: tamen in homine cuius vita tanta victus cultúſque varietate diſtincta eſt, tanta diſſimilitudine legum, inſtitutorum, iuris notata, tanto artificiorum & diſciplinarum diſcrimine inſignita, tanta voluntatis libertate donata, nihil ex cœlo, niſi temerè & mendaciter, affirmari poteſt. Ergò non magis extremis, quàm medijs cœlum fauet, cùm alios immodico vapore, alios immani frigore vrat, medios propitia vtriuſq; moderatione foueat, ad procreationis & amplificationis commoditatem. Illud potius exquiri debuit, quæ cuiuſque populi vita, quæ alimenta: ex ijs enim incrementi cauſas facilè perſpicere potuiſſent. Vt enim in mari maiores belluas naſci videmus, quàm in terra, propter ipſam elementi liquidi ſedem, & humoris luxuriem: ita quoque in terra pro rata portione euenire iudicandum eſt: vt ex alimento & ſede corpora magis aut minus augeſcant. Non videtis propè perennes aquarum riuos, quàm læta ſtirpe pubentes adoleſcant arbores, in arena ſolóque falſo maligno prouentu exiles & retorridæ plantæ vix exurgant. Sic quoque nobis de hac, vt Plato ait, inuerſa arbore, id eſt, de homine, iudicandum eſt: cui ſoli loco alimentum eſt. vt enim è ſolo ſtirpes alimentum eliciunt: ſic homines ex eo, vnde paſtum capeſſunt. Quis igitur Æthiopum erat illorum cibus, quos Herodotus omnium hominum pulcherrimos & altiſſimos fuiſſe ſcribit, ex eodem ſcriptore ſcire poſſumus. Illis enim cibo fuiſſe carnem coctam narrat, potui lac & hauſtum aquæ, cuius tàm tenuis eſſet liquor, vt in eo omnia quanuis leuia ſiderent. cenſeas Herodotum à Gallicis ſcriptoribus fontem Iuuentatis celebratum cogitaſſe. Senectutis enim ad annos centum viginti viuacis cauſam in ſolo fonte propè putat. Ego in omnibus, cùm lac & carnem elixam alimenta naturæ iucundiſſima & accommodatiſſima intelligam. Itaque non dubito quin ſi qui populi his præcipuè, vel ſolis vterentur, iuuentutem eſſent nobiliorem & generoſiorem indole corporum ſummiſſuri, nec in ſobole ea corporum detrimenta ſenſuri, quæ quotidie cernimus, ſemper in diminutionem carpente liberos poſteritate. Ac qui eum victũ inſtituunt, ſi proceri ſint, non dubito quin paris ſtaturæ liberos generaturi ſint. Quis autem Germanorum victus tum fuit? Tota illa regio vitem ignorabat, potui erat humor ex hordeo aut frumento in quandam vini ſimilitudinem corruptus, vino certè minus noxius: cibus ſimplex, agreſtia poma, recens fera, lac concretum, pecus. Ab ijs alimentis, vt Tacitus ait, in eos artus & ea membra excreſcebant, quæ omnes mirabantur. his cauſis etiam annumerarim totam ferè tum Germaniam, aut paludibus occupatam, aut ſyluis opacam fuiſſe, vt humidiore ſolo auctiora quoque corpora euaderent. Scio iſtam vitæ rationem à præſtantiſſimis ſcriptoribus, quòd à Græcorum lautitia & munditia alienior eſſet, ita damnatam, vt ſe, quæ de valetudine tuenda ſcriberent, Germanis ſcribere negarent. Ego verò quando elegantia potius hominum opinione, quàm veritate conſtat, eáque non ſolùm animi, ſed etiam

corpora



corpora effœminantur, ad meos traducere mallem illam vitæ rationem, quæ ſpecioſiſſima & firmiſſima corpora redderet, quàm eam retinere, quæ turpia & imbecilla, & propemodum morbis proxima, ſpeciménque potius hominis optimè temperati ex Germanorum corpore, quàm Græcorum ſumpſiſſem, apud quos tum vix temperatum hominem eſſe potuiſſe credo. Et tamen illi hominum magnitudini cœlum officere videtur, quod horridum & gelidum eſt. Argumento eſſe poſſunt pecudes, quæ illîc puſillæ & degeneres, vt Tacitus ait, naſcebantur: multa verò animalia ne naſci quidem poſſunt, quæ in calidioribus locis facilè proueniunt, & in nonnullis tanta magnitudine adoleſcunt: vt in India dracones ſuis voluminibus facile vaſtos elephantos ambiant & circumplicent, vermes ad L X cubita creſcant, elephantóſque abſtrahant, formicæ lupos æquent. Ergò illum corporis auctum alimento, non cælo acceptum ferre oportet. Græci autem ſcriptores medicinæ, nec ſuorum corpora fingere, nec pro imperio legiſlatorum more, aliam vitæ rationem præſcribere potuerunt: in eo victu cultúque, quem apud ſuos obtinere viderant, acquieuêre, & quod boni artificis eſt, præſtitêre: vt pro conditione hominum, temporum, ciborum, medicinam exercerent laudatiſſimam. Quod ſi illam humanitatem conuictus Græcorum, illam elegantiam, qua animi & corpora franguntur, commendabunt: ſimplicem autem & naturæ congruentem Germanorum illius temporis viuendi rationem, contumelioſis verbis barbariem & inhumanitatem appellabunt, & damnabunt, næ à mea ſententia plurimum diſcrepabunt. Quod ſi ſuorum corpora & illorum comparaſſent, quantum inter vtriuſque cibi elementa intereſſet, intellexiſſent, magiſque rerum argumentis, quàm receptæ opinioni fidem habuiſſent. Quod vtinam ſuis comentarijs homines doctiſſimi eſſent complexi, quo cibi potúſque genere ampliſſima corporum dignitas, præclaráque facies pararetur: equidem iſta præcepta non in poſtremis putarem ducenda. Ita enim generoſa iuuentute populi florerent, & corporibus ad pacis bellique artes idoneis & valentibus vterentur. Nunc quotuſquiſque ita corpore conſtitutus eſt, vt illis muneribus par eſſe poſſit? cùm plerique vix hærere videantur, paruis & defectis corporibus exangues, abortiui propè partus, non ſolùm macie extenuati, verùm etiam breuitate deformes. Iſta corpora nobis ſana quiſquam perſuadebit? homines nobiles venationis ſtudioſos videmus, diligentiſſimè & propè faſtidioſè deligere, quem admittant canem ad puchram ſobolem ſuſſiciendam: eadem quoque, atque adeo maior eſt cura in admiſſura equorum, vt generoſi tollantur pulli: quanto magis operam dare deberent principes, vt præſtantem haberent pubem, quæ ipſis & præſidio eſſet & ornamento, certa educatione conſtituenda, cibiſque præſcribendis, qui ſtaturæ potius adderent, quàm detraherent. Ex his igitur quæ poſui, ſatis eſſe perſpicuum arbitror, in æſtuoſa & gelida plaga, proceritatem corporum cibo potius quàm cœlo adſcribendam eſſe, atque in vtraque potius ad breuitatem adiumentum eſſe, quàm vllum ad proceritatem commodum. Sed & naturæ prudentiſſimus Hippocrates, illis in locis, in quibus aëris ſtatus clemens eſt & temperatus, fælicius augeſcere corpora ſcripſit, vt in Aſia multò formoſiores & celſiores naſci homines, quàm in Europa: cùm in illa modico tepore quæcunqne naſcuntur excepta, blandi aëris mollitie modicè laxata euocentur: in Europa auræ frigore conſtricta & quodam ſtupore torpentia creſcere prohibeantur. Quòd ſi homo omnium animantium, vt conſtare ferè video, optimè temperatus eſt, quis non cenſeat eum in optima, & ipſius temperamento conueniente aëris conſtitutione, non ſolùm commodiſſimè conſeruari in ſuo ſtatu, verùm etiam ad incrementum egregiè proficere? Niſi fortè quis in ſede contraria, ac loco repugnante, cuiuſque incolumitatem & ſalutem eſſe poſitam putat, quam Empedoclis ſententiam fuiſſe animaduerti, ex caloris copia piſces cenſentis in frigidum elementum demerſos eſſe. Sed eam ab omnibus doctis meritò exploſam eſſe video, cùm familiaris cuique ſedes, quàm contraria, ſalutaris magis eſſe videatur. Ac non dubito quin olim illis in locis, quæ tanta moderatione caloris & frigoris prædita ſunt, eximiæ ſtaturæ prouenerint, poſtea mutato victu ſenſim diminutæ decreuerint in poſteris: cùm in Græcia, quæ Aſiæ comparanda non eſt, heroicis temporibus egregia hominum altiſſimorum robora extiterint. Itaque literis mandatum eſt heroas ferè illius ætatis denûm cubitûm altitudinis fuiſſe. Refert Philoſtratus, cùm buſtum Aiacis æſtu maris quo alluebatur vitium feciſſet, in eo viſa eſſe oſſa herois duodecim cubitos longitudinis æquantia. Effoſſa quoque è ſepulchro Oreſtis oſſa ſeptem cubitorum fuiſſe narrantur. Hylli quoque Herculis filij immanis magnitudinis oſſa reperta fuiſſe aiunt, multáque alia eiuſdem generis memorare poſſem, quibus ſuperſedere decreui faſtidio lectoris occurrens. Certè illa tempeſtate eximia præſtantium corporum robora fuiſſe Heſiodus & Homerus, qui propè ab illa ætate fuerunt in poëmatis canunt. Alia ſubinde decreſcentium corporum à Philoſophis quibuſdam ratio refertur. Nam magni illius anni, qui cõficitur, cùm ſidera longinquis temporum

interuallis, eandem deſcriptionem cœli comparationémque inter ſe retulerunt, hyemem eſſe quandam tradunt & æſtatem, vohitius noſtri vertentis: hyemem autem illam aquarum diluuione omnia inundare, æſtatem flammeo vapore omnia exurere. Ergo cùm in illam æſtatem, vt cenſent, nunc properet mundus, humore decreſcente, non iniuria vbertatem ſeminum ſenſim exugi & exareſcere. Iſtud à Philoſophis illis ſubtiliter & ingenioſè magis excogitatum dixerim, quàm verè. Nam ſi in vices illius æſtatis mundus pergeret, tepidiores ſubinde ſentiri hyemes oporteret, ardentiores æſtates. Atqui illas non minùs niuoſas, quàm maiores noſtri experimur, nec has æſtuoſiores: ac ver non minus pluuia grauidum ad alenda ſemina videmus. quod ſi conſumeretur lenta quadam temporis tabe ſeminum humor, an non obſecro illorũ ſeminum, quæ ita indiuidua & minuta ſunt, vt oculorum aciem propè effugiant, oporteret multis antè ſeculis procreationem ceſſaſſe? quantulum enim in illis humoris latet? Attamen in cupreſſi globulis deliteſcentia granula, quas arborum magnitudines hodie etiam pariunt? Illæ ficuum κεγχραμίδες quæ vocantur, à milij, vt opinor, exilitate, quæ nucleo tantillum humoris continent, nónne iampridem exareſcere debuerant, & genitali humore conſumpto, effœtæ & ſteriles ad gignendũ eſſe? Non eſt ea vis aſtrorum, vt exuſtionem & deflagrationem inducere poſſint, quandocunque ea eueniet, momento eueniet, Dei opt. maximi numine. Vnde enim ſideribus tantum ardoris, vt hæc omnia exurere queant? quem ſi hodie non habent, vnde mutuò ſument? Niſi quis in vnum coitura dicat, vt partitum hodie calorem tum in vnum incendium conferant. Salutaris & genitalis eſt iſte ſiderum fulgor, nec tàm rerum conſumptor, quàm auctor & procreator: proinde ne quis ea pro incendiarijs habeat, mundum luſtrantia, ad excitandam & fouendam rerum vitam. Tantum autem abeſt, vt de ſiderum iniuria conqueramur eam in partem, vt ſæpenumerò nimio humore madentia & vda ſemina vitiari doleamus, non ſatis ſicca æſtate. quid quod hyeme & primo vere, vligine ſoli redundantis, ea videmus interdum enecari? Non igitur ab exuſtione commentitia accerſi debet decrementi cauſa, ſed alia verior & certior exquirenda eſt. Stoicorum ratio refutata eſt, proxima Epicureorum ſequitur. ij enim mundum cenſent, longo temporis ſitu confectum conſeneſcere, effœtíſque propè elementis, vix exigua gignere animalia, quæ antè maxima ediderit.

*Iámque adeo,* inquit Lucretius, *effœta eſt ætas effœtáque tellus,*
*Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit*
*Secla, dedítque ferarum ingentia corpora partu.*

Additur veterum agricolarum querela, minus benignè ſuo voto terram reſpondere hodie quàm olim prædicantium.

*Iámque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator,*
*Crebrius incaſſum magnum cecidiſſe laborem,*
*Et cùm tempora temporibus præſentia confert*
*Præteritis, laudat fortunas ſæpè parentum.*

Sed iniqua profectò conqueſtio eſt iſta, & exiſtimatio cenſentium mundum conſenuiſſe, quem quotannis reuireſcere & repubeſcere videmus. Ac ſi conſeneſceret vetuſtate mundus, non minora edere, ſed nulla gignere deberet: cùm ſenectus intelligatur potius ex procreandi ſterilitate, quàm ſobolis paruitate. Quod autem in animalibus euenire diſputant, cur non etiam docent in ſtirpibus contingere? ſe mundus ſenio & conſumptione ſui alit, partiúmque aliquarum acceſſiones & deceſſiones viciſſitudine quadam, Deo comperta, hominibus ignota, alias partes integrant, & mundum recreant ac renouant, mutuis vltrò citróque diſpendijs & compendijs ſemper renaſcentem. Sed Epicureorum de re quaque ſententia, nullam auctoritatem, nullúmque pondus habere debet, quos equidem ferè in philoſophia artem ludicram exercere video, ita ridiculæ ab ijs afferuntur cauſæ, vt riſum plerumque captare videantur. Ego rem non tam altè repetendam, ſed vt ante dixi, à propiore cauſa ducendam eſſe cenſeo, vt à cibo & potu: quorum genera, quæ ad corporum amplificationem valeant, quæ officiant, ſi cognouerimus, profectò intelligemus, vnde iſta hominum breuitas, quæ etiam fati corripuit, vt Flaccus ait, gradum, contracta ſit: cùm quæ integra natura prædita ſunt, quàm quæ imminuta aut vitiata, ad longam vitam accommodatiora ſint. Ergo qui cibus & potus ſuapte vi humidus eſt, modicéque atque adeo intra modum calidus, qui dulcis & iucundus, auctiora hominum corpora & formoſiora reddit; qui ſiccus, qui calidus, qui acris & amarus, alijſque ſaporibus imbutus eſt, ſeculis voluentibus ſtaturam imminuit. Ac ſapores omnes præter dulcem propè medicati ſunt, medicamentaque aut condimenta cenſeri potius quàm alimenta debent. Eius rei fidem facit ſanguis, proprium & propinquum alimentum, qui dulcis eſt, alia omnia quæ ſapores acriores & vehementiores guſtu ſignificant, naturam immutant, nec antequam edomiti ſint, alunt. quod profectò quadam dimicatione efficitur, in qua victrix tandem natura: tamen non le-

uiter



uiter ipſa tentatur. Dulcibus quidem ita natura gaudet: vt propemodũ quicquid creſcit, non aliunde paſcatur. Ita fit vt quo quicque remotius ab hoc ſapore eſt, eo quoq; magnitudini malignius indulgeat. Quæ res tam longè latéq; patet, vt ſtirpes miti ſapore ſolo propè tolerari ſuſtineríque videantur. Nam vt optimus poëta ſcribit,

*Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara,*
*Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando,*
*Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat.*

Itaque ex omni ſtirpium genere vix vnum & alterum reperias, quod alio quàm manſueto ſapore feliciter proueniat. Etiam *genus omne natantum,* quod in ſalſo mari naſcitur: tamen grato & dulci alimento, quod in illa ſalſedine latet, nutritur. Eam autem efficacitatem alimenti & incrementi in dulcibus eſſe, lactis ſuauitas oſtendit, tacitis naturæ argumentis, quod ipſa animantibus recens natis cibo comparauit: vt ſi naturæ ſectam ſequamur & admonitionem, intelligere poſſimus, quæ ſint hominibus alimenta maximè ſalutaria & salubria. Itaque quæ gentes nomadicam & paſtoritiam vitam colunt, formoſioribus hodiéque corporibus viſuntur, & quæ nationes plurimum lacte, butyro, caſeo vtuntur, corpora gignunt pulchriora: illíq; homines tam ſalubribus & vegetis vtuntur corporibus, vt medicis propè nihil egeant. ferunt in Taprobana inſula homines fuiſſe, qui reliquis omnium regionum magnitudine corporum antecellerent, quibus vel centeſimo anno mors immatura eſſet & acerba. Eam autem inſulam tum vites ignoraſſe, pomis abundaſſe. Nonnullæ quoque terræ earum quas patrum noſtrorum ætas aperuit, homines habent Giganteæ proceritatis, quos equidem non dubitem fructibus & lacte ac pecore veſci, vinum in vſu non habere. Contra quæ regiones vino abundant, exiliora & turpiora minoráq; gignunt corpora. Nam cùm ſit vinum liquidum natura, vi tamen & poteſtate calidum & ſiccum, eo ſe homines horis propè omnibus ingurgitantes, nec alium potum adhibentes, intempeſtiuè ea ſiccant, quæ leni humore irriganda & diluenda erant. Eorum enim compage, quæ corpus fulciunt, ſtatura ſumma conſtat, quæ ſi diutius humida ſeruentur, ſequacia & lenta promptam ad incrementum mollitudinem & facilitatem habent: ſin cibo aut potu immaturè deſiccata durentur, contumacia & rigida ſurſum erigenti natiuo calori non parent. Interius igitur quàm oportet inſiſtit accretio, minúſque corpora augeſcunt, cùm rigor oſſium & durities vltra extendi non poſſit. Poſteaquam enim ſaxeam quandam adepta ſunt ſoliditatem, vi caloris excitata prodire nequeunt. Igitur igneus quidam vini ardor oſſa nimium ſiccat, neque quàm vinum capitaliorem ſtaturæ dignitati, infeſtiorémq; peſtem exiſtimo. Nam vt eam alia quoq; multa lædant, nihil tamen deterius de ea, quàm vinum meretur, cùm calore quodam præditum ſit à natura alieniſſimo. Etenim animantium calor lenis eſt, mitis, blandus: vini calor ex putredine quadam natus ſentitur aſperior, acrior, feruentior, & humori inuſtus vt calci ſuus ardor. Quæ cùm ita ſint, an quiſquam mihi canet, *Hic innocentis pocula Lesbij Duces ſub vlmo.* Ego verò vinum eſſe nullum innocens puto, quod tanta diminutione corporũ humanum genus notarit. Quid quod hauſtũ ita per omnes venas permanat, vt ſuam crapulam per totũ corpus diffundat, minimũ à ventriculo mitigatum. Nam ſi quid aliud aliquantò nocentius ſumpſeris, in ventriculo pluſculum hærens edomatur, noxámque amittit magna ex parte: vinum celeriter ſuum virus quoquouerſum ſpargit penè integrum, cùm in ventriculo propè non retineatur. Eſſe autem medicamentum potius quàm cibum, quis non ex immutatione ſui eo exhauſto ſentit? Quod ſi damnantur menſis interdictæ eſcæ illæ quæ medicatæ ſunt, niſi immutanda potius natura ſit, quàm alenda, quis ingurgitandum ſemper vinum cenſebit, quod tantam adfert mutationem, vt non eundum cenſeas? quis autem id iure non improbet, quod ad noxam tàm efficax eſt, vt per nutricis corpus alumnos infantes non leuiter afficiat? Et non putabimus vel legislatoris ſeueritate, vel cenſoris animaduerſione opus eſſe, vt eo prohibeamur, quod quotidianis experimentis tàm noxium ſentimus? Quos enim nocturnos vapores anhelamus, vbi pluſculum in cœna nos inuitauimus? quam inquietam noctem traducimus, meritas voluptatis infauſtæ pœnas luentes? Poſtridie autem *diſſutis,* vt cum Satyrico loquar, *malis* ſurgimus, vbi Falerni indomiti crapulam edormiuimus, pendulis & fluentibus buccis marcentes, corpore languido & fracto, vix incedentes, mirúmq; in modum nobis diſplicentes, & tamen noſtrum amplectentes malum, ad eadem mox pocula redimus, langorem illum vino contractum vino pelli debere cenſentes. Sic ætas nobis paulatim carpitur, corpúsq; cauſarium & putre in ſenium præcipitatur: hinc morborum ſeminariũ, & ampliſſima medicinæ ſeges, nihil tamen proficientis in corrupto & vitioſo corpore. Pallor aliorũ ora decolor inficit, velut vini ſanie omnem veri ſanguinis ſuccũ vel ebibente, vel corrumpente. aliorum genas velut purpuriſſo fucatas videas, ſimiles illi Pani, quem Virgilius ſcribit,

*Sanguineis ebuli baccis minióque rubentem.*

Venas

Venas omnes meri medicata potio infecit, & ex eo turpi rubore ora hominum tinxit, vt lo-catione Cenſorum miniatum Iouem eſſe cenſeas. Neruos autem, qui firmitatem corporis continent, ita vinum labefactat & tendat, vt qui liberalius eo vtuntur, in iuuentute tremulos ſenum artus habere videantur, eneruato corpore. Senſus verò valde lædit præſertim oculorum, quorum aciem tanquam ſuffuſione quadam conturbat, eorúmque qui aquam potant, multo eſt acrior acies, quàm vinum potantiũ, quòd fumis craſſis & turbulentis cerebrum totum opplet, cùm tenuem auram & liquidam ſummittit aqua. Mihi affinis eſt mulier ſeptuagenaria maior, quæ vino ſemper caruit: ea tamen nondum ſpecillis vtitur, nec minus facilè quàm adoleſcentulæ, integris & vegetis oculis acum filo inſerit. Ea ſi vinum potaſſet, languidiorem iam & morientem aciem ſentiret. Hîc ſi quis vini immoderationem reprehendi potius debere dicat, quàm eius moderatum vſum tolli, is reſponſum ſibi habeat, primùm modum ſeruari in vino non poſſe, ſi alio potu non vtare. Ecquis enim non lineas tranſilit in eo, cuius quotidie cyathum guſtaſſe propè nimium ſit? Nunc quot trientibus in prandio & cœna, in ientaculo, merenda, comeſſatione, *noſtram*, vt Plautus loquitur, *ætatem proluimus*. Noah ille quem pietas mortali generi diluuione perituro exemit, qui reliquias animantium alueo natanti ſeruauit, qui primus vini inuentor fuit, qui primus vitem ſeuit, qui primus eius potor, quàm fœdo ſtratus ſpectaculo, amiſſis ſenſibus, ſomno conſopitus profundo, nudatis quæ honeſtè nominari non poſſunt, filio ſuo ludibrio fuit. Deinde vt vini vſum, quis modi item conſeruationem mihi publicam perſuaſerit, in quo laborat ſapientia? Modum ſcilicet ſe ſeruare oſtendunt, decolores & pallidæ per vrbis plateas reptantes laruæ, & vermiculati vultus, quorum color nonne viſcera intus corrupta indicat? Itaque integris ſaniſque interaneis vix vnum corpora diſſecantes & aperientes medici reperiunt. Quid ego referam halitus fœtorem anima corrupta, & eam mephitim pulmonibus reddentibus, quam *Auerna & Charonia emittunt ſæui*, vt veteres putauerunt, *ſpiracula Ditis?* huius igitur peſtis quæ vitalia exeſt, quis modus eſſe poteſt, ſi quotidie haurias? Perniciem iſtam veteres ſenſiſſe videntur, qui ſacco & niue vini vires frangebant, & vt Plinius ait, caſtrabant, vt minus noceret: qui prima pocula non vino, ſed ne mulſo quidem, niſi ex vino leni & molli, ducebant: vt lenitate præcordia & venas imbueret, & mulceret, non acrimonia offenderet: ea propomata vocabant. hinc illud Horatij,

*Aufidius forti miſcebat mella Falerno,*
*Mendosè: quia nil vacuis committere venis,*
*Nil niſi lene decet, leni præcordia mulſo*
*Prolueris melius.*

Multa quoq; potionum genera dulciſſimarum inſtituerant, quas calidas educebant, vt tabernæ inde θερμοπώλια vocarentur. Ex quo Comicus dixit, *Murrhinam, paſſum, defrutum, mellinam, mel cuiuſmodi, Quin in corde inſtruere quondam cœpit thermopolium.* Cúmque mulieres more Romano temeto carerent, aquam ferè biberent, grandiores tamen natu dulcibus iſtis potionibus, in quibus temulentiæ nihil eſſet, vti poterant: vt Varro de vita patrum ſcribit. Antiquæ mulieres maiores natu bibebant loram aut ſapam, aut defrutum, aut paſſum, quam murrhinam Plautum quidam appellare putant: quo ex genere etiam moriola erat, paſſi ſcilicet lora. Varro, vino addito loram paſſi vocare cœpêre moriolam: nominabant quod ex vuis expreſſum erat, paſſum: at folliculos reliquos & vinacia, eam dicebant ſapam. at noſtrorum hominum palato nullus ſapor, niſi acer & mordax, placet: vt niſi puncti ſint, bibiſſe ſe neſciant. Et tamen dulcia iſta potionum genera quæ retuli, vt ad ſalubritatem conducunt, calore tamen officerent proceritati, vinum & ſtaturæ iuxta & valetudini officit. Illa autem quæ ſibi Septentrionales populi ex frugibus humore maceratis in acorem vitiata conficiunt, minus vtrique nocent. Argumento ſunt corpora illis in locis ſalubriora & auctiora. Nam ex habitu corporum, certiſſima ducuntur huius rei, vt opinor, argumenta: quanquam in eo potu putredine quæſita acrimonia, quæ mentem etiam ſauciat non nihil, lædit minus tamen quàm vinum. Eſſe autem maximam in vino vim ad dignitatem ſtaturæ corrumpendam, docent illæ prouinciæ quæ multis iam ſeculis vites habent, quando longinquitate & vetuſtate detrimentum magis ſentitur, olim non habuêre. Multis ſeculis Gallia vitis ignara fuit, primúmque vino illecta iuuentus Gallorum, quæ noua illis voluptas erat, ſedibus excitata ſuis, in Italiam profecta eſt. Multis poſtea annis Gallia Narbonenſis pop. Rom. prouincia facta, vitem primùm habere cœpit. Iulióque Cæſare res in Gallia gerente, aliis in Galliæ regionibus, nullus ferè vitis palmes erat. Tremellius quidem qui Cæſare res in Gallia gerente exercitum duxit, cùm apud Varronem ait, aliquot regiones ſe intus ad Rhenum acceſſiſſe, vbi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur: ſignificat illic non modò vinum preſſum non eſſe, ſed ne ſtirpem quidem vllam vitis reperiri, quæ etiam ſine cultu naſci poſſet. Non multo poſt Iulium Cæſarem in Ar-





uernis & Sequanis conſitæ ſunt. Domitianus poſtea Imperator ne quis in Italia nouellaret, & vt in prouinciis vineæ ſucciderentur edixerat: quod ſalubre edictum non tamen exequi perſeuerauit, partim adductus minacibus libellis, qui cum his verſibus ſparſi erant,

κὴν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι καίσαρι θυομένῳ.

partim legatione Scopeliani ſophiſtæ, quem hac de re Aſia publicè miſerat: partim cauillatione impoſtoris Tyanei, qui à Domitiano eunucham reddi tellurem cauillabatur. Exiſtimo tamen nonnullis prouinciis non multo poſt vineas ademptas eſse. Alioqui Aurelius Victor non ſcriberet, Probum imperatorem Gallis & Pannoniis vineas habere permiſiſſe: quod etiam Vopiſcus ita ſcribit, Gallis omnibus & Hiſpanis & Britannis hic permiſit: vt vites haberent, vinúmque conficerent. Imperante Iuliano Parabate cœlum Pariſinum iam vitem ferebat, vt ſcribit ipſe in Miſopogone: ſed vt, opinor, raram, nec ex qua vinum fieret. id intelligi ex eo poteſt, quod Ammianus, qui ſub eo militauit, Gallos vini quidem auidos eſse ſcribit: multiplices tamen ad vini ſimilitudinem potus adulterare: vt coniectura ſit, tum quoque minus frequentem vini vſum in Gallia fuiſſe. Poſtea tandem per Gallias omnes, excepta parte Belgicæ, vitis vulgata eſt. Nunc videamus quæ ante vineas Gallorum ſtatura fuerit. equidem non dubito, quin multi difficile factu exiſtimaturi ſint, modulum illorum corporum inuenire, ſed nihil tamen facilius. Quæ enim Gallorum robora & corpora tum fuerint, facilis eſt ex Cæſare exiſtimatio. Is enim ita ſcribit, Quibuſnam manibus, aut quibus viribus, præſertim homines tantulæ ſtaturæ (nam plerunque omnibus Gallis præ magnitudine corporum ſuorum breuitas noſtra contemptui eſt) tanti oneris turrim in muros ſeſe collocare confiderent? Nunc, vt opinor, nihil cauſæ eſt, cur ex magnitudine noſtrorum corporum, aliorum breuitatem contemnamus, vt multis potius noſtra iam breuitas contemptui ſit. Idem quoque Liuius confirmat, qui de Gallis ita ſcribit, Gens eſt, cui natura corpora animóſque magna magis quàm firma dederit, Et Ammianus, Celſioris inquit ſtaturæ, & candidi penè Galli ſunt omnes & rutili. Id ego aliorum quoque auctorum teſtimonijs confirmarem, niſi ſatis eſſe teſtatum iſtorum auctoritate putarem. Ac nunc plerique omnes breues ſunt, multòque plures nigri, quàm vel candidi, vel rutili, vt immutato victu, non ſolùm corpora, verùm etiam color degenerauerit. Quam corporum imminutionem ſentiunt Germaniæ vitiferi tractus, in quibus malignius multo adoleſcunt corpora, quàm in Saxonia, Friſia, Hollandia, vitem neſcientibus. Eandem quoq; contractionem corporum multo ante ſenſerat Græcia, quę tanto ante vitem habuerat: vt Homerus non ceſſet: queri ſubinde minores homines naſci. Itaque vaſtum molare facili niſu iactum à Diomede ait, quod vix ſuæ ætatis homines duo, vt narrat, terra moliri potuiſſent: quod eius imitatione ſic Virgilius cecinit, in maius etiam augens, velut æſtimatione quadam decretionis ab Homeri ætate ad ſuam,

*Nec plura effatus ſaxum circumſpicit ingens,*
*Saxum antiquum ingens, campo qui fortè iacebat,*
*Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis:*
*Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent,*
*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*

Idemque ſequentem deinceps ætatem in oſſium magnitudine effoſſis ſepulchris perculſam fore ſcribit,

*Grandiáque effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.*

Id vtriſque Iuuenalis credidit in eandem ſententiam ſic ſcribens,

*-nec hunc lapidem, quali ſe Turnus & Aiax,*
*Et quo Tydides percuſſit pondere coxam*
*Æneæ, ſed quem valeant emittere dextræ*
*Illis diſsimiles, & noſtro tempore natæ:*
*Nam genus hoc viuo iam decreſcebat Homero.*
*Terra malos homines nunc educat atque puſillos.*

Homeri autem tempore cùm eſſet non admodum in Italia vitis, quanquam Virgilius eius illic repertorem fuiſſe Saturnum tradit, eum vitiſatorem vocans, ſtupendæ hominum ſtaturæ erant, effoſſum aiunt Pallantis Euandri filij cadauer, æquaſſe longitudine altitudinem mœnium Romanorum. hinc in Sicilia illa Cyclopum immania corpora, carne & lacte veſcentium. Et ſi ait in Sicilia vitem fuiſſe, lac tamen non vinum cyclopes, cœlo capita alta ferentes, adhibere ſolitos. ac ne in Græcia quidem tum plurima vitis fuiſſe videtur, cùm in recenſione exercitus Homerus tribus, vt opinor, tantum locis vineta tribuat, cùm tamen videri poſſit ex ſua etiam potius ætate id ſcribere, quàm Heroica: in Phrygia quidem iam frequens erat, quam ἀμπελόεσσαν appellat. Quanquam autem iam Romuli ætate vitis erat in

Italia, rara tamen erat: nec Roma ferè bonitatem vini intellexit ſui antè DCXXXIII annum ab vrbe condita, cùm aduectitio vteretur & tranſmarino, nec vlla eſſet vernaculo auctoritas. Vitis autem à calidiſſimis profecta regionibus, paulatim quoquouerſum ſerpere cœpit, & ex Aſia in Europam tranſportata eſt: hominum genus, quacunque inceſſit, velut mutilans, & molem corporum imminuens. Itaq; non tantùm in Italia Italorum corpora diminuit, verùm etiam aduenarum, Gothorum & Longobardorum, quorum prægrandia corpora fuiſſe narrantur: & in Gallia Francorũ ac Burgundionũ, quos Sidonius ſeptipedes: eo enim vocabulo vtitur, appellat. Contrà in regionibus, in quibus vitis ſtaturam corruperat, poſtquam ex nefaria nefandi vatis religione hominibus vino interdictũ eſt, minus iam decreſcentibus corporibus, noſtrorum corporum ſemper ſublabentium comparatione, iam proceri & generoſi naſcuntur. proceros enim hodie & amplos Africum cœlum generat, olim puſillos & exiles procreabat. Id ex Silio intelligi poteſt, ita ſcribente:

*Princeps ſigna tulit Tyria Carthagine pubes,*
*Membra leuis, celsique decus fraudata ſuperbum*
*Corporis.*

Ex quo perſpici poteſt quantum poſſit in vtramq; partem vinum, vel conceſſum, vel interdictum. Illam autem corporum breuitatem, quam affert, multa ſequi incom̃oda neminem fallit. Ille ſceleratus & capitalis verę religionis hoſtis, qui ſuam impietatem armis longè latéque, non pietate propagari volebat & ſanciri, callidè animaduertit, quanta vis ad animos effœminandos in vino eſſet: vt ſectatores haberet manu promptos & bellicoſos, ſuis vinum perpetua lege ademit. Itaque quas de pio Chriſtianorum genere victorias, quæ ſpolia nefarius & ſacrilegus hoſtis retulit? Vtinam non in totum damnato vino, ſed circumſcripto tamen, tandem aliquando ad veram virtutem Chriſtiani expergiſcantur, bellóque iuſto & pio recuperent regna nobis adempta. fortaſſe tamen importuna illa bellua, quæ ex impia omni fraude, & omnium ſcelerum colluuione concreuerat, impietatémque pro Sanctimonia amplectebatur, id non viderit, ſed ex conſuetudine patriæ edixerit. Diodorus enim in narrandis Demetrij rebus, ait Arabas, illos ex omni propè æuo aquæ potores fuiſſe. Itaq; multo ante nefandi vatis ætatem, cùm milites Romani à Saracenis victi dicerent vinum non accepimus, pugnare non poſſumus, Niger eorum imperator, Erubeſcite, inquit, qui vos vincunt, aquam bibunt. Lege quoque militari Romani vinum non bibebant olim, aut vernaculo vtebantur, non aduectitio. indicat Metellus, qui vt exercitum corrupum ad veterem diſciplinam in Africa corrigeret, mercatores vinarios omnes exegit, potúſque Romanis in caſtris erat aqua, aut poſca, ſi vinum deeſſet, aut mellina, vt apud Plautum dicit, cacula militaris, niſi ſi in vidulo eſt aut mellina. Apud priſcos Romanos ante XXXV annum nemo vinum guſtabat: cùm vt apud Platonem eſt, ignem igni addendũ, vt arbitror, non exiſtimarent. Zaleucus Locris Epizephyriis legem tulit, ſi quis in morbo merum ſine medici præcepto bibiſſet, vt capitale eſſet. Apud Maſſilienſes mulieres temeto carebant, & aquam bibebant: quæ eadem etiam apud Mileſios lex erat. Veteres autem Germani vinum ad ſe omnino importari non ſinebant, quod ea re, vt Cæſar ſcribit, ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effœminari arbitrarentur. Quæ eadem tum quoque Neruiorum, qui omnium Belgarum longè fortiſſimi erant, ſententia fuit. Nihil enim ad ſuos vini patiebantur inferri, quo relangueſcere animos virtutémque remitti putabant. Nec dubitem quin Lycurgus ille, qui Baccho infeſtus, vites ſuccidit, eodẽ conſilio id fecerit, cùm fomentis ignauiæ virtutem diminui videret. Aliorum populorum potum in vini ſaporem ementitum

*—— qui pocula læti*
*Fermento, atque acidis imitantur vitea ſorbis,*

ſiue pomarium, ſiue pirariũ, ſiue illum ex frugibus olim Ægypto familiarem zythum, hodieque & olim magis Septentrionalibus notum, ex putredine maceratarum frugum, & aliarum rerum adiectione, ad excitandum ſaporis acumen admixtum, & ſi nonnihil, illum quidem tamen creſcentia lædere corpora minus cenſeam, quàm vinum, quæ largo etiam humore aquæ perfundit. Id habitus corporum docet, ex quo certiſſima ſumi fides poteſt. Nec verò conijcere poſſim, vnde tanta nonnullis in prouincijs deceſſio corporibus facta ſit, quàm ex vetuſto & quotidiano vini potu: deceſſiſſe quidem alijs in locis, in quibus zythus bibitur, corporibus video, minus tamen multo, vt inſalubrem eum hominibus cenſeam, minus tamen quàm vinum. Decreſcunt etiam corpora ſiccorum aſſiduo vſu, vt multi panis. Itaque illi apud Herodotum Macrobij Æthiopes, eximia coporis proceritate eminentes, panem ignorabant: & Cyclopes illi apud Homerum prodigioſa corporis vaſtitate excellentes. pane non veſcuntur: ac Polyphemum ait non eſſe ſimilem homini panem edenti, quòd vt opinor exiſtimaret, tantæ moli attollendæ alio opus alimento fuiſſe. Sed illud incommodum magnis alijs opportunitatibus compenſatur. vt enim illam luxuriam





corporibus non afferat, ſaluberrimum tamen & mitiſſimum eſt. Nec profecto aſſentiar Æthiopibus illis, qui tam breuem à nobis vitam coli dicebant, quod pane veſceremur: cùm ſtercora potius fœdo vocabulo eſſe dicerent, quàm alimenta. Officit & ſtaturæ locorum ſiccitas. Itaque locis humidis quàm ſiccis, ſi eodem alimenti genere cultores vtantur, grandiores euadunt. Cuius rei locupletiſſimus teſtis fuerit Hippocrates, naturæ ſolertiſſimus interpres, qui Phaſianos in paluſtribus locis habitantes corporibus proceris extitiſſe ſcribit. quod tamen habitus corporum in Aſia, quàm Europa, pulchriores & proceriores fuerint Hippocratis ætate de Thracia, Macedonia, Theſſalia, Græcia, quę iam diuturno vini vſu dignitatẽ corporũ perdiderant, intelligendum eſt. nec tam cœlo & aëri, quàm cibo & potui, eius rei cauſa tribuenda eſt. Quod ſi Hippocrates eo tempore Germanorum & Britannorum corpora vidiſſet, aut fando etiam accepiſſet: erat enim tum celſiſſima: Europæos Aſianis humiliores non ſcripſiſſet. tunc cum Theſſalis & Græcis eos comparabat. res in Aſia gerente Alexandro altiſſimos Græci cognouêre Choraſmios, quos vt opinor non nouerat Hippocrates: neque dum enim arma illas gentes aperuerant, Dahæ, Saccæ, Indi, & vltra Tanain amnem in Europa colentes Scythæ, quorum nemo, vt hiſtoriæ loquuntur, ita humilis erat, vt non humeri eius Macedonis militis verticem æquare poſſent, quorum magnitudinem corporum alimento potius, quàm cœlo tribuerim, cùm hi populi vite carerent. Detrahunt etiam corporum magnitudini morbi in tenera ætate, qui corpus coquentes, ſolida intempeſtiuè durant, alimentum corpori negant, vtroque iuſtam adoleſcentiam impediente. Itaque qui in pueritia crebrò valetudine conflictantur, ad eam proceritatem non exurgunt, quam attingerent nullis aut paucis morborum offenſionibus tentati. Cura quoque & ſollicitudo, quæ corpus macerat, labor præterea incrementum prohibet: eóque nomine olim pueritiam in omni indulgentia, & animi remiſſione, Germani habebant, nullis officijs, nulliſque diſciplinis adſuefactam, ad vires alendas, & corporis magnitudinem. Itaque imperatæ pueris operæ, atque functiones aſſiduæ, vt plebeijs & proletarijs, vires frangunt, magnitudinem carpunt, proceriórque multo nobilitas accreſcit indulgenter habita. Sunt & in parentibus cauſæ diminutionis, vt in mulierculis, quæ iunceæ cupiunt eſſe, & ſuccinctiores, arctiúſque ſe vinculis adſtringunt: in quo non tantùm ſibi, ſed etiam fœtui nocent. Eſt & alijs in rebus nonnullis noxa, quarum ego commemoratione abſtinebo, quodque proximum eſt, agam. Etenim cùm viderem paucos ac vix vllos eſſe, qui illud vitæ curriculum poſt diluuionem à Deo hominibus definitum ita decurrerent, vt ad flexum venirent, exiſtimaui huius rei cauſam eſſe quærendam, ac mihi illud quærenti, venit in mentem ſuſpicari, æuum iſtud breue humanæ vitæ, de quo Deum propè accuſantes queri ſolemus, noſtro vitio noſtráque culpa eſſe contractum. Nam quæ res corpora noſtra debilitauit & fregit, eadem quoque de hominum vita ſemper aliquid decerpſit & amputauit: ac de æui anguſtijs magis etiam, quàm nos poſteritas conqueretur, eandem vitæ victúſque ſectam ſi ſequatur. Quis enim dubitare poteſt, quin corporum diminutionem vitæ breuitas conſecuta ſit? Etenim in eodem genere procera pumilis viuaciora videmus, vt bellatorem equum, quàm paruulum mannum, grandem moloſſum, quàm catellum meliteum. Et puſillos huius ætatis homunculos eſſe poſſe tàm annoſos credemus, quàm præſtantia maiorum noſtrorum corpora? Veteres ſcriptores tradidêre, in quibuſdam Indiæ locis homines quinûm cubitorum & binûm palmorum longitudinis exiſtere, eóſque CXXX annis viuere: contra homines eſſe alijs in Indiæ tractibus breuitatis contractæ, eóſque non vltra quadragenos annos viuere: niſi fortè quis cubitalem nanum æquare poſſe fata proceri hominis putat, adhuc adoleſcentem propè ſeneſcere incipientem. Igitur reum huius breuitatis vinum præcipuè citauerim, quo corporum vita præcipitatur. Cuius rei etiam cauſa apertiſſima. Nam cùm ſuo ardore corpus accendat, pubertatem properat, qua feſtinata ſenectus acceleratur. vt enim olitores radicibus, præcoques fructus accerſentes, fimum & calcem ſubijciunt, ſtirpéſque mox effœtas & elangueſcentes in crudum & immaturum ſenium impellunt: ita quoque vini calore celerius euocata pubertate, ſenectus ipſa ocyus elicitur. Virgines quoque vrbanæ ſi quæ liberalius vino in tenera ætatula vtuntur, celerius quàm ruſticæ viro maturæ ſunt, ſtatim vt veteres loquebantur ſororiantibus mammis: pueri quoque veſticipes citius redduntur, & Veneris auidi. Contra olim apud Germanos vini ignaros ſera iuuenum Venus erat, & inexhauſta pubertas. Properata autem pubertate, reliquas ætates ceſſare putamus, ac non pari paſſu incedere. quod ſi in vno homine vinum id efficere poteſt, tot ſeculorum tabe quantum noxæ, quantum detrimenti, aſſiduo eius hauſtu contractum putamus, vitio à parentibus in liberos abeunte, & ab ijs deinceps propagato, magíſque porro inoleſcente, & ſubinde vetuſtate ſe corroborante? Mihi quidem vini offenſiones mecum reputanti, mirari ſubit, quî fieri poſſit, vt ſexageſimum hodie quiſquam attingat annum. Atque vt in eo argumento

commorer quod cœpi, quod certè longè firmiſſimum eſſe arbitror, ſic exiſtimo hominum vitam, vt reliquorum animantium, veluti duobus contineri motibus, quos interiectus dirimat ſtatus. Nam à primo ortu ad ætatis vigorem & florem motus vnus exigitur, quem excipit ſtatus conſiſtentis ætatis. Inde ſuccedit vergentis in ſenectutem inclinatio: ac quibus in animalibus celerior eſt perfectio, ea æui breuioris eſſe videmus. vt equum & canem: in quibus tardior, vitæ longioris, vt hominem. Ergo cum animantium generi iſtam legem natura dixerit, alimentorum genera, vt vinum, quæ motum priorem corripiunt, & in propinquo pubertatem ſiſtunt, ſine controuerſia vitæ detrahunt: quæ motum priorem remorantur, eam prorogant. Itaque iuuentus in vitiferis locis maturius genas lanugine opacat, contra alijs in locis iuuenes diutius imberbes ſunt. quantum ergo illic efflorescentes adoleſcentum genæ temporis præcipiunt, tantum ætas ad ſenectutem celerat. quanto hic diutius ſunt inueſtes, tantum ſpatij quoque vitæ propagant proportione. Ac non dubito, quin ſi crapulam & immoderatas intempeſtiuáſque epulas vitarent homines, zythum potantes, quin diuturniore multo vſura vitæ, quàm qui quotidie vinum bibunt, fruituri eſſent: præſertim cùm ea pocula multò ſint innocentiora, quàm meraca. Itaque nonnulli in Britannia ad centum viginti annos viuere dicuntur eo potu vtentes, quod cœli beneficio nonnulli attribuunt imprudenter. Nam & ſi Britannia, vt ſcribit Cæſar, temperatior eſt, quàm Gallia, remiſſioribus illic frigoribus, quod euenire arbitror, quòd cœlum illic concretius, & pinguius, in Gallia liquidius & tenuius, & quòd in Gallia brumali die ſeptentrio ex aura quadam niualium montium magna ex parte naſcatur, in Britannia ex aperto & calido mari: tamen non eſt ea regionis illius temperies, vt tantam viuacitatem hominibus afferre poſſit. cumque Ariſtoteles ſcribit, in tepidioribus locis homines longioris eſſe vitæ; in ijs profectò Britanniam nunquam ipſe numeraſſet. Britanni quoque, vt audio, zytho & vino miſcent ſaccarum, valdéque dulcibus potionibus delectantur, naturam delinientibus & iucunditate perfundentibus, vt vtriuſque vitium, quod in aſperitate quadam putredinis & acrimoniæ hæret, non leuiter emendetur. Itaq; Liuia Auguſta quæ LXXXII. annos vino Pucino retulit acceptos, plures multo vel aquæ mulſæ, vel zytho mulſo acceptos referre potuiſſet. Nec magno illi ſcriptori profectò vnquam aſſentiar, qui cenſet aquæ potores iuſtam ætatem conficere non poſſe, quod ſecus eſt. Multo enim illis quàm vini potoribus vita longior ageretur. Id rerum euentis confirmatur & exemplis, quæ in hoc genere plus auctoritatis & momenti habere debent, quàm hominum ingenio rationes vtcunque excogitatæ. Nam Æthiopes illi, quos ex vitæ diuturnitate Macrobios appellauêre, aquam potabant. Seres quoque qui ad trecentos annos interdum viuebant, aquam potabant. Athos in ſummo iugo oppidum habuit, in quo dimidio longior, quàm alijs in locis, ætas habitantium fuit. Viuebant enim ad centum triginta annos, vt nonnulli ſcribunt, quod veſcerentur viperinis carnibus. Auſim affirmare, eos non multũ vini bibere ſolitos eſſe. Aquæ autem potus quàm ſalubris ſit, quis ignorat: cùm videat omnia propemodum quæ gignuntur, eius alumna eſſe? Cùm autem educare poſſit tàm vaſtas altitudines quercuum, & alnorum immenſitates, quibus non tantùm potui eſt, verùm etiam cibo, dubitabimus ab illa homines nutriri? Nec verò hominis tantùm alimentum eſt quod rubore ſuffectum per venas manat, verùm etiam liquidus quidam humor aquæ ſanguini immixtus, cuius rore totum corpus ſalubriter irrigatur. Itaque in magno calore & ſiccitate, cùm æſtus ora & viſcera penitus vrit, vt in agmine nonnunquam euenire ſolet, facilè tum iudicamus quem potum natura nobis conciliauerit: tum enim non vinum ſed aquam deſideramus. Iumentorum quoque genus omne, quorum corpora à noſtris nihil differunt, in eo potu acquieſcunt. Quod ſi quid in aqua vitij eſſe quis contendat, quàm facilis eſt eius emendatio, ſi coquas, ſi momentum vel mellis, vel ſaccari addas, quàm iucundum temperatur & ſalubre poculum? Vinum quidem non tàm poculum, quàm medicamentum eſſe arbitror, cuius ſano & valenti vnum & alterum abſorbuiſſe cyathum plus ſatis eſſe videatur. cardiacis, defectis, ſtomacho laborantibus, ſenibus, propinandum eſt, plurimorúmque morborum medicina eſſet, niſi quotidiano vſu, ex medicamento venenum nobis reddidiſſemus. Bacchus ille quidẽ vitis inuentor, vt profanus credidit populus, nonne vt ipſe muliereulæ vultum gerit: ita viros hoc malo veneno, tanquam Circæa potione, in fœminas immutauit? Nec verò ſine cauſa venenũ mihi videor appellaſſe, quod tamen conſuetudine non putamus: vt qui quemadmodum ſolennia, vt Flaccus ait, inſanientes, tutoris à Prætore dati non credimus egere. Sed ſi ebrios vulgo non videremus, quem illo hauſto ſic mente caligare cerneremus, an non obſecro à venefico potionatum putaremus? nos quidem etiam veneficum interficeremus, vt olim Attici ruſtici Icarum, qui ipſorum propinquis vinum propinarat. Quid ego commemorem, quot modis hæc vitæ peſtis non tam condiatur, quàm adulteretur? in quo dum palato ſeruitur, quàm valetudo profligatur?

cæteris



cæteris in ſaporibus rerum voluptuarius eſt guſtus: hic verò penitus inſanit, ac in vino quærit breuem tranſeuntis liquoris titillationem, diuturnam mentis alienationem. alius gypſo, alius calce, alius ſulfure, alius marmore, alius aqua marina, alius iumentorum ſtercore, vt honos præfandus ſit, ſaporem vini non tàm excitat, quàm vitiat: alius reſina corrumpit ad capitis dolorem & vertigenes efficaci, vt ex eo nomen crapulæ ipſa meruerit. Et hominibus placet iucundè & ſuauiter bibere tanta mercede? Nunc miramur tam breuem eſſe hominum vitam, cùm ſuapte vi noxia etiam cura nocentiora reddamus? Animaduerterat Comicus vitio alimentorum vitæ detrahi, atque ideò ſcripſerat,

*Ei homines cœnas ſibi coquunt: cùm condiunt,*
*Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,*
*Viuis conuiuis inteſtina quæ exedunt:*
*Hoc hic quidem homines tam breuem vitam colunt,*
*Cùm haſce herbas huiuſmodi in ſuum aluum congerunt,*
*Formidoloſas dictu, non eſu modò:*
*Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.*

Quanto æquius de vino, quàm de heluellis & oleribus, de condimentis iſtud queri potuit? præſertim cùm hominibus venenum potius ſit, quàm poculum. Iam verò quale illud tandem cenſendum eſt, in quo optimi nota argumentum ſit maximi vitij? Nam nobiliſſimæ quæque vini cellæ maximè corpora lædunt, ignobilia vina minori detrimento bibuntur, & ſaliuam innocentiorem habent: vt quæ vino generoſiſſimo cenſentur regiones veneficio propè quodam venditentur. Quod autem nonnulli aiunt vino vires ali, perſpicuè falſum eſt, vel Homero teſte, qui in vinoſis tamen numeratur: apud quem Hector vinum recuſat, ne eneruetur. Illud verius ab antiquis ſcriptum lactis potu oſſa & artus creſcere, frugum neruos conualeſcere, aquæ carnes augeri, his omnibus vires ali, corpúſque gliſcere. Niſi fortè quis generis diminutione vires amplificari cenſeat, & pumilos proceris robuſtiores exiſtimet: vires ſtaturam ferè ſequuntur, vt breuitatem infirmitas. Staturam autem vino contrahi veteres non ignorarunt, qui ſimias & quadrupedes quibus digiti ſunt, creſcere negauerunt aſſuetas meri potu. quaſi verò in alijs ceſſet eius virus, in ſimijs tantùm & nonnullis quadrupedibus valeat. ac non vt mentem in hominibus ſollicitat, ſic quoque corpus afficiat. Itaque remollitis & languefactis corporibus vitiferarum regionum, bellicoſæ & fortes olim Scytharum & Gothorum nationes à prouinciis profectæ vite carentibus, imperium Aſiaticum & Romanum euertêre. Ac nunc quoque Turcæ populi Scythici, etiam Herodoto noti, in quo tamen Tyrcæ pro Turcæ vitioſè ſcribitur, rerum potiuntur: & ante Saraceni, non tam rei militaris ſtudijs colendis, quàm abdicando vino, quo remoto virtus inſtruitur, ſuppeditato frangitur. ac quandocunq; nationes illæ, quæ vinum nõ habent, examina ſua iuuentutis mittent in vitiferas regiones, veteribus colonis vel migrandum, vel ſeruiendum erit. Sic Gallia Francis victoribus paruit bello quæſita, agroſque omnes Franci poſſederunt beneficiarios & liberos, vectigales & clientelares Gallis attribuerunt, vt ſeruis, quæ hodiéq; iuris deſcriptio in Gallia durat. Noxam iſtam vini callidè perſpexit Rebi Getarum regulus, qui gentem illam vndique oppreſſam & afflictam adeptus, ſucciſis vitibus ita liberauit & excitauit, vt longè latéque finitimis populis ſubactis ampliſſimum imperium compararit, Romaniſque formidabilis fuerit. Sed tantum abeſt, vt ea perſuaderi hominibus noſtris poſſint: vt vinum cum ambroſia Deorum libenter commutaturi non ſint: nec vt hanc ſententiam obtinerem, idcirco hæc diſſerui, non ſum ita ignarus noſtri ſenſus: ſed vt id quod pro certo habent eſſe ſaluberrimum, & hominum vitæ vtiliſſimum, oſtenderem controuerſia non omnino vacare, nec incautè eo & inconſideratè vtendum eſſe. Nam cum ſcirem diuinum illum Platonem ſuis monitis longè æquiſſimis & ſaluberrimis, qui pueris antè duodeuiceſimum annum vino interdicit, inde ad triceſimum moderatum eius hauſtũ concedit, liberaliorem poſtremò & largiorem ſenectuti indulget, apud ſurdam poſteritatem vſque adeo nihil profeciſſe, vt nonnullis in locis propè pro lacte nutricis ab infantibus bibatur: non ita inſanio, vt poſtulata mea multo duriora & iniquiora, in vulgus fidem impetratura putem. Maxima regum poteſtas eſt in terra, populuſque noſter obedientiſſimus, attamen id rex, ſi pro imperio iubeat, vix obtineat, & noſtri homines vnũ hoc edictum recuſaturi eſſe videantur. De capite & fama, de fortunis omnibus dimicare malent, quàm de vino, nullam non iacturam leuiorem duxerint, eóque res redijt, vt Cerere propè libentius, quàm Libero carere velint. Satis mihi ſit, ſi illud ipſum, quo tam auidè fruuntur, cuiuſmodi ſit aliqua ex parte cognouerint. Nam à vulgo non eſt poſtulandum, vt voluptati ſalutaria præferat, quam vitæ periculo paciſci libenter optat, libidini ſemper potius, quàm vſui ſeruiens atque rationi. In potu autem ita rabidè & intemperanter voluptatem ſectatur, vt in alijs generibus, ſalua tamen & incolumi ratione, genio morem gerat: hic ani-

mi principatum de ſtatu deijciat & mero victis ſenſibus, bruto nequior & poſterior eſſe videatur. In quo ita ſibi placent non tantùm, qui è vulgo ſunt, verùm etiam boni, vt olim extiterint ciuitatis orbi terrarum imperantis principes, qui libros de ebrietate non tàm ſcriberent, quàm euomerent. Putamúſne vulgi docilitatem defuiſſe tanto magiſtro, cui omnium libertas addicta erat in ſeruitutem? hoc adhuc defuerat vitijs, vt tantis auctoribus vitam peſſundarent, ſatis per ſe in mala propenſam. Sed ſi qui ebrioſis pudendo ſcripto patrocinaretur inuentus eſt, qui abſtemijs ſuffragetur inuentum eſſe queremur? Sed homines querantur licet, hoc ſcio nemini, vtcunque res cadet, iſta parum ſobria viſum iri.

# ADRIANI TVRNEBI ORATIO HABITA POST I. TVSANI MORTEM, cùm in eius locum ſuffectus eſt.

DOLERE vos, Auditores, Tuſani ſingularis linguæ Græcæ interpretis interitu vobis luctuoſo, literis funeſto, & exiſtimare vulnus illud, poſt noſtram memoriam, grauiſſimum doctrinis humanioribus illatum eſſe, minimè profectò mirandum eſt. Nam & de meo ſenſu, quis aliorum animis inuſtus eſſe dolor debeat, coniecturam facio: & intelligo linguam Græcam omnis eruditionis parentem & procreatricem: quam ei vni acceptam referebamus, iſta calamitate perculſam propè concidiſſe. Eius enim ſalute nitebatur, & interpretatione ſuſtinebatur: vt Galliæ transmarini illius ſermonis inſolenti, ex ore Tuſani, Græcæ vocis iocunda eſſet peregrinitas. Eam in Gallia ſeuerat, eam aluerat, & ad frugem penè perduxerat, cùm repentè horridior tempeſtas læta illa ſata proſtrauit. Olim Græcorum victorijs ſermo patrius illius gentis propagatus, omnes in oras Aſiæ ſeſe diffuderat, Europæ & Africæ partem bonam occuparat, in Galliam etiam penetrarat, cùm Maſſilia Græcè loqueretur: vt in animo Græcis eſſe videretur, non tàm ditione & imperio, quàm ſermone & lingua partas terras amplecti. At tanto poſt cùm in Græcia penè vernaculus conticuiſſet ſermo, infuſa eſſet barbaries, in cætris nationibus memoria eius linguæ penitus interijſſet, Tuſanus in Gallia rediuiuam excitauit, & denuo mortuam ſuo buſto contexit. Itaque exhedra muta, elingue pulpitum, taciturnum & mœſtum auditorium, egregij illius viri deſiderare vocem videtur. Illius in voce acquieſcebat, illius lectione adoleſcentum ſe cœtu compleri celebraríq; gaudebat, illius aſſiduitate, quæ maxima doctoris virtus eſt, à ſolitudine ſeſe vindicari, & Græco ſermone perſonare lætabatur. Nam ille non ſibi ſed alijs natus, ecquid vnquam ſuis rationibus priuatim impendit? ecquid publicis detraxit? quando ſuum negocium egit? quando non publicum? cùm quidem eo in literas, quas profitebatur, animo eſſet: vt deficere in ſuggeſtu, quàm deſinere mallet. Quod cùm eius aſſiduus labor, qui non viuere, quàm non legere ſatis duceret, tum etiam mors ipſa comprobauit. Nam ætate graui & affecta, cùm morbum contraxiſſet, moribundũ tamen legere videbatis, lingua defecta, corpore exangui: vt pulpitũ publicum, non lectulus cubicularis, extremam illius penè vocem, ſpiritumq; exhauſerit. Ita illius literę cæteris ſalutares, ipſi exitio fuêre. Et qui antea ſemper operam publico, ad extremum etiam vitam impendit? ſic dum legit libentius quàm æquũ erat & cupidius, id ne facere diutius poſſet, curauit: & dum ſtudioſiùs prodeſſe cupit, ne in poſterũ prodeſſe poſſet, effecit. Cùmq; pro his anguſtijs, quibus hominum vita definita eſt, vixiſſe ſatis videri poſſit, aut mortem ſibi non multùm feſtinaſſe iam aduentantem, tamen vt naturæ ſatis, certè ſtudioſorũ votis parũ vixit. Neq; meo iudicio quiſquã maturo tempeſtiuóq; fato migrat è vita, qui mortales iuuat: aut acerbo, qui violat. Non annis iſta, ſed com̃odis æſtimanda ſunt: qui ſum̃am naturalem confecerit, ſi ſuperſtes prodeſſe poſſit, puer abire cenſeatur. Propter beneficia in hominũ genus collata, multos antiquitas ad immortalitatem & religionem conſecrauit: at quanto optabilius fuiſſet, eos æuo ſempiterno frui, aut ſaltem multa ſæcula ſupereſſe, nec ſpatijs vitæ iniquis excludi: & tamen queri meritò nonnulli cenſent Theophraſtũ, quòd natura ceruis & cornicibus, multíſq; animantibus, longam largita ſit ætatem, quorum nihil interſit, hominis vitam tanta breuitate circumſcripſerit. Mihi autem vt improbi nimiũ viuaces, ita probi, quiq; hominum commodis conſulunt & inſeruiunt, etiamſi Sibyllæ fata ſuperent, nunquam tamen annoſi videntur. Quis autem vberiùs illo de hominibus meritus eſt? quis ad pueritiam & iuuentutem literis Græcis initiandam atque formandam aptior & accommodatior vnquam reperietur? qui





quidem aſſiduitate, diligentia, explanatione, proprietate, facilè conſequebatur, vt ab omnibus intelligeretur: qui ita interpretationem moderebatur, vt cùm ad ſenſum rudiorum plerumque deſcenderet, eruditorum tamen animos ſemper impleret. Nemo fidelius, nemo ſignificantius, nemo explanatius Græcorum ſcripta vnquam expreſſit: nemo fœlicius penitus reconditos auctorum ſenſus eruit: vt qui eos Tuſano interprete non perciperet, ſeſe tarditatis & inſcitiæ meritò damnaret. Sed parum ſæuiſſimæ fortunæ viſum eſt illo letifero vulnere hanc Academiam eſſe ſauciatam: ecce tibi repentè funus funere cumulatur: & repetita plaga eodem die, die dico? immo verò eadem propè hora, Vatabli obitu, Academia noſtra contrucidatur. *Tuſani & Vatabli obitus eodem die.* Eo nemo doctius Hebræorũ literas tractabat: nemo callidius effata diuina, veteris legis ritus, ceremonias, initia, oracula tenebat: nemo prudentius & intelligentius interpretabatur, & in ambiguis ad veritatem propius conijciebat: nemo natiuam Hebræorum dictionem melius ad noſtram conſuetudinem explicabat. Cur infeſta & in literarum exitium coniuratiſſima fortuna, duo literarum lumina eodem propé articulo extinxiſti? nimirum non hominibus, ſed literis perniciem teterrimam moliebaris. Eodem enim impulſu in ruinam collapſuras putaſti. Illos earum contubernales, illos familiares ſciebas: in illorum pectoribus domicilium ſibi ſedémque collocaſſe intelligebas. Eas per illorũ latus te confodere poſſe credidiſti. Nam te iſto facto ſatis indicaſti: cùm eodem die, vno propè ſcelere, pari calamitate, duos præſtantiſſimos, poſt hominum memoriam, literarum profeſſores crudeliſſimè & atrociſſimè mactaſti. Quis non actum de ingenuis artibus tum putauit? Quis non eas depoſitas, atque conclamatas credidit? Quis non ſtudioſorum, animo fracto, & debilitato ſpem omnem abiecit: cùm effoſſo vtroque oculo orbatam lumine vidit Academiam? Scilicet quiſquam exiſtimaret reliquum eſſe quicquam fortunæ quod feriret? quis non tanto incommodo literas perfunctas poſteri damni ſecuras exiſtimaret? exitioſiorem & capitaliorem ictum improba meditabatur, cui ſuperiori ſæuitia & atroci petitione proluſerat. Sic caſtella expugnata cenſeas, nunc arcem inuadit. Franciſcum enim Valeſium optimum maximum Francorum regem, firmiſſimum regni Gallici præſidium, *Franciſci I. obitus.* ſingulare literarum columen, benigniſſimum eruditorum patronum, certiſſimam ſtudioſorum ſpem, impio parricidio ſceleratè & nefariè interficit. Nondum illos eluxeramus: nondum reſpiraueramus: crudus adhuc & recens in animis hærebat dolor: atratus & ſordidatus erat ſtudioſorum cœtus: etiam planctu & gemitu omnia reſonabant: cùm horribilis & repentina clades omnium mentes attonitas & conſternatas ſtupore defixit. Quis non ad infauſtum & dirum nuncium mortis regiæ toto corpore cohorruit & obriguit? quis non animo collapſus eſt, qui vel Rempublicam vel literas amaret: cùm Rempub. parente, patrono literas ſpoliatas videret? quæ calamitas etſi Gallos omnes perculit: tamen literatos propriè vulnerauit. Nam vt huius optimi, poſt homines natos, principis cætera decora maiore *Franciſci I. merita in literatos.* concipienda fortaſſis ore, & nuper concepta, omittam, & de literis potiſſimum agam, quæ meæ partes ſunt, nullus vnquam ex omni memoria omnium ætatum & temporum benignius & prolixius eos muneratus eſt. Nemo maiora præmia conſtituit doctrinæ & eruditioni: nemo vberiora: nemo iuuentutis ſtudia ad diſcendum acrius inflammauit: cùm æſtimatione doctrinæ, non cenſus amplitudine, homines pendere ſoleret, doctis ſacerdotia mandaret, honores deferret, ad res gerendas adhiberet, beneficijs augeret, omni liberalitatis genere complecteretur. Alexandri magni ætas ingentem doctorum hominũ prouentum extulit: Auguſti ſæculum poëtis, & eruditis abundauit: neq; profectò mirum. Ea enim ſemper floruerunt ſtudia, quæ principũ animis gratiſſima fuerunt & acceptiſſima: in quibus inclinatio voluntatis, atq; exigua ſignificatio, impulſio eſt cæterorũ. Certatim enim per ſe quiſq; capeſſit ea, quæ probari principi putat: cuius ſtudium & iudicium legem omnes arbitrantur. Cùm autem non exemplo tantùm euocantur, ſed etiam præmijs alliciuntur homines, quantum ardorem animorum exiſtere veriſimile eſt, quantam contentionem ad præclaras artes: quibus rebus ad liberalia ſtudia homines à Franciſco inuitabantur. Quem enim ille de rebus grauiſſimis diſertiſſimè & copioſiſſimè diſputans (quod frequenter facere ſolebat) quamuis remiſſum & ſocordem non excitaret? quamuis languidũ & torpentem non commoueret? quamuis inertem non accenderet? cùm eius aula Philoſophiæ quædã ſchola videretur: cuius omnis ſermo, diſputatio. Quid, quòd cõuiuia non tàm ferculis epularũ, quàm lautitia Philoſophici ſermonis inſtruebat? qui ſi in literas eſſet relatus, perfacilè conuiuia Platonis & Xenophontis obſcuraret. nihil in rerũ natura, cœlo, terra, mari continetur, quod ille cognitione penitus non comprehenderit: nihil tàm occultum, quod non eruerit: nihil tàm difficile, quod non perdidicerit: vt de omnibus ſic meditatè & memoriter differeret, vt indoctis admirationi, doctis verò ſtupori eſſet: cùm ea perſæpè ex eo diſcerent, quem docere ſe poſſe credebant, quæ nunquam cogitarant, quæ nuſquam legerant. Ita illius ſermone & prudentia non ſolùm illiterati, verùm etiam eruditi doctiores diſcedebant, vt illos

antea non tàm didiciſſe pigeret, quàm hos neſciſſe pœniteret. Iam qui videbat multos doctrinæ commendatione, non natalium claritate, ad ſummos honores euectos, ad magiſtratus ampliſſimos, ad præfecturas clariſſimas prouectos, quos ſtimulos induſtriæ, diligentiæ, ſtudij, admotos ſibi ſentiebat ad capeſſendas artes bonas, qui in pari facultate prudentiæ & doctrinę paria operæpretia ſperaret? quo factũ eſt, vt literæ nunquam illuſtriores: nunquam ſplendidiores fuerint: nunquã maiorem dignitatem & auctoritatem adeptæ ſint: nunquã tot amatores, tot cultores habuerint. Quas quanta diligentia, quanta pietate proſecutus ſit, quis neſcit? Nam in omni genere diſciplinæ liberalis profeſſores magnis auctoratos præmijs conſtituit, & iuuentuti inſtruendæ præfecit: & ex vltima antiquitate repetitum exemplum poſteritati prodidit. Sic olim Ptolomæi reges philoſophantibus in Muſæo Ægyptio mercedem conſtituêre: & Imperatores Romani declamantibus ſophiſtis in ſuggeſtu Athenienſi certã quotannis pecuniam dependêre. Sed illi quanto anguſtius & exilius, hic quanto vberius & ſplendidius id fecit? qui in Pariſiorũ Academiam, Hieroſolymam, Latium, Athenas tranſtulit: omnia humanitatis, elegantiæ, doctrinæ ſtudia traduxit, quicquid vſquam gentiũ eſſet memorabile ad auditionẽ, ſpectabile ad admirationem, vtile ad cognitionem, adſciuerit: neq; literarũ cauſa ſumptũ vllum recuſarit: qui ex Italia, Germania, Græcia, toto terrarũ orbe, quoquouerſum dimiſſis cõquiſitoribus libros omnis generis magno mercatus, publico literarũ bono, ſacræ bibliothecæ forulis incluſerit: librarijs libenter excudendos dederit: etiam præmijs ad excudendum impulerit: illorum animo & inſtituto diſſimilis, qui ſi aliquem ſint auctorem rarũ nacti, ſeſe ab illo ſolos doceri interpretantes, vinctũ domi conſtrictúmque tenent, remque citius quàm ſcriptorem vulgarent, impio peculatu publicũ auertentes. Ita doctrinis obſcuris lucem, ſcriptoribus mortuis vitam, literarũ candidatis magnũ ad diſcendũ adiumentum attulit: & Galliam noſtram mirificè excitauit & exornauit, cùm eam, nobili genere literarũ patefacto, exterarũ gentiũ conuentu celebrauit. Quæ enim Europæ natio non huc hodie literas petit? quis populus hanc ſcholam non ſpectat? in eodem auditorio Gallũ, Italum, Germanum, Hiſpanum cognoſcas: vt quos habitus, cultus, lingua, mores, regna diſtingunt, diſciplina, & inſtitutio, & ſacroſancta Muſarũ fœdera, charitate & communi humani generis beneuolentia deuinciant. Cuius fœderis fecialem fuiſſe Valeſiũ quis non intelligit? Is etiam pulcherrimo regum veterũ exemplo, non ſolùm interpretem, ſed etiam familiarem, comitem, aſſeſſorem aliquem ſemper egregiè doctũ habuit, quo cum ſermones de philoſophia conferret. Sic Periclem Anaxagora plurimũ ferunt vſum eſſe. Sic (vt fabulas attingam) Creontem Tireſia, Minoëm Polyido, Agamemnonem Neſtore, Vlyſſem Palamede. Sed quem mihi vetuſtas cum Petro Caſtellano religioſiſſimo & ſanctiſſimo Matiſconum epiſcopo, & vitæ integritate, & ſcientiæ copia, & linguarum cognitione, & dicendi facundia comparabit? qui ita genus omne diſciplinæ facilè tractat, vt eum quæ dicit, non ex memoria expromere, ſed ex libris recitare coram putes. Ita porrò in numerato omnia habet, ita in ſtatione locata, vt vltrò ſtatim occurrant quæq; vel nondũ citata. Itaq; tam capaces eruditiſſimi principis aures ſolus meritò impleuit: præſertim cùm is ſit qui de rebus obſcuris dilucidè, implicatis expeditè, magnis grauiter, omnibus propriè vereq; diſputet: qui varietate ſatietatem, modo faſtidiũ & moleſtiam vitet. Cuius de re quaq; iudiciũ, non ex hominis ſenſu, ſed ex philoſophię ſententia pronunciatũ eſſe videatur: qui vbi fari cœpit, ita coronam conuertere ſolet, vt qui ob negocia in aulam conuenerunt, ſuarum rerũ interdum obliuiſcantur: & diſputantẽ audire malint, quàm præhendere, ambire, aduocare, ſibi deſeruire: vt ſermonis iucunditate, & diſputationis vtilitate omnibus, vt ait Flaccus, quoddam deſiderij poculũ temperet. Quis ad eius ſcholas quas cum doctiſſimo & clementiſſimo principe habuit, Platonis cum Dionyſio congreſſus, Solonis cum Crœſo, Simonidis cum Hierone & Pauſania, Thaletis cum Periandro, nugas fuiſſe non credat? Illi vna aliqua de re fortaſſe diſſeruerũt præclarè: huius ſermones, omnem in partem, non minus varij & diffuſi fuêre, quàm ipſa rerum artiúmq; natura. Quocirca ob ſpectatam egregiæ eruditionis fidẽ, princeps omnis memoriæ clariſſimus, eum Muſarum choro, & profeſſorũ collegio, veluti Apollinem quendam præfecit: vt eius omnis notio, iudiciũ, arbitriũ eſſet è fide ſua: videret ne quid non modulatè caderet: ne quid non numeroſè moueretur: ſed vt omnia cõgruenti modorum & numerorũ temperatione conſonarent, curaret. Illum in clariſſimũ collegium cooptaret, adſciſceret, adlegeret, quem probaret. Cuius cooptatione ita floret ordo, ita reſplendet, vt & ſtudioſi beneficiũ, & Academia ornamentũ agnoſcat: & omnes eius diligentiam, fidem, prudentiam laudent. Quamobrem ſereniſſimus Rex HENRICVS, qui literas vel labentes excepit, vel patris obitu afflictas, verius & poſtratas excitauit & erexit, & à primo ſtatim regni auſpicio palam prædicauit, ſibi non minus literas, quàm Iuriſdictionem & imperium curæ fore: non diu circunſpexit quem literis præponeret: non diu quæſiuit, ſed Matiſconenſem arctè complexus, ſeſe eas in clientelam illi dare profeſſus eſt: ſeſe il-

lum



lum eis tutorem & cuſtodem apponere. Eum laborem ſuſciperet, quem viuo patre ſuſcepiſſet earum cauſa: vt antea ſedulò feciſſet, elaborare pergeret. Seſe operam daturum, vt omnes propediem intelligerent, non modò nihil (quod aliquis vix crederet) literis illo incommodo deceſſiſſe, vt etiam nonnihil acceſſiſſe eſſent admiraturi. Macte virtute, princeps clariſſime, & literas, vt tute recepiſti, prouehe: præſertim cùm nulla ex re maiorem & veriorem laudem tibi parare poſſis. Niſi fortè quis putet victorias & triumphos, gloriamque bellicam cum hac laude comparandam eſſe. quod qui probat, fateatur neceſſe eſt, iſta ratione, fortunam prudentiæ, caſus temeritatem, & leuitatem conſilio & conſtantiæ eſſe conferendam. In altero enim fortunæ quædam euenta, in altero rationis conſulta cernuntur. Alterum eſt, quaſi tu in alea talum iacias: alterum, quaſi omnia conſultè prouiſóque agas. Quare tuum conſilium, Henrice ſereniſſime, probo: qui rem militarem non deſpexiſti, ad regni propugnationem, hoſtium propulſationem, literas amplexus es, quæ rebus aſperis ſolatio, ſecundis ornamento ſunt: quæ iuuentuti ad modeſtiam, ſenectuti ad grauitatem, omnibus ad virtutem & ſcientiam neceſſariæ & ſalutares ſunt. Quod autem Matiſconenſi negocium dediſti, vt videret ne quid literæ detrimenti caperent: quod eum cenſorem & iudicem illius præſtantis muneris eſſe voluiſti: id vero eiuſmodi eſt, vt tibi, pro eo ac mereris, nullo modo gratias ſtudioſi habere poſſint: ipſáque Academia perpetuum in modum, hoc beneficio, ſe tibi obligatam intelligat. Eum enim eſſe ſcit, qui non ambitioni, non gratiæ, ſed perſpectę eruditioni & doctrinę, honorem ſit impertiturus: qui non eblandito ſuffragio, ſed enucleata ſententia, Lectores ſit declaraturus. Vnum illud interdum ſubuereor, ne cùm in cæteris quos delegit, homines eius iudicium probent, in me vno deſiderent: præſertim cum in eius locum ſim ſubſtitutus, qui in ſuo genere facilè princeps eſſet. Sed non tantùm præſtantiæ, verùm etiam mediocritatis rationem ſibi habendam eſſe putauit: atque æquum cenſuit eos, qui publico multos annos operam nauaſſent, quædam, vt ita dicam, emerita laboris ſui ferre: ſi modò ij eſſent, qui munus illud, ſi minus facultate & ingenio, at diligentia ſaltem & induſtria ſuſtinere poſſent. Neque profectò qui verum exiſtimauerit, aliter eſſe faciendum putabit. Nam vt olim in illa quinquennali ludorum celebritate, non fortiſſimus quiſque ex ſenſu ſpectantium, ſed pugnaciſſimus quiſque ex certatorum numero coronabatur: neque ad præmium aſpirabat, qui in ſtadium non prodierat. Sic æquum eſt eum qui in exhedra docuit, non qui domi delituit: qui aliorum ſtudio potius quàm ſuo conſuluit: qui pulpitum publicum magis quàm domeſticum ocium ſequutus eſt: induſtriæ ſuæ & laboris tandem aliquando fructum aliquem conſequi. Tu mihi cùm domi beatus quieſcas, ocio fruaris, tibi ſtudeas, ſi in demortui locũ aliquis ſufficiendus ſit, in vacuam poſſeſſionem venire optabis? & qui operæ pepercisti, ad mercedem aduolabis? tute tibi quam debes perſolue, Rempub. ne appelles, cum qua nihil tibi rationis fuit. Ampliſſimi etiam Cardinalis Caſtilionæi, qui virtutem cum fortuna, doctrinam cum dignitate adæquauit (quẽ ego ordinis purpurati decus meritò dixerim) in ſubſtituendo lectore prærogatiuam ſequutus, tanti ſuffragij fiducia, cæterorum iudicium ſe contemnere poſſe credidit. Ille enim ab eo me hinc excitatum Toloſam eſſe profectum ad iuuentutis inſtitutionẽ, ſciebat. Itaq; eum qui tanto Antiſtiti probatus eſſet, apud ſuos locum aliquem obtinere, quàm amandatũ in longinquas terras diutius ab oculis huius Academiæ peregrinari, maluit: æquum ratus eam, quæ me ad doctrinam informaſſet, ſi qua modo in me eſt, eius rei à me fructum potius repetere, quàm exigere. Vnius etiam Petri Gallandij eruditiſſimi viri egregia in me voluntas, ſingularis in amicitia fides, quæ non abſentia defluxit, ſed deſiderio mei corroborata eſt: enixum ſtudiũ in me iuuando, diligentia in petendo, non ſolùm teſtimoniũ, verùm etiam ſacramentũ in prolixè de me prædicando, nobis facilè locum iſtũ impetrauit. Neq; enim non potuit eius auctoritas magnũ hac in re momentum habere, cùm de eligendo doctore ageretur, qui tot annos in hac celebritateglorioſiſſimè docuiſſet. Neq; non valere ſuffragium eius debuit, cuius inſignis eruditio ſpectata eſſet. huic ego, ſecundum Deos immortales, me vel hoc vno nomine plurimum debere non fateor tantum, verùm etiam palàm hoc in conſeſſu profiteor. Ego enim ſic interpretor, eum hoc munus alijs, me illi debere. hoc autem ſuſcepti muneris onus, quod impoſitum mihi eſt, ſtudio & induſtria, ſi aliqua ex parte beneuolentia veſtra ſubleuetur, fortaſſe perferam: vt maiorem eruditionem multi, nemo meliorem voluntatem deſideret. Ita enim merendi ſtudium cum facultate compenſari debebit, vt quantum laudis nobis ingenium detrahat, tantum labor addat. Nemo in me Tuſanum ſperet, aut cogitet, quem & viuum præceptorem ſemper agnouimus, & mortuum veneramur: ſed mediocrem intelligentiam linguæ Græcæ à nobis expectet: quæ vt malignorum reprehenſionem effugere non poterit: ita bonorum gratiam & fauorem emereri debebit.

# ADRIANI TVRNEBI PRAEFATIO IN THVCYDIDEM.

SALLVSTIVS hiſtoriæ grauiſſimus apud Latinos auctor hiſtoriam laudare veretur, ne ſuum ſtudium cuipiam nimium extollere videatur. Ego verò contra non committam, vt me leui cuiuſquam opinione adductum meritò fraudaſſe laudis teſtimonio rem omnium & præclariſſimam & vtiliſſimam doctior aliquis & prudentior arguat. Nam quid alterutram in partem de quoquam ſentiatur & iudicetur, nihil publicè fortaſsis intereſt. At rerum honeſtarum prædicationi aſſueſcere, & ad earum amorem impellere, id verò prorſus in cōmune refert. Vilior igitur mihi fuerit aliena de me ſententia, quàm vllius conſilij ratio benè ſuſcepta. Ita enim ſe quisque comparare debet, vt ne quid potius exiſtimationi, quàm vero dediſſe intelligat. idque vel multo magis olim Salluſtio, quàm in præſentia nobis faciendum erat, quòd à literarum humanitate cultúque Romani alieniores erant: cùm præſertim optimus quisque tùm maximè negotioſus eſſet, neque quisquam ingenium ſine corpore exerceret. at nunc flagrante literarum ſtudio, & noſtris hominibus ſatis commendato, qui doceat magis quærendus eſt, quàm qui extollat. Quæ ſunt igitur hodie, dicet aliquis, in re probata laudatoris partes? nonné verendum, ne quis protinus occinat, quis id quod tàm prolixè laudare paras vituperandum cenſet? Etiam oratori Herculem celebranti non defuit qui ſubijceret, Herculem ne quisquam culpat. Ego verò laude rem in dubium vocari non puto, ſed eius æſtimationem conſtitui: nec in receptis fruſtra operam collocari commendationis exiſtimo, quæ non pro eo ac merentur in pretio ſunt. Quotus enim quisque hiſtoriam quanti eſt facit? licet iſta ratione virtutem, quam improbat nemo, homines laudare deſinant, quæ tandiu ornanda eſt, quoad hominum ceſſat vita: vt ſi ſtudioſè eam omnes amplectantur & officia colant, gaudere tamen debeant, cùm oratione expreſſum vitæ ſuæ decus videant & agnoſcant. Eorum quæ probamus, & quibus ſtudemus, ſecundis animis laudes accipimus, & alienum ſuffragium noſtræ ſententiæ aſtipulari libenter patimur. Ita facile cenſebat eſſe Socrates Athenis Athenienſes, Spartæ Lacedæmonios laudare. Verùm quam tandem laudandæ hiſtoriæ viam inſiſtam? vnde exordium ducam? ab illo nimirum elogio mihi potiſſimum auſpicandum eſt, quo eam Cicero omnium eloquentiſſimus affecit. *Hiſtoria*, inquit, *teſtis eſt temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.* poteſt igitur id non in rebus maximè expetendis duci, cuius teſtimonio tempora nobis nota ſunt, fide veritas illuſtrata, ope rerum memoria renouata, documentis & exemplis vita hominum inſtructa, explicatione antiquitas comperta? Tempora ſi ignorentur, quæ hiſtoria diligenter notat, cognitio erit omnis neceſſariò ſoliuaga & errabunda, velut in vaſto pelago turbante tempeſtate, rerum tumultu nullo ſeculo diſtinctarum animus noſter iactaretur, eúmque confuſio mergeret, quem diſtinctio temporum & ordo expeditum, tanquam manu ducit, eius ignoratione vetuſta recentibus connecteremus, aut præpoſterè conturbaremus, & retrò ageremus. Nunc temporis notatione, res omnium ætatum perpetua ſerie ad memoriam noſtram deductas, explicatas ſuis ſeculis aſſignamus: quid priſcum, quid antiquum, quid recens intelligimus, imperiorum anteceſſiones & ſucceſſiones memoriter tenemus, omnémque curſum rerum humanarum videmus, & ab orbe terrarum condito narratione ducta, æqualem natalibus mundi hiſtoriam conteximus. Tempora remoue non ſolùm hiſtoria claudicarit, verùm etiam vita cæca fuerit. Eſſe verò hiſtoriam veritatis lucem quis ignorat, qui primam eius eſſe legem ſciat, nihil falſi dicere audere, nihil non audere veri? Itaque non rarò præfari ſolet, ſe nihil offenſæ, nihil gratiæ daturam: atque eo potiſſimum à fabula differt, quòd fabula liberè comminiſcitur & mentitur: hiſtoria fideliter res geſtas refert. vt enim in iudicio religioni, in teſtimonio fidei ſeruiendum: ſic in hiſtoria vni veritati conſulendum eſt. hiſtoricus omnia dicta præſtare debet, & ab eo iurato res exigendæ. Quod ſi nihil verò melius, nihil honeſtius, contra nihil falſo deterius, nihil turpius, quis tandem eſt qui non hiſtoriam, id eſt, veri profeſſionem, maximo ſtudio omnibus colendam eſſe exiſtimet? niſi fortè quis ita pueriliter deſipit, vt fictas fabulas, quàm incorrupta rerum monumenta, libentius legat: quem lucubrationibus anicularum lanam facientium potius oporteat intereſſe, quàm literas diſcere. Me quidem poëtarum pudet, qui dum ineptis lenocinantur auribus, & pueris non viris canere ſe putant, veritatem fabularum figmentis adulterarunt, & ſanctos ſe vates eſſe prædicant, & Deorum inſtinctu concitari, qui mendacium & fucum, quo nihil Dijs immortalibus magis inuiſum eſt, pro vero nobis approbare conantur. video quem iſtius vanitatis piguerit, qui à ludicris illis præſtigijs ad ſeriam hiſtoriam





carmen traduxerit. & tamen vſque adeo falſis capimur, vt poetam eo nomine eſſe negemus, quòd non mentiatur, verùm ei, vt opinor, non eſt tanti iſtius nominis ambitio, quæ contumelia & probro conſtat: mauúltque certus teſtis audire, quàm mendax poëta vocari. Sed quid de poëtis queror, qui minus idcirco nocent, quòd apertè non diſſimulanter id ſaltem faciunt? cùm intelligam plurimos, ſub hiſtoriæ ſpecie, mera commenta & impudentiſſima mendacia memorare. in acta ſe putarunt exituros eſſe, ſi cùm verum ab alijs iam occupatum eſſet, alia graſſarentur via, & nouitate rerum incredibili in admirationem homines raperent. Hinc Cteſias ille Gnidius, cui de rebus Indicis locorum interuallo à nobis diſiunctis, licuit impunè remotis arbitris ex libidine mentiri. Quæ enim illic monſtra, quæ portenta finxit? vt Plinius, qui ea fide aliena veniam præfatus retulit, mendacis nomen hodie à ſe defendere non poſſit, tantum Cteſiæ mendacij ſuperfuit, vt etiam in cæteros redundaret. Quid quod apud Herodotum, vt ait M. Tullius, *patrem hiſtoriæ* eſſe innumerabiles fabulæ feruntur? dum hominibus delicatis oblectamenta potius, quàm documenta quærit: in eorum animos ſubire maluit iucunda ſcribendo, quàm vera narrando inſuauis videri: vt quod ſcriptori acceſſionis loco eſt optandum, vt hiſtoriæ comes ſit voluptas, id vt caput in rebus prodendis ſibi potiſſimum propoſuerit: cuius exemplo cæteri penè Græcorum ſcriptores, dum lectores captant amœnitate, & intemperantius falſis indulgent, perfecerunt, vt meritò videretur exclamare Satyricus poëta, *quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria.* Quod non iſti ſcelus pretio ſuſcepiſſent, qui ſanctiſſimam hiſtoriæ fidem leuiſſima oblectationis mercedula violarunt? illis quicquam ſacrum, quicquam religioſum fuiſſet, quos penè gratuitò ſceleratiſſimè peccare iuuit? annon obſecro conceptis verbis peieraſſent, & in iudicio teſtes ſuum iusiurandum alienæ deprecationi, aut quæſtui ſuo condonaſſent, qui penè Deorum aras tangentes, in ipſo veritatis & fidei ſacrario, id eſt, in hiſtoria, vltro libentérque peierarunt? Dij immortales quàm latè falſa regnant, quæ etiam auita poſſeſſione nullo interdicto verum expulerunt. Quid? poſthac quis in hiſtoria credat, ſi eam ſuæ ditioni mendacium adiecit? vbi veritas conſiſtet, cùm eius locum fabulæ occuparint? Atque vtinam iſta conqueſtio duntaxat intra Græcos rerum ſcriptores ſtaret, neque vitium ad nos manaſſet! nunc video rem eò deductam, vt hiſtoriarum commentarios vernaculo ſermone confectos falſum cum vero non diuiſerit, ſed penitus ſibi vindicarit: vt equidem noſtros ſcriptores exiſtimem inter ſe certamen inſtituiſſe, ea lege, eóque omine, vt qui plurimum mentiretur, palmarium feciſſe pronunciaretur. Quam enim non ſuperant Ouidij metamorphoſin improborum commentorum admirabilitate? quid eſt apud poëtam vllum tam memoratu incredibile, quod non iſti veri ſuperlatione ſtupenda credibile propè reddiderint? Itaque timendum eſt, ne quis in nos contumelioſè illudens, illud Satyricum deflectens iaciat, *quicquid Gallia mendax Audet in hiſtoria.* ſupino & languido diffluentibus otio, & malè tempus fallere quærentibus, inertiæ fomenta iſti belli ſcriptores compararunt: quæ non eo tantum obſunt, quòd à bonis artibus auocant, nec vlla monita, vel exempla priuatim, aut publicè profutura, qui fructus eſt hiſtoriæ, ſuppeditant: verùm etiam quòd teneros & lubricos adoleſcentum animos in vitia & flagitia impellunt. Ecce tibi alius integritatem hiſtoriæ contaminat, vel metu, vel adulatione, vel odio, vel partium ſtudio. qui incorruptam ſinceramq; veritatem ſecuti ſint, pauci fuerunt, quibus hiſtoria debet quod ſuperſtes eſt, quod in cæteris fuit ſepulta iacet. quod vtinam qui iſtam rerum geſtarum memoriam vitiarunt, ſui ſceleris meritas pœnas dediſſent, aut ſaltem iuſto omnium odio laboraſſent, nec à principibus, quibus adulabantur, mendaciorū præmia ſperaſſent, rerum profectò monumenta minus hodie ſuſpecta eſſent. Hic egregium & generoſum Alexandri Magni animum, & aduerſus omnem aſſentationem munitiſſimum pectus ſilentio non prætermittam. res eius Ariſtobulus expeditionum comes ſupra verum in hiſtoria extulerat, eiuſque cum Poro ſingulare certamen, etiam ſupra fidem, fortè nauiganti in Hydaſpe & otioſo locum eum legit, quem omnium gratiſſimum fore ſperaret, ingenti ex virtutis laude: ſed Alexander cùm ea non agnoſceret, quæ improbus ille affinxerat, iram non tenuit adulationis impatiens, librúmque abreptum in flumen abiecit, & Ariſtobulum vnà quoque, quodam parricidarum ſupplicio, in profluentem mitti oportere clamauit, ſi quis quod meritus erat irrogaret. Cedo mihi principes iſto animo: cedo liberos homines veri amantes, non temere qui fabuletur in hiſtoria reperietur. à nobis enim potius, quàm ab illis corrupta eſt, quòd emereri delectando noſtros animos à ſerijs refugientes coacti ſunt. Iam verò illud quale tandem præconium eſt, hiſtoriam memoriæ vitam eſſe? Ea enim vna res omnium ætatum & temporum fiduciæ ſuæ commiſſas, ab obliuione mortéque vindicat, & quemadmodum poetæ ſcribunt, fraude nouercæ equis turbatis diſtractum Hippolytum, Æſculapij herbis potentibus rediuiuum eſſe ſuſcitatum, ita

quoq; hiſtoria quos ſuis literis dignos cenſet, eos vita recepta fatis eripit, eorũ memoriam inueterare cogit, eos cum æternitate exæquat. quas laureas, quos arcus, quos triumphos, quas ſtatuas, quæ monumenta cum ea comparem? quæ cùm facilè omnia deleat dies, diuturnam noſtri memoriam propagare non poſſunt, quam hiſtoria immortalitati ſola conſecrat. Itaq; ſi eius chartæ ſileant, *quod quis benefecerit*, vt ait Flaccus, *mercedem non tulerit*. Quid foret Iliæ Mauortíſq; puer, ſi hiſtoriæ taciturnitas obſtaret meritis inuida Romuli? dignum laude virum hiſtoria vetat mori, hiſtoria cœlo beat. Tu illos exiſtimabis mortuos, qui hodie quoq; apud ſcriptores, conſilia Reip. ſalutaria explicant, bella gerunt, caſtra metantur, in hoſtem ducunt, prælium conſerunt, imperiũ dilatant, equis inuehentes triumphalibus vrbem ineunt. Ego ne eos quidem, qui in acie cæſi honeſta morte nobilitantur, qui multa ſui parte Libitinam vitarunt, & vsq; poſtera laude recentes creſcunt? imperijs & rebuſpub. tanto ante euerſis, vrbibus ita deletis, vt ne veſtigium quidem vllum hodie reliquũ ſit, ſtantibus & florentibus, eius beneficio, ciues videmur intereſſe, & ab æuo condito omnia quaſi præſentia & ſpirantia oculis vſurpamus. per hiſtoriam non ſolũ, vt ait Flaccus, *ſpiritus & vita* redit bonis poſt mortem ducibus, verùm etiam imperijs, rebuspub. vrbibus, rebus omnibus inanimis & multis vita, qua caruerunt, donatur. quos ad virtutem ſtimulos excitat viris fortibus, memor poſteritas, ſcriptoribus præclara facta celebrantibus? ſcilicet pro patria ſe Decij deuouiſſent, & in fulgentes hoſtiũ gladios irruiſſent, ſi tacitam fore ſplendidæ mortis gloriam ſperaſſent: tum pro laude mortem paciſcebantur, & illuſtri letho immortalitatem redimebant. Equidem beatos exiſtimo, quibus contigit, vt cùm laudanda fecerint, in ora hominũ hiſtoria teſte veniant: miſeros quorum egregia facinora, idem qui vitam dies conſumpſit. Quos enim obliuio velut inglorios & ignobiles obruit, eorum, vt ſcribit Flaccus, *celata virtus* à ſepulta inertia paulùm diſtat. Sed in rerum cognitione illud præcipuè, vt Liuius ait, *ſalubre ac frugiferum eſt, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi tuæq́; reipub. quod imitere capias, vnde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* nam qui eo animo & iudicio memoriam veterem annalium replicat, is re & factis vitæ magiſtram hiſtoriam ſtatim agnoſcit. nam cùm ea vitam tractet, in qua verſamur, quicquid in vtràmque partem nobis euenturũ eſt, in alijs ante cognoſcimus, & ex aliorum euentis in futurum ſapimus. Scitum eſt illud Comici, *ex alijs periculũ facere quod nobis ex vſu ſiet*: at quantam nobis exemplorum copiam ſcriptores ſuppeditant, vnde in reipſa periculum facere poſſimus? hominum prudentia experimentis regitur, quæ ſibi periculoſè ipſa facit, aliunde tutò ſumit, vt quod anceps eſſet tentatura, exploratũ in alijs ſequatur. Quod igitur ſibi philoſophia arrogat, quæ ſe vitæ ducem, morum & diſciplinæ magiſtram profitetur, id cum hiſtoria partiri cogitur: atq; haud ſcio an huius pars virilis maior ſit, quo plus exempla, quàm præcepta valent. Quæ enim ſcholæ, quæ diſputationes, niſi ad rem vitámque conferantur, niſi clarorum virorum factis comprobentur, non reprehendi ſolent? quoties philoſophi à vita vſitatíſq; officijs recedunt, dici non poteſt quàm ridiculi ſunt: vt quod commodè præcipiunt, propemodum omne hiſtoriæ acceptum ferre debeant. an tu iſtam vitæ mediocrem doctrinam eſſe cenſes, cùm clariſſimorum virorũ mores, res geſtæ, ſtudia, caſus explicantur? cùm quibus artibus domi, & militiæ partum & auctum imperiũ ſit, memoratur? cùm labente vetere diſciplina, luxu & deſidia immigrante, retrò referuntur? poſtremò perditis & profligatis moribus corruunt? ſi adhæc acrem mentis aciem intenderemus, ſi hiſtoriæ nos in diſciplinam traderemus, quæ nunc variè temeritas caſuſq; verſat, conſtantius & æquabilius ſeſe haberent. nam nunc quidem caſu viuimus, ſtultitia fortunæ aleam adiuuamus, quam ex incerta incertiorem reddimus. eius autẽ aditus omnes intercluderemus, ne ad nos vnquam aſpirare poſſet, ſi ex aliorum factis ſapere malemus, quàm noſtris incommodis peſſimè mulctari. Alexander Seuerus imperator Rom. quo imperante beatam ſe Roma credidit, in omni belli deliberatione, hiſtoricos peruolutari & conſuli imperauit. non quemadmodum gladiator in arena conſilium capit, ita in re præſenti ſubitò & tanquam in procinctu, deliberandũ ſibi duxit, ne in ſuæ quidem ætatis prudentia acquieuit, cum priſcis ducibus Scipione, Annibale, Alexandro caput contulit, atq; eorum ſententia potiſſimũ ſtetit. hic profectò vel ſolus vidit, qui ſit hiſtoriæ fructus, vel ea ſolus eſt vſus, qui veterũ facta conſilia intellexit eſſe, ea ſecutus eſt. Iſtam verò nunciam vetuſtatis, & rerum priſcarũ interpretem, quo ſtudio excipiendam putatis? cui potius occurremus? cui, vt dicitur, euangelia potius deferemus? antiquitatis enim cognitione nihil eſt iucundius, nihil homine libero dignius. qui nihil ante ſuam ætatem nouit, in belluam degenerauit, quod præſens eſt, tantũ videt, atque is ſuperioris memoriæ prorſus ignarus, ridiculè idem fuiſſe mundo lucis & ſibi vitæ rudimentum cenſet: contra anteacti temporis ſpatiũ omne reſpicere, & vltima rerum ſecula recordari, ad æui mundiq; ortum vſque progredi, tantam rerum infinitatem & temporũ immenſitatem mente complecti, & tanquam in conſpectu poſitam oculis luſtrare, id eſt, ſupra bel-

luam



luam ſapere, & ſuauiſſima voluptate perfrui. miſeri profectò ſumus, ſi cùm ignoratione futuri Deus nos damnauerit, præterita ſaltem nobis non aſſerimus, quæ in poteſtate habemus: cùm præſertim ex præteriti recordatione, in poſterum quodammodo prouideamus, & quid euenturum ſit, penè præſagiamus. Quod ſi in hac quotidiana vita, dies poſterior diſcipulus eſt prioris, & ſemper poſtridie nobis ſapientiores videmur, immenſi illius temporis cõmemoratio, exemplo nobis tandem & diſciplinæ non erit? Nemo ferè eſt qui non arbitretur veteres in rebus gerendis plurimum vidiſſe, in officijs colendis caſtiſſimos, integerrimos fuiſſe, en ſcriptorum miſſu ad nos cum mandatis tabellaria venit hiſtoria, quæ omnes antiquorum artes togæ & armorum nunciat, licet non cognoſcas tantum, ſed vtaris, cùm vſui potius ſcripta ſint, quàm cognitioni. Si quis Deorum afflatu aut Apollinis oraculo, quid ad ſexcentos annos futurum eſſet, quis tum eſſet rerum potiturus prænoſceret, is ſe humanam ſortem ſupergreſſum, propè Deum putaret: qui autem nunciante hiſtoria & tanquam afflante, ex præteritis rerum vices videt, ex anteceſſionibus conſecutiones cernit, imperiorum ortus, amplificationes, ſtatus, inclinationes non ignorat, vt rempub. conſtituere queat, & ita inſtitutis & moribus temperare, vt ei benè polliceri augurarique poſſit: is obſecro qui iſtud ſolertia conſequetur, quantulum ab illo diſtabit? Quod ſi eorum qui plurimum terrarum peragrarunt, qui plurimum maris emenſi ſunt, nobis admirationi ſolent eſſe ſermones, & præſtantiſſimo heroi ad prudentiam magnoperè contulit, mores hominum plurimorum & vrbes nouiſſe, certam iſtam nunciam ab orbis terrarum peregrinatione nobiſcum colloquentem, & ab æui primordio res omnes compertas & perluſtratas nobis afferentem, euentus omnes prudentiæ & temeritatis memorantem, non & prudentem & admirabilem exiſtimabimus? Quid quod dum iſta nunciat, ſecum quoque nos circumducit, vt & longinquas oras obire nos putemus, & cum antiquis viuere? ita loci & ætatis noſtræ anguſtias laxamus, qui nos & regiones omnes ſpectaſſe, & non nunc ſolùm viuere, ſed olim quoque vixiſſe credimus. Sed operæpretium hi quoque qualem eum eſſe oporteat, qui hiſtoriam ſcribere parat, quódque ſit eius officium, paucis docere. eum igitur eſſe oportet rerumpublicarum non rudem, vt in negotiorum publicorum adminiſtratione verſari, ſi qua prouincia detur, prudenter & ſtrenuè poſſit, ingenioſum adhæc & ſagacem, qui acutè omnia videat, quem nihil fallat, rei militaris non ignarum, qui caſtra, qui aciem, ipſúmque pugnæ diſcrimen viderit, qui armorum omnia genera, & machinarum, qui vineas, pluteos, teſtudines, omnes formas inſtruendæ aciei nouerit, qui quid frons, quid cornua ſciat, haſtatorum, principum, triariorum ordines, & centurias memoriter teneat. nam qui nunquam è ſchola erepſit, qui in ſua repub. eſt hoſpes, qui ſtrictum gladium nunquam vidit, ſi ad hiſtoriam ſe accingat, planè vaticinari & inſanire videatur, quæ animo non concipit mandare quiſquam literis audebit? & qui ſe domi ſemper continuit, ſtylo foras excurret? etiam auditionibus credere in hiſtoria tutum non eſt, arbitrum flagitat oculum. verumtamen eum inprimis eſſe velim animo ingenuum & liberum, intrepidum & incorruptum, amatorem veri, oſorem falſi: cuius fidem neque potentiorum gratia, regum poteſtas ſollicitet: quíque quod de Deo ab Epicureis impiè, de hiſtorico verè dici poteſt, neque promeritis capiatur, neque tangatur ira: quis ſi vt Cteſias Gnidius Artaxerxis medicus regem metuet, aut candyn purpureum, torquem aureum, equum Niſeum mercedem aſſentationis ſperabit, fidem præſtare non poterit, vero renunciabit, cui vni in hiſtoria, vt Lucianus ait, litandum eſt. Itaque non adulatorem populum ætatis ſuæ tantum cogitare, ſed poſteritatem incorruptè iudicaturam multo magis ſpectare debet. *Vtinam*, inquit Alexander Oneſicrati, *mihi mortuo vel ad punctum temporis, in vitam redire liceret, vt intelligerem quo pacto iſta de me homines accepturi eſſent*. nam ſi nunc laudant, ſi ſuſpiciunt, non mirum: exigua enim hac tanquam eſca noſtram beneuolentiam allecturos ſe arbitrantur. rerum igitur ſuarum iudicium non penes ætatem ſuam, ſed penes poſteritatem eſſe voluit, cuius approbationi ſi hiſtoricus ſtudeat, odij, ſimultatis, beneuolentiæ, gratiæ cauſas procul habebit, & perpetuam potius, vt Thucydides ſcribit, poſſeſſionem relinquet, quàm ludicram in præſens commiſſionem. genus orationis afferat verbis non putidum, non affectatum, ſed elegans & nitidum, compoſitione non in comprehenſiones numeroſas illigatum, ſed non ſolùm lenitate æquabili ſæpe profluens, & tractu molli fuſum, verùm etiam interdum leniter confragoſum. ſententijs creber ſit & denſus, dictione dilucidus & diſertus, qua rem ſubiectam planè ſignificet, fucatarum medicamenta figurarũ ne illinat orationi, malitq; inornatam eſſe & horridam, quàm, vt Comicus loquitur, *nimbatam & calamiſtris inuſtam*. Poeticam qnandam interdũ dignitatem & amplitudinem, non vocabulis, ſed ſenſibus, imitetur: vt cum claſſicũ canet, & terra aut mari prælium committet. nam tum paſſa vela ventis ferentibus permittenda ſunt, qui nauim ſublimen & ſumas

modò

modò ſtringentem vndas peruehant, ordinem temporũ ſequatur, regiones deſcribat, conſilia, acta, euentus explicet, egregiorum virorum & fama excellentium vitam atque naturam memoret, concionibus rei de qua agetur & perſonæ quam loquentem faciet conuenientibus orationem aptam attribuat: quo tamen loco facultatem dicendi paulo liberius oſtentare ſcriptori conceditur: laudes & vituperationes parcè inſerat, idque prudenter faciat, & abſq; malignitatis ſuſpicione aut aſſentationis, fabulam ſi qua inciderit leuiter narret, non eam confirmet, ſed cuiuſque coniecturæ relinquat. His omnibus virtutibus Thucydides quem explicabimus cumulatiſſimus fuit. nam & in adminiſtranda rep. eius induſtria probata eſt, & bello Peloponneſiaco, quod literis mandauit, rebus gerendis non ſolùm interfuit, verùm etiam profuit. qui quidem vni veritati paruit, vni morem geſſit, hiſtoriæque princeps legem dixit veracem ſemper eſſe: ſuperiores fabuloſa pleraque ſcripſerant. nihil autem operæ pepercit aut pecuniæ, vt belli illius explorata haberet omnia. nam in Atticis & Laonicis caſtris. non enim ſuis tantùm credendum putauit, ſed etiam hoſtibus, pecunia auctoratos habuit, qui certa omnia referrent. tanta autem animi moderatione & æquitate fuit, vt cum Athenienſes à quibus exilio teſtulæ pulſus fuerat, Peloponnenſes Attici nominis hoſtes patriæ cauſa deberet odiſſe & ſua, hoſtium immemor & iniuriarum, ſincerè fideliterque, ſine vlla ſignificatione doloris omnia perſcripſerit. neque enim inter affectum ſuſpenſus & verum diuerſè diſtrahitur, neque alternus, anceps, dubius deprimitur, ſed in verum ſemper totus propendet. ecquis alius occaſione data non ſuo modo & infeſtos hoſtes vltus eſſet, & ingratam ciuitatem notaſſet? Herodotus à Corinthijs non ſatis honoratus gratiam retulit. eos enim ex pugna Salaminia turpiter fugiſſe, ad infamiam ſempiternam prodidit. Thucydides contra, animũ quanuis exulceratum, tamen ſemper in officio habuit, neque vnquam in falſam contumeliam erupit. neque verò cuiuſquam opes à propoſito flexerunt, quominus audacter Cleonem Attici ſuggeſti poſſeſſorem profligatum & furioſum mortalem vocaret, & Athenienſium in Sicilia cladem ad ſpectaculum oculis lectorum ſubijceret. Demoſthenis cum omnibus copijs circumuenti captique grauem offenſionem, Niciæ fœdam deditionem & mortem propè oſtentaret. huiuſmodi patriæ calamitates & exercituum ſtrages alius minuiſſet, ſucceſſus amplificaſſet, & ſi non in prælio, in hiſtoria fortiter feciſſet, etiam aliorum victoriam ſuis adiudicaſſet. verùm Thucydides perinde ac ſi quod in execrationibus tragicis numeratur, ſine ſede, ſine lare, ſine patria eſſet, quaſi neque ciuem haberet, neque hoſtem, omnia bona fide ſincerèque narrauit, eloquentiam porro tantam ad hiſtorię ſcriptionem attulit, vt & eius libros ſæpe Demoſthenes deſcripſerit, & ad imitationem ſui plurimos oratores concitarit. Nam cùm Attica eloquentia facilè primas ferret ex Atticis oratoribus, vt M. Tullius ſcribit, plurimi ſe Thucydidios vocabant. Quorum igitur iudicio in diuerſo genere alijs antecellit, is in ſuo ſine controuerſia cæteris non præſtabit? hiſtoriæ autem maiorem ſonum addidit & ſpiritum, vt grandius loqueretur & audacius: & cùm bella referret, bellicum propè caneret. Aliorum enim deducta & tenuis ſcriptura eſt, exanguis & exanimata. oratio huius grauis & elata, & vegeto quodam vigore ſubnixa: denique toto opere vehemens eſt, acer, acutus, capitalis, rerum frequentia creber, vt verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur. Iam eius conciones cuiuſuis oratoris facultatem prouocare poſſunt, ita in omni genere dicendi laudéq; eminet, quod ornamentum primus hiſtoriæ adiecit, cùm apud Herodotum obliquæ tantum allocutiones, non conciones reperiantur. Grauem iſtum rerum geſtarum pronunciatorem, & ſi ingenio doctrináque non tantum valemus, vt virtutes eius omnes videre poſſimus, pro virili tamen interpretari conabimur: in quo ſi vobis induſtria noſtra minus ſatisfaciet, cogitare debebitis, humanum eſſe non ſolùm in magnis & arduis, qualia ſunt iſta, ſed etiam in leuibus & paruis, qualia plurima, nonnunquam errorem vitare non poſſe.





# ADRIANI TVRNEBI PRAEFATIO IN DIONYSIVM ALEXANDRINUM.

NIHIL ferè eſt humanis animis moleſtius & odioſius, quàm vno perpetuò loco hærere, & quodam tanquam carcere ſeptos contineri. ac vnam eandemque pertæſi ſedem, ſi ea corpus ignauia & deſidia ſit, vt laborem peregrinandi non ferat: tamen ſua ſponte extra corpus euagantur, & excurrunt, omnéſque non ſolùm terræ tractus, verùm etiam cœli oras & regiones pererrant. Illa autem imagine ſpectaculi quàm delectamur, cùm repente in Indos vſque animo euehimur, vel euolamus, & ea ſubijcimus nobis informatione animi & cogitatione, quæ nunquã ſpectabimus, & tamen tanquam in rem præſentem perducti videre videmur, eodem temporis & loci veſtigio, eodem animi coniectu, & vagum profugúmque Scytham, & atrum merſúmque ſpecu Æthiopem conſpicimus, & Seras molli linteo effœminatos, & Germanos breui rhenonum & ſagorum tegumento ſeminudos cernimus. Si quis igitur, quà veſter animus peregrinari expetit, vobis dux viæ ſit, ecquid, vt inquit ille, erit præmij? ſi quis non per effictam vano animi ludibrio imaginem vos circumducat, ſed ingentis illius inſulæ, quam incolitis, maria, ſinus, ambitus, portus, vrbes, regiones, non ſolùm radio depingat, ſed etiam ſplendido carmine perpoliat, an non is & iucundiſſima peregrinatione delectet, & potius epulis ſuauiſſimis animum veſtrum paſcat? Dionyſius Afer Alexandrinus luculento poëmate orbem terrarũ Oceanúmque complexus perſtrinxit, & ex illa infinita amplitudine & vaſtitate in anguſtum contraxit, eáque fide & diligentia omnia deſcribit, vt qui eius librum didicerit, non magis in toto orbe terrarum, quàm in ſua vrbe errare poſſit: is ſe vobis itineris ducem libenter præbebit, modò eum comites ſequi velitis æquis paſſibus, quanquam paſſibus nihil opus eſt, ſed attentione & ſtudio dum rem explicat. Studium autem & attentionem quidni præſtetis? Si enim ex eorum ore pendere ſolemus, qui vnam aliquam paulo longinquiorem prouinciam peragrauère, quanto ſtudioſius auere debetis eum audire, qui vniuerſum orbem terrarum nobis enarret? atq; narratores illos, qui paulum peregrinati ſunt, quàm mendaces, quàm vanos experimur? vt propemodum ea de cauſa à patria abfuiſſe videantur, vt impune remota hominum conſcientia mentiantur. Dionyſio autem imprimis conſtat fides, mauultque malus poëta, quàm falſus auctor haberi. Itaque ſi poëtarum proprium eſt fabulas ſerere, ex ea parte ſpectari æſtimarique non vult, vt ſi talis poëſis ſit, vt verum eloqui non poſſit, eam potius eiuraturus ſit, quàm à vero receſſurus. Ac medius fidius vellem cæteri poëtæ veri amantiores fuiſſent, nec tam voluptati aurium indulſiſſent, ſed vtilitati hominum potius conſuluiſſent. certè maior & vberior fructus ex poëſi caperetur. nunc illa illecebrarum inuitamenta blandiſſimi carminis, quibus veri aſperitas leniri debuit, ab eis tota ad falſi commendationem ſunt traducta: vt à quo vel pœna deterreri deberemus, ad id etiam voluptate iucundiſſimi carminis trahamur. Plato philoſophorum grauiſſimus iuuentutem Reipub. ſuæ Dionyſio poëtæ minimè fabuloſo erudiendam tradidiſſet: ad idem Homerum, vt iuuentutis corruptorem, vnguento delibutum, infulíſque redimitum, vrbe ſua expellit, cum eo ſe etiam mendacium exterminare credens: ita vbi locus non eſſet Homero, Dionyſio præmia conſtituerentur: & cùm Homerum incolam ferre Plato non poſſet, libentiſſimè Dionyſium ciuem adſcriberet. Etenim qui nihil vnquam antiquius vero duxiſſet, nihil vnquam peius falſo & incognito odiſſet, almæ telluris tanquam parentis ſitum à ciuibus ſuis neſciri non probaſſet, ſed magni feciſſet eos edoceri. nam etſi cuiuſdam definiti loci municipes ſunt: tamen ſcientia complexos eſſe vellet reliqui orbis cognitionem: nec profectò eos ceu Gyari ſcopulis clauſos, & nunquam inde egreſſos, malè animo amplitudinem orbis terrarum metiri cuperet: nec ab eis, illis anguſtijs magnitudinem continentis includi vellet, quibus arctarentur: præſertim cùm præceptorem ſuum Socratem ſæpe audiſſet, cùm diceret mundanum eſſe ſe, quæ vox hoc valebat ſe vt non crederet vnius priuatim loci inquilinum, ſed vt totius orbis ciuem ſeſe ferret, terrámque vniuerſam domicilium ſuum exiſtimaret. Ac qui terræ cognitionem negligit, nefaria & impia fraude ſe propemodum obligat, qui parentem nec agnoſcat & contemnat: præſertim cùm tam facilis ſit, tam prompta, tam obuia eius notitia, vt ex poematis amœniſſimi lectione, ſine labore, ſine periculo, ſine ſumptu, exiguo tempore, tota percipi comprehendíque poſſit. non te in longinquam profectionem dimitto, vt terras alio calentes ſole petas, interimque non de viatico tantum, ſed etiam de capite & vita,

dimices, ſpolium latronis & crimen futurus: non poſtulo vt perfidum mare naui ſollicites ac ludibrium procellis debeas, per me licet domi quieſcas, modò elegantem libellum, magno tuo commodo, euoluas: qui ſpeciem terræ ſitúmque, qui Oceani æquora amplexu terras cingentis tibi coràm repræſentabit: quem quidem libellum ſi memoria tenueris, facilimè omnes eos ſuperabis, qui totam ætatem, vt Salluſtius ait, peregrinantes egêre. Quantulum enim eſt quod vident, qui ad vtrumque cardinem mundum emenſi ſunt? eius certè terræ quam incolimus lineã vident: cum ab vltima Hiſpania, exilijs potius quàm peregrinationibus, In Indiam vſque proficiſcuntur: quicquid locorum dextra læuáque extra iactum lapidis iacet ignorantes. At te qui orbis deſcriptionem diligenter perdidiceris, nullus ferè memorabilior locus, nulla regio, nulla ora latuerit? & eum vltro qui ſe ſemper exercuerit & fatigauerit prouincijs luſtrandis & viſendis, & earum alitum more, quæ regiones quotannis mutant è diſtantiſſimis mundi plagis, nusquam conſtiterit, ſed ſemper oberrarit, ipſe docebis: & qui domo nunquam pedem extuleris, velut Virgilianus ille Iupiter, de cœlo aut aliqua ſublimi ſpecula, veliuolum mare terráſque iacentes deſpexiſſe videberis. Nam diſſimulat in hoc poemate Dyoniſius, ſe neque peregrinatum eſſe, neque nauigaſſe: nullus tamen vel totius orbis erro vel nauta, exploratius & certius de ſitu terræ narrauerit. nec ſanè vobis auctor ſim, vt regiones ſine cauſa ſubinde alias atque alias mutetis, pedibuſque calcetis: cùm ſi me auctorem auditis, vobis ſuaſurus ſim, vt domi in patria, præſertim benè morata & conſtituta, acquieſcatis: quòd in externum ritum alienigenámque diſciplinam & mores, degenerare ferè ſoleant iſti, qui vbique ſunt hoſpites, nuſquam ciues. Quid quod callidi, aſtuti, veteratores, perfidi plerunque & quod omnium maximum eſt, impij redduntur? vbi enim diſpares cultus & ritus animaduertêre, cerimonias & religiones noſtræ diſſimiles eſſe viderunt, pietatem hominum inſtitutis & conditione, non oraculis Dei & veritate, nixam conſtitutámqua arbitrantur. Itaque Plato longè hanc labem prouidens, cauit ne ciues ſui à patria vnquam peregrinarentur, niſi publicè, niſi iuſtiſſimis & grauiſſimis de cauſis, idq; commeatu à magiſtratibus impetrato, ad conſtitutum breueque tempus: & ciuitates benè moratæ peregrinos expulêre diſciplinæ patriæ timentes, vt Lacedemonij, & Romani lege Papia. Quod ſi exteros eſſe cauendos credidêre, & redigendos in ſuas ciuitates, qui tamen non tam ſuos mores inferũt, quàm alienos accipiunt, quanto magis cauendum eſt, ne noſtri ciues licenter & impunè quocunq; terrarum temerè euagentur, vt ſi quid vſquam mali latet, ad cuius mercatum propenſum hominum ingenium eſt, eius commercium in patriam reportent? Ælianus ſcriptor nobiliſſimus nunquam è patria pedem extulit, & eo nomine Romanis chariſſimus fuit, quod tanti patriam ſuam faceret, vt neque prouinciæ vllius amœnitate, neque vllius vrbis pulchritudine, allici potuerit, vt eam relinqueret, quam omnibus eſſe præponendam meritiſſimò iudicabat, & qui luſtrationibus iſtis prouinciarum & peragrationibus capiuntur, niſi id vt animum literis excolant faciunt, & in aliquo doctrinæ & pietatis domicilio conſiſtunt, & ad earum tanquam mercatum proficiſcuntur, de patria ſua malè merentur: cui pro bono cive quem eduxerant, plerunque malum poſtliminio reddunt. Moſes ſuis ciuibus omni conſuetudine exterorum, & propè peregrinatione interdixit, pietati & religioni metuens. hodie certè qui in orientem nauigant, inficiuntur plerunque opinionum prauitate, qua ciues imbui nefas eſt. Nam & ſtupidi illi Schytæ Anacharſin interfecerunt, quòd peregrinitatem quendam è Græcia ad ſuos retuliſſet. At quanto melius eſt, depictas in abaco aut albo prouincias oculis ſequi & obire? quanto ſatius per egregios orbis deſcriptores errare, atque peregrinari? quanto commodius & innocentius ex his & philoſophis, mores & inſtituta populorum, gentium & rerumpub. cognoſcere, & ſi quid vſpiam præclarum, decerpere, ſi quid improbum, damnare? Nam multo aliter mala accipimus quæ legimus, atque quæ videmus. quæ enim recepta cernimus, etſi vitioſa ſunt, tamen quia in populorum mores abiêre neſcio quo modo penè amplectimur, vitiúmque dociles paulatim haurimus: quæ legimus improba aut dira, non ita in animum illabuntur & influunt, vt ſequi velimus, ſed aſpernamur & odimus. Legimus Scythas olim ſolitos eſſe viſceribus humanis veſci, eam feritatem & immanitatem auerſamur & abominamur, & ex lectione infandarum dapum maius odium concipimus. Si quis tamen inter Scythas conſtitutus aut Cyclopes, nefandam illam barbariam quotidie videret, quod publicè paſſimque illic fieri cerneret, ipſa conſuetudine & ſpectaculo ſenſim approbaret, & illi crudelitati paulatim ſuffragaretur, & humanitatem exueret, in ritusq; penè Cyclopum concederet. Nulla igitur vobis ſuſcipienda peregrinatio eſt, ſine iuſtiſſima cauſa. ſed eorum auctorum, qui orbis terrarum deſcriptionem literis mandauerunt, potius eſt lectio expetenda. Primus autem, vt de eius rei origine & progreſſu diſſeramus, aliquid circa terræ deſcriptionem mouiſſe Homerus videtur, in exercituum recenſione, Græciæ & Aſiæ regiones & vrbes





carmine diligenter perſecutus. Poſt eum Anaximander Mileſius tabulas delineauit, primus, vt reor, omnium. Secutus Hecateus Mileſius Europæ & Aſiæ περιήγησιν, id eſt, expoſitionem & deſcriptionem edidit. Eius artis officiũ mox Herodotus & Thucydides occupauerunt & regionum deſcriptiones & locorum ſuis monumentis intexuerunt, partemque hiſtoriæ reddiderunt. Poſtea Eudoxus, Eratoſthenes, Poſidonius, & Hipparchus, cum cœli rationibus hanc artem coniunxerunt, & quæ cuique cœli inclinationi terræ plaga ſubiecta eſſet, explicarunt. Poſtremò Strabo, Marinus, Plinius, Ptolemæus, huic arti plurimum contulêre, & propè abſoluerunt. Ne patrum quidem noſtrorum ætas laude caritura eſt, quæ nouum orbem priſcis incognitum & incompertum, auſpicijs regum Hiſpaniæ, magna ſua gloria aperuit. Vt enim olim Alexandri victoriæ, & poſtea Romanorum arma orbem terrarum patefecêre: ita patrum noſtrorum memoria, felici curſu, magna pars orbis terræ reſerata & illuſtrata eſt, colonijsque multis frequentata. non tamen eius terræ in totum cognitione, vt quidam exiſtimant, fraudanda antiquitas: ſi modò quod ab Ariſtotele relatum eſt in admirandis auditionibus eſt verum: tantum autem philoſophum mendacij inſimulare eſt nefas. eius verba vobis latinè explicata proferam, *In mari*, inquit, *extra Herculis columnas, narrant à Carthaginenſibus inſulam deſertam inuentam fuiſſe, omni generis ſilua nemoroſam, fluminibus nauigabilibus irriguam, reliquis fructibus copioſam & vberem, multorum dierum nauigatione diſtantem, in quam Carthaginenſibus crebrò multis commeantibus, multis etiam ſedes domiciliúmq; collocantibus, edictum eſſe factum à primoribus vrbis, ſi quis illuc poſtea nauigaret, capitale fore: quòd & excuſſo tandem dominatu, rebellionem illic populi vererentur, & metuerent ne Carthaginis opes collaberentur, loci illius conualeſcerent.* Hic multi ab Ariſtotele, quod affirmare non auſim, Americam nobis adumbrari cenſent: quam tanto poſt Hiſpania, patrum noſtrorum ætate, iterum aperuit, cùm eò antè Carthaginenſium claſſis ſæpè applicaſſet. Naues illas Hirami & Solomonis, quæ curſum tenebant, vt libro 3. Regum ſcribitur, in terram Tarſis, tertióque anno vix in Iudæam & Phœnicem redibant, magnam vim auri, argenti, eboris, gemmarum afferentes, quidam hodie terram Americam petijſſe exiſtimant: ſed probabilius eſt Indiam. Iam aurum Ophir quod Hirami naues attulerunt Solomoni, ex America etiam fuiſſe ſuſpicantur. veteres de India accipi volunt, alij de Zapula inſula, quod veriſimilius eſt. Nec dubito quin multum terræ ſuperſit, quod poſteritati oſtendatur, nobis hodie abſcondatur: cùm Ariſtoteles ſcribat, noſtræ huic vaſtæ inſulæ, quam incolimus, plurimas alias eſſe, quæ è regione reſpondeant, partim minores, partim maiores, magnis à noſtro orbe interuallis diſiunctas, omnes adhuc ignotas. Sed vt Americam non cognouerint, tamen neſcio quid de ea orbis parte etiam veteres ſcriptores ſuſpicati videntur, vt ex eorum ſcriptis oſtendam, quorum verba adhibebo, eorúmque coniectura homines impulit ſuperioris ætatis, ad illa loca inueſtiganda. Nam Cicero prima Tuſculana ſcribit, *globum terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi vniuerſi loco, duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum, quarum altera, quam nos incolimus, ſub axe poſita ad ſeptem ſtellas, vnde horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur niues: altera Auſtralis ignota nobis, quam vocant Græci ἀντάξονα.* Illa antaxon terra planè eſt America à noſtro orbe vaſtiſſimo dirempta Oceano, & ſub contrario axe poſita & cardine. Pomponius Mela, huius medio terra ſublimis cingitur vndique mari: eodémque in duo latera, quæ hemiſphæria nominantur, ab oriente diuiſa ad occaſum, zonis quinque diſtinguitur. mediam æſtus infeſtat, frigus vltimas, reliquæ habitabiles paria agunt anni tempora, verùm non pariter, Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius ſitus ob ardorem intercedentis plagæ incognitus, huius dicendus eſt. ita plaga, quam habitamus, ſemiglobus eſt, cui longè ex aduerſo reſpondet alter ſemiglobus, quam ἀντάξονα terram Cicero vocauit, quod ſub axe contraria ſita ſit, Mela terram Antichthonum appellauit, quòd plagam noſtræ aduerſam cultores illius habitent. Illic etiam antæcos & antichnos poſitos eſſe credidêre, ſed id tamen quod ſcripſere, vti dixi, coniectura potius & ſuſpicione augurari ſunt, quàm ſcientia & rerum fide cognouerant. atque hac mihi ratione adducti potiſſimum videntur, vt quam nos Americam dicimus, ipſi Antaxona & Antichtona terram appellant, eſſe crederent. quam regionem incolimus, eam totam ad ſeptentriones pertinere, & æquinoctiali citeriorem eſſe cenſebant. reliquum igitur orbis dimidium vacare totum pro ſubſeciuo, nullámque terram habere, minimè conſentaneum eis eſſe videbatur. Itaque globum terræ in duo latera, ſic Mela hemiſphæria appellat, diuiſerunt, Oceano diſcluſa. Qua ex opinione ſcripſit Plinius, tellurem in toto ſuo globo medio ambitu præcinctam eſſe circumfluo mari. dicit enim medio terræ globo infuſum Oceanum partes terræ diuidere. Subijcit enim, *Sic maria circumfuſa vndique diuiduo globo partem orbis auferunt nobis, nec inde huc, nec hinc illò peruio tractu:* neque enim illinc huc, nec hinc illò tramitti poſſe remigio vllo velóue exiſtimabant. Eum autem Oceanum cenſebant Stoici ſubiectum eſſe

ſignifero circulo, per quem Sol decurrit, eiuſq; littoribus metas ſui curſus Solem definire prædicabant, quòd cùm Sol igneæ ſit feruentiſq; naturæ humoréq; paſcatur, vltra citráq; illius littora curriculum ſuum non flectat, cùm terra ſequatur quæ alimentum paſtúmq; Soli præbere non poſſit. Sed ad Dionyſium redeo de quo pauca quædam dixi, & pauca cùm dixero peroraro. Argumentum inſigne verſibus incluſit, nobilem mundi portionem, terram eam quam incolimus & pontum, terræ nationes & populos ſuo carmine complexus, numeríſque illigatum opus elegantiſſimum pangere auſus eſt, quod Cicero oratione ſoluta refugiſſe reformidaſſeque videtur, quæ maior huius poëtæ laus & gloria futura eſt. Ita enim ſcribit lib. 2. epiſtolarum ad Atticum, *A ſcribendo prorſus abhorret animus.* etenim Geographica quæ conſtitueram, magnum opus eſt: ita valde Erathoſtenes, quem mihi propoſueram, à Serapione & ab Hipparcho reprehenditur. quid cenſes ſi Tyrannio acceſſerit? & Hercule ſunt res difficiles ad explicandum: & ὁμοειδῆς, nec tàm poſſunt ἀνθηρογραφεῖσθαι quàm videbantur. vidéſne Ciceronem rei difficultate deterritum, cogitationem ſcribendi abijcere, & in hac re eloquentia propè deſtitutum ſua, cùm Geographica à ſe ſatis nitidè, ſatis politè floridéque ſcribi poſſe deſperaret. at Dionyſius & flore orationis hæc omnia pingit & conſpergit, & verſuum modulis certis & legitimis implicatus, & tanquam vinculis conſtrictus, tamen liberè & ſolutè eodémque tenore perpetuò incedit, tanquam lege carminis nihil impeditus. Quis autem ſit video controuerſum eſſe, ferè tamen video receptũ Alexandrinum eum fuiſſe, filium Dionyſij Alexandrini. Suidas Byzantium repetit, & Byzantium putat, qui & à tribus Dionyſijs περιηγήσεις eſſe ſcriptas refert, Byzantio, Corinthio, & quodam hiſtorico. floruiſſe exiſtimatur Neronis Cæſaris tempore. de auibus, de lapidibus, præterea Baſſarica eius nomine circumferebantur, qui libri ad noſtram ætatem non peruenêre. Sed de lapidibus grammatici verum germanúmque eius librum, vt & hunc iudicabant: de auibus & Baſſarica adulterina & ſuppoſititia poemata eſſe, nec digna eius elegantia. Hoc in poemate imitatus eſt potiſſimum Eratoſthenem, qui de Geographia accuratè ſcripſerat. Opus eſt elegans, nitidum, ornatum, verſuum facilitate, & ordinis diſpoſitione apertum, atque clarum, vt non orationis expoſitione, quàm huius carminis explicatione, notior & illuſtrior ea res eſſe poſſit: cui tamen pro noſtra mediocritate, ſi quid vſquam fortè obſcuritatis inſit, lucem afferre conabimur.



ADRIANI



# ADRIANI TVRNEBI ORATIO HABITA CVM PHILOSOPHIAM profiteri cœpit.

ETsi non dubito, auditores, quin philoſophia vobis ſatis ſuo nomine commendata ſit & probata. nec enim tàm malè de veſtris ingenijs exiſtimare poſſum, vt rem vllam honeſtam vobis eſſe oratione laudandam putem: tamen & quia interdum in vulgus malè audit, & ſecundis auribus hominum imperitorum vituperatur, in hoc aditu & ingreſſu profeſſionis meæ, malè de ea meritus eſſe viderer, ſi cùm ſæpè vituperatores habeat, nunc ſaltem laudatorem qualemcunque non inueniret. Atque vtinam pari facultate ac ſucceſſu à me exornaretur, vt à quibuſdam deformata eſt atque dedecorata. nunc ita comparatum eſt, vt propenſione quadam naturæ, & laudes minus libenter, quàm vitia audiamus, quæ res magno concurſu multitudinis celebrat auditoria concionatorum in crimina declamantium, & neſcio quo philoſophiæ fato fieri dicam, vt maximo applauſu atque ſtudio excipiantur conuitia, quæ in eam congeruntur. Nullam enim comœdiam iucundiorem & lepidorem nebulis Ariſtophanis reperias, quæ in perſona Socratis philoſophiæ parentis perpetua traducunt infamia philoſophiam totam: nec orationem inuenias ſuauiorem elegantiorémque, totáque Græcia magis celebratam, quàm Ariſtidis ὑπὲρ τῶν τεσσάρων, qua Platoni philoſophorum principi, velut calumniæ condemnato, maculas æternas inurit. quibus noſtra laudatio comparata, cùm etſi argumento ſuperiores ſimus: facultate tamen cedamus, vereor ne ita frigeat, vt nõ tàm philoſophiæ quæſitus laudator, quàm ab aduerſarijs eius appoſitus præuaricator eſſe videatur. nam quo ore noſtra tenuitas tantæ artis plenas iuſtáſque laudes concipere poterit, & dicendo ſequi. quòd ſi oratoribus eſſet ea conſuetudo, quæ poëtis, qui in rebus magnis atque arduis ſolent interdum centum ſibi poſcere voces, centum ora, & linguas optare in carmina centum, haud equidem idem nunc optare dubitarem: ſed fumus ille votorum poëticorum & nebulæ, ab oratione ſana prudentique abeſſe debent. verùm ſi huic voto locus hic non eſt, certè iſti deſiderio erit. vtinam M. Tullij liber, qui Hortenſius vocabatur, extaret, quo & philoſophiæ vituperatoribus reſponderat, & eam ſuis veriſque laudibus ornauerat! liceret nobis vel librum vobis hoc ex loco palàm recitare, vel ex eo quantum vellemus exornationis & laudis haurire, & hoc munus philoſophiæ honeſtandæ, tanti oratoris vel viribus vel opibus ſuſtinere. non tamen ſi parem eius amplitudini & magnitudini facultatem non habemus, ideo in ornatam illaudatámque eam dimittemus: ſed quibus eam poterimus coloribus pingemus, & ornamentis excolemus. Atque vnde potius eius decus & dignitatem conſtituere exordiemur, quàm ſi quid ipſa profiteatur, quod munus habeat, quid polliceatur oſtendamus? quod ſanè eius definitione conſequi poſſe videmur. Eſt igitur *philoſophia rerum diuinarum & humanarum cognitio, & cauſarum quibus quæque res gerantur, notitia*, ampliſſima quidem res & præclariſſima, vt quæ ſcientiæ perueſtigatione tàm longè latéque pateat, ſeq; diffundat, quàm ipſa rerum natura omniáque ſuo complexu, quæ percipi cognoſcíque poſſunt, contineat. Itaque alijs artibus nihil ipſa reliqui facit, cùm omnium officia & munera ipſa comprehendat. nihil eſt enim vſquam in omni rerũ vniuerſitate, quod non illa ſui iuris fecerit, quod non ſibi excutiendum & eruendum putauerit. nam & penetralia mundi rimatur, & cœli ſcrutatur plagas, & in Deorum concilium admittitur, vt eam Deorum immortalium conſiliariam & interpretem meritò dicere poſſimus, cùm omnia quæ eorum ditione, numine, poteſtate gerantur, quo conſilio fiant, velut ex adytis & opertis fata canens eloquatur, hominum mores, ſtudia, inſtituta, officia deſcribat: ita fit vt aliarum artium iura precaria ſint, cùm huius philoſophiæ velut conceſſu atque indulgentia, particulas quaſdam velut æs alienum mutuentur, quas præſtituto die ſi velit reddere cogantur. Sunt igitur, vt ita dixerim, in ære philoſophiæ omnes aliæ diſciplinæ: eique non ſolùm vt patronæ & benè meritæ aſſurgere debent, verùm etiam vt parenti & procreatrici honorem deferre. Quod ſi Iouis arcanis, vt ait optimus poëta, Minos admiſſus felix habitus eſt, quantò felicior philoſophia, quæ rerum omnium cœleſtium & diuinarũ arcana, ſinus, penetralia perluſtrat, atque perueſtigat. Iam quam in hominibus vitæ partem non regit & temperat? cui non leges dicit, iuráque præſcribit? cui non rectè facta, officia, virtuteſque imperat? quanta autem ingenij acie penetrat in ea quæ vel omnem aſpectum effugiunt, vel denſiſſimis à rerum natura tenebris obducta ſunt? vt rerum ortum & interitum, accretionem & diminutionem, florem atque ſenectam, earumque omnium rerum latentes cauſas & penitus abditas in lucem profert. cui ſcientiæ quæ voluptas, quæ iucunditas, quæ opes, quæ deniq;

felicitas comparari poteſt? vt non abs re à doctiſſimo poëta exclamatũ ſit, felicem eum eſſe qui potuit rerum cognoſcere cauſas. non ille felicitatem immenſo metitur nummorũ aceruo, non poſſeſſionibus prouincias penè totas latifundiorũ continuatione occupantibus, nõ ſegmentatis veſtibus & purpureis, non lautiſſima ædiũ ſupellectile, ſed cauſarũ naturalium cognitione & perſpicientia, id eſt philoſophandi munere. Nonné igitur, vt à me principio dictum eſt, ſatis ex eo dignitas eius & amplitudo oſtenditur, quod rerum diuinarũ & humanarum ſcientia definitur? cuius quidẽ definitionis ſplendore ita capti illectiq; ſunt Iuriſconſulti, vt homines aliâs æquiſſimi & iuſtiſſimi, acerrimíq; furtorum vindices, eam tamen ſuffurari & ſibi vindicare tentarint. Quid enim ait Vlpianus? *iuriſprudentia eſt diuinarum atque humanarũ rerum notitia, iuſti atq; iniuſti ſcientia.* parum ei videlicet erat iuriſprudentiæ totam vim explicaſſe iuſti atq; iniuſti ſcientijs. nihil enim aliud ars illa pollicetur, niſi eam etiã non admodum neceſſaria & furtiua cumularet & oneraret philoſophiæ deſcriptionis adiectiuncula, & alienis velut exuuijs & ſpolijs ornaret. quòd ſi illo ſe furto Iuriſconſulti ſic venditant, quanto magis ſuis proprijsq; bonis gloriari debet philoſophia? quanto illi ornamento eſſe debet ea rapina, cuius ſpecie & oſtentatione tantoperè Iuriſprudentia inſoleſcit, & conſpiciendam ſe putat? Quòd ſi animi cultu nihil melius, nihil præſtabilius eſt, contrà eius incultu & ſegnitie nihil peius, nihil deterius, cùm philoſophia animi culturam, tanquam agri, ne ſentes & vepres pariat, polliceatur: quanto ſtudio eam nobis expetendã ducemus? quantũ alijs rebus antecellere credemus? Si homines videmus fortunæ bona quæ dicuntur, quia corpori ſubſidio ſunt & adiumento, tam ardentibus ſtudijs conſectari, vt per ferrũ & ignes, omniáq; vitæ diſcrimina ſibi quærenda putent, quanto ſtudioſius optabiliorem & fructuoſiorem illorum bonorũ mercaturam & negotiationem adipiſci concupiſcemus, quæ non arcam, ſed mentem implebũt: non corpus, ſed animũ inſtruent: non fortunæ iocantis incerta ludibria, ſed proprij certiq; iuris non dubia præmia comparabunt? Si virtute nihil melius, nihil vero potius, cùm & virtutis diſciplinam, & veri inquiſitionem inuentionémq; philoſophia promittat, quanti æſtimare debet earum rerũ cenſu, quibus ne in Deo quidẽ quicquã videtur eſſe maius? Nam ſi nihil incognito & falſo fœdius, nihil mendacio poſterius, nihil vitio turpius, quod eas peſtes è vita fugat, & pro eis quæ ampliſſima ſunt nobis reponit, nonné rebus omnibus anteponendum erit? Atq; ſi quam ad rem animo incumbimus toto, totaq; animi contentione rapimur, modo eius generis ſit vt in hominem cadere poſſit, tandẽ conſequimur, cùm philoſophia ſapientiæ ſtudium, vt ipſo declarat nomine, capeſſat, nonné ad ſapientiam tandem aliquando nobis eius ope & beneficio licebit peruenire? Sapientiæ autem poſſeſſione quod bonum ſuauius ad fruendum, certius ad habendum, diuinius ad optandum, vt ne in Deo quidem optimo maximo, cuius nutu non tantùm ſola terrarum, ſed etiam iſta rerũ ſumma gubernatur, quicquam maius & amplius eſſe videatur? Itaq; ille quidem eius vnicus filius, auctor & princeps mundi, hominúmq; liberator, in ſapientiæ vocabulo acquieſcit, eoq; nomine vocari gaudet, dignam tanta maieſtate & diuinitate appellationem arbitratus: & in nobiliſſima orbis terrarum vrbe Sophiæ, id eſt, ſapientiæ, titulo & monumento, ampliſſimum templum ab imperatore Iuſtiniano ædificatum obtinuit. Nobiliſſimus autem & florentiſſimus Iudæorum rex, Deoque longè chariſſimus Solomo, non aurum neq; diuitias à Deo poſtulauit, ſed quo nihil vberius & florentius ſapientiam, ſapientiæ comparatione reliqua quæ bona numerantur contemnenda, & velut calcanda ratus, quam quidem & impetrauit Dei munere & conceſſu, omnia religionis & pietatis præcepta & vitæ penitus percepit. Itaque ſic hiſtoriam piſcium, auium, quadrupedum, ſerpentum memoriter meditatéq; tenuit, nihil vt in ea ipſum lateret: ſic ſtirpium & arborum naturam cognouit, vt quemadmodum in libris ſacris relatum eſt, de omnibus accuratè diligentérq; à cedro ad hiſopum vſque diſputaret. atque eius ſapientiæ fama ab vltima penè Æthiopia, magno comitatu excitata regina Hieroſolyma venit, vt quod rumore acceperat, certa fide ſuis oculis ſubijceret & coram audiret, Solomonísq; ſermone, & ſubtiliſſimis ad obſcuriſſima ænigmata reſponſis ſic in admirationem rapta eſt, vt obſtupeſceret, neq; mentis compos eſſet. Quis autem non putat tum remp. Iudæorũ fortunatiſſimam & feliciſſimam fuiſſe, & eis quod Plato pronunciat eueniſſe, qui tum deniq; beatas dicit ciuitates futuras, cùm vel reges philoſophabuntur vel philoſophi imperabunt? Summus quidem philoſophus Plato affirmat, nullum hominum generi à Dijs immortalibus maius donum eſſe datum philoſophia: quam eximius Latinorum orator non tàm donum Deorum, quàm inuentum prædicat, videlicet auguſtius quiddam & diuinius exiſtimans, quàm vt à mortali potuerit inueniri. Quid enim poteſt eſſe diuinius eius ea parte, qua in ſublime ſubducta procul ab omni contagione & commercio mortalis naturæ, id quod eſt intuetur? quod præcipuum & eximium eius munus eſt, vt in arduam tum ſublata ſpeculam, ex alto faſtigio iſta in humili iacentia deſpicit, & ſua dignitate inferiora putat, quanquam ne ea quidem dedignatur cog-





noſcere: ſed illa altera omnino eius prouincia præcipua eſt, ad quam qui aſpirauit & peruenit, quàm beatus, quàm Deo ſimilis eſt, quanta ſuauitate fruitur? Nam, vt ait poëta,

*— nil dulcius eſt benè quàm munita tenere*
*Edita doctrina ſapientum templa ſerena.*

Rerum verò cœleſtium cognitio & explicatio, quàm ſuaui paſtu animum reficiunt? quæ habent inuitamenta? quas illecebras? quam admirationem? quam pulchritudinem? Itaque earum pulchritudo, vt Cicero ait, patriam illam & auitam philoſophiam cupiditate diſcendi incenſam excitauit. & Anaxagoras hominem natum vt cœlum aſpiceret putauit. quanquam apud indoctum rudéque vulgus, qui illis de rebus philoſophabantur malè audiebant, & iniquis interdum circumuenti iudicijs, de capite dimicabant, & pœnas dabant, & per contumeliam μετεωρολέσχαι & μετεωροφροντισαὶ vocabantur. Cùm igitur tam magna & diuina ſapientiæ ſtudium profiteatur, nonné meritò aliarum omnium diſciplinarum regina & imperatrix & magiſtra ſtatuenda eſt? nonné omnium finis & ſumma cenſeri debet, & aliæ doctrinæ nonné ad eam omnes referendæ ſunt? Nam nullum earum aliud officium eſt, quàm vt animum præcolant & præparent ad ſatus philoſophiæ accipiendos, & poſteaquam illis velut puerilibus præluſimus philoſophiæ ſtudijs, ſapientiæ ſtudium nauiter ſtrenuéque capeſſendum eſt, neque perpetuò hærendum in progymnaſmatis: ſic enim alias artes appellauerim. Certè magna eius cupiditate inflammatus Latinorum fidicen Horatius carmina reliquit. *Quid enim*

*Nunc itaque*, inquit, *& verſus & cætera ludicra pono:*
*Quid verum atque decens curo & rogo, & omnis in hoc ſum.*

Quid Propertius non eſſe tandem dicit, omiſſa iuuenili poematum & amorum laſciuia, matura ætate philoſophandum?

*Tum*, inquit, *mihi naturæ libeat perdiſcere mores,*
*Quis Deus hanc mundi temperet arte domum.*
*Quà venit exoriens, quà deficit, vnde coactis*
*Cornibus in plenum menſtrua luna redit.*
*Vnde ſalo ſuperant venti: quid flamine captet*
*Eurus, & in nubes vnde perennis aqua.*

Demum accinit, *Exitus hic vitæ ſupereſt mihi.* Illam vltimæ ætati commendationem, quæ velut ſupremam manum adhibeat, reſeruat Propertius. Quanti autem Lucretius Epicurum facit oſcitantem tamen, & balbutientem, & plerunq; caligantem in rerum natura, quod in ea inueſtiganda aliquid moliatur & moueat, & idiotis probabiles cauſas eruere videatur?

*E tenebris*, inquit, *tantis tam clarum extollere lumen*
*Qui primus potuiſti, illuſtrans commoda vitæ,*
*Te ſequor ô Graiæ gentis decus.* & alio loco,
*Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen*
*Condere, pro rerum maieſtate atque repertis?*
*Quiſué valet verbis tantum, quis fingere laudes*
*Pro meritis eius poſsit, qui talia nobis*
*Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit?*

Eum quidem non dubitat appellare DEVM, nec Cereri & Libero patri veretur anteferre, ne illi quidem monſtrorum domitori, & mundi pacatori Herculi. Quod ſi ille tantoperè laudandum putat falſæ & adulterinæ ſapientiæ repertorem, qua gloria & laude vera & germana philoſophia afficienda eſt?

*Deus ille fuit Deus, inclyte Memmi,*
*Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ*
*Nunc appellatur ſapientia.*

cuius tanto ſtudio homines incenſi ſunt, vt nulla ferè gens, neque tàm barbara ſit & illiterata, neque tàm docta & humana, quæ non ſuos aliquos philoſophos habuerit. Habuêre Perſæ Magos, Ægyptij ſacerdotes, Indi Brachmanas, Æthiopes Gymnoſophiſtas; Galli Druydas, Græci philoſophos. Pythagoras quidem vſque in Ægyptum ſibi philoſophiam eſſe petendam à Memphitis vatibus putauit. Plato Ægyptum & oram Italiæ, quæ magna Græcia dicebatur, luſtrauit. Eodem philoſophiæ ſtudio incenſus Apollonius, magnam peragrauit orbis terræ partem, penetrauítque in vltimam Indiam ad Brachmanas, vt Hiarcham in ſolio ſedentem aureo, & de Tantali fonte bibentem videret, & de rerum ſiderúmque natura audiret diſputantem. Idem in diuerſiſſimam mundi plagam, exilio potius quàm peregrinatione ſuſcepta, in Æthiopiam profectus eſt, vt & Gymnoſophiſtas conueniret, & vt ſolis celebratiſſimam in arenis menſam videret. Illa autem quæ verè appellare poſſu-

mus mundi lumina, cùm tanta flagraſſe philoſophiæ cupiditate videamus, quo tandem ſtudio à nobis expeti & coli debebit? Sed cùm plurimæ extiterint eius familiæ, ab vno velut capite Socrate deductæ, longè omnes & ſcientiæ copia, & dicendi facultate, & elegantia, Peripateticorum ſecta ſuperauit. Itaque aliæ ferre ætatem non potuerunt, nec inueterarunt, ſed tanden euanuêre & obliteratæ ſunt: iſta in dies magis ac magis effloreſcit, quæ & alijs tenebras ſuo fulgore offudit. vt enim exoriente aurora, ſtellarum agmina lucifer cogit albeſcentium & elangueſcentium, tandémque ſole oriente, nuſquam earum acies apparet, luménque extinguitur: ſic exorta Peripatetica ſecta, paulatim reliquas omnes tandem diſciplinas philoſophorum obſcurauit, atque deleuit, ac ſimul atque cognita eſt: ſic ab omnibus eſt expetita, vt cùm internecinis odijs inter ſe homines de religione, & plurimis grauiſſimiſque rebus diſſideant, in vna tamen iſta diſciplina conſentiant, quæ mundi totius ſuffragium & calculum meruit. Nam à Græcis probata, à barbara Arabum Turcarúmque natione recepta, à Latinis culta & obſeruata obtinuit, vt tacentibus cæteris, ſola in ſcholis loquererur: nec profecto iniuria. nam ita diligenter ſubtilitatem diſſerendi explicat: ita res à natura inuolutas, & in obſcuritate cauſarum latentes euoluit & illuſtrat: ita mores, ſtudia, actiones hominum præceptis ad benè beatéque viuendum editis conformat, atque omnem iſtam doctrinæ varietatem tam diffuſam & fœcundam ſuis velut terminis finit, & limitibus includit: vt & philoſophiam docere ſola, & philoſophum facere poſſe videatur: & qui ad alias honeſtas & liberales artes aſpirant, huius philoſophiæ viatico inſtructi, haud paulo maiores breui tempore, quàm qui hoc ſubſidio deſtituti ſunt, progreſſus faciunt, modò eis idoneus doctor in ea percipienda non defuerit. qui hoc tempore ne vobis deeſſet equidem non mediocriter pertimeſcerem, niſi mihi animũ addidiſſent, qui me hoc præſtare poſſe crediderunt, mihíque huius rei auctores fuerunt, Ioannes Salignacus & Renatus Bomoreus, quibus ego auctoribus longè maiora viribus libenter & fœliciter auderem, præſertim in literis, in quibus quod conſilium dant, id eſt,

*Agricolam ſi flaua Ceres dare ſemina terræ,*
*Gradiuus iubeat ſi capere arma ducem.*
*Soluere de portu claſſem Neptunus inermem:*
*Tàm parere eſt fas, quàm dubitare nefas.*

Accedit quod hac petitione, modò Lambinus mihi ſuccederet vir & eruditiſſimus & humaniſſimus, videbam Leodegario à Quercu amico meo optimè de ſtudijs veſtris merito, aditũ aperiri ad regiam cathedram, facultatémq; dari ad prœmia emerita veniendi: in qua illo tam diu excluſo me ſedere pudebat. quòd nec malè cogitatum erat, nec improbè conſultum, facilè impetratum eſt, ſine vlla prenſatione, ſuffragatione, ambitu & contentione, ſine moleſtia. Ego & Lambinus chirographum de commutatione profeſſionum in aulam miſimus: continuò Regina prudentiſſima fœmina aſſenſa eſt, aſſenſus eſt & Hoſpitalis Cancellarius Galliæ, vir huius ætatis doctiſſimus. rem tamen ad Cardinalem Lotharingum virum ampliſſimum, qui noſtro collegio præeſt, integram remiſère: quod eius eſſet nominatio & ſubrogatio. ille prærogatiuam Reginæ & Cancellarij ſecutus, locum nobis ſtatim detulit. tota hæc Academia factum laudauit, vnus eſt, qui vt reor, quia in conſilium non eſt ab illis adhibitus, velut Tribunus plebis Senatuſconſulto intercedit. Is in circulis omnibus, in librariorum tabernis, in compitis, in via quemcunque inuenit, cauillans linguæ ſuæ flabello hoc ventilat, & iſtas profeſſionum commutationes illudens, ait eſſe quaſdam canonis muſici mutationes, & addit cenſuram, quam ſine populi aut principis ſuffragio gerit, duos vix tolerabiles eſſe, me non philoſophum, ſed ineptum verborum interpretem: videlicet vt cum philoſophiam mihi detraxerit, eam ſibi & vni cuidam arroget. tradunt enim operas mutuas, & philoſophiam ſoli communem pro indiuiſo, vt Iuriſconſulti loquuntur, videri poſſidere volunt. huius ego hominis de meo iudicio magis permouerer, niſi ſcirem tanto bonos & doctos inſectandi morbo eum laborare, vt nullos alios vituperet, nec ſuperſtites tantum, ſed mortuos. nam nec Syluij nec Holerij, manibus parcit: qui cùm ab eo vituperentur, nonné in criminis loco mihi ponendum eſſet, ſi ab eo laudarer? at quos iſte vituperat, qui ampliſſimam medicinæ ſcientiam ingenio, doctrina, & facultate æquabant? qui ita in florentiſſima hac Academia nobiliſſimam artem docuerunt, vt principes ipſos Galenum & Hippocratem explicarent, totúmq; artis, vt ita dicam, corpus complecterentur, non particulas carptim docerent, non obſoletos & intermortuos blattarióſque auctores & lucifugas, velut ab inferis excitatos, & luce pleroſque indignos, proponerent iuuentuti melioribus relictis, & iſto velut aucupio iuuenes captarent & fallerent, vnúmque tantum aut alterum caput ex vno ſcriptore, veluti malacia grauidarum & faſtidio laborantes, exponerent, nec in oſtentatione voculorum Græcarum deliteſcerent, ignorantiæ ſuæ artis eam prætexentes, & hac velut vmbra & latebra

auditores



auditores decipientes. Alter in aula ſuſurrat me Demoſthenem interpretari poſſe, non Ariſtot. videlicet iſtũ hominem oportet in meo habitaſſe pectore, qui mihi cõſcius ſit quid poſſim & ſciam. At idem aliquando ex vltima Gallia, ad hominem doctiſſimũ & de me optimè meritũ, & hoc triennio, magno literarũ detrimento, mortuũ Petr. Gallandium, literas miſit; quibus eum rogabat, vt mecũ ageret, vt dũ abeſſet Ariſtotelem ipſius vicem interpretarer. Ita ei cùm cõmodum eſt Ariſtotelem poſſum explicare, cùm non eſt commodũ non poſſũ. Atqui & adoleſcens multam & aſſiduã philoſophiæ operam dedi, neq; me poſtea ſic ad humaniores literas dedi, quin ad eam ſubinde reſpicerem, & eam ex interuallo reguſtarem, vt ad eam hoſpes & peregrinus non veniam. Quis Cicer. philoſophũ putaſſet, qui tamen philoſophiæ monumentis omnes Latinos facilè vicit? Adijcit Grammaticũ eſſe me, vellem adderet & Philoponũ, i. non ceſſatorem, neq; qui diuturni ſilentij mercedẽ ſim poſtulaturus, ac oſtenſurus me Pythagoreũ potius eſſe quàm Ariſtoteleũ. quod tamen ille mihi tribuit, fortaſſis à me non ferret. nunc ſi ei indignũ videtur ab homine grãmatico Ariſtot. attingi, quanto indignius eſt à non grammatico, qui interdũ eius verba ordinare nõ poſſit, tractari? Sed me reprimã & hominem iſtũ atra ceu ſerpentis lingua vibrantem, & animi tabe & liuore omnia corrũpentem atq; vitiantem, ſuæ relinquamus carnificinæ: quando Inuidia Siculi non inuenêre tyranni maius tormentũ. eum iſta peſtis inteſtina maceret, conficiat, & exedat, & mœrore cõfectus perpetuò gemat, ſimilis dirarũ & obſcenarum alitũ, quæ noctis quietem & ſilentiũ rumpunt, & pro voce gemitũ edunt. huius hominis intemperias poſthac ſilentio prætermittere decreui, tantũ aduerſus venenatũ eius morſum ſumam theriacen, cõtra faſcinantem & inuidũ eius oculũ amuletum geram, & baccare frontem cingã, non vt ait poëta ne vati noceat mala lingua futuro, ſed ne philoſophaturo. Eadẽ iſta calumnia in Themiſtiũ iactata eſt, vt quadam oratione conqueritur, & tamen ille inter optimos philoſophos numeratur. Quid quod Ariſtot. ipſe Critices, i. grammatices inuentor fuiſſe dicatur, vt fortaſſe officiũ & interpretationem grammatici aſpernatus non ſit? Vter autem obſecro vos potius ad Ariſtot. accedere debet, iſne qui quibuſdã liberalis eruditionis præſidijs munitus ſit, an qui ab his nudus ſit & deſtitutus? præſertim cùm Ariſtot. eloquentiã cum philoſophia coniunxerit, non vt Epicurus elegantiam doctrinæ contempſerit, & multa etiã ex eleganti doctrina delinimenta, & velut condimenta adhiberi & aſpergi poſſint, quibus aſperiori & amariori philoſophiæ ſapori gratia & iucunditas quæratur. Et ſi autem de me non ſoleo libenter prædicare, nec meum ingeniũ plus æquo æſtimare: tamen ego iſtorũ calumnijs impulſus, paulo liberius loquar, efficiam profectò, vt propediem intelligant, ſe in beneficio ponere debere, quod non maturius ad Ariſtot. explicandũ acceſſerim. ac ita ſe res habet, ſi ab hominibus noſtri ordinis, qui politioribus & elegantioribus literis Latinis & Græcis delectantur, Ariſtoteles explicaretur, à ſolitudine ſe vindicare non poſſent, & quandocunq; docerent, in vltima Scythiæ ſolitudine ſe putarent eſſe, vbi ne voci quidẽ reſonat imago. Nec verò tanti eſt operis Ariſtotelẽ explicare: non enim hoc eſt Auia Pieridũ peragro loca, nullius ante Trita ſolo: imò verò iſta via publica eſt & frequens, quæ à tam multis calcatur, vt in turba laboremus, & propè affligamur. Quanta autẽ ſuppetunt adiumenta tot interpretum, tam multorũ vt copia obruamur? ex quorum cõmentarijs iſti ſapiunt, per ſe nihil poſſunt. Itaq; nihil eis rei eſt cum illis Ariſtotelis libris, qui cõmentationibus nullis illuſtrati ſunt. cũ Platone verò & Theophraſto nihil negotij, quos cum marte noſtro interpretari poſſimus, ſine vllis adminiculis, mirum eſſet, ſi in quibus auxilia tam multa comparata ſunt, deficeremus: præſertim cùm libros à tam multis enucleatos & enodatos interpretari, ſit veluti dictata reddere. Sequitur vt quod genus explicandi in Ariſtot. ſequi conueniat, dicendũ eſſe videatur, quòd cũ dixero peroraro. Inueterauit quædã opinio, quæ in hominũ animis penitus inſedit, eam demũ optimam eſſe expoſitionis rationẽ, qua velut munera quædã gladiatoria à doctore diſcipulis dantur, atq; hoc ſpecioſũ & ambitioſũ genus docendi, magnificũ vocare ſolent apparatũ. Magiſter enim, velut laniſta, producit in arenã interpretũ paria, atq; inter ſe cõmittit, nouiſſimè in arenã ipſe prodit, omneſq; iugulat, ac de eis palmã ſibi dat & coronã: hoc genus interpretandi quominus ſequar multę ſunt cauſæ, vna quòd per aliorum iniuriam & contumeliã, nomen & famam lucrari nolim: deinde quòd non eſt neceſſe, vt in ſenatuſconſulto faciendo, omniũ numerare ſententias. Adde quòd ſtudia iuuentutis retardantur, dum nimiũ temporis conteritur in percenſendis, confirmandis, refutandis tot ſententijs, vt qui ſic legunt nihil progrediantur, nihil expediantq;: vixq; anno vertente libellũ exiguũ, aut aliquot capita perlegant. Accedit quòd inani illo diſputationum ſtrepitu, aures auditorũ obſurdeſcunt, animus conturbatur, nullũ vt fructum domũ reportent. Poſtremò non hoc agitur, non hoc quæritur, quid hic aut ille peccauerit, ſed quid verũ ſit. fingite enim Ariſtotelem vrbem aliquã eſſe, ad quam vobis perueniendũ ſit, non vt opinor, ſi viam ad vrbem ferentẽ rogetis, æquo animo feratis, ſi quis dicat, hanc viã Alexander ſecutus eſt, ſed in puteũ cecidit: iſtam Themiſtius, ſed in præcipitiũ ruit: illam Simplicius, ſed incidit in latro-

nes: aliam illam Philoponus, ſed toto triduo errauit, nec in vrbem venit: vt opinor, iſti nugatori diceretis, non quærimus quà non ſit eundum, ſed quà minimo negotio, nullo periculo, breui compendio, in vrbem veniendum ſit. Idem in Ariſtotelis interpretatione ſequi conſilium, non vos longo flexu & ambage circumducam, nec per errorem & diſpendium itinerum fatigabo, ſed rectà ſtatim ad eius vrbem, domicilium, penatéſque perducam. obſecro igitur vos auditores, dum iſtam interpretandi rationem ſequor, & vobis conſulere conor, vt quam adhuc mihi docenti literas Græcas beneuolentiam præſtitiſtis, eandem, vobis philoſophiam bona fide interpretanti, in poſterum præſtetis.

# ADRIANI TVRNEBI PRAEFATIO IN TIMÆVM PLAtonis.

PRÆCLARE dictum eſt à Stoicis quæ in terris gignuntur ad vſum hominum omnia creari: homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe alijs alij prodeſſe poſſint. Nam ſi animo complectamur quas nobis opportunitates vtilitatéſque natura compararit, profectò intelligemus omnia & ab illa ſata & educata ad vſum & cultum vitæ noſtræ fuiſſe. Ac ſi antiquitatis memoriam cogitatione replicare velimus, vt quæ rerumpublicarum olim exordia progreſſúſque fuerint, videamus, eas à coniunctione quadam & conſociatione hominum inter ipſos, & natas & amplificatas deprehendemus, vt natura duce ad mutuas vtilitates fruendas hanc vitæ communionem ſequamur. Quæ cùm ita ſint, profectò qui ſtudio & induſtria ſua quoquo modo poteſt, de hominibus benè mereri ſtudet, is omni laude ac prædicatione dignus eſt: contra, qui tam in naturam impius eſt, vt non modò non prodeſſe hominibus velit, ſed eis potius grauiſſimas calamitates inferre nitatur, is non ſolùm vituperatione notandus eſt, verùm etiam pœna multandus. Atqui ſi locus eſt vllus in quo ſingulari beneficio homines non ingratos nobis obſtringere debeamus, is eſſe mihi certè videtur in officio docendi. Cuius rei ecquod certius eſſe poteſt argumentum, quàm quòd Deus omnium parens ſermonem nobis dedit, vt docendi cauſa voluntates noſtras explicaremus? vt quantum à belluis ſermo nos ſeparat, tantum inter homines docendi ratio excellat. Sed enim ea docendi ratio, quæ in artium liberalium ſapientiæque profeſſione poſita eſt, omnium longè præſtantiſſima eſt iudicanda. Hæc enim præclara veterum inuenta hominibus aperit, omnia, quæ vel ſcientiæ perueſtigatione, vel differendi ratione ab antiquis comprehenſa ſunt, demonſtrat: & cùm ab auctorum lectione propter obſcuritatem hominum ſtudia ſæpè retardentur, illato lumine ſic illuſtrat omnia, vt auditores auctorum ſententiam quaſi oculis intueri ſenſúque vſurpare videantur. Sed quò res eſt illa excellentior, eò quoque maiorem depoſcit hominis doctrinam. Doctoris enim munus atque profeſſio, hoc ſuſcipere ac polliceri videtur, vt quicquid in auctoribus ſit interiorum ac reconditarum literarum in lucem proferat, quicquid reconditis verſetur in artibus depromat: adeo vt docendi officium hodie ſit, vt mihi quidem videtur, operoſius & laborioſius, quàm Platonis ætate: propterea quod olim aliorum libros non interpretabantur, ſed vel de quæſtione aliqua propoſita ſuo diſputabant arbitratu, vel ſua decreta proponebant auditoribus atque confirmabant. At hodie infinitam librorum multitudinem euoluere cogimur, vt ad ſententiam auctorum percipiendam adiumentum aliquod habeamus: aut vt illinc aliqua ſaltem ſuſpicione & coniectura eorum voluntatem informemus. Nam quis ita eſt infans & hebes, quin mentis ſuæ ſenſa & conſilia verbis explicare poſſit? contra, quis ita facundus eſt atque ſolers, quin ſæpè in explicandis aliorum ſcriptis titubet, erret, hallucinetur? quo fit vt maioris ſtultitiæ damnandus ſim, qui auctorum mediocri lectione, literis propè nullis inſtructus temerè ad docendum accedam. Quare hanc à vobis veniam petam, quam opinor, mihi dabitis, cùm præſertim huc progreſſus ſim vel ignoratione mei, vel ſtudio veſtri, vt, quod à me proficiſcetur, boni conſulatis: ac ſi quid minus eruditè à me dictum erit, vt ignoſcatis: nec tàm expectationis veſtræ, quàm mediocritatis meæ rationem habeatis. id à vobis ſi impetraro, ſpero futurum, vt & ego à vobis ſine magno nominis detrimento, & vos à me cum aliquo diſcedatis fructu. Quanquam quid hac mihi deprecatione eſt opus, qui non tàm docere velim, quàm præclara veterum ſcripta vobis-

cum



cum quadam ſtudij communicatione cognoſcere? Sumpſi igitur in manus philoſophum omnium grauiſſimum & diuiniſſimum Platonem, quem vobiſcum communicarem: de quo mihi pauca hoc loco dicenda ſunt, vt vos, & ſi vt ſpero ſatis alacres: tamen pro mea parte ad eius lectionem ſtudiumque excitem. Nec mihi in huius viri commendatione faciendum puto, quod in artibus præcipiunt rhetores, vt hominum laudes à genere, patria, fortunis, facultatibúſque ducamus. Valeat iſta laudatio in vulgus, in doctorum conuentu iaceat, nec à philoſophis expetatur, ſed à ſtultis ambiatur. hominem igitur philoſophũ laudemus ex ſuis bonis. Nam cùm ſit ex ſe ipſe aptus, ea quæ in fortunæ temeritate ſita ſunt, non putat ſua: nec tamen laudationis initium arceſſam à modeſtia, temperantia, cæteriſque eius virtutibus, cùm id hoc tempore non agatur, vt eius vobis integritatem probem. huc enim opinor conueniſtis, vt de literis audiatis. Oratio igitur mea iam inde proficiſcetur à prima illa puerili Platonis inſtitutione, vt intelligatis quibus ſit nutrimentis educata & alta eius doctrina. Primùm Grammatico Dionyſio operam dedit, & infinitam literarum vim ac materiam ita ſcientia & cognitione comprehendit, vt optimus extiterit nõ ſolùm grammaticus, verùm etiam poëta. Atque vt gratiſſimum intelligatis Platonis animum, & beneficij memorem, ſuis poſtea libris nomen Dionyſij honorifica recordatione immortalitati conſecrauit. Mathematicæ diſciplinæ apud Græcos ſummo habebantur in honore: quæ quanta in obſcuritate rerum, & quàm recondita in arte & multiplici ſubtilique verſentur quis ignorat? in eis tamen ita profecit, vt primas ferre omniũ iudicio videretur: quod facilè iudicabit, qui Platonis libros attigerit, aut de Pythio ſaltem oraculo audierit. Nam cùm Athenas ſæuiſſima popularetur peſtilentia, neque remedium vllum humana poſſet afferre induſtria, quod in extremis fieri malis aſſolet, Apollo conſultus eſt: qui ita demum peſtis liberationem fore reſpondit, ſi aram quæ cubica erat duplicarent. cùm illi cubum applicaſſent cubo, & ſe Apollinis mandatum putarent diligenter curaſſe, nihil ominus tamen peſtis ſæuiebat. Quid multis? rem tandem ad Platonem vt doctiſſimum geometram detulerunt, qui nihil moratus oraculum expleuit. nam eorum molitionem inanem oſtendit fuiſſe, cùm applicatione alterius cubi cubum non duplicaſſent, ſed quadratum effeciſſent. Cubi autem geminationem exiſtere ex inueſtigatione lineæ medianæ. Hæ porrò diſciplinæ magno fuerunt adiumento Platoni ad explicationem interioris philoſophiæ: propterea quod animum à corporis contagione ſeuocant, & ad cogitationem puram intelligentiámque veram ingenij aciem exacuunt. Neque enim eam Geometriam aut Arithmeticam probat, quæ metiendi & ratiocinandi vtilitate terminatur, vt dicat quemadmodum ait Flaccus,

*Filius Albini ſi de quincunce remota eſt*
*Vncia, quid ſuperat.*

ſed eam geometriam probat, quæ erudito puluere radióq; delectatur: eam arithmeticã laudat quæ abaco Pythagoreo, proportionúmq; contemplatione gaudet. Itaq; vitio dedit Eudoxo, Archytæ, Menæchmo, quòd inſtrumentis & machinis ſolidorum conduplicationem tentarent. Ex his tanquam fontibus haurit corporis animiq; principia. nam corpora ad lineamenta, formas, & magnitudines geometricas refert: animi ortum ad numerorum comparationes. His in diſciplinis doctor Platonis fuit Theodorus Cyrenaicus, quem vt audiret, longinquam ſuſcepit profectionem in Africam. Iam Cratylum è ſchola Heracliti audiuit, de cuius nomine Cratylum dialogum conſcripſit. audiuit & Hermogenem è Parmenidis ſecta. Sed cùm in Italia Pythagoreorum nomen florere accepiſſet, eò ſibi nauigandum putauit, vt Italicæ ſectæ myſterijs initiaretur. Illic verſatus eſt familiariſſimè cum Archyta, Philolao, Timæo. vtraque & Heracliti & Pythagoræ philoſophia magnopere poſtea in rebus naturalibus eſt vſus: illa in his potiſſimum quæ gignuntur, quæque in opinione conſidunt: hac in his quæ intelligentia & ratione comprehenduntur. Poſtea peregrinari in Ægyptum ſtatuit: ea natio ortus, obitus, conuerſionéſque aſtrorum numeris erat complexa, eámque artem longinquitate temporum innumerabilibus penè ſeculis conſecuta putabatur. Illinc Thales primordia quædam aſtrologiæ antea in Græciam deportarat, quæ iam ætate Platonis obſoleuerant, vt Plato & Eudoxus penè intermortuam in Græcia aſtrorum cognitionem inſtaurarint atq; renouarint. Socratem verò maximè ſibi audiendum, colendum & amplectendum exiſtimauit, qui contempta naturæ contemplatione, de officio & virtute cœpit diſputare. ab eo moralem didicit philoſophiam, in qua ſibi potiſſimum duxit elaborandum. Cognoſcitis igitur Platonis gradus & proceſſus, & quibus ſtudijs imbutus ad tantum philoſophiæ decus peruenerit. Quo quidem in homine hoc mihi videtur admiratione dignum, quòd non ſibi priuatim aliqua in ſecta putarit eſſe conſeneſcendum, quod tamen & maiores noſtri plerique, & hodie omnes erroris quadam prauitate facimus, ſed omnium ſectarum eruditione tinctus eſſe voluerit,

m iij ex qui-

ex quibus ſua ſcripta coloraret, vt ipſe de ſe Lucretianum illud vſurpare poſſit,

*Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,*
*Aurea perpetua ſemper digniſſima vita.*

Itaque videas apud Platonem pleraque ex Heracliti, Pythagoræ, Parmenidis, Ægyptiorúmque placitis mutuò ſumpta. Sequitur vt de Platonis philoſophia & eloquentia aliquid dicendum eſſe videatur. nam etſi Plato libros de præceptorum artium ratione non ſcripſit, vt quas exiſtimaret voce memoriæ auditorum aptius commendari, artibus tamen accommodatiſſimè eſt vſus, quod ingenij eſt auguſtioris & felicioris. Apud Platonem igitur accepimus philoſophandi rationem fuiſſe triplicem, vnam de vita & moribus, alteram de natura & rebus occultis, tertiam de diſſerendo, & quid verum falſúmque ſit, exquirendo. Prima autem in parte adeo præſtitit Plato, vt Academici in Græcia philoſophi politici dicerentur. Nemo enim melius, nemo diuinius, de vi humanæ naturæ, de ſummo bono, de virtutum officiorumque generibus, de animi, corporis, fortunæ bonis, de hominum coniunctione, de rebusp. explicauit: atque hanc philoſophiam ideò magis excoluit, quod tum primum à Socrate naſcebatur, cùm alijs philoſophis fuiſſet ignota. de natura ſic exiſtimabat: vt mundum quendam qui intelligentia comprehenderetur poneret, ad cuius exemplum Deus hunc mundum, qui oculis vſurpatur, confecerit & deſcripſerit ex materia & vi efficiente, ex quibus naturæ principes vnius modi & ſimplices extiterint, aër, ignis, aqua, terra: & ex his ortæ animantium formæ earúmque rerum quæ gignuntur è terra. De tertia philoſophiæ parte ſic iudicabat, ſcientiam à ſenſibus oriri, nec tamen eos veritatis eſſe iudices, ſed mentem. ad eam autem pertinere id quod ſimplex & vnius modi eſſet, quam vocabat ideam, ad ſenſus quæ concitata fluerent & laberentur & opinabilia tantum haberentur. Adhibebatur & inſtrumentum inductionis & ratiocinationis, tùm ad confirmandum, tùm ad refellendum. nam qui Platonem vituperant, vel quòd tantùm inductione, vel quòd ea crebrò vtatur, vtrique ſunt in vitio: illi quòd mihi non videntur attendiſſe quibus rationibus, atq; adeo demonſtrationibus Plato in Timæo alijsque in dialogis vtatur: hi quòd parum intelligunt quam docendi & probandi rationem dialogi flagitent, præſertim ſi populariter tibi cum eo diſſerendum ſit, qui non ſit in Dialecticis verſatus. Iam quanta Platonis ſit eloquentia quis ignorat, qui eum ſciat à Cicerone omnium in dicendo grauiſſimum & eloquentiſſimum dici, vt ſi Iupiter lingua humana vellet vti, non aliter quàm Plato ipſe loqueretur? Quis neſcit diuinam eſſe Platonis copiam, quam ſibi potiſſimum ad imitandum Cicero eloquentiæ Latinæ princeps propoſuit? quid quòd multum Plato ſupra proſam orationem, & quam Græci pedeſtrem vocant, ſurgit? Itaque Cicero ſcribit viſum eſſe nonnullis eius locutionem, & ſi abſit à verſu, tamen quòd incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus vtatur, potius poëma putandum, quàm Comicorum poëtarum, apud quos, niſi quod verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis. Suas porrò ſcholas in dialogos incluſit, quòd ſermo ille philoſophorum eſt proprius & dialecticorum. quod ex eo perſpicuum eſt, quia proditum eſt memoriæ Zenonem Eleatem, qui princeps dialecticam inuenit, eundem dialogorum etiam inuentorem fuiſſe: ſed tamen ingrati fuerunt & rudes eius ſermones. Dialogos autem poſtea ita excoluit & expoliuit Plato, vt meritò poſſit haberi eorum primus auctor. Ferunt certè Ariſtotelem ſermonum Platonicorum elegantia ab hoc genere ſcribendi deterritũ & debilitatum ad perpetuam orationem ſe contuliſſe. Sed ex eius dialogis nullus eſt profectò, quantũ iudicio, doctrina & eruditione refertior, quàm Timæus. Nam eo complexus eſt omnia, quæ ad naturæ rationem pertinent diligentiſſimè & accuratiſſimè. Ac proinde ita Ciceroni placuit iſte dialogus, vt Latinè ſit interpretatus: ita Galeno, vt ex eo ſæpè teſtimonium ſumat. Quid quod nihil aliud in libris de placitis agit, quàm vt vera eſſe Platonis decreta probet, eaque cum Hippocrate conſentire? Quemadmodum aut in Parmenide ea perſequitur Plato, quæ in eo ſunt mundo qui ſub intelligentiam cadit: ita in Timæo imagines ex forma, & tanquam ex ore veri ſincerique exemplaris effictas & expreſſas, omnem denique phyſiologiam huius vniuerſitatis, quæ ſpectabilis eſt & corporata, exequitur & tractat. ipſa libri inſcriptio multa ex Pythagoræ ſchola deducta declarat, cùm & Timæus Pythagoreus fuerit, & de natura ſcripſerit: multa tamen de ſuo addit Plato, multa immutauit, multa ex Triſmegiſto, Hippocrate, Heraclito mutuatus eſt. Quàm autem ne longè abeas præclara cauſarum tractatio, vt efficientis, exemplaris, finis, & συναιτίων (quæ Cicero adiuuantia cauſarum appellat) vt materiæ & formæ. qua in re, vt mihi quidem videtur: dicam enim liberè quod ſentio, licet fremant Peripateticorum ſcholæ, & acutior & ſolertior fuit Plato, quàm Ariſtoteles: præſertim cùm Ariſtoteles ſola cauſarum adiuuantia, materiam inquam & formam, ad coagmentationem corporum adhibeat, rarò cauſa efficiente vtatur, vix vnquam fine, nunquam exemplari, idque non iniuria. Nam





cùm cœleſtibus orbibus verſandis Deum implicaſſet ſuum, hæc citeriora nulla gubernare prouidentia putaret, idcirco συναίτια cauſas exiſtimauit: cauſas autem veras vel impiè contempſit, vel turpiter ignorauit. Iam cùm Plato ex materia & forma omnia fingeret, nec Ariſtoteles iſta principia mouere poſſet, ne tamen præceptori nimium debere videretur, ſi eius inuenta ſemper vſurparet, bellam illam, ſi Dijs placet, priuationem excogitauit, quam verbo principium poneret, reuera nuſqam eſſe diceret: quod eo magis eſt ridiculum, quia ſuo illo principio poſtea nunquam vtitur. Sed id hoc tempore non agitur, vt Platonem cum Ariſtotele comparem, quod & inuidioſum eſſet & ſuperbum, & huius alioqui controuerſiæ & cauſæ actores auorum memoria fuerunt Georgius Trapezuntius & Beſſario, honorarius arbiter & diſceptator Theodorus Gaza. Hunc dialogũ tam obſcurum, tam variæ doctrinæ refertum, ſi pro rei dignitate me explicare poſſe profitear, ineptus ſim: ſi ſedulitatem & diligentiam pollicear, labor meus fortè non improbetur in re fructuoſa collocatus. nam ſi hoc duntaxat ſecutum eſſe me dicam, vt doctores ad huiuſmodi auctorum interpretationem exemplo meo prouocem, acciperetis, vt opinor, excuſationem meam. Atqui ſpero fore aliquem, qui ſtudio acriore, quàm nos ſumus, & facultate dicendi maiore & maturiore, & labore atque induſtria ſuperiore, talis exiſtat aliquando interpres, qualem dialogus iſte quærit. Hoc tamen onus interea quod ſuſtuli, feram, vt potero, ſtudio & induſtria, & ſi vos aliqua ex parte alleuabitis, fortaſſe perferam.

# ADRIANI TVRNEBI PRAEFATIO IN PHÆDONEM PLATONIS, de Animorum immortalitate.

ETSI animorum immortalitas vera ſacroſanctæ religionis noſtræ fide ſic comprobata & recepta eſt, vt nemo niſi nefarius & impius ea de re dubitare poſſit: tamen cùm exoriri ſoleant nonnunquam ingenia, vel ſic ad prauitatem profligata, vel ad impietatem proiecta, vt libidine animi ſcelerati potiùs, quàm veritate ſinceræ & incorruptæ pietatis ducantur: aduerſus tam importuna hominum ingenia, quæ effatorum diuinorum auctoritate nihil ad credendum impelluntur, quod reliquum eſt, vt aliquo modo muniti eſſe poſſimus, ſubſidio philoſophiæ nobis vtendum eſt. Quod vtinam hoc ſeculo nulla huiuſmodi peſtis naſcatur: vt veræ religionis tantùm perſuaſione in hac re, nullo autem philoſophiæ adiumento nobis opus ſit. Quia tamen futurum nemo niſi Deus præſtare poteſt, nihilque tam dictu ſceleratum eſt, quod non aliquorum hominum cogitationibus innaſcatur: piorum animi aduerſus eos omni ope obuallandi ſunt: vt ſi minus illos de nefanda ſententia deducere poſſimus: religioſos tamen homines & pios in vera perſuaſione retineamus. Ac ſi quis immortalitatis confirmationem inter Chriſtianos ocioſam eſſe putat, propterea quòd eam nos ſanctum Euangelium perdocet: is ſic cogitet, eum de religione non malè mereri, qui ſanctiſſima eius decreta, quantum poteſt, confirmat: & Moſi, cuius eadem quæ Seruatoris noſtri ſententia fuit, non defuiſſe olim mortalitatis approbatricem diram Saduceorum ſectam. Homines autem illi, ſi Dei præceptis potiùs, quàm hominum inuentis & argumentis mouerentur, ſuperuacaneus iſte planè labor eſſet. Nunc ita præpoſteri ſunt, vt quod non oporteat, diuinæ ſcripturæ minimum auctoritatis tribuant: hominum rationibus plurimum fidei adiungant. Ergo quoniam eos ſacris & auguſtis ſcripturæ oraculis oppugnare non poſſumus, philoſophiæ argumentis amentiæ conuincamus. Ita enim demum exiſtimauerũt ſe errori ſuo viam eſſe propè conſularem munituros impij mortales, ſi ſcripturæ auctoritatem eluderent, cùm immortalitatem animorum opinione perſuaſam, non ratione vlla ſubnixam eſſe crederent. Nunc, quod equidem non puto, ſi qui eiuſmodi ſunt, eos doceamus, quæ credimus, ea nobis non magis piè quàm verè perſuaſa eſſe. Principio quando natura noſtris animis opiniones quaſdam inſeuit, quas non tàm diſciplina comprehenſas, quàm Dei quodam numine à primo ortu inſignitas habemus, quibus ad verum inueſtigandum ornati & inſtructi ſumus, ex ijs animorum æternitatem eſſe planè ponimus. Quæ eſt enim gens, quæve natio, quæ animos æternitate ſpoliarit? quæ non æternos crediderit? nullus profectò populus vel immanis & barbarus, vel humanus & eruditus fuit, qui animos morte damnarit. Tantum autem populorum omniũ conſenſum, quis non tacitum quoddam naturæ teſtimonium dixerit? Nam in tanta diſſenſione religionis, in

tanta diſſimilitudine legum & inſtitutorum, vnum tamen hoc inter omnes conuenit. Et quiſquam inuenietur, qui omnibus nationibus fanaticum errorem ſuum opponere auſit, affirmaréque ſecus eſſe conetur? Quis autem dubitat quin omnis antiquitas ita ſenſerit, poſt exceſſum ſupereſſe ſenſum animis? cùm tanta religione funerum & ſepulchrorum iura cauta eſſe videamus? cùm mortuorũ memoriam tàm ſanctè colamus? iſtas putamus opiniones fruſtrà noſtris animis inſitas eſſe? ac non tacitum quoddam in animis noſtris augurium latere æternitatis? Itaque animi noſtri in poſterum præſentiunt, & ſempiternum quiddam ſpectant: quo ſatis ſignificant nulli ſe fato obnoxios eſſe. Quod niſi ita eſſet, ecquis obſecro pro patria, aut pro virtute ſe periculis vnquam obijceret? mortémque vellet pro laude paciſci, vt Virgil. ait? aut, quis non eum qui id faceret, pro ſtulto & vecordi habendũ putaret? niſi fortè quis, qui quidem ſapiat, pluris hominum commemorationem & ſermonem, quàm vitam & ſalutem, ſi interitus ſemel delet omnia, æſtimare debet: cùm hominum fama tanti non ſit, vt diſpendio vitæ redimenda ſit. Nemo profectò ſine magna ſpe immortalitatis vnquam ſe pro patria obtulit ad mortem. Ac ſi animos interitus, vt corpus, perimeret, cur religione, cur pietate aduerſus Deum immortalem, cur ceremonijs nobis opus eſſet? quam ad rem tamen natura potius, quàm doctrina nos imbuit? etenim ſi poſt hanc vitam toto animante deleto, neque virtuti præmium, neque vitio ſupplicium à Deo perſoluitur, cur numina veneramur, à quibus neque rectè factorum gratiam expectamus, neque maleficiorum pœnam formidamus? illa quidẽ non tàm colere, quàm accuſare deberemus: quæ ea conditione nos eſſe voluiſſent, vt cùm æternitatem præſagiremus: acerbo tamen & perpetuo interitu acciderem us: vt cogitationem immortalitatis & ſenſum, vel ad funeſtiorem malorum acerbitatem, vel ad fædam circumſcriptionem, tribuiſſe videantur. Quod ſi animi ſtudium, ſi conatus, ſi appetitio, neque irrita, neque inanis eſt, cùm æternitatem cogitet, eamq; affectet, quis obſecro non eum ea potiturum ſperabit? melius quidem cum brutis, quàm nobiſcum ageretur, niſi ita eſſet. nam vt ea mortalia ſunt, ita minimè mortalitatis opinione cruciantur, quam ſe expertura non cogitant: nos in vita tantò antè noſtri fati cogitatione torqueremur: vt non ſolùm præſentis mortis aſperitate, verùm etiam multò antè impendentis metu angeremur, neque interim futuri ſeculi vlla ſpes nos conſolaretur. Deum autem melius brutis, quàm nobis conſultum eſſe voluiſſe, quis dicere audebit? cnm illa homini tanquam hero pareant, vt eius cauſa nata eſſe videantur? Niſi autem iſta perpetuitatis opinio certa in animo conſtituatur, ecqua tandem reliqua fuerit virtutis ſuſpicio? quis non eum ſtultiſſimum exiſtimarit, qui officij potius, quàm cõmodi, iuris potius, quàm iniuriæ, honeſti potius, quã emolumenti rationẽ ſibi habendam eſſe duxerit? qui non eum prudentiſſimum eſſe duxerit, qui in fœda omni voluptate volutatus, & vſura vitæ fruetur, vt omni virtuti nuncium remiſiſſe videatur? Quanta igitur labes, quanta euerſio vitæ ſequetur vitijs confirmatis, debilitata virtute, atque adeo ſublata? Quid? quod tanta animi celeritas eſt, vt immenſam iſtam rerum ſummam momento percurrat? effractíſque mundi clauſtris extra euolet? exiſtimabimúſne eum eſſe morti expoſitum, cuius motionem nullo tempore circumſcriptam definitámque ſentiamus? Mortalium enim rerum actiones tempus metitur, æterna quæ ſint omnia momento gerunt, interuallis & ſpatijs temporum nihil egentia. Quod ſi me roges quæ ſit animi natura, hæream: cùm tanta ſit eius tenuitas, vt aciem oculorum effugiat, nec reſpondere tibi fortaſſe poſſim, niſi id quod ab Ariſtotele diuinitus excogitatum eſt, talem eſſe rei cuiuſq; habitum & naturam, qualis actio, quale munus: vt ex cuiuſque actione philoſophus præſtantiſſimus inueſtigari & informari debere cenſeat rei cuiuſque conditionem atq; ſtatum. Cùm igitur animi multa officia ſic admiranda videamus, vt planè diuinitatem quandam declarent, de eius ſtatu tandem dubitabimus? Quis enim non eximiam quandã & planè diuinam agitationem duxerit, qua ſuperata hac omni mortali plaga cũ æternis naturis contemplando commercium habet: ipſúmq; huius vniuerſitatis parentem & adminiſtratorem penè manu præhendit? quicquámne ex hac fluxa & caduca mortalitate concretum eſſe putabimus, quod intelligentias tam ſimplices intelligat? quicquam tam præclarũ, vt vllũ æternitatis ſenſum habeat? Ingenerari profectò menti noſtræ Dei ſempiterni & beati notio non poſſet, niſi animus æternus eſſet. Nam cùm, vt veteres Phyſici cenſent, ſimilia ſimilibus cognoſcantur (quæ res nonnullos impulit, vt animũ, qui in omnium rerum cognitione viget, omnibus ex rebus componerent) quo tandẽ modo præſtantiſſima animi pars, in qua principatus eſt, Deum cognoſcere poſſet, niſi diuina eſſet? Tantũ certè diuinitatis & æternitatis animo ſupereſt, vt vtramq; rebus mortalibus propè impertiat: cùm ex ijs vniuerſa quædam eliciat fati omnis expertia. quod ſi ex mortali immortale poteſt educere, nónne id beneficio & ope diuinæ & immortalis ſuæ naturæ facit? Iam ſi in ſenſu diuinitatis quædã adumbratio eſt, quoddã veſtigiũ, cùm præſertim aſpectus formas ſine materia percipiat, vt interpretes ex Ariſtotele & dilucidè & eruditè docent, intelligentia cuius proprium mu-





nus eſt & officium formas ſimplices & ſempiternas contemplari, an non quæſo diuina iudicanda erit? Itaque nullum habet proprium in corpore inſtrumentum, vt ſenſus: qui ita corpori immerſi ſunt, vt certa in parte locati hæreant. non enim vt oculũ aſpectus, ita certum mentis & proprium inſtrumentum nominare potes. Etſi enim in corpore noſtro collocata eſt: ita tamen libera eſt & abſoluta, vt ab eo ſe plerumque vendicet, foráſque promineat, & ſine eius aduocatione multa conſideret: cùm eius etiam contemplationi plerúmque corpus officere videatur: quantúmque poteſt corpus à ſe amandare ſoleat. Quod ſi ſuo & proprio vteretur inſtrumento, nunquam tantam rerum varietatem & diſſimilitudinem complecti poſſet: ſed, vt auris ſonos, oculos colores, caro calorem, frigus, ſiccitatem, humorem, quæque ex ijs naſcuntur, ſentit: ita mens res certas & definitas, non tantam rerum infinitatem, percipere poſſet. Nullum enim inſtrumentum infinitarum rerum functioni par eſſe poſſet: quod quidem argumentum certiſſimum & exploratiſſimum eſt animi à contagione corporis liberi & ſeparati. Proinde, quis dubitabit, cùm videat ei ne in corpore quidem cum corpore conſuetudinem eſſe, quin per ſe ſecretus conſtare in ſua integritate ſaluus & incolumis poſſit? Adde quod infinitatem ipſam mente comprehendit, eiúſque notionem deſcribendo conſequitur. atqui infiniti in mortalem naturam informatio nulla cadere poteſt, cuius omne munus, officium, functio finita circumſcriptáque eſt. Illud verò quale tandem eſt, quod animus libera ſuſceptione & impulſione à ſe mouetur, nulla ſpecie extrinſecus oblata: verum ſui iuris & ſpontis modò in Indiam excurrit, modò in Scythiam peregrinatur, & diſtantiſſimas mundi plagas cogitatione luſtrat? Præſtóne ei eſſe poſſunt earum rerum ſimulachra & imagines, quarum occurſu quandocunque collibuit iſta cogitet? non vt opinor ita nobis ad nutum parent, vt quandocunque citata reſpondeant. quod ſi impreſſionem aliquam in animo ineſſe dicas: tamen principium impulſionis ab ea non fuerit, vt in ſenſu ab obiecta ſpecie: cùm præſertim mens liberè moueatur. alioqui enim iſta neceſſariò cogitaret: vt præſente & oblata ſpecie, ſenſus neceſſariò ſentit. Quo fit vt animus principium motus ſit, à ſéque cieatur: nec vt ſurda & ſtolida materia alterius motione egeat: ſed ſimilis ſuperioribus intelligentijs ſuapte totus agitatione vigeat. In vitioſis autem hominibus & libidinoſis, quibus corpus eſt voluptati, animus oneri, quíque animum quantum poſſunt corpore obruunt: tamen animus à corpore ſeparatur. id declarant incontinentes, qui diuerſè diſtrahuntur, cùm aliud libido, mens aliud ſuadeat. nónne tum mens à corporis inclinatione & propenſione recedit? nónne eius impetum incitationémque remoratur, neceſſitatemq; contubernij moleſtiſſimi indignatur? In philoſophis autem, qui in veri inquiſitione elaborãt, id dilucidè magis clareq; cernitur: qui prima principia doctrinarũ perueſtigant: qui ſecretas ſeparatáſq; mentes ab omni concretione & contagione mortali remotas ſcrutantur: qui primũ impulſorem orbiũ cœleſtium immobilem & indiuiduũ, corporis expertem ratiocinantur: qui ea quæ ſemper & eiuſdẽ modi ſunt intuentur, & Deorũ propè alloquio fruuntur. Equidem ad aſſerendam animorũ æternitatem vel vnum hoc ſatis habere momenti cenſeam, quòd animus corporũ formas ſeparare poteſt: quod ex ſingulis vniuerſa, quæ ſempiterna ſunt, quomodocunq; id faciat, expromere. quid quod argumentatur, ratiocinatur, concludit, anteceſſiones rerũ videt, cernit conſecutiones? In caducáne vlla & mortali natura vis huiuſmodi fuerit? Quid ego cõmemorem tot tantarúmq; artium inuentiones, quibus hominũ vita, partim ad neceſſitatem inſtructa, partim ad elegantiã exculta, floret? nónne declarant diuinam quandã vim & ſolertiam ingenij humani immortalibus ſimilem? Quanta porrò animi memoria eſt? quàm infinitarũ rerum receptaculũ & theſaurus eſt? Ineſt quidẽ illa in brutis, ſed rudis & inchoata: in homine verò ita diuina, vt miremur: cũ in doctos & eruditos homines incidimus, fieri poſſe, vt tam multa meminerint. Vis autẽ illa inueniendi, cogitandi, recordandi, naſcíne poteſt & concreſcere ex mortalibus elementis, an potius diuina & cœleſtis eſt? Cùm ergo nihil ex vſitatis his elementis fingi tale poſſit, quid dubitamus diuinum & cœleſtem animum pronunciare? Cùm autem animus ſimplex ſit, nihil copulatum, nihil admixtum, nihil coagmentatum habeat: profectò interitu nec diſſolui, nec dirimi poterit, immortaliſque erit. Illudne etiam ſatis apertam habet ſignificationem æternitatis, quod rerum neceſſariarũ & ſalutarium conformationes anteceptæ, animis impreſſæ, ſunt omnium artium & ſcientiarum primordia. Quid, quod cùm ipſi ſenſus ætate elangueſcant & hebeſcant: tamen in ſenectute prudentia, ſagacitas, mens deniq; ipſa magis viget, omnis expers ſenij & offenſionis? Quod ſi verum eſt quod ab Ariſtotele doctiſſimè ſcribitur, non minus acrem fore ſenis aciem, quàm iuuenis, ſi iuuenis oculum ſenex habeat: in quo ſignificat vitio inſtrumenti ſenſum ipſum emori, deficientibus ætate ſenum membris & artubus, cùm augeatur vis animi: quis animum dicet ruente eo cui inhæret vna corruiturũ? Nam ſi corporis languor & vitium ad animũ pertineret, corpore ſeneſcente, animũ quoq; debilitari oporteret, non ad mentem, ſagacitatem, ſolertiam profi-

cere: ſed tempore ſenſim eius vires carpi atque libari. Philoſophorum verò ſi auctoritates requirantur, quis cum Ariſtotele & Platone vix in philoſophia balbutientes Epicureos comparauerit? Equidem illorum ſuperiorum pluris ſine ratione auctoritatem, quàm horum rationes omnes fecerim. ergo Ariſtoteles ſolertiſſimus naturæ inueſtigator, ex admirabilitate ingenij humani, mentem agentem, quam vocat, diſertè planeq; immortalem & æternam ponit: qualis illa cunq; ſit per me liceat interpretibus inter ſe contendere: à philoſopho tamen omnium doctiſſimo inducta eſt, quod vti dixi, vigorem illum ingenij humani diuinum eſſe videbat. eius autem verba quædam adponam eò libentius, vt eius ſententia intelligatur quod nonnullos intelligam inuidioſè & criminoſè, quo iuuentuti non faſtidium eius tantum, verùm etiam odium inducant, per ſummam calumniã, mortalitatem animi obijcere. Ergo ita ſcribit libro 2. de animo, *De mente eáque vi, quæ ad contemplandam accommodata eſt, nondum perſpicuum eſt: verùm genus aliud animi eſſe videtur: idque ſolum ſeparari poteſt, vt ſempiternum à caduco.* Satiſné apertè ſuam hic teſtificatur ſententiam Ariſtoteles de animi immortalitate? & in tertio, *Separata mens ſola eſt, id quod eſt, atque hæc pars ſola immortalis eſt & ſempiterna.* Quiſquámne aliud teſtimonium deſiderat, aut poſthac ad circumſcribendam iuuentutem impudentiſſimo mendacio vtetur? In ſecundo verò de animalium procreatione ita ſcribit, *Relinquitur ſolam mentem extrinſecus aduenire, ſolamq; diuinam eſſe: neq; enim cum eius actione ſocietatem vllam habet corporis functio. Ac omnium quidem animorum vis alterius corporis particeps eſſe videtur, eiúſq; diuinioris, quàm elementa quæ vocantur: quæ quidem corporis natura, vt animi dignitate & indignitate differunt, ita etiam differre videtur.* Hic operæpretiũ fuerit Ariſt. ſententiam attendere. Cenſet enim omnem animi poteſtatem, etiã in mutis animantibus, ſuum quoddã corpus habere caloris ætherij ignis & elementorum omnium diſſimilis. Locus hic videri poteſt, vel ex hoc loco potuit Cicero, Diuo Auguſtino perſuaſiſſe, animum Ariſt. ſententia materiatum & corporatum eſſe: cùm tamen aliud Ariſtoteles ſentiat. Accedit enim ad Platonis opinionem, quoddámque cœleſtis illius ardoris vehiculum animis attributum exiſtimat. Naturam autem illam cœleſtem eò diuiniorem & præſtantiorem eſſe tradit, quò animus ſit excellentior, qualis eſt humanus. Proinde Cicero in Academica ad Varronem, ab Ariſtotelis ſententia paulum aberrans, ſcribit, quintum genus è quo eſſent aſtra mentéſque ſingulares Ariſtotelem poſuiſſe. Et in prima Tuſculana id ipſum ex Ariſtotelis exotericis, vt opinor, ſic explicat, *Ariſtoteles longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio & diligentia, cùm quatuor nota illa genera principiorũ eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintã quandam naturam cenſet eſſe, è qua ſit mens. Cogitare enim & prouidere, & diſcere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari, hæc & ſimilia eorum in horum, quatuor generum nullo ineſſe putat.* Ex hoc ſatis eſſe perſpicuum arbitror, quæ fuerit Ariſtotelis iſta de re ſententia. Plato verò hoc in ſermone, quem explicandum ſuſcepimus, tot adfert ad probandum immortalitatem rationes, vt ipſe ſibi plane perſuaſiſſe, alijs etiam perſuadere voluiſſe videatur. Docet enim omnia quæ quidem contrariam habeant ex eo gigni, vt ex magno paruum: illámq; procreationis viciſſitudinem vltro citróq; commeare: ne ſi impetu ſuo rectà in contrarium ferantur omnia, nullum regreſſum habentia, nec reciprocata, altero relicto in vnum omnia concedant. vnde vult effici neceſſe ex viuis mortuos fieri, viciſſimque è mortuis viuos: quod niſi animis ſuperſtitibus & æternis fieri non poſſet. Affert & alterum argumentum ex ſcientia ſumptum, quam eſſe recordationem diſputat, ex eo quòd ignari homines rectè interrogati, ita ad rogatum aptè reſpondeant, vt recognoſcere & recordari videantur, quæ antè aliquando cognouerint: vt ante hanc vitã animus in rerum cognitione viguiſſe ſuperſtéſq; fuiſſe videatur: vt perinde nullo conſumi fato poſſit. Alia eſt ratio nihil animis admixtum eſſe, cùm ſimplices ſunt & copulationis coagmentationiſq; omnis expertes, ideóq; interitus: cùm interitus earum eſſe rerum diſiunctio videatur, quæ iunctione aliqua tenebantur. Quartum argumentum eſt, quæ ſub ſenſum non cadunt, ſed ratione & intelligentia percipiuntur, conſtantia & immortalia eſſe contra quæ ſenſus mouent, incerta & fluxa: animum autem prioris eſſe generis. Quintum argumentum eſt, homines animi imperio, corporis ſeruitio vti: imperium autem diuinum eſſe, corporis ſeruitium obnoxium. Sextum argumentum, ſi corpus hoc fragile & mortale, tamen poſt obitum diu permanet, quadam etim conditura curatum ſecula multa durat: animũ qui corpus vita afficiebat nonné veriſimile eſt immortalem fore? Septimũ ſumitur ab formis illis, quas mirificè amplexabatur Plato. argumentatur enim eas eſſe animi attributiones & proprietates, eam naturam, vt cum vitam afferre ſoleat, cui mors repugnat, in eum mors nullo modo cadere poſſit. Eſt & illa memorabilis apud Platonem in Phædro immortalitatis probatio, quòd animus à ſeipſo moueatur. Pleræq; autem harum rationũ, non minus animis brutorũ, quàm hominũ conueniunt: propterea quod eoſdẽ eſſe Plato falsò cenſet, æqueq; imortales. Animos enim hominũ qui ſe fraude, maleficio, ſcelere cõtaminarint,





exiſtimat ex Pythagoræ decretis in brutorũ corpora demigrare, illícque pœnam expendere. Ratio quæ à recordatione ducitur, humanorum animorum propria eſt. Inſerit autem plurimas præclaras diſputationes his argumẽtis Plato, quas malo ex eius lectione, quàm ex mea commemoratione intelligatis. Ne huius quidem dialogi vllam inſtituam laudem. Satis enim confido eum vobis eſſe commendatum, vel inſcriptionis dignitate, vel ſcriptoris auctoritate. Tantùm dicam Catonem illum qui Vticæ ſibi mortem conſciuit, antè hunc librum legiſſe, & ad fortiter moriendum, huius libri lectione, confirmatum eſſe. Vt autem intelligatis huius libri lectionem periculo non vacare, Cleombrotus Ambraciota cùm hic legiſſet philoſophiam eſſe mortis meditationem, nec ſatis attendiſſet Platonis ſententiam, ex alto muro ſe in mare præcipitem abiecit: extátq; in eum ſic Latinè conuerſum Callimachi epigramma,

*Vita vale, muro præceps delatus ab alto*
*Dixiſti moriens, Ambraciota puer,*
*Nullum in morte malum credens: ſed dicta Platonis*
*Non ita erant animo percipienda tuo.*

Quo mihi magis danda opera eſt, vt omnia clara fideliq́ue interpretatione percipiatis: ne ſi quid minus intelligatis, Cleombroti exemplo in vos malè conſulatis.

# CAROLO MAXIMILIANO VALESIO FRANCORVM REGI Chriſtianiſsimo

## ADRIANVS TVRNEBVS S. P. D.

NIHIL hominum generi debet eſſe prius ac antiquius, CAROLE Rex Chriſtianiſſime, quàm vt veram & piam de DEI cultu ac religione ſententiam animo penitus comprehenſam perceptamq́ue habeat atq; conſeruet. Nam ſine ea neque benè beatéque viui in hoc mortali æuo poteſt, neque emerito huius vitæ tanquam ſtipendio, perpetua illa bonorum æternorum vſura, ad quam omnes boni aſpirant, comparari. Neq; enim leuia, vt ait nobiliſſimus poëta, aut ludicra præmia petuntur, ſed de ſempiterna vita ex morte dimicatur, vt omnium ſtudia excitari ad veram religionis & pietatis cognitionem debeant: quam ſi adſequantur, cœlitum contubernales immortali perennique felicitatis fructu potientur: ſi non adſequantur, capite damnati, in ſempiternos cruciatus ærumnaſq́ue tradentur. Non enim hic agitur fama, exiſtimatio, honos, gloria, diuitiæ: aut earũ rerum amiſſio, detrimentũ, repulſa, offenſio, quæ homines vt euitent, vel adipiſcantur, quem non laborem ſufferunt, quam non contentionem adhibent? Sed vel ſalus vniuerſa, vel perpetuus cuiuſq́ue interitus agitur. Neque quiſquam ſi certam animi & voluntatis inductionem adferat, ſi ſtudium propenſum adiungat, non quod cupiat hic facilè conſequatur: cùm præſertim non homine Magiſtro, ſed Doctore Deo germanam pietatem hauſurus ſit. Quia autem tanto doctore non proficiet, & eius rei quam deſiderat ſcientia non complebitur? Accedunt & præceptores ſpiritus cœleſtis aura diuinitus adflati, Deum animo & ſcriptis ſpirantes & anhelantes, qui non tàm humanum ſermonem fundere, quàm Dei oracula & effata eloqui videntur, quos Deus ipſe docuit, vt hominem erudirent, & diuinus ſpiritus adflauit, vt tanto munere & miraculo omnes obſtupeſcerent: è quorum deinceps ſchola extitêre nobiles Magiſtri, eandem quam à præceptoribus pietatis ſectam acceperant, ardentibus animis propagantes: neque ſolùm homines literis docentes, ſed etiam ſuis ſupplicijs incitantes: qui quidem non facilius, vel diſſerebant, vel ſcribebant de Deo, quàm ei parati erant ſanguinem & vitam impendere: quod omnium cruentus exitus declarat, optata ſemper magis morte, quàm vnquam declinata, & prouocata potius quàm deuitata. Hoc ardore pietatis diu hominum pectora flagrarunt, deinde intepeſcere paulatim cœperunt, ad extremumque frigere, atque adeo congelare. hinc pro pietate impietas ſucceſſit, quæ magnificè per hominum ora incedens eximio ornatu & cultu regio amicta, interdum obſoleto ſordidóque pallio veſtita, perſonata & ſimulata numinis ac pietatis apud ſtupidum vulgus facilè locum obtinuit, & iactationem in populo habuit. Ex eo tempore pro religione & integritate vigere cœpit in Repub. Chriſtiana quæſtus & ambitio, pro paupertate maiorum, diuitiæ malis artibus & periurio quæſitæ ſunt: pro parendi officio,

imperium dominatióque comparata eſt,& pro re verba nobis perſoluta. Quæ quidem res tantum apud omnes ordines odium offenſionémque concitauit, nemo vt eſſet qui non indignaretur, cùm videret eos, qui nullis bonis artibus inſtructi erant, primos omnium cenſeri, opibus & gloria florere, otium cum dignitate habere, miſeram plebem illis quæſtui & prædæ eſſe: & ſi quis liberè ingenuéque ſuſpirare auderet,atrociſſimè & crudeliſſimè necari. Homines enim ſibi malè conſcij, quod iure et legibus retinere non poterant, ferro & flamma defendere conabantur. Quibus rebus adeò non profecerunt, vt ſibi aduerſarios vltrò auxerint. Quid multis opus eſt? adeò creuêre, vt regni tui auſpicijs & rudimentis, cùm te maxima lætitia perfrui oporteret,omniumque fauſta gratulatione excipi,bellum funeſtiſſimum comparatum ſit, caſtra caſtris collata ſint, & infeſtis ſignis dimicatum, atque ita diſceſſum, vt neutra acies è prælio læta diſceſſerit: illud tamen ciuile & implacabile odiũ, duarum partiũ internecino bello decertantium tibi magno conſtiterit, cùm omnes qui vtrinque caderent, maximo incommodo tuo perirent, et velut præſidia & propugnacula regni tui conciderent. Quid dicam à noſtris hominibus, nobis gaudio exultantibus & triumphantibus,captas manu ac direptas florentiſſimas regni tui vrbes, noſq; eò veſaniæ progreſſos eſſe: vt quod,ab hoſte ſemper timuimus & defendimus, nobis vltio alienata mente fecerimus? Deus im̃ortalis noſtris offenſus vitijs nobis tum mentẽ eripuit, vt nos pro noſtris noxijs malos malè perderet. Quinetiam calamitoſo illo ciuili bello, etſi ab eo hoc tempore reſpiramus, hoc mali contractũ eſt, quòd qui antea vnus erat populus incredibili animorum conſenſione atque ſtudiorum coniunctus, nunc diſtractus & diuiſus animo infenſo infeſtoque inter ſe diſſidet: duæque partes & factiones in mutuam coniuratæ perniciem, dum aduerſarijs nocendi tempus circunſpiciunt, patriam ac publicam cauſam deſerunt atque produnt. Atque nobis maxima quidem anteà ſpes erat collocata in publicis orbis Chriſtiani conuentibus diſcordiarum ſedandarum: ſed ea nos deſtituit, fefellit atque fruſtrata eſt. Animaduertimus enim eos, à quibus habiti ſunt, nimium amare ſe, nimiumque ſibi indulgere, ſuamque cauſam & vtilitatem pluris, quàm publicam omnium tranquillitatem ac ſalutẽ ducere. Ineunda igitur nobis eſt concordiæ ratio, quærendaque via quam neutra pars improbare poſſit. Ac mihi quidem vtriq; in vitio videntur eſſe,cùm alteri,vt verè nec diſſimulanter loquar, ſint arrogantiſſimi, alteri impudentiſſimi. Nam arrogantiæ eſt intolerandæ, eos qui tàm multa, ne quid grauius dicam, peccent, in auctoritate ſpecioſi vocabuli delitéſcere, ſe Dei ſimiles facere, ſeque peccare non poſſe prædicare. Impudentiæ eſt inuerecundæ,eum à quo diſſideas,quemque oderis,ita flagitioſè de religione omnia ſentire clamitare, vt Titanem aliquem aut terrigenam cœleſtibus infeſtũ, cunctæque pietatis euerſorem pronunciare auſis. In tantæ controuerſiæ diſceptatione,& animorum ita alienatorum & exulceratorum reconciliatione & ſatione equidem putarem vetus Athenienſium factum exemplumque nobis eſſe reuocandum: ea ſi eſſemus animi æquitate & bonitate, facile nulloque negocio res tota conueniret. Nam cùm aliquando Athenienſes Apollinem Pythium conſuluiſſent,quas potiſſimum religiones tenerent,editumque eis oraculũ eſſet, eas quę eſſent in more maiorum: iterum ad Oraculũ miſêre, cùmque maiorum morem ſæpè dixiſſent eſſe mutatum, quæſiſſentq; quem potiſſimum morem ſequerentur è varijs, Apollo reſpondit, optimum. Idem nobis in religione Chriſti Sanatoris faciendum eſſe cenſeo. Non enim dubium eſt quin ritus Eccleſiæ ſæpè mutati ſint: quin ſordes et quæſtus multa pepererint & inuexerint, deprauarint & corruperint. ad illam antiquam ſanctimoniam, caſtitatem, integritatem,ſinceritatem, purgatis illis vitijs, quæ in Eccleſiam irrepſerunt, religio erigendà eſt: Stips, quæſtus, pecunia,lucrum,diuitiæ inde exterminandæ eijciendæque ſunt: priuata ſacra tollenda eorum hominum, qui ab epiſcopis & curionibus ſeceſſerunt, precibusquè promercalibus populum ita ſpoliant, vt viatorem in ſiluis illi qui latrocinantur. Epicurus ex Eccleſiæ ſotijs expellendus, qui otium pingue ſine negotio amplectitur, neque docere vult, ſed honoratus eſſe, & ſaliarem in modum epulari. Partibus autem iſtis de religione tam acerbè diſſidentibus,ſi quam pietatis rationem habent,non odij aut quæſtus ſui iudices feram, quos vt iniquos eiurare non poſſint, Chriſtum & Apoſtolos, doctoréſq; & teſtes eorum temporibus propinquos. Et quiſquam audebit illos diſceptatores recuſare, quos omnis pietatis auctores & duces habemus? ex his vnum in præſentia producimus & ad te mittimus, Rex Chriſtianiſſime, Cyprianum aut potius typographus tuus per nos mittit, non ſolùm eloquentia & doctrina clarum, verùm etiam Chriſto ſacratum & immolatum: ex cuius ſcriptis formam & imaginem veteris eccleſiæ priſcoſque ritus cognoſcere intelligenti pióque promptum eſt, non item ei fortaſſe cuius mens lucro impedita eſt, aut ambitione conſtricta conſcientia. Gulielmus Morellius rem magni & animi & impendij ſuſceperat, accõmodatiſſimam ad horum temporum caliginem diſcutiendam, lumenque veritatis hominibus veluti prælucendũ, antiquiſſimos quoſq; eccleſiæ ſcriptores Græcos & Latinos

Latinos



Latinos emittere: iamq; feliciter Dionyſium eiuſq; interpretem & paraphraſten ediderat: Cyrilli catecheſes ad vmbilicum penè perduxerat: Cyprianum multis vndiq; conquiſitis & corrogatis exemplaribus, libris etiam auctum propè abſoluerat, cùm repentè horum auctorum editioni immortuus, familiam ære alieno coopertam, vxorem miſeram, liberos inopes reliquit. Is nunc pro ſua familia Cyprianum ad te, Rex Chriſtianiſſime, allegat, quem in tuo nomine apparere voluit, per eumque te ſupplex rogat & obſecrat, ſuorum & liberorum ſolitudinis ac inopiæ miſerearis, aliquidque elargiaris, ad æs alienum, non nequitia, ſed ſtudio de repub. bene merendi contractum luendum atque diſſoluendum. Erant ei annua à patre tuo auguſtiſſimo Rege Errico conſtituta: ſed hiſce proximis annis communiũ temporum iniquitas & anguſtia ærarij non permiſerunt, vt illa liberalitate frueretur. Erit igitur, Chriſtianiſſime Rex, beneficentiæ tuæ, quod illi temporum calamitas ademit, nec tamen ſtudium religionem iuuandi eripuit, ipſius liberis tuam per hunc pontificem implorantibus opem ac fidem, iubere reſtitui atque perſolui: vt non plus ei abſtuliſſe fortunæ iniuria videatur, quàm tua benignitas redidiſſe. Ille in eo diligenter elaborauit, ſedulamque operam nauauit, vt tuam Rempub. his ſcriptoribus inſtrueret, quibus ad eam conſtituendam, & ex tanta diſciplinæ veteris perturbatione, & belli inteſtini tempeſtate & iactatione recreandam atq; reficiendam, animoſque hominum de Religione diſſentientium placandos atque reconciliandos, tibi tuiſque opus eſſet, re familiari interea neglecta, priuatiſque commodis & valetudine. tantam eius in patriam pietatem, te tanto & munifico rege & iam inprimis in cunctis ætatis tuæ ſpatijs bonas artes, literas, ſtudia ingenua, virtutemque non ſolùm admirante, verùm etiam prolixè liberaliterq; donante atque munerante, non parem experiri in ſuos largitatem tuæ iſti magnificæ liberalique naturæ conſentaneum non fuerit niſi decorum.

# ΜΙΧΑΗΛΩ ΟΣΠΙΤΑΛΕΙ ΒΟΥΛΕΥΤΗ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ

ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

ΤΗΝ Αἰσχύλου ἔκδοσιν ὑποστησάμενοι, μεῖζον καὶ δυσκολώτερον ἀνειληφότες ἐργολάβημα, τῆς δυσχερείας ἤδη ἔργῳ πειρώμενοι, ἐγνώκαμεν, ἢ ὥστε καθάπερ προῃρούμεθα, τὸ πρᾶγμα εἰς τὴν προσήκουσαν κατόρθωσιν καταντῆσαι δυνηθῆναι. μυρίων γὰρ ὅσων γέμοντα σφαλμάτων εὑρόντες, καὶ ὡσπερεὶ κακοήθεσι καὶ γαγγραινώδεσιν ἕλκεσι βρύοντα καταφωράσαντες, πολλάκις ἀφασίᾳ συσχεθέντες οὐκ εἴχομεν ὅπως θησόμεθα τὸ παρὸν νοῆσαι. τοιγαροῦν τὸ τῶν χαριέντων ἰατρῶν ἡμῖν τότε παρείσῃ, τὸ μηδὲν ἀπερισκέπτως κινεῖν μηδὲ ῥᾳδιουργεῖν ἐν μυδῶσιν οὕτω καὶ πλαδαροῖς καρκίνοις, καὶ ὑγείαν σχεδὸν ἐξομνυμένοις. ἡγούμεθα γάρ, εἴ τις εὐγνωμονεῖ, μᾶλλον ἡμῖν χάριν εἴσεσθαι τῶν κατορθουμένων, ἢ μέμψιν ἕξειν τῶν ἀποτυγχανομένων. τρεῖς μέντοι τῶν τραγῳδιῶν οὐκ ἂν ὀκνοίημεν διισχυρίσασθαι οὐχ ὡς ἔτυχεν ἡμῖν διωρθῶσθαι. ἀντίγραφον γὰρ εὖ μάλα παλαιὸν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου προέδρου Αἰμάρου Ραγκωνήτου κομισάμενοι, ἀφορμῆς ἐτύχομεν εἰς τὴν ἀκρίβωσιν τῆς ἐκδόσεως τῶν τριῶν καλλίστης· ἐν ταῖς ἄλλαις ὑποσκάζομεν, καὶ ἐφίκεσθαι τοῦ καταρτισμοῦ τὸν αὐτὸν τρόπον μὴ δυνηθέντες ἀντιγράφων ἀπορίᾳ. οὐκ ὀλίγα μέντοι ἄλλα, τοῦτο μὲν τῶν σχολίων ὑποτιθεμένων, τοῦτο δὲ ὑπαγορευούσης τῆς τοῦ ῥητοῦ διανοίας, εἰς τὸ ὑγιὲς ἀποκατεστήσαμεν. τοῦτο δὲ τὸ φιλοπόνημα, σοὶ λαμπρότατε Μιχαὴλ προσφωνοῦμεν, σὲ τῆς μὲν ἄλλης παιδείας καὶ σοφίας ἀγάμενοι, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τῆς περὶ δικαιοσύνην ἀδεκάστου καὶ ἀδωροδοκήτου ὁσιότητος καταιδούμενοι, ἧς ἐπήβολος τῶν καθ' ἡμᾶς εἷς μάλιστα τὸν εἰς ἔπος ἐντείναντα κατελέγχεις, τό, Καὶ τότε μισήσασα δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
Ἐπτάτ' ἐπουρανίη. Ἔρρωσο.

e 4

# ΤΩ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩ ΠΡΟΕΔΡΩ ΑΙΜΑΡΩ ΡΑΓΚΩΝΗΤΩ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

ΑΠΑΝΤΩΝ τῶν μελικῶν ἥδιστον ΣΟΦΟΚΛΗΝ, καὶ τῆς Ἀττικῆς θυμέλης κλέος, ὥσπερ ἀγάλλεται καὶ γαυριᾷ, οἵαις ποτὲ καινοῖς τραγῳδοῖς ἐδίδασκε καὶ ἐχόρευε, τοιαύταις νῦν στροφῶν καὶ ἀντιστροφῶν ἀναβολαῖς καὶ ᾠδαῖς παραβαίνοντα, καὶ τῇ ἀρχαίᾳ ἐποχούμενον στιχοποιΐᾳ, ἧς τὰς βάσεις πολλαχῇ τῆς ποιήσεως πεπήρωτο, τῶν σῶν ἀπολαύσαντες ἀντιγράφων τῇ νεολαίᾳ παρέχομεν, οἰόμεθα μὲν οὖν καὶ τῆς ἄλλης ἧς συγκροτεῖς βιβλιοθήκης εἰς μουσῶν ἐπίδοσιν, ἅπαντας τοὺς παιδείας ἐραστάς, εἰς τὸ ἐπιὸν χάριν εἴσεσθαί σοι· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τοῦ παρόντος πονήματος. βιβλίον γὰρ παρὰ σοῦ εὐτυχήσαντες Δημητρίου τοῦ Τρικλινίου σημειώσεσι, στιχογραφίαις, ἐξηγήσεσι, διορθώσεσιν εἰς εὔρυθμον καὶ ἐμμελὲς εὖ μάλα διηκριβωμένον, καὶ τῷ ὄντι τιμαλφέστατόν τι χρῆμα, καὶ ὅμοια τοῖς πολυτελέσι κειμηλίοις ἀξιάγαστον, Σοφοκλῆν παρεχόμεθα, οἷος οὐκ ἂν ὀκνοίην ἰσχυρίσασθαι, οὐδείς πω τῶν τραγικῶν μέχρι τῆς τήμερον ἡμέρας ἐξεδόθη. τοῦτο δὲ προωδοπεποίηται τοῖς εἰς Εὐριπίδην καὶ Αἰσχύλον ὁμοίαν διασκευὴν καὶ διακόσμησιν ἐπιβαλλομένοις. παράδειγμα γὰρ ἕξουσιν, οὗ στοχαζόμενοι ῥᾳδίως τῆς προαιρέσεως ἐφίξονται, βοηθὸν Ἡφαιστίωνα παραλαβόντες. πρὸ τοῦ μὲν οὖν τοὺς χοροὺς ἐφαντάζοντο ῥῆσίν τινα λελυμένην μᾶλλον καὶ καταλογάδην ἢ περὶ ἔμμετρον, τρία ἐκεῖνα τὰ Στησιχόρου ἐν παροιμίαις κατημαξευμένα κατανοεῖν καὶ ἐνορᾶν αὐτοῖς οὐ δυνάμενοι. νῦν δὲ τούτους τῶν μελικῶν περιόδων οὐδοπουοῦν ἀπᾴδοντας εὑρήσουσι. πρὸς τούτοις δὲ συστημάτων περικοπαῖς μεσολαβούσαις, ὧν τὰ μέλη ἐστέρηται, διαπεποικιλμένην ὄψονται τὴν τραγῳδίαν. τὰ δὲ ἄλλα πάντα σχεδὸν τὸ ὑγιὲς ἀνακλησάμενα ἐπιγνώσονται, οἷς τῶν ἐπιλεγομένων ἀνακοπτομένη πρὸ τοῦ σπουδὴ ἐπείχετο εἰς ἔκφυλον καὶ νόθον διεφθαρμένοις. Σοφοκλέους δὲ πέρι λέγειν μεῖζον ἢ καθ' ἡμετέραν δύναμιν, οὐδὲ πολλοστῷ μέρει τῶν αὐτῷ προσόντων ἀγαθῶν καὶ καλῶν ἐνάμιλλον καὶ παρισούμενον ἔπαινον κατασκευάσαι δυνησομένην, καὶ ἄλλως αὐτὸν τοῖς ἐντευξομένοις συστῆσαι ζητεῖν ἠλίθιον καὶ περιττόν, οἷος τὴν ποίησίν ἐστιν ὑπὸ πάντων ὑπειλημμένος. οὐδεὶς μὲν γάρ ἐστιν ἁπάντων, ὅστις οὐκ εἰ καὶ ποιήσεως πέρι οὐδὲν ἐπαΐει, τοῦ τραγικοῦ κοθόρνου Σοφοκλεῖ τὰ πρωτεῖα ἀκοῇ γοῦν ἐπύθετο νέμεσθαι. οἱ δὲ καὶ ἁπιοῦν τῆς Ἑλλάδος γλώσσης γευσάμενοι οἴδασιν, ὅτι διὰ τὸ γλυκὺ καὶ γλαφυρὸν τῆς λέξεως, ὡς ἡδείας ἀπολείβων σταγόνας μέλιτος, μέλισσα ὑπὸ τῶν κωμικῶν ἐκαλεῖτο, ὥστε μᾶλλον ἐπὶ τούτου λέγεσθαι πρέπειν, ἢ ἐπὶ τοῦ Πυλίου ἀγορητοῦ. τοῦ γὰρ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. οὐδένα δὲ λέληθε καὶ τῶν αὐτοῦ τί ποτ' ἀναγνόντων, ὅτι σεμνός τις ὄγκος καὶ ἀξίωμα γενναῖον καὶ ὑψηγόρον αὐτοῦ τοῖς ὅλοις ἐπιτρέχει δράμασιν· οὗ χάριν καὶ ὑπὸ τῶν κριτικωτάτων τῆς τραγῳδίας οἷον ἀρχέτυπον ἐνομίσθη. ταύτης μὲν οὖν τῆς Ἀττικῆς καὶ ξουθῆς μελίσσης τῶν σῶν ἐκπτάσης σίμβλων λαμπρότατε Ῥαγκώνητε, τοῦτο τὸ κηρίον ὥσπερ ἀπαρχόμενοι ἀγαθῇ τύχῃ ἐπιφημίζομέν σοι. ἀναδέχομαι δὲ πάντας ὅσοιπερ αὐτοῦ γεύσονται, οὐδὲν ἐλλείψειν τοῦ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ δεῖξαι, ὡς μεγάλης σοι χάριτος ὑπόχρεῳ διὰ τὴν παροῦσαν ἔκδοσιν ὑπάρχουσιν. Ἔρρωσο.

# ΚΑΡΟΛΩ ΛΟΤΑΡΙΓΓΙΑΣ ΚΑΡΔΙΝΑΛΕΙ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

ΚΑΘΑΠΕΡ ἅπαντα τὰ τῶν ποταμῶν ῥεῖθρα ἐκ τῆς μεσογαίας ἀρξάμενα, ἤτοι προχοὰς εἰς τὴν θάλασσαν ἀνεστομωμένας ἔχει, ἢ δι' ἄλλων εἰς αὐτὴν ἐκδίδωσι, καὶ εἴ τις ἠπειρώτης οὐδέποτ' ἐνθαλαττεύσας τὴν ἀπὸ τῶν ἄνωθεν εἰς τὰ κάτω πορείαν ἀγνοεῖ, συνεμπόρου τυχὼν ποταμοῦ ἐπ' αὐτὴν ἀφικνεῖται· τὸν αὐτὸν δήπου τρόπον καὶ τό γε νῦν ἔχον κατὰ τὴν ἡμετέραν Κελτικήν, ἅπαντα τὰ τῶν μουσῶν νάματα ἐπὶ τὴν σὴν λαμπρότητα ὥσπερανεὶ εἰς ἅλα τῷ ὄντι διανέξεισι, καὶ πάντες νῦν ὅσοι γε παιδείας ἀντιποιοῦνται ταῖς τῶν μουσῶν ἀκολουθοῦντες ῥοαῖς ἐπὶ τὴν σὴν σεμνοπρέπειαν ἀφετῶς ὁρμῶσι καὶ γράφοντες καὶ προσφωνοῦντες. ἐγὼ γοῦν καίπερ τοσούτῳ ὁμιλῆσαι εὐλαβούμενος διὰ λόγων ἥρωϊ, ὅμως τῷ αὐτῷ ῥοθίῳ ἐκκινηθεὶς καὶ ἐκβιασθεὶς εἰς τὰς αὐτὰς ἐκβολὰς παρενεχθεὶς ἔλαθον, τὴν τῶν μουσῶν ὁρμὴν ἀνακόπτειν οὐχ οἷός τε γενόμενος. τὴν γὰρ σὴν ἱερωτάτην καὶ πανάγιον κεφαλὴν προστάτιν νέμουσαι, ἅπαν ὅσονπερ ἤτοι νέον φύουσιν ἢ παλαιὸν εἰς φῶς ἀνάγουσιν, ὥσπερ ἀνάθημά σοι ἀνιεροῦσι· καὶ κατὰ τοῦτο οὐ τοσοῦτον παρ' αὐτῶν εὐκλείας προσδέῃ, ὅσονπερ ἐκεῖναι παρὰ σοῦ ὠφελείας καὶ τιμῆς καρποῦνται. εὐγενείας γὰρ καὶ εὐσεβείας, αἳ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις πρωτεῖα φέρονται, σοὶ περίεστι, καὶ τῆς ἐλευθερίου παιδείας, ἐξ ἔτι σπαργάνων ἐραστὴς αὐτῆς γενόμενος, ἐπ' ἄκρον ἤλασας, ἣν τοιούτοις ἀμείβῃ τροφείοις, ὥστε παρὰ πᾶσι σχεδὸν διαβληθεῖσαν διὰ σὲ νῦν ἔντιμον καὶ γεραρὰν εἶναι. καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ πάντες σχεδὸν τὸ σοφὸν τῷ κερδαλέῳ καὶ τῷ ποριστικῷ μετροῦντες,

καὶ οὐ μὰ



καὶ οὐ μὰ Δία ὅ, τι διαλφιτοῖ τὴν κάρδοπον κατὰ τὸ κωμικὸν πρεσβεύοντες, ἀλλ' ὅ, τι διαχρυσοῖ τὰς κιβωτοὺς ζηλοῦντες, ἐκείνην τὴν Βαρτολικοῦ κόμματος χρηματιστικὴν πολίπορθον, καὶ μᾶλλον τῆς παρ' Ὁμήρῳ Ἀφροδίτης πολύχρυσον μόνην σοφίαν νομίζοντες καὶ διὰ τιμῆς ἄγοντες, ἔναγχος ἐκ συνωμοσίας ἐνθένδε τὴν ἐλευθέριον παιδείαν ἐλαύνειν παρεσκευάζοντο, αἰτίαν καὶ ἔγκλημα ἐπιφέροντες, ὅτι δὴ τὴν νεότητα διαφθείροι, ἀντ' αὐτῆς τὴν καλλίνικον νομικὴν ἱεροῖς ἐξορισθείσῃ ἐνθένδε θεσμοῖς ἀντικαταλλαξάμενοι· καὶ ὅσον οὔπω ἡ πανάθλιος παιδεία ἔμελλεν ἤτοι προτροπάδην ἔξω τῶν ὁρίων φεύγειν, ἢ τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπάγεσθαι, εἰ μὴ σὺ τὴν σωτήριον αὐτῇ δεξιὰν ὀρέξας θαρρεῖν ἐκέλευσας ἤδη ἀπογινωσκούσῃ ἑαυτῆς. ταύτης δὲ τῆς εὐεργεσίας οὐ μόνον ὀφειλέται σοὶ οἱ ἡμέτεροι Κελτοὶ τυγχάνουσιν, ἀλλὰ ἅπαντες οἱ ἀλλοδαποὶ καὶ ξένοι ἐξ ἁπάσης σχεδὸν τῆς οἰκουμένης τοῖς τῆς κοσμοπόλεως ταύτης ἐπιδημοῦντες μουσείοις, ἅτε λαμπρὸν καταγαγόντι θρίαμβον, καὶ ἀλεξικάκῳ τῆς παιδείας γενομένῳ, καὶ νικηφόρῳ τῆς ἐπ' ἀναστάσει καὶ ἀνδραποδισμῷ πόλεμον καταγγελλούσης βαρβαρίας. καὶ νῦν σύμβουλος Ἐρρίκῳ βασιλεῖ καταστρεφομένῳ τὰς τῆς Βελγικῆς πόλεις ἐπὶ στρατείαν σταλάμενος βουλάς, ἵνα καθομηρίσω, ἐξάρξων ἀγαθὰς κορύσσοντι πόλεμον, οὐ τοσοῦτον κλέος πορίσῃ, ὅσον ἅπαξ καταπολεμήσας τὴν ἐξαγίστην καὶ ἀσεβεστάτην τῆς ὑηνείας ὕβριν. σοὶ οὖν σῶστρα ὁμολογοῦσιν αἱ μοῦσαι, ὅτι παραδυναστεύοντος τοιούτου τυχοῦσαι προστάτου πολίτιδες ἔτι τὴν ἡμεδαπὴν νέμονται τῆς ἀρχαίας ἕδρας ἀνάρπαστοι μὴ γενόμεναι, καὶ οὐ μόνον τὴν αὐτὴν ἰσονομίαν καὶ ἰσοτέλειαν καρπούμεναι, ἀλλὰ καὶ τῶν αὐτῶν συντάξεων καὶ προνομιῶν ἀπολαύουσαι. τοιγαροῦν οἷον χαριστηρίους σοὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὕμνους θύω, νεαζούσης ἀεὶ παρ' ἐμοὶ μνήμης τῆς ὑπηργμένης εὐεργεσίας. καὶ νῦν μαρτυροῦντι αὐτῆς καὶ μνημόσυνον τὴν Φίλωνος ἔκδοσίν σοι προσφωνῶ, τὴν αἰσιωτάτην τοῦ σοῦ ὀνόματος εὐφημίαν, ὥς τινα σωτῆρα Δία ἐπιγραφομένην, καὶ κατὰ τῆς τῶν ἀμαθῶν βασκανίας ὡς περίαρτημα περιαπτομένην. ὃν ἡμεῖς συγγραφέα ἐκ τῆς βασιλικῆς βιβλιοθήκης προχειρισθέντα, τῆς τε περὶ τὰ ἱερὰ λόγια ἀκριβείας καὶ εἰλικρινείας, καὶ τῆς ἄλλης φιλοσοφίας ἀγασθέντες, ἀνάξιον ἡγησάμεθα ἐπὶ βλάβῃ τῶν φιλαναγνωστούντων ἐπὶ πλέον ἐν παραβύστῳ κεῖσθαι. οὗτος γὰρ ἢ πρῶτος ἢ πάντων μάλιστα κατιδὼν δεσμόν τινα κοινὸν ὄντα ἁπάντων τῶν ἐλευθερίων μαθημάτων, καὶ κατανοήσας οὐχ ὥς τινες ἡγοῦνται πολλῷ τῷ μεταιχμίῳ ἀπεσχοινισμένας ἀλλήλων τήν τε θεολογίαν καὶ τὴν φιλοσοφίαν, ἀλλὰ συγγενεῖς ἢ μᾶλλον εἰπεῖν ἀδελφὰς οὔσας. τὸ γὰρ τῆς φιλοσοφίας γνήσιον καὶ ἀληθινὸν εἶδος τὰς αὐτὰς τῇ θεολογίᾳ τελετὰς μεμύηται, εἰ καὶ μὴ ὁμοίως ἐποπτεύει· κάλλιστον ἡμῖν καὶ ἥδιστον κρᾶμα καὶ οἷον κυκεῶνα ἐξ ἑκατέρας ἀνακεράννυσιν ἑλληνίζων ἅμα καὶ ἰουδαΐζων, φιλοσοφῶν τε καὶ θεολογῶν. οἷα γὰρ πρόσπολον θεολογίας παραλαβὼν τὴν πλατωνικὴν μοῦσαν, αὐτὴν μὲν εἴσω τῶν ἀδύτων εἰσδέχεται, τῶν ἄλλων δὲ φιλοσόφων τὸ βέβηλον ὡς τῶν τοιούτων ἀνοργίαστον τελετῶν ἀπελαύνει ἔξω περιρραντηρίων ἀνείρξας, πλὴν εἰ μή που γεύματος χάριν καὶ ἀρτύματος ὥσπερ ἅλας παρεμπάσσει καὶ τῶν ἄλλων αἱρέσεων ὀλίγα ἄττα. οὕτω εὐθυβόλως καὶ εὐσκόπως ταῖς πλατωνικαῖς χρῆται διανοίαις, ὥστε παροιμιασθῆναι ἢ Πλάτωνα φιλωνίζειν, ἢ Φίλωνα πλατωνίζειν. τὴν γὰρ τῶν ἱερῶν λογίων ἑρμηνείαν ἀπᾴδειν παντάπασι τῆς Πλάτωνος διδασκαλίας μὴ οὐχ ὅσιον ἦ λέγειν, ἅτε περ αὐτοῦ πάμπολλα ἐρανισαμένου ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων, ὥσπερ κατεφώρασαν οἷς ἐπιμελὲς ἑκατέροις ἐνδιατρίβειν· εἰ δὲ πολλὰ νοήματα ἄλλως ἐκδέχεται, ἤπερ ἐκλαμβάνειν εἰώθασί τινες, εἰ οὐκ ἀμέμπτως αὐτῷ τὸ τῆς ἐξηγήσεως διὰ παντὸς ἔχει, ἀλλὰ τοῦ ἀληθοῦς ἐκπίπτει, εἰ ἐν ταῖς ἀλληγορίαις ἀτοπώτερον καὶ ἀπιθανώτερον σχοινίζει, πολλὴ συγγνώμη. οὐ γὰρ εὐμαρὲς ἅπαντα κατορθῶσαι, ἄλλως τε καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς λογίοις τὸν ἀνθρώπινον ὑπερακοντίζουσι νοῦν. καὶ μᾶλλον ἀγαπητέον ἐφ' οἷς καλῶς καὶ ἐπιτυχῶς ἐξηγήσατο, ἢ μεμπτέον ἐφ' οἷς οὐκ εὐστόχως ἠκροβολίσατο. πλὴν δὲ σύγχυσιν εὑρόντες ἐν τῇ τῶν λόγων τάξει, οὕτως αὐτοὺς κατεχωρίσαμεν, ὡς ὑπὸ τοῦ συγγραφέως ἐδοκοῦμεν τὴν ἀρχὴν διατεθεῖσθαι, ἀκολουθήσαντος ὡς ὑπελαμβάνομεν ταῖς τοῦ Μωσέως ἑξῆς ὥσπερ καθ' εἱρμὸν ῥήσεσι καὶ ἱστορίαις. τινὰς μέντοι, ὡς τὸν περὶ μοναρχίας, εἰς τὸ πρῶτον παράγγελμα ἀναφερομένους, τῶν λεγομένων μονοβίβλων ὑπερτοπήσαντες εἶναι, προτετάχθαι δέον, ὥσπερ αὐτοῖς ἐντυχόντες ὕστερον κατεμάθομεν, εἰκαιότερόν πως ἀπαυτοματίσαντες ὑπηλλάξαμεν. τὸν δὲ περιφερόμενον κόσμου πέρι Φίλωνος φερώνυμον λόγον, ὅσον οὔπω μέλλοντες τῷ περὶ ἀρετῶν ὑποτάσσειν, ἐγκρίνειν παρῃτησάμεθα, κολοβάς τινας ἐκλογὰς εἰκάσαντες εἶναι ἔκ τε τοῦ περὶ ἀφθαρσίας κόσμου αὐτολεξεὶ ῥαψῳδηθείσας, καὶ ἐκ τινῶν ἄλλων Φίλωνος συνταγμάτων συμφορηθείσας. εἰ δὲ μὴ τὰς αὐτὰς εὑρήσεις ἐπιγραφὰς ταῖς ὑπὸ τῶν παλαιῶν μνημονευομέναις, ἴσθι πολλὰ τῶν Φίλωνος σπουδασμάτων ἤτοι χρόνου παρανάλωμα γεγονότα, ἢ τὰς ἀρχαίας γοῦν ἐπιγραφὰς ἀλλάξαντα. αὕτη δὲ ἡ πραγματεία δι' ἃς ἔφθην προειπὼν αἰτίας ἀνάκειταί σοι. οἶμαι δὲ ἂν καὶ αὐτὸν Φίλωνα, εἴπερ νῦν ἀναβιῴη, τοῦ ἱερατικοῦ πάλαι γεγονότα τέλους περιχαρῆναι, ὅτι ἐπεφωνήθη τῶν ἱερέων τῆς ἡμετέρας Κελτικῆς τῷ ἐπιφανεστάτῳ, καὶ οὐκ ἂν κατὰ τοῦτο τῆς ἐμῆς γνώμης διαφωνῆσαι. Ἔρρωσο μουσηγέτα.

ΛΑΓΚΙ-

# ΛΑΓΚΙΛΩΤΩ ΚΑΡΛΩ ΕΠΙΣΚΟΠΩ ΡΗΓΙΕΙ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

ΙΔΟΥ σοι ὁ σοφὸς Συνέσιος, ἀττικουργές τι χρῆμα, καὶ ἐς ἀκριβὲς ἀπεξεσμένον ἐκδέδοται, ὅστις δὴ μόνος ἁπάντων ἀνθρώπων τῇ τοσοῦτον ἀπῳκισμένῃ καὶ διαποντίῳ Λιβύῃ Ἀθήνας φέρων ἐγκαθιδρύσατο τοῦ ἰδίου ἐδάφους αὐτὰς ὥσπερ ἐκμοχλεύσας. οὕτω γὰρ ἀττικῶς τὴν γλῶτταν ἥρμοσεν, ὥστε οὐ μόνον τὴν λιβυκὴν βαρβαρίαν, ἀλλὰ καὶ τὸ δωρικὸν ἐξόμνυται τῶν κυρηναίων φῦλον λακεδαιμονίων ὂν ἄποικον. τοιοῦτον πέφυκε τὸ προσεσχηκέναι τοῖς τῶν συγγραφέων ἀττικίζουσι, καὶ αὐτοῖς τὸ τοῦ χρησμοῦ συγχρωτίζεσθαι. οἱ γὰρ τούτοις συναναχρωννύμενοι τὴν ὁμόχροιαν ἀποφέρονται τοῦ λόγου, τῇ ἐκείνων ἐμμελείᾳ καὶ εὐεπείᾳ συνεθισθέντες. ἁλωτὸν γὰρ ἅπαν σπουδῇ, καὶ πόνῳ ἀχρεύσιμον. τόγε μὴν αὐτοῦ εὔγλωττον οὐ μόνον τῇ τῶν ῥημάτων καλλονῇ ἐξησκημένον ἀγλαΐζεται, ἀλλὰ καὶ παιδείας γέμον λαμπρᾶς, καὶ ἀγχινοίας ἐπηβόλου, καὶ ἀστεϊσμοῦ πιθανοῦ ὡραΐζεται, καὶ τὸν φιλαναγνωστοῦντα ἴυγξι λόγου θέλγον, καὶ καταγοητεῦον, εἰς τὸ πρόσθεν ἀεὶ προάγει μέχρι κορωνίδος ἡδίστης ἀπολαύοντα διαγωγῆς παράπεμπον. θρησκείαν δὲ οὐχ ἁπανταχῇ τὴν ἡμετέραν πρεσβεύει, πρὸ τοῦ τὴν ἀληθινὴν εὐσέβειαν κατηχῆσθαι συγγράμματά τινα ἤδη εἰς ἀνθρώπους ἐξενηνοχώς. ἑλληνίζει γὰρ τὰ πολλά, ἢ μιξέλλην αἰγυπτιάζει τὴν συμβολικὴν καὶ ἱερογλυφικὴν τερατείαν καὶ ἀτοπίαν ἔσθ' ὅτε ζηλῶν καὶ μεταδιώκων. ἀλλ' ἐπειδὴ τῆς ἑλληνικῆς δαιμονομανίας ἀπαλλαγεὶς τὰ τῶν χριστιανῶν ἐμυήθη, καὶ τὴν καλὴν λαβὴν ἐλήφθη, οὐδὲν τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως, καὶ τῶν θείων λογίων, καὶ τῆς ἀληθινῆς θεοσεβείας προυτίμησε. τοιγαροῦν ἐναύσματα καὶ ζώπυρα αὐτῆς ἔτι τισὶ τῶν αὐτοῦ ἐπιστολῶν ὑποτύφεται, πῦρ τῶν ἀναγινωσκόντων ψυχαῖς ὑφάπτοντα θαλπνὸν καὶ ἐνεργόν. σοὶ δὲ πολλῶν ἕνεκα ταύτην τὴν ἔκδοσιν, ὦ ἱερὰ καὶ σεβασμία μοι κεφαλή, ἐπεφήμισα. καὶ γὰρ ὅτι φιλόσοφον φιλοσόφῳ, καὶ ἐπίσκοπον ἐπισκόπῳ, καὶ ἕλληνα φιλέλληνι, καὶ θεόφιλον εὐσεβεῖ προσιέναι ἔδει, κατὰ τὸ ὁμηρικόν, ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον· καὶ δὴ καὶ ὅτι τούτου προξένου τυχών, ἴσως τὴν τῆς σῆς εὐνοίας παρεμπορεύσομαι παρακαταθήκην ἀντὶ παντός μοι γενησομένην. Ἔρρωσο.

# ΝΙΚΟΛΑΩ ΜΑΛΛΑΡΙΩ ΘΕΟΛΟΓΩ ΚΑΙ ΕΚΚΛΕΣΙΑΣΤΗ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΑΡΙΑΣ, ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ εὖ πράττειν.

ΕΙΣΙ τινες, οἳ περὶ πολλοῦ βιβλίων ἀνάγνωσιν ποιοῦνται, πλασματώδη τινὰ καὶ μυθικὴν ἱστορίαν περιεχόντων, οἷς οὐ σωφρονίζεται οὐδὲ παιδεύεται τὸ νέον ἀσχημονοῦν ἄλλως καὶ ἀτακτοῦν. ἀλλ' ἐκείνῳ τῷ τῆς ἡμετέρας συνωρίδος δυσκαθέκτῳ καὶ ἀφηνιαστῇ πώλῳ ἐξυβρίζειν πολὺ μᾶλλον καὶ σκιρτᾶν ἐπαίρεσθον· καὶ δὴ καὶ τὰς ἡμέρας ὅλας ἤδη τινὲς κατατρίβουσι ταύτῃ τῇ παιδαριώδει ἐνδόντες ἡδονῇ. ὅθεν δὴ καὶ πολλή τις φορὰ τῶν μυθικῶν ἱστοριῶν τανῦν ἐπιπολάζει, πάντων σχεδὸν τὸ ἡδὺ τοῦ ἀληθοῦς καὶ ὠφελίμου προτιμώντων, καὶ πρὸς ἐκεῖνο μόνον καὶ βλεπόντων καὶ ῥεπόντων. ἐγὼ δὲ περὶ τοσούτου οὐκ ἄν ποτε ποιησαίμην τὸ ἡδύ, ὥστε ἐπὶ τῇ τούτου περιποιήσει τῶν ἀμεινόνων ἀμελῆσαι, καὶ τὴν ἀπρεπῆ ὠφέλειαν διαγωγῆς καὶ διατριβῆς ἀνωφελοῦς προκρίναιμι· τὴν μέντοι τῆς ὠφελείας καὶ ἡδονῆς σύνοδον ἀλλήλαις συμβιβαζομένων καὶ συμπλεκομένων ἀντὶ πάντων ἂν νομίσαιμι. ἑκατέρων δὲ τούτων τῷ παρόντι λόγῳ περίεστι. καὶ γὰρ ταῖς τῶν τυχῶν εἰς ἑκάτερα περιπετείαις, δράματος διασκευῇ πως ἔοικε, καὶ ἃ μηδὲ ποιητὴς ῥᾳδίως ἂν ἐπινοήσειε, πλάττων καὶ ταῦτα καὶ ψευδόμενος, ταῦτα ὡς ἀληθῶς ἐν τοῖς ὁσίοις καὶ εὐσεβέσιν ἀνδράσιν ὁ θεὸς ἐδραματούργησε· προσέτι δὲ καὶ αὐτῷ πολλὰ τῆς χριστιανικῆς κατηχήσεως παραγγέλματα καὶ παιδεύματα ἐμπεριέχεται, τῇ ἀληθεῖ θρησκείᾳ καὶ εὐσεβείᾳ ἡμᾶς κατοργιάζοντα, καὶ οὐ μὰ δία πρόσκαιρον κέρδος οὐδὲ χρηματισμὸν πορίζοντα, ὧν οὐδὲν ἐνίοις περισπουδαστότερον, ἀλλὰ τὴν αἰώνιον ζωὴν προξενοῦντα, καὶ εἰς αὐτὴν ἡμᾶς ἐφοδιάζοντα, εἴ τις ἄρα καὶ ταύτης ἔτι νῦν τοῖς ἀνθρώποις ὑπόλοιπός ἐστι φροντίς. περὶ δὲ τοῦ ὑποβρυχίου νεώ, καὶ τῆς κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου Κλήμεντος ἱερομηνίαν καὶ πανήγυριν ἀμπώτεως τῆς θαλάσσης, καὶ τῆς ἀναξηραινομένης ἀτραποῦ, καὶ πεζεύοντας φερούσης ἐπὶ τὸν νεών, εὔφημα καὶ εὔστομα ἐμοί τε καὶ πᾶσι λεγέσθω καὶ νοείσθω· καὶ εἰ τανῦν οὐδαμοῦ τῆς γῆς ἴσως τοῦτο γίνεται, ἀλλὰ πάλαι γοῦν ποτε τεθαυματουργῆσθαι νομιζέσθω. τοὺς γὰρ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως καὶ πολιτείας θεμελίους καταβαλομένους καὶ τὴν σωτήριον διδασκαλίαν εἰσηγησαμένους, καὶ τέρασι τοῖς ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐπὶ τῇ τῆς πίστεως βεβαιώσει ἐλλαμπρυναμένους, πῶς οὐκ ἔπρεπε γέρασιν ἐξαιρέτοις καὶ τοῖς ὑπὲρ ἄνθρωπον τετιμῆσθαι. εἴ τις

οὖν τούτοις



οὖν τούτοις ἀπιστεῖ, ἴστω πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν καὶ μικροπρέπειαν, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν καὶ μεγαλόνοιαν τὸ πρᾶγμα μετρῶν καὶ σταθμώμενος· ὅπερ ἡμῖν καὶ Γρηγόριος ὁ τυρονεὺς ἀξιόχρεως καὶ ἀξιόπιστος συγγραφεύς, καὶ πρὸ ἐννεακοσίων που βεβιωκὼς ἐτῶν, ἔτι καθ' ἑαυτὸν γίνεσθαι καθ' ἕκαστον ἔτος μαρτυρεῖ. οὐ μὴν ἀγνοείτω οὐδὲ ὁ τούτοις ἀπιστῶν, ὅτι καὶ ἄγος περιτρίβεται, ἑαυτὸν μὴ ὑποκλίνων μηδὲ ὑποτάσσων τῇ ἁγίᾳ καὶ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ταῦτα περὶ τοῦ ἁγίου Κλήμεντος ᾀδούσῃ· σοὶ δὲ Μαλλάριε ταῦτα προσκομίζομεν καλῶς ποιοῦντες καὶ εὐχαρίστως, θεολόγῳ τι θεολογικὰ προσφέροντες, καί σοι τὸ χρέος ἀποδιδόντες ὅπερ παρὰ σοῦ ἐλάβομεν. Ἔρρωσο.

# ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΤΟΥΡΝΕΒΟΣ ΙΩΑΧΕΙΜΩ ΚΑΜΕΡΑΡΙΩ ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

ΑΜΑ τῷ προσβαλεῖν τοῖς παρὰ σοῦ γράμμασι, καὶ τὴν ὄψιν ἐναπερεῖσαι αὐτῶν τῇ ἐπιγραφῇ, θεῖός μοι νὴ δία, ὡς ἂν Ὅμηρος φήσειεν, ἐνύπνιον ἐληλυθέναι ὄνειρος ἔδοξεν· ὥστε οὐδὲ ἐγρηγορέναι, ἀλλὰ καθεύδειν ἐφανταζόμην. καὶ γὰρ παρὰ προσδοκίαν καὶ ὀνείρῳ παραπλήσιον τοῦτό μοι συνεβεβήκει. πόθεν γάρ, ἔλεγον πρὸς ἐμαυτόν, ὁ λογιώτατος Ἰωάχειμος ἐμὲ γινώσκει; ἔπειτα δὲ εἰ καὶ τὰ μάλιστα γινώσκει, πῶς τὸν ἀνάξιον ἀξιοῖ τῶν αὐτοῦ γραμμάτων; τέως μὲν οὖν ἠπίστουν ἐκείνοις, ὧν αὐτόπτης ἦν, τοσοῦτός με ἴλιγγος καὶ κάρος κατειλήφει. ἐπειδὴ δὲ ὀψέ ποτε τὸ πάθος κατέστη, καὶ παρ' ἐμαυτῷ ἐγενόμην, καὶ ὀνείρου πέρα λογιζομένῳ μοι τὸ πρᾶγμα ἐφάνη. ὅπερ γὰρ οὐδ' ὄναρ ἐλπίσαι πώποτε ἐτόλμησα, τοῦτό μοι ὕπαρ ἀπηντήκει. πάλιν οὖν ἄλλο τὴν ψυχὴν ἐν μέρει πάθος ἀντεπεισῆλθε χαρᾶς καὶ ἡδονῆς ἀμυθήτου. τὰ γὰρ ὑπὲρ ἡμᾶς εὐτυχήματα μέτρον φυλάττειν οὐκ οἶδεν εὐφροσύνης· ἄλλως τε δὲ καὶ τὸ μέτριον αὐτῆς ἀχαρίστου πως καὶ μεμψιμοίρου φαίνεται διαθέσεως ἔργον· τὸ ὑπερβάλλον δὲ εὐγνώμονος καὶ μέγα εὐηργετῆσθαι νομιζούσης· ἐγὼ δὲ ἐκείνην τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ τὰ παρὰ σοῦ θαυμάσια ἐκομισάμην γράμματα, παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἁπασῶν τοῦ ἐμαυτοῦ βίου ἡμερῶν αἰσιωτάτην καὶ εὐφημοτάτην καὶ εὐτυχεστάτην μοι γεγονέναι νομίζων, καὶ τὰς ἄλλας σχεδὸν ὁμοῦ συμπάσας, ὡς πρὸς αὐτὴν ἀποφράδας λογιζόμενος, πῶς οὐκ ἂν ἐπιλήσμων τῆς εὐεργεσίας, καὶ τῆς χάριτος ἀναίσθητος εἴην, γλίσχρως καὶ πενιχρῶς χαίρων· ὥσπερ δὲ αἱ πόλεις εἰώθασιν ἐπισήμους τινὰς ἡμέρας ἄγειν κατορθωμάτων δημοσίων καὶ νικῶν ἐπωνύμους, καὶ ἐνιαυσίοις πανηγύρεσι καὶ ἑορταῖς καὶ δημοθοινίαις γεραίρειν καὶ ἀγάλλειν· οὕτω δὴ καὶ παρὰ πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον μοι δοκῶ ἑορτάσειν κατ' ἕκαστον ἔτος τὴν ἐπανιοῦσαν τῆς ἡμέρας προθεσμίαν. καὶ μέντοι καὶ τὴν σὴν ἐπιστολὴν ἐν τιμιωτάτου κειμηλίου μοίρᾳ φυλάξω, καὶ πᾶσιν ὡς ἐμὲ παραγενησομένοις εὐθὺς δείξω, ὡς οὐδὲν αὐτῆς ἔχων, οὐδὲ σπανιώτερον, οὐδὲ κάλλιον. καθάπερ γὰρ φιλαρχαῖοί τινες νομίσματα παλαιοῦ κόμματος, ἢ ἐκτυπώματα ἀρχαίας ἐργασίας, ἢ ἠκρωτηριασμένα καὶ τὴν ἀρχαιότητα σαπρότητι καὶ κολοβότητι παριστάντα ἀγάλματα, τοῖς ἰδίοις ἐναποτίθενται ταμιείοις, καὶ ἄλλοις αὐτὰ ἐπιδείκνυνται, μεῖζον ἐπὶ τούτοις ἤπερ ἐφ' ἑαυτοῖς φρονοῦντες· ἢ καὶ νὴ δία καθάπερ φιλόπλουτοί τινες ἐπὶ ψηφίδων ἰνδικῶν καὶ μαργαριτῶν φιλοτιμίᾳ καὶ λαμπρότητι μεγάλως αὐχοῦσι· τὸν αὐτὸν δήπου τρόπον καὶ ἐγὼ τὸ ἀπὸ τοῦδε ἐκεῖνό γε τὸ κτῆμα καὶ τοῦ κτήματος τὴν προσθήκην τὴν εἰς τὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενέθλια περικαλλεστάτην ᾠδήν, θείας καὶ ἀληθινῆς ὄζουσαν κατακωχῆς καὶ ἐπιπνοίας ἀποταμιεύσομαι, καὶ ἐπὶ τούτοις μεγαλαυχήσω ἐπιδεικνύμενος ἅπασιν ἀντὶ τῆς βαναύσου ἐκείνης χρυμαίας καλλίστην φιλολογίας ἀποσκευήν. μεταξὺ δέ μοι ἀναγινώσκοντι ἑκάτερον, τοσοῦτον ἐπῆλθε θαῦμα τῆς δυνάμεως καὶ δεινότητός σου, ὥστε εὖ ἴσθι ὅτι οὐδ' ἂν τὴν ἀρχὴν ἀποκρίνασθαι ἐτόλμησα, εἰ μὴ σκαιὸν ἦν καὶ ἀγροῖκον σιωπᾶν. καὶ νῦν ἐρυθριῶ μὴ τοῖς ὁμοίοις ἀμειβόμενός σε. ὅμως μέντοι ἀμαθίαν ὀφλισκάνειν μᾶλλον προῃρούμην, ἢ σκαιότητα καὶ ἀπειροκαλίαν. εἰ δὲ τὴν ἐπιστολὴν ἐμήκυνα καὶ παρατείνων ἐνετρύφησά σοι, ἴσως ἐν οὐ δέοντι, συγγνωστὸς ἐγώ, σὺ δὲ ἐπίμεμπτος, κακὸν φάσιν ἔχων ἐπίσπαστον. τοιαῦτα γάρ ἐστι τἀπίχειρα τῶν φλυάρους προκαλουμένων.

ἔρρωσο. ἀπὸ λευκετίας μαΐου ιε.

ADRIANI

# ADRIANI TVRNEBI PHILOSOPHIÆ ET GRÆCARVM LITERARVM profeſſoris Regij Poëmata.

## *C. V. ACHILLI HARLÆO BELLOMONTANO SENATVS PARISIENSIS PRAESIDI ſanctioriſque Prætorij Conſiliario*

OTHO TVRNEBVS Adr. F.

*HARLÆE, Auſonijs amate Muſis*
*Et Graijs, decus ordinis togati:*
*Qui Pictonibus exulem Andibúſque*
*Aſtræam reuocaſti ab arce cœli,*
*Quo te munere proſequar, ſalutem*
*Quo verſu reduci tibi precabor?*
*Nam nefas puto regia hæc adire*
*Tui limina, munere abſque, templi,*
*Vt mos gentibus extitit quibuſdam.*
*Hunc Perſæ coluêre nempe morem,*
*Nec regem vacui ſuum ſolebant*
*Salutare: mihi at nihil quod, iſtis*
*Qui te regibus antepono, donem.*
*Sed nec ſuſciperes, eámque ferrem*
*Quam abs te ſæpè rei ferunt repulſam,*
*Dum te munere ſordibúſque tentant*
*Expugnare, malámque ferre litem:*
*Atqui te ſimilem Ioui ſupremo*
*Omnes ore quidem fatentur vno,*
*Qui dono & prece ſupplici mouetur:*
*Sed ſurda eſt tibi gratiæ & fauori*
*Auris, ſed nec habes manus auaras,*
*Et ſic munera reſpuis reorum*
*Vt vnus videare de Senatu,*
*Gens quem Ægyptia pinxit in tabella*
*Abſciſis manibus, ſeuera iura*
*Reddentem populis bonis maliſque.*
*Maiorem hòc Ioue nempe te eſſe duco:*
*Et quo rarior, hócque maior iſta*
*Virtus eſt tua: nec peculiaris*
*Quanuis ſit tibi, totus at Senatus*
*Virtutem colat hanc Pariſienſis,*
*Paucorum in domibus tamen moratur.*
*Quid nunc ergo tibi offero moleſtus?*





*Quod nulli licet, hoc mihi licere*
*Credam vni potius? tuæque legi*
*Huic fraudem faciam bonæ atque ſanctæ?*
*Sed peccem potius, piacularem*
*Et me ipſum faciam, vt meum profanus*
*Hoc munus tibi dedicem ſacrémque.*
*Nec munus tamen hoc meum, at parentis*
*Qui te ſuſpiciebat, Adriani.*
*Atque hoc nomine tutior, Catone*
*Te quanuis rigido ſeueriorem*
*Inuiſam, atque tuos ſacros penates*
*Importunus adibo, dexterámque*
*Iſtis carminibus tuam occupabo.*
*Gaudes carminibus, tibique ſemper*
*Dice, & Pieridum chorus ſororum*
*Ipſe & Delius aſſident frequentes:*
*Nec te dignior vllus eſt, parentis*
*Cui donem hunc lepidum nouum libellum.*

## ADRIANI TVRNEBI PANEGYRICVS DE CALISIO CAPTO.

*CERTVS inoffenſæ vitæ cùm ducitur ordo,*
*Nec titubata tenor conſtans veſtigia ponit,*
*Aduerſis nec læta labant, rubigine virtus*
*Obduci ſolet, atque ſitu ſquallente notari,*
*Perpetuis torpere bonis & hebeſcere ſueta:*
*Aſt vbi lætorum ſeriem tranſuerſa repentè*
*Interrumpit atrox ſæuo fortuna tumultu,*
*Se virtus animoſa mouet, ſegnémque veternum*
*Excutit, & terſo tandem ſplendere nitore*
*Incipit, & vera ſeſe oſtentare figura:*
*Exuit & ſenium, viridem reparátque iuuentam,*
*Anguis vti primo poſuit qui vere ſenectam:*
*Inſultúſque graues euincit ſortis iniquæ.*
*Iſta ſub inuicto latitat quæ pectore virtus*
*Bellipotens, ERRICE, tuo, quo clarior eſſet*
*Elicienda fuit damnis, vt ſaucia toto*
*Conatu connixa, ferox aſſurgeret omnes*
*Protinus in vires, armiſque vt frangeret hoſtem.*
*Vidimus infando percuſſis vulnere Francis,*
*Diſſimulare metum proceres, & fingere vultum*
*Non potuiſſe, ſuo ſignare ſed ore pauorem.*
*Conſternata vijs totis diffiſa ſaluti*
*Agmina communi: conſpeximus vrbe migrare:*
*Iuſtitio indicto puteal ſanctúmque tribunal*
*Vidimus orbatum turba caruiſſe togata.*
*Aduentare hoſtes, lituóſque ſonare canebat*
*Indulgens falſis tanto in diſcrimine rumor.*
*Aſpera quis verum non vltra finxit: & illis*
*Prona fides vltra ſolitum fuit? auctor haberi*
*Is verus meruit, quiſquis teterrima dixit.*
*His tua non deiecta gradu, rex maxime, virtus*
*Inconcuſſa locum tenuit, ſeque omnia contra*
*Intulit obnixis animis & pectore firmo.*
*Hoſti tunc acies intus, tunc bella coquebas:*
*Ingentéſque iræ tua tum præcordia flammas*
*Intus anhelabant, maioráque cœpta parabant:*
*Lætitiamq́ breuem diuturnaque damna mouebas*
*Hoſtibus. Annus abit funeſta ſtrage cruentus:*
*Aequior at proprijs aperit tibi tempora faſtis*
*Ianus, & in votum clades conuertit acerbas.*
*Crimen & inuidiam, meliori deeſſe, putauit:*
*Nec cœptis fauiſſe tuis, fouiſſéque partes,*
*Dum nihil infractum bella inſtaurare tuetur.*
*In longum nec ſpem mittit, nec pendula torquet*
*Corda mora: matura tibi ſed ſiſtit opima*
*Præmia, quæ cupijt primis conferre calendis:*
*Nec feciſſe piget, meritum nec luce dediſſe,*
*Romuleos trabeæ ſolitæ qua tollere faſces.*
*Attamen iſtius pars anni vt nulla vacaret,*
*Occupat auſpicijs ipſis vt inauguret eius*
*Prima rudimenta, atque vt Francæ conſecret aulæ,*
*Oceani ſegnes è gurgite purus Eoo*
*Extulit annus equos brumali ſidere vernus,*
*Et ſudum oſtendens alieno menſe ſerenum.*
*Prodierant pigris hibernis agmina tota,*
*Criſpáque per patulas vndabant ſigna nouales:*
*Clara dies hilarat penitus Mauortia corda,*
*Imbuat vt miles naſcentis protinus anni*
*Primitias virtute parat: tua Viſius auſa*
*Concipit, ERRICE, & tua fortia iuſſa capeſſit,*

Atq; agmen rapit, vt quid proxima ſpondeat æſtas,
Tum proludat hyems, ſpemq; hoſtibus auferat omnẽ
Indicátque metum, diroque ſub omine mergat.
Eſt locus extremis quâ ſunt confinia terris
Picardi & Flandri, Thetis quâ reſlua ponti
Ambiguis vel inundat aquis, vel nudat arenas:
Et controuerſo toties quæ limite cedit,
Vindicat alternis, ſéque in ſua iura reponit:
Caliſium haud priſcis notum dixêre minores.
Hic anguſta freti dirimunt diſcrimina Belgas,
Anglorumq; latus, medijs qua diuidit oras
Interfuſus aquis pontus, compendia nautis
Traiectus monſtra breuis, & commercia mundi
Citro vltro iungit, ſtrictas & plurima fauces
Mercibus Heſperijs onerata carina pererrat.
Terreus hic olim campus, dum præpete curſu
Iccius aduerſæ tranſmittit carbaſa terræ
Portus, & ad reduces exporrigit ora faſellos:
Dumque ſinu Geſſoriacum penetrare reducto
Longius, immiſſum penitus ſalis alluit æquor:
Nunc caua cæruleo quâ gurgite ſæpe tenebat
Pinus iter, ſulcos infindit durus arator,
Exercetq; ſolum, glaucis regnataq; diuis
Poſſidet arua Ceres, campi quaq; ante natabant,
Turrita Audomarum muri cinxêre corona.
Caliſij ſedem poſt optauêre coloni,
Et legêre locum laribus: tum paupere cultu,
Et temerè extructis, rudibuſq; mapalibus illum
Inſedêre, caſiſq; & agreſti culmine vicum.
Anglos dein veritus pinnis atque aggere firmat
Francus, & æquoreo voluit confidere clauſtro.
Proh pudor, obſcenum poſthac inceſta maritum
Vxor Aquitanis dotalibus inuehit aruis,
Et te Picto dicat, propriumq; adiudicat Anglo:
Colliditq; domos, iurataq; bella quietis
Inſpirat populis, regum communis Erinnys.
Non ſic Tartareis Alecto emiſſa cauernis
Armaret gentes odijs & bella cieret.
Anglum etiam proauita mouet Normania: namq;
Eiectum grauiter Franci ſe vindicis armis
Patroniq; dolet: potiorem iactat iniquo
Aſſertore pium tam longa ſanguinis eſſe
Hæredem ſerie, repetitq; à ſtemmate iura.
Ille etiam Francæ cupit aſpirare tiaræ:
Teſtaturq; genus maternum humanaq; iura.
Pollutam queriturq; fidem, legemq; tuetur
Francus, lanificis quæ dextris regia ſceptra
Abnegat, & molli vetat elangueſcere ſexu.
Caliſium hinc longa capit obſidione, ſuoq;
Fertilis vber agri Normana noualia Saxo
Adijcit imperio: ſolio tunc imminet vltro:
Et coniurato Burgundi marte iuuatur,
Burgundi, qui patricia tum cæde cruentus,
Proditor ad ſeros commiſſa luenda nepotes
Tranſtulit, & cæde hac & proditione profanus.
Carolus vt tantam videt impendere ruinam,
Has diſiungit opes, Burgundaq; fædera ſancit.
Virginis hinc Anglos ductu (mirabile dictu)
Normani depellit ouans & Vaſconis agro.
Hæſit in extrema celebris victoria meta,
Caſilium tentare timet. Tu cauſa timoris
Angle, quòd vndenos ſeſe repararat in orbes
Luna prius, poſſes illa quàm ſede potiri.
Cinxerat & vallo Burgundus & aggere fruſtra.
Iſta, ERRICE, tibi prouincia dura relicta eſt.
Hanc tamen hiberni cùm pulſant æquora Cori,
(Auſpice temperies ſed numine verna refulſit)
Cùm nemoroſa feras villoſo tergore produnt
Frigoribus ſua luſtra, mari dum nauita cedit,
Rura geludum claudit hyems, dum ſegnis arator,
Omnia naturæ dum fœdere bella quieſcunt,
Luce vrbem decima recipis fœlicibus armis,
Quam vix vndecimo menſe expugnauerat hoſtis:
Luciferos nec tot numerat tua laurea fœlix,
Hoſtica quot lunas prior imputat: & tamen illum
Munierat natura locum, manus arte Cyclopum
Obuallarat, & à terris abſtraxerat æquor
Immiſſum feruente lacu: ſed & alueus æſtu
Illabente maris, pleno ſe gurgite tollit.
Qualiter Euboicis exundat littus in oris,
Cùm tumet Euripus reuocatis concitus vndis:
Cumq; annus rapidi ſentit momenta leonis,
Nilus vt æſtiua ſe mole ſuperijcit aruis.
Cenſeres terris Neptuni auulſa tridente,
Cæruleis tranſmiſſa vadis fundamina cingi,
Vrbem telluri limes niſi vngeret arctus.
Hunc ſcopulum quis quæſo capi ſponſore putaret
Poſſe Deo? certuſq; fidem quiſnam auctor haberet?
Expugnare duces tibi, quorum nota Gradiui
Militia eſt virtus, ERRICE, neceſſe, priuſquam
Vrbem oppugnares, multis fuit vſque diebus.
Tendebant contra, quodq; haud promitteret æſtas,
Credere nolebant hyemis glacialibus auris,
Quæ fouet obſeſſos obſeſſoreſq; fatigat.
Cæſareis fortuna fauens conatibus, vrbis
Mediomatricum deprenſa eſt mœnibus, ac ſe
Inclementi hyemis tum tempeſtate repulſam,
Indulgere ſuo nequicquam ſenſit alumno.
Ille ſuas afflixit opes, dum prouocat amens
Concretam glaciem, nimboſque niueſq; laceſſit.
Is ſapit, hoſtili quem facta pericula damno
Erudiunt. ERRICVS adhæc, ſe fidere cæptis,
Augurioq; animi quodam ſe impellier inquit.
Degenerem ſe ſcire hoſtem, quem effœminet illa,
Qua regitur malè fortis anus, triſtiſq; Megæra.
Supplicijs quæ ſæua ſuos immanibus olim
Fregit, & ingenitæ quod erat virtutis ademit:
Summaq; decuſſit tondente papauera ferro:
Exilijs vel dira ſolum mutare coëgit.
Fœmineæ reliquum quod ſeſe emancipet aulæ,
Vulgus iners, viléſque animæ, cædiq; paratæ,
Ceu pecudes, conferre manum & pugnare peroſæ.
Quos proaui vicêre mei ductrice puella,
Hos ego rugoſa vetula regnante timerem?
Ille gynæceio penſiſq; aſſuetus Iberus,
Delicijs qui totus hebet luxúque liqueſcit,
Faxo ſua mihi cum Cleopatra Antonius amens
Expendat pœnas, & ſupplex arma recondat.
Ille leui afflatu fortunæ, credo, beatum
Se putat eſſe, tamen ſit ei victoria faxo,

Non



Non minus at coniunx ſterilis, quo pendat eadem
Coniugium & palmam trutina, nec ſperet vtrinq;.
Carolus aſſeruit qui victo Saxone Francum,
Saxona Burgundumq; iugo diſiunxit amico:
At me rapta iuuant geminato ex hoſte trophæa:
Coniunxiſſe placet, ſemel vt defungier vno
Marte mihi, & gemino liceat clarere triumpho.
Frigore nec moueor: medijs Aquilonibus Alpes
Gentibus innumeris ſtipatus & agmine Pœnus
Annibal immenſo, ſuperauit, & obuia rupit.
Tunc paſſa eſt natura iugum, celſoq; minantes
Cælo ſubmiſit ſcopulos & iura recepit:
Atq; inſeſſa hominum ſtatione cacumina vidit
Ardua, pennigeris volucrum vix peruia ſeclis.
Quem populum terris imponere fata parabant,
Concuſſit labor ille ducis, populique ferocis
Pulſa loco eſt virtus, ſtratiq; cadauere campi.
Lydia Achæmenio ſunt ſubdita regna tyranno,
Frigoribus dum ſæuit hyems. non ipſe ſerenos
Alcyonum deſpero dies, quibus æquora mulcet
Iuppiter, egelido cælúmq; tepore relaxat.
Nec noſtros prohibere leue ac reparabile damnum
Succeſſus valet: offenſo illi quippe tenore
Fortius inſurgent maiori molle coorti:
Amnis vti rapido qui creuit plurimus imbri,
Obice ſiſtit iter, mox eluctatur inertes,
Perrumpítque moras, ſecumq; in prona volutat
Quicquid obeſt victor, curſuq; citacior exit.
Acrior eſt virtus quam ſuſcitat ira dolórq;:
Irritata venit, quæ morſu ſaucia damni
Angitur, & quærit collectis viribus hoſtem.
Quare agite, & rapto, potitur quo perfidus Anglus,
Ceu ſpoliúmque oſtentat, & hac ceu vindice gleba,
Mancipij eſſe ſui contendit Francica ſceptra,
Vos hoſtem ſpoliate duces, actóſque profundo
Reddite iam toto diuiſos orbe Britannos.
Maxime Francigenûm cæleſtia, Viſius inquit,
Cuius in arbitrio ſunt lilia, terror Iberi,
Saxonis horror, amor patriæ, cui cedet iniquæ
Sortis acerba manus, ſe purgabítque nocentem,
Quòd tua deſeruit, diuerſaq; caſtra ſecuta eſt:
En ego, quæ mandas, præſto ſum vt iuſſa capeſſam
Auſpice te, diuóſque tuos mihi dante ſecundos,
Aſpera militia haud fuerit, non ſi agmine celſas
Ipſe remetiri cogis brumalibus Alpes
Frigoribus, trepidámque armis obſidere rurſus
Italiam: ſi regna iubes in Daunia bellum,
Seruiet hæc deuota manus: fœlicibus armis
Quæ ſceptris adiuncta tuis regna illa dediſſet:
Ni temerata fides illic, pollutáque turpi
Fœdera ſancta forent caupona, & perfidus hoſpes,
AEquato velut ancipites examine lances,
Inclinaſſet eam in partem, propenſius vnde
Auripondus erat: nam dum ſerit ille morarum
Innectítque dolos, dúmque inſidioſa ſuſurrat
Diſcidij commenta, fidem & diſiungit amicam,
Inſpirátque odium, & ſocialia diſtrahit arma,
De manibus fortuna meis elapſa receſſit.
Nec tamen interea campo ſe comminus hoſtis
Oppoſuit, clauſúſque ſuis in mœnibus hæſit:
Degeneres veluti fouêre cubilia ſiluis,
Et latuêre feræ. Nunc quæ mihi præcipis, illa
Exequar, extorrem trans & mare Saxona mittã:
Victorem & te Caliſio præſtabo recepto. (lat,
Tempus erat, quo bruma rigens graue frigus anhe-
Threiciúſque ſolum Boreas atq; aſperat vndas,
Et quo conſtrictis dureſcunt flumina cruſtis,
Calcantúrque rotis, inſultanturq; pedum vi,
Congerie quo ligna focis coniecta cremantur,
Et vix horrentem defendimus aëra tectis:
Sed ſimul ac campis criſpi fulsêre dracones,
Et legio egreſſa eſt, quæ milite cingeret vrbem:
Ipſa repens deſæuit hyems, friguſq; remittit,
Vernáque temperies non ſueto ſidere ridet.
Ille ſator rerum reducem qui temperat annum,
Qui nouat æſtates, reuocat qui verna ſerena,
Qui rigidas hyemes, autumnum quiq; nocentem
Certa lege refert, mutauit fœdera rerum,
Atque vices, properata tibi qui verna reduxit
Tempora, & ante diem brumalia frigora ſoluit:
Hunc cæptis fauiſſe tuis non vlla fuiſſet.
AEſtatis tàm certa fides, nec ſigna dediſſet
Tam manifeſta tuis, rigidas quàm quando pruinas
Corpore ſemifero ſemper Capricornus anhelans,
Lenior incubuit terris, auráſque niuales
Diſcuſſit, lætumq; afflauit veris honorem.
Augurijs alijs quid opus? præſagia diuûm
Quænam alia explorare cupis mage fida fauentum?
An defixa polo ſolis rota clara, diémque
Longius extendens, ſtantéſque experta iugales,
Certius affirmet rex numina rebus adeſſe
Fauſta tuis? horrenda gelu tibi bruma remiſſo
Ecce tepet, ſternítque tuæ placida æquora claſſi:
Et venit ad partes vltrò, inuitátque morantes:
Frigora dedidicit tempeſtatéſque remouit:
Non tam præſentes potuiſſes noſcere diuos,
Commoda legiſſes ſi tempora: militat æther
Auſpicijs ERRICE tuis, mundiq; ſequuntur
Ipſa elementa deos, & coniurata fauorem
Commodat inſolito moles operoſa ſereno.
Hæc animos hoſti frangunt: tibi cernit amicos
Quos timet aduerſos diuos: & ſperat iniquos,
Quos æquos videt eſſe tibi: præiudicat annum
In reliquum tam mitis hyems decurrere votis
Tempora grata tuis. ſi quid tentauerit hoſtis,
Obruet aut pelago naues nimboſus Orion,
Aut hærebit iners legio pluuialibus hædis:
Signa mouere loco nec erit, nec vellere plantam:
AEnea voluenti nec agetur machina curru.
At legio pugnam, cæli defeſſa procella,
Si tentet, tibi terga dabit cædenda, necíque
Marte tuo data ſternet agros, & clade notabit
Profligata locum, ſeríſque nepotibus edet.
Viſius, vt iuſti, crebris ſtationibus vrbem
Obſidet, Euripi quáque vnda reciproca cingit
Arcem, tormentis muríſque atq; aggere firmam,
Verbere crebra quatit: tum rauca tonitrua vicit
Murales torquens immani pondere glandes
Machina: fulminea non ſic ſe lampade vecors
Salmoneus iactauit ouans, talémque fragorem

*Non dedit, æthereos quando affectauit honores.*
*Ilicet ingenti muri patuêre ruina.*
*Corripiunt aditum duo mox fortiſsima belli*
*Robora, reſtantem cupidi expugnare cohortem,*
*Strozius, Aumaluſq;: loco mox pellitur Anglus:*
*Cedit & arce: manu qui ſi contenderet hilum,*
*Mox maris illapſus vel noſtros mergeret æſtus:*
*Aut intercæptos diuiſóſque obice ponti,*
*Hoſti mactandos miſeranda morte dediſſet.*
*Temporis hoc de te breue decernebat & hoſte*
*Momentum: articulo hoc victor victúſq; dabatur.*
*Propugnaſſet enim aduerſa pro parte tumeſcens*
*Pontus, & euerſa labem ſarcire ruina*
*Impreſſa foſſa licuiſſet & aggere iacto:*
*Spes & adempta foret potiundæ funditus vrbis,*
*Si qua animo virtus Anglo roburq; fuiſſet.*
*Horæ ſextantem qui ſi duraſſet in hoſtem*
*Vicerat: aduerſum ſed enim duo fulmina Martis*
*Strozius, Aumaluſq; loco pepulêre feroces,*
*Arceq; præcipitem exturbant, funduntq; fugantq;.*
*Poſtmodo flagitij tanti ſed pœnitet Anglum,*
*Præſidiumq;, animis pelagi feruore receptis,*
*Diſtractum medijs interlabentibus vndis*
*A caſtris, tentare parat, pugnamq; laceſsit.*
*Merſerat Oceano rutilum nox humida ſolem:*
*Subluſtri ſed clara polo Diana micabat:*
*Illa acies ſæui mutata ſorte pericli,*
*Sublimi è ſpecula cæli concurrere cernit:*
*Qualis Olympiaca ſedet olim in gymnade iudex,*
*Solemnes referunt ſacra cùm quinquennia ludos.*
*Qui prius obſeſsi fuerant, obſidere certant.*
*Sed potior Francus quæſita laude locoq;:*
*Anglus at inferior conceſſa laude locoq;.*
*Saxone Franci animos attollit adorea pulſo:*
*Attamen irritant nihilominus acriter Anglum,*
*Natiq;, vxoreſq;, lareſq;, aræq;, fociq;,*
*Atque abolere parat deſertæ dedecus arcis.*
*Illam multa viri per noctem fortia miſcent*
*Vulnera: tormentis volucris pila nulla quieſcit:*
*Non validis excuſſa toris lethalis arundo,*
*Liuida Tartareo non glans exploſa boatu,*
*Non tela aut ignes ceſſant, non mucro coruſcus.*
*Plura refers tamen, Angle, loco congreſſus iniquo*
*Vulnera, Francorumq; tui ſub Marte manipli*
*Multa cæde cadunt, vultumq; auertis ab hoſte.*
*Interea prodit tenebris Aurora fugatis,*
*Albeſcitq; dies, refuguſq; relabitur æſtus.*
*Tum verò haud dextra Saxo defendere fiſus*
*Vrbem, velatis manibus, modò viuere pactus,*
*Omnia Viſiadæ diuina humanaq; dedit.*
*Regina vt captam mox nuntius attulit vrbem,*
*Regalem lacerauit amictum, & pectora planxit*
*Perdita, damnauitq; diem, veſciq; negauit,*
*Et cœtum auerſata hominum penetrale petiuit*
*Multa gemens, diro peregrinas omine thedas*
*Execrans, pepigit quas nobilitatis iniquis*
*Infeſtiſq; animis plebis, tum perfida miſſo*
*Iuratum violaſſe dolens interprete belli*
*Fœdus, & Hiſpanis interueniſſe periclis.*
*Hîc furias male ſana vocat, quibus acta duellum*
*Indixit: vocat & Bellonam, Erebumq;, Chaoſq;*
*Ingeminat, miſeram cupiens abrumpere vitam.*
*Tres illam perhibent ſecretam ex ordine luces,*
*Et totidem noctes potu caruiſſe ciboq;:*
*Ieiunis quarta vix faucibus admouet eſcas*
*Luce: quod at vitæ reliquum eſt exhauriat, optat*
*Nobilitas plebeſq;, & ſontem deuouet Orco:*
*Quæ rupto infauſtum contraxit fœdere bellum,*
*Exteraq; indigenis ſpretis connubia legit,*
*Regia vt Hiſpanis enuberet Anglica ſceptris,*
*Contempta gente externo tranſcripta colono.*
*Sæpius iſta fremunt: paulatim gliſcere cruda*
*Seditio, & ſæuire animis ignobile vulgus,*
*Atque orbes glomerare, odijq; accendere cauſas.*
*Regibus & multis cæſis gens illa cruenta:*
*Principis & ſuperis conſueuit morte litare,*
*Publica in exitium conuertens damna potentum.*
*Dedendam eſſe neci clamant, eiuſq; piandam*
*Interitu cladem: hîc quorum ſcelerata propinquos*
*Suſtulerat, ſtimulos addunt, acuuntq; furorem.*
*Dij facerent vnâ caderent vt compare plaga,*
*Coniugio iuncti rex & regina ſiniſtro:*
*Fœmineus ferrum cruor haud ſatis imbuet: ille*
*Accedat iugulus quo fœmina capta nocente eſt,*
*Ad bellumq; impulſa: caput luat illud Iberi,*
*Quod patrauit opus: ſi non pote, fœmina ſaltem*
*Caliſio inferias funeſto ſanguine mittat.*
*Qua Diuos, ERRICE, tibi pietate ſecundos*
*Tam meruiſſe potes, faciles vt vota quod vltra eſt,*
*Donent? Caliſium ſat erat tibi Marte receptum:*
*Hoc cumulant meritũ Anglorum ciuilibus armis,*
*Et reginæ odio, Burgundum & fœdere rupto*
*Exarmant, pronum vinci minimeq; rebellem,*
*Conſociet niſi caſtra, ſuo tueatur & auro*
*Anglus, qui ſocijs abſcedet protinus armis.*
*Euentura loquor, firmabunt omina Diui.*
*Fortè nouis ingens animi ſucceſsibus Aſtur,*
*Proſpera cui lætos tulerant æſtiua triumphos,*
*Inferiora Dijs vt non ſentiret, & vltrò*
*Stellanti iaceret maledicta minantia cælo,*
*Ocia fallebat luſu, Francoſq; proteruis*
*Vſque iocis amens lacerabat, & vſque rogabat*
*Nonne pruinoſis gelidoq; ſub ætheris axe*
*Hibernis poſitis algeret Francus? & eius*
*Stiria in impexis dureſceret horrida barbis?*
*Quem vapor æſtiuus, duraqúe offenſio pugnæ*
*Percalefeciſſet, glacies nónne vreret æquè?*
*Quanquam tum inſolito vernabat ſidere cælum.*
*Is ſimul ac captam, dum luderet, audijt vrbem,*
*Perculſus ſtupuit, geliduſq; per ima cucurrit*
*Oſſa tremor, ſteteruntq; comæ & vox faucibus hæ-*
*Dein ad ſe vt redijt, diſiecit ludicra, & ægro (ſit.*
*Pectore crebra gemens mæſtus ſuſpiria duxit:*
*Et ſingultanti querulam vocem edidit ore.*
*Armis men' poſitis deprenſum & milite miſſo,*
*Improba deſtituis fortuna atque obijcis hoſti?*
*Siccine de manibus noſtris elapſa repentè eſt*
*Laurea? ſic Francũ nec belli incommoda frangant,*
*Sæua nec horrentis remorantur frigora brumæ?*
*Meq; hyememq; pari traductos ille triumpho*





*Victor aget: non ex facili certamine laudem,*
*Non æquo petit ille iugo, qui tempora victus,*
*Victorémque parat communi clade notare:*
*Hiſque triumphatis memori ſe tradere famæ.*
*Saxonibus quid dico, meæ quid dico Britannæ?*
*Quos ego compoſita fœlices antè quiete,*
*Inuitos placidam temerando rumpere pacem,*
*Iure profanato & diuûm pietate coëgi?*
*Iſta manet merces illos queis chara fuêre*
*Commoda noſtra magis, quã ſanctũ faſq; bonumq;?*
*Relligio noſtris queis vilior vſibus? ecquem*
*Inueniam poſthac facili qui peieret auſo,*
*Imputet atque mihi violatæ pignora dextræ?*
*Iamiam perfidiæ Parmenſem pœnitet actæ,*
*Venit in Heſperiam ſi præpete fama volatu,*
*Talia quæ pernix momento remige penna,*
*Nuntiat Auroræ populis, ſoliſq; cadentis*
*Qui Maura ſtridere globum nugantur in vnda:*
*Nec paria euentis narrat, ſed guttura mille*
*Soluit, & in maius damna omnia ſemper acerbat.*
*Et ſi vix poterit lingua ſuperare loquaci*
*Dedecus acceptum, & captæ infortunia ſedis.*
*Hæc pelago imponit frænos, hæc cærula Nerei*
*Regia, ceratas cui fas parere carinas.*
*Imminet hæc Flandro, in ceruice & faucibus vrget.*
*Hæc diti exuuijs raptis ex hoſte ſuperba,*
*Primitijs delubra Deûm ditabit opimis,*
*Curuabitq; tholos, ædeſq; relinquet inanes*
*Quæſtori, & noſtri minuet compendia fiſci:*
*Auertetq; tuas lembis Anterpia merces,*
*Prædatrixq; auidi dirimet commercia mundi:*
*Threicio ceu qui metatus littore ſedem,*
*Anguſtum bouis accoluit de nomine pontum.*
*Huc & ab Heſperio qui ſueti & cardine Eoo*
*Tendere nauigijs, ſiſtent iter, atque quieſcet*
*Orbis opes ſolitus Flandris portare cataplus.*
*Nec mihi conſultum eſt exhauſto ſumptibus, vnde*
*Pugnaces reparare manus ad prælia poſſim,*
*Venaleſq; tuas Teuto conducere dextras.*
*Gens conducta meres aduerſis hoſpita caſtris:*
*Quæq; gerunt alij pia, tu ciuilia bella*
*Sola facis, ferrumq; in ciuis viſcera condis:*
*Dumq; alijs vincis, tibi vinceris: atq; iuuentus,*
*Quæ melius ſancta pro relligione periret,*
*Lucro animam impendit pretioq; paciſcitur hoſtẽ,*
*Teſtaturq; hominum nunquam ſe deeſſe furori:*
*Auſa pharetrato non comminus ire tyranno:*
*Virq; in Chriſticolas, in Turcam fœmina pugnat.*
*Hæc ille immani conſumptus corda dolore:*
*At parte ex alia, feſtis gaudere choreis*
*Francorum populus, vittis innectere diuos,*
*Et celebrare Deûm delubra, & limina fronde*
*Spargere, & in cunctis ignes accendere vicis:*
*Lætitiamq; agitare epulis cantuq; iocoq;.*
*Tum de te, Viſi, quis non eſt grata locutus?*
*Burgundum quoties equitem memorare iuuabat;*
*Præcipiti dare terga fuga turmalibus alis*
*Antè coëgiſſes: Metis ſub mœnibus vtq;*
*Ipſe triumphalem fregiſſes Cæſaris axem.*
*Tu formidatum mundo vincique negatum*
*Poſſe caput primus ſuperas: tu frangis equeſtres*
*Victor ſcloporum cuneos ad Rentia caſtra:*
*Te Belgæ timuêre truces, te fortis Iberus:*
*Te propè Cæſarea fugit ſtatione relicta*
*Carolus, vt trepidas vidit nutare cohortes.*
*Tu quoq; in Heſperiam magnã non agmine magnõ*
*Per medios hoſtes penetras, & ſalua reportas*
*Signa domum, iuſto luctatus cum hoſte, tuíque*
*Cum capitis caupone, fidem qui prodidit auro*
*Perfidus, & ſocium nudauit milite pacto.*
*Nunc etiam extrema reſtantem in calce Britannũ*
*Littorei Belgæ, maiorúmq; ora notantem, (tem*
*Stigmáq; inurentẽ, atq; vt compede regna premen-*
*Gallica, dux victũ trans æquora glauca remittis*
*Impingíſq; vadis patriæ. nunc naufragus Anglus*
*Eiectúſq; miſerque ſuæ eſt illiſus arenæ:*
*Qui vaſti à nobis aberit diſcrimine ponti.*
*Præclarè fines, Viſi, regis arbiter æquus.*
*Sæpius hæc iterant, ſatias nec carminis vlla.*
*Nec fratrem, cui purpureo velata galero*
*Tempora, prætereunt hilares, patriámq; beatam*
*Eſſe pari fratrum celebrant, quorum arma tubaſq;*
*Alter obit, victor patriæ decus atq; reportat:*
*Conſilijs vſúque togæ præſtantior alter*
*ERRICI releuat curas, & corde capaci*
*Sufficit & Muſis, & rerum ſuſtinet actus,*
*Partitúmq; vigil tempus diſpenſat vtriſq;.*
*Squallida barbarico nec ſæcula noſtra veterno*
*Eſſe ſinit, caſtas nec mendicare Camœnas.*
*Viſius hinc pergit, raptóq; citatius omni*
*Agmine, turritas ingenti mole Vinarum*
*Arces circundat pluteis, & verbere multò*
*Tormentorum, apices pinnáſq; & mœnia peſſum*
*Deijcit, aggeſtúmq; ſolo mox æquat aceruum*
*Iunctus erat muro qui terreus, hinc tuba cantu*
*Signa dat, atq; acrem ciet ad certamina pubem.*
*Primus ibi ante omnes iuuenũ comitante caterua,*
*Infers Andellote gradum, atq; inuadis in hoſtem:*
*Et comes accedit Memorantius inclytus, ambo*
*Fœlices, ſi non deſideret iſte parentem,*
*Tu fratrem, indignos duri quos alea Martis*
*Importunæ fero captiuos traderet hoſti. (phis.*
*Hos rapidus Rhodanus, vitreis hos Sequana lym-*
*Hos liquidus Ligeris, flerunt hos marmora ponti.*
*Mox ruit his ducibus tanto impete feruida pubes,*
*Quantus Hyperboreis Aquilo prolapſus ab antris,*
*Incumbit pelago campiſq; natantibus inſtat,*
*Et poſſeſſa alijs ſibi vindicat æquora ventis:*
*Quaq; dedit ſonitum, maria inclinata propellit.*
*Non hoſtes ſufferre valent, metit efferus enſis*
*Saxonaq; Hiſpanumq; trucemq; ad barbara Belgã.*
*Sternitur omnis humus, cereali vt mergite paſsim*
*Stratus ager, frugum expoſitis per rura maniplis.*
*Vnus vix tanto è numero tu Græe ſuperſtes.*
*Seruatum lucro quàm cæſum impendere ferro*
*Maluit, & prædam quàm miles inane cadauer*
*Optauit potius: tu ſaluus vindice nummo.*
*Iſta bifrons expenſa tulit tibi munera Ianus,*
*Atq; tuis annum cœptis ERRICE ſacrauit.*
*Qui te tam larga donauit pignore ſtrena.*

Succeſſus vrgere tuos & adeſſe fauori
Cælicolûm ſis quæſo memor: nunc hoſtis inermis
Militibus caret & nummis: occurrere Diuis
Quid lentus ceſſas fautoribus? ánne relinques,
Quos fauſtos precibus votis & emacibus antè
Optaſſes, fibra & pecudum cenſuq; mereri?
Eſſe duces cupiunt, comes hos vt paſsibus æquis
Ipſe ſequare, vide. tibi ſi, dum ſæua procella
In regnis graſſata tuas euerteret vrbes,
Hanc aliquis Diuûm certo promitteret horam
Credere vix poſſes: ſed ſi tamen illa veniret
Hoſtis perniciem iurares: contigit illa:
Inijcienda manus, ne mox præteruolet: hoſtis
Ille tuus ducit dum ſegnia tempora victor,
Se vinci ſenſit lapsáſque reſurgere partes.
Funeſtæ Latio manarant ſanguine Cannæ,
Et Pœni modios cumulauerat annulus auro:
Dum tamen ille ſedet, dum cunctaturq; vocanti
Fortunæ præſto eſſe comes, Romamq; iacentem
Reſpirare ſinit; Diuûm irrita munera ſenſit.
Nam velut execto collo numeroſior Hydra,
Multiplicata ſuis damnis, violentior hoſtem
Creuit in aduerſum, decus illi & frondis honoræ
Eripuit, victrixq; Dijs ſolennia ſoluit.
Imperium eſt mundi iuuenis Pellæus adeptus.
Dum victis inſtat, dúmque omni à parte timetur,
Creditur & tergis hærere fugacibus, & dum
Hoſtibus improuiſus adeſt, nec nuntius illum
Aduentare ferit rumor, veniſſe ſed hoſtis
Conſpicit oppreſſus, nec ſidit ad arma vocare.
Bella Dionæus quoq; fulminis ocyor alis
Cæſar, vt excuſſus Balearis verbere fundæ
Geſsit, vincendiſq; mora, fuit impete victor.

## DE PROVENTV POETArum Caliſio capto.

CALISIVM quidni poſsis Helicona vocare?
Quo capto vatũ eſt tantus in vrbe chorus?
Quæ modo vix tacitis muſſabant tecta ſuſurris
Vndiq; cygnæo carmine pulſa ſonant.
Ipſe loqui poſſum qui vix ſermone ſoluto,
En conor certis nectere verba modis.
Si natura negat facit exultatio verſum
Péſque ſua nobis ſponte ſub ora ſubit.
Corue poëta canes, fiéſque poëtria pica,
Altera ſi laudem laurus honora ferat.
Hoc meritũ eſt, ERRICE, tuũ, tua laurea linguã
Erudit, & verſus docta magiſtra venit.

## EPITHALAMIVM FRANCISCI VALESII ILLVSTRISS. FRANCIÆ DELPHINI, ET MARIÆ STVARTÆ ſereniſs. Scotorum reginæ.

AONIO Muſæ lauitis quæ flumine crinem,
Auratáq; nitens teſtudine Delie Pæan,
Huc hilares, huc ferte pedem, celebrate choreis
Carminibuſq; diem, domitis quo lætior Indis
Non fuit, optata ſibi cùm Minoida theda
Euantes inter Satyros Nymphaſq; iugauit
Liber, & æthereis monumenta dicauit in oris:
Nec cùm placata Tirynthius antè nouerca,
Vina miniſtrantem thalamo ſibi nexuit Heben:
Terrigenis nec cùm victis Saturnius olim
Iunonem ſceptris ſociam cœleſtibus auxit.
Inferat huc lætum greſſum matrona tonantis
Pronuba: quæq; ſacra ſancis connubia flamma,
Adſis ô Erycina fauens, Hymenæus & adſit,
Et Iocus, atq; Charis pellucida veſte fluenti.
Tu quoq; ab vndiſono Nereu caput exere ponto
Cæruleæ indutus ſcatulata, Salacia præſto
Sit omnes, & longis verrentes æquora caudis
Tritonéſque, & Leucothoë, Inousq; Palæmon,
Et ſenior Phorci chorus, eq; Anthedone Glaucus.
Res agitur nam veſtra: mari circunflua magno
Inſula, quam medijs fundat Neptunus in vndis,
Nereïs Scotæ regno poſſeſſa paterno,
Delphino dotalis erit mox Regia Franco:
Nereïs & vobis auctoribus apparat ipſa
Nubere auſpicibus: qualis nec pulchra Dione,
Cæſia nec Pallas, nec erat Latonia Phœbe:
Marmorea nec fronte Dryas, nec candida Naïs:
Nulli nec in terris, in fluminibúſue ſonoris
Par ſpecie Nympha eſt, nec Hamadryas incola ſiluæ.
Nec formoſa Napæa, nec hoſpita montis Oreas,
Quæ flauum tereti crinem modò colligit auro,
Nunc leuibus paſſum ventis diffundere donat.
Hæc gemmam ſuperat, rutilũ quæ diuidit aurũ:
Bacchatum hæc eadem ſuperat formoſa monile:
In varios & cùm ſe pingit terra colores,
Non tamen huic vllũ florem quem comparet effert.
Nec verò Pario ſcalptum de marmore ſignum,
Non ebore expreſſum, fuluo non ære politum,
In tabula aut pictum manus emendatius edet.
An quæ magnanimum generauit mater Achillem
Se Thetis huic æquet nitidis argentea plantis?
Ledæóne parem quæ concolor exijt ouo
Se ferat? Europam licet hæc Phrygiámq; potentem,
Rapta decem duro bello colliſerit annos?
An quæ Piſæam tabo maculauit arenam
Sanguinolenta nurus miſerorum cæde procorum
Cuius emi thalamos ipſa bene morte putabant,
Tantalides ſocero rapuit quam deniq; victo
Auriga prodente rotas, axéſque citatos?
Omnes hæc formas præſtanti corpore & ore
Exuperat, Paride & pomum vel iudice ferret.
Hæc tereti filo, & procero corpore ſurgit
Primæuo ſub flore: ſuo metitur & vltra
Virgo ſe matres modulo, ſuggeſtus & alti
Verticis humani capitis faſtigia ſupra

Eminet,



Eminet, & quarti vix eſt in carcere luſtri.
Huic decus & tantum ſpecioſæ frontis honorem
Inuidit Cytherea Venus, populatáq; ſæua
Diua lue, obſeuit varis deformibus ora.
Sic quæ pellicibus nuptæ inſidiantur auaris.
Quas forma plus poſſe dolent, medicata propinant
Pocula, guttata lentigine ſtellio quæ tu
Inficis, vt vario ſignetur tergore vultus
Diſcolor, & maculis liueſcant ora ſubortis.
Non tulit inuidiam Cypriæ tamen æmula Iuno
Non Pallas, rurſum ſe pulchra in virgine vinci
Turperatæ. nam quam poſſent opponere victæ
Victrici, magica malus hanc ſi faſcinus arte
Deleret ſpeciem, vel diro crimine morbus,
Liuida quem tacito cantaſſet murmure Cypris?
Illa ſuperba ſuis tum formæ dotibus, atque
Imperioſa bonis, quanto molimine ſeſe
In medium ferret? quanto ſubnixaq; faſtu
Calcarat ſuperas fœdata virgine Diuas?
Vtraq; cœlum igitur medica quos arte magiſtros
Indigetis habet atque Deos prece ſupplice poſcit
Auxilium, charæ morbiq; leuamen alumnæ.
Ilicet adueniunt, habiliſq; armaria ciſtæ
Expediunt, diſcluſa locis & pharmaca promunt,
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panaceam,
Nectar & æternum cum pæonia glycyſide,
Phyllirides Chiron, Amythaoniuſq; Melampus,
Phœbus acerſecomes, natúſq; Coronide diuus
Phœbigena, & nati Podalirius atque Machaon
Phœbigenæ, Pæonq; Deis gratisſimus arte
Qui medica eſt, Coi nec abeſt reuerenda magiſtri
Canities, nec Pergamei pia cura Galeni.
Hi vultum emaculant, nitidæ decor ecce iuuentæ
Lætior effulget, lepiduſq; eſt priſtina ſupra
Mox formæ cumulatus honos, damnoq; venuſtas
Vberior, Venus eſt nec dedignata iuuare,
Quam ſic ſollicito curari vidit Olympo:
Et dixit, primæ maneant te præmia formæ,
Maior vt eſt noſtra tua virgo Britannia Cypro:
Turpe mihi nec erit iam poſt te ferre ſecundas,
Cælicolûm quæ cura Deûm es, quam lucifer idem
In regnum miſit, diaſq; in luminis oras.
Priuatæ nil ſortis habes, obnoxia nulli
Vixiſti, ſolioq; rudem mox imbuit ortus.
Auſpicioq; pari decurrunt tempora vitæ,
Et regni momenta tui: quin coniuge fœlix,
Inq; manum mox conuenies, partuq; beata
Liligero ſobolem primæuo in ſanguine Franco
Sufficies, regeſq; parens ſata regibus edes:
Perpetua nec ſola dolens carpêre iuuenta,
Effœta ſteriliq; nurus nuptura ſenecta,
Vicinam referens exacta ætate Britannam:
Qualis in Idæa mater Berecynthia ſilua,
Formoſum deformis anus quæ deperit Atyn:
Et bijugo ſaltus peragrat ſubuecta leone,
Cœlitibus ridenda Deis & amore pudenda.
Corporis has & Sortis opes virtutibus æquat
Scota ſuis, ſuperatq; magis, ſi cogitet artes
Ingenuas, ſi virgineum quis ritè pudorem,
Relligioſa piæ ſi quis ſacraria mentis,
Pectoris & penetrale, animi ſanctoſq; receſſus:
Vt minimum fortuna bonum, facieſq; putetur:
Vendicet & primas in ea ſibi ſplendida virtus.
Hanc tener, & ſpacijs vitam primoribus orſus,
Fœlicis patris fortunaciſsimus hæres
Olim cùm ſeris regem pronepotibus auctum
Aſſeret ERRICVM nitidi plaga lucida cœli,
Connubio ducit ſtabili, diuumq; virumq;
Ominibus plauſuq; fauor fremituq; ſecundus (tem
Quod ſequitur, cunctorũ animũ & pertentat ouan-
Lætitia: hanc geſtu, vultuq;, & voce fatentur.
Maturaſſe Deos tibi coniugialia iura
Crediderim, pulchra quàm primũ vt prole parentẽ
Conſpicerent. queis nanq; negant dulciſsima ſtirpis
Pignora, queis renuunt charos extollere natos
Hæ vel anus nubunt, vel anus his ducere ſuadent:
Præcipis hîc quantum, tanto es fœlicior iſtis
Iudicio, FRANCISCE, Deûm: genialia demum
Fœdera ſunt, ſi quid generant. qui littora ponti
Arida bobus arat, ſteriles qui verſat arenas,
Irritus eſt vanuſque labor: ſunt irrita iuſti
Pacta thori, ſi progenies hinc nulla ſequatur.
Nube caua minus eſt Iunonis falſus adulter.
Connubio quàm ſunt iſti. dedit illa bimembres
Centauros, iſtud tenues vaneſcet in auras
Ludibrij ſpecie, aut fallacis imagine ſomni:
Fœdera nec populis nec regnis firma coibunt:
Et malè concordi rumpetur gratia nexu.
At duo perpetua conſtringes lege maritus
Sceptra: dies Francis Scotiſq; hæc fœdera nunquam
Diſſoluet: conuexa polus dum ſidera paſcet
Durabunt. niueo ſic vellere Parca fidelis
Nunquã frangendũ deduxit pollice filũ. (nec vllus
Eſt generis tibi ſummus apex FRANCISCE,
Se memorare parem vel nobilitate priorem
Se iactare poteſt: aliorum clara propago
Ornari veſtræ ſe cenſet imagine ceræ
Mentitoq; petit non raró ſtemmate Franci
Ornamenta ſuo generi. nam hinc omnis origo
Nobilium, caput hinc, hinc fons ſcatet vſq; perennis
Diffluus in riuos. decus attamen ecce ſupremum
Nobilitas alio ſolio, fuluumq; leonem
Liligero miſces in ſcuti vmbone vireto.
Hos tibi deſpõdit thalamos pater optimus armis:
Hos tibi purpurea quem cauſia contegit vmbra,
Conciliauit: eos ſed iunxit pronuba mater
Matronale decus, cuius ſtola longa virili
Aemula parq; togæ quemuis virtutibus æquat.
Concipe iam tantis æquos ſucceſsibus actus,
Atque animo metire virum: factiſq; parentem
Diſce ſequi, ſimiles & nobis redde triumphos.
Is Belgis inferre manu lachrymabile bellum
Apparat, auditu iam territat arduus hoſtem:
Qui timidus veniámq; petit, pacémque precatur,
Et vitta comptos prætendit ſupplice ramos.
Se meruiſſe malum ſcit, nec defendere poſſe:
Tanta virûm moles, tantum ruet agmen equorum.
Omnia quod latè vice turbinis atq; procellæ
Proteret immani ſtrage, inuoluetq; ruina:
Nunc palmam eiurat, victuſq; paciſcitur eſſe

Ante tubam, incerti nec ei placet alea Martis,
Pernicies Belgas ne certa à culmine ſternat.
Immemor es nunquam ſimulatæ fraudis Ibere,
Nec veſtri latuêre doli: trahis vſq; moráſque
Nectis, vt effugias ducendo tempora cladem,
Militis & ſpacio ſe frangat vt impetus acer:
Aut belli nunc furta paras, obrepis & aſtu.
Sed tua pellucet fraus improba: munus habebit
Connubiale patris partum fœlicibus armis
FRANCISCVS Belgas: tantundẽ & quærere na-
Exemplo patrio, doctúſq; hoc pignore diſcet: (tus
Inſiſtétq; viam ERRICI, atq; illuſtria facta
Reddet, & inuictum volet æquiparare magiſtrum.
Euenient pòſt iſta: Deo nunc auſpice feſtus
A nobis cantetur Hymen, genialis agatur
Iſte dies, diro nec liuida lingua veneno
Obſtrepat, obſcœno nec murmure vulneret aures:
Litigioſa fori ſileant vadimonia, prætor
Iuridicus ceſſet, latrare tribunal, & atram
Nunc verſare reis vrnam quæſitor omittat.
Lætitiæ vacet iſte dies: ferrugine cœlum
Deterſa niteat, ſudámq; exporrigat æthram:
Et tacitis ſublapſa vadis ſe flumina voluant:
Comprimat æquor aquas, tumidis nec murmuret
vndis:
Et rapidi ponant venti, leniq; ſuſurro
Mulceat anguſtæ Zephyrus ſudantia turbæ
Agmina, quæ totis inhiant ſpectacula votis:
Commodet alma ſuum rerum natura fauorem:
Approbet & nitido fœdus geniale ſereno.
Faxit & æthereos qui numine ſuſtinet orbes,
Vt multis olim regnum voluentibus annis
Cum ſene FRANCISCO ſenior pater iſtud habe-
Temperet, vt cœpit, iuſtis, atq; augeat armis: (nis
Semper & imperium Valeſi domus inclyta ſeruet,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

# DE NOVA CAPTANDÆ VTILITATIS è literis ratione epiſtola,

## AD LEOQVERNVM.

### EGO TIBI SALVTEM.

QVod quæreris Leoquerne tuas algere Camœnas
Nulla operoſorũ quòd & emolumenta laborũ,
Mucida quòd farris vix eſt mordere canini
Fruſta tibi, genuinus & eſt perſæpe quietus
Latranti ſtomacho, miſeri ceu ſabbata verpi
Mandarint ieiuna tibi, pannucea veſtit (ambit,
Quòd malè læna humeros, malè quod centunculus
Deſine velle queri: verſus ſcis ipſe canoros
Pangere, ſed neſcis homines & fallere cantu.
Mercurium ſibi iungit enim vel friget Apollo.
Ille dolis & præſtigijs ſubrepit, & aſtu:
Occultóque homines ſcit delinire ſuſurro:
Intrat & in mentes, blando fallitque veneno.
Delius hoc aliquid fortaſſe interprete poſſit:
Inuito nil poſſe putes. mentitur olores
Phœbæos perſæpe vafer, quos rudere credas
Arcadici pecoris, raucæ aut conuitia ranæ.
Vis artes doceam quibus admirabilis eſſe
Poſsis? obſequio graſſare, & falle doloſo
Pectore Mercurij, atq; homines ſic blandus ineſca:
Rem facies, & lautus eris qui frigore torpes.
Imprimis vt qui in longinquas nauigat oras
Deuehat vt merces, quæſtu tendátque locellos,
Cenſeo in Italiam trans & gradiaris vt Alpes.
Hinc precioſa venit merx, quæ nos ducit hiantes
Defixóſque tenet: ſi quis mendacia plauſtris
Quattuor inde refert ſimulatis oblita fucis,
Si Romam ſtrepit ore, vrbem ſonat atque Pataui,
Vndiuagos & ſi Venetos, atq; Appula rura,
Si præ-ſe Gallas contemnit & improbus artes,
Deſpuit inq; ſinum Gallæ ſermone Mineruæ,
Nauſeat offenſuſq; cibo ceu paſtus amaro.
Has fraudes imitare: nihil ſtuduiſſe iuuabit,
Hoc tibi ſi deſit: ſtudium ſi deſit, & adſit
Hoc tibi, de doctis facilis ſit palma poëtis.
Nec peregrinari à Muſis nugacibus eſſe
Damnoſum credas, diſpendi non erit hilum
Hinc tibi: namq; ſolet cumulare profectio Muſas.
Tergeminum ſophos inde feres, ſapiénſque merebis
Cenſeri, doctúſque: at ſi hîc deſederis, atque
Te mærore malo, & macie confeceris ægrum
Inuigilans ſtudijs, rudis inſanúſque fereris.
Eſt illic Helicon, illic Parnaſia laurus,
Et fons Pegaſeo quem protulit vngula cornu,
Sed memor hoc etiam præceptum in pectore condas,
Tu Gallum dones Italis, verùm Auſona Gallis
Fac referas, cultu, inceſſu, geſtúque, ſonoq;
Italus huc verſa tu pelle redito decorus,
Mirandúſq; tuis, noſtrorum hæc eſca virorum eſt.
Hinc te ſuſpiciet multum, qui riſerit antè.
E re ſed fuerit vel commendante galero
Puniceo rediſſe domum, ſcriptóue libello
Docti hominis celebratum te illic antè fuiſſe
Non vili elogio. verùm exemplaria nobis
Deportes quibus inſitus es, didaſq; viritim.
Erueris populo te, & habenti nubila terræ
Hoc luſu: non fallit enim iſthæc alea quenquam.
Sed memor hos captato quibus ventoſa ſupremæ
Nomen doctrinæ præpoſtera detulit aula:
Ad cyathum prandente ſolent qui diuite totas
Vbere cùm Latio verbis euoluere Athenas:
Omnia qui ſe ſcire putant, qui diuitis aures
Infatuant, paſcuntq; eius, qui geſtit apiſci
Ambitione mala doctrinæ nomen & auram,
Quales Aſſyrio fulgentes conſpicis oſtro.
Declamatores iſti te ad pocula belli
Non ad clepſydram, donabunt laude libenti,
Diuidere & tecum Muſas, & cedere partem.
Cùm ſapias Italum cœlum, baccamq; Sabinam,
Non nolent: ſed eos tu compenſare memento
Officio,



Officio, tua commoditans ſuffragia promptus,
Atq; vicem referens: teſtis non mutuus hic eſt
Fraudi, relligio ſecus eſt feciſſe videri.
Præ cunctis tamen hoc vnum meminiſſe velim te,
Vt quaſcunque nurus ſtudioſas aula loquetur,
Inſinues te illis: harum nam gratia parta
Non ægrè fatuæ te commendauerit auri.
Sed quæſita tibi ſit opinio fraude, tuenda
Arte, ſubinde aliquid non magnum ſcribe ſagaci
Cura, quod magni numeros referátue Maronis
Vel Marci linguam. Nam emendicata per artem
Iungere verba queas, ſi non tibi ſaxea fibra eſt,
Paucula. guſtũ etenim aut ſpecimẽ dare plus ſatis hic
Edi nec tamẽ iſta velim. nam qui ſua vulgat (eſt.
Proſtituit ſeſe: fiduciaq; artis habetur.
Quod plures faciant, id contempſiſſe videri.
Quinetiam quicunq; aliquid ſub publica mittunt
Præla notes vltro cenſor grauis atq; ſeuerus.
Auribus hæc tua ſed paucis lege, qui tua prompti
Sint miraturi: fautores nactus & iſtos
Puniceis recita petaſis, nuribúſque ſuperbis.
Euge, ſophóſque feres, & præmia lauta merebis.
Olim ſed ſi quid vulgas, inſcribere nomen
Si ſapis, ipſe tuum meditatæ parcito chartæ.
Ne quis abortiuus, malè prognatúſque parentem
Nomine præſcripto fœtus traducat ineptum:
Nomine nam tacito potes explorare, videntur
Qualia quæ ſcribis cunctis, nec fama vacillat
Hac ratione hilum, ſi fors minus illa probentur:
Agnita quòd non ſint, incerto & patre vagentur,
Expoſiti veluti pueri, vulgóq; creati.
Sin ea quis laudet, venias aſſertor, & vltro
Eſſe tua hæc clames, auctor, vindéxq;, patérque.
Inſeruire licet famæ tamen, vt nihil vnquam
Scribas, aucupiũ hoc facile eſt, pulchrũ atq; beatum,
Si tractes arte. in manibus numeroſius eſſe
Sparge tuis magni moliminis argumentum:
Indice te populus mox demonſtrauerit omnis,
Suſpiciet te turba hominum, cœtúſque loquetur,
De regno quidam veterator dixit in aula
Scribere ſe: Latium mox eſt & Cecropis vrbem
Creditus exhauſiſſe, parem nec habere putatus:
Inde magiſtratus cepit, ſedítque curuli,
Regibus emunctis, mucoſa & nare reuulſa.
Sed tamen huic fuerat de regno littera nulla,
Nullus apex: ſed fouit eam tamen vſq; ſuperſtes
Famam, dum ſera ludibria morte paterent:
Nam vacui foruli, pluteique iacente reperti:
Parcáque quæ fucum conuinceret vna reperta eſt.
Eſſe viris alius magnum de illuſtribus orſum
In manibus ſibi narrat, & aſtu decipit iſto
Iam tria luſtra homines: ſed nec promiſſa Metonis
Annus perſoluet iam luſtra nouiſſima torquens:
Ambitioſus & eſt quicunq;, hoc nomine captus,
Eblandiri hominem ſtudet, & captare laborat,
Hæreat illuſtris quo tanti in margine libri.
Grande operæpretiũ eſt cautus veterator adeptus,
Regibus & magno diuturna ſilentia vendit,
Inducens Stygiæ claris obliuia Lethes.
Parthica nam vincet falſus mendacia: quenquam
A Euo nec memori tradet, ſed ſublinet ora
Omnib. & candens equus hunc portabit, alet Rex.
Quis neget hunc nullo fœlicem (quæſo) labore?
Area ſed fœlix potiúſque hæc aucupis illex
Quod feciſſe alium narrat plebecula tota,
Vrbis qui quandoq; in diuerſoria nota
Venerat, ingreſſus conclaue relinquere ſuerat
Vt multi legerent non fermè plura quaternis
Verſiculis, titulo charta minióque notata
En liber hiſtoriæ iam quartus in ordine Galla.
Quis neget hunc nullo fœlicem quæſo labore,
Bis duo cui totidem peperêre volumina verſus?
Monſtrari hinc digito, ſcriptórque hinc dicier eſſe
Gallorum hiſtoriæ, atq; hinc maxima præmia ferre.
Iunius hæc ſtrinxi Gatianus, patre colono
Cretus: & inuitis amplexus carmina raſtris:
Plura magiſter at his tibi ſuppeditauerit vſus.
Iámque vale noſtri ſemper memor: inde futurus
Auſpice Mercurio vel verius aucupe fœlix.

# CONTRA GRVNII EPISTOLAM.

HOC merui ſperare? parant hæc præmia Diui?
Vt quod ab impura lutulentus porcus ineptè
Grunit hara, feciſſe puter? quenquámne ſuilli
Ipſe volutabri cœno obleuiſſe videbor?
Non ita Pegaſidas ſanctiſſima numina vatum
Fas odiſſe mihi, violaréque, perfidus harum
Immundũ vt liquidis immittam fontibus aprum.
Grunius hic quicunq;, tuis ſus, Dædala Circe,
Gruniat in ſeptis cum turpi Elpenore clauſus,
Ne latices turbare ſacros, ne ſpargere labe
Dilectos Muſis iterum temerarius auſit.
Illum adeo quòd ſi tenuiſſe potentibus herbis
In ſtabulis AEæa nequis, Calidonis vt olim
Euaſtator aper, concurſibus vndiq; preſſus
Heroum, calido venabula ſanguine tinget.
Hoc etiam reſtabat, vti cœnoſa Mineruam
Nunc ſus pollueret, roſtróq; laceſſeret vnco.
Ille laceſsit enim Diuam, qui fœdat alumnos
Illius, in gremio quos nutrijt alma diſerto:
Principibus quos erudijt, magníſque ſacrauit
Regibus, æternæ mandantes nomina famæ.
Queis Deus è fuluo præcordia condidit auro
Lumina quos noſtræ voluit venientibus eſſe
AEtatis, ne victa ſitu torperet inerti,
Et tacitam denſa tegerent obliuia nube.
Setigerúmne pecus tales inuadere tentat?
Quos homines inter voluit Deus ipſe micare,
Ignes effulget velut inter Luna minores:
Quorum auguſta ſonant ſi quando nomina, lite
Abſtinuiſſe decet, linguis omnéſque fauere,
Relligioſa Deûm ceu curent orgia myſtæ.
At pecus iſtud iners, cui pro ſale vita parata,
Quódque

*Quòdque animo nihil, at genio ſapit atque palato,*
*Viſceribus veluti propriys obſonia nobis*
*Inſtruat, & nobis ceu cœnam ventre faliſco,*
*Ceu propria nobis è carne tomacula ponat:*
*Conciſa ponit doctorum è laude minutal:*
*Próque ſuo nobis ſummittit fercula tergo.*
*Huius &, heu, pecudis modò vel me rumor iniquus*
*Immeritum fœda transformat imagine, vel me*
*Garrulus Eumæum pecudis modò perſonat eſſe.*
*Hoc ego ſi feci, ſceleratæ cæde paterna*
*Commaculaſſe manus, Diuorum numina ſancta*
*Impius & verbis credar violaſſe nephandis.*
*Quod me vtinã nunquã numeros attingere Muſæ*
*Siuiſſent, nunquam carmen dictaſſet Apollo:*
*Vt culpa, ſic nunc & ſuſpicione vacarem:*
*Nunc verſus fecêre reum, non culpa nocentem:*
*Noſtraque traxerunt innoxia carmina crimen.*
*Nunc vertens agitur paulo plus annus, haberi*
*In vatum numero cùm cœpi, verſiculorum*
*Ob tricas apinaſque: hæ nugæ, heu, ſeria mergunt*
*In mala præcipitem, ſatyrarum ſcriptor haberi*
*Iam mereor, videórque nocens, ſuffuſus amaro*
*Felle, & doctorum credor communis Erinnys,*
*Soluere Pierides veſtris cultoribus hæc ſi*
*Præmia conſueſtis, turpémque rependere famam,*
*Non mihi Pegaſei tanti ſit gloria fontis,*
*Parnaſúſque biceps, veſtríque ſacraria montis,*
*Vt mutare bonum cupiam cum carmine nomen:*
*Res veſtras ſed habere Deæ vos, atque valere*
*Iam iubeam, veſtroſque pedes numeroſq́ relinquã.*
*Sed tamen effrænis quæ tanta licentia linguæ,*
*Vt læſiſſe ſacros vates, Phœbique clientes*
*Mentiri me auſit, falſum & confingere crimen?*
*Quorũ adeo charum eſt nomen mihi, ſanctaq́ fama*
*Dente Theonino vt ſi quenquam fortè malignè*
*Morderi videam, non poſsim ferre, vicémque*
*Obtrectatori referam: mox ſcrinia nactus*
*Verſibus vlciſcar petulantis iurgia linguæ*
*Ieiunum in ſcurram quod carmen comprobat iſtud.*
*Nam Carlus ſi quid limauit doctius olim,*
*En male paſtus adeſt ad pabula protinus illa,*
*Et mordet roditque, malus quæ Momus amaret:*
*Raſa negat tereti vel torno ſcripta rotari:*
*Vel ſenſu nutare putat, vel verba diſerti*
*Flagitat hic etiam Ciceronis: & omnia culpat.*
*Hoſpitialis item ſi quando poëma peregit,*
*A Muſis quod opus cælatum, & Apolline dicas*
*Quæ breuis ignarus, proceraq́ ſyllaba quæ ſit,*
*Carmen iter teneat vel quo pede neſcius, vltrò*
*Regiæ in impluuio medio circundatus orbe*
*Vnguentatorum cirratorumq́ rotundo,*
*Præclarus recitat, conducenduſq́ magiſter:*
*Geſtus & eludit, mimæq́ argutia dextræ*
*Dum recitat, criſpo ſuſpendit & omnia naſo:*
*Et modò faſtidit, nunc deſpuit, eleuat illa,*
*Nauſeat his, laudatq́ nihil: cur denique, dicit,*
*Hic ſcribit verſus & publica munera mittit?*
*Hunc agitat rabies, agitat fanaticus error:*
*Nec ſapere hunc vnquam duxi: ſapit hercle poëta*
*Nullus, ab irata quatitur chorus ille Diana:*
*Sic furit in denſa veſanus ſcurra corona.*
*Hanc poſſum Satyram pro vobis ſcribere docti,*
*Dente Lycambeo ſi quis vos mordeat amens:*
*Pennigero & poſſum ſic ilia figere telo:*
*Sacrilegum ſed velle nefas, in viſcera veſtra,*
*Et nomen rigidi vt ſtringam mucronis acumen,*
*Non magis hercle queam, quàm ſanctis ipſe deorũ*
*Vnquam funeſtos immittere ſedibus ignes.*
*Par ſcelus vtrumq́ eſt, namq́ & vos enthea Phœbo*
*Pectora qui geritis, Clariy delubra vocare*
*Ius & fas fuerit: qui vos violauerit, ille*
*Tutelam temerat veſtram ſacra numina Phœbi,*
*Dignus Apollineo qui ſaucius occubet arcu,*
*Eius vt occubuit confoſſus arundine Python.*
*Quod ſi vt Lenæo vitis vaſtator Iaccho*
*Ob meritam iucunda cadit caper hoſtia noxam,*
*Victima ſic Muſas placaret amica luto ſus:*
*Grunius è cæcis mox erutus iſte latebris,*
*Deuoto porcus iugulo ſcelus omne piaret.*
*Ara cruentatur, ſed nullo ſanguine Diuæ*
*Veſtra, nec eſt vobis fas porci cæde litari.*
*Fors tamen iſta lui cupitis ſi ſonte cruore,*
*Deprecor illepido ne ſuccidanea porco*
*Hoſtia ſubſtituar, ſcelus vt ſua pœna ſequatur,*
*Nec timeat, cuius ſibi non malè conſcia mens eſt.*

## CL. VIRO FRANCISCO OLIVARIO FRANCIÆ CANCELLARIO.

*IVRIS Oliuari cuſtos atque eius amuſsis,*
*Franciſco cui ſic regi adſediſſe poteſtas,*
*Adſidet vt ſummo iuſtiſsima virgo tonanti,*
*AEſtimat æquata quæ rerum pondera libra:*
*Si licet vt noſtræ tibi iurgia pauca querelæ*
*Eloquar: indignor nos pacis commoda ſolos*
*Non ſentire, quibus Phœbi ſunt ocia cordi:*
*Sed bellum tolerare famis, ſine fœdere noſtra*
*Vſque triennali macie quæ viſcera torquet.*
*Tabe quidem potuit tanti vel temporis olim*
*Interiſſe Deas, ſi iam nec nectar haberet*
*Ambroſiámq́ diu, quàm nos ſtipis ære caremus.*
*Quam non iſta fames expugnatura Saguntum?*
*Cecropiys quam non Melon domitura ſub armis*
*Eſſet? & heu quas non hæc proderet hoſtibus arces?*
*Exangues gerimus vultus, & pallida ſemper*
*Ora fame: Harpyias noſtra & ieiunia macras*
*Andina referunt deſcriptas ritè papyro.*
*Oſſea iam reliqua eſt nobis tantummodo forma,*
*Qua laruæ & lemures pueros terrere ſuerunt:*
*Perq́ vias vrbis malè dum reptamus inanes,*
*Vegrandi macie feralique ore notari,*
*Occurrit quicunque, crucis ſignacula diris*
*Obiycit omnibus, manes ceu viderit Orci*
*Emiſſos*



*Emiſſos latebris, ſimulachráue luce carentum.*
*Nec deſunt magicis qui dicant eſſe ſuſurris*
*Excitas tumulis vmbras Acheronte remiſſas.*
*Nos aliy noſtri dicunt opprobria ſecli,*
*Qui ſaturis aliys & pingui abdomine tenſis,*
*Per plateas vrbis monogrammi incedimus ægri,*
*Tabifica enecti ſoli eſuriéque faméque,*
*Ceu ſeges annonam, meſsis victumq́ negarit,*
*Atq́ homines vulſis paſcant radicibus herbæ.*
*Hæc prohibere potes ſolo ludibria nutu,*
*Commodus hîc nobis tua ſi ſuffragia præſtes.*
*Dedecus ac Regi eſt tam macros dicier eius*
*Eſſe profeſſores, nec eis procedere ſolis*
*Militiæ æs iuſtæ: niſi ſi tranſcribere creuit*
*Funigerum in cœtum, vel mendicabula vulgi,*
*Reginámque iubet nos eiurare Monetam:*
*Nitriacáſue procul nos hinc amandat in oras,*
*Cogit & arbuteo fœtu baccaq́ rubente,*
*Soliuagos inter Faunos & ſecla ferarum,*
*Solariq́ famem & ieiunia longa domare,*
*Pullaq́ pelliceo ſubſtringre tegmina nodo.*
*Haud magnum, nobis ſi magno emenſus aceruo*
*Auri conſtructi, fuerit ſeſtertia pauca*
*Rex animi haud parci: nihiloq́ hac paupere ſceptro*
*Is fuerit cauſa magis & res laude feretur.*
*Omnibus inuiſas vel egeſtas noſtra Camœnas*
*Reddet, & in faſtum ſe barbara natio tollet,*
*Caupo, piſcator, ſalſamentarius, auceps:*
*Mendiciſque ſuas Muſis opponere gazas*
*Non formidabunt, potiori vt ſorte beati.*
*Atq́ equidem raſtros meditor iam transfuga libris*
*Damnatis, ſtudiúmue aliquod non nobile, pannos*
*Quod laceros, quod pauperiem procul exigat à me:*
*Arte etenim quamuis turpi pingueſcere præſtat,*
*Inter Lectorum quàm ieiunare cathedras.*
*Non moueor titulis, nec inani nomine Regum*
*Ambitioſus emo famam, ſi commoda deſint:*
*Regius haud Lector ſine re & lare dicier opto.*
*Eſſe rogatorum malim vltimus, atq́ proſeuchæ*
*Incola, quàm miſerum ſic ducere longius æuum.*
*Qui ſator eſt litis rabula, in ius quique viator*
*Inſontes duro iugulatos fœnore ducit,*
*Rem facit, atq́ redit quæſito pignore fœlix:*
*Otia læta fouent multos, & inertia præbet*
*Quo mæchas & ſcorta beent: ſpurcoq́ redundat*
*Lenoni quod detur, eis: ad præmia peccat*
*Virginibus ſtuprum, nuptis qui probra ſuſurrat,*
*Blandus adulator ſplendenti fulget abolla,*
*Regificas paraſitus edax & ructat ad eſcas:*
*Sola pruinoſo glacialiq́ horrida panno*
*Eſurit at doctis nunc gens operata Camænis.*
*O mihi ſi primæ redeant exordia vitæ*
*Et liceat quod ſecter iter perpendere rurſum,*
*Næ Maro, quantumuis Sirenum gutture cantet,*
*Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ*
*Accipiant, cœliq́ vias & ſidera monſtrent:*
*Non mihi ſuauiſono mentem excantauerit ore,*
*Ieiunas vt amem Diuas, quæ nocte diéque*
*Laſſarint vbi perpetuo me tempore nudum*
*Dimittant, velut è mediys incendia flammis,*
*In ſterili aut veluti fracta rate littore ponant.*
*Sim potius fullo, potius ſim paſtor, arator,*
*Veſpillo, piſtor, ſim calceolarius, auceps:*
*Mendicas quàm Calliopes ſequar ipſe cataſtas.*
*Pauca hæc ſum noſtra pro conditione locutus,*
*Sed tua verboſas non ferrent tempora nugas.*
*Offendant quòd ſi querulæ te murmura chartæ,*
*Non ego culpandus, rea ſed facienda poëtæ*
*Virgiliy duris vrgens in rebus egeſtas.*

## AD CL. VIRVM MICHAELEM HOSPITALEM, SVPREMVM PRÆSIDEM RATIONUM REGIARUM.

*HOSPITIALIS amor Muſarũ deliciæq́,*
*Carmina Cirrhææ non inficianda cateruæ*
*Qui fundis Phœbus olor, quem gemma decúſque*
*Siderum noſtri veneratur Margaris æui,*
*Pegaſei tutela chori Phœbique patrona:*
*Splendidus Aſſyrio nec non quem Carolus oſtro*
*Obſeruat caſtus Iouis Aonidúmque ſacerdos:*
*Accipe quæ falſis iniuſta calumnia verbis*
*Obiycitur nobis, & promitur ore profano:*
*Et Muſas defende reas, ſontémque Mineruam,*
*Per latus hæ quoniã nunc noſtrũ vtraq́ petuntur,*
*Multi in nos Anyti paſsim Melitiq́ renati,*
*Socratico qui nos euertere crimine tentant:*
*Eſſe iuuentutis nos ſæua venena loquuntur,*
*Atque nouos inferre Deos, noua numina, ritus*
*Inſolitos, quicquid Germania denique peccat,*
*Nos ſumus auctores, ſcelus & commiſimus ipſi:*
*Plectimur & miſeri, quicquid delirat, Achiui:*
*Et cauſam quamcunque ſibi confingere malunt,*
*Noſcere quàm veram, peſtiſq́ exquirere venas.*
*Atqui vel meritò decerni præmia nobis*
*Crediderim debere, bonos retinere ſolemus*
*Quòd iuuenes veterũ in ſcriptis præſtantibus, omni*
*Quæ labe & labis ſunt ſuſpicione remota.*
*Excutito iuueni veteris proba ſigna monetæ*
*E manibus, mox inuenies verſare numiſma*
*Iſta recente nota quod cudit adultera forma.*
*Priſca igitur pubem qui non vult ſcripta doceri,*
*Ad noua mittit eam, & gentis commercia Græcæ*
*Qui vetat, à vitreo non improbat ille Lemano.*
*Gallica ſcripta etenim de relligione reuoluet,*
*Marte ſuo ſolus nullo præeunte magiſtro,*
*Qui doctoris eget ſudátque vt Achaica diſcat.*
*Nunc adeò ſtudio qui tàm feruente docemus,*
*Vix tamen ad noſtras paucos adducere ſellas*
*Poſſumus: hinc longè fugiunt horrentiq́ laborem:*
*Faucibus aſt auidis ſitiunt haurire liquorem,*
*Muſtea nunc nuper quem prodita ſecta propinat:*
*Vnguiculis*

*Vnguiculis hoc à teneris cirrata caterua*
*Expetit, atque cupit primæuo flore iuuentus.*
*Gymnaſia & quòd nunc minus eſſe frequentia vul-*
*Cernimus, efficiunt de relligione libelli (go*
*Vernæ atq; indigenæ: viget hæc doctrina viritim,*
*In ſtudijsque hominum verſatur delicijsque.*
*Adiuuat hoc vitium cui noſtra profeſſio dira eſt,*
*Et fouet aduerſas partes: queis tradit inermes*
*Muſarum nos præſidijs & numine nudos,*
*Vnde amentatis defendi poſſumus haſtis.*
*Quippe etenim noſtræ multa adiumenta parari*
*Hinc cauſæ poſſunt, meliorique ille lacerto*
*Pugnabit, tali qui luſerit antè palæſtra.*
*Ingenuam quòd ſi doctrinam hinc eſſe fugandam*
*Credimus, ab præiudicio quàm noſtra premetur*
*Cauſa graui, ſi noſtra bonas exoſa ſit artes*
*Secta, ſubæratum tactum velut indicis aurum.*
*De pietate reos quos torret flamma rogalis,*
*In cruce pendentes & viuo ſulphure ſparſos,*
*Cernimus ignaros humili de plebe Quirites,*
*Atque rudes Graiæ iuuenes Latiæq; Mineruæ.*
*Nunc remoue Graiam pueris Latiámq; Camœnam,*
*Supplicium cunctis laqueúmq; atráſque fauillas*
*Mandabis, quoniam ſucco tingentur eodem.*
*Rarus at è doctis de relligione Deorum*
*Qui malè ſentiat eſt: ſi quando vſuuenit iſtud,*
*Prodigij ſimile eſt: at tralatitia fraus hæc*
*Indoctos tunica ſolita eſt veſtire moleſta,*
*Et velut Alcidas OEtæis tradere flammis.*
*Perfidus ille piæ iuratus apoſtata ſectæ*
*Hoſtis, Romanas nutu qui flexit habenas,*
*Sanxerat edicto, quod & hos tentare videmus,*
*Græcorum ne quis libros tractare ſophorum*
*Auderet manibus, Chriſti qui dogma probaret.*
*Dij meliora pijs, errorémque hoſtibus illum:*
*Et dirum quod nos ſcimus feciſſe tyrannum,*
*Relligio vt Chriſti penitus calcata iaceret,*
*Ne nos ſancta ſinant imitari numina Diuûm.*
*Auguſti quòd ſi valuiſſent iuſſa profani,*
*Gregorius nullus, Baſilius nullus & eſſet.*
*Aureus & muto Chryſoſtomus ore ſileret.*
*Atque Palæſtina cui Graia & pagina chartæ*
*Diſplicet, huic locuples reus eſt Hieronymus, almæ*
*Relligionis apex, Latij doctiſſimus orbis:*
*Hac ope qui nixus ſupra, caput extulit, omnes:*
*Hac ope vti nudus, caput infra ſubijcit omnes.*
*Dij potius faciant, Muſarum & præſes Apollo,*
*Vt ceu Circæis quæ grunnijt ebria ſuccis*
*Turba, nouas procul hinc cogatur quærere ſedes,*
*Aut ſalſamentis laxos præbere cucullos,*
*Infantes nobis balba ſtribiligine linguæ*
*Quæ parit, atque animi claudos & ſorde ſepultos:*
*Optima quàm veterum nobis monumenta virorũ*
*Interdicantur, quámque in præſepia fœda*
*Aæi migrare gregis cogamur ab aula,*
*Frugibus inuentis & glandem dente molamus,*
*Archetypas quòd ſi ſtatuas, priſcaq; toreuma*
*Cælatum dextra, ſi dimidiata ſigilla,*
*Et mutilum Galbam auriculis naſoque minorem*
*Miramur, pretium nugis & ponimus iſtis:*
*Quanto Euangelij nos exemplaria debent*
*Archetypa oblectare magis, quæ cælite penna*
*Et medicus Lucas & Cephæ aſſecla notauit:*
*Et vas delectum Domino, & ſectator amatus.*
*Iſtos quod ſcripſiſſe ſcio, proſtratus adoro,*
*Et veneror propè ſacra ferens. non martyris oſſa*
*Relliquiáſque colo prona mage mente piáque,*
*Quàm ſanctis quæ ſcripta viris dictauit anhela*
*Numinis aura ſacri: proprio cui diſplicet ore*
*Et ſermone ſuo dum fatur Apoſtolus, ipſum*
*Eijcit, & Chriſti legatum audire recuſat,*
*Non niſi qui Græca ad Romanos voce profatur.*
*Regia ſi cuiquam formata diplomata, ceris*
*Et ſignata forent, cerebri ſanine putares,*
*Si quacunque manu deſcripta tenere penes ſe*
*In forulis exempla domi quàm regia mallet?*
*Ob legem infandi populus Mahumetis Eous*
*Scripta Sabæa probat, nec ſcripta nefaria falſi*
*In lingua ſinit ille alias concedere vatis:*
*Et nos quæ primis ſignauit verba tabellis*
*Sanctior arcanos euoluens ſpiritus actus,*
*Pellemus? ſoláſque procul mittemus in oras?*
*Quæ ſcelus admiſſum fraudémque piacula ſoluent,*
*Si quis proiecto tam ſit temerarius auſo?*
*Hoc tamen heu qui tentet erit, quia dia patrona*
*Muſarum procul hinc parat ire ſequique maritum*
*Margaris: in ſolo reliqua eſt fiducia Carlo,*
*Coccinei ſtatione chori qui fulget in alta:*
*Huic bonus auctor eris, poteriſq; hunc recta docere,*
*Et tantum prohibere nefas. nam tendere contra*
*Muneris eſſe tui ſentis: expectat id à te*
*Quiſquis Apollineo mentem concuſſus ab œſtro eſt.*
*Regis vt ergo mei præſes rationibus inſtas,*
*Conſule Muſarum ſic tu rationibus idem,*
*Vt non ſit Paulo dediſcere Græca neceſſe:*
*Neu reus in cauſa damnetur Apoſtolus iſta.*

## EPISTOLA AD AMPLISS. CARDINALEM CAROLVM LOTHARINGVM, DE PROFESSORVM TRIENNALI HONORARIO, CVIVS PARTE REPRÆSENTATA RELIqui ſolutio æquis penſionibus ab eo in ſingulos menſes deſcripta fuerat, nec tamen cùm veniſſet dies, pecunia numerabatur, ſed ſolutio differebatur.

Hæc epiſtola, vt conijcio, ſcripta fuit Franciſco II. rege: nec tamen, vt opinor, miſſa.

CAROLE, *qui tanti ſubijſti pondera regni,*
*Et tantam rerum molem ſic viribus æquas,*
*Herculeis vt non melius ceruicibus olim*
*Sederit immenſi conuexum tegmen Olympi:*

*Nec tamen*



*Nec tamen interea Muſarum dulcia linquis*
*Ocia, ſed curas harum requiete relaxas,*
*Atque aciem mentis rerum molimine feſſam*
*Theſpiadum alterno reparas ſermone ſuorum,*
*Scalptor vti gemmæ, viſum viridante ſmaragdo:*
*Hæc violet permitte tuos vt epiſtola ſenſus,*
*Libellamq; tibi narret nec habere minutam,*
*De cathedra veterum qui declamare libellos*
*Sunt ſoliti, & regis ſine nummis nomen honeſtant.*
*Summa quidem fuerat nummorum paruula nobis*
*Imperio ſubſcripta tuo, ſed curta ſoluta eſt*
*Atque arroſa prius. libras hinc antè ducentas*
*Ille momordit enim, qui noſtra negotia geſſit:*
*Iacturam & queritur tamẽ & diſpendia, quòd non*
*Plus ferat, euerſum fortunis denique clamat,*
*Quòd quinquageno ſummam vix extudit iſtam*
*Lumine: decreuit demorſo hinc ſummula fruſto.*
*Quin & eam minuit mox permutatio menſæ:*
*Nam gerulus veritus brumali menſe latrones:*
*Per menſam nobis certa mercede locauit*
*Reſcribi ſoluiq; domi: dein creditor acer*
*(Excubias agitabat enim ſpeculaſq; tenebat)*
*Quod reliquũ fuerat mox vnguibus inuolat vncis.*
*Sic veluti vento nubes impulſa proteruo,*
*Præteruecta oculos noſtros eſt regia gaza:*
*Ac veluti ſomno viſi ſumus eſſe beati.*
*Irrita ceu vana ludibria ſæpè quiete*
*Depingunt nobis auri argentique talenta:*
*Et mox diuitiæ diſcuſſa nocte ſoporus*
*Diffugiunt celeres, & inania vota relinquunt,*
*Odimus & rapuit quæ ditia ſomnia lucem:*
*Sic fuit inuiſus rapto tum creditor auro.*
*Auribus hinc triſtes demiſſis caſtra mouemus,*
*Amiſſam prædamq; bolumq; è gutture raptum*
*Plorantes, corui delapſa è faucibus oſſa.*
*Quod loquor è Phœbi cortina credito dici.*
*Noſter obæratus nam multus ciuibus eſt grex:*
*Ne tu fortè putes noſtris nos eſſe beatos*
*In nummis, animam propè nos debere putato.*
*Exceptus numero tibi ſit tamen vnus & alter,*
*Dote ſacerdoti quos vos ditaſtis opimi:*
*Nos inopes alij nati infœlicibus ouis,*
*Pauperiem miſeram ſuperare binominis Iri*
*Poſſumus, & meritas à vobis ferre repulſas,*
*Officioſa parum, minus ambitioſaq; turba,*
*Atque addicta libris, auctoribus atque legendis*
*De cathedra, qui non veſtra apparemus in aula.*
*Debita nos onerant hinc, eſtque precaria vita:*
*Mercedem hinc poſcit piſtor, mox flagitat autem*
*Et lanius, petit & caupo, caligarius inſtat,*
*Sutor item, poſcit pannarius, atque minatur*
*Ni ferat argentum, leges & triſte tribunal:*
*Obtorta ceruice trahit ſed creditor æris,*
*Nutritoſq; malis vſuris, & benè cautos*
*In tabulis nummos, nodoſaq; arte ligatos*
*Ipſe frequens repetit, pedoreq; carceris atrox*
*Territat. oppoſiti nam nummos pignore fundi*
*Non cedunt nobis, verum obſide corpore, ſimus*
*Municipes cæci quo carceris atque coloni.*
*Non etenim nobis ager eſt qui ſpondeat vllus,*
*Corpus & in nexum fundi vice mittit egenus,*
*Et noxæ, quod tota facit diſpendia, dedit.*
*Obſidet ergo fores noſtras hinc mane petitor*
*Multus, & obſeſſi poſtico fallere, hiante*
*Cogimur ore lupos, vel tectis vſque latere.*
*Quinetiam ſi quando domo prorepimus, vrbis*
*Inſolitis diuerticulis ſoliſq; ſolemus*
*Ire, vias celebres & compita nota peroſi,*
*Quà ſolet expectare rapax hos miluus inuncans*
*Qui debent, & proficimus tamen inde puſillum.*
*Namque & in inſidias, conuitiaq; inde venimus.*
*Creditor & qua non platea cenſemus oberrans,*
*Oprimit incautos, aliqua exploratúe taberna.*
*Deprenſi mentimur, & vt nos cumque valemus,*
*Extricamus ab his. ventura recenſio ceuq;*
*Credita militibus differt, caſtrenſia quando*
*Aera repenſuros alieno protinus æri*
*Se dicunt, vanaque fouent ſpe credula corda:*
*Eſſe ſoluturos: ſic nos cùm penſio noſtra*
*Venerit, æquatis à te deſcripta calendis,*
*Dicimus: aſt vnæ venerunt: creditor vrget*
*Appellatq; fidem, nomenq; expungere nullum*
*Poſſumus, ô lentæ nimium tardæq; Calendæ,*
*Quas veſtri numerant faſti, cum ſoluitis ipſi*
*Quàm vereor ne ſeſquenno ſit longior harum*
*Segnities, ne Mopſopij ſint, fortè Metonis*
*Seros quæ ducunt ſpatioſis tractibus annos.*
*Quàm vereor ne forte tui, diuine poëta,*
*Carminis incipiant magni procedere menſes:*
*Annorum duodena capit ſi millia labens*
*Magnus ad extremã cùm metam voluitur annus,*
*Vertentes qui mille trahunt: Græcaſne calendas*
*Suſpicer à vobis? non hoc tua, Carole, credi*
*Nobilitas, veraxq; animus permittit, amanſq;*
*Muſarum, ſuſcepta tibi perſona reclamat,*
*Promeritiq; negant hoc culmine laudis honores.*
*Menſibus haud nobis longis opus: exigit iſta*
*Paupertas, ſolui ſibi quaque diaria luce:*
*Vt iubet Hebræus, ſi mercenarius eſt quis,*
*Veſpere mox homini mercedem ſoluere Moſes.*
*At verò nobis poſt ſera triennia demum,*
*Tædia poſt ſexcenta moraſq;, aſpergitur ægrè*
*Guttula mercedis, prece continuoq; labore*
*Emendicata, vt nollit ſic ferre rogator.*
*Plurimus eſt voto ſanctéq; palamq; profeſſo*
*Orbi mendicum qui ſpondet, egere nequitq;:*
*Qui puto mendicum nobis tranſmittit habendum*
*Quem quærit, quem iurat enim, quem geſtit apiſci.*
*Nec valet, hunc remis veliſq; euadere nobis*
*Non licet, hunc nullo licet excantare ſuſurro.*
*Sic moratus is eſt, fugientibus acris adhæret,*
*Sectanteſq; fugit, nobis comes, auius illis.*
*Iurata multi ſunt paupertate beati,*
*Exuperantq; opibus, cunctis & rebus abundant:*
*Quòd vouêre illi, præſtare heu cogimur, atque*
*Laomedonteæ luimus periuria Troiæ.*
[redacted]

Iámque gregem paſcit ſimulatio dira rapacem,
Semper inuncantem viduarum è viſcere prædas,
Fallentem pueros & inertia pectora vulgi,
Veruecum in patria craſſóq; ſub aëre nati.
O laruæ & lemures, veſpertilionis habetis
Caligantis opes, & cæcæ pignora talpæ.
At nos, fallaces qui nec præſtare ſophiſtas
Poſſumus aut volumus, populum nec depopulari
Sueuimus aut fraudare: ſolo nec vendere cœlum:
Qui rectum virtutis iter ſine fraude docemus,
Præmia quæ ferimus? vix vt tolceremur in vrbe,
Quam ſpoliat prædo togulam cui fibula nectit.
Fœlices hos eſſe reor fatique benigni
Linigeri de claſſe chori, quos nutrit opima
Militia, officio quos cernere ſæpè ſolemus
In veſpertino, dum pulmo largus anhelat
Cantorum, argutæ rumpuntque arbuſta cicadæ,
Vocalique citat clangore vicarius hymnos:
Indormire ſacris, à diuiſoréque nummis
In palmam miſſis, ſomno expergiſcier alto.
Stertentes quos lucra beant, ſomnóque ſepultos,
Inq; ſinum Danaës queîs aureus impluit imber,
Queîs ſecura quies & corda oblita laborum,
Queîs ſemper grauis ære manus redit æde ſacratæ.
At mihi, peruigiles quem pernoctatio fecit
Exanguem ad lychnos, omnem exuxitque medullã:
Aut, ſi quando vacat ſomno indulgere parumper,
Qui matutini ſurgo ad præconia galli,
Euigilóq; fabris ſtertentibus atque quietis:
Inde iuuentutis ſtudioſæ fingere mores
Aggredior, mentem ingenuis atque artibus orno,
Præbenda doctus quod fecit Gerſo relicta:
Vt prætextata impleui ſubſellia turba,
Perſonuique meum rauco clamore theatrum,
Sportula nulla datur, non ſtips, non plumbeus aſsis,
Quem referam ad natos, vacuúſq; in tecta reuertor,
Ex Epicureo redeam quaſi lapſus inani.
Hinc ſquallor ſordeſq;, hinc trita tegmina lanæ,
Pertuſa hinc tunicæ, ſumq; hinc pannuceus Irus:
In loculiſq; meis extendit aranea caſſes:
Aeternaq; fames macie me perdita vexat,
Perdius & pernox quòd nunquam parco labori:
E noſtris namque & ſi quis diludia ſumit,
Se cruciatq; minus, ſi quis minus irrogat atque
Fors ſibi ſupplicij, tantò eſt fœlicior idem:
Obuius atque bonæ fortunæ ſæpè fit, illos
Quæ neſcit qui noſtra ferunt ad pulpita calles.
Firma Palatino quos carcere clauſtra coërcent,
Infodiuntq; ſolo ſub cæco fornice cryptæ,
Fraudibus has meritos & diro crimine ſedes,
Attamen annonas regis ſcio ferre diurnas:
Aſt ego, Siſyphio quem damnat vita labore,
Nomine qui regis creber ſuggeſta fatigo,
Non mereor panis buccellam ferre canini,
Ac titulo, ſimilis ſtatuis, inſcribor inani,
Regius & dicor regali dirutus ære.
Tu noſtris medicare malis, & ſuſcipe cauſam
Maxime Pontificum noſtram, Muſaſq; clientas
Quæſo tuo patrocinio dignère leuare.
Conſule & iſta boni quæſo tam libera verba,
Quæ dolor expreſsit, duriſq; in rebus egeſtas.
Commodus, humanus, clemens & lenis & æquus,
Ante omnes, placidam facilemq; querentibus aurem
Et præbens, oculis hæc ne ſpectaris iniquis:
Et durum reputa quàm ſit mortalibus ægris
Pauperies telum vitæ certiſsima peſtis.
Iactu è præcipiti ſaxo fugienda, profundum
In pontumq; dato, cenſente Theognide, ſaltu.

## CL. V. MICH. HOSPITALI REGIS GALLIÆ CANCELLARIO.

Spiciferæ Cereri fruges, vinúmq; Lyæo,
Vndas Neptuno, Pomonæ ruris honores
Arboreos fœtus, Siluano vmbracula ſiluæ,
Aucupiumq; dabit Fauno, Diuiſq; benignus
Eſſe volet rerum, quarum illis copia magna eſt,
Qui tibi conſilium Conſo dabit: illud in iſto
Pectore quo Regni res noſtri euoluis, abundat:
Id tua nec tenui vena præcordia fundunt,
Flumine ſed largo, riuos vt quiſq; viritim
Deriuare ſibi poſsit, neque mentis egere.
Hinc apices ſummos es adeptus honore togato,
Conciliante tibi Phœbo Phœbiq; caterua,
Queîs in delicijs & amoribus vſq; fuiſti,
Regis amicitiam magni, ſummumq; fauorem
Iure Aegiſtanum, cùm te ſic arte poliſſent,
Muneribusq; ſuis voluiſſent eſſe beatum,
Conſilio vt magnus, maior quoque dotibus eſſes
Pieridum [illegible]
Quos Ph[illegible] caneret, quos æmula redderet Echo,
Aſpernata ſequi [illegible] carmina vatum.
Et tamen euectus ſupreme ad iura curulis,
Stas infra meritum, quòd honoribus altior extas:
Et tua ſe virtus faſces longè erigit vltra:
Purpura nec decorat te, ſed radiante refulget
Virtutis ſplendore tua, fruiturq; coruſco
Perſonæ, & quod te veſtit decus accipit inde:
Ornamentum alijs & cultus, ſed tibi pannus:
Túque ornatus ei, ſegmentum, fimbria, limbus
Aureus, & patagi tu ſerica trama nitentis,
Et circuntextus croceo mæander acantho.
Qui te igitur doceat, pro certo inſanus haberi
Debeat, ex alto quia nil pote quamlibet vlli
Exquiri magna cura, quin mentis id vno
Protinus adiectu videas promaſq; latebris.
Sed tamen vt nitida Iouis armiger ales in æthra,
Cuius ab aërijs ſe nubibus omnia latè
Subijciunt oculis longéq;, intentus olorem
Dum petit, inſidias auibus vel tendit opimis,
Non culicem blattamq; videt vermemq; puſillum:
Sic tua maiori rerum mens pondere preſſa,
Ac diſtricta, nequit ſpectare negotia parua:
Quæ quia nos humiles exercent ſæpeq; lædunt
Cernimus,



Cernimus, atq; fidẽ Diuûmq; hominúmq; rogamus.
Nec querimur ius non dici legeſq; ſilere:
Ius nimium dici querimur, paſsimq; ſonare
Edicta, & paſsim vadimonia, cuncta tribunal
Atria poſſediſſe: ſuis à quercubus actas
Præcipites Dryadas, Faunos, Satyróſq; bicornes:
Iudicis vlmicolæ ceſpes quas obſidet vmbras:
Vt meritò Druydes & dici & poſsit haberi.
Omnia nam reſonant iſtis arbuſta cicadis:
Iamque ſerit lites, qui fruges antè ſolebat,
Iuridicuſq; ſedet curui moderator aratri:
Qui ſolitus tardos ſtimulo terrere iuuencos,
Territat edictis tunicati corda popelli.
Quod facit & ſartor, facit & quem ſubula paſcit:
Et veteramentis iam reddit iura relictis.
Eſt operæ pretium cognoſcere cœtus eorum
Qui ſit, pagus queis arroditur omnis ad oſſa.
Ordinis ergo decus princepſq; pedaneus ille
Planipes eſt iudex, aut peronatus arator.
Imperioſus homo lacera tritaq; lacerna:
Hos Cincinnatos ab aratro & vomere villæ,
Hos & Serranos ad ſceptra forenſia mittunt:
Iudicio vtque ſcias nil deeſſe, vicarius illi
Additur, aſſeſſor præſentis: ſin ſiet abſens,
Accipiat ſolij quem celſum gypſea ſedes.
Proximus at ſorex fiſcalis cognitor his eſt,
Litigioſus homo controuerſuſq; rapaxq;:
Suggerit iſte molis fluuium, in viuaria piſces
Et mittit, turdiſq; dolos & retia tendit:
Et concinnator cauſarum eſt atque redemptor,
Officium reliquum eſt, tinearum cætera turba,
Accenſus, præco, ſceleratus ſcriba, viator.
Concilium iſtud habet pagorum regulus omnis:
Deditur hiſq; cliens harpyis atque colonus,
Glebæq; adſcriptus noxæ pœnæq; perenni:
Seque negant regnare, ſuis niſi iurgia ſæpè
Indicantq; fori, & creber conuentus agatur:
Paganoſq; ſibi mulctent, canibuſq; propinent.
Seſsio cum venit, ſi fortè niualibus auris
Horruerit Boreas, populus crepidante molari
Expectat foris in gelida canaq; pruina:
Interea patres agitant conuiuia læti
Ante focum, decreta parant ad pocula, mulctas
Nondum etiam auditis deſcribunt partibus vllis.
Sic domini damna[illegible] ſibiq; [illegible]
His præiudicijs factis conſ[illegible]
A bene curatis, vt ad audi[illegible] eſt.
Cuia eſt lis ſm iura docet, promitq; tabellas:
Sed fruſtra præ damnata iam [illegible]
Ad cyathum: arbitrium iudex eructat iniquum.
Ebrius atque ſatur: tum ſi fors ille queratur
Qui damnatus erit, ſi quid dolor exprimat amens,
Carcere punitur demiſsis auribus ergo
Mœſtus abit quicunque ſapit, nam libera lingua
Eſt [illegible] lucro, dominis malè prouida damno.
Quin [illegible] iras, triſteſq; dolentum
Irritant altro voces, & probra laceſſunt:
E[illegible]
[illegible] tollat
[illegible]
Iſta ſolent, habitant munitas turribus arces,
Aggeribus foſsiſq; natantibus vndiq; cinctas
Nobilium comites, quibus appellatio ſic eſt
Inuiſa, actorumq; petitio, ſi quis vt iſtud
Poſtulet, appelletq;, aut vapulet, aut natet alto
In vaſtam præceps deiectus ponte lacunam,
Carceris aut tetras cogatur ferre tenebras,
Deinde larem mutare, ſuoq; excedere agello:
Infeſtum pagi quia regem ſemper haberet.
Ergo paciſcendum, atque iniuria diſsimulanda:
Et pro ſupremo ſunt conciliabula pagi
Agnoſcenda foro miſeris, ſummóque ſenatu:
Gratia quòd nec plus dependant æris, habenda.
Vrbanum vidi locupletem ob prædia ruri
Primori mulcta damnatum prorſus iniqua,
Aurea viginti numerare numiſmata promptum
Subſelli ſummi patrono vt ſcanderet arcem,
Atq; vadaretur procerem, ſanctúmque ſenatum
Pro ſe appellaret: tanti tamen ille negauit
Eſſe ſibi quæſtum, vt chirurgum quærere vellet,
Aut tumulum. ſapiens, qui vitam prætulit auro.
Aſt obeat ſi quis non ducta vxore, nec vllis,
Si duxit, natis, harpyæ protinus illæ
Vulturiique auidi miluinis vnguibus omnes,
Creditor id nullus poſcat licet atque cohæres,
Aduolitant: bona & obſignant, & plurima inuncãt:
Præpoſitus præſto eſt, præſtoq; vicarius eius,
Et procurator fiſci, ſcriba, atque viator:
Tot pariter peſtes populatoreſq; popelli
Ad prædam accurrunt vnà: inuentaria ſcribunt
Omnibus inuitis hæredibus: optima furtim
Auertunt, comeduntq; palàm quam plurima: ſi quid
Reſtat, & illa cohors id mancipat, atque ſequeſtro
Tradit, & hæredi non antè emancipat id, quàm
Omnibus eſt aurata manus prædonibus: vt ſe
Emptorem, aſt illos hæredes dicere poſsit.
Commemoro quid plura? dies me ſolſtitialis
Deficeret, quantum ſcelerata calumnia, iuris
Graſſetur ſpecie ſi dicam, aut ſcribere coner,
Quæ vicanus agit caligatus cannabe iudex.
Nec tamen eſt horum mihi pars milleſima nota:
Quando nec clamoſa ſequor fora trico moleſtus,
Nec ſellas obeo patulæ ſub tegmine fagi.
Iſta lues tabéſque virûm per rura forenſis
Pérque vrbes ſerpens, rabioſa canicula quantum,
Vitatur, quantum febris quartana, caducus
Et morbus, quantum peſtis quæ ſæuit in omnes:
Eierat & quicunque poteſt, atque æqua requirit
Iura palatina quæ ſupplex impetrat aulæ,
Congedi veniam prima qui lege meretur.
Hoc genus antidoti eſt aduerſum hæc dira venena.
In libertatem quare precor aſſere plebem
Vindicta atque manu, miſeré quam cernis vbique
Afflictam, nexam, addictam, ſeruámque teneri,
Iudicis imperio ſæuáque tyrannide preſſam,
Omnibus atque modis capitis ſcis eſſe minutã,
His conuenticulis, fas contra humanaque iura.
Retia nam vitare nequit fraudémq; ſequacem,
Inſidiatricem ad veſtigia ſingula ſemper.
De vectigali quod ager pendit, luitq;

*De cenſu, procerum quod ius eſt, notio ſola*
*Iudicis accipitris ſit oportet ruris alumni:*
*Atque etiam mulctæ hoc indictio nomine tantùm,*
*Pignoris & capióq;, manúſq; iniectio in aruum:*
*Vindicijs reliquum nullis nullóque paratum*
*Iure tenent: id eis dedit vſurpatio tantùm:*
*Regibus eluſis circunſcriptíſque: per vnum*
*Quippe propagata eſt his iuriſdictio cenſum.*
*Nobilis an quia poßideo per ruſcula glebam,*
*Addictum caput inde meum eſt & protinus illi?*
*Emptis atque tribus ſulcis ego veneo totus,*
*Mancipium & fio, dedórq; excarnificandus*
*Peſtibus & diris arualibus? vt mala culmos*
*Non tantùm rubigo petat, ſed corpora noſtra*
*Appetat, & ſteriles nobis dominentur auenæ:*
*Nos rodant mures, adedant nos gurguliones?*
*Quem penes imperium regni ſolijq; poteſtas,*
*Hunc penes & ditio eſt & iuriſdictio ſolùm.*
*Arrogat hanc ſi quis, de maieſtate verenda*
*Principis imminuit, ſibi iuráque regia ſancit.*
*Huius origo mali media ſuccreuit ab aula.*
*Purpureus ſiquidem ſegmentatúſque potentis*
*Patricius regis comes & percharus amicus,*
*Prædia communi dum latíque fundia non vult*
*Eſſe tribunali ſua quicquam obnoxia, rura,*
*Vrbes, & vicos, atque oppida: iura migrauit*
*Publica, & obtinuit fora litigioſa, ſuis quò*
*Imperitaret vti dominus, regnaret vti Rex.*
*Inde tot enati Comitatus atque Ducatus*
*Vegrandes & degeneres, nimiúmque puſilli,*
*Ambitio titulos ſibi dum venatur honoris,*
*Imperiúmque merum petit, & dum iuris habenas.*
*Vrbibus hinc & agris tot cœtus iudiciales,*
*Tot præfecturæ, nec non ſubſellia iuris.*
*Nam ſimul vt fractis patuêre repagula clauſtris,*
*Ilicet, vt praui docilis natura, decúſque*
*Ambitioſa ſuum titulis faſtiſq; peteſſit,*
*Prodita ſectati ſunt multi exempla tributim:*
*Réſque adeò redijt, vt qui vix octo quadrantes*
*Exiget è cenſu decima de parte miſelli*
*Pagi, quiq́; clientelaria iugera vix ter*
*Dena ſuo patrocinio ſubmiſſa tenebit,*
*Iura magiſtratúſque habeat; cauſáſque forúmq;:*
*Nec modò de cenſu dici ius imperat idem,*
*Sed de chirographis, pactis, nummíſque penuq;,*
*Denique de capite & fortunis omnibus vrget:*
*Et minimo in nido regum rex eſſe videtur.*
*Quid quòd magnorũ ſibi ſumunt præmia regũ,*
*Cùm ſibi confiſcent, inuadántque omne caducum?*
*An ſi iſtud regi ius, & tibi protinus eſſe*
*Debet ab exemplo? nec regi excepta poteſtas*
*Vlla nec eximium ius iam ſeruabitur vllum,*
*Vt priuum propriumq; habeat nil, quin tibi ſumas?*
*AEmulus ac æquare voles faſtigia ſumma?*
*At nobis vix hæc toleranda in rege videntur.*
*Quid quòd & hi noua iura iubent & publica temnunt?*
*Quid quòd de nihilo mulctant fas iuraq́; contra*
*Paruæ curiolæ, rurales atque cathedræ?*
*Quid quòd legitimis vt agant fora paruula formis*
*Omnia, ne poßit maturè ad iura venire*
*Quis tamen efficiunt ſua, cùm ſufflamine tanto,*
*Tam longaq; mora, ſummi tardata poteſtas*
*Iudicij veniat quæ litem diſtrahat omnem?*
*Tot præfecturæ, ſubſellia tótque terenda*
*Cùm ſint? ſcripturæ tot magna volumina habenda*
*Tot faſces capſæq;, quibus ſit mulus onuſtus?*
*Totque incerniculis lis ſic ſuccreta, biluſtri*
*Tempore vix ſancti veniat ſub iura ſenatus.*
*Ius vbi tam lentè violatis ſubuenit, illic*
*Scilicet opprimitur ius, atque iniuria regnat:*
*Emolumenta etenim ſunt præſto, at pœna remota.*
*Caſtellana igitur ſat erit, ſat curia ſumma,*
*Hæc duo ſufficient prætoria regia nobis.*
*Iudicium reliquum cunctis damnóque malóque eſt.*
*Ergo iuſtitiam ſi vis reuocare fugatam,*
*Aurea Saturni per agros ſi reddere ſecla,*
*Vrbes ſi florere cupis, cupis eſſe beatas:*
*Iuſtitium reliquis æternum indicito ſellis.*

## AD SOTERICVM GRATIS DOCENTEM.

[redacted]

*Vt trahat*



[redacted]

IN EVNDEM.

[redacted]

## SCHOLA PARISIENSIS AD ſupremam Curiam Pariſienſem.

*Illa ego quæ magnos quondam tibi læta Catones*
*Protuli, & excelſo ſemina digna foro.*
*Nunc etiam magno prolem generoſa parenti*
*Cur non dem, quæris? fibula ſuppoſita eſt.*
*Fibula parua quidem, ſed quæ ſi longius exit,*
*Obſtabit facili ſcæua puerperio.*
*Iamque ades, ô Lucina, tuæ ſuccurre parenti,*
*Nec patere hanc tecum ſic ſine prole mori.*

## P. IIII.

*Gaudebunt faciles iam certa prole mariti,*
*Nec genium lecti fallere luſus erit.*
*Hoc tribuis, Romane pater, dum lege ſeuera*
*Iungitur ordinibus fibula caſta tuis.*

## AD CL. ET AMPLISS. VIRVM MICH. HOSPITALEM FRANCIÆ CANCELLARIVM SILua, qua libros Aduerſariorum ei dicat.

*SI manibus poßem ſpirantes fingere ceras,*
*De Pario ſimiles ſi ſcalpere marmore vultus,*
*Si viuo poſſem tabulas animare colore,*
*Ducere ſi facili viuentes ære figuras:*
*Exprimeret te cera, color, lapis atque metallum:*
*Omnibus inque locis tua ciues ora viderent:*
*Et pacatorem te Gallia tota ſacraret:*
*Ac titulis laudum legeret monumenta tuarum.*
*Noſtra manus ſed enim eſt rudis atque indocta probamq;*
*Materiam fœdare poteſt, non arte polire.*
*Attamen egregia eſt noſtra & propenſa voluntas,*
*Quæ geſtit quocunque poteſt ſe munere gratam*
*Exhibuiſſe tibi: malè formauitq; dolatum.*
*Quo te nunc veneratur opus, numénq; ſalutat*
*Quo ſubmiſſa tuum, & votiuam dedicat illi*
*Informem velut effigiem ſcabramq́, rudemq́.*
*Ruſticus indocta ſimulachra exculpta figura*
*Sic poſuit diuis, truncoq; ſimillimus Hermes*
*Sic ſtatuebatur: durus ſic ſtipes in aruis*
*Numinibus ſacratus erat, pietáſque placebat.*
*Sic dabat & Veneri luteas virguncula puppas:*
*Et laribus ſuſpenſa pila eſt, grateq́; recepta.*
*Si meritis æquata tuis tua munera velles,*
*Pierijs tentata modis Muſaúe pedeſtri:*
*Te ſolus caneres, in cælum & carmine ferres:*
*Qui tantis ſcribis carmen virtutibus æquum:*
*Aequiparas & facta ſonis, & laudibus acta.*
*Cælitibus ſed grata dijs eſt ſola voluntas*
*Obſequio teſtata pio cultuq; probata:*
*Sic ſtudium noſtræ tibi commendabile Muſæ*
*Officio, acceptum cupimus gratumq; videri.*
*Tellenas nugas & gerræ vana Sicanæ*
*Nomina fac ſuperent quæ mittimus atque dicamus:*
*Tu pretium penas animo votoq; dicantis.*
*Non nebulis ventiſq́; datis & inanibus auris,*
*Quas tibi concluſas nouus Aeolus vtribus offert.*
*Extenuare tibi non amplificare paramus*
*Noſtra, nec orandi conſueta extollere lege:*
*Verba damus, verboſũ & opus nũc mente mouemus.*
*Qualia quæ balbi dictantur voce magiſtri*
*Cirratis pueris, nec iam cantantur ephebis.*
*Nos obelis etiam quædam configimus, in quo*
*Auct[illegible] ne nos iugulaſſe iocetur*
*Rhinoceros aliquis, non confodiſſe verutis*

Errores, eſſet cùm tanta licentia ferri [illegible]
Omnibus, et paſſim iugulare impunè liceret.
Nos etenim fermè, qua tempore triſtis Erinnys
In ferrum ciues odijs furialibus egit,
Scripſimus hæc ſubitò nimis indigeſta labore.
Confuſumq; chaos glomeratámq; agmine turbam,
Atque iteratarum ingentem murmure vocum,
Immemor interdum quas mens reuocauit, ineptè
Miſcuimus. Nam cùm ſtudijs grauioribus eſſet
Mens aliena, malis patriæ communibus ægra:
Auxilium [illegible]nique leuatio mæſti,
Peruolitare fuit [illegible]
Atque notare manu ſi quid ſuccurreret, & mens
Suggereret [illegible] chirographis contendere preſſa
Et falſi damnare, leui ſed ſemper opella.
Sic charæ clades patriæ & mala publica tandem
Hoc peperêre malum: ſchediũ ſic vendito noſtrum.
Nec tamen ærumna lector ſe exiſtimet vna
Def[illegible]ſtar[illegible]ſibi ſentie[illegible]
Cui ling[illegible]
Biſſenóq[illegible]
Ergo facem, dauámque paret ſpoliú [illegible]
Vt monſtrum tutus [illegible]
Auctio ſi ſiat, præconia deferet omnis [illegible]
Hinc mihi, qui ſolus venalem extrudere mentem,
Et poſſu[illegible] inducere ſolus hiantes.
Quid faciam? loquor ex animo quod ſentio verũ.
Nec catulum poſſum melitæum efferre [illegible]
Magnificis nugas nec poſſum extollere di[illegible]
Præmia nec laudis cenſemus noſtra mere[illegible]
Nec [illegible] petitur, votorũ hæc ſumma meorũ eſt:
Excuſanda [illegible] non accuſanda putentur,
Et veni[illegible] culpæ affinia poſſint.
Quæ ſacrata tibi [illegible] ſunt & vota Michaël,
Certa ſal[illegible] patriæ, iuriſque antiſtes & æqui,
Vt Samia [illegible]pides vel fictilis vrna.

## D. M.

## FRANCISCI DVARENI IVRISCONSVLTORVM HVIVS MEMORIÆ FACILE PRINcipis hoc funebre carmen Adrian. Turnebus, mœſtiſs. canebat.

TV' NE ſacer legum vates, & iuris Apollo,
Tun' æqui conſulta Themis, tun' faſq; piúmq;,
Et ſuperis demiſſa polis Aſtraæ, relinquis
Tam ſubitò mortale genus? ſpretáque caducæ
Conditione plagæ, Duarene, micantia cæli
Præpetibus ſubnixus abis ad ſidera pennis?
Siccine nos, Duarene, fugis doctiſſime legum
Interpres, cupidóſque tui, iuriſque bonique?
Lingua iuuentuti tua quod condibat, amico
Suadelæ perfuſa fauo, quærore liquenti
Irrigui mellis totum manabat Hymettum,
Hauſerat & liquidum ius, impuráſque lacunas
Setigeris linquebat apris, ſecloque ſuillo
Spurca volutabra & cænoſo gurgite lamas.
Quis tibi nunc ſucceſſor erit? cui munia mandas
Docte tua, atque vicem quis nobis obtinet iſtam?
Cui Biturix plaudet, veterem quòd vindicet vrbem
A cariéq; ſitúque veternoſaq; ſenecta,
Et renouet, iuuenum diſtendens mœnia turba?
Quæ poſthac viduis mærebunt frigida tectis,
Rarus deſertis errabit & aduena vicis.
Nam ſimul atq; tuos mors frigore perculit artus,
Defluxit ſtudioſa cohors, paſſimq; migrantum
Cernere erat totas per ſingula compita turbas.
Illecebris cantus ſiluas Oeagrius Orpheus
Vt traxit, vocalis uti delphinas Arion,
Saxa mouere ſono veluti teſtudinis olim
Dircæus potuit Thebanæ conditor vrbis,
Duxit & auritum lapidem quocunq; vocauit:
Sic, Duarene, tuæ facundia mellea vocis,
Fœcundus ſic iure animus ſophiáque refertus
Ducere conuentus vtroque ex axe ſolebat.
Terrarum tractus tu, vaſti quamlibet eſſent,
Et Libyæ ſolas nullis cultoribus oras
Ingenio, Duarene, tua linguaq; frequentes
Reddere vel poteras: at nunc te funere merſo
Antè frequens, orba Biturix palatur in vrbe
Solus & vt vacui metitur iugera campi.
Viuere te decuit longæua ſecla Sibyllæ:
Neſtorea decuit te longius ire ſenecta,
Virtuti ſophiæq; tuæ ſi numina diuûm
Aequa forent, hominumq; genus ſi iuſq; bonumq;
Reſpicerent, quorum eximius ſolusq; merebas
Interpres dici. Quod ſi fors aſpera diuûm
Conditione viris licuiſſet flectere fata:
Vel prece vel pretio nobis Duarene redemptus
Nunc eſſes ſaluus, ſi pro te fortè viritim
Contribuenda etiam vitæ pars magna fuiſſet.
Non exorato ſed ſtant adamante reuincta
Fata deûm, clauoq; rigent confixa trabali.
Attamen ipſe tui meliori parte ſuperſtes,
Romulidûm dum iura forum colet, vſque fereris,
Ingenij parta monumentis laude decorus,
Miretur quæ poſteritas, quæ laudet ametq;,
Quæ dirimant lites, ius eruat vnde poteſtas
Omnis, & ambiguam index examinet artem:
Mortali regione etiam dicêre relicta,
Curriculo volucri ſubuectus in æthera, diuûm
Concilio adſciptus ſupra cœleſtia templa,
Virginis aſſeſſor, ſolio quæ iuſta tonantis
Aſſidet, æquata ſuſpendit & omnia lance.

IOACHI-



## IOACHIMI BELLAII ANDINI POETÆ CLARISSIMI TVMVLVS.

BELLAI, gremio Mineruæ docto
Quem fouit, Charis & venuſta pauit
Succis Ambroſiæq; nectariſq;:
Os cui Suada lepôre tinxit omni,
Plus quam Mopſopio fauens Pericli:
Quem Phœbus, comes & Camœna Phœbi
Fontis Pierij rigauit vnda:
Et vincto pede fecit & ſoluto,
In lingua Latiaq; Gallicaq;.
Et fandi coriphæon & canendi,
Sic nos deſeris occidiſq; letho,
Manes ante diem petens ſepultos?
Sic florentibus hinc migrans in annis
Et luctum & gemitum relinquis orbi,
Qui deſiderio tui ſeneſcit?
Namque omnes veneres, ioci, lepores,
Atque omnis decor, elegantiæq;,
Tecum ceſpite conteguntur vno:
Et verſus ſilet abſonúmue ſtridet,
Vt nunc fundimus obſtrepentis ore
Gerras anſeris, aut inauſpicatæ
Infauſtos vlulæ modos ciemus:
Cùm Phœbeius vnus oſcen eſſes,
Muſarum Philomela cùm canora,
Vocaliq; dares ſuauiores
Cantus gutture, quàm ſenexúe Cygnus,
Aeger funera cùm propinqua cantat,
Vel Phœnix reparatus è fauilla,
Solem cùm modulis nouum ſalutat.
Aequum ſtamina non erat ſorores,
Fuſis fata virûm ſuis rotantes,
Firma rumpere ſic tibi iuuenta:
Verum impendere tota penſa ſummo
Vati debuerant, nec imputare
Eſſet quòd colus euoluta tota.
Quin ſi quid reliqui fuiſſet vlli,
Cuius iam breue ſtamen amputaſſent,
Summæ debuerant id applicare,
Et producere poſteros Decembres,
Vltra ſecula Neſtoris diſerti,
Vltra tempora pulueris Sibyllæ,
Tithoniq; ſenis ſuperſtes æuum.
Cur regni Deus arbiter ſilentis,
Sic, heu, te iuuat inuidere nobis,
Si quicquam eximium eſt vt occupare
Illud mox properes manu rapaci:
Vſurámq; neges moramq; lucis
Longam, dimidiata fata carpens?
Cur ah non potius ſolo gementi
Tollis pondus inertium virorum?
Cur viuacia fata tendis iſtis?
Faſtidis nimis improbos, diuq;
Expectas nimis vſque prorogando:
Contra in limine tu bonos iuuentæ,
Actu vix bene quinque ſæpe luſtris,
Theſauris auidus nigris recondis,
Nati ſint velut in tuam rapinam.
Atqui cum probitas & his, & illis
Accreſcat ſua prauitas in horas:
In prauis properare debuiſti,
Ipſos vt minus improbos haberes:
Eſſe at lentior in bonis viciſſim;
Eſſet quo tibi fœnerata virtus.
Funeſtus fuit annus iſte Muſis,
Quo ſunt lumina rapta litterarum.
Morbus Scaligerum peremit, arte
Clarum Pæonis eloquentiaq;,
Altumq; in penetralibus Lycei.
Morti te, Duarene, pigneraujt
Quartanarius æſtuoſus ardor,
Legum ænigmata iuris atque nodos
Soluentem melius peritiusq;,
Quam vel Scæuola, Paulus, Vlpianus.
Non te garrula ſuſpicaxq; fama,
Ficti nuntia pertinaxq; falſi,
Præſtantem omnibus eruditione,
Queis ſplendere datum toga forenſi,
Atque attollere dignitate faſces,
Dotali in lare liberam ſolutum
Vitam reddere, Ranconete, ſiuit.
Gallandi columen decuſq; Phœbi
Viuebas, Academiæq; princeps:
Nec vir maximus oderas puſillum
Qui te ſuſpiciebat Adrianum,
Et te plus oculis ſuis amabat.
Heu te tormina ſæua ſuſtulerunt,
Dira & proluuie cruoris aluus:
Nec te Pergamei ſeniſq; Coi
Hoc morbo potuit leuare cura.
Phœbus nunc & Hyantiæ ſorores
Ne lugubria, ne nigros amictus,
Triſtes funere quos tuo gerebant,
Ponant, continuetur vt nefaſtus
Luctus, victima concidit poëta
En noſter, Stygio Ioui ſacrata.
Nunc de Caſtalia triumphat Orcus,
Cuius pignora prima vindicauit:
Nobis relliquias notæ ſecundæ
Dimiſit, veluti cadíque fæcem,
Quam lucrum putat eſſe non habere.
Es fœlix tamen & beatus, hac qui
Bellai, regione demigraſti,
Quæ fraudi plaga criminíque proſtat.
Non in carcere nam tenebricoſo
Inter tartareas manebis vmbras,
Nec Dis te picea locabit aula:
Sed nigri effugies locos Auerni,
Et mox Eliſii petes vireta
Campi, deuia ſedibus nocentum,
Quam laudis cupidi piique manes

*Oram præpetibus ſequuntur alis.*
*Illic largior ætheris ſereni*
*Lux, & purior aura te ſouebit:*
*Illic concilio frui Deorum,*
*Illic cernere quicquid & licebit*
*Omni tempora ſeculo tulerunt*
*Præſtans integritate litteriſq́;:*
*Nec florere malos & immerentes*
*Indignabere, laudis ac honeſti*
*Calcatis titulis vt inquinatis,*
*Et virtute iacente vt obſoleta.*
*Illuc adueniente te poëtæ*
*Quos in delicijs amoribuſq́;*
*Viuus ſemper habere conſueſti*
*Occurrent tibi plurima ſalute*
*Exemplo, oſcula diuidentq́; multa.*
*Te Gallandius obuijs lacertis*
*Mox viſum excipiet, manuque prendet,*
*Sermonem & ſeret eloquens magiſter,*
*Vitæ commoda quo perennis edet,*
*Et vitæ mala colliget caducæ:*
*De me nonnihil & rogabit ille*
*Fortaſsis, niſi poculo capaci*
*Lethes faucibus ebibit liquorem?*
*Nec quam ceperat hic ſuperſtes antè*
*De me ſollicitudinem, ſepultus*
*Illic forſan omittet, hac & vna*
*Vretur malè cogitatione,*
*Quod ſim præſidio cliens patroni*
*Orbatus: ſed ei memento dicas,*
*Ne ſe maceret, aut beata vitæ*
*Turbet gaudia: me ſatis ſuperq́;*
*Eius munificentia beatum*
*Eſſe, vt ſuppetat hîc viatici ſat,*
*Quo vel non malè vita tranſigatur,*
*In veſtrâmue coloniam migretur.*
*Nunc hoc vt caput expietur omni*
*Vitæ crimine, vota mando vobis,*
*Fœlices animæ & mihi verendæ,*
*Pro me vt numina cælitum rogetis,*
*Allegoq́; preces ad illa veſtras.*

## VERSVS P. GALLANDII
### Tumulo inſculpti.

*Debueras fuluo, mi frater, ſtare metallo,*
*Ob meritum grato cultus ab orbe tuum.*
*Hic tua ſed ſaxo frater tego membra rigenti,*
*Proque meis opibus te pietate colo:*
*Immemor accepti dum ceſſat muneris orbis,*
*Nec conferre tibi debita buſta parat.*

## CL. V. IOANNIS PRÆVOTII SENATVS PARISIENSIS PRÆSIDIS TVmulus.

*AMBIGVO mentis diuerſus differor æſtu,*
*Proſequar an lachrymis, Præuoti, an lætus ouanti*
*Carmine concelebrem tua funera, iuſtáque cauſa eſt*
*Cur alternanti ſententia pectore nutet.*
*Relligionis enim, fidei, virtutis auitæ*
*Exemplum quòd eras, ſancti quòd iuris amuſsis,*
*Atque iuuentuti quòd eras imitamen honeſtæ*
*Propoſitum, ad cuius ſe fingeret illa colorem,*
*Delicuiſſe velint cur ciues imbre madenti*
*Amiſſo te, cauſa ſubeſt meritiſsima, tantum*
*Iacturæ feciſſe tua qui morte videntur:*
*Vt diſciplinæ veteris propè formula, nunc &*
*Exemplar pereat, te nobis funere rapto:*
*Frigidaq́; vt poſthac ſint morum oracla futura.*
*Acrius eſt etenim documentum, cuius imago*
*Nobilis expoſita eſt, coram ſenſuſq́; laceſsit.*
*Præceptis quàm quod nudis ſtrepit atq́; ſuſurrat,*
*Effigieq́; fidem nulla ſpecieq́; meretur.*
*Sin patriæ cauſam & noſtram ſeponimus ipſi,*
*Solius atque tui rationem ducimus vnam,*
*In partem examen meliorem pondere vergit:*
*Et dubitaſſe pudet, nihil illætabile quando*
*Eueniſſe tibi video, nihil atque dolendum:*
*Omnibus officijs quique omni munere vitæ*
*Perfunctus, Pyliam peruectus & vſque ſenectam,*
*Sæua nec expertus fortunæ tela ſiniſtræ*
*Ceſſeris vt conuiua ſatur, plenuſq́; bonorum,*
*Suppeditare homini quæ ſueuit vita fruenda.*
*Iamque magiſtratu poſito, ſimul vrbe relicta,*
*Omnibus & liber curis, in ruris amœni*
*Seceſſu poſitus, melioris præmia vitæ*
*Spectabas & ad eius iter te mente pararas:*
*Mortem ceu tardam, ceu fata morantia multum*
*Increpitans, quod te hac in colluuione tenerent*
*Longius & cœtu cæleſtum adſcribere nollent.*
*Eſt ſophiæ germanus amor ſtudiumq́;, Platonis*
*Credimus & chartis, hæc commentatio mortis.*
*At vitæ illecebris multi & dulcedine capti.*
*Pulſet eos quanuis penè octogeſimus annus,*
*Non mortem expectant, non fata nouiſsima cernũt.*
*Ac ſi quando ipſis ex hac eſt luce migrandum,*
*Iniecitq́; manum mors & vadimonia fecit,*
*Securos vt ſi deprendat in æquore nautas,*
*Cùm ridet placidi mollis pellacia ponti,*
*Turbo repens ortus, tempeſtateſq́; ſonoræ,*
*Oppreſſos clamant, improuiſoq́; queruntur*
*Auelli interitu, ſpemq́; & vota irrita lugent,*
*In longum quæ mittebant, vt numine pacto:*
*Accuſantq́; deos & fata iniuſta loquuntur,*
*Quòd primis ſibi carceribus ſit meta locata.*
*Dicere fælicem te docti ſecta Lycei*
*Præmia tergeminûm complexum ſumma bonorum*
*Poſſet, & abſq́; malis interuenientibus vllis,*
*Exemplumq́; ſui te ponere dogmatis illa.*
*Quippe tenore pari quem proſperitatis euntem*
*Quartus & abſtulerit demum octogeſimus annus.*





*Fœlix de Macedûm cognomen gente Metellus*
*Qui tulit eſt habitus, geſtis quod honoribus amplis,*
*Quattuor à natis eboris quos ſella curulis*
*Extulerat flammæ fertur datus eſſe rogali:*
*Et tibi qui ſummos geſsiſti viuus honores*
*Inferias totidem chariſsima pignora mittunt,*
*Et faciunt tibi iuſta ſacri præclara ſenatus*
*Ornamenta, decus quos præſidiale togatos*
*Inſignit, celſi vel conſulis infula comit.*
*Nam gener & nati duo magni præſidis altos*
*Attollunt faſces, inſignia conſulis vnus.*
*Moribus hi cùm te referant, vrbémque potentem,*
*Quæ caput eſt regni, totius ſplendor & orbis*
*Seu quis iuſtitiam ſpectet, ſeu Palladis artes,*
*Quò patriæ titulum communis iure meretur,*
*Iuſta lege regant, ceu quattuor atque viratu*
*Horum fulta ſalus populi nitatur & æqui*
*Non mihi tam fato nunc eſſe videris ademptus*
*Quam poſtliminio rediuiuus, deque renati*
*Pythagoræ placitis non vnus, fœnore largo*
*Vltra Geryonem quadruplex ſed redditus eſſe,*
*Vt mage clareres ditionéque plura teneres:*
*Quique magiſtratum magna cum laude, ſed vnum*
*Geſsiſti, plures vt quadruplicatus haberes,*
*Pluſq́; tua virtute frui reſpublica poſſet.*
*Sed mihi fœlicis promenda profeſsio ſortis*
*Elogijq́; tui: ſatis hæc narratio, ceuque*
*Editio cenſus oſtenderit eſſe beatum,*
*His rebus partis voueat quis quiſq́; potiri.*
*Es natus Bleſis vbi diuerſoria regum*
*Gallorum nitido pulcherrima marmore cadant:*
*Hanc vrbem Ligeris præterfluit agmine leni*
*In gremio regni fundatam & pacis alumnam:*
*Nobilitas vrbis regum facit eſſe potentum*
*Municipem: generis nec abeſt tibi ſtemma decori:*
*Coniugio & Mariæ Brachetæ dignatus es alto,*
*Auctum quæ pulchra fecit te prole parentem,*
*Atque Ilithyam fœlix experta fauentem*
*Edidit octo mares ſerie trinaſque puellas*
*Continua tibi ſuppetijt res largiter ampla,*
*Luſtraq́; ſunt magnis bis quinq́; in honoribus acta.*
*Te Ludoicus enim patriæ pater, optimus ille*
*Muſarumq́; parens Franciſcus, & inclytus armis*
*Erricus, fatoque puer Franciſcus acerbo*
*Raptus, conſulis in faſtis ſellaq́; locarunt:*
*Supplicibuſq́; ijdem te reddere iura libellis*
*Arce Palatina proedrum iuſsêre priorem.*
*Omnibus ordinibus vixiſti charus, amator*
*Virtutis quòd eras & ſeruantiſsimus æqui:*
*Et tua ciuibus eſt probitas pietáſq́; probata.*
*Segnitia incultuq́; animum ſordere ſituq́;*
*Non permiſiſti: ingenuis verum artibus illum*
*Ornaſti, totumq́; Deo cœloque dicaſti.*
*Quæ tibi crediderat vitam natura benignam*
*Clementemq́; tibi ſe præbuit, atque profundum*
*Ad ſenium te expectauit, dum reddere velles,*
*Non appellatrix fuit importuna, nec aures,*
*Aut oculos, membrúmue aliquod ceu pignora cepit:*
*Plerunque vt lentus mulctatur debitor æris*
*Pignoribus captis, acer cùm creditor vrget:*
*Integer atque valens, vegetis & ſenſibus, vllo*
*Nec captus membro, ſenio confectus & annis*
*Sic cadis hinc, cadit vt maturus ab arbore fructus,*
*Nobilis eſt, Turonum quâ ſunt & amœna vireta,*
*Et Tempe formoſa, locus quem Nereis olim*
*Acide dilecto Cyclopis crimine cæſo,*
*Trinacriæ pertæſa ſolum procul æquore ſalſo,*
*Et ſibi delegit, de ſe & Galathea vocauit:*
*Eſt vbi Cyriaci vicus de nomine diui,*
*Qui tibi parebat iure & ditione patrono:*
*Emeriti cui depoſitum iam corporis antè*
*Fomentumq́; tui curis atque vrbe ſolutus*
*Mandaras, vitamq́; Deo cœloq́; ſacraras:*
*Vt quandoq́; Deus ſignum daret induperator,*
*Atque huius linqui vitæ ſtipendia vellet,*
*Et velut hoc ex præſidio reuocaret & arce:*
*Accinctuſq́; fores & iter mox lætus inires.*
*Hic portus vitæ, requies viuacis & æui,*
*Hic placida tandem compoſitus morte quieſti.*
*Omnibus optando ſic fati es fine potitus.*
*Ergo in te lugere nefas ſibi quiſque quod optat:*
*Nam votis hominum non conuenit atque dolori,*
*Sed vice natalis lux iſta eſt fauſta putanda.*
*Si namque, Actæo quod verum credo Soloni,*
*Hæc meritum affirmat iam certa in ſede locatum,*
*Et conſtat ſummæ decus hinc vel dedecus omnis:*
*Iſta tuos ſine nube dies lux finijt alma,*
*Fecit & vt tutò poſsis vereq́; beatus*
*Extra fortunæ poſitus vim telaq́; dici.*
*Hinc igitur lachrymæ procul, hinc & planctus abeſto*
*Et luctus merens hinc, fœmineuſq́; vlulatus.*
*Dicamus bona verba, precantia verba loquamur:*
*Et purè loti niueaq́; in veſte nitentes*
*Fœlicem ad tumulum violas & olentia ſerta*
*Purpurei floris, palmis & lilia plenis*
*Spargamus, ſimul Aſsyrios fundamus odores,*
*Dicamuſq́; huius fœliciter oſſa quieſcunt:*
*Sed ſuperas animus fœlicior incolit oras.*

## ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΑΜΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΡΑΓκίσκου θάνατον.

Κηρμελέων δαμάτειρα βροτῶν Φράγκισκον ἔπεφνε,
Φῦλον ἐς ἀθανάτων χεῖρας ὁπλισαμένη.
Ὑψιμέδων Κρονίδη καὶ δήλιε δείδιθι Φοῖβε,
Ὤλεθ' ὁμηπέτης, ὤλεθ' ὁ μουσαγέτης.
Νῦν ἐνέρων κληροῦχος ὑποχθόνιον λάχος ὤσας,
Αἰθερίης θρασύφρων λήξεος ἀντέχεται.

### Idem Latinè.

*Parca hominum domitrix Franciſcũ dira peremit,*
*Armare in Superos ſcilicet auſa manus.*
*Phœbe time, celſi trepida regnator Olympi,*
*Muſarum interijt conſilijque parens.*
*Pluto ferox pacta leges euincere fortis*
*Pugnat, & æthereas victor inire plagas.*

# DE IMMATVRO GEORGII BONÆ TRANSILVANI OBITV.

HEV Bona florent iacet interceptus in æuo,
Et quiſquam in lachrymas, & in exequialia ceſſat
Carmina? cùm planctus & Pannonis ora ſonantes
Ingeminet, laceris & eat mœſtiſſima peplis:
Amiſſo miſeranda decus quæ flore requirit:
Italidéſque gemant ſua nutrimenta Camœnæ:
Quòd fruſtra doctas hunc excoluêre per artes?
Inferias igitur ſacro Victorius ore
Mittit, & exculti celebris facundia Pauli.
Faſeolus queritur tua funera mœſtus acerba.
Te Robertellus Latij Graijq́; profeſſor
Eloquij, gaudet quo Felſina clara magiſtro,
Diſcipulum primis abreptum mœret in annis.
Officiúmq́; pium Sambucus vbique tuetur:
Pannonióſque iubet Gallos, Italosq́; dolere.
Verſibus egregijs ſermone vtroque poëtæ
Intempeſtiuo te deceſſiſſe queruntur
Interitu: rude carmen eis interſtrepit iſtud,
Improba Cecropias offendens pica querelas.
Da veniam, munúſque meo metire dolore,
Non merito, generoſe, tuo: ſi condere carmen
Quale meres, nequeam, fuerit damnanda facultas,
Non animus culpandus erit, licet iſta putetur
Nænia, quam ſtultis decantat præfica verbis.
Indole cùm tanta virtutis præditus eſſes,
Conſilio & factis potuiſſes fortibus olim
Afflictam releuare ſolo, releuare iacentem
In decus antiquum patriam, te ſoſpite cui ſpes
Barbaricum ferat dominatum exire remoto
Poſſe iugo, perculſa tua nunc illa ruina
Deſpondétque animum, libertatémque relegat
Inclementis heri paſſura nefaria iura,
Et quodcunq́; nefas volet imperioſa libido.
Quanta orbi iactura pio te facta cadente eſt?
Pannonis antiquis te vindice terra receptis
Finibus, ah, nobis in propugnacula belli
Impia quod ſanctis Mahumetis ſecta minatur
Præſediſſet, opem Chriſti rebúſque tuliſſet.
Quid quòd & in medijs hymenæis fratris iniqua
Sorte peremptus obis? quòd pro genialibus vrget
Funeras lucere faces ſæuiſſima Parca?
Debuerat licuiſſe minus fatalibus horis,
Germaniſque colos quæ duro pollice tractant,
Lætitiæq́; nefas interueniſſe beatæ
Non decuit. Quid ius tam pauci lædere veſtrum
Excepti potuêre dies? an veſtra poteſtas
Non ſatis, ô Parcæ, vobis aſſerta fuiſſet,
Ni vos & choreas, pacti feſtóſque iugalis
Funeſtaſſe dies letho ſciremus atroci?
Inſultare viris generoſo ſanguine cretis,
Candidáque in pullas velamina vertere veſtes,
Gaudiáque in lachrymas, & ſingultantia verba,
In planctus mutare choros, luctúmque nefaſtum,
Mortales odiſſe fuit: ludóque cruento
Velle iocóque frui, fuit inuidiſſe malignè.
Sic meus Erricus dum coniugalia natæ
Orgia concelebrat ludis ſolennibus, haſtæ
Fragmine percuſſus ſceleratam ſenſit Erinnyn.
Vrſula quæ nati curabat pronuba thedas,
Laude omni præſtans, matronalíque pudore,
Alterius nati producit funera corpus.
Pontificúmq́; Olahus decus, ornatúſque piorum,
Auſpex qui ſanctis ſacra læta peregerat aris
Iuſta facit, ſacris feralibus atq́; parentat:
Induxítque nigræ mœſtus ſibi vellera vitæ.
Si tibi primæuo, iuuenis generoſe, cadendum
Ætatis ſub flore fuit, cur lectulus ægro
Exhauſit potius vitam, quàm barbarus enſis,
Martia tentanti pro relligione pericla?
Infeſta commiſſa tuba nam prælia debent
Pannonijs inferre necem, qui ſanguine claro
Sunt geniti, cùm Chriſticolis procul vrbibus hoſtem
Oppoſitis arcent ſceleratum fortiter armis.
Conqueror hîc ceſſaſſe deas fatalia nentes
Stamina, debuerant quæ feſtinare, tibíque
Accelerare diem, & dirum præuertere morbum.
Hoſtili mandata manu ſolatia nobis
Mors ferret, qua legitimo, patrióque fuiſſes
Nobilis exceſſu meritus cœleſtia templa,
Demeritúſq́; piam defenſo numine gentem.
Hoc ſuſpirabas, hoc ipſa in morte gemebas,
Cùm iam deficeres, premerétq́; natantia lethum
Lumina, Turcarum quòd non proprióque madentem
Sanguine, te ſuperum ſub limina fata vocarent.
Tu tamen à ſuperis ſimili donabere lauro,
Próque focis, ac queis próque aris vita profuſa eſt.
Velle etenim feciſſe fuit, propenſa voluntas
Factis æqua pari mercede rependitur illic.
Ergo conuexi fulgens te regia cœli
Accipiet, mixtúſque choro non degener ibis
Heroum, aduerſo pro relligione tulerunt
Pectore qui ſacri lethalia vulnera belli.
Pannonióſque tuos agnoſces lætus ouantes,
Atque triumphalem Geticæ de ſtrage phalangis
Coruinum, reliquis ſplendentem clarius vmbris.

## AD IOACHIMVM BELlaium de morte Errici II.

Immerita regem ſic luges morte peremptum,
Flebilibúſque citas carmina mœſta modis,
Integrat Actæas vt aëdon orba querelas,
Et ſua vocalis funera cantat olor.
Debueras alia: rex optime, morte perire,
Mors tua non alio debuit ore cani.





## IN ARISTOTELIS SIMVlachrum antiqui operis M. Hoſpitalis vultum referens.

Fallit Ariſtotelis ſub nomine fuſa metallo,
Quæ magni ſpecies Hoſpitis ora gerit.
Nec fallit, ſeclis quoniam redeuntibus ortus
Hoſpes, Ariſtotelis mens faciéſque redit.
Panthoides in Pythagora ſic antè renatus
Dicitur humanum rurſus iniſſe genus.
O mihi Memmiade, iucunda ac dulcis imago,
Vno quæ in vultu donat vtrunque virum.
Doctior eſt illo nullus, neque doctior iſto:
Neuter habet vitæ nec probitate parem.
Ille ſuæ patriæ Pellæo diruta marte
Hoſtili emeruit tecta refecta manu.
Noſtram hic, quæ præceps ciuili impulſa furore
Corruit, in vitam reſtituítque gradum.
Ille ſuæ patriæ leges & iura rogauit:
Huius in edictis noſtra repoſta ſalus.
Ille quoque Hermiæ Phœbæo nectare carmen
Condijt, hic Phœbus quæ canat ipſe, canit.
Ergo animi cùm ſint ſimiles & corporis ambo
Dotibus, effigies illius, huius erit.

## De P. Ronſardo cl. Poëta.

Ronſardus carmen Muſis & Apolline dignum
Qui pangit, qui Graiugenæ Latiæq́; Camœnæ
Ornamenta ſuis aſpergit plurima chartis,
Atque indicta prius dias in luminis auras
Multa viris priſcis auctor doctiſſimus effert:
Vermiculata notis variant emblemata pictis
Cui verſum, gemmæq́; nitent, & carmina ſignant:
Purpureis veluti ſe floribus induit arbos,
Pingitur in varios aut pratum vere colores,
Aut picturato prætexens aëra limbo
Ducit ab aduerſo ſpeciem Thaumantias aſtro:
Aonio Muſas deducet vertice primus.
Primus Idumæas feret & tibi Gallia palmas:
Sequana quâque piger ſinuoſis flexibus errat,
Amneq́; diuiduam coniungit pontibus vrbem,
Pierides vobis ſolido de marmore templum
Hoſpita tecta parans auguſta ſede locabit:
Veſter & antiſtes vittis ſacrata reuinctus
Tempora, Panchæos aris adolebit honores.
Ante hunc incomptis Fauni Satyriq́; canebant
Carminibus, numerusq́; rudi Saturnius ore
Stridebat, nec erat vobis Phœboq́; poëta
Vllus digna loquens, ſed ineptus quale per agros
Perſtrepit vpilio ſilueſtri carmen auena.
Primus at hic plenos deprompſit pectore cantus,
Et ſenſus viuis animauit vocibus: ipſo
Impleuitq́; deo, quem cordibus intus anhelis
Enthea verorum ſpirant præcordia vatum.

## CLARISSIMO MEDICO I. Gorræo Nicandri Theriacôn intepreti.

Vipereo quæ tu vulgas aduerſa veneno
Carmina Romani compta nitore ſoni,
Iurat Apollo Deus vatum, Latiæq́; Camœnæ
Eſſe ex Albanis hæc tibi nata iugis.

### Εἰς Νίκανδρον καὶ Γορραῖον.

Πολλὰ τεῇ, Νίκανδρε μάκαρ, παρεθήκαο βίβλῳ
Μείλιχα τῆς πινυτῆς φάρμακ' ἀκεστορίης,
Ἰοβόλοις δακέτοισιν ἀλέξια, τοῖσι Γορραῖος
Πάνσοφος αὐσονίων γῆρυν ἐπημφίασεν.
Ὅς φθόνον οὐλόμενον καὶ βασκανίην ἀλεγεινὴν
Ἄλκαρ ἰητρεύσει συκόφασίν τ' ὀλοήν,
Οὐδὲ σὺ, οὐδέ κεν αὐτὸς ἰήϊος εὕροι Ἀπόλλων,
Τῶν κρείσσων πάσης δηγμὸς ἔφυ παλάμης.

### AD EVNDEM.

Qui Gorrae virûm properantia fata moraris,
Parcarum & tendis lina breuesq́; colos,
Orci quique mihi reuocato à fauce dediſti
Vitali cœli lumine poſſe frui:
Rochonem Chordamq́; tui ſuffragia puncti
In primis faciant, quæſo, ſedere locis.
Hoc probat & Pæon natusq́; Coronide nympha:
Hoc probat & Cous Pergameusq́; ſenex.
Hoc medici fratres Podalirius atque Machaon,
Hoc tua Phœbus item maxima cura cupit.
Cœlitibus pudeat te diſſentire tot vnum,
Artis & auctores deſeruiſſe tuæ.
Hos igitur iubeas ſubſellia prima tenere:
Vt longum poſt ſe ducat vterque gregem.

## Pro Leodegario à Quercu.

Grata quidem fuerat Daphne dũ intacta manebat,
Dum fuerat ſaluus virginitatis honos.
Grata quoque arbor erat matri gratiſſima diuûm,
Hirſutis vernans dum ſtetit illa comis.
At poſtquam rapuit Boreæ vis improba vtramque,
Prorſus & immiti depopulata manu eſt:
Atteſtor ſuperos nil iam mihi gratius eſſe
Quàm quæ de quercu facta corona datur.
Quid iuuat in Quercũ genuinũ frangere dentem,
Quam feriens reſilit durus & ipſe chalybs?
Háncne etiam veſtris vultis exurere flabris,
Vt nihil exuperet quod mea buſta tegat?
Non ego delector ſalicum malè prouidus vmbris,
Quas quiuis dubias turbine ventus agit.
Non hederas (quanuis lambãt mea ſaxa) ſequaces
In quercum cupio ſerpere fronde meam.
Illa mihi charas chariſſima porrigit vmbras,
Contemnens Boreæ flabra, Iouiſque minas.
Nam quantum æthereas ramis ſe tollit in auras,
Tantum radices Tartara in ima iacit.

# ΒΑΣΙΛΙΚΟΣ ΠΑΡΑΣΙΤΟΣ.

EST paraſitus egens qui regia tecta frequentat,
Nulli non notus, nulli optandúſque ſodalis:
Manè ſalutator primatum inſiſtere limen
Qui ſolet, & magnæ capitur nidore culinæ:
Ore loquax, atque ore vorax: os lædere nulli
Lentus, nec ſuperis ſolitus quoq; parcere diuis.
Scriptorum genus omne ſua trutinare ſtatera
Aſſolet, æquatáque examinat omnia lance:
Nec laudare ſolet, ſed carpere dente maligno:
Attollitque ſupercilium, vociſque boatum
In iuuenum cœtu, ſolúſque loquaciter omnes
Obruit vndanti verborum flumine, vixque
Enatat è tanto nugarum gurgite quiſquam,
Qui non veſanæ condemnet iurgia linguæ.
Quid ſtylus & ratio ſcribendi, quæq; figuræ
Dicendi, nulla non perſtrepit improbus hora.
Arrogat iſta ſibi, ſe prædicat iſta tenere:
Detrahit hæc alijs, ſibi quæ ſe iudice donat.
Paſcaſius ſi quid limauit doctius olim,
En malè paſtus adeſt ad pabula protinus illa:
Et mordet roditque malus quæ Momus amaret.
Aut negat hæc torno decurrere ſcripta rotundo,
Vel ſenſu nutare putat, vel verba diſerti
Hic etiam quærit Ciceronis, & omnia culpat.
Hoſpitialis item ſi quando poëma peregit,
A Muſis quod opus cælatum & Apolline credas,
Quæ breuis ignarus proceraq; Syllaba quæ ſit,
Carmen iter teneat vel quo pede neſcius ille,
Regis in impluuio medio, circundatus orbe
Vnguentatorum cirratorumque rotundo,
Præclarus recitat conducendúsque magiſter:
Geſtus & eludit mimæq; argutia dextræ
Dum recitat, criſpo ſuſpendit & omnia naſo:
Multaq; faſtidit, vel deſpuit, eleuat illa,
Nauſeat his, laudatq; nihil. cur deniq; dicit
Hic ſcribit verſus, & publica munera mittit.
Hunc agitat rabies, agitat fanaticus error:
Nec ſapere hunc vnquam duxi: ſapit hercle poëta
Nullus, ab irata quatitur chorus iſte Diana.
Iſte colax epulas ſi quando eſt nactus opimas,
Regi aut Satrapæ ſermonis cedere partem
Neſcit: & hyberno torrentior amne volutus
Quid tacet aut quid non blaterat? nunc iſte poten-
Committit reges, placido mox fœdere iungit. (tes
Turcarum hiſtoriam memorat, noſtrámq; reuoluit:
Illi Turca placet, dolet idem principe Franco.
Turca fidem colit vſque, colunt mendacia noſtri
Semper, ait, reges: aſſueuit & artibus, inquit,
Ille bonis, at deſidia luxúque liqueſcunt
Noſtri: nulla placent exempla domeſtica ventri
Atque gulæ noſtræ: cuius tamen ingluuioſum
Abdomen noſtras non improbat vndique menſas.
Et tamen vt calicem à menſa mox verterit vnum,
Arripit hunc quadra cuius ſaturatur inempta.
In menſa humanis de rebus crederet iſtum
Et de diuinis quis cernere. nemo focorum
Ararúmque fuit miles tam ſtrenuus vnquam
Defenſor, menſæ quàm iſte oppugnator opimæ.
Opplet enim fruſtis malas prægrandibus ambas:
Vrſum deformem prandere, lupúmve rapacem
Multis impaſtum cenſeres antè diebus.
Nec ſilet interea, verùm quantum ingerit eſcæ
Egerit eloquij tantum: ceu fruſta loquelam
Eijciántque premántque foras. ingurgitat autem
Tantum etiam vini cùm ſiccis faucibus aret,
Quantum prolueret lutulentis antra cloacis.
Affectauit ebur noſter quandoque curule:
Verùm tùm ſenſit cenſorum theta ſeuerum.
In menſa nam qui magnorum dogma ſophorum
Explicat, exiguo tum concidit ipſe rogato:
Depoſuitque curule, & menſam cœpit vt antè
Aſſectarier, & primis accumbere lectis,
Effrons nil veritus, metuenſq; offendere nullum.
Limine nam primo deponit fronte pudorem,
Et pedibus calcat, poſitúmque reſumere temnit.
Si quis eum fortaſſe cupit cognoſcere, dicam:
Vir quadratus hic eſt, habito benè corpore, vultu
Purpureo rubri miniato murice vini:
Ornauit quem Ser, nunc pingui vellere veſtit
Gallia, ſed primo nudatum deſeret anno.

## A. TVR. I. PELERINO.

Heri vindemiatum iui, dolorem capitis & nauſeam contraxi: quibus leuatus ſum, vbi hos verſus euomui.

### In Medicum quendam.

Mella ſopora tibi cùm ſint nec mella ſapora:
Mirificum vatem te, medicúmque probas.
Virgilio dulci diſtendit nectare cellas,
Hyblæum florem quæ vaga libat apis.
Mel ſapit Actæi nec quenquam ſopit, Hymetti,
Vt placuit Coo, Pergameóque ſeni.
Dulcia qui fingunt, mellitáque cruſtula vendunt,
His in melle ſapor, non ſopor vllus ineſt.
Mella ſoporifero ſed tu perfuſa veterno,
Immenſa ſolus garrulitate crepas.
Mandragoræ ſuccos, Stygiæq; obliuia Lethes,
Et tibi ſomniferum mella papauer habent.
Queis non tantū homines ſomno cogantur inerti,
Tergeminus verùm ponere colla canis.
Hic iacis indoctæ petulans conuitia mandræ,
Et ſtrepis inſani verba canina fori.
Iſta palæſtra tibi eſt, liuenti rodere dente,
Cùm nihil explanes, iſta palæſtra tibi eſt.
Dij faciant iſto ſopitus melle taceres:
Non etenim, cui mel non ſapit, ille ſapit,

## AD D. IOANNEM.

Ardua ſublimi quæ paſſim vertice ſurgit
Plurima per patulas arbor opaca vias.
Vrbibus inductas imitatur frondea ſyluas
Et facili agreſtem texit ab arte caſam.





Has Siluanus opes tulit huc è monte comanti,
Semiferúmque genus, Pan Satyríque leues:
Dum tua concelebrat ſtudioſis orgia votis,
Inclyte Ioannes bibliopola frequens.
Namque vbi cælato cœpêre elementa metallo
Semper victuros multiplicare ſonos:
Doctrinam ex illo quoq; numina ruris amarunt:
Pan ſpernit calamos ſollicitare ſuos.
Helleſpontiaci tutela fidelis alumni,
Depoſita librum falce tenere cupit.
Coniferam ſolitus Siluanus ferre cupreſſum,
Hac poſita in ſolo rure volumen habet.
Excudendorum ſic ars inuenta librorum,
Erudijt mores excoluitque feros.
Ergo tibi cupiunt illi pro parte virili
Huc conferre animi munera grata ſui.

## DEOS FRANCO FAVERE, SED EVM ORDINIS PERTVRBATIONE REM MALE GERERE, dum longinqua capeſſit, propinqua relinquit.

QVID ſeriem rerū, diuûmq; quid orſa retexis
Francæ? nec ordo tibi, quem dij ſtatuêre, pro-
Illi rectorem toti te imponere mundo (batur?
Si cuperent, nolles: ſed & aduerſarius ires.
Hiſpani quid enim melius rationibus hoſtis
Conſulis atq; tuis? optes cùm bella remota
Sic gerere, incaſſumq; tuas effundere vires:
Vicinúſque tibi latus hauriat hoſtis inermum?
Quod ſi quid ſaperes, &, quâ decet, ire parares:
Contemnendus erat mage, quā metuendus Iberus:
Cuius vt attonitæ lacerarunt Penthea Bacchæ,
Membra locis diſperſa iacent lacerata, nec illis
Vitali irriguus ſub fœdere ſpiritus hæret.
Proxima quæq; horum, validiſſima quæq; domato:
In reliquis facili fuerit victoria niſu:
Et regio regni tibi continuabitur vna,
Senſu vno iuncta, & geminatis viribus aucta.
Mitte alios hoſtes, Belgam ſuperato ferocem:
Hoc caput, hoc latus eſt, cur non tuus hoc petit enſis?
Hic iugulus feriendus erat, hæc pectora ferro
Sunt fodienda tuo, tibi ſunt hæc prima domanda.
Hæc confecta tibi prouincia conferet orbem.
Longinquas ſine militias: quid Daunia regna
Tam longis petis exilijs, Belgámque relinquis?
Roboris accedet tibi plus, plus vnde pericli.
Annales euolue tuos & damna recenſe:
Quid Peluſiaco bellum indixiſſe tyranno
Profuit? ad Tyrias quid tendere claſſibus arces?
Et toties vanis tentare Neapolin armis?
Quòd ſi adeo magnæ Heſperiæ te fortè cupido
Sollicitat, ſubsítque tuæ cupis Inſuber aulæ,
Armis antè tibi eſt ſuperandus Belga rebellis:
Hac iter eſt Francis illuc, ne deuius erres.
Abſoluit fortuna deos alterna, vicéſque
Attulit optatas, & proſperiore regreſſu
Extulit in cœlum quos merſerat antè profundo,
Et ludo fruſtrata ſuo eſt, quibus antè ſerena
Fulſerat. affirmet modò nobis commoda tanta,
Triſtia nil querimur, nobis incommoda belli
Hac mercede placent: ſic nos perijſſe iuuabit,
Nobiſcum vt melius decidat, pluráque donet.
Nunc iacet hoſtis inops animi mentíſque, ſuperba
Voce laceſſebat qui numina ſancta deorum:
Qualia terrigenæ quondam conuitia diuis
Iactarunt, celſi peterent dum culmen Olympi:
Nunc ſtupet attonitus ſubito rerū orbe Philippus:
Et quo nunc fortuna ruis? quo deſeris? inquit:
Quos petis inconſtans, en hæc ſeruata fides eſt?
Quid pepigi tecum? illa refert: num conſulis oro
Illa boni, tibi quæ quia ſum largita benignè,
Nec poſſum inuidiam ferre, & rea poſtulor? an te
Perpetuos docuit pater expectare triumphos?
Errici imperio, & felici marte ſubactus,
Quos eiurauit rerúmque reliquit habenas?
Si qua prius fuerat lætis huic laurea bellis
Parta manu, calcata iacet, poſitóque fatetur
Victorem regno proiectis degener armis.
Hinc ſortis documenta tuæ tibi ſume, paterna
Te moneant exempla, pari decurrere lapſu
Res peſſum nunc crede tuas, retróque referri:
Hac fuerint tibi læta tenus, nunc damna ſuperſunt,
Exitijs memoranda tuis. Nam Viſius heros
Errici auſpicijs venit, diuíſque ſecundis,
Conſilijs fœcunda euoluit pectora frater
Cui ſua, purpureo defendens aſtragalero.
Huic non præualidis ſuccinctæ turribus arces,
Præruptis impoſta iugis non oppida, ſed nec
Vlla Cyclopæo moles fundata labore
Reſtiterit, campóque manus non obuia tendet.
Hoc poteras abſente ferox, fortíſque videri:
Ringendum eſt præſente tibi, Belgæq; rebelli
Deſperanda ſalus, & Franci iura ferenda.
Hanc tibi fortunam Fortunæ oracula pandunt.

### Epinicion de Caliſio capto.

Ergo pedem tectis iam tandem lætus opacis
Effero, damnata fueram quæ luce ſecutus
Pertæſus ſolis iubar, & non inſcia noſtræ
Sydera fortunæ, caligantéſque tenebras
Amplexus, denſa tegerent ceu dedecus vmbra.
Multùm incuſabam ſuperos, iniuſta fremebam
Numina: captiuóſque duces, atque oppida nobis
Hoſtili populata manu, atque erecta trophæa,
Inuidiam ſuperis facturus voce querebar.

### Errico II. Franc. Regi.

Frondet oliua tibi, tibi Delia palma vireſcit.
Pacis, victor ouans, arbiter vnus eris.

## De Caliſio capto.

*Errico debes Maro, verè vt dicere poſsis,*
*Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.*

## De Columnis Caroli V. Imp.

*Promouet alterno qui vix veſtigia greſſu:*
*Quem malus in toto corpore languor habet:*
*Auſus erat fuluis oneroſo ex ære columnis*
*Herculeis, humeros ſuppoſuiſſe ſuos.*
*Sed malè ſedit onus, laſſataq́; pondere ceruix*
*Emerito cecidit debilitata ſeni.*
*Excipit hanc natus molem iuuenilibus annis,*
*Succiduo nec eam poplite ferre poteſt.*
*Rumpe moras, Errice, oneri ſuccede cadenti:*
*Opprimit Hiſpanum tanta ruina caput.*
*Et fulcire humeris, & ſuſtinuiſſe lacertis*
*Tu potes, hæc collo ſarcina digna tuo.*

## DE ERRICO, QVI PVER obſes pro patre apud Hiſpanias fuit.

*Quod Siculi fratres, qui feſſum ætate parentem*
*Ignis per liquidas eripuêre vias:*
*Quod charum ſæuo caput obiectare tyranno*
*Qui tulit, in ſociam ſubditus hoſpes opem:*
*Quod pius Aeneas, medio qui ex hoſte recepit*
*Afflatum rapidi fulminis igne patrem:*
*Hoc tua primæuis infantia fecerat annis,*
*Lauſq́; rudimentum eſt indolis iſta tuæ.*

## DE EXPEDITIONE ERRICI II. in Germaniam.

*Vt metata ſuas tentoria vidit ad vndas*
*Rhenus bicorni gurgite,*
*Hauſit & ignota vocis commercia, ſemper*
*Ori adſuetus Teutono:*
*Obſtupuit, lymphiſq́; ſuis piger alueus hæſit*
*Defixus ad ſpectaculum.*
*Coniurata ſuæ ſenſit mox arma ſaluti*
*Signis quieta fulgidis:*
*Nam neque vaſtari, populatis finibus, vrbes,*
*Nec obſideri milite*
*Cernebat, noſtras placido ſed Marte cohortes*
*Duci per intactos agros.*
*Ergo tibi blandos bonus hoſpite gurgite lapſus*
*Sternebat inuitans iter:*
*Nauigijs iungenda tibi ſua terga daturus*
*Tali beatus machina:*
*(Cæſareo non ſic experta eſt ſublica ponti*
*Vadis amicum lenibus,*
*Verùm indignantem legiones ferre Quiritum*
*Populis minaces liberis)*
*Auſpicijs niſi læta tuis Germana iuuentus*
*Et excitata claſſicis,*
*Protinus ipſa ſuis animosè finibus hoſtem*
*Verſo fugaſſet agmine.*
*Iſta tuos titulos adflixit Carole clades,*
*Adflixit iſta laureas.*
*Pluſq́; tibi periit, quam quæſitum omnibus annis,*
*Tota exulas Germania.*
*Macte iſta virtute potens Errice, triumphos*
*Nobis auorum ſic refer.*
*Nec tantùm gere bella tuis, externa ſed hoſte*
*Pacata ſic domito aſſere.*
*Quippe tuis prodeſſe parum eſt, tua gloria regni*
*Excurrat vltra limitem,*
*Talis Idumæis florebat Gallia palmis,*
*Cæſo triumphans barbaro.*
*Et longinqua ſuo bella exhauſtura periclo*
*Poſcebat alienas vices.*
*Sic plures alijs, quàm ciuibus imputat olim*
*Victrice dextra adoreas.*
*Græcia flaminio ſic vindice libera facta eſt,*
*Vt Rege Teuto vindice.*
*Proceſſus numerare tuos meritumq́; deorum*
*Ne mente grata deſine:*
*Nam fratrum medio tibi regna beata dederunt*
*Soli fauentes cælites.*
*Belgica moxq́; tuo repetita Bononia bello*
*Sub iura ceſsit Gallica:*
*Et ſpectata tuis ſociali Scotia dextra*
*Iam iam futura Saxonum*
*A te aſſerta, ferox hoſtem nunc prouocet vltrò,*
*Victoriam atque ſpondeat.*
*Pontificis nec Parma duces, nec Cæſaris à te*
*Defenſa vires horruit.*
*Acceſsit titulis Germania libera tantis*
*Gens ſeruitutis inſolens.*
*Hoc tyrocinium primæuo flore dediſti,*
*Regni rudimentum hoc tui eſt.*
*Aetate vt reliqua tua vincas conditor acta*
*Vouemus aſsidua prece.*

## ΜΟΝΗΡΗΣ ΒΙΟΣ.

*Eſt genus in terris, hominum mortalia ſupra*
*Pectora, quod ſpiratq́; viamq́; affectat Olympo:*
*Soliuagum primo tenuit ſpelæa ferarum:*
*Et ſiluas ſaltuſq́;: vrbes inuiſere nunquam*
*Aſſuetum, loca ſola ſequens, nulloq́; beatum*
*Vel lare, vel ſocio, nec gaudens diuite cenſu.*
*Punica ſanguineis adamans auiaria baccis,*
*Et montana colens ruris, valleſq́; reductas.*
*Qualis in antiquis fuit olim ciuis Athenis*
*Humano Timon odio notiſsimus orbi,*
*Perfidiæ oſor, reppudium qui miſerat vrbi.*
*His domuêre famem vulſis radicibus herbæ:*
*Alma Ceres ignota fuit: vix pocula labris*
*Sobria lympharum, cùm ſol æſtate vaporat,*
*Faucibus indulsêre ſuis: ieiunaq́; ſæpè*
*Tempora tranſegêre, modis pallentia miris*
*Ora oſtendentes, vt plurima mortis imago*
*Eſſe videretur, ſimulachraq́; luce carentum*
*In vacuis errare iugis quis fœda putaret,*
*Illis relligio curæ numenq́; deorum:*
*Sollicitauit eos non vano gloria fuco:*

Coniugium,



*Coniugium, dulceſq́; thori bona pignora natos*
*Spreuêre: & mundo optarunt cæleſtia ſpreto.*
*Aſper eis veſtitus erat pulligine fuſca:*
*Et medios vili ſtringebant cingula nodo.*
*Talis erat cultus, terris animalia primùm*
*Cùm rudibus repsêre, domus cùm luſtra fuerunt,*
*Nec dum munita conſederat vllus in vrbe.*

* * *

## Fragmentum.

*FONTIS Hyantei quæ ſanctas voluitis vndas*
*Pegaſides, gemini colitiſq́; cacumina montis,*
*Ferte ſacras huc fontis aquas, fluat vbere largo*
*Noſtris vnde genis lachrymarum largior imber:*
*Nil tripodem laurumq́; moror, Phœbæa poëtæ*
*Numina ſollicitent, nullo quibus anxia damno*
*Pectora: nunc veſtris opus eſt ad triſtia lymphis.*
*Deplorandus enim nobis Gallandius: ergo*
*Huc ſuffecturus oculis inuergite riuos.*
*Veſter alumnus erat veſtro quoq́; repſerat infans*
*In gremio, reliquos vobis ſacer egit & annos.*
*Non quiſquam de fonte ſacro Parnaſidis vndæ*
*Plus bibit, & veſtras haud doctior attigit aras:*
*Pierij penetrale tholi ſuccedere nulli*
*Interitus licuit: veſter fuit ille ſacerdos,*
*Veſter & antiſtes: nos cætera turba profani,*
*Orgia dum niuea celebraret myſtica vitta*
*Aonio in templo, Muſaſq́; in vota vocaret*
*Vix digni ſpectare procul limenq́; tenere.*
*Quinetiam ſolido vobis de marmore templa*
*Pierides poſuit, numeroſa Lutetia celſo*
*Suſpectat qua poſta iugo, vos hoſpite tecto*
*Aone digreſſas cliuo quæ ſæpe receptant,*
*Atque Heliconiacis ſuadent decedere tectis.*
*Hoc animis æquare fuit ſublimia regum*
*Facta, voluptati non impendiſſe paratas*
*Diuitias, auidis nec continuiſſe ſub arcis:*
*Sed ſacraſſe Deis atq́; in commune dediſſe.*

* * *

*HISTORICVM multis emiſti, Errice, talentis,*
*Ludibrium qui te ridiculumq́; facit.*
*Non ſinit ille tuos manes requieſcere in vrna,*
*Quos vexat, mendis ſollicitatq́; ſuis.*
*Elogio qui ſe, qui te traducit inepto:*
*Merx mala quàm magno vænijt iſta tibi?*
*Confectam hiſtoriam contexit, & illud & iſtud*
*Qui diſtent neſcit, quid valeantq́; miſer.*
*Vrbes qui captas ait à te ſæpe receptas:*
*Contra Grammaticos &, ſibi oportet, ait.*
*Qui contra Aſtrologos, Saturnia ſydera dicit*
*Fauiſſe, ac dicet mox nocuiſſe Iouem.*
*Incomptis olim qui verſibus & malè natis*
*Chærilus, hoc Clario ſed prohibente Deo*
*Rettulit acceptos regale numiſma philippos,*
*His poterat lectis eſſe poëta bonus.*
*Propoſita eſt iſti ſcribendi maxima merces,*
*Vt ſileat potius congeminanda fuit.*

*VIRGINEVM laxa fruſtra femur icis aluta*
*Semiuir, in facilem nec potes ire viam.*
*Lorea ſed gelido tibi prominet inguine vena*
*Nunquam fœmineos auſa ſubire locos.*
*Quæ velut improuiſum aſpris in ſentibus anguem*
*Preſſerit, inde retro tota repente fugit.*
*Cyaneas nunquam cautas rate vector adires,*
*Nec tua Scyllæas puppis iniret aquas:*
*Nec valido rueres emotas cardine portas,*
*Vrbs foret hoſtili ſi capienda manu:*
*Mollia qui teneræ perrumpere clauſtra puellæ*
*Nec moliri aditum ſegnis inerſq́; potes.*
*Si ſapis hoc rigido tibi pondus inutile ferro*
*Demete, vt excutias caſtoris inſtar onus:*
*Pendula ceu Samia ſibi deſecat inguina teſta*
*Entheus ad Phrygios qui ſolet eſſe modos.*
*O pereat miſerè qui tendi neſciet arcus:*
*O pereat tendi ſors lyra ſi qua nequit.*
*Laxa quid arma iuuant? nutante peculia collo*
*Quid geſtare tibi ſic oneroſa placet?*
*Dede neci, tua ſic fueris ſic probra virorum*
*Vltus, quæ fecit pars ſcelus illa luat.*

*HAEREBAS nuper furti manifeſtus opimi,*
*Et tua quærebat cabala iam gabalum:*
*Sed regis genibus ſupplex aduolueris: & qui*
*Abnuis heu veniam furibus ipſe petis.*
*Conſilium laudo, tibi pœnam quippe dederunt:*
*Prædandi ſocius nam tibi nullus erit.*
*Adde quod illorum bona quadruplator inuncas,*
*Et damnatorum quod bona ſector habes.*
*Mercurius verè tuus eſt, furaxq́; Lauerna,*
*Quorum euaſiſti numine ſupplicium.*
*Et nunc ſecurus, fumoſe lauernio, fumos*
*Vendis, ſecurus nunc clepis atque rapis.*
*Quicquid habes, furto debes, patronus eras fur,*
*Inq́; Palatino cùm grege præſes eras:*
*Et nunc aſſeſſor regis furaris, vt ortum*
*Hercle tuum furto non caruiſſe putem.*

*NVNC demum tua vita probi quàm vera Catonis*
*Verba ſient, nimium, perdite prædo, docet.*
*Exigui fures in neruo & compede viuunt,*
*At magnos aurum purpura & ampla tegit.*

*Qui leges ſcripsêre, Deo ſacraſſe feruntur,*
*Vt rata diuino numine iura forent.*
*Auctorem lex te Minoïa Iuppiter edit,*
*Iura dedit quondam Palladis arte Solon.*
*Falcifero tribuiſſe ſeni ſua iura Charondas*
*Dicitur, Aegeriæ dicitur atque Numa.*
*Tu quoq́; maiorum ne more migrare puteris,*
*Condere iura mali dæmonis arte ſoles.*

*EX QVAESTOR legis fixit pretioq́; refixit*
*Qui ius collegit Roma ſuperba tuum:*
*Illius exemplo conſultus vt eſſe putetur*
*Ius cauponatur Gallicus iſte Solon.*

*CVR leges nobis fers, cùm tua vita ſit exlex?*
*Antè tuum debes lege notare caput.*

*Quòd ſi quam poſthac condes, à rege petemus*
*Iulia te Verrem puniat atque Parim.*

MITTERET *vt gladiũ, paceq́ vt tolleret orbi,*
*Iulius è Stygio venerat ante lacu.*
*Qui ſimul ac feſtæ pacis reditura ſerena*
*Audiuit, Stygias mox repetiuit aquas.*

INGENTM *mæchus qui nuper adeptus honorẽ (eſt*
*Gallia non ſæuo flagret vt igne petit.*
*Noſtra tamen ſi quid valuiſſent vota, profectò*
*Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.*
*Ne quis mæchetur præcepit Chriſtus, at vxor*
*Nulla tibi, poſsis mæchus vt eſſe, placet.*

MORBO *vexari rumor te nuper atroci*
*[illegible]t, erat morbus Parthenopæa lu[illegible]*
*Aegra videbatur recreari Gallia, cui tu*
*Fur, [illegible], ſector, prædo, coactor, obes:*
*Cùm quis ab hoſtili medicus regione profectus*
*Aequa tibi praua fata retardat ope.*
*Scilicet is noſtris tum profuit hoſtibus, atque*
*Preſsit ſeruitio Gallica regna graui.*
*Nam ramale vetus prægrandi ſubere coctum*
*Protinus effecit fronde virere noua.*
*Nec tamen hoc impune tulit: nam ſæua medentem*
*Inuaſit ſcabies, qua miſer vſque perit.*

TRES *infulati vos valete Epiſcopi,*
*Arces & vrbes hoſtibus quæ proderet*
*Maleſuada veſtra regnat in cathedra fames,*
*Nihilique Muſas aula mendicas facit:*
*Quæ moriones, ludios, ſcurras, planos,*
*Quæ balliones, Phormiones quæ fouet,*
*Proſcriptione quæ lupas, mandras, fabros,*
*Pedoq́ betas, cauſia & fungos beat,*
*Nummum Camœnis plumbeum nec erogat,*
*Veſtram & proſeuchæ conſecrauit exhedram.*
*Quare mithrati tres valete Epiſcopi.*

Fragmenta.

ERGO *nefas vidêre dei, exemploq́ pararunt*
*Sublimes animos aduertere celſa timere,*
*Neu ſe ferre pares vnquam cæleſtibus auſint,*
*Alternæ neu ſpreſſe velint ludibria ſortis,*
*Inſtabili cùm ſic ſe lubrica torqueat orbe.*
*Vulneribus cùm tota virûm quos purpura veſtit,*
*Et ſolio impoſuit patriæ diadema tiaræ,*
*Atque hominem ſupra quos aura euexit honoris,*
*Innumeris pateat nudato pectore vita,*
*Tranſadigit coſtas, & crates pectoris enſe*
*Confodit, & totum conſumit vulnere corpus*
*Fortuna omnipotens, ferientibus impigra telis.*
*Et qua parte putes muro ſeptemplice tectos,*
*Hinc ſtragem properare iubet rerumq́ ruinam.*
*Eſt locus extremo qua limite contigit arces*
*Mediomatricum Leucas quaq́ agmine leni*
*Diuiduo liquidus prælabitur amne Moſella,*
*Naturaq́ manuq́ potens, nec peruius vlli:*
*Acceſſumq́ negat ſic crebra vorago paludis,*
*Illuuieſq́ ſolo fluuio ſtagnante refuſa*
*Municipem obducta vetat obſediſſe corona.*
*Mœnibus ille locus ſublimibus, aggere iacto,*
*Depreſſa in præceps foſſa, fluuioq́ rigata,*
*Alitibus ſuperandus erat: tormenta fragoſa*
*Horrebant totis per propugnacula muris:*
*Horrebatq́ hominum ſtrictis ſeges enſibus, atque*
*Fulminea ſclopûm pubes metuenda procella,*
*Vis vt nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro*
*Cælicolæ poſſent ſtructas adamantibus arces,*
*Inſeſſaſq́ virûm numeroſis ante maniplis.*
*Sed iubet hunc nullis opibus confidere Chriſtus,*
*Quid ſibi præfidit ſublatum deijcit vltro,*
*Adfligitque ſolo documentáq́ maxima pandit*
*Exitijs teſtata ducum, quos alta ſuperbum*
*Erexit ſuper aſtra decus, mox dedecus ingens*
*Præcipites volucri detruſit in infera lapſu.*
*Non fuit aërijs inſerta cacumina nimbis*
*Durius AEmathio regi domuiſſe, vetuſtas*
*Inuia pennigeris auibus quæ dixit Aorna:*
*Sed nec Amyclea fuit expugnare phalangi*
*Immani aſperius turritas mole Platæas:*
*Quin & Achæmenijs fuerat procliuius armis*
*Anguſtas ſuperare pylas, aditúſque malignos,*
*Qua piger epotis exercitus amnibus hæſit*
*Ille diem ſolitus Medis vmbrare ſagitis:*
*Sidoniam cepiſſe Tyron, iactíſque profundè*
*Molibus exſiccaſſe fretum, labor æquior olim:*
*Ambiguæ quàm ſortis aquam, terramq́ ſub vnum*
*Inter ſe parili ſociatas fœdere corpus*
*Perdomuiſſe fuit: nam glebas inter inertes*
*Interfuſa palus moliri terga vetabat:*
*Irrigui cœnoſa ſoli nec vena liquoris*
*Perpetuis ſuffuſa vadis penitúſque recepta*
*Auerſis altò poterat ſiccarier vndis.*
*Non tantis Argiua palus ſudoribus vnquam*
*Alcide ſiccata fuit, quam vana priorum*
*Hydram in Lernæam mutauit fabula vatum.*
*Caliſium medio brumæ expugnaſſe rigore*
*Luſus erat, ſi quis Theauillæ incommoda ſpectet.*
*Qua nec iter pedibus fuerat, nec claſsibus ire*
*Eſt licitum, penna reliquum fuit alite niti.*
*Sed virtus Lotharena ſolet per inhoſpita, pérque*
*Inuia ferre pedem, deportátque inde triumphos*
*Vnde alijs ſperare nefas: non orbita molli*
*Qua cliuo ſignata patet, veſtigia vel pes*
*Humanus qua preſſa dedit, ſuetum illa vetúſque*
*Carpit iter, nouat ipſa magis, gaudétque labore*
*Inſolitas aperire vias, exempláque prodit*
*Suſpiciat quæ poſteritas, verùm æmula quondam*
*Poſſe ſequi ſimiles & reddere neſciat actus.*
*Quid duce Burgundum Lothareno fidere fas ſit,*
*Anglum etiam ſperare deus quid ſuadeat auctor,*
*Anglos iampridem docuit Lotharena virago*
*Victrix, Normanæ quos expulit vbere glebæ.*
*Illæ Nantiacis palantes montibus vmbræ,*
*Carolus & parui compoſtus ceſpite buſti*

* * *

SIC



SIC *abducta domo ſunt agmina, tranſq́ minantes*
*Cælicolûm templis Alpes, Romamq́ potentem.*
*Cum tamen interea rex armipotentis Iberi*
*Cogeret arma ferox, & ſollicitaret in arma*
*Indomiti Teutonis opes, equitemq́ ſuperbum.*
*Ludibrio ſic expoſiti, ſic præda luporum*
*Nos fuimus, ſic noſtra luit vecordia pœnas.*
*Attamen expertes potuit nos reddere damni,*
*Atterere atque hoſtem, parua ſi fortè fuiſſet*
*Vrbs munita manu, quæ defenſoribus orba*
*Attulit attonitæ præceps immane ruinæ.*
*Sed quotus è noſtris iam publica commoda curat,*
*Erogat atque vnum quis regni viribus aſſem?*
*Cui non eſt contra lucro prædæq́ parata*
*Publica res, quis eam non annumerare ſueuit*
*In cenſu quæſtuq́ ſuo? non magna ſalutem*
*[illegible]iſſet: poterant [illegible] centum*
*[illegible] tolerare virûm, queis tuta fuiſſet.*
*Hanc epulis, hanc delicijs, hanc luxibus, [illegible]*
*Si procerum ſummam voluiſſet demere, [illegible]*
*Seruator regni meruiſſet ciuica ſerta.*
*[illegible] ſed nos impendere durum eſt,*
*Et dites audire domi, non eſſe benigni*
*Imperio volumus: [illegible]*
*Imperij ſuperauit opes fortuna, libell[illegible]*
*Nunquã impendentum, ſed præmia ſemper auentũ.*
*At miſeris defecta modis plebecula tabet,*
*Vix & adeſt quo dira fames, quo triſtis egeſtas*
*Pellatur, vix eſt animam quo ducat & ægram.*
*Stragula verùm iſtis veſtis pulcherrima, picta*
*Semper acu plumaq́ togæ, nitidumq́ decoro*
*Pallia mæandro cingens illuditur aurum.*
*Quid gemmas baccaſq́ loquar? quid pocula cœlo*
*Nobilium ſpectanda virûm, fuluoq́ metallo?*
*Regificæq́ epulas menſæ, nitidoſq́ miniſtros,*
*Atque flagellatos arcano gurgite nummos?*
*Phineas ſic ſæua dapes harpyia rapaci*
*Semper inuncabat digito, cæcumq́ necabat.*
*Sic populi ſatiata fame veſana Celeno*
*Hæc procerum, ſenio populum macieq́ trucidat:*
*Huius & exuuiæ rapido prædantibus vngue*
*Induuiæ fiunt, ſpolijs potiuntur opimis*
*Tabifici plebem ſpoliant qui nomine fiſci.*

* *

ERGO *ſuperba domas hominumq́ ferocia corda*
*Quæ clauum frænumq́ tenes Rhamnuſia virgo.*
*Concidit ille virûm minitanti murmure frendens,*
*Spiritus, audaciq́ animus de pectore ceſsit.*
*Ille Gigantæis æquas qui viribus iras*
*Spirabat ſine fine minis truculentus Iberus,*
*En pacem veniamq́ petit: nunc ſupplice vultu*
*Paciferæ ramos humilis prætendit oliuæ,*
*Velataſq́ manus: nuper qui iuſta roganti*
*Inſultarat ouans pacíq́ auerterat aurem:*
*Præſidiumq́ moras inter ſermonis iniquas*
*Perfidus incautum ſcelerato oppreſſerat auſo.*
*Hæc elata tibi ſæuæ fiducia mentis*
*Immemor humanæ ſortis ſecuraq́ fati*
*Vindicis Adraſtia vices depoſcere viſa eſt.*

* * *

HIRCOSO *tangi Mileſia nomina verſu*
*Eſſe nefas qui neſcit, aret, nec carmina ſcribat:*
*Et peronatus glandes, & rura ſequatur,*
*Sit paſtor, durus foſſor, caprimulgus ineptus,*
*Moretoq́ ſuas & cepis inſtruat eſcas.*
*Vrbicus eſſe mihi videor, paganus haberi*
*Sed merui: nam noſtra fugant, velut allia, lautos*
*Inter fiſcellas & caulas cantica nata.*
*Illis qui laudantur vti ſi membra lutentur*
*Cœno offenduntur, viroſus caſtor vt omnes,*
*Vt fœtens corium vel putida nautea lædit.*
*Noſtraq́ delectant magis hos conuitia, quàm laus.*
*Garrula ſic probris delectat pica proteruis:*
*Famoſo & viridans eſt gratus pſittacus ore:*
*Morio ſic ſuauis, qui fanda nefandaq́ garrit:*
*Horum nec cupida cuiquam laus ore probatur.*
*[illegible] tam [illegible]*
*Ornari, medijs nam laus placet vrbibus orta*
*Rure haud deportata domum, ſilu[illegible]*
*[illegible]andoquidem ſic tandem nouimus eſſe,*
*Ruſq́ relegamur, procul amandamur & vrbe,*
*Inter Ledæos ne ruſticus anſer olores*
*Obſtrepuiſſe puter, taciturna ſilentia noſtris*
*[illegible] Muſis eiectas vrbe pro[illegible]*
*Quas veluti ſacris videam: niſi ruris alumnæ*
*Stridenti ſtipula miſerum diſperdere carmen*
*Fortè velint, inter tauros, olidáſq́ capellas,*
*Mœnia quod nunquam, non auſit tecta ſubire*
*Vrbis, & in ſolis quod poſthac perſtrepat aruis*
*Corniger as inter pecudes, & bucera ſecla:*
*Cui ſummum decus: & pret[illegible] à meſſore probari,*
*Lignator quod cantet, amet quod vinitor, & quod*
*Tinniat vpilio ſapientior haud grege muto,*
*Aut fatuo fungo: vili quod ludat auena*
*Plaudenti chorea rurali Tityrus ore.*
*Illis ſe poſthac oſtentet noſtra Thalia:*
*Noſtra Thalia meret ſe dici, cùm ſit Oreas,*
*Aut Dryas, aut querno natæ cum robore Nymphæ*
*Capripedes inter Faunos, Panaſque bicornes,*
*Et Satyros ſolitæ ſilueſtrem fundere cantum.*
*Vrbanis quæ ſi diuis fors monte relicto*
*Interſint, riſus moueant, vt ſimia turpis.*
*Audiat hos cantus & paſtoralis Apollo,*
*Et pecoroſa Pales, [illegible]ariſsifer & Siluanus,*
*Auriculas molles qui radit is aure Batauа*
*Gaudeat, ad rigidam ſetoſi & ganniat aurem*
*Foſſoris, digito aut tacitum premat ipſe labellum.*
*Vos igitur, docti, quod poſtremum alloquor hoc eſt:*
*Flagito nunc veniam, nunc & diludia poſco.*
*Qui mediaſtinus fueram nunc rura reuiſo.*
*Nomina ſancta mea non hinc violauero voce,*
*Quæ Charitũ celebranda choro, Veneriſq́ ſuſurro,*
*Quæ tenera volucrum lingua cantentur Amorum.*
*Immundo hæc veluti Phineia pabula tactu*
*Attrectare nefas & voce citare profana.*
*Attamen Andinam, licet eſſet ruſtica, Muſam*
*Pollio dilexit: nec dedignata Camœna eſt*
*Heſiodum gelidæ paſcentem in montibus Aſtræ.*
*Namq́ homines diui non aſpernantur agreſtes.*
*Pierios montes, & celſa cacumina Muſæ*

*Parnaſi, & ſolis manantem in collibus vndam*
*Pegaſei fontis, contempta plebe frequentant:*
*Vrbeq́; damnata, ſiluas & teſqua pererrant.*
*Ergo hinc ad doctas me non piget ire ſorores.*

* * *

*Eſſe quid hoc dicam? quòd belli facta profani,*
*Et ciuile nefas, temerata pace probamus?*
*Quòd dombuſq́; domus collidimus, vrbibus vrbes*
*Ad mala legitimum quòd ſoluimus impia fœdus*
*Polluimúſque manus alterna cæde madentes?*
*Et facinus feciſſe iuuat, ſegniſq́; videtur*
*Nec pius eſſe ſatis qui ferro parcit inerti,*
*Fratris & in iugulo cunctatur tingere ferrum.*
*Quæ nos ſanguineo Bellona accincta flagello*
*Inſtimulat, quæ pectus agit nunc triſtis Erinnys?*
*Nec ſtultam tantùm plebem hæc veſania vexat:*
*Qui ſapiunt mage deſipiunt, & fœdius errant:*
*Nec meminêre fori, pacatáue iura ſequuntur,*
*Pro Maſuri titulis lituos litéſq́; cruentas*
*Amplexi, pro rubricis fera bella crepantes.*
*Atque ſcelus ſceleri, noxam noxæq́; rependunt,*
*Irritantq́; vltrò proceres, & bella laceſſunt:*
*Et nocuiſſe minus, minus & potuiſſe videri*
*Inſtar habent mortis. noſtras obſedimus vrbes*
*Cepimus atque manu, nos deſolauimus agros.*

* * *

[redacted]

Q[redacted] bis) Sym-

[redacted]

*plent.*

[redacted]

*get*

[redacted]

T. F. T. B.

Ad Leod. à Quercu.

[redacted]

ADVERSVS [redacted]

# O[redacted]EBRIS DE VITA ET INTERITV ADRIANI TVRNEBI, HABITA [redacted]TIÆ [redacted] REGIO AVDITORIO AN- [redacted] 65. menſe Decembri.

*Per Leodegarium à Quercu.*

ETSI in triplici philoſophiæ parte (auditores) ſtupidum, & plombeum Epicurum exiſtimauit eloquentiæ parens Tullius, tamen illud ab Epi-[redacted] iudicatum, & veriſſimè ſcriptum magno [redacted] ſum expertus. *Hominum mala neque vetuſtate minui, neque* [redacted] *leuiora.* Cùm enim pridie Idus Iunias in fata conceſſiſſet A[redacted]RNEBVS non Lutetiæ ſolius, aut Franciæ columen, [redacted] & orbis totius ornamentum: atque ex eius interitu vobis acerbo, literis funeſto, [redacted]tuoſo, grauiorem dolorem accepiſſem, quàm aut vos credere, au[redacted] ore ſperabam vt temporis longinquitas (quæ omnia mollit, & minuit) t[redacted] eſſet allatura aliquam luctui meo leuationem. Sed cùm Turnebum non minus amarem quàm mirarer: & contrà, ille me non minus enixè quàm fratrem dil[redacted]tiſſimi nexus, vt quantò alter eſſet alteri coniunctior, tantò altius doloris radices menti inſiderent: Et quantò dierum longior progreſſus fieret, tantò [redacted] cura recurſaret, & augeretur. Quæ me adeò oppreſſit & conſternauit, [redacted] nec m[redacted] nec [redacted] nec [redacted] conſtare m[redacted] tan[redacted]pitus, & ſepultus [redacted] intellige[redacted] nos à ſilicibus [redacted] oriundos, ſed animis [redacted] tenerum quiddam & molle, quod ægritudine quaſi tempeſtate ſic quatitur, vt meritò Cran[redacted] illam neſcio quam Stoicor[redacted] nec debet vlla eſſe, nec poteſt, ſine magna mercede im[redacted]poris in corpore. Luxi igitur vehementer, & ſeriò: non vt præficæ au[redacted] & interd[redacted] Qui enim poſſem [redacted]dear amiſiſſe? Graue[redacted] feci quando amic[redacted]tidem ſororibus ſuum diem obiuerunt: grauiorem quando [redacted] morte eſt interceptus: grauiſſimam verò quando in cælum euolauit animulus ille meus Adrianus Turnebus. Etſi enim à parentibus vi-

tam



vitam & opes acceperim: pluris tamen æſtimandum, quòd à grauiſſimo Turnebi colloquio, & conſilio, benè viuendi, & opibus ſapienter vtendi rationem didicerim. Deinde cum parentibus, & meis gentilibus non admodùm ſum verſatus: quòd à primis vitæ rudimentis ſic me Lutetiam, vt Romani ſuos aut Rhodon, aut Apolloniam, aut Athenas amandarint. Quò ſimul vt appuli, & omnium bonarum artium, & virtutum eſſe officinam comperi, nullo inde hortatu, nullo pretio, aut precibus, vnquam potui in patriam ad meos reuocari. Verumenimuerò cum meo Turnebo annis circiter quadraginta interceſſit & vitæ vſus, & victus conſuetudo, & ſtudiorum ſocietas, & conſiliorum (vt librorum) communicatio, denique tam arcta familiaritas, vt vix vllum ſtudioſorum hominum par vnquam fuerit coniunctius: Ambo ſumus in eodem Iuſtitiæ florentiſſimo tunc gymnaſio educati: ambo ibi ad pileum vocati: ambo illic primùm, deindè diuerſis in ſcholis iuuentutem ingenuis artibus inſtruximus: ambo Tholoſam profecti, vbi non tàm meus conuiua, quàm conuictor fuit.

*Mecum etenim longos memini conſumere ſoles,*
*Et mecum primas epulis decerpere noctes,*
*Vnum opus & requiem pariter diſponimus ambo,*
*Atque verecunda laxamus ſeria menſa:*

Illinc Lutetiam reuerſi, alter alterius exemplo vxorem duximus, vt in his ſicut in alijs quoque rebus animi adeò conſpirarent, vt quibus verbis Perſius Cornutum, hiſdem meũ Turnebum affari poſſem,

*Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo*
*Conſentire dies & ab vno ſidere duci,*
*Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra*
*Parca tenax veri, ſeu nata fidelibus hora*
*Diuidit in geminos concordia fata duorum,*
*Saturnúmque grauem noſtro Ioue frangimus vnà:*
*Neſcio quod certè eſt quod me tibi temperat aſtrum.*

Hanc igitur pluſquam Pyladeam amicitiam noſtram cùm in mentem reuoco, & quantam mecum iacturam tota res literaria in Turnebi vnius interitu paſſa ſit, vitam inuitus ago, nullumque dolori meo modum queo definire, atq; efficere, vt vulnus (quod etiam nunc crudum manet) manum admittat & cicatrix obducatur. Quapropter veſtræ ſit humanitatis primùm excuſare ſi dolore impeditus tardius quàm vel cupiueritis vel debuerim accedam ad iuſta funeri Turnebo perſoluenda: Alterum vt ſi impexa, incompta, & incompoſita ſit oratio, memineritis nihil lepidè politè, & eleganter poſſe ab eo homine dici, cuius animus ſit ſentus, ſqualidus, æger, lachrimis & curis obſitus. Et tamen in his animi anguſtijs, & aſperitatibus non ſatis inſtructus ad dicendũ, ſurrexi vt certos mortuorum iugulatores retunderem, qui pios Turnebi manes quia manibus nequeunt, lingua lacerant, modò infidum perfugam, velut ab auita religione deficientem clamitantes, modò Protagoræ pedarium ſuffragatorem, modò Prometheum rerũ diuinarum nimis curioſum ſcrutatorem, & perludibrium quaſi periculosè ſublimia ſit ſectatus, illud occinentes.

*Vitaret cælum Phaeton ſi viueret, & quos*
*Optauit ſtultè, tangere nollet equos.*

Vt igitur effrenem nebulonum petulaniam facilius refellerem, pretium operæ facturum me putaui, ſi quem vitæ curſum à pueritia ad extremum ſpiritum tenuerit, ponam in conſpectu: vt quàm integris, quàm inculpatis, & quàm ſanctis moribus animum & mentem conformarit, à principio cognoſcatis.

Annum agens vndecimum noſter Turnebus, ab Andeliaco caſtello (germana patria) Lutetiam ſe contulit, tanquam ad mercaturam bonarum artium: vbi quantùm animo conniti potuit, quantùm labore contendere, tantùm effecit ne committeret vt inanis reuerteretur, dedecorans & vrbis authoritatem, & magiſtrorum. Eos enim in diſciplinis progreſſus fecit, vt non condiſcipulos modò, ſed ipſos tandem præceptores Cleanteis vigilijs ſic à tergo reliquerit, vt faterentur eſſe verum quod veteri prouerbio dici conſueuit, *Plures diſcipulos præſtantiores magiſtris.* Cum enim eſſet doctrinæ vt virtutis perinde cupidus, putauit & ad ſuam laudem, & ad parentum lætitiam, & ad patriæ ornamentum pertinere, ſi vt Ariſtoteles Platonem, Demoſthenes Iſæum, Cicero Philonem, Antiochum, Poſidoniũ Molonem ſuos præceptores doctrina ſuperarunt: ita ipſe Iacobum Tuſanum Guillelmum Groſſium, Guillelmum Quercetanum noſtræ memoriæ docendi principes, à quibus informabatur, arte anteuerteret. Quod eò facilius ipſi fuit, quo pluribus adminiculis ad eam rem iuuabatur. Erat enim primùm tanta memoriæ vi præditus, vt quicquid eſſet ſemel infuſum, nunquam poſſet effluere, adeò pertinaciter inhærebat. Deinde ingenium ha-

i 2

buit tàm acutum, tàm ſolers, tàm in numerato: iudicium tàm acre, tàm ſenile, tàm ſincerũ, motus animi tàm celeres, tàm promptos & expeditos, vt nulli fuerint apud Dialecticos meandri, apud Poëtas nodi, apud rhetores tendiculæ, apud Geometras figuræ, apud Philoſophos problemata, apud Iuriſſapientes antinomiæ, apud Theologos myſteria, quæ non vt ſuos vngues percalluerit. Demũ ea valuit in ſtudijs aſſiduitate, ea permanſione, & pertinacia, vt nihil fuerit tàm arduũ, tàm abſtruſum, tàm reconditum quod labore non veſtigaret, non erueret, non aſſequeretur. Cuius rei locupletiſſimi teſtes exiſtunt non ſolùm lectiones hoc ex ſuggeſtu curatiſſimæ, & eruditiſſimi in omne genus auctorũ commentarij, partim iam editi, partim mox edendi, ſed etiam celatum nouem Muſis opus Aduerſariorum,

*—quod nec Iouis ira, nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.*

Quod ergo Ouidius poſt deſcriptas Metamorphoſeon gerras ſibi arrogauit, cur poſt tot, tamque admirabiles non dico libros, ſed theſauros, non idem ſibi iure optimo vindicaſſet Turnebus.

*Cùm volet illa dies quæ nil niſi corporis huius*
*Ius habet, incerti ſpatium mihi finiat æui*
*Parte tamen meliore mei ſupra alta perennis*
*Aſtra ferat, nomenq́ erit indelebile noſtrum.*
*Quaq́ patet domitis Romana potentia terris*
*Ore legar populi, perq́ omnia ſecula, fama*
*Si quid habent veri vatum præſagia viuam.*

Video præterea datum eſſe alijs laudi quòd eleganter loquerentur, alijs quòd ſcitè ſcriberent, at iudicari nondum potuit dicendo ne an ſcribendo felicior eſſet Turnebus, qui Græcas literas ità nouerat, vt Athenis natus videretur: ita Latinas, vt nullas præter illas didiciſſe cenſeretur. Quid dicam de diuiniſſimis illius poëmatibus, quibus fundendis non magis Homero, aut Virgilio cedebat, quàm ſoluta oratione Demoſtheni aut Ciceroni? quorum animos in eiuſdem corpus (ſi vera eſt Pythagoræ palingeneſia) credendum eſt immigraſſe. Ac ne quis opinetur eum in Gallicana lingua fuiſſe peregrinum, vide hiſce oculis rithmos illius vernaculos, quibus & Marotium, & Bellaium, & Baiſſium, & Bellaqueum, & Ronſardum Muſarum alumnos æquare potuiſſet. Illis ſe (cum grauia ſtudia remiſiſſet) reficiebat: illis veluti embammatibus vigiliarum amaritudinem condiebat: illis mecum in Querculano ſub opacis ceraſetis luſitabat. At non venerunt in propatulum: Scimus: Sed nec innumera eiuſdem epigrammata, quæ & facetijs, & ſalibus, & leporibus Catullũ, Martialem, Marullum, Pontanum longè ſuperant, vt meritò dici potuerit grauiſſimorum hominum facetiſſimus, & facetiſsimorum grauiſsimus. Quo autem modo Socrates ætate iam affecta fidibus operam collocauit: ita Turnebus paulò ante quàm morbo quo perijt corriperetur, inſtituerat in modulis Muſicis elaborare: ne non in omnibus abſolueret orbem illum diſciplinarum, quarum adeò auidus fuit, vt non modò in illis & interdiu inſudaret, & noctu inſomnis pernoctaret, ſed etiam cùm ambo ruſticaremur, ſermones haberet de literis, vt eſſent ſtudioſa noſtra quoque itinera. Et miramur ſi vnus plura ſciuerit quàm reliqui ignorarint? Dij nobis omnia vendunt laboribus, ille autem erat ſupra quàm cuiquam credibile ſit laboris, algoris & ſudoris patiens: Itaque ſi lucis vſura diuturnior illi vt cornicibus, ceruis, & coruis (quorum nihil intereſt) data eſſet, quis dubitat fuiſſe futurum, vt qui jam mortaliũ omnium luminibus obſtruebat non idem Mercurio & Apollini palmam fuerit prærepturus? Maxima ſunt hæc (fateor) & maximopere commendanda, ſed longè commendabilius quod hiſce diſciplinis ita virtutes adnexuit, vt quantùm nominis & gloriæ politiores artes illi conciliarint, tantùm decoris & ornamenti ab omnium virtutum choro ſit eidem comparatum. Siquidem ea fuit in victu, frugalitate: in corporis cultu, contemptione: in geſtu, moderatione: in colloquio, circunſpectione: in congreſſu, comitate: in conſilio dando, facilitate: in ſubeundis periculis, fortitudine: in vitandis, cautione: in iacturis, conſtantia: in adminiſtranda domo, prudentia: in liberis inſtituendis, accuratione: in publicis lectionibus, aſsiduitate: in ſubleuandis pauperibus, benignitate: in aliena re, iuſtitia: in deorum cultu, pietate: denique ea in omni vita æquabilitate, vt ſtupendum videri poſsit, Fabritij, Curij, Lælij, Socratis, Naſicæ, ſingulorumque virorum illuſtrium virtutes omnes vno in Turnebo eminuiſſe. Et quoniam vos ijs ingenijs tantum mihi operæ ad dicendum datis, perficiam vt intelligatis quàm incomparabili fuerit aduerſus vxorem ſtudio & fide: Annis ab hinc amplius quatuor, bacchabatur hac in vrbe peſtis prope tàm inclementer,

*Quàm cùm Cecropios quondam populata colonos*
*Extulit antiquas per funera pacis Athenas*





*Dum coaceruatis arderent corpora membris,*
*Et tanto ſanè populo vix contigit heres.*

Hac igitur contagione, & lue vbi ſuam Penelopem laborare ſenſiſſet noſter Vlyſſes Gallicus, magis de illius, quàm de ſua ſalute ſollicitus, cubiculum ingreditur, ad cubile intrepidus accedit: vomenti aſſidet, concham ſupponit: acetum porrigit: eſculentis reficit: bono animo eſſe iubet: opem pollicetur: nec ſumptui, nec vitæ parſurum iurat. ſuffitum ſeruis imperat: medicos accerſit, quid plura? nihil omnium prætermittit (vir integerrimus) quæ in colendo ſanctiſsimi mariti officio probarentur. O virum omni laude, prædicatione, literis monimentiſque decorandum! quis illius incredibilem humanitatem non ſuſpiciat, non amet, non veneretur? Sed reliqua accipite, Cùm mulier multò mariti & liberorum quam ſui amantior, virum animæ prodigum precaretur vt ſe ſibi, ſuis & Reip. ſeruaret, vxoris iacturam facilè noua nupta reſarciri, at non poſſe tam inſignem doctrina & probitate virum mortem oppetere quin literariam Remp. ſecum funere in ſepulchrum efferat, reſpondit, nec tibi (vxor chariſſima) nec liberis, nec Reipub. ſuperſtes eſſe velim. fidem ambo dedimus neutrum alteri vlla in parte defuturum: fidem violare, grande piaculum ſemper duxi. tecum ergò viuere & tecum iuuat ire ſub vmbras. Quæ fingi ſolet in turturum aut cornicum nuptijs concordia quid habet, quod iſti verè queat reſpondere? Magis optabat mulier maritum (vt Alceſtis Admetum) quàm ſe ſoſpitem. malebat contrà maritus coniugem (vt Tiberius Gracchorũ pater Corneliam) quàm ſe ſuperſtitem. Cur autem vxorem Iouis thalamo digniſſimam non amaſſet, cùm fuerit in ancillam eadem peſte laborantem mirandum in modum officioſus? vbi enim intellexit ancillæ morbum collectum vxoris contagione, iudicauit ab humanitate ſua alienum, ſi ancillam ſuis ædibus extruderet, quæ tam alacriter vxori de vita periclitanti ſubueniſſet. Itaque ancillam non aliter ac vxorem domi ſubleuandam curauit. Quotuſquiſque (vos obſecro) facturus idem fuit? Et tamen hiuſmodi heroem nec morum candor, nec vitæ probitas, nec tot diſciplinarum cumulus ab interitu vindicare potuerunt,

*— ſic demetit Orcus*
*Grandia cum paruis non exorabilis arte.*

Quis igitur immortalem ſe ſperet, ſi hic tot virtutibus ornatus, tot artibus excultus, à morte non impetrauit ne illuc deſcenderet, Numa quò deuenit & Ancus? Vtinam ô mors vel non eſſes oculis capta, vel non eſſes literarum rudis: temperaſſes ab eo quo ſuperſtite tellus habuit, quo ſe cum cœlis auderet comparare. & mucronẽ in illos diſtrinxiſſes quibus non fuit operæ pretium naſci, ſi in vita nihil memorabile factitant, vt ſe vixiſſe teſtificentur: ſed cibos & potiones percollant. & hoc corpus caſurum, & fluidum, periturumque niſi ſubinde impleatur, farciunt, & viuunt ægri miniſtri. Heu quàm inique idem hominibus quod herbis & fruticibus vſuuenit. Vt enim vrticæ, filices, & lappæ, toties pedibus conculcatæ, & pruina, & niue, & grandine, & Borea conquaſſatæ repullulant, & reuireſcunt: Vetonica autem coronaria, & amaracus, & veris honores, aeris inclementia vel leuiter impetiti marceſcunt nunquam poſtea reuicturi: ſic homines clariſſimi, Sibyllarum annis decorandi adeo facilè & frequenter (ob inexhauſtos labores) morbis afficiuntur, vt vix diuturnior illorum ſit ætas, quàm roſarum. Siccarij verò, & ganeones, & gulæ proceres, quibus plus ſapit palatum, quàm cerebrum, nec in pace ægrotant, nec in prælium miſſi, vulnerantur, tanquam Vulcanijs armis, & Palladis parma muniti: Veruntamen in hoc graui, & omnibus deflendo Turnebi caſu hoc me ſolatur & reficit, quod vt quiete tandem frueretur, mors eum rude donauerit: nec in tenebras, ſed è tenebris in lucem, & ex turbulentiſſimis tempeſtatibus in tranquillum portum deduxerit: ne in hac annonæ caritate, & vitiorum copia, ne in hoc religionis diſſidio aut potius excidio nobiſcum miſer verſaretur, & cladium reliquarum particeps fieret. Non igitur eſt erepta, ſed donata vita morte: ſi mors dicenda, vita breui relicta ad æternam migratio: aut ſi quis emori poſſit cuius memoriam omnis tuebitur ſeculorum poſteritas. Itaque non obiiſſe ſed abiuiſſe in cœlum prædicetur, vbi Muſæ & Charites illi triumphum pepererunt: ſatis ornarat terras, cœlum reſtabat quod magnificentius decoraret quàm vel Vrſæ, vel Argo, vel Orion, vel Serpentarius, vel reliquæ ſyderum figuræ, quæ ad Aſtrologorum arbitrium effinguntur. Cæterum paulò ante quàm ad ſuperos demigraret, & importuna à cerebro in ſtomachum pituita ſic deflueret, vt & cibos & medicamenta aſſiduè reuomere cogeretur: ideoque medici omnes eius ſaluti diffiderent, & deſperarent, mulier execrata veſpertinas & intempeſtiuas vigilias (vnde id morbi contractum marito cognouerat) ad languentem venit: quam vbi maritus mœſtam, & animo fractam conſpicatur, quid tu (inquit) ſolito triſtior? quòd in Deorum contubernium vocer? noli (obſecro) tantum boni mihi inuidere: nemo felix ante obitum, qui vitæ melioris eſt ia-

nua. Putas non vſu nobis, ſed mancipio datam vitam? falleris, nox eſt omnibus vna dormienda: tibi liberiſque deinceps ſua ſtabit dies: gratulare potius quòd mors immortalem me reddet: quàm vt non formido ita nec pro illa votum diis aut hominibus vllum facio: ſi numerum expleui, & vocat Æacus, nihil moror: reddar tenebris, ſin lanificæ illæ ſorores longius mihi penſum nere deſtinant, habeo gratiam: decernant fata de me quod mihi & vobis ex vſu fiet. O inauditam, & nunquam ſatis laudatam animi magnitudinem! quid præclarius, quid grauius, quid ſanctius habet illa tantopere laudata Platonis pro Socrate Apologia? Malè mihi propitiæ ſint Muſæ, ſi cùm hæc ab eo (me aſtante) dicerentur, non præ admiratione extra me raperer attonitus: & tum quidem vehementius cùm accitos ampliſſimæ ſpei liberos, ad decus, ad literas, ad virtutem hortaretur, vt matri obſequentes, vt comiter omnibus ſe dedentes omnium amicitias parent, vitentq; improborum conuentus: ſe illis præter ampliſſimas opes, & inſtructiſſimũ præſtantibus auctoribus muſeum, relinquere teſtamento vitæ ſuæ veſtigia quæ ſequantur & tanquam opulentiſſimam hæreditatem adeant. Poſt hæc erratorum veniam precatus velut curſor lampada vitæ tradens inquit.

*Hanc animam nobis qui dedit accipiat.*

Quis eſt optimus Chriſtianiſſimi hominis è vita exceſſus ſi hic non eſt? At ſalutiferum Euchariſtiæ ſacramentum non ſuſcepit. Quî potuiſſet, continuò vomitu præpeditus? Hoc illi non multò ante miniſtrarat Antiſtes Genoueſanus nouiſſimo Paſchæ feſto, vt plus mille teſtibus confirmatum. Non credo (inquis) quoniam miſſas ſolebat miſſas facere, & à delubris tanquam colubris (ob Idolorum cultum) pedem referre. Itáne verò? quære (obſecro) à flamine curiali, à Carthuſianis, ab anachoretis Germanianis, & Victorianis, à canonicis Marianis, à ſacrificis ſancti ſacelli quoties antemeridiano & veſpertino ſacro intereſſe hunc viderint? vt obiter taceam quàm fuerit in ſacris concionibus frequens. At erat ea in parte ſimulator, & multorum more ſuam religionem metu celauit. Scilicet vir incorruptiſſimus oculos hominum, teſtes iniquitatis habere noluit, cùm præſertim (vt nunc ſunt mores) quicquid libeat, liceat, deum autem conſcium non formidauit, apud cuius tribunal cauſa nobis dicenda eſt: cur ergo vetuit ne atratis preconibus, pullatis ſeruis, ceruleis auleis, heredum comploratu, amicorum comitatu, campanarum ſtrepitu, tedarũ, & cereorum fulgore, ſepulchri extructione, cippi ſculptura, ſibi parentaretur, cum iſthæc fieri vulgo ſoleant? quaſi verò vulgaria virum haud vulgarem decuiſſent: aut quaſi funalibus eguerit lumen Galliarum, niſi nos iubes mutuare lumen ſoli: ipſe ſibi abundè magnum in tenebris lumen fuit. Si neſcis precibus contentus, huiuſmodi funerum pompas neglexit, & in ſcolaſticorum ſepulchretulo (ſic enim ei nomen) cum medicorum principe Iac. Syluio ſepeliri voluit, abſque ſonitu quidem, ne vel vicinorum ſomnum, vel ſtudioſorum lucubrationes interrumpat? Menſas lapideas ad eos reijciens quibus eſt timori ne ælati (quod ſæpe contigit) domum remeent. Sapiuit meo quidem iudicio qui cum Ageſilao credidit vitæ ſapienter traductæ memoriam buſtorum epicedijs & columelis ſplendidiorem & diuturniorem. Hæc etenim vel prætereuntium calce, vel maleuolorum iniquitate, vel temporum vetuſtate exeduntur, at illuſtrium virorum libri, cum literis in æuum florent & eorum auctores in hominum pectoribus inſculpuntur & ſtant aurei. Sed iam ſit orationi finis. etſi enim patienter auditis, propterea quòd non minùs vobis ſit iucunda mortui Turnebi laudatio, quàm ſuauis olim fuerit doctiſſima viuentis lectio: tamen ne vel modeſtiſſimum hominem laude offendam, quem à præconio ſum expertus alieniſſimũ: vel ſi omnia memorare pergam quæ de eo dici poſſunt & debent, grauiſſimas occupationes veſtras morer, reliqua doctioribus viris relinquo, qui & elegantius & grauius poterunt exornare. Tantum in præſentia contendo, ſi vniuerſi qui ab annis octingentis ſtudio, ingenio, iudicio, memoria, fama, fide, integritate, & (vt breui complectar) omni virtutum ac diſciplinarum genere floruerunt, vnum in locum conferantur (bona quod eorum venia dictum velim) non erunt cum vno Turnebo comparandi.

## IN TETERRIMVM ADRIANI TVRNEBI Catarrhum Proſopopœia.

*Pernicies hominum, & peſtis lethæa catharre,*
*Aequè pauperibus mitiſtans, locupletibus æquè,*
*Aequè inuiſe macris ſenibus, pueriſque tenellis,*
*Quod te æſtrũ pupugit? quæ te ſtimulauit Erinnys?*
*Quæ Furiæ exciuere? vt ſic graſſeris in illũ*
*Qui ſophiæ & Charitũ, & Muſarũ eſt dulcis alumnus*
*Qui nuſquam cuiquam nocuit, qui profuit omni,*
*Quo diſciplinarum interprete tota ſuperbit*
*Gallia, ceu docto quondam Attica terra Platone?*
*Si tanta inſano ſedet inclementia corde*
*Vt veſpillonum cupias augere lucellum,*
*Atque cadaueribus gelidis implere ſepulchra,*





*Dede neci pingueis Epicuri de grege porcos,*
*Lurcones, gumas, comedones, qui bona patrum*
*Dilapidant fœdè in decumano acipenſere, in apro,*
*In rhombo, in dama, in præpingui abdomine porcæ,*
*Qui ſolem in vita nunquam videre cadentem,*
*Nunquam orientem, qui cubitant nunquam abſq; puella.*
*Aut ſæui in Gracchos (adeò ſi ſanguine gaudes)*
*Vt necis artifices nece diſperdantur acerba:*
*Quumque omnes (lege æqua) conculcaris ad vnum,*
*Verte aciem cultri in ſimileis hydropico auaros:*
*Qui quanto plureis & glandis, & æris aceruos*
*Adglomerant, tanto ſitiunt magis, & magis aurũ,*
*Ac ſeruant quo more canes paleas: quia nec ſe,*
*Nec dulceis natos, nec vicinos, nec amicos.*
*Inde iuuant, ſoliti furtim deponere terra*
*Defoſſa, & tanquam diuorum parcere ſacris.*
*Millia ſi tu horum ter quinquagena trucides,*
*Hoc detrimentum leuius Reſpub. noſtra*
*Accipiet, luctu & multo breuiore dolebit,*
*Quàm ſi vnum perimas Turnebum: funere cuius*
*Mæreret bifidus Parnaſſus, fleret amœnus*
*Lauretis Helicon, veſtem mutaret Apollo,*
*Elinguis fieret ſuggeſtus regius, omnes*
*Abijcerent calamos & plectra & barbita Muſæ,*
*Deniq; Munditiæ, & Veneres, Chariteſq;, Saleſq;*
*Non ſupereſſe ſuo decori paterentur adempto.*
*Quare ô pernicies hominum peſtiſq; catarrhe,*
*Aeque odioſê macris ſenibus, pueriſq; tenellis,*
*Deſine graſſari in Turnebum & reddito Muſis*
*Et Sophiæ, atq; choro Charitũ ſuauiſſimũ alumnũ:*
*Aut ſi implacatus ſolatia noſtra moraris.*
*Fulmina te perdant, qui commoda publica perdis.*

Leodegarius à Quercu mœſtiſſimus faciebat.

## IN TRISTISSIMVM ADRIANI TVRNEBI, REGII PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS nobiliſſimi, obitum, Epicedion.

*Auctore Leodegario à Quercu.*

*Mercurius cælos, terras Turnebus onanteis*
*Vſque adeo ornabat feliciter atque beatè,*
*Vt docti attonici modò mirarentur ineſſe*
*Vni omneis arteis: quarum ſplendore coruſcus*
*Non homines ſolùm poterat ſuperare, ſed ipſum*
*Mercurium: Quod vbi ſenſit Grynæus Apollo,*
*Sollicitus ne ſi deinceps productior ætas*
*Turnebo conceſſa foret, ſuperetur vt Hermes,*
*Cum Libitina egit, Turnebum vt perdat: at illa*
*Victa viri virtute, fide, facundia, honore,*
*Cenſuit eſſe nefas nullo veruece piandum,*
*Nullis verbenis, nullis luſtralibus vndis,*
*Si morte hunc plectat qui vitæ reddere ſueuit*
*Auctores fato functos, qui in luminis oras*
*Eduxit monumenta, ſitu & caligine ſpurca:*
*Qui de Barbarie, qui de ſtribligine, qui de*
*Mille ſophiſtarum tricis, apiniſque triumphum*
*Egit: qui incolumeis Muſas ſeruauit, & aris*
*Illarum imponens votiui thuris honores,*
*Perpetuum fixit ſuperato ex hoſte trophæum.*
*His ergo cauſsis Turnebum addicere morti*
*Non potuit Libitina, verens offendere Muſas.*
*Quarum delicium, quarum columenq;, decuſq;*
*Turnebum norat. Tum paſſus Apollo repulſam,*
*Poſtulat à Parcis ne parcant mergere acerbo*
*Funere Turnebum, cuius ſe æquarier arte*
*Mærebat. Verùm Parcæ (vt Libitina) negarunt*
*Se iuris quicquam in terrenum numen habere.*
*Cumque hilares nerent æternæ ſtamina vitæ*
*Turnebo, quem iam eſſe Deum ſine fraude viderent,*
*Inuidia adcurrens, Phœbi fera iuſſa faceſſit:*
*Abrumpendo colos, fuſos, & penſa Sororum:*
*Sic eſt extinctum lumen, numenq; verendum*
*Gallorum, ſic flos Academiæ, & orbis ocellus*
*Erutus Inuidiæ technis. O plaga perenne*
*Inflictura malũ: ô nunquam reparabile damnum!*
*Qui luctus, quæſtus, lacrymæ, ſuſpiria, planctus,*
*Infandam cladem poſſint æquare dolendo?*
*Quæ gens tam immanis, quæ natio tam effera, quæ tam*
*Barbara, cui notum fuerit tam triſte piaclum,*
*Vt non omnino in lacrymas pullata liqueſcat?*
*Sed quid ego memoro, mortalibus eſſe moleſtum*
*Turnebi interitum, ſi conſtet fleſſe Camænas,*
*Et Charites? quæ ſe illius clauſêre ſepulchro,*
*Exoſæ calamos, Parnaſſum, carmina, lucem?*
*Quare ô Muſarum myſtæ concurrite, adeſte,*
*Ferte citi lauros, lauris ſed iungite luctus,*
*Et decorate roſis hoc lamentabile buſtum,*
*In quo Turnebus, Charites, Muſæq; quieſcunt.*

### Eiuſdem de eodem.

*Turnebus flos Gallorum, ſol totius orbis,*
*Dulce decus Charitum, gloria Theſpiadum,*
*Cùm commutaret vitam cum morte, rogatus*
*In qua tunc vellet relligione mori:*
*Dixit, in hac in qua ſum natus: verùm ego honores*
*Nec volui in vita, nec volo in interitu.*
*Veſpere cum paucis facibus, pauco comitatu,*
*Paucis ſacrificis, reddite corpus humo.*
*Præcones pullos, atrata inſignia, leſſum*
*Lugubrem, pompas reſpuo in inferijs.*
*Cúmque parentabit coniux fidiſſima, nolim*
*Turbet campanis aut requiem aut ſtudium.*
*Hæc ſint viuorum ſolatia: clauſus in vrna*
*Nil præter preculas & pia ſacra peto.*

# ADRIANI TVRNEBI REGII PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS CLARISſimi Tumulus,

## *A DOCTIS QVIBVSDAM VIRIS, E GRÆco, Latino, & Gallico carmine excitatus.*

### ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΤΟΥ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ Τυρνήβου Νεκρομάστιγας.

ΟΥΚ ἄρα μοῦνος ἔπαχε πάθος νηλέσατον Ορφεὺς,
Σῶμα διασπασθεὶς χερσὶ Μιμαλλονίδων.
Χ' ἡ μὲν κρᾶτ' ἀνελοῦσ', ἡδ' ὠμοπλάτην τε καὶ ὦμον,
Αλλη δ' ἄλλο σοφοῦ κῦρμα νεοσπαδέως,
Ωχετ' ἄμουσον, ἄκοσμον ἐπεγιάουσα λιν' ὕμνον,
Οἷον Αγαύη ἑὸν Πενθέα μελπομένη.
Νῦν ἄρα καὶ Τούρνηβος ὁ μουσέων ἱεροφαντης,
Νῦν Ορφεὺς ἕτερος παντοδαπῆς σοφίης.
Αλλος Αριστοτέλης, ἄλλος δὲ Πλάτων τε, καὶ ἄλλος
Ευκλείδης, ἄλλος Κῶϊος Ιπποκράτης.
Αλλος Ομηρος ἐών τε, καὶ Ησίοδος, καὶ Αρατος,
Ρήτωρ, ποιητὴς, ἱστορικὸς, κριτικὸς.
Μοῦνος ἔχων ὅσα πάντες ἕκαστος ἑκάστοτ' ἔχουσι,
Αθρόα, τῆς γλώσσης ἴστορες ἀμφοτέρης.
Τοῖος ἐὼν Τούρνηβος ὅμως, καὶ τόσσα βραβεύων,
Τόσσα καμὼν βιβλίων, τόσσα διδαξάμενος,
Σῶμα μὲν οὐχ ὡς Θρῆξ, ψυχὴν δὲ θανὼν μελεϊστὶ
Φεῦ δίχ' ἀπεσπάσθη χερσὶν ἀλιτροτάτης.
Χ' ὡ μὲν δυσσεβέων ἐς ὁμήγυριν, ὃς δ' ἀσέπτων
πνεῦμ' ἑλκυστάζει τοῦ θεοσεπτοτάτου.
Ουδὲ καὶ ἐν θανάτῳ περ ἀπηνέες, οὐδ' ἐνὶ τύμβῳ
Ειῶσι ψυχὴν ἥσυχον ἠρεμέειν.
Αλλ' ὁ μὲν ἔνθεν, ὁδ' ἔνθεν ἀποδρύπτουσιν ἑλόντες,
Ωσπερ ἑλωρία κύνες, χ' ἁρπαλέοι κόρακες.
Νῦν δ' ὔμμες μυσταὶ νέου Ορφέος, ὄρνυτε πάντες,
Ορνυτε τόσσον ἄγος νῦν ὁσιωσόμενοι.
Νῦν ἅτε πρὶν Κάλαϊς Ζήτης τε κακὰς ἁρπύιας
Τῆλ' ἀπερύκεσθε μάντεος ἰσοθέου
Ερρετε φωνεῦντες, κακαὶ ὄρνις, ἔρρετε πᾶσαι.
Ερρετε τυμβορυχεῖς, ἔρρετε νεκροδρυφεῖς.
Η γὰρ πολλὰ μάτην καὶ ἀτάσθαλα μαψίλακες ὡς
Ορνιν ἐλαβραγορεῖτ' εἰς διὸς ὑψιπετῆ. (πον
Η δ' ἀπὸ γῆν προλιποῦσ' ἐς ἀγάννιφον ἵπτατ' ὄλυμ-
Κλαγγηδὸν, φορέει δ' ἔμπυρα πατρὶ βέλη.
Εἰς κεφαλὰς ὑμέων κάκ' ἐλέγχεα, τοὔνεκ' ἔτλητε
Ανδρ' ἐπιμωμεύειν ἔξοχα Χριστόφιλον.
Ει δὲ θανὼν Χριστοῦ τὸ ταπεινόφρον ἐζήλωσε,
Σφοῖσιν ἐπισκήψας κῆδος ἄπομπον ἄγειν,
Ποιήσαντο καὶ ἄλλοι ὁμῶς νέοι ἠδὲ παλαιοὶ,
Ων γε κατεγνώσθη οὔτις ἀλιτροσύνη.
Οὐ δύναται τὸ κακὸν δένδρον καλὰ καρποφορῆσαι,
Οὐδὲ πονηρὸς ἀνὴρ ἔργα τελεῖν ἀγαθά.
Τόσσα τεκὼν πινυτὰ [illegible], μὴ αὐτὸς ἂν ἦ πινυτός;
Πῶς κε πίθοιτ' αὖθις ψεῦδος ἀπιστότατον;
Ει γε κακὸς Τούρνηβος, πῆ, καὶ πότε, καὶ τί κακὸν δρῶν
Ηλέγχθη, τόσσου τέρμα βίου περάσας;

### ADVERSVS DOCTISS. ET PIISS. VIRI ADRIANI TVRNEBI NEcromaſtigas.

*Ergo non vnus crudelia pertulit Orpheus,*
*Diſcerptus manibus membra Mimallonidum.* *(tem,*
*Hæc caput, illa humerū rapiens ſcapulamq́; paten-*
*Altera de trunco Vate quod ira tulit.*
*Ibat inhumanum bacchans inamabile carmen,*
*Quale ſuum lacerum Penthea mater ouans.*
*Nunc quoq́; Turnebus Muſarum antiſtes, & alter*
*Nunc Orpheus artis dexter in omne genus.*
*Alter Ariſtoteles, altérque Plato, alter & idem*
*Euclides, alter Cous & Hippocrates,*
*Alter Homerus, & alter Aratúſq;, Heſiodúſq;,*
*Orator, Vates, Hiſtoricus, Criticus.*
*Omnia ſolus habens, alij quæ ſingula quíque,*
*Quos penes eſt linguæ ius vtriuſque, tenent.*
*Talis erat quamuis Turnebus, tótq; triumphans*
*Nominibus, ſcribens tot ſimul, atque docens.*
*Non vt Thrax corpus mēbratim, à morte ſed vm-*
*Scinditur, ah facinus, ſacrilegis manibus.* *(brā*
*Ad nimiū ſanctos trahit hic, trahit ille profanos*
*Ad cœtus, animam dilaniátq; piam.*
*Nec quamuis in morte feri, tumulóq; ſub ipſo*
*Tranquillis pacem Manibus eſſe ſinunt.*
*Hinc ſed hic, ille illinc alterna ſorte, rapaces*
*Seu corui prædam, diripiúntve canes.*
*At vos ô Myſtæ, quorum nouus occidit Orpheus,*
*Nunc ite, & tantum ritè piate nefas.*
*Nunc veluti Calais Zetéſq; malas Harpyias*
*A diis æquando vate fugate procul.*
*Ite malæ volucres, dicentes ite ſub Orcum,*
*Ite ſepulchrales, ite cadauereæ.*
*Næ vos multa Iouis contra ſublimè volantem*
*Vaniloqui fruſtra deblateraſtis auem.*
*Illa volat terras linquens nitidum æthera ſupra*
*Cum clangore, gerítque tela patri.*
*In veſtrum caput, ô mala ſecli opprobria, quando*
*Vos auſi egregium capere Chriſticolam.*
*Sin moriens humilem Chriſti ſe præbuit inſtar,*
*Iuſta iubens fieri non operoſa ſibi:*
*Fecerunt & idem multi veteréſque nouíque,*
*Impietas quorum nullius acta rea eſt.*
*Ferre bonos fructus non eſt mala quòd queat arbor:*
*Nec patrare bonum non bonus auctor opus.*
*Optima tot peperit vir ſcripta, nec optimus is ſit?*
*Fabula cui faciat tam manifeſta fidem?*
*Turnebus malus eſt? vbi, quando, quod malefactū*
*Deprenſum vitæ per ſpatium omne datæ?*
*Sin rectè*



*Sin rectè vixit, cur non obijt quoque rectè?*
*Nam vitæ concors exitus eſſe ſolet.*
*Parcite nunc fœdæ volucres, mala pondera ventris*
*Impuri, in puros exonerare viros.*
*Mortuus eſt ſanctè, qui ſanctè exegerat æuum*
TVRNEBVS, *ſanctis nunc quoque mixtus ineſt.*
*Orphei, Muſæo comes, Heſiodóque, & Homero,*
*Atque alijs doctis, qui loca læta tenent.*
*Forſan & inter eos queritur ſub tegmine denſo*
*Elyſiæ platani, quod tulit vmbra nefas,*
*Sed perpeſſus idem ſatis eſt ſolaminis Orpheus:*
*Nam mores, mortes ſunt & vtrique pares.*

Io. Aurati.

# SVR LE TRESPAS D'ADRIAN TVRNEBE

### Sonnet de P. de Ronſard.

*Ie ſçai chanter l'honneur d'une Riuiere*
*Mais quand ie ſuis ſur le bord de la Mer*
*Pour la louer, la voiant eſcumer*
*En ſa grandeur ſi profonde & ſi fiere,*

*Du cœur s'enfuit mon audace premiere*
*Prés de tant d'eau, qui me peut abyſmer:*
*Ainſi voulant Turnebe r'animer.*
*Ie ſuis vaincu aiant trop de matiere.*

*Comme la Mer ſa louange eſt ſans riue,*
*Sans bord ſon los: qui luit comme vn flambeau.*
*D'vn ſi grand homme il ne fault qu'on eſcriue,*

*Sans nos eſcripts ſon nom eſt aſſés beau.*
*Les bouts du Monde, ou le Soleil arriue,*
*Grands comme lui, lui ſeruent de Tombeau.*

# IN ADRIANI TVRNEBI REGII PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS CLARISSIMI, OBITVM, NÆNIA,

## *D. LAMBINO MONSTROL. EIVS collecta auctore.*

## Gallia loquens inducitur.

*TE'ne ergò quiſquam complexu auellere matris*
*Diuorum potuit? te te mea gloria nuper*
*Turnebe? quo ſolo cælum, quo ſidera adibam?*
*Crudeles diui! (vos diui ignoſcite ſiquid*
*Mater ego externata, acrique incenſa dolore*
*Effundam ingratum vobis. non Gallia taleis*
*Ipſa in vos iaciet voces: ſed mater alumno*
*Orba ſuo, æterno mater mærore ſubacta,*
*Mentis inopſque ſuæ fortaſſe infanda loquetur)*
*Crudeles diui: quódnam vnquam mente, animóque*
*Concepi tam immane ſcelus? quámue improba culpam*
*Commerui, cuius taleis exſoluere pœnas*
*Vobis debuerim? num veſtra ego iura reſolui?*
*Num veſtras violaui aras, aut numina ſancta*
*Contemſi, veſtrámue fidem periura fefelli?*
*Verùm eſto: hæc, atque his multo grauiora patrarim:*
*At vos præteritis contentos eſſe decebat*
*Pœnis, quas miſeranda, lui tamen. en ego, quondam*
*Quæ florebam opulenta bonis, nunc arida, inopſque*
*Squalleo. ciuili hi maduerunt ſanguine campi:*
*Enſe meas auido viduaſtis ciuibus vrbeis:*
*Et, populis alijs quæ præſidio eſſe ſolebam,*
*Ipſa eadem Hiſpano, Germanóque, atque Britanno*
*Præda fui. quid plura querar? quid vulnera noſtra*
*Enumerem, aut refricem? non tot tamen (ô fera diuûm*
*Pectora!) non tales potuerunt exſaturare*
*Pœnæ animos. tantæ'ne animis cæleſtibus iræ?*
*Crudeles diui, crudelia & aſpera fata:*
*Crudeles Parcæ, quæ, cui longiſſima vitæ*
*Debuerant ſuperi, ſiquid mortalibus ægris*
*Conſulere, atque bonas arteis procudere vellent,*
*Tempora largiri: huic rapidis ſubtemina palmis*
*Rupiſtis Parcæ immites, crudelia fata.*
*Me tot iam damnis fractam, tot cladibus ægram:*
*Et ta-*

Et tamen vnius doctrinarum, atque leporum
Vindicis aſsidui, cultoriſq́, atque parentis,
Quem è gremio edideram liquidas in luminis oras,
Doctrina, ingenio, virtute, & laude perenni
Fallentem curas, triſtiq́ oppreſſa dolore
Pectora ſolantem, & lacrymas, fletusq́ leuantem:
Huius me interitu & leto afflixiſtis acerbo,
Parcæ, crudeles Parcæ, crudelia fata.
Heu furijs agitata feror, præcepsq́ furore:
Qualis per virideis ſaltus vacca orba requirit
Ereptum vitulum, ante deûm vt delubra decôra
Purpureum exſpirans tepido de pectore flumen
Procubuit ſubitò pinguecis mactatus ad aras:
Illa volat, ſiluas virideis orbata pererrans,
Omnia perluſtrans oculis nemora auia, & arua,
Si fortè amiſſum queat vſquam cernere fœtum:
Non illam fluuij, aut herbæ, ſalicéſue morari
Poſſunt, queſtibus implentem & mugitibus auras.
Sed tamen ô GENITOR, nutu qui cuncta gubernas,
(Namque ego nunc ad me redij, mentemq́ recepi)
Quamuis optandum fuerat mihi, & omnibus illũ
Gentibus extremam ætatis contingere metam,
Nec cadere ante diem in crudæ, viridisque ſenectæ
Limine, quo maior prudentia, & acrius eſſe
Tempore iudicium ſolet, ingenijque facultas
Vberior: tamẽ, ô te Maxime & optime RECTOR,
Te veneror, tua ſupplicibus colo numina dextris,
Grateſq́ ingenteis tibi ago, & perſoluo duobus
Nominibus: primumq́ TVRNEBVS editus ex me eſt:
Cuius doctrinæ totum diffuſa per orbem
Copia, & vbertas ſpectato purior auro
Profuit Auſonidæ, Germano, Daco, & Ibero:
Deinde quòd, vt vita illius omnis laudibus amplis
Floruit ingenij, neque eo ex æqualibus eius
Aut probitate fuit, doctrina aut clarior alter:
Sic mors illuſtris pietate & relligione ſua
Sincera emicuit. CHRISTVM namq́ ille profeſſus
Seruatorem hominum, diuinæ particulam auræ
Caram animam, fonti atq́ parenti ſoli animarum
Reddidit: at corpus terræ mandauit humandum.
Funeris immenſam pompam, funalia centum,
Aeris Campani reboanteis pulſibus auras,
Lugentum ſeriem pullatorum, lacrymantem
Demiſſo in terram vultu longo agmine turbam,
Atq́ ſuperuacuos ſumtus, titulóſque ſepulcri
Teſtamento idem vetuit. Sic itur ad aſtra,
His pater in cœlum aſcenſus virtutibus, atque
Artibus. Aeternum doctiſsime TVRNEBE ſalue,
Aeternumq́ vale: vale inclyta gloria gentis
Francigenûm, & patriæ decus irreparabile terræ.

Μονῳδία εἰς Ἀδριανὸν Τοῦρνηβον.

Ἀμφὶ τεὸν, Τοῦρνηβε, τάφον κατὰ θερμὰ θέαιναι
Δάκρυα, καὶ πλοκάμους μίγδα χέουσι θεοὶ,
Σωώδρομα καὶ μηδὲν θείοις εἴκουσιν ὀδυρμοῖς
Πάμπαν ἀθυμεύντων ἔθνεα πολλὰ βροτῶν.
Ἄχρι μὲν ἀθανάτους, λαχέειν ὡς τέρμα γόοιο,
Τοῦ, θνητὸν κλῆρον, καὶ ποθέειν θάνατον,
Θνητοὺς δ' ἀθάνατον τιμὴν εὔχεσθαι, ἑαυτοῖς
Ζῆν ἐπερήμερον ὡς τὸν θανέοντα φίλον.
Οὐκ ἀποφώλιόν ἐστι γέρας, Τοῦρνηβε, καμόντων
Τῆς ἀρετῆς, πάντων αὐτὸς ὄναιο πόθου,
Οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεῶν φιλότητι, καὶ ἀνδρῶν,
Τοῦρνηβ', ἀκλαύστου μήτε τάφοιο τυχών.

Χοαὶ Ἀδριανῷ Τουρνήβῳ ἀποκαρτερήσαντος Γ. Οὐάλ. Αὐρ.

ADRIANI TVRNEBI
TVMVLVS.

Quòd nuper caſtas percuſsit ſidere lauros,
Supplicis & nati Deus aſpernatus amores:
Quòd vaſtæ cladi ſacra nulla ſuperfuit arbor,
Non fruſtra fuit iſta lues: tacitusq́ videbam,
Hæc infauſta viris Phœbi portenta minari.
Euentus noſtræ, en, ſequitur præſagia mentis:
Te, Turnebe pater, nimirum ea monſtra petebant,
Dum lentus, medicaq́ ſedes inglorius arte,
Nec rumpis fata augurijs, herbisúe tuorum
Phœbe. decus quantum Muſarum ſacra caterua,
Præſidium Auſonia, & quantum amiſiſtis Athenæ!
At fruitor fœlix lauro, Turnebe, perenni,
Secura noſtriq́ Iouis, noſtræq́ procellæ,
Elyſio in frondoſo. exſpectatoq́ potiti
Te dudum caſti vates, Muſæus, Homerus,
Orpheus certatim, noſtro mærore fruuntor.

G. Valens Aurelius.

# IN ADRIANI TVRNEBI OBITVM IOANNIS PASSERATII ELEGIA,

## Ad Dionyſium Lambinum.

VEra igitur totã bacchata eſt fama per vrbẽ?
Auſa eſt tam tetrũ barbara Parca nefas?
Interijt doctæ ſpes inuidioſa Mineruæ?
Raptáque ab Aoniis gloria ſumma iugis?
Nunc nunc flere iuuat: iuuat indulgere dolori:
Nec, liceat quamuis, lætior eſſe velim.
Gallia TVRNEBO, ſimul eſt elata, ſepulto.
Me quiſquam in patriæ funere flere vetet?
Ecquid, io, ſentis quantus nos occupat horror?
Noſtráque quàm ſæuus pectora mœror edit?





Credo equidẽ, Lambine, minus doluiſſe parentem,
Cùm tractum Aemonijs Hectora vidit equis.
Mæſta minus fuerat, tunc cùm tradebat auaro
Bis ſex natorum Tantalis oſſa rogo.
Ac minus in denſa ramorum, flebilis, vmbra
Luget Biſtonium Tereos vxor Ityn.
Hoc Phaëtontæo Sol vidit acerbius igni,
Et pueri caſu triſtius Oebalij.
Nuntius haud metuo grauior ne vulneret aureis.
Mens veluti dextra concidit iſta Iouis,
Illa caret ſenſu: quæ, ſi non læua fuiſſet,
Debuerat luctus edidiciſſe ſuos.
Viderat inſolito diſrumpi frigore ſaxa:
Viderat & pigro flumina vincta gelu.
Pòſt, Zephyro pellente Notũ, ſub hirundine prima,
Altera venturi ſigna fuêre mali.
Turbidior Rhodano, ripaq́ effuſus ab alta,
Inſanis ter agros Sequana merſit aquis.
Scilicet antè ſuæ damnum perſenſerat vrbis,
Vi ſunt cæruleo nota futura deo.
Auxerunt lacrymis vndas, pia numina, Nymphæ:
Quæ ſegeti pietas officioſa nimis.
Illacrymant quid enim Morti? non flectitur illa,
Nec Cælum ſurdum vota, preceſq́ mouent.
Et colimus ſuperos? (aureis auertite diui)
Tam citò cùm rapiant impia fata bonos?
Extremam attingit prædonis vita ſenectam:
Periuros cana cernimus eſſe coma.
Non niſi poſt longæ felicia tempora lucis,
Parcæ ſacrilegis vltima fila legunt.
Nimirum inuidia ſemper maiore premuntur
Optima, viua diu deteriora manent.
I nunc, & ſterilis ſpira virtutis amorem:
Ter quater ô pulchro nomen inane ſono!
Incumbas ſtudijs. tibi nil didiciſſe tot arteis
Proderit, & veterum tot monumenta virûm
Innuba non potis eſt vel torua Gorgone Pallas,
Vel Phœbus medica vincere fata manu.
Muſæ Mæonij non olim vatis ab vndis
Pallidulum Stygijs explicuere pedem.
Tænarijsq́ ſemel redijt qui faucibus Orco,
Idem iterum cæcum non ſuperauit iter.
Si Pietas, Virtus, Doctrina moueret Auernum:
Auras TVRNEBVS carperet aërias.
Dij tamen hoc melius, quòd cæco carcere liber
Iam iam parta ſuo regna labore colit.
Res hominum fragileis plebemq́ exoſa profanam,
Nobilis Elyſium viſit imago nemus.
Illic Budæus, noſtræ laus altera gentis,
Vmbræ TVRNEBI geſtiet ire comes.
Quos circum denſo volitabunt agmine Manes,
Sparſuri lectas vtraq́ in ora roſas.
Nunc ſeſe ludo exercent, nunc gramine fuſi,
Nunc manibus iunctis carmina læta canunt.
At nobis miſeris curæ, TVRNEBE, relictæ,
In quas humanum naſcitur omne genus.
Hinc nati dules, tuaq́ hinc fidiſsima coniux
Confecta aſsiduis luctibus, orba, iacet.
Vitis vt à ſocia quando diuellitur vlmo,
Languida marcenti vertice pulſat humum:
Siue Iubar ſurgit, mærentes cernit amicos,
Seu rutilum occiduo tingit in amne caput.
Clarus ab Hoſpitio, Memmî generoſa propago,
Pimpuntî ſtudijs nobilitata domus,
Te flet Lambinus, cuiq́ eſt cognomen ab auro,
Et Graiæ & Latiæ fama ſecunda lyræ:
Te noſter vates, cuius numeriſq́ modisq́
Thebanus Gallis cedere viſus Olor.
Te propter carum non Cypria plorat Adonin:
Threicium oblita eſt Calliopéa ſcelus.
Flent Charites, luget Phœbus, Cyllenius ales
Incuſat virgæ triſtia iura ſuæ.
Communem cladem montes ſiluæq́ queruntur,
Crudeleſq́ ferunt ingemuiſſe feras.
Te quoq́ defleui, (Nox teſtis & aſtra dolenti)
Officioq́ pio lumina noſtra tument.
Quem colui viuum, fuit is poſt fata colendus.
Et, mirum, ex ipſo funere creuit amor.
Hauri ergo has lacrymas, poſt ſtamina rupta ſororũ
Iſte tuis veniet Manibus vnus honos.
Defeſſus fletu, luctus in carmina verti.
Eſſemne in tanto vulnere fortis ego?
Nempe etiam cæſo nato, qui fulmina torquet,
Iliacis campis ſanguinis imbre pluit.
Surgit ab Eoo quoties Thaumantias orbe,
Memnonis amiſsi paret in ore dolor.
Quoq́ loquax alitur gemmanti rore cicada,
Ex flentis roſeis labitur ille genis.
Sed ſatis eſt queſtus: nam quem lugemus ademptũ,
Quem ſtupidum vulgus deperijſſe putat,
Solis ab Heſperio, penna properante, cubili
Tithoni ad thalamos fama ſuperſtes aget:
Aurea dum furuæ per ſacra ſilentia Matris
Sidera ſuſpiciet ducere Luna choros.

EIVSDEM IN ADR. TVRnebi Aduerſariorum libros.

Bis ſeni Alciden cælo euexere labores,
Liquit vt Oetæo corpus inane rogo.
Bis totidem exhauſtis, miro Iouis edita partu
TVRNEBVM proprijs vexit in aſtra rotis.
Aduerſis fatis, monſtris pugnauit vterque:
Viribus hic animi, corporis ille potens.
Ac poſtquã ambobus tot monſtra oppreſſa, ſupremo
Inuidiam vinci ſenſit vterque die.

# COMPLAINTE SVR LE TRESPAS DE ADRIAN TVRNEBE, PAR IEAN PASSERAT Troïen, à P. de Ronſard.

COmbien qu'en autres vers tu as leu mes complaintes,
Meſlées de ſoupirs & de larmes non feintes,
Alors que ie taſchois d'adoucir la douleur,

*Qui l'eſprit m'a bleſſé d'un eſtrange malheur:*
*Si me plaiſt il encor, Ronſard, de ietter larmes:*
*Pour combatre le dueil ie n'ay point d'autres armes.*
*Et celui qui d'oeil ſec uoit un deſaſtre tel,*
*Il eſt fils d'un rocher, non d'un homme mortel.*
*Or puis qu'il fault pleurer, hé que n'ay-ie pour guide,*
*La Muſe au piteus chant du triſte Simonide:*
*Ou celle qui força les arbres Thraciens,*
*De ſuiure en ſautelant les ſons muſiciens!*
*Que uois-ie reche rcher la lyre Thracienne?*
*Seulement, mon Ronſard, hé que n'ay-ie la tienne!*
*Si i'auois la douceur de ta diuine uois,*
*I'arracherois des pleurs aux rochers & aus bois.*
*Pour requerir* TVRNEBE, *en deſpit de la Parque,*
*I'oſerois bien ſaulter dedans la noire barque.*
*Mais, helas! ie ne puis autre choſe pour lui,*
*Sinon que par regrets teſmoingner mon ennui:*
*Dont ton cueur plus conſtant moins attaint ne me ſemble:*
*Meſlons doncques, Ronſard, meſlons nos pleurs enſemble.*
*Combien que ſoit trop bas de mes chordes le ſon,*
*Pour monter à l'accord de ta docte chanſon:*
*Nous voions toutefois les riuieres courantes*
*Souuent entremeſler leurs eaus bien differentes.*
*Tu uois noſtre Delbene, & le gentil Belleau*
*De leurs pleurs, cõme nous, arrouſer ſon tombeau.*
*Du mignard de Baif la douleur n'eſt pareille:*
*Il ne boit ce malheur ſinon que par l'aureille:*
*Nous l'auons beu des yeus, qui l'auons ueu mourant*
*Et r'abbatu les coups du vulgaire ignorant.*
*De l'Olympe azuré la grand' lampe dorée,*
*N'apperceut oncques France autant deſeſperee:*
*Encores qu'à grand tort les Aſtres deſpites*
*Sur elle aient versé mille calamites.*
*Quel mal n'eſt aduenu en nos guerres ciuiles?*
*N'auons nous ueu piller, razer, bruſler nos uilles:*
*Les François inſensés leur France ſaccager:*
*Et à un tel butin appeller l'eſtranger:*
*Le fils n'auoir horreur d'aſſaſiner le pere:*
*Le frere & le couſin tuer couſin & frere:*
*Le cours des eaus, enflé de tant de corps humains,*
*Rougir de noſtre ſang, reſpandu par nos mains:*
*Si fortune portoit à noſtre France enuie,*
*De tant & tant de mauls deuoit eſtre aſſouuie:*
*Sans lui rauir encor, contraire à ſon bonheur,*
*Tout ce qui lui reſtoit & de ioïe & d'honneur.*
*En quoy uous auions nous, cruels dieus, offensés,*
*Pour eſtre de nos uœus ainſi recompensés?*
*Auoit point noſtre langue à la tourbe indiſcrete*
*Deſcouuert le tombeau de Iupiter en Crete?*
*Comme les ſots Gregeois, auons nous maſſacrés*
*Les bœufs Trinacriens au Soleil conſacrés?*
*Auons nous publie les pompes Phrygiennes?*
*Ou les Thyrſes fueillus des feſtes Orgyennes?*
*Non, nous auons touſiours aus grans dieus immortels*
*Offert humbles preſents ſur leurs ingrats autels.*
*Toutefois, ô cruels? uoſtre iniuſte tempeſte*
*De l'eſpoir des humains a fouldroié la teſte.*
*Si que d'un meſme coup uous aués abbatu*
*La Science, l'Honneur, l'Amour, & la Vertu.*
*Que di-ie, ou ſui-ie, helas? mieus uault que ire r'ameine*
*Ma complainte enragee à la douleur hamaine.*
*Ie te pri', mon Muret, ſi mes pleurs & mes cris*
*Se liſent par dela, comme icy tes eſcripts,*
*De dire aux bons eſprits qui ſont en Italie,*
*Que de noſtre Soleil la lumiere eſt faillie.*
*D'autre part Bucchanam, gloire des Eſcoſſois,*
*Racontera aus ſiens le malheur des François:*
*La Mer le roulera iuſqu'aus hords d'Angleterre:*
*Et le Rhin le dira à ſa uoiſine terre:*
*Les Vents le ſemeront aus peuples eſtonnés,*
*Pour le faire redire aus Mons paſſionnés.*
*Les Tigres, les Lions, & les Ourſes cruelles,*
*Gemiront en oïant ſi piteuſes nouuelles.*
*Les Vmbres de la Nuit, riches d'un tel butin,*
*Se uanteront d'auoir le Grec & le Latin.*
*La Mort, qui l'a conquis, en tuant un ſeul homme,*
*Triumphera labas d'Athenes & de Romme.*
*C'eſt à uous, qui n'aués ſa uictoire empeſché,*
*Muſes, grande infamie, & non moindre peché.*
*Le fils d'une de uous dans ces Royaumes uuides*
*Vif oza bien entrer, ſans peur des Eumenides:*
*Où remonſtrant ſa perte, & ſa rare amitie,*
*Les Eſprits palliſſants feit pleurer de pitie.*
*A fredonner le Luth eſtes uous plus ignares,*
*Pour flatter des enfers les courages barbares?*
*Ou* TVRNEBE, *qui eſt des bons tant regrette,*
*Voſtre aïde & ſecours n'auoit il merite?*
*Alles ingrates ſœurs, (la douleur me ſurmonte)*
*Alles uous en cacher: n'aues uous point de honte?*
*Et toy uiença auſſi, uiença, dieu Delien,*
*Qui allongeas les iours du Roy Theſſalien:*
*Qui fleſchiſſant Pluton par uers & par prieres,*
*Replias les fuſeaus des trois ſœurs filandieres:*
*Pourquoy ſi laſchement as tu laiſſe mourir*
*Celuy que tu deuois par ton art ſecourir?*
*N'as tu ſouci de nous, ni de noſtre miſere?*
*Il me plaiſt deſcharger de-ſur-toy ma cholere.*
*Va banni, ua bouuier, ua t'en garder tes bœufs,*
*Sans eſperer de nous ſacrifices, ni uœus.*
*Quoy que d'or' enauant icy dieu lon te croïe?*
*Va ſeruir les maçons aus murailles de Troïe.*
*Mets bas la lyre d'or, où tu n'as nul ſçauoir:*
*Elle eſt deuë à Dorat: qui a faict ſon deuoir*
*De tordre le licol, auquel on verra pendre*
*Le deſchire tombeau, & l'eſgratigne cendre.*
*Taupe de Cœmetere, & Strige, qui les os.*
*Du plus grand des humains ne laiſſes en repos:*
*Puiſſe tu, pour le mieus, meſchante creature,*
*Dans le ventre des loups auoir ta ſepulture.*

*Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis,*
*P. Virg.*





# PROSOPOPE'E D'ADR. TVRNEBE PAR ALPHONSE DELBENE ABBE' DE HAVLTEcombe. Imitation de Properce.

*Pourquoy moleſtes-tu, ma femme, par ta plainte,*
*Mon ame, aſſés, & trop, de ton ennui attainte?*
*Iamais le noir portail de ce manoir ici*
*Eſtre ne peult ouuert par pitiè ni merci.*
*Et depuis qu'une fois, les vmbres ſont entrées*
*Sous les faſcheuſes lois de ces triſtes contrées,*
*Il y fault demeurer. l'immuable deſtin*
*A fermè ces chemins d'vn mur diamantin.*
*Ceſſe donc de pleurer: car depuis que la Parque*
*Indocile à fleſchir, nous a mis en la barque*
*Du vieillard nautonnier: nous n'auons le pouuoir*
*De remonter en hault, & voſtre iour reuoir*
*De quoy me peult ſeruir la grande renommee*
*Qu'ay acquiſe au trauail de ma plume animée:*
*Si ie n'ay pour cela trouue nulle amitiè*
*Aus filles de la nuit, qui d'aucun n'ont pitiè?*
*Mais s'il fault maintenant que ie ſois aſſeruie,*
*Sous les lois de Pluton, à conter de ma vie*
*La pure veritè: ie ne crains les abbois*
*Du chien à-trois-goziers, ni les ſeueres lois*
*Du iuge Candien, qu'ici tant on reuere:*
*Ni les bancs arrengès près ſa chaize ſeuere.*
*Si debout deuant luy ie tiens aucun propos*
*Loin de la veritè, que la terre mes os*
*Charge d'un peſant fais: que ie ſois vn Tantale,*
*Ou celuy qui le roc remonte & redeuale:*
*Qu'on me face ſoufrir la peine d'Ixion,*
*Si lon connoiſt en moy aucune fiction.*
*On m'orra non procès plaider en telle ſorte.*
*Si i'ay par le paſſe aymè d'une amour forte*
*L'honneur laborieus, & ſi i'ay combatu*
*Tous ceus que i'ay ſenti s'oppoſer à vertu:*
*Si de tout mon pouuoir i'ay embelli la France,*
*Chaſſant de tous endroits le monſtre d'ignorance:*
*Si ie n'ay abuzè de l'honneur & ſçauoir*
*Que ie me ſuis acquis en faiſant mon deuoir:*
*Si des plus grans Seigneurs ie n'ay cherchè la grace:*
*Et ſi l, ambition en mon cueur n'a pris place:*
*Si i'ay aimè les miens, mon Pais, & mon Roy:*
*Et ſi iuſqu'à la mort leur ay gardè la foy*
*Si le mieus que i'ay peu, i'ay taſchè de bien faire:*
*Et ſi on en reçoit ici quelque ſalaire:*
*Ie ne doy maintenant auoir aucune peur.*
*Ains à bon droir iouir de l'eternel bon heur*
*Qu'eſperent receuoir les ames bienheureuſes,*
*Qui d'honneur & vertu ont eſtè amoureuſes.*
*De ſur tout aïes ſoin, ô ma chere moitiè,*
*De nos communs enfans, gages de l'amitiè*
*Que i'ay trouuèe en toy. Ie n'ay ſouci du reſte:*
*Rien ici que cela mon Vmbre ne moleſte.*
*Fais de Pere & de Mere enſemble le deuoir,*
*Puisque faire le mien n'eſt pas en mon pouuoir.*
*Ie te ſupplie auſſi, aïes ſur tout la crainte,*
*De nuire par tes pleurs au fruit dont es enceinte.*
*Alors qu'il viendra voir la lumiere du iour,*
*Et que le baiſeras par vn treſgrand amour:*
*Baiſe le auſſi pour moy. Et vous qui voſtre pere*
*Aués trop toſt perdu, honorés voſtre mere*
*Mes enfans tant cheris: le repos gracieus*
*Auquel auons veſcu, ſe preſente à vos yeus.*
*Et ſi en ces bas lieus ie reçoy la nouuelle,*
*Que vouus viuies enſemble en vne amitiè telle,*
*Ceſſes de me pleurer. irès vous lamentant*
*Celuy qui reſtera tres-heureus & contant?*

# AD PETRVM RONSARDVM DE OBITV ADRIANI TVRNEBI.

*QVales verendi filia Nerei*
*Miſit querelas pectore ab intimo,*
*Cùm filium audiuit ferocem*
*Dardania domitum ſagitta:*
*Qualèſue fletus victa graui Venus*
*Mœrore fudit, cùm Cinyra ſati*
*Exangue corpus vidit, acri*
*Dente ſuis miſerè peremptum:*
*Deſerta quales aut gemitus dedit*
*Ceÿcis vxor, cùm exanimis ſui*
*Conſortis eſt amplexa corpus*
*Expoſitum æquoreis arenis:*
*Ronſarde tales fundere lacrymas*
*Es viſus alto è pectore, Pallada &*
*Quicunque amat, Phœbi & receſſus,*
*Et placidas Heliconis vmbras.*
*Ceſſiſſe iniquis quiſque virum dolet*
*Fatis, virorum qui fuit optimus,*
*AEtatis & noſtræ decus, ſeu*
*Vis Latiis, ſtudiis ue Græcis.*
*Ille, ille doctus Turnebus óccidit,*
*Cui Muſa mater lumina [illegible],*
*Triſtiſque Ph[illegible]us triſtiores*
*In [illegible]rymas pepulit ſorores.*
*Ronſarde nil eſt perpetuum, nihil*
*Niſi caducum. Tu, licet, aſpice*
*Quacunque magnum ſol per orbem*
*Flammiferos agitet iugales.*
*Nos nec ſuaues Pieridum chori,*
*Nec Martis ingens gloria feruidi,*
*Virtus nec ardens, à futuro*
*Interitu reuocare poſſunt.*
*In noſtra tantùm non habet Atropos*
*Ius facta. Viuet Turnebus inclytus,*
*Eiúſque ſuſcepti labores,*
*In mare dum fluuij vehentur.*

N. Vergetius

ADR.
TVRNEBO
VIRO OMN.
VIRT. OMN. Q.
LIT. GEN. INSTRV-
CTISS. ATQVE OR-
NATISS. PHILOSOPHIÆ
IN SCHOLA PARIS. PRO-
FESS. REGIO CLARISS. IO.
AVRATVS, DION. LAMBINVS
EIVS COLL. P. RONSARDVS,
GERM. VAL. PIMPVNTIVS,
IO. PASSERATIVS, ALPH.
ELBENÆVS, NIC. VERGE-
TIVS, HVNC E GR. LAT.
GALL. CARM. TVMVL.
MÆR. EXCITARVNT,
XIIII. KAL. QVINCT.
ANNO A CHR. N.
CIↃ. IↃ. LXV.
VIXIT ANN.
LIII.

*Non quæ, Nile pater, ſuperba cernis*
*Altis Marmora nubibus minari,*
*Sculptum aut Phidiaca manu ſepulchrum:*
*Turnebi placet oſsibúſque, & vmbræ,*
*Muſarum Tumulus politus arte.*

Io. Paſs.

*Quod, Turnebe, tibi doctóque, probóque, pióque,*
*Solennes rarus ſoluerit inferias,*
*Ne culpæ adſcribas doctíſque, probíſque, pÿſqúe,*
*O raros inter vir numerande viros.*
*Nā quid in aſtra iuuat tumuli tibi ducere ſumptus,*
*Quem certum eſt ſeclis viuere perpetuis?*

St. Paſchaſius.

Εἰς Ἀδριανὸν Τούρνηβον.

Τουρνήβου μὲν πρὶν κλέος ἔπλετο οὐρανόμηκες
νῦν δ' [illegible] τοῦ ψυχὴ οὐρανοῦ ἐνναέτις.
καὶ γὰρ ἐπιχθονίης [illegible] οἴης δεδαημένη ἄκρα,
ἦλθε καὶ οὐρανίης ἄκρα δαη[illegible].

In Adr. Turnebi Tumulum.

*In manes ingrata tuos hæc ora ferentur,*
*Quòd taceant te, à te qua didicêre loqui.*
*Sed reus huius agi malo, chariſsime, laudes*
*Ingenÿ culpa quàm tenuare tuas.*
*Ergo alÿ laudent: ego tantùm epigrammate teſtor,*
*Laudibus haud vllum par epigramma tuis.*

In Eundem.

*Cur placuit cunctis Turnebus? cur tot amici*
*Illi, vix hoſtes vnus & alter erant?*
*Cur placuit cunctis? tot linguis lingua diſerta*
*Totne illi potuit conciliare viros?*
*Cur placuit cunctis? an quòd certare videbant*
*Iudicÿ dotes dotibus ingenÿ?*
*Cur placuit cunctis? cunctas placuitne quòd artes*
*Excoluit Graias, excoluit Latias?*
*Cur placuit cunctis? an quod totusqúe lepores*
*Spiraret, totus quòd lepidóſque ſales?*
*Cauſa equidem ſunt hæ: ſed & hæc eſt maxima cauſa*
*Hic placuit cunctis quòd ſibi non placuit.*

Henricus Stephanus

# DE ADRIANI TVRNEBI REGII PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS MORTE DIALOGISMVS.

Auctore Michaele Ripautio Pariſienſi.

VIATOR

*Dic mihi, ſi noſtris hoc vis concedere votis,*
*Quid ſibi portendit mæſta choréa mali?*

PHILOMVSVS

*In qua conſpicio vultu præſtante puellas*
*Ter tres, largifluo fonte rigare genas.*

Et ſtrepitu



*Et ſtrepitu magno contundere pectora pugnis,*
*Vnguibus & roſeas dilacerare comas.*
*Sunt Muſæ, magni proles veneranda tonantis,* Phi.
*Quas in Pieria Mnemoſine peperit.*
*Sed quis is eſt nulla tectus lanugine malas* Via.
*Intonſus iuuenis qui gerit ora Dei?*
*Qui ſtans in medio telis pharetráque relicta*
*Turbatus luctu pectinè pulſat ebur?*
*Ille eſt præcipitis mirandus conditor anni,* Ph.
*Virgine Latona pulcher Apollo ſatus.*
*Quem penes eſt vnum vaſti dimenſio cœli,*
*Qui celeri motu ſydera cuncta rapit.*
*Qui primus vires herbarum artémque medendi*
*Mortales docuit, quique futura canit.*
*Ipſius auxilio modulamur carmina neruis,*
*Hic eſt Aonÿ réxque decúſque chori.*
*At cur in numerum terram plaudente chorea,* V.
*Atque manu crines dilacerante gemunt?*
*Author quis luctus? miſeri quæ cauſa doloris*
*Hoc rogo reſponſis, ſi lubet, adde tuis.*
*Deflent Turnebū, quē mors circuntegit atra,* Ph.
*Ac eius cantu triſtia fata ſonant.*
*Nonne vides mæſtas reſoluto crine ſorores*
*Triſtifico querulos ore ciêre ſonos?*
*Aſpicis vt Phœbus clarum deploret alumnum,*
*Inſanos planctus nunc reſonante chely.*
*Heu qua voce gemit, quo vultu lumina torquet!*
*Heu quos ſingultus voce gemente trahit!*
*Non ſic purpureum Cypris plorauit Adonim,*
*Illum cùm rabidus dilaniauit aper.*
*Nec ſic excuſſum monſtris lacerantibus artus*
*Hippolytum fleuit caſta Diana ſuum.*
*Vix ego crediderim tantas fudiſſe querelas,*
*Dum quærit natum læta per arua Ceres.*
*Denique non tantos profundit pectore quæſtus,*
*Infandum reſonat dum Philomela nefas.*
*Sed non immeritò tantis plangoribus auras*
*Doctus Apollo replet, Pieridúmque chorus.*
*Hic etenim fuerat Muſarum gratus alumnus*
*Dictus in illius decubuiſſe ſinu.*
*Fontibus & puris puros hauſiſſe liquores,*
*Quà ſe Parnaſſus tollit ad aſtra biceps.*
*Tum vigili ſtudio magnum ſuperaſſe Platonem*
*Dicitur, & cunctos ſedulitate ſophos,*
*Huic igitur Phœbus monumentū & pignus amoris*
*Eſſe dat, vt varia quærat ab arte decus.*
*Et reliquos omnes proprÿs ſuperauit in armis.*
*Sic præter reliquos ingenioſus erat.*
*Sed tibi quid prodeſt ſtudio luſtraſſe perenni*
*Turnebe, & doctos excoluiſſe libros?*
*Cùm noſtros rapiant annos crudelia fata,*
*Et properet celeri liuida Parca manu.*
*Ergo Turnebus noſtri flos inclytus æui* V.
*Infernos viſit morte premente lacus?*
*Ergo Turnebum, quo non præſtantior alter*
*Laudibus & fama, tam breuis vrna teget?*
*Ergo tanta viri ſub terras ibit imago,*
*Cui nullum cernant ſecla futura parem?*
*Vt poſsit rigidæ corpus ſuccumbere morti,* Ph.
*Et verti in putrem molle cadauer humum:*
*Non tamen occultis poterit ſuccumbere fatis*
*Ignea mens cœlum ſpéque fidéque petens.*
*Nec totus Turnebe breui abſconderis in vrna,*
*Viuet at in mundo pars quoque magna tui.*
*Dum ſolito curſu luſtrabit lampade terras*
*Cynthius, & poſt ſe ſydera clara trahet.*
*Dum ſophiæ numen per Gallica rura coletur:*
*Dumque viri muſis inuigilare volent.*
*Semper honos, Turnebe, tuus laudesq́ manebunt,*
*Atque premes fama lucidiore ſophos.*
*At vos diuini vates quicunque valetis*
*Carmine, vel cantu, vel reſonante lyra,*
*Carmine Turnebum ſacro cantúque ſonate,*
*Et laudes eius tollite ad aſtra poli.*
*Nullus enim vixit lato ſpectandus in orbe*
*Ingenio maior vel pietate prior.*

# DE OBITV ADRIANI TVRNEBI PROFESSORIS REGII

## NÆNIA,

AVCTORE FRANCISCO PICARDO CALETENSI.

*Heu! vtinā vellent ſuperi, Turnebe, potentes*
*Nunc etiam de te fari me plurima viuo.*
*Scilicet id poſſunt! quidni tua protinus ora*
*Conſpiciam verbis ſolito pro more diſertis*
*Diuinas ſacræ referentia Palladis artes,*
*Et ſanctæ ſophiæ duros ſoluentia nodos?*
*Fata vetant, hem fata vetant! num magna deorū*
*Numina ſunt etiam rapidis obnoxia fatis?*
*Et poterunt noſtris inuito nomine regnis*
*Funereas quaſcunque velint inducere clades?*
*Si regimur fatis ſuperetur crimine virtus:*
*Impietas cedat pietati: iniuria iuſto:*
*Caſta toro maculetur anus: ſpoliata pudore*
*Virgo cadat, furto ſpolientur templa deorum:*
*Noſtra ſit effuſo turpis ſine ſanguine vita:*
*Non placeat non omne nefas probitate fugata.*
*Sed iam fatorum ſeries irriſa recedat.*
*Non nos fata regunt, non eſt ſuprema voluntas*
*Inferior fatis. Sed quondam Iuppiter ira*
*Commotus, dum pars vaſti numeroſior orbis*
*Crimen amaret atrox, & iniquè ſanguine fuſo*
*Tota maderet humus: dum fratrum gratia concors*
*Terrigenis exoſa foret: dum tincta cruore*
*Oppida fraterno proprios liquêre penates,*

*Externáſque vagis petierunt curſibus oras:*
*Dum patria ſpreta maius ſolamen ab hoſte*
*Quæſiturus homo ſceleri laxaret habenas.*
*Concilio ſuperûm facto, ſancire per annos*
*Legem hanc perpetuos viſum eſt, vt tota propago*
*Terrigenûm, functo præſentis numere vitæ,*
*Corpore pro fatis mortem pateretur adempto.*
*Humanis nunquam poſita eſt lex æquior vlla.*
*Vtque hoc edictum terras exiuit in omnes:*
*Horrendo moribunda relinquere corpora fine*
*Mortales cæpère viri, iuueneſqúe ſeneſqúe.*
*Diues, inops: princeps, obſcurus: iuſtus, iniquus:*
*Doctus & indoctus morte afficiuntur eadem.*
*Heu Theophraſte deos potes incuſare, quod annos*
*Non dederint plures, & gratæ munera vitæ*
*Chara hominum ſpacÿs circumſcripsère minutis:*
*Quid ſi Turnebum ſub eadem lege repoſtum*
*Audieris raptum maturis prorſus in annis?*
*Ille eſt ille quidem, qui te Theophraſte loquendo*
*Suauiter euixit: qui te diuina loquentem*
*Præceßit ſtudÿs: qui te certamine duro*
*Atque Sophos veteres Argiua ſæpe palæſtra*
*Viuus adhuc agitare ferus cognouit & acer.*
*Ipſe nec in mollem niſi ſat feliciter vnctus*
*Vobiſcum (manifeſta loquor) deſcendit arenam.*
*Ipſe ſciens pugnare manu, pugnare lacertis*
*Et pugnare gradu, geſtu pugnare decoro.*
*Nec modò Rege quidem pugna vos Cecrope claros*
*Exciuit, verùm certamen traxit ad ipſum*
*Romulus inſignem quem fecit nomine gentem.*
*Ipſe etenim meruit de Cæſare ſæpe triumphum*
*Antiquos hominum quoties præſentibus annis*
*Contulit Hiſtorico perluſtrans tempora curſu.*
*Heu quoties quoties varÿs te Marce diſertum*
*Floribus orandi longè poſt terga reliquit.*
*Imperÿ nomen Romæ tibi candida virtus*
*Impoſuit quondam, ſed Romæ Gallia princeps*
*Huic etiam liquit nomen regale ſepulto.*
*Regius hic etenim vixitque obÿtque profeſſor*
*Turnebus doctas explanans Palladis artes.*
*At quàm præſtiterit maieſtas regia priſcis*
*Tullius ediſcat, poterit tunc iure fateri*
*Imperio minus eſſe frui, quàm Regis honore.*
*Vos, ô Romulidæ, Turnebo cedite noſtro.*
*Vos quoque mendaces Turnebo cedite Graÿ,*
*Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos,*
*Quæſiuère diu quæ tellus poſſet Homerũ (Athenæ,*
*Iure tenere ſuum, gelidos vt conderet artus.*
*O veri nunquam ſat Græcia docta latentis*
*Non obÿt, quem vos fatis ceßiſſe putatis*
*Mæonides: tenuit poſt multo tempore terras,*
*Et noſtras coluit gentes, noſtráſque per oras*
*Exegit viuus longos inglorius annos.*
*Non fuit obnixè quæſitus veſter Homerus.*
*Vel ſi fortè fuit, non huius membra ſepulta*
*Veſtra tenet tellus: nam qui bis viueret vnus*
*Dignus Homerus erat, quem cùm Normania felix*
*Produxiſſet, eum diuerſis caſibus actum*
*Græcia tunc florens habuit, ſed munere vitæ*
*Completo, poſtquam diuina floruit arte:*
*Vt ſapiens Samius, ſic eſt mutatus Homerus*
*Turnebum in noſtrum repetita ſede parentum.*
*Hæc eadem cæci ſors extitit optima vatis.*
*Qui varia rerum Turnebi nomina ſorte*
*Aſſumpſit, poſtquam deſiuit Homerus haberi,*
*Ergo omnis Gallis Graiorum gloria cedat,*
*Gallia Mæonium Turnebi nomine viuum*
*Fouit, & hunc modica retinet tellure ſepultum.*

## Eiuſdem Turnebi Tumulus.

PER EVNDEM FRANCISCVM PICARDVM CALETENSEM.

*Me genuit felix Normania, Gallia fouit:*
*Pariſÿs docui: fama per aſtra volat.*
*Vt vixi, vt morior, ſectans veſtigia patrum.*
*Hic iaceo: tu dic molliter oſſa cubent.*

FINIS TOMI TERTII.

INDEX,

# INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN TERTIO HOC, ADRIANI TVRNEBI OPERVM, TOMO CONTINENTVR.

*Prior numerus paginam: poſterior lineam notat.*


ABACVS *Pythagoreus pag. 47. lin. 37*
*Abſurda quæ ſequuntur ex opinione de animæ mortalitate.* 50. 10 13 17 22 &c.
*Abuſus diuitiarum* 89.19
*Academici Politici* 48.12
*Achamenides Vlyſſi ſocius* 88. 24
*Adraſtia* 89.60
*Adrianus* 79.34
*Adrianus Turnebus vide Turnebus*
*Aduerſaria Turnebi quando edita* 78.3
*Ægyptus in aſtrorum ſcientia excellens* 47. 49
*Ælianus patriam nunquam egreſſus* 38.32 *ſcriptor nobiliſſimus* 32 *chariſſimus Romanis* 33
*Æmathius Rex.* 88. 20
*Æneas pius* 86.29
*Ænigmata reginæ Æthiopiæ* 42. 50
*Aër ætherius* 13.12 *Cœleſtis ibid.* 14
*Ærea cœli templa* 12.57
*Aër cur inter cœlum & terram medius* 11.7 *nodus & vinculum vniuerſitatis* 10. 47 *non humidus* 10.48 (58
*Aëris contractio* 13.59 *laxitas* 13.
*Æſculapÿ herbæ* 33.59
*Æs impedit magnetem* 16.28 *eius ratio* 33
*Æſtas Anni magni* 20. 3
*Æſtus Oceani* 62. 5
*Æterna non egent tempore* 50. 40
*Æthiopes Macrobÿ* 24. 56 26. 32 *celſiſſimi* 18.14
*Æthiopiæ regina venit Hieroſolymam* 42. 48
*Æthiops ſpecu merſus* 37. 16
*Æthiopum cibus* 18. 42. *Opinio de pane* 25. 1
*Ætna mons* 14. 52
*Agamemnon* 30.32
*Ageſilaus* 102. 36
*Agnitio vera ſuiipſius* 92. 6
*Aiacis oſſa immania* 19.53
*Albertus Magnus* 16.1
*Alceſtis Admeti coniunx* 101.18
*Alcides* 88. 38
*Alcyonum dies ſereni* 63.20
*Alexander* 34.51
*Alexander Magnus mundi Imperiũ adeptus* 66.26
*Alexandri Magni ætas doctorum virorum prouentu claruit.* 29. 42 *In Ariſtobulum mendacem ſcriptorem animaduerſio* 33.51 *eius cum Poro certamen* 48
*Alexandri ad Oneſicratem dictũ de poſteritatis memoria* 35. 45
*Alexander philoſophus.* 45. 60
*Alexander Seuerus. Imp. hiſtoricos ſedulò conſuluit* 34. 47
*Alimenta cauſas præbent incrementi* 18.33
*Alimentis vitæ additur & demitur* 17. 60
*Alites regiones mutantes* 38.11
*Allium magneto contrarium* 16.22
*Allocutiones obliquæ apud Herodotum* 36.42
*Allocutio Turnebi ad vxorem* 92.55
*Alſioſæ plantæ* 12. 18
*America dicta Antaxon & Antichthon* 39.51
*Americæ adumbratio apud Ariſtotelem* 39.22
*Amici obitum Turnebi deplorantes* 107.10
*Ammianus* 23.13 *locus de ſtatura Gallorum* 23.26
*Anacharſis* 38.42
*Analyticæ vſus in naturali hiſtoria* 4.26
*Anatomica ars* 4.13 *vtitur Methodo analyticâ* 4.16
*Anaxagoras* 30.31
*Anaxagoras de homine* 43.8
*Anaximander Mileſius Topographus primus* 39.1
*Anaximenes* 13.11
*Andeliacum caſtrum patria Turnebi* 99.47
*Andelottus* 65.38
*Andina Muſa* 89.56
*Anguis reiuueneſcens* 61. 41
*Animam ex omnibus rebus componebant veteres* 50.54
*Animi Definitio* 5.59 *celeritas* 50. 36 *cultus præſtantiſſ.* 42. 16 *immortalitas comprobata* 49.29 *natura* 50.41
*Animus ſimplex* 51.49 *abſq; corpore ſaluus eſſe poteſt* 51.14 *Infinitatem comprehendit* 51.5 *an corporatũ quid* 52. 23 *fato non obnoxius* 50.8 34.51. *ſummas Alpes ſuperauit* 63.10
*Annus funeſtus Muſis* 79.14
*Annus Magnus* 73.26
*Annus Metonis* 69.12
*Antæci* 39.48
Ανταξον *terra* 39. 38 46
*Anterpia* 65.30
Ανθηρογραφεῖσθαι 40.11
*Antichni* 39.48
*Antichthones* 39.44
*Anticyra Inſula* 94.24
*Antidotũ Turnebÿ contra ſycophantam* 45.20
*Antiquitatis laus* 34.55
*Antiſtes Genoueſanus* 102.18
*Antiſtitæ per prunas ardentes incedentes* 15.23
*Antonius* 62.57
*Anyti* 71.53
*Aornos mons* 88.21
*Apollo Pythius* 54.31
*Apollinis reſponſum de peſte abigenda* 47.23
*Apollonÿ philoſophi, peregrinationes* 43.54.
*Appellatio inuiſa aulicis* 75.3. *nocet ſupplicantibus* 75.5
*Appia via* 2. 29 35
*Aqua ætheria* 13.12 *Cœleſtis* 13.14
*Aquæ potoribus longior vita vinoſis* 26.30 *probatur exemplis ibid.*
*Aquæ vitium quomodo emendatur* 26.46
*Aquilo horrifer* 39.38
*Arabes aquæ potores* 24.27
*Archetypus mundus* 48.17
*Archytas in Italia* 47.45
*Archytas à Platone taxatus* 47.38
*Argumenta confirmantia animæ immortalitatem* 50.46.51.54
*Argumenta præcipua Platonis de immortalitate animi* 52. 37 42 45. 47 &c.
*Arion* 78.54
*Ariſtarchi in Turnebum* 44.41
*Ariſtidis Oratio* ὑπὲρ τῶν τεσσάρων 41.21
*Ariſtobulus mendax ſcriptor* 33.47 *præmium mendacÿ capit* 52
*Ariſtophanes* 15.45
*Ariſtophanis Nebulæ* 41.18
*Ariſtoteles* 26.22 *Animam immortalem ſtatuit* 52. 5 *Critices inuentor* 45.24 *cur Dialogis non vſus ſit* 48.42. *diſſentit ab Epicureis* 52. 2 *eâdem Methodo vtitur in Dialect. & Phyſ.* 7.6 *eloquentiam cum Philoſophia coniunxit* 45.27 *explicatur* 52.20.30 *non vtitur causâ exemplari* 48.60 *cauſas veras ignorauit* 49.3. *Platoni conſentit* 52.25 *ſolertiſſi-*

muſ nàturæ inueſtigator. 52.4
Ariſtotelis authoritas 2.56 ſententia de duplici via Methodi 3.1 de origine formarum 13.3 falſa opinio de aere igneſcente. 14.30 huius opinionis refutatio 14.33 locus de Nouo Orbe extra Herculis columnas 39.16 de ignotis Inſulis 39.31 de acie viſus 51.55 de immortal. animæ lib.2. de animo 52.10 lib.3. 52.14. lib.2. de procreatione animal. 52.17 ſententia de natura animæ 50.43 Simulachrum 83.1
Ariſtotelem explicare non tanti operis 45.37
Arithmetica Platonis 47.36
Arrogantia intoleranda 54.29
Ars excudendorum librorum 85.5
Ars perfecta iuris ciuil. 3.17 anatomica 4.13
Artes quibus admirabilis quis fiat 68.43
Aruerni quando vites habuerint 23.1
Asbeſtus Lapis 11.27.
Aſiæ περιήγησις authore Hecateo Mileſio 39.2
Aſſertio de animæ immortalitate 51.37
Aſtra non exurunt 20.15
Aſtrologi mendaces 18.25
Aſtrologi malè audiunt apud vulgus 43.9
Aſtrologorum Methodus 6.18
Athenienſes cubum duplicant 47.24
Athenienſium in Sicilia clades 36.25
Athenienſium exemplum in religionis controuerſia 54.38
Athos mons 26.34 Oppidum in vertice 26.34. Eius incolæ veſcebantur carnibus viperinis 26.36
Atra bilis 16.14
Attrebates 95.46
Auara pietas 76.56
Auarum ſitis 103.12
Aucupium gratiæ hominum 69.35
Auguſtinus 52.23
Auguſti ſeculum poëtis abundans 29.43
Auia Pieridum 45.37
Aula Literata Franciſci I. Regis Gall. 29.52
Aumalus 64.5 19
Aurelius Victor 23.8
Aureus imber 74.22
Auris Batauа 89.45
Aurum Americæ 39.28 Indiæ 39.28 Zapulæ 29
Aurum vndè Solomoni aduectũ 39.29

B

Bacchus vini inuentor 26.52
Baſilius 72.40
Baſſarica Poemata adulterina 40.25
Batauа auris 89.45
Beati paupertate iuratâ 73.52
Beati quorum laudabilis memoria 34.20
Belga ferox 85.33. rebellis 47
Belgæ rebelles 85.53
Belluæ in Mari cur maiores 18.34.
Bellum inteſtinum Galliæ 54.11
Beſſarius 49.9
Beſtiolæ in Cypriorum fornacibus naſcentes 12.25
Biturix celebris nomine Duareni 78.45
Bleſis diuerſoria Gallorum 81.30
Bona arbor, bonus fructus 104.55
Bononia Belgica 86.23 Gallica 24
Bruchmani Indorum 43.51
Britannia temperatior Galliâ 26.18 eius cauſa ibid.
Britanni centum annorum 26.16
Brittanni zytho & vino ſaccharum miſcunt 26.24
Bruta non cruciari mortalitatis opinione 50.5
Bucera ſecla 89.30
Budæus 107.49
Burgundi 62.52

C

Cabala quærit gabalum 87.24
Cæſar 15.24
Cæſaris locus de ſtatura Gallorũ ante vineas 23.20 cur Germani vino non vſi ſunt 24.38 de Britannis 26.17 Caliſiũ 62.1 9.31
Caliſium Anglis dicatũ 62.34 Obſidione cingitur 62.49 recuperatur 62.12
Caliſium captum 86.2 88.40
Caliſium Helicon 66.12
Caliſii primordia 62.24 Incrementa 30 Munitio 15
Callimachi epigramma in Cleombrotum 53.12
Calor animantium ad quid 12.5 à ſoli originem habet 10.25 in animi poteſtate 52.22 vini à natura alienus 21.34
Calumnia in Turneb. mortuum 97.50
Calumnia iuris ſpecie 75.38
Canna funeſta 66.16
Capere pro recipere 87.49
Cardinalis Caſtilionæus 31.35
Cardinalis Lotharingius collegij Pariſienſium præſes 44.38
Carmen in Necromaſtigas Turnebi 104.10
Carmen in Turnebi Aduerſariorum libros 107.43
Carolus Cardinalis Lotharingius 72.40 49
Carolus exulat Germaniâ 86.4
Caroli Maximiliani R. Franc. regni auſpicia bellicoſa 54.18
Caroli V. Imp. columna 86.4
Carolus ſepultus 88.58
Carthaginenſium vltra Herculis columnas nauigatio 39.16
Caſtellana cura 76.33
Caſtrare vires vini 22.26
Catharrus peſtis hominum 102.55
Catarrhus 96.59
Catonis Vticenſis interitus 53.6
Catulum efferre moloſſum 78.10
Cauſa breuioris longiorisq; hominum ſtaturæ & vitæ 18.6 & ſeqq. Diſſidij 54.28 proceritatis Germanorum 18.55
Cauſarum συναίτιων tractatio in Timæo 48.55
Cauſarum conſideratio apud Ariſtotelem 48.58
Celeno 89.39
Chœrilus 87.54
Chorales felices 74.14
Choraſmij populi 25.13
CHRISTVS & Apoſtoli Iudices in religione controuerſa 54.51
CHRISTVS ſapientia vocatur 42.37
CHRISTVS Sanator 54.42
Chryſoſtomus 72.41
Cibus ſiccus 20.55 humidus 20.53
Cicero de cauſis adiuuantibus 48.56 de cognitione rerum cœleſtiũ 43.7 eloquentiæ princeps 48.33 eloquentiam Thucydidis commendat 36.34 imitatus eſt Platonem 48.32 in Acad. ad Varr. arguit Ariſtotelem. 52.27. in Tuſcul. explicat Ariſtotelem 52.30 Philoſophus 45.10 Timæum Platonis Latinè interpretatus eſt 48.46
Ciceronis commendatio philoſophiæ 42.55 elogium de Hiſtoria 32 32. Hortenſius 41.30 Iudicium de Platone 48.30 32 34 Locus de America 39.36 de difficultate geographic. 40.10 Sententia de vnica Methodo 3.7. de nomine Dialectices 7.14.
Circulus Signifer 40.1
Claromontana talenta 76.52
Claudianus 16.39
Cleanteæ vigiliæ 99.51
Cleombrotus Ambraciota in mare ſe præcipitat 53.10
Cleon Attici ſuggeſti poſſeſſor 36.24
Cleopatra 62.57
Cleracius 94.38
Cœlum quo ſenſu dicatur tenerum 12.51 ex aqua & aëre compoſitum 12.59 non ſimplex 13.37
Quintum Elementum 13.29
Coetus tot Iudiciales vnde 76.29 33
Cognitio

Cognitio rerum cœleſtium quid præſtet 43.5
Cognitio terræ facilis 37.57 lectione etiam percipitur 58.
Columnæ Caroli V. Imp. 86.4
Comici dictum de alimentorum abuſu 27.9
Communio vitæ à Natura eſt 46.26
Comœdia nebula dicta 41.18
Comparatio Aulici magnis rebus intenti cum Aquila 74.53 interitus hominum cum herbarum 101.36 Michaelis Hoſpitalis cum Ariſtotele 83.13 15 &c. Morionis cum pica 89.13 peripateticæ ſectæ cum Sole 44.6 philoſophiæ cum fortunæ bonis 42.19 cum virtute 24 ſubditorum cum aulicis 89.27 30 Timæi & Parmenidis dialog. Platon. 48.49 Turnebi cum Hercule 107.43
Confeſſio fidei Adrian. Turnebi 92.1. 13.21
Conſociatio hominũ Rerumpub. exordium 46.24
Conſultatio de expugnando Caliſio 62.31
Contra Necromaſtigas Turnebi 104.10
Contraria ex contrarijs gigni 52.58
Corporum decreſcentium ratio 19.59
Corpus caloris in animi poteſtate 52.22
Coruinus Pannonius 82.47
Coſmographiæ ſtudium quantũ præſtet peregrinationibus præpoſteris 38.10
Coturnix veratro vtitur in cibo 15.57
Crantor Stoicorum irriſor 98.53
Cratylus Præceptor Platonis 47.42
Creditorum turba moleſta 73.48
Creon 30.32
Cteſias Gnidius de rebus Indicis falſa refert 33.8
Cteſias Gnidius Artaxerxis medicus 35.40
Cubi geminatio 47.28
Cupreſſi granula 20.12
Cupreſſus conifera 85.3
Cyaneæ inſulæ 87.6
Cyclopes 23.55 eorum victus 56 38.54
Cypriani opus euulgatum 54.54
Cyriaci vicus 81.9

D

Dahæ populi 25.14
Damna ex fabularum lectione prouenientia 33.37
Daunia regna 85.38
Debitorum Calendæ 73.23
De Calore Libellus 10
Decij pro patria ſe deuouentes 34.18.
Decrementi cauſa non eſt exuſtio 20 25
Dedicatio Aduerſariorum Turnebi 77.34
Deditio Caliſij 64.48
Definitio non primum in Methodica inueſtigatione 6.38
Definitio Animæ 5.59 Iuriſprudentiæ 42.9 Philoſophiæ 41.39
Definitionum & diuiſionum in Artibus effecta 5.21 25
De Methodo 1
Demoſthenes capitur 36.26 deſcripſit libros Thucydidis 36.32
Dens Theoninus 70.35 Lycambeus 20
Deos Franco fauere 85.10
De P. Ronſardo clariſſimo Poëta 83.27
Deſcriptio cauſidici 75.27 elegans iudicij corrupti 75.16 & ſequent. Hyemis 63.5 54 Monachorum 87.3 Paraſiti 84.2 ſedis beatæ 79.2
De Vino Libellus 17
Dialectica vndè nomen 7.3 vtilitas & neceſſitas 9.5 8
Diana Peraſia 15.23
Dictum ſcitum comicis 34.29
Diodorus 24.26
Diomedis vires 23.34
Dionyſius Afer Alexandrinus coſmographus 37.23 non peregrinatus 38.15 de ſitu terræ omnia exactè narrat 16. quis fuerit 40.19 eius pater 19 Homero præualet 34.45 quando floruerit 40.20 quid ſcripſerit 22.23 quem ſit imitatus 25 mauult malus Poëta quàm falſus author eſſe 37.34
Dionyſius editus à Morellio 55.1
Dionyſius Lambinus 106 53
Dircæus Thebanæ conditor 78.56
Diſciplinæ omnes in Philoſophiæ ære 41.51
Diſcipuli qui Præceptores doctrinâ ſuperârint 99.55
Diſſidij cauſa 54.28
Diſtichon numerale de obitu Turnebi 95.32
Docendi officiũ operoſius nunc quàm Platonis ætate 46.45
Docendi ratio quæ præſtantiſſima 46.36
Docendo homines nobis obſtringimus 46.33
Docti ſoli carent fortunis 71.15
Doctoris munus 46.42
Domitiani edictum de exterminandis vitibus 23.1
Dracones Indici 19.9
Druydæ Gallorum 43.52
Dryas Muſa 89.38
Duæ viæ Platonis 2.48
Duareni memoria 78.47
Dulce in Salſe mari 21.10

E

Ebrium iudicium 75.50
Eccleſiæ ritus corrupti 54.42
Eccleſiæ veteris Imago 54.56
Egeſtas Adriani Turnebi 70.60 53
Egeſtas ſubditorum 89.27
Εἰς Νίκανδρον καὶ Γορραῖον 83.7
Elegia in obitum Adriani Turnebi 92.50
Elegia Ioan. Paſſeratij in obitum Turnebi 106.50
Elementa bis quaterna 13.9
Elementa naturæ principes 48.19
Elpenor 69.53
Empedoclis ſententia de incolumitate in contraria ſede 19.45
Epicædion in obitum Adriani Turnebi 103.20
Epicureorum ars ludicra 20.47 ratio de cœli volutatione 12.1 refutatio 20.39
Epicurei ſentiunt mundum confici ſenectute 20.27
Epicurei in Philoſophia balbutientes 52.2
Epicurus eccleſia exterminandus 54.48 elegantiæ contemptor 45.28 in rerum natura balbutiens 43.32 plumbeus 98.34
Epicuri dictum de malis hominum 98.39 laus apud Lucretiũ 43.37 42
Epinicion de Caliſio capto 85.50
Epiſcopi tres proditores 88.30
Epiſtola Adriani Turnebi ad Carolum Maximilianum Francorum R. 53.20 ad Franciſcum Oliuarium 70.44 ad Michaëlem Hoſpitalem 71.40 74.40. 77.34
Epiſtola ad Sotericum 76.45
Epiſtola de obitu Adri. Turnebi 90.20
Epiſtola de ratione captanda vtilitatis è literis 68.20
Epitaphia Turnebo poſita 91.40 92.32
Epitaphium in obitum Turnebi Gallicè ſcriptum 95.10
Epitaphium trilingue 91.48
Epithalamiũ Franciſci Valeſij 66.26.
Epithymum atram bilem purgat 16.14
Erricus Rex Galliæ 55.11 61.45 68.12 85.35 57 86.21 34. 87.41
Erricus Rex Galliæ ludis ſolennibus ictus obijt 82.4
Errici Regis fiducia in expugnando Caliſio 62.42 virtus 61. col.2
Obitus 82.50

Eratoſthenes Coſmographiam ſcripſit 39. 5 diſſentit cum Serapione 30.10 reprehenditur ab Hipparcho 40. 11 eius Geographia 25.
Eudoxus à Platone taxatus 47. 37
Eudoxus coſmographus 39. 5
Eudoxus aſtrologiam inſtaurat 47. 52
Euripus 62. 21
Europæ deſcriptio ab Hecateo Mileſio 39. 2
Exactorum importunitas 73. 50
Execratio catarrhi. 103. 15
Expeditio Errici Regis in Germaniã 86. 34
Explicandi authores genus gladiatorium 45. 47
Explicandi genus in Ariſtot. 45. 45
Extrema verba Adr. Turnebi 92. 1
Exultatio facit verſum 66. 20

F

FAma 65. 15
Faſeolus 82. 15
Faſtus aulicus 89. 30
Fauor Megiſtanum 74. 54
Felicitas philoſophica 42. 4
Felſina 82. 17
Ferrum candens, cur vehementius vrat 14. 28 quomodo fragile efficiatur 15. 34
Feruor ætherius caloris initium 14. 10 non vrit 14. 11.
Fibula caſta 77. 32.
Fibula ſuppoſita parturienti 77. 21
Finis in iure ciuili 3. 12 peregrinationum 38. 36
Flaccus 20. 51
Flacci verſus de quincunce 47. 34
Flandri 62. 5
Fons Hyateus 87. 11
Fons iuuentutis 18. 45
Fons Tantali 43. 57
Formicæ Luporum magnitudine 19. 10
Formoſiores homines in Aſia quàm Europa 19. 38
Franci Galliam occupant 27. 37
Franci Septipedes 24. 7
Franci triumphans ob captum Caliſium 65. 50
Franciſci Duareni obitum deplorat Turnebus 78. 20.
Franciſcus Oliuarius Franciæ Cancellarius 70. 45
Franciſcus I. Valeſius R. Galliæ 81. 43. Literarum parens & promotor 30. 5 virtutum patronus 30. 1 eius conuiuia Philoſophica 29. 53 eloquentia 29. 60 genus 67. 34 inſignia 67. 43 Laus 29. 27. liberalitas in promouendis ſtudijs 30. 13 merita in literatos 29. 37 Obitus 29. 26 ſtudium Philoſophiæ. 29. 50
Frigus vndè exeat 10. 33
Furum magnorum & exiguorũ comparatio 87. 42

G

GAill. Roſſanus 95. 32
Galba mutilus 72. 11
Galeni iudicium de Timæo Platonis 48. 47 ſententia de triplici Methodo 3. 20 Methodus in Anatomica arte 7. 48
Galerus Puniceus 68. 42
Galla Minerua 68. 56
Gallandius 87. 18
Gallandus 79. 31
Gallia deplorans obitũ Franciſci Turnebi 105. 34 inteſtino bello flagrat 54. 13 16 18 20 Narbonenſis 22. 55 olim vitis ignara 22. 53 perturbata tempore Errici regis 61. 49 quando vites habere cœperit. 22. 55 vitifera 23. 16
Gallicus Solon 87. 57
Galli gallinacei calor in ventriculo 15. 45.
Galli vnanimes 54. 19
Gallorum ſtatura ante vineas 23. 17 Locus ex Cæſare 20 quæ ſtatura noſtro tempore 23. 28 victoria in Idumæa 86. 11
Gentes quæ habuerunt Philoſophos 43. 49
Genus quid 3. 14
Genus quodnam explicandi Ariſtotelem eligendum 45. 45
Geometria Platonis 47. 36
Georgij Bonæ Tranſiluani obitus 82. 1
Georgius Trapezuntius 49. 9
Germania 86. 31
Germani corporibus excellentes 18. 15 eorum victus 18. 52 ſeminudi 37. 17 ſeruitutis inſolentes 86. 32
Germanorum veterum de non importando vino lex 24. 38 militum delineatio 65. 40
Germ. Roſſanus 95. 1
Geryon 81. 21
Geſſoriacum 62. 19
Gigantes in inſulis nouè repertis 21. 20
Gorreus medicus 83. 18 60
Gothorum corpora prægrandia 24. 6
Græca lingua eruditionis parens 28. 23 Impugnata 72. 20
Græcæ linguæ propagatio 28. 28
Græcia magna 43. 54 mendax 33. 18
Græci intemperantes 19. 4. Medici quid præſtiterint 19. 12
Græcorum Libri prohibiti 72. 33
Græus 65. 54.
Gracchus viarum munitor 2. 22
Grammaticus Dionyſius Platonis præceptor 47. 13
Gregorius 72. 40
Grex Epicuri 103. 2
Grunius 70. 35
Grunij epiſtola refutata 69. 41
G. Valens Aurelius 106. 45
Guillelmus Groſſius 99. 56
Gulielmus Morellius Dionyſium edit 55. 1 Cyrilli catecheſes 55. 2. Cypriani opera colligit 55. 2. Obijt 55. 4 Eius vxor & liberi relicti 55. 4. quomodo æs alienum inciderit 55. 7 Stipendiũ non ſolitum 55. 10 ſtudium in euulgandis authoribus 54. 59
Guillelmus Quercetanus. 99. 57
Gyaurus Inſula 37. 50
Gymnoſophiſtæ Æthiopum 43. 51

H

HÆredes egregij 75. 26
Hæredes ſit Emptor 75. 36
Hanna virago Lotharena 88. 55
Hannonis ora 95. 46
Harlæus 93. 27
Hecateus Mileſius 39. 2
Hector vinum recuſabat 27. 22
Heinricus R. Galliæ Petro Caſtellano Academiam commendat 30. 60 Regni propugnationem ſuſcipit 31. 11 Literas amplectitur fouetq́; 15
Hemiſphæria terræ 39. 42
Heraclitus 48. 54
Heracliti ſchola 47. 42
Herbarum cum hominum interitu comparatio 101. 36
Hercules pacator mundi 43. 43
Herculem ne quiſquam culpat 32. 21
Herculis Columnæ 39. 16 86. 11
Hermes trunco ſimilis 77. 56
Hermogenes præceptor Platonis 47. 43
Herodotus 18. 40 24. 56 pater hiſtoriæ 33. 12 innumerabiles fabulas ſcripſit 33. 13 oblectare maluit quàm docere 33. 13 à Corinthijs non ſatis honoratus, vices rependit 36. 20
Herodoti locus emendatus 27. 33 deſcriptiones regionum 39. 3
Heroes denûm cubitûm altitudinis 19. 52
Heronis ſententia de laxitate aëris 14. 1
Heſiodus 19. 58 89. 58
Heſperia duplex 95. 59
Heſperia magna 85. 45
Hiarchas in æreo ſolio 43. 56
Hieronymus 72. 41 43
Hipparchus coſmographus 39. 5
Hippocrates Methodi Medicæ inuentor 5. 20 eius ſententia de augmento corporis 19. 36
Hippocratis locus de locis humidis 25. 5 locus de Aſiaticis illuſtratus 25. 7 10 Hippocr. 48. 48 54
Hippolitus rediuiuus 33. 59




Hirami & Solomonis naues quò nauigârint 39. 24
Hirpi per prunas ardentes nudi incedebant 15. 16
Hiſpania nouum orbem aperuit 39. 23 vltima 38. 7
Hiſpanus 85. 20
Hiſtoriæ Elogium apud Ciceronem 32. 32
Hiſtoria certior dux vitæ quàm Philoſophia 34. 34 conſulit veritati 32. 50 differt à fabula 32. 49 eſt veri profeſſio 32. 53 flagitat oculum arbitrum 35. 36 futurorũ præcognitionem præſtat 35. 12 16 immortalitati conſecrata 34. 4 Lux veritatis 32. 46 vitæ memoria 33. 56
Hiſtoriarum ſcriptor qualis eſſe debeat 35. 27 38
Hiſtorici quidam mendaces 33. 5
Hiſtorici officium 32 51
Hiſtoricus Ludibrius 87. 41 Rudis 47
Holerius Pariſienſis Academiæ profeſſ. medicus 44. 50 52 53
Homerus 19. 58 23. 33 à Platone vrbe pulſus 37. 44 eius de vini nocumento locus 27. 22 iuuentutis corruptor 37. 43 primus terram deſcripſiſſe videtur 38. 60
Homo inuerſa arbor 18. 39 temperatiſſimum animal 19. 41
Homines longæui 21. 18 libidinoſi quales 51. 23
Horatius 22. 29 26. 55 30. 44 34. 5 14 22 de philoſophiæ ſtudio 43. 20
Horti Epicurei 77. 5
Hoſpitalis Galliæ Cancellarius 44. 36
Hoſpitialis Poema 84. 28
Hubertus Languetus 95. 42
Humor triplex in ligno 4. 8
Hydaſpes fluuius Indiæ 33. 48
Hyemis deſcriptio 62. 6
Hyems magni anni 20. 2
Hylli Herculis filij Oſſa immania 19. 55

I

IAcobus Syluius medicus 91. 33
Iacobus Tuſanus 99. 56
Iberus 85. 25
Icarus ob vini propinationem occiſus 26. 58
Idea Platonica 48. 22
[redacted]
Igni attributa duo momenta 11. 58
Ignis ætherius ſe demittit 11. 55. arundinum calidior quàm lignorũ 15. 9 Cœleſtis 13. 14 25 de paleis effectus 15. 10 domeſticus differt ab elementali 11. 50 14. 19 59 effectus diſſimiles 15. 4 12. 17 14 miniſtratorius eſſentia per ſe 14. 58 natura ex materiæ conditione varia 15. 39 non eſt in ſubiecto 15. 4
Ignium omnium origo eadem 14. 43
Ignoratio quorundam nauigantium in Indias 38. 18
I. Gorreus Medicus 83. 60 18
Ilithya Iuno 81. 38
Immortalitas animæ omni genti nota 49. 58
Impietatis deſcriptio 53. 56
Impudentia inuerecunda 54. 32
Inanitatis exemplum in pila vitrea 14. 6
In calumniatorem Turnebi 98. 1
Incola proſeuchæ 71. 4
Incommoda ex nimio vini hauſtu 21. 50 & ſeqq. 22. 1 & ſeqq.
Incontinentes 51. 29
Incrementi & decrementi corporum vera cauſa 20. 49
In Deo nihil maius ſapientiâ 42. 34
Indici proceri & longæui 25. 42. pumiliones & breuis vitæ 43
In furem à patibulo Liberatũ 87. 23
Iniuria opprimit ius 76. 31
In quendam Medicum 84 33
Inſuber 86. 46
Intelligitiæ munus propriũ 51. 1 non habet proprium inſtrumentum in corpore 51. 2
Interceſſio defunctorum 80. 14
Interceſſio Turnebi pro miſera plebe 75. 52
Interpretando authores quid quærendum 45. 58
Interpretũ Ariſtotelis de aſpectu ſententia 50. 59
Inuentaria noxia 75. 29
Inuicta veritas 97. 50
Inuidia maximum tormentũ 45. 16
Inuidiæ merces 45. 17
In Zoilum maledicentem defuncto Turnebo 94
Ioachimi Andini poëtæ clariſſ. tumulus 79. 1
Ioanna virgo bello præficitur 62. 58
Ioann. Auratus 105. 7
Ioannis Prænotij præſidis ætatis annus 80. 60 amici 81. 48 coniunx 81. 36 eximia laus 80. 45. liberi 81. 6. 10. 39 patria 81. 30 patroni 81. 43 ſenecta tranquilla 80. 34 ſepultura 81. 11. 19 Tumulus 80. 30 valetudo bona 80. 1 virtutes. 81. 50 vita fortunata 80. 59.
Ioannes Salignacus 44. 24
Iouis ſydus 87. 52
I. Pelerinus 84. 30
Irrita connubia ſine prole 67. 21
Irus pannuceus 74. 5
Iſabellæ Reginæ Angliæ infidelitas. 62 32
Italica ſecta 47. 45
Iudæa regio 39. 25
Iudæorum felix Reſpublica quando 42. 52
Iudices inepti 75. 10 19 21
Iudicij fex 75. 32
Iudicium corruptum 75. 42
Iugulatores mortuorum 99. 36
Iulianus Parabates Imp. in Miſopogone 23. 11
Iulius 88. 5
Iunius Gratianus 69. 35
Iupiter Virgilianus 38. 13
Iurata paupertas 73. 52
Iuriſconſulti definitionem philoſophiæ furati ſunt 42. 8
Iuriſprudentiæ definitio apud Vlpianum 42. 9
Ius nimium dici. 75. 3
Iuſtinianus Imp. templum Sophiæ ædificauit 42. 39
Iuuenalis locus de ætatum decretione 23. 45
Iuuentus in vitiferis regionibus citius barbata 26. 9

K

KΕγχεσμίδες 20. 18

L

LAbor impedit incrementũ 25. 22
Lac alimentum naturale 21. 11
Lacedemonij peregrinos expulerunt 38. 28
Lambinus Monſtrol. 44. 30 105. 32
Laomedontea Troia 73. 55
Lapis auritus 78. 57
Larix non concipit ignem 15. 24 de eo experimentum eod.
Lauerna furax 87. 31
Laus Adr. Turnebi 102. 60 103. 41 60 47
Leodegarius à Quercu 44. 31 98. 33 103. 16 24 impugnatur 83. 44
Leodegarij cum Turnebo ſumma neceſſitudo 98. 46. 99. 7 10 &c.
Leoquernus 68. 22
Lex militaris Rom. vinum prohibebat 24. 30
Lex Papia 38. 28
Libelli de religione 72. 4
Libitina dea funerũ 93. 41 03. 49 54 36
Libitinam vitare 34. 11
Ligeris 65. 44 81. 32
Ligna alumine oblita, viſcata & ouo perfuſa non comburi 15. 14 15
Lingua libera rabulæ 75. 55
Liuia Auguſta LXXXII annorũ 26. 27
Liuij locus de Gallorũ ſtatura 23. 25 dictum de Lectione hiſtoriarum 34. 24
Loculus vacuus 74. 6
Λόγῳ χρῆσθαι quid ſit apud Platonem 7. 17
Longobardorũ valida corpora 24. 6
Lotharena virtus 88. 44 Virago 88. 55

*Lucas Fruterius* 93.25.
*Lucas Medicus* 72.15
*Lucianus* 35.43
*Lucretius* 13.24 16.21 30
*Lucretij locus de Mundi debilitate ob ſenium* 20.29 *de epicuro* 43.31 *verſ.* 48.2
*Ludis quinquenn: qui coronati fuerint* 31.27
*Ludouicus Rex Galliæ pater patriæ* 81.42
*Luna terreni quid habet* 13.3 *ætheria dicta* 13.10 *Hecates habitaculum* 13.11 *humida potiſſimum reſpicit* 16.26
*Lutetia* 87.31 *virtutũ officina* 99.5
*Lycurgus vites ſuccidit* 24.43

*M*

*MAchaon* 83.26
*Magi Perſarum* 43.51
*Magnes ferrum trahit* 16.20 *rapitur verſus axem* 16.24
*Mahometh ſuis interdixit vinum* 24.18
*Mahumetes* 72.29
*Mala lecta aliter afficiunt quàm viſa* 38.47
*Mali origo ab aula* 76.21
*Mammæ ſororiantes* 25.53
*Mandragora* 84.44
*Maria Bracheta, Ioan. Prævotij coniunx* 81.36
*Mariæ Stuartæ venuſtas* 67.33 *virtutes* 67.60
*Maximus Coſmographus* 39.7
*Maro* 86.2
*Maſſilia græcè loquebatur* 28.30
*Maſſilienſes mulieres temeto carebant* 24.37
*Maſuri tituli* 90.6
*Mathematicas diſciplinas Græci venerabantur* 47.17
*Mathematum ſtudia quid profuerint Platoni* 47.29
*Medicinæ munera* 18.1
*Mediomatricum* 88.58
*Mediomatricum obſeſſum* 62.36
*Mella ſapora & ſopora* 84.34
*Melon* 70.50
*Meliti* 71.53
*Memorantius* 65.39
*Menæchmus à Platone correptus in Geometricis* 47.38
*Menſa Lapideæ* 102.35
*Mens liberè mouetur* 51.24
*Mens veritatis index* 48.21
*Mercenarius dignus mercede* 73.40
*Mercurius* 87.31
*Mercurij ſidus aqua ætheria* 13.12
Μεταδιώκειν 2.1
*Metamorphoſis Ouidij* 33.32
Μεταπορεύεσθαι 2.1
*Metellus Macedonicus* 81.1
*Metellus mercatores vinarios expellit* 24.32
Μετεωρολέσχαι 43.11
Μετεωροφροντισταὶ ibid.
*Methodus quid* 1.46 *Curandi corpus* 4.42 *cur dicta ſit via* 1.59 *In deſcriptione animalium* 7.26 *In doctrina de moribus* 5.30 *Inueſtigandi quinq; ſenſus exteriores* 5.5 *Naturæ* 3.34 *quomodo à Galeno accipiatur* 1.50
*Methodi præſtantia* 1. *vſus* 2.5 *comparatio cum via* 2.20
Μεθοδεύειν 2.1
Μετιέναι *quid* 1. *lin vlt.*
*Metonis anni* 73.26
*Michaël Hoſpitalis ſupremus Regiarum rationum Præſes* 71.40 70.3 *Pacator Galliæ* 77.45
*Michaëlis Hoſpitalis vultum Ariſtotelis referens* 83.6
*Mileſia nomina.* 89.1
*Mileſiorum Lex vinaria* 24.38
*Minaces Libelli in Domitianũ* 23.3
*Miniatus Iupiter* 22.2
*Minos* 30.32 *Iouis arcanis admiſſus* 41.53 *auctor Legum* 87.47
*Mithridatis corpus medicatum* 16.5
*Moderni hiſtoriarum corruptores & fabulatores* 33.30
*Modus in vino bibendo difficilis* 22.
*Mœchus liberatus* 88.10 (12
*Monetam eiurare* 71.16
Μονήρης βίος 86.38
*Monogrammi ægri* 71.6
Μονῳδίαι εἰς Ἀδρ. Τουρνῆβον 106.10
*Monſtra marina vndè* 13.20
*Moſopij* 73.26
*Morbi detrahunt magnitudini corporis* 25.18
*Moribundi catuli ad ignem reſtituuntur* 12.20
*Moriola quid* 22.41
*Mors quibus inopina* 80.42 50
*Mortalis natura finita* 51.17
*Mortis commentatio amor ſapientiæ* 80.40
*Moſella* 88.59
*Moſes peregrinos mores prohibuit* 38.39
*Mos optimus* 54.41
*Mulieres Romanæ abſtemiæ* 22.37
*Mulieris ſepuagenariæ acies viſus* 22.8
*Mundanũ eſſe quid ſit iuxta Socratem* 37.53
*Mundus intelligens Platonis* 48.17
*Mundus quomodo à DEO factus iuxta Platonem* 48.18
*Mundi nomen apud Græcos* 2.17
*Munimentum Mediomatrici.* 88.1
*Munitio Larigna* 15.24
*Murrhina Plauti.* 22.40
*Muſæum Ægyptium* 30.10

*N*

*NÆnia in obitũ Turnebi* 105.30
*Nancioci montes* 88.52
*Natura qua methodo vtatur in rebus procreandis* 3.34 *docilis prani* 76.36 *gaudet dulcibus* 21.1
*Naturæ nota* 8.2
*Nauigantes hodie in Orientem corrumpuntur* 38.41
*Neapolis* 85.44
*Nebula Ariſtophanis* 41.18
*Necromaſtiga Turnebi* 99.36 104.17
*Neruiorum à vino abſtinentia* 24.40
*Neſtor* 30.32
*Niciæ fœda deditio.* 36.27
*Niger Imperator exercitus Romani* 24.29
*Nilus* 62.23
*Niſeus Equus* 35.42
*Noah vini inuentor* 22.15
*Nobiles cur plerunq; proceriores* 25.26
*Nobis nota* 8.1
*Noſtro vitio vita breuior eſt* 25.34
*Nota nobis & nota Naturâ differunt* 7.54.
*Notatio temporis quantum proſit* 32.41
*Nouus orbis priſcis incognitus* 39.19 *non omninò antiquitati incognita* 13
*Numa* 87.50
*Nurus ſtudioſæ* 69.5

O

*OBærati domi foriſque non tuti* 73.58 11
*Obitus Adri. Turnebi* 92.10
*Obitus Franciſci reguli* 81.40
*Oceanus* 39.55 57 60
*Oleum & operam perdunt Ludimagiſtri* 74.26
*Olympiaca gymnas* 64.29
*Omnia Iudicum plena* 75.9
*Ophir aurum* 39.27
*Opiniones naturales* 49.54
*Oportet ſibi* 87.50
*Oppugnatio Caliſij* 63.56 64.4
*Opus Aduerſariorum Adr. Turnebi* 100.9
*Opus Dionyſ. Alexan. quale & quid contineat* 40.5 26
*Oraculi reſponſum* 54.38
*Oratio de obitu Turnebi* 98.30
*Oratio funebris Adr. Turnebi in obitum I. Tuſani* 28.10.
*Oratio Turnebi de philoſophia* 41
*Orationis genus in Hiſtoria quale eſſe debeat* 35.51 & ſeq.
*Oreas Muſa* 89.37
*Oreſtis oſſa magna* [illegible]
*Orpheus diſcerptus* 104.14
*Orpheus Oeagrius* 78.53
*Otho Turnebus Adriani filius* 60.7. *eius carmen ad Achillem Harlaum* 8

P

*PAlamedes* 30.33 (26
*Palingeneſia Pythagoreorũ* 100.

*Pallantis*

INDEX.

*Pallantis Euandri filii cadauer* 23.54
*Pan* 85.2
*Panegyricus Adr. Turnebi de Caliſio capto* 61.28
*Paniſci caput in ſaxo diffiſſo* 13.46
*Pannonicus mors* 82.20
*Pannucea lana* 68.31
*Panthoides* 83.9
*Papicolarum fremitus in funere Turnebi* 97.19
*Paraſus biceps* 70.28
*Paraſiti auiditas* 84.3 *garrulitas* 6 *hypocriſis* 50 *iactatio* 60 *impudentia* 19 *ingurgitatio* 10 *iudicium* 10 *lingua* 14 *mores* 4 *Obtrectandi ſtudium* 32 *Os* 6 *ſtylus* 18
*Parcæ* 103.52 54
*Pariſienſis Academiæ celebritas* 30 25
*Parma* 86.29
*Parmenidis ſecta* 47.44
*Parmenſis* 65.14
*Parnaſſus bifidus* 103.4
*Partes quid* 3.15
*Parthenopæa lues* 88.17
*Parthica mendacia* 69.20
*Paſcaſius* 84.22
*Paſſer marinus* 15.31
*Paſſum quid* 22.42
*Paſtor veratri manipulos comedens* 15.16
*Pauci Hiſtorici ſinceri* 33.42
*Pauperies peſtis vitæ* 74.32
*Pedeſtris Oratio* 48.34
*Pelerinus* 84.30
*Pella ciuitas Macedoniæ* 83.15
*Peluſiacus Tyrannus* 85.42
*Penthea* 85.16
*Peregrinantes ferè degenerant in alios mores* 38.20
*Peregrinationum finis* 38.37
*Peregrinatores falſa nonnunquã narrantes* 37.32
*Pericles* 30.31
*Pericles Mopſopius* 79.10
Περιήγησις *Europæ & Aſiæ* 39.2
*Peripatetica ſecta locum ſola obtinet* 44.4 12 *eius effecta* 14 & ſeqq.
*Perſarũ mos in rege ſalutando* 60.17
*Peſtis graſſata Pariſijs* 100.57
*Petrus Caſtellanus Matiſconum Epiſcopus* 30.33 *eius ſumma eruditio* 35. *Franciſ. I. Reg. Gall. familiaris* 30.45 *præficitur Academiæ Pariſienſi* 30.50
*P. de Ronſard.* 105.10 107.60 *eximius Poëta* 83.32 52
*Petrus Gallandius fautor Turnebi* 31.43 *profeſſor Pariſiis* l. 48 p.45.4
*Petrus Ramus taxatur* 83.55 *eius laus in Methodi explicatione* 1.31
*Phaſiani* 25.6
*Philaretes Calanus de morte Turnebi* 90.30
Φίλαυλοι *præſides conuentuum* 54.25
*Philippus R. Hiſpan.* 85.28
*Philolaus in Italia* 47.46
*Philoponus* 46.1
*Philoſophia dux vitæ morumq; magiſtra* 34.33 *cultura animi* 42.17 *cuncta complectitur* 41.43 *Deorum conſiliaria & interpres* 41.46 *Diſciplinarum finis* 43.13 *diſciplinarum regina* ibid.
*Philoſophiæ definitio* 41.39 *effecta* 41 45 55 *adiuncta* 41.60
*Philoſophandi ratio triplex* 48.10
*Philoſophorum mens* 51.33
*Philoſophus quomodo laudãdus* 47.8
*Philoſophi Ægyptiorum, Æthiopũ* 43.51 *Gallorum, Græcorum* 52. *Indorum, Perſarum* 51
*Philoſtratus* 19.53
*Phineas* 89.37 54
*Phœbea numina* 87.15
*Phœnice regio* 39.25
*Phrygia* ἀμπελόεσσα 23.60
*Phyſiologiæ in Timæo Platonis tractatio* 48.51
*Picardi* 62.5
*Pietas germana à ſolo Deo* 53.43
*Piſces nutriuntur alimento dulci* 21.9
*Plaga æſtuoſa* 12.12
*Plato* 18.39 24.35 *Ægyptũ & Italiam luſtrat* 43.53. 45 53 *Aſtrologiam renouat* 47.52 *audit Socratem* 47.54 *brutorũ animos immortales ſtatuit* 52.60 *Corpora geometricis confert* 47.40 *animum numeris* 47.40 *Dionyſ. Alex. approbaſſet* 37.42. *Homerum prohibuiſſet.* 43. *diuiniſſimus philoſophus* 47.2 *doctiſſimus geometra* 47.25 *eloquendi & intelligendi Magiſter* 2.46 *formas mirificè complectitur* 52.55 *In oratione Ariſtophanis.* 41.22 *Inuentionem Dialogorum expoliuit* 48.41 *moralem philoſophiam audit* 47.55 *Omnium ſectarum eruditione tinctus* 47.60 *Peregrinatur in Ægyptum* 47.49 *præcepta artium non ſcripſit* 48.7 *præſtantiſſimus explicator* 48.13 *pueris ante duodeuceſimum annũ vino interdixit* 27.47 *quã philoſophiã in naturalibus vſus ſit* 47.46 *quatenus peregrinationes prohibuerit* 38.24 *quibus demonſtrationibus vtatur in Timæo* 48.27 *ſolertior Ariſtotele* 48.58 *verſatus cum Archyta* 47.46
*Platonis Apologia pro Socrate* 102.7 *aſſenſus de cognitione regionũ* 37.50 *cognitio Mathematices* 47.19 *commendatio philoſophiæ* 42.54 *congreſſus cũ Dionyſio* 30.46 *Dialogus Cratylus dictus* 47.43 *Dictum de felicitate ciuitatũ* 42.52 *Eloquentia* 48.50 *lingua Ioue digna* 48.31 *Gratitudo in præceptorem* 47.16 *inſtitutio* 47.12 *Locutio tanquam poema* 48.36 *nauigatio in Italiam* 47.44 *Opinio de animo* 52.25 *de cœli compoſitione* 12.59 *Profectio in Affricam.* 47.42. *Profectus in Grammaticis & Poëſi* 47.15 *rationes de immortalitate animi* 52.36 37 42 45 47 50 *Scholæ dialogis incluſæ* 48.37 *ſcientia de geminatione cubi* 47.28. *Sententia de Natura* 48.16 *de Mundo Archetypo* 48.17 *Sententia de diſſerendi ratione* 48.20 *triplex eius philoſophãdi ratio* 48.10
*Plautus* 22.14
*Plauti murrhina quid* 22.40 *mellina* 24.33
*Plinius* 15.15 22.26 *Coſmographus* 39.7 *locus de ſitu terræ* 39.56 58 *falſa quædam ſcripſit* 33.10
*Pocula medicata* 67.7
*Poëmata Turnebi* 60.
*Poëta non eſt qui non mentiatur* 33.1
*Poëtæ auriũ voluptati indulgent* 37.37 *carminis iucunditate ad vetita illiciunt* 37.41 *eximij in Gallicana lingua* 100.29 *veritatem adulterarunt fabulis* 32.57
*Poëtarum vota in magnis* 41.27
*Podalirius* 83.26
*Polydus* 30.32
*Polyphemus* 24.58
*Pomponij Melæ locus de America* 39.41
*Poſidonius coſmographus* 39.5
*Potatorum mores* 103.5
*Præceptores à* DEO *informati* 53.45
*Præceptores Platonis* 47.13 42 43 53
*Præfatio Adriani Turnebi in Dionyſium Alexandrinũ* 37 *in Phædonem Platonis* 49.20 *in Thucydidem* 32. *in Timæum Platonis* [illegible]
*Præſides conuentuũ ſua curarũ* 54.26
*Preces promercales* 54.46
*Priuatio Ariſtotelica afficta* 49.5
*Probatio Platonis memorabilis* 52.57
*Probus Imperator* [illegible]
*Procreatio è contrarijs* 52.58
*Profeſſio artium liberalium quid efficiat* 46.37
*Profeſſores Regij macri* 71.12
*Progymnaſmata philoſophiæ* 43.17
*Pro Leodgario à Quercu* 83.34
*Propempticon de obitu Turnebi* 95.40
*Propertius de philoſophia* 43.22
*Propomata* 22.29
*Proſopopœia in Turnebi Catarrhum* 102.50
*Prouentus Poëtarum* 66.10
*Prudentiæ vbi locus* 9.47

*Ptolomæi*

Ptolomæi reges 30. 10
Ptolomæus Coſmographus 39. 7
Puella araneis veſcitur 16. 1
Punica auiaria 86. 46
Pygmæi in Æthiopia 18. 16
Pythagoras Ægyptum proficiſcitur 43. 52
Pythagoræ decretū de migratione animorum 53. 1
Pythagorei ſilentiarij 45. 12 quot Elementa numerent 13. 9 in Italia 47. 44
Pythagoreus abacus 47. 37
Pythagoricorum bis quaterna Elementa 13. 9
Pythium oraculum 47. 20
Python 70. 31

Q

Quæſtus corrumpit religionē 54. 42 45 vbiq; regnat 76. 58
Querela de iudicijs corruptis 75. 40 & ſeqq.
Querela Galliæ de ſtatu perturbato Regni 105. 40
Quinta natura 52. 32
Quò quis melior, eò infortunatior 74. 10

R

Ramus taxatur 83. 55 eius laus 1. 31
Ranconetus 79. 30
Ratio gladiatoria in authorum expoſitione 45. 49
Rationes de animæ immortalitate 51. 38. 40 41 44 47 51 54
Ratio; tradendarum rerū methodus 1. 51
Rebi Getarum regulus 27. 40
Refutatio ſententiæ vino ali vires 27. 21
Regina Angliæ cibo abſtinet ob mœrorem 64. 3
Reginæ planctus ob captum Caliſium 64. 52
Regius Paraſitus 84. 1
Religionis cognitio quàm neceſſaria ſit homini 53. 30 negligentiam quid ſequatur 53. 56 59 reformandæ ratio 54. 43
Renatus Bomoreus 44. 24
Reſponſio ad conuitia mortuo Turnebo obiecta. 93. 47 & ſeqq. 94. 1 & ſeqq.
Rhabarbarum flauam bilem purgat 16. 14
Rhamnuſia virgo 89. 47
Rhenones veſtimenti genus 37. 17
Rhenus bicornis 86. 37
Rhetorum laudandi præcepta 47. 5
Rhodanus 65. 43 107. 17
Robertellus 82. 16
Romæ quando vinum in vſu 24. 1
Roma beata tempore Seueri Imper. 34. 47
Romani à cultu literarum olim alieniores 32. 16 ante 35 annū nemini concedebant vinum 24. 34 peregrinos expulerunt 38. 28
Romanorum Impp. liberalitas in Acad. Athenienſ. 30. 14
Rex Iberi 89. 3
Rex Teuto 86. 18

S

Sabina bacca 68. 59
Sacæ populi 25. 14
Sacerdotes Ægyptiorum 43. 51
Sacerdotes auari 94. 40
Sacra quinquennia 64. 30
Saduceorum ſecta 49. 45
Sagum genus veſti 37. 17
Saguntum 70. 49
Saliaris mos 54. 50
Salluſtius de peregrinantibus 38. 5
Salluſtij modeſtia in laudando ſtudio hiſtorico 32. 2
Sambucus 82. 19
Samia teſta 87. 14
Sapa quid 22. 43
Sapiens vitam auro præferens 75. 21
Sapientia auro præfertur 42. 41
Sapientia Solomonis 42. 47
Sapientiæ prouincia 43. 1 Templum 42. 38
Sapor dulcis nutrit 21. 1
Sapores medicati 20. 56
Sapor in melle non ſopor 84. 40
Saturnus vitis repertor 23. 53
Saxones 86. 26
Scaligeri obitus 79. 16
Scaphia triquetra Veſtalium 14. 41
Schola Pariſienſis ad Curiam Pariſienſem 77. 17
Scholaſtici egent 73. 46
Scipio 34. 50
Scopelianus Sophiſta 23. 6
Scotia 86. 25
Scriptores Græcorum pleriq; mendaces 33. 18
Scyllææ aquæ 87. 7
Scythæ populi 25. 15 olim Androphagi 38. 51 peregrinitatem auerſati 38. 42
Scytharum natio Aſiaticum Imperium euertit 27. 30
Scytha vagus & profugus 37. 16
Scythia ſolitudo 45. 36
Sebum cur in animantibus 7. 39
Semiglobi terræ 39. 45 46
Semiuir illuditur 87. 1
Senator Ægyptius mancus 60. 32
Senſus docendi primordium ducit 8. 44 quomodo obiectum percipiat 8. 14
Septentrionalium potus 22. 46
Sepulchretulum Scholaſticorum 102. 33
Sequana 65. 43 107. 18 83. 41
Sequani quādo vites habuerint. 23. 1
Ser 84. 25
Seres populi 26. 33 effœminati 37. 17
Sermo cur homini datus 46. 34
Sermo philoſophorum proprius quis 48. 38
Serpentum effigies in conchis 13. 44
Serta ciuica 89. 21
Sibyllæ fata 28. 58
Sicanæ gerræ 77. 48
Siccitas loci ſtaturæ officit 25. 3
Siccorum aſſiduo vſu corpora decreſcunt 24. 55
Siculi fratres 86. 25
Siculi Tyranni 45. 16
Siderum fulgor ſalutaris 20. 19
Silij locus 24. 12
Siluanus 85. 13
Simiæ cur non creſcant, veterum opinio 27. 27
Similia ſimilibus cognoſcuntur 50. 52
Simonidis cum Hierone & Pauſania congreſſus 30. 47
Simplicius 45. 61
Sine ſede, lare, patriā eſſe 36. 30
Socrates Platonis præceptor 37. 53 47. 53 caput philoſophicæ familiæ 44. 3 Mundanus 37. 53 primum de vita cœpit philoſophari 48. 16
Socratis dictum 32. 29 philoſophia 48. 16 Perſona in nebulis Ariſtophanis 41. 19
Sol eſt naturæ igneæ 11. 13 cur remotior à terra 12. 13
Solis curſus 40. 1 menſa 43. 60
Sollicitudo incrementū prohibet 25. 22
Solomon R. ſapientiam auro prætulit 72. 40
Solomoni aurum vnde adportatum 39. 29
Solomonis & Hirami naues quam terram petierint 39. 27
Solomonis ſcientia de rebus naturalibus 42. 44
Solon 81. 24 87. 48
Solonis ſententia de beatitudine 6. 41
Specula incendiaria 14. 41
Staturam hominis promouentia 21. 26 remorantia 28
Stellarum nulla frigida 10. 27
Stella ſtellæ frigidior cur dicatur 10. 30
Stephanus Manialdus 95. 5
Stoica paradoxa 76. 56
Stoici ſolem vaporibus ſuſtentari ſentiunt 14. 13
Stoicorum indolentia 98. 54. opinio de Oceano 39. 60. Solem paſci humore 30. 2 præclarè dictū 46. 18
Strabo Coſmographus 39. 7
Strena Errico Regi à Iano oblata 65. 58

Strozius



Strozius 64. 5 19
Struthiocamelus ferrum coquit 15. 31
Studia iuuentutis quomodo retardentur à profeſſoribus 45. 53
Sturnus cicutam coquit 15. 57
Succinum paleam allicit. 16. 34
Suidæ iudicium de Dione Alexand. 40. 20
Sydera Saturnia 87. 51
Syderum figuræ ab Aſtrologis confictæ 101. 53
Sydus Iouis 87. 52
Syluius medicinæ profeſſor Pariſienſis 44. 50 52 53

T

Tacitus 18. 54 19. 7
Taprobana Inſula 21. 17 vino caret 21. 19
Tantali fons 43. 57
Tarſis regio 39. 25
Tellenæ nugæ 77. 48
Telluris ſpecies ætheria iuxta Platonem 13. 15
Tellus ſalſa infrugifera 21. 5
Temporum ignoratio quid obſit 32. 36
Tempus obſidionis Caliſij 63. 11
Terra Antichthonum 39. 47
Terræ deſcriptionem primus mouit Homerus 38. 58
Terra immobilis 10. 35
Θερμοπώλια 22. 35
Teſtimonium tacitum Naturæ 49. 60 50. 4
Thales aſtrologiā in Græciam adportauit 47. 51 inanimatis animam tribuit 16. 35
Thaletis cum Periandro conuerſatio 80. 47
Theauilla 88. 41
Themiſon peſſimus medicus 5. 13
Themiſtius 45. 61 23
Theodorus Cyrenaicus Platonis præceptor 47. 41
Theodorus Gaza 49. 10
Theognides 74. 34
Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus 1. 39 15. 59 45. 42
Theophraſti Methodus in hiſtoria ſtirpium 7. 47 Opinio de igne 11. 36 15. 3 15 Querela de vitæ breuitate 28. 55
Theorius Bellio 95. 35
Theſſalus capitalis Medicus 5. 14
Tholos Pieridum 87. 24
Thucydides 35. 50 ab Athenienſibus expulſus 36. 15 Atticâ eloquentia præpollens 36. 33 Bello Peloponneſiaco præfuit 36. 19 Eloquentiam adhibet 36. 31 in hoſtium caſtris habuit qui referrent 36. 13 Opes non reſpexit 36. 23 quo ſtylo vſus ſit in ſua hiſtoria 36. 36 38 ſcripſit ſyncerè 36. 16 30 Topographus 39. 3
Thucydidij 36. 34
Thucydidis virtutes & experientia 36. 17
Tiberius Gracchorum pater 101. 19
Timæus dialogis reliquis doctior 48. 45
Timæus in Italia 47. 46
Timæus Platonis quid complectetur 48. 45 à Galeno allegatur 48. 47
Timæus Pythagoreus 48. 53
Timon Athenienſis 86. 49
Tireſias 30. 32
Titanes 54. 33
Tragicæ execrationes 36. 30
Tres Dionyſij 40. 20
Tres Epiſcopi infulati 88. 29
Tremellius dux exercitus 22. 57
Triſmegiſtus 48. 54
Triticum Babyloniorum 12. 15
Turcæ abſtemij 27. 34
Tumulus Adriani Turnebi 92. 33 106. 30
Turnebus ab adoleſcentia philoſophiæ deditus 45. 7 carpitur 44. 45 cur apparatum funalium noluerit 102. 30 de reliquiis ſanctorum 72. 18 diſſuadet peregrinationes 38. 18 57 dum ſtudet eget 74. 1 falsè accuſatur 71. 55 Grammatico & Philopono comparatur 45. 10 Intercedit apud Regem pro Morellio 55. 11 [redacted] 72. 25 [redacted] 102. 19 nemini ſecundus 90. 98 102. 48 Philoſophicæ profeſſioni præficitur 44. 23 [redacted] 90. 52 92. 17 [redacted] 96. 38 97. 27 quomodo in Profeſſorem philoſophiæ electus & confirmatus 44. 35 & ſeqq. quo tempore ſcripſerit Aduerſaria 78. 3 Toloſam vocatus 31. 39 in locum Tuſani ſubſtitutus 31. 22 [redacted]. 2 vitæ & mortis formula 92. 32
Turnebi ætas 91. 29 adhortatio ad pietatem 97. 1 aſſiduitas in ſtudijs 100. 5 coniunctio cum Leodegario à Quercu 98. 46 99. 7 10 18 28 Confeſſio fidei 96. 15 21 25 Conſtantia in agone 59 102. 1 delator aulicus 45. 1 Diæta 96. 50 egeſtas 73. 38 60 Epigramma in Ariſtotelis effigiem 83. 1 eruditio 96. 39 facetiæ 100. 33 fides in coniugio 100. 56 funus 97. 15 Humanitas erga familiares 101. 21 Ingenium acutum 100. 1 Indicium acre 100. 1 laus 104. 21 106. 1 Linguarum cognitio 100. 24 28 memoria præſtans 99. 59 Morbus 96. 55 mortis hora 97. 58 98. 40 Obitus quo anno 92. 30 quo die 91. 29 92. 40 Oratio ad vxorem & liberos 96. 52 Oratio ad coniugem prægnantem 97. 10 patientia in laboribus ferendis 100. 42 Patria 99. 47 pietas in Vxorem 101. 4 15 Poëmata 100. 25. Placidus obitus 102. 14 præceptores 99. 56 [redacted] 50 106. 40 ſedulitas 96. 46 ſepulturæ locus & tempus 92. 32 [redacted] 91. 14 17 20 ſtudiorum primitiæ 99. 48 progreſſus 51 Studium muſices 100. 37. Tumulus 104. 1 Vitæ ratio 100. 48 Virtutes 100. 47 54 [redacted] 79. 21
Turris lignea alumine oblita non comburitur 15. 14
Tuſanus Græcæ linguæ parens & conditor in Gallia 28. 26 33 Hebrææ linguæ doctiſſimus 29. 9
Tuſani & Vatabli obitus eodem die 29. 8 13 17
Tuſani laus in obeundo munere 28. 35 ſumma aſſiduitas 28. 42 29. 1 & ſeqq.
Tuſſ. Berchetus 94. 30
Turoni 81. 4
Turonum Galathea olim 81. 8
Tyaneus impoſtor 23. 7
Tyranni Siculi 45. 17
Tyrannis ex religionis neglectu 54. 5
Tyrannius 40. 11
Tyriæ arces 85. 43
Tyros 88. 28

V.

Valens Aurelius 106. 45
Varia hominū iudicia de Turnebi macie 70. 53 71. 1 2 4
Varro de vita patrum 22. 48 eius locus de paſſo, moriola & ſapa 22. 41 42 43 Varro 22. 57
Vatabli obitus 29. 8
Vates Memphitici 43. 53
Verba caſtrenſia 90. 60
Veritas inuicta 97. 50
Vua lorea 87. 2
Venus fera apud Germanos veteres 25. 54
Veratrum 15. 57
Vermes LX cubitorum 19. 10
Vero potius dandum quid quàm exiſtimationi 32. 13
Verſus Hircoſus 89. 1
Veſticipes iuuenes 25. 53

Vetonica

Vetonica Coronaria 101. 38
Vicanus index 75. 40
Victorius 82. 13
Victu mutato, mutata corpora 19. 49
Vinum cur vitam præcipitet 25. 47 Simile ab olitoribus 48. medicamentum potius quàm cibus 21. 43 26. 48 Omnia membra penetrat 21. 42 peſtis ſtatura 21. 32 venenum 26. 54 27. 17
Vini incommoda 26. 60 27. 1
vires ſacco & nunc frangebant veteres 22. 26
Vino hebetatur acies oculorum 22. 5
Vinum calidum & ſiccum 21. 23
Virago Lotharena Anglos expellit ex Normania 88. 56
Vires quibus alimentis augeantur 27. 23
Virgilius 15. 19 20. 60. 84. 36
Virgilij locus de ætatis decretione 23. 37 de honeſta morte 50. 11
Virgines vrbanæ citius maturæ viro quàm ruſticæ 25. 51
Virtus celata 34. 23
Virtus in proſperis hebeſcit 61. 30
Viſius ſtrenuus miles 61. 59 63. 37 65. 18 56 85. 44
Vita hominum duobus motibus continetur 26. 2
Vita redit per hiſtoriam 34. 14
Vituperatores Platonis 48. 25
Vlpianus definit Iuriſprudentiam 42. 9
Vlyſſes 30. 33
Vocare ad pileum 99. 11
Vopiſcus 23. 10
Votiua paupertas 73. 42
Vulgus execratur Reginam Angl. 64. 18

Z

Zaleuci Locrenſis lex de vino 24. 36
Zapula Inſula 39. 29
Zeno princeps Dialecticam inuenit 48. 29 Inuentor Dialogorũ 40
Zenonis ſchola 6. 4 Opinio de loco 6. 43
Zoilus in Turnebi mortem 93. 40
Zona quinq; terræ 39. 42.
Zythum Ægyptijs olim familiare 24. 47
Zythus minus inſalubris quàm vinum 24. 55

FINIS.

ARGENTORATI,

Impenſis Lazari Zetzneri Bibliopolæ,

ANNO M. DC.

UNIVERSITARIA DI